R-6700

PARAPHRASIS IN

PSALMOS

OMNES DAVIDICOS, CVM ARGVMENTIS ET ANNOTATIONIBVS,

ITEMQVE

In ea veteris Testamenti Cantica, quæ per singulas ferias Ecclesiasticus vsus obseruat.

CORNELII IANSENII EPISCOPI GANDAVENSIS.

EIVSDEM

In Prouerbia Salomonis & Ecclesiasticum accuratissima Commentaria.

In quibus omnibus hoc agitur, vt sublatis mendis, quæ in nostram lectionem irrepserunt, genuina lectio retineatur, & vt ex collatione facta cum originalibus Hebræis & Græcis, sensus habeatur, qui illis conueniat, aut proximè accedat. In quo is ita ad verum sensum collineauit, vt cęteris ferè omnibus, qui in eodem argumento elaborarunt, palmam præripuerit.

Omnia multò quam vnquam antehac accuratius postrema hac editione recognita, & multis in locis auctiora reddita.

Cum Indice rerum & verborum locupletissimo.

el calificador fr. Carlos Padilla del orden de predicadores expurgo este libro por orden del Sto. tribunal de la inquisicion

M O R I E T

D V R A R E, N O N P E R

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y Santa Catalina.
E. 4º C. 32 N. 1.

LVGDVNI,
APVD CAROLVM PESNOT.
M. D. LXXX.

R-6700

PARAPHRASIS IN

PSALMOS

OMNES DAVIDICOS, CVM ARGVMENTIS ET ANNOTATIONIBVS,

ITEMQVE

In ea veteris Testamenti Cantica, quæ per singulas ferias Ecclesiasticus vsus obseruat.

CORNELII IANSENII EPISCOPI GANDAVENSIS.

EIVSDEM

In Prouerbia Salomonis & Ecclesiasticum accuratissima Commentaria.

In quibus omnibus hoc agitur, vt sublatis mendis, quæ in nostram lectionem irrepserunt, genuina lectio retineatur, & vt ex collatione facta cum originalibus Hebræis & Græcis, sensus habeatur, qui illis conueniat, aut proximè accedat. In quo is ita ad verum sensum collineauit, vt cęteris ferè omnibus, qui in eodem argumento elaborarunt, palmam præripuerit.

Omnia multò quam vnquam antehac accuratius postrema hac editione recognita, & multis in locis auctiora reddita.

Cum Indice rerum & verborum locupletissimo.

El calificador fr. Carlos Padillo del orden de predicadores expurgo este libro por orden del Sto. tribunal de la inquisicion.

M O R I E T

D V R A R E, N O N P E R

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y Santa Catalina.
E. 4º C. 72 N. 4.

LVGDVNI,
APVD CAROLVM PESNOT.
M. D. LXXX.

AMPLISSIMO DOMINO

PRAEPOSITO, D. DECANO, TOTIQVE CAPITVLO ECCLESIÆ CATHEDRALIS GANDAVENSIS

CORNELIVS IANSENIVS.

VM ante multos annos, clarissimi viri, in celeberrimo Tongerlési monasterio inter alia etiã Psalmos Dauidicos Religiosis enarraremus, ne quæ ex varia interpretum lectione, studióque, ac docẽdi labore nobis comparauimus, omnino diffluerent, memoriæ cõseruandæ gratia, conscripsimus nobis Paraphrases quasdã in omnes Psalmos, prẽmissis Argumentis, & subiectis aliquibus Annotationibus, ex variis scilicet scriptoribus colligentes quicquid ad simplicem & genuinam Psalmorum explicationem pertinere videbatur. Hanc nostram conscriptionem mihi paratam cùm intelligerẽ quosdam auidè exscripsisse, etiam nobis insciis, metuere cœpi ne immaturum & imperfectum fœtum nostrum, vt quibusdam accidit, saltem post mortem nostram aliqui edere curarent. Nam etsi à plerisque ad edendum solicitarer, induci tamen ad id ob certas causas non facilè potui. Itaque cùm post negotia pastoralia, quæ me aliquot annis à prælectione sacrarum literarum impeditum detinuerunt, Louanium reuersus, plus otij in studiis literariis rursum nactus essem, cœpi quod prius conscripseram ad incudem reuocare, deprehendíque multa in illo mutanda esse, multa etiam addenda aut resecanda. Nec tamen adhuc (licet doctissimis quibusdam vrgentibus) adduci potui ad editionem, ob pleraſque causas, quæ iam etiam magis quàm prius animum meum commouere cœperunt. Animaduertebam enim me multorum calumniæ subiiciendum hac editione, tum quod hactenus tam varia & innumera conscripta sint in Psalmos Dauidicos commentaria, vt illis aliquid adiicere, videri posset non esse aliud, quàm quod est in Prouerbio: Actum agere, aut mundum infinitis libris onerare, cum iustè quæratur Ecclesiastes componendorũ librorum nullum esse finem. Cum quòd noua illa quam sectamur Psalmorum tractatione metuendum esset ne in odiosissimum Iudaizantium nomen pertraherer atque inuoluerer. Verùm cum studiosi plerique non cessarent nos post editionem commentariorum in Prouerbia, partim precibus, partim obtestationibus impellere ad editionem etiam nostri in Psalmos laboris, metuerémque ne id negligentius fortè per quosdam sub nostro nomine perageretur à morte, malui id me viuo præstaretur, quando accuratius res peragi, & reddita instituti nostri ratione, calumnia omnis apud æquum iudicem depelli posset. Itaque re apud me diligenter perpensa, videbam mihi non magnopere metuendum à duplici illa, quam diximus, calũnia, saltem apud eos, qui affectibus depositis rectè de rebus iudicant, nam aliis nihil placet, nisi quod eorum cõuenit corruptis affectibus. Quanquam enim extent innumeri penè commentarij in Psalmos, in singulis tamen propemodum pleraque meritò desiderantur, vt non satisfaciant ei qui nostram sequi delegit lectionem, & natiuam eius quærit intelligentiam. Nam quòd aliàs diximus, pro ratione nostrorum in Prouerbia commentariorum, id multò magis hic dicere licet, quosdam scilicet qui Psalmis explicandis intenti fuerunt, ita nostram tractasse vulgatam Latinam versionem, vt ad originalia, tum Græca, tum Latina, vel nullus vel exiguus habitus sit respectus: imo ita Psalmos tractauerunt, quasi Latinè primum scripti essent, diligenter expendendo vim Latinarum dictionum & phrasium absque collatione cũ fontibus, vnde verus & genuinus sensus petendus erat, quemadmodum bene monet Di-

Eccl. 12.

uus Auguſtinus libro 2. cap. 11. de doctrina Chriſtiana: Latinæ (inquit) linguæ homines
duabus alijs ad ſcripturarum diuinarum cognitionem opus habent, Hebræa ſcilicet & Græ
ca, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, ſiquam dubitationem attulerit Latinorum in-
terpretum infinita varietas. Alij vel neglecta, vel etiam ſuperbè reiecta vulgata noſtra le-
ctione, ſuas propoſuere mundo nouas verſiones: commentaria etiam quandoque tantum
ex Iudæorum lacunis hauſta adiicientes, ex quibus vulgatam noſtram lectionem non ſatis
illuſtrari poſſe certum eſt, cùm tamen eandem iuſtiſſimis de cauſis retinendam eſſe rectè
iudicauerit ſanctiſſimum & celeberrimum Concilium Tridentinum. Iam & in explican-
dis Pſalmorum ſenſibus illa inuenitur reprehendenda varietas, vt quidam eos nimis litera-
liter & Iudaicè tractent, ſic ad Dauidem & antiqua illa ſæcula eos accommodantes, vt Chri
ſti noſtri, & noſtrorum temporũ vel nulla, vel parua habeatur ratio. Alij rurſum ita eos my-
ſticè tractent, vt de Chriſto & Chriſtianis eos tantum interpretentur, quaſi tempore noui
teſtamenti ſcripti ſint, & non pertineãt vel ad eum, qui illos cecinit, Dauidem, vel ad ipſius
tempora. Itaque cum in tanta varietate videremus medium aliquod ſectandum, & queren-
dum quod vulgatæ noſtræ lectioni ritè & genuinè explicandæ maximè conueniret, impri-
mis dedimus operam, vt collatione facta cum originalibus linguis, & antiquis item noſtris
exemplaribus, veterúmque commentariis, noſtram lectionem à multis, quæ librariorũ in-
curia irrepſerunt, mendis repurgaremus. Rectè enim ſcripſit Diuus Auguſtinus libro ſecun
do de Doctrina Chriſtiana cap. 14. Codicibus (inquit) emendandis primitus debet inuigi-
lare ſolertia eorum, qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderant, vt emendatis non emendati ce
dant, ex vno duntaxat interpretationis genere venientes. Præſtitit idem etiam copioſius,
edito iam ſuperiori anno libello doctiſſimus & diligentiſſimus vir D. GVILIELMVS
LINDANVS Reuerendiſſ. Ruremunden. Verùm vt ea de cauſa à noſtris quæ prius para-
ueramus edendis non abſtineremus, etiam idem Dominus miſſis ad nos literis impulit, &
quanquam ob inſigniter ab eo præſtitam operam ceſſandum mihi aliquandiu iudicaſſem,
tamen tandem adduci me ſum paſſus ad editionem, vel hoc nomine, quòd non parum ad
vulgatæ lectionis noſtræ reſtitutionem faceret diuerſorum cócors annotatio. Deinde iux-
ta rationem, quam in explicandis Prouerbiis ſecuti ſumus, id ſtuduimus, vt cùm noſtra le-
ctio varios ſubinde ſenſus admittere poſſet, & ab originalibus longius recedere ſæpius vi-
deatur, recurſu ſemper habito ad fontes, eum ſenſum traderemus, qui cum illis vel omnino
conſentiat, vel illis viciniſſimè accedat. Ideóque mirari nemo debet, ſi aliquoties dictiones
quaſdam aut orationes non explicauerimus, quemadmodum magis ſecundum rationem
linguæ Latinæ explicandæ videbantur. Non enim tam vim & phraſim linguæ Latinæ atten-
dimus, quàm quid originalia requirerent, accommodantes ſcilicet, quantum id citra violen
tiam fieri potuit, riuulos ſuo fonti potius quàm illos à ſuo fonte longius recedere atq; diuel
li pateremur. Quam ſane rationẽ ſcripturas tractandi nullus ſanus non iudicabit eſſe cóue-
nientiſſimã. Poſtremũ quò plena, & non manca tantũ haberetur Pſalmorũ intelligẽtia, & vt
ſolidius percipi poſſet verus ſenſus eorũ myſticus, qui ad Chriſtũ & res ſpirituales pertinet
ſub corporalibus adũbratas, in iis Pſalmis qui admittũt ſenſum literalẽ, ſub quo quę Chriſti
ac ſpiritus ſunt rectè delineantur per ea quæ de Dauide, vel aliis, atq; de creaturis dicũtur:
imprimis ſtudioſè indicauimus primùm illum literalem ſenſum, qui is veluti clauis ſit & baſis
intelligentiæ ſpiritualis: quæ aliòqui nimis eſt vaga, incerta & libera, nec ſolidæ alicui ratio-
ni ſubnixa, ſed pro ingeniorum maxima varietate adeo varia, vt ridicula pleriſq; efficiatur.
Literali ſenſu reddito, inſinuauimus etiam diligenter ſatis, ſeruata tamen quantum fieri po
tuit breuitate, ſenſum ſpiritualem ad Chriſtum & ſpiritum pertinentem, quo ſic abſoluta
& integra haberetur Pſalmorum intelligentia. Itaq; dum hanc rationẽ ſectamur, ſperamus
nos ab odioſiſſimo Iudaizantiũ nomine exemptos fore apud æquos rerum cenſores. Non
enim ſenſum literalem (quem plerique nimis vilem habent) ideo ſequimur, quod illi ſummo
tandem exiſtimemus, ſed vt per illum & certius & iucundius ſenſum ſpiritualem & myſti-
cum aſſequamur: quem licet ſecundariũ, non tamen inferiorem habendũ putamus, ſed præ
cipuum, atq; tanquam à ſpiritu diuino præcipuè intentum, à nobis etiam maximè quæren-
1.Corin. dum. Cùm enim, teſte Paulo, omnia veteris teſtamenti patribus in figura contigerint, & fi-
10. nis totius legis Chriſtus ſit, in quo omnia recapitulantur & perficiuntur, ad illum omnia re
ferenda ſunt, maximè quatenus perfectioni eius cóueniũt, & inter omnia, peculiariter quæ
à Dauide præclarè vel dicta vel facta ſunt, vel tolerata: qui adeo in pleriſq; Chriſti figuram
prætulit, vt apud Prophetas etiam Dauidis nomine aliquoties Chriſtus nominetur, vt eſt vi
Iere. 30. dere apud Ieremiã, dicentem: Seruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo quem ſuſcitabo
Eccl. 34. eis. Et apud Ezechielem: Suſcitabo, inquit Dominus, ſuper ea paſtorẽ vnũ qui paſcat ea, ſer-
uum meũ Dauid: ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorẽ. Ego autẽ Dominus ero eis in Deũ,
& ſeruus meus Dauid princeps in medio eorũ. Sic & Oſeæ dicit: Poſt hæc reuertentur filij
Oſe. 3. Iſrael, & quærent Dominũ Deum ſuum, & Dauid Regẽ ſuũ. Cùm ergo duplex ſit in ſcriptu-
ris veteris Teſtamenti ſenſus, literalis ſcilicet & ſpiritualis ſiue myſticus: ille quidẽ primus
habendus eſt, ſed iſte præcipuus & principalis. Ille huic ſubſeruire debet, ſicut Agar Saræ:
at hic ſic ab illo pendet vt illo non ritè intellecto, nec ipſe ſolidè percipi poſſit. Quemad-
modum enim librum Leuitici cæremonias legales deſcribentem nemo rectè in myſtico
ſenſu tractauerit, qui non prius & intellexerit & explicauerit illarum literalem conſtitutio-
nem: ita quæ ſub typo Dauidis dicta ſunt in pſalmis myſticè de Chriſto, nõ exactè ſatis quiſ
quam-

quàm tractauerit, niſi quomodo eadem Dauidi conueniãt, prius animo perceperit. Et quo-
modo non Chriſtianè ſatis Leuiticũ perlegit, qui præter figuras illas & vmbras nihil attendit,
nec eas ad Chriſtum ſaltem aliquouſq; transfert, ita nec ſatis Chriſtianè Pſalmos Dauidicos
vel legit vel explicat, qui in eis tantũ ad Dauidem, Salomonem, & alios reſpicit, nec ex figuris
aſſurgere nouit ad ipſam veritatem. Et rurſum ſicut inter Iudaizantes cenſendi non ſunt, qui
quò rectè ſolidéque explicent ſenſus myſticos ſub legis cortice reconditos, pro fundamento
præſtruunt & collocãt literalem legalium cæremoniarũ intelligentiam: ita nec qui Pſalmos
ad Dauidẽ aut alios pertinentes, de illis prius explicant, vt certius ſenſus myſticus conſtabilia
tur. Scio quidem quoſdam in ea eſſe ſentẽtia, vt exiſtiment eos omnes Pſalmos, ex quibus in
nouo teſtamento quædã citantur dicta de Chriſto, in primo & literali ſenſu de Chriſto intel-
ligendos eſſe, nec de Dauidẽ aut aliis vllo modo interpretandos, ideóq; & vereor ne illi mox
exclamaturi ſint, Iudæos nos potius imitari quàm Chriſtianam ſequi pietatem, vbi viderint à
nobis quoſdam huiuſmodi Pſalmos etiam Dauidi tribui. At tales per Chriſtianam manſuetu-
dinem & charitatem deprecor, vt quemadmodũ nos in rebus huiuſmodi, quæ ſalua fide con
ſiſtere poſſunt, vnumquemque in ſenſu ſuo abundare iuxta Pauli conſilium permittimus: ita *Rom. 13.*
viciſſim non dedignentur noſtras attẽdere rationes, quibus cogimur ab eorum recedere ſen-
tentia: quas etſi aliquoties ſparſim in Annotationibus ſubiectis Paraphraſi Pſalmorũ indica-
uerimus, non pigebit tamen hic eas paucis repetere. Itaque vt non putemus omnes eos Pſal-
mos, è quibus de Chriſto ab Apoſtolis atq; ipſomet Chriſto teſtimonia producuntur, tantùm
ad Chriſtum pertinere, etſi ad illum præcipuè & perfectius pertineant, nos mouent plærique
Pſalmi qui nimis manifeſtè etiã de Dauide aut aliis ſunt accipiendi, & imprimis Pſalmus 17.
ex quo de Chriſto citat D. Paulus illud: Propterea cõfitebor tibi in populis Domine, & nomi-
ni tuo Pſalmum dicã. Eum enim etiam de Dauide accipiendum clarè arguit & Pſalmi titulus, *Rom. 15.*
& Pſalmi materia, quæ in plæriſq; verſibus parum conuenit Chriſto. Et hiſtorialis item liber
Regũ ſecundus, in cuius vigeſimoſecũdo capite adducitur hic Pſalmus tanquam hiſtorialis, *2.Re. 12.*
& continens victorias Dei beneficio Dauidi cóceſſas. Idem præter alios Pſalmos ſatis cõpro-
bat & Pſalmus octauus ex quo D. Paulus de Chriſto dictũ profert. Quid eſt homo, quod me- *Pſal. 8.*
mor es eius? aut filius hominis, quoniã viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis, &c.
Et tamen eadẽ ad literã eſſe dicta de humano genere in vniuerſum, ſatis oſtenditur tũ per ea
quæ ſequuntur, cũ pro explicatione eius (Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius) ſubiicitur, oues *Heb. 2.*
& boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, &c. in quibus verbis alluditur ad Dominiũ homi
ni in principio ſupra omnia animalia conceſſum: tum per ſimilẽ locum in Pſalmo centeſimo
quadrageſimo tertio, vbi ſimili interrogatione de vniuerſo humano genere effertur: Domine
quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Plura loca in Annota-
tionibus circa ſingulos Pſalmos obſeruare licebit, vt intelligatur non ſtatim conſequens eſſe
Pſalmum aliquem de Chriſto ſolùm & ad literam accipiendũ, quòd ex eo teſtimonia produ-
cantur Chriſto accommodata. Sicut enim Chriſto ab Euãgeliſtis tribuuntur illa: Os nõ com- *Ioan. 19.*
minuetis ex eo. &: Ex Ægypto vocaui filium meum. & alia ſimilia, quæ certiſſimum eſt de illo *Mat. 2.*
non primò & ad literã eſſe dicta, ſed in ſenſu ſpirituali latente ſub litera: ita & ex Pſalmis mul
ta Chriſto tribuuntur, quòd, etſi ſint de aliis literali ſenſu primùm dicta, in illũ tanquã ipſam
veritatem præfiguratam perfectius quadrẽt. Atque hac ratione rectè ſcriptum eſt, Chriſtum
aperuiſſe ſenſum vt intelligerent ſcripturas. Id enim non ideo ſolùm dictũ eſt, quòd demon- *Luc. 24.*
ſtrarit illis loca quæ propriè & ſine typo, atq;, quod dici ſolet, ad literam de eo ſcripta ſunt: ſed
quod etiam docuerit typos veteris Teſtamenti ad ſe & eccleſiam ſuam referendos, & quæ de
aliis dicta vidẽtur, in ſe verius competere, qui in illis præfiguratus ſit. Quæ ſcripturas intelli-
gendi ratio, à Chriſto primum declarata Apoſtolis, ac deinde nobis per Apoſtolos communi
cata, nobis Chriſtianis propria eſt, nec nobis cum Iudæis communis, qui literalem tantum &
vnicam carnalem in ſcripturis intelligentiam norunt: in qua qui cum eis acquieſcit, aut eam
præcipuam ducit, is demum verè Iudaizare dicendus eſt. Vt autẽ ex multis argumentis, quæ
circa quoſdã Pſalmos ſubinde indicamus, ad oſtẽdendum plæroſque Pſalmos, qui à quibuſ-
dam tantum ad Chriſtum & noui Teſtamẽti beneficia pertinere putãtur, etiam ad Dauidem,
& ſui temporis beneficia pertinere, vnum aliquod afferamus, quod in eccleſiaſtico obſerua-
uimus: Pſalmus vigeſimus, qui incipit: Domine in virtute tua lætabitur Rex: proculdubio ad
Chriſtum pertinet, exiſtimatúrque à pleriſque tantùm ad illum pertinere, adeo plæraq; eius
Pſalmi illi ſoli conuenire videntur: & tamen auctor libri Eccleſiaſtici, quem non dubitamus
diuinũ & canonicum eſſe ſcriptorem, ſatis indicat eum Pſalmum etiam de Dauide, veri Re- *Ecc. 47*
gis noſtri typo, decantatum eſſe, cùm dicit de eo ſic: In decem milibus glorificauit eũ, & lau-
dauit eum in benedictionibus Domini in offerendo illi coronam gloriæ. In qua ſententia, vt
latius oſtendemus in commentariis ſuper Eccleſiaſticum, quos ad manum habemus,
verba, glorificauit, & laudauit, referenda ſunt non ad Dominum, ſed ad populum. Et eſt ſen-
ſus, quòd populus glorificauerit Dauidem in decẽ milibus, cùm ſcilicet de eo canerent: Per-
cuſſit Saul mille, & Dauid decẽ millia. Idẽ populus laudauit Dauidẽ in benedictionibus Dñi, *1.Reg. 18*
in offerendo illi coronã gloriæ, cùm ſcilicet de eo caneret: Præueniſti eũ in benedictionibus
dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Eccleſiaſticus enĩ ille ſcriptor
in commemorãdis patrũ laudibus reſpicit ſemper ad ea quæ prius de eis ſcriptura narrauit.
Et hæc quidem pro depellenda noſtri inſtituti calumnia ſufficere putamus apud beneuolum
Lectorem, qui ſi dignabitur ſequentes in Pſalmos Annotationes cum iudicio legere, ſpero

illi abunde ſatisfactum iri. Cæterùm vt in myſticis ſcripturarum & maxime Pſalmorum ſenſibus ſolidè & fœliciter quis verſetur, annotandum hic mihi viſum eſt, myſticorum ſenſuum duos eſſe locos, vnde petendi ſunt. Alter eſt ipſarum creaturarum omnium viſibilium, quas ab initio mundi non ſolum ſic creauit omnium conditor Deus vt humanis ſeruirent vſibus, & neceſſitatibus corporalibus, ſed etiam vt ſuis proprietatibus adumbrarent res ſpirituales atque cœleſtes. Itaque dum in Pſalmis iuxta literam canuntur Dei beneficia per creaturas nobis præſtita, iuxta ſenſum myſticum intelligenda ſunt, & ea ſpiritualia bona, quæ creaturæ ſuis proprietatibus deſignant. At cùm canitur cœlos enarrare gloriam Dei, & intelligamus cœlos corporales Dei gloriam nobis deprædicare, ac declarare, & multo magis intelligamus cœlos ſpirituales, Apoſtolos ſcilices & viros diuinos, idem multo perfectius præſtitiſſe & præſtare. Id diligenter obſeruatum, aptiſſima erit clauis ad aperiendum ſenſus myſticos in litera latentes. Alter locus vnde petendi ſunt ſenſus myſtici, eſt perſonarum, & rerum geſtarum, aut inſtitutarum cæremoniarum, quæ in ſcriptura veteris teſtamenti celebrantur. Cùm enim, teſte Paulo omnia in figura contigerint illis, quæcunque de his ſcripta ſunt, nouo teſtamento iuxta ſpiritualem ſenſum accommodanda ſunt, ſi modò momentum aliquod ſingulare in ſe habeant. Sicque in his quæ Dauid cecinit vel ſibi diuinitus præſtita, vel à ſe gloriosè facta aut tolerata, ſimul intelligere oportet quæ Chriſti ſunt in Dauide adumbrati. Vt tamen ſolidè vterque hic locus myſticorum ſenſuum tractetur diligenter obſeruanda ſunt ea ſcripturarum loca, in quibus innuitur quid vel creaturæ quædam, vel res teſtamenti veteris myſticè deſignent, vt iuxta formam in ſcripturis inſinuatam, non autem pro libera cuiuſuis ingenij adinuentione, myſticus ſenſus eruatur atque tradatur, & ibi myſticum aliquid quæratur, vbi myſticum aliquid eſſe ex ſcripturis colligi poteſt. Proinde vtiliſſimum foret annotata habere omnia ea ſacræ ſcripturæ loca, in quibus quædam myſticè tractata ſunt atque expoſita. At de ea re prolixius agere, alterius eſt inſtituti. Vt ergo ad reddendum inſtituti noſtri rationem redeam, video etiam hoc ſupereſſe, vt dicamus cur eam potius enarrandi Pſalmos rationem delegerimus, quæ Paraphraſi ſit, quàm quæ iuſtis ſit cómentariis, in quibus ſingula quæq; diſtinctè explicantur, & proinde aptior videtur docendis ineruditioribus. Fecimus certè illud, non ſolũ quòd paraphaſtica enarratio ſit breuior, & vel eo nomine gratior: ſed etiam quod iucundior ſit, & ingeniis excitandis conuenientior, dum lector intentus eſſe cogitur, vt obſeruet quid in Paraphraſi reſpondeat ſingulis quæ in litera dicuntur, quod cùm aſſequitur, magis etiam inde reſcitur. Imitati ſumus hac in re non pœnitendos authores, F. Franciſcum Titelmannum, Antonium Flamminium, Ioannnem Campenſem, & alios quorum etiam verba ſæpius mutuatos nos agnoſcimus, vt ne quem ſuo fraudemus honore. Itaque qui ex hac noſtra Paraphraſi fructum facere volet, diligenter ſemper intendat ad ea quibus reſpondet Paraphraſis, cogitétque nihil in ea otioſum eſſe, nihilque poſitum, quod non ad explicationem vel verborum, vel phraſium, vel ad ordinem & connexionem verſuum inſinuandam pertineat. Si autem amplius quid deſideret, legat & ſubiectas annotationes circa loca quædam difficiliora, quas ſcio debuiſſe copioſiores fuiſſe, vt abundè multis ſatisfacerent verùm nos breuitati ſtuduimus, contenti ea tantum annotare quæ neceſſaria videbantur. Quæ autem & quot loca in ſingulis Pſalmis peculiares habent annotationes, indicant literæ alphabeticæ marginibus aſſcriptæ. Et in Paraphraſi, ſicut medium verſus inſinuatur ſtellula*, ita ſi quando aut totus verſus, aut medium eius, aut aliqua eius pars plures habet explicationes, idipſum indicat crucis ſignum † appoſitum.

Cæterum cùm hos noſtros labores viderem pro more alicui dedicandos eſſe, ſtatim iudicaui non alij magis quàm vobis confratribus meis, mihi ex animo & colendis & dilectis eſſe nuncupandos: tum ob ſingularem illum veſtrum erga nos affectum, ſæpius quidem à plerisque veſtrum mihi declaratum: ſed ab omnibus præcipuè in receptione atque introductione ad veſtram eccleſiam nuper peracta, tanta cum beneuolentia: vt veſtro exmplo omnes etiã alij quorumuis ordinum, & eccleſiaſtici, & laici ſummo nos fauore vſque ad ſtuporem & magnam ſpectantium admirationem exceperint: tum quòd deinceps vobiſcum in decantandis Dauidicis Pſalmis mihi perpetuò inſiſtendum ſit, nimirum vt ex lectione harum noſtrarum elucidationum clariorem Pſalmorum intelligentiam aſſecuti, lubentius in Pſalmorum decantatione occupemini, aliique omnes per vniuerſam noſtram Diœceſim eccleſiaſtici imprimis veſtro exemplo ad deuotam Pſalmorum in horis diuinis frequentationẽ prouocentur: ſicque etiam laici omnes obſeruantes eccleſiaſticos: quo decet affectu & reuerentia, diuina peragere officia, illis magis afficiantur, & glorificent communem omnium patrem qui in cœlis eſt. Id quod à vobis eo magis futurum confido, quòd iam à nobis admoniti de quibuſdam ad cultum diuinum pertinentibus ſtatim communi ſententia eadem approbaueritis, eiſque vos accommodaturos receperitis: ita vt cùm impoſitum nobis Epiſcopale officium magna trepidatione ob periculoſa hæc tempora & ſuſceperimus, & aggreſſi fuerimus: tamen ex veſtro fauore, & obſequio bonam conceperimus fiduciam fœlicioris in noſtro officio progreſſus. Sanè experior non vanam eſſe meam de vobis expectationem, quam mihi & veſtræ aliquot literæ, & multorum de vobis præclara exiſtimatio ſuggeſſit, vt ad ſuſcipiendam duram Epiſcopalem prouinciam non me omnino præberem difficilem. Video enim Capitulum hoc noſtrũ, vt Præpoſito Viro eminentiſſimo, ac Decano humaniſſimo: ita & aliis Viris pleriſque doctiſſimis ſimul & probiſſimis, pietatiſque addictiſſimis ornatum

natum eſſe, qui digni planè ſunt in ciuitate tam præclara & celebri ac Capitulo tam bene conſtituto, & æquiſſimis ſtatutis erecto reſidere vbi preter alia pleraque commendanda, & in receptionibus Canonicorum nihil exigitur aut numeratur, & omnes pene fructus ſolum ex diſtributionibus per ſingulas horas conſtitutis percipiuntur. Fiduciam noſtram non parum auget fauor reuerendi præpoſiti noſtri Domini Præſidis Viglij, qui non deſinit nos & conſilio ſuo & ope omni adiuuare, vt fœlicem planè me vobiſcum iudicem, quòd talem ego Mœcenatem, & vos mecum talem nacti ſitis Præpoſitum: qui non ſolùm ſua authoritate magna, ſed etiam prudentia inſigni nobis adeſſe, nóſque tueri & poteſt, & paratum ſe ſemper exhibet.

Itaque quo & ego viciſſim declararem animi mei in reuerendum D. Præpoſitum & reliquos vos confratres meos gratitudinem non debui prætermittere, quin ſicut noſtram nuper in prouerbia Salomonis commentaria Reuerendiſſi. D. Præpoſito: ita eidem (cui me totum debeo) & vobis, Decano, totique Capitulo hunc noſtrum alterum fœtum nuncuparem: perſuaſus nullũ aliud munus vobis omnibus gratius eſſe poſſe, quã illud, quod his qui canonici dicuntur maximè conuenit: quod item confido per vos & aliis noſtræ Diœceſis clericis (pro quibus omnibus ſollicitum me eſſe debere agnoſco) acceptius & commendatius fore, vt cum cultus Diuini profectu illud vobiſcum lubentius legant & amplexentur. Quod ſi aſſecutus fuero, non pœnitebit nos laborum, quos in colligendo & edendo hoc opere ſubiuimus, ſed abundè nos illorum fructum adeptos nobis perſuadebimus. Valete colendiſſimi Domini, & noſtram operam boni conſulite. Gandaui, 4. Decembris. ANNO 1568.

PARAPHRASIS IN OMNES PSALMOS DAVIDICOS, CVM ARGVMENTIS EORVM ET ANNOTATIONIBVS.

ARGVMENTVM PRIMI PSALMI.

CVM omnes natura trahantur ad beatæ vitæ appetitionem, pauci verò intelligant in quo illa consistat, eã rem imprimis explicat elegantissimè vir sanctus, docens hunc demum, qui abiecto omni consortio & consensu cum impijs, animum suum adjecit legi Dei, atque ob id in ea assiduè meditatur, esse in hac vita beatum, eo quod similis sit arbori bene plantatæ, fructiferæ, semperque virenti: cum contrà impij eleganter similes sint pulueri leuissimo, sterili, aridóque, qui proinde non poterunt admitti in congregationem iustorum, vt cum eis eadem accipiant præmia, sed vt res nihili, vnà cum suis actibus perdentur.

PARAPHRASIS EIVSDEM PSALMI.

1 Beatus vir qui nõ abijt in consilio impiorum.

**& in via peccatorum non stetit,*

**& in cathedra pestilentiæ non sedit.*

BEATITVDINEM, quã oẽs natura appetunt, sed quæ vera, perfectaq; in hac vita contingere non potest, iam tamẽ firma spe & expectatione consecutus est, & meritò fœlix dicendus est, quisquis non consentiẽs impiorũ consiliis, nõ est cõuersatus in illis quæ illi cõsulunt: * & multo magis non est delectatus institutis peccatorum, si quando eis acquieuerit, in eis perseueraret: * omnium autẽ maximè abstinuit, nè cũ pestilẽtissimis quibusdam hominibus, deridentibus eos qui iustitiã & pietatem colunt, pestiferum se exhiberet doctorem, nòxiis institutionibus alios corrumpens, ac malitiam ac falsitatem velut professus. *psal. 1.* a b

2 Sed in lege Domini voluntas eius.

** & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

2 Sed omni impiorum commercio relicto, (quoniam satis nõ est vitia declinare, nisi etiam virtus colatur) omnem suum animum & affectum adiecit legi Dei, illam amans, illámq; adimplere ex animo cupiens, cuius consilia & via longè sunt diuersæ à cõsiliis impiorũ: * atque ob id in ea solicitè meditatur assiduè, vt intelligens quæ iubeat Deus, quidúe prohibeat, vitã suam legi Dei attemperet. Nec animo tantum secũ in lege Dei meditatur, sed & illa quoque in ore eius erit semper, nec vlla de re loquitur cupidius. c

3 Et erit tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum,

**quod fructum suum dabit in tempore suo.*

3 Meritò autem hunc beatũ dico, atq; fœlicem, quoniam qui talis fuerit, similis erit arbori fœcundæ, fœliciter plãtatæ, nempe iuxta decurrentes riuulos aquarum, quæ nunquã destituta humore, fructum suum tempore opportuno reddet, cuiúsq; folia etiam decerptis fructibus non defluent: sed semper viridia, etiam hyeme, persistent. * Ita enim & ille in cœlesti solo firmiter plãtatus, fluminibus diuinarũ scripturarum, quæ de cœlesti fluũt paradiso, ac succo diuini spiritus, hoc est, spiritali gratia perpetuò irrigatus, nunc quidem bonorum operũ fructus Deo gratissimos, hominibúsq; vtilissimos reddet, cũ res poscet, charitásq; suadebit, immo toto huius vitæ tempore, quod est bene operandi tempus: in futura autem vita perpetuum Deo reddet fructum laudis & confessionis.

4 Et folium eius non defluet.

4 Idem autem non tantũ bonos proferet fructus, sed nec incidẽtibus malis frãgetur. Nam instar arboris prædictæ, cuius folia neq; hyeme, neq; æstate defluunt, semper virebit ac florebit. hic quidẽ animo, d

qui non languescet tribulationum æstu, vel malitiæ mundanæ frigiditate: postea autem florebit animo simul & corpore, in æterna fœlicitate eundē vigorem semper retinens. *Et omnia quæcunq; faciet, quātūuis apud hoīes infœliciter illi cedere videātur, prosperè illi apud Deū cedēt, illo disponēte, qui sanctis suis oīa vertit in illorū bonum.

Rom. 8. *& omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.

5 Non sic impio, non sic, sed† tanquam puluis quem proiecit ventus a facie terræ.

5 Non sic autem sese habent impij, diuinę legis nequaquā studiosi, non sic, inquam, sese habēt, sed etiāsi videantur hominibus firmiter radicati, ac egregiè florere, tamē sunt sicut puluis leuissimus, sterilis & aridus, quē dispellit ventus à superficie terræ, quiq; non solū inutilis est, sed a vento dispersus omnia etiā commaculat, oculósq; hominum lædit: Ira enim & impij impulsibus suarum passionum, & flatibus malarum suggestionum in omnia vitia rapiuntur, non solū inutiles, sed & noxij omnibus. † Qui etiam seueritate iustitiæ Dei, quasi procelloso ac valido quodam vento, subitò rapiētur è terra, ac dispergentur à conspectu Dei & hominum, tam facilè quām rapit ventus puluerem.

c 6 †Ideo non resurgent impij in iudicio.

6 Et quia sic impij pulueri sunt similes, ideo non stabūt, nec se erigere poterunt: sed causa sua cadent in generali iudicio Dei, aut etiā iustorum, qui cū Deo mundū iudicabunt, non poterūt illud iudiciū sustinere, *neq; peccatores durare poterunt in congregatione iustorum. † Et quamuis impij ac peccatores nouissimis temporibus vnà cum istis ad vitam sint reuocandi, non tamē sic resurgent, vt fiāt participes salutaris iudicij & congregationis iustorum, à qua abigentur in tenebras infernales.

*neque peccatores in concilio iustorum.

7 Quoniam nouit Dominus viam iustorum.

*& iter impiorum peribit.

7 Ob eam verò causam iusti intenti legi diuinæ, in perpetuū florētes ac beati erunt: improbi verò sempiternis suppliciis cruciabūtur, quoniam dominus Deus modum viuendi iustorū singulariter amat, eúmq; curæ habet, dirigit ac approbat: * institutum autem impiorū simul cum impiis peribit, quādo, sublatis è medio impiis, emarcescere faciet Deus omnem eorum gloriam, perdētq; omnes eorum cogitationes, studia, & actiones.

ANNOTATIONES.

PLerique hunc Psalmum nō Dauidis, sed Esdræ esse putant, qui prologi vice omnibus eū Psalmis præposuerit,, quo ad meditationem legis diuinæ nos inuitarit. Verū receptius est vnū hunc esse ex psalmis Dauidis, qui antè omnia docet qua in re sit sita hominis vera beatitudo, vt sciremus quo debeamus referre oēs nostras actiones & studia. Nam in Græcis quibusdā codicibus præfigitur titulus: Dauid prophetæ & regis carmen. In aliis, Psalmus Dauid.

BEATVS VIR.] Hic versus duobus modis accipi potest. Hebræi enim intelligunt hic figuram esse, quam Quintilianus vocat congeriē, vt ad maiorem emphasim vnius rei sit coacerua tio, & per hoc quod dicit: virum beatum esse, qui non abiit, nec stetit, nec sedit cum impiis: simpliciter intelligatur voluisse, beatum virum esse, qui penitus ab omni abstinet malorum consortio, eò quòd omnis hominis vita peragitur eundo, stando & sedendo. Quæ interpretatio consentit cum eo quod in alio postea Psalmo dicit Prophe ta: Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Quo significare vult nullum se habuisse cum impiis commercium. Latini autem ferè & veteres & recētiores intelligunt in his tribus partibus esse figurā, quā vocant incrementū vel gradationē, vt minus sit ambulare in consilio peccatorum, quàm stare in via peccatorū, & istud minus, quàm sedere in cathedra. Verū quibusdam videri poterit, harum partium ordinem non rectè positū, eum in negatiua locutione, quod maximū est præponi deberet, sicuti cōtrà in affirmatione à minori ad maius est ascendēdum. Ideóq; dicēdum videbatur: Beatus qui nō sedebit in cathedra, nec etiā stetit in via peccatorum, nec in eorum cōsiliis ambulauit. Ad quod dicendum erit, duplici ratione hoc ordine Prophetā has partes posuisse. Primū vt designaret quibus gradibus ad summā impietatē peruenirētur. Primū enim impiorū consilia sequuntur homines, deinde capti dulcedine peccati, in eo perseuerant, ac tandē aliis malitiæ & fallitatis duces fiunt & magistri. Secudò hūc ordinē obseruauit, vt doceret viro, qui beatus esse volet, imprimis cauendū ne acquiescat impiorū consiliis: magis autem, ne si per humanā infirmitatem peccare eum contigerit, in malo perseueret. Omnium verò maximè, ne aliis fiat malitiæ vel falsitatis magister.

a

IN CONSILIO IMPIORVM.] Consilia impiorum, non solum sunt impiorum vel hominum vel dæmonum suggestiones, sed etiā rationes illorum astutę: quibus norunt assequi aut huius secu i diuitias, aut honores, aut cupitas voluptates. Filij enim huius sæculi, inquit Saluator prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Cæterū, dictionem, *consilium*, scribendam hoc loco per literam, ſ, in penultimo verò versu per literā, c, quanquam ex dictione Græca constare nō possit, quæ vtrobique eadē est, βουλὴ, & vtrūq; significat cōsilium scilicet, & locū consilij, atq; senatū, constat tamen ex Hebræis, apud quos prioriloco ponitur עֲצַת Atsath quod consiliū significat: posteriori עֵדַת Adath, quod congregationem significat.

b

IN LEGE EIVS MEDITABITVR.] Dictio Hebraica הֶגֶה Hagha, quæ hoc loco ponitur, non tantùm pertinet ad cordis cogitationes, sed & ad oris sermones, quomodo & noster verbum meditandi aliquoties accipit: vt cū vertit hanc dictionem Psal. 34. Lingua mea meditabitur iustitiam tuam.

d ET ERIT TANQVAM LIGNVM.] Vt versus hi duo rectè intelligantur, sciendū hos duos in Hebræis vnum esse versum, duobus cōstantem præcipuis mēbris, vt omnes ferè Psalmorum versus. Quorum prius est, Erit tāquam lignum, quod plantatū est secus decursus aquarum, quod fructum suū dabit in tempore suo, & folium eius non defluet: Posterius est, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. Itaq; priori membro comparatur homo iustus arbori (dictio enim, lignū, vt sæpe in scripturis, accipi hoc loco debet pro arbore) tres habenti conditiones, nēpe quæ & conuenientissimè est plantata, nimirum iuxta riuos aquarum, & fructum edit opportuno tempore, & perpetuò viret, etiam decerptis fructibus. Posteriori membro explicatur similitudinis ratio. Id annotandum videbatur, quo intelligeremus illud: Et folium eius non defluet: non pertinere primò ad hominem iustum, sed ad arborem, cum qua fit comparatio nec idē esse suppositum verbi, defluet, & verbi, faciet. Videtur autem per arborem, cum qua facit comparationem Propheta, designare palmam aut auleam. Vtriusque enim decerpto fructu folia non decidunt, sed etiam in hyeme perseuerant. Et alibi his arboribus iustum cōparat, vt Psalmo 91. Iustus vt palma florebit. &: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Psalmo 51.

e IDEO NON RESVRGENT.] Dictio Hebraica יָקֻמוּ Iakumu, quamuis etiam resurgere significet, propriè significat stare: secundùm quam significationem plerique ex Hebræo vertunt, non stabunt, vel subsistent impij in iudicio, vt sit sensus: Impij in iudicio Dei, aut etiam iudicio iustorum, qui cum Deo iudicabunt, non poterunt sese defendere, suámque causam & innocentiam probare: sed causa sua cadent, atque in eo victi condemnabuntur. Hi enim dicuntur Latinis cadere sua causa, qui causam suam probare & defendere non valent. Atq; hic sensus probè quadrat cum eo quod prius comparauit impios pulueri, qui ob suam leuitatē subsistere non potest. Ad hunc autem sensum nostra lectio accommodabitur, si hoc modo intelligamus: impij non resurgent, hoc est, non se erigent vt stent in iudicio, sed condēnati cadent. Huic intelligentiæ consentit illud Psalmo 109. Cadēt super eos carbones, in ignem deijcies eos, in miseriis nō subsistent: vbi Hebræis idem verbum est quod hoc loco. Quod si autē verbum, resurgere, accipiatur propriè, vt significet futuram corporum resurrectionem, considerandū quod non neget impios resurrecturos, sed non resurrecturos in iudicio iustorum, hoc est, vt participes sint eius iudicij quo inducabūtur iusti. Dictio enim, iustorum, ex secundo membro repetenda est. Hilarius inter impios & peccatores hoc ponit discrimē, vt impij sint infideles, qui nō resurgēt in iudicio, quoniam, vt inquit Saluator, qui non credit, iam iudicatus est: Peccatores verò, fideles malè viuentes, qui resurrecturi quidem sunt vt iudicentur, sed non resurgent in cœtu iustorum. Sic & Euthymius. Verū Propheta indistinctè videtur accipere impios & peccatores. Cæterùm legēdum per futurum, resurgent, & non per præsens, resurgunt, (vt passim legitur) docent tum Græca, tum Hebræa.

ARGVMENTVM SECVNDI PSALMI.

PRædicit Psalmista vanam esse hostium Christi coniurationem, nomen eius delere studētium, quē Deus pater post resurrectionem, totius orbis regem constituerit, collata vindicandi rebelles maxima potestate, adhort ās deinde, vt illi subijciantur, cui qui restiterit, summam sibi perniciem conciliabit: qui verò submiserit se illi, fœlix futurus est & beatus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Quare fremuerunt Gentes.*

* *& populi meditati sunt inania?*

2 *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerūt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

3 *Dirumpamus vincula eorum.*

& proijciamus à nobis iugum ipsorum.

4 *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.*

& Dominus subsannabit eos.

5 *Tunc loquetur ad eos in ira sua.*

& in furore suo conturbabit eos.

6 *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.*

VT quid gentes per indignationem & fremitum turmatim insurrexerunt, atq; turbatæ sunt, *& populi inter se ea cogitauerūt, quæ vt eis erunt inutilia, ita & impossibilia? Psal. 2.

2 Nec populi tantū, sed & reges terræ simul cōsurrexerunt, promptisq; animis sese opponere decreuerunt, & principes simul congregati sunt contra Deum, & contra eum qui ab ipso in regē vnctus est. Huic enim dum se opponunt, Domino resistunt.

3 Sic autem inter se dicunt hi & numero multi, & potentia fortes: Destruamus imperium illorum, quo nos isti tanquā vinculis quibusdam obstringere sibi moliūtur, *& iugum seruitutis ipsorū, ne dominētur nobis, abijciamus à ceruicibus nostris. Nolumus enim hūc regnare super nos. Luc. 19. b

4 Hæc quidem inter se statuunt homines amētissimi. At summus ille omnium rerū Dominus, qui cum habitet in cœlis, & illorum impios prospicit conatus, & ab illis oppugnari non potest, suo tempore illos ridebit, *ac subsannabit, cū illis deuictis & perditis inanes ostēdet eorum conatus, omnibúsque hominibus ridendos exponet.

5 Tunc qui iam ad tempus dissimulat, iratus admodum illis loquetur, seuerè illos puniendo & vindicando, *& per vltionem seueritatis suæ conturbabit eos, dum sibi irasci cogentur, ac pœnitentia infructuosa confundi, dumque mala illos subitò occupabunt, quæ effugere non poterunt.

6 Ego autem cui subijci recusatis, quemq; perdere molimini, non mihi regnum vsurpaui, sed ab omnium domino constitutus sum rex, c

vt regem in Syon,monte eius verè sancto,quòd in eo sacrarij sui sedem sibi delegit Dominus.* Atque hic rex constitutus annuntio vobis & omnibus quid de me statuerit Dominus, quidq; me vobis denuntiare præcepit,vt ne per ignorantiam peccetis. d

prædicans præceptum eius.

7 Ipse dixit ad me,cùm,data mihi omni potestate in cœlo & in terra,me in regem super populum tuũ cõstitueret,Filius meus es tu,* ego hodie nouo quodam modo rursum te genui,alium & nouũ hominem te reddens. c

*7 Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, *ego hodie genui te.*

8 Tanta est autem mea in te beneuolentia, vt quidquid petieris à me,voluntati tuæ sim concessurus.Itaque postula à me,& ego,cuius sunt omnia,pro paterna mea indulgentia,dabo tibi(vt cõuenit facere filio)non solùm ludæos,sed & gentes omnes in tuam hæreditatẽ. *& omnes fines terræ tibi dabo in firmam ac perpetuã possessionẽ, omnes terræ nationes ditioni ac potestati tuæ submittens.

8 Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:

* *& possessionem tuam terminos terræ.*

9 Quod si qui sint imperium tuũ repudiantes,hos imperio tuo ac potestate diuina à me tibi collata,cui tãquam ferreæ virgę resistere non poterunt reges:*atq; penitus sine reparationis spe perdes,& ad nihilum rediges,idque facillimè,quemadmodũ virga ferrea facillimè vas terrestre à figulo factum,sic in minutissimas cõminuitur partes,vt reparari nequeat. f

9 Reges eos in virga ferrea:

* *& tanquam vas figuli confringes eos.*

10 Itaque cùm hæc ita se habeant,vos reges terræ,quæ insipienti consilio vos hactenus opponere studuistis regi à Deo cõstituto,nũc saltem rectè sapite,*erudiamini iudices terræ nunc, cum vobis prodesse potest vera sapientia,ne serò sapere vestro malo cogamini.

10 Et nunc reges intelligite:

erudimini qui iudicatis terram.

11 Vos inquam, appello,qui continetis multitudinem, quorum exemplum facilè vulgus sequetur.Addicite vos vltrò in seruos non homini,sed Domino,cui repugnatis,dum agnoscere respuitis regẽ à se institutum.Huic,inquam,in hoc rege seruite,idque vt decet illius maiestatem cum metu ac reuerentia:*&,quoniam talem regem constituit qui voluntariè subiectos seruet,non perdat,ob hoc saluta re regnum læremini in eo,gaudio tamen(ne nimis sit effusum)restricto,reuerentia ac tremore quodam, nato ex anxia cura gratificandi illi.

11 Seruite Domino in timore:

* *& exultate ei cum tremore.*

12 Suscipite doctrinã filij,acquiescentes legibus eius,ne quãdo vestram rebellionem vlcisci incipiatis,qui à Deo patre constitutus est omnium Dominus,accepta simul vindicandi rebelles potestate,* & ab ea via ac vita,qua Deo quis probari põt, excidatis,atq; pereatis. g

13 Tunc cùm ira & vltio eius,quam iam ad tẽpus adhuc reprimit, sese manifestabit,ac sæuiet,id quod breui ac citius opinione futurũ est.*O verè beati ac fœlices,qui vltro se eius potestati fideique commiserint,omnem suam spem in illũ collocantes: sicut contrà planè miseri,quotquot huius imperium agnoscere recusant.

12 Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus:

* *& pereatis de via iusta.*

13 Cum exarserit in breui ira eius:

* *beati omnes qui confidunt in eo.*

ANNOTATIONES EIVSDEM.

DVbium esse nõ potest Christiano, quin de Christo saluatore hic Psalmus sit intelligẽdus,cùm in variis locis Apostoli hũc de Christo sint interpretati,vt patet Actuũ quarto & decimo tertio.Ad Hebræos primo & quinto. Apoc. secundo & decimo nono.Verùm an primo de illo sit accipiendus,& non potius primo & ad literam de Dauide,sed tanquã typo Christi, in quẽ verius & perfectius cõpetant quæ in ipso Dauide aliquousq; completa sunt,dubitari põt.Videri enim põt,Dauid cum iam in regẽ super Israel esset receptus,& in monte Syon sibi regiã delegisset,hoc Psalmo expostulasse cõtra Philisteos, omnésque inimicos suos pernicię eius quærẽtes & regnum Israel dissoluere conãtes, prædicereque irritos fore eorũ conatus, quia à Deo sit in regẽ electus,summa accepta ab eo in hostes potestate.Nam omnino videri potest in sua persona dicere:Ego autẽ constitutus sum rex ab eo:& quæ sequuntur.Neque veritati officit, si quæ de Christo sunt in nouo testamento citata,ad literã intelligantur primò cõpetere alicui, qui figurã & typum Christi gessit:imo iucũdius & clarius ea de Christo intelligimus,cũ in ipsius typo eadem cõtemplamur,sed quæ verius & perfectius Christo conuenire cernimus.At si quis diligẽter obseruet finem huius Psalmi,maximè iuxta Hebraica veritatẽ,meritò magis inclinari debet in eam sententiã,vt primo & ad literã asserat prophetam hunc Psalmũ de Christo cecinisse, quãuis non sine typo sui regni,in quo videbat Christi regnũ per multa adumbrari,in oppugatione scilicet & contractione multorũ per circuitum regnorum,eam quam Christi regnum passurum erat contradictionem:primũ in Iudæa,ac deinde per vniuersum orbem à variis populis & regibus terræ.In regni sui dilatatione etiã ad exteras gentes,suaque,quam de rebellibus obtinuit,diuina victoria,propagationẽ regni Christi vsque ad extremos fines terræ,eiúsq; in rebelles potestatem,quam in nouissimo potissimùm die in illos exercebit.

QVARE FREMVERVNT GENTES.] Dictio Græca ἐφρύαξαν, quanquam propriè significet fremere, significat tamen etiam extolli & insurgere contra aliquem. In qua significatione hic accipiendam Euthymius ex Hebrææ dictionis exigentia,se asserit didicisse. Ea enim significat tumultuosè cõgregari,& non,quod prius Latinis est,fremere. Itaq; in nostra lectione sic accipiendũ est,quod dicitur, gentes fremuisse, quo dicimus fremere vbique bella, pro eo quod est,omnia bellis personare, & tumultuari.

IRRIDEBIT EOS.]Plerique verba hæc futuri temporis exponunt per tempus præsens, vt sit sensus: Illi quidem quasi seriæ rei intenti tumultuãtur,ac simul cõcurrũt:at Deus omnia conspiciens, in cœlis quietus semper residens, eorum conatus ridet,hoc est, pro nihilo ducit, quomodo rideret Gigas,si videat pusionem aliquem velle se bello adoriri.Verùm quoniã subditur:tunc loquetur,&c. magis per futurũ tempus exponenda sunt,vt intelligamus Dominum tum illos irrisurum,cùm loquetur illa illis,& cõturbabit eos.Irridet enim Dominus aliquos tũc, dum eorum conatus irritos faciens aliis eos ridẽdos exponit.Sic Psalmo alio:Et tu Domine, inquit,deridebis eos,& ad nihilũ deduces omnes Gẽtes.Et Prouerb.primo dicitur:Ego in interitu vestro ridebo,& subsannabo,cũ vobis quod timebatis acciderit. b

Psal. 58.

SVPER SYON MONTEM SANCTVM EIVS.] Quatenus hic Psalmus ad Christum pertinet,per Syon, hoc loco,sicut & aliis plerisque scripturæ locis,ecclesia fidelium, super quos peculiariter Christus regnat,intelligitur,quæ hoc nomine sæpe vocatur,tum quod regnum Christi præfiguratum fuit in regno Dauidis,qui sibi regiã diuino nutu delegit in Syon: tum quod regnum Christi cœperit in Syon,atq; ipsa terrena Hierusalem,iuxta illud Isaiæ secundo,exibit lex,& verbum Domini de Ieruslem: tum etiã quod nominis significatio rectè quadret in Ecclesiam Christi. Significat enim Syon, speculationem vel speculam,quod bene competit ei,cuius conuersatio tota est in cœlis. c

PRÆDICANS PRÆCEPTVM EIVS.]Nomine præcepti ferè intelligitur à nostris Euãgelica doctrina,eiúsq; mãdat à fidelibus obseruanda,quæ Christus ex patris iussu annũciauit mundo. In Hebræo autem hæc pars est principium noui versus sequentis.Cùm enim in præcedenti versu apud Hebræos, introducatur pater loquens de filio:Et ego ordinaui regẽ meũ super Syon montem sanctum meum (pro quo septuaginta verterunt mutatis punctis: Ego aũt ordinatus sum Rex ab eo)in sequẽti versu inducitur loquens filius,& exponẽs quid de se pater decreuerit:Narrabo,inquit,decretum vel statutum,patris scilicet de me. Illud autem est quod sequitur: Dominus dixit ad me,&c.proinde vt etiam hũc sensum in nostra lectione habeamus, dictio, præceptum,accipienda erit pro decreto vel statuto,quomodo Psal.104.cũ dicitur Deus testamentum,hoc est pactum suum mandasse in mille generationes,illúdque statuisse ipsi Iacob in præceptum.Vbi Hebræo eadem est,quæ hoc loco,dictio חק hoc. Quod autem sit illud præceptum vel decretum,sequentia exprimũt, cum subiungitur dicens: tibi dabo terram Chanaan, &c.Ita & hoc loco sequentia continent Dei patris de suo filio decretum,quod se filius prędicare dicit,nempe de hæreditate vniuersi orbis sibi tanquam filio tradita,& potestate in rebelles accepta. d

FILIVS MEVS ES TV, EGO HODIE GENNVI TE.] Plerique ob hunc versum totũ hũc Psalmũ de solo nostro Christo accipiendum contendunt,intelligentes quod dicitur,hodie genui te,de generatione æterna filij, vt per hodie,significetur æternitatis duratio,quę præteritum non habet nec futurum, sed stabile præsens.Verùm quoniam Actuum decimo tertio omnino videtur Paulus hunc locũ citasse,ad comprobandam Christi resurrectionem,generatio,de qua hic fit mẽtio,magis ad ipsius resurrectionem referenda est,quemadmodum ex Paulo hunc locum intellexerunt Ambrosius lib.tertio de Sacramẽtis:Hilarius super hoc Psalmo:Chrysostomus item:& Theophilus Antiochenus. Et loci huius circũstantiæ satis conuincunt,hãc partem intelligẽdam esse de Christo, secũdùm eius humanitatem.Nã quod dicitur: Cõstitutus Rex à Deo super montem Syon,accipi debet dictũ de eo,quatenus homo est.Item quod sequitur:Postula à me,&c.Tũc ergo eum pater nouo modo genuit,cùm eum à morte resuscitauit,& per resurrectionem manifestè eũ filium suum esse declarauit,iuxta illud ad Romanos primo:Qui prędestinatus vel declaratus est filius Dei in virtute per resurrectionem ex mortuis,quãdo & omniũ rerum potestatem ei nouo modo tradidit,iuxta Domini sentẽtiam,qua post resurrect onem sibi datam asserit omnẽ potestatẽ in cœlo & in terra.Reuocatio enim ad vitam,quasi noua generatio est.Vnde resurrectionis tempus à Christo regeneratio dicitur.In regeneratione, inquit, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ. Et Paulus Christũ vocat ad Colossenses primogenitũ ex mortuis.Et alioquin tum aliquis quippiam fieri dicitur,cũ talis incipit agnosci,& mũdo patefieri.Secundũ quam intelligendi rationẽ non absurdè accipi posset istud etiam de Dauide dictum,sed tanquam typo Christi.Eo enim tempore,quo palam in regem vnctus est.Deus illũ in suum peculiarem filium recepit:& veluti genuit,cùm eum ex pastore ouium, regem populi sui constituit,nouóq; cum spiritu adimpleuit.Secundùm scripturæ enim modũ,filij Dei specialiter dicuntur,in quibus paternam suam benignitatem eximiè declarat.Sic Israeliticus populus, frequẽter Dei filius dicitur.Et de Salomone etiã dictu est,vt patet 2.Reg.7.Ego ero ei in patrẽ,& ipse erit mihi in filiũ. Quod quoniã de Salomone dictũ est tanquã Christi figura,rectè & Christo dictũ interpretatur diuus Paul⁹ ad Hebræos primo capite,vbi & hunc locum illi tribuit,vt in quẽ vel solũ,vel perfectè quadret.Sic Psalmo 88. de Dauide ad literam,sed tanquã figurã Christi gerente,dictũ est:Ipse inuocabit me,pater meus es tu,Deus meus,& susceptor salutis meæ.Et ego primogenitum ponam illũ, excelsum præ regibus terrę.Certè Deo patri,qui solus suscitauit filium suum à mortuis,propriũ est dicere in die resuscitationis filij sui:Ego hodie genui te,cùm in die natiuitatis Christi secundùm carnem,Maria virgo dicere etiã potuit:Ego hodie genui te. e

Act.13.

Rom. 1.

Mat.28

Mat.19.

Coloss. 1.

REGES EOS IN VIRGA FERREA.] Per virgam hanc, quidam potestatem Christi iudiciariam, qua omnes regit, quidam sermonem eius,quo malos etiam salubriter conterit,alij aliter interpretantur. Verum ex Isaiæ capite trigesimo octauo,vbi contritio grauis cõparatur contritioni lagenæ figuli,& similiter Ieremiæ decimo nono,& ex citatione istius loci in Apocalypseos capite secundo, & decimo nono f

ſatis apparet malis perdendis iſtud debet intelligi,ſicut habet paraphraſis. Et in Dauide quidẽ ex parte,& in figura iſtud impletum eſt,quando penitus ſtrauit oẽs in circuitu inimicos ſuos,vt non valerẽt amplius illi reſiſtere, vt legitur ſecũdi Regũ decimooctauo capite.In Chriſto aũt implebitur perfectiſſime in nouiſſimo iudicij die, quãdo lapis ille,quẽ reprobauerunt ædificantes, cadens ſuper impios conteret penitus eos,vt habetur Matthæi decimo nono.Nã nunc impij impingẽtes in hunc lapidẽ,tantũ franguntur,tunc autẽ conterentur.Videtur quidã huic ſenſui obſtare in prima verſus parte verbum Grecũ ποιμανεῖς,quod paſcere potius ſignificat, & paſtorum more ouium curam gerere,quàm ſimpliciter regere.Verùm quod aliquoties hoc verbum ſimpliciter pro regere accipiatur,etiã vbi ſermo eſt de tali regimine,quod in rebelles exercetur,oſtendũt citata Apocalypſeos loca.Et alioqui Hebrea magis ſecundũ multos vertenda erãt , Conteres eos in virga ferrea,vt idem ſignificetur prima & ſecunda parte,quẽadmodum familiare eſt Pſalmis.

g APPREHENDITE DISCIPLINAM.] Videri poſſet iſtud pertinere ad id quod prius dixit Propheta:Intelligite,& erudimini:vt ſignificet ſuam diſciplinam apprehendendam,qua monet ſeruiendum Domino.Verùm ſciendum,Hebræa quanquam à diuerſis variè hic vertantur, à pluribus & probabilius ſic vertẽda:Oſculamini filium,quo per tropum ſignificatur,illum,cui Dominus dixit:Filius meus es tu:pro rege agnoſcendum, ſummáq; pietate colendum.Oſculum enim manuum,in Palæſtina argumentum erat ſubiectionis,vt & nunc apud nos.Eundem ergo ſenſum habebit noſtra lectio,ſi de diſciplina filij ipſius accipiatur , hoc eſt, doctrina Euangelica: quam qui amplexãtur,hoc ipſo filiũ cœleſtis patris quodam modo oſculãtur & complexantur. Atque hæc videri poteſt ratio noſtræ lectionis, quã cum ſeptuaginta etiam Chaldeus paraphraſtes ſecutus eſt,qui habet: Accipite doctrinam: vt ſcilicet obſcurus tropus huiuſmodi verſione explicaretur.Notandum autem,dictionem Græcam δράξασθε non ſimpliciter ſignificare apprehendere vel accipere,ſed ſummo ſtudio veluti rapere,& arreptum firmiter retinere,vt benè annotat Euthymius.

NEQVAQVAM IRASCATVR DOMINVS.]Nomen,Dominus,non eſt Hebræis, ſed tantum,ne iraſcatur.Et videtur verbum referendum ad filium,de quo proximè præcedit:Oſculamini filium.Et rectè quadrat vt de illo dicatur:Ne iraſcatur.quoniam illi data ſuperius dicitur poteſtas vindicandi rebelles. Proinde vel ex hoc maximè loco conſtare poteſt,hũc Pſalmum non ad Dauidem pertinere, ſed tantum ad Chriſtum,cùm hic indicetur cauẽdam eius qui filius dictus eſt iram,qua æterna perditio poſſit inferri.Ad eundem referendum omnino videtur epiphonema,quo Pſalmus clauditur : Beati omnes qui confidunt in eo,nempe filio à Deo patre cõſtituto.Vt ſicut infœlices fore dicuntur qui ei repugnant,ita contrà beati prædicentur,qui ſalutis ſuæ ſpem in illum collocãt,quem pater in ſalutem ſui populi regem conſtituit. Impertinens enim huic Pſalmo eſt,dicere ſimpliciter beatos, qui in Deo ſpem ſuam conſtituunt. Itaque cùm noſtra lectio habet : Nequando iraſcatur Dominus:nomine Domini,non tam Deus pater accipiendus videtur,ſicut in præcedentibus accipitur , ſed pro eo qui à patre omnium Dominus conſtitutus eſt. Niſi quod de ira Domini dicitur,intelligatur de vltione Dei per filium inferenda, cui datum eſt confringere rebelles tanquam vaſa figuli.Et ſimiliter quod dicitur de fiducia in Dominum collocanda, de ea accipiatur,qua à Domino ſalus ſperatur per filium à ſe in ſaluatorem hominum conſtitutum.Sic enim eodem redit cum priori ſenſu.Cæterum addendum ſuperioribus & hoc eſt,quod hic Pſalmus (qui omnino videtur primo & ad literam referendus ad Chriſtum)accipi poteſt,vel vt principium & finis dicatur in perſona Dauidis,mediũ verò in perſona Chriſti:vel potius vt totus dicatur in perſona Chriſti, vt is de ſe in principio Pſalmi & fine loquatur in tertia perſona:in medio verò de ſe in prima & ſecunda perſona,dum ſcilicet refert verba patris ad ſe dicta. Ita enim magis conuenit intelligere,vt vna ſit per totum Pſalmum perſona loquens.Diuus Hilarius exiſtimat primam Pſalmi partem eſſe vocem Dei patris,eo quod Actuum 4.dicatur : Qui per os Dauid patris noſtri dixiſti : Quare fremuerunt, &c.Sed hoc non conuincit niſi ſcripturam hanc eſſe diuinam.

Pſalmus Dauid,cùm fugeret à facie Abſalon filij ſui.2 Reg.15.

ARGVMENTVM IN PSALMVM TERTIVM.

QVæritur cum admiratione de populo qui ab imperio ſuo ad Abſalonem defecerat filiũ & hoſtem:deinde ſpe diuini præſidij,quod prius ſæpius expertus fuerat,animum ſuũ mirabiliter confirmat,& impietate omni diſcuſſa ſecurum facit.Quoniam aũt in ea,quàm à filio pertulit Dauid perſecutione,Chriſti figuram geſſit ad hunc iuxta myſticum ſenſum pertinet procul dubio hic Pſalmus.Qui & à ſuo populo,in quẽ multa contulerat beneficia,ad mortem quæſitus eſt,& egreſſus item trans torrentẽ Cedron in monte Oliueti deprecatus Deũ patrem conſolationẽ recepit vt deliberationem,planè ſecurus ſomno mortis ſeſe tradiderit,à qua propria virtute cũ voluit reſurrexit,quaſi à ſomno euigilans.Ad exemplũ autem Dauidis & Chriſti,etiam fidelis quiſque,cùm à varijs hoſtibus ſiue viſibilibus, ſiue inuiſibilibus infeſtatur,hoc pſalmo vti põt,quo ſe hoc carmine ad fidendũ Deo excitet,eiuſq; fiducia confirmet.

PARAPHRASIS EIVSDEM PSALMI.

Pſal 3.

1 *Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me?*

DOmine, quid cauſæ eſt , quod tribulatores mei ſint multiplicati,cũ nemini illorũ vel re vel verbo nocuerim,ſed oẽs paterna ſim

* *multi inſurgunt aduerſum me.*

amplexatus pietate.*multi enim valde ſunt, qui contra me inſurgunt.

2 *Multi dicunt animæ meæ:*

2 Multi Domine cum videant me tam turpiter exhonoratum , ac extrema ignominia affectum de me & anima mea ſic dicunt: a

* *non eſt ſalus illi in Deo eius.*

*Non veniet nunc huic ſalus a Deo,qui eum ſaluare eſt ſolitus,penitus diuino iam deſtitutus eſt auxilio ob ſua peccata,vt non ſolum regno,ſed & vita ſit ſpoliandus. b

3 *Tu autem Domine ſuſceptor meus es,*

† *gloria mea,*

* *& exaltans caput meũ.*

3 Sed licet magna & multitudine & confidentia hæc dicant,tu tamen Domine,ſemper ſolitus es me ad te confugientem ſuſcipere in tuam defenſionem,ac ſtrenuè defendere.†Tu Domine es qui ſummo me honore decoraſti,& in regiam dignitatẽ erexiſti,in quo ſolo, tanquã ornamento meo gloriari ſoleo ob præſtita mihi à te beneficia,*tu idẽ deuictis hoſtibus meis quærẽtibus me deijcere ac deprimere,caput meum frequenter euexiſti,liberãs me,glorificans,ac ſuperiorem illis faciens.Quare & certò confido iam te mihi futurum præſidio,nec paſſurum,vt regno à te mihi tradito me exuãt,& ignominia obruant:ſed & tandem exultabis caput meum , luculenta victoria in regnum me reſtituens.

4 *Voce mea ad dominũ clamaui:*

* *& exaudiuit me de monte ſancto ſuo.*

4 In tribulationibus & anguſtiis cõſtitutus non ad humanũ reſpexi præſidium,ſed vocem meam leuaui ſemper ad Dominum, c
*fœlicitérq; id mihi ſemper ceſſit.nam deprecantem me exaudiuit Dominus è cœlo,mõte videlicet ſanctitati eius peculiariter dicato. d

5 *Ego dormiui,& ſoporatus ſum,& exurrexi:*

* *quia Dominus ſuſcipiet me.*

5 Itaque & iam de diuino ſecurus præſidio,depoſitáq; animi cura, & anxia ſolicitudine,quieta mente conſiſtam,ſomno me tradã, ſuauiter dormiam,ac finito ſomno ſecurus exurgã,*eo quod certò perſuaſus ſim,quod his,cui nemo præualere poteſt,Dominus,ad ſe confugientem ſuſcipiet,defendet,& ſuſtentabit ne peream,cùm ſit velu ti petra tutiſſima & ſolidiſſima.

6 *Non timebo millia populi circundantis me:*

* *exurge domine,ſaluũ me fac Deus meus.*

6 Non timebo quãuis magnam multitudinem hoſtium,etiam ſi ex omni parte me circumcinxerint,vt euadere impoſsibile videatur.
*Tu itaque Domine,ne ſperato fruſter auxilio,diutius noli diſsimulare iudicium,ſed tuam potentiam cõtra hoſtes meos profer ac declara,& de hoſtibus meis ſaluum me fac Deus meus, cuius ſolius nitor virtute.

7 *Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa:dẽtes peccatorum contriuiſti.*

7 Ita enim te facere conuenit,qui ſemper tibi ipſi cõſtas.Ita quoq; e vt facias fidenter peto,quia hactenus ſemper eos,qui ſine meo merito iniuſtè mihi aduerſati ſunt,valde & ignominioſè & grauiter percuſsiſti:quaſi ſi quis aliquẽ in maxilla cædat adeo grauiter,vt & dentes illius confringat.Vim enim & ferociam impiorum hominum,lædere ac diſcerpere me quærentium ſic inflicta plaga retudiſti ac repreſsiſti,vt amplius nocere non potuerint. Et hos igitur cæde,ferociámq; retunde,ne me diſcerpant, quemadmodum conantur, quibuſuis beluis feriores.

9 *Domini eſt ſalus:& ſuper populum tuum benedictio tua.*

8 Iure autem ſic ſum ſecurus ope Domini inuocata.nam hic vnus eſt,qui ſaluare poteſt:& vt poteſt,ita quoque vult.Nam populum tibi fidentem,tẽque colentem,Domine,tuis bonis ornare & cumulare ſoles.

ANNOTATIONES.

a DICVNT ANIMÆ MEÆ.] Phraſis Hebraica eſt,pro,dicunt de anima mea.Et anima ſynechdochicè ponitur pro ipſo homine. quamuis emphaſis ſit in nomine animæ,vt intelligatur periculum vitæ.

b NON EST SALVS IPSI IN DEO EIVS.]Poſt hunc verſum apud Hebræos ponitur dictio,סֶלָה Sela,quæ in hoc Pſalmo ter ponitur,nec alicubi reperitur, niſi in pſalmis,& in cãtico Abacuc,pro qua apud Grecos eſt διάψαλμα,De quibus dictionibus operæ pretiũ non eſt multis agere,tum ꝙ in noſtra lectione ſint penitus omiſſæ,tum ꝙ ob expoſitionum varietatem nihil certi de dictione Hebraica afferri poſſit,niſi quod probabilius ſit eam eſſe notã eleuandæ inter cantandum vocis.Videtur enim deriuari à verbo סָלַל Salal, quod eleuare ſignificat.

c EXAVDIVIT ME.] Difficultatem nonnullam in hoc Pſalmo,& aliis pleriſque ſequẽtibus adfert,quod cùm in tribulatione cõſtitutus Propheta oret ad Dominum,mox ſe exauditum canit:& tamen tanquam necdum exauditus rurſum Dei opem implorat,vt cum hic poſtquã ſe dixit exauditum,mox ſubiungit:exurge Domine,ſaluum me fac.Et tamẽ iterũ quaſi omni malo liber ſubdit:Tu percuſſiſti oẽs aduerſantes mihi ſine cauſa.Quod incõmodum triplici ratione ſubmoueri poteſt.Primũ enim dici poteſt iſtud à Propheta factũ, quod hos Pſalmos iam à malis,in quibus fuit,liberatus dictauerit , vt ob id in eodẽ Pſalmo cõprehendat:& verba precationis,quibus in tribulatiõe vſus fuerat,& celebrationem beneficiorum à Deo ſibi præſtitorũ.Verùm quoniam ſecundũ hanc rationẽ dura & ſibi non cohærens,erit verſuum vnius Pſalmi cõnexio.Secũdò dicendũ ipſum ſignificare voluiſſe,priorum beneficiorũ recordationem , fiduciã illi præbuiſſe,cũ in noua incidit mala,vt& ab his

sibi liberationẽ precaretur & polliceretur, quẽ admodum indicat Paraphrasis. Aut in precatoriis huiusmodi Psalmis, ex certa exauditionis fiducia Prophetam pronunciare, se iam accepisse quod precabatur, nimirũ quod, quasi iam illud accepisset, se firmiter accepturũ cõfideret. Secũdùm quam rationẽ præterita verba plerũq; accipienda sunt posita pro futuris: quod frequẽs est apud Prophetas, maximè in Psalmis. Itaque in hoc Psalmo præteritũ, exaudiuit, & quæ sequũtur, per futurũ exponenda essent. Cæterùm per montẽ sanctũ põt ad literã intelligi mons Syon, qui Psalmo superiori dicitur mons sanctus Dei, ob arcã Dei eo loci constitutam. Pollicitus enim fuerat Deus se exauditurũ è medio Cherubin & propitiatorio, quod erat super arcã fœderis. Generalius tamen erit, si per montem sanctum, cœlum intelligatur: ex quo etiã aliquoties se exaudi tum canit, vt cum postea dicit: Exaudiet illũ de
d cœlo sancto suo.

EGO DORMIVI, ET SOPORATVS SVM: ET EXVRREXI, QVIA DOMINVS SVSCEPIT ME.] In hoc versu imprimis annotandum, legẽdum esse verbum futurũ, suscipiet. Sic enim habẽt nõ solum Hebræa, sed etiã Græca, ex quibus nostra lectio desumpta est. Et diuus Augustinus quoq; manifestè declarat se futurũ legisse, & sic habẽt vetusta quædã nostra exẽplaria. Vitio enim scriptoris futurũ mutatum est in præteritum, quoniam iudicauit futurum hoc malè cohærere cu præcedẽtibus præteritis. Incõmodè enim videtur dicere se exurrexisse, quoniã Dominus illu suscipiet: sed omnino videbatur dicendum se exurrexisse, quia Dominus illu susceperat. Quod incõmodu tollit diuus Augustinus, dicẽs: In Prophetia bene misceri futura præteritis, quia vtrumq; significatur. Quia, inquit, ea quæ vẽtura prophetantur, secundũ tempus futura sunt, secundũ scientiam prophetãtium iam pro factis habẽda. Itaq; secundũ eum prẽterita, hęc Dormiui, soporatus sum, & exurrexi, per futura sunt exponẽda, quod sane omnino faciendũ est, cùm hic Psalmus intelligitur esse oratio Christi iã in persecutione existentis, & his verbis suam mortem atq; resurrectionem prædicentis, quẽadmodum cõmuniter à nostris intelligitur. Verùm iuxta sensum literalem, quo hic Psalmus (vt ex titulo patet) ad Dauidem pertinet, cùm iam à filio suo persecutionẽ pateretur, rectè iuxta scripturę phrasim per somnum, soporem, atque ex somno exurrectionem, intelligitur significari summa securitas & mentis tranquillitas. Nam qui malis pressi angũtur, lectum quietis causa petere nequeunt: aut si se ad quietem componunt, dormire nequeunt, curis somnum adimentibus. Qui verò se quieti dans, dormit & cùm saturatus est, nullo excitante surgit, is se nulla districtum anxietate declarat. Itaque hoc tropo aliquoties in scripturis summa securitas designatur. Vt cùm Leuitici vi *Leui. 20.* cesimosexto capite, inter reliqua bona, quæ Dominus seruantibus legem promittit, dicitur: Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & nõ erit *Exec. 29* qui exte reat. Sic Ezechielis vicesimoquarto capite, de ouibus sub pastore Christo degẽtibus: Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus. Et Oseæ secundo capite: Arcum & gladiũ, *Ozee. 2.* & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiduciáliter. Iuxta rationem intelligentiæ huius loci, possunt etiam præterita illa tria, per futura exponi, vt cohæreant cum futuro sequenti: quia Dominus suscipiet me. Nec est quod quis hanc literalem intelligentiam reijciat, tanquam Iudaicam, & quæ eneruet mysterium mortis & resurrectionis Christi, quod hic plerique significatum volunt.

Primùm enim, quamuis hæc ab Ecclesia in officio Diuino de CHRISTI morte & resurrectione canantur, non exeo mox consequitur, eum esse proprium huius loci sensum, cum multa CHRISTO tribuantur per accommodationem piam & vtilem. Deinde ea quæ de CHRISTO sub typo aliquo dicuntur, non semper necesse est eodem modo de CHRISTO intellige re dicta, quo ipsi typo conueniunt, sed etiam ex intentione spiritus frequẽter longe alio & sublimiori sensu CHRISTO sunt accommodanda, quàm quo de typo dicuntur. Ita & hoc loco quanquam etiam simili sensu hæc CHRISTO conueniant, quo Dauidi, rectè intelligitur spiritũ etiam mysteriũ mortis & resurrectionis CHRISTI, designasse nomine soporis, & surrectionis à sopore. Idem dicendum de multis similibus locis.

PERCVSSISTI ADVERSANTES MIHI SINE CAVSA.] Pro, sine causa, Hebræa habent maxillam. לֶחִי Lechi enim maxillam significat, quod bene cõuenit ei quod sequitur de dentibus confractis. Significatur enim nõ solum ignominiosa in maxillã percussio, sed etiã vehemens, quæ scilicet dentes cõfregerit. Septuaginta videtur pro לֶחִי Lechi legisse aliter, sed similibus literis, לַחַי Lahai, hoc est, in vanum & sine causa. he scilicet pro heth, & vau pro iod.

In finem in carminibus, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM QVARTI PSALMI.

PRædicat Propheta Dei erga se misericordiam & benignitatem, & inimicos suos hortatur vt omissis vanis suis contra se conatibus & consilijs, odium iramq; deponant, & rectam viuendi rationẽ amplectantur, atque in vno Deo spes suas reponant, cuius beneficio se omnésque pios rerũ abundantiã, pacem ac securitatem, quam oẽs desiderãt, accepisse gloriatur. Et hic quoque Psalmus sic de Dauide est accipiẽdus, vt in illo etiã Christũ, cuius ille fuit figura, & in quem oẽs scripturæ respiciunt, loquentem intelligamus. Dauidi q; & Christi exemplo nobisipsis accommodemus.

PARAPHRASIS.

Psal. 4. 1 Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, CVM piis precibus inuocarem Dominum, semper exaudiuit me Deus parens, custos & approbator iustitiæ meæ. a

*cum

** in tribulatione dilatasti mihi.*

* cum tribulatione aliqua coarctarer, tu Domine semper mihi te inuocanti: atitudinem præstitisti, cor meum tristitia angustatum, gaudio ex tua consolatione immisso dilatans, méque ex afflictione qua arctabar, & velut in angustum locum concludebar, educens, & liberum, meique iuris efficiens.

2 Miserere mei, & exaudi orationem meam.

2 Nunc ego etiam, & in reliquum vitæ meæ tempus miserere mei, b & exaudi semper orationem meam.

3 Filij hominum vsquequo graui corde?
** vt quid diligitis vanitatem & quæritis mẽdacium?*

3 Vos autem homines mortales, qui me à Domino glorificatum & semper exauditum contumelia afficere studetis, quamdiu eritis corde in malis obstinato ac crasso ad intelligendum quæ recta sunt? * ad quid amatis atque inquiritis contra me huiusmodi consilia, quæ perficere neutiquam poteritis, sed vos fallent?

4 Et scitote, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum:
** Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.*

4 Cognoscite quæso & animaduertite, quod Dominus, cui resistere nemo potest, me sanctum suum, apud omnes clarum & mirabilem reddidit, etiamsi multi conati fuerint me opprimere, noménq; meum obscurare: *Nec vnquam me Dominus in posterum deseret, c sed qui semper me tutatus est, & admirandum fecit, is & in futurum exaudiet me, cum inuocauero illum.

5 Irascimini, & nolite peccare:
** quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris, compungimini.*

5 Itaque si vos irasci contra me, aut quemuis iustum eius, contingat, nolite tamen ex ira peccare, malùm aliquod inferre conantes, sed iram vestram metu diuini numinis abrumpite & compescite, * cum estis in lectis vestris soli & quieti, ita vt singula melius expen d dere liceat, compungamini, pœniteátque vos eorum que malè cogitatis interdiu apud vos contra iustum.

6 Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino:
** multi dicunt, quis ostendet nobis bona?*

6 Ita autem omníque mala voluntate depositа, vt Deum vobis habeatis placatum ac propitium, pro corporalibus cruentarum victimarum sacrificiis, sacrificare illi sacrificia iustitiæ, virtutem colite, pietatem atque innocentiam, ac tum deinde in Deum vobis placatum omnes spes vestras reponite, nõ amplius in vobis ipsis, aut quibusuis fluxis caduciſque rebus. * Multi de summi Dei prouidentia f & benignitate dubitantes dicunt, quis exhibebit nobis bona?

7 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:
** dedisti lætitiam in corde meo.*

7 At vero super nos qui in te confidimus Domine, declaratio tui fauoris & benignitatis, tanquam signum quoddam leuata est, & ante oculos nostros posita, * atque ob id profudisti cor meum lætitia.

8 A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.

8 Hi enim qui in te mecum Domine confidunt, frumento, vino, o- h leo, omnibúsq; rebus ad vitæ cultum necessariis, multum abũdant.

9 In pace in idipsum, dormiam & requiescam.

9 Itaque expertus tuam in nos benignitatem ac prouidentiam, i vnà cum illis in trãquillitate mẽtis securus viuam atque quiescam.

10 † Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.

10 Quoniam tu Domine, qui solus potes, singulari quodam modo, me constituisti, ac deinde semper constitues in confidentia tui, quæ me ab omni metu liberum faciet.

† Tu Domine me confidenter habitare fecisti apud meipsum, solitarium ac liberum, vt meo iure viuere liceat.

a

ANNOTATIONES.

QVanquam parum dicendũ putem de titulis psalmorũ, maximeq; atttinet ad quasdã dictiones in Hebræo positas, quibus quid significatum sit, parũ constare potest: tamen vt aliquid solidũ dicatur de eo, quod in huius psalmi & sequẽtium multorũ titulo ponitur, scilicet in finem, sciendum dictionẽ Hebraicam לַמְנַצֵּחַ Lamnatseach, quę in datiuo hic semper ponitur, b
c iuxta probabiliorem sententiã, significare victorem, vel præpositum, cuius erat vrgere opus, vt ex variis scripturæ locis patet. Itaq; putatur hac dictione significari præpositus aliquis cãtorum, cui Psalmus à Dauide traditus sit, vt curaret eũ cani instrumentis musicis. Ad quod intelligendum operæpretium fuerit legere 15. caput 1. lib. Paralipomenon. Eadem dictio, detracta litera Mem, significat idem quod, in finem, sicque in ipsis Psalmis aliquoties occurrens vertitur à Se-
Psal. 12. ptuaginta. Vt cũ legimus: Vsquequo domine iras-
Psal. 73. ceris in finẽ? &: Irritat aduersarius nomen tuum in finem. Quibus locis, in finem, positum est pro imperpetuum. Itaque vt quod simplicissimum est dicamus, videntur Septuaginta in titulo psalmorum vertẽtes, in finem intellexisse significari Psalmos imperpetuũ esse canẽdos: nec tãtũ pertinere ad ea tẽpora quib' editi sunt, sed & ad omnia secutura sæcula. Id enim Hebraica dictione לַמְנַצֵּחַ Lãnatseach in titulis posita significari, etiam Hebræi quidã, teste Pagnino, intellexerũt.

IN TRIBVLATIONE DILATASTI, &c.) a
Tropus est familiaris scripturis sanctis, & maximè Psalmis, vt qui in tribulatione est cõstitutus, coarctatus dicatur & angustatus, tũ quia tribulationes cor hominis tristitia coarctãt & cõstringunt, tũ quia is qui persecutionẽ patitur, quasi in arctum & angustum locum cõcludatur, vt latere frequenter cogatur. Contrà qui è tribulatione liberatur, dicitur educi in latitudinẽ, & dilatari, eo quod cor eius gaudio dilatetur, & liberius fiat, & quod latior ei locus aperiatur, vt iã ab omni persequente liber vbiuis versari possit. Cæterũ pro illo, dilatasti mihi, Græcis est ἐπλάτυνάς με, dilatasti me, quomodo habet Psalteriũ Romanũ. Nostra lectio exponenda est, vt in paraphrasi. Imitatus est enim noster interpres phrasim Hebraicã.

MISERERE MEI.] Hic versus accipi potest,

UNIVERSITARIA

vt sit oratio qua significet se vsum fuisse in tribulatione per quam exaudiri meruit: vel coniungi potest cum superiori in hunc modum: Quoniam semper me Deus exaudi.ti, etiam nunc miserere mei.

VSQVEQVO GRAVI CORDE?] Pleriq; per cor graue, intelligunt cor ad terrena depressum, nec cœlestia respiciens. Verùm argumento Psalmi, & Hebraicæ lectioni magis conuenit per cor graue intelligere cor obstinatũ in malo contra iustos, cor crassum, nec valés intelligere quod verũ est, quomodo Isaiæ quinto capite dicitur: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua. Per vanitatem autem & mendacium, plerique & hi maximè, qui graue cor intelligunt cor ad terrena depressum, intelligunt res istius seculi vanas & fallaces, nec præstantes fœlicitatem, quam ab eis expectant homines mundani: alii verò intelligunt vana falsáque idola. Verùm Psalmi argumento, & Hebraicæ lectioni magis conuenit, vt accipiamus per vanitatem & mendaciũ quod in Psalmo secundo per inania, vana scilicet consilia, & conatus impiorum contra iustos. Sic enim habent Hebræa: Filii viri vsquequo gloriam meam ad ignominiam, scilicet perducere conamini? diligetis vanitatem, & quæretis mendaciũ? vbi ex prima parte versus satis intelligitur, quid per vanitatem intelligi debeat. Cæterùm quod ex Hebræo omnes vertant. Vsquequo gloriam meam ad ignominiam, pro eo quod Septuaginta verterunt: Vsquequo graui corde: prouenit ex eo, quod Septuaginta quasdam alias literas similes legerint, & alia puncta, quàm legantur apud Hebræos, vt facile aduertere possunt Hebraicarum literarũ periti. Quod semel hic monemus, vt minus mirentur lectores veritatem versionis Septuaginta, à communi aliorum versione in aliis multis locis.

ET IN CVBILIBVS VESTRIS.] Cõiunctio, &, sicut nec Græcis est, nec Hebræis, ita nec apud Augustinum, & sensui obest. Nõ enim Græcis & Hebræis eadẽ est præpositio, cũ dicitur, in cordibus vestris, & cu dicitur in cubilibus vestris sed priori loco est præpositio ἐν, in posteriori verò loco est ἐπὶ super. Sic & Hebræis, vnde nõ rectè per interpositã coniunctionẽ hæc copulãtur, sed significatur: quòd quæ per diẽ male sunt cogitata, nocturno tẽpore sint expendenda, & abiicienda, quemadmodum & Euthimius exponit.

COMPVNGIMINI.] Græca habẽt verbum κατανύγητε. quod non solũ significat compungi & pœnitere, sed etiã tacere ac quiescere. quã significationem habet verbum Hebraeũ דמם dumu. vn de potius vertendu fuisset, tacete, quẽadmodum vertunt ex Hebræo plerique. Ac tum sensus fuisset: Quæ apud vos in cubili dicere proponitis cõtra iustum, hæc tacete. bene tamen hic quadrat verbum, cõpungimini. Nã qui tacet, & quiescit ab his quæ dicere vel facere proposuit, is iam de eis cõpungitur & pœnitentiã agit. Hebræa autẽ non habẽt, quæ dictis, sed, dicite in cordibus vestris, super cubilia vestra: & tacete. Cuius sensus est: perpẽdite rẽ ipsam apud animũ vestrũ, in lectis vestris cum soli estis, & tacete, ac quiescite à malo, quod iusto inferre studuistis. Verbũ tñ Hebræũ, quod Græcus vertit κατανύγητε. etiã significat meditari & cogitare: secundùm quam significationẽ rectè accipitur verbum κατανύγητε, positum pro compungimini, eo quod huiusmodi meditationem & cogitationem subsequi soleat mentis compunctio & pœnitudo vera.

SACRIFICIVM IVSTITIAE. Hæc oratio duobus modis accipi potest. Primum eo modo, quo accipitur sacrificiũ laudis & cõfessionis pro ipsa laude & gratiarũ actione: sic sacrificiũ iustitiæ pro ipsa iustitiæ puritate & innocentia vitæ neminem lædente. Secundo pro sacrificiis exterioribus cõmendatis studio solidæ iustitiæ, vt intelligamus Prophetã exigere nõ tãtum sacrificia exteriora, qualia in veteri lege erãt vituli & agni, &c. in nouo corporis mortificatio, corporis Christi oblatio, &c. sed etiã vt hæc sacrificia cũ iustitia offerãtur. & vero melioris vitæ proposito. Aut sacrificia iustitiæ, intelligit sacrificia quæ iustitia exigit quæq; iustũ est Deo offerre. Cæterũ ne quis, quia singulari numero dictum est, sacrificiũ, de singulari aliquo vno sacrificio istud contendat intelligendũ, aduertẽdum, Hebræa habere pluraliter, sacrificia iustitiæ.

MVLTI DICVNT, &c. Hæc multorũ petitio dupliciter accipi potest. Primum vt hosce multos intelligamus hostes Dauidis, optantes cernere Dauid extinctum, & sit sensus: Quis dabit, vel vtinam det aliquis, vt videamus quod cupimus, quod bonum est in oculis nostris. Dauidem scilicet extinctum. Secundò, vt per bona, ac cipiamus diuitias, & omnia fortunæ bona, externamq; fœlicitatem. Atque sic quod dicitur, quis ostendet, accipi potest, siue per modum optantis diuitias, quas homines mũdani impensè desiderant & quærunt, sed non ab eo, à quo solo fœliciter dantur: siue per modum desperantium de diuina benignitate & prouidentia. Notandum autem, non esse legendum, ostendit, per præsens vel præteritum, sed futurum, ostendet, vt habent exemplaria correctiora consentientibus originalibus.

A FRVCTV FRVMENTI, &c) Plerique, quoniam congruere non putant Prophetæ, vt se lætitia perfusum dicat ob temporalem suam suorumq; fœlicitatem, intelligunt per multiplicatos à fructibus istis, homines mundanos terrena bona sectãtes: prophetamq; significare se illis non inuidere sua bona, sed ob ea simul cum illis gaudere, ac simul cum illis quieta & secura esse mente per fiduciam in Deum. Quidã accipit præpositionem, à, pro pluſquam: vt significet Dauid se magis lætitia affectum ob persuasionem diuini fauoris, quàm cum homines terreni abundant rebus terrenis. Alii ob eandem causam frumentum, vinum & oleum mysticè intelligunt, vt significent nouæ legis sacramenta & charismata, quibus locupletandos in spiritu Christianos præuiderit Propheta, cum quibus in bona spe se dicat somnum mortis subiturum. Verùm indignum Prophetæ non debet videri, imo argumento Psalmi ad literam optimè conuenit vt intelligamus, Dauidem pro illo statu lætitia perfusum ob temporalem fœlicitatem, ei post inimicorum persecutionem concessam. Rerum enim abundantia, & securitas eisdem penè verbis à Moyse promissa & prædicta est, quibus de his Dauid gloriatur hoc loco, vt patet Leuitici 26. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & habitabitis absque pauore in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui exterreat. Et Deuteronomii 33. Habitabit Israel cõfidenter, & solus. Oculus Iacob in terra fruméti & vini. Sic tamen Psalmi, & omnes scripturæ à Spiritu sancto dictati sunt, vt omnibus sæculis congruant. Proinde quoniam in noua lege spiritualia magis bona & promissa sunt, & desiderãda sunt dum ad CHRISTVM, aut CHRISTI membra hunc Psalmum referimus, per terrenarum rerum abundantiam mysticè accipere oportet spiritualium donorũ plenitudinem, quam suis membris consequutus est CHRISTVS.

Leuit. 26. *Deut. 33*

IN IDIPSVM] Græcis est ἐπὶ τὸ αὐτό. Aliquoties in Psalmis hæc oratio occurrit pro qua Hebræis est dictio significans simul. vnde in hoc significatu accipienda est quando occurrit.

QVONIAM TV DOMINE SINGVLARITER.] Indicat paraphrasis duplicem intellectum. Alterum quo dictio, singulariter, refertur ad Deum, vt significetur Deum singulari ratione hoc effecisse, vel potius Deum solum hoc ei concessisse, nam dictio Hebræa correspondens, significat idem quod solus. Alterum, quo dictio, singulariter, refertur ad accusatiuum, me, vt significet propheta se constitutum seorsum & solitarium, hoc est, vt suo viuere possit arbitrio, nemine ei facessente negotium. Qui sensus præferendus videtur, ob similem locum, quem ex Deuteronomio iam produximus: Habitabit Israel confidenter & solus, vbi duo hæc eisdem verbis populo Dei coniunctim tribuuntur.

In finem, pro ea quæ hæreditatem consequitur, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI QVINTI.

VIR sanctus à Saule impiissimo tyranno vehementer exagitatus, & à sceleratis eius adulatoribus grauia expectans, molestè admodum ferens, quod exul ab hæreditate Dei non posset cum piis simul Deum colere, preces quas quotidie fundebat, audiri enixè & ardenter orat, consolans se, eo quod nec improbi Deo probari, nec ope eius iusti destitui possint. Ab hoc ergo se regi ac defendi, ac hostium, quorum dolos & malitiam simul describit, pernicioſa consilia euerti, sicq; exhilarari bonos ob Dei intellectam benignitatem deprecatur. Est autem hic Psalmus, cõueniens oratio pro ecclesia destinata ad cœlestem hæreditatem, quæ ab impiis, impedire eam à consecutione huius hæreditatis conantibus, liberari exoptat: vt ob id rectè iuxta Septuaginta versionem positum sit in titulo, pro ea quæ hæreditatem consequitur, quanquam quid dictione Hebraica נְחִילוֹת nechilot, hoc loco posita significetur, valdè incertum sit.

PARAPHRASIS.

1 Verba mea auribus percipe domine:
** intellige clamorẽ meum.*
2 Intende voci orationis meæ, rex meus, & Deus meus.
3 Quoniam ad te orabo Domine:
** mane exaudies vocem meam.*
4 Mane astabo tibi, & videbo:
** quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*
5 Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.
6 Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.
*7 Virum sanguinum & dolosum abominabitur dominus: * Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ,*
8 Introibo in domum tuam: adorabo ad templum.

NE quęso Domine, repellas à te orationem meam sed verba mea recipe: * cognoscere te declara clamorem cordis & oris mei. *Psal. 5.* a

2 Intentus esto ad vocem orationis meæ: vt exaudias tu Domine, qui es rex meus, & Deus meus quem solum colo, quem solum dominum meum cognosco, à quo solum pendeo.

3 Quoniam sublatis ad te Domine manibus & oculis, te oro, semperq; te orabo, ad te vota mea dirigam, nullum aliud mihi præsidium quærens: * tempore matutino, quo, (vt est summè ad orandum opportunum) te domine semper orabo, tu quæso exaudi vocem meam, quod & te facturum confido. b

4 Mane enim cum mens ab omnibus humanis curis vacua est, posthabitis omnibus aliis meis curis & studiis, ante omnia ego me per mentis eleuationem præsentem tibi exhibebo, & sublatis ad cœlum oculis suspiciam ad te intentè, expectans auidissimè tuam consolationem & opem, * quam ideo mihi certissimè promitto, quoniam tu non es Deus approbans iniquitatem, vt dij gentium, noxij dæmones, qui flagitiis, fraude, & omni improbitate delectantur. c

5 Non habitabit in sancta ciuitate tua apud te malignè agens, nec permanebunt iniusti ante conspectum tũum, sed ab eo repellentur. Nã & in hac vita nõ sines eos diu inter tuos agere, & post hãc vitã à tuorum electorũ consortio, tuíque vultus cõtẽplatione reiicientur.

6 Odisti enim omnes eos qui dediti sunt iniquitati, perdes omnes qui loquuntur mendacium, quo aliis negotium exhibere, eosque circumuenire student.

7 Hominem studentem alienum effundere sanguinem, & fraudulentum detestatur Dominus: * Ego autem tandem ab huiusmodi impiis per magnam misericordiam tuam liberatus.

8 Introibo in domum tuam, cum pauida ac religiosa veneratione tui, versus sacrarium sanctum tuum, quod tua sanctitas inhabitat, te adorabo & venerabor, gratias tibi agens de tuis in me beneficiis, digneque semper colens quem isti prorsus negligunt, imo impietate plurima offendunt. d

9 Eheu Domine inimici mei me obseruãt sicubi noceãt, sicubi præ- e

sanctum tuũ in timore tuo.

cipitent. Tu itaque domine, ne quicquam nocere valeant, sis quæso mihi comes & dux per iustitiam tuam, qua semper bonis in te confidétibus ades malos autem execraris.† Deduc etiã me in ea quam

9 † Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos,
** dirige in conspectu tuo viam meam.*

nobis præcepisti, iustitia tua, vt in ea constanter conuerser: * fac vt mea vita & conseruatio recta sit ante te, vt tibi grata sit, & placeat. Sic enim cum tuus spiritus me in omnibus ad tua iussa deduxerit, nihil officient: quantumuis vigilanter mihi improbi isti insidientur.

10 Quoniam non est in ore eorum veritas,
** cor eorum vanum est:*

10 Meritò autem istud facere debes mi Domine propter insidiantium mihi inimicorum improbitatem: quoniã nõ est in ore eorum rectitudo, nihil nisi maledicta, fraudes, mendacia in ore eorum vigent;* nec mirum: cum cor eorum non nisi vana cogitet & praua.

11 Sepulchrum patens est guttur eorum:
** linguis suis dolosè agebant:*
** Iudica illos Deus.*

11 Ideoque guttur eorum est velut apertum sepulchrum, ex quo teterrimus ac lethalis odor mortui cadaueris afflatur, quódque paratum est vt mortuum excipiat & deuoret. Nam & guttur eorum cordis mortui intus latẽtis fœditatem ac noxium odorem exhalat, paratum semper vt homines captos voret & extinguat: * linguis suis fraudulenter mecum agebant, aliud in ore, aliud in corde gerentes.* Tu itaque Deus potentisśime & iustiśsime, pro nobis iudicans condemna illos, reddens illis perditionem quam merentur, tuáque punitione illorum iniustitiam declarans.

12 Decidant à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,
** quoniam irritauerunt te Domine.*

12 Fac vt non assequantur quæ contra me cogitauerunt, pro merito multitudinis iniquitatum illorum proiice eos à tuo cõspectu, & sanctorum consortio in sempiternas tenebras, * quoniam nõ solum mihi iniuriam faciunt, sed etiam te domine ad iracundiã prouocauerunt, dum tuæ constitutioni tanto furore obnituntur.

13 Et lætentur omnes qui sperant in te.
** In æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

13 Et fac vt boni qui in te fiduciam collocant, videntes impiorum vanos conatus, eorúmque pœnas, iustorum autem ab impiis liberationem, lætentur de tua iustitia, & erga iustos bonitate. * Profecto, quod precor, domine eueniet. Nam boni lætabũtur in perpetuum, eo quod tu habitabis in medio eorum, tua presentia eos semper ab omni malo defendens, & omni lætitia adimplens.

*14 Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, * quoniam tu benedices iusto.*

14 Et de tua beneficentia gloriabuntur qui te diligunt:* quoniam videbunt quod tu omni qui iustitiæ iucumbit, benefacies, ab omnibus malis ipsum eripiens, summisque bonis afficiens.

15 Domine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

15 Tu Domine omnes nos qui in te speramus, téque diligimus, tua beneuolentia ac beneplacito, tanquam scuto quodam tutissimo, circũdedisti, ac ex omni parte circũcinxisti ĩ modũ coronæ, sempérq; cinges, vt tuti fuerimus, sempérq; futuri simus ab omnibus telis & insidijs inimicorũ, tua beneuolentia nos protegente in modũ scuti.

ANNOTATIONES.

a AVRIBVS PERCIPE, &c.] Ex magno affectu & desiderio multis verbis, idem ferè significantibus exaudiri optat. Notandus tamen est ordo trium horum verborum. Primum enim est, auribus percipere orationem. Deinde intellectum etiam ad eam applicare. Postremum ad illam intendere, ac vim mentis ad eam inclinare, & diligenter quid oretur, considerare.

b MANE EXAVDIES.] Dicit exaudies, ex certa exauditionis fiducia: vel futurum positum est pro imperatiuo, exaudi. Nã id frequens est apud Hebræos. Vtrumque indicat paraphrasis.

c ET VIDEBO QVONIAN.] Coniunctio, quoniam, coniungi potest cum verbo, videbo, & accipi (vt aliquãdo accipitur) pro quòd. vt sit sensus: Ego perpendam & considerabo, quòd tu nõ approbes iniquitatem, atque hac consideratione mihi persuadebo futurã ab inimicis meis liberationem. Aut diuisim potest legi, & accipi causaliter, vt sit sensus iste: Aspiciam ad te, expectãs à te consolationem, quoniã scio tibi non probari iniquitatem. Dictio enim Hebraica אצפה Atsappe non simpliciter videre significat, sed speculari, & oculis diligenter obseruare: vt faciũt qui intẽtis in aliquẽ oculis aliquid ab eo expectant. quod & hic posita Græca dictio ἐπόψομαι significat, est enim, spectare in aliquem. Et est notandũ Græca, vt iam ferè habent, hic esse corrupta. habẽt enim ἐπόψασμαι, id est, videbis me: cũ sit legẽdũ ἐπόψομαι, quomodo Euthymius quosdã codices habere testatur. nec tamẽ in passiua significatione accipi debet, vt ille vult: sed actiua, vt noster benevertit.

d ADORABO AD TEMPLVM SANCTVM TVVM.] Per templum sanctum, ad literam intelligit Propheta tabernaculũ fœderis, quod soli sacerdotes introibant ad orandum: reliqui verò foris in atriis stantes orabant versus illud, hoc est, conuersis in illud oculis, tanquam in quo peculiarem sui presentiam Deus exhiberet. Iuxta mysticum autem sensum, ipsum cœlũ, per tabernaculum illud adumbratum significatur, ad quod mente conuersos nos adorare Deũ oportet. Est autem adorare, mente ac corpore se alicui incuruare.

e DEDVC ME IN IVSTITIA TVA.] Dupliciter hæc pars accipi potest. Primum vt per iustitiam Dei, accipiamus eam quæ in Deo est, qua ipse in se iustus est, malos execrãs, bonísque seruans quæ promisit: & tũc præpositio, in, exponeda est pro, per. Alio modo iustitia Dei accipi potest ea, quam nobis præcepit. vt sit sensus: Deduc me in iustitia mãdatorum tuorum, quam nobis præcepisti. Qui sensus magis cõsentit cũ eo quod sequitur: Dirige in cõspectu tuo viam meam. pro quo tamen in Hebræo habetur, Dirige in cõspectu meo viam tuã quemadmodum Hieronymus in epistola ad Sumiam & Fretillã testatur haberi in emẽdatis codicibus 70. interpretũ. Cuius sensus hic erit: Fac Domine vt via tua recta sit corã me vt rectam & bonam eam iudicem, vel, Tu Domine, tãquam dux itineris mei, fac vt via tua recta planáque sit ante me, vt nullo impediente in tua via ambulem. Qui sensus coincidit cum nostra lectione. Cùm enim Dominus facit vt in via eius ambulare possumus tunc in conspectu eius via nostra recta est & bona.

f VT SCVTO BONAE VOLVNTATIS TVAE.] Pronomen, tuæ, nec in Hebræis est, nec in Græcis. Et in Hebræo ea dictio, quæ scutum significat, non ponitur in regimine. Vnde potius vertendum erat, vt scuto, bona voluntate coronasti, vt significetur bonã Dei voluntatem, aut beneplacitum eius (id enim dictio Hebræa significat, & Græca) esse instar scuti. Quem sensum vt etiã nostra litera habeat, oratio trãsitiua intrãsitiuè accipi debet hoc est, scutũ bonæ volũtatis, pro scuto, quod est bona Dei volũtas.

2 In finem in carminibus, Psalmus Dauid pro octaua.

ARGVMENTVM PSALMI SEXTI.

Correptus graui morbo Dauid (quem ob stuprum cum Bersabea, & homicidium vriæ à plerisq; incurrisse putatur) ardentissimè a Deo precatur sanari, mortem plurimum horrens, metuens ne per eam gloria Dei aliquid obscuretur, ac inimicis eius impiis occasio detur de eius interitu gloriandi, & blasphemandi Dei in promissis veritatem. Deinde de exaudita sua a Deo oratione glorians, hostibus suis exitium eius expectantibus piè insultat. Mysticus autem Psalmus hic, oratio est hominis intra conscientiam suam anxij, & ob memoriam peccatorum suorum trementis iram futuri iudicij, ac ob id pœnitentiam agentis, iramq; Dei deprecantis, & postremùm de diuina consolatione lugentibus promissa gloriantis, vt quæ de infirmitate, morteq; corporali ad literam intelliguntur, ea mysticè intelligantur de infirmitate animæ ac morte æterna.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Domine ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.*

Domine ne quæso, duriter, ceu iratus, grauiq; indignatione accensus me corripias.* neque advindicandum mea scelera me castiges per seueritatem iustitiæ tuæ, sed paternam tantùm adhibe filio castigationem. *Psalm. 4.*

*2 Miserere mei domine, quoniam infirmus sum: * sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

2 Miserere mei Domine, quoniam planè fractus sum viribus corporis & animi: * sana me Domine, quoniam morbi dolorísque vehementia, mortis item horrore, concussa sunt ossa mea, & membra corporis mei. a

*3 Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine vsquequo?*

3 Sed & anima mea præ nimio dolore ac timore turbata est valde, ita vt & exterius & interius crucier, idque vehementer: * Et cum ita mecum geratur, tu domine quamdiu exercebis iram in supplicem tuum, quousque differes curationem animi & corporis mei? b

*4 Conuertere Domine, & eripe animam meam: * saluum me fac propter misericordiam tuam.*

4 Visus es optime Domine auertisse iam faciem tuam à me propter scelera mea, cũ tanto me dolore discrutiari siueris: nunc quæso tandem placatus conuertere rursum ad me, fauorem tuũ iterum mihi exhibens, & à morte imminente, ac infirmitate, doloréque præsente libera animam meam, * saluum me fac non ob mea merita, de quibus diffido, sed propter infinitam misericordiam tuam.

*5 Quoniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?*

5 Quoniam non est inter mortuos quisquam, qui memoriam tui agat apud viuentes.* Quis existens in inferno aut sepulchro inter mortuos, sanctiśsimum nomen tuum celebrare poterit apud mortales? Itaque Domine ne immatura me morte eripias, sed sanitati c restitue, vt tuam apud homines potẽtiam, bonitatem, ac veritatem deprædicare valeam.

*6 Laboraui in gemitu meo: *lauabo per singulas noctes lectũ meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.*

6 Scio Domine grauiora quàm patior me promeritum, sed tamen & misericordiam tuam pœnitentibus paratam non dubito. Itaque partim vt hanc impetrarem, partim ob doloris mortísque vehementiam, iugibus suspiriis te inuocaui, adeo vt defatigatus sim suspirando, * nec desinam donec impetrem quod cupio, sed per singulas noctes, cũ solitudo dolori habenas laxat, tam copiosè lachrymas effundam, vt eis lectus meus lauetur & humectetur abundè, ne tunc quidem mihi quietem cõcedens, cum tempus est requiei.

*7 Turbatus est à furore oculus meus: * inueteraui inter omnes inimicos meos.*

7 Oculi mei propter acerbitatem vindictæ tuæ quam sentio, turbati sunt, & caligantes, præ lachrymarum abundantia, vt visum penè amiserint: * ego in medio inimicorum meorum, qui sua insultatione & gloriatione molestiam animi mihi duplicarunt, ante tempus consenui, succóque depereunte facies mihi contracta est præ nimio dolore ac fletu.

*8 Discedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ * quoniam exaudiuit Dominus:*

8 Discedite à me, spe vestra delusi, omnes vos operarij iniquitatis, qui interitũ meũ expectabatis, & quærebatis, sed frustra, * quia Dominus exaudiuit flebilẽ & querebũdã vocẽ meã, quã cũ fletu profudi

† *vocem fletus mei.*
9 *Exaudiuit dominus deprecationem meam:*
* *Dominus orationẽ meam suscepit.*
10 *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei:*
* *conuertantur, & erubescant valde velociter.*

fudi.† exaudiuit fletum meum inuocantem ipsum.
9 Exaudiuit,inquam Dominus deprecationem meam: *Dominus orationem meam non repulit,sed acceptauit,gratámque habuit.
10 Hoc igitur intelligentes inimici mei multum pudefiant,& admiratione simul ac terrore conturbentur,videntes se opinione sua frustratos esse,* conuertantur in fugam,à cœpto suo ac cogitatione sua retrocedant, ac pudore afficiantur subitò videntes me sanatum diuina gratia,quem derelictum putabant mortíque destinatum.

PARAPHRASIS EIVSDEM SECVNDVM MYSTICVM SENSVM.

1 Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

2 Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

3 Et anima mea turbata est valde: Et tu Domine usquequo?

4 Conuertere Domine & eripe animam meã: saluum me fac propter misericordiam tuam.

5 Quoniam non est in morte qui memor sit tui: In inferno autem quis confitebitur tibi?

6 Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo.

7 Turbatus est à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos:

8 Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

9 Exaudiuit dominus deprecationem meam: Dominus orationẽ meam suscepit.

10 Erubescant & conturbentur, &c.

1 Domine, ne quæso, propter peccata mea me castiges per seueritatem iustitiæ tuæ, qua corripies in nouissimo die impios, tradés eos æternis cruciatibus: sed hic virga paterna me castiga, ne in æternum cum mundo condemner.
2 Miserere, mei miserere Domine, peccata mea clementer remittẽs, ac per gratiam tuam vulnera animæ meæ curãs, quoniam ad bonum agendum omnino sum imbecillis: sana me Domine ab hac infirmitate, & à peccati vulneribus, quoniam etiam ossa mea concussa sunt horrore tremendi tui iudicij, quod impios manet.
3 Sed & anima eodem timore, ac pœnitentiæ dolore valde conturbata est, & tu Domine piissimè quandiu me miserum te inuocantem deseres, tua gratia & consolatione priuatum?
4 O Domine, qui iam auersus es à me ob peccata mea, conuertere obsecro ad me, mihíque placatus sis ac propitius, & eripe animã meã à peccatorum nexibus, à mortis æternæ timore: & quanquã meis peccatis merui non saluari, saluũ tamẽ me fac propter misericordiã tuã.
5 Quoniam nó est inter eos, quos æterna mors possidet, quisquam, qui memor sit tui ad te laudandum, quis in æterna constitutus damnatione laudabit nomen tuum, vbi blasphemiis, fletibus, & dentium stridoribus omnia plena sunt?
6 Ecce Domine, quo misericordiam tuam, pœnitentibus semper paratam, ad parcendum flectere:m, iã suspiriis meis defatigatus sum nec adhuc desistũ: sed per singulas noctes, cũ ipsa solicitudo peccatorum admissorũ citius suggerit memoriam, lectum meum lachrymis meis abundè madefaciam, ne tempore quidem quietis requiescens.
7 Oculus mentis meæ ex cõsideratione seueræ tuæ vindictæ multum est in me cõturbatus, oculúsq; corporalis nimio fletu caligauit, dum perpendo iram, quam super impios effundes in nouissimo die, quã & ego me promeruisse cognosco, propter inimicos salutis meæ, inter quos conuersor iugiter, mihi insultantes, atq; ad peccata & desperationem pertrahentes, ego iam præ nimio dolore ac fletu velut consenui, facie planè corrigata atque contracta.
8 Discedite longè à me omnes operarii iniquitatis, qui me tum ad peccãdum, tum ad desperandũ solicitastis, quoniam exaudiuit Dominus flebilem vocem meam, dimissis peccatis securum me faciens ab æternæ mortis timore, ac sua gratia, infirmitate animi curata, ad bonum habilem reddens,
9 Exaudiuit certè (quod præ nimio gaudio sæpe dicẽdũ est) Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam admisit.
10 Proinde pudefiant & cõturbentur frustrati omnes inimici mei, qui me æternæ morti destinatum habebant: cõuertantur in fugam, atque à sua retrocedant opinione, ac erubescant velociter.

ANNOTATIONES.

PRo octaua, Hebræi dictionẽ שְׁמִינִית seminith, pro qua nos in titulo habemus octaua, significare hic putát instrm musicũ octo chordarum, quale est quod dicimus Hackebert vel santorie. Quorũ sentẽtia an vera sit expendẽdũ esset ex 1. Paralip. 15. vbi dicuntur quidam in citharis pro octaua cecinisse epinicion, vbi Hebræa habẽt eodẽ modo, sicut hoc loco עַל־הַשְּׁמִינִית Alseminith, quod magis est, super octaua. Latini fere per octauã intelligunt diẽ octauã, diẽ scilicet nouissimi iudicii, qui succedet septẽ diebus, quibus iam omne tẽpus peragitur. Atque ideo in titulo positum dicunt pro octaua, quoniã hic Psalmus congrua forma est homini pœnitenti, irã Dei deprecanti, vt effugiat Dei furorẽ in die nouissimo. Verùm hæc interpretatio nõ cõuenit nisi sensui mystico, & in dictionibus illis, de quibus nihil est certi, non multum hærendum est.

CONTVRBATA SVNT OSSA MEA.] Non est legendũ, omnia ossa mea: sed tãtum ossa mea, quemadmodum habent libri correctiores, consentientibus Græcis & Hebræis. Ossa autem Hebraicè sæpe per synechdochen ponuntur pro membris ipsis corporis, quæ ex ossibus cõstant.

ET TV

b ET TV DOMINE VSQVEQVO.] Cùm in quibusdã Latinis libris habeatur cõiunctio, sed, in aliis, &, posteriorem lectionẽ verã esse docẽt Hebræa simul & Græca, quæ etiã apud D. Hieronymũ ac Augustinũ reperitur. Et habet hæc lectio aliquid emphasis. Postquã enim suæ miseriæ statum exaggerauit, subiicit: Et tu Domine vsquequo. quasi dicat; Cùm ergo sic mecum agitur, quandiu tu Domine differs cõsolationẽ?

IN INFERNO.] Dictio Hebraica שְׁאוֹל

c Seol propriè significat sepulchrũ, vnde plerique hic vertunt in sepulchro autẽ quis confitebitur tibi? Sicut postea dicitur in alio psalmo: Nũquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiã tuã? Plerúnq; tamẽ accipitur in scripturis pro omni mortuorum loco & statu ante Christi passionẽ, siue iustorum, siue damnatorũ. Vnde Iacob dicit: *Gen. 37.* Descendam lugẽs in infernum ad filium meum. In qua significatione generali etiã hic accipi debet secũdùm sensum literalẽ. Idẽ enim est quod dicitur in priori parte, in morte, cũ eo quod in se cũda parte dicitur, in inferno. Cùm autem dicit: quis cõfitebitur tibi: nõ vult negare mortuis laudandi Deum facultatem, sed hæc dicẽs respicit in quem finẽ viuamus in hoc seculo, nempe vt alij aliis gloriã Dei prędicemus. Neque enim prophetæ institutũ fuit hic tractare quid agãt, vel in *Isaiæ 38.* quo se occupẽt mortui. Elucidat multum hunc locum, maximè secundũ literalẽ sensum, similis locus in cantico Ezechię, qui lethali morbo correptus, similibus verbis mortẽ corporalẽ deprecatur, dicẽs: Quia nõ infernus cõfitebitur tibi, neque mors laudabit te: nõ expectabunt qui descẽdunt in lacum, veritatẽ tuam. Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, &c.

DISCEDITE A ME.] Intelligunt d quidã hæc Dauidem dicere ad quosdam, qui sub amicitię specie ęgrotũ Dauidẽ visitabãt, quẽ tamen extinctũ cupiebãt, quales aliquot fuisse testatur in Psalmo quodã sequente, cum dicit: Ingrediebatur vt videret, &c. *Psal. 40.* Generalius tamẽ & simplicius intelligi potest illud dictũ ad omnes eos qui Dauidis interitũ expectabant. Quoniam enim qui sua opinione frustrantur, cõfusi sese ab hominibus subducunt, & in bello victi pedẽ referunt, hinc propheta volens significare inimicos suos delusos esse sua expectatione, præcipit, vt à se discedant, & conuertantur in fugam, per tropum significans eos desistere debere à sua expectatione. Subiungit autem hanc consolationem post orationem, siue quia hic psalmus compositus est post liberationem, atque ob id continens simul & orationem, qua in malis vsus est, & beneficium liberationis, quæ postea secuta est: siue quia inter orandum firmam concepit impetrandæ sanitatis & exauditionis confidentiam.

Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Christi filij Iemini

ARGVMENTVM PSALMI SEPTIMI.

QVoniam iniquissimus Dauidis hostis Saul (quem modestiæ causa alieno nomine designat, appellando eum Cusi id est Aethiopem, simul tamen immutabilem animi eius malitiam notans) Dauidem generum suum proditionis insimulatũ in inuidiã populi adduxit, aliosque ipsum proditionis accusantes libenter audiuit, vir sanctus se purgat his carminibus in quibus suam cõmemorat innocentiam, ob quam seruari se ab iniqua Saulis persecutione precatur, diuinam iustitiam aduersus eius crudelitatem implorando, vt reddito regno diuinitus sibi destinato populus in cultum Dei sub se colligatur. Tum deinde improbos & nocentes Dei iustitia & seueritate terrens, inimici sui interitum prædicit, laudem Deo pro iustitia seruata promittens. Quoniam autem in hac persecutione, Christi per omnia figuram Dauid gessit, mysticè Psalmus hic, oratio est Christi contra impium Iudaicum populum, per Cusi rectè designatum, in qua suam innocentiam diuina iustitia vindicari optans, populum illum suo ipsius gladio periturum prædicit. Ad Dauidis autem & Christi exemplum, est etiam conueniens orandi forma, iusto liberari optanti ab inimicis salutis nostræ, perditionem nostram iniquè quærentibus.

PARAPHRASIS.

1 Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.*

2 Nequando rapiat vt leo animam meam:
** dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.*

3 Domine Deus meus:
† si feci istud:
** si est iniquitas in manibus meis.*

4 Si reddidi retribuentibus mihi mala:
** decidam meritò ab inimicis meis inanis.*

DOmine Deus meus, quem vnicè colo, in te semper omnem meam spem collocaui: * Itaque tu me in te sperantem saluum fac, & libera ab omnibus persequentibus me. *Psalm. 7.*
2 Ne aliquando contingat, vt hostis meus, qui me cum suis summa ferocia & ardore maximo persequitur, me quem quærit, tanquam leo rapiat ad deuorandum & perdendum, * dum non fuerit aliquis qui me redimat, & saluũ faciat de manu eius. Nam nisi tu ab huius leonis impetu me serues, nullumaliũ seruare posse, mihi persuadeo.
3 Domine Deus meus misericordiam tuam fidenter imploro fretus innocentia mea, cuius tu ipse optimè testis es. Si enim feci istud inimico meo, quod mihi facit, † si feci quod me fecisse criminatur, & cuius ab aliis apud illum accusor, vitæ scilicet eius & imperio insidias me struxisse: * si mali & iniqui aliquid molitus sum manibus meis contra eum.
4 Si retribuentibus mihi mala ego vicissim malum reddidi, & non potius mala bonis compensaui, seruans eis aliquando vitam, qui me ad mortem insectabãtur: Si hæc, inquam, Domine, qui omnia nosti, commisi, * lubens patiar, vt secundùm meritum meum succumbam victus ab inimicis meis, vita, gloria, omnibúsque fortunis exutus, & omni spe mea frustratus.

PERSE

Perſequatur inimicus animam meam & comprehendat: & conculcet in terra vitam meam.
** & gloriam meam in puluerem deducat.*

5 Perſequatur me fugientem inimicus meus ad perdendam vitam meam, & quem perſequitur, capit, captaque mihi non ſolum vitam meam violenter ac probroſè eripiat eamq́, conterat & cõſumat,*ſed etiam gloriam ac omnem nominis mei honeſtam memoriam: qua à morte ſupereſſe poſſem, funditus extinguat: & in nihilum redigat.

6 Exurge domine in ira tua:
** & exaltare in finibus inimicorum meorum.*

6 Quoniam autem tu ipſe Domine conſcius es innocẽtiæ meæ, probéque noſti non admiſiſſe me quæ mihi imponunt, & ob quæ me perſequuntur: noli vltra quaſi iacenti ac dormienti, aut etiam viribus deſtituto ſimili, tuum pro me differre iudicium, tuáque diſſimulare potentiam, ſed per ſeueritatem iuſtitiæ tuæ, perque iuſtam vltionem tuam declara in hoſtibus meis tuam potentiam * Fac omnes inimici mei per circumitum oſtenſione tuę iuſtitię & potentiæ te ſentiãt omnibus eſſe altiorem & ſuperiorem.

7 ‡ Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti.

7 Tu Domine pręcepiſti ciuitatũ rectoribus, vicariis tuis, vt iniuſtos ab iniuria prohiberẽt, neque ſinerẽt aliquẽ iniuſtè opprimi. Tu ergo Domine qui hactenus mihi dormire viſus es exurge mihi, dẽclarãdo pro me tuã iuſtitiam & potentiam ſecundùm præceptum illud quod aliis faciendum mandaſti.†Tu etiã te Domine vigilare mihi demonſtra in ea re & negotio, quod mihi pręcepiſti in munere ſcilicet regio quod mihi iniunxiſti. Quod quidẽ peto, nõ tam meę vitę & dignitati, quàm tuæ ſanctiſſimę religioni ac ſaluti ciuium cõſulẽs.*Si enim pro me de iniquis iudicium feceris, ſi in deſtinatũ mihi regnum adduxeris, populus intelligens te bonis cõſulere, improbos vlciſci, ſimul cõgregatus vndiq; circundabit te, tuam iuſtitiam collaudans, tuũque patrociniũ contra iniuſtos inuocans, †populus item iam ſub impio principe à cultu tuo alienatus, illiúſque exemplo ad impia petractus ſub me principe ad te reuocabitur, & in tuum cultum adunabitur.

** † & ſynagoga populorum circumdabit te.*

8 † Et propter hanc in altum regredere:

8 Itaque propter ſalutẽ populi, fac vt dęclarata tua in impios homines potentia, altiorem te omnibus homines intelligãt.†Quique dum ſinis tuos à tyrannis diuexari, videris ſoliũ tuæ iuſtitię reliquiſſe: rurſum repete tuum tribunal, & in altitudinem tuę iudiciarię ſedis conſcende: declarans te tuorũ eſſe vindicem.*Quod ideo meritò à Domino peto, quoniam ipſe eſt, qui omnes populos etiam gentiũ nunc iudicat, ac in futuro iudicabit: nũc quidẽ ad defenſionem innocẽtiũ cõtra noxios, in futuro autem ad plenã vniuſcuiuſque tributionem.

a ** Dominus iudicat populos.*

9 Iudica me domine ſecundum iuſtitiam meam:
** & ſecundum innocentiam meam ſuper me.*

9 Itaque quoniã tibi competit iudicium, quæſo Domine vt pro me contra hoſtes meos facias iudicium ſecùndùm iuſtitiã meam, qua erga illos me geſſi,*& ſecundũ innocentiã meam, quæ eſt in me erga illos, dum nihil illis, te teſte, nocumenti intuli.

b *10 Conſummetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum:*
** ſcrutans corda & renes Deus.*

10 Non perduret quęſo Domine impietas hominum peccatorũ, ſed malitia eorum, quam ad tẽpus toleras ſuper iuſtos, perdatur, ac finem accipiat, ſicque tu iuſtum diriges, præſtando ei rerum ſuarũ fœlicem ſucceſſum.*Tu inquã, Domine, qui in iudicãdo falli nõ potes, quippe qui introſpicias, diiudices, & probè cognita habeas intima quęque nempe hominum cogitationes, ac affectiones, & deſideria

c *11 Iuſtum auditorium meũ à Domino:*
† qui ſaluos facit rectos corde.

11 Iuſtum itaque eſt adiutoriũ meum, quod à Domino peto, non iniuſtè, nec immeritò hoc ab illo expecto, * quoniam ipſe ſaluos facit omnes eos qui recto ſunt & ſimplici corde, qualem & me eſſe cõfido

d *12 Deus iudex iuſtus, fortis & patiens:*
** nunquid iraſcitur per ſingulos dies?*

12 Vos autem impij, ne ob dilationẽ diuinæ vindictæ ſecuros vos arbitremini, illud ſcitote, quod deus eſt iudex iuſtus, & fortis, cui nemo reſiſtere poteſt, quiq; facile perficere poſſit, quod faciẽdũ iudicat & nihilominus longanimis eſt, patienter tolerãs aliquandiu hominũ iniquitatem,* nõ enim ipſe, ſicut hominũ impietatibus quotidie irritatur & offenditur, ita etiã per ſingulos dies peccata vindicat, ac vltione irã ſuã declarat, quod quidẽ non fit per impotentiã aut iniuſtitiã, ſed per eius longanimitatẽ, qua peccatores ad pœnitentiã expectat.

13 Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit:
arcum ſuum tetendi, & parauit eum.

13 Quamuis autẽ longanimis ſit, ſi tamen à veſtra prauitate non fueritis cõuerſi, ſcitote imminere vobis perditionem, breuiq; vos interituros. Ecce enim iamiam Deus (vt de ipſo tanquã homine loquar) gladium ſuum vagina extractũ & exacutum quatiet, parãs ſe ad percutiendum,*imo iam arcum ſuum tetendit, & ad ſagittandum parauit.

14 Et in eo parauit vaſa mortis:
e ** † ſagittas ſuas ardentibus effecit.*

14 Ac in ipſo arcu parauit tela mortifera, ſagittaſque ſuas ardentibus carbonibus operatus eſt, ignitáſque fecit, vt vehementius offenderẽt ac incenderent.*† Sagittas etiã ſuas fabricatus eſt his qui odio & ira ardentes me iniuſtè perſequũtur. Seueritatem enim iuſtitiæ ſuæ, quæ hactenus ſeſe nõ exeruit, & hebetata videri poterat declarare Deus decreuit, vt per hanc tanquam per gladium quendã, impœnitentibus mortem tum corporalem, tum æternam infligat, & ex ea tanquã arcu quodam iaculetur ſententiam mortis & æternæ perditionis, quæ tan

quam

quam ignita quædam iacula ſuccendat igne inextinguibili eos, qui odio ardentes me perſequuntur.

15 Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem:
** & peperit iniquitatem.*

15 Ecce hoſtis meus anxia mentis ſolicitudine & cruciatu anniſus eſt iniquitatem exercere in me. Concepit in animo ſuo afflictionem, quam mihi inferre cogitat: * Malúmque quod in corde ſuo primùm conceptũ, deinde parturiebat, etiam tandẽ peperit, opere hoc ipſum, quantum in ſe erat, perficiens.

16 Lacum aperuit, & effodit eum:
** & incidit in foueam quã fecit.*

16 Neque palam ſolum oppugnat, ſed etiã inſidias ſtruxit quibus me perderet: quaſi ſi quis foueam occultam aperiat, ac profundè effodiat, vt incauti in eam lapſi pereant.*Verum iuſto Dei iudicio futurum cognoſco, vt me à perditione liberato, ipſemet incidat in interitum, quem mihi parauit.

17 Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem eius iniquitas eius deſcendet.

17 Afflictio, quam mihi inferre conatus eſt, redibit in ipſummet autorem, & iniuria, qua me afficere ſtuduit, recidet in verticẽ eius, grauiter eum feriens & premens. Deprehendent eum mala quæcunque mihi parauit, ipſáque improbitas, quæ ad meam perniciem illum exacuit, illi exitii & perditionis eius occaſio erit, quomodo, ſi quis in altum mittat lapidem, & non cauto ſatis recidat in caput.

18 Confitebor domino ſecundum iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

18 Ego autem periculis omnibus liberatus, gratias agam Domino, illúmque laudabo pro iuſtitia eius, qua innocentes liberat, impióſq;, vt merentur, perdit, & ſanctiſſimum nomẽ Domini altiſſimi hymnis celebrabo.

ANNOTATIONES.

QVoniã in titulo dicitur Pſalmus iſte cantatus pro verbis Chuſi, quidã (inter quos Euthymius) putant hunc Pſalmum compoſitũ contra Abſalonem filiũ, intelligentes per Chuſi, conſiliarium Dauidis, qui apud Abſalonem diſſoluit conſiliũ Achitophelis. Verũ præter alia, quę huic ſententiæ contrariantur, ſciendum, nomen illius Chuſi ſcribi apud Hebræos per literam heth in principio, nomen vero hic poſitũ per Caph. Nec eſt Hebræis hoc loco Chuſi, ſed Cus, quo nomine Saulẽ rectè deſignat, ob profligatos eius mores. Significat enim nomen Cus, Aethiopẽ. Malis autem hominibus nigri nomen à veteribus tribui ſolitum etiam poetæ Latini indicant. Porro Saulem fuiſſe virum Gemini, ipſemet Saul teſtatur in libris Regum.

a DOMINVS IVDICAT POPVLOS.] Videtur interpres legiſſe præſens κρίνει, cum Græcis iam ſit futurum κρινεῖ, iudicabit, quemadmodum habent & Hebræa.

b CONSVMETVR NEQVITIA PECCATORVM.] Auguſtinus & Hieronymus in cõmẽtariis legunt cõſummetur, vt ſignificetur, nequitiam peccatorum implendam eſſe & perficiẽdã, ac tum demum rectitudinem iuſti declarandam. Sicque vertiſſe noſtrum interpretẽ videri omnino poteſt, ex eo quod Græcis eſt verbũ deprecatiuum συντελεσθήτω, hoc eſt, cõſummetur, vel cõſumatur. Nam dictio Grẽca vtrumque ſignificat, & conſumi, hoc eſt, deficere, & cõſummari, hoc, eſt, ad ſummum perduci. Verbum autẽ conſumendi magis cõuenit Hebræis. vnde ex Hebręo D. Hieronymus vertit, conſumetur. Quod ſi cõſummetur imperatiuè legere velimus, quemadmodum Græca deſiderant, poterit hoc verbũ exponi pro ad finem deduci, quod non eſt aliud quàm deficere. Nam ſic aliquoties in ſcripturis hoc verbũ ponitur: ſicut & conſummatio pro conſumptione. Itaque in hoc ſenſu omnino puto interpretẽ vertiſſe conſummetur, potius quàm conſumetur.

c IVSTVM ADIVTORIVM.] Adiectiuũ, iuſtum, apud Hebræos additur verſui ſuperiori cum nomine, Deus. Sed & in quibuſdam Grẽcorum codicibus additur ſuperiori verſui aduerbium δικαίως, id eſt, iuſtè quamuis etiam in aliquibus ponatur in principio huius verſus in genere fœminino δικαία ἡ βοήθεια.

d DEVS IVDEX IVSTVS, &c.] Hebræa tantum habent, Deus iudex iuſtus, & comminãs tota die: Græca habent, & non irã adducens per ſingulos dies, ſine interrogatiòne. quomodo & Diuus Auguſtinus legit. Græcus interpres videtur dictionem Hebraicam אל Al, legiſſe cũ puncto patach. cũ quo ſignificat idem quod non. At nunc legitur cum puncto tſere, cũ quo ſignificat idem quod Deus & fortis. Vnde quod in Græcis etiam legitur, fortis, ex alterius fortaſſe verſione, margini prius aſſcriptum, textui deindę inſcriptũ videri poteſt; quemadmodũ & quod additur, patiens, videri poteſt additũ ab aliquo ad explicandum, quomodo nõ iraſcitur Deus omni tẽpore. Poteſt autẽ quod in noſtra lectione dicitur: Nunquid iraſcitur per ſingulos dies: accipi, vel vt reſpondeat Hebraicæ lectioni, vel vt Græcæ, vel vt affirmatiuã inſinuet reſponſionẽ, & nũquid pro nonne, poſitum ſit, ſenſúſque ſit: Deum quotidie iraſci, quia quotidie per ſuos prędicatores, & varia flagella peccatoribus infi cta cõminatur impiis: qui ſenſus cõuenit rectè ſequentibus. Vel vt ſignificetur Deũ non omni tẽpore iraſci, quia nõ ſemper vlciſcitur, ſed vindictam diſſimulat. Cęterum notandum, veram lectionẽ eſſe per verbum præſens, iraſcitur, non per verbum futurũ, iraſcetur: vt multi libri habent. Præſens enim verbum habent originalia & correctiora Latina. Et vt in ſequentibus huius Pſalmi verſibus tẽpora, quæ perperam in multis codicibus leguntur, reſtituãtur iuxta exigẽtiam originalium & antiquorum codicum: primum non eſt legendum, vibrauit, ſed futurum, vibrabit. Eſt enim Græcis στιλβώσει. Et Diuus Auguſtinus diligenter annotauit per futurum dictum eſſe, vibrabit, quamuis per præterita dicatur: Arcum ſuum tetendit, & parauit illum. Deinde, parturiit, legendum eſt, non parturit: cùm Græcis ſit ὠδίνησεν. Et rurſum futurum, incidet, non, præteritum, incidit: cùm Græcis ſit futurum ἐμπεσεῖται.

ARDENTIBVS EFFECIT.] Duplicem

plicem indicat Paraphrasis intelligentiam. iuxta priorem dictio, ardentibus, ablatiuus est instrumenti: iuxta posteriorem, datiuus acquisitiuus.

In finem pro torcularibus, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI OCTAVI.

Psalmus hic, hymnus est, quo cum summa admiratione celebrat inaestimabilem creatoris virtutem & amplitudinem quam per creaturas suas vbique terrarum demonstrat, tum & ipsius in humanum genus beneficentiam & dignationem. Quod cum miserum sit & vile, ipse autem altissimus sit, & potentissimus, tam multis tamen beneficijs dignatus est. Mysticus autem huius Psalmi sensus in annotationibus indicatur.

PARAPHRASIS.

PSAL. 8.

1 Domine Dominus noster,
** quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!*

O Domine Deus, qui cũ ratione creationis & gubernationis omnium sis Dominus, peculiariter tamen noster es Dominus, qui te colimus, tibiq; seruimus, quorum & maior tibi ratio est & cura:* quàm potentem ac magnum teipsum declarasti, non in cœlo solũ, neque in Iudaea solùm, sed etiam in vniuersa terra, quàm meritò tu ab omnibus admirandus es in vniuersa terra!

2 Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

2 Quoniam gloria tuae diuinitatis, potentiae, ac bonitatis tã longè, latè, altéq; diffusa est, vt non solum omnem terrã repleat, atque vbique se visendam ac fruendam exhibeat, sed & cœlos omnes transcendat, in quibus etsi perfectius quàm in terris à sanctis mentibus conspiciatur, comprehendi tamen ab eis non valet. Ita est ea incomprehensibilis, omnia replens, omnia excedens.

3 Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos:

3 Quamuis autem meritò ab omnibus suspiciendũ & laudandum a sit nomen tuum, tamen quoniã pleriq; sunt, sempérq; fuerunt, te agnoscere recusantes, tuae gloriae, tuóq; nomini pertinaciter resistentes, siue inter homines, siue inter impios daemones, ideo quo magis cõtra illos tuã declarares potentiã, laudẽ virtutis tuae tu cõfirmasti, & stabiliuisti frequenter ex ore puerorum lactentium, eorúmq; qui his assimiles fuere. Pharaone enim hoste tuo cũ suis tua virtute submerso, Israelitae tui simplicibus & imbellibus pueris similes, quorũ ora necdũ aperta fuerant in tuas laudes, decãtare cœperunt sanctũ nomen tuũ, & victricẽ manum tuam laudauerunt pariter, quoniam sapiẽtia tua aperuit os mutorũ, & linguas infantiũ fecit disertas. Inter prophetas quoq; tuos, per quos voluisti laudẽ tuam perfici apud homines, eos potissimũ delegisti, qui simplices essent, rudes, & indocti. In tẽpore item Messiae tu ex ore paruulorũ, vixdũ ablactatorum, laudem tuã confirmasti, cùm acclamare eos fecisti filio tuo laudis canticum, quo vel sic cõuinceres duritatẽ ac malitiam inimicorum eius. Quin & per Apostolos eius, simplicitate ac malitia paruulos, homines ineruditos ac mundi iudicio humiles, laudem nominis tui perfectã fecisti, fama nominis tui per vniuersas terras propagata ab eis, sed tua virtute.* Sic autẽ tibi visum est per ora puerorũ tuorum laudem tuã confirmare, vt sic ad maiorẽ admirationẽ tuae potentiae conuinceres, ac cessare faceres inimicos tuos, qui se exhibent vltores ac punitores tibi credentium, ac seruire cupientiũ. Cõfunditur enim & conuincitur omnis eorũ sapientia & fortitudo, ac tua potẽtia mirabiliter elucescit, dum, paruulis licet * laudẽ tuam praedicantibus, eam abolere nequeunt, quam impensè extinctam cupiebant.

Sap. 10.

** vt destruas inimicum & vltorem.*

4 Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quae tu fundasti.

4 Et quidem Domine, quoties oculis sublatis contemplor cœlos b tuos, quae sunt opera tua per teipsum, tuáq; virtute perfecta, similiter lumẽ & stellas, quae elegãtissimo ordine in illis firmiter collocasti, quoties cœlorũ amplitudinem, motúmq; varium ac stabilem, & stellarum in eis positarum pulchritudinem variam, multitudinẽ, & ordinem, omniáque haec hominum vtilitati seruire attendo.

5 Quid est homo, quod memor es eius:
** aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

5 Tum sic apud me cogito: Deus bone, quid est miser homuncio, quod tu tantus, támq; immẽsi operis artifex, & tam sublimis domus inhabitator, illius rationem & curam habeas?*aut quid est filius hominis, ex mortali homine natus mortalis, quod dignaris illum inuisere, beneficia multa in illum conferendo?

6 Minuisti eum paulo minus ab Angelis:
** gloria & honore coronasti eum.*

6 Adeo enim ipsum hominẽ sublimasti, vt paululum tantũ sit in- c ferior Angelicis mẽtibus, diuinae tuae nobilitati vicinissimis, inferior scilicet solum secũdùm corpus, & corporis necessitates.*Tu deniq; magnifica gloria & honore illum in modum coronae circundedisti, & ornasti, dum eum ad imaginẽ tuam creasti rationis capacẽ, dumque ad participandam tuã beatitudinem ac diuinitatem eũ fecisti,

** & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

*deniq; dum super omnia opera haec visibilia à te facta dominũ eũ constituisti, volens vt omnia eius imperio subessent, aut eius vtilitati seruirent. Quod quidem in omnia dominium, etsi pro magna parte toti conueniat humanae creaturae, eximio tamẽ quodam modo collatum est à te ei, qui inter omnes homines primus est, & praecipuus, inter omnes tuos filios primogenitus, & vnigenitus tuus, quem per assumptam humanitatem, mortísque passionem ab angelis minoratum, summo tandem honore coronasti, dàns ei plenam omnium in cœlo & in terra potestatem, per quem etiam humano generi pristinum dominium, & dignitas per peccatum magna ex parte imminuta, rursum restaurata est & aucta.

6 Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.

6 Omnia, inquam, Domine subiecisti tua benignitate hominibus: oues scilicet, reliquáque pecora minora, boues, omniáque armẽta, nec sicures tantum pecudes, sed etiã feras agrestes, inter quas nulla est, quin eam suo imperio subijcere valeat, ac vtilitatẽ ex ea capiat.

7 Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris,

7 Nec terrestria tantum illi subiecisti animalia, sed etiam volucres in aere volitantes, & pisces maris, qui per varia maris loca huc illúcque vagantur, ac veluti perambulant.

8 Domine Dominus noster, quam admirable est nomen tuum in vniuersa terra.

8 Meritò certè ex consyderatione tuae in humanum genus dignationis, rursum, quemadmodum cœpi, exclamare libet: Omnium Domine, qui peculiariter noster es Dominus, quàm magna, ac proinde summa admiratione digna est gloria nominis tui, non solum in cœlo, sed etiam in vniuersa terra.

ANNOTATIONES.

PRO TORCVLARIBVS, in Hebraeo ponitur dictio גתית githith, quam Hebraei putãt deriuatam à nomine ciuitatis Philistinorũ Geth, & significare instrumentũ musicum, in quo Psalmus hic cantandus esset à Gethablato, ibíve reperto. Felix putat hoc nomen esse patronymicũ, à Geth deriuatum, & per illud significari populum gentilem, qui per Philistaeos frequenter intelligitur. Septuaginta autem vidẽtur legisse nomen pluralis numeri gethoth, vt sit plurale nominis gath, quod significat torcular. Haec autem torcularia, Augustinus intelligit ecclesias, quod in eis, bonis malis essent permixti, sicut in torculari vinacea cum vino. Alii per torcularia, Christi intelligunt passiones, de quibus secundum mysticum sensum mentio fit, dum dicitur: Minuisti eum ab angelis. Et apud Isaiam Christi passio, (Isaiae 63.) torcular dicitur, cùm ait: Torcular calcaui solus, &c. Verum vt de hac, & aliis similibus dictionibus nihil certi adfertur, ita ex hac & aliis superuacaneum fuerit velle aliquid stabilire, quod ad sensum Psalmorum pertineat.

a (Mat. 21. Hebr. 2. 1. Co. 15.) EX ORE INFANTIVM ET LACTENTIVM. Quia hunc versum Dominus in euãgelio adduxit de pueris ei acclamantibus Osanna, & Paulus Christo tribuit illud: Minuisti eũ paulominus ab Angelis, &: Omnia subiecisti sub pedibus eius: existimant plerique priorẽ illũ versum de pueris illis vel solum, vel propriè dictum, imò totum Psalmum ad solum Christũ referendum, etiam secundum primum & literalẽ sensum. Verum neutrũ ex citationibus istis necessariò consequitur, cùm constet frequenter scripturas quibusdam attribui, quibus non solis competũt, idque variis modis. Primum, quia quod in genere dictum est, & diuersis conuenit, quibusdam in genere illo comprehensis tribuitur, maximè si illis eximio & peculiari modo conueniat. Secundò, quia quod de figura primò & ad literam dictum est, tribuitur veritati adumbratae, propter quam potissimum dictum est, quale est illud: Os non comminuetis ex eo, & alia multa. Tertiò quia quod de aliquo propriè dictum est sine figura, accommodatur alicui, in quem illud etiam rectè quadrat, quale videtur esse illud: Vox in Rama audita est, &c. (Mat. 2.) Quod autem hic Psalmus secũdum primum & literalem sensum non pertineat ad solum Christum, satis ostendit similis locus in Psalm. 143. vbi similiter exclamat: Domine, quid est homo, quia innotuisti: aut filius hominis, quia reputas eum? &c. (Ps. 143.) Et omnino videtur, cum hic dicit: omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, &c. commemorare dominum, quod humano generi in principio Geneseos Dei beneficio collatum describitur. (Gene. 1.) Itaque rectius sic Psalmus iste accipietur, vt omni tempori conueniat, & in genere Dei celebret potẽtiam, & bonitatem humano generi declaratam, & citationes illae in nouo testamento factae non accipiantur, quasi peculiarem, & nullis alius conuenientem indicent citatorum verborum sensum, sed tantum vt quod in genere dictum est, eis tribuatur, quibus eximio modo cõpetit, iuxta sensum in paraphrasi explicatũ. Nam & liber Sapientiae satis indicat, illa verba: Ex ore infantium: competere Israelitis, cùm educerentur ex Aegypto. Quod si quis totum Psalmum Christo appropriare velit, in quẽ maximè omnes scripturę respiciũt, & in quo omnia, quae de Deo in genere dicuntur, peculiari modo recapitulantur, iam quod dicitur: Nomen Dei admirabile factum in vniuersa terra: ad praedicationem euangelicam est referendum, qua notũ & celebre factum est nomẽ Domini in vniuersa terra, quod prius tantùm notum fuit in Iudaea. Quod de eleuata magnificentia Domini super caelos dicitur, referendum est ad Christi super omnes cœlos ascensionem. Per cœlos, Apostoli intelligendi: per lunam & stellas, ecclesia, & eminentiores quique in ecclesia, quę cũ eis in Apostolis fundata est & stabilita. Per quinq; illa animaliũ genera quę filio hominis peculiariter subiecta narrãtur, quã-

quam in mystico sensu variè à variis explicetur, rectè secundú tractationẽ diui Augustini, quinque hominum genera accipiuntur: per oues & boues, fideles boni: quorum quidam simpliciter subsunt, alij fideliter pro aliis laborant: per reliqua tria, homines mundani, scilicet per pecora campi, homines in concupiscentiis vagabundi: per volucres cœli, superbi: per pisces maris, homines curiosi & auari.

b QVONIAM VIDEBO COELOS TVOS.] Coniunctionem, quoniã, quidã referunt ad præcedentia, vt reddatur hic causa, cur dixerit nomẽ eius in vniuersa terra esse admirable, & magnificentiam eius eleuatã super cœlos. At rectius videtur referri ad sequẽtia, vt sequenti versu perficiatur sententia, quibusdam subintellectis iuxta sensum in paraphrasi insinuatum: vt scilicet significetur, contemplationem cœlestium corporum, causam esse exclamandi cum admiratione: Quid est homo, quod memor es eius? Illud etsi exiguũ sit, prætermittendũ non est, pronomẽ, tuos, Græcis non esse, nec apud Diuum Hieronymum in commentariis, nec Augustinus legisse videtur, si eius commentarius diligenter legatur. Est tamẽ in Hebræo, vnde irrepsit in nostrã lectionẽ: quæ etsi ex Græcis facta sit, habet tamen quandoque quædam cum Hebræis magis conuenientia.

c MINVISTI EVM PAVLO MINVS AB ANGELIS.] Pro paulò minus, Græcis est βραχύ τι, id est, modicum quid, hoc est, paululum inferiorem fecisti. Pro angelis, Hebræis est dictio אֱלֹהִים Elohim, quæ quanquã Deum magis significet, (vnde vertunt quidã, minuisti cum parum à Deo,) tamẽ aliquando angelis tribuitur, in quos bene competit illud Psalmi: Ego dixi, dij estis, & filii excelsi omnes. Id hoc loco magis secuti sunt Septuaginta, quod videretur absurdũ, dicere hominem parum inferiorem Deo constitutum, à quo infinitis distat partibus. Septuaginta secutus est Diuus Paulus ad Hebræos 2. *Psal. 81.* *Hebr. 2.*

INSVPER ET PECORA CAMPI.] Cùm additur, insuper, separantur pecora campi ab ouibus & bobus. Sciendũ ergo pro, pecora, Hebræis esse dictionem בְּהֵמוֹת Behemoth, quæ quasuis significat bestias. Additione verò campi vel agri, significantur bestiæ agrestes, hoc est, syluestres, & nequaquam domesticæ: quales sunt, oues & boues. Has ergo oportet intelligere ad literã per pecora campi significari, quamuis Latinis feræ non dicantur propriè pecora. Sic & Græca dictio θήρα, teste Euthymio, significat omnia animalia, quæ prona in terram aspiciunt. Hic ergo versus continet animalia terrestria, & prior quidẽ pars bestias cicures, & domesticas: secunda verò agrestes & feras: sequens versus volatilia & aquatilia. Quod autem in eo legimus, qui perambulãt, Græcis est in neutro genere vnica dictio, nõ cohærens cum piscibus, τὰ διαπορευόμενα, hoc est, ea quæ perambulant. Quoniam enim de piscibus dixerat, ob varietatem piscium, subiungit: quæcunque perambulant semitas maris. Et Hebræis postquam pluraliter dictũ est, pisces maris, subiungitur singulariter, quod transit semitas maris, hoc est, quicquid transit. Videri posset interpres vertisse, quæ perambulant, nisi constanter libri haberent, qui.

In finem pro occultis filii, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI NONI.

PSalmus hic in duas diuisus est partes adeo dissimiles, vt singulæ partes singulos iam Psalmos apud Hebræos cẽseantur. Nã primum quidã gratias agit Deo pro insigni aliqua victoria de præcipuo suo hoste, quẽ Goliath nonnulli arbitrantur: aut pro victoria, quã à finitimis gentibus reportauit, attollẽs pluribus Dei misericordiã, quæ suos in tẽpore vindicat. Deinde autẽ precationem adsungit, rogans vt improbos Deus semper (vt iam fecerat) cõpescat. In qua precatione pulchre impiorum superbia, impietas, insidiæ artes & conatus ad opprimendũ quomodocunque homines innocuos, inopes, & ope humana destitutos, describuntur. Mysticè autem Psalmus hic, gratulatio est ecclesiæ pro occultis aduentibus, mysterijs, & iudicijs Christi filij Dei, quo pro nobis iudicante agnoscit ecclesia se liberatam ab hoste humani generis, diabolo: orans deinde, vt in finem vsque seculi suos fideles ab impiorum siue dæmonum, oppressione liberet. Ideoq; recte intelligitur in titulo positum, pro occultis filij: quanquam, vt de alijs quibusdam superius dictum est dictionibus in titulo positis, nihil etiam hic ex Hebræo statui possit hoc loco de dictione hic posita.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

PSAL. 9.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo:
** narrabo omnia mirabilia tua.*

LAudabo te Domine ex toto corde meo, gratiámq; tibi habebo, quantã animus meus capere potest maximam, *Ad laudem tui nominis, aliorúmq; eruditionem, narrabo, quantum in me erit, vniuersa mirabilia tua, consilia, & facinora. Quãquam enim ea memoratu sint impossibilia, enarrare certè, si fieri posset, ardẽter peroptẽ: & licet singula pro dignitate celebrare nequeam, vniuersa tamen commemorare vel in genere incipiam.

2 Lætabor & exultabo in te:
** psallam nomini tuo altissime.*

2 Non iam me rebus vllis fragilibus & caducis oblectabo, non in meis, aut quorumcunque hominum viribus lætabor, sed in te, tuęq; bonitatis memoria lætabor mente, & exultabo corpore, * & præ nimia cùm interna, tum externa lætitia carminibus te celebrabo altissime Domine, qui supereminentem omnibus tuam potentiam pro me declarasti, quiq; cùm sis altissimus, omni laude es dignus, omni etiam laude maior.

3 In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur & peribunt à facie tua.

3 Ideo autem meritò in te lætabor, tẽque canam, quoniam cùm inimici mei terga mihi darent, ac victi fugerent, non mea fortitudine victi sunt, sed à præsentia tuæ potentiæ, quã sustinere nequiuerunt, viribus suis fracti & debilitati sunt, ac tandem perierunt.

*4 Quoniam fecisti iudicium meũ & causam meã: * sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.*

4 Tu enim Domine iam iudicium meum, & causam meã perfecisti & absoluisti, vindicando me ab iniustis oppressoribus: *tu qui iudicas quod iustum est, cum visus sis solium tuæ iustitiæ reliquisse, quamdiu hostes superiores erant, iam rursum conscendisti solium tuum iudiciarium, dum à violentis oppressoribus me liberasti.

*5 Increpasti gentes, * & periit impius:*
** nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi.*

5 Tu sententia pro nobis pronunciata impios aduersarios horribiliter increpuisti, dum tua vltione illorũ iniustitiam eis declarasti * &, te tantummodo illos increpante, perierunt impij. Statim enim vt voluisti, solo tuo nutu & voluntate illos perdidisti, * & honestam ac celebrem memoriam nominis eorum aboleuisti in æternum.

6 Inimici defecerũt phrameæ in finem: & ciuitates eorum destruxisti.
*7 Periit memoria eorum † cum sonitu: * & Dominus in æternum permanet.*

6 Gladij inimicorum iam penitus defecerunt, & confracti sunt, omnísque potestas nocendi & ledendi eis ablata est, & ciuitates eorũ fortes, in quibus habitabant & confidebant, euertisti. a

7 Nec ipsi tantum perierunt, sed etiam cum ipsis periit apud homines honesta memoria eorum, simul cum eorũ nominatione, †aut quemadmodum perit sonitus aliquis, cuius nihil remanet. *Dominus autem in sempiternum permanet, semper affuturus his qui in ipsum spem suam collocauerunt.

8 Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate,
** iudicabit populos in iustitia.*

8 Parauit sedem suã iudiciariam ad exercẽdum iudicium, & ipse in nouissimo die, imo omni tempore, iustissimè iudicabit omnes totius orbis terræ homines, *iudicabit populos vniuersos in iustitia, bonis bona, malis mala rependens: vt merito sese Dei cultores consolari debeant, tum quod Dominus illorum perpetuò subsistat, tum quod idem iustè omnes iudicet, liberans tandem ab impiis iustos, etiamsi ad tempus iniuriam eos pati permittat.

9 Et factus est dominus refugium pauperi:
** adiutor in opportunitatibus in tribulatione.*

9 Itaque Dominus afflictis omnibus humana ope destitutis se præstitit tutum refugium, ad quem illis cõfugere licet, vt tuti sint ab iniuriis impiorum: * Adiutor illis factus est in tempore opportuno, nempe cum in tribulatione sunt constituti.

10 Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum:
** quoniam non dereliquisti quærentes te domine:*

10 Meritò ergo in te omnẽ suam spem collocabunt, nec ad aliud confugient præsidium, qui nouerunt tuam Domine æternã potentiam, iustitiam, atq; in fidentes tibi bonitatem: *quoniam nunquam deseruisti Domine eos qui pijs factis sese tibi commendare studuerunt, quique in tribulationibus tuum inuocauerunt auxilium.

*11 Psallite domino qui habitat in Sion: * annunciate inter gentes studia eius.*

11 Proinde vos Dei cultores, qui Deo fiditis, canite hymnos Deo, qui domũ quandam peculiarem sibi delegit in monte Sion: *prædicate in Gentibus opera eius mirabilia, quæ pro suorũ patrauit liberatione, vt Dei cognoscentes potentiam ac bonitatem, ab erroribus suis liberatæ conuertantur ad sanctissimum Dei nostri cultum.

12 Quoniam requirẽs sanguinem eorũ recordatus est:
** non est oblitus clamorem pauperum:*

12 Quoniam etsi aliquãdiu negligere innocentes videatur, dum sinit eos iniustè opprimi, tamen tandem de manibus opprimẽtium requirens effusum sanguinem innocentum, omnémque violentam oppressionem, nec relinquens inultum sanguinem eorum, declarat se eorum memorem esse: *& nõ esse oblitum clamoris pauperum, qui in tribulatione constituti ad illum toto corde vociferati sunt, quemadmodum ego feci, dicens:

13 Miserere mei domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

13 Miserere mei Domine, aspice afflictionem meam, quã patior ab inimicis meis: ne diutius dissimuleste videre, sed mihi præstita ope videre te ipsam declara.

14 Qui exaltas me de portis mortis.
** vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

14 Tu Domine miserere, qui me in summo constitutũ periculò, ac morti viciniſſimum solus potes & soles de mortis faucibus eripere. *Ideo autem miserere mei, vt per te liberatus, palam prædicẽ omnes tuas laudes in ijs locis, vbi celebris fit conuentus populi.

15 Exultabo in salutari tuo:
** infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.*

15 Sic autem me orante, exaudisti domine orationẽ meam: vnde de salute tua, quam mihi attulisti, exultabo. *Nam impij hostes mei, tanquam auidi venatores me persequentes, in eam ipsam foueam perditionis demersi sunt, quam mihi parauerant: in illud ipsum exitium inciderunt nec opinantes, quod mihi intentabant.

16 In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

16 Illis insidiis & malis, quibus me capere vt aucupes studebant, ipsimet capti sunt, & ea ipsa, quibus nos capere & perdere conabantur, ipsis suæ perditionis occasio & causa facta sunt.

17 Cognoscetur dominus iudicia faciens.
** in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*

17 Itaque si prius à quibusdã non cognosceretur, an Deus humanarum rerum haberet procurationem, iam cum fecit iudicium pro suis innocentes saluando, noxios perdendo, ab omnibus magis cognoscetur eius prouidentia & iustitia. *Peccatores enim, dum aliis malum inferre studuerunt, ipsi per hoc cõprehensi sunt, & irretiti.

18 Conuertantur peccatores

18 Recident certè peccatores obstinati in infernum, æternis addicti

*vos in infernum:*omnes gentes quæ obliuiscũtur Deum.*

dicti supplicijs,*omnes,inquã,infideles & impij homines, qui Dei etiam ab omnibus per creaturas vtcunq; agniti rationẽ non habent illum agnoscere,illíque placere & ante oculos habere non curant.

19 Quoniam non in finem oblitio erit pauperis:
** patientia pauperum non peribit in finem.*

19 Quoniam quamuis ad tempus videatur Deus obliuiſci miſerorum,non tamen in ſempiternum obliuiſcetur eorum, nec ſines ab impiis eos ſemper diuexari:
* expectatio,qua patienter expectant afflicti à Deo conſolationẽ, non fruſtrabitur in æternum.

*20 Exurge domine, non confortetur homo:*iudicentur gentes in conſpectu tuo.*

20 Quemadmodum autẽ Domine iam mihi cõtra meos adfuiſti inimicos,ita ſemper pro me,& omnibus pijs tuã contra impios declara potentiam,neque ſinas vitem hominem ita confortari, vt tuis prævaleat,*Perſeuera in eo quod cœpiſti, ſempérque impii homines pro meritis ſuis à te iudicentur,pœnas debitas perſoluentes.

*21 Conſtitue domine legiſlatorem ſuper eos:*ſciãt gentes quoniam homines ſunt.*

21 Conſtitue Domine ſuper eos grauem aliquem moderatorem, c cuius poteſtate terreantur,& à ſuis impiis conatibus cohibeãtur:* ſicque fac vt intelligant ſeſe homines eſſe,hoc eſt,infirmos & mortales,nec amplius in ſua fortitudine ac proſperitate gloriẽtur, quã ſi homines non eſſent.

*22 Vt quid domine receſſiſti longè:*deſpicis in opportunitatibus in tribulatione?*

22 Cur Domine frequenter ſic te exhibes tuis,vt longè ab eis receſciſſe videaris,dum eos à malis diuexari pateris, & incommodis affici?*cur ſic te geris, vt contemnere, nec exaudire velle videaris, etiam tunc cùm maximè opportunũ tempus eſſet auxiliandi,nempe cùm in tribulatione ſunt conſtituti?

23 Dum ſuperbit impius, incenditur pauper:
**comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.*

23 Dum ſuperbit à te Domine impius agere pro ſua ſuperbia, qua d neminem veretur,tum ab eo grauiter vritur & affligitur pauper, omni humano deſtitutus auxilio.* Verumtamen tandem iuſto tuo e iudicio impii irretientur,& peribunt per ea ipſa cõſilia,quæ aduerſus bonos excogitauerunt.

24 Quoniã laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ:& iniquus benedicitur*
25 Exacerbauit dominũ peccator:
** ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

24 Et quidem quoniam peccatores habẽt aliquos ſibi ſimiles,qui f illos laudant in deſideriis & ſtudiis ſuis:* & quoniã quæſtui per fas nefáſque intenti,habent qui eos commendant.
25 Hinc horum adulatione & commendatione fit, vt peccatores non vereãtur Deum ad iram prouocare ſuis ſceleribus,*præ nimio ſuo faſtu,& ea quæ ex faſtu oritur in tenuiores ſæuitia, nõ quærunt quid licitum,quid non:non quærunt Deum,nec illi ſe commendare ſtudent,imo non curant eum,ſed contemnunt, & pro nihilo ducunt.

*26 Nõ eſt deus in conſpectu eius: * inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

26 Non habent Deum ante mentis ſuæ oculos,cuius timore à malo cohibeãtur,& vel perſuadent ſibi omnino Deũ non cognoſcere, aut non curare humana,ac proinde nec iudicaturũ de eis:*Et quoniam ſic Dei vacant timore, ideo illorum actiones omni tempore pollutæ ſunt variis ſceleribus.

27 Auferuntur iudicia tua à facie eius:
** omnium inimicorum ſuorum dominabitur.*

27 Et quoniam més eorum vitiorũ caligine omnino eſt obducta, g à conſideratione mentis ipſorũ longè ſunt ſemota iudicia tua terribilia,quibus impios es iudicaturus, quorum conſideratione ſolent homines à maleficio deterreri.*ideoque tantũ ſibi arrogantiæ aſſumunt,vt perſuadeant ſibi omnibus his,quos pro ſuis habent inimicis,ſe dominaturos,neminem illis obſiſtere poſſe ducentes.

28 dixit enim in corde ſuo,Non mouebor a generatione in generationem: ſine malo.*

28 Perpetuam enim peccator ſibi promittẽs fœlicitatem, ſic cum animo ſuo loquitur & cogitat:Nullius certè potentia,vnquam deiiciar ab hoc florenti rerum mearum ſtatu,*ſemper potens ac fœlix ero,omni carens malo.

*29 Cuius maledictione os plenum eſt & amaritudine & dolo:*ſub lingua eius labor & dolor.*

29 Os eius non loquitur niſi maledictionem,amarulentiã & fraudes:*paratus ſemper eſt ad loquendum ea quæ ſpectãt ad alterius afflictionem & dolorem.

30 Sedet in inſidijs cũ diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem.

30 Occultè inſidiatur,non,vt vulgo ſolent latrones,è ſyluis & ſpeluncis cum ſuo periculo,ſed coniunctus potentibus huius ſeculi, in ipſis diuitum atriis,variis artibus inſidias ſtruit,vt interficiat, opprimat,ac ſpoliet innocentes.

31 Oculi eius in pauperẽ reſpiciunt:
** inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.*

31 Oculi eius intentè reſpiciũt in humana ope deſtitutos, vt quos tales eſſe cognouerit,opportunitate habita rapiat, ſpoliétque tum bonis ſuis,tum vita:* latenter inſidiatur illis non minore crudelitate, quàm leo ouiculæ ex antro ſuo, ex quo prætereuntes beſtiolas obſeruat, vt inopinatas capiat.

32 Inſidiatur vt rapiat pauperem.
** rapere pauperem, dum attrahit eum.*

32 Inſidias ponit,ac media,varia per ſuã aſtutiam excogitat,vt ſimplices ac impotẽtes diripiat,omnibúſq; bonis exuat:*vt diripiat, inquam,ſimplices,dum ſuis adinuentionibus eos ad ſe attraxerit, eiſque cœperit dominari: quemadmodum ſolent ad ſe trahere capta animalia aucupes,vt ea rapiant.

33 Per

*33 In laqueo ſuo humiliabit eum:*inclinabit ſe,& cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

33 Per ſuas inſidias,quas tanquã laqueos quoſdã retendit, deprimet,& conteret pauperẽ:*cúmq; dominatus fuerit pauperum,inclinabit ſe ſuper eos,& procumbet,ad eum modũ, quo in lucta victor toto corpore,omnibúſque viribus procumbit ſuper proſtratũ, vt ne queat exurgere:& quomodo aucupes captæ prædæ incumbunt, vt non poſſit effugere:Ita etiã impius totis viribus contendit in ſuã poteſtatem detinere pauperes,cõſque penitus confringere.

34 Dixit enim in corde ſuo,oblitus eſt Deus.
** auertit faciem ſuam ne videat in finem.*

34 Omnium autem horum prædictorum cauſa eſt, quod impius ſic apud ſe cogitauit:Nulla eſt Deo ratio pauperum,nec tãgitur cura rerum humanarum,†auertit faciem ſuam, ne vnquam videat ea quæ hic fiunt,ad iudicandum de his vnumquemque ſecundum ſua merita.Circa cardines,inquit,cœli perambulat,& maioribus intentus,noſtra non conſiderat.Quæ quidem perſuaſio libertatem & au- a daciam præbet quæuis facinora perpetrandi.

35 Exurge domine Deus, exaltetur manus tua:
** ne obliuiſcaris pauperum.*

35 Tu verò Domine impiorũ improbitate veluti excitatus & permotus,per vltionem,de eis ſumptam, declara tuam pro tuis potentiam,& fac vt dextera omnipotentiæ tuæ,quæ retracta videtur,cùm impij pro ſua graſſantur libidine, ſeſe exerat ad vindicandum, ſicq; clarificetur,& omnibus altior ac fortior eſſe agnoſcatur,* ne ſic te exhibeas,quaſi curam pauperum non habeas,ſed liberãdo eos, declara illos tibi curæ eſſe.

36 Propter quid irritauit impius Deum?dixit enim in corde ſuo non requiret.

36 Cur enim auſus eſt impius ſuis maledictis & blaſphemiis Deũ ad iram prouocare,apud ſe cogitans, Deum non curare res humanas,nec vindictam ſumpturum de ſceleribus hominum?

37 Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras:
** vt tradas eos in manus tuas.*

37 Sed vt volet ille hæc loquatur,ſibíq; perſuadeat:tu certè vides, & cognoſcis omnia.Nam & afflictionem ac dolorem, quem ab impiis iuſti patiuntur,conſideras,*vt ſuo tempore de impiis iuſtam ſumas vindictam.

*38 Tibi derelictus eſt pauper:*orphano tu eris adiutor.*

38 Certe vir pius,ab oĩbus deſertus,tibi relinquitur defendendus, *his qui omni hominum ope deſtituti ſunt, vt ſolent pueri parentibus orbati,tu Domine eris adiutor, quẽadmodũ te fore promiſiſti

39 Contere brachium peccatoris & maligni:
**quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*

39 Frange opes & potentiam impij peccatoris,quod te facturum. ſuo tempore cognoſco.*A te enim de peccato eius quæſtio & vindicta ſumetur,& tunc ipſe nuſquam cõparebit,peribit enim condemnatus,& in æternas miſerias & tenebras deſcietur.

40 Dominus regnabit in æternum & in ſeculum ſeculi:
** † peribitis gentes de terra illius.*

40 Mentiuntur certè homines amentes & impij,qui negãt Deum regere humanum genus,aut vllam noſtri rationẽ habere.Dominus enim ſuper omnia rex eſt,& regnabit in ſempiternũ,ſua prouidentia vniuerſum mundũ adminiſtrans: qui cũ iuſtus ſit,rectè factis præmia,ſceleribus autẽ pœnas cõſtituat oportet:* Proinde certum habeo,quod omnes impii vos de terra hac,quæ illius eſt,& iniquè à vobis poſſidetur,exterminabimini,& perdemini.†E terra quoq; viuentiũ peribitis,non habentes inter ſanctos aliquã partẽ & hæreditatẽ.

41 Deſiderium pauperũ exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorũ audiuit auris tua.*

41 Deſiderium afflictorum ſemper exaudiuit,ſempérq; certo ſcio exaudiet Dominus,*tu quidem corda eorum præparas,& mones vt te inuocent,& hanc à te factam cordis eorum præparationẽ tu exaudiſti,ſempérque exaudies.Tanta eſt enim tua clementia,vt etiam tunc exaudias,cùm ad orãdum corda tantum præparari cœperint. Cordis intimus es ſcrutator, magiſque cordis affectibus attendis, quàm externis vocibus.

42 Iudicare pupillo & humili,
** vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.*

42 Ad hoc autẽ exaudiſti,ſempérq; exaudies afflictorum vota, vt tu iudices pro oppreſſis,humanóque præſidio deſtitutis,nec in illo confidentibus, liberando eos à violentia impiorum, impios autem perdendo:* vt homo mortalis,qui ex ſua conditione humiliare ſeipſum deberet,non vltra ſeſe ſuper terram magnificet,ſeſeque contra Deum & proximos ſuos extollat,Deum non reueritus, & in homines quiduis ſibi licere putans.

ANNOTATIONES.

a CIVITATES EORVM DESTVXISTI.]Pronomen,eorum,non eſt in originalibus Hebræis vel Græcis, nec apud Auguſtinũ, ſed nec in pleriſq; Latinis noſtris, & obeſt ſenſui, præcedit enim in ſingulari numero frameæ inimici.Vñ cõſequẽs erat intelligere, eius deſtruxiſti:ſicut & in ſequenti verſu Græca habẽt pronomẽ ſingulare,periit memoria eius, quãuis hic Hebræa habeãt plurale, eorũ, quomodo & legit D. Auguſtinus.Quod autem dicitur:cum ſonitu: cũ varie à diuerſis intelligatur,nos in paraphraſi indicauimus,duplicẽ eius intelligentiam, quæ & literali & myſtico ſenſui conuenit,& Hebreæ maximè accedit lectioni,quã habet:Periit memoria eorum cum ipſis.Quod autem Septuaginta verterint,ſonitũ,hinc eſt, quòd dictio Hebræa cum aliis punctis hoc ſignificet.

IN PORTIS FILIAS SION.]Pulchrè por-

b tis mortis, opponit portas filiæ Sion. Cæterum ſicut per portas mortis, phraſi in ſcripturis recepta ad literã ſignificantur pericula, quæ ad mortem deducunt: ita ſimiliter phraſi ſcripturæ per portas ciuitatis, deſignãtur loca publica, in quibus eſt frequens conuentus populi, eo ꝙ in portis, aut circa portas ciuitatum ſoleant ſedere iudices ad reddẽdum iura. Similiter phraſi Hebraica filia Sion, dicitur cõgregatio Sion: ſicut poſtea Pſal. 44. filia Tyri, pro cõgregatione & populo Tyri, eo ꝙ populus à ciuitate protegatur, ſicut filia a matre. In myſtico ſenſu portæ mortis, ſunt vitia, quæ ad mortem æternam pertrahunt: portæ filiæ Sion, particulares eccleſiæ, in quibus laudes Dei annunciantur. Filia Sion, populus Chriſtianus in vnam ciuitatem collectus.

c CONSTITVE DOMINE LEGISLATOREM.] Pro legiſlatorem, dictio Hebraica מוֹרֶה Moreth ambigua eſt, & ſignificat vel doctorẽ, vt ſit à verbo יָרָה Iarah, per he in fine, ꝙ ſecuti ſunt Septuaginta: vel timorẽ aut terrorẽ, vt ſit à verbo יָרֵא Iara, per Aleph in fine, & litera he ſit poſita pro Aleph. Atq; hanc ſignificationẽ hic oẽs alij ſequũntur, quod ſit huic loco magis conueniens. Itaq; etiã D. Hieronymus ex Hebræo vertit, terrorem. Vt ergo & noſtra lectio huic intelligentiæ accedat intelligimus in paraphraſi per legiſlatorem in genere, rectorẽ aliquem, qui minis & ſuppliciis impios cohiberẽ poſſit D. Auguſti. & ſimiliter D. Hieronymus in commẽtariis per legiſlatorem, particulariter intelligunt Antichriſtum, qui his qui noluerunt recipere veritatem, dabitur in pœnam doctor malæ legis, vt credant mendacio. Alij, inter quos Euthymius, & rectius certè, per legiſlatorẽ Chriſtum intelligunt. Is enim etiã in malũ impiorum cõſtitutus eſt legiſlator, iudex, & vindex eorũ, vt ſcilicet rebelles vindicet, & puniat pro meritis. Cõſtitutus etiã eſt in bonum illorũ legiſlator, vt eius doctrina inſtructi ſalubriter intelligant ſuam infirmitatẽ, eamq; humiliter agnoſcentes ad Deum conuertantur. Legendum autem eſſẽ, ſciant gentes, (quẽadmodum etiam habent libri correctiores) nõ autem ſciant, manifeſtè patet ex Græcis, quæ verbum imperatiui modi habent, γνώτωσαν.

d DVM SVPERABIT IMPIVS.] Hęc pars dupliciter accipi poteſt. Primum, vt verbum, incendi, accipiatur pro perſecutionẽ pati, vt habet paraphraſis. Secundò, vt ſit ſenſus: dum impius hic ſuperbè viuit, & pro ſua ſuperbia omnia agit, ac ad ſummos prouehitur honores, pauper hoc cõſyderãs vritur, & cruciatur in animo ſuo.

IN CONSILIIS QVIBVS COGITANT.] Græco more dictum eſt, quibus cogitãt, pro quæ cogitant. Græci enim relatiuum ponunt in caſu antecedentis. c

QVONIAM LAVDATVR.] Coniunctio, quoniam, accipi poteſt, vt reddat cauſam verſus præcedentis, nempe quod meritò cõprehendun tur in ſuis conſiliis, quia adeo eos nõ pœnitet ſuorum malorum, vt etiam gloriẽtur, & ab aliis ſe laudari patiantur in malis ſuis. Aut potius cõ iunctio hæc accipitur, vt dicat cauſam partis ſequentis verſus: Exacerbauit Dominum peccator. Quæ pars apud Hebræos contexitur in vno verſu cum ſuperioribus, vt intelligamus hãc eſſe cauſam, ob quam non vereatur Dominum irritare peccator, quod malitiæ ſuæ aliquos habeat commendatores. f

AVFERVNTVR IVDICIA TVA.] Intelligi iſtud poteſt vel de iudiciis præceptorũ Dei, quæ alibi iudicia iucunda vocat: nã de his nõ cogitant impij ad obſeruandum ea: Vel de iudiciis Dei terribilibus, quibus impios eſt iudicaturus, de quibus alibi inquit: A iudiciis eũ tuis timui. g

A GENERATIONE IN GENERATIONEM MALO.] Poteſt illud, à generatione in generationẽ, coniungi cum verbo mouebor, vt deinde adiungatur, ſine malo, ſubaudiendo participium, exiſtens. Aut iuxta Euthymium poſt mouebor, ſit comma, deinde ſimul legatur à generatione in generationem ſine malo, ſubaudiendo verbum, ero. Porro à generatione in generationem, ſignificat per totam vitam, ita tamen, vt ſimul ſignificetur, impium ſibi polliceri longam vitam, & multarum generationum. Aut ſimpliciter à generatione in generationem, ſignificat ſemper, vt intelligatur impius ſibi polliceri æternam vitam, ſaltem ſecundum famam & gloriam nominis. h

LABOR ET DOLOR.] Sæpe in ſcripturis, & maximè in Pſalmis, labor ponitur pro calamitate & afflictione, quomodo & apud Latinos aliquando accipitur, maximè in poeſi, vnde eſt, laborare capite vel renibus, pro affligi. i

VIDES, QVONIAM TV LABOREM ET DOLOREM CONSIDERAS.] Legendũ eſſe, vides, & non videat, quemadmodum habẽt quidam libri, patet ex originalibus. Cæterũ Græca hic non habent dolorem, ſed θυμὸν, hoc eſt, iram: quomodo legit D. Auguſtinus: Videtur aliquis pro, iram, coniunxiſſe dolorem labori, quia prius illa duo coniungebantur: ſub lingua eius labor & dolor. k

In finem, Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI X.

COlloquitur vir ſanctus cum his qui volentes ipſi bene conſulẽ, fugam ſuadebant, ne per inſidias à Saule circũueniretur. Quibus ille reſpondet, ſe in domino Deo ſuũ collocaſſe fiduciam, qui in cœlis reſidens, cũ omnibus ſit ſuperior, omnia ſ. quæ hic aguntur cognoſcat, ac iuſte de omnibus iudicet, iuſtã de impijs vindictã ſuo ſumet tempore, liberatis ab eorũ oppreſſione iuſtis, quos diligit, propter quod ſibi bene conſcius, ſe conſolatur. In quẽ modum ſeſe hoc Pſalmo conſolari poteſt iuſtus quiſque cui ſuadetur, vt propter impiorum moleſtias & perſecutiones, derelinquat locum ſuum, impijſque cedat cum detrimento gloriæ Dei, aut propriæ ſalutis, quomodo & Chriſtus propter ſpem, quam in patre habuit, non acquieuit ſuadentibus illi fugam ob metum Herodis. Cui quidem Chriſto etiam Pſalmus hic rectè adaptatur, vt cuius figura per omnia fuit Dauid, maximè in eis, quas pertulit perſecutionibus.

PARAPHRASIS.

1 *In Domino confido, quomodo dicitis anime mee,*

IN domino cõfido, qui & ſolus omnia valet, & in ſe ſperãtes nõ poteſt derelinquere. Quare ergo vos amici mei, de mea ſalute diffiden PSAL. 10.

transmigra in montem ſicut paſſer?

tes ad fugã me adhortamini? dicentes mihi: Trãſmigra è loco tuo in montẽ aliquem: Nuſquã conſiſte, de loco in locum, de monte in montẽ ſemper vagus demigra, ſicut paſſer, aut quæuis auicula, cui inſidiantur aucupes, nec vſquã nidiculari ei cõceditur, vbi ſe tuto abſcõdere valeat cum aliqua quiete. Si magno exercitu virorum inſtructum bene ſperare iuberetis, quantò magis præſidio ſummi Dei munito nulla vis impiorum metuenda erit?

2 *Quoniam ecce peccatores intẽderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra:*
* *vt ſagittent in obſcuro rectos corde.*

2 Ideo autẽ fugiendum ſemper ſuadent mei, quoniam ecce peccatores qui me perſequũtur, quaſi paratum habentes arcum & ſagittas ad occidendum, inſtructiſſimi ſunt & paratiſſimi, * vt me & meos, qui ſimplici & innoxio ſumus animo, perimant cũ obſcurum fuerit, & à nobis nec videri, nec vitari poterunt. Neque enim in aperta luce nos aggredi volunt, ſed noctẽ obſcuráque loca obſeruant, quo imparatos, incogniti opprimant. b

3 † *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt:*

3 Ecce enim Domine leges, quas ſeruãdas conſtituiſti, ipſi impii diſſipauerunt, legibúſq; tuis neglectis, iniquè iuſtos perſequuntur ad mortem † Conſilia itẽ tua, quæ tu de me ſtatuiſti, illi ſubuertere ſtuduerunt, ab ea dignitate, ad quam me euehere deſtinaſti, impedire conantes * At quid Domine ego iuſtus tuus feci, aut in eos admiſi, ob quod vitam mihi ſtudeant erip ere? c

* *iuſtus autem quid fecit?*

4 *Dominus in templo ſancto ſuo: dominus in cœlo ſedes eius,*

4 Sed quanquam mihi tanta pericula impẽdent, mea tamẽ fretus innocentia, ac domino, in quẽ confido, nunquam de ſalute deſpera bo. Dominus enim, in quem omnẽ fiduciam meam collocaui, ipſe in cœleſti templo ſuo, tanquam in palatio, auláque regia, habitat, in cœlo peculiariter reſidet, omnibus ſuperior. d

5 *Oculi eius in pauperem reſpiciunt:*

5 Nec cœleſtia tamẽ tantum curat, ſed è ſupremo cœlorũ conſpicit etiam quoſcunq; homines, ac potiſſimum pauperes & afflictos: quorum etſi videatur aliquando oblitus, ipſe tamẽ cõſiderat, & quæ illorũ ſint ab impiis tribulationes, & quæ ipſorũ in malis tolerantia. *Neq; ſimpliciter ſolum omnes videt, ſed ſuo ſolo aſpectu & obtutu certò ac clarè diiudicat homines omnes. Proinde meritò fidenti & erecto ſum animo, qui & mihi bene ſum conſcius, & in eum dominum confidam, qui & potentiſſimus ſit, & omnia cognoſcens, omnẽſque iuſtè diſcernens. b

* *palpebræ eius interrogant filios hominum.*

6 *Dominus interrogat iuſtum & impium:*
* *qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

6 Dominus quaſi diligentem prius adhibuiſſet inquiſitionem & examinationem, probè nouit ac diſcernit quis iuſtus, quis iniuſtus. *Proinde qui diligit iniquitatem, hanc diligẽdo, re vera odit ſuam ipſius animam, quam, præterquàm quod variis modis commaculat, veriſque bonis priuat, grauiſſimis etiam malis à Deo immittendis obnoxiam facit.

7 *Pluet ſuper peccatores laqueos:*

7 Nam quẽadmodum copioſa pluuia deſuper cadere ſolet ſuper homines, & inopinatos corripere: ita etiam ſuper peccatores è cœlo Dominus immittet ſubitam ac grauem vltionẽ, eos ſic implicantem, vt ſe nequeant extricare. Ea vltio talis erit, quali olim maxima Deus Sodomitas euertit in exemplum eorum, qui impiè acturi eſſent. *Ignis enim incendens, & ſulphur fetore omnia replẽs, ac ſempiterna, nec vnquam ceſſatura tẽpeſtas ac turbatio procelloſo vento ſimilis, hæc, inquam, erunt portio eorum, hæc illorum ſors & merces, quæ eis Deo diſtribuente continget. d

* *ignis, & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.*

8 *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit,*
* *æquitatem vidit vultus eius.*

8 Hæc autẽ impios ſcelerum ſuorum merces manet: nam Dominus iuſtus eſt ex ſua natura, & ideo non poteſt niſi iuſtitias diligere. *rectitudinem vitæ placidè intuetur, eámque approbat, ſuo tempore maximis & pulcherrimis præmiis eam remuneraturus: contra verò omnem iniuſtitiam hominum auerſatur, atque ab ea benignum ſuum aſpectum auertit. e f

ANNOTATIONES.

a QVOMODO DICITIS, &c.] Quidã intelligunt hic Dauidẽ expoſtulare cũ quibuſdam, qui ſibi metuẽtes ob præſentiam Dauidis, illi non concedebant locum apud ſe, recuſantes illum defendere, qui de ipſis bene meritus erat. Et ꝙ ſubditur: quoniã ecce, &c. intelligunt ſignificare cauſam, qua oſtẽdit Propheta, impiè & crudeliter illos ſe ab eis reiici, eo ꝙ non moueantur impietate ſuorum inimicorum, & ſua innocẽtia. Notandum autem, in primo verſu Græca nõ habere, in montem, ſed pluraliter ἐπὶ τὰ ὄρη, hoc eſt, in montes, quomodo & Auguſtinus manifeſtè legit, & Hieronymum item ſic legiſſe patet ex cõmentario: quamuis in contextu habeatur vitioſe, montem, Proinde hanc crediderim veram eſſe noſtræ verſionis lectionem. Hebræa tamen ſingulariter habent, montem veſtrum, hoc eſt, montem, in quem tu Dauid cum tuis latere ſoles. In ſecundo verſu, pro, in ob ſcuro, Græcis eſt ἐν σκοτομήνῃ, Significat autem, σκοτομήνη, nob 5 ctem

ctem illunem,hoc eſt,luna carentem,ac omnino obſcuram,& quã Latinè vnico vocabulo appellare liceret,obſcuritatem. Hinc eſt q̃ Diuus Auguſtinus legit,in obſcura luna,multa cõmentatus de obſcura luna,cum Hebræa dictio tantũ ſignificet caliginem & tenebras.

b INTERROGANT FILIOS HOMINVM.] Interrogare dicitur in ſcripturis Deus,ſcrutari & probare aliqua vel aliquos, ſiue quia eos obſeruat,& ad eos attendit:ſiue quia tanquã inquiſitos,interrogatos & exploratos eos cognoſcit.

c ODIT ANIMAM SVAM.] Odire animam quis dicitur in ſcripturis duobus modis, ſecundum quod dupliciter anima conſiderari poteſt: nempe ſecundum carnalitatem & ſenſualitatem eius,& ſecundum eius ſpiritualitatem, qua diuinitatis & cœleſtium rerum capax eſt. Secundum carnalitatem enim eius odit eam qui illi in ſuis carnalibus deſideriis non acquieſcit, ſed reſiſtit, quod bonum animæ propriæ odium à nobis ſaluator exigit,dicens Ioannis. *Io.15.*

13 Qui odit animam ſuam in hoc mũdo,in vitam æternam cuſtodit eam. Secundum autẽ ſpiritualitatem eius eam odit,quiſquis peccat: quomodo hic accipitur,& Prouerb. 29. Qui cũ fure partitur,odit animam ſuam. *Prou.29.*

LAQVEOS. IGNIS.] Ignis nõ eſt genitiuus, vt cohæreat cum accuſatiuo laqueos,quẽadmodum diſtingũt male multi libri ſed poſt laqueos puncto facto,nouo principio legendum eſt. Ignis & ſulphur. Id enim docent originalia.

c PARS CALICIS EORVM.] Frequens eſt in ſcripturis hæc metaphora,qua per partẽ calicis, hoc eſt,admenſam vini portionem,certa cuiuſq; ſors & merces tã bona, quàm mala ſignificatur. Mutuata verò eſt à potantiũ veteri ritu, quo per modiperatorem,hoc eſt, conuiuij præſidem, ſua cuiq; portio, quam hauriret, ſtatuebatur. Sicut autem frequenter ſcriptura cùm alicui genti aut ciuitati comminatur diram vltionẽ etiam hic ſumendam,cõminatur ſe ſic illos perdituros, ſicut Sodomam,vt patet de Babylone, Iſaiæ capit.13. & aliis locis. Sic cum vult deſcribere pœnam infernalem,deſcribit eam per ignem & ſulphur, alludens ad Sodomæ ſubuerſionem,eo quod non ſit nobis cognita horribilior vltio, & quòd hæc, vt docet Petrus 2.Epiſt.cap.2.ſit poſita in exemplum omnium qui impiè ſunt acturi. *Iſaiæ 13.* *2.Petr.2.*

QVONIAM IVSTVS DOMINVS: ET IVSTITIAS DILEXIT.] Apud Græcos interponitur coniunctio, καὶ, in Hebræo verò eſt ſine cõiunctione. Quoniam iuſtus Dominus iuſtitias dilexit: quomodo & habent libri quidam noſtri, & eſt efficacior ſententia.

In finem pro octaua Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XI.

Quæritur de moribus ſeculi depr.uatis,iuſtitiam ſcilicet & fidem vbique cecidiſſe,impios & fraudulentos omnia occupare,ac deinde Deum inducens loquentem,& opem ſuam pollicentem pijs contra impios,propter duiuorum verborum veritatem,promittit Dei cuſtodiam affuturam pijs contra impiorum fraudes. Eſt autem hic Pſalmus,commoda etiam oratio iuſti,precari volentis,vt Deus illum præſeruet à contagio ſceleratorum hominum in quorum medio habitare cogitur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Saluum me fac Deus, quoniam defecit ſanctus,
** quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.*

SAluum me fac tu Domine,quoniã iam nulli penè ſuperſunt iuſti & boni homines,*iámq; fidelitates ac veracitates ab hominibus imminutæ ſunt: rara eſt in homine veritas,vixq; aliquis reliquus eſt, qui vera loquatur,ac fidem ſeruet,cui tuto fidẽ habere poſſim. Itaque tu me Domine ſerua,tum vt ne dolis ac inſidiis fallacium hominum peream,tum vt ne ipſorum, cum quibus viuendum mihi eſt, perditi mores & exempla me corrumpant,atque in aliquam turpitudinem pertrahant.

2 Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuũ:
** labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt.*

2 Vnuſquiſq; ad proximũ ſuum,quem meritò decipere non deberet,loquitur vana,mendacia ſcilicet,falſas blanditias, & ad peccandum malas perſuaſiones;*labia hominum ſunt fraudulenta, nã duplici corde locuti ſunt,aliud ſentientes,& aliud loquentes.

3 Diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa,& linguã magniloquam.

3 Tollat quæſo Dominus,iuſtitiæ & veritatis amator, vniuerſa huiuſmodi labia doloſa,& linguam magna loquentem, ac ſuperba iactantem quæ ferè coniuncta eſt labiis doloſis.

4 Qui dixerunt,linguam noſtram magnificabimus:
** labia noſtra à nobis ſunt, Quis noſter Dominus eſt?*

4 Eos,inquã,diſperdat Dominus,qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus,liberè & audacter quęcunq; libuerit loquẽtes,nec aliquem metuentes,ac ſic authoritatẽ quiduis dicendi nobis noſtra libertate parantes,*labia noſtra nõ ab alio pendent,ſed à nobiſipſis, vt in poteſtate noſtra ſit,illis prout libitum fuerit,vti. Quis enim noſter eſt dominus,cui ſic ſubeſſe debeamus,vt nõ liceat quæcunque volumus loqui,cuiq; de dictis,factiſque reddenda nobis ſit ratio?

5 Propter miſeriam inopum,& gemitũ pauperum nunc exurgam, dicit dominus.

5 Illi quidẽ hæc ſuperbè loquuntur,ſuiſq; linguis graues frequenter afflictiones humilibus adducũt,quæ gemitus & eiulatus illis extorquent. Verũ quo bono ſitis animo quicunq; iuſtitiã colitis,audite quid affligtis dicat dominus: Etſi,inquit, aliquãdiu diſſimulanter egerim,ſinẽs impios pro ſua libidine loqui,& agere: nũc tamẽ propter miſeriam, quam ab eis pauperes patiuntur, itémque propter eorum

eorum gemitum,quo me inuocãt,meam pro illis declarabo potentiam.

6 † Ponam in ſalutari fiducialiter agam in eo.

6 Ponam eos in ſalutari,dabo eis quendã ſeruatorem. in hoc ego contra impios confidenter & audacter loquar,& agã,per ipſum durè illos increpãs ac comprimens. †Eos ité qui nunc ſunt in miſeria, conſtituam in ſalute,in qua ſalute ferenda confidenter agam,audacter impios increpando,nullius perſonam vel potentiam reueritus.

7 Eloquia Domini,eloquia caſta:

** argentum igne examinatum,probatum terræ,purgatum ſeptuplum.*

7 De his certè Domini verbis & promiſſione non eſt quod diffidatis,verba enim Domini nõ ſunt vt verba hominũ,de quibus prius dixi,vanitate ac falſitate plena: ſed omnia eius verba,eloquia ſunt, ab omni vanitate,impuritate & falſitate pura. *Simillima ſunt cãdido argẽto,nõ ei quod iam nuper effoſſum eſt,ſed ei quod igne eſt examinatũ,& per ignis probationẽ purgatum ab omni terræ admixtione,nec ſemel tantum,ſed ſæpius per iteratam refuſionẽ purgatum.

8 Tu domine ſeruabis nos,& cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

8 Tu itaq; Domine iuxta veriſſimum tuum verbũ, certo ſcio nos cultores nominis tui ſeruabis,& cuſtodies in æternũ ab hac praua generatione iniquorũ hominũ,ne quicquam nobis noceant, néve ſuo contagio ex familiaritate cum illis neceſſaria nos inficiant.

9 In circuitu impij ambulant:
** ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.*

9 Omnia quidem iam loca impiis ſunt plena,circumquaque licẽter vagantur,circumeuntes ad circumueniendum & opprimẽdum bonos. *verum vt tu es altus & immenſus,ita pro magnitudine potentiæ & bonitatis tuæ,tu ſemper multiplicaſti filios hominum, eos potiſſimum,qui tibi curæ ſunt,non ſinens eos opprimi & extingui, quantumuis id conentur impii,ſed eorum ſemper magnam curam gerens,proinde confidimus te in futurum quoque ſemper ita eos cuſtoditurum & curaturum.

ANNOTATIONES.

a DIMINVTÆ SVNT VERITATES.] Indicat paraphraſis dupliciter hic accipi poſſe veritates,aut vt ſignificet veras rerũ aſſertiones,vt opponatur falſitati & mẽdacio, aut vt ſignificet fidelitates,& opponatur dolo: quomodo ſæpe in ſcripturis accipitur.

b LABIA DOLOSA IN CORDE, ET CORDE LOCVTI SVNT.] Oratio illa,labia doloſa,aut per ſe legenda eſt iuxta ſenſum Paraphraſis: aut ſi cum ſequentibus iungitur, ſubaudiẽda præpoſitio,per,quẽadmodũ apud Græcos ſubticetur ſæpe præpoſitio κατὰ, vt ſit ſenſus, locuti ſunt p labia doloſa. Hebræa enim verti debẽt,labio doloſo in corde locuti ſunt. Aut deniq; ſenſus eſt: Ipſi qui ſunt labia doloſa, in corde & corde locuti ſunt: quomodo hominem ſceleſtũ, ſcelus nominamus. vnde & ſequitur: Diſperdat Dominus labia doloſa: vbi homines magis ſignificantur, quorum labia ſunt doloſa.

c ET LINGVAM MAGNILOQVAM.] Cõiunctio, &, nec eſt apud Hebræos, nec apud Græcos, vnde nec eſt apud D. Auguſtinũ, nec in quibuſdam noſtris. Itaque poteſt intelligi ſignificari labia doloſa eadem etiã eſſe linguam magniloquam, vt eorum contra quos hoc dicit, duplex notet vitium, dolum ſcilicet & ſuperbiam: quorum alterum contra proximum eſt, alterum contra Deum. quod in ſequentibus proſequitur, ſicut prius in præcedentibus expreſſit.

d PONAM IN SALVTARI.] Obſcurus eſt hic verſus, nec mirum, cùm & apud Hebræos magis ſit obſcurus, vt declarat verſionum varietas. Non exprimitur quid vel quos ponet, ſed id intelligendum eſt ex præcedenti, nempe, ponam eos pauperes & inopes, Poteſt autẽ, ſalutare, accipi pro ſaluatore, quẽadmodum accipit D. Auguſtinus: aut potius pro ipſa ſalute, quomodo habent Hebræa, & exponit Euthymius, eodemque ſenſus recidit. Promittitur enim eis Saluator, qui eos defendat ab impiis: quod ex parte quidem præſtitum eſt per Dauidem, qui in regnum iam ſublimatus impios perſecutus eſt, ſed perfectè nõ præſtatur, niſi per Chriſtum, qui toti orbi datus eſt Saluator, ſuaque doctrina, ſpiritu atque potentia liberat ſuos à vi & ſeductione impiorum. Cæterum quoniam verbo, ponã, nullus additur accuſatiuus, Euthymius verbum græcum, quod eſt medium, exponit etiam paſſiuè, vt ſit ſenſus: Ponatur in ſalutari: intelligens Chriſti eſſe vocem, prædicentis ſe ponendum in ſaluifica cruce. Verum ex Hebræis conſtat verbum βἡσομαι, actiuè eſſe exponendum.

e ELOQVIA DOMINI CASTA.] Rectè caſta dicit eloquia Domini, eo quod nullam contineãt falſitatem, nullam turpitudinem, nullàm etiam vanitatem, nihilque quod ad rem nõ pertinet. Argento etiam non iam recenter effoſſo, ſed frequenter à terra purgato, hoc eſt, puriſſimo & candidiſſimo comparat Dei eloquia. Prophana enim omnium hominũ dicta vel ſcripta quædam, non niſi plumbum aut terra ſunt, vt quæ obſcœnitate plena ſint, qua humanam mentem ad terrena deprimant. Quædam etiam argento ſimilia ſunt, ſed recenter effoſſo, & necdum repurgato, vt quæ vera quædam continent, ſed interim multis vanitatibus ad rem non pertinẽtibus, aut etiam erroribus reſperſa ſunt. Sunt quorundam ſcripta diligenter ac ſæpius examinata & probata, ſed non igne diuini amoris, diuinique ſpiritus. Sola Dei eloquia ſiue voce ſiue ſcriptis nobis commendata, puriſſimo ſunt ſimilia argento, igne diuino diligenter purgata ab omni eo quod terrenum eſt.

PROBATVM TERRÆ.] Græcis eſt nomen minus obſcurum δεδοκιμασμένον τῆ γῆ. vnde ſicut conſtat dictionem, terræ, eſſe datiui caſus, ita patet, dictionem, probatum, non eſſe participiũ, ſed nomen, quod ſignificat probum, quomodo contrà dicitur argentum reprobum. Exponit autem Euthymius hãc orationẽ dupliciter: Proba

batũ, inquit, terræ dixit, pro in terra. Fabri enim conflatum argẽtum fundunt in terram, vel probatum terræ, hoc est, ex terra. Tres ergo conditiones argenti, cui eloquia Domini comparantur, videntur indicari, scilicet vt & primò in ignẽ mittatur vt liquescat: deinde in terrã, aut in terreum aliquod vas fundatur, vt probum fiat & sæpius repurgetur. Diuus Hieronymus ex Hebræo vertit, separatum à terra.

g TV DOMINE CVSTODIES, &c.] Græca habent Aoristum optatiuum φυλάξῃς & διατηρήσῃς, serues & custodias. Interpres autem videtur legisse φυλάξεις & διατηρήσεις. Hebræa autẽ vtrumque sensum admittunt, cum futurum indicatiui frequenter accipiatur pro futuro optatiui. Cum autẽ dicitur in eodem versu: A generatione hac in æternum: duplex potest esse sensus. Aut enim per generationem hanc, accipi potest generatio praua, à qua iusti sint liberandi, vnde Chaldæus paraphrastes habet: A generatione hac praua in æternum. Aut intelligi potest significari ex nunc vsque in æternum, quem sensum Græca habent. Nam interposita coniunctione, est in Græcis: A generatione hac & in æternum. Coniunctionem tamen Hebræa non habent, quamuis facilè subintelligi possit.

h IN CIRCVITV IMPII AMBVLANT, &c.] Cùm obscurus sit hic versus, & ob id variis tractetur modis, quo solidius aliquid habeatur, sciendum Hebræa, quãuis & illa variè vertantur, sic optimè verti: In circuitu impii ambulãt cum exaltaueris, vel exaltatę fuerint vilitates filiis hominum, hoc est, cũ apud filios hominum vilissimi dominãtur, tunc omnia plena sunt impiis, & illi vbique per circuitũ obrinent, & tutò vagantur. Vnde patet quomodo apud nos accipiẽdum sit illud: In circuitu impii ambulãt. Quod autem sequitur: secundum altitudinem tuã multiplicasti filios hominum: accederet ad sensum Hebraicæ lectionis, si sic acciperetur: Secundum altitudinem inscrutabilis cõsilii tui, tu permisisti multiplicari pro filiis Dei, homines mundana sapientes, & humanam tantum originẽ referentes. Verum sciendum in Græcis, vnde nostra lectio desumpta est, longè aliũ esse sensum. Non est enim hoc loco pro multiplicasti, ἐπολλήυνας, quod est multiplicasti, sed Septuaginta nescio quid secuti verterũt ἐπολυώρησας, quod magis est, magnipendisti, aut plurimũ curasti. Est enim ὠλυωρέω diligenter & multũ curo, cõpositum à ὠλυ, hoc est, multum, & ὠρέω, quod est curo & custodio: cuius verbi cõtrarium est ὀλιγωρέω, quod est negligere. Significatur ergo Deũ sicuti altus est, excelsus & magnus, ita etiam magnã semper gessisse curam hominum: aut iuxta altitudinẽ & magnitudinẽ bonitatis & misericordiæ suæ, nunquã neglexisse genus humanum. Vnde in nostra lectione sequendus videtur sensus in Paraphrasi indicatus.

In finem, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XII.

VIR sanctus in ancipiti periculo deprehensus, vt cum à Saule longam pateretur persecutionem, misèrè queritur Deo, quod succurrere differat, Deique fauorem & opem precatur, ne suo casu hostes eius exhilarentur, sed ipse potius seruatus in Dei ope lætetur, eiusque bonitatem celebret. Est autem per anagogiam, apta hic Psalmus precatio viro iusto contra Satanam, ne à Domino perpetuò derelictus, atque ob id à Satana deiectus, æternæ mortis incurrat perditionem cum hostium suorum insultatione.

PARAPHRASIS.

PSAL. 12.

1 Vsquequo domine obliuiscéris me in finem?
** vsquequo auertis faciem tuam à me?*
2 Quamdiu ponam consilia in anima mea:
** dolorem in corde meo per diem?*
3 Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?
** respice & exaudi me domine Deus meus.*
4 †Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiã in morte:
**ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.*

QVamdiu Domine sic te reges, vt mei perpetuò ac penitus obli a
tus, nec curam aliquam mei habere videaris, dum me te inuocantem tamdiu deseris, nec exaudis. *quãdiu Domine quasi iratus, ac vultu à me auerso, fauorem tuum mihi non exhibebis?

2 Quamdiu Domine me sines anxiè apud me consultare ac deliberare quid facto opus sit, quáve ratione præsentia mala euadam? * quamdiu sines me tota die molestam cogitationẽ ponere in corde meo, méque affligi variis & anxiis cogitationibus, dum nõ occurrit quo pacto me periculo eximam?

3 Quousque permittes hostem meum esse me superiorem? Satis b
iam diu oculos à me auertisti, & aures querelis meis clausisti. * Iam tandem benignè, me respice, fauorẽmque tuum mihi declara, & exaudi me inuocãtem te Domine Deus meus, quem vnicè colo, à quo totus pendeo.

4 Iam quidem in his tãtis malis, in hoc animi dolore, tanquam in c
profundissimis noctiũ tenebris, squalidus ac mœrẽs viuo, versari in summa caligine videor, oculíq; fletu caligant. Verũ tu Domine luce tui vultus, gratissimáq; tua ope ac fauore mihi ostenso, dispelle hãc prementium malorũ caliginem, atque his malis liberatum recrea, ne crescentibus malorum tenebris durissimo mortis somno consopiar, *& ne aliquando insultando & gloriando dicat inimicus meus se præualuisse mihi. †Oculos etiã mentis meæ ignorantiarum tenebris offusos, tu Domine luce gratiæ & sapientiæ tuę illustra, vt videã quæ mihi agenda sint, ne destitutus tuo lumine, sempérque in tenebris versans incidam in lethiferum peccati somnum, & glorietur de mea

mea perditione hostis meus.

5 Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero:
** Ego autem in misericordia tua speraui.*

5 Etenim inimici mei, qui me affligunt, præ nimia lætitia exulta- d
bunt, si contigerit me deijci, prosterni, & cadere. *Ego autem nõ in meis viribus aut meritis, sed in tua misericordia semper speraui, & etiamnum spero, propter quod tua bonitate dignum fuerit Domine, si secundum meam in te fiduciam me his malis exemeris, qui nunquam derelinquis sperantes in te.

*6 Exultabit cor meum in salutari tuo: * cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.*

6 Hoc si (vt te facturum confidio) feceris, omni tunc mœrore, qui iam mentem occupat, depositio, gaudebit cor meum de salute à te mihi præstita, *ac præ summa lætitia, mentísque gratitudine cantabo hymnos in laudem Domini, qui bona mihi secundum meam in illum spem rependit, & carmina canam in honorem Domini altissimi, qui altitudinem suæ potentiæ pro me declarauit.

ANNOTATIONES.

a VSQVEQVO OBLIVISCERIS ME IN FINEM.] Quoniam in secundo membro verbum est præsentis temporis, auertis, plerique pronunciant in priori membro verbũ, obliuiscéris: vt sit præsens penultima breui. Ex Hebræis autem & Græcis patet accipiendum, vt sit futuri tẽporis, & proinde pronunciandum penultima longa. Quamuis autẽ in secundo membro etiam Hebræis sit futurũ tempus, Græcis tamen est præsens ἀπὸ μέρους. vnde legẽdũ est, auertis, nõ auertes. Notãdus autẽ ordo, qui est in his tribus primis versibus, & postea etiã in sequentibus. In primo enim quærit quod ad Deũ pertinet, vsque quo tu obliuiscéris? Vsquequo tu auertis? In secũdo quærit quod ad se pertinet, vsquequo ego ponam consilia & dolorem in corde meo? In tertio quærit, quod ad inimicum suum pertinet: Vsque quo exaltabitur inimicus? Tria enim illum male habebant, malorum cruciatus, Dei neglectus, inimici gloriatio. Quo autem ordine cõquestus est, eodẽ & liberationem à malis precatur. Nã contra id quod ipsum in Deo malè habebat, dicit, Respice & exaudi me Domine, Domine Deus meus. Et respice, quidẽ, vt annotauit Diuus Augustinus, refertur ad id quod dictum est, Vsquequo auertis faciem tuam à me? Exaudi, refertur ad id quod dictum est, vsquequo obliuiscéris me in finem? Contra id verò quod ipsum in se cruciabat, dicit: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Contra inimici gloriationem subiicit: Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.

b PER DIEM.] Græcis est ἡμέρας καὶ νυκτός.

die ac nocte: Hebræis tamen est tantum nomen diei, vt ne quis putet codices nostros vitiatos. Potest autem illud, per diẽ, accipi positum pro, per singulos dies, aut pro tota die. Diei autem tantum meminit, siue quod nocturno tempore per somnum aliqua daretur requies, siue quod contra significare voluerit, quod non solum noctu torqueretur curis, sed etiam interdiu. Solent enim interdiu per occupationes recedere curæ, quæ redeunt nocte.

ILLVMINA OCVLOS MEOS.] Duplicẽ c
indicat Paraphrasis huius versus intelligentiam. Alteram quæ literali sensui magis conuenit. Frequens enim est in scripturis tropus, quo qui in malis versantur, in tenebris degere: & qui malis liberantur, illuminari, hoc est, recreari dicantur. Alteram, quæ mystico sensui magis conuenit iuxta quam petitur lumine gratiæ diuinæ intellectus perfundi, ne per ignorantiam incidatur in mortem peccati & æternæ damnationis.

EGO AVTEM IN MISERICORDIA TVA SPERAVI.] Hæc accipi possunt duobus d
modis. Primò, vt intelligamus hic Prophetam coram Deo adducere spem suam in illũ, ac promittere cantica gratiarum actionis, vt per hæc Deum ad exaudiendum flectat, iuxta sensum Paraphrasis. Secũdò, vt intelligamus hic Dauidem propter spem in Deum, quæ nunquam confundit sibi pollicentem exauditionem & impetrationem salutis: vt sit sensus: Quoniam ego semper speraui in misericordia tua, ideo certò confido, quod cor meum de tua salute exultabit.

In finem, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XIII.

DEscribit multitudinem malorum, qui sibi persuadentes Deum non esse, nec illum agnoscere studentes, quidvis audent & facere pro oppressione iustorum non verentur, quos tandem vel suo malo Deum cognituros, sub Dei introducta persona asserit, quando cum illorum graui vltione, iusti à Deo liberantur ab iniusta eorum violentia.

PARAPHRASIS.

PSAL. 13.

1 Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.

IMpij qui, cum veram Dei veri cognitionẽ (quæ sola vera est sapiẽtia) non habeant, verisq; bonis neglectis falsa sequãtur, non iniuria insipientes dicuntur: hi, inquã, pro sua insipiẽtia apud se dixerũt, suóq; animo persuadere conati sunt, nõ esse aliquẽ Deum, qui omnia humana cognoscat, curet, & iudicet: qua cogitatione vt nihil pót esse magis impiũ, ita nihil insipiẽtius, eum negare esse à quo omnia habent quod sunt. Hoc autẽ in animo suo loquuntur, quoniã effutire non audent, quod etiã immanes gẽtes execrandum arbitrantur,

2 Et

3 Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.

** non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

2 Et quoniam hanc falsissimam cogitationem semel in animo suo admiserunt,hinc facti sunt corruptis ac deprauatis moribus, per quos & ipsi corrupti sunt,adeo vt ob ea quæ studiosè egerunt mala, detestabiles facti sint Deo,omnibúsque bonis,tanquã putida quædam cadauera.*Nõ est inter eos quisquam qui faciat quod bonum est coram Deo,quíque faciat in proximos debitam benignitatem, non est ne vnus quidem.

*3 Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: * vt videat si est intelligens, aut requirens Deum.*

3 Dominus è supremo cœlorum,vbi peculiarẽ sibi sedem delegit, in terras prospexit super filios huius sæculi, non ex Deo natos, sed humanam tantum & carnalem referentes originem,*vt considerare si in tanta istorum multitudine quisquam esset rectè sapiens,aut Deum cognoscens,& cognito Domino sese pijs factis commendare,illúmque inuenire studẽs.Ad hoc enim hominibus ille rationem & mentem contulit,vt in ipso cognoscendo,& perquirendo,& inueniendo omnem operam collocarent:

*4 Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: * non est qui faciat bonũ, non est vsque ad vnum.*

4 Verùm frustra ille circumspexit.Nam omnes filii hominũ à Deo atque à recta viuendi ratione deflexerunt ad iniquitatẽ, omnes pariter suis corruptis moribus fœtidi facti sunt,& inutiles ad bonũ faciendum : * non est inter eos qui faciat bonum, non est vel vnus quidem.

*5 Sepulchrum patens est guttur eorum, * linguis suis dolose agebant, * venenum aspidum sub labys eorum.*

5 Vt autem in specie eorum vitia intelligãtur,ecce guttur eorum patenti sepulchro simile est,fœditatẽ lethalem,mortui corpis intus sepulti semper exhalans,sempérq; paratum vt captos voret,& extinguat iustos,*linguis suis fraudulenter agebant,aliud sentiẽtes, aliud loquentes quo facilius deciperẽt,*sermones pestiferos quasi venenum aspidum gerunt latenter sub labiis suis,parati semper serpentum more illud euomere cùm opportunum fuerit.

*6 Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, * veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

6 Quorum os plenum est maledictione & amarulentia,adeo vt alia raro loquantur.* Neque lingua tantum pestifera nocent omnibus,sed & pedes eorum tardi ad iuuãdum proximum, veloces sunt ad effundendum sanguinem innoxium,& ad opprimẽdum quouis modo innocentes.

*7 Contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt: * non est timor Dei ante oculos eorum.*

7 Ad hoc omnes eorũ actiones nituntur vt alios conterãt,& infœlices miserósq; reddant:viam autẽ iustitiæ, quæ pacem cum proximis seruare docet,quæq; piorum mentibus pacem suauissimam affert,& ad æternã pacem adducit,hanc cognoscere noluerunt:*Omnium autem horum malorũ caput est & fons,quia timor Dei, quo à malo homines reuocari solent,non est ante oculos eorũ,non considerant oculis mentis Deum vbique præsentem sibi timendum esse.

8 Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis?

8 Iraq; Dominus è cœlo hæc prospiciens, profecto, inquit, homines isti impij,qui me iam cognoscere nolunt, imo me iactant non existere,& hac opinione confisi dediti sunt iniquitati, cultorésque meos sine aliqua commiseratione deuorant, dispoliant, ac perdũt, ad eum modum quo à comedente voratur panis,sine vlla cibi resistentia,sine vlla comedentis misericordia,hi, inquam, tandem, sed serò & maximo suo malo,me cognoscent,cũ meam in se vim & potestatem sentient.

*9 Deum non inuocauerunt: * illic trepidauerunt timore,vbi non erat timor.*

9 Nulla hos homines veri Dei tenet religio,Deũ omnium, qui solus est in quauis necessitate inuocandus,in quo omnium rerũ præsidium est collocandũ,hunc non inuocauerunt,in hoc suas spes nõ reposuerũt,sed in falsis idolis,aut aliis perituris huius sæculi bonis, quæ pro dijs coluerunt.*vnde fit,vt cũ non timeant & colant quem debebant,magno timore frequenter trepident & conturbentur, vbi nõ est timoris iusta aliqua causa.Timẽt enim sibi ab idolis suis, quæ non est decebat timere,vana superstitione in minimis sæpe rebus tenentur.A moto quandoq; arboris folio consternuntur, fugiúntque nemine illos insequente.In aduersitatibus aut infirmitatibus corporis constituti anxiè sibi timent,vbi iustis diuino præsidio munitis nihil est turbationis dignum.In nouissimo etiã iudicij die grauissimo comprehendentur horrore & timore, vbi tamen iustis non erit timor,qui in magna fiducia securi occurrent iudicis aspectui.

*10 Quoniam Dominus in generatione iusta est: * consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.*

10 Hoc autem stulto timore nunc tenẽtur impij, atque in futuro comprehendentur summo horrore,quoniam Dominus tantum est in congregatione hominum iustorum,quos sua presentia defendit, atque ab omni metu securos facit. * Vos autem impij consiliũ pauperum,mundi auxilio destitutorum,nec illud quærentium pudore sustuliſtis, quasi stultum illud irridentes,videlicet quoniam in Deo omnem suam spem collocauerunt,quam nõ vanam fuisse suo tempore cognoscetis.

11 Con

*11 Quis dabit ex Sion salutare Israel? * cum auerterit Dominus captiuitatem Sion, exultabit Iacob & lætabitur Israel.*

11 Considerata autem impiorũ tyrannide,qua populũ Dei iustum grauiter premũt,exclamare cogor:O vtinã det Dominus ex sanctissimo móte Sion salutẽ Israeli,populo ipsum colenti summopere necessariam & desideratam?O vtinam asperrimum seruitutis iugũ ab eius ceruicibus repellat,& captiuitatem eius soluat:* quod quidem eum facturum certò scio,ac tum populus eius, qui nunc sub graui seruitutis & miseriarum pondere ingemiscit,solida lętitia gaudebit & exultabit:contrà verò impij,qui nunc quãdiu dominantur,& bonis ad tempus prævalent,lætantur,vltione de ipsis sumpta, bonisq; ab illorum oppressione liberatis,mærebunt perpetuo.

ANNOTATIONES.

a SEPVLCHRVM PATENS EST GVTTVR EORVM,&c.] Tres hi versus nõ sunt Hebræo,ita nec in plerisque Græcis codicibus, vt nec in Complutensi editione,nec apud Euthymiũ,sicut nec apud nos sunt in Psalmo 52. huic per omnia fere simili. Vnde, vt bene indicat diuus Hieronymus in cõmentariis super hũc Psalmum,non est existimandum D.Paulum ex hoc Psalmo desumpsisse hos versus in epistola ad Romanos: sed quoniam ex hoc Psalmo quosdam versus citauerat,eisque subiecit quædam ex variis scripturis contexta, quidam ex diuo Paulo huc totam eius citationem transtulerunt, existimantes ipsum ex vno aliquo loco totam citationem desumpsisse, & proinde eo loco vnde ceperat.Nec tamen versus hi temerè loco suo mouẽdi sunt,sed ob antiquissimam lectionis consuetudinem,quæ tempora D.Hieronymi & Augustini præcessit,retinendi sunt.

b DEVORANT VT CIBVM PATIS.] Græca quidem habent, ἐνβρώσεται τὸ ἄρτον, hoc est, in cibo panis, tamen bene vertit interpres, cùm Euthymius in cibo panis interpretetur,instar cibi panis.

c IN GENERATIONE IVSTA EST.] Interpres legit δικαία, quomodo habet & Germanicum exemplar, cùm apud Euthymium & in Cõplutẽsi editione,sit genitiuus δικαίων, vt sit, in generatione iustorũ. Cæterùm pro eo quod nos legimus:Quoniam Dominus spes eius est:Græcis est,Dominus autem spes eius est.Nostra autẽ lectio magis cum Hebræis hac in parte conuenit,quæ habent,quoniam.

d QVIS DABIT EX SION[·N Apparet ad literam, Dauidem hunc Psalmum composuisse pro captiuitate aliqua populi Israelitici, quæ intelligi potest sub Saule rege impio, sub quo iusti detinebantur captiui,vt non quæ vellẽt dicerẽt, & agerent. Atque ideo ex Sion petit salutẽ dari Israeli,quoniam ibi sciebant regnum suum confirmandũ,per quod liberandi erant pij ab oppressione malorũ.Euthymius,quoniam ex Sion petitur salus Israeli,intelligit Dauidem præuidisse periculum quod erat Israeli tempore Ezechię,vt Psalmus iste dictus sit cõtra Sennacherib,in quẽ rectè competit quod in principio dicitur : Dixit insipiens in corde suo,Non est Deus. Secundum sensum autem mysticum, intelligẽdus est Dauid ad Christum respexisse,ac salutem electo Dei populo precari eam quæ postea per Christum præstita est,qua liberatus est Dei populus à captiuitate diabolica,sub qua detinebatur,addictus seruituti peccati,atque obnoxius æternę morti.Secundum sensum vero anagogicũ,hoc versu rectè precantur iusti liberationem à captiuitate quam adhuc patiuntur,quãdiu sunt in carne hac mortali,in qua propter carnis ac dæmonis suggestiones ac prauorũ hominum consuetudinem & oppressionem, nõdum spiritus hominis perfectam est affectus libertatem,quam in die iudicii assequetur,ob quam assequẽdam exclamat Paulus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?Notãdum autem phrasi Hebraica hic dici:Quis dabit,pro,o vtinã aliquis det.quomodo & Ieremias:Quis,inquit,dabit capiti meo fontem lachrymarũ?Notandum & illud, quãuis sit exiguum,quia videri posset nomen Israel esse datiuus,cum dicitur:Quis dabit ex Sion salutare Israel,ex Græcis & Hebræis constare esse genitiuum, qui regatur à salutare. Est enim Græcis τὸ σωτήριον τοῦ Ἰσραὴλ,hoc est,salutẽ Israelis, hoc est, ei necessariam & expectatã. Hebræis est nomen יְשׁוּעָת Iesuath,in regimine scilicet genitiui positum.

Rom. 7.

Ier. m. 9.

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XIIII.

PRopheta præmissa ad Deum quæstione,qua quærit qui sunt Dei domum ingressuri,Deum inducit præcipiẽtem & certam formulam viuendi,maximè cum proximo(cuius dilectio,legis est plenitudo)cõstituentem:quam qui seruauerit,in domo Dei perpetuo firmus permanebit,nullo vnquam tempore suo loco mouendus.

PARAPHASIS.

PSAL. 14. DAVID.

1 *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?*

DOmine quis habitabit tecũ in cœlesti domo tua,cuius tabernaculum tibi in monte Sion constitutum,figura quædã est & vmbra?*quis stabilem habebit sedem tecum in altissimo monte cœlorum,quem tu peculiariter inhabitas,cuius & mons noster Sion(quẽ & ipsum in sedem tibi in terris delegisti)typus quidam est?

2 Is

2 Qui ingreditur sine macula,
** & operatur iustitiam.*

2 Is mecum fixam habebit mansionẽ, qui ante omnia cõuersatur sine omni vitiorũ labe,*ac deinde totũ se iustitiæ addixit,atque animo prompto omnẽ operatur iustitiam In his enim duobus perfecta Laus est,vt quis & à malo primùm recedat. & bonũ deinde studiosè faciat,vtque legis diuinæ vetita per libidinem animi non attingat,& quæ iussa sunt,per negligentiam non omittat.

3 Qui loquitur veritatem in corde suo.
** qui non egit dolum in lingua sua.*

3 Hæc autem præstat,qui non cogitat in corde suo aliquam falsitatem,qua proximum decipiat, sed tantum veritatem concipit apud se,*& quemadmodum corde suo neminem decipere proponit, ita etiam nec per linguam suam aliquem fraudare studuit.

4 Nec fecit proximo suo malum,
** & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.*

4 Qui insuper non solum animo vel lingua nemini nocet,sed multo minus reipsa & facto.nullum inferens proximo suo malum,nullã iniuriam vel damnum,nihil in alterum committens quod non sibi ab alio factum vellet.*Quid denique nõ modo sibi ab omni in proximum maleficio temperat,sed etiam non suscepit æquo animo,neque sustinuit opprobrium aliquod à quopiam iactari contra proximos suos,immo quantum in se fuit,omnem proximi contumeliam & iniuriam auertere conatus est.

5 Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus,
** timentes autem Dominũ glorificat.*

5 Quin etiam improbos & malignos homines,etsi genere,opibus & gloria florentes,& apud mundum insignes pro nihilo ducit, quatenus mali sunt:*reuerentes autem,& colentes Dominum magnifacit ac laudat,licet humiles sint & obscuri, & apud homines abiecti ac contempti.Nimirum quia virtutem & iustitiam ex animo colit & amat,vitia autem penitus detestatur.

6 Qui iurat proximo suo, & non decipit,
** qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.*
** & munera super innocentem non accepit.*

6 Qui etiã si quid Deo teste cuiquam promiserit, sẽq;(necessitate cõpellente,aut vtilitate suadente)iureiurãdo obstrinxerit,etiãsi molestum id sit,& sibi damnosum,non tamẽ fallit proximũ,sed summa fide quod promisit,præstat:*qui postremũ nec dando nec accipiendo peccauit.neq; suam pecuniã indigenti mutuatus est ad accipiendam vsurã,sed contra sine spe aut pacto fœnoris lubenter inopi mutuatus est.*neq; munera aliqua quæ etiã sapientes & iustos excęcare solent)accepit ob sententiam vel testimonium dicendum contra innocentes iniquo iudicio opprimendos,sed contrà potius innocentum causam,quoad potuit,tutatus est.

7 Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

7 Qui hæc fecerit,hic mea protectione securus nunquam mouebitur,sed semper immobilis persistet,nulla vnquam vel in hac vita, vel in futura deiicietur tempestate Habitabit enim mecũ in superna mea ciuitate Ierusalem,quam qui inhabitauerit,non commouebitur in æternum,sed erit sicut mons Sion immobilis.

ANNOTATIONES.

QVIS HABITABIT IN TABERNACVLO. Per tabernaculũ & mõte sanctũ, quidam Hebræorũ ad literã intelligunt montem Sion,& tabernaculũ Moysi in eo monte à Dauide erectu:intelligúntque hoc Psalmo doceri,quo modo digne Leuitæ in tabernacula Dei habitare possint,aut etiã quomodo omnes Israelitę dignè in hunc montem ascendere possint.Alii verò Hebræorum intelligunt per montẽ & tabernaculũ, totam terram promissionis,quæ per hæc intelligitur,Exodi 15.cũ dicit Moyses:Introduces eos, & plantabis in mõte hæreditatis tuæ,firmissimo habitaculo tuo,quod operatus es Domine, &c. Atque hi pro verbo,habitabit,vertũt, quis peregrinabitur:quẽadmodum etiã Hebraicũ verbum significat,vt significetur Israelitas in terra promissionis aduenas fuisse & peregrinos.Inter Latinos verò plerique per tabernaculũ Dei, Ecclesiã Christi hic in terris militantẽ accipiunt,eo quod nomen tabernaculi militãtibus propriè & nõ in pace viuẽtibus cõueniat, nec est Græcis propriè habitabit,sed παροικήσει,quod propriè est incolet, aut peregrinabitur,quẽadmodũ legit diuus Augustinus.Incola autẽ seu peregrinus dicitur, qui aliena in domo aut regione ad tempus moratur. Itaq; prior pars primi versus ad Ecclesiã hic militantẽ referri posset,posterior ad triumphãtem, in qua requiescitur post labores & peregrinationes.Verum quoniam in fine Psalmi, cum secundum propositam quæstionem subiungendum videbatur:Qui facit hæc,habitabit in tabernaculo meo:subiungit Dominus,Qui facit hæc,nõ mouebitur in æternum.quasi quisquis habitauerit in tabernaculo dei, non moueatur in æternum. Hinc rectius etiam secundum primum & literalem sensum,per tabernaculum & montem Dei, intelligitur regnum cœlorum, quod aliquoties in scripturis tabernaculũ Dei vocatur, eo quod, teste diuo Paulo, Moysaicum tabernaculum, figura fuerit cœlestis habitationis Dei,vt cũ postea dicit Propheta Psalmo 60. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula.& in Apocalypsi : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, &c.Nec male verbum παροικήσει, hoc est, incolere,conuenit habituris in regno cœlorum, cum illud gratia Dei donetur,& naturæ nostrę per sese nõ debeatur,vt nõ simus eius naturales ciues,sed tantum asscripti & adoptiui. Obseruandum autẽ in hoc Psalmo,quàm exactè & ordinatè ea prosequitur Propheta,quæ ad perfectam pertinent iustitiam, quemadmodum indicat Paraphrasis. In qua & illud obseruandum,in his quæ negatiuè efferuntur etiam indicari aliquid affirmatiuum quod perfectius sit, cum dicitur : pecuniam suam non dedit

dedit ad vsuram,non solum significatur, eũ qui iustus esse volet,pecunia sua nõ abuti ad oppressionem proximi,sed ea rectè vti ad subleuãdum proximum.

Tituli inscriptio ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XV.

ORAT Propheta Dei tutelam,sanctis se deditum esse,& ab impijs abhorrere profitetur, eo quod Dominũ sibi in suã elegerit hereditatẽ,quod agnoscens Dei beneficio sibi cõtigisse,gratiarũ actionẽ pollicetur:de cuius assidua præsentia ac protectione gaudet,certò etiã sibi promittit corporis resuscitationem, ac æternam & perfectam ex conspecta Deifacie falsitatem.Quoniã autem vt in alijs,ita & in hac oratione,Christi typum gessit Dauid:ideò quædam hic sic posita sunt,vt secundũ exactam significationem non Dauidi per se conueniant,sed in Christo solo, qui est veritas,perfectè sint impleta,per quem & quodammodo Dauidi,omnibus sanctis eadẽ competunt.Proinde quæ Psalmus habet de sancto non visuro corruptionem,Petrus & Paulus in Actis de Christo dictũ interpretantur,cui soli id propriè conuenit,cui & totus Psalmus excellentiori quodam modo quàm reliquis sanctis Christi membris adaptatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Conserua me Domine, quoniam speraui in te,

CVstodi me Domine inter huius mũdi pericula, in hoc impiorũ hominũ cõsortio,quod certè ob id meritò facere debes,quoniã non in meis viribus,non in falsis diis,non in fragilibus huius sæculi rebus,sed in te omnem meam spem collocaui,qui in te sperãtes nũquam tua custodia destituis.*Ego enim tibi omniũ Domino dixi,tu Domine es Deus meus,quẽ solum colo,à quo totus pẽdeo, qui mihi omnium meorũ bonorum fons es,quoniam tu bonorum quæ ego facio non eges,nihil hæc tibi commodi afferunt, sed ego contra tuis donis egeo. Psal. 15. a

**dixi Domino,Deus meus es tu,quoniã bonorum meorum non eges.*

2 Sanctis qui sunt in terra eius,mirificauit omnes voluntates meas in eis.

2 Quoniam autẽ Deo mea opera cõmodare nequeo,ideo Dominus fecit,vt oẽs voluntates meæ mirabiliter essent in sanctis ac iustis hominibus,qui hic mecum in hac Dei terra peregrinãtur,& ad possidendam regionẽ cœlestẽ asscripti sunt.Hos vnicè me fecit diligere, ita vt summopere cũ illis semper esse,& in eorũ cœtu consistere cupiam.In hos omnia mea studia conferre me facit,vt omnibus modis his prosim,& iuuẽ:quibus quæcunq; impensa fuerint officia,non aliter illi grata sunt,quàm si illi impensa essent.

3 Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:
** postea acceleraverunt.*

3 Impiorum autẽ hominum,qui nec nomine quidem digni sunt, qui,Deo verò derelicto,multiplicauerunt sibi idola infirma, in quibus confidentes omni destituuntur vera animi fortitudine,*& deinde ad ea colenda æstuanti desiderio properarunt,nihil quantumuis graue eorum gratia facere detrectantes. b

4 Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.

**nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

4 Horum certè iniquas congregationes,immo conuenticula,quæ fiunt ad offerendũ sanguinem pecudũ,ego non congregabo,cũ illis partem habere nolo,in illorum cœtu minimè consistam,*nec de his vnquam honorificè loquar,nõ dignabor eos memoria nominũ suorum,qua inter iustos indigni sunt.

5 Dominus pars hæreditatis meæ:

**calicis mei,*
**tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

5 Ideo autem idololatrarum,omniúmq; iniquorum hominũ communionem contẽno,quia Dominus ipse est mihi cũ sanctis suis portio mea hæreditaria,in quo omnia mea propria bona possideo , quẽ vnum omni diligentia colere,cui soli gratificari studeo.* Ipse mihi quasi dulcis portio calicis,quæ ipso distribuẽte mihi cõtigit.*Tu Domine es,cuius munere hanc hæreditatẽ semel amissam recepi,quiq; eandem mihi semper integram & saluam seruabis,firmámque mihi constitues,ne quãdoq; eam amittam,& suo tempore perfectè ac securè hanc mihi possidendam trades,cùm te mihi videndũ facie ad faciem exhibebis. c

6 Funes ceciderunt mihi in præclaris:
** etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

6 Perinde certè mihi euenit,ac si funes mẽsorij,quibus agri diuidi solent cecidissent mihi in amœnissimis & pulcherrimis locis.*Nã hæreditas mea,quæ Deo diuidẽte mihi obtigit,quasi sorte quadam, mihi admodum est & habetur speciosa,vt præ illa nullam aliam mihi optandam ducam,sicut certè ei nulla est præferenda,non ea quã in terris carnales sibi homines delegerunt,nec alia quæuis.

7 Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectũ.

7 Gaudeant proinde alij in suis hæreditatibus quas eligũt,ego certè semper gratias agã Deo,illúmq; laudabo,q̃ mhi hanc mentẽ dederit & intellectum,vt abdicato malorum consortio,omniq; terrena hæreditate,sanctorum cõmunioni interesse, ac Domino Deo adhærere præelegerim:neque enim huiusmodi intellectus homini ineſſe potest,nisi Deo donante,*ex cuius dono etiam mihi contingit,vt tota die vsque ad noctem intimi affectus mei semper eruditi me,sug-

**insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.*

c geren

gerentes quæ Deo grata,quæque ingrata,& ceſſantē me ſemper admonentes,& corripientes.

8 Prouidebam Dominū in conſpectu meo ſemper:

8 Ante oculos mentis meæ ſemper oppoſui mihi Dominum,vnde d in conſpectu meo ſemper illū vidi,ita vt in omnibus quæ cogitarem, loquerer,aut facerē,ad illum reſpiceré,& præſentē mihi ſcogitarem, *quod meritò ſanè facio.Nam re vera ſemper adeſt mihi præſens, & quaſi à dextris adſtat,ad ducendū me & defendendum ſemper paratus,ne vnquam vel calamitatibus,vel prauorum ſuggeſtionibus,aut perſecutionibus deiiciar,& cadam.

** Quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.*

9 Propter quod incredibili lætitia perfuſum eſt cor meū,& ex magna mentis lætitia etiā lingua mea exultauit, per quam cum iubilo gratias Deo non ceſſo agere,& eius in me beneficia prædicare. * Ad hæc etiā corpus meū ob mortis neceſſitatem nō grauabitur mœrore,ſed cùm ſomnus mortis aduenerit,poſt tranſactos huius mūdi labores placidè requieſcet in ſepulchro,cum bona certáq; ſpe futuræ reſurrectionis.

9 Propter hoc lætatū eſt cor meum, & exultauit lingua mea.
** inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.*

10 Scio enim te nō relicturum animam meam apud inferos, aut in morte,*neq; ſines,vt ego,qui ſanctitati & iuſtitiæ ſtudeo, perpetuā incurram in corpore meo corruptionem, ſed morte & corruptione ſuperiorē me facies,reſuſcitās me nouiſſimo die,per eum qui mortis victor,à morte & ab inferno detineri nō poterit,nec reliquorū homi num more corruptionem & putrefactionem patietur,ſed tertia poſt mortem die reſurgēs è ſepulchro, primogenitus omniū mortuorū.

10 Quoniam non derelinques animam meam in inferno.

11 Iſtud autē te facturum confido,quia tu mihi feciſti cognitas vias, quibus perueniatur ad æternam vitam corporis ſimul & animæ: ad quam cùm te donante peruenerim, tum demum contēplatione tuī vultus me omni lætitia ſatiabis ſine faſtidio, vt præter te nihil aliud deſiderare valeā vnquam.*Tu enim ſemper in promptu habes iucū ditates quas ex tua munificētia,quaſi dextera quadam manu, vſque in æternum tuis depromas & largiaris.His in æternum perfruentur illi,quos contigerit in dextera tua collocari in optimorum tuorum bonorum fruitione.

11 Notas mihi feciſti vias vitæ,adimplebis mē lætitia cum vultu tuo:
**delectationes in dextera tua vſque in finem.*

ANNOTATIONES.

CHriſtiani ferè pſalmorum interpretes hūc Pſalmum de ſolo Chriſto accipiendū exiſtimant,ratione ſanè vrgente adducti,nimirū quod verſum penultimū huiꝰ Pſalmi & Petrus Actuū 2.& Paulus Actuū 13.nequaquā Dauidi,ſed ſoli Chriſto conuenire interpretatus ſit.Verùm cùm reliqua Pſalmi aptiſſimè in Dauidē quadrēt,non abſurdè quidam etiā in hoc Pſalmo Dauidem de ſe loquentē intelligunt,ſed ſic,vt cùm ſciret prophetico ſpiritu ſe Chriſti in multis gerere figurā & in ſuo regno illius regnū adumbrari,quędam etiā in hoc Pſalmo vt in aliis quibuſdā ſimilibus inſeruerit,quæ vel omnino ſibi nō conuenirēt, ſed ei tantū quem repreſentabat, Chriſto ventu ro,vel ſibi non tā perfectè & verè,quā illi,vt meritò in ſcripturis noui teſtamenti Chriſto accōmodētur,q; de eo vel ſolū vel præcipuè ea dicta ſint.Quale eſt quod hic in penultimo verſu dicitur de non relinquēda anima in inferno,aut carne non viſura corruptionē.Id enim vel omnino non quadrat in Dauidē,vel non tam verè & perfectè quā in Chriſtum,per quē ſolùm aliquo modo in Dauidē,reliquoſq; fideles competit,cuius beneficio alibi audet dicere Dauid : Deus redimet animā meā de manu inferi.Et Iob dicit:Scio quod redēptor meus viuit& in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.Et Chriſtus ipſe de credētibus in ſe dicit:Si quis ſermonē meū ſeruauerit mortē nō videbit in æternū.Nō videre autē mortem,non multū diuerſum eſt à non videre corruptionem.Itaq; cùm obſeruare liceat,in nouo teſtamēto pleraq; alia ſic citari ex Pſalmis aut aliis ſcripturis de Chriſto,quaſi illi propria,quę tamē primo & ad literā de aliis dicta ſunt q̄bus tamē tantū imperfectè & ex parte cōpetunt,vt oſa in ipſa veritate deprehenduntur perfectiora,quàm in figuris & vmbris,ſecuti peritiſſimorū quorūdam iudiciū,nō iudicauimus abſurdū, Pſalmum hunc Dauidi attribuere,vel ob id quod hic Pſalmus non tantū in hoc editus videatur à ſpiritu ſancto,vt ſciremus q̄o Chriſtus aliquādo orauerit,ſed quo formā haberemus, qua & nos ad exemplū Dauidis,tū veteris,tū noui,orare poſſimus.Dedimus ergo ſenſum,qui cū Chriſto etiā omnibus iuſtis cōueniat,ſecuti receptiſſimas in ſcripturis phraſes,quanquā,vt diximus,quędam in hoc Pſalmo Chriſto vel vnicè vel præcipuè cōpetant.Quod ſi qui mordicus totum hunc Pſalmum ſoli Chriſto attribuendū putēt,iuxta eam rationē quā ſecuti ſunt qui in myſticis ſenſibus toti verſantur,ne hi fruſtentur ſuo voto,nec cōquerantur,ſubiecimus & alterā eiuſdem Pſalmi paraphraſim,qua omnia penè huius Pſalmi ſic Chriſto accommodantur,vt ei ſint propria.

Act 2.
Act. 13.
Pſal. 48.
Iob 19.
Ioan. 8.

TITVLI INSCRIPTIO IPSI Da. &c.]Quanquā,vt ſuperius diximus,parū tribuēdum ſit titulis Pſalmorū,ob incertā ſignificationem dictionū Hebraicarū,tamen vt aliquid dicatur de noua hac inſcr ptione,ſciēdū pro hac oratione: Tituli inſcriptio,Hebræis eſſe dictionem מִכְתָּם Michtam, quæ non huic tantū Pſalmo præfigitur,ſed etiā poſtea Pſalmis 55.56.57.58. & 59.Pro qua Septuaginta ſemper verterunt dictionem, γλυφὴ.

Dictione Hebraica,quæ vel aurum ſignificat,vel ſecundū quoſdam,margaritā precioſam,aut diadema,aut aliud inſigne ſegmentū,rectè intelligi tur ſignificari,quod hic Pſalmus pretioſus eſſet.

Dauidi

Dauidi,& merito certè,ob eius ſingularē excellētiā.Ita & dictione Græca rectè intelligimus ſignificari,Pſalmū hunc meritò perpetua retinendum & celebrandū memoria,veluti inſcriptionē tituli,quæ ad perpetuā alicuius memoriā cōſeruandā fieri ſolet.Notandū enim, cùm apud nos legitur,tituli inſcriptio,nomen tituli,nō accipiēdum pro eo quod apud nos propriè ſignificat. Sic enim ſignificat ipſammet inſcriptionē alicuius operis,quæ libro,aut operi,aut ſtatuę ſuperſcribitur quo argumentū aut artificē operis noſcamus:qūo Ioannes inſcriptionē crucis Latino nomine vocauit τίτλον pro quo alij dixerūt ἐπιγραφὴν.At ex dictione Græca patet titulū debere accipi pro monumento,colūna,aut ſtatua in alicuius rei memoriā erecta.Id enim Græcis ſignificat τάφος.& Latinis etiā dicitur titulus.qūo Gene.28.Iacob dicitur lapidem erexiſſe in titulum. Ideo ſtudioſius annotauimus,ne quis in Pſalmis hanc inſcriptionē habentibus philoſophetur nō ſatis ſolidè de titulo crucis Chriſti.

a

SANCTIS QVI SVNT IN,&c.] Græca nō habēt,volūtates meas,ſed ἀυτοῦ hoc eſt,ſuas. qūo & legit & exponit diuus Hieronymus in cōmentariis.Auguſtinus itē epiſtola 59.vbi tamen poſtea aſſerit codices emēdatiores & electioris authoritatis habere nō ſuas, ſed meas.atq; hoc modo legit ipſe in libro cōmentariorum in Pſalmos.Vbi tamē nō legit in tertia perſona,mirificauit,ſed in prima,mirificaui.Itaq; triplex inuenitur huius loci lectio apud Latinos:Mirificauit volūtates ſuas,Mirificaui volūtates meas, & tertia,q̄ iā recepta eſt,Mirificauit voluntates meas. Quæ noſtra lectio an ex duabus illis prioribꝰ ſit contexta,vt ex vna acceperit pronomē,meas,ex altera verbū mirificauit:an verò noſtra lectio prima fuerit antiquior,quæ poſtea ſit altero iſtorū duorū modorū mutata,eo q̄ pronomen, meas, nō videretur verbo tertiæ perſonæ cōuenire, dubitari pōt.Certè eā lectionē,quæ habet,meas,eſſe veriorē Hebræa docent,atq; ſic etiā Græcos codices olim habuiſſe videri pōt ex diuo Auguſtino cum dicat emēdatiores & electioris authoritatis libros ſic habere.Nā Græcos codices cōſulere ſolitus fuit diuus Auguſtinus,nō Hebræos. Iā & Græca vt hodie legūtur,in hoc verſu dupli cē habent diſtinctionem. nā quod habēt, πάντα θελήματα,hoc eſt oēs voluntates,pōt eſſe accuſatiuus,qui conſtruatur cū verbo iuxta lectionem diui Hieronymi. Aut pōt eſſe nominatiuus ſeorſum poſitus,vt ſit hæc diſtinctio:Sāctis qui ſunt in terra eius,mirificauit Dominus,(nam,Dominus,habēt Græca)hoc eſt. Dominus mirabiliter admodū egit cū ſanctis ſuis.Et deinde noua ſubiiciatur ſnia, πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ,ἐν αὐτοῖς, oēs volūtates eius in eis,hoc eſt,ab eis adimplētur oēs volūtates Dei.Sic enim diſtinguit & interpretatur Euthymius,ob quē hæc annotanda duximus,ne quis in eius lectione turbetur. Cæterùm vt intelligatur ratio paraphraſeos huius verſus,quā ad originalē ſenſum accōmodare conati ſumus,ſciendum Hebræa hunc habere ſenſum : Bonū meū non ad te,ſcilicet peruenit, Ad ſanctos qui in terra ſunt,& magnificos,oīs volūtas mea in eis eſt.Quo ſignificatur,vtilitatē bonarum ſuarum operationum non peruenire ad Deū,qui in cœlis exiſtens nullius eget:ſed ad ſanctos,qui in terris degunt,& ob id omnē ſuā voluntatē illis adieciſſe vt illis prodeſſet.Itaq;, mirificauit,expoſuimus pro mirificè addixit, quod verbū in altero ſenſu,quo hæc omnia appropriātur Chriſto rectè expōitur pro,admirādas fecit.

MVLTIPLICATÆ SVNT,&c.]Vt huius b & ſequētis verſus verus habeatur ſenſus,ſciēdū in originalibus Hebræis,quanquā & ipſa obſcura admodum ſint in priori verſu,qui ob id variè trāsfertur à diuerſis,tamē omniū cōſenſu pſalmi ſtā ſignificare ſe abhorrere à cōſortio & ſacrificiis idololatrarū,quēadmodum ſuperiori verſu ſignificauit ſe ſummè delectari ſanctis Deū colētibus.Vnde & mox rectè ſubiicit:Dominum eſſe partē ſuā hæreditariā,quā ſcilicet ſibi delegit cōtra idololatras.Nec pōt apud Hebræos hic eſſe ſenſus,niſi apud eos alicubi ſubintelligatur relatiuū,qui,q̄ apud eos nō eſt nouum,vt ſic vertatur:Qui multiplicauerunt idola ſua,(vel dolores ſuos,vtrumq; enim dictio Hebeæa ſignificat) & poſt alium acceleraverūt:(vel alij nēpe Deo,donauerūt)nō libabo libamina eorū,vel, Multiplicauerunt labores ſuos,qui poſt aliū acceleraverunt:nō libabo,&c.Itaq; ſi ſimilē ſenſum in noſtra lectione retinere velimus(ad hoc enim labōrādum putamus,vt quàm fieri pōt proximè accedamus ad ſenſum originalis linguæ) relatiuū, eorum,in 3.verſu non erit referendū ad eoſdem, de quibus in 2.verſu,ſanctos ſcilicet,vt cōmuniter intelligitur noſtra lectio,ſed ad impios,de q̄bus etſi nō facta ſit prius expreſſa mētio,tamen in ſequēti,verſu ſatis inſinuantur.Nā etiā apud Hebræos relatiuū ſine expreſſo antecedēte nonnunquā ponitur,vt patet in principio Pſalm.86. *Pſal. 88.* Fundamēta eius in mōtibus ſanctis.Et apud nos item cū odij cā aliquē nominare nolumus,relatiuum expreſſo caret antecedēte:vt cum Iuno de Semele pellice ait:Ipſa petēda mihi,ipſam,ſi maxima Iuno ritè vocor perdā.Et hic dicitur: Non ero memor nominū eorū per labia mea.Hāc intelligētiæ rōnem in Paraphraſi indicatā ſi amplecti velimus,per infirmitates, rectè intellexerimꝰ cū D.Hieronymo idola gentiū. Sicut enim verū Deū Propheta ſæpe vocat ſuā fortitudinē,ita & idola gentium rectè dicuntur earū infirmitates, q̄ cùm in illis confidant,per illa ſint infirmæ,& nihil boni poſſint peragere,aut quicquā mali ſuperare.Quod ſi hanc intelligentiā quis nimis coactam putet,& ſecundū cōmunem intelligentiā relatiuum,horū,ad ſanctos referri velit,de quibus in ſecundo verſu,habebit in ſecunda Pſalmi huius Paraphraſi explicationem horum verſuū communem,eam ſi lubet ſequatur.

DOMINVS PARS,&c.]Qui Chriſto hęc propria eſſe volūt,per hæreditatē Chriſti,hoc loco & duobus ſequētibus intelligūt eccleſiā ex gē c tibus potiſſimum collectā, de qua Pſal. 2. dictū *Pſal. 2.* eſt:Poſtula à me,& dabo tibi gētes hęreditatem tuā.Itaq; intelligūt Chriſtū vocare Dominū partem hæteditatis ſuæ,q̄ is eſſet, quem tanquam ſuā portionē ſibi eccleſia Chriſti hæreditas delegiſſet:ita & partē calicis Dominū Deū vocari intelligunt,q̄ ipſe eſſet merces & præmiū paſſionis Chriſti,q calicis noſe aliquoties in nouo Teſtamento ſignificatur.Et cū ſequitur:Tu es q reſtitues hæreditatē meam mihi:intelligunt ſignificari gentes à Deo alienatas,per fidē Chriſto reſtituendas.Verū ſimplicius fuerit ſecundū ſcripturę phraſim intelligere,Dominū dici partē hę reditatis,q̄ ipſe ſit portio hęreditaria iuſtis:partem item calicis,q̄ ipſe ſit veluti attributa iuſtis

parte itẽ calicis,qđ ipse sit veluti attributa iustis portio,qua illis datum est frui,& sese oblectare, qũo supra Psal.9.dixit:Ignẽ & sulphur esse partẽ calicis impiorum.Calicis eñ noie, ſm Hebræã phrasim designatur qcquid alicui ferẽdum,sentiendum,hauriẽdum,& possidẽdum obtingit.In hunc sensum ex Ecclesiastico vsu clericis dicendus præcipitur hic versus.Qũo & Numeri 18.dicit Dñs Aaroni:Ego pars & hæreditas tua. Iam quo verus habeatur sensus eius partis:Tu es qui restitues hæreditatẽ meã mihi:sciẽdum est Hebræa habere:Tu sustẽtas sortẽ meã. Quo significat propheta,Dei singulari gratia & bñficio fieri vt q̃ ipsi obtigit portio,salua illi maneat, nec ab ea excidat,sicut plerũq; cõtingit à sua possessiõe quosdã de turbari,q̃ nullus eos tueat.Quẽ sensum valde singularẽ vt & nostra lectio retineat, cõpositum,restitues,pro suo simplici,statues, vt frequẽter fit,accipiẽdum est:q̃q̃ etiã posset intelligi de restitutione vitę æternæ,quã p peccatum oẽs amisimus,Verũ Græcis nõ est futurum tps, sed,sicut & Hebræis,præsens participiũ,ὁ ἀποκαθιςῶν,hoc est restituẽs,vel statuens,vt magis intelligamus significari non qd Deus nobis postea facturus sit,sed qd modò præstet,nẽpe qđ nobis firmã facit delectã à nobis hęreditariã possessionẽ,Aut si qs vrgere velit ppositionẽ Re, potius intelligere debeat,Deũ se modò nobis restituere,quem per peccatum semel omnes amisimus.

d PROVIDEBAM.[Quidã istud sic intelligũt, quasi his verbis Propheta prędicet Dei in se bñficiũ,qđ scilicet Deus se illius oculis semp obiiciat sempérq; præsentẽ exhibeat. Verũ Hebræa habẽt:posui Dñm in conspectu meo.Vñ magis sic intelligendũ est:Ego in oibus quæ dixi,vel feci,semper ad illũ respexi,semp eũ mihi præsentẽ cogitaui,cuius timore à malo semp reuocabar. Quod aũt sequitur:Qm̃ à dextris est mihi, &c. sic cũ superiori connecti pót:Meritò Dñm mihi præsentẽ cogito,qm̃ reuera mihi se semper præsentem exhibet,tanquam dux & defensor meus. Aut sic:Quod Dñm semper mihi præsentem cogito,non ex me habeo,sed ex Dei beneficio, videlicet qm̃ semper mihi præsens adest.Notandũ tñ,hanc partẽ ex Hebræo verti posse hoc modo: Quoniam à dextris est mihi,non commouebor.

CARO MEA,&c.]Dum dicit,requiescet,significat iustorum mortem,verũ esse somnũ. In scripturis autẽ q̃nque omniũ hominum mors, tam iustorum quã iniustorũ, somnus dicitur.vt Danielis 12.Multi q̃ dormiũt in puluere terræ, euigilabũt:alij in vitã,alij in opprobriũ.Aliq̃n sola iustorum hostium mors,somnus dicitur.vtcum dicit ad Thessalonic.Paulus: Nolo vos ignorare de dormiẽtibus,&c.Generali autẽ rõne omnium hominum mors,somnus dicitur.Primũ, quia sicut post labores diurnos homo se tradit quieti & somno,vt adueniẽte die resurgat ad intermissos labores:ita post laboriosam hanc vitã,corpus hoĩs in sepulchro quieti traditur in nouissimo die iudicij,à morte,tanquã à somno, resuscitandum,diuina virtute. Deinde quia sicuti in somno cessant quidẽ exteriorũ sensuũ operationes, non aũt interiorum viriũ:ita in morte corpus quidem ab oĩ operatione cessat,aĩa verò viget,& suis adhuc vtitur potentiis.Quoniã aũt hæ rationes peculiariter sanctis competunt, meritò frequenter sola illorũ mors,somnus dicitur:Illi eñ f soli in hac vita laborãt,cùm cõtrà iniquorũ opera nihil nisi vanitas sint,& res planè inanes:qui etiã qm̃ in hac vita,quæ laboribus destinata est, quietẽ semper quærũt,nõ in morte requiescunt, sed à quæsita quiete ad perpetuam transeũnt inquietudinẽ.Sancti etiam soli in nouissimo die resurgere dicuntur,cùm transeãt à morte ad vitam æternam:impij verò à morte cõporis ad mortẽ animæ & corporis perpetuã. Siquidẽ illorũ vita, cùm sit alienata à Dei contẽplatione,in qua sola consistit vera vita,potius mors est quã vita.Præterea neq; illorum animæ iacẽtibus corporibus in sepulchro aliqua quiete fruuntur, neque suis propriis funguntur officiis,sed maxima inquietudine semper exagitantur.Nec magis quiescere dici possunt impij mortui,quàm is qui in somno grauibus & horribilibus insomniis ita turbatur & molestatur,vt non surgat somno refectus sed magis defatigatus.

DELECTATIONES IN DEXTERA, h &c.]Græcis in Cõplutensi editione,& apud Euthymium,est singularis numerus τερπνότης, hoc est delectatio,quo & Augustinus legit. Hebræa tamen habent pluralem numerum,sicut & Germanicum exemplar Græcum, vt meritò nostra lectio mutari non debeat,nec existimari vitiata

QVANQVAM autem eadem ferè modo totus hic Psalmus Christo accõmodari possit,quo iam expositus est generaliter de omnibus,excepto penultimo versu:potest tamen etiam hic Psalmus,quoad omnes pene versus,de Christo sic intelligi,vt illi soli conueniat,de quo principaliter hunc Psalmum intelligendum docent Petrus & Paulus. In hunc scilicet qui sequitur modum.

PARAPHRASIS PSALMI EIVSDEM DHRISTO PROPRIA.

1 Conserua me Domine, quoniam in te speraui:

CONserua me Domine pater ab inimicis me ad mortẽ quærentibus,ne ante tẽpus à te constitutũ mortẽ obeã,aut in morte permaneã,ego enim in te Domine omnem meam fiduciam collocaui:

** dixi Domino, Dominus meus es tu.*
**quoniam bonorum meorũ non eges.*

*Dixi tibi omnium Domino,Deus & Dominus meus secundũ assumptã humanitatẽ es tu,à quo totus in omnibus pẽdeo. Quod quidem meritò dixi mihiq; persuasi,*quoniã tu non eges meorum bonorum mihilque tibi omniũ bonorũ fonti conferunt mea opera,sed ego cõtrà tuorum bonorum egeo,omnẽsq; hi,quos liberandos & sanctificandos dedisti mihi,meorum egent bonorum.

2 Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

2 In his sanè,quos ab æterno sibi sanctificare decreuit,& qui adhuc mecum in hac terra peregrinantur,atq; ad possidendum regnũ cœlorum asscripti sunt,Dominus meus fecit,vt quæ ego pro ipsorũ salute volui & feci,summæ essent admirationi,quantumuis hæc impiis ridicula & stulta habeantur.

3 Multiplicatæ sunt infirmitates eorum:

3 Horum postquã peccata,& ad bene operandum imbecillitates, eorum

**postea accelerauerunt.*

eorum item infirma idola sunt multiplicata,*tum deinde festinauerunt ad fidem in me,& ad ecclesiam meũ,agnoscẽtes se Dei gratia, meisque meritis indigere.

4 Non congregabo conuenticula eorum in sanguinibus.

4 Et quidem hos tum ex Iudæis,tum ex gẽtilibus in vnã mihi congregabo ecclesiam,verũ non congregabo eorũ collectiones ad offerendum sanguinẽ pecudum,ad qué offerẽdum hactenus,tũ Iudæi, tum gentiles congregari solent:sed ad offerẽdum sacrificium laudis patri meo gratissimum,sacrificiũ itẽ corporis & sanguinis mei,quod

**nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

sit communionis ipsorũ testis,*nec amplius eos nominabo nomini bus,quibus vocati sunt in Iudaismo,vel gentilitate,sed scribã super Apoc 3. eos nomen Dei mei,noménq; ciuitatis meæ,& nomẽ meum nouũ, vt iam omni discretione nominũ sublata,omnes Christi dicantur,& membra mea,Deíque filij.Per me enim inter eos non erit distinctio Iudæi & gentilis.

5 Dominus pars hæreditatis meæ:

5 Fœliciter autẽ lege Mosaica,falsisq; idolis relictis,ad me properabunt.Nam Dominus ipse erit portio & merces fidelis populi mei, quẽ ex oĩbus gentibus collectũ in meam mihi pater dedit hæreditatem.*Ipse idẽ merces erit & præmiũ calicis passionis meæ, quẽ pro

**& Calicis mei:*
**†tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*

salute populi mei bibiturus sum.*Tu Domine hæreditatẽ,quã mihi ab æterno destinasti,sed diaboli fallacia mihi erepta est,iã per mortem meam liberatã ab eius tyrannide mihi restitues.†Tu mihi eam tutaberis,integrámq; & saluam constitues,vt ex eis qui in hæreditatem mihi cesserunt,nemo pereat,quantumuis impiorũ maximis conatibus sint oppugnandi.

6 Funes ceciderũt mihi in præclaris:
** etenim hæreditas mea præclara est mihi.*

6 Perinde certè mihi accidit,ac si funes diuisorij cecidissent mihi in egregiis aliquibus locis.*Nã hæreditas,quæ mihi ex patris mei diuisione contigit,admodũ est egregia,& insignis,mihíque amabilis.

7 Benedicam Dominũ qui tribuit mihi intellectum:
**insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei*

7 Itaq; Dominum semper laudabo,qui me suis consiliis semper iuuit,ac intellectũ dedit,quo sciré quomodo meos mihi rursum asserem,& è captiuitate liberaré,*quin etiam ex patris mei dono,intimi affectus animi semper me erudierunt, vt scirem quid patri gratum esset.

8 Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.
** Quoniam à dextris est mihi ne commouear.*

8 Proposui mihi velut scopum ante oculos mẽtis meæ semper Dominũ,qui ante oculos semper obseruatus est,ita vt in omnibus gratificari ei studeré,quod sanè meritò feci,*Quoniã se mihi semper præsentẽ exhibet,& dux atq; defensor meus existẽs, quasi à dextris mihi semper adest,ne vnquam calamitatũ oneri succumbam, aut vlla me perdere possit hominum improbitas.

9 Propter hoc lætatum est cor meum,& exultauit lingua mea.
**insuper & caro mea requiescet in spe.*

9 Propter quod lætatus est animus meus,sed & lingua mea iubilauit,*quin etiam corpus meũ,etsi morti propinquũ,etsi morti obnoxium,in spe bona futuræ mox à morte resurrectionis,placidè requiescet in sepulchro.

10 Quoniã non derelinques animam meam in inferno:
**nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

10 Idque ob id,quoniã scio te,animam meam descensuram ad infernum pro populi mei liberatione,non ibi derelicturũ, *neq; sines me sanctum tuũ,reliquorum hominum more,in corpore sentire putrefactionẽ,sed tertia à morte die me resuscitabis amplius non moriturum:animam quidẽ ex inferno,corpus vero ex sepulchro reducẽs. Neque enim congruũ est,vt quẽ tibi consecrasti,atq; omnium gentium regem designasti,& primogenitum mortuorũ esse voluisti,tandiu vita careat,quoad corpus corrumpãtur.

11 Notas mihi fecisti vias vitæ:

11 Cũ hactenus nemo inuenire potuerit vias,quibus à morte corpus ad vitã redeat,& ad æternam vitam homo pertingat,mihi vnicè demõstrasti,quibus rationibus & ego & mei ad vitã corporis redire, & ad æternam vitã peruenire possemus,nẽpe per mortem meã, qua

**adimplebis me lætitia cũ vultu tuo.*

omnium mortẽ superarem,& ad æternam vitam viam aperirem:*ad quã cum à morte peruenero,iã omni corporis miseria liberatus,per cõtemplationem vultus tui satiabis me, & in anima,& in corpore,

**delectationes in dextera tua vsque in finem.*

omni lætitia,*mihi enim ad dexteram tuam in æqualitate gloriæ tuę exultato perpetuæ erunt iucunditates,quas munificentia tua indefinenter in promptu habet,vt mihi,meisque semper eas largiaris.

Oratio Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XVI.

VIR sanctus acerbissimè vexatus à Saule,& maximis angustijs pressus,ardẽtissimè Deum inuocat, & vt fecit p̃sal.7.innocentiã suã & iustitiã multis modis à Deo probatã proponit,atque ob ea iudicii sibi contra aduersarios fieri exoptat,tum etiam perseuerantiam in iustitia,& diligentem ipsius custodiã, ne quicquam illi nocere pos-

sint hostes ipsius.quorum(vt quod petit magis impetret)impietatem,iniustã oppressionem superbiam, & crudelitatẽ commemorat,ac deinde differentiam inter impios & iustos designans,iniustos solicitatem in caducis huius mundi bonis,suam verò in futuro Dei contemplatione & cognitione sitã esse confitetur. Est autẽ & hic Psalmus,conueniẽs orationi Christi,per Dauidẽ in ipsius persecutionibus præfiguratis.Sed & cuilibet viro iusto apta est orãdi forma contra hostes iniquè ipsum affligentes,siue visibiles,siue inuisibiles.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Exaudi Domine †iustitiam meam:
** intende deprecationem meam.*
2 Auribus percipe orationem meam,
†non in labijs dolosis.

EXaudi Domine iustam hanc meam precationem,†Exaudi innocentiam,qua me gessi erga hostes meos, integritatẽ item causæ meæ,quæ vel me tacente pro me clamat ad te,*propter ipsam adhibe animum tuum ad deprecationem meam,vt eam exaudias.
2 Ne quæso te quasi surdum præbeas ad orationẽ meam, sed admitte,& audi eam,quã sanè fundo ex vero animo,purisq; labiis,non aliter sentiens atq; loquor,†quam item profero labiis, quibus nullã fraudem in proximum locutus sum.Nam dolosa labia non dignũ est vt audias.

3 De vultu tuo iudicium meum prodeat:
**oculi tui videant equitatem.*
4 Probasti cor meum.
†& visitasti nocte.
**† igne me examinasti,*
**& non est inuenta in me iniquitas.*

3 A te Domine,qui solus æquus es iudex,à facie tua, quæ omnia contẽplatur,ad quã pro iudicio intentè suspicio, iam tandẽ iudiciũ meis meritis debitum egrediatur,liberando me ab iniustis oppressoribus meis:*Declara omnibus te ea quæ recta & iusta sunt considerare,approbare,eorumque iustam rationem habere.
4 Non enim tibi innocẽtia mea incognita est,qui me optimè pernouisti.Siquidẽ explorasti animum meũ num syncerus esset, & nocte,cũ animus maximè vacat ab externis negotiis,magisq; se proferunt quæ in animi penetralibus latẽt,tũ per immissas à te cogitationes cor meũ visitasti.†Nocte etiã atq; in tenebris calamitatum sæpe animum meũ scrutatus es.*Et quẽadmodum puritatẽ auri igne explorant homines,sic exacti tui iudicij examine,†igne itẽ ventis tribulationis me probasti,*& purũ & syncerũ me inueneristi,nec est à te inuenta aliqua in me iniquitas,quam in hostes meos sum molitus.

5 †Vt non loquatur os meum opera hominum:
** † propter verba labiorũ tuorum.*
†ego custodiui vias dũras.

5 A deo non est inuẽta in me iniquitas.vt non solũ non peccarẽ in eos opere,sed ne quidem os meũ maledicendo loquatur opera iniqua,quæ in me iniustè admiserunt homines,†contra quos etiam os meum nõ est locutum vindictã,cæterq; mala opera hominum carnalium.*Et quanquã carni ob innatã corruptionẽ durum sit non malè velle,loqui,& facere malefactoribus suis,ego tamen propter amorem & reuerentiã præceptionum tuarũ custodiui vias iustitiæ, quãtumuis corpori duras ac difficiles,*propter præcepta item tua,vias peruersorum verè duras,quia omnibus molestas,& in se difficiliores quàm sunt viæ tuæ, ego diligenter obseruaui,cauens studiosè ne in eas inciderẽ,aut eas ingrederer.†Obseruaui quoq; eas in aliis mihi adhærentibus,vt si eas in ipsis aduerterem, eosdẽ de illis admonerem,corriperem,& corrigerem.

6 Perfice gressus meos in semitis tuis:
**vt non moueantur vestigia mea.*

6 Veruntamen hanc meã innocentiam,iustámq; cõuersationem non meis viribus insoléter arrogo,sed quicquid in me boni & recti est,totum id tuæ benignitati tribuo.Proinde à te peto,vt qui me fecisti ingredi vias mandatorum tuorum,per quæ peruenitur ad beatam vitam,firmes ac perseuerare facias vires animi mei,& appetitiones,actionesq; meas in mandatis tuis,*vt non aliquando à recto di moueantur,atq; ita tuæ victioni & desertioni meipsum reddam obnoxium.

7 Ego clamaui quoniam exaudisti me Deus,
**inclina aurem tuam mihi,& exaudi verba mea.*
8 Mirifica misericordias tuas,
**qui saluos facis sperantes in te.*
9 A resistentibus dextere tuæ custodi me,
**vt pupillam oculi.*

7 Ego ad te Domine hac ratione iã clamaui,quia semper me exaudire soles.*Et nunc ergo quæso ne pellas orationem meã, sed adhibe animum tuum ad audiendum,& exaudi verba mea.
8 Fac vt per ostensam tuam in liberatione & defensione mea benignitatem,omnes admirentur tuas misericordias.*Tu enim Domine saluator es omnium sperantium in te,nec vnquam eos tuo præsidio dereliquisti.
9 Hostes mei Domine non solũ me oppugnant,sed etiam omnipotentiæ tuæ,cui nemo nec debet,nec potest resistere, quantum in se est,resistunt,dum eum,quem regnum tuũ obtinere voluisti, regno deiicere student.Ab his ergo vel tui nominis causa me custodi,*ea diligentia & tutela,qua ab hominibus custoditur pupilla oculi, res quidem minima ac tenerrima,& quæ vel leuissimo puluere facilè lederetur,ni diligenti ciliorum tutela muniretur.

10 Sub vmbra alarũ tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt

10 Sicut solicita auis protegit alis pullos suos ab inuasoribus,ita & tu fortitudine ac misericordia tua me protege ab his,qui me iam aliquãdiu afflixerũt.Nos enim ex nobis imbelles ac infirmi,quasi oculi pupilla

pupilla,auiumq; pulli,si tua protectione destituti fuerimus,mox lædemur,ac diripiemur à rapacibus quibusdã vulturibus perdere nos quærentibus.

11 Inimici mei animam meam circundederunt:
**†adipem suum concluserunt,*
**os eorum locutum est superbiam.*

11 Ecce enim Domine,inimici mei ex omni parte circundederunt me,quærentes vitam mihi auferre,ita vt quoquo me vertam, mortis immineat periculum.*Viscera pietatis suæ omnino cõcluserunt super me,†pinguedinẽ etiam & abundantiã diuitiarum reposuerunt apud se in thesauris suis,& temporibus bonis elati,ore suo superba locuti sunt in Deum,& in homines.

12 Proijcientes me circũdederunt me,
**†oculos suos statuerũt declinare in terram.*

12 Cùm me prius ex suo consortio iniquè eiecerint, omnibúsque meis bonis deturbauerint,nunc etiã circundederunt me in magno numero,quærentes me etiã vbiuis latitantem perdere, *in hoc vnũ oculos suos figunt,& cogitationẽ suam intendunt,vt inuentum me & captum inclinent in terram,penitúsq; prosternant:†Apud se etiã statuerunt deflectere oculos suos in terram,obseruãtes callidè quo fugiam,vt me vel inopinatum capiant.

13 Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam,
**& sicut catulus leonis habitans in abditis.*

13 Quantum ad eorum attinet spẽ,ipsi me iam susceperunt, omninóq; iam stant parati ad suscipiendũ me,sicut leo intentus ad rapiẽdam prædam,*& sicut catulus leonis habitans in occultis latibulis suis,& ex his omnia oculis collustrans si qua sese offerat fera. Sic enim & ipsi truculenti hostes mei crudelissimè in hoc intenti sunt, vt me corripiant & lanient.

14 Exurge Domine,præueni eum, & supplanta eum:
**Eripe animam meam ab impio,framea tuam ab inimicis manus tuæ.*
15 Domine,à paucis de terra diuide eos in vita eorũ:
**& de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

14 Verũ ô Domine,iam diu satis tuam pro me dissimulasti potentiam,satis diu data est inimicis meis scelerum impunitas:iam tandẽ quæso vel inimicorum meorũ permotus improbitate,tuam pro me declara potẽtiã,tuámq; in illos iustitiam, præueni impiorũ conatus ne perueniant ad scelera quæ in me machinantur,eósq; prosterne, *libera animam meam ab impiis,potestatem & fortitudinem, quã tu eis in me concessisti,iam tandem aufer ab his,qui non pro te militant,sed potius tibi,tuæque potentiæ resistunt.
15 Domine in hac ipsorum vita,post quam nullam aliam nec expectant,nec accipiẽt,tu eos separabis à paucis in terra existẽtibus,à iustis scilicet,quorum paruus est numerus,si conferatur ad impiorum multitudinem.Dabis enim eis in hac breui vita ipsorum portionem, quam iustis nõ hic,sed in futura æterna vita largieris.*Hic enim nõ quidem mens eorũ de tuis bonis adimpletur,aut postea implebitur, sicut iustorum:sed solus venter eorũ,& omnis appetitus terrenarum rerũ repletus est tuis huius mũdi bonis,quæ sola cupiunt,quę apud te,quasi in thesauro diuiti nobis occulto,recondita habes, ex quo quibus vis ea hic præbes.

16 Saturati sunt filijs,
** & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

16 Insuper etiã pro suo voto multitudinem filiorum adepti sunt, *& his relinquent ea quæ eorũ libidini supererũt,nec ipsecũ hinc morientes deferre poterunt.Nam hæc vel maxima ab eis fœlicitas reputatur,vt magnam posteritatem relinquant,habeántq; aliquos ex se genitos,quibus relinquant sibi superflua.

17 Ego autẽ in iustitia apparebo conspectui tuo.
** satiabor cum apparuerit gloria tua.*

17 At verò ego iustitiam meam hic non derelinquam,sicut illi opes suas,sed simul cum ea,& per eam apparebo coram te, cõtẽplaturus faciem tuam:ac tum quidẽ ego, qui multis hic egeo,ac frequenter esurio,nec si adsint,expleri possum vanis ac perituris huius mũdi bonis,*plenè satiabor,cùm sese visendam mihi,omnibúsq; piis exhibebit,quæ modò abdita est gloria maiestatis tuæ,quæ,cùm sit summũ, imo omne bonum, vbi à me conspecta fuerit, tum me sine studio ita in perpetuum satiabit, vt præter eam nihil aliud desiderare vnquam valeam,cum interim tunc in summa erunt egestate impij hic satiati.

ANNOTATIONES.

EXAVDI DOMINE IVSTITIAM, &c.Hebræis non est pronomẽ,meã,sed tantum,Exaudi Dñe iustitiam:vt rectè possit intelligi per iustitiã,id quod iustũ est,iusta scilicet hæc eius precatio.Quanquã etiã rectè accipiatur, de innocẽtia vitę,qua se gessit erga suos hostes,aut, quod eodem redit,de integritate suæ causæ,quę Deo Iudice finienda erat.Porrò cũ dicitur,Intende deprecationem meam,verbum,intende, pro attende,positũ est.Alioqui dicendũ erat:Intende deprecationi meæ.quomodo legit diuus Augustinus & Græca habent, προσχες τῇ δεήσει μου.

VIDEANT ÆQVITATEM.] Et Hebręa & Græca habẽt pluralem numerum, æquitates, vel rectitudines:Augustinus tamen nobiscu legit singulare,æquitatem,ibidem & D. Hieronymus in commentariis.

VIAS DVRAS.]Has vias cõmuniter Latini intelligunt vias iustitiæ,quas etsi Saluator lenes dicat,duras tamẽ hic dictas volũt,quia carni corruptæ durę sunt. Ex Hebræo tamen magis vertunt vias latronis,aut dissipatoris:nã hoc magis

ſignificat פַּרִיץ patits. Vnde rectius per vias duras,intelliguntur viæ iniuſtitiæ,quas Sapientiæ quinto impij teſtatur eſſe difficiles,vt cuſtodire accipiantur pro obſeruare, quemadmodũ Gen. 3.Ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

d ADIPEM SVVM CONCLVSERVNT.] Duplicem indicat paraphraſis ſenſum,Alterum vt per adipem,viſcera intelligantur,circa quę ſolet eſſe multa pinguedo,per viſcera aũt ſignificetur miſericordia,quę inviſcerũ cómotione ſentitur.Alterum,vt per adipẽ intelligatur,opum affluentia,quæ ſuperbiæ & contẽptus Dei,hominúmq; cauſa pleriſq; eſſe ſolet,iuxta illud Deutero.32.Incraſſatus eſt dilectus,& recalcitrauit: Incraſſatus, impinguatus,dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum.

e PROIICIENTES ME.]Proiiciẽtes,expoſuimus pro eiiciẽtes,quia Gręcis ἐκβάλλοντες. Vnde & Diuus Auguſtinus exponit,proiiciẽtes me extra ciuitatem.

f OCVLOS SVOS STATVERVNT, &c.] Duplex põt eſſe ſenſus quẽadmodũ Euthymius annotauit,& paraphraſis indicat.Nã vel intelligi põt.Oculos ſuos in hoc ſtabiliuerunt,vt me declinent in terrã:qui ſenſus Hebræis bene conuenit,quæ habent,ad declinandum in terrã.Vel ſenſus eſt:Statuerũt apud me,vt oculos ſuos declinarẽt in terrã hoc eſt,vt oculos ſuos à te,deflectẽdo,cõuerterẽt ad terrena quędã:aut potius,vt curioſè ac diligenter obſeruarent greſſus meos.

g SVSCEPERVNT ME.]In Hebręo habetur: Similitudo eius ſicut leonis.Verũ interpres Hebręus דִּמְיֹנוֹ dimionu,qđ eſt ſimilitudo eius,mutatis punctis legiſſe videtur demaiunu,à verbo דָּמָה dama, quod ſignificat aliquãdo exiſtimare & putare,qđ Græcus vertit ὑπέλαβεν.qđ verbum & ipſum aliquando ſignificat exiſtimare & arbitrari. Vnde Latinus rectius vertiſſet,de me cogitauerunt,alioqui quid eſt,ſuſceperut me ſicut leo paratus ad prædã:talis enim leo prędam nondum ſuſcepit:niſi malimus ſimpliciter cum Euthymio intelligere,ſuſceperunt me, quatum ad eorum ſpem attinet.

h PRÆVENI EVM.]Græca habent plurale, præueni eos,& ſupplanta eos,quo & Auguſtinus legit. Hebręa habẽt ſingulare,eum,quod magis conuenit ſequenti,Eripe animam meam ab impio.Per frameam,Auguſtinus intelligit animam iuſti,quod per eã Deus oppugnet iniquos.Paraphraſis verò iuxta aliorum ſententiam,per frameã intelligit,poteſtatẽ impiis permiſſam ad tẽpus cõtra iuſtos.Poſſunt aũt Hebręa etiã ſic verti,& melius,Eripe animam meam ab impio framea tua:vt ſit ablatiuus inſtrumẽti,& ſit ſenſus Eripe me ab impio tua illa poteſtate,qua ad vindicandũ impios vti ſoles pro defenſione iuſtorũ. Atq; ſic etiam legit Euthymius,qui nõ legit accuſatiuum ῥομφαίαν, vt nunc habent Græca,ſed datiuum ῥομφαίᾳ.

i A PAVCIS DE TERRA DIVIDE EOS IN VITA EORVM.] Quidã partẽ illã,à vita eorum,coniungũt cum ſequentibus, omittẽtes coniunctionem,&,quæ in quibuſdã libris deeſt, intelligentes ſecũda verſus parte ſignificari cauſam,cur meritò diuidi debeant à paucis, nempe quod in vita ſua abunde tẽporalibus bonis perfruiti ſint.Verũ legendum cum coniunctione.Et de abſconditis tuis:vt etiã correctiores libri habent,patet ex originalibus Hebręis & Græcis,in quibus coniunctio,ſeparans partem ſequentẽ à præcedentibus verbis.Porrò quo rectè intelligatur quæ ſint abſcõdita Dei,de quibus dicit:De abſcõditis tuis adimpletus eſt vẽter eorũ,quandoquidem id variè explanãt plerique ex ignorãtia phraſis Hebraicę,ſciendũ ex phraſi Hebraica ea dici abſcondi apud aliquẽ,quæ quis veluti theſaurum apud ſe repoſita habet,vt ſuo tẽpore proferat daturus cui volet.Sic poſtea dicitur:Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Dñe,quã abſcõdiſti timentibus te? Psal 30. Et Cãtico.7.vbi nos habemus: Poma noua & vetera dilecte mi ſeruaui tibi:Hebræa habẽt abſcõdi tibi,hoc eſt,repoſui tibi.Itaque abſcõdita Dei,hic vocat theſauros Dei hoc eſt,bona,quæ Deus apud ſe in ſua poteſtate habet,quæq; ex ſecreto conſilij ſui proferẽs diſtribuit quibus vult.

k SATVRATI SVNT FILII.]Vetus lectio,quã ſequitur Auguſtin9,habet,ſaturati ſunt porcina.quę verſio ex eo proceſſit,qđ interpres aliquis legerit in Græco ὕων, vt υ ſcribatur ſine iota,vt ſit genitiuus pluralis ab ὗς ὑός,qđ nomen ſuũ & porcũ ſignificat:cũ legendũ ſit υἱῶν,ab υἱός, cum iota,hoc eſt filius.Tractat hunc locũ Diuus Auguſtinus epiſtola 54.reſpondẽs ad interrogationes Paulini,vtriuſq; lectionis mentionem faciens,ſicut & hoc loco in cõmentariis.Et Euthymius quoq; Græcus meminit.In eodẽ verſu legendum eſſe,dimiſerunt,non autem, vt habent quidã libri,diuiſerunt,patet ex originalibus Hebræis ſimul & Græcis,quæ habent reliquerunt, quomodo & D.Auguſtinus legit. Græcis enĩ eſt ἀφῆκαν,Græcis tamen nõ eſt pronomẽ,ſuas,ſicut nec apud D.Auguſtinũ.Eſt tamẽ apud Hebręos, vt meritò de noſtra lectione tolli non debeat.In ſequenti aũt verſu Græca addut pronomẽ,quod apud nos nõ eſt,nec in Hebręo.Habẽt enim:Satiabor cum apparuerit mihi gloria tua,quanquã hæc ad ſenſum non ita multum referant.

In finem puero Domini Dauid,qui locutus eſt Domino verba cantici huius,in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul,& dixit,2.Reg.22.

ARGVMENTVM PSALMI XVII.

HVnc hymnum Deo cecinit rex Dauid,vt patet ex 2 Regũ 22.capite,cũ iam diuina virtute omnes hoſtes ſuos, Saulẽ,Iſboſeth,Iebuſæos,Philiſtæos,Moabitas,Syros,Edomitas,Ammonitas deleuiſſet ſibiq́ſubieciſſet,& regno cõſtituto placidiſſima pace frueretur.Itaq; primũ canit immotã ſuã in Deũ fiduciam,deinde mala quibus fuerat obrutus,poſtea Dei potentiam pro ſe contra hoſtes ſuos declaratam,mox ſui liberationem,tum & innocentiam, atque Dei iudicia in omnes,poſt hæc victoriam multo ampliſſimam de hoſtibus diuina virtute relatam,regniq́; pomeria mirandum in modum prolata etiam in exteras gentes poſtremum iuges Deo promittens laudes ob ſuam in ipſum benignitatem,Pſalmum claudit,canens omnia de ſe,tanquam typo Chriſti ſeminis ſui cuius paſſiones,victorias, & imperium in omnes gentes propagandum & ſine fine duraturum in ſe præuidit adumbrari.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Diligam te domine fortitudo mea,

PRo tot tantíſq;,quæ mihi impendiſti Domine beneficiis,cum nihil aliud habeam quod tibi repẽdam,meritò te ſemper toto animo diligam,idque vt tuo mihi beneficio ſemper facere contingat ſummè deſidero. Tu enim es qui mihi omne robur ſuppeditaſti, Pſal. 17. a

** Dominus firmamentum meum,& refugium meum, & liberator meus.*

per quem ſolũ potui:quidquid vnquam bene potui:* Dominus ipſe mihi eſt,ſempérq; fuit,cum fugiendum eſt,quaſi petra in qua firmiter conſiſto,& quaſi arx quædam inexpugnabilis:ad quam tutò confugere licet. Ipſe liberator meus ab omnibus periculorum caſibus.

2 Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum.

2 Ipſe mihi Deus meus qui ſuam fortitudinem pro me ſubinde declarauit:adiutor meus,& ob id ſemper ſperabo in eum.

3 Protector meus,& cornu ſalutis meæ.

3 Ipſe mihi cum pugnandũ eſt,quaſi clypei vice ab omnibus inimicorum telis me protegit,ipſe mihi eſt velut cornu ſalutem mihi afferens per ipſum enim,confectis hoſtibus meis,ſalus mihi parata eſt, quemadmodum cornifera animalia ſe cornibus ſuis defendunt & ſeruant,& contraria repellunt.

** & ſuſceptor meus:*

* Ipſe mihi perfugium meum,à quo ſemper ſuſceptus ſum,quoties me hoſtes tanquam venatores quidam inſectarentur.

4 Laudans inuocabo Dominum,
** & ab inimicis meis ſaluus ero.*

4 Itaque cum laude & gratiarum actione de perceptis à Deo beneficiis inuocabo Dominum, ſi quando contigerit me ab hoſtibus oppugnari,* nec dubito quin per imploratum diuinũ auxilium ſaluus ſim futurus ab inimicis meis. Nec ego ſolũ,ſed & omnes quotquot mei exemplo dominum inuocauerunt.

5 Circundederunt me dolores mortis:
** & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.*

5 Ita enim de ipſo frequenter ſum expertus.Nam ſæpe me ex omni parte circundederunt dolores imminentis vndique mortis,& incurſiones iniquiſſimorum hominum,* qui more torrentium aquarum concitati contra me ferebantur,vt inopinatò me obruerent & perderent,me magno timore adeo conturbauerunt, vt conſilium euadendi non haberem.

6 Dolores inferni circundederunt me:
** præoccupauerunt me laquei mortis.*

6 Animum meum planè occupauerunt dolores grauiſſimi,quales ſunt eorum qui ſunt in inferno aut morti, quæ ad inferos ducit, ſunt vicini:*& inſidiæ,quibus quidam vt aucupes mortem mihi inferre parabant, ſubitò & inopinato me implicauerunt, vt poteſtas euadendi nulla mihi eſſet.

7 In tribulatione mea inuocaui Dominum:
** & ad Deũ meũ clamaui.*

7 Ego autem in quacunque huiuſmodi tribulatione & mentis anguſtia conſtitutus, non hominem, nec deos falſos,ſed Dominum ſemper inuocaui,* ad Deum meum, qui ſolus verus eſt Deus, pro auxilio clamaui. b

8 Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam,
** et clamor me9 in cõſpectu eius introiuit in aures eius,*

8 Neque id ſanè fruſtra feci. Nam de ſanctiſſimo ſuo cœli habitaculo exaudiuit vocem meam,* & intenta ac ardens affectus mei deprecatio non reiecta eſt ab eo,ſed recepta eſt ab ipſo, & admiſſa.

9 Commota eſt,& contremuit terra,& fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis,

9 Itaque ſuam pro me potentiam, & quidem memorandis cœleſtibus miraculis,contra inimicos meos declarauit, quemadmodum olim cõtra Pharaonem & eius exercitũ pro Iſraelitis oſtendit.Nam terra ab eo conquaſſata eſt terribili motu ſuo, & hoc motu etiam ſtabiliſsima montium fundamenta,totique ipſi omnes commoti ſunt, idq́; ob id,quoniam oſtendere voluit Deus inimicis meis ſe iratum.

10 Aſcendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*

10 Et quemadmodum vehementer iratus homo fumum ſpirare videtur è naribus præ furore iracundiæ, & ex vehementi ſanguinis commoti inflammatione quaſi ignem incẽdentem ore ſuo euomere:ita & præ nimia in hoſtes meos indignatione,è terra quaſi fumus aſcendit nebula, quæ in atram denſata eſt poſtea nubem, in qua à præſentia irati Dei ignis fulminum ſuccenſus eſt.* Similiter & tela fulminea,quæ cœlitus in terras vibrauit quaſi ignitos carbones,

11 Inclinauit cœlos,& deſcendit, & caligo ſub pedibus eius,*

11 Fecit,vt apparentibus nubibus terræ imminentibus,cœli inclinati & demiſſi eſſe viderentur, & ſimul cum ipſis cœlis, in quibus peculiariter habitat, & ipſe deſcendit,præſentiam ſuam in inferioribus nubibus exhibens:* & vt ſe, qui inuiſibilis eſt, iratum adeſſe oſtenderet,ſub ipſo in nubibus exiſtente atra caligo omnia obſcurans & contriſtans longè latéque diffuſa eſt ſuper terram.

12 Et aſcendit ſuper Cherubin,& volauit.

12 Neque tardè,& cum lõga mora ſe mihi præſentem defenſorem exhibuit,ſed quaſi perniciſſimis equis incedit cœleſtibus ſuis ſpiri-

tibus,ſumma celeritate omnia diuina iuſſa conficientibus, ac mirabili rerum effectu Dei præſentiam exhibentibus. *Volauit ipſe per aera vectus alatis celerrimiſque ventis.Per hos enim à ſe excitatos, circumquaque ſubitò ſuam omnibus hoſtibus meis præſentiã horribiliter declarauit.

** volauit ſuper pennas ventorum.*

13 Fecit vt obſcuritas atrarum nubium & caliginis ſibi eſſent pro latibulo.Nam in his ſic ſe præſentem exhibuit,vt tamẽ à nemine videretur,ſicut re vera eſt inuiſibilis, * obſcura aqua adhuc pendens in nubibus aeris,fuit quaſi tabernaculũ eius in circuitu eius. In hac enim præſens,quaſi ex omni parte domo concluſus delituit vt nec præſens cerneretur.

13 Et poſuit tenebras latibulum ſuum:
** in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris.*

14 At mox tenebroſæ illæ nubes à præſentia Dei propter nimium eius,qui immẽſa lux eſt,fulgoré & efficaciã,propter fulminũ etiam ſplendorem diſſolutæ ſunt,atq; in pluuias conuerſæ abierunt,*grando ſimul,ac ignita fulmina in terram deciderunt.

14 Præfulgore eius in conſpectu eius nubes trãſierunt.
**grando & carbones ignis.*

15 Et quo hoſtibus meis magis terrori eſſet, innotuit ex altiſſimo aeris ac nubiũ loco dominus,*& altiſſimus emiſit terribilẽ tonitrui vocẽ,(quæ eius propriè vox eſt à nullo imitabilis)*repetitis vicibus rurſum decidit grãdo,fulguráq; ignea,quaſi ignei quidã carbones.

16 Et miſit in hoſtes meos grandinem,ac fulgura quaſi ſagittas, & his diſperſit ac perdidit eos,*fulgura ſua magno numero multiplicauit,& per hæc hoſtes meos magno timore conturbauit,attonitóſque fecit.

17 Exhauſtis & deſiccatis vi ventorum fluminibus, aluei aquarum prius tecti aquis,iam apparuerunt,* & profundæ fluuiorum ſedes, quæ ſunt quaſi orbis fundamenta,retectæ ſunt.

18 Idque ſolo iræ tuæ iuſſu & imperio,*& propter ſpirationem ardentis,& omnia deſiccantis,venti,quem ex ira tua ſuper terram induxiſti vehementem.

19 Cœleſti ſua virtute & ope,quaſi manu ſua è cœlo ad me demiſſa,me accepit,*& extraxit me ex profundis gurgitibus calamitatũ, †ex multis hoſtibus meis,qui me quaſi aquæ multæ obruere & perdere ſtudebant.

20 Liberauit me ab inimicis meis fortiſſimis,ipſe lõge illis fortior, *& ab his qui capitali odio me perſequebãtur:eámq; liberationem mihi ideo dignatus eſt impẽdere,quoniam vidit inimicos meos fortiores me eſſe,vt mea virtute ab eis me tueri non poſſem.

21 Tempore afflictionis meæ ſuper incautum & imparatum mẽ irruerunt,vt priuſquam ex vno malo explicatus eſſem, aliud obiicerent:* verùm Dominus contra illorum inopinatos inſultus ſe mihi defenſorem exhibuit,

22 Et cùm maximis periculorum anguſtiis arctarer, ipſe me ex his eductum conſtituit in lato ac tuto loco, * ſaluum me fecit propter gratuitam ſuam in me beneuolentiam,quia ſcilicet me amauit & ſibi in me complacitum erat.

23 Et reddidit,ac in poſterum redder Dominus pulcherrima mihi præmia ſecundum iuſtitiam meam,* & ſecundum puritatem, qua manus meas ab omni malo opere puras ſeruari potiſſimum erga inimicos meos,ipſe mihi rependit,ſempérque rependet.

24 Ego enim ſeruaui mandata Domini,nec impietatem admittens defeci à Deo meo,cui me ſemel totum addixi.

25 Quoniã omnia ipſius præcepta,quæ facienda iudicauit,ſemper oculis mẽtis intuitus ſum, ſemper recogitans quid mihi Dominus præceperit,& ad ea quæ præcepit,omnẽ meam vitam componens, * & iuſta eius mandata nõ reieci à me contemnẽs ea aut negligẽs,

26 Neque deſinam ab incepto,ſed quẽadmodum hactenus conuerſatus ſum ſine macula,ita & ſemper ſtudebo coram eo ab omni vitiorum labe immunis eſſe,* & diligenter me obſeruabo,ne quando aliquam committam iniquitatem.

27 Et cùm ita me geſſero,ſicut hactenus fecit,ita & in poſterum liberaliter mihi reddet ſecundũ iuſtitiam meam,* & ſecundum munditiam operum meorum,quam non ſeruaui in gratiam hominum, ſed coram Deo, quem cum nihil latere poſſit quantumuis occultum non poteſt non mea innocentia & puritas illi eſſe cognita.

28 Neque mihi ſolum ſecũdum iuſtitiam meã retribues Domine, ſed qualem quiſq; ſe geſſerit: talem & tu Domine te geres aduerſus eum.Cum eo enim qui ſanctitati & iuſtitiæ ſtudet,tu te viciſſim ſanctum & bonũ exhibebis,fideliſſimè illi præſtans quæ pollicitus es, * & cũ homine innocenter viuente tu quoque ages innocẽter,nihil illi

13 Et poſuit tenebras latibulum ſuum:
** in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris.*

14 Præfulgore eius in conſpectu eius nubes trãſierunt.
**grando & carbones ignis.*

15 Et intonuit de cœlo dominus,
** & altiſſimus dedit vocem ſuam.*
** grando & carbones ignis.*

16 Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos,
** fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.*

*17 Et apparuerunt fontes aquarum, * & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.*

18 Ab increpatione tua domine: ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.*

19 Miſit de ſummo,& accepit me:& aſſumpſit me de † aquis multis.*

20 Eripuit me de inimicis meis, & ab his qui oderũt me,quoniam confortati ſunt ſuper me.*

*21 Præuenerunt me in die afflictionis meæ, * & factus eſt dominus protector meus.*

*22 Et eduxit me in latitudinem: * ſaluum me fecit quoniam voluit me.*

23 Et retribuet mihi dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*

24 Quia cuſtodiui vias domini, nec impiè geſſi à Deo meo.

*25 Quoniam omnia eius iudicia in conſpectu meo: * & iuſtitiæ eius non repuli à me.*

26 Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.*

*27 Et retribuet mihi dominus ſecundũ iuſtitiã meã: * & ſecundum puritatem manuum mearum in cõſpectu oculorum eius.*

28 Cum ſancto ſanctus eris.

** & cum viro innocente innocens eris.*

illi quod non promeruit mali rependens.

29 Illi qui ob vitæ puritatem ſingulariter eſt probatus, tu quoque ſingularem exhibebis benignitatem: * contrà autem cum eo qui peſſimis moribus a recta viuendi ratione auerſus eſt, & peruerſus, tu etiam non benignè,ſed prauè,hoc eſt,ſeuerè admodum ages,mala ei pro meritis malis inferens. † Tu cum eo promiſſionem tuam, & morem tibi proprium, qui eſt miſereri & benefacere, inuertes, quemadmodum ipſe ab eo quod eſſe deberet,inuerſus eſt.

29 Et cum electo electus eris:& cum peruerſo † peruerteris.*

30 Tu enim domine populũ humilẽ & afflictũ immerito, ſaluum facies ab iniuſtis oppreſſoribus,cũ in hac tũ maximè in futura vita, * homines autem faſtuoſos,& arroganter ſuſtollentes oculos deiicies,ac ita deprimes,vt oculos ſuos eleuare non audeant.

30 Quoniam tu populum humilem ſaluum facies,
** oculos ſuperborum humiliabis.*

31 Et quidem Domine quod humilem populum ſaluum facias in me declaraſti.Nam tu is es qui lucernã meam iam pene extinctam rurſum tua luce accendere ſolitus es, tu meam gloriam aduerſitatum tenebris obſcuratam, ac pene deletam tuo fauore, quaſi luce quadam rurſus illuſtrare ſoles: † quare fidẽter abs te peto,vt ſi quæ ingruerint mihi adhuc calamitatum tenebræ,tuo fauore eas depellere digneris,ac eas in gratiſſimam lucem fœlicitatis conuertere. h

31 Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine:

** Deus meus illumina tenebras meas.*

32 Per te enim ſæpe à grauibus & multis ereptus ſum tentationibus,ſempérque eripiar,ſi quãdo adhuc inciderint, * & per virtutem Dei mei mutatas ſepe vrbes expugnaui,vt per earum muros tranſire & ingredi mihi liceret. † Per ipſum quoque ſemper fortis ero,ad quæuis obſtacula impedientia ſuperandum,vt nihil curſum & progreſſum meum impedire valeat. i

*32 Quoniam in te eripiar a tentatione. * & in Deo meo † trãſgrediar murum.*

33 Cum iam aliquandiu videri poterit modus agẽdi Dei iniuſtus, ac iniuſtitia pollutus eſſe,quandiu me hoſtibus dereliquit,& promiſſionem deſtinati regni mutaſſe videbatur iam ipſa experientia declaratum eſt in me quod ſtudia & facta Dei ſyncera ſunt, & ac iniuſtitia pura,promiſſíſque eius probère ſpondentia.* Eloquia eius quaſi argentum igne examinatum, ab omni falſitatis admiſtione, pura ſunt.* Ipſe enim, quemadmodum promiſit, tanquam ſcutum quoddam protegit omnes qui confidunt in ipſum,ſolúſque ipſe verus ac ſecurus protector eſt ſperantium in ſe.

33 Deus meus impolluta via eius:

** eloquia Domini igne examinata: * protector eſt omnium ſperantium in ſe.*

34 Quoniam quis alius in cœlo,aut in terra verus eſt Deus præter Deum,quem nos colimus?Nemo certè alius, ac proinde ſolus ipſe eſt,qui ſua fortitudine protegere poteſt ſperantes in ſe.

34 Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deũ noſtrum?

35 Quicquid vnquam fortiter geſſi,non meis id viribus peregi,ſed Deus ipſe eſt,qui me armauit fortitudine,tũ vt res aduerſas & aſperas magno & inuicto animo ſuſtinerem, tum vt copias hoſtium ſecundis præliis frangerem & vincerem,* ipſe fecit vt omnis mea actio & conuerſatio ab omni ſceleris labe pura fuerit. k

35 Deus qui præcinxit me virtute,
** & poſuit † immaculatam viam meam.*

† Ipſe denique præſtitit non mea prudentia,vt via mea expedita eſſet & integra;vtque actionum mearum inſtitutio fœlicem haberet ſucceſſum:omni carens offendiculo.

36 Ipſe eſt qui pedes meos ita veloces reddidit: quemadmodum ſunt pedes ſeruorum,qui in currendo ſunt celerrimi,* & hac ſumma currendi pernicitate fecit, vt quælibet loca & inexpugnabilia ſuperarem,& occuparem. l

36 Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum:
** & ſuper excelſa ſtatuens me.*

37 Ipſe eſt qui me inſtruxit ſciẽtia rei militaris, aptãs manus meas ad pugnam,eiſque promptitudinem præbens,* tu Domine inſigne robur brachiis meis contuliſti,& effeciſti ea ſimilia æreo arcui,quia feciſti ea ad feriendum & iaculãdum fortia, ad læſionem ſuſcipiendam dura ac talia,quæ nullis poſſent frangi aut fatigari laboribus.

37 Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcum æreũ brachia mea.*

38 Tu me tua ſaluatione tanquam clypeo quodam, protexiſti ab omnibus malis, * & omnipotentia tua me ſuſtentauit, ne vnquam caderem.

38 Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ & dextera tua ſuſcepit me,*

39 Quaſi ſi quãdo mihi aliquas calamitates immiſiſti,id nõ in malum meum,ſed in bonum feciſti. Tua enim paterna caſtigatio, qua me variis anguſtiis miſericorditer caſtigaſti ipſa me ſemper rectificauit,& vt vſque in finem in rectitudine vitæ perſeuerarem, effecit, * mihíque pro magiſtro fuit, vt non declinarem in vitia, atque vt tuam opem mihi neceſſario inuocandam intelligerem.

39 Et diſciplina tua correxit me in finem:

** & diſciplina tua ipſa me docebit.*

40 Cùm frequẽter in eas inciderim anguſtias,vt iam non haberem vbi veſtigium facerem,greſſúſq; mei planè eſſent coarctati, tũ præſtitiſti greſſibus meis latitudinẽ viæ,vt tuto,quo vellẽ,incedere poſſem:* & te me ſuſtẽtante, non ſum vnquam collapſus & proſtratus vlla vi inimicorum. † Præterea in perſequendo hoſtes meos liberum & expeditum iter mihi conceſiſti, & te fortitudinem mihi

40 † Dilataſti greſſus meos ſubtus me.

** & non ſunt infirmata veſtigia mea.*

ſuppe

suppeditante,quanquam diu longéque hostes meos insequerer,pedes tamen non sunt nimio labore delassati & infirmati.

41 Persequar inimicos meos & comprehendam illos. & non conuertar donec deficiat.*

41 Persequutus sum inimicos meos fugientes, sed & assequutus sum eos,donec penitus delerentur.

42 Confringam illos,nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

42 Fregi eorum vires adeo:vt non potuerint amplius stare contra me mihique obsistere,* sed victi prostratique iacuerint sub me.

43 Et præcinxisti me virtute ad bellum,supplantasti insurgentes in me subtus me.

43 Vt autem hæc fortiter designarem, non ego, sed tua bonitas causa fuit. Neque enim ex me ad bella tam multa & grauia instructus fui,sed tu me ad bellum heroica fortitudine paucis data armasti,& prostrauisti,ac perfectè subiecisti mihi,quotquot mihi bellum facere conati sunt.

44 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me,disperdidisti.*

44 Tu fecisti,vt inimici mei mihi terga darent conuersi in fugam, * & odio habentes me,tu per me perdidisti.

45 Clamauerunt nec erat qui saluos faceret: ad Dominum,nec exaudiuit eos.*

45 Vociferabantur illi quidem,sed nemo subsidio veniebat, * ad Dominum,inquam,clamauerunt,& qui solet inuocãtes se exaudire,eos,quia indigni erant,non exaudiuit,vt imploratum illis auxilium præstaret.

*46 Et comminuam eos vt pulverem ante faciem venti, * vt lutum platearum delebo eos.*

46 Quemadmodum puluis facilè dispergitur à vento,& cõminuitur,ita diuina virtute eos dispersi, * & quomodo lutum platearum hominũ pedibꝰ cõculcatur,& proteritur,& ex plateis auferturita & ego planè eos protriui, perdidi, & abstuli homines vilissimos & leues,nec quicquam contra virtutem mihi à Deo præstitam valentes.

47 Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.*

47 Liberasti me Domine ab oppugnatione populi mei Israelitici, qui frequenter mihi contradixit, seseque mihi opposuit, cùm iam totum mihi Israelem subiecisti,* ac deinde etiam externarum gentium in circuitu habitantium principem me constituisti.

48 Populus,quem non cognoui, seruiit mihi. * in auditu auris obedinit mihi,*

48 Populus,quem prius inter meos subditos non agnoui, subiectus factus est mihi,* statim vt auribus percepit famam nominis mei,item auribus percepit famam nominis mei,mihi obediuit.

49 Filij alieni mentiti sunt mihi,

49 Alienigenæ bello à me victi,coacti sunt speciem præ se ferre benevolentiæ,& voluntariæ seruitutis,amicitiam simulantes,cum inimicissimos gererent animos. * Alienigenæ viribus suis debilitati & fracti sunt,vt iam mihi resistere nó possint. * per proprias ipsorũ semitas,quas ingredi solebãt,claudi facti sunt,quia per ipsa bella quæ mihi intulerunt,ita sunt debilitati & eneruati,vt contra me amplius stare non valeant. † A semitis etiam suis,in quibus prius cõtra me ambulabant,ipsi quanquam inuiti,& animo nutante, ac quasi in alteram partem pede claudicante recedere coacti sunt.

50 Viuit dominus,& benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.*

50 Viuit sane Dominus,quem impii negare audent,nec est, vt dij Gentium,mortuus,sed in me dilucidè se declarauit viuere ac florere,& ob id meritò cupio,vt ab omnibus laudetur sicut verè solus est benedicendus atque laudandus,*& vt ipse salutis meæ autor ac conseruator apud omnes altus & clarus habeatur,cui soli tribuere debeo quæcunque per me insigniter gesta sunt.

51 † Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me,

51 Tu enim Domine is es,qui dedisti mihi vltionẽ sumere de inimicis meis, † tu es qui iussisti mihi vindicare improbissimos hostes gentis tuæ ab aliis relictos,tu es,qui varios populos mihi subiecisti, * tu me liberasti ab infestissimis mihi hostibus.

liberator meus de inimicis meis iracundis.

52 Et ab insurgentibus in me exaltabis me. * a viro iniquo eripies me.*

52 Et ab his qui in me summo furore insurrexerũt, méque deprimere conati sunt,tu me ereptum extulisti victoria mihi præstita, & glorioso regno,*idémque à tyranno iniquo ad mortem me diu persequente eripuisti.

53 Propterea cõfitebor tibi in nationibus domine: & nomini tuo psalmum dicam.*

53 Itaque propter hæc tua in me beneficia gratias tibi semper agam,téque celebrabo,non in Iudæa tantum,sed & in exteris nationibus,ad gloriam nominis tui Psalmos laudis decantabo, * hymnos conscribam,quos præuideo in omnium Gentium templis celebrandos,per quorum etiam ora,ego te vsque in finem laudabo.

54 Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid,* & semini eius vsque in seculum.*

54 Ipse enim Dominus frequenter magnas saluationes fecit mihi regi à se constituto,variásque salutes mihi impensas, apud homines illustres & glorioſos effecit, * & benignè ac misericorditer egit,agítque mecum,quem in regem vnxit super populum suum, * neque mecum solum,sed & cũ semine meo vsque in sempiternum,cui perpetuam misericordiam Deus meus pollicitus est, quã illum maximè præstiturum cognosco in Messia ex me secundum eius promissum nasciturum,& his qui per fidem in eum, illius mẽbra, meũmque semen futuri sunt.

ANNO

ANNOTATIONES.

QVanquam ex hoc Psalmo quædã in nouo testamẽto citẽtur de Christo,vt illud: Confitebor tibi in nationibus Domine,&c.hũc tamẽ Psalmũ à Dauide dictũ etiã in sua persona,nimis manifestũ est,tũ ex titulo Psal.& 22.c.2.lib.Reg. tũ ex Psalmi materia,cũ bella & victorias Dauidis apertè ad literam describat. Vel ex hoc ergo Psalmo duo hæc colligere licet,videlicet,q̃ ex ci tatione alicuius loci ex Psalmis, nõ statim concludendũ sit Psalmum illũ soli illi accõmodãdũ, pro quo citatus est.Et rursum: Quod in his quæ de se in Psalmis propheta regius cecinit, Christi figurã prætulerit,in quẽ proindè etiã illa ex intẽtione spiritus cõpetũt,& in quo pleraque dictorũ verius & perfectius quadrant:sicut cõtrà Dauidi quædã ad literã magis cõueniũt, spiritu sancto miro quodã artificio ita tẽperãte hæc cãtica, vt quoniã propheta de se frequẽter loquitur, nõ sine respectu ad eũ,cuius fuit figura,& de Christo loquitur,sed vt per se præfigurato, quædam sint quæ ipsi figuræ magis cõueniãt, quædã quæ ipsi figurato. Quẽadmodũ hoc Psalmo magis & perfectius quadrãt in Christũ,quæ de perfectione vitæ dicũtur,vt illud: Custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo,& quæ sequũtur.Itẽ: Constitues me in caput gentiũ.&: Confitebor tibi in nationibus Domine. Nõ fuerit autẽ difficile,sensu literali probè intellecto, totũ etiã Psalmũ in mystico sensu tribuere Christo.Siquidẽm etiã ipse variis quorundã insidiis ad mortẽ quæsitus est, & graues mortis angustiæ animũ eius, instante morte,occupauerunt, ac tũ Deus cõtra hostes ipsius variis cœlestibus signis irã suã declarauit,lunæ scilicet,solisq; obscuratione,terræ motu,petrarũ scissione,ac monumentorũ apertione,tandẽ illũ à morte resuscitans,atq; ab omnibus eũ inimicis eripiens,idq; propter innocentiã ipsius de qua solus ipse verè gloriari potest. Nec hæc tãtũ ei præstitit Deus sed etiã de inimicis eius vniuersis gloriosè ipsum triũphare dedit regnumq; eius in omnes gentes à Deo prius in Populo Dei non receptas propagauit: quæ cùm ipsum in carne nõ vidissent, ad solũ auditũ prædicationis Apostolorũ in obedictiam fidei facile venerũt,Iudæis interim plerisq;(qui filii Dei vocari solebãt,sed per inobediẽtiã fidei,à Deo alieni filii facti sunt)mentiẽtibus illi,dũ non recipiunt eum quẽ se recepturũ sperauerant, qui proinde à præclaris animi virtutibus defecerũt,senescentes in veteribus suis ceremoniis,& per has quasi claudicãtes à semitis patrũ suorũ, dum nõ rectè Deo seruiunt,sed ex parte eum recipientes,& in multis ei contradicẽtes.Ob quę sibi præstita beneficia suisque propter se vsq; in finem præstanda,Christus patris nomen & per se post resurrectionẽ celebrauit,& per suos prędicatores, omnesq; fideles semper celebrare non cessat. Cęterùm quoniã magnã obscuritatẽ adfert huic Psalmo,q̃ præteritis verbis futura,& rursùm futuris præterita subtexerunt, oportet hic meminisse eius,q̃ supra dictũ est,in Psalmis tẽpora sæpe confundi,& præterita pro futuris,& cõtra sæpe accipi:& proinde vbi sensus ita requirit, hęc per illa exponẽda esse,q̃ in hoc Psalmo vel ob id magis faciẽdũ est, q̃ Septuaginta verterũt in eo sępius futurum,vbi Hebræa postulant præteritum.

a DILIGAM TE DOMINE.) Indicat Paraphrasis duplicẽ sensum, vt scilicet vel promittendo dicat,Diligã,vel etiam optando.Cęterùm in variis illis nominibus, quę Deo tribuit, sciendum Hebręa habere pleraque nomina metaphoricè posita,quę magnã habẽt gratiam, sed à Septuaginta reddita sunt aliis nominibus metaphoras explicãtibus. Nam pro firmanentum, Hebręis est petra, in qua scilicet firmiter consistitur:pro refugium,est arx,in quam scilicet quis tutò refugit: pro protector, est hic & alibi frequenter clypeus, quo scilicet obiecto quis in bello protegitur. Huic addit cornu, quo scilicet hostes oppugnantes inuaduntur. Priora duo conueniunt fugientibus,posteriora pugnantibus.

b COMMOTA EST, ET CONTREMVIT TERRA.] Quidam hæc putant Deum pro Dauide,sicut hic narrantur, præstitisse: etsi non legamus ea facta, sicut hæc Deus prius fecerat, cùm Israel transiret mare rubrum, & cùm Iosue pugnaret contra reges Amorrhæorũ.Et de Dauid legitur 2.Reg.5.quod non prius inierit prælium contra Philisteos, quàm audierat sonitum gradientis in cacumine pirorum. Alii rectius hæc omnia metaphoricè, & hyperbolicè accipiunt, intelligentes hęc Prophetam poëtica quadam exornatione narrare, atque per hęc significare quomodo Deus sibi adfuerit, summo horrore hostibus immisso,ac illis mirabiliter cœlesti virtute prostratis: quomodo etiã intelligunt quod Isaię 29.excidium Hierusalem prędicitur futurũ in tonitruo, & commotione, & voce magna turbinis,& flamma ignis omnia deuorantis. Et in descriptione subuersionis Babylonicę ca.13.dicuntur Sol & Luna obscuranda,& stellę casurę de cęlo.& Dominus dicit:Turbabo cœlum, & mouebitur terra de loco suo. Quem locum exponens D. Hieronymus, dicit hyperbolicũs esse dicta,vt vehementissimã iram Dei vates exaggeraret.Sunt etiam,qui quoniam ad literam non inueniunt hęc pro Dauide facta, nec poëticas exaggerationes recipiunt in scripturis,ad Christum hęc omnia propriè & solum pertinere volunt:quorum vt labores contemnere non debemus, quoniam eisdem verbis varios sensus spiritum sanctum significasse, dubium non est, ita simplicius esse putamus hęc primum tribuere Dauidi, altero duorum prędictorũ. Certe Dauid alio loco,cũ precatur à Deo, vt de medio tollat inimicos suos,vtitur & sentẽtiis,& orationis ornamẽtis eisdẽ,quibus hoc loco:Domine,inquit,inclina cœlos tuos, & descende:tange montes,& fumigabunt. Fulgura coruscationes,& dissipabis eos.Emitte sagittas tuas, & conturbabis eos:Emitte manum tuã de alto, eripe me,& libera me de aquis multis,& de manu filiorum alienorum.Quibus verbis ea precatur,quæ hic sibi pręstita canit. Cùm verò Christo tribuuntur,intelligere simpliciter licet significata ea miracula,quæ in cœlo & in terra Christo crucifixo ostensa sunt,ad declarationẽ admissi sceleris & indignatiõis diuinæ. Qui sublimiora requirit,facilè apud alios inueniet qui ea studioſe prosecuti sunt quorum tractatio, vt vnico verbo attingatur, in eo consistit,vt quæ ad literam hic dicuntur in vindictam impiorum à Deo irato facta,mysticè intelligantur Dei beneficio per euangelicam prædicationem præstita, Deo non hominibus irato,sed eorum vitiis.

PSAL. 143.

GRAN

c GRANDO ET CARBONES IGNIS.] Hæc pars secundo loco non reperitur apud Græcos nec est apud Augustinum: est tamẽ bis apud Hebræos, sicut & apud nos, vt ne quis putet eam secundo loco notandum obeliſco.

d APPARVERVNT FONTES AQVARVM.] Videri posset hoc versu significasse per terræ motũ, terrã ita apertã, vt latẽtes in ea fontes aquarũ & interiora terræ, quæ sunt quasi fundamẽta terræ, retecta sint. Verũ dictio Hebraica nõ significat fontes propriè, sed torrẽtẽ, aut locũ etiã, per quem torrẽs decurrit. quæ significatio huic loco maximè cõuenit, vt significetur alueos aquarum detectos, ꝙ aquæ absorptæ essent vi ventorum, de quibus sequenti versu dicitur. His verò rectè intelligitur Prophetã significare voluisse, diuina potẽtia hostes ipsius, qui instar validi torrẽtis obruere seipsum conabãtur, & ea subnixi potẽtia videbãtur, vt minus credibile esset eos posse extingui, quã ingẽtia deficcari flumina, mirabiliter sublatos esse atq; subuersos. Vim enim hostium suorũ, quã suprà per torrentes iniquitatis significauit, aquis amplissimè inundantibus similẽ facit. Vnde in hac metàphora perseuerãs subiicit: Assumpsit me de aquis multis. Quod exponens subdit: Eripuit me de inimicis meis fortissimis.

e SECVNDVM, &c.] De iustitia gloriatur, quãquam in multis se peccasse alibi agnoscat. Aut quia in causa, quæ illi erat cũ inimicis suis, quos nulla in re leserat, iustus esset. Aut etiã propter conatum & studiũ mentis vitia summè detestãtis, atque penitus in eam curam incumbentis, vt sese castam, puramq; à vitiis seruaret. Vnde non dicit, se nihil mali gessisse, sed non impiè gessisse, detelicto penitus Deo, seq; dicit obseruaturũ se ab iniquitate id enim qui facit, etsi per imprudentiam & infirmitatẽ multa committat quę minus recta videntur, nõ tamen omnino iustus esse desinit, quod mox ad misericordiam Dei confugiat, qui summa benignitate errata condonat.

f OBSERVABO ME, &c.] Hoc est custodiã me, ne sit in me aliqua iniquitas, vt iniquitatẽ suã dicat ꝙ eius fieret, nisi se obseruaret cauti⁹. Aut dicit, ab iniquitate mea, hoc est, iis peccatis ꝙ olim admisi: occidẽdo scilicet Vriã, & adulteriũ cõmittẽdo cũ Bersabea. Quãquã & subtili⁹ accipi posset, ipsũ loqui de peccato illo, ꝙ iuxta Paulũ, habitat i carne, à quo, nisi etiã sancti summa caueãt diligentia, in magna facilè impellentur flagitia.

g CVM SANCTO SANCTVS ERIS. Qui dã sic intelligunt: A sancto & innocẽte, tu Domine sanctus & innocẽs reputaberis: & à peruersis, peruersus & iniqu⁹ habeberis. Verũ alter sensus, quã habet Paraphrasis, magis loco cõuenit. Cui non absimile est, ꝙ est Leuit. 26. Si ambulaueritis aduersum me, & ego incedam aduersus vos.

h TV ILLVMINAS LVCERNAM, &c.] Græca in vtraq; parte huius sentẽtiæ habent idẽ verbum futuri tẽporis secundæ personæ φωτιεῖς, illuminabis, quomodo & Augustinus legit in vtraq; parte. Hebræa in 1. parte habẽt verbũ secũdæ personæ, in secunda parte verbum tertiæ personæ: Tu illuminabis lucernã meã, Dominus Deus meus illuminabit tenebras meas vt mirũ sit cur interpres noster verterit, illumina, in secũda parte, & videri posset ipsum vertisse, illuminat, nisi fortè putauerit futurũ, ꝙ in Græco ponitur in secunda, illuminabis, vertendum per imperatiuum, ne idem dicatur secũdo membro, quod priori. Cæterum per lucernã, ad literam iuxta phrasim in scriptura frequentẽ significatur gloria, fœlicitas, atque rerũ prosperitas, quod hęc instar lucis aut candelę animũ recreet: sicut contrà per tenebras significantur aduersa, quæ mœrorẽ adferunt sicut tenebræ. Iam quod dicit, illuminas lucernã meam, aut simpliciter significat, Deũ fœlicitatis ipsius esse causam, vt sit sensus, Tu es, qui lumẽ gloriæ & fœlicitatis mihi præbes. ꝙ conuenit cũ eo quod 2. Reg. 22. in eodẽ Cãtico dicitur: Tu es lucerna mea Domine. Aut amplius significatur, Deum gloriã ipsius ac fœlicitatem, cum periclitari inciperet, & veluti extingui, restituisse, & rursum illustrasse, quod cõuenit cum secũda parte, qua dicitur Deus illuminare tenebras: quod nihil aliud est, quã Deũ sua gratia dispellere aduersitatũ molestias, easq; in fœlicitatẽ commutare. Vtut est, significatur Deũ suæ gratiæ luce & fœlicitatẽ adferre, & infœlicitatẽ auferre. Iuxta mysticum autẽ sensum, sicut per tenebras, ignorantiæ & peccata ferè intelliguntur: ita per lucernã, veri cognitio, cuius Deus in nobis auctor est, sicut ipse solus mentis tenebras dispellere potest.

TRANSGREDIAR MVRVM.] Nõ dicit se transgressurũ murum, quasi per murũ sit iturus, sed quod vltra illũ transiturus sit. Non enim est Græcis verbum διαβήσομαι, sed ὑπερβήσομαι. Et Hebræis est transiliam, vt vertit D. Hieronymus.

POSVIT IMMACVLATAM VIAM, &c.] Græcè est ἄμωμον hoc est, irreprehensibilem.

Iuxta quã versionẽ istud dictũ videtur de vitæ suę cõuersatione, quę Dei beneficio integra fuit. Hebræa dictio significat propriè, perfectũ & integrũ, & potest intelligi via perfecta, via quæ nullum habet impedimentũ, sed expedita est & libera. Itaque significabitur Deũ hoc ei præstitisse, vt cursus actionũ ipsius prosperè procederet, atque ad optatum finem deueniret. Qui sensus magis cõuenit toti narrationi. Vnde Hieronymus vertit in 2. Reg. Et cõplanauit perfectã viam meam. Eũdẽ sensũ habebit nostra litera, si immaculata via accipiatur pro ea ꝙ caret offẽdiculo. Ob hoc enim via aliqua, per quã eundẽ est, reprehẽditur.

QVI PERFECIT PEDES MEOS.] Græcis est, sicut & Hebræis, participiũ præsentis temporis. Vnde & diuus Augustinus legit, Qui perficit. Idẽ cum Græcis legit, tanquam cerui, quanquã Hebræis sit plurale, ceruorũ. Sed hęc minutiora sunt, nec ad sensum multum faciunt.

IN AVDITV AVRIS.] Græcis est, εἰς ἀκοὴν ὠτὸς, quod magis est, ad auditũ auris, quomodo & habent Hebræa, & est sensus: statim vt auribus suis audissent famã nominis mei, aut voluntatẽ meã.

FILII ALIENI MENTITI SVNT.] Filios alienos vocat alienigenas, quomodo & Ps. 143. qui huic in multis similis est: Eripe me de aquis multis, & de manu filiorũ alienorũ. Quid autem sit illud mentiti sunt mihi, cũ variè etiam ab Hebræis accipiatur, optimè ex aliis locis intelligetur, in quibus hæc loquẽdi forma occurrit. Talis enim est Ps. 65. cũ dicitur: In multitudine virtutis tuæ mẽtientur tibi inimici tui. Quẽ locũ etiã Græci sic exponũt, vt significetur, falsorũ deorum cultores, magnitudine operũ diuinorũ territos, pietatem & cultum veri Dei, etiam si ab eo maxime abhorrerent, simulatores. Sic & Deuteronom. 33. de Israel dicit Moyses: Beatus es tu Israel, quis similis tui populę, qui saluaris in Domino, scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ? Nega-

Negabũt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis. Vbi pro, negabũt te inimici tui, est, sicut hoc loco: Mentiẽtur tibi inimici. In quibus sane verbis satis liquet, mentiri inimicos Israeli, idem esse, quod supplices ei fieri, & illius potentiæ vel inuitos subiici. Quod vel illud abundè declarat, & tu eorũ colla calcabis. Itaque mentiri, pro trepidante & maxime seruili subiectione scriptura vsurpare solet: quod qui ita subiecti sunt, multa soleant timore adacti mentiri iis quibus seruiũt. Quemadmodũ olim Latini fures pro seruis dicebant, quod serui omnes furari soleãt, propter nimiam in eos dominorum parcimoniã. In eũdem sensum facilè accipi põt ad literã quod Septuaginta verterũt: & claudicauerunt à semitis suis: quãquã Paraphrasi huius partis etiã aliũ indicauerimus sensum, qui conueniat cum illa parte: Filii alieni inueterati sunt. Quod autem in mystico sensu per filios alienos, Iudæi intelligãtur, mirum esse non debet, cùm gentibus in populũ Dei trãslatis per fidem, ipsi per infidelitatẽ suã in gentium locum & nomen translati sint.

VIVIT DOMINVS.] Hæbraicè est, viuens Dominus, & potest subintelligi, est, vel fit, vnde Septuaginta verterunt, viuit: alii vertunt, viuat quod sequẽtibus magis videtur conuenire. Quamquam etiam rectè quadrat, vt post commemorata tam varia potentiæ diuinæ argumenta, Psalmista cum exclamatione dicat: Viuit Dominus: quasi dicat: Vere Deus meus non est vitæ expers, vt sunt idola, quæ suis opem ferre non possunt.

In finem, Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XVIII.

CAnit hoc hymno propheta de duplici ratione cognoscendi Deum. & primum quidem de ea quæ percipitur ex contemplatione rerum naturalium, & maxime corporum cœlestium, quæ sua magnitudine, pulchritudine, ordine, varietate, perpetuóque cursu, creatoris omnipotentiam, sapientiam ac bonitatẽ omnibus nationibus insinuant. Deinde de ea quæ certius percipitur ex lege Dei, scripturisq; sanctis, quas peculiariter suo populo tradidit Deus, cùm iam lege naturali obscurata in maximos errores incidissent homines. Hanc igitur diuinam legem miris modis commendat, vt quæ pietatem doceat & innocentiam, per quam ad summa præmia perueniatur, quibus ne priuetur, occulta peccata sibi dimitti, & à futuris seruari orat. Ex citatione autem Pauli ad Rom. 10. patet septem primos versus huius Psalmi allegoricõs esse intelligendos, vt per cœlos intelligantur homines cœlestes. Apostoli scilicet, qui omnium linguis loquentem per orbem diuulgauerunt solem iustitiæ Christum Dominum, non secus quàm cœli suo motu solem in omnem deferunt terram. Itaque & insignis quæ subiicitur legis diuinæ commendatio, ad euãgelicam legem, quam Apostoli prædicauerunt, perfectius pertinet, quàm ad Mosaicam.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Psal. 18. 1 *Cœli enarrant gloriam Dei.*

COeli sua varietate, ornatu, motu ac vtilitate multiplici, declarant nobis, ac materiam subministrant nobis, narrandi maiestatem potentiæ, sapientiæ ac bonitatis Dei: * & tam amplius cœli ambitus infinitis syderibus ornatus testatur, quàm magna & admirabilia sunt opera potentiæ ipsius. a

* *& opera manuum eius annunciat firmamentum.*

2 *Dies diei eructat verbum,*

2 Neque vllo vnquam tempore cessabunt Dei gloriam suo modo cœli prædicare nã perpetua successione præcedens dies effundit in sequentem diem verbum prædicationis & cogitationis gloriæ Dei, * præcedénsque nox transmittit scientiam Dei in subsecuturam noctem. Quasi enim de die in diem, de nocte in noctem tramisso verbo ac scientia Dei, nobis cœli loquuntur, dum sine fine singulis diebus ac noctibus non cessant Dei gloriam declarare. b

* *& nox nocti indicat scientiam.*

3 *Non sunt loquelæ, neque sermones,*

3 Neque verò quibusdam tantum Dei gloriam cœli prædicant, sed quemadmodum omni tempore, ita & omni loco, omnibúsque hominum rationibus Deum insinuant. Nulla enim sunt idiomata, aut fermonum genera, * quorum voces non audiantur in ipsis cœlis: qui quodammodo omnium linguis loquuntur, cùm ab omnibus intelliguntur, & omnes in suo idiomate Dei gloriam, ex cœlesti machina intellectam, deprædicare faciant. c

* *quorum non audiantur voces eorum.*

4 *In omnem terram exiuit sonus eorum: * & in fines orbis terræ verba eorum.*

4 In vniuersam terram peruenit sonus eorum, quo nobis Deum annuntiant: * & in extremas orbis terræ partes verba eorum. Hic autem eorum sonus & verba, sunt immutabilis eorum ordo, constantia, motus, pulcherrimáque eorum structura, tanquam ad regulam & lineam facta, ac similia, quibus Deum maximum, sapientissimum, ac optimum hominibus cunctis ostentant. d

5 *In sole posuit tabernaculum suum.*

5 Verum inter omnia cœlestia corpora, nullũ æquè Dei maiestatem testatur & glorificat: atque sol, sydus præclarissimũ, maximéq; diuinum. In hoc peculiariter Dominus constituit suũ tabernaculũ, suámq; mansionem. Non enim alibi gloriam maiestatis suæ gloriosius & clarius spectandam exhibuit, quàm in sole præ aliis maximè glorioso: in quo sic conspicitur, veluti si gloriosissimus imperator resideat spectabilis & admirandus in suo proprio tabernaculo. Ex hoc, quasi è regia sua, omnia supera & infera mirabiliter regit, cum sol sit omnium reliquorum syderum dux, & luminis eorum fons, cunctarum vero caducarum rerum salus & conseruatio. e

* Huius

& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

* Huius certè mirũ quanta ſit in exortu ſuo gratia & pulchritudo, quantus in motu impetus,quanta in calefaciendo efficacia. Ipſe enim vbi nocturno tẽpore delituit in hemiſphærio inferiori, & quaſi cum hominibus dormierit,ſummo mane in magna procedit claritate,omnia ſua luce recreans,& veluti innouans:quemadmodum ſi ſponſus ſplendidiſſimis indutus veſtibus procedat è cubili ſuo,è quo cum progreditur,expectantes amici exhilarantur, ac gratulabundè excipiunt venientem.

6 Exultauit vt gigas ad currendam viam:

6 Iam quanta eius in conficiendo ſuo motu pernicitas?Ipſe enim, quaſi potentiſſimus aliquis gigas,promptus eſt & expeditus, poſtquàm exortus eſt, ad abſoluendum ſumma celeritate ſpatium illi præſcriptum.*Ab altera cœli extremitate mane egreditur.

** à ſummo cœlo egreſſio eius.*

7. Et occurſus eius vſque ad ſummum eius,

7 Et breuiſſimo tempore velociſſimè fertur vſq; ad alteram cœli extremitatem,*& minimo tempore etiam ab his terris maximè diſſitus omnia loca radiãtibus flammis illuſtrat, omnibúſque calorem ſuum vitalem,cunctas naturas augentem & nutricantem impertit, ita vt nemo expers ſit,etiamſi velit,caloris eius ſalutaris.

** nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.*

8 Lex Domini immaculata,conuertens animas:

8 Cum autẽ harum creaturarũ aſpectus & cõtemplatio multum ad hoc valeat,vt earũ creator & gubernator Deus per ea cognoſcatur,& agnitus colatur: quoniã tamen mortales ſua incuria per hæc ad Dei cognitionẽ parũ promouebãtur,& naturalem legem, quam creaturarum intenta cõſideratio non parũ illuſtrat, obſcurari in ſe paſſi ſunt,ſua benignitate Deus etiã legẽ à ſe traditã per cæleſtes viros populo ſuo addere dignatus eſt,qua nõ ipſe tantũ, ſed & viuẽdi bene beatéq; ratio certius cognoſceretur,quã certè dignũ eſt omnibus nominibus commendare.Ipſa enim ante omnia in ſeipſa ſyncera eſt,nihil iniquum,nihil vanũ continens,ideóq; conuertit homi num animas ab errorum tenebris ad ſapientiæ lumẽ, à vitiis ad virtutes.*Ipſa(quę & teſtimoniũ eſt Domini,eo quod teſtetur per eam nobis Dominus quid faciendũ,quidve fugiendum, quid item faciẽtibus voluntatem ſuam ſeruare decreuerit)cùm ſit fidelis & verax, non vanas continens promiſſiones,nec aliud docens, quàm fidelitatem & iuſtitiam,*ſapientiam præſtat his qui antea erant imperiti, & his maximè,qui humiles ſunt,& animo paruuli,ſubmiſſéq; ſe gerentes.Nullus enim ſapientiæ locus eſt in ſuperborum animis,ſed humilibus Deus dat gratiam.

** teſtimonium domini fidele,*

** ſapientiam præſtans parvulis.*

9 Iuſtitiæ Domini rectæ,

9 Mandata Domini,quæ hominem docent iuſtitiam, quæque ſeruata hominem iuſtificant,cum ſint recta & æqua, à iuſtitia minimè obliquantia,* ſolido gaudio exhilarant animos,ipſa ſua rectitudine & veritatis cognitione,diuinorum item promiſſorum magnitudine, ac ſecuritate mẽtis,& vita ſpirituali,quã donat ſuis obſeruatoribus.

** latificantes corda,*

** præceptum Domini lucidum,*

* Lex Domini,que ipſius continet præcepta, cum ſit tanquam puriſſima aqua tranſlucida,nullis errorum aut difficultatum tenebris turbida aut obſcura,* imo ſit tanquam lux clariſſima, illuſtrat mentem,vt poſſit videre quæ via deducat in cœlum.

** illuminans oculos,*

10 Timor Domini ſanctus,

10 Timor Domini is, quem hominum mentibus potiſsimum ingenerare lex Dei conatur, talis ſcilicet, qualis eſſe ſolet optimi filij aduerſus optimos parentes:is quam timor ac reuerentia filialis,ſancta eſt & pura in ſeipſa,& ab omni macula ac vitio puros integróſque ſeruans piorum animos, * nequaquam inſtar timoris mundani facilè ad quamuis occaſionem mutatur,nec tranſit,ſed permanet in æternum,concomitans etiam iuſtos è corpore migrantes,* præcepta Domini quæ facienda nobis iuſto ſuo iudicio iudicauit, ſicut in ſeipſis ſingula,æquiſſima ſunt, & à recto neutiquam deuiantia, ita inter ſeſe mutuo omnia ſimul iuſta ſunt.

** permanens in ſeculum ſæculi,*

** iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.*

11 Deſiderabilia ſuper aurum,& lapidem pretioſum, multum,

11 Præferenda ſane hæc ſunt oĩbus & diuitiis & voluptatibus.Nam horum intelligẽtia & obſeruatio magis eſt deſideranda,quã ea quæ homines maximè deſiderant,vt ſunt aurum,& lapides pretioſi valde,quæ cõcupiſcuntur ob eorũ tũ pulchritudinẽ, tum pretiũ & valorem:* Ipſa etiã Dei mandata dũ intelliguntur & obſeruantur,dulciora ſunt his quæ corporali guſtui ſunt ſuauiſſima qualia ſunt mel & fauũ.Magis enim hæc intellectũ oblectant,quã oculos auri gemmarúmq; pulchritudo,ſuntq; auro & gẽmis pretioſiora,vt quæ verè diuitẽ faciãt cuſtodientẽ ea:neq; intellectũ tantũ paſcũt & recreãt, ſed & affectum hominis ſeruãtis ea maiori dulcedine profundunt, quàm dulciſsima quęque guſtum afficere poſſunt,cum horum dulcedo ſpiritualis ſit,atque perpetua.Sæpe tamen fit,vt quẽadmodum guſtus aliquo morbo depranatus mel iudicat amarum:ſic animi ſenſus falſis opinionibus corruptus, Dei præceptiones natura ſuaues,

** & dulciora ſuper mel & fauum.*

ueſ,acerbas ducat,& præ his ſuauiores reputet carnis falſas delitias.

12 Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea:

12 Sed quanquã quorundam tale ſit iudiciũ,deſiderabiolora tamẽ rectè ea dico maximè deſiderabilibus,ac dulciora dulciſſimis: quia quiſquis tibi ſeruire cupit,is per ea cõtinuò admonetur, admonitúſque intẽtè ea obſeruat,vt ſecundũ ea vitã omnẽ inſtituat,*per obſeruationem aũt & adimpletionem eorum magnã certè & inexplicabilem percipit mercedem,tum in hoc tempore,quo mens eius conſecuritate ſciẽtiæ,ac vita ſpiritus diuini ineffabiliter recreatur,tũ in futuro,quo ea bona aſſequetur,quæ nec oculorum aſpectu cõprehendi,nec auribus percipi,nec vlla queant cogitatione adumbrari.

** in cuſtodiendis illis retributio multa.*

13 Delicta quis intelligit?

13 Verũtamen quis attendens humanam infirmitatem,& quã multa peccemus inſciẽtes,audeat affirmare ſe per omnia cuſtodiſſe Dei præcepta,quorum obſeruationi tanta propoſita ſunt præmia?An eſt aliquis,qui poſſit cuncta errata in ſe animaduertere?Nemo certè,cũ in multis omnes quotidie offendamus & frequenter item ſub ſpecie virtutis,vitiũ ſubrepat.*Proinde optimè Domine te rogo, vt pro tua infinita miſericordia maculas occultas,quæ conſcientiã meam effugiunt,abluere digneris,*& ne vnquam in poſterũ à legis tuæ obſeruatione,atque tua amicitia excidam,defende me ſeruum tuũ ab his qui per ſuam ſuperbiã à te ſunt alieni,ab iniquis ſcilicet dæmonibus eorúmque miniſtris,improbis hominibus, tuæ voluntati contrariis. Ab his me præſerua, vt non illorum prauis ſuggeſtionibus in vitia pertrahar.

** ab occultis meis munda me Domine:*

** & ab alienis parce ſeruo tuo.*

14 Sicuti non fuerint dominati,tunc immaculatus ero:

14 Etiamſi ſemper hi oppugnauerint,ſi tamẽ,tua gratia me cuſtodiẽte,non fuerint mihi dominati,ita vt ad eorum voluntatem vitiis ſeruiam,tunc certè quanquam à leuibus delictis,ſine quibus nemo viuit,liber non ero,tamen immaculatus ero,*& mũdus à grauibus peccatis,quæ Dei inimicum conſtituunt,& à cœlorum regno excludũt.

** emundabor à delicto maximo.*

15 Et erunt vt complaceant eloquia oris mei.

15 Neque à malis tantũmodo factis immunis ero,ſed & eloquia oris mei talia erunt,vt tibi placeant,*inſuper & omnis meditatio cordis ſemper erit tibi accepta & grata. Erit enim ea ſemper in lege tua,& beneficiis tuis.

** & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.*

15 Domine adiutor meus & redemptor meus.

16 Corã te,inquam,erunt, ô Domine,& verba & cogitata mea, quẽ ſolum ego habeo pro adiutore meo ad faciendum bonum,& pro liberatore à malo,in quod incidere me contigit.

ANNOTATIONES.

ET OPERA,&c.]Pro opera,Hebręis & Græcis eſt ſingulare,opus.Et Græcis eſt ποίημα, quod magis ſignificat operationẽ, quàm ipſum opus.Nõ enim eſt ποίημα aut ἔργον,vt Pſ.8.cũ dicitur:Videbo cœlos,opera digitorũ tuorum. Et magis conuenit dicere,ipſum firmamentũ annũtiare operationẽ Dei,quàm opus & opera,cum ipſum ſit opus Dei.Itaq; ſignificatur,firmamentum indicare quam admiranda ſit Dei operatio.

DIES DIEI,&c.]Quidã datiuos hos diei & nocti vertunt per genitiuos,nam lamed apud Hebræos plerũq; etiã genitiui eſt nota,aut per præpoſitionẽ,de,exponitur,quẽadmodum Pſalmo tertio:Dicunt animæ meę:pro,dicũt de anima mea,vt ſic vertatur:Dies diei eructat verbũ, & nox noctis indicat ſcientiam.Aut:Dies de die eructat verbũ,& nox de nocte indicat ſciẽtiam, hoc eſt,dies vnus indicat ſubſecuturũ alterũ, & nox præcedẽs docet nos cognoſcere noctem ſequentẽ.Sic Cãpẽſis,ſic Kimhi Hebræus.Plerique aũt,qui datiuos legunt,aliquid putant eſſe ſubintelligendũ,hoc modo,dies ſuccedens diei,&c. hoc eſt,quælibet dies & quælibet nox, indicat ſcientiã Dei.Verũ rectius ſine ſubintellectione, hic verſus accipitur ſignificare cœlos indefinenter Dei gloriã enarrare.Nam etſi dies hodierna quæ hodie Dei gloriam enarrat,eſſe deſinat,nõ tñ ob id gloria Dei amplius non enarratur,quia hæc dies loquitur verbũ ſequẽti diei, & in eam quodãmodo cũ ſucceſſione ſuã prædicationẽ diuinæ gloriæ tranſmittit,dũ & ſequẽs eodẽ modo Deum prædicat,quaſi à præcedẽti die edocta. Iuxta quã huius verſus explicationem,in mſtico ſenſu rectè intelligitur ſignificari id qđ à Domino Apoſtoli acceperunt,hoc in poſteros eſſe traiectum,& cõtinua traditione ad nos peruenifſe,tanquam dies præcedens doceret ſequentẽ. Cuius intelligentiæ meminit inter alias D.Auguſtinus.

NON SVNT,&c.]Verſus hic difficultatem habet propter duo relatiua,quorũ & eorum,hic coniuncta.In Hebræo autẽ relatiuum, quorum, non habetur,ſed ad verbũ ſic eſt:Non eſt verbũ neque ſermones,non auditur vox eorũ,quod ſine aliqua adiectione ſic pleriq; intelligunt:Etſi cœli dicti ſint enarrare Dei gloriã,non eſt tñ illis aliquod verbũ,nõ loquuntur hominũ more, vt audiatur vox eorum. In quo ſenſu & Græca commodè accipi poſſunt,quæ nõ habent,audiãtur,ſed ἀκούονται, audiuntur,indicatiui modi: ſic intelligit D.Baſilius in principiũ Prouerbiorum Salomonis.Verũ frequens eſt apud Hebræos,vt ſubintelligatur relatiuũ qui,quæ, quod, quẽadmodum hic Græci interpretes hoc putauerunt ſubintelligendum, quomodo & qui ex Hebræo nunc vertũt,ſubintelligunt,relatiuũ quibus,vel aduerbium vbi,vt ſignificetur nullos eſſe populos,quantumuis linguis & idiomate differãt, à quibus,vel apud quos non audiantur voces cœleſtium corporum. Vtrumque ſenſum etiam noſtra litera recipere põt.Primò enim accipi poteſt relatiuũ,eorum hic quod ad ſenſum attinet,eſſe

ſuperfluum,quẽadmodum ſub inde vnũ relatiuũ ſupereſt apud Hebræos ,vt cũ dicitur poſtea: Mons Sió,in quo habitaſti in eo,ſic ergo intelligi põt noſtra lectio:Non ſunt ipſis cœlis loquelæ.neq; ſermones,vt quorum,cœlorũ ſcilicet,voces non audiantur.Cui ſenſui bñ cõuenit,quod in ſequẽti verſu apud Hebrẽos cœlis non tribuitur ſonus,neq; verba,ſed habẽt Hebræa:In omnem terrã exiuit canon vel regula eorũ,& in fines orbis terræ.Quo ſignificari videtur cœlos, etſi ritu mortaliũ non loquantur,aut vllã vocem humanã emittant,tamẽ ad oẽs homines pertingere eorũ ordinẽ quẽ in eorum ſtructura & motu obſeruare licet,& qui hoibus Dei gloriã prædicat mirabiliter.Secundò, iuxta alterã ſenſum noſtra lectio accipi põt vel vt genitiuus quorum accipiatur poſitus pro datiuo quibus,quo vertit ex Hebræo diuus Hieronymus,vel hoc modo; Non ſunt alicuius nationis loquelæ,neq; ſermones,quorũ ſermonum ſcilicet,voces nõ audiantur in cœlis,& nõ audiantur eſſe etiã voces cœlorum,hoc eſt, cœli omniũ quodãmodo nationum linguis loquũtur,dum oibus Dei potentiã prędicant,& ab oibus intelliguntur,quẽ ſenſum proſequitur & declarat verſus ſeques.Et conuenit hic ſenſus etiã myſtico ſenſui,quo cõiter intelligitur hoc verſu ſignificatũ,cœlos ſpiritua es hoc eſt,Apoſtolos omniũ linguis locutos, & ab oĩbus intellectos.Euthymius Grẽcus ſentiẽs obſcuritatem huius verſus,dupliciter húc tractat, Primũ tradens hũc interrogatiuè eſſe legẽdum, quaſi dicat:Nunquid nõ ſunt loquelæ, neq; ſermones earum rerũ,quarum voces nõ audiũtur? vt ſit obiectio alicuius cõtra id quod dictum eſt, cœlos enarrare gloriã Dei,cuius obiectionis ſolutio ſequatur in verſu ſequẽti·Itaq, pronomẽ, eorum,coniungit cum,ſermones & quorũ,cum voces.Altero modo indicat genitiuũ.quorũ,poſitũ pro,quibus,quomodo & Hieronymus vertit ex Hebrẽo.vt ſit ſenſus:Nõ ſunt alicuius idiomatis ſermones , per quos non audiantur voces cœlorum,hoc eſt,omnium gentium linguis prędicatur id quod docent cœli.

IN OMNEM.&c.]Ex citatione Pauli ad Ro. omnino apparet hunc locu præter literalem de cœlis intelligentiã,etiam allegorice accipiẽdum
d de apoſtolis.Quidam tamen intelligũt Paulum à literali non receſſiſſe ſenſu,eumq; nõ loqui de Apoſtolorum prędicatione , vt quæ tum necdũ exierit in omnes fines terræ,ſed de cœleſtiũ corporum prędicatione.Cum enim Iudęi culparẽt in Paulo,qđ ſalutis promiſſionem vulgaret gẽtibus,intelligunt eum quęrere,an ne ipſę quoque gentes audiſſent aliquando de Deo,ac reſpõdere ex hoc loco,apertam illis fuiſſe diſcendæ pietatis & cultus Dei viam,quia in omnẽ terrã exiuit,&c.quaſi dicere voluerit, Deum iam ſanteactis ſęculis patefeciſſe Gentibus ſuam gloriam, iuxta id quod dicit cap.1.atq; hoc amplioris doctrinæ,quæ per Euangeliũ acceſſit, fuiſſe præludium:nec mirum videri debere,ſi vtriſq; tãdem ſe promiſcuè Deus pateſaciat,quos pridem comuniter ad ſe inuitaſſet.

IN SOLE.]Hebræis eſt:Soli poſuit taberna culum in eis,nẽpe cœlis,quo ſignificatur Deum ſoli in cœlis circũſcripſiſſe domiciliũ,vt illic velut in ſublimi theatro melius conſpiceretur. Idẽ
e intelligit etiam Euthymius in Grẽcis ſignificari: proinde accipit dictionem ἐν τῷ,non vt ſit nomẽ relatiuũ,ſed vt ſit aduerbiũ ſignificans illic, hoc eſt,in cœlis:vt ſit ſenſus,Deus poſuit in ſole,hoc eſt,ipſi ſoli tabernaculum in ipſis cœlis.

EXVLTAVIT.]Sicut Hebræis,ita & Græcis eſt verbũ futuri temporis ἀγαλλιάσεται, exultabit,quomodo & habẽt antiqui quidã codices Latini.Et magis conuenit futurum tẽpus,ad ſignificandam perpetuam curſus ſolaris continuationem,quanquam Euthymius futurum rectè putat poſitum pro præſenti. f

A SVMMO.] Dictio Hebraica,pro qua nos bis habemus ſummu,manifeſtè ſignificat extremitatem & finem,proinde dictio Græca ἄκρου, quæ & ſummũ ſignificat & extremũ, per extremũ potius vertenda fuerat,quẽadmodũ & Matthei 24.vbi legimus:Congregabunt electos eius à quatuor vẽtis,à ſummis cœlorũ vſq; ad terminos eorũ,vbi pro vtraq; dictione,ſummis & terminos,Grẽcis eadẽ eſt dictio ἄκρων.Vnde manifeſtũ eſt,interpretẽ noſtrũ,ſummũ cœli,poſuiſſe ſemper pro extrema cœli parte.Pro ſummo cœlo aũt rectius verteretur,ſummo cœli. Grẽca em̃ habent ἀπὸ ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ,vbi interpoſitus artículus requirit,vt vertatur,à ſummo cœli , & ſic reſpõdet ei qđ ſequitur.Vſq; ad ſummum eius. Vnde ſummũ cœlum apud nos accipi debet pro ſumma cœli parte,quemadmodũ & Deute.4.cũ dicitur:Interroga de diebus antiquis qui fuerũt ante te,ex die qua creauit Dñs Deus hominem ſuper terram,à ſummo cœlo vſq; ad ſummum eius.Vbi etiam ſignificatur,ab oriente vſque ad occidentem ſicut & hoc loco. Summum ergo cœli non dicitur his locis reſpectu verticis noſtri,ſed reſpectu motus ſolis,vt ſummum ſit vltra quod motus ſolis apud nos non protẽditur, hoc eſt,oriens,vnde ſol nobis oritur & occidẽs, vbi nobis deſinit apparere. Cæterùm quomodo hęc ſoli iuſtitię competant,obſcurum nõ eſt intelligere.Ipſe enim per incarnationẽ ſuã egreſſus eſt in mundũ è ſummo cœlorum oriens nobis ex alto,& rurſus per aſcenſionem occurrit vſq; ad ſummum cœlorum,ceſſans ſuã nobis viſibilem exhibere preſentiam,donec rurſum noua dies illa oriatur,in qua vẽturus eſt ad iudiciũ. g

SAPIENTIAM,&c.]Accipi iſtud poſſet de paruulis ſpiritu,hoc eſt,humilibus,de quibus dicit Dñs: Abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus,& reuelaſti ea paruulis.Veru dictio Hebraica propriè ſignificat imperitos.Vnde potius accipi debet de paruulis ſenſu,& iudicio:ſicut & in Prouerbiis: Vt detur paruulis aſtutia, h

TIMOR,&c.]Quidam legunt permanet nec malè.Nam quanquã Græca habeãt participium permanens,ſicut & Hebręa,& libri noſtri correctiores,tñ in hoc participio ſubaudiendũ eſt verbum,eſt.Notandũ enim in tribus verſibus qbus lex Dei commendatur,elegãter in vtroq; membro cuiuſq; verſus,legi Dei tribui aliqđ epitheton,qđ ei per ſe cõueniat,& ſine diſtinctione,cui deinde facta diſtinctiũcula adiicitur aliud, quod ei reſpectu hominũ conueniat,in quo attribuendo ſubaudiendũ eſt verbũ,eſt.Primũ enim dicitur: Lex Dñi immaculata:quod legi Dei in ſe cõſideratæ competit.Cui cũ adiicitur,conuertẽs animas:quod effectum eius in hominibus exprimit,iam ſubaudiendũ eſt verbũ,eſt. Sic & in ſecundo mẽbro,illi:Teſtimonium Dñi fidele:adiicitur,ſapientiam præſtãs paruulis.Et eſt ſenſus: Lex Dñi immaculata , conuertit animas, teſti- i
monium domini fidele, ſapientiã præſtat paruulis.Idẽ obſeruare eſt in ſequenti verſu.Similiter ergo in tertio,illi: Timor dñi ſanctus:additur, permanẽs in ſæculũ ſæculi,vbi'iã ſupplendũ eſt verbũ,eſt,vt ſit ſenſus:Timor dñi ſanctus pmanet in ſæculũ ſęculi.Hoc modò verſus hos ordinandos patet ex Hebręis in ſequẽti mẽbro:Iudicia dñi vera,iuſtificata in ſemẽtipſa.Hic em̃ iam apud Hebræos pro participio iuſtificata,eſt verbum iuſtificata ſunt.Nõ eſt aũt Græcis propriè ſanctus,ſed ἁγνὸς.hoc eſt,mũdus & caſtus,qđ & Hebræa vox טָהֹר tahor ſignificat.Videri põt interpretẽ noſtrum apud G æcos legiſſe ἁγιῶ vocem.ſ.non multũ diuerſam ab ἁγνὸς,caſtus,legit D.Auguſtinus & hoc loco in cõmẽtariis,& aliis vbi hunc locum tractat.Iam quod dicitur timor dñi ſanctus vel caſtus permanere in ſęculũ ſęculi,dupliciter intelligi põt.Aut vt epitheton ſanctus & caſtus additũ ſit,ad diſtinctionẽ cuiuſdã timoris Dñi,qui ſanctus non ſit,& cui non conueniat permanere:qualis eſt timor ſeruilis, quẽ perfecta charitas foras mittit.Itaq; ſenſus eſſet, Timor Dñi,non quiuis,ſed ſanctus aut caſtus,ille permanet in ſęculũ ſæculi.Aut vt epitheto illud additũ ſit,non ad diſtinctionẽ,ſed ad cõmendationẽ timoris Dñi,ex qua conſequatur qđ ſequitur,permanet in ſæculũ ſæculi.Ad quẽ modum potius intelligendũ,ſatis docẽt ſuperiorũ verſuũ mẽbra,quæ hũc habẽt ſenſum:Lex Dñi, cũ ſit immaculata, conuertit animas.Teſtimonium Dñi,cùm ſit fidele,ſapientiã præſtat paruulis.Et quandoquidem iuſtitiæ Domini rectæ ſunt,lætificant corda:Præceptũ Dñi cum ſit lucidum,illuminat oculos.Frequens eſt aut in ſcripturis per timorẽ Domini ſignificare pium illũ affectum erga Deu,quẽ Græci vocant εὐσέβειαν, vel θεοσέβειαν.Vnde Iob 28.Vbi nos legimus ecce timor dñi,ipſa eſt ſapientia,Græcis eſt θεοσέβεια.
k IVSTIFICATA,&c.]Plerũq; iſtud ſic intelligitur,quaſi ſignificari voluerit propheta præcepta Dei per ſe iuſta eſſe.Verũ pro eo quod habemus,in ſemetipſa,Hebręa habẽt eã dictionẽ, quã Grẽci ſemper verterũt per ἐπὶ τὸ αὐτό,quod Latinus vertere ſolet,in id ipſum,hoc eſt,pariter & ſimul.Vnde & hic in ſemetipſa accipi debet,pro iter ſeſe mutuo,hoc eſt,omnia pariter.
l DELICTA,&c.]Intelliget:per futurũ legẽdũ eſt,non per præſens intelligit,vt multi libri habẽt.Eſt enim Grẽcis verbũ συνῆσει intelliget, ſicut & Hebręis futurum eſt.

AB ALIENIS.&c.] Septuaginta videntur legiſſe literã Res pro Daleth , inter quas literas eſt maxima Hebręis ſimilitudo.Nã ſi legas זֵרִים m zarim,ſignificat alienos:ſi זֵדִים zadim,vt iã legitur,ſignificat ſuperbos,Vñ D. Hieronymus vertit ſuperbos.Porrò dubium eſt apud Græcos,an genitiuus ἀλλοτρίων,ſit maſculini gñis,an neutri hoc eſt,an ſit intelligẽdũ,ab alienis peccatis eſt hoibus:vel ab alienis peccatis.Noſter interpres ad perſonas retulit,cùm vertit in ſequentibus: Si mei non fuerint dominati,illi.ſ.alieni.Alij referunt ad peccata,vnde vertunt:Si mei non fuerint dominata,occulta.ſ.& aliena peccata.Nam cùm Græcis non ſit participiũ ,ſed verbũ κατακυριεύσωσι,hoc eſt,dominabuntur,põt referri vel ad perſonas,vel ad peccata.Ad perſonas magis eſſe referendũ,docẽt Hebræa,vbi dictio propriè ſignificat ſuperbos,quanquã ſint qui eam accipiant hoc loco pro ipſis ſuperbiis.

A DELICTO,&c.]Grẽcis nõ eſt,à delicto n maximo,ſed tñ,à delicto magno,qũo & D.Auguſt.legit:interpretans tamẽ delictũ magnũ eſſe ſuperbiã,de qua & noſter interpres intellexiſſe videtur,cũ vertit maximo: rectius tamẽ accipitur loqui propheta in genere de quouis magno hoc eſt,criminali delicto,vnde ſuplatiuus apud nos accipi debet poſitus p poſitiuo.Hebręa verti põt,à delicto magno,quãuis magis ſit,à delicto multo.Nã vtrumque dictio Hebręa רַב Rab ſignificat.

ET SERVNT,&c.]Hic verſus accipi põt,vt p eum intelligatur propheta promittere quid ſit o facturus,ſi qđ petiit impetrauerit:vt ſit ſenſus: Iſtud ſi mihi Doñe præſtiteris,talia certe erũt eloquia oris mei vl placeãt:proferã enim carmina laudis & gratiaru actionis,& meditatio cordis ſemper erit corã te in tẽta in lege tua,& bñficiis tuis.Aut melius hoc verſu adhuc pergit narrare q̃ ſit cõſecuturus,ſi nõ pmiſerit dñs alienos & ſuperbos ſibi dominari,vt per gradationẽ quãda ſignificet ſe mundũ fere & in operibus,& in verbis,& in cogitationibus.Ex Hebræo aũt etiã verti põt optatiuè.Et ſint vt complaceant,&c.

DOMINVS,&c.]Quãuis ſecundũ Latinos p & Hebræos nomina,adiutor & redẽptor,accipi poſſent vt ſint nominatiui caſus, & ſit ſenſus: Tñe tu es adiutor meus:tamẽ apud Græcos hęc oratio coniungenda eſt ſuperiori verſui,vt ſenſum cum illo compleat,ſicut apud Hebræos in vna ſententia cum ſuperioribus clauditur,

In finem Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XIX.

PSalmus iſte cũ,ut ex titulo conſtat,à Dauide ſit conſcriptus,& tamẽ videatur eſſe oratio populi regi ſuo fauſta precãtis,cũ ad bellũ eſſet profecturus,uidetur à Dauide traditus populo,ut eſſet ei ueluti forma,qua pro ſe,aliiſq; regibus ſuis poſt ipſum,precari deberẽt,ita ut & nobis ſit apta ſupplicãdi forma,qua uti debeamus,cũ pro principis pij & religioſi ſalute atque victoria uota ſunt facienda.Continet ergo imprimis hic Pſalmus benedictionẽ regis,qua alloquendo regẽ,bene ei eiuſq; pietati precatur populus. Deinde & congratulationẽ,qua poſt adeptã deſideratã ſalutẽ, Dei potentiã & bonitatem eſt celebraturus: Ad poſtremum orationẽ ad Deũ,qua regis ſalutem,ac per eum ſuã Domino commendat.Cũ autem certum ſit Dauidẽ,in ſuis contra hoſtes populi Dei & pugnis & victorijs Chriſti geſſiſſe figuram,rectè quis dixerit,in huius Pſalmi dictatione Dauidẽ etiam in Chriſtũ reſpexiſſe,ita ut & ipſius fuerit oratio,qua uenturo Chriſto victoriã contra hoſtes humani generis,in ſalutẽ fidelis populi impetratus ſit , formamq; reliquerit,qua qui in ueteri populo erant ſpirituales,eadẽ Chriſto optarent,& optando quæ futura erant canerẽt. Atque hunc eſſe præcipuũ huius Pſalmi & ſcopum & uſum à ſpiritu ſancto intentũ, iuxta quẽ & nobis conuenit ut precemur illo,Chriſti preces,(quas uel aliquando in terris fudit,uel iam in cœlis quodã modo fundit ad Patrem: apud quem iuxta Paulũ interpellat pro nobis)exaudiri pro fidelibus,in quibus adhuc pugnat contra pietatis hoſtes:deus itẽ ſacrificium,quod uel olim in cruce,uel adhuc in cœlis offert,aut etiam in terris per manus ſacerdotũ,acceptari pro eis ſalutem & victoriam obtineat,

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Exaudiat te dominus in die tribulationis:* protegat te ſ nomen Dei Iacob.*

EXaudiat Dominus preces tuas in tẽpore difficili,& periculoſo, quo afflictionẽ tibi,tuiſq; inferre conãtur inſurgẽtes inimici.* Tueatur te nominata vis & poteſtas Dei,qui Iacob è multis & maximis periculis ſæpe liberauit,à quo ob id ſtudioſiſſimè cultus eſt.† Cõſeruet ab hoſtiũ taculis immunẽ is qui peculiariter Deus eſt Iſraelitici populi,quem præ aliis maximè protegere ſolet,à quo pro vero Deo ſolus colitur. *Pſal. 19.* a

2 *Mittat tibi auxilium de ſancto,* & de Sion tueatur te.*

2 Mittat tibi auxilium è ſanctuario ſuo quod inhabitat,*& è mõte Sion,in quo tabernaculũ ſibi delegit,ex alto cœlorum habitaculo, per montem Sion tabernaculum eius adumbrato,defendat te. b

3 *Memor ſit omnis ſacrifi cij tui, & holocauſtum tuũ pingue fiat.*

3 Declaret ſe memorem eſſe omnis libamenti tui,quod vel vnquã vel nunc illi piè obtuliſti,& holocauſtũ tuum,quod pro adipiſcẽda victoria nunc illi immolaſti,pingue abillo habeatur,& tanquã pinguiſſimum,ac è liberali & pio animo profectum,gratum ſit illi.

4 *Tribuat tibi ſecundum cor tuum:* & omne conſilium tuum confirmet.*

4 Det tibi Dominus omnia iuxta deſiderium & votum cordis tui,* & omne conſilium tuum ac propoſitum confirmet,adimplẽs illud, & in effectum producens.Siquidem quicquid optas ac aggrederis, rectum eſt ac pium,icq;, totum in Dei gloriam,tuorũmq; ſubiectorum ſalutem optas.

5 *Lætabimur in ſalutari tuo:* & in nomine Dei noſtri magnificabimur.*

5 Sanè vbi quod petimus tibi,vt cõfidimus,præſtiterit,tũ nos quos iam periculum tuum ſollicitos facit,lætabimur de ſalute tibi,& per te nobis a Deo de hoſtibus præſtita,* & per potentiam Dei noſtri,in quam confiſi tum us,quamq; inuocauimus,magni erimus,ſuperiores facti hoſtibus noſtris ac de illis triumphantes,dicẽtq; cum lætitia tunc vnuſquiſque noſtrum: c

6 *Impleat Dominus omnes petitiones tuas:*
**nunc cognoui quoniã ſaluum fecit Dominus Chriſtũ ſuum,*

6 Adimpleat Dominus,& in effectum deducat,etiã in poſterũ ſem per omnia quæ piè ſanctéq; pro Dei gloria,populiq; ſui ſalute deſideras,quemadmodum modo fecit:*Nũc enim veiè cognoui,quod Dominus vnctum à ſe in regem ſaluum fecerit:nunc experiẽtia didici,non humana,ſed diuina virtute ſeruatum ipſum eſſe ab hoſtibus numero nos ſuperantibus. d

7 *Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo:*in potentatibus ſalus dexteræ eius.*

7 Nunc cognoui,quod ſicut illũ inuocantẽ ſe exaudiuit,ita & in futurũ ſemper exaudiet,de cœlo ſancto ſuo quod inhabitat,*quodq; ſaluatio dexteræ & potentiæ Dei facta ſit per maximas Dei vires & fortitudines,ſine quibus de tantis,& tam potentibus victor euadere rex noſter nequaquam valuiſſet. c

8 *Hi in curribus, & hi in equis,*nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.*

8 Hoſtes noſtri vel in curruũ multitudine,vel equorum vi & numero confidere ſolent,& ad ea confugere,*nos autẽ non in his fiduciã collocabimus,ſed quemadmodum nunc fecimus,ita & ſemper virtutem Dei noſtri inuocabimus,qua experti ſumus nos hoſtibus noſtris præualuiſſe

9 *Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt:*nos autem ſurreximus & erecti ſumus,*

9 Illos enim ſua fefellit fiducia,noſtra nõ ita.Illi enim,qui ſuperbè *ſe contra nos erexerant,quaſi circum ligati compedibus impediti ſunt,ne quid contra nos poſſent,icq; à nobis victi,proſtrati ſunt:* nos autem de humilitate,qua nos deprimere quærebant, & animi deiectione ſurreximus,atq; a Deo erecti ſumus, exaltati per victoriam de hoſtibus acquiſitam.

10 *Domine ſaluum fac regem,* & exaudi nos in die in qua invocauerimus te.*

10 Vt ergo ô Domine hic in te gloriari poſſimus,ſaluum fac ab hoſtibus regem noſtrum pro nobis pugnantem,* & non nunc ſolũ,ſed & ſemper,dum te inuocauerimus,exaudire nos digneris.

ANNOTATIONES.

a NOMEN DEI,&c.] Paraphraſis indicat dupliciter hic accipi poſſe nomen Iacob,aut ſcilicet pro ipſo Patriarcha,aut pro eius ſemine, populo.ſ.Iſraelitico.Nam & ſic aliquando accipitur in ſcripturis,ſicut & nomen Iſrael.

b OMNIS SACRIFICII,&c.] Sacrificium hic nõ accipitur vt ſit generale nomẽ,ſed vt ſit ſpeciale,cõprehendens ſub ſe ea ſacrificia, quæ non de animalibus,ſed de farina,pane,vino,oleo,& thure fiebat.Ponitur eñ hic apud Hebræos nomen מִנְחָה Mincha,qđ etſi aliquando ſit generale nomẽ,tamẽ hic quia holocauſto iungitur, ſpecialiter accipiendũ videtur, quẽadmodu accipitur ſemper in Leuitico,quod nomẽ ibi vertit Hieronymus per ſacrificium vel libamentum.

c LÆTABIMVR.] Verba iſtius verſus etiã verti potuiſſent per verbũ deprecatiuum,quemadmodum verba verſuũ ſuperiorum, lætemur, & magnificemur,Sicut etiã verba verſuum præcedentium,quidã omnia vertunt per futuru indicatiui,vt habẽt Hebræa,& ſic Pſalmus hic maxime quadrat in Chriſtum,vt ſit Prophetæ vaticiniũ de Chriſti exauditiõe.Exaudiet te Dñs,&c. Sic Cãpenſis,qui & vltimum verſum ſic vertit Dñs ſaluabit regẽ,& exaudiet nos,&c.Pro magnificabimur,Hebræa dictio magis ſignificat,vexilla erigemus,hoc eſt,triũphabimus. Eſt enim: Hebræis verbu deriuatu à נֵּס Degel, quod vexillũ ſignificat.Septuaginta verò verbũ hoc legerunt literis inuerſis.Nã גדל Gadal, magnum eſſe ſignificat,& ſenſus eodẽ redit.Porrò qm̃ ſequitur:Nunc cognoui qm̃ ſaluum fecit Dominus : & poſtea dicitur,ſurreximus, & erecti ſumus,rectè intelligi põt,poſt verbum magnificabimur, referri verba gratulationis,quã promittunt ſe cũ lætitia & triupho edituros poſt adeptam victoriam.Niſi malimus hæc dicta eſſe ex bona confidẽtia inter orandũ concepta de Dei fauore,vt præterita illa,ceciderunt,ſurreximus, & erecti ſumus,pro futuris exponantur.

d IN NOMINE DOM.&c.]Hebræis quidem nõ eſt inuocabimus,ſed recordabimur, hoc eſt memores erimus noſtri eius,vt illud inuocemus tũ aliquoties apud Hebræos occurrit hæc phraſis,qua inuocare in noñe Dñi ponitur,pro inuocare nomẽ dñi.Nã Pſal.115.vbi noſter bis vertit,nomen Dñi inuocabo, Hebræis eſt,in noñe Domini. Alioqui myſtico ſenſui bene cõuenit, vt ad Chriſtũ reſpiciẽtes dicamus,inuocabimus Deũ in noñe domini Dei noſtri,iuxta illud:Si qđ petieritis patrem in nomine meo. D.Aug.legit, nos aũt in nomine Domini Dei noſtri exultabimus,ſicq; vitat orationis incõmodũ:& verbũ, exultabimus,etiã ad prius membrum referri poteſt,cum apud nos aliquid videatur ſubaudiendum.Dure enim dicuntur inuocare quidam in curribus & in equis.

e IPSI OBLIGATI,&c.]Græcis eſt συνεκοδιοθησαν,qđ propriè eſt,quaſi cõpedibus obligari, & circa pedes conſtringi,ſicq; impediri.Nam & impediri,apud nos à pedib⁹ dicitur.Hebræis eſt, ipſi incuruati ſunt,vt vertit D.Hieronymus.Notandus aũt eſt ordo in duobus verbis,quę ſingulis mẽbris tribuũtur.Illis eñ qui ſuperbe ſe erexerãt & erecto collo cõfidẽter incedebãt, prius tribuit incuruari aut obligari,ac deinde cadere. Nã hoc ſequitur incuruationẽ & obligationẽ.Illis verò qui deiiciẽdi putabãtur, qq; demiſſe ſe Deo ſubiicicbãt,tribuit primum ſurgere à deiectione.ſ.intẽtata,& animi ſubmiſſione,ac deide erectũ ſtare,qđ perfectã indicat confidentiã.Nã antequam quis erectus ſtet,præcedit ſurrectio.

In finem Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XX.

Videtur omnino præſens Pſalmus ſuperiori reſpõdere,vt ſicut ille eſt oratio pro rege cũ hoſtibus pugnaturo, ita hic ſit gratulatio pro ſalute regis, & victoria de hoſtibus obtẽta.Itaq; ſicuti ille rectè iuxta literalẽ intelligẽtiã accipitur vt ſit oratio populi,Dauidis ſaltẽ & victoriã à Deo optãtis:ita & iſte videtur eſſe gratulatio,qua populus cũ Dei laude cãt at Dei beneficia,& claras victorias Dauidi regi à Deo cõceſſas,& præcipuè eã quã ſuperiore Pſalmo precabatur. Sed quẽadmodũ in illo iuxta ſpiritualẽ ſenſum Dauid Pſalmi author meritò dicẽdus eſt in Chriſtum reſpexiſſe,ut huius intuitu etiam ipſius Dauidis fuerit oratio:ita multo magis de hoc Pſalmo exiſtimandũ eſt, cũ pleraque huius Pſalmi vel ſolũ,vel perfectius & uerius Chriſto conueniãt,quã Dauidi,adeo ut ſi non ſolum atque ad literam de Chriſto ſit editus,(quod tamẽ non improbabiliter quidã exiſtimant)ſaltẽ præcipuè de ipſo ſit accipiendus,ita ut hoc Pſalmo etiã ipſe Dauid gratulatus ſit de victoria Chriſti pro ſalute humani generis, formãq; omnibus poſteris reliquerit de eadẽ gratulandi. Sic aũt continet gratulationẽ ob acceptã beneficia,ut ſimul etiã poſtea adiungatur oratio & Prophetia,quæ continua potentiæ & iuſtitiæ in hoſtes eius declaratio & petitur & prædicitur. Certè ad literam hunc Pſalmum etiam pertinere ad Dauidẽ ſatis patet ex Eccle.cap.47.ubi inter multa quæ de Dauide dicuntur,omnino videtur etiam reſpectus habitus ad id quod hic dicitur tertio verſu.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine in virtute tua lætabitur rex,* & ſuper ſalutare tuum exultabit vehemẽter.*

DOmine propter virtutẽ quã contulifti regi,& qua adiutus à te victor euaſit,impẽsè gaudebit rex noſter,*& de ſalute,quã illi & per ipſum nobis præſtitiſti de hoſtibus noſtris,ſemper exultavit vehemẽter.Non enim in propria virtute aut exercitus ſui fortiſſimi gloriabitur,ſed tibi ſoli partam victoriam acceptam feret. *Pſal 20.* a

2 *Deſideriũ cordis eius tribuiſti ei,& voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.*

2 Quicquid enim animo à te deſiderauit,tribuiſti ei:& quod labiis à te voluit,non negaſti ei. b

3 *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis,* poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.*

3 Imo etiam vltrò anteuertiſti illum dulciſſimis & optimis muneribus è dulcedine tuæ bonitatis profectis,adeo vt dederis quę necdũ petierat,vel expectauerat,& quocunq; ſe verteret, vndiq; illi bona obuiarent,& quaſi vltrò ſe offerrent.*Et vt per partes quædã explicem,ecce,Impoſuiſti capiti eius coronam ex lapidibus pretioſis,regaliq; eum dignitate & ſplendore donaſti.

4 *Vitam petiit à te,*& tribuiſti ei longitudinem dierũ in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.* c

4 Rex factus petiit à te,vt ne ab inimicis ſuis morti traderetur,ſed tuo beneficio ab illorũ vi ſeruatus, tutò diu viuere poſſet in regno ſuo*& tribuiſti ei longitudinẽ dierum perpetuò duraturã.Nã præter quam quod ad bonam peruenire ei conceſſeris ſenectutem,regnum ac ſemen eius promiſiſti fore perpetuũ,eiq; apud te immortalem vitam largieris. d

5 *Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo,*gloriã & magnum decorem impones ſuper eum.*

5 Per ſalutem,quã à te aſſequutus eſt de inimicis ſuis cunctis,magna illi gloria apud mortales acceſſit,*ſed & in poſterum gloria & honore magno cumulabis eum.

6 *Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculũ ſæculi:*Lætificabis eũ in gaudio cum vultu tuo.*

6 Efficies enim vt in æternum tum in ſeipſo,tum in ſemine ſuo largiſſimè particeps ſit tuæ beneficẽtiæ,& affluẽter illi ſemper bene facies,*gaudio magno eum afficies ſemper per gratiſſimum tuum vultum.Nam & in hoc ſæculo tuo fauore,quo te benignè illã aſpicere teſtaris,ſemper eum lætificabis,& in futuro ex conſpecta tua coram facie ineffabili eum gaudio perfundes.

7 *Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commouebitur.* e

7 Et quidem quoniã rex noſter omnem ſuam ſpem in Domino collocauit,ideo per miſericordiam altiſſimi Domini,nullis vnquã hoſtiũ oppugnatiõibus deiicietur,ſed ſtabilietur & ipſe,& regnũ eius. Neq; enim is,in quo fiduciam ſuã collocauit,cum ſit & miſericordiſſimus

8 *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis,*

** dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*

9 *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore ultionis tuæ:*

**Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*

10 *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum.*

11 *Quoniam declinauerũt in te mala,*

**cogitauerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.*

12 *Quoniam pones eos dorsum,*

**in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

13 *Exaltare domine in virtute tua:*

**cantabimus, & psallemus virtutes tuas.*

dissimus & potentia omnibus altior, deiici illum patietur.

8 Quemadmodum aũt ô Domine iam tuam contra hostes nostros f
imo tuos declarasti potentiã, ita & in posterum semper fac Manus tuas non euadant oẽs inimici tui, sed sentiant, experianturq; seuerã vltionem iræ tuæ, *omnes qui te oderunt, ad vnum vsq; dextera tua atque potentia assequatur ac comprehendat, vltionémq; exerceat in eos.

9 Æstuare arq; ardere facies eos tanquam furnum igneũ & ardentem, quo tẽpore vindictam tuam in illos exercere volueris, grauissima eos vindicta afficies, qua, veluti igne omnia vorante, penitus cõsumentur. *Dominus per seueritatem iustitiæ suæ nimio eos terrore & angustia cõturbabit, deturbabit, ac prosternet, & cõsumet eos ignis, grauissimáque afflictio.

10 Neq; illos solum Domine perdes, sed fructum ventris eorũ, hoc est, progeniem eorum de terra euelles, *& auferes ab hominibus, vt simul ipsi cum suo nomine & memoria pereant.

11 Hæc autem meritò illis facies, quoniã inclinauerunt in te mala: conati sunt tuo nomini, tuóque populo mala inferre, idque magno studio: *nã cogitauerant cõsilia, quibus nomen tuum, tuósq; perderent, sed non potuerũt ea per adimpletionẽ confirmare, te illorum conatus frustrante.

12 Certè quemadmodum sæpe fecisti, ita semper inimicos tuos in fugam conuertes, ac terga dare coges, * efficies vt dirigant facies suas ad eos quos tu tibi reliquisti, & superstites seruasti, quorum salutem & fœlicitatem cum summo dolore videre cogentur.

13 O Domine quemadmodum iam tuam pro salute regis & populi tui declarasti potentiam, ita semper hoc modo tua potẽtia altiorẽ te fac, & declara omnibus impiis, sic sane, laudandi tẽdata occasione, *cantabimus, & psalmis celebrabimus varias tuas fortitudines, quas pro tuis operaris.

Annotationes.

a QVONIAM PRÆVENISTI, &c.] Dulcedo hoc loco nõ est accipienda eo modo quo ad gustũ refertur. Nõ est em Græcis γλυκὺτης, sed χρηστότης, qđ magis est benignitatis vel bonitatis, qũo & habet Hebræa. Vnde apud nos bñdictionẽ dulcedinis, accipi dicũt pro bñficiis à dulcissima Dei bonitate profectis, quanquã etiã exponi possit pro bñficiis dulcissimis, hoiq; gratissimis. Bñdictiones em Dei, sunt eius bñficia, & dona: sicut & eius dicere, facere est. Porrò qđ dicitur Deus præuenisse eũ suis bñficiis, duo significat, quẽadmodum indicat Paraphrastes, videlicet & quod antequam peteret, aut de eis cogitaret, affecerit eũ amplissimis bñficiis vt sit amplificatio eius qđ dicitur versu secũdo, datu illi quicquid vel corde vel ore postulauit. Et q; quocunq; se verteret vbiq; sibi parata bona inueniret, quæ illi vltro offerrentur, & quasi obtruderẽtur, hoc est, phrasi Hebraico significatur omniũ bonorum affluẽtia, quæ ei vltrò obueniret. Iam coniunctio, qm̃, q̃quidẽ nõ videtur reddere cãm eius quod dicitur in versu secũdo, aut debet referri ad primũ versum, vt reddatur hic etiam causa, ob quam letabitur vehemẽter. Aut coniunctio, quoniam, accipi debet, vt in psalmis frequẽter, tantum posita affirmatiuè pro certè, vel imo etiam, nam & hoc sæpe dictio Hebraica כי significat, & Euthymius quoq; annotat coniunctionem, quoniam, in psalmis aliquoties sic accipiendam.

b POSVISTI IN CAP. &c.] Iuxta sensum literalem videri põt istud dictũ de corona illa, quæ ablata de capite regis Ammonitarũ, imposita est capiti Dauidis, vt est 2. Re. 12. vt nõ immeritò occasione victoriæ huius putetur à plerisq; hic Psalmus editus: quanquã verisimile est etiã prius, & à principio regni corona regia Dauidẽ vsum, sicut & Saulẽ cu 2. Reg. 1. dicat' diadema qđ erat in capite Saul, allatũ ad Dauidẽ: vt rectè intelligat, hoc loco nõ significari aliud, quã regalẽ dignitatẽ & gloriã Dei beneficio ei obtigisse.

c LONGIT. &c.] Hic locus, similiter & q. segtur. Dabis eu in benedictionẽ in sæculu sæculi: omo vigere videntur, vt ad solum saluatorem nostrũ hic Psalmus referatur, quia ille primus obtinuit vitam immortalẽ, & benedictionem sempiternam. Ductus tamen modis etiã hæc aliquo modo rectè intelliguntur de Dauide, sicut & quedã similia in sequẽtibus aliquot Psalmis, videlicet vel ratione vitæ sempiternæ, quam per Christũ Dauid in cœlis bona spe expectaut, vel etiã ratione perpetuitatis regni & seminis eius illi promissæ. Sicut cũ dictu est Abrahæ: Tibi dabo terram Chanaan: eu eam nõ possederit, nisi in suo semine: ita ppetuitas Dauidi tribuitur, quia dixerat Dñs, vt est Psal. 88. Iuraui Dauid seruo meo, vsq; in æternum præparabo semen tuum, & ędificabo in generatione & generationem sedem tuã. In semine enim suo, semper viuẽte, sempérque regnãte, etiã Dauid quodãmodo & viuit, & regnat. Vnde eodẽ illo Psalmo, ob regni desolationẽ, diu post tẽpora Dauidis, quæritur Psalmista: Tu verò repulisti, & despexisti, distulisti Christũ tuũ, & minorasti dies tpis eius. Iuxta hũc literalem sensum etiã in regnum Christi hic respicitur, quoniã non nisi per Christũ, regnum Dauidis est sempiternũ, quod alioqui iuxta tẽporalem gloriam non admodum fuit diuturnum.

d DABIS EVM, &c.] Græca habẽt: Dabis ei bñdictionẽ, atq; sic legunt D. Hieronymus & D. Augustinus: Hebræa tamẽ habẽt, Pones eũ benedictiones, vñ nostra lectio partim ex Hebræis, partim ex Græcis desumpta est. Dupliciter aũt accipi põt: aut simpliciter eo modo quo dicit Isaiæ. 19. In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assirio bñdictio in medio terræ, hoc est, bñdictus vel bñdictione plenus: vt abstractũ accipiatur passiuè pro concreto, qđ frequẽs est apud Hebræos. Itaq; sensus erit: Sic illũ constitues, vt sit perpetuò bñdictus, & à te, qui eũ immortalitate donabis: & ab hoibus, à quibus in æternũ laudabitur qui sensus & Christo & Dauidi cõuenit. Aut accipi põt, vt significetur etiã amplius ipsum fore in bñdictionẽ aliorum, hoc est, per quẽ alij bñdicantur, & beatos sese prędicent, vt bñdictio etiã actiuè accipiatur, qũo videtur accipi Gene. 12. vbi pro eo qđ nos habemus dictũ Abrahæ, Erisque bñdictus: Hebręis est, Et eris bñdictio. Quo non tantũ videtur significari ipsum fore benedictum, sed etiã quod per ipsum aliis bene futurũ esset, quia sequitur: Benedicã bñdicentibus tibi. Et bñdicẽtur in te vniuersæ cognationes terræ. Hic sensus optimè quadrat in Christum, quanquam prior sensus magis cohæreat cum sequẽti versus parte, quæ priorem declarare videtur.

e QVONIAM REX. &c.] Dupliciter hic versus distingui põt. Nã illud, & in misericordia altissimi, coniũgi põt, cũ præcedẽtibus, vt sit sensus: Quia rex sperat in Dño, hoc est, in misericordia eius, ideo non cõmouebitur. Aut põt cõiungi sequẽtibus, vt sit sensus: Quoniã rex sperat in Dño, ideo per misericordiã Dei non cõmouebitur. Quã distinctionẽ magis, secuti sumus ob notas distinctionis apud Hebræos. Iuxta quã distinctionem coniunctio, &, pro illatiua, ideo, est posita. f

INVENIATVR MANVS, &c.] Pleriq; hęc putãt dicta ipsi regi, de quo agit Psalmus. Et qui Dauidi hæc tribuũt existimãt grauissimis his vltionibꝰ, quæ hic cõmemorãtur, haberi respectũ ad ea q̃ Dauid 2. Reg. 12. designasse scribitur in Ammonitis, cũ de eis victoriam reportasset. Legimus enim, qđ populũ adductẽs serrauit & circũegit super eos ferrata carpenta, diuisitq; cultris, & traduxit in typo laterum. Nobis magis visum est ad Deũ hæc referre, tum quod hactenus psalmista semper Deũ sit allocutus, nõ ipsum regẽ, sicut & in fine Deũ manifestè alloquitur, tũ qđ Deo hæ tam graues vltiones magis sint asscribędæ, de quo, inter eas describẽdas, interserit in tertia persona, Dñs in ira sua conturbabit eos. Quã quam cũ hic Psalmus Christo tribuitur, perinde est, siue hæc Dño, siue regi à Domino cõstituto tribuãtur, cũ Deus per filiũ has vltiones grauissimas sit illaturus, nisi qđ personarũ mutatio nõ sit temerè introducenda. Quãuis aũt noẽ ignis quandoq; in scripturis metaphoricè grauissimę etiam temporales huius mundi vltiones significentur, tamen quia hæ exemplum quoddã sunt nouissimi supplicij æterni, propter quod eo nomine designantur, istud potissimum hic significari omnino intelligendum est. g

IN RELIQVIIS, &c.] Euthymius obscuritate huiu sversus motus, pronomẽ σοῦ, pro quo nos legimus, tuis, refert ad vultũ, sicq; sententiã ordinat: Præparabis vultũ tuum in reliquiis eorum, vt significetur Deũ etiam irã & vltionẽ suã directurũ in eos, quos illi post se superstites reliquerunt, filios, ſ, & nepotes. At Hebræa nõ permittunt, vt pronomen illud referatur ad dictionem sequentẽ, sed tm̃ ad præcedentẽ. Nostri varie exponunt illud quod Septuaginta verterunt in reliquiis tuis. Verũ cùm dictio Græca non ad res relictas, sed ad personas superstites oĩno sit referẽda, visum est in paraphrasi intelligere reliquias Dei, eos quos Deus sibi seruauit, electos scilicet. Nõ est em̃ hic Græcis dictio κατάλοιπα, quæ est Psal. 16. cũ dicitur: dimiserunt reliquias suas paruulis suis: nec est κατάλειμμα: vt ibi Psal. 36. reliquiæ impiorum interibunt, sed est περιλοίπους, quod significat, superstitibus tuis. Vnde melius quidam libri habent, in reliquis tuis.

Paraphrasis eiusdem, secundum sensum Principaliorem ad Christum perinentem.

1 *Domine in virtute tua lætabitur rex.*

**& †super salutare tuum exultabit vehementer.*

2 *Desiderium cordis eius tribuisti ei,* & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.*

3 *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.*

**posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*

4 *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem die-*

DOmine, rex noster Messias, rex regum, & Dominus dominantiũ de potestate tua, qua miracula potẽter operatus est, qua peccatores ad se traxit, qua humani generis hostem deuicit, qua à morte reuocatus est ad vitam, semper lætabitur, * & de salute, quã illi præstitisti resuscitans eum ad vitam immortalẽ: †déque salute, qua saluasti per eum humanum genus, exultabit vehementissimè. *psal 20.*

2 Et merito quidẽ exultabit, quoniam quicquid animo desiderauit *vel verbo postulauit, aut pro se, aut ꝓ suorũ salute, à te impetrauit.

3 Ob id etiã exultabit, quoniã cum omnes homines præueniantur maledictionibus amaritudinis, dum in peccatis concipiũtur, hunc tu vltro anteuertisti benedictionibus ipsis dulcissimis, atq; è dulcedine tuæ bonitatis profectis: quoniã antequã natus esset, aut aliquid à te petiisset, aut promeruisset, variis eum benedictionibus affecisti, dũ diuinitatẽ humanæ naturæ in eo ab initio coũniuisti, & propter hanc mirabilẽ vnionem, immunitatẽ à peccato, omniũq; donorum ac gratiarũ plenitudinẽ exuperantẽ cõtulisti. * Inter quæ dona, hoc vel imprimis commemorandũ est, quod eum ab initio vnxisti in regem populi tui, impositio ei regio honore, quem etiam tandẽ, cùm hostibus suis deuictis victor in cœlum sublatus est, regali gloria palam decorasti, & regem toti mũndo declarasti, dans ei qui prius humilis & abiectus est habitus, potestatẽ omnium in cœlo & in terra.

4 Vitam, quam per peccatum amiserat genus humanum, petiit obtinere à te, & eandem ei tribuisti pro seipso, & omnibus suis,

vitam in ſæculum ſæculi.

*5 Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo,*gloriã & magnum decorem impones ſuper eum.*

6 Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculũ ſæculi.

**lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*

7 Quoniam rex ſperat in Domino,& in miſericordia altiſſimi non commouebitur.*

8 Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis.

**dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*

9 Pones eos vt clibanum ignis,in tempore vultus tui:

**Dominus in ira ſua conturbabit eos,& deuorabit eos,ignis.*

10 Fructum eorum de terra perdes:& ſemẽ eorum à filiis hominum.*

11 Quoniam declinauerũt in te mala, cogitauerunt conſilia,quæ non potuerunt ſtabilire.*

*12 Quoniam pones eos dorſum,*in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

13 Exultare Domine in virtute tua.

**cantabimus & pſallemus virtutes tuas.*

perpetuo duraturam,reſuſcitando eum à morte,& ad immortalem in cœlis vitam eum ſubleuando.

5 Per ſalutem,quã illi contuliſti,& qua per ipſum humanũ genus ſaluaſti,magna eſt & in cœlo & in terra gloria eius,quæ nunquã deſinet.*Nam etiam in poſterũ honore & gloria maxima afficies,atq; ornabis eum.

6 Quoniam tam abundè eum tuarum gratiarũ benedictione reple bis,vt & ipſe aliorum ſit benedictio,ſitq; is per quẽ in æternum omnes gentes terræ benedicantur,*ineſtimabili gaudio eũ cum omnibus illi adhærentibus lætificabis,per contemplationem faciei tuæ.

7 Et quidem quoniã rex noſter non in humana virtute aliqua confidit,ſed in Domini,*ideo etiam per miſericordiã omnipotẽtis Dei nunquam deiicietur à ſuo regno,aut à ſua fœlicitate, quantumuis multi ſemper erunt,qui eius regnum & gloriam oppugnabunt.

8 Sic Domine,quemadmodum cœptum eſt, manus tuæ potentiæ aſſequatur omnes inimicos tuos,*ita vt ne vnus quidẽ vltricem manum tuam euadat,ſed experiri eam cogatur vel in hoc,vel omnino in futuro ſæculo.

9 Etſi ad tempus iam tuam in illos diſſimules potentiam,& vltionẽ quoniam miſericordiæ nunc tẽpus eſt, tamen in nouiſſimo iudicij die,cum tẽpus erit quo ſeueritatem tuæ iuſtitiæ & vltionis in impijs declares,ardere penitus intus & foris inimicos tuos facies, ſicut ardet incenſus fornax.*Dominus cũ iram ſuã exercere voluerit, deturbabit eos,deiiciens eos in ignem gehennæ,qui eos deuorabit ac perdet vt nihil in eis ab ignis læſione ſaluum remaneat.

10 Simul quoq; cũ eis Domine perdes è terra omnẽ eorum impiã poſteritatẽ,*eoſq; oẽs qui ad impiorum exemplum impietatẽ ſectati ſunt,eradicabis ab hominibus,mãcipans eos æternis cruciatibus.

11 Hæc autem iuſtè illis inferes mala,quoniam inique conati ſunt mala tibi inferre,*excogitauerunt varia conſilia,quibus te,tuumq; populum,ac regis à te conſtituti regnum delerent,ſed te diſſipante eorum vana conſilia,non potuerunt ea adimplere.

12 Ob id certè tu à te eos planè reiicies,vt terga tibi vertant,* efficies vt dirigant vultus ſuos in eos quos tibi ſeruaſti,quo non tãtum ſuo malo,ſed etiam aliena torqueantur fœlicitate.

13 O Domine,qui in rege noſtro ſemel tuam declaraſti potentiam, dum per eum humani generis hoſtem deuiciſti,dum ab impiorum hominum manu atq; morte eum liberaſti,ſemper quoq; in poſterũ per tuam virtutem altiorem te declara,& potentioré omnibus inimicis regis noſtri regnum eius adhuc oppugnare audentibus,* ſic ſanè fortia tua facinora,quæ pro eius gloria,noſtráq; ſalute patraueris,nos ſemper carmine & cantu celebrabimus.

In finem Pſalmus Dauid,pro ſuſceptione matutina.

ARGVMENTVM PSALMI XXI.

Teſtimonia omnium euangeliſtarum,& Apoſtoli Pauli,ſed & Pſalmi huius verba apertiſſimè cõuincũt,omnia huius Pſalmi non de Dauide,ſed de Chriſto domino noſtro exponenda:quanquã ei ſimile ſit Dauidẽ occaſione ſuarũ tribulationũ,ad has querelas adactũ,ſic tamen vt Chriſti ſe typũ agnoſceus,ad illũ potius deflecteret animum,eumq; ob oculos haberet,ita q; Chriſtũ Dominum loquentẽ induceit. Primũ quidẽ de ſua derelictione conqueretur,deinde & hoſtium ſuorum crudelitatẽ,paſſionumq; ſuarũ magnitudinẽ enarrantẽ:poſtea pro liberatione rogantem,& pro ea promittentem patri gratiarũ actionem & prædicationem nominis ipſius apud oẽs gentes, apud quas ſita reſtitutione prædicit regnũ Dei,veramq; religionem illuſtranda fore & dilatanda.Hæc aũt omnia de Chriſto canens Propheta,in ſe adhibrari præuidit.Nã & ciũ ipſe poſt multas paſſiones,ſummáq; deiectionẽ, liberatus eſſet, plurimũ dilatatũ eſt regnum Iſrael,etiam in exteris gẽtibus,ac religio Dei prius collapſa,egregiè reſtaurata eſt.Bene aut em conuenit huic Pſalmo ipſius inſcriptio,iuxta 70.verſionẽ,quæ habet:Pro ſuſceptione matutina vel auxilio mætutino,quoniam hic Chriſtus petit à patre ſuſcipi & adiuuari,vt matutino tempore à morte reſuſcitetur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus Deus meus reſpice in me:

**quare me dereliquiſti?*

OMi pater, qui ſecundum aſſumptam humanitatem meus es Deus,dẽclara te quæſo conſiderare,in quanta præter meũ meritum poſitus ſim afflictione,tuũ quæſo mihi fauorẽ exhibe, quare enim mi Domine,qui nõ ſoles derelinquere in te ſperantes,me confidentẽ in te,nihilq; tale promeritum qualia patior, dereliquiſti? Dere *pſal. 21* a

** longè à ſalute mea verba delictorum meorum?*

2 Deus meus clamabo per diem,& non exaudies:et nocte.

** & non inſipientiam mihi.*

3 Tu autem in ſancto habitas,

** laus Iſrael.*

4 In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt, & liberaſti eos,

5 Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt,& non ſunt confuſi.*

6 Ego autem ſum vermis & non homo,

** opprobrium hominum,& abiectio plebis.*

7 Omnes videntes me deriſerunt me:

** locuti ſunt labiis,& mouerunt caput.*

*8 Sperauit in domino,eripiat eum, * ſaluum faciat eum,quoniam vult eum.*

9 Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ,* in te proiectus ſum ex vtero.*

10 De ventre matris meæ Deus meus es tu:

** ne diſceſſeris à me.*

11 Quoniam tribulatio proxima eſt,

** quoniam non eſt qui adiuuet.*

12 Quoniam circundederunt me vituli multi,

** tauri pingues obſederunt me.*

13 Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens.

Dereliquiſſe certè te dico,pateris enim atrociſſimis me excruciari tormentis, & ſecundum corpus tua conſolatione penitus deſtitutum nullum tui in me fauoris iudicium ſentio.* An delicta mea accuſantia longè me faciunt à ſalute mea? num mea peccata præpediunt ſalutem meam? Tu certe Domine noſti nulla omnino eſſe delicta quæ commiſerim. b

2 Deus meus,à quo totus pendeo,die ac nocte clamaui ad te, deſiderãs ſecũdũ carnis infirmæ appetitũ,trãsferre à me amariſſimũ calicẽ paſſiõis,nec exaudis,qui inuocãtes te ſemper exaudire ſoles.

* Et tamen quod me non exaudis,non poteſt mihi imputari ad inſipientiam, non eſt enim aliquid quod ſtultè & malè à me geſtum eſt,vt propter hoc me non exaudias. c

3 Et quidem Domine tu inter homines ſanctuariũ tibi delegiſti in quo habitantes,ac potẽtiam tuam hominibus declarans, teſtareris te auditurum preces ad te clamantium. Tu in ſancto cœlorũ habitaculo ſedes firmiter regnãs,tui ſemper ſimilis,* Tu is qui oblatam opem meritò ſemper laudaris à populo te colẽte,teque inuocante.

4 Qui fit igitur,vt ad meas preces nunc adeo abſurdeſcas? Maiores noſtri in tua benignitate confiſi ſunt. confiſi inquam ſunt, nec fruſtrati,nam liberaſti eos frequenter à variis malis.

5 Ex fiducia,quam in te habuerunt clamauerunt in tribulationibus ſuis ad te,& ſalui facti ſunt:* in te ſperauerunt,& non ſunt pudefacti ob ſpem fruſtratam.

6 At me quantumuis te inuocantem,& in te ſperãtem ſic deſeruiſti,ſic impiorum crudelitati dedidiſti,vt iam non homo,ſed vermis eſſe videar,infirmiſſimum animal & contemptiſſimum, quod conculcationi expoſitum eſt,atque gradientium pedibus ſine vlla miſericordia proteritur,* factus ſum illuſio hominum,à populo quaſi res viliſſima reiectus & habitus quaſi virorum omniũ nouiſſimus. d

7 Quantumuis atroces eſſent cruciatus mei, nemo tamen mei miſertus eſt:ſed contra omnes inimici mei, cùm viderent me grauiſſimè excruciatum,deriſerunt me, neque riſum ſuũ apud ſe continuerunt ſed quod non parum dolorem auget, ſignis & verbis declaraueruut,* Irriſoria enim & blaſphema verba labiis ſuis effutierunt,& capita ſua cum gaudio & ludibrio mouerunt.

8 Dixerunt enim:Hic omnem ſuam ſpem in Domino repoſuit,liberet ergo nunc eũ,*ſaluũ faciat eũ de manu noſtra,quoniã gloriatus eſt ſe ab eo diligi, atque in ſe beneplacitũ eſſe illi, Dixit enim: quon am filius Dei ſum. Quibus vocibus mi Deus quid moleſtius? Quid magis blaſphemũ eſſe poteſt, dũ meam in te fiduciã irridẽt.

9 Et quidem domine,quantumuis illi rideant meam ſpem,quantumuis vanum putent tuum in me fauorem,tu certe is es,qui me in vtero matris formatum tandem ex vtero eduxiſti in hanc lucem: * tu is es,in quo,ab vberibus matris meæ, ab ipſa infantia ſemper, vſque in hanc horam, omnem meam ſpem fixi,* Cùm primum ex vtero matris meæ in lucem editus eſſem, ſuper te proiectus ſum, tuæ prouidentiæ commiſſus à matre mea, méque ipſum totum ab ineunte ætate in te pleniſſima confidentia proieci. e

10 Ex eo tempore,quo in hunc mundum natus ſum vſque in præſens tu te mihi Deum exhibuiſti, alens,gubernans, & ab omni malo præſeruãs:& ego viciſſim te ſolum pro Deo meo agnoui & colui. *Ne igitur ó Domine, qui hactenus mihi ſemper adfuiſti, in quo ſolo ſemper ſperaui,iam longè diſceſſeris à me ſine omni me derelinquens conſolatione.

11 Quod iuſtum eſt te facere,tum quia grauiſſima iam mihi adeſt tribulatio,* tum quia non eſt aliquis,qui opem aliquam ferat afflicto, quiue ſua conſolatione calamitatum mearum miſeriam mitiget. At verò tu Domine libenter adeſſe ſoles afflictis,& his maximè qui humana penitus deſtituuntur ope & conſolatione.

12 Præſentem mihi dico afflictionem, quoniam ecce multi à populo quaſi vituli laſciuientes me circundederunt ad capiendum, illudendum,& affligendum,* principes eorum,potentes,& efferati inſtar taurorum pinguium vndique me obſederunt, vt humana via non videar eripi poſſe è manibus eorum.

13 Aduerſum me aperuerunt os ſuum, deuorare me quærentes: non aliter quã leo inhians prædæ:& præ fame rugiens:& ipſi contra me dilatauerunt os ſuũ, cũ magno rugitu & clamore ferociter deſiderantes meum interitum. Quemadmodũ etiã leo correpta præda rugit præ gaudio,ita & ipſi potiti iam ſuo voto,liberè iam contra

me loquuntur,& gloriabundè, oréque dilatato in me opprobria iactant.

14 Sicut aqua effusus sum,

** & dispersa sunt omnia ossa mea.*

14 Et ego præ nimio pauore, præ passionum enormitate dilapsus sum viribúsque omnibus destitutus in modum aquæ effusæ, quę consistentiam non habens diffluit,& dilabitur:* & omnia ossa mea dissoluta sunt,& à suis quæque locis diuulsa sunt, soluente nimirum membrorum compages frigiditate, ac acerbissima extensione in cruce facta.

15 Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei,

15 Sicut cera liquescit ab ardore ignis, suámque perdens continuitatem,diffluit resoluta:sic & cor meum in medio mei, metu ac pœnarum acerbitate tanquam igne quodam liquescit,atque resoluitur:tendens continuè ad defectionem.

16 Aruit tanquam testa virtus mea,

16 Sicut testa arida facta est,igne excoquente omnem eius humiditatem:ita & omnis membrorum meorum vis exaruit,penitúsque defecit,nimirum sanguine,omnique succo vitali pauore ac passione exhausto,* & præ nimia ariditate lingua mea adhęsit palato admodum sitibunda: * & viribus omnibus deficientibus eò te deserente & permittente perueni,vt proximus sum sepulchro.

** & lingua mea adhæsit faucibus meis:* & in pulverem mortis deduxisti me,*

17 Quoniam circundederunt me canes multi:

17 Ideo autē hæc quæ dixi,passus sum vt cor meum deficeret,virtus omnis aresceret.& reliqua,quoniā multi latrātibus ac ferissimis canibus similes me tanquā feram qnandā circundederunt,rabidos latratus contra me emittentes:ac quasi dentibus suis me sæuissimè dilaniātes,* congregatio noxiorum hominum circumuallauit me.

** consilium malignantium obsedit me.*

18 Foderunt manus meas & pedes meos,

** dinumerauerunt omnia ossa mea.*

18 Perfoderunt clauis manus meas & pedes meos,cruci me crudeliter affigentes * numerare illis licuit omnia ossa mea, propter nimiam membrorum distentionem in cruce, ac carnem maximis pressuris exesam,omnemque humorem exhaustum.

19 Ipsi verò consideraverunt,& inspexerunt me.

** diuiserunt sibi vestimenta mea,& super vestem meam miserunt sortem.*

19 Cùm autem tanta esset pœnarum acerbitas,vt vel maximè ferreus cruciatibus meis illachrymaretur, ipsi cum gaudio & voluptate me inspexerunt,ludibrio me habentes,ridentes,& ex inspectione mei sese satiantes.* Iam de mea extinctione omnino securi,partiti sunt sibi vestes meas,vnicuique partem vnam tradētes,& super vnam vestium mearum inconsutilem,quoniam diuidi non conueniebat,miserunt sortem quis eam acciperet.

20 Tu autem domine ne elongaveris auxilium à me,

** Ad defensionem meam conspice.*

80 Hæc quidem in me illi crudelissimè exercent. Verùm tu domine qui pater es misericordiarum,ne quæso diutius differas mihi auxilium tuum,* respice in me,non quemadmodum impij hi,cum ludibrio me contemplantes,sed ad defensionem meam.

21 Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis † vnicam meam.*

21 Erue animam meam à gladio iamiam percutiente,à cæde iam præsente,* & de potestate rabidorum horum canum libera animam meam quæ mihi vnicè chara est, † quæque ab omnibus sola derelicta est,omni humano auxilio destituta.

22 Salua me ex ore leonis:

** & à cornibus unicornium humilitatem meam.*

22 Ex ore horum leonum qui me iam captum ferociter edunt,extrahe me:ne quemadmodnm cupiunt, me planè deuorēt,& consumant.* Et à potentia horum qui tanquam sæuissimi, fortissimi,ac indomabiles vnicornes, me sua fortitudine quasi cornibus impetunt,libera me humilem: & afflictum,pauperculum tuum.

22 Narrabo nomen tuum fratribus meis,

23 Id si feceris,quemadmodum te certè facturum confido,& scio, cum me tertia post mortem die resuscitabis ad vitam, faciens me morte omnibusque inimicis meis superiorem, tūc partim per meipsum,partim per Apostolos meos annuntiabo nomen tuum, virtutem tuam,ac bonitatem his,qui eiusdem mecum consortes naturæ,& cœlestis natiuitatis:ad eiusdem etiam regni ab æterno à te vocati sunt hæreditatēm:* palam ac liberè in medio magnæ congregationis populi,ita vt omnes audiant per me, perque meos, tuas laudes semper prædicabo.

** in medio ecclesiæ laudabo te,*

*24 Qui timetis Dominum laudate eum: * vniuersum semen Iacob glorificate eum.*

24 Et dicam:vos quicunque reiectis falsis diis,Deum colitis, & reueremini,laudate eum,*vniuersi qui legitimi estis filij Iacob,fidem eius ac pietatem imitantes glorificate eum.

*25 Timeat eum omne semen Israel, * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.*

25 Casto ac filiali timore reuereantur eum omnes filij Israelis, quoniam non reiecit deprecationem, qua ego pauper,abiectus,& miser eum deprecatus sum in ea abiectione.

*26 Nec auertit faciem suam à me, * cùm clamarem ad eum exaudiuit me.*

26 Nec dedignatus est me audire,ac fauorem rogatum mihi exhibere,* & cum inuocarem illum, exaudiuit me. Quæ res meritò vos omnes excitare debet ad Dei laudem & reuerentiam,cum Dei bonitas hac in re claruerit,& salus mihi præstita etiam vobis omnibus salutem attulerit,& mea exaudita firmam suggerat spem omnibus futuræ exauditionis, si & ipsi meo exemplo in afflictione Deum inuocauerint.

28 Co

*28 Apud te laus mea in ecclesia magna, * vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

28 Coram te, & de te erit omnis laus in frequentissima hominum congregatione,* quæ voui illi sacrificia laudis, hæc reddam coram omnibus reuerentibus eum.

29 Edent pauperes,& saturabuntur,

29 Hi qui pauperes sunt spiritu,se indigere agnoscentes, ab hoc mundo contēpti,quique prius in summa mendicitate vitam trahebant miserrimam,vtpote religionis & virtutum omnium egētes, hi iam opulenti fient,omnibus bonis cœlestibus circumfluētes, ac saturati.Et quemadmodum hactenus mos fuit, pro gratiarum actione offerre pacificas victimas,quibus simul cum lætitia vescebantur ad sacrificium vocati:ita & cœlestem panem corporis mei, pro rememoratione perceptorum à patre beneficiorum, offerendum,& à pauperibus meis vnanimiter sumendum,relinquā:quem qui ederint,omnibus verè bonis saturabūtur, * & iam saturati cum mentis lætitia laudabunt Dominum, illi placere cupientes, corda eorum hoc cibo alita in summa alacritate ac lætitia viuent in perpetuum.

** & laudabunt dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.*

30 Neq; verò carnale tantū semen Iacob,à quo iam solum coleris te laudabit,sed ex omnibus terræ finibus gētes, quæ acceptam primum Dei cognitionē amiserūt Dei oblitæ,cuius cognitio mentibus ipsorum indita fuit rursum per meorum prædicationem recordabuntur Dei,& cōuertentur ad Dominum,quē dereliquerunt,creaturas pro creatore colentes.† Reminiscentur quoq; subinde liberationis præstitæ,dum edent de iusstituto sacrificio,& cum gratiarum actione conuertent totum animum suum ad Dominum Deum.

30 † Reminiscentur & conuertētur ad Dominum,vniuersi fines terræ,

31 Et ex omnibus tribubus & gentibus conuersi plerique procident non iam amplius coram fallis diis,sed coram Deo vero.

31 Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium.

32 Neque enim Deus tantū Iudęorum Dominus est,sed ad ipsum pertinet regnum super omnes,* atque ob id nō sinet gentibus idola dæmonesque semper dominari,sed ipse in illis dominabitur,subiectos sibi voluntate faciens,

*32 Quoniam domini est regnum, * & ipse dominabitur Gentium.*

33 Nec tantum humiles & abiecti Deo subiiciētur, sed & in omnibus terris reges ac potentes quiq; prædestinati,in testimonium suæ fidei & religionis edent de mystico sacrificio corporis mei, gustabúntque spiritualia Dei dona, eisque gustatis supplices Deo fient: * vniuersi deniqne mortales qui in terram & puluerem dilabuntur, suppliciter Dominum venerabuntur,† imo & mortui omnes in terra sepulti in veneratione illius genua flectēt:vt iam coram illo non tantum cœlestium & terrestrium,sed & infernorum genu flectatur.

33 Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.

** in conspectu eius cadent † omnes qui descendunt in terram.*

34 Et ego semel peccato mortuus à morte resuscitatus, vitam immortalem viuam coram ipso, † atque ad illius gloriam, * spirituales mei filij quos per euangelium Deo gignam, semper voluntariè seruient ipsi.

34 Et anima mea † illi viuet, & men semenm seruiet ipsi.*

35 Generatio post ventura accipiet de domino annuntiationem, † ipsa item adnumerabitur Domino in populum eius,*& hæc iustitiā Dei,quam præstitit in redēptione hominis, præstans quod promisit,liberánsque eos qui ab iniusto oppressore vexabuntur,annuntiabit populo qui postea adhuc nascetur, quæ iam in sua prædestinatione Dominus fecit,& in cœlestē suum regnum præparauit.

35 Annuntiabitur Domino generatio ventura. & annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.*

ANNOTATIONES.

DEVS DEVS,&c. Hæc verba respice in me, adiecerunt Septuaginta,nō habēt Hebręa: quæ tātum habent ea verba,quibus Christus in cruce vsus est,Deus meus,Deus meus,vt quid me dereliquisti,apertè demonstrans hūc Psalmu totum ad se pertinere,sicut idipsum & Euāgelistæ satis indicauerūt, non solū eo quod ex hoc Psalmo citauerūt illud:Diuiserūt sibi vestimēta mea, &c.sed etiam quod eisdem,quibus hic Propheta vsus est,verbis descripserūt inimicos Christi derisisse illum in cruce, & mouentes capita sua dixisse:Confidit in Deo,liberet nunc etiā si vult,vt certe vel ex hoc Psalmo colligere liceat quantus Propheta fuerit Dauid, qui Christi passionem tam clare & particulatim prænuiderit,& explicauerit,clarius quàm aliorum prophetarū quiuis.

LONGE A,&c. Oratio hæc multū obscura, clarior est in Hebræo,ex quo sic oēs transferunt lōge à salute mea verba rugitus mei.Septuaginta verò שגתי Saag,q; significat rugitū, per trāspositionem literarū acceperunt pro שאגתי Saga, quòd significat delictū & errorem. Pleriq; vt fugiāt orationis huius difficultatē,aliter distinguūt hunc versum,quā communiter habēt libri, nam hæc verba,longe à salute mea,coniungūt cū præcedenti verbo,dereliquisti:& q; sequitur, Verba delictorum meorū:coniungūt cum sequēti versu,vt facit Valētia. Aut seorsim accipiūt, vt facit Ricardus Panopolitanus,vt sit sensus:Hæc quæ loquor,sunt verba delictorum meorum. Verùm has distinctiones nō admittunt Hebræa,& contrariatur communi distinctioni codicū Græcorum simul & Latinorum. Sicut etiā Hebræa & Græca nō permittunt,vt genitiuus meorū,accipiatur nō esse adiectiuū substantiui delictorum, sed vt regatur à nomine delictorū,sicut accipiūt authores prædicti. Non enim intelligūt Christū hic agnoscere aliqua esse sua delicta, sed loqui hic de delictis suorum hominum,scilicet qui illi commissi erant. Hi autem, qui communem sequuntur distinctionem, sic fere hunc locum intelligunt: Delicta populi, quæ ego mea feci, satis

ſatisfacturꝰ pro eis ac ſi mea eſſent,hæc me lõgè faciũt à ſalute mea.Dicit autẽ,verba delictorũ ſiue quia verba frequẽter Hebraico more facta dicũtur & opera:ſiue quia delicta hominũ clamabãt pro Chriſti paſſione,per quã expiarẽtur.Verum hic ſenſus propoſito nõ ſatis cõuenire videtur,vt interim taceã , nõ propriè hominũ delicta vocari Chriſti delicta.Non enim cõuenit animo ſummè afflicto ſtatim ſic ſubiicere cauſam & rationẽ , qua ceſſare meritò deberet eius anguſtia & querimonia , maxime cũ adhuc poſtea diu in querimonia,à qua cœpit , perduret. Euthymius Grecus,præter hũc ſenſum etiã aliũ indicat,hũc ſcilicet , Reatus meorum peccatorũ,cũ nulla ea ſint,nullo impedimẽto ſunt ſaluti meæ,nõ impediũt eã,ſicut nõ impedit quod ab aliqua re multum elongatũ eſt.Similẽ ſenſum hæc oratio clarius habebit , ſi eam interrogatiue legamus , vt habet paraphraſis,qui ſenſus contextui, ac affectui querentis magis conuenire videtur.

c NON AD INSIP.&c.]Pleriq; hanc partem ſic accipiunt,quòd à te petam,id quod nõ impetro,non poteſt imputari inſipiẽtiæ meæ,ſicut in reliquis hominibus hoc inſipiẽtiæ eorum aſcribitur , quia ſcilicet neſciunt quid petẽdum erat. Ego verò & cauſas cognoſco , quare petere debui quod nõ eram impetraturus,& quare tu me non exaudias ſtatim. Verùm contextui & affectui conquerentis magis conuenit ſenſus Paraphráſis , vt intelligamus ipſum ſuam innocentiam hic proponere , quemadmodũ & in primo verſu,& in Pſalmo 68.Deus tu ſcis inſipientiam meam,& delicta mea à te non ſunt abſcondita.

SVM VERMIS.]Euthymius tres indicat iucundas rõnes,ob quas rectè Chriſtus vermi comparetur,etſi propoſito inconuenientes.Primum, quia ſicut vermis ſine cõmiſtione ſexuũ naſcitur ex pluuia & terra:ita Chriſtus cœleſti virtute ex virgine natus eſt.Secũdo, quia ſicut vermibus,hamo in eis abſcõdito, capiuntur piſces:ita & per humanã Chriſti naturã captus eſt Leuiathan,& cœtus ille magnus diabolus propter latentem in ea Chriſti diuinitatẽ.Tertio,quoniam ſicut vermis etſi tenerrimus duriſſima corrodit & transfodit ligna:ita & Chriſtus , quantumuis in ſpeciem vilis & infirmus,hoſtẽ humani generis perdidit,quẽadmodum & Dauid, 2.Reg.penultimo vocatur tenerrimus ligni vermiculus.

c SPES MEA,&c.]Quẽadmodũ in Latino ſermone à teneris vnguiculis,à cunis, & ſimilia:ita & in ſcripturis,ab vberibus,ab vtero,&c.per hyperbolen ſignificãt illud tẽpus,quo homines incipiunt vti rõne,quomodo Dauid de ſe loquitur Pſal.70.& Iob cap.31.Verum quoniã hic Chriſtus loquitur,citra tropũ iſtud hic accipi poteſt. Nam ab initio conceptionis & natiuitatis, Chriſtus rõne vſus eſt,etſi id nõ declararet. Quod autem hic dr̃,tu extraxiſti me de vẽtre, ſimpliciter tantum ſignificat Dei benignitate in lucẽ ſe eſſe editum,quomodo & quiſq; hominũ de ſe id dicere poteſt. Verũ altiori quodã ſenſu id propriè Chriſtus dicere poteſt, qui non viri copula , nec obſtetricis opera in mundum prodiit.

f CONCILIVM,&c.] Legendum concilium per, c, & non per, ſ, non ſolum Hebræa docent, ſed & Græca , quæ habent συναγωγὴ , ſynagoga, hoc eſt congregatio.

g APVD TE.&c.] Græca habent ἀπὸ σοῦ, à te, quomodo & Hebræa verti magis poſſunt,quanquã Hieronymus verterit vt nos legimus : apud te,eodem autem recidit ſenſus.Dicens enim laudem ſuam à Deo proceſſurum , vel apud Deum permanſuram , ſignificat Deum ſuæ laudis fore fundamentum & materiam.

h VOTA MEA,&c. Alluditur ad id quod in arduis negotiis , vbi imminebat aliquod periculũ, vouere ſolebant ſacrificiũ pacificum, quod voto ſuo potiti ſoluebãt,inuitãtes ad illud amicos,qui ex illo corã Deo ſimul in lætitia epularentur.Ita enim & Dominus pollicetur ſe gratitudinis ſuæ ſigna editurũ,perſoluendo vota quę in extremis anguſtiis nuncupauerit,idq; nõ ſine ſolemni pietatis exercitio,cuius & alii amici ſunt participes cũ gaudio & fructu. Id autẽ quomodo Chriſtus præſtet,non oſtendi poteſt verius, quã per inſtitutionem euchariſtiæ , per quã à ſe inſtitutã inſtãte morte,& frequẽtari iuſſam, Chriſtus in eccleſia per ſacerdotum miniſterium agit quotidie gratias patri pro præſtita liberatione humani generis,vt qui de illo edũt,reminiſcẽtes paſſionem ipſius ſaturẽtur, vitámq; æternã cõſequãtur. Vnde rectè D.Aug.hoc loco,vota Chriſti, interpretatur ſacramẽta corporis & ſanguinis eius. Et in ſecũda expoſitiõe: Quę,inquit,ſunt vota ſua?Sacrificium quod obtulit Deo.Noſtis quale ſacrificium.Norunt fideles vota, quæ reddit coram timentibus eum. Quibus verbis aperte ſignificat, ſacramẽta corporis & ſanguinis Domini eſſe idẽ illud ſacrificium,ꝙ ſemel in cruce obtulit Deo, quodq; idem quotidie offert per manus ſacerdotum:item quod vota dicantur,nõ ſolum quia in vltima cœna inſtituta,& offerri iuſſa,ſed etiã ꝙ idẽ corpus olim ex voto Deo Chriſtus obtulit in crucẽ.Proinde & hoc nomine admirandus venit propheta Dauid, ꝙ nõ ſolum Chriſti paſſionem tã aperte preuiderit,ſed & ſacrificii noſtri nouitatem,quod in illius memoriã pro ſacrificiis veteribus eſſet in eccleſia cũ tãto fructu celebrandum.

i ANIMA MEA,&c.]Græcis nõ eſt futurum, ſed præſens ζῆ, id eſt,viuit. Quod rñdet illi Paulino: Chriſtus reſurgens ex mortuis,iam nõ moritur.

k ANNVNTIABITVR, &c.] Duplex ſenſus põt eſſe in Hebræis. Nã verti poteſt, narrabitur de Dño generationi,vel annumerabitur Dño.Ita & noſtra lectio accipi poteſt,vt ſit ſenſus:Generatio vẽtura annuntiationẽ accipiet de Dño aut in honorẽ domini,vel:Annuntiabitur dño quia ipſi Domino aſſcribetur in populum ipſius.Cęterũ dictio cœli,ſicut nec eſt in Hebræis,nec Græcis ita nec in ꝗbuſdã vetuſtis Latinis,vt oĩno adiecta videatur,vt verbũ annũtiabũt,haberet ſuppoſitum,cũ eius ſuppoſitum ſit,gñatio ventura.

In finem Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXII.

PSalmus hic totus,gratulatio eſt viri iuſti de cura & proſpectione Dei,quẽ primũ tanquã paſtorẽ,deinde vt hoſpitem ſecum agere gloriatur,perpetuam ſibi ex percepta eius benignitate miſericordiam pollicens,donec eo perueniat,vt æternã in domo Dei obtineat habitationem.Quanquam autem ſic rectè in genere accipitur hic Pſalmus, iſq; eius videatur eſſe primus ac literalis intellectus,tamen cum omnis ſcriptura in Chriſtum reſpiciat , qui finis eſt legis ſpeciatim etiã rectè accipitur,vt ſit Eccleſiæ Chriſtianorũ gratulatio de paſtore ſuo Chriſto domino, qui tãquã paſtor bonus pro ouibus ſuis ſeſe vltro in mortem obtulit,quo eas à rapinis diaboli tueretur , qui ſacroſanctis Sacramentis in aqua,oleo,ac ſpeciebus panis & vini inſtitutis,oues ſuas paſcit,omnibuſq; ſpiritualibus bonis replet.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Dominus regit me,& nihil mihi deerit,
** in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

DOminus tãquam paſtor optimus paſcit,regitque me ouiculam ſuam,& ideo nihil mihi vnquam ad bene beatéque viuendum deerit.* Quemadmodum enim bonus paſtor ouibus ſuis ante omnia de paſcuoſis ac herboſis locis , déque aquarum potu proſpicit, ita & mecum egit Dominus.Nam cõſtituit me in eo loco , vbi optima herbarum ſunt paſcua in congregatione ſcilicet ſanctorum , in qua ſalutari doctrina Dei ac beneficiorum eius dulcedine, mentes hominum incredibili cum voluptate paſcuntur & aluntur. *Pſal.22.* a

2 Super aquam refectionis educauit me:
** animam meam conuertit.*

2 Enutriuit etiam me iuxta aquam,quæ laſſum atque ſitibundum reficit,nimirum iuxta fontes ſpiritus ſancti,ac fluenta ſcripturarum ſanctarum,& ſalutaris ſapientiæ,quæ fluit in ſanctorum congregatione,potátque omnes Dei oues.* Et quomodo bonus paſtor errabundas reuocat oues,ita & Dominus errantem animam meam,& à recta viuendi via ſeſe aliquando auertentem,ipſe ad ſe conuertit. b

a *3 Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ,*
** propter nomen ſuum.*

3 Méque ab omni vano errore reuocatũ deduxit in ſemitas virtutis,in his me collocãs & inducens,ac inductum ſemper deducẽs ac cuſtodiens,ne ex eis vnquam per peccatum exciderem.* Id autem fecit non propter mea merita,ſed propter infinitam ſuã bonitatem.

4 Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis,
** non timebo mala,quoniam tu mecum es.*

4 Adeo autem ſecurè mihi perſuadeo , nihil mihi defuturum vnquam vt etiã ſi verſari me contingat in medio maximorũ periculorum quæ imaginem aç ſpeciem mortis præ ſe ferant,aut in denſiſſimis etiam tenebris,* non tamen timeam mihi aliquid mali,idque ob id,quoniam tu mecum ſemper es,dux meus,ac cuſtos:quo protegente,quæ vis,quæ improbitas impiorum officere poſſit? *Heb.12.*

5 † Virga tua ac baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

5 Tua Domine deductio,tuáq; paſtoralis cura,quibus me,tãquam virga ac baculo paſtoris,deduci ac cuſtodiri aduerto,plurimum ſane me conſolantur ac recreant , vt propter hæc etiam graues afflictiones æquiſſimo feram animo.Aduerto enim tua cura mihi optimè proſpici.Quæ conſideratio vt ſemper recreat,ac iucunda eſt:ita & in aduerſitatibus non paruam affert conſolationem.† Imo & aduerſitas quæuis ſiue parua ſiue magna , qua pro officio boni paſtoris quaſi virga quadã aut baculo errare me incipiẽtẽ ad te reuocas, hæc me multũ cõſolatur dũ intelligo te id facere pro officio pij paſtoris,ac dilectionis id ſignum eſſe,non odij.Caſtigas enim omnem quem diligis.

6 Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.

6 Neq; verò tantũ te mihi tanquã ouiculæ paſtorẽ exhibes,ſed & tanquam hoſpitẽ humaniſſimũ,Quemadmodũ enim amicũ ſingularem amicus ad conuiuiũ vocans, vnguento primùm caput ad refocillationẽ,& reuocationẽ profundit,deinde variè inſtructa mẽſa, potúque cor letificante amicum excipit,ita & tu officia in me exhibuiſti.Corã me enim quaſi dubiam menſam paraſti , vinũque optimum propinaſti,dum me omnium rerum copia abundare feciſti,vt illis refici & recreari liceat , videntibus etiam hoſtibus meis & inuidentibus,nec tamen impedire meam fœlicitatem valentibus.Beneficia quoq; tua varia mihi declarata & oſtenſa,quæ ob oculos meos ſemper verſantur,mentem meã quaſi cibus ac potus optimus mirè reficiunt,ac contra hoſtium meorum inſultus,fortem reddũt. Scripturam etiam ſanctam,quaſi menſam variarũ epularum,vnde quiſque quod cõueniat ſumere ſibi poſſit,mihi propoſuiſti,vt huius meditatione & maſticatione munitus ſim contra affligẽtes me. Sed & mẽſam cœleſtis ac ſupremi cõuiuij delicatiſſimis ferculis refertam, tu iã in conſpectu meo,omniumq; piorum paraſti, vt hanc ob oculos ſemper habẽs,ac pura mentis cogitatione eã pręguſtans,forti & infracto ſim animo aduerſus omnes me tribulãtes,dum perſuaſum habeo,præ illius cõuiuij delitiis omnes huius vitæ ærũnas nihil eſſe.

7 Impinguaſti in oleo caput meum.
** & calix meus inebrians quam præclarus eſt.*

7 Mentem meam oleo ſpiritus tui ſancti perfudiſti,imo & impinguaſti,vnctione tua intellectum meum docens omnem veritatem, ac infuſione charitatis tuæ affectum miris modis lætificans , & ad bene agendum fortificans , atque fœcundans.* Et ô quam verè præclarus,quàm prætioſus,quàm omni poculo præferendus eſt calix à te mihi propinatus,mentem meam ſua plenitudine inebrians, plenè exhilarans, atque in obliuionem mundanarum tum delectationum,tum afflictionum,inducens.Calicem autem hunc dico beneficiorum tuorum ac fauoris iugem memoriam , ſcripturam ſanctarum dulciſſimam meditationem , ac ſuauiſſimum illud nectar, quod pleno calice ſanctis tuis in regno tuo bibendum dabis,nobiſque iam hic ex parte das præguſtandum.

8 Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.

8 Expertus autem hactenus semper tuam in me benignitatem,ac d
misericordiam præuenientem,persuasissimũ habeo,quod me nunquã destituet tua bonitas,& misericordia:sed omnibus diebus vitæ meæ comitabitur me, per vias huius vitæ periculosas ingredietem, studiosissimè semper insequens,vt benefaciat, custodiat, & ad salutarem finem perducat.

9 Et vt inhabitem in domo domini, in longitudinem dierum.

9 Imo per eandem tuam misericordiam dabitur euenietque mi- e
hi, vt non solum hic protegar & dirigar: sed etiam vt in domo tua inter fideles diu versari liceat in laude tua,quod inter alia bona vehementer exopto,& vt migrans ex hoc corpore,tandem in cœlesti domo tua habitem tecum imperpetuum, liber omnium malorum metu,omnibúsque bonis & gaudiis perpetuò affluens.

ANNOTATIONES.

DOMINVS,&c.] Græcis est verbũ ποιμανεῖ, quod est propriè, pascit,queadmodũ legit D.August.quod magis huic loco conuenit, cum Dominum introducat tanquam pastorem.Vnde sequitur: In loco pascuæ ibi me collocauit. Vbi pro pascuæ,Græcis est χλόης,quod propriè significat herbam virentem,sicut & dictio Hebraica.

b SVPER AQVAM,&c.] Græcis est ἀναπαύσεως, quod non significat refectionẽ,sed requietẽ,queadmodũ & Hebraica dictio.Intelligunt autẽ quidá aquã quietis,aquas trãquillas leniterq; fluentes, quæ gratæ sunt ouibus pascentibus. Possunt tamen etiã rectè intelligi,aquæ quietis, aquæ quæ lassum,mœrentẽ atq; sitibũdum requiescere faciunt,& recreant,sicq; coincidit cũ eo quod noster vertit: aquã refectionis,sicut & Mathæi 10. vertit:Et ego reficiã vos,pro eo quod Græcis est, ἀναπαύσω ὑμᾶς id est,requiescere vos faciam.

c CALIX MEVS,&c.] Græcis est,poculũ tuũ. quomodo & D.Aug.legit. Hebræa tamen habẽt sicut noster vertit, calix meus. Pro quam præclarus,Græcis est ὡσεὶ κράτιστον, hoc est,quàm optimum,scilicet est.Vnde apud nos dictio,quã,accipi debet non interrogatiue posita sed potius pro dictione, valde, quæ positiuis addi solet, sicut quàm,superlatiuis,vt quàm præclarus,sit positũ pro præclarissimo.Nã in hac significatione, quã, etiã apud Ciceronẽ,licet rarò,iungitur positiuo.

d MISERICORDIA TVA,&c.]Verbũ Græcũ subsequetur καταδιώξει maiorẽ habet emphasim.Significat eñ persequetur,quo innuitur,misericordiã Dei nunquã derelicturã iustum,sed indiuulsum in omnibus eius actionibus adfuturã ei,vt eas prosperet,& ad optatũ finem deducat.

ET VT INHABITET,&c.] Coniũctio &, e quæ videri possit hic superesse,quia non videtur quæ copulet,non est apud D.Augu.in contextu. Ex commentario tamen apparet ipsum eã legisse,& accepisse pro etiam. Sic enim habet.Subsequetur me, nõ autem hic tantum,sed etiã vt inhabitẽ in domo Domini in æternũ: Sed & Græca & Hebræa coniunctionẽ hanc habent.Et Hebræa quidẽ habent,Et habitaui,pro habitabo in domo Domini:Græca verò non habent,& vt inhabitẽ.Nõ est enim, καὶ τὸ κατοικεῖν με,sed καὶ τὸ κατοικεῖν με hoc est,& ipsum habitare me,hoc est,habitatio mea in domo Dñi.Est autẽ oratio imperfecta,quæ,vt subindicat Euthymius,duob⁹ modis perfici põt. Altero vt repetatur verbũ subsequetur, & sit sensus: Et ipsa mea in domo Dñi habitatio,subsequetur me in longitudinẽ dierũ, hoc est,diu,imo in æternũ mihi cõtinget.Altero modo, vt subintelligatur verbũ erit,vel dabitur, aut aliud simile,& sit sensus:Habitare me in domo Dñi,hoc est,sicut noster vertit,vt habitem in domo Dñi,dabitur mihi,vel cõtinget,& erit mihi in lõgitudinẽ dierũ.Ex quibus patet apud nos coniunctionẽ, vt, nõ accipiendã vt designet finẽ ob quẽ misericordia Dei iustũ subsequitur: sed, vt inhabitẽ,positũ est pro ipsa habitatione:quomodo in Psalmo sequẽti:Vnam petij a Domino, hãc requirã, vt inhabitem in domo Domini,hoc est,ipsam habitationem petij.Nam & ibi Græcis est [illegible].Et nostra ergo litera altero dictorum modorum est intelligẽda, vt illud, vt inhabitem, sit suppositum verbi repetendi subsequetur: aut subaudiatur verbum,erit,aut dabitur.

Psalmus Dauid,in prima sabbati.

ARGVMENTVM PSALMI XXIII.

PSalmum hunc cõposuisse Dauid videtur,cũ è domo Obed edom transferret arcã Domini in Ierusalem, in domũ à se præparatã in monte Sion,quẽ sibi Dominum elegisse intellexit,vt in eo per Salomonem templum Deo erigeretur.Itaque secundum literalem sensum primum quidem canit,Dei esse quicquid terrarum finibus continetur,sed ex omnibus terris peculiariter quendã montem sibi in habitationem inter homines delegisse: docetq; qualem eũ oporteat esse,qui in hunc dignè sit conscẽsurus,vt dignè Deũ ibi veneretur,& quod petit ab eo impetret. Tũ principes ciuitatis Ierusalem alloquitur,adhortans vt apertis portis suis ingredientẽ Dominũ cum arca prompti lætiq; suscipiant,Dominum vtique gloriosissimum ac potentissimum.Sunt qui non ad portas ciuitatis Ierusalem,hæc dicta intelligunt,sed ad portas tẽpli,vt hic Psalmus à Dauide fuerit editus,cũ iam omnia quæ ad tẽpli ædificationem fuerant necessaria, summo studio cõparasset,valdè desiderans,vt arca in illud ædificandũ per filium induceretur.Verùm vt omnia illius populi facta,dictaq; vmbratica erant,aliquidq; significantia,quod ad nouam legem pertineret,quodq; à nobis magis spectãdum est:ita & hic à litera ad spiritũ transeundũ est,sine quo litera omnis sterilis.Per illationẽ enim arcæ in Ierusalẽ,in montem Sion,aut templum,ac sanctum sanctorum,significatam fuisse ascensionem humanitatis Christi in cœlos, satis ex Paulo patet:qui Ierusalem,montem Sion,ac sancta sanctorum,cœlos interpretatur,in quos semel ingressus est Dominus.Nec dubitandũ,quin ad hanc significationẽ Dauid arcã cum summa pompa ac lætitia inferens, ac carmẽ hoc dictans,respexit.Proinde secundum spiritualem sensum,postquam cecinit Dei esse terram,& omnes mortales in ea habitantes,significat non omnes eos qui Dei terrã inhabitant,etiã ascensuros in cœlestem Dei habitationem, sed eos tantum,qui sancta vita se illa dignos fecerint.Cõsiderans autẽ nulli hominum etiam iustissimo in cœlos patere aditum, nisi Christo domino ea loca suo ingressu & ascensu patefaciẽte,qui vt solus sine omni fuit labe,ita primus meruit cœlorũ regna ingredi,quasi iam ascendentẽ dominum contemplans,sanctos Angelos alloquitur,vt apertis cœlorum portis,prius semper clausis,gloriosum Dominum à victoria de hoste humani generis redeuntem suscipiant.

PARA

PARAPHRASIS EIVSDEM,

1 Domini est terra,& plenitudo eius:orbis terrarum, & omnia quæ in eis sunt.
2 † Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

DOmini est terra,& omnia quibus ipsa plena est:orbis terrarum, Psal.23.
& vniuersi mortales,qui habitant in eo,Domini Dei sunt.
2 Ipse enim est,qui totum terræ globũ creauit,ac immobiliter stabiliuit:,idque(quod maximè mirum est)super maria & flumina quę secundum magnam sui partem,terræ, quasi pro fundamento subiecta sunt,nõ sine magna admiratione ac indicio sustentationis, & gubernationis Dei,qui terrã vt creauit,ita & sustentat:vt cũ tãta moles aquis niti videatur, non tamen pro suæ naturæ ratione mergatur: † Ipse etiã in vsus hominum terram discooperiẽs,immobiliter eam fundauit,& parauit iuxta maria,quibus vndique circundatur,& iuxta flumina varias terræ partes perfluentia, in vtilitatem hominum.

3 Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?

3 Cum autem eius sint vniuersi mortales:vniuersáque terra:tamen quæ eius est in nos magna dignatio,nos ex omnibus gẽtibus peculiariter in suum populum,atque inter nos montem Sion in habitationem suam deligere dignatus est, in quo tabernaculo sibi condituro.placuit ei adorari,placari,ac responsa dare populo suo.Verùm in hunc montem Domini quis dignè ascendet? quis dignè stabit in loco sancto eius vt ipsum laudet,precetur,ac illi sacrificet?

4 Innocens manibus, & mundo corde.
** qui non accepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo.*

4 Is certè,qui manus habuerit innoxias ab omni praua actione,nec mundas tantum habuerit manus,sed & cor mundum,non admittẽs in mente sua malam aliquam cogitationem,aut affectum.*Qui denique neq; leuiter,neq; falsò in ore suo acceperit animã suam,ita vt per eã iuret,ac iuramẽto eã obstringat,nec dolosè iurauit proximo suo fallere eum cupiẽs.Hoc est,qui & factis,& corde, & ore integer fuerit,hic demũ dignus erit, qui ascendat ad Deũ in montem eius.

5 Hic accipiet benedictionem à Domino,& misericordiam à Deo salutari suo.
6 Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob.

5 Qui talis fuerit, afficietur a Domino beneficiis & spiritualibus & corporalibus, & misericordiæ ac benignitatis diuinæ dona accipiet à Deo authore salutis ipsius.
6 Hi certè qui tales fuerint,sunt qui verè Dominum quærunt,non omnes illi qui corpore ad montem eius & locum arcæ Domini accedunt: hi sunt,qui verè, & ex animo faciem Dei populi Israelitici quærunt anxiè cupiẽtes illi placere,omnia sua ab eo inspici,& eius vicissim bonitatem in se contemplari.

7 Attollite portas principes vestras,
** & eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ.*

7 Vos autem principes ciuitatis Hierusalem nolite ingressuro Domino portas vestras claudere,sed planè attollite eas, atque in altum leuate vt longè latéque pateant,* vósque portæ æternitate stabiles, altè latéque aperiamini,& introibit per vos rex gloriosus in mõtem quem sibi delegit in habitationem.

8 Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis:& potens in prælio.

8 Quod si quis scire cupiat,quis sit rex iste gloriosus, quẽ ingressurum dico,ecce rex iste,est Dominus,fortis valde & potens,potens multum in prælio: cuius sane potentia fortes eritis contra omnes inimicos vestros,contra quos sua fortitudine pro vobis pugnabit.

*9 Attollite portas principes vestras, * & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.*
*10 Quis est iste rex gloriæ? * dominus virtutum, ipse rex gloriæ.*

9 Proinde o principes tollite in altum portas vestras,* vósq; portæ in altum leuemini,vt liber & apertus sit introitus, & ingredietur per vos rex illustrissimus.
10 Quod si quis rursum quærat,quis sit rex hic illustrissimus,*ecce rex hic illustrissimus, Dominus est angelicorũ exercituũ,in multis milibus illi assistentium,ac ministrantiũ,quẽ proinde pro eius summa excellẽtia dignum est cum omni reuerentia ac lætitia suscipere

Psalmi eiusdem Paraphrasis secundum sensum principaliorem ad Christum pertinentem.

1 Domini est terra,& plenitudo eius:orbis terrarũ,& vniuersi qui habitant in eo.
2 Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.
3 Quis ascendet in montem Domini aut quis stabit in loco sancto eius?
*4 Innocens manibus,& mundo corde, * qui non ac-*

DOmini est terra,& quicquid in ea cõtinetur,tot⁹ terræ glob⁹, & homines vniuersi,qui habitãt vbiuis locorũ in eo,Domini sunt.
2 Quod certè probat terræ creatio, & continua sustentatio.Nam Dominus est,qui eam super & iuxta maria & flumina stabiliuit,creator eius,ac perpetuus sustentator.
3 Verũ etsi tota terra Domini sit,tamen suã habitationẽ peculiariter sibi delegit in altissimo cœlorũ monte,super terras longe eleuato.In hũc etsi vniuersi mortales Domini sint, sat scio non omnes tamen conscensuros, & cum Deo habitaturos. Cui ergo id dabitur, vt in montẽ illum ex hac terra ascendat,*& perpetuo permaneat in

loco

cepit in vanum animã ſuã, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

loco ſancto eius?
4 Ei certè,cuius neq; facta,neq; cogitata, neq; dicta polluta fuerint,*qui ore ſuo iurando,neque in animam propriã,neque in proximum peccauerit.

5 Hic accipiet benedictionẽ à domino,& miſericordiam à deo ſalutari ſuo.*

5 Qui talis fuerit,maximũ à Domino conſequetur beneficiũ,immortalitatem ſcilicet ac fœlicitatem æternam,*talis perfectam miſericordiam æternæ ſalutis accipiet à Domino ſaluatore ſuo.

6 Hæc eſt generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Iacob.

6 Hoc eſt genus illud hominum, qui quærunt Deum, & cupiunt peruenire ad contemplationem vultus Dei Iacob.

7 Attollite portas principes veſtras,
**et eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ:*

7 Verum in anguſtiſſimũ hunc Dei montẽ neminem omnino aſcenſurum ſcio,niſi ſupernæ ciuitatis portas hominibus ob peccatũ ab æterno clauſas ſuo ingreſſu patefecerit Dei filius,humanam aſſumẽs naturã:qui vt ſolus ſine omni labe futurus eſt, ita ſolus dignus erit,qui primus in eum locũ aſcendat,Cuius in cœlos per ſpiritum præuidens deſideratiſſimũ introitum,vos alloquor beatas mentes, cuſtodes portarũ cœleſtis Ieruſalem.Reſerate quæſo vos principes ſupernæ ciuitatis,atq; in altum ſuſtollite portas veſtras,*vóſq; portæ in altũ leuemini,vt apertus per vos ſit aditus,& introibit per vos cum magno comitatu rex verè inclytus.

*8 Quis eſt iſte rex gloriæ? *Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio.*

8 Si quęritis quis ſit hic rex inclytus,quẽ dico, * ecce non eſt talis rex,quales reges huius mũdi,puri homines,ac proinde infirmi: ſed eſt Dominus Deus fortis,& potens,Dominus eſt potens admodum in prælio.Nam ſua fortitudine inuincibilem humani generis hoſtẽ, inito cum eo prælio,fœliciter proſtrauit,glorioſè triũphans de peccato,morte ac inferno à ſe ſuperatis.

9 Attollite portas principes veſtras,
**& eleuamini portæ æternales,& introibit rex gloriæ.*

9 Proinde quod ſemel dixi,id quoniã ſummè fieri deſidero, rurſum repeto.Aperite quæſo longè latéq; portas veſtras ô principes ciuitatis ſanctæ Ieruſalem,*vos portæ apertum introitum præbete, & introibit per vos cum ſuis ſpoliis opimis rex glorioſiſſimus.

*10 Quis eſt iſte rex gloriæ? *Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.*

10 Quod ſi quærat aliquis,quis ſit rex hic glorioſiſſimus,*ſcitote quoniam hic rex,quem dico non hominum tãtum rex & dominus eſt cœleſtium exercituum,illi in omnibus quæ voluerit militãtium & ſeruientium.Itaque communem veſtrum ac noſtrũ Dominum à victoria redeuntẽ,læti ac venerabundi ſuſcipite,qui inimicitiis ſublatis,cœleſtibus humana copulauit.

ANNOTATIONES EIVSDEM.

IN titulo huius Pſalmi eſt apud nos,prima ſabbati,pro quo Græcis eſt, τῆς μιᾶς σαββάτων,hoc eſt,vna ſabbatorũ,eadẽ ſcilicet oratio,quæ eſt apud Euangeliſtas in deſcriptione reſurrectionis Chriſti. Verũ hui⁹ inſcriptiõis parua habẽda eſt ratio ꝙ apud Hebræos hæc oratio non ſit, nec quicquã ei reſpõdẽs. Videtur ergo à quibuſdam addita, ꝙ hic Pſalmus ſecundum myſticum eius intellectũ bene conueniat reſurrectioni Chriſti, in qua declaratus eſt eſſe rex gloriæ, ꝙ mortem primus ſuperauerit, infernumque confregerit, cui proinde primo datum eſt cœlos conſcendere,& ingredi,ſicut primus ex inferis aſcendit.

a Qvia ipsi,&c.]Græcis nõ eſt coniunctio, quia ſed tantũ,Ipſe ſuper maria fundauit, quomodo & Auguſtinus legit. Hebræis tamen eſt hæc cõiũctio, vt ne quis putet eã eſſe ſuperfluã.

b Qvi non accepit,&c.]Nec Hebræa, nec Græca debẽt neceſſariò verti per relatiuum, reciprocum,ſuã,ſed poſſunt verti per relatiuum non reciprocũ:Qui nõ accepit in vano animam eius:vt ad Deũ referatur.Vnde alia lectio in Hebræo (nã eſt duplex lectio) habet animã meam, vt ſit hic verſus vox Dei reſpondentis ad præcedentẽ interrogationẽ. Accipit autẽ in vano animã Dei,qui in vanũ & fallaciter iurat per Deũ, dicẽdo,vt habet mos ſcripturæ:Viuit Dominus. Sicut enim Deus in ſcripturis dicitur iurare per animã ſuam,vt licet videre Ieremiæ 51.& Amos 6.quia iurãdo dicit:Viuo ego:ita & homines per animam Dei iurare dicuntur,cũ iurando dicunt. Viuit Dominus. Poſſunt tamen tum Hebræa,tũ Græca, etiam verti per relatiuum reciprocum, ſuam quemadmodũ noſter vertit,ſecũdũ quam verſionẽ quidam hanc partẽ ſic intelligunt. Qui animam & mentẽ ſibi à Deo datam non fruſtra accepit,nec in vanum,ita ſcilicet vt ea abutatur, nec reb⁹ vtilibus eã accõmodet.Alii etiã ſic:Qui animã ſuã non accepit ad vanitatẽ,hoc eſt, vanitati eã nõ applicuit. Verum magis veriſimile eſt his verbis prophetã poſt operũ & cogitationum peccata, voluiſſe oris peccata excludere, inter quæ vanũ falſumq; iuramẽtũ grauiſſimũ eſt,vnde & explicãdi cauſa ſubiectũ videtur:Nec iurauit in dolo.Itaque intelligi poſſet is vanum accipere animã ſuam, qui falſò aut leuiter animam ſuam iurat,iuramẽto eam obſtrigens, eo modo quo Paulus dicit:Ego autem teſtem inuoco Deũ in animam meam.Non habet tamẽ veteris teſtamẽti mos:vt quis præter Deum iuret per animã ſuam,ſed tantum in ſcripturis iurant per vitã,& animã maioris,vt cum dicũt:Viuit Dominus, & viuit anima tua:cum ad regem fit ſermo, vel cũ Elizeus loquitur Eliæ.Proinde apud nos rectius rellatiuũ reciprocũ acciperetur,vt alia:aliquoties poſitũ pro non reciproco,vt ad Deum referatur.

In finem,Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXIIII.

PRecatio eſt hominis in maximo periculo verſantis,ac inimicorum improbitate preſſi, quam quoniam (vt fere ſit) ſibi accidiſſe aduertit ob res parũ honeſtè actas, propterea miſericordiã ſibi tribui,ac omnia peccata condonari

Deum deprecatur,idq; propter ſuã bonitatem ſemper declaratam erga fidentes illi:vias item Dei doceri à Deo orat, quas grauiſſimis ſuæ orationi interpoſitis ſententÿs,aſſerit Deũ docere,& indicare etiam peccatoribus,ſed ſi manſueti ſint,ac animo ſubmiſſo,Deiq; adhuc timore detenti.In fine autem annectit precatiunculam pro toto Dei populo.

Paraphrasis eivsdem.

Psal. 24.

1 Ad te Domine leuaui animam meam,
** Deus meus in te confido, non erubeſcam.*

AD te Domine leuo non tantum oculos & manus, ſed animam meam ac mentem à terrenis rebus,in quibus nulla mihi eſt ſalus,eã attollens,humana omnia obliuiſcens,téq; ſolũ cogitans.* Mi Deus non in meis viribus,non in amicorum opibus,& gratia, vt plerique,ſed in te ſolo omnem meam ſpem colloco.Ne itaque ſinas,vt fruſtratus mea de te expectatione pudefiam.

2 Neque irrideãt me inimici mei,
**& enim vniuerſi qui ſuſtinent te,non confundentur.*

2 Neq; permitte vt irrideant me inimici mei,videntes me ope deſtitutum,ſéque ſuperiores me factos.*Perſuaſiſſimum enim habeo, vniuerſos,qui patienter expectant tuam bonitatem, non paſſuros vnquam confuſionem nec ſua fruſtrandos expectatione.

3 Confundãtur omnes iniqua agentes ſuperuacuè.

3 Qui verò non errore,aut animi infirmitate,quæ venia digna eſt, ſed ſine cauſa per volũtatis corruptæ malitiã flagitiis ſeſe contaminant,quiq; iuſtos præter eorũ meritũ iniquè perſequuntur, certè æternam confuſionẽ incurrent,oróq; vt iſtorum conatus ac conſilia infringas,ac fruſtreris,ne perueniant ad ſcelera quæ machinantur.

4 Vias tuas domine demõſtra mihi,
** & ſemitas tuas edoce me.*

4 Ne autem & ego aliquando iniquè agẽs,tua protectione ac cuſtodia indignus efficiar,quæſo Domine demõſtra mihi eam vitæ rationem quę tibi probatur,*& ſemitas quibus peruenitur ad te, edoce me.Sic doce me,vt perſuaſus nullas vias meliores eſſe, & ad parandam beatitudinem aptiores,nullas item iucundiores, cõſtanter in eis ambulem.Sic doce me,vt omni tẽpore à te admonitus, ſciam quid in omni negotio mihi agendum ſit.

5 Dirige me in veritate tua,
** & doce me, quia tu es Deus ſaluator meus.*
** & te ſuſtinui tota die.*

5 Et quoniam non eſt ſatis te mihi doctorẽ exhibere, ſi nõ etiam perpetuò adſis mihi dux,precor,deduc etiam me iugiter in iuſtitia præceptorum tuorum,faciens vt in ea ambulem,*ſempérq; me doce,vt nunquam mandatorum tuorum obliuiſcar. Tu enim es Deus qui ſalutis author mihi eſſe ſoles quem ſolum in ſaluatorem requiro,*te ſemper expectaui,à te totus pendens,à te omnia mihi prouentura expectans.

6 Reminiſcere miſerationum tuarum domine,& miſericordiarum tuarum,
** quæ a ſeculo ſunt.*

6 Neque tamẽ ſum neſcius,quàm me indignum tua benignitate reddiderim frequenter peccando:verum optime Domine declarate memorem eſſe miſericordiarum,& miſerationum:*quas à prima mundi origine ſemper humano generi exhibuiſti, ſecundum has multiplices ac magnas miſerationes etiã nunc mecum age,qui tibi ſemper es ſimilis.

7 Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris.

7 Plurima Domine delicta ſunt adoleſcentiæ meæ,in quæ concupiſcentiæ vigor,ac iuuenilis imprudentia & inconſideratio præcipitauit:plurima ſunt,nec mihi ſatis cognita,quæ per ignorantiã commiſi.Sed tu domine,admirãdæ bonitatis memor,ne quæſo hęc mea delicta & ignorantias memineris, vt ad vltionem mihi ea imputes, ſed benignè condona,& obliuione dele ſempiterna.

8 Secundum miſericordiam tuam memẽto mei tu,
** propter bonitatem tuam domine.*

8 Memento mei quæſo,Domine non ſecundũ iuſtitiæ tuæ rigorẽ, ſed iuxta miſericordiam tuam, vt ſecundum eam mecum agas, miſericorditer mea peccata præterita condonando,ac deinceps ne amplius peccem erudiendo,& confirmando animum meum:*Id te quæſo Domine facias propter infinitam bonitatem tuam, cui meritis meis diffiſus planè confido.

9 Dulcis,& rectus dominus,propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

9 Benignus eſt Dominus,idẽmq; recti amantiſſimus,propter quę duo non dedignabitur peccatoribus legẽ dare in via vitæ huius, vt b
per eam legem à ſuo errore reſipiſcant,& iuſtitiam quam amat, amplectantur.Quoniam enim rectus eſt & iuſtus dominus, non poteſt peccantium iniuſtitiam approbare:quoniam autem benignus, & in miſericordia ſua ac benignitate dulcis eſt,non poteſt non peccantibus rectam viuendi rationem commonſtrare.

10 Diriget manſuetos in iudicio.
** docebit mites vias ſuas.*

10 Non omnes autẽ peccatores interiori ſua inſtructione docebit vias ſuas,ſed eos qui manſueti fuerint,ſubmiſſe ſe gerẽtes, mala ſua agnoſcentes, nec ſuperbè Deo reſiſtentes, hos deducet in iuſtitia præceptorum ſuorum,hos ita diriget,vt cum iudicio & ratione omnia faciant: * hos docebit eas viuendi rationes quæ illi placent,quibúſque ad ſe,atque beatam fœlicitatem perueniatur.Ita autem docebit,vt ab eo verè perſuaſi eas vias amplectantur,nihilque rectius, facilius,atque iucundius iudicent,quàm eas ſequi, & curſum conficere præceptorum illius.

11 † *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: requirentibus testamentũ eius & testimonia eius.*

11 Vniuersa mãdata Domini, in quibus nos vult ambulare & cõuersari, pro misericordia & iustitia habẽtur ab his, qui pactũ Domini ac mandata, quibus suã testatus est hominibus voluntatẽ, obseruare diligenter quærunt. Aduertũt enim magnã Dei esse misericordiam, quod ea hominibus tã salutaria Deus præscripserit: intelligũt nihil illũ in eis à nobis requirere, nisi quod saluti nobis sit, quódq; rectissimũ sit, & æquũ. At verò his, qui à mandatis ac pacto Dei planè sunt auersi, cõtra videntur illius præcepta dura esse atq; iniusta. †Omnis etiã Dei actio & institutum, ab his qui Dei sunt studiosi, illiúsq; pacta seruare contendunt, agnoscitur esse plenũ misericordia maxima atq; iustitia: quãuis contra iudicét impii caligine vitiorum obcæcati, qui supplicio affecti Deum iniquum vocant, ac crudelem, cùm tamen dignas pro sceleribus pœnas pendant.

12 *Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato meo,*
* *multum est enim.*

12 Rursum te Domine deprecor, vt propter temetipsum, ꝓpterea qa misericors appellaris, & bon⁹, sicut re vera es, ignoscas clemẽter peccatis meis. *Iõgè eñ maiora sunt & plura, quã vt ꝓ me cõdignè proeis satisfacere tuæ iustitiæ, aut mea ſpõte ea repurgare possim.

13 *Quis est homo qui timet dominum?*
* † *legem statuit ei in via quam elegit.*

13 Quis est vbiuis locorũ homo, qui reueretur Dominũ, illúmq; colere optat? rarus sane, sed fœlix est ac fortunatus, quisquis talis est. *Primum enim Deũ habebit magistrũ & doctorem, qui in via iustitiæ, quam talis relicta via peccati elegit, illi legẽ statuet, docẽs iugiter & admonens, quomodo in ea conuersari debeat. † Quodcũque etiam vitæ non vitiosæ genus sibi delegerit homo timens Deum, in hoc Dominus salutares ac accommodatas leges suggeret ad eã viuendi rationem, quam is sibi constituerit. Sunt enim variæ viuendi etiam rectè rationes, quarum diuersi diuersam sibi deligunt.

14 *Anima eius in bonis demorabitur.*

14 Quod si quis has Dei leges obseruauerit, anima eius in bonorũ affluentia secuta versabitur, atq; habitabit, tũ in præsenti, tum in futuro sæculo: nã in præsenti sæculo animus ipsius per Dei leges sanatus, liber erit ab omni inani timore & sollicitudine, ab ardoribus & flammis cupiditatũ, & sic dulcissima mẽtis quiete, ac suauissimo bonæ cõscientiæ testimonio fruetur, humanáq; cõtẽnens omnia, cogitatione & affectu totus hærebit in cœlestibus ac supernis rebus, se oblectans in eis quæ securè expectat. In futuro autẽ sæculo anima exuta corpore ad cœlestia transmigrans, perpetuò ibi morabitur in bonis ineffabilibus, ab omni penitus iam malo libera neq; hinc decedẽs, apud homines omnino morietur. * Nã posteritas eius (cuius mortaliũ natura percupidissima est) paternã imitata pietatẽ hæreditario & optimo iure possidebit hanc terrã, non quomodo eã possident impii, impiorúmq; filii, qui verius ab ipsa terra, cui toti addicti sunt possidentur. At verò legitimi iustorũ filii, geniti ab eis, siue secundum carnem, siue per virtutũ exempla, terræ huius digni & fœlices sunt domini, non addicti terrenis, habitis contenti, eíque alta pace mentis fruentes, atq; in paupertate, si accidat, omnia se possidere arbitrantes: ac spiritu suuites, in omnibus Dei bonitatem & fauorem cum summa mentis voluptate contemplantes. Et vt omnino non videantur hanc terram possidere, certè cum suis quos imitati sunt parentibus, beatam illam cœlestémque terram perpetuo iure possidebunt, in summa tranquillitate ac securitate.

* *& semen eius hæreditabit terram.*

15 *Firmamentum est dominus timentibus eum,*
* *& testamentum ipsius vt manifestetur illis.*

15 Accedit ad hanc timentium Deum fœlicitatem, quod Dominus etiam sit eis firmamentum, confirmans eos in virtute, amoréque sui, sustentans eos ne vnquam labantur. * Et facit vt pactum suum, quod cum hominibus iniit, illis manifestetur, vt & intelligant quæ colentibus eum maneant præmia & quid ad ea præmia assequenda sit faciendum. Cuius sane pacti cognitione in sui perpetuo amore timentes continet, & firmat.

16 *oculi mei semper ad dominum,*
* *quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

16 Cùm autem considerem tantã Dei erga timentes se esse benignitatẽ & propensitatẽ, hinc oculi & mentis & corporis mei semper ad Dominũ susipicunt, *quoniã ipse locus est, qui potest me liberare, &, vt firmiter cõfido me liberabit de periculis, in quibus iam versor, & insidiis, quibus me hostes mei capere studẽt. Ipse me eximet de tẽdiculis peruersę cupiditatis, de oĩ mala suggestione, fomitis, insidiisq; inuisibiliũ hostiũ, ne vnquam hic captus in æternũ peream.

17 *Respice in me & miserere mei,*
* *quia vnicus & pauper sum ego.*

17 Oculis autem in cœlũ intentis sic ad Deum meum iugiter clamo: Benigno tuo vultu respice vicissim in me Domine, & solitudinẽ & calamitatem meam contemplatus miserere mei, quia omni humano destitutus auxilio, & vehementer afflictus, atque ex meipso omnino pauper & infirmus sum ego.

18 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt.*

18 Tribulationes cordis mei, quas patior, tũ ob molestiã hostium meorum

* *de necessitatibus meis erue me.*

19 *Vide humilitatẽ meam & laborem meum,*
* *& dimitte vniuersa delicta mea.*

19 Declara te quæso videre deiectionẽ & afflictionẽ meam, siue quam ab inimicis meis patior, siue qua meipsum ob peccatorũ conscientiam coram te affligo, *& hac castigatione placatus dimitte vniuersa delicta mea, quibus quæ patior mala me promeruisse confiteor, vt his dimissis à malis quibus premor, liber sim.

20 *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt,*
* *odio iniquo oderunt me,*

20 Declara quoque te videre Domine, & quòd inimici mei multiplicati sunt, *& quòd iniusto odio me oderunt, persequentem me, cum nullam iustam habeant causam. Quãuis enim hæc quæ patior mala, iustè meis peccatis promerui, non tamẽ in vltionem meorum peccatorum hæc illi inferunt, sed ex sola animi vel malitia, vel inuidia, non tuæ gloriæ, sed suæ inseruientes libidini.

21 *Custodi me Domine, & erue me:*
* *non erubescam quoniam sperauí in te.*

21 Horum itaque & multitudinem & iniustitiam considerãs Domine, custodi animam meam, quam illi perdere studẽt, & libera me ex his in quibus versor, angustiis, *& quãquã meis peccatis promerui à te derelinqui, tamen quoniã in te spem meã collocaui, non me sinas pudefieri. Derogabit enim tuæ gloriæ, si sperantem in te frustrari permittas sua expectatione.

22 *Innocentes & recti adhæserunt mihi,*
* *quia sustinui te:*

22 Innocẽtes homines & recti sese mihi adiunxerũt, ac amicitiæ fœdere copulati sunt, *ob id quoniã viderunt me omnẽ meã spem in te Domine collocasse, ac à te omnia patienter expectare. Itaq; vel propter hos ne me frustrari sinas, vt tuã aduertentes fidelitatem, in tui amorem magis accendantur, ac per me pariter tibi gratias agãt.

23 *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationib. suis.*

23 Iam verò quemadmodũ pro mea salute sum deprecatus, ita & orationem concludens ex animo peto, vt liberes totũ tuum populũ ex omnibus tribulationibus suis. Variæ enim populi tui sunt tribulationes, quas ab hominibus huic mundo deditis, à lubrica carne, ab iniquis dæmonibus patitur. Verũ tu ab his omnibus eũ libera, nõ sinens in hac vita vnquam suis inimicis ipsum esse inferiorẽ, & ex hac vita exemptum, omnibus eũ malis superiorem faciens, & liberum.

ANNOTATIONES.

a VIAS TVAS DOCE ME.] Non loquitur hic de eo docendi modo quo scripturæ nos docẽt, aut exterior doctũ vox. sic enim prophetа iam erat edoctus vias Domini. Sed de modo docendi, qui Deo proprius est. Hic autem est duplex, Primus, is quo interiori sui spiritus instructione mentẽ hominis sic docet, vt etiam persuadeat vias suas verè ad fœlicitatẽ hominẽ perducere, sicq; persuasus homo eas amplectatur. Secundus, is quo hominẽ singulis horis admonet, illiq; suggerit quid in omnibus occurrẽtibus casibus & occasionibus sit agendũ. Euthymius prophetã optare dicit, vt reipsa atque operationibus melius addiscat, quæ ex libris diuinis prius didicerat, vt coactus quodãmodo à Deo operari, experimento deinceps cognoscat quod sola prius ratione didicerat. Indicat etiã quoſdã intelligere per vias & semitas Dei dispensationes & administrationes rerum, vt precetur propheta sibi ostẽdi quàm iustè mundum & homines gubernet, liberando ipsum ab oppressoribus.

b DVLCIS ET RECTVS DOMINVS.] Etiã hic interpres dictione Græcam χρηστὸς vertit dulcis, cùm magis quadret benignus & bonus, sicut supra vertit χρηστότητ@, dulcedinis.

c LEGEM STATVET EI, &c.] Pro legẽ statuet, est Græcis vnicum verbum νομοθετήσει, quod est legem feret, magistrum se exhibebit, & vt est Hebræis, docebit. vnde patet relatiuũ, quam, non ad legem esse referendum, sed ad viam. Patet etiã legendum esse futurum, statuet, non præteritum statuit, vt habent fere nostri codices. Porrò quãquam iuxta communem intelligẽtiam, quam in paraphrasi secuti sumus, suppositum verbi, elegit, intelligatur homo: sunt tamen, qui suppositũ intelligunt, Deum. vt sit sensus: Docebit Dominus illum viam, quam ipse probatam habeat.

d SEMEN EIVS HÆREDITABIT TERRAM.] Iniusti non propriè terrã hæreditant aut possident. Primũ, quia cùm terrenis rebus sint addicti, verius à terra possidentur. Deinde, quia non bono iure possident, cùm Deo terræ Domino debitam seruiturem & reuerentiam nõ exhibeant: vnde & terræ possessione spoliantur, nõ accipientes meliorẽ pro ea commutationem. Postremũ, quia in summa mentis inquietudine in hac terra viuunt. Contra verò iustorũ semen terram hanc possidere dicitur, eo quod terra seruit illoſũ vtilitatibus & necessitatibus, non ipsi seruiunt terræ: Deinde, quia optimo iure eã inhabitãt, cum sint Domini terræ filii, vnde nec per mortem eius dominio priuantur, sed pro eius vsu meliore accipiunt possessionem. Postremum, quia in mentis quiete in hac terra viuunt, præsentibus contenti, omniaque se possidere arbitrantes.

e FIRMAMENTVM EST, DOMINVS, &c.] In hoc versu noster interpres partim secutus est Hebræa, partim Græca. Nã cùm Græca habeant per genitiuũ: firmamentũ vel robur est Dominus timentiũ eũ: quomodo & legit D. Augustinus, noster vertit per datiuum, timẽtibus eũ, quomodo habẽt Hebræa. Sed pro illo, quod noster secutus Græcos vertit: firmamentũ est dominus habent Hebræa: Secretũ domini, vt sit, Secretum domini est timentibus illum. hoc est, illis patefacit Deus suam voluntatem, quæ impiis occulta est & incognita. Sic & in secũda parte versus noster, magis Hebræa secutus est. Nã Græca habent, καὶ διαθήκην αὐτοῦ] & διλώσει αὐτοῖς, hoc est, Testamentum ipsius manifestabit: vt testamẽtum, sit nominatiuus, &

ſuppoſitum verbi. Et eſt ſenſus iuxta Euthymiũ: Lex Domini manifeſtabit eis hoc quod dictũ eſt, ſcilicet quod Dominus eſt corũ fortitudo & firmamentum. Aut manifeſtabit eis quid ſit illis faciendũ. Hebræa verò habent. Et teſtamentũ eius, vt cognoſcãt ipſi, vel vt eos cognoſcere faciat. Et videtur hic eſſe ſenſus in Hebræo: Secretũ Domini eſt timẽtibus eũ, & teſtamentũ ipſius, hoc eſt, lex eius eſt timentibus eũ, ad hoc vt cognoſcant eam: hoc eſt, illis data eſt, ita vt per eam diuinitus inſtruantur. Illis Deus ſe, ſua myſteria, ſuãq; voluntatẽ inſinuat, non impiis, aut alia ratione quã impiis. Vnde & noſtra lectio ſic intelligi põt, vt in ſecundo mẽbro repetatur datiuus, timentibus eũ & ſit ſenſus: Dñs eſt robur timẽtibus eum, & lex ipſius, qua teſtatus eſt hominibus ſuã volũtatem, eſt potiſſimũ timẽtibus eum, ad eos potiſſimũ pertinet, eis peculiariter eſt data, vt ipſa manifeſtetur eis. Quãquã cum D. Auguſtino etiã intelligi poſſit, vt ſubaudiatur verbum, facit: Dominus facit vt lex eius manifeſtetur eis: qũo habet paraphraſis. Sunt qui hanc partẽ ſic intelligunt: Teſtamẽtũ Domini, hoc eſt, pactum ſiue promiſſio Dei (nã Hebræa dictio propriè pactum ſignificat) eſt, vt ſuo tẽpore ipſe manifeſtetur eis. At prę terquã quod teſtamẽtum magis accipiendum ſit pro ipſa præcipiẽte lege Dei, vt & ſuperius, cum dicitur, requirentibus teſtamentum eius, etiam alioqui eum ſenſum Hebræa non recipiunt.

DE NECESSITATIBVS MEIS.] Anguſtias & mala quæque, quæ hominem angunt ac cruciant, & veluti in arcto collocant, Græcus aliquoties vertit ἀνάγκας hoc eſt, neceſſitates, quod homini vim quandã inferant, vt quæ contra naturæ deſiderium ferẽda ſint, & à pleriſque homi nem impediant, ad quæ ſuapte natura fertur.

Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXV.

VIR ſanctus iniuſtè impiorũ perſecutiones patiens, Deũ orat, vt pro ſe ſecundũ ſuam innocentiam contra illos iudicet, quare & memorat quomodo innocentiæ Deo teſte ſtuduerit, malorũ ſocietatem fugerit, ac religioni ex animo deditus ſit, ob quæ precatur ne ea, quæ debetur improbis, vltione etiã ipſe inuoluatur, promittens Deo, liberatione obtenta, gratiarum actionem, illiusq; laudem. Omnino autẽ apparet & hunc Pſalmum à Dauide editũ fuiſſe occaſione Saulis iniuſtè illum perſequentis, eorumq; qui apud Saulem falſis ipſum inſimulabant criminibus: & tum potiſſimũ compoſitum, cum Saulem fugiens, exul apud Philiſthæos commoratus eſt. Proinde apta eſt hic Pſalmus, orandi forma cuiuis iuſto, qui vel ob impiorum perſecutionem cogitur exul degere apud malos, deplorans religionis ruinam, vel ob inuiſibilium hoſtium infeſtationem, & exilium huius mundi, anhelat ad patriam cœleſtem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Pſ. 25. *1 Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum,*

MAgnis criminibus oneror ab inimicis, ab importuno tyranno morte dignus iudicor: at ego te Dñe æquiſſimũ omnium iudicem appello. Tu diſcerne cãm meã, tu pro me fac de hoſtibus meis iudiciũ, quoniã, te teſte, innocenter ego cõuerſatus ſum, nihil eorũ committens, quæ mihi inimici mei imponunnt, nihil agẽs in eos, ob quod ipſorum perſecutione ſim dignus, atq; ab omni ſcelere me ſtudens ſeruare immunem. *Nec à cœpta iuſtitiæ via vnquam deſiſtã, ſed quoniam in te omnem meam ſpem collocaui, non ſinam animum meũ à virtute ſectanda langueſcere: perſeuerabo conſtanter in innocentia mea, ſpe conſequendæ liberationis. a b

** & in domino ſperans non infirmabor.*

2 Proba me domine, & tenta me,

** vre renes meos & cor meum,*

2 Neque verò vt ſecundũ meæ conſcientiæ teſtimoniũ me iudices velim, ſed tu ipſe, cuius cognitionẽ nihil quãuis ſecretũ effugere poteſt, examina me, ac periculũ fac mei, habe rationẽ actionum mearum: *& quomodo aurum aut argentum exactiſſimè examinatur igne, ſic tu intimas cogitationes & affectus animi mei exacto tuo iudicio diligenter explora, ac perpende quales ſint. c

3 Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt,

** & complacui in veritate tua.*

3 Sic autẽ me tuę explorationi, tuóq; iudicio ſubiicere nõ vereor, quin, vti ipſe reperies de me ob oculos meos ſemper verſatur miſericordia tua, qua omnibus in te ſperãtibus ſemper benefacis, mihiq; nunquam benefacere ceſſaſti, * & cõplacitum eſt mihi in fidelitate & iuſtitia tua, quã exhibes innocẽtibus, & ſperãtibus ſe te, in qua tua fide recogitanda diligenter me ſemper exercui. Atq; huius quidem tuæ & miſericordiæ & veritatis iugis cõſideratio fecit, vt innocẽter cõuerſatus ſim, nõ reddẽs inimicis meis malũ pro malo, ſed patiẽti animo aduerſa omnia tolerans, méq; omni virtutũ genere tibi commendare ſtudens: eadémq; cõſideratio facit, vt in te ſemper meam collocarim fiduciam, nec à cœpta virtutis via ſtatuerim deficere. d

4 Non ſedi cum concilio vanitatis,

** & cum iniqua gerentibus non introibo.*

4 Imprimis quidem omni ſtudio repudiaui vſum & conſuetudinem impiorum hominum: non conſedi cum congregatione vaniſſimorum hominum, vanitatem tractantium, vt ſimul cum illis vana tractarem: * & cum gerentibus iniqua non ſimul ambulaui, vt cum eis iniquitatem perpetrarem.

5 Odiui eccleſiam malignantium,

5 Deteſtatus ſum toto pectore congregationẽ malignorũ hominum, qui ad hoc collecti crãt, vt de peſſimis inter ſe cõſultarẽt, quibus

** & cum impijs non ſedebo.*

bus intereſſe omnino nolui, * ſed & in poſterum cum impiis non ſedebo, tractaturus cum eis de facinorũ quæ moliuntur perpetratione: imo, quantum fieri poteſt, me omnino ab horum conſortio & familiaritate ſemper ſeparabo, ne illorum conuictu aut ipſe inficiar, aut illos in malo confirmem.

6 Lauabo inter innocentes manus meas.

6 Et cũ me ab exilio hoc domũ reduxeris, innocentibus me ſemper adiungã, inter quos omnẽ meam actionem & vitam puram tibi ſemper exhibere ſtudebo: & ſi quid ſordiũ cõtraxero, abluere feſtinabo, * & ſic demum purgatus ac mundus, altare tuũ Domine, choro canentium, & magna victimarum multitudine circundabo.

** & circundabo altare tuum domine.*

7 Vt audiam vocem laudis tuæ,

** & enarrem vniuerſa mirabilia tua.*

7 Vt tibi & à pſallentibus audiã vocẽ laudis tuæ, quæ eſt ſacrificiũ tibi longè gratiſſimũ, * & viciſſim ego pſalmis & hymnis de te cõpoſitis enarrẽ omnibus audientibus vniuerſa mirabilia opera tua, quæ pro mea, tuorúmque omnium ſalute benignè operatus es.

8 Domine dilexi decorem domus tuæ,

** & locum inhabitationis gloriæ tuæ.*

8 Domine ex animo diligo pulchritudinẽ domus tuæ, * & locum, quẽ peculiariter inhabitat gloria tua, hunc ego ſummè deſidero ex ornare, in hoc cũ timentibus te cõuenire, te adorare, te laudare, tuã præſentiam, & in ea tuam benignitatem in nos admirari, ſumma voluptas fuerit. Atq; ob id maximè hoc mihi exilium graue eſt, quòd non liceat domum tuam adire, & cum iuſtis ibi conuerſari.

9 Ne ſimul perdas cum impijs Deus animã meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

9 Quoniam autem impiorum mores & amicitias ſemper declina e ui, & religionis tuæ cum bonis hominibus ſum ſtudioſiſſimus, ne quæſo me perdas cum impiis, & ſanguinariis hominibus, ne me ea perditione inuoluas, quæ & hic, & in futuro debetur, & manet homines deditos cædibus, & oppreſſioni innocentum.

10 In quorum manibus iniquitates ſunt,

** dextera eorum repleta eſt muneribus.*

10 Quorum manus plenæ ſunt iniquitatibus, quas patrauerunt, ſempérque paratæ ſunt ad edendum ſcelera, * dextera eorum plena eſt muneribus acceptis ad iudicandum iniuſtè, ad perferendum falſum teſtimonium ad opprimendum innoxios.

11 Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.

** redime me, & miſerere mei.*

11 Ego autem non vt illi, ſed innocenter cõuerſatus ſum, nullum lædens, nec lædere cupiens, * itaque non me ſimul cum eis perdas, ſed redime me à malis, in quibus iam verſor, à malis, quæ iure immi nent reprobis, & miſerere mei.

12 Pes meus ſtetit in directo,

** in eccleſiis benedicam te domine.*

12 Nam munere tuæ gratiæ, pes meus firmiter ſtetit in rectitudine vitæ: affectus meus in ea firmiter hæſit, ambulans ac perſeuerans ſemper in ea, quare pro mea iuſtitia quæſo Domine me redime. * Idvbi præſtiteris, pſalmis à me compoſitis prædicabo te Domine in conuentibus hominum: quibus etiam Pſalmis ſuo tempore in omnium gentium templis per piorum ora laudes tuas celebrabo. f

ANNOTATIONES.

a IVDICA ME DOMINE.] Græcis eſt κρῖνόν μὲ, Iudica mihi Dñe. Hebræa tamen habẽt, vt noſter vertit, Iudica me. Idẽ tamen ſignificatur vtraque oratione. Nam vult vt Deus ſe iudicem exhibeat inter ipſum & aduerſarios ſuos, nec ſe gerat, tanquam cauſa ipſius ad ſe nõ pertineat, hoc eſt, vt Deus pro ſe ſententiã ferat cõtra aduerſarios ipſius, vindicando ſe, & liberãdo ab illorũ iniuria.

b IN DOMINO SPERANS, &c.] Poteſt huius partis etiam hic eſſe ſenſus: Et ſicut cœpi in Dño ſpem meam collocare, ita non infirmabor in ſpe mea ſed in ea ſemper cõſtãter & fortiter perſiſtã, vt intelligatur duas cãs proferre, ob quas ſit meritò pro ipſo iudicandũ, nẽpe innocẽtiã ſuam, & ſpem conſtantẽ in Deum repoſitam. Sunt qui & ſic intelligũt: Quia in Deo ſpero, ideo nõ infirmabor ab hoſtibus meis, hoc eſt, illi mihi nequaquã prævalebunt, nec deficient, aut infirmũ reddent.

c VRE RENES MEOS.] Pleriq; ſic intelligunt: Si qd purgãdũ inuenetis in itimis meis, gratiæ tuæ ac ſpiritus tui igne exure. Verũ intẽtioni Pſalmiſtæ magis cõuenit ſenſus quã habet Paraphraſis.

d QVONIAM MISERICORDIA TVA, &c.] Hac cauſali accipi poteſt ſimpliciter tantũ redde re cauſam quare iudicari petat, nec vereatur Dei ſubire iudiciũ. Aut etiam reddere cãm ſuæ innocentiæ, propter quã non veretur ſe diuinę explorationi ſubiicere, quem ſenſum Paraphraſis proſequitur. Porro quod dicitur: Cõplacui in veritate tua: quãuis accipi poſſet in hoc ſenſu, complacui tibi per veritatẽ mandatorum tuorum à me ſeruatam, aut per veritatẽ tuorum promiſſorum: tamen conuenientius accipitur in hoc ſenſu: Cõplacui mihi in veritate tua, hoc eſt, veritas tua mihi placuit, ſicut Matthæi 4. dicitur: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, hoc eſt, qui eſt mihi gratus, & in quo eſt mihi cõ placitum. Secundum hunc enim ſenſum melius iſtud cõiungitur cum particula ſuperiore. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt.

e NE SIMVL PERDAS CVM IMPIIS DEVS. Nomen Deus, ſicut non eſt in Græcis, nec Hebræis ita nec in emendatioribus Latinis.

f PES MEVS STETIT IN DIRECTO.] Pro, in directo, Græcis eſt ἐν εὐθύτητι, hoc eſt, in rectitudine. Et põt hac parte ſtelligi ſignificari idẽ qp prius dixit: Ego in innocentia mea ingreſſus ſum: vt reddatur hic cã, ob quam meritò ſit redimẽdus. Vnde quidã libri habent: Pes enim meus: ſed, enim, vt nõ eſt in originalibus, ita nec in emẽdatioribus Latinis. Itaq; põt & aliter hic verſus accipi, vt pedem ſtare in rectitudine, vel in recta via ſit in tuto cõſtitutũ eſſe, liberũ à periculis, & ſit ſenſus: Cũ tu me iam errabundũ conſtitueris in recta via, ita vt ambulare liceat tutò, quò velim, tunc in cœtibus hominũ bñdicã te Domine.

In finem, Psalmus Dauid priusquam liniretur.

ARGVMENTVM PSALMI XXVI.

HOc Psalmo vir sanctus in magno adhuc periculo constitutus, primum quidem sc, recordatione diuinæ protectionis quam frequenter contra inimicos expertus fuerat, plurimum animat contra ingruentia mala, victoriamq; contra hostes, & tranquillam in studijs religionis vitam sibi pollicitus, de celebri gratiarum actione votum nuncupat: sicq; optima spe confirmatus, opem Dei implorat, docericq; sc viam Deo gratam precatus, ne ob suam transgressionē in inimicorum suorum veniat potestatem, iterum ad fidendum fortiter Deo semetipsum hortatur. Porrò quod hic dicitur de domo domini, & bonis eius in terra viuentium: anagogicè intelligendum est de cœlesti habitatione Dei, aternisq; futuri seculi bonis, ad quæ dubium non est Dauidem magis respexisse, quàm ad vmbras terrenas: sicut Abraham in promissa sibi terra magis aspexit in fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus. Itaque sic conuenit hic Psalmus cuiusuis iusto, sicut Psalmus superior.

PARAPHRASIS EIVSDEM. Ps. 26.

1 Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?

DOminus est, qui hactenus semper depulsis aduersitatum tenebris me illuminauit, suique fauoris & auxilii lùce me recreauit, ac salutem mihi attulit de inimicis meis: Cùm igitur tam potentem habeam saluatorem, quem metuam?

2 Dominus protector vitæ meæ,
** à quo trepidabo?*

2 Dominus ipse est, qui vitā meam semper quasi scuto quodā protegit, ne ab hostibus meis eripiatur, *quis est igitur tā potens ac formidolosus, à quo trepidē? Meritò sanè me tam potentis protectoris præsens semper præsidiū, securū facit ab oī trepidatione ac metu.

3 Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.

3 Iam frequenter impii me accesserunt, vt tanquā rabidi canes me deuorarent, ac perderent: verum cùm sic imminerent mihi, & ita appropinquassent, vt eorum manibus elabi posse non viderer.

4 Qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt & ceciderunt.

4 Ecce inimici mei, qui me affligebant, ipsi viribus suis destituebantur, & præter opinionem suam in eā perniciem inciderunt, quam mihi parabant.

5 Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum.

5 Itaque cùm videam Deum pro me pugnantem, etiam si contra me sint iam hostium castra collocata, & ordinata, non tamen timebit cor meum.

6 Si exurgat aduersum me prælium.
** † in hoc sperabo.*

a

6 Si oriatur aduersus me pręliū, non consternabor animo, *sed in hoc quod dixi in initio, Deum scilicet esse illuminatorem meum & saluatorem, ego sperabo. †In hac re cōstitutus, per spem in Domino placida & tranquilla mente consistam.

7 Vnā petij à domino, hanc requiram,
** vt inhabitē in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.*
8 Vt videam voluptatem domini,
** & visitem templum eius.*

7 Vnam rem petii à Domino, hanc indesinenter ab eo requiram, quousque obtineam, *videlicet vt parta pace, superatisq; hostibus, quietè habitem toto reliquo vitæ meæ tēpore, in eo loco, vbi domus est Domini.

b

8 Vtque liceat mihi semper videre & experiri eā delectationem, qua Dominus declaratione suæ præsentiæ suos afficit: * & visitare quotidie templum eius, vt ibi peculiariter cum laudem, vbi peculiariter præsens est, alósque meo exemplo ad religionem & pietatem in Deum excitem, & confirmem, atque ex cæremoniarum obseruatione, in cœlestium ac spiritualium rerum cognitionē promouear, deique in homines dignationem & beneficia contempler.

c

9 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum.
** protexit me in abscondito tabernaculi sui.*
10 in petra exaltauit caput meum super inimicos meos.

9 Ideo autē istud vnū meritò ab eo postulo, & facere requiro, quoniam tempore calamitatum mearum me semper protexit, nō secus quàm si me audisset in suo tabernaculo, *imo in intimis domus suæ latebris, quo nullus inimicorum meorum peruenire potuit.

10 Sine timore securum me cōstituit in seipso, nō secus quàm si in rupem aliquā sustulisset excelsam, & præruptam, omnique humana vi inaccessibilem. Nam & ipse talis est petra, cui innixus sum. *Quin etiam tam certo scio illum me superiorē facturum inimicis meis, ac illis superatis in regnū me exaltaturū, quā si id iā facto præstitisset.

11 Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis,
** Cantabo, & Psalmum dicam domino.*
12 Exaudi domine vocem meam, qua clamaui ad te:
** miserere mei, & exaudi me.*

11 Propter quod in gratiarum actionē circundabo altare eius hostiarum multitudine, & immolabo in tabernaculo eius hostias cum summa vocis ac mentis iubilatione, *& quæ sunt illi gratissima sacrificia, cantabo carmina laudis, & Psalmos dicam in laudem Domini.

12 Exaudi Domine vocē meā, qua iamdudum clamaui ad te, petēs vt me liberes à persequētib. me, ac quietā in tua domo des mānsionē, *& iniusta mei persecutione permotus miserere mei, & exaudi me.

*13 De te semp cogitauit cor meū sollicitū, vt tibi placeat, exquisiuit te facies mea, semp ad te intēta & eleuata, tibi in oībus placere desiderans, atq; fauorē tuū & auxiliū à te expectās, * nec desistam vnquam faciem tuā requirere, semper studēs me tibi cōmendare, semper tuū in me fauorē & protectionem ex animo postulans semper contendens, vt post hanc vitā merear te contēplari facie ad faciem.*

d

Quoniam

14 Ne auertas faciē tuam a me:
** ne declines in ira à seruo tuo.*

14 Quoniā igitur ex animo tuā quæro Domine faciem ad te totus cōuersus, ne quæso tu eā faciem à me auertas, * ne tuū mihi fauorē deneges: ne per irā cōceptam in me ob aliqua mea peccata, à seruo tuo, cui hactenꝰ astitit, secedas, ita vt me tuo fauore & ope destituas.

15 Adiutor meus esto, ne derelinquas me,
** neque despicias me Deus salutaris meus.*

15 Adiutor meus esto, ne vnquā derelinquas me, qui sine te nihil sum, *neque me pauperculum despicias, denegans tuam opē, ó mi Deus, qui solus & es, & haberis à me saluator meus.

16 Quoniam pater meus & mater mea dereliquerūt me,
** Dominus autem assumpsit me.*

16 Quoniā cum pater meus, & mater mea, omnésq; amici ac propinqui me deseruissent, nullū solatium aut auxiliū adferētes, * tum certè Dominus assumpsit me in suā tutelam, protegens ab omnibus malis itaque Domine & nunc ne me negligas.

17 Legem pone mihi domine in via tua,
** & dirige me in semitā rectā, propter inimicos meos*

17 Legē pone mihi Domine in via tua, docēs quomodo in via virtutis tibi grata cōuersari debeam, *& deduc me in semita recta, faciens vt in ea constanter ambulem, idq; propter inimicos meos, ne scilicet per errorem à tua via, & transgressionē tuæ legis, & à te derelictus, iustè tradar inimicorum meorum voluntati, quibus omnis nocendi facultas adempta erit, quandiu tuæ voluntati paruero.

18 Ne tradideris me in animas tribulantium me,
** quoniam insurrexerunt in me testes iniqui,*
**, & †mentita est iniquitas sibi.*

18 Ne me domine tradideris voluntati tribulantium me, sed eorū attende iniustitiam, *quoniā insurrexerunt cōtra me falsi testes, qui falsis suis testimonijs me quærunt opprimere, *iniquitas eorū mendaciter de me locuta est, vt suā de me volūtatē explere posset. †Iniquitas eorum non tibi, cui nemo mentiri potest, sed sibi mentita est, falsò persuadens sibi se iustis rationibus studere meæ perditioni.

c

19 Credo videre bona domini in terra viuentium.

19 Versor quidē adhuc in malis & periculis quāplurimis, & per calamitatum tristitiam, apud inferos in regione mortuorū diuersari video: verū firmissimè credo me inter viuos percepturū bona quæ mihi dominus pollicitus est, & dabit, nēpe quòd superatis hostibus regnum recuperabo, fruiturus alta pace, omnibúsque Dei bonis in hac vita. Sed & post hanc vitam calamitatibus plenā, persuasissimū habeo me in regione cœlesti, vbi mors, omnisque dolor ac miseria planè exulat, & vita sempiterna, páxq; dulcissima viget, fruiturū bonis Domini, voluptatibus ac lætitiis sempiternis, quas ex ditissimo suæ benignitatis fonte sanctis ibi profundet.

20 Expecta dominum, viriliter age,
** & confortetur cor tuum: & sustine dominum.*

20 Hac itaq; fiducia meipsum in his malis ad tolerantiam adhortor, dicens: Quoniam persuasum habes te his malis liberandum, ac fruiturum bonis Domini ob id patienter expectes dominum, viriliter te gere, *& in huius mundi malis forti sis animo, non sinens eum per ea languescere, & patienter expecta Dominum quādoquidem tua spe te non frustrabit.

ANNOTATIONES.

QVod in titulo huius Psalmi habemus, postquā liniretur, aut, vt est Græcis, πρὸ τοῦ χρισθῆναι, hoc est, priusquam vngeretur nō est in Hebræis, additum autē est ab aliquibus, vel ab ipsis Septuaginta, ad significandum hunc Psalmum pertinere ad ea tempora, quibus eum Saul persequebatur, priusquam à populo in regem vnctus esset palam, quanquam iam vnctus erat secretò a Samuele.

a IN HOC EGO SPERABO.] Relatiuū, hoc, non potest referri, nec ad Deū, nec ad prælium, cū Græcis sit fœmininum genus ἐυταύθα, id est, in hac. Dictio vero πόλεμ, hoc est, prælium, Græcis est masculini generis. Euthymius putat referēdum ad cor, de quo præcedit: non timebit cor meū, qa καρδία, i. cor, est illis fœmininū. Aut subaudiēdū, spe, vt sit sensus: in hac spe ego sperabo, Diuus August. legit, in hanc ego sperabo: & subintelligit, in hāc petitionē, de qua scilicet sequitur: Vnā petitionē petii à Domino. Vbi etiā supplet, vnā petitionē petii à Domino. Verū sciendū Hebræis fœmininum genus sępius poni, sicut apud nos neutrū genus adiectiuū accipitur substantiuè, vt cum dr. Triste lupus stabulis. hoc est, tristis res. Itaque Hebraico more fœminina ista ταύτη & μίαν apud Græcos, & apud nos dictio, vnā accipi debēt substātiuè posita pro hoc & vnū, hoc est, hac re, & vna re.

b VT VIDEAM VOLVPTATEM, &c.] Multi libri habent voluntatem, sed Græcis est τερπνότητα, hoc est delectationem, quomodo & legit D. Augustinus: vnde dubitandum non est, quin interpres noster verterit voluptatē, quomodo habent antiqui quidam scripti codices.

c QVONIAM ABSCONDIT ME.] In Hebræo omnia hęc verba sequētia ponuntur in futuro tēpore, atque in eo quidam hæc vertunt, secundum quā lectionē hęc optimè quadrant sensui mystico, secundum quē per domum domini, quam requirere se dicit, intelligitur domus cœlestis, quam ideo vir sanctus requirere se dicit, quoniam ibi in tabernaculo Dei abscōdetur, securus iam ab omni malorum metu.

TIBI DIXIT COR MEVM.] Græca hic amplius habent hoc modo: Tibi dixit cor meum, dominum requiram, exquisiuit, &c.

INIQVITAS MENTITA EST SIBI.] Iniquitas hominis dicitur etiam sibi mentiri, dum persuadet se perfecturam, & assequuturam quod assequi nō valet. Atque in hoc sensu hic quidam locum hunc accipiunt. Verū alij sensus, quos habet Paraphrasis, magis conuenire videntur. Non enim vult significare iniquitatem impiorum frustrandam, sed eam vult apud Deum accusare.

Psalmus ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXVII.

EThunc quoque Psalmũ in graui aliquo periculo cõstitutus propheta cecinit. In quo primũ Dei auxiliũ implorat, deinde precatur ne se innocentẽ nocentibus in vltione coniungat, quibus meritũ iudicium imprecando prædicit. Post hæc Deo gratias agit, siue pro salute qua prius à Deo sæpe affectus fuit, siue quod de huius sue orationis exauditio ne certus à Deo factus inter orandũ fuerit: postremò cõmunem pro salute populi fundens orationẽ, sic demũ Psalmum concludit. Potest tamẽ quæ hic continetur gratiarũ actio, accipi ea qua Propheta gratias egit post adeptam salutẽ de inimicis, pro qua in principio Psalmi precatur, vt accipiatur hic Psalmus compositus post adeptam salutem, continens simul & orationẽ, qua salutem precatus est: & gratiarum actionem, quam postea pro obtenta salute egit, in exemplum nostrum. Atque hic modus in pleriſque Psalmis facilè obſeruari poteſt. Secundum verò allegoricum ſenſum Pſalmus hic intelligendus eſt de Chriſto Domino noſtro vero Dauide, orante liberationem à morte, & inimicorum ſuorũ Iudæorum interitum perpetuum prædicente, eo quod ex operibus Dei à ſe factis ipſum cognoſcere noluerunt.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Ad te Domine clamabo ne ſileas à me, nequando taceat à me.*

* *aſſimilabor deſcendentibus in lacum.*

2 *Exaudi domine vocẽ orationis meæ dum oro ad te:*
* *dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.*

3 *Ne ſimul trahas me cum peccatoribus:*
* *& cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

4 *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo:*
* *mala autem in cordibus eorum.*

5 *Da illis ſecum opera eorum:*
* *& ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum.*

6 *Secundum opera manuum eorum tribue illis:*
* *redde retributionem eorũ ipſis.*

7 †*Quoniam non intellexerunt opera domini, & in opera manuum eius,*
* *deſtrues illos, & non edificabis eos.*

8 *Benedictus dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.*

9 *Dominus adiutor meus & protector meus.*
* *in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.*

10 *Et refloruit caro mea,*
* *& ex voluntate mea confitebor ei.*

11 *Dominus fortitudo plebis ſuæ,*
* *& protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.*

1 Ad te Domine tota cordis intentione clamo, tu viciſſim ne quæ- Pſ. 27.
ſo me clamãte ſileas à me, vt quaſi ſurdus ad preces meas mi- 2
hi nõ rũdeas, ne quæſo, aliquãdo, quaſi clamanté non audieris, à reſponſione taceas, ſed viciſſim & mihi benignè loquere, præſtãs ſcilicet quod peto. Siquidé tuum loqui & reſpondere, facere eſt. * Nã ſi votis meis non reſponderis, de me planè actum eſt, ſimilis enim fiam his qui deſcendunt in ſepulchrum, factus vnus de numero eorum.

2 Exaudi domine vocẽ deprecationis meæ, nũc dum oro, ad te reſpiciens. *dũ præ ardore affectus & deſiderij leuo manus meas verſus oraculum ſanctum tuum, quod inhabitas. verſus cœleſte etiam habitaculum quod ſanctitas tua inhabitat.

3 Ne me innocẽtem domine ſimul cũ peccatoribus eadem vltio- b
ne inuoluas, *& cum his qui dediti ſunt perpetrandis ſceleribus, ne ſimul me perdas, aut in hoc, aut in futuro ſæculo.

4 Qui verbis promittunt pacẽ & amicitiã proximis ſuis, * cum interim mala eis inferre cogitẽt in cordibus ſuis, aliud lingua loquentes aliud corde cogitantes, homines peſtilentiſſimi, & apertis hoſtibus magis noxii, quales plurimi ſunt mecum ſic doloſè agentes.

5 His domine ſat ſcio præmia digna dabis, imo ex zelo iuſtitiæ, & ad tuã gloriã, ſicut tu de eis futurũ decreuiſti, ita peto vt des eis præmia ſecundum merita operum ſuorum, *& ſecundum malitiam ſceleratarum cogitationum, quibus excogitauerunt varia conſilia & rationes ad opprimendum alios. Non enim ex ignorantia aut infirmitate peccant, ſed conſultò, ac deliberata peccant voluntate.

6 Secundum opera, quæ egerunt, retribue eis mercedem: *redde eis præmium, quod ſuis factis promeruerunt.

7 Et quidem qm̃ animũ ſuum non aduerterunt ad opera, domini, c
ad opera inquã, potẽtiæ eius, quæ per me, & pro me operatus eſt, quibus facilè itelligere poterãt Dei de me volũtatẽ: *ob id certè domine tu eos perdes, neq; amplius reparabis, æterna eos perditione dãnabis. †Rurſum quia terrenis prauiſq; rebus immerſi intellectũ ſuũ non exercuerunt in operibus domini, quæ oĩpotẽtia ſua in exordio mundi pro hominibus creauit, & poſtea ſæpe pro hominum ſalute, aut peccatorum punitione operatus eſt, ex quibus Dei potentiam, bonitatem, ac iuſtitiam cognoſcere potuiſſent, hinc funditus peccatores tu domine deſtrues, nullo vnquam tempore à te reſtituendos.

8 Dignus certè eſt dominus qui à me laudetur, quoniã exaudiuit vocem deprecationis meæ, certum me reddens de his quæ iam poſtulaui.

9 Dominus adiutor meus & protector ſemper fuit, ſéq; talé mihi d
fore iam addixit, *cor meum ſperauit in eius adiutorio, nec ſum fruſtratus, ſed ipſius cõſolatione iam fortis animo factus ſum, adiuuandúmque me contra inimicos meos ſcio.

10 Neq; cor totum & animus fortior factus eſt, ſed & caro prius afflictionibus & ſollicitudinibus anxiis tabefacta, & langueſcens, iam veluti refloruit atq; reuiguit ex gaudio mentis capto ex diuina conſolatione. *& ideo adeptus quam poſtulo ſalutẽ, alacri animo, promptaque voluntate non coactus, laudabo illum.

11 Glorientur alii in virium ſuarũ, aut equorum, aut curruũ fortitu-
dine: certè populus Dei non ſuis fidit viribus, ſed Deo. Hic eſt fortitudo populi ſui, quẽ cõtra inimicos ſuos fortem facit. *ipſe eſt protector, per quem frequenter ſaluatus ſum ego, ſuper populum eius

vnctus in regem. Ipſe, inquã, eſt, qui mihi harum ſalutum ſua protectione author fuit, non ego, aut militum meorum fortitudo.

12 *Saluum fac populum tuum domine,*
* *& benedic hæreditati tuæ.*
* *& rege eos:*
* *& extolle illos in æternũ.*

12 Quandoquidé ergo domine te ſolum pro fortitudine noſtra agnoſcimus, ſerua ab omni malo pepulum tuũ, ſuper quem me vnxiſti in regem, cuius ex animo pro boni regis officio ſalutem exopto, *& dona tua cumulatim impartire populo, quẽ in hæreditatem ſpecialem, & in peculium tibi ex omnibus gentibus elegiſti. *& tanquã optimus paſtor rege eos, *& extolle eos imperpetuum, in hoc quidem mundo inimicis eius ſemper eos ſuperiores efficiens, in futuro verò ſæculo eos magnificans æternæ tuæ gloriæ ſublimitate.

ANNOTATIONES.

a NE QVANDO TACEAS A ME.] Hæc ps cõiungi poteſt cũm ſuperioribus, vt idẽ ſignificet cum eo, ne ſileas à me: & tũc cõiunctio, &, accipi debet pro, quia, ſicut & Valla. lib. 2. elegantiarum accipi eã aliquoties teſtatur, quomodo, &, accipitur cum poſtea dicitur in alio Pſalmo: Non auertas faciem tuã à me, & ſimilis ero, &c. Poteſt tamen etiam coniungi cum ſequentibus, eritque hic ſenſus: Ne ſi fortè tacueris à me, ego aſſimiler deſcendentibus in lacum.

b NE SIMVL TRAHAS ME.] Legendũ eſſe, trahas, quẽadmodum libri emẽdati habẽt, & nõ, tradas, vt ferè legitur, patet nõ ſolũ ex Hebraica dictione, quæ trahere ſignificat, ſed etiã ex Græcis, quæ habent συνελκύσῃς, id eſt, ſimul trahas.

c QVONIAM NON INTELLEXERVNT, &c.] Sicut in ſequẽtibus additur: Nõ intellexerunt in opera Dñi. Et eſt phraſis Hebræa, iuxta quã, intelligere in aliqd, eſt intelligere illud, & intellectum ſuum ad illud accõmodare. Poſtquã autem dixiſſet: opera Domini: adiecit, opera manuum eius, ad ſignificandum opera magnæ potentiæ Dei, quę per manus eius ſignificatur. Aut, vt vult Euthymius, ad ſignificandum, opera illa non caſu, ſed ſummo conſilio & ſtudio perfecta eſſe.

d ET IN IPSO SPERAVIT COR MEVM.] Et, coniunctio ſicut nec eſt in Græcis, nec in Hebręis, ita nec eſt apud D. Auguſtinum, nec in quibuſdam noſtris, & ſenſui nonnihil officit, proinde delenda eſt.

Pſalmus Dauid in conſummatione tabernaculi.

ARGVMENTVM PSALMI XXVIII.

INuitat in hoc Pſalmo Propheta ad hoſtiarũ oblationẽ, & laudem Dei, debitam ei tum propter admirandam eius potentiam, quã in tonitrui voce, ac reliquis cœli tẽpeſtatibus declarari magnificè canit: tum ob ipſius in populũ ſuum beneficentiam, qua illum & contra inimicos ipſius fortem ſemper facit, & omnibus ſuis beneficijs cumulat. Sicut autẽ alijs pleriſque locis, per vocẽ domini, hoc eſt, tonitrum, allegorico ſenſu intelligi etiam hic debet euangelica prædicatio, quæ, quod cœleſtis doctrina ſit, atq; in oĩs terræ partes breui tẽpore latiſſimè diffuſa, ac deinde omnium corda ſalubriter conturbans, & ad pœnitentiã cõmouens, rectè vox domini dicitur, ac per tonitruum deſignatur. Igitur ſecundũ myſticum ſenſum Pſalmus hic ad ſpiritualium hoſtiarũ oblationẽ, atque ad laudẽ Dei inuitat: idq; propter beneficia fidelibus collata per euangelicæ prædicationis vocẽ effuſam ſuper oĩs populos, eoſq; potenter commouentem ad pœnitentiam, & ad currendam viam virtutis eos aptantẽ. Quod autẽ in titulo habetur, in conſummatione tabernaculi, cũ in Hebræo non habeatur, additũ videtur ad deſignandum, Pſalmum hunc decantatum à Propheta, cũ perfectum eſſet tabernaculũ à ſe pro arca domini conſtructum in Ieruſalem, quando & oculis propheticis in exteriori tabernaculo Chriſtianam præuidit eccleſiam, euangelicæ prædicationis voce edificandam, quæ illo tabernaculo præfigurabatur.

Paraphraſis ſecundum ſenſum hiſtorialem.

1 †*Afferte domino filij Dei,*
* *afferte domino filios arietum.*

2 *Afferte domino gloriam & honorem:*
* *afferte domino gloriam nomini eius, adorate dominũ in atrio ſancto eius.*

3 *Vox domini ſuper aquas.*

* † *Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas.*

Pſ. 28.

1 †Afferte Domino vos ſacerdotes & Leuitæ, qui peculiariter Dei eſtis filij, cuius hæreditatẽ poſſideris: *Afferte, inquã, illi agnos arietum filios, vt eos Domino ſolenniter ſecundum officiũ veſtrum offeratis. † Imo & oĩs vos Iſraelitæ, qui ex omnibus gentibus in Dei filios electi eſtis, qui ſuorũ bonorum vos hæredes inſtituit, accedite ad tabernaculũ Dñi, ac vobiſcũ afferte agnos in oblationẽ Domini.

2 Maximè autẽ afferte domino gloriã & honorẽ, venerando illum, & cantica laudis illi canendo, quæ ſunt ſacrificia illi omniũ gratiſſima: *afferte, inquã, illi gloriam nomini eius debitã, hoc eſt, adorate dominum, ſuppliciter vos incuruãtes coram eo in atrio ſancto eius.

3 Et quidé meritò omni honore dignus eſt, meritò corã illo venerabundi procidere debetis propter admirandã ipſius potentiã, quæ a
apertiſſimè ſeſe exerit, dum horribilé oĩbus tonitrui ſonũ cauſat cũ pluuiis & nymbis. Ecce enim, cum vult dñs terribilis & mirabilis, vox tonitrui eius fit ſup aquas: *glorioſus Deus cũ declaratiõe ſuæ maieſtatis intonat, idq; ſup aquas vox maris multas, ſup quas hæc lõgè latẽq; diffunditur, abyſſum earũ cõmouẽs: quẽadmodũ olim fecit, cũ per mare rubrũ populũ ſuũ ex Ægypto traduceret, tonãte cœlo ſup aquas, quibus cum ſuis oĩbus Pharao demerſus eſt. † Super aquas

item in nubibus adhuc pendentes,mirificè intonat Dominus,ſuper eas ſuam hominibus declarans potentiam.

4 Vox domini in virtute, vox domini in magnificentia.

4 Hæc vox domini cũ virtute eſt & magnificẽtia,potentiſſima eſt, & magnificentiſſima, per quam admirabilia potenter & magnificè fiunt,quæque diuinæ potentiæ & claritatis clarum eſt indicium.

5 Vox domini confringentis cedros, & confringet dominus cedros Libani.

5 Hæc enim vox Domini,vox eſt eius,qui per eam confringit cedros,arbores denſas admodum & duriſſimas:Dominus,inquam,ſua voce confringit,cùm vult,cedros montis Libani,in quo copioſè naſcuntur. b

6 † Et cõminuet eas tanquam vitulum Libani:

6 Nec magna difficultate eas confringit,ſed mira facilitate. Nam quàm facilè tener vitulus Libani infringitur & comminuitur,

** & dilectus quemadmodum filius vnicornium.*

* aut tener filius vnicornũ adhuc apud parentes agens, à quibus plurimum diligitur,ita & eiuſdẽ Libani cedros voce cõfractas comminuit.†Hæc autẽ potenti ſua voce frequẽter pro populi ſui ſalute Dominus operatus eſt.cõfringẽs & cõminuens fortiſſimas hoſtium acies,quæ tanquã cedri ſuperbè ſe erigebant cõtra quas ſummè ab eo dilectus rex populi ſui,dilectus etiã populus eius fuit quaſi filius vnicornium,inuictus ſemper & inſuperabilis, ac fortitudine à Deo accepta veluti cornu vnicornis omnes hoſtes ſuos proterens. c

7 Vox domini intercidentis flammam ignis,

7 Vox domini,vox eſt eius,qui per eã ſecat ab inuicem tanquam igneas flãmas,fulmina,quæ erũpentia è nubibus Dominus tonando eiaculatur,altero alterũ ſubſequẽte:*vox Domini, eius eſt vox, qui per eã timore concutit feras deſerti,feras vaſtiſſimi deſerti Cades, Dominus per ſuam vocem,cùm volet,timore magno conturbabit. d

** vox domini concutientis deſertum, & commouebit dominus deſertum Cades.*

8 Vox domini præparantis ceruos,

8 Vox Domini,vox eſt eius,qui per eã præparat timidos ceruos ad fugam & curſum,ceruáſq; difficilis alioqui partus tẽpeſtate conſternatas ad partum præparat:vox tonitrui denudat & detegit ſyluas arborum dẽſitate obſcuras,has enim arbores,arborúmq; ramos deiicit,ſicq; conſpicua facit quæ antea in ſyluis latebant.

† & reuelabit condenſa,

† Vox etiã tonitrui reuelat ſyluas,quia,quæ in eis abſcõditæ latebant,feras timore commotas in conſpectum prodire facit. e

** & in templo eius omnes dicent gloriam.*

*Atq; ob hæc diuinæ vocis admirabilia opera,omnes Dei cultores Deo dicunt in tẽplo eius gloriam,laudantes illum quì tam eſt in operibus mirabilis, gaudentéſque ſe tam potentem habere protectorem, qui vt aliis omnibus ſuo tonitru timorem incutit,ita ſuos hac potentiæ ſuæ declaratione recreat,ac in laudem ſuam compellit. f

9 Dominus diluuium inhabitare facit,

9 Dominus eſt, qui tẽpore Noe in peccatorum vltione diluuium diu morari fecit ſuper terram,quíq; & nunc frequẽter poſt tonitrua & fulmina nimbos ſuper terrã perſeuerare facit:& qui ab initio mũdi ſe omnium Dominum ſuis portentoſis factis declarauit,hic ſemper omnibus præſidebit,& manebit rex in æternum. g

**& ſedebit dominus rex in æternum.*

10 Dominus virtutem populo ſuo dabit:

10 Hic autẽ potentiſſimus Dominus virtutem ſuam etiam populo ſuo cõmunicabit,fortem eum contra omnia mala reddens,*ipſumque beabit ac benedicet,donando ei deuictis hoſtibus eius,pacem, ac omnium rerũ tranquillum ſucceſſum.Itaq; Dei poteſtas, etſi impiis formidanda,in quorum timorem & exitium ſua potentia vtitur: ipſius tamen populo,in cuius bonum ſuam potẽtiam exerit, gaudii meritò,lætitiæ,ac maioris fiduciæ cauſa eſſe debet.

** dominus benedicet populo ſuo in pace.*

Paraphraſis eiuſdem ſecundum ſenſum myſticum.

1 † Afferte domino filij Dei,afferte domino filios arietum.

O Vos ſpirituales viri,qui Deũ preſentius & inſignius refertis,ampliori diuinitatis portione beneficiis atq; virtute donati à Deo, adducite ad Deum in eccleſia eius ſancta filios arietũ,homines qui veſtra doctrina filii & imitatores fiant Prophetarum & Apoſtolorũ, gregis Dominici ducum inſignium & fortiũ.† Sed & vos omnes fideles afferte & offerte vos ipſos Domino,tanquam filios Patriarcharum & Apoſtolorum, illorum fidem & puram conuerſationem in omnibus coram Deo exhibentes.

2 Afferte domino gloriã & honorem:afferte domino gloriam nomini eius.
† adorate dominũ in atrio ſancto eius.

2 Afferte domino gloriam & honorẽ,voce & vita veſtra ipſum honorantes,afferte domino gloriam nomini eius debitã,ſuppliciter venerẽmini dominum in ſancta fidelium congregatione, extra quam nullus Dei cultus gratus eſſe poteſt.†adorate etiam eũ in aula eius regia cœleſti,in qua reſidet omnium Dominus.

3 Vox domini ſuper aquas.

3 Merito certe vos fideles oẽs Deum laudare & venerari debetis, propter declaratã eius potentiam,ac beneficia exhibita, per vocem euãgelicæ prædicationis.Hæc enim vox domini, tanquã tonitruum quoddam

** Deus maieſtatis intonuit, dominus ſuper aquas multas.*

quoddã grande,ſuper aquas facta eſt:*glorioſus Deus glorioſè innotuit ſuper aquas multas,dum euangelicæ prædicationis vocẽ breui temporis ſpatio diſperſit ſuper omnes populos,(Siquidem aquæ multæ,populi multi.)eóſque terribili futuri iudicij comminatione conturbauit,& ad pœnitentiam commouit.

4 †Vox domini in virtute,vox domini in magnificentia.

4 Vox hæc Domini cum virtute & cũ decore magno facta eſt.Neque enim vt humana vox infirma fuit & inefficax ad perſuadẽdum, ſed potenter admodum & glorioſè multorum populorum conuerſionem operata eſt,potentibus & ſapientibus huius ſæculi nõ reſiſtere ei valentibus,cùm tamen fortiter,omnibúſq; viribus conarentur.†Cùm virtute etiam ſignorum & prodigiorum multorum facta eſt,per quæ mirum in modum confirmata eſt & glorificata.

5 Vox Domini confringentis cedros, & confringet dominus cedros Libani.

5 Bene autẽ cum virtute magnifica vocẽ hanc Domini eſſe dico. Ipſa enim confringit eos,qui per ſuã ſuperbiam & fortitudinẽ, tanquam altæ fortẽſq; ſunt cedri:cõfringit,inquam,Dominus ſua voce eos qui ſunt quaſi electiſſimæ cedri mõtis Libani.Fortiſſimos enim ac ſuperbiſſimos dæmones toti humano generi dominãtes euãgelica prædicatio cõtriuit,vires eorũ frangẽs,ac dominiũ illorum auferens.Tyrannos etiã multos,potentéſq; & ſapientes huius ſæculi, tãquam cedros quaſdam exaltatos in hoc mundo,confregit,ſuperare eorum vi ac ſapientia,qua aduerſum euangelicam prædicationem præualere non potuerunt.Sed & multos huius ſæculi potentes & ſapientes ſalubriter confregit, ſempérque confringit, ſubiiciens eos fidei ac religionis iugo,fracti animi ipſorum ſuperbia.

6 Et comminuet eas tanquam vitulum Libani:
† & dilectus quẽadmodum filius vnicornium.

6 Nec magna has cedros difficultate confringet,ſed quẽadmodũ tener vitulus Libani facilè cõminuitur, aut delicatus filius vnicornium,à parentibus,apud quos adhuc agit,admodũ dilectus. Faciet enim vox Domini eos qui prius vt feroces tauri & vnicornes indomabiles ac fortiſſimi habebantur,iam ſint tenerrimis vitulis aut vnicornium pullis ſimiles.†Et dilectus filius Domini meſſias,quem illi cedris ſimiles validè oppugnant,ſemper erit ſicut filius fortiſſimorum vnicornium,inuictus ſemper ac inſuperabilis & in ſe, & in populo ſuo,aduerſum quem nec portæ inferi vnquam præualebunt.

7 Vox Domini intercidentis flammam ignis,

7 Vox hæc Domini diuidit flãmas ignis,quia per eã charitas,aliáque ſpiritualia dona,cæcas ac frigidas hominũ mentes illuminãtia, purgantia,atq; incendentia,ab igni diuini ſpiritus prodeuntia,variè fidelibus ſunt diſtributa,& diuiſa.*Vox Domini timore grãdi concuſſit regiones vaſtiſſimas gentium,quæ more ferarũ deſertæ viuebant,moribus incultis,rationis pene expertes.ſine Deo, ſiue lege exiſtentes:quas ita horribili iuſtitiæ diuinæ comminatione conturbauit,vt ab infidelitate mox ad fidem conuerterentur.

** vox domini concutientis deſertum,& commouebit dominus deſertum Cades.*

8 †Vox domini præparantis ceruos.

8 Vox Domini fideles tanquã ceruos quoſcũ alacres & promptos præparat ad currendũ viam virtutis,ad pugnandum cũ ſerpentibus venenoſis,cũ iniquis dæmonibus.& ad extrahendũ huiuſmodi ſerpentes de cauernis,in quibus latitãt,de infideliũ ſcilicet cordibus. †Vox hæc mentes hominũ,quæ ceruarum more ad pariendũ virtutum opera difficiles ſunt & tardæ,ad partũ faciles facit,timore iudicii interiora cõcutiens & cõmouens.*Vox iſta obſcuras ſyluas detexit.Nam auferens legales cæremonias,ſyluarũ more obſcuras, ac veritatem vmbrarum inuolucris obtegentes,veritaté ipſam conſpicuam ac cognitã fecit:†Et cæcas ac ſylueſtres infidelium mentes,in quibus variæ paſſiones quaſi feræ quædã ſuas latebras & habitationes conſtituerunt,ſublata tenebrarũ denſitate denudauit,vt latẽtes in ea feræ manifeſtæ factæ ſint,ſicque capi facilè potuerint.

** † & reuelabit condenſa.*

** & in templo eius omnes dicent gloriam.*

*Et ob hæc omnia à Deo potenter ac ſalubriter facta per euangelicam prædicationem omnes fideles in templo eius dicent ei gloriã.

9 † Dominus diluuium inhabitare facit:

9 Dominus qui tẽpore Noe diluuium inũdare fecit,quo vitia omnia abſorberentur,in quo iuſtus Noe cum ſuis ſeruatus eſt in arca, hic & euãgelii tẽpore baptiſma tanquã diluuium perſeuerare facit in eccleſia,vt illo peccata demergantur,ſeruẽtur autẽ quotquot iuſtitiæ dediti in eccleſiæ arca ſeſe receperint. † Et quomodo aquarũ abundantia tonitru ſubſequi ſolet, ita & euangelicæ prædicationis vocem abundantia ſpiritualis gratiæ ſubſecuta eſt,quam per euangelium inhabitare facit in eccleſia ſua.*Nec eſt quod de iugi protectione & cuſtodia populi Domini quiſquam dubitet. Ipſe enim dominus regnum obtinebit ſempiternum,populum ſuum ſemper regens,& ad ea quæ ſalutis ſunt promouens.

** & ſedebit Dominus rex in æternum.*

10 Dominus virtutem populo ſuo dabit:

10 Dominus fortitudinem populo ſuo dabit, quo & inimicis ſuis omnibus reſiſtere,& quæ recta ſunt & bona operari valeat.

*Domi

* *dominus benedicet populo suo in pace.*

* Dominus cumulatim benefaciet populo suo, ci veram ac solidam pacem, cum omnium bonorum affluentia. Et quidem in hoc sæculo pacem iucundissimam mentis, ab omni vano timore ac perturbatione liberatæ suppeditabit: in futuro autem æternam pacem, nullo vnquam mali metu perturbandam.

ANNOTATIONES.

a VOX DOMINI SVPER AQVAS.] Voce istã Domini varij varie accipiunt, & quidã quidem generaliter Dei imperium, quidã Christum verbum patris, aliis vocem eam quæ audita fuit super Christũ dum baptizaretur à Ioanne. Verum vt certũ satis est prophetam ad literam loqui de tonitruo quod frequenter Dei vocẽ vocat: ita secundum mysticum sensum intelligitur euangelij prædicatio, quæ & in aliis locis frequẽter per tonitru significatur.

b VOX DOMINI CONFRINGENTIS.] Melius ex Hebræo pro genitiuis, cõfringẽtis, intercidentis, cõcutientis, & præparantis, verterentur nominatiui, vt referantur ad vocem Domini, & sit: Vox domini confringit cedros, qũo in quarto mẽbro habent Græca, Vox Dñi præparans ceruos. Vnde Euthymius monet quosdã velle genitiuos illos præcedẽtes positos pro nominatiuis, per figurã, qua casus pro casu ponitur. Nos in paraphrasi indicauimus, quomodo seruata nostra lectione, intelligi tamẽ commodè possit, id quod propheta de voce Domini asserere voluit.

c ET COMMINVET EOS, &c.] Hebræa lõgè secus habẽt: Et exilire eas faciet sicut vitulũ Libanon, & Sarion sicut filiũ vnicorniũ, supple exilire faciet: q sensus facilis est. Et talis est loquẽdi modus postea, Mõtes exultauerũt vt arietes, &c. Est autẽ Sarion, mons Hermon, nõ ille quidem, qui iuxta Iordanẽ est, sed alius maior & altior iuxta Libanu, vltra Traconitidem regionẽ, qui, vt dicitur Deut. 3. à Sidoniis Sarion, ab Amorrheis Sanir dictus est. Quomodo autẽ pro Sarion, Septuaginta verterint, ἠγαπημένος, dilectus, aut quid legerint pro Sarion, nõ facilè vr. Sensus tamẽ nostræ literę duplex in paraphrasi indicatur, tam in sensu literali, quã in mystico. Põt enim participiũ, dilectus, cõstrui cũ subsitãtiuo, filius, post quẽadmodu: & tunc est sensus facilis: Iste cõminuet eas sicut vitulum, & quẽadmodum cõminuitur dilectus pullus vnicornium, quã constructionem literæ Latini omnes sequuntur. Valẽtia autẽ addit & aliã rationem, quare Christus cõparetur filio vnicornium, videlicet, quia sicut vnicornis p intinctionem extremitatis sui cornu purgat aquas veneno serpentũ infectas, vt nõ noceant bibentibus: ita & Christus p contactũ aquæ Iordanis, aquas purgauit, ac vim cõtulit purgãdi alios, fecitq; vt ipsum sequẽtib. aquæ sint salubriter potabiles. Alij etiã alias addunt rationes. Vetũ hæc etsi suauia sint, tñ extra propositum esse videtur. Notãdum autem Græca hic etiam aliter habere quã Latina. Habẽt enim pro genitiuo, Libani, ac custatiuum, Libanũ, quem Euthymius per distinctionem cõiungendum vult cum præcedẽtibus, vt sit sensus: Cõminuet totum Libanum: Notandum & illud quod verbum λεπτυνεῖ, q̃ nõster vertit cõminuet, verti etiam potuisset, attenuabit, vt significetur, cedros attenuatas ramis aualsis, sicut attenuatus est tener vitulus Libani.

d PRÆPARANTIS CERVOS.] Vertendum fuerat, ceruas, Nã Hebręa fœmininum manifestè habent, & Græca dictio ἐλαφῶν vtrumque significat, ceruum & ceruam. De partu ceruæ tãquam re mirabili fit mentio Iob. 39.

e REVELABIT, &c. Pro condensa, Græcis est δυμῶδες, quod propriè syluas significat arboribus densas. Vnde Augustinus legit, syluas.

f OMNES DICVNT GLORIAM.] Verti ex Hebræo etiam potest, & melius: sic & in templo eius omne hoc dicit gloriam. vt significetur, omnes has res Deum suo modo laudare, cuius potentiam testantur.

g DOMINVS DILVVIVM. Ex Hebræo cõmodissimè sic vertitur, Dñs in diluuio sedit, & sedebit dñs, rex in æternũ. Qui versus apertus est, significans dñm ab initio mudi rerũ potitũ fuisse, semperq; potiturum. Græca habẽt futurũ κατοικήσει, id est, inhabitare faciet, Aug. per præsens inhabitat.

Psalmus cantici in dedicatione domus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXIX.

GRaui aliquo morbo, aut alio aliquo mortis periculo liberatus Propheta hoc Psalmo Deo gratias agit, simul & cãm suæ infirmitatis indicãs, & qũo pristinã recuperarit sanitatẽ docens, nimirũ quod ne stabilem quisquã sibi in hac vita fœlicitatem promitteret, in morbum incidere Prophetam Deus passus sit, & per orationẽ ad Deum fusam curationẽ morbi se accepisse gloriatur. Quod autẽ Psalmus hic inscribitur: in dedicatione domus: plerique verisimiliter existimant dedicationẽ ædium magnificentissimarũ, de quibus fit mentio in lib. 2. Reg. incidisse in id tẽpus, quo emerserat è morbo. Itaque illũ gratias agere Deo, qui valetudine confirmata, facultatem sibi dedisset dedicandæ atque habitandæ domus, quã nuper ædificarat, quando & dedicatio domus facta est, quia in templum & domum animæ corpus reædificatum fuit. Ad exemplum autẽ Dauidis, iustus quisque sibi hunc accommodare potest, qui ad tempus à Deo sibi relictus, atque vt suam fragilitatem melius agnosceret, in mortale aliquod crimen prolabi permissus, post obtentam suis precibus animæ curationem, gratias agit Deo pro recuperata sanitate, ac latitia mentis. Nam & tunc fit dedicatio domus, cùm anima hominis Dei gratia inhabitare incipit, & spirituali innouatione eam Deo consecrat. Itaque in hoc accommodatione, quæ ad literam intelliguntur de infirmitate & morte corporali, mysticè accipienda sunt de infirmitate animæ ac morte æterna, quemadmodum in Psalmo sexto.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Exaltabo te domine quoniã suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

LAudibus efferam te Domine, quoniam de mortis periculo me susceptum extulisti, nec dedisti ansam inimicis meis gaudẽdi super morte mea. Ps. 29

2 Domine

2 Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me.

2 Domine Deus meus clamaui ad te, vt me ab infirmitate graui, ac morte imminente liberares, & quod præstitisti, curando morbum meum.

*3 Domine eduxisti ab inferno animam meam: * saluasti me à descendentibus in locum.*

3 Iam sepulchro ac morti proximus eram, ac propemodũ descenderam ad vmbras inferni: Verum tu Domine eduxisti ab inferno animam meam, restituens mihi sanitatem: *saluasti me, vt non essem vnus eorum qui descendunt in sepulchrum.

*4 Psallite Domino sancti eius. * †& confitemini memoriæ sanctitatis eius.*

4 Proinde vos, qui coram Deo sanctitati & bonitati studetis, Psalmos in honorem Domini cantate, scientes eandẽ benignitatẽ, quã mihi modo exhibuit, & vobis esse expositam, *propter quod laudate memoriã sacrosanctæ maiestatis ipsius, gratias agite ei, quod nostri sanctissimus Dominus semper tandem memor sit, etsi ad tẽpus oblitus videatur. †Vestro item prœconio celebrem facite, & augustã memoriam sanctitatis eius, vt eius passim homines recordentur cũ laude eius. a

*5 Quoniam ira in indignatione eius: * & vita in voluntate eius.*

5 Quoniam quidẽ punitio quidẽ est in zelo iustitiæ eius quo peccatis hominũ offensus & indignatus peccata punit & vindicat, * verum hæc punitio non est in voluntate eius, nõ est ipsi in vindicta beneplacitũ, sed vita, omnéq; bonum est in volũtate eius. Ipsam enim ex sua natura voluntariè, nec aliquo modo coactus aut prouocatus hominibus impartit, impartiriq; semper cupit. contrà autẽ vindictã non ex electione aut voluntariè, sed non nisi coactus infert. Non enim vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.

6 Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia.

6 Vnde fit plerũque, vt si sub vesperum adueniat homini aliquid flebile, illo mox post vnam pernoctationem depulso, mane succedat lætitia.

*7 Ego autẽ dixi in abundantia mea, * non mouebor in æternum.*

7 Et quidẽ cùm deletis hostibus, & regno cõstituto, omnia mihi secunda cederent, omniúmq; rerum copia afflueret, ego cum animo meo loquebar, ac mecũ cogitaui in hunc modum: *Iam nulla vi, nulla calamitate deiiciar de hoc florenti rerũ mearũ statu, ità finis mihi adest omnium calamitatum mearum, post hac nihil experiar mali.

8 Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.

8 Tu enim Domine non per mea merita aut vires, sed per tuũ beneplacitũ, claritati ac excellentiæ regni mei cõtulisti fortitudinem magnã, qua iam omnibus hostibus meis superior factus erã, & in regnum confirmatus, atq; ob id stabilem mihi fœlicitatẽ pollicebar.

9 Aduertisti faciem tuã à me, & factus sum conturbatus.

9 Verùm quo aduerterem secundæ fortunæ instabilitatẽ, & melius cognoscerem omnem fœlicitatem à te pendere, ne quenquam tam fœlicem esse, qui non ilico miser sit, si tuam Deus subtrahas beneuolentiam, hinc paulisper fauorem tuum mihi subtraxisti, immittendo mihi grauem corporis infirmitatem, & ego cõsternatus sum, videns me frustratum mea expectatione.

10 Ad te domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

10 Neque tamen de recuperando tuo fauore desperaui, sed bene confisus de tua bonitate, ad te ex intimo affectu clamaui, & ad te Deum meum deprecatus sum, sic dicens.

11 Quæ vtilitas in sanguine meo, dũ descendo in corruptionem?

11 Quidnam profuerit tibi, hominibúsq; vita mea, si nũc præmatura morte absumptus descendero in sepulchrum, ibique putrefactionem corpus incurrat?

12 Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?

12 Num in cinerẽ, secundũ corpus redactus homo te laudare poterit apud mortales, aut deprædicare tuã in promissis fidelitatẽ? Nequaquam certè. Atqui morrẽ non ob priuatam mei ipsius rationem deprecor, sed vt gloriam tuã apud homines amplificẽ, collapsam religionem restaurem, ac promissionum tuarum veritatem in me seruatam annunciare possim, nec habeant inimici mei, imo tui, ansam gloriandi super interitu meo, cum blasphemia tuæ in promissis veritatis, quam tanquam vanam irridebunt.

*13 Audiuit dominus, & misertus est mei: * dominus factus est adiutor meus.*

13 Cùm autem sic oraré, audiuit Dominus orationem meam, audiénsq; misertus est mei. *Dominus enim factus est adiutor meus, eripiens me à morte quæ tunc impendebat.

*14 Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: * concidisti saccum meum, & circundisti me lætitia.*

14 Commutasti mihi mœrorẽ meum in gaudium reddita sanitate, omnémq; luctum à me amouisti, *sicque quasi saccum, quo in signum mœroris indui solemus, rupisti, & pro sacco luctus me ex omni parte vestiuisti, & perfudisti lætitia.

*15 Vt cantet tibi † gloria mea, * & non compungar, *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

15 Vt in tuũ honorẽ caneret anima mea, quæ decus est & gloria mea, †vtq; omnis mea laudatio non alii quàm tibi cantaret, *& non amplius ego nimio dolore cõpunctus fierẽ à tua laude. Quod vtique Domine fideliter præstabo. *Te enim domine Deus meus toto vitæ meæ tempore laudabo, tibi meam salutem acceptam referens, tuámque bonitatem, ac veritatem prædicans.

Anno

ANNOTATIONES.

SIcut in aliis pleriſq; Pſalmis Chriſti typum gerit Dauid,ita & hic Pſalmus Chriſto nó incongruè tribui poteſt, tanquã gratias agẽti Deo patri propter liberationẽ ſuã à morte & inferno per reſurrectionem ipſius.In illũ enim nó metaphorica,ſed propria locutione cõpetit, quod dicitur de eductione animæ ex inferno, quãquã in illum non ita quadrat,quod habet hic Pſal. Ego dixi in abundãtia mea,non mouebor in æternũ. &: Auertiſti faciem tuã a me.niſi eo intelligamus ſignificari,poſt eũ ſtatum, quo ob miracula gratus fuit populo,ac ſalutatus rex, à Deo ad tẽpus derelictũ in ſumma crucis ignominia,ita vt quereretur in cruce Deus meus, vt quid dereliquiſti me!poſt quam derelictionem rediit Dei in illum fauor, cùm in morte eum non reliquit, ſed reſuſcitauit à morte,mœrore in gaudium conuerſo.

CONFITEMINI MEMO.&c.] Huius partis,quæ etiam eſt in fine Pſalmi 96.quanquam ibi habeamus, ſanctificationis, duplex indicatur in paraphraſi intelligentia. Altera, vt memoria ad Deum referatur,quod ſcilicet ipſe noſtri memor fuerit,quem ſenſum tradit Euthymius. Altera,vt memoria ad hommes referatur, & ſignificetur confeſſione laudis memorandam, & celebrem reddendam eius ſanctitatem.Quem ſenſum ferè intelligunt qui Hebræa ſectantur.

In finem,Pſalmus Dauid in extaſi.

ARGVMENTVM PSALMI XXX.

REfert hoc Pſalmo vir ſanctus,quomodo in perſecutione,quã ab Abſalone,aut potius à Saule perpeſſus eſt, Deum precatus ſit.Primũ quidem ſpem quã ſemper habuit in Dei bonitate,deinde propter calamitatũ ſuarum magnitudinem,& inimicorum ſuorum iniquitatem,petens liberari ab inimicis ſuis.Poſtremum bonitatis Dei erga ſperantes in ſe immenſitatem,& cuſtodiam iugem ab iniquis hominibus admirans,de diuina benignitate ſibi exhibita Deũ benedicit,omnesq; Dei cultores ad Dei ſtudium,& amorem,& ad fidendum fortiter illi,qui à ſe pendentes haud poteſt deſerere,hortatur.Cùm autẽ Saluator,Luca teſte,in cruce pendens,hemiſtichio quodã ex hoc Pſalmo deſumpto vſus ſit,dicens:Pater in manus tuas,&c.ſatis patet in his quæ Dauid hic ſe paſſum canit,Chriſti vmbrã prætuliſſe, ac proinde myſticè totum etiam hunc Pſalmum Chriſto conuenire. Ad cuius,Dauidiſq; exemplum etiam cuilibet conuenit homini,qui in magna aliqua conſtitutus afflictione,ſiue corporali,ſiue ſpirituali, Dei miſericordiam implorare voluerit.Quod autem in Græcis,Latiniſq; codicibus habetur in titulo,pro extaſi,ſignificat orantis intentam deuotionẽ,mentem à corpore alienantem,aut potius orantis ſummum pauorem,mentem hominis perturbantem, & præcipitantẽ. De quali extaſi ſit mentio in fine Pſalmi.

ANNOTATIONES EIVSDEM.

*1 In te domine ſperaui, nõ confundar in æternũ:*in iuſtitia tua libera me.*

IN te Domine omnem meam ſpem conſtitui,ne igitur ſinas, vt vnquam pudeam,ſpe & expectatione mea fruſtratus:* ſed per tuã iuſtitiam & fidelitatem,libera me à malis quæ me premunt,& ab inimicis me perſequẽtibus.Expoſcit enim hoc tua iuſtitia,vt,ſicut pollicitus,non deſtituas tua ope ſperantes in te.Expoſcit tua iuſtitia,vt ab iniquis innocentes liberes. PSAL. 30.

*2 Inclina ad me aurẽ tuã: * accelera vt eruas me,*

2 Tu Domine,cuius altitudinem mea humilitas attingere non valet,inclina te,& condeſcende te mihi. Clementer attende orationi meæ,exaudiens eam:*& cùm periculum in mora ſit ob hoſtiũ improbitatem,ne quæſo differas extremè periclitanti auxilium tuum, ſed feſtina,vt me eruas ab his anguſtiis.

3 Eſto mihi in Deũ protectorem,& in domum refugij,vt ſaluum me faciãs.

3 Exhibe te mihi Domine Deum protectorem,& quaſi domum, ad quam tutò confugiam,ita vt ſaluum me facias ab inimicis meis, me ad perdendum inſequentibus.

4 Quoniã fortitudo mea & refugium meum es tu.

4 Tu enim Domine ſolus es per quem fortis eſſe ſoleo contra inimicos meos:tu is es,ad quem cõfugere ſoleo.Tu etiam es, & modò fortitudo mea,cui ſoli nitor,per quẽ ſpero me ab inimicis meis ſeruandum: Tu es, ad quem modò tãquam ad locum munitiſſimum confugio.*Itaque propter teipſum, propterea quia miſericors appellaris & fidelis,deduc me,vt te duce ambulem abſque nocumento inſidiantium mihi in via,& tanquam bonus paſtor enutrias me, vt nihil mihi deſit.

** & propter nomen tuum deduces me,& enutries me,*

*5 Educes me de laqueo hoc quẽ abſconderunt mihi: *quoniã tu es protector meus*

5 Educ me ab inſidiis his quas latenter mihi diſpoſuerũt inimici mei,vt me caperent,*quoniam tu ſolus es,quem in protectorẽ mihi delegi,qui ab hoſtibus meis ſemper me protegere ſoles.

*6 In manus tuas commendo ſpiritum meum, * redemiſti me domine Deus veritatis.*

6 Potentiæ & curæ tuæ cõmendo Domine ſpiritum meum,quem mihi eripere hoſtes contendunt:*quod ob id merito facio, quia hactenus me ſemper redemiſti tu,Domine qui es Deus in præſtandis promiſſis conſtantiſſimè verax:propter quod ſecurus confido,te & iam ſpiritus mei & vitæ curam geſturum,& tua potentia me cuſtodiendum,ne peream.

7 Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.

7 Odiſti eos qui attendunt ad res vanas,ex quibus nullam vtilitatem vnquam percipient, vt qui ad idola vana reſpiciunt, ab illis ſalutem expectãtes,quiq; ex ſuperſtitioſa creaturarum obſeruatione,futurarum rerũ requirunt euentũ:deinde quia vana hominum attendunt auxilia,atque in caducis rebus ſpem conſtituunt.

8 Ego autem in domino ſperaui:
**exultabo & lætabor in miſericordia tua.*

8 Ar verò ego non in huiuſmodi rebus,ſed in te omnẽ meã ſpem conſtitui,quam nõ vanam fore vt illorum ſpem confido: * Iuxta ſpẽ enim in te habitam aliquando liberatus exultabo,& lætabor de miſericordia tua mihi exhibita.

*9 Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: * ſaluaſti de neceſſitatib, animã meã.*

9 Quoniam ſcilicet declaraſti te videre afflictionem meã, quam iniuſtè ab hoſtibus meis patiebar, * & ſaluaſti de anguſtiis animam meam.

10 Nec concluſiſti me in manibus inimici,
** ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.*

10 Nec ſiuiſti me concludi & conſtringi in manibus inimicorum meorum,vt in eorum poteſtatem captiuus venirem: * quin potius me eductum ex anguſtia inimicorũ circundantiũ collocaſti,& confirmaſti in latitudine,vt iam liberè quouis pergere poſſem.

*11 Miſerere mei domine, quoniam tribulor: *conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & vẽter meus,*

11 Sic autem,vt de tua miſericordia exultare mihi liceat,tu Domine,qui miſeris lubenter miſereri ſoles,miſerere mei quoniã grauiſſimè affligor ab inimicis meis,*præ ira & infeſtatione hoſtili, quam iãdiu perpeſſus ſum,oculi mei turbati ſunt,vt clarè videre nequeãt: ſed & anima mea,& quæcunque ſunt interiora corporis mei in medio ventris mei,nimio angore & pauore conturbata ſunt.

12 † Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

12 Conſumpta eſt enim bona pars vitæ meæ in mœſtitia, & anni mei iam multi in gemitibus tranſacti ſunt.†Pérq; dolorem ac gemitus vita mea penè defecit,ita vt dolore vitalem ſuccum exciccante, mortuo magis ſimilis ſim quàm viuenti.

*13 Infirmata eſt in paupertate virtus mea: * & oſſa mea conturbata ſunt.*

13 Præ diuturna ac magna afflictione,quam patior, robur animi & corporis imminutum eſt,*& oſſa mea mota ſunt à fortitudine, & ſoliditate illa quam habebant,non valentia amplius,vt antea, me ſuſtinere.

14 Super omnes inimicos meos factus ſum opprobriũ vicinis meis valde: & timor notis meis.*

14 Et cùm tanta iam ſit mea afflictio,non habeo tamẽ in hominibus qui me conſolentur.Nã propter multitudinẽ inimicorum meorum habitus ſum tanquam probroſus,& execrabilis, etiã his qui mihi valde erant propinqui:*& terrori fui amicis meis, qui metuentes ne propter me periclitarentur,mihi coniungi timuerunt. a

*15 Qui videbant me,foras fugerunt à me: * obliuioni datus ſum tanquã mortuus à corde*

15 Itaq; quotquot viderũt me in publico,relicto me ſolo,foras fugerunt à me,vel quòd tanquam probroſum auerſarentur, vel quòd metuerent,ne propter me periculũ aliquod ſuſtinerent:*obliuioni datus ſum à corde tanquam ſi mortuus eſſem,nullis ob ſalutis deſperationem mei curam gerentibus,atque adeo omnibus mei planè obliuiſcentibus,quomodo obliuioni dari ſolent mortui.

*16 Factus ſum tanquam vas perditum, * quoniam audiui vituperationẽ multorum commorantiũ in circuitu.*

16 Similis factus ſum vaſi confracto,quod vt omnino inutile ab omnibus reiicitur,quod expertus loquor. * Audiui enim vituperationem & infamiam mei à multis commorantibus in circuitu meo.

17 In eo dum conuenirẽt ſimul aduerſum me,accipere animam meam conſiliati ſunt.

17 Qui tunc,cum congregarentur vnanimiter contra me, conſilium inierunt,vt eriperent mihi vitam.

*18 Ego autem in te ſperaui Domine, * dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ,*

18 Et quidẽ hoſtes mei hoc pacto ſe habent,ego verò in tã multorum perſecutione,in tanta omnium amicorum derelictione,in te omnem meam ſpem collocaui Domine,*dixi tibi,Deus meus es tu, cui ſoli nitor,quantumuis ad mortem me perſequantur, vtcunque videar vndique concluſus:non eſt tamen penes hoſtes meos,vt mihi cum volent mortem inferant,ſed in tua ſolius poteſtate ac cura ſunt diſpoſitiones vitæ mortiſque meæ,ita vt te nolente nemo mihi vitam eripere poſſit. b

19 Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me.*

19 Tu itaque libera me à poteſtate inimicorum meorum,
* & à perſequentibus me,ne mihi præualeant,nec perficiant in me quod moliuntur.

*20 Illuſtra faciẽ tuã ſuper ſeruum tuum: * ſaluum me fac in miſericordia tua domine non confundar,quoniã inuocaui te.*

20 Lucidam ac hilarẽ faciem exhibe mihi ſeruo tuo,declara mihi ope lata tuum fauorem*ſaluum me fac ab his malis per tuam miſericordiam,Domine ne ſinas me fruſtratũ mea expectatione pudefieri,vel ob id quoniam inuocaui te.Cedet enim non in meã tantũ, ſed & in tuam ignominiam,ſi inuocantem te ope tua deſtituëris.

21 Erubeſcant impij, & deducantur in infernum:
** mutæ fiant labia doloſa.*

21 Pudeſiant potius impij cernentes irritos eſſe ſuos conatus, & pro meritis ſuis deijciantur,erepti ex hac vita,in infernum: *fac vt flagellis tuis ac vindicta coerciti,qui contra proximos ſuos doloſa ac mendacia loquuntur,obmuteſcant,nec amplius valeant linguis ſuis peſtiferis innocentes lædere.

22 Qui loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatẽ in ſuperbia & in abuſione.

22 Hi,inquam,qui loquuntur cõtra iuſtũ iniqua cũ magno faſtu, & qui faſtum ſequuntur,contemptu,quo proximis ſuis,quos æquales ſibi habere debuerant,abutuntur,nihili facientes eos:

23 Quam magna multi-

23 Ad hunc certè modũ te Dominum in afflictione mea deprecatus c

tudo dulcedinis tuæ domine quam abscondisti timentibus te.

catus sum,verùm nunc liberatus tua benignitate ex cõsideratione tuæ in homines bonitatis,cũ admiratione exclamare cogor:O verè magna est Domine multitudo dulcissimæ tuæ beneficentiæ, quam apud te absconditè recondidisti & reposuisti,pro his qui te reuerenter colunt,vt eam suo tempore illis depromas.

*24 Perfecisti eis qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.*

24 Quam etiam omni tẽpore his qui sperant in te exhibuisti non obscurè & clam,*sed palam in conspectu & cũ admiratione hominum.Neq; in hac tantum vita magna est tua erga timentes te bonitas,sed multo magis pro futura vita apud te recondita habes, & parata pro timentibus te,& sperantibus in te magnifica bona,quę nec oculus vidit,nec auris audiuit,nec cor hominis vnquam cõprehendere valuit. d

25 Abscondes eos †in abscondito faciei tuæ,à conturbatione hominum.

25 Abscõdes eos tum in hac,tũ in futura maximè vita,per faciem tuam impiis absconditã,†& in latibulo,quod est coram te, vt liberi sint à minis & iniuriis hominum,perturbantibus tranquillitatem.In hac enim vita tuo benigno aspectu ac fauore ita eos quasi apud te absconditos custodies,vt non illos commoueat hominum improbitas:& in futura vita ita eos apud te contemplatione absconditæ faciei tuæ occultabis,vt nullum ad eos accedere valeat malum,quod eorum fœlicitatem perturbet.

26 Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

26 Proteges eos in tabernaculo tuo,ita vt nihil illis nocere valeat linguarum virulentia illis contradicens,aut calumniam impingere studens.Siquidem & nunc eos quasi in abscondito tuo tabernaculo custodies,vt tuti sint à calumniis hominum contentiosorum : & in futura vita,in cœlesti tua domo eos abditos ita defendes, vt nullam amplius sint audituri malignorum contradictionem. e

27 Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita.

27 Benedictus sit & laudatus per omnia Dominus,quoniam mihi iam omnibus malis erepto exhibuit mirabiliter misericordiã suam in ciuitate Ierusalem munitissima.In qua ingenti gloria & fœlicitate,copiáque omnium rerum me affecit.

*28 Ego autẽ dixi in excessu mentis meæ: *proiectus sum à facie oculorum tuorum.*

28 Ego autẽ olim cùm ex consideratione plurimorũ malorum,in quibus me Domine diu reliquisti,mens mea perculsa stuperet, nec præ stupore bene apud se esset,sic apud me præcipitanti iudicio cogitaui:*Reiectus sum a te Domine,ita vt mea amplius vt begnigno tuo aspectu non sis respecturus. f

*29 Ideo exaudisti vocem orationis meæ, *cum clamarem ad te.*

29 Tu itaque Domine videns animi mei summam deiectionẽ & desolationem,ne me planè absorberet,*statim,cùm toto affectu inuocarem te,exaudisti vocem orationis meę,educens me malis quibus premebar.

*30 Diligite dominum omnes sancti eius, * quoniam veritatem requirit dominus,& retribuet abundanter facientibus superbiam.*

30 Proinde vos sancti cultores Dei,videntes Dei in me benignitatem,qui è maximis malis me liberatum in summam dignitatẽ & fœlicitatem euexit,diligite tam benignum dominum,*quoniam veritatem vitæ & iustitiam dominus amat:& quanquam videatur ad tẽpus illam negligere,tamen diligenter eam obseruat, vt eos in quibus eam inuenerint custodiat,ac secundum eam eis benefaciat:his autem qui valdè superbè agunt,finem superbiæ suæ,qua contra innoxios efferuntur,non facientes, dominus suo tempore condigna præmia retribuet,etsi aliquantisper differat. g

31 Viriliter agite,& confortetur cor vestrum omnes qui speratis in Domino.

31 Itaq; omnes vos,qui spem vestrã in domino collocatis, in tentationibus huius mũdi nequaquã sitis pusillanimes:sed viriliter vos gerite,fortiq; sitis animo,non dubitantes, quin is, in quem speratis, vos non restituet,sed mox adierit cum sua ope & consolatione.

ANNOTATIONES.

a SVPER OMNES,&c.]Præpositio,super,accipi põt pro,magis quam,vt sit sensus:habitus sum opprobrio vicinis meis,magis quàm oẽs inimici mei.Aut pro,præter,vt sit sensus pręterquã quod ab omnibus inimicis meis habitus sum opprobrio,etiã probrosus fui vicinis meis. Verum sensus in paraphrasi explicatus,iuxta quẽ prępositio,super,accipitur,pro propter, cõuenientior est,eo ꝙ secundum duos hos sensus ad hãc partem referri non possit illa pars, & timor notis meis.Et notandum est verã lectionem esse cum coniunctione,&,factus sum opprobrium & vicinis meis valdè. Eam enim coniunctionem emphaticam habent non tãtum Hebræa & Græca, sed & Augustinus, & nostra pleraq; exemplaria antiqua.Itaq; sensus est:factus sum opprobrium etiam his qui mihi valde erant propinqui. In eo autem quod sequitur:Qui videbant me foras fugerunt à me,rectius versum fuisset,foris. Nam quanquam Græca vtrouis modo verti possint, foras & foris, Hebræa tamen exigunt, foris, vt iungatur non cum verbo sequenti,sed cum præcedenti,vt sit sensus:Amici mei cùm me foris in publico viderunt,propter hominum timorẽ non ausi sunt se mihi coniungere,sed abstinuerunt à consortio meo.

h IN EODEM CONVENERINT,&c.]Græca habent,ἐν τῷ συναχθῆναι αὐτοὺς hoc est,in cõueniendo

illos aduersum me.Pro quo interpres noster vertit:In eo dũ cõuenirent,cùm satis fuisset dicere,dũ conuenirẽt,vel,sicut legit D.Augustinus,dum congregarentur ipsi.Proinde illud,in eo,quod ad sensum pertinet,superest.

i ET ABVSIONE.]Pro abusione Grecis est ἐξουδενώσει,quæ dictio propriè contemptum significat,quomodo legit D.Augustinus. Videri põt nostrum interpretem imitatum dictionem Hebræam, בּוּז Buz.

ABSCONDISTI TIMENTIBVS.] Hãc partẽ,qui de dulcetudine futurę vitæ hæc intelligũt,plerunq; sic interpretantur,vt abscõdisse dicatur Deus timentibus se suã dulcedinẽ, quoniam eã in hac vita nondũ eis reuelat.Verũ magis consonat ei quod sequitur.Perfecisti eis qui sperant in te,si accipiatur abscõdisse Deus, quia suã beneficentiã reconditam habet pro timentibus se,quomodo in alio Psalmo per abscõdita intelligũtur reposita,dum dicitur:de abscõditis tuis adimpletus est venter eorum.

e PROTEGES EOS IN TABERNACVLO.&c.]Pronomẽ,tuo,vt nõ est ĩ Hebræis,nec Græcis,ita nec in correctioribus multis Latinis.Vñ sensus esse põt,proteges eos quasi in tabernaculo quodã:Frequẽter enim particula similitudinis subintelligitur apud Hebręos,sicut etiã quidam subintelligunt in eo qđ sequitur:Mirificauit misericordiã suam mihi in ciuitate munita, vt sit sensus:Miro modo ostendit in me misericordiã suã,protegendo me perinde ac si fuissem in ciuitate munita.Quod aũt D.Augustinus legit in ciuitate circũstantiæ,hic est,qđ Græcis sit dictio περιοχῆς,quæ à verbo περιέχω, deducta significat,circũstãtię,hic verò significat ambitum murorũ.Vnde bñ noster vertit,ciuitate munita.

f IN EXCESSV MENTIS MEÆ.] In Græcis & Hebræis non est mentio mentis,sicut nec apud nos Psalmo 115.Vñ & Augustinus hic legit,In extasi mea. Quod ideo annotandũ erat, ne quis putet hic sermonẽ esse de laudabili illo mentis excessu,quo ad diuinarũ rerum contemplationem mens subleuatur.Significat autẽ Hebręa dictio festinationem & trepidationem.Diuus Hieronymus vertit,stuporem.

g VERITATEM REQVIRET DOMINVS. Græca habẽt pluralẽ numerum ἀληθείας,veritates,sicut & Hebręa habent fideles vel veraces. Iuxta aũt vtraq; originalia legendũ est non per futurũ,requiret,& retribuet,sed potius per præsens,requirit& retribuit,quõ & quędam nostra habent exemplaria,maximè in verbo requirit. Græcè enĩ est ἐκζητεῖ & ἀνταποδίδωσι.Porrò aduerbiũ abundanter,iuxta Græcam lectionẽ referẽdum est ad,facientibus superbiã,vt quemadmodum indicat paraphrasis,significẽtur hi qui valde superbè se gerũt.Est enĩ Gręcis,τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν,hoc est,his qui copiosè faciũt superbiã.At iuxta Hebręa magis referendũ est ad verbũ,retribuit,vt significetur,Deũ copiosè retributurum superbis,hoc est,grauẽ eis inflicturum vltionem,& vehemẽter eos depressurum.

Intellectus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXI.

Psalmum hunc conscripsisse uidetur Propheta,cũ post cõmissum adulteriũ & homicidiũ,in corporis infirmitatem aliásue calamitates incidisset,quas ob id ei immisit Dominus,ut uexatione dãte intellectũ,quæ dissimulauerat,& tegere conabatur peccata, agnosceret & cõfiteretur.Itaque iã accepta per peccatorũ suorũ cõfessionẽ uenia,primum quidẽ canit fœlicẽ esse cui à Deo gratis condonata sunt peccata,nec amplius ei in pœnã imputãtur:Deinde narrat, quõ propter peccatorum suorũ dissimulationem ultricem Dei manum senserit,& per hanc delictum suum agnouerit, confessus sit,ac ueniam remissionẽq; acceperit quãtocyus:Propter quã Dei facilitatẽ, Dei cultores dicit meritò Deum oraturos,si quãdo uel peccatorũ conscientia uel afflictione aliqua premantur:Postea uerò sermone ad unumquemlibet conuerso,erudiẽdo admonet ne brutis similes efficiamur,ut quẽadmodum illa fræno cõpelluntur hominum uoluntati inseruire,ita & nobis opus sit Dei flagellis,quibus adigamur ac cõmodare nos diuinæ uolũtati.Postremũ peccatorum & iustorũ diuersitatem describens,ad lætitiam omnes iustos ob paratã illis Dei misericordiã generaliter inuitat,

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, * & quorum tecta sunt peccata.*

Fœlices sanè illi,quorum scelera à Deo sunt cõdonata,*& quorũ peccata abscõdita sunt,vt ea non aspiciat Deus ad vindicãdum. Psal.31.

*2 Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum: *nec est in spiritu eius dolus.*

2 Fœlix ille cui nõ imputauerit Dominus peccatũ, sua gratia illud remittens,nec cõmeritas pro eo pœnas exigens.*Fœlix is,in cuius animo nulla est fictio,nullũ mendacium,aut simulatio,qua Deo imponere velit.Talis enim,etiãsi peccauerit,cùm ex animo humiliter suum peccatum agnouerit,& cõfessus fuerit facilè sine vindicta veniam à Deo consequetur. a

*3 Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, *dum clamarem tota die.*

3 Quoniam autẽ ego tacui,& peccata mea dissimulaui,ac confiteri neglexi,ideo ossa mea quasi vetustate cõsumpta,lãguida facta sunt, *dum assiduè eiularẽ,& clamarem præ nimio afflictionis dolore,in quam ob mea peccata incidere me permisit Dominus. b

*4 Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: *conuersus sum in ærumna mea,dum configitur spina.*

4 Per diem enim,pérq; noctẽ assiduè manus tua Domine,ac potestas scelerũ vltrix,me grauiter pressit,immissa mihi graui tribulatione:*ego aũt,dũ sic spina infigeretur mihi,dũ sic me pũgeres aduersitatũ stimulis,per miseriã meã quã immisisti, conuersus sum ad te. c

*4 Delictum meum cognitũ tibi feci. * & iniustitiam meam non abscondi.*

4 Delictum meũ quod prius dissimulauerã,sed iam vexatione dãte intellectũ,aduertere coactus sum tibi per confessionem aperui : & iniustitiam meam,quam admiseram,non iam amplius reticui.

5 Dixi,confitebor aduer-

5 Statui apud me confiteri Domino contra me iniquitatem meã, meipsum accusando,& rerum agnoscendo:*tu aũt,quæ tua magna

sum me iniustitiam meam Domino:
**& tu remisisti impietatē peccati mei.*

est clementia,statim vbi vel confiteri iniquitatē proposuissem, remisisti iniquitatem quam peccato meo admiseram.

6 Pro hac orabit ad te omnis sanctus,
**in tempore opportuno.*

6 Propter hanc rē,quoniam scilicet tam facilis fuisti in remittēdo peccato meo,& tam exorabilē te declarasti, ideo meo exēplo omnis qui sanctitati studet,ad te orationē fundet,*in tempore istius vitæ,quod est opportunū tēpus inueniendi gratiam tuā.†In tempore itē quo te orare opportunum fuerit.Non est enim quisquam,quantumuis sanctus, qui non frequenter peccet, quiq; non debeat pro peccatorum remissione tibi supplicare.

7 Veruntamen in diluuio aquarum multarum.
**ad eum non approximabunt.*

7 Et certè eo quod sic te sanctus continuè orauerit,tibiq; se recōciliauerit, cùm grauissima mala in modum inundantiū aquarū multarum ingruerint,*non poterunt pertingere ad illū non ipsum mala ea simul cū reprobis inuoluent & demergent in nouissimo die.

8 Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me.
** exultatio mea erue me à circundantibus me.*

8 Tu domine vnicus es,ad quē semper cōfugio,à tribulatione quæ me cōprehenderit.*tu qui es gaudiū meum,in quo ob expertā sæpe,& adhuc iam expectatā tuam in me beneuolētiam glorior,libera me à malis,quæ ex omni parte me circumcingunt:ab impiis,qui vndique me oppugnant.

9 Intellectum tibi dabo, & instruam te in uia hac qua gradieris:
** firmabo super te oculos meos.*

9 Ego autē diuina castigatione correctus & edoctus,vobis, quicūque rectè consultū vobis volueritis,si me audieritis,intelligentiam dabo,& docebo vos vitæ rationē quam obseruetis, * & qūo doctu rus aliquem,aut alicui prospecturus intentos in illū habet oculos, ita & ego mea prospectione & cura vobis consulam.

10 Nolite fieri sicut equus & mulus,quibus non est intellectus.

10 Eruditio autē mea est hæc.Vos homines,cùm sitis à Deo intellectu donati,nolite similes fieri equo & mulo,in quibus nō est intellectus.Ne efficiamini similes brutis,viuētes nō secundū rationē,quæ ad optima nititur,sed secundum carnalē appetitum. Nolite ita vos gerere,vt qūo equus & mulus adiguntur ad opera, & infrænantur ad opportuna hominibus officia : ita etiā & vos necesse sit flagellis & afflictionibus cōpelli,ad amplexandum virtutis viam,& obediēdum voluntati Dei:quin potius intellectu vobis donato,expendentes Dei iussa,ac salutem quam adferunt agnoscentes,sponte vestra rectam viam domini currite.

11 In chamo & fræno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te.

11 Quoniam tū Domine multi sunt,qui equis mulisq; indomitis similes tibi nō acquiescūt sed recedunt à te,ideo tu quęso eos afflictionibus & pressuris ita cōstringas,vt vel ad te reuerti cōpellātur, vel saltē à libera malefaciēdi facultatē cohibeātur ad eū modū,quo solent equorum ac mulorū ora chamis & frænis constringi,ne mordendi potestatē habeāt,& vt cogātur obsequi voluntati hominum.

12 Multa flagella peccatoris.
**sperantem autem in Domino misericordia circundabit.*

12 Bene autē monui,ne sitis sicut bruta rationis expertia.Nā multa flagella manent peccatorem,tum in hac vita,tum maximè in futura vita,*qui autem contēptis huius mundi bonis in Domino omnem suam spem collocauerit,hunc Dei misericordia circūcinget,protegens eum ab omni malo, omnibúsq; veris bonis eum cumulatissimè afficiens.

13 Lætamini in Domino, & exultate iusti.
** & gloriamini omnes recti corde.*

13 Proinde vos qui iustitiæ studetis,lætamini & exultate, nō quidē in vobisipsis,sed in Domino, cuius beneficio à flagellis,quę manēt peccatores,liberi eritis,cuiúsq; misericordiam semper cumulatim percipietis:*& ob id gloriamini oēs vos qui recto estis corde, diuinam voluntatē approbantes,& rectitudinē vitę constāter sectantes.

ANNOTATIONES.

a NEC EST IN SPIRITV EIVS DOLVS.]Græca aliter, οὐκ ἐστὶν ἐν στόματι αὐτοῦ δόλος,non est in ore eius dolus, qūo & August. legit.Cæteru Hebræa habēt,spiritu,nec ad sensum multum refert,cùm si dolus non sit in spiritu,nec in ore erit.Videri potest Græca mutata ex 1.Petro,2.qui dicit de Christo:nec est inuentus in ore eius dolus.

b INVETERAVERVNT OSSA.] Cōiter istud sic intelligitur:Vires animæ defecerunt,dū iugiter prædicarē meas virtutes , aut dū assiduè publicè peccare non desisterē.Nā publica peccata,aliqñ clamores dicuntur in scripturis.Atque in hos sensus Gregorius : Qui sensus etsi piissimi sint,& pœnitētibus maximè cōuenientes,tamen proprij nō sunt.Hebręa eñ dictio,pro qua nos habemus,clamarē, ꝓpriè rugire significat. Vnde patet de tali eum clamore loqui,quē infirmitatis aut alterius calamitatis dolor excussit.

c DVM CONFIGITVR SPINA.]Romanū psalteriū habet, Dū cōfringitur spina. Quod exponit Cassiodorus,q illud psalteriū interpretatur,spinā accipit pro eo osse dorsi,qđ hominē erectū sustendat: quo fracto,homo incuruatur. Itaq; metaphoricè per cōfractionem spinæ,intelligit confractionē superbiæ, quę hominē erigit & extollit,quæque per afflictiones frāgitur. Verū hæc lectio & interpretatio non consentit Grecis,quę sic habēt:ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν. i.dum infigitur mihi spina.Nec apud Hebręos spina in hac significatione vnquam accipitur.

IMPIETATEM PECCATI MEI.]Grecis est,Impietatem cordis,qūo & Augustinus legit.

Hebręa tamē habent,vt nos.Dicit aūt impietatem peccati,iniquum suum peccatū,aut iniquitatē peccato admissam. Cùm aūt sequitur : Pro hac orabit,relatiuum.hac,non debet referri ad impietatem,vel remissionē impietatis,sed,quēadmodum suprà dictū est,in illud,vnam petij a Domino:relatiuum,hac,substantiuè accipi debet,pro neutro hoc,vt sit sensus:Ob hanc rem, eo quod scilicet tam facilis fueris in remittēdo.

e VERVNTAMEN,&c.] Pleriq; conātes coniunctionē hanc propriè accipere,sic hūc versum interpretantur,vt relatiuū,eum,Deū referat,& sit sensus : Verūtamen hi qui sunt in diluuio aquarum multarū.i.qui in passionum suarū turbatione demergūtur,aut qui in hæreticorū variis doctrinis fluctuant,ad Deum nō appropinquabunt.Verū Hebręa dictio, quā noster vertit veruntamē,significat etiā,verè & profectò, quo modo hæc dictio in Psalmis frequenter accipi debet:vt Psalmo 38.& 61.qūo etiā hic eam accipi conuenit,vt per aquas multas, intelligātur mala plurima,quemadmodum in scripturis frequenter.Admonuit idem & Euthymius.

f INTELLECTVM TIBI DABO.]Pleriq; hūc versum accipiūt,vt mutata persona,Dauid hic introducat Deum loquentē,vel rñdentē sibi ad id quod versu pręcedēti petiuit, dicens:Erue me à circundantibus me:qūo intelligit Euthymius,vt versu sequenti,Nolite fieri sicut equus, rursum sint verba prophetæ alloquentis hoīes. Alij intelligunt hic Deū alloqui quosuis peccatores p verba versus sequētis,vt & illa sint Dñi verba.Simplicius tñ fuerit sine mutatione personæ,etiam in hoc versu intelligere Prophetā alloqui quosuis hoīes,&versu sequēti admonere quid suo exēplo facere debeāt:quēadmodum habet paraphrasis.Nec obstat illud:firmabo super te oculos meos, qđ in Deū solum cōpetere videtur,qui solus in quęuis oculos suos intētos habere pōt,& quoruuis singularē habere curā. Hebiæis eñ est:Et consulā te oculo meo.Quod nihil aliud est,quā consulam tibi prospectione mea præuidēdo scilicet quid tibi sit vtile,idque tibi suggerendo.Vel est sensus:Nutu meo cōsilium tibi dabo.Quod etiā ad hominē rectè consulentē referri pōt, quemadmodū & nostra lectio:sicut indicat paraphrasis,vt nō significetur aliud,quā bonum me tibi magistrum exhibebo. Nec rursum obstat,quod in hoc versu singulari numero dicitur,Tibi dabo:in sequēti verò pluraliter, Nolite fieri. Huiusmodi enim mutatio numeri frequens est in Psalmis.

MVLTA FLAGELLA PECCATORIS.]
Ex originalibus patet verā lectionē esse per singularem numerū,peccatoris & sperantem,non aūt sperantes in Dño,vt multi legunt,quanquā ad sensum parum referat. Pōt autem hic versus duobus modis intelligi.Priori modo sic : Multa quidem sunt flagella peccatori deputata,qui tamē inter peccatores sperat in Dño,& ob id eius ambit gratiā,hunc misericordia circūdabit, per quam debita ei supplicia remittātur.Altero modo,vt sit inter mēbra huius versus oppositio, & sit sensus:Multa flagella accidunt peccatori,at contrà qui non est peccator,sperat in Dño,atq; ob id se à peccatis studiosè cauet,huic Dei benignitas & misericordia vbiq; aderit & copiosè. Atq; hunc esse veriorē sensum indicat versus sequens,in quo iā iusti & recti corde dicūtur, qui hic vocātur sperātes in Dño.Deinde peccatores ferè non vocat,nisi eos,qui peccare perseuerāt. g

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXII.

Hortatur hic Psalmus,primum quidē iustos ad laudē Dei,ob eius in omnibus uerbis & factis æquitatē,misericordiam,ac potentiam omnium creatricem & insuperabilem,ob quam deinde etiam omnes ad Dei timorē hortatur:beatumq; populū illū prædicat,cui in Deum hic dominus omniū contigerit,tum ob ea quæ de eo dicta sunt, tum ob perfectam scientiam eius & prouidentiam ac custodiam,qua defendit sperātes in se,cuius solius custodia & potentia saluari homo potest.Propter quod nomine Dei spem & fiduciam in illum uir sanctus profitetur,speratāq; misericordiam ac bonitatem eius inuocat.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Exultate iusti in Domino:
** rectos decet collaudatio.*

VOS iusti gaudentes in Domino,laudate eū quos ideo vel solos ad laudandū cum gaudio Dominū adhortor,* quia decētissimum est,vt recti rectum Dominum laudēt,tum quia nō est speciosa laus Dei in ore peccatoris,tum quia recti sicut Dei bonitatē magis perceperunt & agnoscunt,ita magis laudabilem prædicare Dominum debent. *Psal 32*

2 Confitemini domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei.

2 Neq; ore tantum illum laudetis,sed etiā cithara ac psalterio decem chordis tenso,reliquisq; musicis instrumētis adhibitis,tum in lætitiæ euidēs testimonium,tum vt excitent torpentes vestros,aliorúmque animos in lætitiam spiritualem.

3 Cantate ei canticum nouum:
**bene psallite ei in uociferatione.*

3 Qui iam frequēter in honorem eius cecinistis,iā innouate laudē eius,canite ei canticum nouū,qui noua semper nobis exhibet suæ benignitatis indicia,*psallite ei non negligenter,sed quàm optimè ex toto corde,atque cū iubilo ac exaltatione vocis,quæ animi gaudium magnum & alacritatem testetur.

4 Quia rectum est uerbum domini:
**& omnia opera eius in fide.*

4 Ideo autē meritò illū omnibus modis,& ex tota anima laudare cōuenit,quia quicquid loquitur præcipiēdo vel promittēdo, rectū est & æquū.Nihil enim præcipit nisi quod iustū est:nihil promittit quod non sit impleturus:*& omnia quæ facit opera,in fide fiunt & æquitate,fidelia sunt & iusta,respondētia dictis & promissis eius,& in omni fidelitate disposita,ab oī fraude,& omni iniustitia aliena.

5 Diligit misericordiam & iudicium:
* misericordia Domini plena est terra.

5 Diligit misericordiã & iustitiã. Nam & ipse hæc semper obseruat, in omnibus quæ facit operibus hæc duo simul cõmittens, & hæc in hominibus quoq; amat & requirit, vt inter eos vigeant, *misericordia Domini & benignitate eius plena est vniuersa terra. Nihil enim est eorũ quæ viuunt in terra, expers benignitatis eius, nihil item est eorum quæ sunt in mundo, in quo non clarè Dei beneficẽtia refulgeat, cùm inivsum hominis vniuersa sint condita.

6 †Verbo Domini cœli firmati sunt:
* & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

6 Solo iussu domini cœli ab initio ita cõditi sunt, vt firmi sint & stabiles omnis corruptiõis expertes, *& solo imperio ac volũtate eius efficaci factus est omnis cœlorũ exercitus ac militia, hoc est, astrorum multitudo in cœlis ordinatissimè & ornatissimè dispositа, per quã potẽter hæc inferna Dominus gubernat, †per filiũ itẽ suũ, qui verbũ est patris, virtus ac sapiẽtia, omnipotẽs pater cœlos ab initio condidit: & à spiritu sancto, qui à patris procedit substantia, qũo fiatus ab ore procedit spirantis, simul cum patre & filio factus est omnis cœlorum ornatissimus ac potentissimus exercitus.

7 Congregans sicut in utre aquas maris:

7 Ipse solo suo verbo aquas maris in vnũ locum cõgregauit, suisq; terminis & limitibus conclusit, conclusasq; tenet, ad eum modum, quo in vtre pauxillum aquæ cõcluditur ab hominibus & continẽtur. Neq; enim in tam vasto mari minor est, imo maior Dei potẽtia, quàm sit potestas hominis in colligẽdo paululum aquæ in vasculo.

* ponens in thesauris abyssos.

*Ipse quoq; immensas aquarum profunditates in occultis quibusdam locis, & terræ aëriisq; finibus quasi in thesauris repositas: ex quibus etiam aquarũ abundantiã, cum voluerit, educit super terram.

8 Timeat dominum omnis terra.
*ab eo autem commouebũtur omnes qui inhabitant orbẽ.

8 Cùm itaq; tanta sit Dei potentia, timeant eum oẽs qui degũt in terra, eúmq; digno reuereantur honore: *ex consideratione potentiæ eius salubri timore concutiantur, & commoueantur ad reuerentiam eius quotquot inhabitant terram.

9 Quoniam ipse dixit, & facta sunt:

9 Quoniam ipsius tãta est potẽtia, vt sine aliquo labore, sine aliqua tẽporis mora, sine aliquo adiutorio, sola eius volũtate omnia creata sint, & solo eius iussu omnia facta sint, & quicquid vnquam fieri voluit, & præcepit, id continuo ad mandatum eius extirit.

10 Dominus dissipat consilia gentium,
*reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

10 Dominus sua potentia cũ vult dissipat, & à suo effectu impedit consilia gentiũ, quæ frequenter contra dominũ aut populum eius ineunt: *irritas facit cũ vult cogitationes populorum, quantumuis multorum, ac consilia, quantũuis potentissimorum principũ. Neq; enim aut multitudo, aut vis aliqua valet contra dominum.

11 Consilium autem Domini in æternum permanet:
*cogitationes cordis eius in generatione & generationẽ.

11 Id aũt quod sua prouidentia Dominus fieri ordinauit, quamuis pleriq; sint qui impedire conẽtur, semper tamẽ impletur, ac in æternum permanet, *ea quæ facere ipse proponit, fient per omnia sæcula. Neq; enim est sapientia aut potentia aliqua contra dominum.

12 Beata gens, cuius est Dominus Deus eius:
*populus, quem elegit dominus in hæreditatem sibi.

12 Proinde cũ iustissimus, misericordissimus, ac potentissimus, sit dominus, sanè verè fœlix est ea gẽs, quæ pro Deo suo colit solũ hũc dominum, cuiq; hic dominus se Deum exhibet protectorẽ: *beatus ille populus, quẽ ex omnibus gentibus sibi dominus iste elegit in peculium & hæreditariã possessionem, quam tanquã præclarã hæreditatem excolat, ac perpetuò possideat habitans in medio eius. c

13 De cœlo respexit dominus:
*uidit omnes filios hominũ.

13 Accedit ad hæc, ob quæ populum à domino electũ beatum dixi, prouidẽtia & scientia domini, qua quæ in terra ab hominibus fiunt, omnia considerat & cognoscit. Neq; enim, vt pleriq; existimant, circa cardines cœli tãtum perambulat, tantũ cœlestia curans, nec nostra considerãs: sed è cœlo, in quo peculiariter residet, etsi vbiq; sit, respicit dominus in has terras. *Considerat omnes homines tã bonos quam malos, diligenter omnium opera aduertens.

14 De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.

14 De habitaculo suo cœlesti, quod ab ipso præparatum est in regiã, dominus attendit ad omnes qui in habitant terram, habens rationẽ operum eorum, eáque probè cognita habens.

15 Qui finxit sigillatim corda eorum,
*qui intelligit omnia opera eorum.

15 Ille, inquam, vniuersos considerat qui singulorũ corda & animũ formauit, *qui proinde etiã perfectè cognoscit omnia opera eorũ, ita vt non solũ exteriora opera, hominum more, contẽpletur, sed & quo animo cuncta fiãt clarissimè videat, cũ cordis creator intimius cor nostrum prospiciat quam nosipsi. Quæ sanè res fœlicẽ facit Dei populum, meritóq; gaudij & spei in Deum suum materia iustis esse debet, quod intelligant dominum tam potentem & iustum bene sanctorum simul & malefactorum habere rationem.

16 Non saluatur rex per multam uirtutem,
* & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ.

16 Fruſtra enim spes collocatur in quocũq; alio, cùm in nullo alio sit salus. Neq; enim rex maximo instructus exercitu saluatur p multam fortitudinẽ militũ suorum *nec fortissimus quisq; homo saluari poterit propriis viribus, quantumuis hæ multę sint, sed quemcũque

que saluari contigerit, Dei virtute contingit.

17 Fallax equus ad salutem.
* in abundantia autem uirtutis suæ non saluabitur.

17 Equus ipse, in quo pleriq; plurimum confidunt, inter bellãdum res fallax est ad præstandã salutem, siue oppugnãdus sit hostis, siue fugiendus, *per multitudinẽ virtũ suarum non poterit saluari ipsemet equus, quantominus sessor eius qui cõfidit in illo. Simili quoq; modo fruſtra à quibusq; creaturis salus expectatur, quam nec sibiipsis præstare queunt.

18 Ecce oculi domini super metuentes eum,
*& in eis qui sperãt super misericordia eius.

18 Vis autẽ scire vnde salus proueniat? Ecce, dominus diligẽter ac fixè attendit ad eos qui reuerentur illum metuentes eũ offendere, *quiq; spem suã collocant non in creaturis, nõ in propriis meritis, sed in illius benignitate, quos benigno suo aspectu semper aspicit, curam illorum continuam agens.

19 Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

19 Vt liberet eos à morte quam impij illis intentant, & victũ suppeditet eis tempore famis, ac multo magis eos protegat in minoribus malis. Nã & à morte corporali, quã impij hoſes inferre iustis conantur, suos dominus liberare ac quibusuis calamitatibus corporalibus inter quas maxima est fames, remedia adhibere curat, & multo magis studet eos eruere à morte æterna, in quàm inducere nequissimi dæmones molĩũtur, & pascere eos cœlesti suo pabulo, vt & in hac vita habeãt quicquid ad vitã spiritus necessariũ est, cũ interim impij spiritualium bonorũ inopia pereant: & in futuro sæculo, cùm impij affligentur fame æterna, satientur pane vitæ æternæ in aspectu vultus Dei, & inebrienter ab vbertate domus Dei.

20 Anima nostra sustinet Dominum:
*quoniam adiutor & protector noster est.

20 Quoniam igitur tãta cura suis prospicit Dominus, ideo nos Dei cultores patiẽter Dominũ expectamus, liberationẽ à malis quę incidunt, ac promissorum bonorum fœlicitatem cùm secura fiducia præstolantes donec exhibeat. *Ipse enim est, qui nos adiuuat, vt mala quæ incidimus, superemus: ipse nos tanquam scutum quoddam protegit, ne quid intentata ab hostibus mala lædant.

21 Quia in eo lætabitur cor nostrum:
& in nomine sancto eius speranimus.

21 Et certè nõ fruſtra expectamus illũ, sed in illo dabitur nobis aliquando lætari solido ac stabili gaudio, ob id quia spẽ nostrã in sanctissima eius benignitate collocauimus, propter quam spem malis nos eripiens, gaudendi de se materiam præbebit cordibus nostris.

22 Fiat misericordia tua Domine super nos.
* quẽadmodum speranimus in te.

22 Itaq; Domine fiat super nos misericordia tua, à malis eripiẽs, bonisq; cumulatim afficiens, *quemadmodum sperauimus in te, non quo misericordia tua æquiparetur spei nostræ, quã cupimus longè excedi: sed quo ei respondeat, vt quomodo sperauimus venturã super nos misericordiam tuam, ita etiam verè veniat: & sicut sperauimus misericordiam spe nostra maiorem, ita & talem experiamur.

ANNOTATIONES.

a VERBO DOMINI, &c.] Duos indicat paraphrasis sensus. Alterũ simpliciorẽ, iuxta quem idẽ significatur per verbũ Dñi, & spiritũ oris eius, iussus scilicet & imperiũ Dñi, quo oĩa creata sunt in initio. Verbũ em̃ est oris spiritus aërem verberãs. Alterum altiorem, quo per verbum, filius in trinitate significatur: per spiritum verò oris, spiritus sanctus, quẽ spiritum oris rectè appellat, vt ostendat eum eiusdẽ esse substantiæ, cum illo à quo emittitur, & qđ non sit creatus aliundè. Et vtrũq; sensum simul credendum omnino est hic significasse spiritũ sanctũ, quẽadmodum in principio Geneſis, quando verbo omnia creata scribuntur: cum Ioannis 1. omnino ad principiũ Geneſis, & ad hunc locũ respexisse videatur quando per verbum incarnatum oĩa facta scribit in exordio sui euãgelij. Sed priori illo & simpliciori sensu pascit spiritus sanctꝰ in his & similibus locis simpliciores & rudiores, quales sunt Iudæi: posteriori verò perfectiores, quales sunt Christiani. Vt aũt rectè intelligatur quid per virtutẽ cœlorum hoc loco debeat accipi, sciendũ est hic Hebræis esse dictionẽ, quę est in Geneſi ca. 2 ad quẽ locũ hic alluditur, vbi nos legimus: & omnis ornatus eorum, dictionẽ scilicet צבא tſaba: à qua dictione dicimus Deũ Dominũ Sabaoth, pro, quo Septuaginta verterunt, Dominum virtutũ, cùm ea dictio propriè significet militiã aut exercitum. Itaq; simpliciori intelligentia, per virtutẽ cœlorũ, hoc loco significatur tota illa stellarũ innumerabilis multitudo, qua cœlum ornatur, & mundus à Deo regitur, stellis Dei imperio famulãtibus, & veluti sub imperatore militãtibus, quæ nullo numero facilè cõprehendi posse videtur, sicut in exercitu homines: Sublimiori ve ò intelligentia, etiã significatur angelorum multitudo, propter quos potissimum dicitur Deus Dominus virtutũ, qui & ipsi in scripturis dicuntur virtutes, quod sint potentes virtute, ministri Domini ad faciendam voluntatem eius. a

CONGREGANS SICVT IN VTRE AQVAS MARIS.] Græcis nõ est, sicut in vtre, sed ὡς ἀσκὸν, hoc est, sicut vtrẽ, quomodo & legit Diuus Augustinus. Sic Psalm. 77. Græcę lectionis Euthymius varias adfert interpretationes, sed q̃ ferè coincidũt cũ nostra lectione. Hebræa dictio magis aceruũ significat & cumulũ, quàm vtrẽ. Non em̃ est hoc loco נאד Nod, quo videntur legisse Septuaginta, nam hęc significat vtrẽ, sed נֵד Ned, quę dictio significat aceruum, & ponitur eadem dictio Exodi 15. & Iosue 3. vbi de aquis diuisis propter transitum filiorum Israel, & instar acerui eleuatis, & fixe consistẽtibus fit b

mẽtio.Nam vbi nos legimus:Stetit vnda fluẽs: Hebræis est,steterunt sicut aceruus fluenta.Et Iosue 3.vbi nos legimus:Quæ autẽ desuper venient,in vna mole cõsistẽt:pro,in vna mole,Hebræis est,in vno aceruo.Itaq; omnino verisimile est,Dauidẽ hoc loco respexisse ad id quod cõtigit in mari rubro.Nam & de eo dicit Psal.77. Interrupit mare,& pduxit eos,& statuit aquas quasi in vtre.Vbi & Hebręis est eadẽ dictio quę hoc loco,& Græca etiã ibi habent,quasi vtrem. Dicuntur autẽ in mari rubro aquæ constitutæ vel congregatæ instar aceruí, ꝙ in altum essent eleuatæ,& contra naturam suã sint immobiles constitutæ.Idem etiã significatur,cũ dicũtur statutæ quasi vter,quia in altum intumuerũt,conclusæq; steterunt,à suo flexu prohibitæ.Quanquam etiam de aquis maris in genere locus hic accipi possit, iuxta sensum in paraphrasi insinuatum.

c BEATA GENS, CVIVS EST DOMINVS DEVS EIVS.]Malè quidam hãc orationem sic putant ordinandã,vt dictio,Dñs,sit cõstruenda ante verbũ,est:dictio verò,Deus,pòst, in hunc modum,Beata est gens,cuius Dominus est Deus eius.Nã tum ex Græcis,tũ ex Hebręis patet manifeste sic ordinandã orationem:Beata gens,cuius Deus eius est Dominus,hoc est,quę pro suo Deo habet & agnoscit eum,qui est verè omnium Dñs.Nam Græca habent articulũ ad nomen,Deus,non autem ad nomen, dominus, οὗ ἐστὶ κύριος ὁ θεὸς αὐτοῦ. Articulus enim indicat id quod præconstrui debet,& de quo aliquid dicitur.Hebræa autem pro,dominus,habent nomen tetragrammaton,quod proprium est vero Deo,ita vt relatiuũ,cuius nõ possit regi à nomine,Dñs,sed à noïe,Deus.Fefellit eos secundum relatiuum,eius,quod etiã à noïe,Deus, regitur. Sed hoc ex phrasi Hebraica additum est, alioqui superfluum,quod ad sensum attinet.Nã Hebræis est frequens,duo relatiua hoc modo pro vno ponere.Idẽ dicendũ est de ea oratione quæ est in Psalmo 39.Beatus vir,cuius est nomẽ domini spes eius.Et quæ est Psalmo 45.Beatus vir cuius est Deus Iacob adiutor eius.Sensus enim est.Beatus est ille,cuius spes est nomẽ Dñi,&: Beatus est,cuius adiutor est Deus Iacob.Alioq; quæ est gens,cuius dñs non est Deus eius, hoc est,qui non habeat suum dominũ pro Deo suo?

QVIA IN EO LÆTABITVR COR NOSTRVM.] Coniunctio,quia,si accipienda est vt causam designet, referenda est ad illud: d
Anima nostra sustinet dominũ,vt duplex reddatur ratio sustinentiæ.Sustinemus dominũ,quoniam adiutor noster est,& quia in ipso lætabitur cor nostrũ,cum per ipsum à malis liberati fuerimus,quo modo intelligunt Euthymius & Diuus Augustinus.At rectius acceperimus coniunctionẽ,quia,hic sicut & alias qñque positã, non vt causam reddat, sed tantum vt affirmet pro,certè.Nam Hebrea dictio sic sæpe ponitur. Cùm autẽ in membro sequenti legendũ potius sit præteritum,sperauimus,quàm futurũ,sperabimus,(nam originalia habent præteritum)coniũctio,&,videtur accipiẽda causaliter pro, quia. Nam & Hebræa dictio non, &, significat,sed quia,

Psalmus Dauid,cùm mutauit vultum suum coram Abimelech,& dimisit eum,& abiit.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIII.

Motus Dauid ex singulari illo beneficio,quo ipsum Deus,cùm apud Achis regem Philistinorũ (quorum reges Abimelech communi nomine uocabantur) agnitus de uita periclitaretur,non sine miraculo seruauit,Dei erga suos curam & bonitatem in uniuersum prædicat magnificè,omnesq; iustos ad eandẽ prædicandã inuitat,simul ad timorem & innocentiæ studiũ,(quod & docet in quo consistat)adhortans,eo quod qui eo præditi sunt,ex omnibus malis eripiantur,& bonis vniuersis cumulentur.Cuius præclarũ in seipso exemplum cõsiderãdum offert.Diuus Augustinus titulum huius Psalmi, & historiam in eo indicatam doctè simul & piè secundũ mysticũ sensum interpretatur:ut per Dauidem cõmutantem uultum coram Abimelech,intelligatur Christus,qui corã populo Iudaico per Abimelech significato,quia in eo fuit regnum patris sui(interpretatur enim Abimelech,pater meus rex)immutauit uultum suum,ita ut ab eo populo non cognosceretur:siue cum in forma Dei existens,humanam induit naturã:siue cùm sacrificia ueteris legis immutauit in sacrificium corporis & sanguinis sui quod cùm illis sumendum proponeret,pro insano à Iudæis reputatus est,à quibus dimissus,quia agnitus ab eis non fuit,abijt ad Gentes.Itaque hunc Psalmum mysticè accipit,ut sit gratiarum actio Christi,gratias agentis Deo patri pro liberatione de manibus Iudæorum:aut ut sit laus populi fidelis agnoscentis per Christum se ab omni malo liberatum.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

CVM diuino munere euaserim maximũ periculũ,laudabo Dominum in omni tẽpore,assiduè laus eius erit in ore meo, nunquam,cùm oportunum fuerit & congruum,cessabit os meũ à laude eius. Psal. 33. a

2 In Domino laudabitur anima mea:
** audiant mansueti,*
** & lætentur.*

2 In Domino gloriabitur laudando anima mea,*audiãt hoc hi qui ob animi mansuetudinẽ malè à mundo tractantur,quiq; mansueto ac patienti animo aduersa in hoc mundo ferunt,*& simul mecũ lętentur.Gaudeãt,audientes Dei,quem vnicè amant laudẽ, gaudeãt, audientes nunquã à Deo deseri eos,qui se illi committunt,& à mũdo persecutionem ferunt:gaudeant ex fraterna charitate cum gaudente,audientes eũ qui eiusdem est sortis,mirificè à Deo adiutum.

3 Vos

3 Magnificate dominum mecum.
** & exaltemus nomen eius in idipsum.*

3 Vos mansueti,glorificate & laudate mecum cõmunem Dominũ, *extollamus eum laudibus pariter.

4 Exquisiui dominum, & exaudiuit me,& ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

4 Ego enim in tribulationibus cõstitutus,orationibus imploraui auxilium Domini,& pro benignitate sua exaudiuit me & ex omnibus afflictionibus meis liberauit me.

5 Accedite ad eum,& illuminamini.
** & facies vestræ non confundentur.*

5 Proinde etiam vos omnes,quoscunque aliqua premit tribulatio, exemplo meo accedite ad Dominũ eius,implorantes opem,illique vos totos cõmittentes:*quod si feceritis,à benigno eius aspectu & fauore vobis exhibito,tanquã à gratissima luce recreabimini,nec ob frustratã vestrã ab eo expectationẽ pudefiẽt facies vestræ.Assequemini enim qcquid ab eo postulaueritis,qd vel ex me discere potestis.

6 Iste pauper clamauit,& dominus exaudiuit eum.
** & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum.*

6 Ecce enim ego cũ pauper essem & afflictus,omni humano destitutus auxilio,toto affectu inuocaui Dominum,& exaudiuit me,*& ex omnibus tribulationibus meis saluum me fecit. b

7 Immittet Angelus Domini in circuitu timẽtium eum: & eripiet eos.*

7 Per circuitum eorũ qui metuentes Dominum offendere,studiosè curat eius obseruare mandata,angelus à Domino missus sese immittet & diffundet,atq; cũ multitudine militiæ cœlestis velut castra metabitur circum eos,ne possint ad nocendum illis accedere aduersarij:*& ipse pro eis pugnans liberabit eos ab omni malo.

8 Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus
** beatus vir qui sperat in eo.*

8 Sentire in vobisipsis per attentã cõsiderationem,quod Dominus ob suã benignitatem admodum est suauis.Hãc enim benignitatem eius in me & omnibus cultoribus eius aduertere vobis licet, *propter quam certè fœlix est omnis,qui spem suam in eo collocat.

9 Timete dominum omnes sancti eius:
** quoniam non est inopia timentibus eum.*

9 Verũ hæc spes non præsumptuosa esse debet,sed sancto timore Dominum offendẽdi mista,sine quo vera spes non est.Proinde vos oẽs,qui coràm Deo sanctitati studetis,cum spe quam in illum habetis,constanter illũ metuite,sollicitè semper curantes,ne illum offendatis,*quoniam sic metuentibus eum nullius est inopia.

10 † Diuites egerunt,& esurierunt:
** inquirentes autem dominum,non deficient omni bono.*

10 Frequẽter euenit,vt diuites leonibus potẽtia similes,ac leonum more quanta potuerunt vi ab aliis rapiẽtes,ad inopiã redacti sint,& famen passi.†Semper tales etiam cũ maximè abundauerint, esuriũt & egent,nõ contẽti præsentibus,sed semper alia & alia adiicere desiderãtes,& vt in hac vita nũquãvisi sint terrenis bonis egere,inopes tamen sunt verorũ bonorum,& hic,& in futura maximè vita,in qua fortiter esurient & sitient in æternũ:*his autẽ qui per obseruationẽ mandatorum quærunt Domino se cõmendare,nullum vnquã bonũ deficiet.Nam & terrenorum bonorũ quod satis est,Domino suppeditante,habebunt:& spiritualibus,eisque veris bonis ita ditabuntur, etiam in hac vita,vt hæc tueantur & suppleant in eis egestatẽ,si incidat,corporalem,ꝙ sciant per hæc præsentibus contenti esse,abundare,& penuriã pati,omnia possidere,etiam si nihil habeant.In futura autem vita æternorum bonorum locupletissimi erunt. c

11 Venite filij,audite me:
** timorem domini docebo vos.*

11 Cùm itaq; timor & cultus Domini,omnis boni fons sit, quotquot discere cupitis,accedite me,& auscultate mihi,*docebo vos quo pacto verè coli Dominus possit à vobis.

12 Quis est homo qui vult vitam:
** diligit dies videre bonos?*

12 Quis est homo,qui vult in hoc sæculo longæuã ac veram vitam & in futuro vitam perpetuam?*quis est,qui cupit tum in hoc,tum in futuro tempore percipere & experiri dies fœlices?

13 Prohibe linguam tuam à malo:
** & labia tua ne loquãtur dolum.*

13 Quisquis is es,qui ex animo hæc cupis,timore Domini ea consequeris.Hunc autẽ vt quomodo decet,timeas & reuerearis,ante omnia,quoniam & faciles & varij sunt linguæ lapsus,cohibe linguã tuã à maledicentia:* & labia tua cohibe ne loquantur dolum aliquem proximo suo.

14 Declina à malo,& fac bonum:
**† inquire pacem, & persequere eam.*

14 Tum & declina ab omni malo opere,& fac quod bonũ est,hæc enim duo sunt absolutæ iustitiæ partes.*Ad hæc,sollicitè stude,vt cũ omnibus pacẽ habeas,& quoniam varię quotidie inter homines occasiones offensionis incidũt,difficilisq; est pacẽ cum omnibus seruare,totis viribus in hoc incũbas,quãtum in te est,assequaris cũ proximis pacem.Neq; enim satis est facere bonum,& bene viuere,nisi &, quantum in te est,sine proximi viuas offendiculo.† Sed & hoc diligenter tibi curandum,vt cum Deo,atq; etiam cum teipso,sedatis scilicet animi perturbationibus,pacem obtineas.

15 Oculi domini super iustos:
** & aures eius in preces eorum:*

15 Quod si hęc facere studueris bene tibi cõsulueris.Dominus enim benigno suo aspectu respicit eos qui student iustitiæ,curam illorum gerens,eisq; semper prospicere studens,ne quid mali noceat, néue quo bono careant.*Dominus benignum auditum præbet precibus eorum,facilis ad exaudiendum eas.

16 Vultus autem Domini super facientes mala:

16 Respicit quidem etiã Dominus facientes mala,verùm non benigno,sed toruo aspectu indignationis suæ,quo eos aspicit,non vt cu-

 stodi

*vt perdat de terra memoriam eorum.

stodiat,*sed vt suo tempore per mortem inflictã aboleat è terra memoriam eorum.Per mortem quidẽ corporalem,è terra hac corporali:per mortẽ vero æternam,è terra cœlesti,ac sanctorum cõsortio,in quo perditorum hominum nulla erit memoria.

17 *Clamauerunt iusti, & dominus exaudiuit eos:*
& ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos:

17 Ipsa autẽ experientia docet verum esse quod diximus,aures Domini intentas esse in preces iustorum.Quotiescunq; enim iusti afflictionibus pressi clamauerunt ad dominũ,ipse exaudiuit eos, *& ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos,frequenter quidẽ etiã temporali liberatione,semper autem spirituali & æterna,ita sanctos interius in præsenti consolando,vt in tribulationibus non deficiant, aut per mortem omnibus malis exutos,in æternam eos transferẽdo fœlicitatem.

18 *Prope est Dominus his qui tribulati sunt corde:*
humiles spiritu saluabit.

18 Proximè adest dominus iis, qui ob tribulationum magnitudinẽ sunt cõtrito,fractóq; corde,subuenire,illis paratus,*& eos qui afflicto sunt animo saluos faciet ab omnibus malis.

19 *Multæ tribulationes iustorum:*
& de omnibus his liberabit eos dominus.

19 Multæ quidẽ accidunt tribulationes iustis, cum necesse sit omnes qui piè volunt viuere,multiplicem pati persecutionem, * sed de omnibus his tandem liberabit eos dominus,qui non sinet eos afflictionibus vinci aut immorari,sicut continget impiis.

20 *Custodit dominus omnia ossa eorum:*
vnum ex eis non cõteretur.

20 Et quamuis variæ sint iustorum afflictiones,tamen dominus ita custodit animi eorum omnem fortitudinẽ & vires,vt licet continuo allidantur,non tamẽ conterantur vires eorum,custodiẽs frequenter & corporis ossa omnia,vt ne vnum quidẽ ex eis frangatur ab hostibus,totum etiam hominem perdere quærentibus.Quod si autẽ contingat apud homines,iustorum ossa confringi atq; comminui,coram Deo tamen ossa iustorum custodiente,ne vnum quidẽ confractum est:apud quem etiam mortui viuunt,apud quem & omnes capilli capitis iustorum numerati sunt,quorum nullus de capite eorum peribit.Restituet enim eis omnia ossa cum magna gloria,in nouissima resurrectione.

21 *Mors peccatorum pessima:*
& qui oderunt iustum, delinquent.

21 Mors est peccatorum,eáq; admodum misera.Illis mors est deputata,veluti eis propria & debita. Illi enim & hic pro peccatis suis vt in plurimũ mala morte moriuntur,& post hanc vitam ad æternam mortem,quæ sola vera mors est,pertrahentur.*Et qui ob dissimilitudinem vitæ oderunt iustum,quiq; iniustè iustũ persequuntur,hi,domino eos deserennte,semper suis peccatis adiicient peccatum,peccãtes peccato ad mortem:hi à domino vsque in finem peccare permittentur,ita vt æternæ obnoxij fiant damnationi.

22 *Redimet dominus animas seruorum:*
& non delinquent omnes qui sperant in eo.

22 Seruorum autẽ suorum dominus animas redimet à morte, atque omnibus huius vitæ malis:ab omnibus iniquorũ dæmonum insidiis, omniq; peccato,*nec sinet sperantes in se peccare saltem vsq; in finem,ne æternæ fiant damnationi obnoxij.Nam etsi per fragilitatem peccare eos contigerit,eius tamen misericordia,in quam sperant, & à peccato reuocabit,& peccata condonabit.

ANNOTATIONES.

a IN DOMINO LAVDABITVR ANIMA. &c.] Iuxta nostrã & Græcorũ lectionẽ videtur significare propheta,animã suam,hoc est,se laudandum ab hoibus non ob propriam virtutem, sed propter dominum,quod scilicet illũ adiutorẽ habuerit,quemadmodũ exponit Euthymius. At diuersum sensum requirunt Hebræa, quæ hoc loco habent verbum,quod in prima coniugatione significat laudare:at in quarta coniugatione, in qua hic ponitur, significat laudare seipsum, hoc est,iactare seipsum,qđ ferè idẽ est quod gloriari. Vnde oẽs vertunt:In Domino gloriabitur anima mea.Qui sensus optimè conuenit proposito.Agitur eñ hic nõ de propria laude,sed de laude Dei. Itaq; vt verus sensus etiã in nostra habeatur lectione,verbũ,laudabitur,& hoc loco,& aliis locis aliquot accipi debet deponentaliter pro gloriabitur.Sic enim Hebræa requirũt,vt etiã accipietur postea,Psal.63,cũ dicitur:Lætabitur iustus in domino,& sperabit in eo, & laudabuntur oẽs recti corde:Et Psal.62.Laudabũtur omnes qui iurant in eo,Et alioqui qui gloriatur,laudat & iactat seipsum,vt etiã nostra lectio sic accipi possit:Anima mea laudabitur à seipsa in Domino,hoc est, iactabit sese,& fœlicẽ se prędicabit,quod dominum nacta sit protectorem.

IMMITTET ANGELVS DOMINI.] b Pro verbo immittet,Hebræa habẽt verbũ quod significat castrametari,pro quo Septuagintaverterunt verbũ παρεμβαλεῖ,qđ etsi immittere significet,tñ etiam significat castrametari,& in ordinem exercitũ constituere. Vñ vertendũ fuerat, castrametabitur. Idem tñ per nostrã lectionem significabitur,si bene intelligatur. Vñ patet vanam esse interpretationem quorundã sic intelligentium:Angelus Dñi immittet terrorẽ, in circuitu timentium eũ.Magis autem hunc locum corruperunt,qui,quoniam nostra lectio videtur habere incommodũ sensum,legerunt:Immittet Angelum dñs.Legendum enim,vt etiam Diuus Augustinus diligẽter annotauit,Angelus domini.Nec tamen legendum est, immittit, vt apud eum legitur,sed futurum,immittet,cùm Græcis sit παρεμβαλεῖ,futurum scilicet.

Diuites

c DIVITES EGVERVNT.] Pro diuites, Hebræa habent leones vel leũculos.Et est sic iucunda oppositio inter leones,& inquirẽtes dominũ.Significatur enim, leones ad prædã quærendã natos, ciq; auidè inhiãtes,fame & inedia potius perituros,quã vt necessario victu fraudẽtur sic hi q ante omnia dominũ quærũt.Septuaginta intellexerũt per leones significari homines,qui cõquirendis diuitiis per fas & nefas iucũbũt, vnde verterunt,diuites. Nam & tales Psal.9.leonibus propheta cõparat, asserens eos sedere cũ diuitibus.

d MVLTAE TRIBVLATIONES IVSTORVM. Quæ hoc & sequẽti versu in nostra & Græca lectione dicũtur de iustis pluraliter.Hebręa habẽt singulariter de iusto.Quæ etsi generaliter sint de omnibus iustis accipienda,vt rectè verterint Septuaginta pluralem numerũ,tamẽ singulari numero recte intellexerimus hic vsum spiritũ sanctũ,quod respiceret in vnũ illum verè iustũ,dominum nostrum Christum,in quem hi duo versus singulariter quadrant,tũ quod verè eius tribulationes fuerint multę,à quibus tamen omnibus per resurrectionem est liberatus, tum quod eius ossa sint custodita, vt ne vnum quidẽ ex eis sit confractum, etiam in violenta morte, iuxta illud:Os non comminuetis ex eo.

e MORS PECCATORVM,&c.] Græcis non est superlatiuus,sed tantũ positiuus πονηρὸς, hoc est, mala Hebræa autem longè conuenientiorẽ possunt habere sensum in hoc & sequenti versu, in quibus opposita dicũtur de impio & iusto. Possunt enim sic verti : Interficiet impium malitia, & qui oderũt iustũ,desolabuntur. Redimet Dominus animam seruorũ suorũ,& nõ desolabuntur omnes qui sperant in eo.Verbum enim Hebraicum,pro quo nos habemus in vtroq; versu, delinquẽt,significat non solũ peccare, sed etiam deuastari & subuerti.Et Euthymius Græcũ verbum πλημμελήσουσι exponit duobus modis, hoc est,inquit,peccabunt aut periclitabũtur.Et in sequẽti versu. Non peccabũt,inquit,eo quod valida atque constanti spe ad Dominũ ferantur. nec vllum etiam animæ periculũ sustinebunt.Vt autem illud:Mors peccatorum pessima,opponatur priori parti versus sequentis.Redimet dominus animas seruorũ suorũ,à morte scilicet,sicut Hebræa requirunt,& sicut secũda pars secũdæ parti versus sequẽtis opponitur:intelligẽdũ est non hoc significari quod fere intelligitur, nẽpe mortem peccatorum secerni à morte iustorum, quasi significetur horũ mortem esse bonam,illorum esse malam.Sed genitiuus,peccatorũ,intelligendus est regi à subintelligendo verbo,est,nõ à nominatiuo,mors , vt sit hic sensus : Ipsa mors est peccatorum,hoc est,eis à Deo deputata est, eaq; mala,& admodum misera. Sic enim opponitur illi quod sequitur:Redimet dominus animas seruorum suorum. Non enim hoc Psalmo iustis tribuitur mors,sed liberato à morte,sicut & prị dixit:Vt eruat à morte animas eorum.

In finem, Psalmus Ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIIII.

PRopheta Dauid iniustam ab hostibus suis persecutionem perpetiens,Deum hoc Psalmo inuocat, vt se contra eos pugnet atque pro se secundum iustitiam suam iudicet eos, vt & ipse de mane illorum liberetur, & illis in ea incidant mala, quæ inferre parauerunt: quæ vt impetret, inimicorum suorum in se iniustitiam, suam verò in illos non solum innocentiam,sed etiam charitatem Deo proponit, simul & gratiarum actionem ac laudem Dei pro adepta liberatione promittens. Secundum mysticum autem sensum accipiendus est hic Psalmus,vt sit oratio Christi,per Dauidem in persecutionibus eius præfigurati,suam à Iudæis liberationem,Iudæorumq; vltionem secundum iustum Dei iudicium expetentis,siue potius prædicentis. Exemplo autem & Christi & Dauidis etiam cuilibet iusto competit,precari volenti liberationem ab hoctibus quos habet,siue visibiles,siue inuisibiles.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

a 1 *Iudica domine nocentes me,* *expugna impugnantes me.*

IVdex omnium Domine,iusta iudicans, fac in his qui iniustè mihi nocere quærunt,iustum iudicium,* oppugna eos qui malitiosè me impugnare præsumunt. *Psal.34.*

2 *Apprehende arma & scutum:*

b

2 Quomodo solet pro aliquo pugnaturus arma arripere & scutum, & sic demum exurgere,vt alium adiuuet: ita & tu pro salute mea, & in auxilium meum vtere armis tuæ fortitudinis, quæ iam aliquandiu deposuisse videris tanquam scuto quodam me protegas à malis,quæ intentant hostes, * tẽque mihi exhibe in adiutorem, qui viribus longè impar sum hostibus meis.

* *& exurge in adiutorium mihi.*

3 *Effunde phrameam,*

3 Quomodo pugnaturus non scuto tantum se munit contra hostium tela,sed & gladium effundit & eximit è vagina quo hostẽ impetat:ita & tu Domine pro me pugnaturus, non tantum me ab hostium sagittis custodias,sed & cõtra hostes meos euagina gladium vltionis tuæ, exerce in eos iustitiæ tuæ seueritatem, quam tãquam conclusum in vagina gladiũ,seruare videris,quandiu differs facere iudicium:* conclude viam contra persequentes me interclude ac prepedi opportunitatẽ lædẽdi me,* interiori tua inspiratione promitte animæ meæ te allaturum ei salutẽ, † fac quoque anima mea cognoscat ipsa experientia,te esse saluatorem eius.

* *& conclude aduersus eos qui tribulant me:*
* † *dic animæ meæ, salus tua ego sum.*

4 *Confundantur & reueareantur quærentes animam meam,*

4 Te pro me pugnante, méque saluante, quotquot quærunt auferre mihi vitam, confundantur & pudore afficiantur, frustrati nimirum suis conatibus.

5 *Auertentur retrorsum et*

5 Fac vt te defendẽte terga vertere,réq; infecta discedere, atq; à

confundantur cogitãtes mihi malæ.
6 *Fiant tãquam puluis ante faciem venti,*
* *& angelus Domini coarctans eos.*

7 *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum:*
* *& angelus domini perſequens eos.*

8 *Quoniam gratis abſconderunt mihi interitũ laquei ſui,*
* *ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.*
9 *Veniat illi laqueus quem ignorat:* & captio quã abſcondit apprehendat eum & in laqueum cadat in ipſum.*

10 *Anima autẽ mea exultabit in domino,* & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.*
11 *Omnia oſſa mea dicent:*
* *Domine quis ſimilis tibi?*

12 *Eripiens inopem de manu fortiorum eius:*
* *egenum & pauperem à diripientibus eum.*
13 *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabant interrogabant me,*

14 *Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ.*
15 *Ego autẽ cũ mihi molesti eſſent, induebar cilicio.*

16 *Humiliabam in ieiunio animam meam:*
* *& oratio mea in ſinu meo conuertetur.*
17 *Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam:*
* *quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.*

18 *Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt:*
* *congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.*

cœpto deſiſtere cogantur, ſicque coram omnibus pudefiant, quòtquot cogitant mihi malum inferre.
6 Quemadmodũ puluis à vẽto facilè raptatur & diſpergitur, nec vllimpetus eius reſiſtere valet: ita & ipſi à te diſpergãtur, nec aliquã ſinas habeant fortitudinẽ ad perficiendũ quæ moliuntur,* & angelus à Domino in auxiliũ mihi miſſus, ſic coarctans eos, & ad fugã impellẽs, vt cogãtur cœpta relinquere, nec valeãt propoſita perficere.
7 Viæ, per quas fugiẽdũ illis erit, fiãt tenebroſæ & lubricæ, hoc eſt, nec videant quo ſit eis eundẽ, nec detur illis cõmodè effugere poſſe:* & angel⁹ Domini velociſſimus inſequatur eos, iuſtã de eis ſumpturus vltionẽ. † Et quomodo leuiſſimus puluis flatu ventorum huc illũcq; diſpellitur, ita & ipſi angelo exagitante eos, variis paſſionum ſuarum impulſibus huc illũcq; impellantur, nulla certa ſequentes conſilia, ſed cõtinuò de malo in malum præcipitati, omnes illorũ rationes tenebroſæ ſint & lubricæ, nihil videãt quod vtiliter ſit ſequẽdum, nihil inſtituant quod firmũ ſit, ſed ſuis ipſi rationibus & conſiliis, quaſi palpitantes in tenebris, ac in lubrica via hærentes cadant.
8 Ipſi enim ſine vlla cauſa, & præter omne meum meritũ occultè mihi parauerunt perditionem, in quam ſuis inſidiis, tanquã laqueis quibuſdam, me conati ſunt inuoluere, quomodo venatores clã diſpoſitis laqueis parant feris interitum,* ſine cauſa opprobrio me affecerunt, falſa de me loquentes in vituperium mei.
9 Et quoniam inopinato malo iniuſtè perdere me conantur, obueniat Dei iuſto iudicio vnicuique illorum inexpectata calamitas, qua ſic inuoluantur, vt ſe extricare nequeant,* & illud rete ac malum, quod clam parauerunt mihi, eos irretiat, incidant in eandem ipſam perniciem, in quam me pertrahere machinati ſunt, eóque malo, quod mihi intentauerunt, ipſimet pereant.
10 Hanc vbi de hoſtibus meis iuſtã vltionem ſumpſerit Dominus, cum mei liberatione tũ ex animo gaudebo in Domino, cuius beneficio ſeruatus ero:* & delectabor de ſalute eius mihi ab eo præſtita.
11 Non ego ingratus ero, nec ad percepta beneficia ſtupidus, ſed ex incõparabilis tuæ bonitatis admiratione, omne corpus & totam animam peruadente, & ad laudẽ tui accendente, ego ex omnibus intimis meis, omnibũſq; viribus dicam: * Domine quis tibi in bonitate, potentia, reliquiſque perfectionibus vſquam ſimilis eſt?
12 Tibi, inquam, quis eſt ſimilis, qui per immenſam tuã bonitatem & potentiam liberas eum, qui omni humano deſtitutus eſt auxilio, de violentia eorum qui viribus ſunt ſuperiores eo? * indigentem ope & afflictum liberas ab his qui eum diripere ſtudent.
13 Hanc autẽ vt de tua ope & ſalute exultationẽ magis præſtes, audi amplius hoſtium meorum in me iuſtitiam & ingratitudinẽ. Conſurgentes cõtra me homines, cõtra me falſum proferentes teſtimoniũ, interrogabãt me quorũ mihi nó erã conſcius, ſiue quia ex propria cõfeſſione, excogitata de me malã elicere ſatagebãt, ſiue quia cũ ſubſannatione & deriſu obiicebãt, & interrogando aſſeuerabãt.
14 Pro bonis à me in eos collatis retribuebãt mihi mala, retribuere mihi conati ſunt omniũ rerũ orbitatem & deſolationẽ, *vt rebus meis exutus nullum iam haberem amicum: nullúmq; patronum.
15 Ego autem, cùm mihi ſuis iniuriis moleſti eſſent, non viciſſim a
illis moleſtus fui, nec malum quid illis precatus ſum, ſed cõtrà pro veſtimento induebar cilicio, lugentium indumento, lugentis habitum mihi ſumpſi: deplorans illorum prauitatem.
16 Ob ſummũ animi mei de eorum malitia mœrorem, & propter impetrandam á te mentem in eis meliorem, ego meipſum afflige- b
bam ieiunio:* & oratio mea, quam pro illis fudi ad Dominum, talis fuit, vt cupiam eam conuerti in ſinum meum, & in meipſum, à quo egreſſa eſt, hoc eſt, vt velim ea mihi euenire: atque in ſinum meum (in quo donata recipimus) refundi quæ illis precatus ſum.
17 Sic me placidè & manſuetè geſſi ad vnumquemque eorum, c
quaſi ad amicum & fratrem meum. Ita omnibus placere ſtudui quaſi amicis & fratribus meis,* ſic affligebar ob eorum malitiam, quemadmodum qui ſerio lugent & contriſtantur ob amicorum ſuorum chariſſimorum mortem.
18 Ipſi verò non indoluerunt malis meis, ſed econtrà cùm aduerſum aliquid mihi accidiſſet, contra me lætati ſunt, immo & ipſi ſimul congregati ſunt contra me, vt de inferendo mihi malo inter ſe conſultarent: * congregati inquam, ſunt contra me homines me flagellare ſtudentes, ego autem eorum contra me inita conſilia ignoraui.

19 † *Diſſipati ſunt, nec compuncti:* & tentauerũt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.*

20 *Domine quãdo reſpicies, reſtitue animam meam à malignitate eorum:* a leonibus vnicam meam.*
21 *Confitebor tibi in eccleſia magna, * in populo graui laudabo te.*
22 *Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi inique, * qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.*
23 *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, * & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.*
24 *Et dilatauerunt ſuper me os ſuum: * dixerunt: Euge euge viderũt oculi noſtri.*

25 *Vidiſti Domine, * ne ſileas: * Domine ne diſcedas à me.*

26 *Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus, & dominus meus in cauſam meã.*

27 *Iudica me ſecundũ iuſtitiã tuã Domine Deus meus, * et non ſupergaudeãt mihi.*
28 *Non dicant in cordibus ſuis, euge euge animæ noſtræ *nec dicãt, deuorauimus eũ.*
29 *Erubeſcant et reuereantur ſimul, * qui gratulantur malis meis.*
30 *Induantur confuſione et reuerentia, * qui magna loquuntur ſuper me.*
31 *Exultent et lætentur qui volũt iuſtitiã meã: * et dicãt ſemper magnificetur Dominus, qui volũt pacẽ ſerui eius.*
23 *Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, * tota die laudem tuam.*

Aut etiam ſi ſcirem, ſic me geſſi quaſi ignorarem, nihil de vindicta cogitans, nihil ad vindicandum moliens.
19 Diſſecti ſunt in cordibus ſuis, atque in diuerſa ſuis cogitationibus diſtracti quærentes varia conſilia, & modos diuerſos, quibus me affligerent. † Diſſecti item ſunt in ore ſuo, liberè labia ſua laxantes, in accuſationem & deriſionem mei, nec ſunt compũcti corde, vt aliquando à maledicentia & deriſu ſilerent, * variis modis me vexauerunt, ſuis ſubſannationibus & irriſionibus me deriſerunt, inſuper & præ nimia indignatione & ira frenduerũt dentibus ſuis ſuper me, auidi nimirum vt me deuorarent.
20 Domine quando tandẽ declarabis te hæc videre in priſtinam quæſo ſecuritatem reſtitue animam meã, liberatam ab illorũ peruerſitate, * eámque iã ab omnibus deſertã libera ab iis qui leonina feritate contra me frendent, & deuorare animam meam conantur.
21 Id vbi feceris, tuam bonitatem prædicabo, ídque in magna hominum frequentia * in populo multo & magno laudabo te.
22 Non ſinas mi Domine, vt ſuper me & perditione mea, quam quærunt, gaudeant hi qui iniuſtè me perſequuntur, * qui præter omne meum meritum oderunt me, & nihilominus exteriori geſtu c
pacem mecum ſimulant, oculis mihi, vt ſolent amici, annuentes.
23 Quoniam mihi aliquando præſentes loquebantur amicè, ne eorum prauitatem aduerterem: * verum interim dum loquerentur, ſic mihi per terrenam & peſſimam iram, quam contra me occultè gerebant, voluebant in cordibus ſuis contra me dolos.
24 Et cùm prius pacem verbis ſimularent, & iram occultam preſſis labiis in animo ſeruarent vbi iam multa mala me vndique premerent, os ſuum in latitudine aperuerunt contra me, * effuſóque ore cum gaudio dixerunt ſibi mutuo: Optimè, optimè iam ſeſe res habet viderunt tandem oculi noſtri quæ deſideratiumus.
25 O Domine vniuerſorũ, vtcunque hactenus viſus ſis non videre quę iniquè paſſus ſum, ſcio tamẽ te ea vidiſſe qui omnia vides. *Ne itaque pro tua iuſtitia & miſericordia ceſſes iuſtũ exercere iudiciũ, vindicãdo me ab eorũ iniuriis: *Domine qui ſemper mihi adfuiſti, & fauorẽ tuũ mihi exhibuiſti, ne quæſo iã elongeris à me fauorem tuum & auxiliũ tuũ mihi ſubſtrahendo. Ceſſante enim erga me tutela tuã, neceſſe eſt me perire, cùm nullus alius ſit mihi adiutor.
26 Qui præualentibus mihi impiis, viſus es aliquandiu mihi dormire iam tandem te profer, & oſtende te ô Deus meus habere rationem iudicij mei & cauſæ meæ mi Domine, cui me totum commiſi, à quo totus pendeo.
27 Fac pro me iudicium Domine Deus meus ſecundum iuſtitiam tuam, * nec permittas vt inimici mei compotes voti ſui lætentur ſuper me.
28 Fac ne habeant cur dicant in cordibus ſuis: iam bene, bene eſt animæ noſtræ, iam lætitia & exultatio ſit animæ noſtræ, cui euenit quod optabat. * Fac ne dicere iactantes poſſint: Iam eum deuorauimus, & penitus perdidimus.
29 Erubeſcant potius & pudefiant fruſtrati ſpe ſua omnes pariter, g
* qui gaudẽt calamitatibus meis, & voluptatẽ capiũt ex malis meis. i
30 Inuoluantur & operiantur confuſione & pudore, * qui ſuperbè loquuntur contra me mala, quę mihi ſe gloriantur illaturos grauia.
31 Illi autẽ qui amant meã innocẽtiã, & quibus beneplacitũ eſt in mea iuſtitia, fac Domine vt exultẽt & lætẽtur: & qui volunt pacem ac ſaluté ſerui tui, * fac Domine vt ſemper dicere poſſint: Domin⁹, qui iuſtorũ rationẽ habet eóſque ab impiis liberat, ab omnibus magnus reputetur, manificéque prædicetur ob ſuã bonitatẽ & iuſtitiã.
32 Hæc vbi mi Domine præſtiteris, lingua mea ex meditabundo corde loquetur, & aſſiduè prædicabit iuſtitiam tuam, quam in me exhibuiſti, reſpondendo promiſſis tuis, & iniuſtè oppreſſum vindicando: * iugiter lingua mea voluet & perſonabit laudem tuam.

ANNOTATIONES

a DOMINE QVIS SIMILIS TIBI?] Græca nũc habẽt per geminationẽ: Domine, domine, quis ſimilis tibi? At Hebræa tãtum habẽt: Domine quis ſimilis tibi, ſicut & diuus Auguſti. habet, vt ne quis putet addẽdũ, ſecũdũ Domine.

INDVEBAR CILICIO.] Plerique ſic intelligunt hunc locum, vt hãc humiliationem intelligatur b
propheta aſſumpſiſſe pro ſeipſo, ad deprecãdam ſcilicet moleſtiam quam patiebatur. Verum ex Hebræis patet accipiẽdũ de humiliatione, quam aſſumpſit

aſſumpſit pro inimicis ſuis quorum malitiã miſeratus eſt. Nam illa habent: ego autẽ in infirmitate eorum, &c. Pro cilicio, Hebræis eſt שַׂק Sac, & Græcis σάκκον, vt mirum ſit Latinum potius vertiſſe cilicium quàm ſaccum.

c ET ORATIO MEA IN SINV MEO CONVERTETVR.] Magis vertendũ fuerat, in ſinũ, cùm conſtruatur cum verbo motus ad locum, & Græcis ſit, εἰς κόλπον μȣ, ſicut & Hebręis eſt, ad ſinum meum. Cùm autem variè admodũ hæc oratio à diuerſis àccipiatur, præter intelligentiam in paraphraſi indicatam, iuxta quã verbum, cõuertetur, pro optatiuo, conuertatur, oportet exponere, poteſt & ſic accipi, vt ſignificetur, orationẽ iuſti pro impiis fuſam, etſi à Deo, ad quem mittitur, non redeat cum fructu ad ipſos impios, ſed fruſtra, quod ad ipſos attinet, emiſſa ſit: rediturã tamen cum fructu ad ipſum qui orat, quod ille percepturus ſit Dei beneficia, quemadmodũ Dominus in euangelio dicit: Pacem domui indignæ imprecatam redituram ad eos qui eã imprecati ſunt. Sunt qui vertunt: Et precatio mea ſuper ſinum meum verſa eſt: intelliguntq; ſimili ratione iſtud dici, quali Latinis dicitur, gaudere in ſinu, is qui arcano & interiore gaudio contentus eſt. Ita enim in ſinu flere & precari aptè dicitur, qui ſuas lacrymas & preces in aera non ſpargit ad captandum hominum gratiam, ſed contentus vno Deo teſte, affectus ſuos apud ſe cõtinet. Itaque ſenſus erit: orationem meam apud me iterabam, & frequenter repetebam.

d QVASI PROXIMVM, &c.] Quidam etiam Gręci codices habent accuſatiuos, verũ emendatiores habẽt datiuos ὡς πλησίον, καὶ ὡς ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, &c. vbi πλησίον, aduerbium eſt poſitum loco datiui, quod fortaſſis impoſuit interpreti. Paraphraſis autẽ indicat duobus modis orationis incommoditati ſubueniri poſſe, vt aut ſubintelligatur ad accuſatiuos præpoſitio, ad, aut accuſatiui per antiptoſin accipiantur poſiti pro datiuis.

e ANNVVNT OCVLIS.] Plerique nutũ hũc oculorũ accipiunt, vt ſit ſignũ gaudii, quo inimici ſeſe mutuò in malis alterius concitarunt, ad gaudendum & ridendum. Verũ alias hæc oratio in ſcripturis accipi ſolet, pro eo quod eſt, fraudulenter cum aliquo pacem ſimulare, vt Prouer. 6. homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, prauo corde machinatur malum. & Prouerb. 10. Qui annuit oculo, dabit dolorẽ, & ſtultus labiis verberabitur. Vbi quem intelligat annuere oculo, patet ex præcedenti verſu: Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit. Videtur igitur annuentem oculo, opponere ei qui ambulat ſimpliciter. Et manifeſtius Eccleſiaſtici 27. Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiiciet. In conſpectu oculorũ tuorum condulcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur. Nouiſſimè autẽ peruertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum, &c.

f ET IN IRACVNDIA TERRÆ LOQVENTES.] Apud Græcos non ſunt hę duæ dictiones, terræ loquẽtes: ſed tantũ habent, Et in ira dolos cogitabant. Vnde & Auguſtinus legit, Et ſuper iram doloſe cogitabant. Non ſunt tamẽ hæc verba delenda, quia eis reſpondent quædam in Hebræis, Quæ ſic vertit Diuus Hieronymus: Et in rapina terræ, verba fraudulenta concinnant.

g EVGE EVGE.] Apud Hebræos ponitur interiectio, heah heah, pro qua Latini dicunt, vah vah, quod diligenter notandum eſt, nam ea interiectione vſi ſunt Scribæ & Phariſæi, gloriantes contra Chriſtum in cruce pendentem.

h NEC DICANT, DEVORAVIMVS EVM. Vera lectio eſt, deuorauimus, nõ, vt multi legũt, deuorabimus. Græcis enim eſt κατεπίομεν. Vnde & Auguſtinus legit, abſorbuimus eum.

i QVI MALIGNA LOQVVNTVR.] Græca habent μεγαλοῤῥημονοῦντες, hoc eſt, magna loquentes, & Hebræa habent, qui magnificantur ſuper me. Vnde omnino certum eſt vitio ſcriptoris alicuius in codicibus noſtris legi, maligna, pro magna. Certè Pſalterium Romanum habet, magna. Sic & codices Latini iam impreſſi ex codicibus antiquiſſimis ſcriptis. Participium enim hoc loco poſitum deriuatur ab eo verbo quod mox Pſal. 37. vertit, ſuper me magna locuti ſunt.

In finem pro octaua Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXV.

COmmittit hoc Pſalmo inter ſe propheta duas res diuerſiſſimas, impiorũ ſcilicet peruerſitatẽ, & Dei effuſiſſimã in omnia bonitatẽ, quæ ſuo contrario cõparata magis eluceſcit. Itaq; primũ deſcribit cogitationes & facta impiorũ: deinde ſummopere admiratur Dei in omnia bonitatẽ, quã etiam impiis non claudit, quãuis eorũ impietas maxima ſit: Poſtea canit, quõ eam peculiari ratione præ aliis percipiant electi in Deo ſperãtes, & orat vt Deus ſe agnoſcentibus prolixius benefaciat, ipſumq; tueatur à violentia ſceleratorum, quorum ſimul caſum & interitum prædicit.

PARAPHRASIS.

*1 Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo: * non eſt timor Dei ante oculos eius:*

VIR iniquus in corde ſuo cogitauit vt peccaret, ex electione & propoſito iniqua agere decreuit, ſemper aut crebrò ſecũ voluens quomodo iniquitatem ſuam perpetret: *idque ideo, quia ante oculos mentis eius non verſatur timor Dei, non cogitat Deũ ſibi metuendum eſſe, quem aut non eſſe ſibi perſuadet, aut non habere rationem humanorum actuum, & proinde non vindicaturũ, hominum peccata cogitat. Pſ. 35.

*2 † Quoniam doloſè egit in conſpectu eius: *vt inueniatur iniquitas eius ad odium.*

2 Et quidẽ nullo eũ Dei timore teneri hinc patet, quoniã coram Deo, qui omnia videt, nõ veritus eſt doloſè agere cũ proximo ſuo: †Sed & ſecum doloſè egit: dum ſimulat ſe quęrere Deum, eiq; velle placere: verum non ex animo, nec verè, *ita vt à Deo deprehẽdatur iniquitas eius odio extremo eſſe digna.

*3 Verba oris eius iniquitas & dolus, *noluit intelligere vt bene ageret.*

3 Quicquid loquitur, iniquitate & fraude plenũ eſt: non ſolũ ignorauit bene agere, *ſed etiã noluit habere intelligẽtiã ad bene agendum, ſpernens quẽuis monitorem & eruditorem, ac mẽtem ſuam à conſide

ratione iuſtitiæ & veritatis auertens.

*4 Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: * aſtitit omni viæ nõ bonæ, malitiam autem nõ odiuit.*

4 Noctu in lecto ſuo, cùm animus vacãs ad ſe redire merito deberet, tempuſq; admonet cogitare meliora, ipſe contra ſecũ cogitat, quomodo interdiu quouſq; afficiat iniuria: *aſtitit omnib. inſtitutis nõ bonis, paratus ea ſequi & pficere, nullũ malitiæ genus auerſatur.

5 † Domine in cœlo miſericordia tua:

5 Cùm autẽ tanta ſit in hominibus improbitas, infinitis tamẽ partibus amplior eſt bonitas tua Domine, quæ collata cũ hominũ malitia maximà relucet, & eo quidem magis, quòd eam etiam impiis communẽ facis, quos & multis afficis beneficiis, & lenitate ſumma ad pœnitentiã toleras quæ certè tua bonitas cõtra impiorum iniquitatẽ me ſummopere conſolatur. † Tua etiã domine miſericordia lõgiſſimè latiſſiméq; patet, ita vt ab infimis terris vſq; in cœlum pertingat, nec aliquid cœlorũ ambitu contineatur, quod nõ ſit benignitatis tuæ particeps:

** & veritas tua vſque ad nubes.*

* fidelitas tua promiſſis & propoſito tuo conſtanter reſpondens à terris vſque ad nubes protenditur diffuſa ſuper omnia. † Altior etiam eſt tua bonitas & conſtantia, quàm vt ab hominibus comprehendi valeat.

*6 Iuſtitia tua ſicut montes Dei, * iudicia tua abyſſus multa.*

6 Iuſtitia tua æquat, imo ſuperat mõtes excelſiſſimos, incomprehenſibilis ab hominibus, * iudicia tua, ſecundũ quæ cuncta diſpẽſas, adeo ſunt profunda, & inſcrutabilia, vt ab humano intellectu penetrari nequeant, quemadmodum immenſa aquarum profunditas, cuius fundus cognoſci non poteſt. d

7 † Homines & iumenta ſaluabis Domine:

7 Tu domine tua bonitate homines ſimul & pecora, bonos ſimul & malos ſeruas & ſuſtẽtas, vitã, victũ, & ſanitatem eis ſuppeditas, & cõtinua generatione hominũ & beſtiarũ omniũ ſpecies cõſeruas. † Tu etiã ſecundũ immenſam tuam, & occulta tua iudicia, nõ eos tãtũ ęterna ſalute ſaluabis, qui vt verè homines rationabiliter viuũt, ſed & eos qui rationis expertes irrationabiliũ inſtar degũt, non Iudæos tantũ, ſed & Gẽtiles idololatras ſaluos facies.

** quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.*

* Propter quod merito exclamare libet: O quãtũ Deus miſericordiã tuã multiplicaſti, quã in omnes effudiſti, homines ſimul & pecora, bonos ſimul & malos, ô quàm multam & magnam feciſti eam à nobis haberi.

8 Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

8 Propter quam tuã immenſam bonitatem homines, ſoli ratione præditi inter omnia animalia, ſeſe ſumma fiducia committent tuæ tutelæ, ſpémq; ſuam conſtituent in protectione tua, qua eos ita foueas, & cuſtodias, vt ſub vmbra alarum matris, pulli diligenter fouentur & cuſtodiuntur.

9 Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ:

9 Hoc qui fecerint, nõ modó tẽporaria huius vitæ ſalute communi hominibus cũ brutis donabũtur, ſed etiã in præſenti ſæculo guſtum quendã cœleſtium bonorũ percipiẽt, per ſpiritum tuum ſanctũ diffuſum in cordibus eorũ,

** & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

*cuius ſpiritalibus donis quaſi riuulis quibuſdã è pleno tuo flumine deriuatis, varias menti voluptates afferẽtibus, tũ eorum mentẽ ita potabis & reficies, vt nihil mundanarum rerũ magnopere concupiſcãt aut requirãt. Verùm in futuro ſæculo cùm in cœleſtem tuam domum recepti fuerint, iam verè abundantiſſima omniũ bonorũ cœleſtium plenitudine ſaturabuntur, & inebriabuntur tunc fruitione & viſione perfecta, quaſi pleno flumine cum impetu indeſinẽter fluente, ſecumq; iugi fluxu varias nouáſq; ſemper adducẽte delitias ita eos potabis & reficies, vt omnium malorum obliti & expertes, nihil omnino amplius deſiderẽt, nec ſitiant in æternum ſemper ſaturi ſine faſtidio.

10 Quoniam apud te eſt fons vitæ.

10 Nõ enim in hoc mũdo, ſed apud te in cœleſti tua habitatione eſt fons vitæ veræ, vitæ ſcilicet perennis & fœlicis. Nã ea quã hic viuimus in terris vita, nõ tam vita, quàm mors quædam cõtinua eſt. Tu ipſe fons es & origo vitæ veræ, ex quo quidẽ nunc profluit ſperãtibus in te vita ſpiritus & mẽtis. Verùm cùm eis ex hoc mũdo libera tis dabitur apud te agere in domo tua, tũ ex fonte tuo anguſtiſſimo hauriẽt vitã ſempiternã, quæ cũ fœliciſſima ſit futura, ppetuã ſatietatem ac voluptatẽ afferat eis neceſſe eſt.

** & in lumine tuo videbimus lumen.*

*Tũc certè nos quotquot hic in te ſperamus, per lumẽ tuũ, quod à te diffundes ſuper nos depulſis omnib. huius mũdi tenebris, clarè perſpicuéq; videbimus verum lumen, quod nullas omnino patitur tenebras, tũc clariſſimam pulcherrimámque ſummi boni faciẽ coram intuebimur, tunc liberati ab omnibus afflictionum tenebris fœlicitatem veram & ſolidã cõſequemur. In lumine enim ſolari huius mũdi, aut lumine mũdanæ ſapientiæ non cernitur verum ac purũ lumen, ſed tantũ per lucem tuã diuinam, quæ mentibus piorum etiam hic in terris ſuos radios infundens, lumen verum videre eos facit, ſed per ſpeculũ & in ænigmate,

10 Prætende domine misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde.
11 Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.*
12 Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem:
** expulsi sunt, nec potuerũt stare.*

ænigmate,& quasi per caliginem,& nubes.
10 Interim Domine, dum in hac vita misera fragilíque versamur, misericordiam tuam & iustitiam,quam omnibus exhibes,extende, prolixiúsque ac profluentius exhibe iis qui te verè agnoscunt,quique recto sunt corde.
11 Ne quæso Domine sinas vt perueniat vsque ad me pedibus suis superbus, nec me eius violentia opprimat, * nec sinas vt me loco meo moueat,aut deiiciat impiorum ferox manus & potestas.
12 Redundant enim iam omnia superbis & violentis hominibus, qui contemptis Domini mandatis,non verentur insontes obruere. Verùm quàm volent crudeliter molestét bonos, en locum aspicio, vbi iam iámque è fœlicitatis & dignitatis suæ statu cadent: * expellentur,nec poterunt vlla ratione consistere,deiecti à cóspectu Dei in tenebras extremas.

ANNOTATIONES.

a VT INVENIATVR, &c.) Græca habent infinitiuos actiuos.ἐυρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτῦ, καὶ μισῆσαι,hoc est,vt inueniret iniquitatem eius vel suã,& odisset. Quæ lectio etsi in eo sensu accipi posset,quẽ habet paraphrasis,si suppositum verborũ accipiatur,Deus,& legatur, iniquitatẽ eius. Augustamẽ,qui legit:vt inueniret iniquitatẽ suã,& odiret:intelligit peccatorẽ dolosè egisse hac in re,vt scilicet ipse peccator inueniret iniquitatẽ propriã,& deinde eã odiret,hoc est,non ex animo,nec simpliciter inquisiuisse iniquitatẽ suã,vt inuẽtam odiret,sed in ea re fallaciter sese gessisse,quãdoquidẽ inuẽtã iniquitatẽ nõ odire, sed excusare studuit. Ita etiam ferè Euthymius Græcus interpres.In quo sensu etiã nostra lectio accipi potest, si intelligatur impiũ dolosè agere in eo,vt à se deprehẽdatur iniquitas eius.At sensus paraphrasis magis cõuenit cum Hebræo, & cum his quæ sequuntur.

b SICVT MONTES DEI.]Mõtes Dei phrasi Hebraica vocat montes altissimos. Nã quicquid eximium,magnum & præstans est,id Hebræi dicunt esse Dei.Sic postea dicit cedros Dei.

c QVEMADMODVM MVLTIPLICASTI.] Pro,quẽadmodum,vel,vt legit D.Augustinus,sicut,Græcis est ὡς, quæ dictio etsi sit sæpe particula cõparationis,est tamẽ etiam sæpe particula admirationis,idẽ valens quod quàm,vel quantũ. Atque hoc modo accipiẽdam patet ex Hebræis, vnde apud nos,quẽadmodum,pro quantum est accipiendum admiratiuè positum.

d INEBRIABVNTVR, &c.] Hos duos versus pleriq; in iustis impleri intelligũt in præsenti vita.Verùm quoniã dicit:apud te est fons vitæ:per quod satis significare videtur,q; vitã illi demum percipient,quos Deo adesse contigerit: & dicit, videbimus lumen: magis hæc referenda videtur ad statum futuri sæculi. Certè non satis propriè aut nõ perfectè, inebriati dicuntur sancti in hac vita,quibus hic esurientibus & sitientibus promittit saluator saturitatẽ,vtiq; in futura vita. Et quod dicitur Isaiæ 49.de fidelibus:Nõ esurient, neq; sitiẽt,& nõ percutiet eos æstus & sol, quia miserator eorũ reget eos,& ad fontes aquarum potabit eos: Ioannes in Apocalypsi in futura vita impleri interpretatur.Apocalyp.7.

PRAETENDE DOMINE MISERICORDIAM TVAM,] Dictionẽ,Domine,nec Græca habent,nec Hebræa,nec Augustinus,nec scripta pleraq;.Prætendere autem, hic non est positum pro prætexere.quod fere nobis significat,sed pro exhibere. Nam & hoc significat,aut potius pro protẽdere.Nam id magis significat dictio Græca παράτεινον,quam Euthymius interpretatur pro in longum tempus extendere, & Hebræa dictio significat trahere & protrahere.

e IBI CECIDERVNT.Græca habent,omnes qui operantur iniquitatẽ, quomodo & Augustinus legit.At Hebræa non habẽt,omnes, vt ne qs addendum putet,quãquã ad rẽ parum faciat.Intelligunt autẽ multi:Ibi,hoc est,per superbiã ceciderunt oẽs peccatores,&c.Sic Augustinus lib. de piritu & litera ca.7.vbi etiã legit, nõ moueãt me.Campensis:In ipso conatu collapsi sunt qui perpetrare iniqua conabantur. Verũ sensus paraphrasis prẽferẽdus videtur,vt verba prẽteriti tẽporis propheticè accipiantur pro futuris:& Propheta quasi digito ostẽdat impiorũ ruinã,licet sit adhuc abscõdita, quo certius ad bene sperãdũ se suosq; animet.In hunc sensum etiã Euthymius.

Psalmus ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVI.

QVoniam infirmi homines,cũ vident florere impios,solent mirũ in modum turbari, & nõnunquã cogitare Deum nullam habere rerũ humanarum curã,ac proinde prouocari ad imitandum malos,deserta virtutis via, ideo hos in isto Psalmo admonet Propheta ne eos vrat malorum prosperitas,vt ob eam neque de diuina diffidant prouidentia,neque ad imitationem malorum prouocentur:sed in pietatis studio strenuè pergant, Deo se totos committentes, eo quod timentibus Deum,& in illũ sperantibus omnia tandẽoptimè sint cessura,vereque fœlices tales sint futuri: impij autẽ vbicunque ad tẽpus florere videantur,tandem excindendi sint,& penitus delendi. Quod autẽ Propheta copiã bonorum terrenorum,fœlicitatem,huius vitæ & possessionem terræ promittit iustitiæ studiosis, aduertẽdũ est priscis hominibus qui de futuris bonis non perinde docti fuere plura de successu verũ præsentis vitæ promissa,quã sanctis noui testamenti. Quibus tamen & ipsis in euangelio saluator copiam bonorũ quæ vita præsens requirit,& possessionẽ terræ pollicetur. Siquidem vetat solicitos esse de victu & vestitu,mansuetis terræ possessionem, derelinquentibus omnia propter se centuplum etiam in hoc sæculo recepturos promittit. Pietatem enim colentibus vt plurimum dat Deus commodam etiam in hoc sæculo vitam degerere, suppeditans quantum satis est,hoc est,quantum desiderent,faciens eos præsentibus

præsentibus contentos,liberum animum ad vrendum concessis tribuens,qui soli proprio iure ac fœliciter et quietè terram inhabitant,immo & totum mundum possidẽt,qui illis totus vsui est & voluptationi:nonnullam tamen tempore quidam sunt Lazari à Deo in singulare exemplum tolerantiæ,& ad sublimiorem illustrandi nomen Dei electi, quos etiam ad mendicitatem,& summam inopiam redigi Dominus permittit.Verùm his quo in terrenis bonis minus datum fuerit,eo amplius in spiritualibus & cœlestibus bonis accipiunt. Nec propter hos falsæ sunt eæ scripturæ,quæ rerum copiam & sufficientiam pollicentur iustis,cum ea scriptura non quid semper,sed quid vt in plurimum futurum sit,significare velint.Deinde terrenorum bonorum promissio terrenos homines manu ducere studet ad cogitanda bona alia veriora,quorum illa vmbra quædam sunt. Hæc autem verissima bona,vt præcipua bona sunt,ita præcipuè in scripturis iustis promissa accipere debemus,quibus quoniam nemo iustus frustratur,in eis etiam illæ scripturæ verè complentur,qui etiam per spiritualium bonorum participationem,omnium terrenorum bonorum,totiusque mundi dominii efficiuntur.Non enim fallitur,qui pro terrenis bonis sibi promissis accipit cœlestia & spiritualia.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Noli emulari in malignantibus,
** neque zelaueris facientes iniquitatem.*
2 Quoniam sicut fœnum velociter arescent:
** & quemadmodum olera herbarum citò decident.*
3 Spera in Domino,
** & fac bonitatem & pasceris in diuitiis eius.*
4 Delectare in Domino:
** & dabit tibi petitiones cordis tui.*
5 Reuela domino viam tuam,& spera in eo:
** & ipse faciet.*
6 Et educet quasi lumen iustitiam tuam,
** & iudicium tuum tanquam meridiem:*
** subditus esto Domino,*
** & ora eum.*
7 Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua in homine faciente iniustitias.
8 Desine ab ira,& derelinque furorem.

TV quisquis iustitiæ studes,& verũ solidámq; quæris fœlicitatẽ noli in iram & indignationem concitari,cùm videris sceleratorum in hoc mundo prosperitatem: noli ex ea re sic conturbari, vt cogites Deum humana nec scire, nec dispensare, ac proinde ad imitandum malos prouoceris, * sed nec inuidiæ zelo contra facientes iniquitatem commouearis ob eorum fœlicitatem. *Psal.36.* a
2 Non enim solida est eorum fœlicitas,sed fluxa,caduca & fallax, quoniam sicut virens gramen mox suam perdit viriditatem, & per resecationem aut solis ardorem subito arescit:ita & ipsi,quãquam in hoc mundo florere cõspiciantur, citius opinione suo priuabuntur virore,* & quemadmodum viuæ, virentéfq; herbæ subito flaccescunt,ita & ipsi à suo ornatu & fœlicitate citò decident.
3 Tu itaque noli ad illorum imitationem sperare in fluxis huius mundi rebus, nec cum illis iniquitati te addicere, sed spem tuam ante omnia in Dominum constitue, illi te totum committens, qui solus potest solidam fœlicitatem præstare,* sperans autem in domino,non sis otiosus,sed fac cõstanter quod bonum est: hoc vnum sollicitè cura,vbi te domino commiseris,vt virtuti incumbas,de reliquis securus:quæ si feceris pacificè & fœliciter habitabis in terra rerum omnium Dominus, & suauiter reficieris in diuitibus, terræ prouentibus quos illa tibi fideliter & certo suppeditabit.
4 Ne autem te conturbet impiorum prosperitas.oblectata ipsum non in vanis huius mundi bonis,sed in bonitate Domini,quæ vt in omnibus relucet creaturis, ita maximè parata est sperãtibus in eũ. * Quod si sic te Dei bonitate oblectaueris,dabit tibi dominus per suam bonitatem quicquid desiderauerit cor tuum. Iam enim nihil desiderare poteris,nisi quod illi, quem amas, gratũ esse putaueris.
5 Propone deuotis præcibus Deo institutum tuum,& omnem rerum statum tuarum illi commẽda,& spera in eo.* Id si feceris,ipse de te,tuisque omnibus rebus faciet quæ conducunt. Si aliquibus malis affligeris,quibus te eximere nequeas,Deo committe, & tota fiducia pende ab illo,& ipse faciet fœliciorem malorum euentum, quàm vel desiderare poteris. Si quid ex Dei voluntate agere institueris,illius prouidentiæ ac bonitati tam opus quàm finem operis commenda,& ipse ad optatum terminum institutum tuum perducet:non quod otiosum te esse velim, aut nihil teipsum agere, sed quod de rerum tuarum euentu nolim superflua te cura macerari.
6 Quod si te sic totum illi commiseris,ipse iustitiam tuam,etsi ad tempus incognitam, & impiorum vel fœlicitate vel persecutione obscuratam,tandem è tenebris educet,vt quasi lumen solis ab omnibus clarè conspiciatur,* & æquitatem tuam, ac vitæ rationem ex recto rationis iudicio institutam tam claram faciet, quàm est meridies.Vltione enim de sceleratis qui florere videtur sumpta,suum erga te declarabit fauorem, cùm dignissimos innocentiæ tuæ fructus percipies,& id quidem vel in hac vita,vel in futura.* Tu itaq; subde teipsum Domino,sub potenti manu eius tete humilians, patientérque ferens si quid aduersi immiserit, nec in corde tuo illi ob murmures,* & constanter illum ora, vt te in huius vitæ malis confirmet,vtque tuarum rerum rationem habeat. b
7 Sic autem rerũ tuarum securus, nihil miteris aliorũ successus, neque ad tristitiam aut iram conciteris, cùm videris impium aliquem faciẽté iniustitias,fœlicem habere rerũ suarum successum.
8 Et quoniam difficulter sibi ab huiusmodi conturbatione temperant etiam iustissimi,iterum atq; iterum eandẽ inculco.Cùm videris impios secũda vti fortuna,cessa ab ira,& derelinque furorem, vt neque ex inuidentia fœlicitatis eorum, neq; ex indignatione contra di

tra diuinam prouidentiam intra te irascaris:quod si autem omnino
tibi temperare non possis,quin super eorum prosperitate commo-
uearis,eo quòd videas in iacturam pietatis & glorię Dei eam cede-

** nolim æulari,vt maligneris.*

re,* tamen caue ne ita irriteris,vt illorum exemplo ad perpetran-
da eadem scelera animum adducas,aut altero præuaricationis ge
nere pecces:& malefacias,proximis scilicet inuidendo,& diuinam
prouidentiam calumniando,viámque virtutis fastidiendo.

9 Quoniã qui malignantur,exterminabuntur:
** sustinentes autem dominũ ipsi hæreditabũt terram.*

9 Caue,inquam,ne æmulando etiam ipse malignè agas,quoniam
qui malè agunt,à Deo excindentur, ante tempus auferentur à ter-
ra sublati,in æternas miserias præcipitabuntur:* qui autem patien-
ter Dominũ expectant, ipsi velut hæreditario iure possidebunt ter-
ram,plerumq; quidem etiã hanc præsentem,in qua longa fœliciq;
vita à Deo donabuntur:semper autem cœlestem terram viuẽtium,
quam perpetua possessione cum summa tranquillitate obtinebunt.

10 Et adhuc pusillum, & non erit peccator:
** & quæres locum eius,& non inuenies.*

10 Et ne te mora affligata in impiorum vindicta, ecce perbreui ex-
cindentur,à Deo impij. Post pusillũ enim tẽporis,quo sua longani-
mitate Deus impios tolerat,videbis impiũ per mortẽ sublatũ am-
plius non esse:* adhuc eũ requires inter homines,& ecce citius opi
nione tua sublatus erit,nõ inuenies eũ.Adeóq; radicitus euelletur
è terra,vt etiãsi requisieris aliquid veteris põpæ,nihil reliquũ inuẽ-
turus sis,eo quod nullæ vel proliũ vel diuitiarũ reliquiæ supersint.

11 Mansueti autem hæreditabunt terram:
** & delectabuntur in multitudine pacis.*

11 Contrà verò mansueti,qui patienter etiam iniquorum ferunt
prosperitatem & iniurias:& quicquid illis immittitur à Deo cui con
secrarunt, ipsi hæreditario ac præcipuo iure possidebunt terram,
* & in multa pace & tranquillitate potissimum conscientiæ suæ se-
se oblectabunt suauissimè. Atque id quidem plerumque illis dabi-
tur in præsenti terra,vt in ea longo tempore viuant in altissima pa-
ce & requie animarum suarum,quam inueniũt soli mites & humi-
les corde: cùm contrà impiis etiam in summa prosperitate nulla
pax esse possit, sed mira semper adsit animi & omnium actionum
perturbatio, Semper autem hæreditare terram, & in multitudine
pacis deliciari dabitur mansuetis in futura vita,in qua tranquillissi-
mè viuent in sempiternum, nacti solidam & inconcussam pacem.

*12 Obseruabit peccator iustum. * & stridebit super eum dentibus suis.*
13 Dominus autẽ irridebit eum.
** quoniam prospicit, quia veniet dies eius.*

12 Peccator obseruabit iustum,occasionem & opportunitatẽ quæ-
rens perdendi eũ:* & prę nimia ira in illũ concepta frendebit den-
tibus suis super eum,grauia illi minitans,& inferre cupiens.
13 Verũ vbi id cõtigerit,sicut frequẽter fit,Dominus è cœlo prospi
ciens super filios hominũ,more irridẽtis aliquẽ se habebit erga im-
piũ,pro nihilo eũ eũ ducet,vidẽs eũ conari ĩpossibilia,sibíq; noxia.
*ipse enim prænouit mox aduentum tempus quo ipse peribit.

*14 Gladium euaginauerunt peccatores, * intenderunt arcum suum.*
*15 Vt decipiant pauperem & inopem,*vt trucident rectos corde.*

14 Imo si etiã contigerit,iniquos iamiã paratos esse ad perpendum
iustos, & iam euaginatũ tenere gladiũ, * arcúmq; suum intendisse.
15 Vt suis insidiis capiant, captúmq; suo statu deiiciant insontẽ, e
humano auxilio destitutum, * captósque innocentes paratis armis
mox occidant.

16 Gladius eorum intret in corda ipsorum:
**& arcus eorum confringatur.*

16 Id,inquã,cùm vsuuenerit,nihil iustis eorũ molimina nocebunt,
sed contrà gladius,quẽ contra innocentẽ euaginauerunt, intrabit
in corda ipsorum,*arcus eorum cõfringetur.Malum, quod aliis in-
ferre parauerunt,in ipsorum caput redibit, vísque eorum ac pote-
stas,qua bonis nocere cogitauerunt,frangetur impedita à Deo ne
bonos lædat sed in propriam ipsorum perniciẽ retorqueatur : quẽ
admodum arcus qui cõfringitur, non eum in quem paratus est,sed
frequenter eum à quo paratus est,lædit.

*17 Melius est modicum iusto, * super diuitias peccatorum multas.*

17 Melius est iusto homini modicũ id,quod cũ iustitia partũ possi
det,*quàm multæ diuitiæ,quomodo eas habent peccatores,per in-
iustitiã scilicet coaceruatas.Melius,inquã,est,tũ quia hoc ipsum mo
dicum illi sufficiẽtius est,qui præter naturæ paucissimis cõtentæ ne-
cessitatẽ nihil requirit:tũ quia iucundius ac securius illud possidet,
& cũ maiori suauitate eo fruitur & reficitur,quã peccatores diuitia
rũ suarũ abũdãtia.Deniq; quia hoc ipsum modicũ iustè partũ, quo
contentus viuit ei seruabitur,& à Deo mirũ in modum augebitur,
saltem in futura vita,cum contrà impiorum opes ilico euanescant.

18 Quoniam brachia peccatorum conterentur,
** confirmat autem iustos Dominus.*
19 † Nouit Dominus dies immaculatorum:

18 Quoniam robur facultatẽ,quibus ad tẽpus potentes sunt pec-
catores,mox à Deo consumetur,*iustos autem sic Dominus confir
mat & sustentat,vt impii illis præualere nequeant.
19 Curã singularẽ gerit Dominus dierum & vitæ eorum, qui sine d
macula cõuersari studẽt,†& quasi descriptum habet in notitia suæ
prædestinationis numerum dierum quibus victuri sunt super terrã,
quẽ proinde numerum nulla humana potẽtia anteuertere poterit:
* & hæ

** & hæreditas eorum in æternum erit.*

*& hæreditas eorũ à nullo eis auferri poteit ,sed perpetua eis erit.
Nam cùm ablata eis fuerit tẽporalis terræ possessio,æternæ vitæ hę-
reditatem,quæ propria illorum hæreditas est,obtinebunt.

20 †Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur:
**quia peccatores peribunt.*

20 Non pudefiẽt sancti,ita vt spe sua & ope Dei expectata frustrẽ-
tur qñ aduersa tẽpora incident,& in tpe famis,aliis fame laboranti
bus,ipsi saturabuntur à Deo:qui cùm eos diligat,& cognoscat quid
eis opus sit,nihil eis deesse sustinebit.†In tempore etiã nouissimi iu
dicij summè calamitoso non confundentur simul cum impiis:& in
tempore illo,quo æterna fame impij cruciabuntur,ipsi perpetuò sa
tiabuntur,non enim sinet perire iustos suos Deus,*sed peccatores
ab eo dispergentur,priuati terrena hac fœlicitate,& in æternas mi-
serias deiecti.

21 Inimici verò Domini mox ut honorificati sunt & exaltati:
** deficientes quemadmodum fumus deficient.*

21 Ita quidam cũ iustis aget Deus,vt dixit:At verò inimici Domini
post paululum quàm in hoc mũdo honorificati fuerint,& exaltati,
*subitò ac penitus deficient in modum fumi,nullum relinquentes
gloriæ suæ vestigium.

22 Mutuatur peccator, & non soluet:
**iustus autem miseretur & tribuet.*

22 Frequenter contingit,vt peccator mutuo accipiat,nec postea sol
uat quod mutuo accepit,propter nimiã s.vel egestatẽ vel auaritiã.
Tanta frequenter peccatoris est egestas,vt nec debita reddere va-
leat.Tanta auaritia,vt non solũ nõ impartiatur propria,sed nec alie
na reddere velit.*At contrà iustus ita subinde necessariis vitæ abun
dat,tãq; est ad participandũ aliis etiam modicũ quod habet libera-
lis,vt misericordia motus vltro etiam tribuat eis qui opus habent.

23 Quia benedicẽtes ei hæreditabunt terram:
**maledicentes autem ei dispe ribunt.*
24 Apud Dominũ gressus hominis dirigentur: & uiã eius uolet.*

23 Et certè tã charus Deo est iustus,vt qui ei bona precati fuerint,
simul cum eo sint possessuri terram:multo magis qui ei benefece-
rint:*qui verò maledicunt ei,peribunt de terra.
24 A Domino gressus huiusmodi hominis iusti dirigẽtur,Dominus
faciet vt gressus eius in recta virtutis via instituantur,& vt quicquid f
facere instituerit,prosperè succedat:*& opera eius grata habebit ac
beneplacita,suo fauore ea prosequens.

25 Cùm ceciderit,non collidetur,
** quia dominus supponit manum suam.*

25 Cũ per infortuniũ aliquod à pristino statu ceciderit,& aduersam
inciderit fortunam(vt nihil est stabile in hoc mũdo)aut cũ per hu-
manam fragilitatem in aliquod peccatum prolapsus fuerit(siquidẽ
septies in die cadit iustus)non conteretur,nec peribit,*quia Domi
nus illũ præseruat ad modũ eius qui manũ cadenti supponit,siue vt
casum frangat,siue vt collapsum à casu eleuet. Ita enim Dominus
sua potẽtia ac cura,quasi manu supposita,iustum præseruat,vt nec
infortunio,nec peccato succumbat & pereat,sed in pristinum mox
statum restituatur.

*26 Iunior fui, etenim senui & non uidi iustum:*nec semen eius quærens panem.*

26 Iuuenis fui,& iam senex effectus sum,nec tanto vitæ meæ spatio
vidi iustum aliquẽ à Deo derelictũ,vt non ei vitæ necessaria suppe-
ditaret:*nec semẽ iusti vidi vnquam mẽdicare,vt aut inopia victus,
saltem diuturna,aut extrema,laboraret,aut alimenta necessaria re-
quireret,quæ non vel tandem inueniret.

27 Tota die miseretur, & commodat: & semen ipsius in benedictione erit.*

27 Im ò verò habet potius iustus vnde assiduè aliorum indigentiæ
succurrat,& nunc quidẽ misericordia motus sua gratis donat,nunc
sine fœnore mutuo dat,*propter quod etiã posteris illius à Deo be
nefiet,qui propter paternam pietatem & temporalibus & spirituali
bus beneficiis eos cumulabit.

28 Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi.*
29 Quia dominus amat iudiciũ, & non derelinquet sanctos suos:
** in æternum conseruabuntur.*
30 Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.*
31 Iusti autem hæreditabũt in sæculum sæculi super eã.

28 Itaq; declina ab omni malo,& fac quod bonũ est, * & habitabis
imperpetuum.Nam & in hoc sæculo diu fœlicitérq; viues,& ex hoc
mundo in perpetuam cœlorum habitationem commigrabis.
29 Dominus enim amat quod æquũ est, propter quod nunquã de-
relinquet sanctos suos æquitati studentes,*sed in æternũ ab eo cu-
stodientur ab omni malo.
30 Iniusti verò suæ impietatis pœnas luent,*& semen quod eorum
impietatem secutũ est,simul cũ eis peribit,& è terra hac,ac sancto
rum consortio exterminabitur.
31 Iusti autẽ proprio & hæreditario iure possidebunt terrã, quietè
ac læta conscientia eam incolentes:*& diutissimè ac imperpetuum
habitabunt super eam.Vt in plurimũ enim vsq; ad consummatam
ætatem viuent in ea longè fœlicius quàm impij,velut mare semper
in tranquilli,qui violenta frequenter morte intercepti nõ assequũ-
tur senectam.Et ex imperfecta vitæ huius fœlicitate in cœlestẽ sus-
tollentur,domini iam & possessores non terræ tantum,sed & cœli,
& totius mundi effecti.

32 Os iusti meditabitur sapientiam:
** & lingua eius loquetur iudicium.*

32 Os iusti non,vt impiorũ os,stultitiam ac vanitatem effutiet,sed
loquetur sapiẽtiæ verba,idq; magno studio,& ex solicita cordis me
ditatione:*& lingua eius loquetur quod æquũ est & iustum, cupiẽs

alios & docere,& ad ea quæ æquitatis ſunt pertrahere.

33 Lex Dei eius in corde ipſius.
** & non ſupplantabuntur greſſus eius.*

33 Ideo autem talia loquetur iuſtus,quia iugiter in corde ſuo reuol
uit legē Dei,nihil potius cogitans quàm legē Dei probè cognoſce
re,& vitam iuxta eā inſtituere.Et quoniā in lege Dei iugiter medita
tur ſecum,*ideo non cōtinget eū ſupplātari,& proſterni ab aliquo
in greſſibus ſuis.Iugis enim diuinæ legis meditatio nō ſinet eum in
peccatum prolabi,aut prolapſum iacere in eo, vt ab hoſte diabolo
ſupplantetur. Et diuina cuſtodia non ſinet legis ſuæ ſtudioſum à
quocunque impio proſterni,aut quouis malo ſuccumbere.

34 Obſeruat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.*

34 Obſeruat quidē impius iuſtum,quærens opprimēdi opportunā
occaſionem: & ſtudioſè quærit occidere eum opportunitate in-
uenta.

35 Dominus autem nō derelinquet eum in manibus eius:
**nec damnabit eum cum iudicabitur illi.*

35 Verùm Dominus non derelinquet eū poteſtati & violentię eius
ſed liberabit eū:*& cùm ab impio iuſtus iudicatus fuerit,tanquam
impius ab eo condēnatus,mortiq; addictus, non viciſſim illū Deus
condēnabit,non etiam ipſe eum tanquam impium habebit,aut vin
dicabit,nec permittet eum ab impio tanquam nocentem opprimi.

36 Expecta dominū,& cuſtodi viam eius,
**& exaltabit te vt hæreditate capias terram:*
**cùm perierint peccatores, uidebis.*

36 Tu itaq; etiamſi impios ad tempus florere videas, & ab his ali-
quādiu diuexeris,patienter expecta Dominū,& cuſtodi conſtanter
mandata eius,in quibus nos ambulare præcepit, * & certiſſimè ſuo
tēpore te omnibus inimicis tuis ſuperiorem factum ita exaltabit,vt
in hæreditatē & perpetuam poſſeſſionē accipias terram:* cumq; à
Deo ſubuertentur peccatores,tu ſecurus,& cum voluptate, quam g
capies ex diuina iuſtitia,videbis eorum interitum.Certò enim peri-
turi ſunt impij,quod & ipſa experientia didici.

37 Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani.

37 Vidi enim impium in hoc mūdo ſuperexaltatū diuitiis & hono
ribus,& eleuatum ſicut altiſsimas cedros Libani,qui tanquā arbor
firmiter radicata,& ſibi & aliis videbatur non facilè euerti poſſe.

38 Et tranſiui,& ecce non erat:quæſiui eum,& non eſt inuentus locus eius.

38 Et paulo poſt obiter pertranſiui locū,in quo ille floruiſſet,& ec-
ce non erat ibi,*quæſiui eum,nec me inquirente inueniri potuit lo
cus eius inter homines.Euanuerat enim.

39 Cuſtodi innocentiam,& uide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.*

39 Tu itaq; impiorum fœlicitate tranſitoria nihil commotus,cuſto
di vitæ integritatem,ſempérq; attende ad æquitatem,vt eā in omni
bus verbis & factis præſtes:*quoniā homini,qui per iuſtitiam pacē
cum omnibus ſectatur,neminē lædens,ſed omnibus benefaciens,
quiq; in ſeipſo pacem habet,nec variis poſſeſſionibus inquietatur,
huic,inquam,ſupererunt poſt hanc vitam,virtutis ſuæ reliquiæ ſplē
didæ,pax ſcilicet,& vita fœlicisſima,in perpetuum duratura.

40 Iniuſti autem diſperibūt ſimul: & reliquiæ impiorū interibunt.*

40 Iniuſti autem omnes pariter diſperibunt,*ſed & reliquiæ eorū,
diuitiæ ſcilicet,gloria,proleſq; ſpecioſæ,ac reliqua interibunt; nec
deſcendet cum eis gloria eorum.

41 Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorū in tempore tribulationis.*

41 Salus autem,quā iuſti expectant,quæq; vt dixi eis,proueniat,nō h
à ſeipſis eis obueniet,ſed à Domino,*qui eſt protector eorū in tem
pore tribulationis,vnde eorum ſalus ſolida erit & certa.

42 Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos,quia ſperauerūt in eo.*

42 Ipſe auxiliabitur eis & liberabit:liberabit,inquam,eos à peccato
ribus,*& ſalutem illis afferet,ob id quia ſpem ſuā poſuerunt in eo.

ANNOTATIONES.

NOLI ÆMVLARI.] Ex Græca lectione
patet verbū,æmulari,hic non poſſe accipi
a in ea ſignificatione deponentali,quā proprie ha
bet apud Latinos,pro iraſci ſcilicet aut indigna
ri,eſt enim Græcis παραζήλε,quod verbū in acti-
ua ſignificat prouocare ad æmulationē:in paſſi-
ua,prouocari:in qua ſignificatione hic ponitur.
Vnde & verbū,æmulari,paſſiuè debet accipi in
ea ſignificatione,quemadmodū in ſimili ſignifi-
catiōe accipitur actiuè ad Rom.11.vt illos ęmu
lētur:Porro ęmulatio,quā ſignificat verbū ęmu
lari aut zelare, non pōt accipi pro æmulatione
imitationis,vt zelare faciētes iniquitatē, ſit imi
tari eos,quomodo multi intelligūt,quod quidē
patet ex Hebręo,vbi verbū primo loco poſitum
ſignificat proprie iraſci,ſecundū autem verbum
nunquam ſignificat imitari, ſed bene inuidere,
aut ad inuidiam & iram prouocari.

EDVCET TANQVAM,&c.]Per iuſtitiā &
iudiciū iuſti,in paraphraſi intelligitur ratio.Pōt
b etiā intelligi iuſta eius cā & ius quod habet con
tra impios apud Deū,qui etſi ad tempus iuſtitiā
cauſæ eius non declarat,tamen tandem eam ma
nifeſtam & notam omnibus facit.

VT DECIPIANT.]Verbū Hebraicum ſi-
gnificat deiicere,qđ ipſum etiā ſignificat dictio
Gręca καταβάλλειν,quāuis ea etiā decipere ſignifi-
cet,ſed quæ ſignificatio hic parū conuenit.Et di c
uus Auguſtinus legit,deiiciātur,ſed & libri qui-
dā antiqui noſtri habēt,deiiciant,vnde ſatis pā-
tet hanc eſſe verā lectionem. Annotauit autem
Euthymius,verbū καταβάλλειν poſitum eſſe pro-
pter arcū:trucidare,autem verbum, propter gla
dium.Significat enim καταβάλλω, aliquādo telis
aliquem impetere & obruere.

NOVIT DOMINVS.]Gręcis nō eſt,dies,
ſed τὰς ὁδοὺς,hoc eſt,vias,quomodo & diuus Au
guſtinus legit.Hebręis tamen apertè eſt dies,vt
ne quis putet noſtram lectionem ex Græcis eſſe
corrigendam.Videri poteſt Græca corrupta ex
ſimili loco in Pſalmo primo,vbi eſt,Nouit Do- d
minus viam iuſtorum.

MVTVATVR PECCATOR.] Vera lectio
eſt,mutuatur,nō mutuabitur,p futurū,vt qui-
dam

dam libri habent.Nā Græcis & Hebræis eſt verbū,
præſens,vnde & Auguſtinus legit, fœneratur.Sic
& in ſecundo membro legendū eſt,non retribuet,
ſed tribuit:nam & hæc lectio reperitur in quibuſ-
dam noſtris libris,eáque cum Hebræis & Gręcis
conſentit.Impoſuit quibuſdam verbum futurum
ſoluet,vt ob id alia verba in futuro poſuerint.

APVD DOMINVM.]Rectius noſter vertiſſet
f à Domino,cùm ſit Gręcis παρὰ κυρίε, non autem
παρὰ κυρίῳ, quomodo noſter legiſſe videtur.Et He
bræa habent,à Domino,quomodo legit & D.Au-
guſtinus.In eodem verſu lectionem veram eſſe,di
rigētur,& non ſingulare,dirigetur,docēt tum Gręca,tum Hebręa,quomodo & legit D. Auguſtinus.

CVM PERIERINT.]Multi perperam legūt
& videbis,cùm nec in plerisq; Latinis ſit coniun- g
ctio,&,quæ ſenſui obeſt.

INIVSTI,&c.]Dictionem,ſimul,non cōiun-
gendum cum ſequentibus,vt multi faciunt,ſed cū
præcedentibus,vt ſignificetur,iniuſtos ſimul,hoc h
eſt,omnes ad vnum perituros,patet manifeſte ex
originalibus tum Hebręis,tum Gręcis.

Pſalmus Dauid in rememoratione ſabbati.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVII.

Plerique exiſtimant hunc Pſalmum,ſicut & Pſal.8.qui cum eo eiuſdem eſt principij,editum,cum ob adulterium & homicidium in grauem corporis morbum Dauid incidiſſet,quem ex hoc Pſalmo ſuſpicantur fuiſſe ulcus aut fœmora:quali morbo uſque ad mortem ægrotauit rex Ezechias,quodq; genus morbi inter maledicta legis continetur Deuteronom.28. Alij uerò ſub metaphora morbi & ægritudinis corporalis,quam hoc Pſalmo prætendit, intelligunt etiam ad literā Prophetam ſignificare uoluiſſe illa mala,& afflictiones quas foris & intus patiebatur propter peccata ſua,cùm ab Abſalone filio perſecutionem ſuſtineret,quemadmodum Iſaiæ primo per ægritudinem corporalem & uulnera populi Iſraelitici afflictiones ſignificantur.Itaque ſiue cùm ſæuiore morbo correptus eſſet,ſiue cùm uariis ob admiſſa ſcelera malis affligeretur, hoc Pſalmo Dei tam atrocem caſtigationem etſi peccatis ſuis debitam deprecatur,afflictionum intollerabilem uim,amicorum defectionem,inimicorum crudelitatem,ſuamq; aduerſus eos manſuetudinem miris affectibus exponit,demum opē Dei, cui ſeſe penitus permittit,implorat.Cùm autem in his quæ Dauid hic narrat de amicorum defectione,& de inimicorū malitia,ſuaq; in illos lenitate,Chriſti figuram geſſerit,eadem q; Chriſto longè etiam perfectius competant ideo plerique eam Pſalmi partem de Chriſto interpretantur,de quo etiam quidam non male totum Pſalmum intelligunt,ut accipiatur Chriſtus hic deprecari flagella Dei patris,quæ ob peccata humani generis in ſe ſuſcepta,atque ob id ſua quodammodo effecta, patiebatur.Secundum moralem autem ſenſum Pſalmus hic homini conuenit,qui propter commiſſam iniquitatem ſupra modum conturbatur,ſentiens in ſe diuini iudicij horrorem,pungentes admodum malæ conſcientiæ ſtimulos mirabilem in corpore indiſpoſitionem,& motuum diuerſorum tumultum,qui ob id diuinam iram cum gemitu cordis deprecatur. Iuxta quē ſenſum per amicos,& proximos,angeli boni rectè intelliguntur,qui quoties nos peccare uiderint,conſiſtunt corā nobis triſtes,& ob grauem peccatorum olentiam à nobis abſiſtunt:unde poſt modum uenientes maligni angunt nos, & in grauiores lapſus deducere ſtudent,in auribus noſtris inanes ſermones clam inſerentes,quibus cum beato Dauid aures ſunt obſtruendæ, Deiq; auxilium contra eos implorandum.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Domine ne in furore tuo arguas me:
**neque in ira tua corripias me.*

Tanta quidem Domine peccata mea agnoſco,vt maiora etiā quàm Pſal 37.
patior promeruerim,verùm mi Domine humiliter te quęſo ne per
ſeueritatem iuſtitiæ tuæ,quam certè commerui,me caſtiges: * neque
grauiſſima vltione indignationis tuæ peccatis meis condignē me cor-
ripias, ſed iuxta clementiam tuam moderare vindictam, paternam-
que tantum adhibe ſæueritatem , contentus his quæ hactenus paſſus
ſum.

2 Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi:
** & confirmaſti ſuper me manum tuam.*

2 Quoniam ecce iam multiplicibus malis & miſeriis,quaſi ſagittis qui
buſdam iræ tuæ mihi inflixis,ac grauiter pungentibus,me affeciſti, * &
caſtiganti tuam poteſtatem ſuper me firmaſti,dum aſſiduis me flagel-
lis cædis,omnéque malorum pondus mihi immiſiſſe videris.

3 †Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ:
**non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*

3 Nihil eſt integrum in toto corpore meo propter tuam vltionem : *
non eſt requies oſſibus meis propter multitudinem & magnitudinem a
peccatorum meorum. Mala enim, quæ propter peccata mea tua indi-
gnatio mihi immiſit,totum corpus meum affligunt, oſſáque mea præ-
dolore ac timore grauiorum malorum conturbant.† Sed & iræ tuæ ac
peccatorum meorum conſideratio,ac diligens expenſio,non animam
tantum , ſed & oſſa, totúmque corpus miris modis commouet & con-
cutit.

4 Quoniā iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meū:
** & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

4 Quoniam iniquitates meæ in modum exundantium aquarum ſupe-
rauerunt caput meum : * & ſicut onus admodum graue , factæ ſunt
mihi graues magis quàm vt ferre poſſim, mala enim propter peccata
mihi inflicta occupauerunt omnia corporis membra,& quaſi aquarum
diluuium quoddam me totum demerſerunt ac inuoluerunt,grauiorá-
que facta ſunt,quàm vt eis ferendis ſufficiam.†Sed & peccata mea qua
ſi diluuium quoddam ita excreuerunt, ac multiplicata ſunt,vt me to-
tum his immerſum propemodum de ſalute deſperare faciant, & gra-
uiora facta ſunt , quàm vt illorum conſcientiam & memoriam ferre
poſſim.

5 †Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.

5 Propter insipientiam meam,quã peccando admisi,facta sunt mihi putida vulnera,saniem diffluentia,hoc est,grauissimis malis mihi inflictis ad eum modum affectus sum, ac si toto corpore vlcerosus essem, grauiter in me afflictus,& omnibus abominabilis. †Propter insignem etiam stultitiam meam computruerunt & rabuerũt liuores mei,ac plagæ,quas ex peccatis meis anima incurrit,& cicatrices,quas vulneribus malè sanatis obduxi. Quoniam enim vulnera animæ meæ ex peccato contracta dissimulaui,ac sanare neglexi,eisque malè sanatis quasi cicatrices obduxi.ideo in putredinem & tabem conuersa sunt,fœtidáq; facta sunt magis ac magis coram te,atque in horum quæ nunc patior malorum corruptionem eruperunt.

6 Miser factus sum, & curuatus sum usque in finẽ*tota die contristatus ingrediebar.

6 Per ea mala,quæ mihi ob peccata immisisti,miser admodum factus sum,eorúmq; pondere ac grauitate pressus sum valde, adeo vt viderer amplius ferre non posse,*tota die contristatus obambulaui. b

7 † Quoniam lumbi mei impleti sunt illusiõibus:*& non est sanitas in carne mea.

7 Quoniam intestina mea,omniáq; interiora plena sunt ludibriis hominum,ob quæ grauiter vruntur & torquentur.†Plena item sunt sensu malorum,ob quæ ludibrio habeor inimicis meis:*nec est aliquid integrum in toto corpore meo,adeo me calamitates totum affligunt,ac languidum faciunt. c

8 Afflictus sum & humiliatus sum nimis:*rugiebam à gemitu cordis mei.

8 Afflictus sum,& miser factus sum vehementer,*præ summo gemitu & anxietate cordis mei,vocem edidi,non humanam,sed rugitum potius leoninum.

9 Domine ante te omne desiderium meum:*& gemitus meus à te non est absconditus.

9 Domine notum tibi est desiderium meum, quo desidero peccatorum meorum veniam,& à præsentibus malis liberationem:*& suspiriũ meum,quod ex magno cordis edo desiderio,non latet te. Quousq; ergo sines me tantopere discruciari?

10 Cor meum conturbatum est,dereliquit me uirtus mea:*& lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

10 Cor meum afflictionum magnitudine,peccatorum conscientia,ac iræ tuæ consideratione pertu batum est,destituit me fortitudo tum animi,tum corporis mei:*& ipsum quoq; lumen & claritas oculorũ meorum periit à me:oculis nimirum fletu caligãtibus,aut aduersitatum tenebris obnubilatis.

11 Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquarunt & steterunt,

11 Qui olim fuerunt amici mei & familiares,non iam se mihi coniunxerunt,sed è regione mei longè à me appropinquauerunt mihi & steterunt,nullam iam consolationem in malis meis afferentes,nec audentes auxilium mihi præstare. d

12 Et qui iuxta me erant, de longe steterunt,& uim faciebant qui quærebant animam meam.

12 Et qui iuxta me esse solent,longè steterunt à me, seséq; ob malorũ rum meorum magnitudinem,& persequentium inimicorum fortitudinem elongauerunt à me:*& his me derelinquentibus,inimici mei qui quærebant auferre mihi vitam,magnam mihi vim intulerunt.

13 Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt uanitates:* & dolos tota die meditabantur.

13 Et qui cupierunt mihi mala,locuti sunt cõtra me mendacia ac blasphemias:*& insidias assiduè excogitabant, quibus me caperent, & captum perderent. e

14 Ego autem tanquã surdus non audiebam:* & sicut mutus non aperiens os suum.

14 Ego autem ad illorum in me iacta conuitia & mẽdacia ita me gessi, quasi surdus essem,nec audirem quæ dicerent:* & sicut mutus nõ aperui os meum,vt vel me defendere.vel vicissim in eos maledicta reiceré.

15 Et factus sum sicut homo non audiens:*& non habẽs in ore suo redargutiones.

15 Et factus sum sicut homo non audiens,*nec ore suo redarguens ea quæ illi obiiciuntur crimina.

16 Quoniam in te domine sperauí:*tu exaudies me Domine Deus meus.

16 Ideo autem tam mansuetè me gessi erga eos,quoniam in te domine speraui,præstolans patienter & confidenter tuum auxilium, téq; mihi futurum vindicem sperãs,*propter quod sat scio,quod tu exaudies me domine Deus meus.

17 Quia dixi,ne nequando supergaudeant mihi inimici mei:*& dum commouentur pedes mei,super me magna locuti sunt.

17 Ego enim inter orandum dixi tibi:Domine ne aliquando sinas,vt inimici mei ob interitum meum,quem cupiunt,lætẽtur super me:*qui videntes iam à pristino statu me inclinari ad ruinam,superbè cõtra me insultauerunt,quasi iam præualuerint.

18 Quoniam ego in flagella paratus sum:*& dolor meus in conspectu meo semper.

18 Et meritò sane ita orabam Domine,Quoniam ego ad flagella ferenda videor à te esse destinatus,*& dolor meus ob continuas afflictiones semper mihi ob oculos versatur.

19 Quoniam iniquitatem meam annunciabo:*& cogitabo pro peccato meo.

19 Nec hoc dico,quasi non agnoscam coram te hæc me commeruisse mala.Nam ego quidem semper tibi confitebor iniquitatem meam:* & anxiè cogitabo apud me pro admisso à me peccato, solicitus de impetranda à te perfecta reconciliatione,téque placando. f

20 Inimici autem mei uiuunt, & confirmati sunt:* & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.

20 Verum hoc interim malè me habet,quod inimici mei viuant, valeantq; & contra me,ac magis quàm ego fortes facti sint,*& quod multi admodũ numero sint,qui sine causa me oderunt,cùm nulla in re vnquam à me læsi sint. g

21 Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatẽ.

21 Homines tam impij,vt non solum malefaciant ei qui in illos nihil peccauit,sed etiam retribuant mala pro perceptis beneficiis, tales de me malè locutisunt,calumniantes me non ob commissa in te Domine mea peccata,*sed ob eam causam solam,quod illis dissimilis bene agere studebam,cùm illi nihil nisi malum sectentur.

22 Ne derelinquas me Domine Deus meus:*ne discesseris à me.

22 Proinde ne ab his perdendum vel ridendũ me derelinquas mi domine Deus,tu qui hactenus mihi adfuisti,& in omnibus malis custodiuisti,*ne quæso iam tuam opem & protectionem subtrahas à me.

23 Intende in adiutorium meum, domine Deus salutis meæ.

23 Intentus esto & paratus ad præstandum cito mihi auxilium mi Domine Deus,author salutis meæ, in quo confido, sine quo ab inimicis meis multis & fortioribus me,liberari non possum.

ANNOTATIONES.

NON EST SANITAS,&c.] Quantũ attinet ad intellectum,quo Psalmus hic de Dauide intelligitur,indicat paraphrasis hũc versum, similiter & sequentes,duobus modis accipi posse. Primũ vt hoc versu Propheta intelligatur voluisse significare,malorum & calamitatum suarum magnitudinem totum corpus affligentẽ propter peccata sua:sic similiter & versu sequẽti,vt per iniquitates per metonymiam,mala quæ propter iniquitates patiebatur,intelligantur. Secundo intelligunt aliqui hoc versu significare prophetã voluisse magnitudinem suæ cõtritionis & doloris,quẽ habuit ex consideratione iræ diuinę, & peccatorum à se admissorum:similiter & versu sequenti intelligunt prophetam significare peccatorum suorum multitudinem & grauitatem:&.versu quarto, peccatorum suorum fœditatem:& similiter versus sequentes intelligũt de humiliatione,afflictione & ægritudine cõtracta ex dolore ac pondere peccatorũ conscientiã grauante.Verũ qm̃ versus secundus: Quoniam sagittæ tuæ,&c.apertè satis videtur intelligẽdus de miseriis viro sancto immissis propter sua peccata, conuenientius & sequentes versus accipiuntur secundum primum sensum, vt significent malorum magnitudinem totum corpus exulcerãtem:Proinde quod dicit putruisse suas cicatrices, intelligendum est per metaphoram significare voluisse,affectum eũ fuisse vulneribus putidis & sanie diffluentibus,hoc est,malis grauissimis,ob quę non aliter discruciabatur,quàm si toto corpore vlcerosus fuisset,& ob quæ tanquã sanios abominabilis esset.Nõ enim dictio,cicatrices,hic proprię accipi debet,sed pro liuoribus & vulneribus.Ponitur hic apud Hebræos dictio eadem,quam Isaię.1. Hieronymus vertit,liuor,dũ dicit:Vulnus & liuor, & plaga tumens,&c.Vbi Septuaginta eandẽ quam hic verterunt dictionẽ μώλωψ,quã Euthymius vulnera hic interpretatur.Quemadmodum aũt oẽs hi versus à tertio vsq; ad vndecimum duobus modis exponuntur,dum Dauidi attribuuntur:ita similiter duobus modis exponuntur, dum sensu mystico cuius pœnitenti accommodatur Psalmus:plerique enim cum dicitur,sagittę tuæ infixæ,&c.intelligunt per sagittas,eas miserias, tum animæ,tũ corporis,quæ propter peccatũ Adę,& propria cuiusque peccata generaliter omnibus hominibus inflictæ sunt:quales sunt rebellio carnis cõtra spiritum,pronitas in carne ad malũ, infirmitas ad bonum,passionum variarũ turbatio,similiter fames, sitis,nuditas,& reliqua ob quæ meritò dicit pœnitens non esse sanitatem in carne sua,(nõ est enim, inquit Paulus,in carne mea bonum)& iniquitates suas superasse caput suum,quę totum homine affligunt intus & exterius,& quasi onus quoddam graue multis miseriis grauant,per quas etiã miserum se clamat,& tota die tristem incedere.Alij cũ dicitur,sagittas infixas,intelligunt per sagittas, timorem diuinæ vltionis à Deo pœnitẽti immissum qui contritionis dolore totum hominẽ conturbãte dicit non esse sanitatem in carne sua,ob id,quia videt peccatorum suorum multitudinem & fœditatem,& contristatum assiduè quòd videret lumbos suos plenos esse fœdis motibus,hominis dignitatem ignominia afficientibus:secundùm quẽ sensum quod dicitur, cicatrices putruisse,accipi potest,vt cicatrices propriè accipiantur pro vulneribus semel sanatis,aut illorum vestigiis,vt intelligamus significari peccata semel sanata rursum recruduisse. b

CVRVATVS SVM,&c.] Græcis est ἐως τέλους, pro vsq; in finem,quæ oratio in Psal.sæpe ponitur pro perpetuò,& semper,quandoque pro penitus, omnino vel valde,quomodo hoc loco.Est em̃ Hebræis idẽ quod postea,vbi habemus:Afflictus sum & humiliatus sum nimis.Nam est vtrobiq;, vsque valde.Itaq; & ibi dictio,nimis,vt sæpe in Psalmis, accipi debet posita pro valde. c

LVMBI MEI.]Pro,illusionibus, Hebręis est dictio עֻלַּי Nicole, quæ significat vel aldorẽ, vel rem fœdam & ignominiosam.Ex qua dictione simul & ea quæ præcessit,quã noster vertit cicatrices,maximè mouentur plerique,vt putent hũc Psalmum editum occasione alicuius morbi pudendi, quo in femore grauiter laborauit propheta. Nostri ferè ex hoc versu intelligunt prophetã hic magis deplorare miseriam,quã & Paulus,cum queritur non habitare in carne sua bonum,vt significet se variis fœdisq; concupiscentiæ,cuius sedes est in lumbis,agitari motibus,quibus illuditur homo,& ignominia afficitur.Verùm cùm omnino videatur prophetam hic ad literam corporales aliquas deplorare afflictiones,in quas ob peccatum se agnoscit incidisse,nec tamen certũ sit an ea afflictio fuerit morbus aliquis,an aliud quoduis malũ sub figura morbi significatũ,vt cuiuis malo hic locus possit accommodari, commode intelligitur prophetam asserere lumbos impletos illusionibus, quod ipsius interiora plena essent sensu malorũ,ob quæ ludibrio haberetur inimicis suis,de quibus postea dicit:dum commouentur pedes mei,super me magna locuti sunt.Cui sensui bene cõuenit versio D. Hieronymi,quæ habet,lũbi mei impleti sunt ignominia.Sicut enim in lumbis consistit hominis fortitudo,ita cùm magnis malis quis premitur,in lũbis vel renibus affligi dicitur, quod illis per afflictiones dissolutis totum corpus concidat.Sic postea dicit Psalmista,Inflammatum est cor meum, & renes mei cõmutati sunt.Et Isaię 21.Repleti sunt inquit,lumbi mei dolore,& angustia possedit me. Et Tre.3.Misit in renibus meis filias pharetrę sue. Factus sum in derisum omni populo,canticũ eorum tota die.Repleuit me amaritudinibus,inebriæuit me absynthio.Qui locꝰ similis satis est his quo hoc loco dicuntur.

AMICI MEI ADVERSVM.] Aduersum me,hoc loco accipi nõ debet vt cõtrarietatẽ significet,sed pro eo quod est,e regione, vt significetur, amicos non ausos prope accedere ad inuãdum & d

consolandum,sed etsi aliquo vsq; accederent,è regione tamen atq; à longe steterisse.Eũ enim sensum Hebræa requirunt,& quæ sequuntur: Qui iuxta me erant,de longe steterunt.

QVI INQVIREBANT.] Inquirebãt, positũ est pro quærebant,cũ Græcis sit οἱ ζητοῦντες,hoc est quærẽtes.Et D.Augustinus legit : Qui quærebant. c

QVONIAM EGO IN FLAGELLA.]Plerique intelligunt qđ dicit,paratus sum, significare promptitudinem animi ad ferenda flagella quęcunq; à Deo immittenda,cui sensui conuenire videtur, quod sequitur in versu sequenti: Quoniam iniquitatem meã annũtiabo:quasi propter admissa peccata dicere voluerit,se prompto esse paratoq; animo ad aduersa toleranda,in punitione & curationem peccatorum suorum.At Hebræa magis postulãt,vt intelligatur prophetam dixisse,paratus sum propter ordinationem & destinationem Dei,vt sit sensus:Ego à te sum destinatus,& deputatus ferẽdis malis,quomodo & Augustinus intelligit. Cui bene conuenit quod sequitur : Et dolor meus in cõspectu meo est semper.Quo significat se in perpetuis versari malis & doloribus.Cæterũ obscuritatẽ aliquã facit coniũctio causalis, quia,vel cũ,in principio quatuor versuum repetita,eo q̃ non ita facile sit videre,cuius semper causa reddatur.Vnde sunt,qui quibusdã istis locis accipiunt causalẽ cõiunctionem non causaliter,sed tantum affirmatiue positam,pro certè.Quæ tamen potest etiã omnibus locis causaliter accipi in hunc modũ:vt primo loco reddatur causa:cur ad opprobria inimico rum obsurduerit,nec quicquam contrà dixerit.Secundò reddatur causa,cur se speret exaudiri,nẽpe quod in oratione sua precatus sit, vt ne permitterentur quim aliorum malis lætantur, super se gloriari.Tertio loco reddatur causa,ob quam meritò illud precatus sit cõtra inimicos suos,videlicet qđ in continuis versaretur malis atq; miseriis.Quarto loco significetur se nõ deprecari mala,quasi nõ agnosceret se ea promeruisse,sed propter inimicos suos,ne illi occasionẽ habeãt gloriãdi, quos nulla ratione lęsit.Vnde coniunctim hic versus legẽdus est cum versu sequenti:Inimici autem mei viuunt.

ET COGITABO,&c.]Bene notandũ,dictionem tum Græcam,tum Hebræam plus significare quam simpliciter cogitare. Significat enim anxiũ esse atque solicitum.Vnde & D.Augustinus legit, curam geram. Sic ergo,cogitare,hic accipi debet quomodo & in euangeliis,vbi legimus : Quis vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suã cubitum vnum:Quo loco Græcis est μεριμνῶν,participium scilicet verbi hic positi, quod solicitum esse significat.Cuius verbi significatio hic obseruanda, contra eos qui nimiam securitatem prædicant, & inculcant peccatoribus de admissis & remissis peccatis,omnem abiicientes satisfactionis cogitationem & solicitudinem. g

DOMINE DEVS SALVTIS MEÆ.] Nomen, Deus,delendum est,cùm non sit in originali bus,nec apud Augustinum:nec in quibusdam nostris scriptis antiquis. h

In finem pro Idithum canticum Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXVIII.

QVanquam quidam putent Prophetam hunc Psalmum cecinisse,cùm acerbissimis morbi alicuius doloribus cruciaretur:tamẽ verisimilius ab aliis existimatur vir sanctus fecisse versus hos occasione eorum quæ passus est,cùm sibi Absalonem fugienti,Semel occurrisset in via,& calamitatem eius acerbissimè cognitis exagitaret,quæ sedatè ac patienter tulit.Itaque primum cauit,quomodo cùm in sua calamitate ab improbis vehementer incesseretur,sese tamen continuerit,ne indignã viro bono efficeret contra peccatores:deinde quomodo,doloris ui coget te,Deo loquutus sit,à quo velut tædio huius uitæ affectus numerum dierum uitæ suæ interroget simul deplorans brevitatem,calamitatem, ac uanitatem vitæ hominem & demum peccatorum suorum remissionem,ac afflictionis suæ,quam peccatis suis debitam agnoscit,liberationem orans. Docet autem, ut ne & nos ab improbis iniuriati lingua peccemus,& ut diuinam imploremus misericordiam:cùm à Deo affligimur propter peccata nostra,illisq; quæ patimur accepta feramus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Dixi custodiã uias meas,*
**ut non delinquam in lingua mea.*

2 *Posui ori meo custodiam*

**cum consisteret peccator aduersum me.*

3 *Obmutui, & humiliatus sum,*
**& silui à bonis:*

** & dolor meus renouatus est.*

4 *Concaluit cor meũ intra me:*& in meditatione mea exardescet ignis.*

5 *Locutus sum in lingua mea.*

STatui apud me ita obseruare omnes meas actiones,vt non solũ non mala opera agendo,*sed ne lingua mea etiam peccarem, effutiẽdo ea quæ viro bono parum digna essent. *Psal. 38.*

2 Itaque non ignorans faciles linguæ lapsus,imposui ori meo custodiã, diligenter ego ipse custodiui os meum,quasi fræno ac clausura quadã illud continens,*dum impius contra me itaret,insultans in meam calamitatem,méq; conuitiis & maledictis acerbissimè incessens,

3 Tunc certè obmutui,meipsum q; humiliaui , repetens memoria ob commissa à me peccata illum cõtra me insurgere:& adeo quidẽ inimici contumelias silentio tuli,vt non à malis tantum,* sed & à bonis silerem.Dum enim nimis timerem ne loquerer aliqua mala,tacui etiã bona,veritus quoque ne & bona raperentur in malam partem,tacẽs ob id etiam mea beneficia,nec ea proferens quibus excusarer.*Interea autem dum sic à sermone tempero,dolor meus,quo affectus eram ob immissam calamitatem,iam innouatus est,magisque ac magis auctus.

4 Concaluit intra me cor meum,& dum in silentio mecum reuoluerẽ, nunc mala in quibus versarer,& horum causas,peccata mea , nunc impiorum indignam contra me improbitatem,*multum accensus est in me quasi ignis,zelus iræ & indignationis cuiusdam,tũ contra meipsum qui meis peccatis eas miserias mihi peperissem,tum contra impios iniquè me factis,dictisque iniuriosis lacessentes.

5 Tandem verò cùm me diutius continere non possem,in verba prorupi,moriendíque magna cupiditate relatus dixi ad te in oratione mea:

*Notum

**notam fac mihi domine finem meum.*
*& Et numerum dierũ meorum:*ut sciam quid desit mihi.*

7 Ecce mensurabiles posuisti dies meos:
**† & substantia tua tanquã nihilum ante te.*

8 Veruntamen uniuersa uanitas,
**omnis homo uiuens.*

9 Veruntamen in imagine pertransit homo:
**sed & frustra cõturbatur.*

10 Thesaurizat & ignorat cui congregabit ea.

11 Et nunc quæ est expectatio mea,nónne Dominus?

** † & substantia mea apud te est.*

12 Ab omnibus iniquitatibus meis eripe me:
**opprobrium insipienti dedisti me.*

13 Obmutui,& non aperui os meum:
**quoniam tu fecisti:*
**amoue à me plagas tuas.*

14 A fortitudine enim manus tuæ ego defeci:

**in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem.*

15 Et tabescere fecisti sicut aranea animam eius.

**uerumtamen uanè conturbatur omnis homo.*

16 Exaudi orationem meã domine, & deprecationem meam auribus percipe, lachrymas meas.

17 Ne sileas:
**quoniam aduena ego sum*

*Notum fac mihi Domine,quisnam & quando sit futurus finis vitæ meæ huius calamitosæ,cuius iam multum tædet animam meam. a

6 Fac sciam Domine quis sit numerus dierum vitæ meæ,quantámque mensuram ac periodum vitæ mihi statueris : * vt cognoscam quantum temporis adhuc mihi desit:quo finito,ex hac vita omnibus malis liberatus emigrare potero.

7 Tum etiam vitæ hominum breuitatem ac miseriam lamentabar, dicens:Ecce Domine,breues valde constituisti dies vitæ meæ,facileq; ob eorum breuitatem mensurabiles:*& substantia mea,ac vitæ meæ tempus,quo in hoc corpore in terra subsistam,quasi nullius est durationis, si ad tuam æternitatem conferatur,†atq; à te,qui æternitatem inhabitas,pro re nihili reputatur.

8 Et certè vniuersa quæ sunt in hoc mundo,res sunt vanissimæ, instabilitati continuè obnoxiæ:*inter omnia autem maximè vana res est,omnis homo viuens in hoc mundo,mutationibus ac malis præ aliis creaturis magis subiectus.

9 Certè enim,instar inanis umbræ,quæ imago rei est nõ res,homo pertransit in curriculo vitæ huius,nunquam permanẽs in eodẽ statu ac velociter festinans ad mortem.*Accedit ad hęc incommoda,quod is nequit hoc pauxillum temporis quod illi datum est,tranquillè, placidéq; traducere,sed turbulentis animi permotionibus, timoris scilicet, cupiditatis,solicitudinis,lætitiæ,reliquarumq; passionum semper agitatur idque frustra & inutiliter.

10 Eorum autem,in quibus inaniter & vanè homo cõturbatur, hoc vel potissimum est,quod summo studio & labore multa congregat,nec tamen scit cui ea congregabit.Sibi quidem ac hæredibus colligere se putat,verùm ignorat miser num collectis frui in hac vita dabitur,aut quibus post mortem obuentura sint,cum frequenter etiam hostibus aut furibus cedant,& vt veris obtingant hæredibus,quales hi futuri sint,grati ne an ingrati,partis bene vtentes,an non,penitus ignorat. b

11 Cùm igitur tam miserè se habeant res meæ,omnísq; homo,& quicquid moliuntur homines,plenum sit summæ leuitatis,& inanitatis quis est qué nunc mihi expectem in adiutorem & liberatorem?nónne Dominus?*Imo certè tu Domine vnus es,in quo omnem meam spem constituo omne meum esse ac subsistere tibi commendaui, † quiq; ex meipso deficio in his malis,apud te per fixam in te spem subsisto.

12 Tu itaq; pro tua erga sperantes in te misericordia, libera me ab omnibus iniquitatibus meis,vt à malis,quæ propter eas patior,liberer. c
*Jam enim propter peccata mea permisisti me haberi ludibrio,stultus hominibus iudicia tua ignorantibus.

13 Ego autem cum me maledictis incesserent,obmutui,nec aperui os meum,siue ad diluendum obiecta falso crimina,siue ad regerendũ maledicta,sed patienter tuli,*propterea quod sciebam te,qui nihil iniustè aut vis,aut agis,hæc mala quæ patior mihi immisisse,& vt mihi improbi maledicerent te permisisse,& voluisse,ad exercendam patientiam meã & ad castigationem mei:*verùm iam tandem verberandi fac finẽ,cæsq; plagas,quas tu inflixisti,tu ipse item remoue à me.

14 Hoc enim iam res postulat,quandoquidem præ grauitate vltionis tuæ,& præ fortitudine vlcris tuæ potentiæ,qua grauissima mihi mala immisisti,ego iam penè defeci viribus animi & corporis:imò & vita penè destitutus,& ita vltione tua confectus,vt diutius tuam vltricem manum ferre nequeam.*Tu enim domine propter commissam iniquitatẽ tuis castigationibus soles corripere hominem peccantem.

15 Imo & eo procedit nonnunquam tua indignatio & vltio,vt homines nimio cruciatu,mœrore ac lachrymis facias cõtabescere,langueścere, ac macerari,quemadmodum tabescit aranea omni humore & vigore exiccata,quæ seipsam cõtinuo in texendis telis labore exhaurit:*verũtamen hac in re etiã verum experior quod prius dixi,nempe quod inaniter omnis homo conturbatur.Vanum est enim in malis quæ incidũt, aut à Deo immittuntur,immodico dolore torqueri,consultiúsq; fuerit & vtilius & tranquillo etiam in malis persistere animo,& ad te pro impetranda consolatione confugere,quod ipsum nunc mihi faciendũ esse putaui.Vnde te precor,dicens: d

16 Exaudi quæso Domine orationem meam & deprecationem meam lachrymas meas,quas inter peccandum ad te fudi. e

17 Ne quæso despicias neue dissimules,sed respondę,& satis fac eis,præstans quam peto liberationem: quoniam etsi apud homines reputer simul cum aliis terræ indigena,tamen in conspectu tuo sum tanquam aduena, & peregrinus , sicut omnes maiores mei. Aliunde enim in

apud te,& peregrinus ſicut omnes patres mei.

hunc mũdum venientes alienam terram inhabitamus, in qua proinde non fixam habemus ſedem,ſed te volente,qui terræ verus es Dominus mox quaſi peregrini hinc tranſimus.

18 *Remitte mihi,*

** ut refrigerer priuſquam abeam,& amplius non ero.*

18 Quoniã igitur breuis eſt mihi in hac vita manſio,ne hoc ipſum breue tempus totum in ęrumnis tranſigatur,remiſſius leuiúſq; mecũ age, remitte mihi flagella tua,*vt ab his liberatus paululum reſpirem,& cõſoler priuſquam hinc abeam,qu ando amplius non ero in hoc mundo inter homines.

Annotationes.

a NOTVM FAC,&c.] Quoniam indignũ videtur viro ſancto velle cognoſcere finem vitæ ſuæ,quem omnibus Dominus voluit eſſe incognitum,intelligunt quidã prophetam hic loqui de fine,non vitæ,ſed calamitatum. Verùm quoniã ſequitur,& numerum,conſtat eũ loqui de fine vitæ quem ſcire optat,non φ velit ſimpliciter Dominũ illum ſibi indicare,ſed hoc petitionis modo ſignificat deſiderium mortis ex tædio vitæ calamitoſæ, ſicut cùm calamitate nos opprimẽte dicimus:quãdo Domine facies finem? pro eo quod eſt, ô vtinã
b faceres finem.

ECCE MENSVRABILES,&c.]Pro mẽſurabiles,D.Auguſtinus legit,veteres. Cuius lectionis interpres videtur legiſſe παλαίας. Ea eñ dictio veteres ſignificat.At legendũ eſt παλαιστὰς,vt modò Græca habent.Quam dictionẽ dupliciter accipi poſſe indicat Euthymius. Vno modo, vt vertatur,contentioſos,vt ſit à verbo παλαίω, quod luctari ſignificat.Itaq; ſenſus eſſet: Poſuiſti dies meos certaminis ac luctę plenos.Altero modo,vt vertatur palmares,vt ſit à παλαιστὴ,quæ dictio ſignificat menſuram quatuor digitorum,quæ eſt tertia pars palmi,minima omniũ menſura inter vſitatas olim menſuras,quæ manibus fieri ſolebant,& brachiis. Hanc menſuram cùm etiam ſignificet dictio Hebraica,certum eſt in hac poſteriore ſignificatione dictionem Græcam accipiendam.Vnde non male noſter vertit menſurabiles,ſignificãs eos facilè ob breuitatem ſuam menſurari poſſe quamuis dictio Græca ſit efficacioris ſignificantiæ.

c THESAVRIZAT,&c.] Quidã hunc verſum intelligut de homine,de quo loquitur Eccleſiaſtes cap.4.qui laborat & theſaurizat, cum tamen non habeat aliquem hęredem cui cõgreget. Verũ ſen-
d ſus paraphraſis generalior eſt hoc ſenſu.

ET SVBSTANTIA,&c.]Pro ſubſtãtia,Græcis eſt ἡ ὑπόστασις.Hebrea dictio æuum hominis ſignificat,ac vitę tẽpus.Ideóq; in paraphraſi interpretati ſumus ſubſtantiam,pro ſubſtantia.Nam & hoc proprie Græca dictio ſignificat.Dum autẽ ſequitur:Et ſubſtãtia mea apud te eſt:etſi ſit Gręcis eadem dictio,non tamẽ Hebręis,ſed ſignificat Hebraica dictio ſpem & prętolationẽ.Vnde expoſuimus de ea ſubſiſtentia,qua apud Deum,& in Deo per ſpẽ ſubſiſtimus.Et in eo verſu Euthymius legit παρὰ σοὶ ἐστι,id eſt,à te eſt.At alij libri habẽt παρά σοι,hoc eſt,apud te,qđ magis Hebręis conuenit.

IN INCREPATIONIBVS,&c.] Illud, in increpationibus,potius coniungendũ eſſe ſequentibus,quàm præcedentibus, quomodo coniungit Auguſtinus,docent Hebręa,cũ ſit in Hebręo principiũ noui verſus.Poſſet autem etiã intelligi propheta hic loqui de ſeipſo in tertia perſona,vt ſit ſenſus:me hominẽ miſerum corripuiſti. Sic enim intelligit Euthymius, qui in verſu ſequenti legit, animam meam,cum alij libri Græci habeãt αὐτοῦ, hoc eſt eius,conſentientibus Hebræis. e f

VANE CONTVRBATVR,&c.]Hebręis non eſt,conturbatur,ſed tantum,vanitas eſt omnis homo.Et Gręcis tantum eſt,μάτην πᾶς ἄνθρωπος,hoc eſt,vane omnis homo.Euthymius tamẽ vult repetendum eſſe verbũ,conturbatur,ex pręcedẽtibus.

LACHRYMAS MEAS.]Accuſatiui iſti in noſtris libris ſeparantur à ſequentibus,ne ſileas. Et hæc fere ſeruatur diſtinctio in hoc verſu: Exaudi orationẽ meam & deprecationẽ meã,vt hic ſit pũctus. Deinde ſubiiciatur:auribus percipe lachrymas meas,quomodo Auguſtinus quoq; diſtinguit ſed is legit:ne ſileas à me,cùm à me,nec Græci habeant,nec Hebræi, iuxta quos vtroſq; accuſatiui iſti iunguntur cũ verbo ſequenti,ne ſileas,habentque Hebræa clarius:Ad lachrymas meas ne ſileas. Et Euthymius,ne ſileas,exponit pro,nõ deſpicias. Nam qui aliquẽ deſpiciunt,tacere ſolent.Vnde rectior diſtinctio eſt,vt accuſatiui iſti ſequẽti verbo iungantur,etſi in alio verſu poſito apud nos. g h

ADVENA EGO,&c.]Aduenas nos eſſe oẽs manifeſtum eſt.Verũ dubiũ eſt, quid ſit,aduena ſum apud te.Quod quidam ſic intelligunt:ego coram te ſic me gero,quaſi aduenam & peregrinũ in hoc mundo.Verum hic ſenſus vt propoſito parum cõuenit,ita alienus eſt à loco libri 1. Paralip.29.vbi in concione ad populum idem,dicit Propheta Dauid,& ex præcedentibus & ſequẽtibus ſatis patet, ideo ſe dicere aduenam & peregrinum corã Deo, quia ſi ad Deum conferamur,non ſumus veri terræ domini, cuius ſolus Deus dominus eſt,cuius proinde omnia ſunt quæ in terra ſunt,quiq; ob id nos,cum vult,ex hac terra auferre poteſt. i

REMITTE MIHI.]His verbis nõ peccatorum remiſſionem poſtulat,ſed relationem pœnarũ,vt patet ex Hebræis,quæ habent:Deſine à me, vel,parce mihi.

In finem Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XXXIX.

EX ingenti periculo Dei ope ſe liberatum uir ſanctus hoc Pſalmo gloriatur,eiuſq; inexplicabilẽ in timentes eum bonitatem admiratur,propter quam,eo quod Deus ſacrificia non moretur,ſed requirat ipſum hominem præceptis ſuis auſcultantem, canit ſe addixiſſe ei ad faciendam uoluntatem eius,celebraſſe quoque iuſtitiam eius & bonitatẽ in frequenti hominum conuentu. Poſtremum autem commemorata malorum ſuorum magnitudine,ab his liberari,hoſtes ſuos deiici, bonos benignitate Dei in ſe exhibenda exhilarari precatur. Videtur autem Pſalmi finis cum principio haud rectè conuenire, cùm initio glorietur ſe malis ereptũ,in fine uerò à malis,quibus circundatum ſe queritur,liberari exoptet. Ad quod primũ dici poteſt,ſicut in aliis iam prius eſt dictum,in fine Prophetam ſubiunxiſſe orationem,qua olim ea mala deprecabatur, à quibus ſe in principio liberatum canit,ut primum in exemplum noſtri gratitudinẽ animi ſui commonſtret,ac deinde quomodo in malis ſuis Deum orauerit Secũdo,rectè intelligitur propheta multis oppreſſum malis,poſt expertã aliquando Dei in ſe benignitatem,prima Pſalmi parte gloriari de conſecuta prius à Deo liberatione,ſicuti ab eo ſperauerat, ac deinde ex huius benignitatis recordatione fidentiorẽ factum,vt & à præſentibus malis ipſum erueret,vt ſicut cum à Saule,ita & ab Abſolone perſequente liberaret.Quoniam autem Apoſtolus ad Hebræos verſum 9.10.& 11.de Chriſto interpretatur,patet Dauidem hæc de ſe dicentem,in Chriſtum reſpexiſſe,eiusq; in his ſicut in alijs typum geſſiſſe, in quem ea quæ illis verſibus & aliquot ſequentibus dicuntur,longe perfectius competunt de quo proinde etiam totus Pſalmus rectè exponitur,quaſi totus ab eo prolatus.Idq; bifariam commode fieri poteſt.Primum vt principio Pſalmi Chriſtus accipiatur gloriari de ſua,per reſurrectionem,liberatione à morte et inferno,& in fine,quaſi in cruce ac in paſſione conſtitutus,precari à malis innumeris liberationem.Secundo,vt primis Pſalmi verſibus accipiatur Chriſtus loqui in perſona eccleſiæ fidelium,expectantis ab initio mundi ſalutem à Domino,per Chriſtum tandem ei donatam:ac deinde loqui Deo patri in propria perſona, coram quo rationem ſui in hunc mundum aduentus, ſuumque euangelizandi munus rectè adminiſtratum exponit. Poſtremum rurſus accipiatur loqui in perſona Eccleſiæ & in ſua perſona precari pro membris ſuis (quorum miſerias & peccata ſua reputat)vt à peccatis,miſeriis,& inimicis liberentur membra ipſius:quæ etſi ſanguine eius ſanctificata,frequenter tamen adhuc peccant,variiſq; malis à mundo & à dæmone afficiuntur. Ab hoc autem exponendi hunc Pſalmum modo, non multum differt illorum interpretatio qui in principio & in fine eccleſiam loquentem intelligunt,in medio verò Chriſtum.Siquidem in Prophetis frequens eſt tranſitus à corpore Chriſti myſtico,ad corpus Chriſti verum,& econtra,atque tum quidem perinde fuerit,ſi dixerimus Chriſtum loqui nunc in ſua perſona,nunc in perſona membrorum ſuorum,ſponſæque ſuæ eccleſiæ,cum qua vnum eſt corpus.

Paraphrasis eiusdem.

1 *Expectans expectaui dominum,& intendit mihi.*

CVm in profundo malorum hærerem,ardenter,continuo, & confidenter expectaui mihi Dominum in liberatorem:* nec fefellit me expectatio mea,cum orarem eum in malis meis,attendit ad me, oratio nem meam recipiens. Pſal.39. a

2 *Et exaudiuit preces meas,* & eduxit me de lacu miſeriæ,& de luto fecis.*

2 Et exaudiuit preces meas,* & eripuit me è miſeria & calamitate, in qua tanquam in lacu quodam, demerſus etiam, & tanquam in luto feculento valde & cænoſo detinebar,nec conſiſtere,nec inde me eximere valens.

3 *Et ſtatuit ſuper petram pedes meos:* et direxit greſſus meos.*

3 Ereptum autem me ſic firmum ac ſecurum conſtituit, vt iam quaſi ſuper firmam petram immotus conſiſterem,qui prius quaſi in fluido limo hærebam,* fecitque vt inoffensè ac recto pede ambulare poſſem.

4 *Et immiſit in os meum canticum nouum:*

** carmen Deo noſtro.*

4 Et dedit in ore meo canticum nouum, dum & nouam obtulit materiam noua laude ſe celebrandi,ob innouatam eius in me beneficentiam: & animum meum ipſe accẽdit ad deprædicandum noua gratitudine nouum beneficium.* Dedit,inquam, in os meum carmen: quod decantarem in laudem ipſius,qui eſt Deus noſter.

5 *Videbunt multi, & timebunt:* & ſperabunt in Domino.*

5 Videbunt multi exhibitam Dei in me benignitatem, & ad meum exemplum Dei bonitate permoti,reuerebuntur Dominum placere illi per obſeruationem mandatorum ſtudentes: * & ſperabunt in illo, ſeſe illi totos committentes, quem in me vident ſperantes in ſe non derelinquere.

6 *Beatus vir cuius eſt nomen domini ſpes eius:* & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.*

6 O quàm verè, nimirum ipſa experientia edoctus, exclamare iam poſſum, beatum eſſe eum qui ſpem ſuam in Domino collocauit: * & non,vt plerique hominum faciunt, reſpexit ad vanitates & inſanias fallentes,ſalutem ab illis expectando,quales res ſunt in primis idola, idolorúmque inſana ac deſipientia vaticinia, tum ſuperſtitioſæ quæuis obſeruationes:deinde & creaturæ quæuis huius mundi res vaniſſimæ, rerum verarum tantummodo vmbræ,dementantes homines,ac fruſtrantes expectata ab eis ſalute,& fœlicitate.

7 *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua:*

** & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.*

7 Multa certè ſunt Domine Deus meus opera tua mirabilia,quæ non mihi ſolum, ſed omnibus tibi credentibus, omni tempore feciſti: * & b non eſt vel in diis, vel in angelis,vel in hominibus quiſquam, qui ſit ſimilis tibi in cogitationibus tuis, quibus ſedulò nos curas:non eſt quiſquam,qui tales rationes,qualibus tuos ſeruare decernis,excogitare valeat, adeo ſunt eæ mirabiles, omnẽmque ſuperantes exiſtimationem.

8 *Annuntiaui, & locutus ſum,* multiplicatæ ſunt ſuper numerum.*

8 Si quando (vt frequenter feci) conatus ſum annuntiare, & eloqui cogitationes tuas mirabiles,* ecce reperi plures eſſe,quàm vt numerari queant. c

9 *Sacrificium & oblationem noluiſti:*

** aures autem perfeciſti mihi.*

9 Quum ergo tam multa & magna tua ſint opera, quæ operatus es, d tum pro me priuatim,tum pro populo tuo in vniuerſum, quid eſt quod tibi potiſſimum viciſſim offeremus?an legales victimas? At ſacrificium pacificorum,& oblationem libaminum non per ſe, nec magnopere requiris: * aures autem meas aperuiſti mihi,eáſque perfectas atque purgatas feciſti:quia cum plerique adeo ſurdi ſint,vt quid maxime requiras non poſſint intelligere:auréſque tam habeant grauatas, vt tibi non auſcultent,mihi cognoſcere feciſti quid potiſſimum probes, méque tibi auſcultantem & acquieſcentem feciſti.

*10 Holocaustiũ & propeccato non postulasti: * tunc dixi,ecce venio.*
*11 In capite libri scriptum est de me,vt facerem voluntatem tuam. * Deus meus volui,& legem tuam in medio cordis mei.*
*12 Annuntiaui iustitiam tuã in ecclesia magna: * ecce labia mea non prohibebo, domine tu scisti.*
13 Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: & veritatem tuam & salutare tuum dixi.*
14 Non abscondi misericordiam tuam & veritatẽ tuã à consilio multo.
15 Tu autem domine ne longe facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperũt me*
16 Quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderũt me iniquitates meæ:* & non potui vt viderem.*
*17 Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: * & cor meum dereliquit me.*
18 Complaceat tibi domine vt eruas me: domine ad adiuuandum me respice.*
19 Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam vt auferant eam.*
*20 Conuertantur retrorsum *& reuereantur qui volunt mihi mala.*
21 Ferant confestim confusionem suam,quæ dicunt mihi:Euge,euge.
*22 Exultent & lętentur super te omnes quærentes te: *& dicant semper:Magnificetur dominus, qui diligũt salutare tuum.*
*23 Ego autem mendicus sum & pauper * Dominus solicitus est mei.*
*24 Adiutor meus & protector meus tu es: * Deus meus ne tardaueris.*

10 Holocaustum & hostiam pro peccato non magnopere postulasti, nec per se hæc tibi grata sunt:* quod ego à te instructus intelligens,dixi,ecce Domine ego ipse paratum me exhibeo ad faciendum voluntatem tuam. c

11 In summa enim legis tuæ scriptum est de me. Id potissimum est quod tota lex tua à me exigit, vt facerem voluntatem tuam,* id certè mi Deus volui,& legem tuam in medio cordis mei repositam seruaui, iugiter meditans de obseruatione eius, qua tibi gratificarer. Quandoquidem intellexi omnibus externis victimis meliorem, & gratiorem tibi esse obedientiam & studium gratificandi tibi. f g h

12 Et quoniam summè tibi acceptum est sacrificium laudis,& prædicatio nominis tui, in frequenti hominum congregatione prædicaui iustiam tuam,quam iuxtà promissum tuum seruasti erga me, semperque seruas erga sperantes in te:* ecce labia mea à laude & prædicatione nominis tui nequaquam continui, nec vnquam continebo, quod & tu Domine ipse optimè nosti. i

13 Iustitiam tuam,qua promissa sperantibus in te præstas, non celaui in corde meo:* fidelitatem tuam in præstandis promissis, & salutem, quam sperantibus in te semper exhibes,palam annuntiaui.

14 Non destiti frequenti hominum conuentui commemorare tuam & misericordiam & fidelitatem, quæ vtraque in præstandis promissis relucent.

15 Tu autem domine ne quæso vnquam miserationes quas mihi semper impendisti,& ego semper prædicaui,auferas à me:* sed misericordia tua & fidelitas tua in seruandis promissis & tunc & semper me defendant.

16 Nunc enim ex omni parte me circundederunt mala innumerabilia,* iniquitates meæ comprehenderunt me, quia propter eas multis iam malis premor:earúmque recordatio animum meum totum occupat & perturbat:* quas cùm considerare conatus sum,plures esse inuenio,quàm vt eas videre & despicere potuerim. k

17 Multiplicatæ sunt magis quàm capilli capitis mei,* quare & animus meus me destituit ob multitudinem tum calamitatum, tum maximè peccatorum admissorum,propter quæ hæc mala mihi accidisse cognosco.

18 Verùm iam tandem Domine pro solita tua in me benignitate cõplaceat tibi,vt eruas me ab his malis simul & à peccatis meis: *Domine iam tandem benigno tuo vultu me respice ad adiuuandum me contra inimicos meos.

19 Confundantur & pudore afficiantur frustrati sua spe, omnes pariter,*qui persequuntur animam meam,vt eam mihi auferant.

20 Conuertantur in fugam,re infecta à me discedant, fugiántque, te eos impellente,sicque frustrati ignominia afficiantur quotquot cupiũt mihi mala.

21 Accipiant confestim pro mercede confusionem, quæ illorum iniquitati debetur,eámque,qua me afficere conati sunt, perferant confusionem omnes qui insultantes mihi in malis meis,dicunt mihi,vah,vah.

22 Contra verò fac,vt omnes te inuocantes,tibique placere studentes exultent & lętentur super te,videntes in me tuam benignitatem,*& fac vt quotquot diligunt salutem tuã,& à te saluari desiderant,dicant semper:Magnificat Dominus,erga suos tam misericors,& iustus.

23 Ego quidem pauper sum,& humano destitutus auxilio,* sed tamẽ Dominus curam gerit solicitam mei.

24 Adiutor meus & liberator tu es in omnibus malis:* quare te quæso mi Deus meus,ne diutius differas mihi adferre in his malis auxiliũ. l

ANNOTATIONES.

a INTENDIT MIHI.]Ex Hebræo patet verbũ, intendit non debere exponi per,respexit,vt pleriq; intelligunt,exponentes,intendit mihi,hoc est, ad me benigno suo vultu respexit. Hebræa enim habent,& inclinauit ad me scilicet seipsum,vel aurem suam. Vnde intendit mihi, accipiendũ est pro attendit ad me.Nam & Græcis est προσεσχε μοι, ꝙ magis est,attendit mihi.

b MVLTA FECISTI,&c.]Pleriq; hanc partem accipiunt,vt sit Hebraismus,& ex Hebraica phrasi subaudiatur relatiuũ,ordineturq; in hũc modum: Multa sunt mirabilia tua,quæ fecisti tu dñe Deus meus,Potest tñ etiã sine hac subintellectione,quæ durior videtur,sic ordinari:Fecisti Dñe multa esse mirabilia tua,hoc est,non tantum fecisti mirabilia quędam sed mirabilia tua multiplicasti,effecisti vt ea multa essent. Cui bene cõuenit quod sequitur.

MVLTIPLICATI SVNT, &c.] Hebræa simul & Græca non requirunt masculinum, multiplicati sunt:cum sint verba indifferentia cuiuis generi,& verti etiam possint, multiplicatæ sunt, vel multiplicata sunt.Quomodo vt verteretur,præcedentia requirunt.Vnde Hieronymus vertit:plura sunt,quàm vt narrari queãt,scilicet mirabilia tua. Sic & Euthymius:Proinde benè annotat Lyranus literam nostram hic esse vitiosam,ita vt legendum sit: c

sit:multiplicata sunt,aut potius(quod in quibusdã nostris libris iam legitur,) multiplicatæ sunt,vt ad cogitationes referatur.Quod si quis cum Augustino legere velit masculinum genus, sensus erit:Annũtiaui & locutus sum mirabilia tua & cogitationes tuas, quod cum facerem multiplicati sunt super numerum,qui meæ prædicationi crediderunt.

AVRES AVTEM PERFECISTI Hebræa habent: aures fodisti vel perfudisti:Græca,corpus autem perfecisti vel aptasti mihi,quomodo & Paulus citat in epistola ad Hebræos,quod ea lectio tũc multum recepta,suo proposito magis conueniret. Itaque nostra lectio,in eo quod habet, aures,non corpus,secuta est Hebræos:in eo verò quod habet, perfecisti,nõ fodisti,secuta est Græcos. Dupliciter autem intelligi potest,quod habẽt Hebræi: Aures perfodisti mihi.Potest enim accipi hoc sermone alluſum esse ad id quod Exodi 21. præceptum legimus de seruo Hebræo,qui in anno remissionis seruitutem libertati prætulit.Eius aurem iussit Dominus per herum posti domus affigi, in signum perpetuæ seruitutis.Ad quod si hic alluſum est, quod dicit Psalmista,perfodisti mihi aures,hunc sensum habebit,addixisti me tibi in seruum perpetuum,sicut illi dominis suis addicebãtur, quib⁹ aures perfundebantur.Aliter omnes Hebræi ferè hoc sermone intelligunt significari idẽ quod aures mihi aperuisti,vt idẽ hic significetur,quod,cùm dicit Isaias, Dominus Deus aperuit mihi aurem.Aperit autem aures Deus alicui,siue cùm interiori & secreto suo afflatu eum docet,quæ aliis sunt velata & incognita, quale est istud de sacrificiorum externorũ reiectione:siue cum hominem ad auscultãdum & obediendum adaptat.Et vtrumque hic simul significatum rectè intelligitur, sicut & in nostra lectione, cum dicitur:aures perfecisti mihi,hoc est,perfectas & purgatas mihi aures pręstitisti, vt & intelligerẽ quę vulgus parum intelligebat,& ad obediendum tibi me totũ dederẽ.A quo sensu non est diuersum quod Græci legut,corpus perfecisti mihi. Cũ enim quis se totum tradit obedientię volũtatis Dei,corpus eius alioqui voluntati Dei rebelle, ad obsequium eius formatur,atque perficitur,vt pro sacrificiis illis veteris legis,gratius iam Deo sacrificium offeratur,iuxta illud Pauli.Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem,sanctam,Deo placẽtem rationale obsequium vestrum.Cæterum vt Christo competit perfectissimè,& edoctum esse à patre,& obedientiam illi exhibuisse:ita in eũ singulari ratione quadrat vt dicere possit,corpus perfecisti mihi,eo quod ex purissima virgine diuinitus acceperit ab omni labe liberum corpus, ad hoc sic perfectum,vt pro omnibus veteris legis sacrificiis Deo patri in salutem hominum offerri posset. Vnde non mirum si de Christo istud peculiariter dictum citauerit Paulus. d

HOLOCAVSTVM ET PRO.&c.]Obseruandum est prophetam quatuor sacrificiorum veteris legis genera hic enumerare, de quibus agitur in principio Leuitici.Nomine enim sacrificii,pro quo Hebræis est זבח zebah,significantur sacrificia pacificorum,quæ non tota comburebantur:Nomine oblationis,pro quo Hebræis est, מנחה minha,significantur oblationes ex rebus inanimatis, vt ex frugibus cum libamẽtis eorum,de quibus Leuit.2. Nomine holocausti,significãtur ea quæ ex animalibus tota cremabãtur.Per illud,& pro peccato,significatur genus sacrificiorum, quod pro peccato, offerebatur. Subaudiendum enim est, & hostiam e pro peccato,cùm Hebræis sit dictio, quæ propriè significat peccatum, & per translationem hostiam pro peccato.

IN CAP.&c.] Difficultas est nõ parua in hoc versu.Primũ enim non videtur,quomodo hæc Dauidi conueniant, cui tamen primo & literali sensu totus Psalmus aptandus videtur,cùm Christo non satis propriè conueniant quæ sequuntur:Comprehẽderũt me iniquitates meæ. &:Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. Eius enim hæc,propriè sunt,cuius sunt Psalmi duo præcedentes, & alii,in quibus similiter propheta multitudinem suorum peccatorum agnoscit. Deinde etiam cùm Christo hæc tribuuntur,(cui soli hæc competere videntur, ita vt ob hæc verba,versus aliquot,imo & totũ Psalmum plerique contendant de solo Christo etiam in literali sensu esse intelligendos)obscurum est de quo capite libri,& de quo libro hic sit sermo.Vt ergo ad verum & solidum huius loci sensum perueniatur,sciendum primo Hebræa non habere,in capite libri,sed in volumine libri. Dicitur autẽ volumẽ libri,liber plicatilis & inuolutus. Veteres enim non solum Hebræi,sed & Ethnici scribere solent in membranis aut chartis,quæ in rotundum conuoluebantur.Vnde Isaię 14.dicitur: Complicabuntur cœli sicut liber.Et apud Ethnicos voluminum fuisse vsum,satis indicat prouerbium illud,Ad vmbilicum perducere,pro eo quod est, librum finire, atque absoluere.Erat enim vmbilicus,vt quidam volunt, lignum, circa quod chartę describptę circumuoluebantur.Sed & hodie Iudęi in huiusmodi circumuolutis chartis legem ac prophetas scribere dicuntur,Barbare rotuli vocantur.In eundem sensum, id quod est Græcis, ἐν κεφαλίδι βιβλίς, accipit Euthymius,exponens dictionem κεφαλὶς per volumen,(cùm hoc ea dictio significare nõ videatur) forte ob id quod volumina,hoc est,inuolutæ chartæ, in quibus primum scribebatur summatim, in vnum conuoluerentur,nã κεφάλαιον & κεφαλὶς Græcis non tantum caput corporis partẽ significat,sed & pro summa rei ponitur,sicut & apud nos caput, quomodo ad Hebræos 8.dicitur:Caput autem super his quæ dicũtur.Et Græcis ἐν κεφαλαίῳ ponitur pro,in summa,vel ad summam,vel summatim.Itaque quo nostra litera eundem habeat sensum,quẽ originalia Hebræa, aut saltẽ nõ multum diuersum intelligere licebit dictum in capite libri, pro eo ꝙ est in summa legis, aut diuinarum scripturarum. Notandum prętera Hebręa nõ habere de me sed עָלַי Alai,idem scilicet quod super Psal.37.cum dicitur,super me magna locuti sunt:quod etiam potest significare,pro me vel propter me,sicut & Græca περὶ ἐμέ.Sensus ergo esse potest: In scripturis sacris scriptum est pro me,vel propter me, hoc est illud est quod à me potissimum tota scripturarum summa requirit,nẽpe nõ tam vt sacrificiis incumbam,quàm vt faciam volũtatem tuam. Illud enim præter alia loca aperte requiritur in Deut.cap.10. præcipuo scilicet diuinę legis libro,cum dicitur:Et nunc Israel,quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum,& ambules in viis eius,& diligas eum,ac seruias Domino Deo tuo in in toto corde tuo:&c. quę & prosequitur Moyses illo capite & sequenti.Et qua doctrina processit sapiens cuiusdam scribę, Marci 12. responsum, qui dilectionem Dei & proximi, præferendam asseruit omnibus holocaustomatibus & sacrificiis.Hic ergo conueniens est intellectus huius loci, iuxta quem hęc pars versus non tantum Christo, sed etiam

etiam Dauidi,& cuius iusto in literali sensu cõpetit. Iuxta quam intelligendi rationem etiam Christo hæc verba cóueniunt,idque longè excellentius, vt de eo particulariter hęc Paulus citauerit.Ipse enim est,de quo potissimum scriptum est in totius scripturæ sacræ summa,quæ tota in illum tendit. Ipse est,quem scriptura significat futurum perfectè voluntatem Dei, sic vt Deum esset reconciliaturus hominibus sua obedientia. Quod si quis hanc partem soli Christo contendat conuenire,& caput libri velit cum Diuo Augustino intelligere, principium psalmorum,in quo dicitur,viri beati esse,habere voluntatem in lege Dei:aut cum D.Hieronymo principium Geneseos, in quo rectè sit mentio filii Dei, liberũ illi per me sit,sed agnoscat parum solidam esse intelligentiam, nec originalibus conuenire.Solidior est eorum intelligẽtia, qui de libro prædestinationis diuinæ hunc locum intelligunt, de quo alibi dicit idem prophera : Delcantur de libro viuentium,& cum iustis non scribantur.In huius libri volumine sicut sunt descripti omnes electi,ita in eius capite Christus descriptus est, vt qui sit primogenitus in multis fratribus, per quem solum aliqui sunt prædestinati.

g VT FACEREM.]Quidam hanc partem coniungunt cum eo quod immediatè præcedit, vt sit sensus:in capite libri scriptum est de me, hoc nempe, vt facerem voluntatem tuam Deus meus : Deinde subiũgatur, volui hoc ipsum,scilicet,quod de me scriptum est. Alii eam partem iungunt sequẽti verbo,volui,vt sit sententia à superiori separata,& sit ordo:volui vt facerem,vel potius,vt habẽt Græca & Hebręa,volui facère voluntatem tuã.Id enim est ꝙ in summa totius legis à me exigitur. D. Paulus coniungit cum illo : Tunc dixi, ecce venio,sed tunc magis conueniret vertere,vt faciam,sicut habet epistola ad Hebræos. Et ea pars, in capite libri scriptum est de me,per parẽthesim deberet accipi, interposita. Cæterum illud, Ecce venio in sensu literali,phrasi Hebraica idem est, quod ecce adsum, hoc est, paratum me exhibeo. In sensu verò Christo peculiari, significat eius in hunc mundum aduentum,quemadmodum Paulus interpretatur.

ET LEGEM TVAM,]Aut repetendũ est verbum,volui, aut subaudiẽdum est verbum aliquod h
vt habui,vel seruaui.Pro cordis, Græcis est κοιλίας, hoc est ventris,Idẽ significat dictio Hebraica. Noster videtur legisse καρδίας.Sed sensus eodem redit.

ANNVNTIAVI IVSTITIAM TVAM.] D.Augustinus legit,bene nuntiaui,quia Græcis est εὐηγγελισάμην,hoc est,euangelizaui.Quod verbum in Christum optime quadrat, qui nobis auctor est euangelii,optimíq; nuncii,cui & peculiariter quadrat ecclesia magna,concilium multum,& annuntiatio iustitiæ,quæ per fidem obtinetur.

MISERICORDIA ET,&c.] Sic & pleraque k
Græca habent verbũ ἀντελάβοντο,susceperũt.At Euthymius legit optatiuum,ἀντιλάβοιντο, hoc est,susciant me, quomodo & Hebræa plerique vertunt. Sic enim hæc pars magis cohæret præcedenti.

EGO AVTEM,&c.] Dictio mendicus,sicut & l
pauper,sæpius in Psalmis accipitur,non vt significet indignum rerum temporalium,sed afflictum ac destitutum ope humana.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XL.

HVnc Psalmum composuisse videtur Propheta occasione corporalis morbi, quem se ob peccata sua incidisse agnouit quanquam sint qui sub nomine ægritudinis corporalis putent intelligendam esse calamitatem, quam sub Absalone perpessus est.Commendat autem primum,ac fœlices pronuntiat eos qui afflictos & calamitosos miserantur:tum interposita prece qua sanitatem animæ precatus fuit,queritur de inimicis suis,qui cum ipse æger admodum iaceret,mortem eius optabant etsi aliquando tanquam amici illum inuiserent.Inter quos vnum fuisse queritur,qui cum amicissimus esse debebat,& sperabatur,perdere tamen magis ipsum studuerit.Postea canit,quomodo oranti sibi a morbo liberationem Deus apem tulerit,& sanitate reddita ipsum præstare fecerit,subtractis inimicis eius lętandi super interitu eius occasione, propter quod Dominum perpetua laude prosequendum concludit.Quoniam autem in his quæ Dauid ab iniustis suis inimicis, fictisq; & perfidis amicis pertulit,Christi figuram gessit,rectè Saluator noster versum huius Psalmi,Qui edebat panes meos,&c.in se impletum testatur.Ioannis 13.per perfidiam Iudæ proditoris.Proinde & totus Psalmus recte de Christo exponi potest:sic tamen vt quod peccasse se dicit,de nostris ab illo susceptis peccatis accipiatur,& per ægritudinem corporis, ipsius passiones intelligantur,a quibus per resurrectionem liberari exoptat,ac tandem resuscitatum,ac in cœlestia sublimatum in conspectu patris sui gloriatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.

FOelix ille,qui videns aliquem afflictum,aut rebus, viribúsque attenuatum,non malè sentit de eo,nec aspernatur illum,sed id quod res est de eo cogitat & intelligit,qui scilicet prudenter apud se perpendit non irato Deo,sed benigno Dei consilio illum nunc affligi, vt à grauioribus malis liber sit tum etiam facilè quæ ille nunc patitur sibi accidere posse,atque ob hanc sanam intelligentiam,prudenter quoque sese gerit erga afflictum,compatiendo illi,& quibus potest modis iuuando.

**in die mala liberabit eum Dominus.*

*Hic certè verè beatus est,quia hunc vicissim Deus ab omni malo liberabit,cum tempus malorum inciderit, siue in præsenti, siue in futuro sæculo. a

2 Dominus conseruet eum & viuificet eum,

2 Dominus custodiet eum,ne in malum incidat:aut si inciderit,ne ab eo superetur:& si vel morbum, vel quoduis mortis periculũ incurrerit Dominus eum à morte instante ereptum vitæ pristinæ restituat,*& fœliciter eum viuere faciet in terra,nec permittet eum voluntati & libidini inimicorum eius,quærentium mortem & oppressionem eius.

** & beatum faciat eum in terra,& non tradat eum in animam inimicorum eius.*

3 Si

*3 Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: * † vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

3 Si quando decubuerit in lecto,ob morbi dolorem Dominus auxiliabitur ei, confirmans sua consolatione animum eius ne morbo succumbat,aut ab ægritudine eum curãs,* tu Domine in infirmitate eius vertes & mutabis penitus stratum eius,in quo languidus iacet:reddens eum sanum,vt iam lectum ægritudinis relinquat,& pro eo quietis locum ascendat. † Tu etiam in morbo ipsius sic te geres, quasi si totum eius lectum(vt fieri ad infirmorum cõsolationem solet) versares,angulis vndique ventilatis, facies enim vt mollius cubet, leuiúsque ferat morbum.

4 Ego dixi:Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi.*

4 Ego autem, cùm grauiter ac periculosè, siue corpore, siue animo ægrotarem, méque hominum adiumenta & solatia destituerent, ad tuam misericordiam supplex confugiens, dixi: Tu Domine miserere mei,* sana me ab infirmitate animi & corporis mei.Ego enim in te Domine peccaui, atque ob id animus peccatis pestiferis æger factus est, & corpus graui à te morbo aut calamitate afflictum.Tu autem peccatis meis offensus percussisti solus,solus item Domine sanare potes. b

5 Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius?*

5 Inimici mei mala mihi precabantur, dicentes: * quando tandem iste morietur, & simul cum morte abolebitur nomen eius? Nihil enim auidius optabant,quàm vitæ meæ interitũ,nihil eos magis torsit,quàm vitæ meæ prolongatio.

*6 Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: * cor eius congregauit iniquitatem sibi.*

6 Quod si quisquam illorum ingrediebatur ad me, vt inuiseret me, vana loquebatur, simulans verbis sibi morbum meum dolere, cùm interim summè optaret meum interitum:* cor eius congregauit in seipso iniquitatem,dum officio ficto scelus sceleri adderet,dúmque confiderata valetudine meà,lætitiam in animo conciperet ex spe interitus mei.

7 Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum.

7 Cùm egressus fuisset foras, loquebatur vnà cum reliquis inimicis meis ea quæ circa me vidisset.

*8 Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: * aduersum me cogitabant mala mihi.*

8 Ibi contra me susurrabant inter se omnes inimici mei: * contra me studiosè cogitabant inter se mala mihi.

*9 Verbum iniquum constituerunt aduersum me. * nunquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat?*

9 Contra me tanquam certò implendum statuerunt & diffiniuerunt verbum istud.quod ex iniquo illorum in me odio processit:* Nónne putandum est, inquiebant inter se, quod is qui nunc dormit & decumbit in lecto ægritudinis suæ,non amplius valebit ex eo, resumptis viribus, resurgere?immo dicebant:Tanta est morbi grauitas,vt ab eo nullo modo surgere possit vnquam. c

10 Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos,magnificauit super me supplantationem:*

10 Sed inter cætera illud maximè animum meum dolore affecit,quod etiam homo ille, cum quo fuit mihi arctissima amicitia & familiaritas,in cuius fide confisus fui,* quem etiam mensæ consortio dignatus fui,meóque cibo alui,plus quàm alij contra me suum calcaneum leuauit,méque supplantare & perdere conatus est. d

*11 Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, * & retribuam eis.*

11 Ego autem his malis pressus,dixi tibi in oratione mea:Domine miserere mei,atque ab hoc grauissimo morbo me fac surgere,* tunc per potestatem à te mihi contra impios traditam,ego illis,quas meriti sunt pœnas,tuo nomine retribuam.

*12 In hoc cognoui quoniã voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

12 Iam autem tua benignitate ab infirmitate liberatus cognoui potissimum in ea re me amari abs te,* quod non permisisti inimicis meis ansam aliquam,vt gloriari possint de mea morte. d

*13 Me autem propter innocentiam suscepisti: * & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

13 Me enim propter innocentiam meam à morte subleuasti,* & firmiter me coram te constituisti in perpetuum apud te mansurum. Nam & in præsenti vita,me quasi tibi præsentem, semper curãdum & custodiendum suscepisti,& tandem inter electos tuos,me tibi coram præsentem,tuáque bonitate perfruiturum perpetuò constitues.

14 Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum fiat, fiat.

14 Benedictus & laudatus sit ab hominibus Dominus Deus Israelis ab hoc sæculo,& vsque in æternum.Ita cupio omnino fiat.

ANNOTATIONES

IN DIE MALA LIBERABIT.] Hæc pars cum duobus versibus sequentibus dupliciter accipitur. Quidam enim intelligunt his verbis reddi rationem eius quod dixit,beatum esse eum qui intelligit super pauperem, secundum quem sensum verba optatiui modi posita in duobus versibus sequentibus,accipienda sunt pro futuris indicatiui, quẽadmodum habent Hebræa. Alii intelligũt hæc esse verba viri intelligentis super egeno, qui vidẽs afflictu aliquem,his verbis illi bene precetur, aut illi aliquando bene futurum prædicat. Inter quos quidam hanc partem,in die mala,constituunt cum præcedentibus nõ obstante asnachta,hoc est signo distinctiuo,ꝙ in Hebræis ponitur ante hæc verba vt hic sit sensus:Beatus qui intelligit super afflictũ cum in aduersitatem aliquã inciderit,& dicit,liberabit vel liberet eũ Dominus. Alii,in die mala,coniungunt cum verbo,liberabit,vt intelligatur is qui recte intelligit super egeno dicere, ecce hũc qui iã affligitur Dns liberabit in ea die,qua alii grauioribꝰ malis affligẽtur in nouissimo scilicet iudicii die.

SANA ANIM.&c.] Coniunctio,quia,causam reddidit, quare sanari petat : verum ratio quam reddidit est imperfecta, addendum est enim, peccaui b

cauì tibi,& ob id æger factus ſum. Aut vis facienda eſt in pronomine tibi,& intelligẽdum eum reddere rationem,quare à Deo ſanari petat,vt ſit ſenſus: tu ſana,quia tibi peccaui,hoc eſt, te meis peccatis ita offendi,vt à te hoc morbo ſim caſtigatus: proinde tu ſolus es,qui me ſanare potes,ſecundà quem ſenſum per animam ſynecdochicè accipiendus eſt totus homo,& intelligendum eum non petere ſolum ſanitatem ſpiritualem mẽtis,quemadmodum pleriq; intelligunt,ſed totius hominis, in anima ſcilicet & corpore.

c VERBVM INIQVVM.] Latini ferè interrogationem in hoc verſu poſitã intelligunt prolatam in perſona eius,qui in Pſalmo loquitur,Chriſti ſcilicet,vel Dauidis,& ad eum reſpondendum eſſe affirmatiuè,vt hic ſit toti⁹ verſus ſenſus: Inimici mei inter ſe ſtatuerunt de me rem iniquam,cogitantes ſcilicet me penitus delere. Verũ num ego qui iam dormio in lecto ægritudinis meæ,(quãtum ad Dauidem) aut qui dormiam ſomnum mortis in ſepulchro, (quãtum ad Chriſtum) non etiam adhuc reſurgã? quaſi dicat,ita,ſicut Iob 14. dicitur: Putáſne mortuus homo rurſum viuat? Hebræa verò habẽt: verbum iniquum effuſum eſt in illo,& qui dormit non adiiciet vt reſurgat. Vnde magis accipiẽda eſt interrogatio hæc prolata ab inimicis Dauidis, vel Chriſti,& reſpondendum ad eam negatiuè,quẽadmodum habet paraphraſis. Nec obſtat ei intelligentiæ verbum, dormit, quia dictio Hebraica proprie ſignificat cubare aut iacere,quanquam & dormire ſignificet: ſicut & dormire apud nos pro cubare ponitur,cum quis dormire dicitur cum muliere.

ETENIM HOMO,&c.] Coniunctio,etenim, d hic improprie eſt poſita pro,nam,&,vel ſed &. Hebræis eſt, etiam. Annotauit ſimile Euthymius Græcus.

In finem intellectus filij Core Pſalmus.

ARGVMENTVM PSALMI XLI.

EXponit hoc Pſalmo vir ſanctus,quanto deſiderio,ſollicitudine ac dolore teneretur,cum ſine à Saule,ſine ab Abſalone filio eiectus eſſet è populo Dei,tum quod neque domum Dei cum reliquis religionis cauſa adire,atque ſacrificijs ſolemnibus intereſſe poſſet: tum quod variis afficeretur malis,& impiorum vocibus plurimum exagitaretur,qui tanquam ſuſtraneum religionis & Dei ſtudium,cui fuerat deditus,blaſphemabant,contra quæ animam ſuam conſternatam conſolatur & confirmat ſpe ſalutis expectatæ,& videndi rurſum Deũ. Sunt autem qui hunc Pſalmum ad literam intelligendum putent ſub perſona pij ac ſancti Iudæi,aut etiam vniuerſi populi Iudaici in captiuitate Babylonica degentis,& reditum in Hieruſalem,& templum Dei auide deſiderantis. Quorum ſententia vt omnino non improbanda videtur, ita prior veriſimilior apparet. Secundum ſpiritualem autem & potiorem ſenſum congruit hic Pſalmus pio cuilibet ac religioſo homini,qui variis huius vitæ malis defatigatus,impiorumq; ludibrio exagitatus,ſummo tenetur deſiderio cœleſtis patriæ,cupiens diſſolui,& eſſe cum Chriſto,qui ſe in multis malis,quibus affligitur, atque dum vota eius differuntur,ſubinde conſolatur & perdurare facit ſpe æternæ ſalutis certò aliquando venturæ,ac fruendi Deo cum laude eius. Incertum autem,an filij Core, de quibus in titulo fit mentio (qui deſcenderunt ab Aſir, Alcana,& Abiaſiph,qui ſuperſtites manſerunt,cum pater eorum cum multis ob ſeditionem è terra abſorberetur) hunc & ſequentes aliquot ediderint Pſalmos,& à Dauide editos receperint decantandos.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ*
* *ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

QVam cupidè ceruus vel canibus infeſtatus & fatigatus,vel poſt voratum ſerpentem maximè ſitiens, anhelare ſolet ad fontes aqua plenos,*tam cupidè anhelat ad te ó Deus anima mea, cupiens ſummo deſiderio ad te peruenire,vt variis iam malis delaſſata, ex te fonte pleniſſimo & ſuaniſſimo refocilletur. Pſ. 41.

2 *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum,*
* *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

2 Anima mea ſummo deſiderio fertur ad te Deum, inquam, præpotentem & ſemper viuentem.*O quando tandem exilio hoc liberatus venire potero,& conſpici cum reliquo Dei populo ante conſpectum Dei? ante arcam,ſuper quam Deus ſuis potẽtiam ſuam exhibet,aut ante denudatum vultum Dei in cœlis? a

3 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte,dum dicitur mihi per ſingulos dies,*vbi eſt Deus tuus?*

3 Fuerunt mihi lachrymæ meæ die ac nocte pro cibo, ita vt faſtidito cibo nihil æquè libuerit atque lachrymari,dum aſſiduè dicitur mihi ab inimicis meis inſultantibus: *Vbinam iam eſt Deus tuus quem colebas, cuiuſque auxilium tam confidenter iactabas? ſic mihi exprobrantes quaſi vanè Deum coluerim,& in adiutorem expectauerim, ac etiamnũ colam & expectem. b

4 *Hæc recordatus ſum,& effudi in me animam meam*
* *quoniam trãſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum dei,*

4 Hæ voces ſanè admodum mihi graues fuere. Verùm ne his vocibus aut quibuſuis calamitatibus ſuccumberem, ea frequenter mente reuolui quæ mihi promiſiſti,eorumque recordatione animam meam tribulationibus & dolore nimium anguſtatam & coarctatam,intra me effudi dilatáui,& relaxaui: * hæc, inquam,recordabar,quod aliquando te donante tranſibo vſque in locum tabernaculi admirabilis,vſque inquã, in domum quam peculiariter Deus inhabitat. c

5 *In voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulantis.*

5 Tranſibo,inquam,in eam domum ſimul cum voce lætitiæ & laudis Dei,quæ vox erit ſonus populi feſtum celebrantis, ac feſtiuiter epulantis,& de perceptis à Deo beneficiis cum lætitia gratias agentis. d

b Quare triſtis es anima mea & quare cõturbas me?

6 Cùm ergo hæc aliquando ſecundum promiſſiones Dei euentura ſint,quare ſine intermiſſione triſtis es anima mea? & quare me nimio dolore conturbas?

7 Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi:

7 Spera potius in Deo depoſito mœrore, quoniam adhuc tempus veniet quo ab his malis liberatus gratias cum reliquo eius populo illi agam

* *ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

agam,* qui eſt ſalus vultus mei,quem erubeſcere non ſinet,ſed ſuę præſentiæ contemplatione magnificè ſublimabit, & exhilarabit; quique eſt Deus meus,à quo cùm totus pendeam,nequaquam me deſerere poterit.

8 Ad meipſum anima mea conturbata eſt:
* † *propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico.*

8 Mi Domine ſic cum anima mea interdum conſolationis gratia colloquor. Ipſa enim in memetipſo immẽſo mœrore cõturbata eſt. *propter quod ad conſolationem eius, etſi à domo tua longiſſimè abſim,& in terra quæ iuxta Iordanem eſt, & Hermonij monte modicum,exul agam, tamen in hac terra ac monte exiguo valde, præ auguſtiſſimo monte tuo quem inhabitas, ſemper memor ero miſericordiæ,veritatis & bonitatis tuæ.† Semper etiam meipſum conſolabor recordatione beneficiorum, quæ exhibuiſti patribus noſtris trans & citra Iordanem,& in ipſo Iordane,ſed in montibus Hermonij,in Baſam & Galaad, deuictis regibus terræ illius habitatoribus. e

9 Abyſſus abyſſum invocat:
* *in voce cataractarum tuarum.*

9 Eheu vnam calamitatem me propemodum in modũ abyſſi abſorbentem ita ſemper alia mox ſimilis calamitas ſine intermiſſione ſubſequitur,vt vna alteram inuitare,adducere, & poſt ſe trahere videatur.*Id autem fit per horriſonum ſtrepitum cataractarum tuarum,quia ſcilicet quaſi cũ impetu noua ſemper ſuper me mala more inundantium & perſtrepentium aquarum de cœlis effundis,& irruere facis, ſicut cùm vere nouo, ruptis nubibus, immenſam vim imbrium è cœlis cum terrifico fragore præcipitas,ita vt vna abyſſus aliam aquarum immenſitatem aduocare & adducere videatur. f

10 Omnia exceſſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

10 Omnes ſublimes tuæ inũdationes,& feri fluctus aduerſitatum, quibus homines obrui ſolent,in modum exundantis diluuij,& eluatæ procellæ: ſuper caput meũ tranſierunt, me penè abſorbentes.

11 † In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.

11 At verò cùm nuper cum populo Dei dies ſolennes agerem,Domino iubente per diẽ adeo affatim exhibebatur mihi beneficentia eius,vt & in nocte cãticum eius eſſet in ore meo: quo illum de eius miſericordia interdiu percepta laudarem.† Sed & aliquando pulſis malorum tenebris,ac luce proſperitatis reddita,decreuit Deus miſericordiam ſuam exhibere mihi, quare neque durante hac horribili miſeriarum nocte,intermittam illum canticis laudare.

*12 Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo,ſuſceptor meus es.*

12 Apud me quoq;,durantibus his malis, erit in ore meo ſemper oratio ad Deum,qui cũ ſit author vitæ meæ, ſolus etiã eam conſeruare & fœlicem facere poteſt,ac proinde ſolus eſt ad quẽ cõfugere debeam.* huic in oratione ſuppliciter dicam: mi Domine,tu ſolus es,ad quem tanquã ad tutum refugium confugio,vt in eo ſuſcipiar.

13 Quare oblitus es mei, & quare triſtis incedo,
* *dum affligit me inimicus?*

13 Quare ergo ſic tegeris erga me,quaſi oblitus mei, & quare me continuè triſtem incidere permittis, * ob afflictionem inimici afficientis me multis malis multiſque opprobriis?

14 Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerũt mihi, qui tribulãt me inimici mei.

14 Dum enim vires animi & corporis mei nimiis malis me premen tibus frãguntur & debilitãtur,id videntes inimici mei,qui me tribulant,etiam exprobrauerunt mihi,non ſine blaſphemia nominis tui.

15 Dum dicunt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus? Quare triſtis es anima mea,& quare cõturbas me?

15 Dicunt enim mihi per ſingulos dies, vbi eſt in quem confidebas Deus tuus,qui te his malis eripiat?*Attamen quorſum ó anima mea aſſiduè triſtis es,tuáque triſtitia me conturbas?

16 Spera in Deo, quoniam
† *adhuc confitebor illi:*
* *ſalutare vultus mei, & Deus meus.*

16 Spera potius in Deo,depoſito mœrore,quoniam adhuc tempus veniet, quo ab omnibus his malis liberatus gratias illi agam, * qui eſt ſalus vultus mei,& Deus meus.† Adhuc cõfitebor illi quod ipſe ſit ſalus faciei meæ,& Deus mei curam gerens.

ANNOTATIONES.

a SITIVIT ANIMA] Fortem legendum eſſe,vt habent libri correctiores, & non fontem, vt paſſim legitur & cantatur in eccleſiis, manifeſtum eſt ex Græcis, quæ habent ἰσχυρὸν. Ea enim dictio manifeſtè ſignificat fortem. Cauſam corruptionis præbuit quod in verſu primo fiat mentio fontium,ad quos ceruus, cui ſe comparat propheta,anhelat. Hebræa dictio אֵל El, quanquam etiam fortem ſignificet magis tamen ſignificat Deũ. Vnde vertunt, Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Et diuus Auguſtinus nec fortis nec fontis meminit, ſed tantum habet, ad Deum viuum. Cæterum,vt annotat Euthymius, quidem ex hoc verſiculo ſumptum eſſe dicunt hymnum illum, quem Græci Triſagium vocãt, quo laudare Deum ſolemus, dicentes: Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis. Nam per viuum immortalis deſignatur.

FVERVNT MIHI LACHRYMAE,&c.] Plerique intelligunt ideo lachrymas panes dici, quod animam hominis reficiant & paſcant. Verum id eſt præter intentionem prophetæ, qui his verbis non conſolationem,ſed anxietatem mentis ſuæ ſignificare voluit, ſicut & poſtea in alio Pſalmo dicit: quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui? Cibabis nos pane lachrymarum,&c. quo proculdubio noluit ſignificare lachrymas animam paſcere, ſed animam dolore ita premi, vt cibo neglecto pro eo nihil aliud libeat,quàm lachrymari. b

HAEC RECORDATVS,&c.] Secundum sensum in paraphrasi explicatũ,pronomen,hæc, ad sequentia refertur,& effundere animã,accipitur pro animam arctatã tribulationibus dilatare per consolationẽ.Euthymius autem Græcus interpres præter hũc sensum & aliũ indicat,vt pronomen,hæc,ad præcedẽtia referatur,videlicet ꝙ dicebatur illi,vbi est Deus tuꝰ: & effundere in se animam, accipiatur pro eo quod est omnẽ constantiam eius & firmitatem in seipso dissoluere, quoniã firmiora & constantiora esse solent quæ sunt solidiora:quę verò fluida sunt,molliora atq; laxiora. Quomodo & prius dixit Psalmo 21. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Secundum hũc sensum coniunctio,quoniam,accipi debet nõ causaliter,nec pro ꝙ,sed,vt sæpe accipitur in Psalmis, pro aduerbio confirmandi,vt sit idem ꝙ & certè. Quidam,effundere animã in seipso,accipiunt pro laxare menti doloris habenas,ac sinere animũ pro libito indulgere dolori. Afferunt autẽ ad hãc sententiam alia scripturæ loca,vt cũ 1. Rex dicitur, Anna effudisse animam suam coram Domino.Et cum dicitur in Psalmo sequẽte:Effundite coram illo corda vestra. Verũ aliud est,effundere animã corã Domino, ꝙ est omnia sua desideria Domino exponere:& aliud,effundere animam suam in seipso, sicut isti accipiũt.At hęc oratio,effundere animã suam super se,legitur etiã apud Hebræos Iob 30.vbi pro eo quod nos legimus:Nunc autẽ in memetipso marcescit anima mea:Hebræa habẽt:Et nũc super me vel in me effundit se anima mea.Vnde satis licet colligere verioré esse interpretationẽ istã iã dictam.Secundum quã pronomen,hæc,etiam ad sequentia referendum est,sed verbum,transibo, futuri tẽporis, exponendũ est, vt frequenter,pro præterito imperfecto,vt sit hic sensus : Libere permisi animũ meum indulgere dolori,quoniã recordabar quod trãsire solebam cum aliis in domum Dei.Quæ interpretatio vel ob id maxime congruere vr,quod recordatio nõ sit vel futurorum,vel præsentium,sed præteritorum.Sic & quod hic sequitur:propterea memor ero tui,&c.ipsi exponũt,& vertunt:aña mea conturbata est,propterea ꝙ memor eram tui,&c.

SONVS EPVLANTIS.] Græca habẽt genitiuum ἤχου soni,quẽadmodum & Augustinus legit,& tũc sensus est,in voce epulationis, in voce inquam soni : & tũc huius genitiui adiectiuũ,est genitiuus, epulãtis, q apud Græcos & Hebræos nõ simplices significat epulas,sed epulas,festiuas imo ipsam festiuitatẽ,quã epulis solẽnib.celebrare solebant,qũo & verbu epulemur accipi debet 1.Cor.5.ꝓ festũ agere,& festiuiter epulari. Itaq; sensus apud Græcos est, in voce soni festiui, vel festiuitatem celebrãtis.Et dubitari potest,si non interpres noster pro sonus venerit sonitus in genitiuo casu,quãquã sensus coincidet si subaudiatur in voce,quæ est sonus epulãtis,scilicet multitudinis,vt habẽt Hebræa,sicut etiã relatiuũ cum verbo substãtiuo debet intelligi in versu sequenti:confitebor illi qui est salutare,&c. nisi maluerimus hoc modo orationẽ illam perficere:Confitebor illi:& carminibus de illo testabor, quod ipse sit salutare vultus mei,& Deus meus.

DE TERRA IORD.&c.]Per terram Iordanis secundum sensum mysticũ recte quis intellexerit ecclesiam hic militãtẽ,quæ baptismate tanquam Iordanis flumine in quo baptisma cœpit,irrigatur. Secundus sensus in paraphrasi explicatus,bene etiam conuenit sensui mystico.

ABISSVS ABISSVM,&c.]Afferũtur alii huius versus sensus,pii quidẽ,sed proposito non cõueniẽtes quales duos indicat Euthymius,quorum primus est:Profunditas peccatorũ meorum pię funditatẽ inuocat tuæ misericordiæ, idq; ad vocẽ & prædicationẽ tuorũ apostolorũ,qui tanquam tuæ cataractæ,plenitudinem cœlestis doctrinæ nobis effundũt. Alter est:Nouũ testamentũ inuocat in testimoniũ vetus testamentum, ad prædicationẽ tuorum Apostolorũ, aut propherum.Iuxta propriũ sensum in paraphrasi indicatũ,est elegãs allegoria,qua inducitur Deus excitatis tonitruis,& ingẽti tẽpestate Dauidẽ obruere infinita copia imbriũ. In qua allegoria persistit adhuc in versu sequẽti,vbi notãdũ per excellsa,Græcis esse μετεωρισμὸν,quæ dictio proprie significat subleuationes,vel,vt Aug,legit suspẽsiones,significat autẽ hoc loco imbres,ex sublimibus nubibus in aere suspensis decidentes.Aquas autem in scripturis dici pro calamitatibus, nemo est qui ignoret.

IN DIE,&c.] Inter duos sensus, quos habet paraphrasis,secundo sensui multum patrocinatur,quod Hebræa & Græca habent verbũ futuri temporis, mandabit. Verum frequenter futura pro præteritis, & contrà accipiuntur. Secundus etiam sensus magis conuenit intellectui mystico,secundum quem per diem conuenit intelligere tempus futuræ vitæ, eo quòd tũc & omnia erunt manifesta,& liberatio ab omnibus malis. Per noctem verò, tempus præsens, quòd in eo versemus in multis ignorantiis,erroribus,& malis.Itaque sensus mysticus huius versus est : Etsi nunc in multis agam malis, tamen in futura vita,pulsis omnibus malis,Dominus exhibebit mihi misericordiam illam suam perfectam,propter cuius spem etiam in hoc tenebroso tẽpore miseriæ huius vitæ, non desinam eius laudes carminibus celebrare.

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XLII.

EIusdem est hic Psalmus cũ superiori Psalmo argumẽti,& secundũ sensum literalem,& secundum sensum spiritualem. Est enim velut continuatio materiæ præcedentis. Vnde & apud Græcos ἀνεπίγραφος est,hoc est, tituli nullius inscriptionem habens. Precatur itaque propheta secundum iustum Dei iudiciũ liberari ab iniquo viro,siue Saule,siue Absalone,& gente illi in malum cõfœderata,vt ab exilio,quod ab illis patiebatur,reuocatus laudes Dei in domo eius deprædicare possit,cuius aliquando consequendi certa spe concepta,animam suam interim dum affligitur consolatur. Conuenienter autem hic Psalmus secundum ecclesiasticum consuetudinem ante missæ initium præmittitur, quasi ad illud sacrosanctum officium præparatorius,vt ad altare Dei,de cuius accessu hic sit mentio,accessurus,hoc Psalmo precetur se liberari ab iniqua dæmonum natione,semper oppugnantium iustos,semperq; studentium spiritum hominis iusti inutili mœrore conturbare,quem maximè abesse optat in peragendo missarum officio,ad quem depellendum,& ad deuincendum hostes nostros inuisibiles efficacissima est mensa dominica,certissimum symbolum paratæ nobis per Christum peccatorum remissionis,pignus æternæ vitæ,animæq; piorum robur.

PARA

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta:
**ab homine iniquo & doloso erue me.*
2 Quia tu es Deus fortitudo mea:
**quare me repulisti,& quare tristis incedo,dum affligit me inimicus?*
3 Emitte lucem tuam:&
** veritatem tuam:*
** ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*
4 Introibo ad altare Dei,
**ad Deum†qui lætificat iuuentutem meam:*
5 Confitebor tibi in cythara deus deus meus.
** quare tristis es anima mea,& quare cõturbas me?*
6 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi,salutare vultus mei, & Deus meus.

IVdex meus esto Deus,meámq; causam te discernere à gente impia, quæ me persequitur,declara,à viro,qui iniquè & dolosè me perdere quærit,libera me. Pſ.42.

2 Tu enim Deus es robur meum,per quem hactenus omnia mala deuici,& in quo solo iam nitor,*quare ergo sic te nunc mihi exhibes,quasi me à tua cura & protectione abieceris?& quare sinis vt assiduè mærẽs incedam,dum te permittente inimicus me affligit?

3 Emitte iam tandem è cœlis super me fauorem tuum, & opem, quæ pulsis his malorum tenebris me illuminet & recreet, * emitte quoque tuam in præstandis promissis fidelitatem, eam in me declarando. *lux a enim & veritas tua me ex hoc exilio deducent, & tandem introducent in montem sanctum tuum,quem peculiariter inhabitas, & in tabernacula tua.

4 Per eas comites introibo vsque ad altare,in quo illi sacrificia laudis offeram.*Introibo ad Deum,qui tum quidem sua præsentia,& percepta bonitate lætificabit me iuuenem factum & innouatum, viribus scilicet meis per hæc mala senescentibus modò & languentibus, tunc resumptis.†Qui etiam nunc subinde,dum in his malis veterasco, me sua consolatione ita lætificat,vt per eam lætitiam reiuuenescam, viribúsque restitutis,alacrior & fortior efficiar.

5 Tunc mi Deus,Deus inquam meus,quem vnicè colo & amo,gratias b tibi agam,téque laudabo simul cum modulatione cytharæ.Cum autem hæc assequendi spem habeas,cur assiduè tristis es ó anima mea, & tuo mœrore me conturbas?

6 Spera potius depositò mœrore in Deo,quoniam adhuc veniet tempus,quo in domo eius gratias ei agã qui Deus meus,& salus vultus mei, quem pudefieri non sinet,sed sua præsentia,fauore, atque allata salute exhilãrabit.

ANNOTATIONES.

a EMITTE LVCEM TVAM, &c.] Iuxta sensũ paraphrasis,lux & veritas in Deo sunt, quæ tamen mitti dicuntur, cùm opere declarantur in hominibus,quomodo & alibi dicit:Misit Deus misericordiam suam,&veritatem suam,& eripuit me de medio leonum.Possunt tamen hæc mystico magis sensu accipi,vt in mẽtibus nostris intelligãtur, vt lux quidem sit illuminatio ea,qua à Deo persunditur mens humana ad cognoscendum:veritas verò,ipsa cognitio,ad quã lux diuina perducit. Hæc enim proprio sensu emitti à Deo dicuntur, & per hæc deducuntur homines in tabernacula cœlestia. Subtiliori etiam intelligentia per lucem & veritatem Dei rectè accipitur significari Christus,qui de seipso dicit:Ego sum lux mundi.Io.8.Ego sum via, veritas,& vita.Ioã.14.Hunc veteres sancti emitti è cœlis postulabant, vt iusto Dei iudicio per ipsum liberarẽtur à potestate Sathanæ.Hũc & nos secundò emitti postulamus,vt per nouissimum eius aduentum plenè liberemur ab omnibus inimicis, ac transferamur in cœlestes Dei mansiones.Meminit huius intelligentiæ nõ tantum D.Augustinus, sed & Euthymius:qui etiam monet verba illa præterita,deduxerunt & adduxerunt,pro futuris accipienda. Certè Hebræa habent futura.

LAETIFICAT IVVENTVTEM MEAM.] Paraphrasis indicat duplicem huius interpretationem:Primum,vt præsens accipiatur pro futuro,lætificabit. Ac tum quidem præter sensum in paraphrasi explicatum,qui literali & mystico conuenit sensui,quidam hunc locum sic intelligũt : Ad eum veniam qui lætificabit iuuentutem meam quam ago commutabit,& perducet ad virilem ætatem, vt iuuentus intelligatur status istius vitæ, cũ contrà in alio sensu iuuentus intelligatur in futura vita.Verùm hic sensus tantum conuenit sensui mystico.Secũdò,indicatur sensus,quo intelligitur hęc pars seruato tempore præsenti : Hebræa vero longè secus habent, ad Deum lætitiæ, & exultationis meæ. b

In finem filiis Core ad intellectum.

ARGVMENTVM PSALMI XLIII.

PLerique sunt Psalmi,qui cùm à Dauide,aut saltem tempore Dauidis compositis putentur,tractant de calamitatibus & afflictionibus populi,neque præteritis,neque præsentibus,sed post ea tempora futuris,per Sennacherib, Nabuchodonosor, Antiochum,& post eos per Christianorum persecutores,quas afflictiones spiritu prophetico præuidens Psalmorum author,Psalmos in persona populi huiusmodi calamitates perpessuri reliquit,quibus in eis afflictionibus populus Deum precaretur de quorum numero vnus est hic Psalmus,quem Iudei quidem de suo præsenti exilio interpretantur.Verum quoniam eis non competit,quod hic dicitur:Et iniquè non egimus in testamento tuo,& pleraque quæ sequuntur, in quibus populus, qui hic loquitur,suam iactat innocentiam,manifestum est vanam esse illorum interpretationem.Ob quam eãdem causam quidam catholici putant Psalmum hunc etiam accipi non posse de captiuitate Babylonica, aut persecutione quã Machabeorum tẽpore sub Antiocho illustri perpessus est populus Israeliticus,cùm & illã & hanc ob peccata sua populus ille passus sit,vt patet ex Threnis Hieremiæ,& ex 2.Machabæorum cap.5.Proinde tantũ intelligendum volunt de Christianis, qui tempore primitiuæ ecclesiæ omnia hæc perpessi sunt,quæ hic præcinuntur.Quemadmodum & D.Paulus ad Romanos versum 24.de persecutione,qua suo tempore ecclesia Christi exercebatur,adduxit.His tamen non obstantibus,ad literam videtur hic Psalmus agere de afflictione veteris populi,vel ea quam sub Nabuchodonosor,vel potius ea quam sub Antio-

h chop-

ho pertulit, vt sit vox non quidem totius populi, sed eorum qui ex eo populo adhuc synceri & iusti perstiterunt, quorum proculdubio magna pars fuit. Quoniam autem eorum afflictio, vmbra quædam fuit & figura eius quam à variis tyrannis credentium ecclesia primitiua passa est, omniaq; quæ hic canuntur cumulatius vertor Israel experta est iuxta anagogen & principaliter ad primitiuæ ecclesiæ persecutionem referendus est, quemadmodum & Paulus fecit. Itaque Dei populus grauiter afflictus, commemorans primum Dei beneficia patribus præstita, & miracula pro illis patrata, quæ ritur ex opposito nunc se à Deo derelictum, vt ab hostibus suis diripiendus sit, & deridendus, nec Deum sibi adesse antiquis illis suis miraculis precaturq; vt ille virtutem suam tandem exerat, suosq; ab impiorum iniurijs asserat.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis:

DEus non ipsi auribus nostris audiuimus, patres enim nostri annunciauerunt nobis. Ps.43. a

2 Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

2 Insignia opera quæ tu operatus es temporibus eorum, & temporibus quæ illos præcesserant.

3 Manus tuas gentes disperdidit,
** & plantasti eos:*
** afflixisti populos, & expulisti eos.*

3 Inter quæ opera hoc imprimis nobis memorandum, quòd tua omnipotentia Gentes Chananæas perdidit è terra quam habitabant, *eisq; extirpatis, patres nostros firmiter in eorum loco collocasti, & habitare fecisti, *plurima mala intulisti populis illis, & expulisti eos è terra sua.

4 Nec enim in gladio suo possederunt terram:
** & brachium eorum non saluauit eos.*

4 Tu, inquam, tua potentia hæc fecisti, palam est enim patres nostros non suis armis terram illam obtinuisse, *nec propria fortitudine sese saluasse à tantis gentibus, cùm & numero, & armis, ac fortitudine superiores essent Gentes patribus nostris.

5 Sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui:
**quoniam cõplacuisti in eis.*

5 Sed potentia tua, & robur tuum, & benignus aspectus vultus tui, fauórque tuus, quo illis affulsisti, hæc illis præstiterunt, *non ob aliud, quã quia tibi complacitũ fuit in eis, quos sola tua bonitate ex omnibus gentibus in peculium tibi elegisti, eis benefacere destinans.

6 Tu es ipse rex meus & Deus meus,
** qui mãdas salutes Iacob.*

6 Tu ipse, qui hæc olim es operatus, etiam es rex meus & Deus meus. *qui, cùm vis solo tuo iussu præstas populo tuo Israelitico saluationes.

7 In te inimicos nostros vũtilabimus cornis:
** & in nomine tuo sperne-mus insurgentes in nos.*

7 Si adiuuare nos volueris, per te inimicos nostros ita profligabimus, b & dissipabimus, quomodo bos cornibus suis quę rapit in ventum proiicit & dissipat: *& per virtutem tuam pro nihilo reputabimus insurgentes contra nos, quantumuis alioqui formidabiles ob multitudinem & fortitudinem eorum.

8 Non enim in arcu meo sperabo,
** & gladius meus non saluabit me.*

8 Non enim in arcu meo sperare volo, * certóque scio quod gladius meus non poterit me saluare ab hostibus meis.

9 Saluasti enim nos de affligentibus nos:
** & odientes nos confudisti.*

9 Tu enim es, qui superioribus temporibus nos, patréque nostros saluasti ab affligentibus nos: *& eos qui odio nos persequebantur, tu pudore affecisti, spe sua eos frustrans. Tu item solus, qui & nunc liberare nos potes ab his qui nos affligunt.

10 In deo laudabimur tota die:
**& in nomine tuo confitebimur in seculo.*

10 Id vbi feceris, in te Deo nostro cum laude tua lætabimur, & gloriabimur assiduè, fœlices nos ipsos prędicantes: *& ad gloriam nominis tui laudes canemus perpetuò.

11 Nunc autem repulisti, et confudisti nos.
**-& non egredieris deus in virtutibus nostris.*

11 At verò iam tu nos singulari illa cura tua exhibita patribus nostris abiecisti, & pudefieri nos permisisti, dum non præstas contra hostes nostros expectatam à te opem, *nec vt soles, amplius egrederis cum exercitibus nostris in prælium, vt solito more nobiscum & pro nobis pugnes.

12 Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros:
** & qui oderunt nos, diripiebant sibi.*

12 Cum issemus post inimicos nostros, tu nos deserens coegisti terga præbere eis, *téque nos deserente, hi qui nos odio persequebantur, diripiebant sibi & nos, & omnia nostra.

13 Dedisti nos tanquam oues escarum:
**& in gẽtibus dispersisti nos.*

13 Permisisti nos fieri similes ouibus mactationi & esui destinatis, qui ad morem imbellium huiusmodi ouium iam venundamur, occidimur, & deuoramur: *dispersisti nos per exteras, & à cultu diuino alienas nationes.

14† Vendidisti populũ tuum sine precio:
** & non fuit multitudo in commutationibus eorum.*

14 Populum tuum tibi olim tam vnicè charum passus es venundari minimo pretio, & quasi pro nihilo, †sed & tu ipse populum tuum alienigenis vendidisti, tradens eum in seruitutem, nulla accepta ab eis pecunia, quasi vilissimi simus, nec alicuius pretii: *In venditionibus eorũ qui sunt de populo tuo, non fuit multitudo pretii, sed modico pretio ob captiuorum copiam, tanquam vilia iumenta emebantur. †neque tu ex eorum venditionibus magnum pretium tibi parasti, quos gratis Gentibus in seruitutem dedisti. c

15 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem & derisum his qui in circuitu nostro sunt:

15 Tales nos iam constituisti, vt probris nos afficiãt vicini nostri, subsannent, & irrideant ij qui habitant circum nos.

16 posuisti nos in similitudinem Gentibus,
** commotionem capitis in populis.*

16 Fecisti nos tales, vt parabola, exemplum, & fabula simus gentibus, à quibus de nobis, nostráque miseria passim cum ioco fit mentio, * & vt populi nobis conspectis caput suum moueant super nos, ad irrisionem nostri.

17 Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei mee cooperuit me.

17 Assiduè ob oculos versatur pudor meus, qui à me nõ recedit: & erubescen-

tia, quę est in facie mea, totã faciem meam occupauit & obtexit.

18 Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te,
** & iniquè non egimus in testamento tuo.*

18 Hæc omnia acciderunt nobis, neque tamen ob hæc obliti sumus tui: *neque fœdus tecum initum rupimus, ita vt trãsgrederemur legem tuam, & ad alios deos declinaremus, quamuis id hostes nostri summè contenderent efficere.

19 Et non recessit retrò cor nostrum:
** declinasti semitas nostras à via tua.*

19 Neque cor nostrum, te derelicto, alio deflexit, * neque permisisti, c vt actiones nostræ declinarent à via mandatorum tuorum, in qua nos constanter perdurare fecisti etiam in his multis malis.

20 Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis:
** & cooperuit nos vmbra mortis.*

20 Quod dico, tu ipse Domine verum esse nosti. Tu enim Domine nos quidem valde attriuisti in loco captiuitatis nostræ, in quo multum affligimur, in terra Gentium, inter quas, draconibus magis quàm hominibus similes, nos disperſi viuimus in magna afflictione: * iam grauissimæ calamitatis caligo, quæ mortis imaginem præ se fert, mortémque quasi præsentem ostendit, nos vndique obtexit & inuoluit.

21 Si obliti sumus nomen Dei nostri:
** & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

21 Si autem in his tantis malis, (vt non pauci facere solent) obliti sumus Dei nostri, qui nos tam grauiter afflixit, *& si expansis manibus inuocauimus Deum alienum:

22 Nónne Deus requiret ista?
** ipse enim nouit abscondita cordis.*

22 Certè ipse Deus hæc cognoscet, fallere eius cognitionem non po- e terimus. *Ipse enim nouit non tantum externa facta, sed & secreta cordis hominum.

23 Quoniam propter te mortificamur tota die,
** æstimati sumus sicut oues occisionis.*

23 Itaque ipse domine, qui omnia scis, nosti nos in his malis te nõ dereliquisse. Nos enim propter tui nominis confessionẽ & cultum assiduè occidimur, grauissimisque malis afficimur, *reputati sumus ab infidelibus tanquam oues mactationi destinatæ. Ita enim nos pro illorum libito absque omni commiseratione ad mortem & supplicia trahimur, quo modo à laniis trahuntur oues, *nec pluris ab illis æstimamur, quàm à lanio oues, dum mactat eas.

24 Exurge, quare obdormis domine?
** exurge, & ne repellas in finem.*

24 Proinde domine, hostium nostrorum consideras iniustitiam, nostrámque synceritatem, nobis iam tandem exurge, tuámq; nobis profer potentiam, quare te nobis exhibes, quasi dormiẽtem? *exurge tandem, & ne perpetuò nos à tua cura & liberatione abiicias.

*25 Quare faciem tuam auertis, * obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?*

25 Quare benignum aspectum, fauorémque tuum auertis à nobis? *vt quid sic te geris, quasi nullam habeas desolationis & afflictionis nostræ rationem?

26 † Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinatus est in terra vẽter noster.

26 Ecce enim iam ita in terram depressi & prostrati sumus, vt venter noster terræ firmiter adhæreat, nã morti proximi de vita propemodum desperamus, atque ab impiis oppressoribus miserè conculcamur, nos, vitáque nostra. †Sed & nos præ nimia mentis angustia proni coram te in terra iacemus, humiliantes animas nostras.

27 Exurge Domine adiuua nos:
** & redime nos propter nomen tuum.*

27 Tuam itaque tandem pro nobis declara potentiam, & auxilium fer nobis, & libera nos, non quidem ob virtutũ nostrarum merita, sed propter temetipsum tuámque immensam bonitatem, & propter item gloriam nominis tui, ne id ab infidelibus semper blasphemetur, sed timeatur, & venerationi sit apud eos.

ANNOTATIONES.

a OPVS QVOD OPERATVS ES.] Potest istud & aliter accipi quã habet paraphrasis, singulariter scilicet, vt per dies eorum & dies antiquos, eadem tempora intelligãtur, quandoquidem coniunctio, &, abest apud Græcos & Hebræos, vt opus de quo loquitur illud sit, de quo fit mẽtio in versu sequẽti. Verum iam quod dicitur: patres nostri narrauerunt nobis: intelligi debet, quod narrauerint per posteros suos & scripta sua. Non enim patres illos, in quorum diebus illud opus cõtigit, per sese psalti illud opus narrauerunt, cum iamdiu mortui fuissent. Coniunctio, &, non est etiam in antiquis quibusdam Latinis exemplaribus, vt meritò ea lectio habenda sit incorruptior, quæ cum originalibus consentit.

b VENTILABIMVS CORNV.] Plerique omnia hæc futuri temporis verba per præteritum vertunt, hoc modo: In te inimicos nostros ventilabamus, spernebamus, nõ in arcu meo sperabã, in Deo lætabamur tota die. Et videtur hic sensus magis cõuenire illi quod ex opposito subiungit: nũc autem repulisti. Verum alteri sensui magis patrocinatur, quod pro eo quod nos habemus, qui mandas salutes Iacob: Hebræa habent, mãda salutes Iacob: deinde quod vltimũ verbum: confitebimur, per præteritum exponi non posse videatur. Nõ enim apertè satis dicitur: & nomini tuo confitebamur imperpetuum. Cæterùm in hoc versu rectius legitur, insurgentes in nos, quàm in nobis, cum & Augustinus habeat, in nos, & exemplaria alia.

COMMVTATIONIBVS.] Græca habent ἀλλαλάγμασιν, vociferationibus & iubilationibus. Verum interpres legisse videtur ἀλλαγασιν à verbo ἀλλάττω, hoc est, muto, quem sensum & Hebræa significant. Aldina editio habet ἀλλαλάγμασιν. Euthymius vtriusque lectionis meminit. c

ET DECLINASTI SEMITAS NOSTRAS, &c.] Iuxta sensum in paraphrasi indicatũ repetẽda est in hac parte negatio in priori membro posita, quẽadmodũ multi intelligunt hic Hebræa, quæ & ipsa non habẽt hoc loco negationẽ. Vnde D. Hieronymus vertit: nec declinauerũt semitæ nostræ. Est enim Hebræis familiare, negationem in principio sententiæ positam, ad vtramque sententiæ partem referre, etiamsi per copulatiuã coniunctionẽ connexa sint, quemadmodum apud nos fit in connexis per disiunctiuã, vt si dicatur: Non recessit retrò cor nostrum, aut deflexit, à via tua. Qui partẽ hanc d

affirmatiuè intelligunt,varios adferunt sensus.D. Augustinus enim intelligit hunc sensum.Per tribulationes quas immisisti nobis,effecisti vt inciperemus cogitare de via mandatorum tuorum,& propter eam viam declinaremus semitas nostras, hoc est eas relinqueremus,secundū quas nobis relictis sequeremur quæ carnis sunt.Euthymius hùc accipit sensum:Mutasti semitas nostras a via tēpli tui, vt ad illud amplius pergere nequeamus, nobis in captiuitate aut dispersione existētibus. Alii aliter. Sed omnium optimè,si affirmatiue sit hæc pars accipienda,vt etiam Hebræa quidam intelligunt,via Domini intelligetur non hic ad doctrinam & præcepta referri,sed,sicut alibi aliquoties in sacris, ad rationem,qua suos fouet,promouet & regit, complectens eos vt filios,benigneque cum eis & indulgenter agens.Itaque sensus erit: Etsi nó recesserit a te cor nostrum,tu tamen flectere fecisti actiones nostras à via illa tua, qua soles nos deducere, hoc est, fecisti vt nostra instituta non fœliciter per te procederent,sed à tua protectione desererentur,& infœliciter nobis omnia succederēt.Ita enim iudicant iuxta humanam infirmitatem iusti, cùm ad tempus à Deo deseruntur.atque hanc intelligentiam crediderim solidiorem.

In finem pro his qui commutabuntur,filiis Core ad intellectum canticum pro delicto.

ARGVMENTVM PSALMI XLIIII.

TAm secundum Hebræos,quàm Christianos.Psalmus hic agit de Messia,etiāsi quibusdam videatur exponendus de Salomone,tanquā Christi typo,qui Iehedia,hoc est dilectus,est appellatus. Verum quoniam pleraque huius Psalmi Salomoni congruere non possunt,vt quod is de quo sit mentio Deus dicitur,& Dominus Deus,& filij eius constituēdi principes super vniuersam terram de Messia exponendus est,& sponsa eius Ecclesia,non quidē absolutè,ac sine omni respectu: sed prout Christus per Salomonem,ecclesia verò ex gentibus collecta, per filiam Pharaonis,inter multas Salomonis vxores præcipuam,& vnicè dilectam præfigurata est.Sub qua figura etiam liber,qui Cantica canticorum inscribitur, descriptus est.Itaque Psalmus hic,carmen est epithalamicum ac nuptiale,explicans honorem Messiæ veri Salomonis,veręq; Iehedia, hoc est,dilectis sponsi,& eorum qui per eum commutandi erant ab infidelitate ad cultum veri Dei, hoc est, sponsæ eius ecclesiæ Gentium.In quo quidem psalmo præfatione præposita,qua propositum suum declarat,primum sponsum alloquitur,commendans eum à formæ elegantia,sermonis eloquentia,pugnandi fortitudine,fœlici regni successu ob mansuetudinem eius & iustitiam:tum & à regni eius stabilitate & æquitate,a vestimentorum suauiolentia,ab vxoris charissimæ præstantia,& splendore.Deinde & ad sponsam sermonem conuertens admonet eam,vt oblita paternæ domus, pristinæq; religionis,regi sedula intendat,& auscultet:futurum hoc modo,vt pulchritudo eius regi placeat,& summi eū ipso honoris particeps etiam ab alienigenis colatur cum mulieribus.Rursum autem ad sponsum sermone verso sponsæ eius pulchritudinem canit,multas q; ad decorem eius pedissequas regi adducendas,tum & felicitatem liberorum,eorumq; dignitatem, qui ex hac nascentur ei,futuri totius orbis principes.Postremum,Psalmum concludit,siue sub sua,siue sub ecclesiæ sponsæ Christi persona,promittit se per omnes generationes sponsi huius memoriam celebraturum,atque ob id omnes populos illum laudaturos imperpetuum.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Eructauit cor meū verbum bonum:*

* *dico ego opera mea regi.*

2 † *Linguæ meæ calamus scribæ velociter scribentis.*

3 *Speciosus formæ præ filijs hominum.*

* *diffusa est gratia in labijs tuis.*

* *propterea benedixit te Deus in æternum.*

COrmeum suauissimo sancti spiritus epulo,dulcissimisque confide rationibus & cogitationibus refertum,præ nimia plenitudine amplius se continere nequiens,effundit sermonem valde tum iucundum, tum vtilem.*hæc autem mea opera,hoc meum carmen ego loquor regi regum Messiæ,quem hoc carmine alloquor,& de quo, atque ad cuius gloriam hoc ego canticum pronuntio. Pſ.44. a

2 Lingua mea in canendo hoc carmine erit, velut calamus scribæ in scribendo expediti,velocitérque scribentis.Nam quomodo stylus expediti scriptoris manui obsequenter inseruit: ita & lingua mea promptè cupidéque depromet,quæcunque illi animus ad canenda diuina carmina expeditus,velocitérque impellens suggesserit. † Et sicut calamus, scribentis tantum instrumētum est,& illuc tantum mouetur, quò illum scribæ manus impulerit:ita & in hoc carmine lingua mea,instrumētum erit diuini spiritus,qui tanquam scriba expeditissimus per eam describet,dictabitque carmen rege dignum, mouens linguam meam pro suo placito.non enim tam meum est hoc carmen,quàm ipsius.

3 O Messia,supra omnes filios hominum tu es forma speciosus, tum secundum corpus,tum maxime secundum mētem,omni næuo peccati, à quo nemo alius immunis est,carentem,omnique virtutum genere,ac gratiarum donis mirificè supra omnes decoratam:*in labiis tuis diffusa est copiosè gratia sermonis,quæ tanta est,vt in admirationem commoueas auditores,super verbis gratiæ quæ prodeūt de ore tuo, hominúmque rebelles mentes ad te,verámque Dei cognitionem pelliceas: tanta item,vt per eam humano generi iratus Deus reconciliatus sit,te pro nobis bona loquente & deprecante. * Propter hanc autem tuam & formæ & sermonis elegātiam,qua omnes mortales superas,Deus etiam te præ omnibus ornatissimum suis muneribus reddidit in æternum, dans tibi perpetuam omnium quæ in cœlis,& in terra sunt potestatem, atque in dexteram suam te subleuans,téque per hæc ab omnibus semper benedicendum & laudandum fecit. b

4 Cùm

4 *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.*

5 *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede,& regna.*

6 *Propter veritatem, & mansuetudinē,& iustitiam: *& deducet te mirabiliter dextera tua.*

7 *Sagittæ tuæ acutæ,populi sub te cadent in corda inimicorum regis.*

8 *Sedes tua Deus in seculum seculi:*
* *virga directionis virga regni tui.*

9 *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem:*
* *propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

10 *Myrrha,& gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis,ex quibus delectauerunt te,*

* *filiæ regum in honore tuo.*

11 *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato,circundata varietate.*

12 *Audi filia,& vide,*
* *& inclina aurem tuam: & obliuiscere populū tuum, & domum patris tui.*

13 *Et concupiscet rex decorem tuum:*

**quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

4 Cùm autem etiā sis fortissimus,accinge quæso te gladio tuo super femur tuum,para te ad pugnandum,tua potentia tanquam gladio quo dam contra inimicos tuos.† Et gladium spiritus, quod est verbum Dei, in assumpta humanitate fortiter apprehēde,vt in eo vincas hostes tuos, siue impiissimos dæmones,siue malos homines:illis quidem vsurpatum in populum tuum dominium præripiendo,hos verò tibi spontanea voluntate subiiciendo.

5 Accingere,inquam,gladio,simul cum dato tibi à Deo splendore ac decore fortitudinis,atque iustitiæ.Sicque intende bello quod dixi, prosperrimè procede in cœptis tuis,& deuictis hostibus tuis regnum obtineas.

6 Idque ob id,quod veritate,mansuetudine & iustitia polleas,virtutibus bono rege dignis,quibus sibi maximam dignitatem populiq; amorem reges consiliant.*Sed & omnipotentia diuinitatis tuæ te in hoc negotio mirabiliter diriget,faciens te cum omnium admiratione ad optatum de hostibus tuis triumphum pertingere.

7 Sagittæ tuæ vehementer acutæ infigentur cordibus inimicorū tuorum ô rex,vnde fiet,vt variæ nationes tibi subiiciantur & supplices fiāt. Verba enim doctrinæ tuæ quibusliber sagittis acutiora,summa cū celeritate totum orbem discurrentia etiam interiora hominum eorum, qui tibi prius restiterunt, corda penetrabunt, quibus salubriter vulnerati, sponte sua se tibi subdent,imperata facere parati.

8 Sic autem tua fortitudine paratum regnum tuum ô Christe Deus, non vt aliorum regum regna,aliquando abs te auferetur, sed erit æternum:*sceptrum tuum regale,sceptrum est iustitiæ.Potestate enim tua iudiciaria,quam simul cum regno obtines, rectè iustéque vteris, iudicans omnes in iustitia.

9 Amantissimus es iustitiæ,& odio prosequeris quicquid est ab æquitate diuersum:*quare Deus pater,Deus,inquam,tuus,secundum assumptam humanitatem, vnxit te Christe oleo lætificante, & te & tuum populum,præ omnibus qui tecum in nomine vel regis vel filii Dei communicant.Inter omnes enim suos filios,qui tecum in natura communicant,& ad eādem vocati sunt hæreditatem,tibi soli summam omnium, quæ in cœlis & in terra sunt potestatem tribuit,regem te omnium constituens,& in dexteram tuam te extollens. e

10 Myrrha,stacte,& casia,omnisq; generis aromata suauiter spirant & redolent à vestimentis tuis,quæ deprompta sunt è domibus ac repositoriis vestium eburneis,ex quibus vestimenta desumpta te suo odore gratissimo lætificauerunt.Varius enim ac multiplex virtutum, doctrinæ,miraculorum ac gratiarum odor spirat & emanat ab assumpta à te humana natura,qua tanquam vestimento diuinitas tua circundata est, procedens è virginis aula,candidiore quouis ebore,è qua cū variis charismatum donis prodiens humana natura te supra modum exhilarauit. f g

* Accedit ad hunc gloriæ tuæ splendorem, quod in tanto tuo honore tibi non vnius tantum, sed multorum regum ac principum magnorum filiæ adsunt in obsequium tuum.Multæ enim fidelium animæ,multæque prouinciarum ac regnorum collectiones,per prophetarum scripta,& apostolorum prædicationem spiritualiter Deo genitæ, se tibi in decore hoc regni tui quod adeptus es,exhibent, paratæ in quibusuis tibi obtemperare.

11 Inter has regum filias vna præ aliis magis dilecta,omnium aliarum regina ac primaria tua coniunx,astitit tibi ad dexteram in veste aurea, circumamicta veste variegata, varióq; omnis generis ornatu. Inter omnes enim fidelium ecclesias vna speciosior ac peculiariter amata,prima credentium ecclesia ex gentibus maximè collecta, tibi proximè coniuncta,regni tui æterni tecum sublimiter particeps, vestita quasi aureo vestimento,ardentissima charitate, qua vsque ad mortem tibi deuota est,ac diuersarum virtutum ornamentis decorata.

12 Tu autem filia à Messia tam peculiariter electa,audi diligēter quæ te rex de veri Dei vero cultu docturus est,eáque sollicitè perpende, *& aurem tuam ad obediendum illi præbe,& secundum illius monita ante omnia obliuiscere populum tuum,de quo egressa es, & cognationem patris tui.Negligentiam vanam religionem ac impiam conuersationem gentilis & idololatræ populi,ac mundanorum hominum, inter quos nata es,à quibus te rex in coniugem vocauit.

13 Hæc si feceris,pulchritudinem tuam tum naturalem,tum quam ex obedientia eius & neglectu paternæ ac pristinæ religionis consequeris, rex eximio amore prosequetur, * & certè quo magis scias te illi auscultare debere,ipse est Dominus Deus tuus,cui merito supplex esse

debes,quandoquidem eum ſuppliciter venerabuntur omnes nationes.

14 Et filiæ Tyri in muneribus:
**vultum tuum deprecabũtur omnes diuites plebis.*

14 Quod ſi quæ dixi feceris etiam populi Tyri,externæq; gentes venient ad te cum muneribus quæ tibi offerent: *imo propter tuam magnificentiam & gloriam à ſponſo tuo tibi communicatam, venerabuntur te omnes reges ac principes cuiuſcunque plebis deprecantes te vt ipſos tibi velis adiungere, tibíque vnitos in ſponſi tui communionem perducere. i

15 Omnis gloria eius filiæ regis ab intus,
** in fimbriis aureis circum amicta varietatibus.*

15 Huius filiæ regis erit in interiore regia omnis gloria. Verſabitur enim cum rege aſſiduè in interiore parte domus,regis ſocietate ſemper perfruens,ac ſecretiſſimorum eius conſcia: hic autem conſiſtens tota glorioſa erit,omnibuſque modis decorata:hæc filia regis altiſſimi,à quo Meſſiæ in coniugem data eſt:†Neque in exterioribus tantum ornata erit,ſed multo magis omnis generis ornatus & pulchritudo erit ei intrin ſecus in animo.*Circumamicta erit veſtibus variegatis ſimul cum fimbriis aureis.Decorabitur enim multiplici,tum ſpiritualium gratiarum, tum virtutum varietate,in operibus eius omnibus conſpicua:quæ virtutum varietas ita charitati erit intertexta,quomodo in pretioſis veſtibus diuerſos colores filis aureis intextos videmus: ita quoque à charitate omnes virtutes continente claudetur,terminabitur, ac ornabitur, quomodo fimbriæ veſtem & terminant,& ornant.

16 Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi.

16 Poſt hanc regis ſponſam,adducentur ad regem virgines, ſponſam reginarum more comitantes, amicæ eius afferentur etiam tibi ó rex, Poſt eccleſiam enim primitiuorum tibi adducentur omnium gentium eccleſiæ,electorúmque animæ ex vniuerſo orbe,quæ relicta patria,patrióque cultu primæ tuæ ſponſæ veſtigia fidem ac charitatem ſequentur,nuptias etiam tecum celebrantes,ſed virgines caſtæ ſemper permanentes,nec vlterius cum alienis diis fornicantes,nec ſynceritatem fidei corrumpentes.

17 Afferentur in lætitia & exultatione,
** adducentur in templum regis.*

17 Adducentur autem hæ virgines cum ſumma omnium lætitia, & exultatione,*adducentur ſimul cum primaria ſpóſa vſque in intimum palatium regis,in eccleſiæ ſcilicet Catholicæ,quæ regis ſummi templũ eſt,vnitatem,ac tandem in cœleſtem manſionem, vbi perpetuo regis conſpectu,& iucunda ſocietate perfruentur. k

18 Pro patribus tuis,nati ſunt tibi filij.
**conſtitues eos principes ſuper omnem terram.*

18 Accedit ad hunc tuum tantum ſplendorem etiam liberorum fœlicitas,In locum enim patrum tuorum, patriarcharum ſcilicet & prophetarum, naſcentur tibi filii, patribus longe præſtantiores,Apoſtoli, Apoſtolicíque viri:hos tu conſtitues principes populorum ſuper vniuerſam terram. l

19 Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem.

19 Quoniam autem ſic omnibus modis es glorioſus, ego carminibus de te compoſitis memorabo,& memorabile faciam nomen tuum apud omnes poſteros.

20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.

20 Propter quod omnes mũdi nationes te celebrabunt & laudabunt vſque ad conſummationem ſæculi,& in perpetuum.

ANNOTATIONES.

a DICO EGO OPERA MEA REGI.] Verbum,dico,facilè hic imponere poteſt lectori, cui prima facie videri poſſit eſſe verbũ primæ coniugationis,ſignificans offerre & addicere,iuxta modum loquendi,quo dicimur dicare alicui poemata aut libros editos. At ex Græcis ſimul & Hebræis conſtat eſſe verbũ tertiæ coniugationis; ſignificãs loqui & pronunciare.Nam Græcis eſt λέγω,& Hebræis eſt participium אֹמֵר Omer,quod loquentẽ & dicentem manifeſtè ſignificat. Loquitur autem propheta de hoc carmine,quod dicit ſe dicere regi,ſiue quia in hoc regem alloquitur, ſiue quia in eius gloriam canitur,ſiue quia de ipſo eſt:vt datiuus exponatur hoc loco, quomodo Pſal.3.Multi dicunt animæ meæ hoc eſt de anima mea.

b PROPTEREA BENEDIXIT TE DEVS.] Difficultatem aliquam facit in hoc verſu coniunctio,propterea,eo quod quæ præcedunt, nõ videntur eſſe cauſa impetratæ benedictionis Dei, ſed contrà potius benedictio Dei cauſa eſt eorum quę præcedunt.Ex diuina enim benedictione præueniente ipſum,Chriſtus habuit & pulchritudinem ſuam & gratiam labiorum,non autem ſua pulchritudine & gratia labiorum promeruit ſibi Dei benedictionem. Similem imo maiorem difficultatem exhibet eadem coniunctio in verſu ſequenti: Propterea vnxit te Deus tuus, &c.non enim quia diligit iuſtitiam,& odiuit iniquitatem,ideo vnctus videtur à patre,cùm à patre vnctus ſit ſpiritu ſancto ab initio conceptionis, atque ab ea vnctione habuerit vt dilexerit iuſtitiam, & odiuerit iniquitatem.Itaque vt has fugiant difficultates, quidam ex Hebræo vertunt vtroque loco,propterea quod, vt non quod præcedit, ſignificetur eſſe cauſa ſequentis,ſed econtrà quod ſequitur ſignificetur eſſe cauſa eius quod præceſſit. Eiſdem de cauſis in noſtra lectione quidam prepoſitionem,propterea, accipiunt,non vt ſignificet id quod ſecutum eſt, & præcedentibus meritis obtentum,ſed potius cauſam finalem, vt ſit ſenſus: Ad hunc finem Deus pater te benedixit,vt eſſes ſpecioſus forma præ filiis hominum,& diffuſa eſſet gratia in labiis tuis. Similiter ideo te Deus tuus vnxit præ conſortibus tuis,vt diligeres iuſtitiam,& odires iniquitatem.Sic enim Diuus Auguſtinus hunc poſteriorẽ verſum enarrat:poteſt tamẽ vtrobique cõiunctio, propterea, accipi, vt ſignificet præcedentia cauſam eſſe eorum quæ ſubijciũtur, iuxta intelligentiam

tiam in paraphraſi inſinuatam, vt ſcilicet intelligantur hi duo verſus non de prima benedictione, & vnctione,quæ omnia merita pręceſſit,ſed de ea, quam Chriſtus ſuis meritis cõſecutus eſt, ea ſcilicet qua exaltatus eſt ſuper omnia,accepto à patre nomine,quod eſt ſuper omne nomẽ. Sicut enim Dauid frequẽter vnctus eſt in regem,ſemel,ſcilicet ſecreto à Samuele in domo patris ſui, ſemel à tribu Iuda,& tertiò ab oĩbus filiis Iſrael:ita & Chriſtus vnctus eſt in ſua conceptione, ita vt ſit natus rex Iudæorũ,ac deinde in baptiſmo,veluti ſecũdo vnctus eſt,cũ de eo dictum eſt cœleſti voce:Hic eſt filius meus dilectus, &c.ac poſtremũ per reſurrectionem & aſcenſionem ſuã,omnium rex declaratus eſt,non ſolum Iudæorum,ſed etiam Gentium. d

SPECIE TVA ET PVLCHRITVDINE, &c.]Non tantũ ex Hebræis,ſed etiã ex Grecis patet,verſum hũc perperã à pleriſq; diſtingui. Primũ enim ablatiui illi,ſpecie tua & pulchritudine tua, non poſſunt coniungi cũ verbo,intẽde, ſed potius cũ præcedẽtibus.Deinde aduerbiũ,proſperè,cõiungi debet,non cum verbo,intẽde,ſed cũ verbo procede.Eſt enim Grecis καὶ ἔντεινον καὶ κατευοδοῦ,hoc eſt, & intende,& proſperare,vel proſperè procede.Cõiunctio enim,&,manifeſtè docet,præcedẽtes ablatiuos cum verbo,intende,non eſſe iungendos, ſed cum præcedenti,accingere,quomodo & D.Auguſtinus diſtinguit & Euthymius.

d SAGITTAE TVAE ACVTAE,] Videri poteſt interpretem vertiſſe,nõ in corda, ſed in corde: Cùm Græcis ſit ἐν καρδίᾳ,hoc eſt in corde,quõ non ſolum legit D.Auguſtinus,ſed & Hieronymum ſic legiſſe cõmentarius eius arguit. Explicat enim populos cadere in corde,quia nõ ſuperbiunt,ſed humiliter credũt,quomodo & Auguſtinus intelligit. Itaq; hanc partem,in corde,coniungunt cum illo quod præcedit,Populi ſub te cadent. Et quoniam iam durè annectitur,inimicorum regis,fere alii,teſte etiã Euthymio,verba illa,populi ſub te cadent, intelligunt per parentheſin intexta,vt illud, in corda,vel in corde inimicorum regis, iungatur cũ illo,ſagittæ tuæ acutæ.& ſit ſenſus:Sagittæ tuæ acutæ ſunt in ipſo corde,hoc eſt,illud penetrãt.vel Sagittæ tuæ acutæ infixæ ſunt in corde vel corda. In illo,inimicorũ regis,eſt ſubita pſonæ mutatio, pro inimicorum tuorum.Et quandoquidem per ſagittas,intelligitur verbum prædicationis euangelicę, quod dicit,inimicos regis,accipi debet pro tempore præterito,hoc eſt,pro ijs qui prius inimici erãt, cùm vulnerati ſagittis ſalutaribus,amici facti ſint. Poſſent tamen etiam accipi per ſagittas, pœnæ & ſupplicia,quibus plectitur eorũ pertinacia, qui ſalutare regnum Chriſti repudiant.Et notandũ,prophetam Meſſię pugnaturo & gladiũ tribuere, quo cominus pugnatur: & ſagittas, quibus eminus hoſtis inuaditur,vt intelligatur eũ perfectè inſtructum,nec quenquam eius manum poſſe effugere.

e VNXIT TE DEVS DEVS TVVS.]D.Auguſtinus prius nomen,Deus,refert ad filium,quẽ hic propheta alloquitur,poſterius ad patrẽ,vt ſit ſenſus: O tu Deus,vnxit te Deus tuus, idq; putat ex Græcis eſſe manifeſtum.Etenim, inquit,in Latino putatur idẽ caſus nominis repetitus,in Græco autem euidẽtiſſima diſtinctio eſt, quia vnũ nomẽ eſt quod cõpellatur,& alterũ ab eo qui cõpellat.Verũ vt hodie leguntur Græca,non video vnde hęc conſtet diſtinctio.Nam etſi poſſit alterum nomẽ ad filium alterũ ad patrẽ referri,nihil tamẽ cogit vt ſic intelligatur,imo potius vtrunque ad patrum videtur referẽdum; ſicut & apud Hebræos, cùm ſic hic dictum videatur, ὁ θεὸς ὁ θεός σου, ſicut alibi dicit: ὁ θεὸς ὁ θεός μου,id eſt,Deus,Deus meus.Citat quidem hunc verſum D.Paulus ad Hebræos,ſimul cũ verſu præcedente: ſed id non eò facit vt ex verſu hoc oſtendat Meſſiam eſſe angelis ſuperiorem, quòd Deus eſſet. Ad hoc enim valet verſus ſuperior, in quo manifeſtè Meſſiæ nomen Deo tribuitur, cùm dicitur:Sed tua Deus in ſæculum ſæculi.Hunc vero verſum adiungit, quòd in eo dicatur Meſſias vnctus præ conſortibus,hoc eſt,magis quàm omnes conſortes.

f E DOMIBVS EBVRNEIS.]Per domos eburneas, quidam intelligunt domus & palatia regis, ex quibus rex odoriferis indutus veſtimentis procedit.Propriè enim dictio Hebraica palatia ſignificat,ſicut & dictio Græca βαρέων,teſte Euthymio,ſignificat templa:At tum quidẽ ſenſus erit:Myrrha & gutta redolent à veſtibus tuis,dũ procedis è domibus eburneis.Verùm alter ſenſus, quẽ explicat paraphraſis,conuenientior videtur, quod non ſit veriſimile domus regis Salomonis, ad quẽ alluditur,eburneas fuiſſe.Itaque palatia, vocat magnas arcas,in quibus reponuntur veſtimenta, hac vſus metaphora ob amplificationem rei.

g EX QVIBVS DELECTAVERVNT TE, &c.]Apud Hebræos hæc pars,filiæ regũ in honore tuo,principium eſt verſus ſequẽtis.Itaq; nominatiuus,filiæ,nõ apud eos ſuppoſitum verbi,delectauerunt:ſed eius verbi ſuppoſitũ oportet intelligere,veſtimenta,quemadmodum habet paraphraſis. Aut ſi relatiuum,quibus,ad veſtimenta referatur, aliquid in verbo erit ſubaudiendum in hunc modum:Ex quibus,pro quibus veſtimentis delectauerunt te,qui ſcilicet ea tibi donarunt.Quod ſi quis omnino velit hanc partem, filiæ regum in honore tuo,coniungere cum verbo,delectauerunt,quẽadmodum noſtra lectio depoſcere videtur,cõmodiſſimum fuerit relatiuum,quibus,referre ad aromata prædicta,vt ſit ſenſus:Filias regum,quæ fragrantia veſtimentorum ſponſi perfuſæ ſunt cũ gaudio viciſſim eorum odorum fragrantia ſponſum oblectare,dum eius ſuaue olentes virtutes ſtudẽt imitari.Cum enim per veſtimẽta ſponſi noſtri, omnino eius humanitas intelligenda videatur, intelligi non poteſt filias regum delectare ſponſum veſtimentis eius,quaſi ea ipſe ſponſo tradiderint,parauerint vel ornauerint. Nec enim per veſtimenta ſponſi,Apoſtoli rectè intelliguntur,cũ illi ad ſponſę perſonam magis pertineant,de qua ſubiicitur.

QVONIAM IPSE EST DOMINVS DEVS TVVS.]Deus,nõ eſt in Hebręo,nec in Græco:ſed tm̃ eſt:Ipſe eſt Dñs tuus,quod bene conuenit figura,ad quam hic alluditur, nempe filiæ Pharaonis, ſub qua eccleſia hic adumbratur, quæ iubetur ſuũ Salomonem pro ſuo Domino agnoſcere, Apertè tamen ſponſus iſte,de quo canticum agit ſuperius, Deus vocatur de quo ſequitur:Et adorabunt eum. Pro quo Græca habet, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ, hoc eſt, & adorabis eũ,quomodo & habẽt Hebræa,vt mirum ſit noſtrum vertiſſe:Et adorabunt eum. At ea lectio relicta eſt nobis ex veteri lectione,quã ſecuti ſunt D.Auguſtinus,& Hieronymus, ſecundum quam ab hac parte principiũ eſt noui verſus,quod cum ſequentibus ſic legitur:Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus:cũ vera lectio habeat:Et filia Tyri,non autẽ filiæ Tyri,vel,vt filiæ Tyri Legẽdum enim eſſe,filia Tyri,docent tum Græca, tum Hebræa,cõſentientibus pleriſq; codicibus noſtris.

Et significatur phrasi Hebraica per filiam Tyri, populus Tyrensis. Hebræi enim filiam alicuius ciuitatis, vocãt eius populum, vt suprà annotatum est circa eam orationem, filia Sion. Notandum etiam in eodẽ versu nec Græca nec Hebrea habere, omnes diuites plebis, sed rãtũ, diuites plebis, sine omnes. quomodo & quædam nostra exemplaria habent.

i OMNIS GLORIA EIVS, &c.] Pronomen, eius, sicut nõ est aut in Græcis, aut Hebræis, ita nec in plerisque nostris, est tamen apud Augustinum, vnde in nostris quibusdam libris irrepsisse videtur. Intelligunt autem plerique istud dictum, ne quis existimaret decorem & ornatũ reginæ constare ex rebus externis, & iis quæ oculis cernuntur. At iam de veritate huius dicti occurrit dubium, nam eccle
Mat.6. siæ ornatus aliquis etiam in externis cõsistit. Nam vt omittam eius cæremonias & sacramenta, ei dictum est: Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videãt opera vestra bona. Deinde quæ hic de Christo, eiusq; ecclesia canũtur, sub figura Salomonis, eiusq; vxoris præcipuæ filiæ Pharaonis dicuntur, ita vt aliquo saltem modo figuræ competãt, atque ab ipsa figura tribuantur verò Salomoni, eiusque sponsæ, quibus solis hęc verè conueniunt. Itaq; in paraphrasi primum quidem sic partem hãc explicuimus, vt suo modo quadret etiam in ipsam figuram, à qua carminis occasio desumpta est. Subiecimus tamen & alteram huius partis intelligẽtiam, quæ propria est sponsæ Christi: quæ etsi etiam in exterioribus sit ornata, ac benè composita, rectè tamen dicitur omnis eius gloria & decor esse intrinsecus, & in animo, quia ab animi ornatu habent omnia externa, vt coram Deo sint grata. Nam si absit recta animi intentio, externa omnem suam apud Deum amittent gratiam.

PRO PATRIBVS TVIS, &c.] D. Augustinus, k
Hieronymus, & Euthymius intelligunt hæc dicta ad ecclesiam, vt per patres ecclesiæ, ipsi accipiãtur apostoli: per filios, episcopi eorum successores. Verum ex Hebreis patet hęc dicta ad ipsum regem, quod pronomen, tuis & tibi, sit masculinum.

MEMOR ERO NOMINIS.] Multi libri habent: Memores erunt nominis tui, vt ad filios illos referatur de quibus in versu precedente. Sicq; legit Augustinus, & Hieronymus in cõmentariis. At Græca habent simul & Hebræa: Memor ero nominis tui, quomodo & multa Latina habent exẽplaria. Itaq; secundum quosdam vox est ecclesię, gratias suo sponso aut Deo patri agentis. Aut secundum alios, & rectius, sunt verba prophetę, qui his duobus versibus concludit carmen hoc epithalamicum, sicut duobus præfabatur. Cęterum nomẽ, Domine, vt in originalibus non est, ita nec in correctioribus Latinis, nec apud Augustinum.

In finem filiis Core pro arcanis Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XLV.

Præsens Psalmus compositus putatur occasione victoriæ Dauidi diuinitus concessæ de omnibus suis circunquaque inimicis, regno eius infestis. Aut occasione eius liberationis, qua tempore Ezechiæ regis populum Iudæ & ciuitatem Ierusalem Dominus liberauit ob obsidione Assyriorum, plaga magna illos cædens, & suis pacem præbens. Est itaque gratulatio pro insigni aliquo auxilio, Israeli & sanctæ ciuitati Ierusalem diuinitus collato, propter quod ab ipsis experimento comprobatum auxilium etiam in maximis periculis securos se fore eanunt ob Dei præsidium, aliasque gentes ad considerationem diuinæ potentiæ in ipsis declaratæ inuitant. Secundum sensum autem mysticum, Psalmus hic, vox est ecclesiæ fidelium exultantium in Deo, eo quod illis à persecutione & oppugnatione infidelium iam tandem liberatis pacem vniuersilẽ præstiterit, euangelicæ prædicationis voce iniquos ac superbos dæmones conturbans & prosternens, gentesq; armis contra eccl. sum depositis, fidei subyciens.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus noster refugium & virtus,
**adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.*

DEus noster quem colimus, est refugium nostrum tutissimum, & robur nostrum: ad ipsum enim quibuslibet malis obuenientibus tutissimè per spem confugimus, & per ipsum contra omnia mala fortes sumus: ipse semper valde factus est nobis adiutor in tribulationibus quæ nobis acciderunt, liberando nos ab illis, aut sustinendi æquanimiter gratiam donando. *Psal.45* a

2 Propterea non timebimus dum turbabitur terra,
** & transferantur montes in cor maris.*

2 Propter quod non timebimus, etiamsi ab eo terra graui suo metu concutiatur ac conturbetur, * & transferantur montes in medium maris, ita vt nimia tempestate immissa à Deo, montes suo loco dimoueantur aut diluuio aliquo montes à mari occupentur.

3 † Sonuerunt, & turbatæ sint aquæ eorum, conturbati sint montes in fortitudine eius.

3 Licet præ nimia cõmotione aquæ maris strepitum edant maximũ, b
ac per emissam tempestatem turbatæ sint, etiamsi montes cõmoueantur per fortitudinem Dei, vel ipsius maris, nos tamen non timebimus. †Rursum cum grauis ingruerit contra nos persecutio, quæ terrã ac fortissimos etiam conturbet & obruat, nos tamen nequaquam timebimus.

4 Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei.

4 Nam riuuli varii fluminis Gihon, qui ciuitatem Ierusalem dulci cũ c
impetu perlabuntur, iugiter lætificant ciuitatem nostram sanctã, quam Deus peculiariter inhabitat, hoc est, varia diuinæ benignitatis dona, quæ quasi è pleno suæ bonitatis flumine per varios riuos dulci cum impetu intra nostram ciuitatem decurrere facit, ita nostram ciuitatem, etiam reliquis omnibus territis & cõmotis, imo multis contra nos exurgentibus, exhilarant, quomodo fluuius Gihon perenni suo fluxu vrbem nostram recreat Ierusalem: *quam ideo Dei ciuitatem appello, quia in ea altissimus Dominus sibi sanctificauit, & elegit tabernaculum in quo peculiariter habitat.

** sanctificauit tabernaculũ suum altissimus.*

5 Deus in medio eius non commouebitur:

5 Quare cum Deus sit in medio huius nostræ ciuitatis, eo curante & custodiente non cõmouebitur quocunque hostili incursu, quibuscunque

**adiuuabit eam Deus mane diluculo.*

que malis: *quod si quando opus fuerit, ipse opem ei adferet quàm celerrimè, etiam ante ipsam auroram summo mane.

6 Conturbatæ sunt gentes & inclinatæ sunt regna: dedit vocem suam.
**mota est terra.*

6 Ipso pro nobis pugnante, gentes variæ trepidauerunt, eorúmque regna collapsa sunt, vocem suam diuinæ maiestatis plenam edidit Deus, tonitruo emisso, aut alio quouis modo iram suam maximam declarans, *propter quod habitatores terræ vehementi timore commoti sunt, pristinas vires amittentes.

*7 Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Iacob.*

7 Certè Dominus, qui præest exercitibus cœlestibus angelorum, atq; in cuius potestate sunt omnes exercitus, nobiscum est, *Deus, quem Iacob coluit, & propitiũ habuit, ipse est qui nos quoque ad se confugientes susçipit, atque defendit.

*8 Venite & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terram, * auferẽs bella vsque ad finem terræ.*

8 Huc accedite omnes, & contemplamini quæso opera Domini, quæ e
quasi prodigia quædam, & vsque ad miraculum stupenda designauit in terra pro populo suo, *cessare faciens mirabiliter bella vsque ad finem terræ.

*9 Arcum conteret, & confringet arma, * & scuta cõburet igni.*

9 Arcum inimicorum comminuit, & confregit sagittas ac lanceas, reliquáque id generis arma, *scuta combussit igni. Omnia hostiũ nostrorum arma cessare fecit, & perdidit.

10 Vacate & videte quoniã ego sum Deus,
** exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.*

10 Vos itaque populi cessate ab impijs vestris contra me & populum f
meũ conatibus, & ex tam insignibus factis pro salute populi mei à me editis cognoscite, quòd ego & verè sum Deus & solus, quantumuis plerique gloriam meam obscurare conentur: *ego tamẽ per facinora mea insignia magnus reputabor, non in cœlo tantum, nec tantum apud Iudæos, sed apud omnes nationes, & in vniuersa terra.

*11 Dominus virtutem nobiscum, * susceptor noster Deus Iacob.*

11 Certè id verè identidem nobis gloriari licet, quod Dominus imperator omnium exercituum, partium est nostrarum: *Deus, quem Iacob coluit, & propitium habuit, ipse quoque est qui nos ad se confugientes susçipit, & defendit.

ANNOTATIONES.

a QVAE INVENERVNT NOS NIMIS.] Aduerbium, nimis, quod sæpe in Psalmis ponitur pro valdè, quamuis coniungi in nostra lectione possit cum verbo, inuenerũt, vt significetur magnitudo & multitudo tribulationum, Euthymius tamen testatur Chrysostomum voluisse referri ad dictionem, adiutor, vt significetur in tribulationibus Deum adfuisse validum adiutorem. Qui intellectus consentit cum Hebræis, quæ habent: auxilium in tribulationibus inuenimus abundè.

b SONVERVNT, &c.] Obscuritas in hoc versu magna prouenit, eo q; nõ pateat quid referãt relatiua, eorũ, & eius. Et putant plerique relatiuũ, eorum, & eius. Et putãt pleriq; relatiuum, eorum, referri ad, montes. Verùm quid significat, aquæ mõtium? Sic enim oportet scripturas interpretari, vt nõ pereat metaphorarũ gratia. Ex Græcis autẽ & Hebræis satis patet relatiuum, eorũ, referre maria: nam quamuis nos habeamus singulariter, in cor maris, Græca tamen & Hebræa habent pluraliter, marium. vnde & Romanũ Psalterium habet, aquę eius, maris scilicet. Proinde pro cõcordãtia nostræ literæ cum originalibus, mari, accipi debet collecti uè, vt eorũ, ad cum genitiuum referatur secũdum rem. Multa enim dicuntur secundum proprietatẽ linguę Hebraicę esse maria, ppter diuersos maris sinus, vnde diuersas sortitur mare appellationes. Iam relatiuum, eius, in secunda parte positũ, quãuis cõiter referatur ad Deum, cuius fortitudine turbantur montes, iuxta illud: Qui respicit terrã, & facit eam tremere: Hebręa tamẽ magis exigunt, vt ad illud referatur, ad quod relatiuũ prioris partis, nempe mare, cuius fortitudine & impetu nonnunquam etiam montes deijciuntur, & quasi con tremiscere videntur. Itaque clarior esset sensus, si vtrobiq; legeretur singulari numero, eius, quomodo legit Augustinus. Annotandum & illud circa hunc versum, posse hunc bifariam accipi. Primum, vt pẽdeat sententia cum superiori versu, & sit sensus: Nõ timebimus, dũ vel etiã si sonuerint & turbatæ sint aquæ maris, &c. Qui sensus magis percíperetur, si etiã hic per futurum vertisset interpres, Sonabunt & turbabuntur aquæ eorum, &c. Nam & Hebręa habent verba futuri temporis, sed nouum non est in Psalmis, aut futura pro præteritis poni, aut contrà præterita pro futuris. Iuxta hunc sensum, quem sequitur paraphrasis, indicatur etiam in paraphrasi duplex horum duorum versuum intelligentia. Possunt enim quæ de elementorum & mõtium turbatione & motione dicuntur, ad literam accipi, vt per terram, montes, & aquas, homines significentur, quibus timore correptis, fideles se liberos à timore fore gloriantur. Aut potius significatur grauis persecutio cõtra populum Dei, quę licet fortissimos etiam conturbet sua vi atque magnitudine, non tamen populum Dei. Per infestam enim aquarum vim, in scripturis non rarò significantur persecutiones, & hostium contra populum Dei irruptiones. Secundò hic versus accipi potest, vt separatus à sententia versus præcedentis, & magis pertinens ad versum sequentem, sitq; sensus. Aquas maris aliquoties grauì cum sonitu commotas fuisse, ac montes firmissimos conturbatos fuisse Dei aut aquarum virtute. Tunc tamen ciuitatem Dei liberam fuisse à metu, nec commotam fuisse, Deo eam lætificante, qui est in medio eius. Hunc sensum magis requirere videtur nostra lectio propter verba præteriti temporis, cùm priorem sensum magis postulent Hebræa.

FLVMINIS IMPETVS LÆTIFICAT, &c.] c
Vt hic locus bene intelligatur, obseruandum prophetam hic eleganter aquis maris sonantibus, & omnia terrore replentibus, opponere aquas flumínis parui, quod non turbat, sed lætificat populum Dei, & ne à tempestate marinarum aquarum timeat præmunit, alludens ad aquas fluminis Siloe, ac sub illis tropicè significare volens Dei præsidiũ & consolationem, qua suum populum Deus reficit etiam in mediis calamitatibus & ingruentibus tẽpestatibus. Sic Isaias capite octauo aquis Siloe,

quæ vadunt cum silentio,despectis à decem tribubus,opponit aquas fluminis fortes & multas,quæ decem tribus obruerent, significans eos qui Ezechiæ pręsidium contempsissent, qui in Ierusalem regnabat,obruendos à vi regis Assyriorum. Notandum & illud, quod ad lectionem attinet,omnino videri legendum esse per pluralem numerum,lętificăt,vt impetus sit pluralis numeri,quéadmodum & Pagninus annotat,eo quod Græca habeăt. ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα εὐφραίνουσι. Certe D. Augustinum legisse pluraliter, patet & ex commentariis, & ex contextu & Hebræa quoq; pluraliter habent:Fluminis riui exhilarabunt.

d DEDIT VOCEM SVAM.] Per vocem Dei significare solet scriptura tonitruum,quo Psalm. 17. & aliis canit propheta Dominum hostes perterrefecisse ac deiecisse.Iuxta quă intelligentiam in sensu mystico,euangelica prędicatio significatur, qua personante,salubriter hostes populi Dei commoti sunt & subacti.Quăquam cōgruentius per vocem Dei hoc loco videatur significari Dei imperium,& sententia,quam pro populo suo protulit ipso effectu cōtra hostes eius. Hunc enim sensum insinuat psalmus 75.huic psalmo satis similis,in quo etiam dicitur de arcubus & scutis confractis.Ibi enim dicitur de cœlo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit,cum exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. e

AVFERENS BELLA,&c.] In sensu mystico quod hic dicitur de pace toti orbi pręstita, non est intelligendum de eă quę data fuit mundo, Christo iam nato,sed de eă,quæ tandem ecclesię obuenit, cui iam omnes Gentes prius inter se religionū diuersitate dissidentes,ac simul euangelică prædicationem oppugnantes,sese depositis contra ecclesiam armis submiserunt fidei euangelicę.

VACATE ET VIDETE.] Quod dicitur,vacate,aliter quă habet paraphrasis,accipi potest,vt sit sensus:Abiicite omnem terrenarum rerum superfluam cură,sicq; sancto otio dediti cōsiderate, &c. f

In finem pro filiis Core Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XLVI.

COntinet hic Psalmus iubilū populi Israelitici,cū arcă fœderis omnes tribus Israel cum capitibus tribuū,& familiarū principibus,ac plerisq; alienigenis exultătes introducerent,cū solenni pompa in tabernaculū, à Dauide in monte Sion paratū,aut,vt alij volunt,in templum à Salomone extructum. Certè 2. Regum 6. versus ille: Ascendit Deus in iubilo,&c. fere eodem modo ponitur,quo hoc loco,apud Hebræos pro eo enim quod nos legimus ibi ducebant arcam testamenti Domini in iubilo,& in clangore buccinæ:Hebræa habent, Ascendere fecerunt in iubilo & voce tubæ. In hac autem arcæ Dei illatione,deliniata est & adūbrata ascensio Christi in cœlum,qui est vera fœderis arca,verū propitiatorium,vera Diuinitatis sedes,mediator Dei ac hominum. Proinde secundum mysticum & præcipuum sensum psalmus iste gratulatio est fidelium omnes Gentes ad laudem Dei & gaudium spiritus adhortantium,ob diuinæ gloriæ per vniuersum mundum illustrationem conuersionemq; principum & populorum ad Deum quæ facta est Christo per ascensionem in cœlum exaltato.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Omnes Gentes plaudite manibus,iubilate Deo in voce exultationis,

QVotquot vsquam estis populi,plaudite manibus in signum lætitiæ vestræ,voce maximè hilari cantare in honorem Dei. Ps. 47.

2 Quoniam dominus excelsus,terribilis rex magnus super omnem terram.

2 Dominus enim admodum excelsus ac tremendus est,ac potentissimus rex vniuersæ terræ,quam totam sibi subiectam habet,& pro suo arbitrio moderatur.

3 Subiecit populos nobis,& Gentes sub pedibus nostris.

3 Ipse sua potentia varios populos subiecit nobis,ac multas Gentes perfectè nobis fecit esse subditas,expellens Cananæos è terra sua, multósque in circuitu nostro populos subijciens imperio nostro.

4 Elegit nobis hæreditatem suam,
** speciem Iacob,*
** quam elegit.*

4 Elegit in nobis hæreditatem suam,nullis nostris meritis,sed gratuita sua electione nos sibi in suam hæreditatem ac peculiarē possessionem asciuit,specialem nostri curam gerens,* quæ quidem ipsius hæreditas, ornatus est ac pulchritudo patriarchæ Iacob,cuius hæc hæreditas Dei, progenies est,per varia Dei beneficia insigniter decorata,* quam ipsius Iacob progeniem pulcherrimam, Deus semper peculiari dignatione præ alijs nationibus prosecutus est sola sua gratia multis eam beneficijs cumulans. a b

*5 Ascendit Deus in iubilo, * dominus in voce tubæ.*

5 Hic autem Deus noster in montem sanctum suum, in quo peculiarem sibi habitationem elegit,ascendit cum iubilo populorum & principum prosequentium eum:* Dominus ascendit cum clangore tubæ & magna totius populi lætitia.

6 Psallite Deo nostro, psallite:psallite regi nostro, psallite.

6 Omnes itaque psalmis celebrate Deum nostrum,iterum dico,celebrate regem nostrum,atque iterum sine cessante celebratione.

7 Quoniam rex omnis terræ Deus:
** psallite sapienter.*

7 Deus enim noster,rex est vniuersæ terræ,& omniū qui terră incolūt, *ideóq; psalmos in honorē illius canite,idq; sapienter,vt non bacchantium more illi canatis,sed cōpositis moribus:nec ore tantū illum laudetis,sed & tota cordis deuotione,ac bonorum operum correspondentia.

8 † Regnauit Deus super Gentes,
** Deus sedet super sedem sanctam suam.*

8 Ab initio creaturæ semper regnum obtinuit Deus noster super omnes gentes,pro suo arbitrio eas moderatus: † Sed & nunc peculiare dominium in plerisque gentibus suscepit, quas nostro imperio subiectas fecit. * Deus sedet super thronum suum sanctum, & ab omni iniustitia alienum. In cœlo enim, tanquam in throno suo sanctissimo, c

mo,præ

mo,præsidet tanquam rex ac iudex omnium, iustè omnia gubernans, ac iustè de omnibus suo tempore iudicaturus.

9 Principes populorum congregati sunt cū Deo Abraham.
** quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.*

9 Propter hanc autem Dei nostri celsitudinem,non solum plebeii ex alienigenis gentibus,sed etiam primates diuersarum tribuum ac gentium,adiuncti sunt Deo,quem eximiè ac vnicè coluit Abraham, subijcientes etiam se illi in seruitutem. * Idque ob id, quoniam fortes, quos Deus habet in terra, quíque sunt in terra tanquam dij quidam fortes, vehementer sunt exaltati.Nam quoniam principes,regésque nostri per Dei fortitudinem omnibus inimicis nostris superiores euaserunt, hinc & principes,tribuum & familiarum Israeliticarum in cultum Dei Abrahæ solicitius coadunati sunt,& plerique etiam externorum populorum primores nostro Deo sese adiunxerunt,cultum eius vnà nobiscum suscipientes. d

Paraphrasis eiusdem secundum sensum mysticum.

1 Omnes Gentes plaudite manibus iubilate Deo in voce exultationis.

CVm iam omnes Gentes vnum eundémque Deum consecuti sitis, omnésque ex æquo illius misericordiæ participes effecti,omnes in honorem eius edite signa lætitiæ,manibus & lingua,factis & verbis. Ps. 46.

2 Quoniam dominus excelsus,terribilis,rex magnus super omnem terram.

2 Quoniam dominus omnium nostrum sublimis factus est & suspiciendus,constitutus est rex,omnia potens super vniuersam terram.

3 Subiecit populos nobis,
** & Gentes sub pedibus nostris.*

3 Euangelica prædicatione per vniuersum orbem diffusa subiecit nobis populos varios & multos,à cultu diuino antea alienos, nunc autem in eandem religionem nobis coadunatos:*gentes,inquam,multas fecit nobis supplices,& ad pedes nostros prouolutas,nostram legem & præcepta spontè amplexantes.

4 Elegit nobis hæreditatē suam,
** speciem Iacob, quam dilexit.*

4 Sed & in nobis ipse sibi gratuita sua bonitate elegit suam hæreditatem,*quæ est secundum spiritum,& fidei imitationem speciosa progenies Iacob patriarchæ,quam ab initio semper dilexit,Esau cum sua progenie odio habens ac reiiciens.

5 Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ.

5 Præter hæc,est & ista iusta communis gaudii omnibus ratio, quod Deus noster,iam peracto in terris opere salutis nostræ,ascenderit è terris in cœlum cum iubilo,& summa lætitia omnium, tum angelorum illum prosequentium festiuiter,tum fidelium hominum:quibus illius ascensus,certa promissæ salutis fiducia est.

6 Psallite Deo nostro,psallite: psallite regi nostro, psallite.

6 Proinde omnes quotquot quatuor mundi partes incolitis, iterum atque iterum sine intermissione communi omnium nostrum Deo ac regi psallite.

7 Quoniam rex omnis terræ Deus:psallite sapienter.

7 Quoniam hic Deus,rex est constitutus omnium qui vniuersam terram incolunt:quare psallite ei sapienter,ita vt vocis psalmodiæ consentiat & cor & opus.

8 Regnauit Deus super Gentes,
** Deus sedet super sedem sanctam suam.*
9 Principes populorū congregati sunt cum Deo Abraham.
** Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.*

8 Qui prius tantum Iudæorum Deus habebatur, & illis solis imperare videbatur,*iam super omnes etiam gentes Deus regiam ac iudiciariam super omnes potestatem habet perpetuò regnaturus.

9 Propter hanc igitur ipsius sublimitatem non plebei tantum Gentium,sed & reges ac primates omnium populorum couniti sunt cū hoc Deo nostro,quem vnicè Abraham coluit,fidem eius ac religionem vno consensu suscipientes,*idque ob id,quoniam fortes,quos in terra Deus habuit,quíque tanquam dij quidam constituti sunt in terra, Apostoli scilicet,vehementer eleuati sunt,prædicationis suæ efficacia,ac signorū virtute totum orbem mirabiliter,etiam multis fortissimis & doctissimis contrà nitentibus,sibi spontè subiugantes.

ANNOTATIONES.

2 ELEGIT NOBIS.] Hebręa habēt,elegit nobis hæreditatem nostram: intelligiturq; tum per hæreditatem,terra promissionis.Græca habēt:Elegit nobis hæreditatē sibi, quod Euthymius interpretatur,elegit nobis,hoc est,per nos sibi suă hæreditatem,vt sit apostolorū vox.Verùm hic sensus literali non potest conuenire sensui.Alij,elegit nobis dare suam hæreditatem:alij aliter. Psalterium Romanum habet:Elegit nos in hæreditatem sibi. cui lectioni nostra consentiet,si,vt habet paraphrasis,subintelligatur præpositio,in.

b SPECIEM IACOB, &c.] Quidam libri habent,quē dilexit,quomodo & D.Hieronymus legit in commentariis. Alij, quam dilexit, vt ad speciem referatur,quomodo legit diuus Augustinus. Vtramque lectionem permittunt Hebræa, Græca verò habent relatiuum fœmininum ἥν, vt iuxta Græca legendum magis sit,quam dilexit.

REGNAVIT DEVS.] Multi libri habent futurum,regnabit,quomodo & Augustinus legit.At verior lectio est per præteritū,regnauit, quoniă & Hebręa & Græca manifestè habēt tēpus pręteritū. c

DII FORTES TERRAE.] Hebræa & Græca non habēt nominatiuum,Dij, sed genitiuum, Dei. Verisimile est vitio scriptoris in nostris codicibus legi,Dij,pro,Dei. d

Psal

Pſalmus Cantici filiis Core ſecunda ſabbati.

ARGVMENTVM PSALMI XLVII.

OCcaſio Pſalmo fuiſſe videtur inſignis aliqua vrbs Hieruſalem contra hoſtes Deo propugnante victoria. ſiue ea fuerit nobilis illa contra Ammonitas & Syros tempore Dauidis victoria. ſiue qua donatus eſt rex Aſa, contra quem Aethiopes decies centenis millibus venerant, vt ſcribitur 2. Paral. 14. ſiue ea qua potitus eſt Ioſaphat rex, contra quem Moabitæ & Ammonitæ innumeras quoque copias duxerunt, vt habetur 2. Paralip. 20 ſiue ea quæ contigit regnãte Ezechia, cum Hieruſalem ab obſidione Aſſiriorum Deus liberauit, occidens ex eis vna nocte centum & octuagintaquinque millia virorum. Certè vero ſimilius eſt Pſalmum hunc, quantum ad literã & ad typum attinet, de victoria illa præclariſſima, quam Dominus regi Ioſaphat dedit, canere: quòd tum maximè multi reges ſimul contra Ieruſalem conuenerãt, nempe Moabitarum, Ammonitarum, Iudumæorũ & Syrorum, quos adeo metu perculſos, & terrore exagitatos ſcriptura cõmemorat, vt ſeipſos trucidarint, quando & filij Core, de quibus in titulo Pſalmi, Dominum Deũ Iſrael laudaſſe voce magna prædicantur. Itaque quod ad literalem attinet ſenſum, Pſalmo hoc canitur eximia ciuitatis Ieruſalem magnificentia & fœlicitas, ob præſentiam Dei in ea, & tutelam eius reſpondentem expectationi habitantium in ea. Tum deinde & propter hæc inuitantur ciues eius ad lætandum in Deo protectore ipſorum, & cõtemplandum diligenter magnificentiã. Huius autem terreſtris Ieruſalem typo, myſticè hic Pſalmus deſcribit fœlicitatẽ eccleſiæ fidelium Ieruſalem cœleſtis & nouæ, quæ firmiter tanquam in monte quodam fundata, vrbs verè Dei inuicta ſemper manſit contra omnium huius mundi regum oppugnationem, manebitq́; vſque ad finem mundi, vt etiam portæ inferi non praualere poſſint aduerſus eam. Cuius variæ ſunt domus, turres, & palatia particulares ſcilicet eccleſiæ, ex quibus conſtat & ornatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

MAgnus eſt valde Dominus in potentia, ſapientia, ac bonitate: ac proinde dignus, qui plurimum laudetur etiam vbique: ſed maximè in ciuitate Dei noſtri, atque in monte ſancto Sion, quem ſibi peculiariter in habitationem & cultum ſui Dominus elegit. Pſ. 47.

2 †Fundatur exultatione vniuerſæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis ciuitas regis magni.

2 Hic mons Sion ſitus ad Aquilonarem plagam vrbis Ieruſalem, in quo conſtructa eſt ciuitas regis maximi, Dei ſcilicet noſtri, elegãter ac firmiter fundatus eſt cum gaudio vniuerſæ terræ. Eſt enim hic mons cũ ob regionis elegantiam: tum maximè ob Dei in eo porẽtiam, omnibus Iudæam inhabitantibus, ſed & exteris pleriſque gaudii cauſa, omnes etiam fideles per vniuerſum orbem lætificans, quòd inde ſaluifica doctrina in omnem terram ſparſa ſit. a

*3 Deus in domibus eius cognoſcetur, * cùm ſuſcipiet eam.*

3 In huius ciuitatis palatiis inſignibus, Dei & potentia, & erga nos bonitas magis cognoſci cœpit, *cum eam contra hoſtes nos oppugnare aggredientes ipſe defenderet.

4 Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt,
** conuenerunt in vnum.*

4 Ecce enim reges terræ inito inter ſe conſilio congregati ſunt contra hanc Dei ciuitatem, *ciúſque ciues pariter ad nos expugnandos conuenerunt. b

5 Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt:
** commoti ſunt, tremor apprehendit eos.*
6 Ibi dolores vt parturientis,
** in ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.*

5 Qui cùm ſenſiſſent Dei noſtri virtutem, ſuos mirabiliter ac potẽter propugnantis, tum demum admirati ſunt, attoniti facti ſunt ad inopinatam vim numinis, *toti perterriti ſunt, trepidatio apprehendit eos. c

6 Tum etiam dolores apprehenderunt eos ſubitò ſicut dolores mulieris ſub iuſtante partu, hoc eſt, dolores grauiſſimi, fugæ, quem quærebant, facultatem intercipientes: quemadmodum iam parituræ mulieris dolor vbicunque parturientem corripuerit, ibi detinet, *tu Domine vehementi ac valido impetu iræ tuæ tam faciliter eos contriuiſti, ac animum eorum fregiſti, quàm cõterere ſoles maximas & diuitiarum plenas naues Tharſis, vento vehementi ab Orientali plaga emiſſo. d

7 Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate domini virtutũ, in ciuitate Dei noſtri,
** Deus fundauit eam in æternum.*

7 Sicut audiuimus per prophetas Dominum promiſiſſe ſe adfore populo ſuo, & ciuitatem hanc ſe ſtabiliturum: ita quoque iam factum vidimus, experti ſumus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate, inquam, Dei noſtri. *Id enim ipſa experientia didicimus, quod Deus eam ciuitatem firmauit in ęternum, nec paſſurus ſit eam vnquam vllo hoſtium incurſu proſterni.

8 Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

8 Miſericordiam tuam ô Deus à nobis expectatam, & iam expertam nos animo concepimus, ac diligenter nobiſcum reputauimus magnitudinem eius in medio templi tui: vbi maximè locus admonet expendere tuam bonitatem, & de te cogitare. e

9 Secundum nomen tuum Deus ſic & laus tua in fines terræ,
** iuſtitia plena eſt dextera tua.*

9 Sicut nomen tuum diuulgatum eſt & prædicatum in finibus terræ per ſanctos homines, tuam iuſtitiam, potentiam, & bonitatem prædicãtes: ita & laus nominis tui peruenit vſque in fines terræ, eo quod tua facta reſpondere cognoſcantur prædicationi ac famæ nominis tui. *Dextera enim tua plena eſt iuſtitia, quia quicquid facis iuſtiſſimè facis, exhibens tuis quam pollicitus es miſericordiam, & de iniuſtis iuſtam ſemper vindictam ſumens.

10 Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ,
** propter iudicia tua Domine.*

10 Proinde meritò lætari debent habitatores montis Sion, & exultare hi qui incolunt vrbes Iudææ, *propter æquitatem iudiciorum tuorum Domine ſecundum quam nos tibi fidentes ab iniuſtis liberaſti oppreſſoribus, ſeruans quam promiſiſti fidem. f

*11 Circundate Sion & cõplectimini eam, * narrate in turribus eius.*

11 Vos autem Dei noſtri cultores circuite Ieruſalem, & diligenter per circuitum contemplemini magnificentiam eius, * narrate de turribus eius quàm ſint excelſæ, fortes, ac multæ.

*12 Ponite corda veſtra in virtute eius, * & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.*

12 Apponite corda veſtra ad cognoſcendam eximiam fortitudinem eius, *& ſigillatim dinumerate inſignes domos ac palatia eius, vt quàm ſint admiratione digna enarrare poſſitis poſteris.

13 Quoniam hic eſt Deus noſter in æternum: & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.

13 Profecto ipſe, qui hanc ciuitatem firmauit atque defendit, eſt verè Deus, Deus, inquam, noſter perſiſtens in æternum, ipſe reget nos imperpetuum. g

ANNOTATIONES.

a FVNDATVR, Græca non habent verbum, ſed nomen datiui caſus ἑδρίζω, quod non ſolũ ſignificat fundato, quemadmodum fortè interpres vertit, ſed bene fundato.

b QVONIAM ECCE. Plerique quod dicitur de regibus terræ intelligunt de regibus qui tempore Salomonis venerunt Ieruſalem, eoſque conturbatos intelligunt admiratione, cum viderẽt ciuitatis magnificentiam. Verum quod dicit, tremor apprehendit eos, & dolores vt parturiẽtis: & totus item Pſalmi contextus, magis ſignificat pſalmum loqui de regibus inimicis. Porro in ſenſu myſtico quod dicitur Deus ſuſcepiſſe Ieruſalem, quodq́; dicitur de regibus, primum accipi poteſt de ea ſuſceptione & liberatione qua eccleſiam ſuam Deus redemit à diaboli poteſtate per Chriſti incarnationẽ, & paſſionem: & tunc reges terræ, dæmones ſunt intelligendi, qui videntes crucis potentiã, & Dei ſuós liberantis virtutem, conturbati ſunt, animoque fracti. Secundò, accipi poteſt de ea liberatione, qua eccleſiam Deus ab oppugnatione regum & tyrannorum huius ſæculi iam tandem exemit, pace à perſecutione præſtita eccleſiæ: tum quod dicitur, reges commotos & conterritos, de ſalubri timore & conturbatione eſt accipiendum, qua ſcilicet ad pœnitentiam ſunt commoti. Tertiò, etiam accipi poteſt de ea ſuſceptione, qua eccleſiam in nouiſſimo die ab omnibus viſibilibus & inuiſibilibus hoſtibus liberabit, quando impii reges terræ, videntes electorum glorificationem, maximè commouebũtur & dolebunt.

c IPSI VIDENTES SIC ADMIRATI SVNT. Dictionem, ſic, quidam coniungunt participio, videntes, vt ſit ſenſus: Cùm cõgnouerunt rem ita ſe habere, Deum ſcilicet verè eſſe in Sion, admirati ſunt. At coniungendam potius cum verbo, admirati ſunt, vt cõmuniter diſtinguitur, Hebræa ſatis demonſtrant, quæ habent: Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt. Et Euthymius quoque manifeſtè vult dictionem, ſic, iungendam cum, admirati ſunt, vt ſit ſenſus: quod tunc demũ reges illi admirati ſunt, poſtquàm Dei potentiam viderunt.

d IN SPIRITV VEHEMENTI, &c.] Cùm non legamus vnquam naues hoſtium populi Dei pro liberatione Hieruſalem eſſe cõfractas, omnino videtur in hoc verſu eſſe allegoria, quomodo & doctiſſimi Hebrçorum intelligunt, vt ſignificetur, hoſtes qui venerant cõtra Ieruſalem, terrore & dolore incredibili, atque impetu iræ diuinæ perculſos fuiſſe atque deiectos, quomodo in mari maximas naues vehementi vento conterere Deus ſolet. hac fere ſimilitudine Ieremias vſus eſt cap. 18. cũ inducit Dominum ſic minantem: Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimico. Vbi pro vento vrenti, Hebræis eſt, ſicut & hoc loco Ventus קָדִים Cadim, hoc eſt, Orientalis, qui Eurus dicitur, cui in ſcripturis ſumma tribuitur vehemẽtia. Nõ diſſimilis multum eſt explicandi ratio quã ſequitur Euthymius, qui monet ſubaudiendã particulam ſimilitudinis, vt ſit ſenſus: In ſpiritu vehementi cõteres eos velut naues. Tharſis autem, Cilicia olim dicta eſt, teſte Ioſepho 1. lib. antiquitatum, à Tharſis nepote Iaphet. vnde & metropolis eius, quæ inſignem portum habebat, & mercatum maximum, Tharſis nomen habuit, quæ Paulo patria fuit. Solinus ſcribit, Tharſum olim matrẽ vrbium dictam, & Ciliciam vſque ad Peluſium Ægypti pertinuiſſe, habuiſſeq́; ſub imperio Lydos, Mœdos, Armenios, & Pãphyliam, & Cappadociam: vt mirum eſſe non debeat, quod peculiariter nauium Tharſis fiat mentio in ſcripturis. Id enim fit, quod eæ naues & celeberrimæ & maximæ eſſent inter eas, quibus in mari mediterraneo nauigabatur, & quas norant Iſraelitæ. Vnde Ezec. 27. vbi nos legimus: Naues maris principes tui in negotiatione tua marina, Hebræa habent: Naues Tharſis. Sunt qui Tharſis intelligunt Aphricam aut Carthaginem, quæ & ipſa celebris in nauigatione marina. Vnde eodem cap. Hieron. vertit: Cathaginenſes, pro quo Hebræis eſt Tharſis. Certè ob nauium Tharſis celebritatẽ, ſcriptura per eas ſignificat mundi huius gloriam, potẽtiam, atque ſuperbiam, vt Iſaiæ 2. Et ſuper omnes naues Tharſis. Quæ omnia non parum faciunt ad huius loci & aliorum explicationem. Ex his etiam patet conſtare poſſe eorum interpretationem, qui naues Tharſis metaphoricè accipiunt potẽtes & diuites huius ſæculi.

e SVSCEPIMVS, &c.] Pro hoc verbo Hebræa habent דִּמִּינוּ Diminu, hoc eſt, æſtimauimus, vel conſiderauimus. Varia enim verbũ Hebræis ſignificat. Græci autem ὑπελάβομεν, quod eſt à verbo ὑπολαμβάνω, quod non ſolum ſignificat capere, ſed etiam reputare: in qua ſignificatione ex Hebræis conſtat accepiſſe Septuaginta. Proinde ſuſcipere apud nos accipiatur, vt ſit animo cõcipere. Simile annotatum eſt Pſalmo 16.

f EXVLTENT FILIAE, &c.] Græcis eſt ἰουδαίας, hoc eſt, Iudææ, nõ Iudæ, vt ne putetur loqui de Iuda patriarcha, ſed de terra quę Iudęa dicitur, cuius filiæ dicuntur phraſi Hebraica eius vrbes & vici.

g QVONIAM HIC, &c.] Iuxta D. Auguſtinũ & Euthymium hic verſus ita coniungitur ſuperiori, vt ſignificetur ꝙ enarrandum ſit generationi alteri, nempe quod iſte eſt verus Deus, vt coniunctio, quoniam, non cauſaliter accipiatur, ſed cõtinuatiuè pro quod, poteſt eadem coniunctio accipi, quomodo ſæpius in pſalmis, affirmatiuè poſita pro certè, vt ſit hæc ſententia, pſalmum cõcludens & abſoluens, correſpondens eius principio, in quo dicitur: Magnus Dominus & laudabilis nimis.

In finem

In finem pro filiis Core Pſalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XLVIII.

MOnet hoc Pſalmo Propheta non eſſe ſectanda bona huius ſaculi, ſic ſaltem vt ob ea comparanda, vt ferè fit, alij opprimantur ad imitationem potentum & diuitum huius ſaculi: qui in potentia & diuitijs ſuis ſpem ponunt & gloriantur: quorũ & inſaniam traducit, & miſeriam exponit. Neq; enim diuitijs ſuis, in quibus confidunt, à morte redimi poterunt: neq; hinc ſecum eas auferre, ſed in hac vita bonis ſuis perceptis, in æternũ apud inferos miſeri erunt: cùm contra virtutis ſtudioſi in generatione ab æterna miſeria liberi, fruentur ſempiterna fœlicitate, domini & iudices horum, quos nunc orbis ob vim diuitiarum, vt deos quoſdam ſuſcipit ac metuit. Quoniam autem quæ hic canit Propheta, paupertatẽ, aliaq; huius vitæ incommoda, non eſſe timenda: opes & copias non admirandas aut quærendas: Deum his qui neglectis mundi bonis, virtuti ſtudent, poſt hanc calamitoſam vitam, beatam & perpetuã vitam dare, à communi hominum ſenſu ſunt aliena: ideo tam ſedulo aliquot verſibus præfatur, omnes ad intelligendum quæ dicturus eſt inuitans, eaq; parabolas & ænigmata appellans, tum quod comparationibus ac ſimilitudinibus, tum quod grauioribus & tectioribus (præſertim hominibus huic mundo deditis) ſententijs vtatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Audite hæc omnes gẽtes, * auribus percipite omnes qui habitatis orbem.*

2 Quiq; terrigenæ & filij hominum ſimul in vnum, diues & pauper.

*3 Os meum loquetur ſapientiam, * & meditatio cordis mei prudentiam.*

OMnes gentes audite hæc, quæ dicturus ſum, *auribus ea percipite, Pſ.48.
quotquot inhabitatis orbem, quandoquidem quod omnibus proſit dicturus ſum, & quod diligentem deſideret auditorem.

2 Audite, inquam, & vos obſcuro genere nati, ac quaſi terræ filii, & qui a
principum ac inſignium hominum eſtis filii, diues & pauper audite. b

3 Os meum loquetur verba veræ ſapientiæ, neque temerè quicquam dicturus ſum, *ſed ex accurata & attentata mentis meæ cõſideratione, proloquar verba prudentiæ, vtpote, quæ ex vera ſapientia & prudentia, diuina ſcilicet, nata ſint, quæque rectè ſapere, prudentérque omnia iudicare & inſtituere doceant.

*4 Inclinabo in parabolam aurem meam, * aperiam in pſalterio propoſitionẽ meam.*

4 Habiturus autem ſermonem ad vos, cui vos intendere adhortor, & c
ego viciſſim adhibebo aurem meam ad audiendum, & parabolicum & abſtruſum ſermonem, qui à ſpiritu ſancto mihi ſuggeritur, *vt eum deinde aliis eloquar, atque quo ſermo meus iucundius percipiatur, cum citharæ harmonia, ex cordis mei penetralibus depromam ęnigma meũ & problema, quod ad audientium vtilitatem proponam, ipſúmque vt intelligatur declarabo.

5 Cur timebo in die mala?

** iniquitas calcanei mei circundabit me.*

5 Itaque vt rem aggrediar: Cur quęſo committam, vt timere debeam, d
cùm dies ille formidandus, & miſeriæ plenus aduenerit, quo vniuerſi iudicabuntur? *cur ob diuitias huius ſæculi coaceruandas, ſinã vt iniquitas, qua alios iniuſtè ſupplantarem, me in illa die circuncingeret, me vndique accuſans?

6 Qui confidunt in virtute ſua.

** & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.*

6 Stultè certè id à me committeretur. Nam qui modò ſpem ſuam collocant in fortitudine ſua, *& in multitudine diuitiarũ ſuarum, quas per fas & nefas coaceruarunt, ſibi placent.

*7 Frater non redimit, * redimet homo? & non dabit Deo placationem ſuam.*

7 Hos in illa die nec frater, aut illis chariſſimus quiſquam redimere e
poterit aliquibus diuitiis à morte, ab æterna perditione: * multo minus alius quiſquam eos redimet: aut ipſemet homo ſeipſum, * non poterit quiſquam illorum ex omnibus ſuis diuitiis aliquid dare, quo Deum ita ſibi placatum faciat, vt mortem aut corporis, aut æternam effugiat.

*8 Et pretium redemptionis animæ ſuæ, * & laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem.*

9 Non videbit interitum cum viderit ſapientes morientes.

** ſimul inſipiens & ſtultus peribunt,*

8 Nec poterit dare pretium aliquod pro redemptione animæ ſuæ à f
morte. *Quod etiam toto tempore præſentis ſæculi laborauerit, an ſuo ſibi labore comparare poterit vt viuat imperpetuũ? Certè nequaquam.

9 Hunc autem ſuum interitum, qui propterea quod vana huius mundi bona etiam cum aliorum iniuria ſectatus eſt, eum manet, non præuidebit, nec intelliget, eo quòd videat etiam ſapientes qui terrena hæc ſpernunt morientes: propter quod nihil intereſſe inter mortem ſapientum & ſtultorum, nec vitam eorum fœlicem poſt mortem intelligens, & vanè eos à fruitione terrenorum bonorum abſtinuiſſe iudicans, exiſtimabit melius eſſe, quandiu datur præſentibus bonis frui. *Verùm per multum intereſt inter ſapientum & ſtultorum mortem. Nam & inſipientes veri, rectíque cognitionem non habentes, & ſtulti qui cognitam veritatem non ſequuntur, non ſolum moriuntur ſicut ſapientes, ſed pariter ipſi poſt mortem perpetuò interibunt.

10 Et relinquent alienis diuitias ſuas,

** & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.*

11 Tabernacula eorum in progenie & progenie.

** vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.*

10 Nec ſecum magno labore congeſtas diuitias auferre poterunt, ſed g
relinquere eas cogentur aliis, imo frequenter planè alienis, * ac tum ſepulchra eorum, quæ ſibi magnificè extrui curauerunt, erunt domus eorum imperpetuum. Non habebunt alibi glorioſam manſionem, ſed gloriam tantum ſuorum ſepulchrorum obtinebunt, per quæ, tanquam in domibus quibuſdam ſuis apud homines ſupereſſe ſemper cupiuerunt.

11 Hæc, inquam, erunt tabernacula eorum, per multas ſecuturas generationes, per quæ habitabunt, ſicut ſtultè deſiderauerũt apud homines *per quorum magnificentiam & inſcriptionem effecerunt nomina ſua celebria

celebria ſuper terras, nulla interim cura detenti parandi ſibi manſionẽ, & nomen in cœlis.

12 Et homo cum in honore eſſet, non intellexit.

** † comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

12 Itaque certè miſerabilis eſt homo talis, qui cum in honore haberetur apud mortales, ob diuitias & gloriam ſuam, faſtu & honore excæcatus non intellexit quæ recta ſunt, quæque poſt hanc vitam manent: *vnde ſicut elegit cum beſtiis quaſi ratione non eſſet præditus viuere: ita & cum eis penitus peribit, æternæ morti traditus. † Cùm que in honore à Deo eſſet conſtitutus, ad cuius imaginem conditus eſt, non tamen intellexit dignitatem ſibi à Deo collatam: ſed dignitatis ſuæ oblitus, & quaſi intellectus expers eſſet, ſimilem ſe fecit iumentis inſipientibus, præſentia tantum bona ſectatus, & quæ coram ſunt ſolum videns, carni ſuæ, ſpiritu neglecto, in omnibus brutorum more obtemperans.

a *13 † Hæc via illorum, ſcandalum ipſis, * & poſtea in ore ſuo complacebunt.*

13 Hoc talium hominum inſtitutum, & viuendi ratio ipſis eſt ruinæ & perditionis occaſio, *& tamen poſtquam hæc quę dixi fecerunt, ore ſuo ſibi complacent in operibus ſuis & peccatis gloriantes, ſéque commendantes, quod extremæ eſt malitiæ ac deſperatæ. † Cúmque exitialem hanc ſibi fœlicitatem temporalem adepti fuerunt, ſibi complacent gaudentes ſe eam aſſequutos.

14 Sicut oues in inferno poſiti ſunt,

** mors depaſcet eos.*

14 Verum miſeri ipſi ita in infernum vel ignorantibus ipſi collocabuntur in pabulum mortis, & ignis æterni, quomodo bene paſtæ oues è pinguibus paſcuis in ſtabulum ignorantes collocantur, vt mactentur & edantur. * In inferno enim mors perpetua eos depaſcet, vorabit, atque cruciabit in ſæcula.

15 Et dominabuntur eorũ iuſti in matutino,

** & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum.*

15 Et iuſti, quibus in hac vita impii dominantur, multas eis iniurias inferentes, vbi fugatis huius vitæ tenebris, ſublatíſque tenebris mortis & ſepulchri, clarum mane illuxerit, in reſurrectione ſcilicet nouiſſima, verſa vice dominabuntur eorum, cum Domino omnium regnum fortiti, atque cum eo impios condemnantes, *& poſt gloriam, quàm impii in hac vita habuerunt, auxilium ac robur eorum, quod hic ſuper terram habuerant è gloria diuitiarum ſuarum, antiquabitur, & peribit in inferno, vbi nihil illis præſentis vitæ diuitiæ prodeſſe poterunt.

16 Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

16 Sic quidem cum iniuſtis hominibus, cùm ex hoc mundo ſublati fuerint per mortem, euenturum cognoſco. At verò cùm Deus me aut quemcunque virtuti ſtudentem ex hoc mundo ſuſceperit animam meã de poteſtate inferni, nec ſinet ab inferno rapi ac detineri cruciandam æternis cruciatibus.

17 Ne timueris cum diues factus fuerit homo.

** & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*

17 Tu itaque quiſquis virtuti deditus es, ne metuas hominem cum diues factus fuerit: néve formides, ne non hominum recta facta Deus reſpiciat, cùm videris iniuſtum aliquem hominem diuitem factum,
* propter diuitias multiplicatam gloriam domus eius.

18 Quoniam cum interierit, non ſumet omnia:

** neque deſcendet cum eo gloria domus eius.*

18 Quoniam cum morietur, non ſumet ſecum multa iſta quę congeſſit, * neque in infernum deſcendet cum eo gloria, qua in mundo perfruitus eſt.

19 Quia anima eius in vita ipſius benedicetur,

** confitebitur tibi cum benefeceris ei.*

19 Nam anima quidem eius in vita ipſius beata fœlíxque prædicabi- f
tur, tum ab aliis hominibus, tum ab ipſomet, ob affluentiam & fruitionem rerum temporalium, *tunc laudabit quémque cum ipſi benefecerit, vt qui ſe tantum amet, nec alia bona agnoſcat, quàm ſua commoda, non virtutes nec ſapientiam.

20 Introibit vſque in progenies patrum ſuorum.

** vſque in æternum non videbit lumen.*

20 verum poſt terminum vitę huius perueniet ad generationẽ patrum ſuorum, quorum impietatem in hac vita ſectatus eſt, * & ſimul cum eis vſque in perpetuum non videbit lumen, habitaturus perpetuo in denſiſſimis tenebris & maximis cruciatibus, ſine omni conſolatione.

21 Homo cùm in honore eſſet, non intellexit,

** comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

21 Miſerabilis homo cùm propter diuitias ſuas in honore haberetur apud mortales, nihil intellexit: ſed quaſi intellectu carens ſimilem ſe fecit brutis irrationalibus. Nàm & conſiderationem omnem de futuris & cœleſtibus rebus animo ſuo exuit, & irrationabilem animæ partem ſibi dominam ſtatuens, circa vilia ac terrena verſatus, brutorum inſtar cupiditates carnis ſectatus eſt. *Proinde & in eo ſimilis fiet pecudibus, quod ſicut illæ per mortem penitus intereunt, ita & ipſe ſua morte in perpetuum incidat interitum.

ANNOTATIONES.

a TERRIGENAE ET FILII HOMINVM.] Secundum Chryſoſtomum, teſte Euthymio, inter terrigenas & filios hominum, non eſt differentia, ſed duplici hac appellatione, duplicem humanæ naturæ originem ſignificari intelligit, ex terra ſcilicet quoad primum hominem; & ex hominibus, per procreationem, vt ſignificatione conditionis humanæ naturæ, homines humiliari cogat. Baſilius verò per terrigenas, intelligit eos qui terrena ſapiunt: per filios hominum, eos qui rationem, à qua homines dicimur, ducem ſequuntur.

Verum

Verum ſecundum proprietatem linguæ Hebraicæ magis conuenit per terrigenas,intelligere ignobiles,ſicut & apud nos terræ filius per adagium dicitur,qui obſcuro loco natus eſt,qui & Græcis dicũtur γήγενεῖς, quod nomẽ hic ponitur:per filios autem hominum,principes & nobiles.

b SIMVL IN VNVM DIVES ET PAVPER.] Satis fuiſſet alterum ponere, videlicet vel ſimul, vel in vnum,cùm in vnum nihil ſit aliud quam ſimul, pro quo Græcis eſt ἐπὶ τὸ αὐτό,hoc eſt pariter. Et ſunt libri Latini,qui non habent ſimul, ſed tantum in vnum,vt alterum videatur additum ex alicuius explicatione.

c INCLINABO IN PARABOLAM,&c.] Dupliciter hæc pars accipi poteſt.Aut ſcilicet vt ſigni ficet propheta ſe auſcultaturum ad id quod ſpiritus in ipſo ſit locuturus,priuſquam alios ſit doctu rus :aut vt ſignificet ſe illi ipſi quod eſt locuturus diligenter aures præbiturum,hoc eſt, perpẽſurum accuratè,quo intelligatur ipſum de rebus ſeriis locuturum,& quæ ipſi vehementer ſint cordi. Porro pro,propoſitionẽ,Hebraica dictio ſignificat ænigma,Græcis eſt πρόβλημα, problema.Eſt autem problema,propoſitio interrogationẽ habens de re aliqua abdita,& non omnibus obuia, qualis eſt quæ ſequitur.Itaque nomen propoſitionis nõ hic accipitur,quomodo apud dialecticos, pro enũtiatione veri vel falſi,ſed pro diſquiſitione rei obſcuræ,quę proponitur ad vtilitatem audientium:ſicut & nomen parabolæ non propriè accipitur pro ſimilitudine,ſed, vt ſæpe in ſcripturis, pro ſermone graui, obſcuritate verborum velato,& qui non omnibus ſatis eſt apertus.

d CVR TIMEBO IN DIE MALA?] Verſus iſte,qui continet quæſtionem,circa quam Pſalmus iſte verſatur,ſatis eſt ob curus, ſicut ea quæ ſequũtur,inter varias autem eius intelligentias ſunt præ cipuè duæ. Altera, qua per diem malam accipitur tempus calamitatis & afflictionis huius ſæculi, in quo iuſti à diuitibus,& potentibus iniqua ſæpe fer re coguntur.Vt ſcopus huius Pſalmi ſit docere, nõ eſſe metuendũ iuſtis à potentibus & diuitibus hu ius ſæculi,qui in ſua potentia & diuitiis gloriãtur. Id enim cõgruit illi quod poſtea dicitur:Ne timue ris cùm diues factus fuerit homo.Itaq; ſenſus erit: Cur quæſo mihi timeam in aduerſo tempore,cùm me prauitas eorum qui me ſupplantare & conculcare ſtudent,circumquaque obſederit?Oportet enim ſubintelligere iuxta hunc ſenſum aduerbium, quando,& per calcaneum intelligere ſupplantatorem.Iam in ſequentibus intelligendum eſt oſtẽdi, non eſſe impios tales timendos multum,quòd etſi multum glorientur,& ſibi placeant:breui tamẽ in extremum prolabendi ſint interitũ, vnde nulla ratione eximi poterunt.Altera intelligendi ratio eſt, qua per diem malam,accipitur dies nouiſſimi iudicii diuini,quæ in ſcripturis dies mala nõnunquam dicitur ob extremam calamitatẽ, quæ tunc impiis obueniet ob quod eam Sopho.1.vocat diẽ iræ, calamitatis & miſeriæ.Et iuxta hãc acceptionem admodum variè tractatur hic verſus, vt videre eſt apud diuum Auguſtinum,Ambroſium,&Baſilium, quorum iſte legit ſecundam partem negatiuè.Iniquitas calcanei mei non circundabit me.Verùm ſi quis diligenter ad ſcopum totius Pſalmi intendat inter varias explicandi rationes,cõuenientior videtur ea,quam innuit Flaminius, vt Prophera intelligatur ſeipſum,& in ſeipſo omnes,auocare ab imodico diuitiarum huius ſæculi ſtudio, quod ferè cũ aliorum iniuſta oppreſſione cõiunctum eſt. Totus enim Pſalmus in hoc verſatur,vt oſtẽdat miſeriam eorum,qui ob gloriam & diuitias huius ſęculi ſibi fœlices videntur:cùm eæ illis in die ſræ diuinæ nihil prodeſſe poterunt,vt imminentẽ ſibi Dei vltionem effugiãt.Huius ergo cõſideratione ſanctus vates ſe auocat à diuitiarũ cõparandarum ſtudio, ne ſcilicet committat quo ipſi in die illa mala timorẽ adferat. Iuxta hũc ſenſum in paraphraſi explicatũ interrogatio repetenda eſt in ſecunda verſus parte. Poteſt tamen idẽ verſus aliter accipi,vt priori parte interrogetur qd efficiat , vt homo timeat in die iudicii:& ſecunda parte reſpõdeatur id effecturam iniuſtitiam,qua quis alium ſupplãtauit,quæ in die illa hominem circundabit & circumcinget , vt in ſua perſona Propheta de quouis loquatur.

FRATER NON REDIMIT,&c.] Cũ & circa e
hunc verſum varia dicãtur,quo is ſenſus habeatur qui auctoris intentioni maximè accedit, ſciendum Hebræa habere:Frater non redimẽdo redimet virum,vel,Fratrem non redimendo redimet vir, hoc eſt,nullus redimere poterit proximũ ſuum.Proinde conuenit noſtram lectionem ſic intelligere:Frater non redimit fratrem ſuum. An ergo quiſquam alius homo redimere poterit? vt ſecunda pars interrogatiuè efferatur.Porro pro,placationẽ ſuam, Latinius & ſignificantius dixiſſet interpres,placationem vel propitiationem ſui ipſius, cum Græcis ſit ἐξίλασμα ἑαυτῶ.

ET LABORABIT IN ÆTERNVM, &c.] f
Pars hæc omnium obſcuriſſima , communiter ſic intelligitur,vt ſignificetur impium perpetuò affligendum,atque in maximis verſaturũ cruciatibus (vt laborare ſit affligi)nec tamen vnquam conſumendum,ſed in cruciatibus ſemper victurum,ſubſtantia ſcilicet eius ſemper permanente. Qui ſenſus etſi verus ſit,nimis tamen remotus eſt ab eo q originalia Hebræa ſignificant,& coactus ſatis videtur.Neque enim ſcriptura vitam æternam tribuere ſolet impiis,ſed mortem.Coactior etiam eſt diui Auguſtini interpretatio,qua viuere in finem, accipit pro,deſinere viuere. Quo ergo hic ſolidior intelligentia habeatur,notandum Græcis non eſſe futurum,laborabit,ſed præteritum ἐκοπίασεν.laborauit,quomodo non ſolum diuus Baſilius legit & exponit,ſed & D.Ambroſius,& diuus item Hieronymus in commẽtariis,vt meritò hæc vera debeat haberi lectio.Nec eſt in Græcis aduerbium,adhuc, ſed tantum,& viuet in finem , quomodo & diuus Auguſtinus legit.Itaque diuus Baſilius dum ſimplicem huius verſus ſenſum proſequitur,ſignificat ſe hanc partem interrogatiuè legiſſe, vt ſit ſenſus: Etiamſi talis pro redemptione animæ ſuæ toto tẽpore præſentis ſæculi laborauerit, ſeſeque cruciauerit, an putas quòd hoc ſuo labore ac cruciatu mortem euadere poterit,ac vitam ſibi comparare æternam?Qualis autem,inquit ille,labor præſentis ſæculi, ſufficiens humanæ animæ viaticum fuerit ad futurum ſæculum?Non enim Græca habent in æternum,ſed εἰς αἰῶνα,hoc eſt in ſæculum, quod de præſenti ſæculo accipi poteſt, ſicut & mox poſtea accipi debet,cùm dicitur:ſepulchra eorum,domus eorum in æternum. Hic ſenſus valde accedit ad ea quę in Hebræo ſignificantur.Nam omnes penè in Hebræo ſignificari intelligunt, hominem nõ poſſe pretium pro redemptione animæ ſuæ ſic perſoluere,vt vitam ſibi comparet æternam.Atque hunc ſenſum facile admittere poteſt noſtra lectio, etiam ſi legatur per futurum,laborabit.

SEPVLCHRA EORVM, DOMINVS,&c.] Dupliciter iſtud accipi poteſt. Primum de ſepulchris,quæ diuites,dum viuunt,ſibi magnifica fieri curant,eáq; intelligatur dicere domus eorũ perpetuas,& tabernacula per multas generationes, qđ per ea habitare quodã modo & ſupereſſe ſemper apud hoſes ſtuduerint:ita vt hac narratione eorũ inſinuet rectè ſtultitiam,qui per mortis ſigna ſibi voluerint apud homines vitam & manſionẽ comparare,& quibus ſola cura fuit nomen ſibi apud homines,& diuturnam memoriam compare.non autem manſiones cœleſtes,aut nomen bonum apud Deum.Huic intelligentiæ bene cõuenit quod ſequitur:vocauerunt nomina ſua in terris. Eáque intelligentia valde accedit ad id quod Hebręa habent.Ea enim ſignificant,interiores impiorũ cogitationes eſſe,domos ſibi perpetuas in terris conſtruere,quaſi ſemper ibi eſſent victuri.Nã Hebręa habent קִרְבָּם kirbam, qđ eſt intimum eorũ,pro quo Septuaginta trãſpoſitis liter s legerũt קִבְרֵם kibrã,quod eſt ſepulchrũ eorum. Secundò,generaliori & ſimpliciori intelligentia accipi põt de omnium impiorum ſepulchris,vt ſignificetur,impios pro magnificis ſuis ædibus , quas hic inhabitauerunt,non alias domus,iuxta corpus ſcilicet & viſibilem apparentiam,habituros poſt mortẽ,quàm ſepulchra,in quibus ſemper ſint manſuri per oẽs mundi ætates,nunquam ſcilicet redituri ad vitã, h
nec ex eis inter iuſtos reſuſcitandi.

VOCAVERVNT NOMINA SVA IN,&c.] Pronomen,ſuis,nec Græca habẽt,nec Hebręa,nec quidam noſtri codices.Dicit autẽ eos vocaſſe nomina ſua in terris,ſiue quia terris & locis quibuſdam ſua nomina indiderũt,vt vel ſic immortalitatem ſibi quandam pararent:ſiue quia effecerũt,vt nomina ipſorũ vocarentur & celebrarentur ſuper terram,per ſepulchra ſcilicet magnifice à ſe extructa,& inſcriptiones eorũ.Hebræa enim habent ſuper terras,quod & Græca magis ſignificãt,quę habent,ἐπὶ τῶν γαιῶν hoc eſt,ſuper terras.

CONFITEBITVR TIBI CVM,&c.]Poteſt intelligi prophetam in hac parte ſermonẽ ſuũ conuertiſſe ad Deum,vt ſignificetur,impium tunc tantum laudare Deum,& ei gratias agere,cũ illi in hac vita benefecerit,& omnia pro voto ſuccedunt: obmurmurare verò,cùm aduerſa immiſerit: cùm contra iuſtus benedicat Dominum in omni tempore.Poteſt etiam & melius intelligi,vt ad quemuis g
hominem ſit ſermo,vt ſignificetur,impiũ non laudare quempiam niſi à quo commoda conſequitur temporalia.Hic enim ſenſus magis accedit originalibus Hebræis,quæ habẽt: Confitebũtur tibi cum benefeceris tibi,hoc eſt,laudabunt te impij , cũ ad illorum imitationem tibi in hac vita benefeceris, indulgens tibi perfuitionem horum temporalium bonorum.Iuxta priorem intelligentiam,præcedẽs pars:Anima eius in vita ipſius benediceretur:accipiẽda eſt de benedictione diuina,vt ſit ſenſus:Deũ illi in vita hac,quam ſolam impij vitam ducũt,benefacere,donando eum perfrui bonis huius vitæ. Iuxta quod diuiti epuloni dictum eſt:Recepiſti bona in vita tua.Iuxta poſteriorem intelligentiã, illa h
pars accipienda eſt de benedictione humana,vt ſignificetur,impium in hac vita prædicari ab hominibus fœlicem,ob affluentiam rerum temporaliũ: aut potius quod ſeipſum beatũ iudicabit atq; fœlicem.Hebræa enim habent:Animæ ſuæ in vita ſua benedicet.

Pſalmus Aſaph.

ARGVMENTVM PSALMI XLIX.

PRopheta hoc Pſalmo introducturus Deum iudicio contendentem,& arguentem populum ſuum Iſraeliticum, priuſquã id faciat,prophetando prædicit glorioſum,manifeſtum,& terribilem Domini ad iudicium aduentũ,ut huius intuitu plus ponderis accedat diuinæ ſententiæ,quæ hic profertur in populum Iudaicum,eáq; acceptetur,velut à iudice in nouiſſimo illo iudicij die lata.Itaque deinde Deum ipſum tanquam iudicem populi ſui loquentem facit. Et quoniam Iudæi ſibi multum placebant,tum in externis ſuis ſacrificiis,tum in lege eis data,quam cùm in ore ſemper haberent,opere tamen nequaquam ſeruabãt,utranque illorum uariam gloriationem conuellit,docens primùm Deum non magnopere requirere illa carnalia, ſed pietate potius colendum eſſe mentis,de omnibus Deo gratias agentis,& in omnibus à Deo pendentis. Tum & nihil ipſis profuturum,quòd legem Dei ſemper habeant in ore,cùm contraria legi faciant:imò tales ſuo tempore iuſtam factorũ ultionem reportaturos,tametſi iam uſque ad iudicij diem diſſimulare Deus uideatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Deus deorum dominus locutus eſt,*
* *& uocauit terram,*

DOminus,qui eſt Deus,ac ſupremus iudex omnium iudicum (qui & ipſi dij quidam ſunt terreſtres)ipſe(etſi nũc tempus hominum facta diſſimulet,ac taceat,)certo tamen certius aliquando loquetur,*& *Pſal. 49. a*
ad iudicium ſuum vocabit omnes qui inhabitant terram.

2 *A ſolis ortu uſque ad occaſum,*
**ex Siõ ſpecies decoris eius.*

2 Vocabit,inquam,omnes ab oriente vſq; in occidentem.*Ex ſuperna Sion habitatione ſua cœlesti,ſpecies & ornatus gloriæ eius prodibit,in conſpectu omnium.

3 *Deus manifeſtè ueniet,*
**Deus noſter,& nõ ſilebit.*

3 Non tũc occultè veniet,ſed manifeſtè,vt iam & ab omnibus videatur,& Deus eſſe omnium cognoſcatur.*Veniet,inquam, Deus noſter, & nõ,vt modò facit,ſilebit,ſed iudiciaria ſua poteſtate hominum facta redarguet ac vindicabit.

4 *Ignis in conſpectu eius exardeſcet,*
**& in circuitu eius tempeſtas ualida.*

4 Veniet autem admodum terribilis.Nã ante ipſum accendetur ignis mundum totum exurens ac purgans, malóſque inuoluens : * & circum ipſum valida erit tempeſtas,ac mira omnium quæ in mundo ſunt commotio.

5 *Aduocabit †cœlum deſurſum,*
**& terram diſcernere populum ſuum.*

5 Aduocabit in teſtes iuſtitiæ ſuæ cœlum & terram† Cœleſtes quoque ſpiritus*& terreſtres homines pariter ad iudiciũ conuocabit,vt in præſentia omnium diiudicet populum ſuum,qui nomen illi dedit.

6 *Congregate illi ſanctos eius,*

6 Vos autem cœleſtes ſpiritus ex eius imperio tum congregabitis ad b
illum ſanctos eius,quos ex omnibus populis ſibi Deus ſelegit,& in po-

* *qui ordinant testamẽtum eius super sacrificia.*
7 Et † *annuntiabunt cœli iustitiam eius:*
**quoniam Deus iudex est.*

VOX DEI.

8 *Audi populе meus, & loquar: Israel,*
* *& testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.*

9 *Non in sacrificijs tuis arguam te, *holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*
10 *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*
11 *Quoniam meæ sunt omnes ferę syluarum, iumenta in montibus, & boues.*
12 *Cognoui omnia uolatilia cœli,*
**& pulchritudo agri mecũ est.*
13 *Si esuriо, nõ dicam tibi:*

**meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius.*
14 *Nunquid manducabo carnes taurorum, *aut sanguinem hircorum potabo?*
15 *Immola Deo sacrificium laudis,*
* *& redde altissimo uota tua.*
16 *Et inuoca me in die tribulationis,*
**eruã te & glorificabis me.*
17 *peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitiam meam?*
* *& assumis testamentum meum per os tuum?*
18 *Tu uerò odisti disciplinã.*
* *& proiecisti sermones meos retrorsum.*
19 *Si uidebas furem, currebas cum eo,*
**& cum adulteris portionẽ tuam ponebas.*
20 *Os tuum abundauit malitia.*
**& lingua tua concinnabat dolos.*
21 *Sedens aduersus fratrẽ tuum loquebaris:*
**& aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum,*
**hæc fecisti, & tacui.*
22 *Existimasti iniquè quod ero tui similis,*
**arguam te, & statuam contra faciem tuam,*
23 *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum.*

pulum suũ sanctificauit,*qui diligenter & studiosè disponunt, quomodo adimpleant Dei legem, quæ est de offerendis sacrificiis.
7 Cùm cœli ipsi iustitiam venientis iudicis palã cunctis manifestabũt per gloriam eius illustrem, quæ in cœlo & in nubibus omnibus apparebit, *per quam cœli testabuntur, q ipse Deus sit iudex, qui venit ad iudicandum, qui proinde iustè est omnia iudicaturus. † Sed & angeli, cœlorum habitatores iustitiam iudicis omnibus prædicabunt, præcedentes ante ipsum cum tuba & voce magna.
8 Tu itaq; populе meus, vel ante tremendi illius iudicij diem audi, & loquar tibi. Audi, inquam, Israel, & commonebo te, quid à te requirã, & in te desiderem. *Id autem imprimis te testatũ volo, quod Deus, Deus inquam tuus ego solus sum, præter quem nullum alium Deũ agnoscere & colere debeas: cuius sententiam vel ante nouissimum diem illum summa cum attentione recipere & obseruare meritò debeas.
9 Non quidem arguam vos de neglectis externis vestris sacrificiis, * holocausta enim vestra coram me sunt semper, & quantum ad hãc partem attinet, satis multum sacrificiorum mihi semper offertis.
10 Verùm vt intelligatis ea quæ tam studiosè mihi impenditis, & in quibus plurimum gloriamini, non magnopere grata mihi esse, id primum scitote, non esse necesse, imò nunquam futurum, vt ego accipiam à domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.
11 Quoniam meæ sunt innumeræ illæ feræ quæ in syluis degunt, pecudes prætereà, quæ in montibus errant, & boues, hoc est, & syluestria, & domestica animalia omnia mea sunt.
12 Exactè noui omne genus auium, quod in aëre volat, & tanquam certissimus earum dominus enumeratas eas habeo apud me, quas & propriis nominibus sigillatim possum aduocare, & statim aderunt: *omnia item terræ nascentia, quorum mira varietate agri admodum ornantur, in mea sunt potestate. Cùm itaque omnia mea sint, nihil est quod à te accipiam.
13 Proinde si fieri posset vt ego esuriam, non dicam tibi vt mihi suppedites hæc in cibum. *Totus enim orbis meus est, & omnia quibus mundus plenus est, mea sunt.
14 An autem quisquam vestrum tam est stolidus, vt putet me, qui incorporeus sum, taurorum carnes manducaturum, *aut sanguinem hircorum potaturum?
15 Cùm itaq; horum sacrificiorum mihi nullus sit vsus, & si esset, abundè satis earum rerum mihi sit ex meipso, vt non sit opus ea à te accipere, pro his sacrificiis Deo (qui bonorum tuorum non eget, & à quo omnia tibi bona contingunt,) exhibe potius in sacrificium laudẽ & gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, *& cũ huiusmodi sacrificio persolue altissimo quæcunq; te oblaturum illi promisisti, votáq; tua neque soluere negligas, neque alicui alteri persoluas, quam ei, qui vt solus est altissimus, ita ei soli cuncta accepta referre decet.
16 Et si quando tẽpus afflictionis inciderit à me totus pendeas, méq; solum inuoca: *id si feceris, ego te à malis eripiam, tu verò tua laude & gratiarum actione glorificabis me apud homines.
17 Ad impium autem dixit Deus: Qua fronte tu verbis memoras præcepta & iustificationes meas, *& ore tuo iactas pactum, quod cum sanctis meis inij, in eo pacto gloriando, tibíque placendo?
18 Cùm tu odio habeas omnem rectam admonitionem, * & abiecceris verba mea post tergum tuum, nec curæ tibi sint vt ea obserues.
19 Si videbas furem adiunxisti te illi, cúmque eo ad furãdum promptè currebas, * & socius factus es illorum qui alienas stuprare solent vxores.
20 Os tuum scaturiebat maledicẽtia, *& lingua tua artificiosè aptabat fraudes, quibus simplices deciperes.
21 Sedens cum aliis tuæ factionis, loquebaris contra fratrem tuum, iniquè illi detrahens, & de eius perditione cum aliis consultans: * & cõtra filium matris tuæ ponebas offendiculum, in quod inopinatè impingés caderet: *hæc fecisti, ego autem dissimulaui, & impunitũ te dimisi, mea longanimitate te inuitans ad pœnitentiam.
22 Me aũt sic tacente, nec te redarguẽte, iniquè reputasti de me, quod ad similitudinem tui peccata non odirem, sed approbarem: * verũ suo tempore ego te arguam, & ante oculos tuos ordine disponam flagitia tua, quæ me dissimulasse putas, faciámque vt cadẽ clarè videas, ipsáq; te condẽnare iustè intelligas, ac eorum vltionem semper in teipso sentias.
23 Intelligite hæc vos quibus non est cura, voce Deum inuocandi, & laudandi, ac digna vita illi gratificandi, * nequando vos inopinatos rapiat

**nequando rapiat, & non sit qui eripiat.*
24 *Sacrificium laudis honorificabit me,*
**& illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.*

piat à præsenti vita ad æternam condemnationem, & non sit qui vos liberet de insuperabili manu vltionis eius.
24 Illud autem rursum repetens & concludens addã: Sacrificium laudis, inquit Dominus, glorificabit me apud homines, * & in eo sacrificij genere est via, per quam ego aliquando ostendã illi qui in eo sacrificio occupatur, salutem meam sempiternã, quam nullus oculus vidit, qã & impiorum oculi nunquam videbunt.

ANNOTATIONES.

PLerique principiũ huius Psalmi intelligũt prophetæ de duplici Christi aduentu, & primos quidẽ duos versus loqui de primo Christi aduentu, in quo per Euangelij prædicationẽ vocauit oẽs homines ad fidem, & Dei agnitionem, quando etiã ex Sion prodiit species decoris eius, quia ex Hierusalem cœpit prædicatio glorię Domini: sequentes verò versus quinq; de secũdo aduentu ad iudiciũ. Quidam vero omnia quæ hic dicuntur de aduẽtu Domini intelligunt de aduentu Christi in carnẽ: & q tunc ignis coram ipso accensus sit, ignis scilicet ille, quem venit Dominus mittere in terrã, vt arderet, & tempestas valida exorta, virtus, s. diuina, quæ cooperans verbo nunciorum suorum, totũ sibi orbem subegit. Verùm & scopo prophetæ, & verbis quibus vtitur conueniẽtius fuerit, omnia de aduẽtu Christi ad iudicium intelligere, sicut habet paraphrasis, vt quod dicit, locutus est, &, vocauit terrã, propter certitudinem euentus, præteritum accipiatur pro futuro. Et quod dicit, ex Sion. &c. intelligatur de Sion cœlesti, sicut illud Iohelis 3. Ex Siõ rugiet Dominus, & de Ierusalem dabit vocem suam, vbi manifestè per Sion & Hierusalem cœlestis Dei mansio significatur, per Sion & Hierusalẽ adúbrata. Cæterũ alibi scriptura Deum simili modo, quo hic, introducit iudicantem & reprehendentẽ suum populũ, aduocatis cœlo & terra in testem, vt cùm dicitur Michææ 6. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, quia iudiciũ Domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. Deinde sequitur vox Domini redarguentis. Populе meus, quid feci tibi, &c. Et Isaiæ 1. Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam, Dominus locutus est. Deinde sequitur vox Domini: Filios enutrui, &c. Sed hoc est peculiare in isto loco, quod iudicium Dei particulare cum populo eius super sacrificiis & lege introducturus, & de vniuersali Dei iu
a dicio vaticinatur, veluti ex illo iudicio particulare istud prodeat,

DEVS DEORVM, &c.] Ex Hebræis manifestũ est, genitiuum, deorum coniungendum non cum nominatiuo dominus, sed cũ nominatiuo, Deus vt sit ordo: Dominus qui est Deus deorũ. Nã pro, Dominus, Hebręis est nomen Dei tetragrammaton, quod illis est velut propriũ Dei nomen, quod non admittit genitiui regimen. Quanquã autem intelligi posset, locutus est ea quæ mox sequuntur: Audi populе meus, &c. & ad ea audienda vocasse Deum vniuersam terram tanquam testem dicendorũ: tamen cõmuniter propter sequentia, quæ ad vniuersale & extremum pertinent iudicium, etiã hæc ad
b illud referũtur, vt præterita per futura exponãtur.

ADVOCABIT COELVM, &c.] Multi nostri libri habẽt præteritũ, Aduocauit, vt respondeat primo versui, in quo dicitur: Et vocauit terrã. Alij habent, Aduocabit, atq; ea lectio originalibus tu Hebræis, tum Græcis consentit, quomodo & D. Augustinus legit, & Cyprianꝰ sermone 3. vbi in hoc versu legit: Aduocabit cœlum desursum, & terrã deorsum, vt seperet populum suum: intelligens scilicet cœlum & terram aduocari, vt vtrũq; suos reddat mortuos. Dictio enim Græca hoc loco posita διαστεῖλαι, significat etiam diuidere, & separare. At eãdẽ hoc loco posita pro dijudicare dictio Hebręa ostendit, quæ manifestè significat iudicare. Itaque intelligendum, cœlũ & terram aduocari, vt sæpius in scripturis, vt sint testes iustitiæ & sententiæ diuinæ. Familiaris enim est hic mos in scripturis, vt per prosopopeiam, inanimata, & maximè cœlũ & terra, in testimonium aduocentur, quo significatur maximi momenti esse quæ dicuntur, ac creaturas aliquando vindicaturas ipsos præuaricatores.

CONGREGATE ILLI, &c.] Cũ de vniuersa c
li iudicio & in præcedentibus versibus, & in sequẽti sit sermo, atq; ad illud iudicium oẽs sint conuocandi, & non solu hi qui sunt de Dei populo: tñ horum tm̃ meminit, tum q horũ peculiariter in iudicãdo sit habẽda ratio, cũ infideles iam iudicati sint tum q sermonem suum instituit ad vtilitatẽ hominum suæ ætatis, & eorũ quos iam hoc Psalmo susceperat instruere. Sãctos itaq; vocat oẽs Israelitas, sicut & diuus Paulus oẽs Christianos illos dicit ordinare testamentũ Dei super sacrificia, vel, vt legit D. Cyprianus, in sacrificiis (Græcè eñ est ἐπὶ θυσίαις) q de sacrificiis eorum, in quibus maximè operam collocabant, sit acturus: quasi dicat, adeste vt audiatis quid pronunciaturus sit Deus de his in quibus securè confiditis, & glóriamini.

NON ACCIPIAM.] Plerique istud putãt re- d
ferendum esse ad tempus noui testamenti, in quo iam reiecit Deus omnia legalia sacrificia. Verũ hoc dñm hic nõ voluisse, patet ex subiecta causa: Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum, &c. ex qua satis patet hunc versum sic esse accipiendũ, vt ideo dicat Dominus se non accepturum vitulos, quia nihil propriè ab alio accipere dicimur, nisi quod illius est, & nostrum non est, sed per ipsius donationem fit nostrum.

IMMOLA DEO, &c.] Reiectis sacrificii quę vi- e
deri poterant offerri, quasi quibusdam Deus indigeret, sicut illa dijs hominibúsque offerri solent, ea commodè requirit sacrificia, quibus testamur omnia nobis à Deo prouenire, & nos eius donis indigere, qualia sunt sacrificiũ laudis, & cum pro perceptis aut percipiẽdis beneficiis vota illi persoluim⁹, illúmq; in necessitate piis precibus inuocamus.

In finem Psalmus Dauid, quando venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bersabee.

ARGVMENTVM PSALMI L.

CONTINẽT hic Psalmus, ut ex titulo patet, precem regis Dauid, quam fudit ad Deum cùm per admonitionem Nathan prophetæ, super adulterij & homicidij grauissimis sceleribus, post longam in peccatis suis impœnitentiam, tandem

peccatorum ſuorum magnitudinem agnouit. Serio itaque peccata ſua agnoſcens, feruẽti ac humili oratione, ſcertaq; fiducia per multiplicem Dei miſericordiam, primum peccata ſua remitti ac purgari, tum & ſpiritum ſanctum per peccata ſua deperditum reddi ſibi poſtulat. Id ut aſſequatur, ſeſe ad docendum alios bonitatem q; Dei prædicandum, quæ germanæ reſipiſcentiæ officia ſunt, offert, adiungens in fine communem precem pro inſtauratione ciuitatis Ieruſalem, ne propter peccatũ ſuum ea intermitteret Deus, quæ in ea facere inſtituerat, ſub cuius typo, eccleſiæ ueræ Ieruſalem inſtauration precatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Miſerere mei Deus ſecũdum magnam miſericordiã tuam.*
2 *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum †dele iniquitatem meam,*

3 *Amplius laua me ab iniquitate mea,* & à peccato meo munda me,*
4 *Quoniam iniquitatem meã ego cognoſco:*& peccatum meum contra me eſt ſemper.*

5 *Tibi ſoli peccaui,*
**& malum coram te feci,*
** ut iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.*

6 *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum,*
** & in peccatis cõcepit me mater mea.*
7 *Ecce enim ueritatem dilexiſti,*
**incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.*

8 *Aſperges me Domine hyſſopo,*
**& mundabor,*
lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

9 *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam,*
**& exultabunt oſſa humiliata.*
10 *Auerte faciem tuam à peccatis meis,*
**& omnes iniquitates meas dele.*
11 *Cor mundum crea in me Deus,*
**& †ſpiritum rectum innoua in uiſceribus meis.*

Miſerere mei ô Deus ſecundum immenſam miſericordiam tuam. *Pſal. 50.*
Immenſum enim eſſe profiteor quod deliqui, vt qui ſciens grandia mala commiſerim.

2 Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, quas ab initio mundi ſemper hominibus te inuocantibus exhibuiſti, multiplicem in- a
iuſtitiam meam dele à conſpectu tuo, vt eam non videas ad vltionem.†
Abſterge item à ſpiritu meo defœdato peccatis meis.

3 Et quoniam me plurimum comm aculauit turpitudo peccatorum
meorum, tu etiam multum laua me ab iniquitatibus meis,*quáq; abun
danti ablutione à peccatis meis me totum purum redde.

4 Scelera enim mea, quæ iamdiu diſſimulaui, ecce iã agnoſco,*& pec
catum meum aſſiduè mihi ob oculos mentis meæ verſatur, cuius cõ ſi-
derettione continuè anima mea affligitur & conteritur. Cùm ergo iam
ſeriò expendam apud me meam iniquitatem, hæc eſt cauſa, cur tam ar
denter implorem tuam miſericordiam, & miſericordiæ tuæ abundan-
tiam. Rurſum hoc ipſum te meritò mouere debet, vt deſidera tam præ-
ſtes miſericordiam.

5 Iniquitatem, inquam, meam agnoſco, dicens: Tibi, Domine, imo tibi b
ſoli peccaui, quoniam etſi etiam meis ſceleribus alios læſerim, tu ſolus
es, cuius leges præuaricatus ſum, quíque mea peccata vindicare potes:
*& grande malum feci, non tam coram hominibus, qui aut peccatum
meum ignorant, aut reprehendere non audent, quàm coram te, cuius
oculos omnia perluſtrantes nõ ſum reueritus, *vnde fiet, vt ſi mihi hãc
iniquitatẽ condonaueris & promiſſa ſeruaueris, iuſtus habearis in pro-
miſſis tuis, & vincas cum quis facta tua expenderit. Iam enim in me in- c
telligent omnes, te ſecundum promiſſionem tuam veniam pœnitenti-
bus non denegare. Iam quoq; omnes cognoſcent tantam tibi in ſeruan
dis promiſſis eſſe iuſtitiam & fidem, vt ne ob peccata quidem hominũ
promiſſiones tuas irritas facias, quandoquidem mihi rurſum placatus
ſeruaueris, quicquid de ſucceſſore regni, de confirmatione, & ſemine
ſancto ex me naſcituro pollicitus fuiſti.

6 Congruum eſt autem, vt ad indulgentiam peccatorum meorũ faci-
lis ſit miſericordia tua ob innatam peccãdi pronitatem. Ecce enim cũ
iniquitate conceptus ſum, *& ſtatim vt me mater mea concepit, pecca
tum mihi adhæſit.

7 Nec tamen in hanc naturæ corruptionem meum peccatum reijcere d
volo. Scio enim te, vt omnem fucum, atq; omne mendacium odire: ita
veritatem, & integritatẽ animi diligere: proinde ecce verè & ex animo
me peccaſſe confiteor, ídq; grauiſſimè, *quia mihi manifeſtare digna-
tus es multis incognita & occulta decreta ſapientiæ, ita vt imprudẽtiæ
peccata mea tribuere non poſſim, imo ea per ſummam ingratitudinem
commiſſa profiteri debeam.

8 Itaque quoniam me vehementer pollutũ agnoſco, tu quæſo me in-
uiſibiliter veluti hyſſopo aſperge: vt quomodo ſacerdotes in expiationẽ
immundorum, hyſſopi aſperſionem corpori adhibent: ita tu ſpiritum e
mundes, ídque aquis ſpiritus tui, ac ſanguine filij tui, in conſummatam
peccatorum meorum expiationem, quã hyſſopi externa aſperſio ſigni-
ficat. *Id ſi feceris, verè mundabor ſecundum animã peccatis meis pol
lutam. *Si tu me lauare digneris, ipſa iterum niue albior fiam.

9 Fac me quæſo in conſcientia audire vocem gaudij & lætitiæ, plenam
peccatorum remiſſionem, tuíque fauoris reſtitutionem mihi in ſpiritu
ſignificãdo. *Id vbi feceris, omnes vires animæ & corporis nimio pœni-
tentiæ dolore, atq; iræ tuæ timore afflictæ, atque confractę, exultabunt,
gaudio omnia corporis membra peruadente, atque ad laudandum te,
& ſeruiendum tibi promptè exilient.

10 Auerte itaque faciem tuam à peccatis meis, vt non eorum amplius
recorderis ad vindicandum, *& omnes iniquitates meas dele è conſpe
ctu tuo, vt non eas mihi imputes in pœnam.

11 Mentem puram crea in me Deus, qui id ſolus potes, * & cùm ſpiri-
tus meus prauè obliquatus ſit, & peccati veruſtatem contraxerit, tu rur
ſum innoua in interioribus meis ſpiritũ rectũ, ſic vt animã meã facias
non

non niſi quæ recta ſunt cupere, †ſpiritúmq; illum tuum ab omni prauitatis obliquatione alienum, & quicquid rectum ac bonum eſt docentẽ, rurſum immittas intimis animæ meæ viribus.

12 Ne proijcias me à facie tua,
**& ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*
13 †Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,

**& ſpiritu principali confirma me.*

12 Ne quæſo offenſus peccatis meis, me ſolito tuo fauore, cura, & cuſtodia deſtituas: *& ſpiritum illum tuum ſanctum, quo ſolo nos ſancti eſſe poſſumus, tu ne penitus auferas, & alienes à me, ſed deperditũ iam reſtitue, vt me rurſum ſanctificet.

13 Atque per hunc ſpiritum mihi reſtitutum, redde mihi gaudiũ, quod de ſalute mihi per te præſtanda concepi. † Reſtitue lætitiam, quam de Saluatore Meſſia ex me naſcituro, déq; ſalute per eum exhibenda humano generi habueram, *& ne vnquám ampliùs à gratia tua excidam, tu me in omnibus bonis ſtabilem fac, ſpiritu tuo munifico, regióq;, ac potenti, qui regia liberalitate dona ſua petẽtibus largiter elargitur: qui, vt eſt omnium dominus & princeps, facilè hominum mentes in bona conſtabilire poteſt: quíque hominem ſui iuris facit, ac cupiditatum noxiarum dominum, liberum & alacrem ad omne bonum perficiẽdum.

14 Docebo iniquos uias tuas.
**& impij ad te conuertentur.*

14 Hoc vbi præſtiteris mihi, non iam ipſe tantum vias tuas teram, ſed qui meo exemplo alios praua docui, iam etiam iniquos docebo verbo & ſcriptis vitæ actiones tibi gratas, viáſq;, quibus peruenitur ad te, * & mea doctrina atque exemplo, impij abs te alieni conuertentur ad te.

15 Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ.

15 O mi Deus, Deus autor ſalutis meę, libera me à reatu innoxij ſangui nis per me effuſi, propter quem, ſecundum legis tuæ præſcriptum etiã ipſe mortis ſum reus. Libera me à peccatis, quæ ſunt carnis & ſanguinis corruptiones, animámque meam fœdè cruentarunt. * Id vbi feceris, lingua mea cum ſumma mentis exultatione canet tuam iuſtitiã quam mihi exhibuiſti, remittens ſecundum promiſſiones tuas peccata mea. g

** & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.*

16 Domine labia mea aperias:
** & os meum annunciabit laudem tuam.*

16 Domine labia mea, quæ ad laudãdum te iam inepta facta ſunt, quæque in laudem tuam præ dolore aperire iam non libet, tu quæſo aperi, rumpendo peccatorum atq; doloris vincula, quibus occluſa ſunt, ac no uam laudandi te materiam ſuppeditando, *& os meum deprædicabit omnibus laudem tuam, quouis tibi ſacrificio externo gratiorem.

17 Quoniam ſi uoluiſſes ſacrificium, dediſſem utique,
**holocauſtis non delectaberis,*

17 Dico autem me laudem tuam annunciaturum, potius quàm externum aliquod ſacrificium oblaturum, quia ſi pro expiatione peccatorũ meorum à me exegiſſes ſacrificium aliquod externũ, obtuliſſem ſane illud, *verùm holocauſtis non per ſe delectaris, nec adeo tibi placent, vt per ea peccata apud te purgentur & dimittantur.

18 Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus,
**cor cõtritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

18 Sed ſacrificium tibi Deo gratum, & ad expiationem peccati coram te valens eſt animus ſeipſum dolore pœnitentiæ affligẽs ac mactans, * animam verè contritam & deiectam tu Deus nullo vnquam tempore deſpicies, quemadmodũ nunc parui facis externa ſacrificia, quæ & ſuo tempore in totum es abiecturus.

19 Benignè fac Domine in bona uoluntate tua Sion,
**& ædificentur muri Hieruſalem.*

19 Tandem autem & pro cõmuni populi tui ſalute precor te, vt ne peccatis meis offenſus deſiſtas benigno fauore tuo proſequi ciuitatẽ tuam Ieruſalem, in qua me regem conſtituiſti, & cultum tuum per me inſtaurare cœpiſti: ſed quanquam id demeruerim, per bonam tamen tuam voluntatem benefac Domine ciuitati Sion, * & ædificentur quæſo per te muri Hieruſalem, da vt hæc ciuitas fœlicem habeat in omnibus rebus h
progreſſum, ac potiſſimum in religione ac timore nominis tui.

20 Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta,
**tunc imponent ſuper altare tuum uitulos.*

20 Tunc cultu tuo in ea ciuitate egregiè conſtituto, grata tibi erunt ſacrificia, quæ ex iuſtitia interiori tibi offerentur, oblationes item libaminum & holocauſta, *tunc omnes Iſraelitæ vnanimiter ponent vitulos i
ſuper altare, quod in hac ciuitate tibi vnicè delegiſti. In hac autẽ quam peto ciuitatis Hieruſalem conſummatione, illud multo magis peto, vt per naſciturum ex me Meſſiam, veram Hieruſalem, fideliũ ſcilicet eccleſiam, cuius noſtra Hieruſalem typus eſt, ex omnibus gentibus ædifices. Quod vbi feceris, iam poſt externa hæc, ac carnalia ſacrificia, tibi parum probata, in noua Hieruſalem offerentur tibi vituli labiorum confitentium nomini tuo, ac ſacrificia iuſtæ cõuerſationis, holocauſta ſpiritus & corporis humani, tibi longè gratiſſima.

ANNOTATIONES.

AMPLIVS LAVA ME.] Quod dicitur, amplius laua, intelligi poteſt pluſquã hactenus lauaſti. Id enim & Græca proprie ſignificãt. Habẽt enim ἐπὶ πλεῖον. Hebręa tamen dictio tantum ſignificat multum, quomodo & Euthymius id quod Græcis eſt, ſecundo loco exponit. Vt vt eſt, locus hic præterquam quod apertè oſtendat per peccatum maculas aliquas inhærere menti, etiam docet non ſtatim per ſimplicem peccatoris pœnitentis conuerſionem ad Deum, perfectam conſequi ſuorum peccatorum remiſſionem & curationem: ſed manere etiam, dimiſſo vtcũque peccato, reliquias a

quasdam purgandas atque curandas.

b TIBI SOLI PECCAVI.] In Hebræo maior est emphasis. Sic em est: Tibi, soli tibi peccaui. Soli aũt Deo se peccasse deplorat, quãquam & in Vriam fidelissimũ militẽ graniter peccasset, quod Dei solius leges transgressus esset, quódq; cum solum haberet, qui eũ tanquam reum ad pœnam rapere posset. Deinde quia illud vnum ipsum cruciabat, quod Deũ offendisset, ita vt quicquid in hoies commisisset, ideo ei displiceret quod in eo Deum offendisset. In quo sensu etiam quiuis peccator dicere potest se soli Deo peccasse. Cum emphasi itẽ intelligi debet dictum quod sequitur: Et malũ coram te feci. Emphasis enim est in illo, coram te, vel vt est significantius Hebræis: In oculis tuis, hoc est te vidente. Quo auget suum malum, vt quod non reuereritus sit Deo spectante committere. Emphasis item est in dictione, malum, cui hoc loco apponitur articulus הרע Harag, sicut & Græcis τὸ πονηρὸν, vt significetur grande malum & crimen.

c VT IVSTIFICERIS, &c.] Pleriq; coniunctionẽ, vt, referunt ad verba mediatè præcedẽtia, miserere mei, munda me. Verũ hic sensus nõ videtur conuenire intellectui Pauli, quẽ ad Rom. 3. ex hoc loco colligit Dei iustitiam ex nostra iniquitate illustrioré fieri, quod ex illa cõfiexione nõ põt colligi. Ex hac enim cõnexione, miserere mei vt tu iustificeris in verbis tuis, quibus misericordiã pœnitẽtibus promisisti, nõ tã sequitur Dei iustitia declarari ex nostra iniustitia, quàm qđ ex Dei misericordia eius iustitia illucescit. Vnde melius coniũctio, vt, coniungetur cum verbo, peccaui: ita tamen, vt non denotet finẽ, sed tãtum consecutionẽ, quemadmodum etiam annotauit Theophylactus super epistolam ad Rom. Cæterum inter varias huius loci explicationes, quarum cõmuniores prosequitur paraphrasis, simplicissima & maxime genuina videtur esse ipsius Euthymij, qui hæc refert ad verba Domini, quæ per Nathan locutus est Dauid, disceptans cum eo, & in iudicium cũ eo ingressus, vt est 2. Reg. 12. vbi Deus per Prophetam eum redarguit, qđ pro tãtis ab eo acceptis bñficiis, & adhuc accipiendis, ipse contrà in benefactorem ingratus extiterit, vbi & Dei iustificatione ostensa, condemnatio ipsius Dauidis, tanquam rei conuicti, subtexitur. Itaque sensus erit: Lubenter me in te grauiter peccasse confiteor, ita vt cũ inter nos causa discutitur, & tu mecũ iudicaris, tu in tuis sermonib⁹, quibus me reũ agis, iustã causam agere inueniaris, & ego vicissim veluti erga tũ benefactorẽ adeo ingratus magis condẽner. nihil habens quo me contra te defendam & tuear. Iuxta quẽ sensum etiam facile fuerit intelligere, qũo ad Dauidis imitationẽ hæc verba cuiuis pœnitenti cõueniant. Vnusquisque enim agnoscere in seipso debet, Deũ in scripturis oẽs peccati reos agere, ita vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mũdus Deo. Vnusquisque item in internæ mẽtis redargutione, qua Deũ sentit secũ loquentem & redarguentẽ, fateri debet Deum iustum esse: se verò reum, Deũ non esse culpandum, sed se solum ob ingratitudinem, & liberã peccandi voluntatem.

d ECCE ENIM VERITATEM DILEXISTI 1.] Versus iste obscurus est, & variè ob id explicatur. Sunt em qui intelligũt de veritate Dei, siue quã exhibet, dũ secundũ promissa sua misericorditer ignoscit pœnitẽtibus, vt iam hic secunda ratio afferatur, ob quam Deum misereri conueniat: siue quam exhibet, dum secundum iustitiam suam non finit peccata impunita, quomodo intelligit D. Augustinus. Verùm ex Hebræo satis constat hunc locum magis accipiendũ de veritate quæ sit in hoie. Nam Hebræa habent: Ecce veritatẽ dilexisti in intimis. Quo significat Deo probari maximè integritatem cordis, vt nihil fictum sit, vel duplex in homine, nec sit, vt alio Psalmo 21. dicitur, in spiritu eius dolus. Itaque quo reuisſionẽ imperet significat se non velle dissimulare peccatũ suum, nec excusationis causas prætexere, sed ex animo illud cõfiteri, & detestari coram Deo qui integritatem cordis amat. Ideóq; in exaggerationẽ sui peccati subiicit: Incerta & occulta sapiẽtiæ tuæ manifestasti mihi. Significat enim his verbis secundũ Euthymiũ, eo grauius se deliquisse, quo magis Dei voluntas ipsi fuerat patefacta. Magna em fuit ingratitudo, quod cùm excelleret intelligentia cœlestis doctrinæ, & Prophetico spiritu esset donatus, tamen instar brutæ pecudis, proiecit se ad fœdam libidinẽ. Cùm ergo superiori versu dixerit de ingenita corruptione naturæ, quod ad peccati sui excusationẽ quodã modo pertinebat, hoc iam versu illud vehemẽter accusat, vt obseruare liceat in his verbis exprimi agitationem animi perturbati, seque in partes contrarias versantis. Ad quod innuendũ valet aduerbium, ecce in vtroq; sensu positum. Cæterũ ad quid referenda sit coniunctio, enim, in vtroque versu addita, anxie quærendum non est, cũ non sit apud Hebræos. Et Euthymius fatetur, quod ad sensum attinet, superesse.

e ASPERGES ME DOMINE HYSSOPO.] Domine nõ habẽt nec Græca, nec Hebræa, nec Augustinus, nec nostri codices emendatiores. Verba, asperges & lauabis, pro imperatiuis accipiẽda sunt Asperge & laua. Duo aũt obseruanda in his verbis sunt, quæ emphasim habent: nempe & quod hyssopo aspergi velit, & qđ à Dño aspergi velit. Et hyssopi quidem meminit, quod in solennibus cæremoniis ad expiationem institutis hyssopus adhiberetur, vt patet Leuit. 14. in expiatione leprosi: & Numeri. 19. in expiatione, quæ fiebat per aquã lustrationis. A Domino aũt vult aspergi, innués exteriores aspersiones, quę à sacerdotibus secundum legẽ impendebantur, non posse sibi sufficere ad mentis purgationem, quam quærebat, cùm illæ, iuxta Paulum, tantũ afferrent iustitias & mundiciã quãdam carnis. Itaque sub hac locutionis forma, est allegoria, qua significare voluit, se petere vt quod in solẽni expiationis corporalis cæremonia, quæ fit à sacerdotibus, exterius significatur, Deus inuisibiliter operetur in mente, perfectã mundiciẽ & remissionem conferendo. Et quanquã hæc simplex explicatio sufficere vtcunque posset pro loci huius intelligentia, omnino tamen existimandum in hac locutionis forma aliquid amplius prophetam intellexisse. Cùm enim hyssopo non fieret aspersio, nisi per intinctionem eius in sanguine alicuius animalis occisi: aut in aqua, cui occisi animalis inessent cineres, omnino putandum est prophetam etiam respexisse ad sanguinẽ illum & aquam, qua mens per fidem aspersa verè mundatur, sanguinem scilicet Christi, & aquam spiritus sancti. Christus enim in ligno crucis, charitatis vinculo alligatus, vera est hyssopus, ligno cedrino per filum coccineum colligata, vt qui sua humilitate inflationem cordis nostri sanet, sicut hyssopus valet purgandis & curandis præcordiis. Hæc hyssopus tincta in cruce proprio sanguine, aspergit per fidem credentes in eum, iuxta id quod de eo dixit Isaias: Ipse aspergget gen

ger gentes multas. Notandũ & illud in hoc versu, quod & aspergi petit & lauari, vt fiat perfectè mũdus, qui se valde agnoscit pollutum. In lege enim veteri immundos duobus his modis legimus purificari solitos aspersione scilicet & ablutione.

g ET EXVLTABIT LINGVA MEA., &c. Quoniam verbum, exultabit, verbũ est neutri generis, & ob id accusatiuum ex sua natura nõ admittat: quidã illud mutauerũt in exaltabit, legentes: & exaltabit lingua mea iustitiã tuam. At exultabit legendũ Græca aperte demonstrãt, cum non habeant ὑψώσει sed ἀγαλλιάσεται. Eiusdẽ verbi occasione in Græcis quidã non accusatiuũ legunt, τὴν δικαιοσύνην, sed datiuũ τῇ δικαιοσύνῃ, vt patet apud Euthymium, vt sit sensus: Lingua mea exultabit propter iustificationem à te mihi præstitam. Plures tamen libri habent accusatiuum, iuxta quam lectionẽ verbũ, exultabit, actiuè debet accipi pro exultando celebrare, & canere. Cæterum obscuritatem aliquã adfert, quod dicit: iustitiã tuam cum potius videbatur dicendũ, misericordiã tuam, vel pietatem tuam, cum in gratuita peccatorũ remissione non tam Dei iustitia reluceat, quàm misericordia. Verùm sciendũ in scripturis iustitiam Dei non semper eã dici, qua reddit vnicuiq; secũdum sua merita, bona vel mala, sed etiã eam, qua se veracem in promissis ostendit, quod etiã facit remittendo pœnitẽtibus peccata. Deinde iustitia in scripturis, siue dũ Deo siue dũ hoĩbus tribuit, accipitur sæpe vt idẽ valeat qđ virt⁹ & bonitas, ita vt pietas dicatur iustitia. Diuus Hieronymus in cõmentariis legit pluraliter, iustitias tuas, & interpretatur Dei mandata. Alij iustitiam Dei interpretãtur iustificationem, quam pœnitens ex Dei dono gratuito consequitur.

ET ÆDIFICENTVR.] Græca habent, καὶ οἰκοδομεηθήτω, & ædificẽtur, vt verbũ, ædificentur, sit imperatiui modi deprecatiuè accepti. Et sic verisimile est vertisse interpretẽ, qũo etiã habet psalterium vetus, quo vsus est Augustinus, & quædã nostra tum scripta, tum impressa. Non itaq; petit bonignè agi cum Sion ad illũ finem, vt muri Hierusalem ædificentur: sed ipsa ciuitatis ædificatio est, quam Dei benignitate impendi cupit. Et quod ad literam quidem attinet, Hierusalẽ etiãsi esset extructa, nondũ ad suam peruenerat perfectionem, quod præcipua adhuc deesset eius pars, templum scilicet, in quo arca poneretur, quę eatenus adhuc erat tantum sub tugurio. Verùm omnino videtur his verbis non precari potissimũ eam ædificationem ciuitatis, quæ manibus hominum fieri potest per magnificarum ædium & mœnium extructionem: sed quæ consistit in bono ciuitatis statu, per obseruationem mandatorũ Dei, & religiosum Dei metum & cultũ. Hebræa eñ habẽt: Et ædifica muros Hierusalem. Ædificat autẽ Deus muros ciuitatis, ipsamq; ciuitatẽ, cùm promouet eius fœlicitatem, quæ in Dei cultu potissimum est sita. Cui bene cõuenit, quod huius versus prima pars potius sic verti deberet, tum ex Hebræis, tum ex Græcis: bonam fac Domine in bona voluntate tua ipsam Sion. Græcè enim est, ἀγάθυνον τὴν σιών. Nisi enim hoc versu Propheta præcipuè precetur, vt in regia ciuitate Hierusalem Dei timor & cultus obtineat, quomodo subiungit: Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ: Neque enim ob speciosam ciuitatis ædificationẽ, sacrificia redderẽtur acceptiora, sed si Dei timor ibi obtineat & vigeat. Tunc enim continget ibi offerri sacrificia iustitiæ, hoc est, quæ ex mente iusta procedent.

TVNC ACCEPTABIS, &c.] Quãquam nos conformiter cum Græcis habeamus singulari numero sacrificium iustitiæ, ne quis extra rẽ philosophetur hic de singulari aliquo sacrificio, qđ iustitiæ dicatur, sciendũ Hebræa habere pluraliter sacrificia iustitiæ. Opponit autẽ sacrificia iustitiæ, sacrificiis quæ nihil habebant præter inanẽ põpam, quæq; à Iudæis veluti meriti & compensationis causa offerebantur, de qualibus prius dixit: holocaustis non delectaberis. At sacrificia iustitiæ sunt quæ ex animo per iustitiam & pium in Deum affectum proficiscuntur, quæ tum demum offeruntur à populo, cùm Dei benignitate religiosus metus obtinet apud omnes.

ARGVMENTVM PSALMI LI.

PSalmum hunc, *ut ex titulo satis patet Dauid composuit, cum ab Abiathar filio Abimelech sacerdotis audisset Doeg Idumæum Sauli prodidisse se fugientem, ac Abimelech sacerdotem accusasse, quòd panes & gladium fugienti dedisset, tum & iussu Saulis occidisse primùm quidem octoginta quinque sacerdotes, deinde & cũctos sacerdotalis ciuitatis Nobe uiros, mulieres, paruulos, bones, asinos, & oues. Contra hunc itaque in consolationem sui, & eorum qui iniuria affecti fuerãt, hoc Psalmo inuehitur: memorans primùm peruersum animum & studium Doeg, tum exterminium illius, & ex eo iustorum gaudium prædicens, suamq; qui in Deo semper confisus fuerit, gratulationem promittens. In his autem quæ Dauid passus est à Doeg, proditionis & auaritiæ notato, typus est eorum quæ Christus à Iuda proditore pertulit. Proinde secundũ mysticum sensum Psalmus hic, inuectiũ est contra Iudam, Christum iniquè prodentem, & tradentẽ inimicis eius Iudæis. Potest & ad exemplum Christi ac Dauidis efferri Psalmus hic à quouis iusto contra eius infestatores quoscunque, siue dæmones, siue homines, quorum Doeg & Iudas quædam sunt figuræ: sicut iustorum, Christus & Dauid sunt exemplar.* Reg. 21.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

2 *Tota die iniustitiã cogitauit lingua tua,*
**sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Pſal. 51.

3 *Dilexisti malitiam super benignitatem,*
** iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.*

VT quid glorians in tua quam perpetrasti prauitate, tu qui ad facidum iniquitatem potens es?

2 Omni tempore cogitasti lingua tua loqui iniusta ad iustorum oppressionem, assiduè ex præmeditato corde malo, lingua tua elocuta est iniqua, *fecisti fraudem ac si esses acuta nouacula. Nam quomodo acuta nouacula grauiter vulnerat eos quos vel leuiter tetigerit: ita quos tuis dolis circumueniri vel obiter contigerit, eos prorsus internecioni dedisti. Et quomodo nouacula acuta, sua acutie omnes simul pilos deradit: ita & tuis fraudibus circumuẽtos vsque ad omnimodam, perditionem adegisti.

3 Amasti malitiam magis quàm bonitatem, * elegisti magis loqui iniquitatem quàm æquitatem.

4 *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.*

5 *Propterea Deus destruet te in finem, * euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo:* & radicem tuã de terra uiuentium.*

6 *Videbunt iusti & timebunt,*

** & super ipsum ridebũt & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deũ adiutorem suũ.*

7 *Sed sperauit in multitudine diuitiarum, * & præualuit in uanitate sua.*

8 † *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.*

* *Speraui in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.*

9 *Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti, * & expectabo nomen tuum, * quoniã bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

4 Dilexisti omnia huiusmodi verba, quibus præcipitari & perdi innocẽtes possent: lingua tibi est non nisi ad fraudes parata, cámque linguam dilexisti.

5 Propter hæc omnipotens Deus perdet te in perpetuum, *de habitatione tua ac domo tua, in qua iã glorioſus habitas, ipse te penitus euellet, & emigrare faciet: *sed & omnem tuã progeniem, omnémque tuam gloriam, fortitudinem, ac diuitias, quibus in hoc mundo firmiter radicatus tibi videris, auferet Deus de hac terra viuentium, teque cum tua impia progenie transferet ad terram eam, in qua perpetua mors regnat.

6 Videbunt iusti hanc Dei de ipso sumptam vltionem, videntéque; magis Dominum reuerebuntur, quẽ pro suis contra iniquos tam iustè agere, & in vindicandis sceleribus tam seuerum esse considerabunt, *super ipsum ob stultos eius conatus ridebunt, & dicent: Ecce hic est ille vir, qui non elegit sibi Deum in adiutorem suum, nec in eius adiutorio confisus est.

7 Sed fiduciam habuit in multitudine diuitiarũ suarum, & * per dolos suos ac scelera roborauit se contra innocentes, eisque præualuit.

8 Et quidem, vt dixi, eradicabitur ille de habitaculo suo, quoniã in Deo non est confisus. Ego verò quẽ ille succidere conatus fuit, in domo Dei similis ero oliuæ semper virenti, ac fructiferæ, in pingui humo plantatæ. In sanctorum enim ecclesia, horto fertilissimo, ac cœlestibus aquis semper irriguo, firmiter plantatus, Deo me custodiente, semper virẽs ac florens perseuerabo, fructus bonorum operum Deo gratos omni tempore proferens. † Et quanquam nunc à tabernaculo & templo Dei exul agam, tamen cum populo Dei in domo eius longo tempore versabor assiduè virens & florens, ac fructus pinguissimos proferẽs, *spem enim meam posui in misericordia Dei, quam nullo vnquam tempore deponam.

9 Laudibus te efferam imperpetuum, quia fecisti iustam de iniquo vindictam, mihíq; quam speraui salutem attulisti, *& cum omni longanimitate præstolabor semper deinceps te, tuámq; opem & clementiam, quę de te prædicatur. *Tu enim & nomen tuum admodum est gratum sanctis tuis, & ab eis habetur valde ad benefaciendum expositum quantũuis illud ingratum sit impiis.

ANNOTATIONES.

* LINGVA DOLOSA.] Hanc orationem quidã in vocatiuo casu accipiunt: Alij in ablatiuo, quemadmodum & psalterium Romanum habet, in lingua dolosa. Alij in nominatiuo casu, vt per se accipiatur. Græca autem habent accusatiuũ γλῶσσαν δολίαν linguam dolosam. Atque sic ex Hebræo vertit Hieronymus. Ita quoque habet psalterium vetus, quo Augustinus vsus est, similiter & quædam nostrę lectionis exemplaria. Proinde hęc lectio meritò præferenda est.

EGO SICVT OLIVA.] Pulchra est oppositio inter se iustum, & iniquum, de quo locutus est. Nam illum eradicãdum dixit, quia non in Deo sperauit: se verò in domo Dei plantandũ, quia in Deo sperauit. b

In finem pro Mahaleth intellectus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LII.

EIusdem est argumenti cum Psalmo 13. cum quo etiam in uerbis planè idem est, excepti his quæ ex Paulo in eũ Psalmum sunt translata, & uersu 7. huius Psalmi.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus,*

2 *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus,*

* *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

3 *Deus de cœlo prospexit super filios hominum,*

* *ut uideat si est intelligens aut requirens Deum.*

4 *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.*

* *non est qui faciat bonum, non est, usque ad unum.*

5 *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem,*

* *qui deuorant plebem meã ut cibum panis.*

6 *Deum non inuocauerunt,*

* *illic trepidauerunt timore, ubi non erat timor.*

7 *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent:*

* *confusi sunt, quoniã Deus præsciuit eos.*

8 *Quis dabit ex Sion salutare Israel, * cum conuerterit Deus captiuitatẽ plebis suæ exultabit Iacob, & lætabitur Israel.*

IMpij vera sapientia destituti, pro sua maxima insipiẽtia persuaserunt animo suo, nullum esse Deum qui omnia moderetur, & rationem habeat eorum quæ ab hominibus fiunt. *Psal. 52.*

2 Atque ob hanc vanissimam persuasionẽ corrupti sunt, ac toti deprauati, adeo vt per suas iniquitates detestabiles facti sint Deo, omnibúsq; bonis, *non est inter eos quisquam, qui faciat quod bonum est coram Deo.

3 Deus è cœlo, in quo peculiariter habitat, in terras prospexit super filios huius sæculi, non ex Deo natos, sed humanam tantũ referentes originem, *vt consideret an in tanta istorum multitudine quisquam sit rectè sapiens, quíq; studeat Deum agnoscere, illíq; piis operibus placere.

4 Verum frustra circonspexit. Nam omnes à vero Deo in recta viuendi ratione deflexerunt ad iniquitatem: omnes pariter suis corruptis moribus inutiles facti sunt ad faciẽdum quod bonum est, *non est inter eos qui bene faciat, non est ne vnus quidem.

5 Itaque Dominus è cœlo hæc prospiciens: Profectò, inquit, homines isti impij, qui me modo agnoscere nolunt, quique me non esse, sibi persuadentes, liberè iniquitatibus seruiunt, *cultorésque meos sine aliqua commiseratione deuorant, dispoliant, ac perdunt, ad eum modum quo à comedente voratur panis, sero tandem maximo suo malo me cognoscent, cùm meam in se vltionem sentient.

6 In Deo spem suam non posuerunt, ac proinde eum qui solus in quauis necessitate inuocandus est, non inuocauerunt: * propter quod maximo timore timebunt, vbi non erit timor aliquis his qui Deum in præsenti vita coluerunt, & inuocauerunt.

7 Deus enim suo tempore disperdet, & ad nihilum rediget vires, omnémque fortitudinem eorum qui Deo placere non student, nec illum inuocant: sed quærunt hominibus placere, pendéntque ab illorum auxilio & fauore, * pudore afficientur à Deo, quoniam eos à se abiiciet in æternas miserias.

8 O vtinam Deus det in monte Sion salutem Israeli, populo suo colenti ipsum, qui nunc in tanta impiorum multitudine grauiter ab impiis premitur. Id certè Deum certo factúrum confido, ac tum quidem populus eius à misera hac captiuitate & oppressione liberatus, solida lętitia gaudebit & exultabit. d

ANNOTATIONES.

DEVS DISSIPAVIT OSSA EORVM, &c.] In Psalmo 13. pro hoc versu legimus, quoniã Dominus in generatione iustorum est, &c. quo versu redditur ratio, quare impii in nouissimo die trepidabunt, quia scilicet consilium iustorum irriserunt, & cõtempserunt, qui in Deo spem suam collocandã existimarunt. Hic verò dicitur, quod ideo trepidabunt, quia in hominibus spem suam collocarunt, eísque ob id placere studuerunt proinde idem diuersis his sententiis significatur. Hebræa autem aliter modò habent: quoniam Deus dissipauit ossa circundantis te, confundens scilicet eos, quoniam Deus spreuit eos. Secũdum quam lectionem sermo est ad populum Dei, quem prius impii vorare dicti sunt. Hebræus autem interpres pro חֹנֵף chonach, quod est circundantis te, legisse videtur חֹנֶף choneph, hoc est, hypocritæ, & eorum qui hominibus placere quærunt, quos vocant Græci ἀνθρωπαρέσκους. Eundem ferè sensum reddit Chaldaica paraphrasis, quem Græci: nam sic habet: Deus disperdet ossa exercituum peccatorum: erubuerũt, quoniam verbum Dei abiecit eos.

In finem, in carminibus intellectus Dauid, cum uenissent Ziphei, & nuntiassent Sauli: Nónne Dauid absconditus est apud nos?

ARGVMENTVM PSALMI LIII.

VIr sanctus proditione Zipheorum semel & iterum in maximum periculum adductus, præsenti Psalmo opem Dei contra persequentes se orat promittens Deo sacrificium gratiarum actionis, & canticum laudis pro præstanda sibi salute, & inimicorum suorum iusta vltione. In his autem etiam Christi typum prætulit, atque exemplo est omnibus iustis, quos simili ratione Dominus subinde exercet. 1. Reg 13

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Deus in nomine tuo saluum me fac, * & in virtute tua iudica me.*

2 *Deus exaudi orationem meam, * auribus percipe verba oris mei.*

3 *Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animã meã, * & non proposuerunt Deũ ante conspectum suum.*

4 *Ecce enim Deus adiuuat me, & dominus susceptor est animæ meæ.*

5 *Auerte mala inimicis meis, * & in ueritate tua disperde illos.*

DEus per misericordiam, iustitiam ac potentiam, quæ in te prædicatur, saluum quæso me fac ab inimicis meis, & cum omni humano destitutus sim præsidio, &, quantum ad meas vires attinet, inferior sim hostibus meis, * tu quæso per fortitudinem tuæ diuinitatis pro me fac iudicium aduersus persequentes me. *Psal. 53.*

2 Mi Deus, exaudi quæso orationem meam, * attende ad verba oris mei: eáque clementer suscipe, exaudiẽs ea.

3 Congruum est enim vt exaudias, quoniam ecce hi qui alieni sunt à te, contemptores nominis tui, consurrexerunt contra me, & qui fortiores sunt quàm vt ego eis prævalere possim quæsierunt vitam mihi eripere: * nec ob oculos mentis suæ constituerunt sibi Deum, vt eius timore à proposita malitia sua reuocarentur.

4 Verum non est quòd mihi anxiè ab illis metuam, quoniam ecce Deus est qui mihi semper opem adferre solet, quémque & nunc mihi auxilio esse non dubito. * Dominus defensor est vitæ meæ, quam mihi eripere illi conantur.

5 Quare certò confido quòd à me auertes mala in inimicos meos, retorquens in eos malum quod mihi parauerunt, * & pro tua iustitia, & tua in seruandis promissis fidelitate disperdes illos. a

6 Voluntarie ſacrificabo tibi.
** & confitebor nomini tuo domine, quoniã bonum eſt.*
7 Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.*

6 Id vbi feceris,non aliquo mandato coactus, ſed ſponte, promptóque ac læto animo in gratiarum actionem tibi offeram ſacrificia, pro ſuſcepta ſalute, * ſimulque laudibus efferam nomen tuum Domine.Bonum eſt enim & gratioſum, atque ad benefaciendum tuis expoſitum.
7 Laudabo,inquam,te ob id,quoniam ex omni tribulatione liberaſti me: * & quoniam tuo beneficio vidit oculus meus in inimicis meis optatam vltionem.

ANNOTATIONES.

AVERTE MALA.&c.]Nec Hebræa,nec Græca habent imperatiuum modum ſecundę perſonæ.Græcis enim eſt ἀποστρέψει,hoc eſt,Auertet:atque eo modo legiſſe D.Auguſtinum,quanquam in impreſſis libris habeatur,Auerte,patet ſatis, tũ eo quod coniungit hanc partem cum illa præcedenti, Dominus ſuſceptor eſt animæ:tum ex commentario.Eadem corruptio manifeſtior eſt in D. Hilario, apud quem etſi etiam legatur,conuerte, tamen eũ legiſſe cõuertet,manifeſtiſſimum eſt. Tres enim illas partes.Deus adiuuat me:&,dominus ſuſceptor eſt animæ meæ : conuertet mala inimicis meis : in vnum verſum coniũgens, ſingulas dicit reſpõdere tribus membris verſus præcedentis,Ecce alieni inſurrexerunt aduerſus me,&c. Ac mox expoſiturus partem quæ ſequitur,In veritate tua diſperde illos:. deinde,inquit,rurſum fit ad perſonã Dei,ad quem primum deprecatio erat cœpta,conuerſio. Itaque mox ante hæc verba non intellexit eſſe verba ad Deum.Nec in libris noſtris emendatioribus eſt cõiunctio,Et,ſed tãtum, In veritate tua diſperde eos. In quo etiam verſu cauendum,ne quis cum Auguſtino legendum putet,In virtute tua, cùm Græcis ſit, ἀληθείᾳ.

DESPEXIT.&c.] Hebræa habẽt,& inimicis meis vidit oculus meus. Græca,καὶ ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου ἐπεῖδεν ὁ ὀφθαλμός μου, & in inimicis meis inſpexit oculꝰ meus:eſt autem oratio imperfecta, quali frequẽter Hebræi vtũtur.vt eſt illud,euge,euge,viderũt oculi noſtri.Proinde deſpicere, apud nos accipi nõ debet pro cõtemnere, quomodo plerique interpretantur,ſed pro ſuo ſimplici,vt ſit idẽ ꝙ vidit aut reſpexit,aut ſaltẽ ex alto vidit. D.Aug.legit,reſpexit.D. Hilariꝰ legit deſpexit,ſed iterpretatur,ex alto vidit.

In finem, in carminibus intellectus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LIIII.

CVM in titulo præſentis Pſalmi,nulla indicetur hiſtoria,quæ Pſalmo huic occaſionẽ dederit,diuerſi de materia eius diuerſimode ſentiunt,quibuſdam aſſerentibus compoſitum eſſe ratione perſecutionis,quam a Saule in principio pertulit,cùm ab vxore Michol per feneſtram dimiſſus è domo Saulis fugiens ſaluatus eſt, vt ſcribitur Reg.19. Aliis exiſtimantibus de eo diſcrimine conſcriptum hunc Pſalmum,in quo erat,cum oraculo didiciſſet aduenire Saulem,vt ipſum in vrbe Ceila comprehenderet,& cives Ceilæ ſi Sauli tradituros,quos tamen Philiſtinorum obſidione magno ſuo periculo liberauerat,vt habetur 1.Reg.23.Verùm quoniam verſu 12.& aliquot ſequentibus apertè notare videtur ipſum Achitophel conſiliarium ſuum,veriſimilior eorum eſt ſententia,qui de coniuratione Abſalonis,quando Dauid fugit cum multis è Hieruſalem,Pſalmum hunc interpretantur.Hoc itaque tempore in magno periculo conſtitutus Propheta regius, ad dominũ in oratione confugiens,primum quidem nimiam ex inimicorum perſecutione mentis conturbationẽ,animæq; ſuæ deſolationem queritur,poſtulans ſibi dari vt in tutum aliquem locum fugere velociter poſſit:deinde cõmemorans improbitatem & dolos ciuium Ieruſalem,& coniuratorum Abſalonis,conſilia eorum contra ſe irrita fieri cupit,vehementer illud exaggerans,quod inter eos contra ſe conſurrexerit is,quem inter primos amicos habuerat,notans,vt apparet, Achitophelem. Tũ imprecatus dignam huiuſmodi hominibus mortem,ſibi Deum aſſiduè inuocanti certam ab ipſo opem pollicetur, hominibusq; ſuis dignam vltionẽ obuenturam pronunciat ob illorum pertinacẽ malitiam,ac ſermones fraudulentiſſimos. Propter quod in fine ſe,omnemq; iuſtum hortatur omnem ſui curam Deo committere,qui non ſit in æternum derelicturus ſperantes in ſe.In his autem omnibus typus eſt Chriſti,cuius perſecutiones in omnibus Dauidis perſecutionibus præfiguratæ ſunt. Sicut & in filio Abſalone cum coniuratis eius,populus Iudaicus:& in Achitophele,Iudas proditor per omnia deliniatus eſt.Proinde hæc omnia per anagogẽ accipienda ſunt de Chriſto,malitiam perſequentium ſe Iudæorũ ſubinde declinãte, fugiendo in deſertum,ac ibi apud Deum patrem ſuam miſeriam conquerente,ſibiq; ſaluationem precante, ac hoſtium ſuorum perditionem prædicente. Ad exemplum autem Dauidis & Chriſti,Pſalmus hic generalis eſt iuſtorum querela,do impietate dominante in ciuitate,hoc eſt,ſocietate impiorum iuſtos perſequentium.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Exaudi Deus orationẽ meam, & ne deſpexeris deprecationem meã, *intende mihi & exaudi me.*
2 Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici,& à tribulatione peccatoris.
3 Quoniam declinauerunt in me iniquitates.& in ira moleſti erant mihi.*

MI Deus exaudi orationem meam,& ne reijcias à te deprecationem meam,*ſed attende mihi:& exaudi me inuocantem tuam clementiam. Ff
2 Ego enim,dum meipſum exerceo,meditando & conſiderando maxima pericula in quibus verſor,nec inueniens poſt longam meditationem euadendi rationem,vehementer ſum contriſtatus,& conturbatus ſum propter minas ac calumnias inimicorum meorum, & tribulationẽ peccatorum qui iniuſtè me perſequuntur.
3 Ipſi enim falſis ſuis criminationibus iniquitates mihi impoſuerunt a
& impegerunt,quarum mihi nõ ſum conſcius:*& per irã in me conceptam moleſti facti ſunt mihi variis modis affligentes.

4 Ob

*4 Cor meum conturbatũ eſt in me, * & formido mortis cecidit ſuper me.*
5 Timor & tremor venerunt ſuper me,
** & contexerunt me tenebræ.*
6 Et dixit:Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?
** & volabo,& requieſcã?*

4 Ob hæc cor meum in meipſo timore magno turbatum eſt, * metus mortis irruit in me,grauiter me premens,deijciens,ac conturbans.
5 Timor magnus in intimis, & ex eo tremor in membris inuaſerunt me,* & vndique me circundederant afflictionum tenebræ, at pauores mentem planè offuſcantes & confundentes,vt ſibi non conſtat,nec videat euadendi pericula conſilium.
6 In hac itaque mentis anguſtia,ac hoſtium me circundantium multitudine conſtitutus,dixi:O vtinam mihi dentur alæ tales,quales habet columba velociſſimi inter aues volatus,vt quomodo manſuetum & innocens illud animal pernicioſſimo ſuo volatu,coque ſolo ſeſe ab hoſte accipitre liberat,cui alioqui viribus eſt impar,fugitque in tuta aliqua loca,in quibus quieſcat:* ita & ego velociſſimè hinc auolare poſſim in loca aliqua tutiora,& in eis ſecurè requieſcere, quandoquidem non niſi fuga me ſaluari poſſe cõſidero de manibus eorum,qui quibuſuis accipitribus ſæuiores me dilaniare quærunt.

7 Ecce elongaui fugiens,
** & manſi in ſolitudine.*

7 Ecce autem quod optaui,id mihi ex parte datum eſt.Fugiẽdo enim meipſum elongaui ab impiis,* & relicto hominum conſortio, permanſi atque habitaui in deſerto cum feris agreſtibus. b

8 Expectabam eum qui ſaluum me fecit,à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.

8 Hic expectare patienter conſtitui Deum, qui me ſaluum faciat à puſillanimitate ſpiritus mei,& vehementi tentationum procella.

9 Præcipita Domine,
** diuide linguas eorum.*
** quoniam vidi iniquitatẽ & contradictionem in ciuitate.*

9 In hac autem ſolitudine exiſtens te precor Domine vt præcipites in c
profundum malorum hoſtes meos,eóſque demergas & perdas,* diuide linguas eorum,ac diſcordias inter eos ſuſcita,quo contraria loquentes & ſentientes minus conſpirare poſſint ad meum exitium:non ſecus atque olim diſturbaſti inſtitutum vanorum hominum, cum turrim Babel extruere tentantes diuiſi ſunt per linguas, vt inter ſeſe concordare nequirent.* Id autem vt præſtes congruum eſt Domine,quoniam in ciuitate iſtorum nihil aliud vidi quàm iniquitatem,& contentionem,quæ iniquitatis inter impios ſemper eſt comes,dum charitatis fœdere ſubla
to,omnes quærunt quæ ſua ſunt. d

*10 Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas, * & labor in medio eius & iniuſtitia.*
11 Et non deſecit de plateis eius vſura & dolus.

10 Die ac nocte circumerrabit in muris huius ciuitatis iniquitas, * in medio eius afflictio & iniuſtitia regnant, hoc eſt,extima & intima eius plena aſſiduè erunt omni genere fraudis & iniuriarum.
11 Nec ceſſabit à platæis eius impius quæſtus,pauperumque ob quæſtum oppreſſio ac dolus, quæ in ea vrbe & paſſim & publicè committuntur.

12 Quoniam ſi inimicus meus male dixiſſet mihi,
** ſuſtinuiſſem vtique,*
*13 Et ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, * abſcondiſſem me forſitan ab eo.*

12 Et quidem ſi ex profeſſo inimicus malè de me locutus fuiſſet,probróque affeciſſet,* æquanimius certè id meritò toleraſſem.
13 Et ſi is qui me palam oderat,contra me ſuperba locutus fuiſſet,per e
ditionem meam ſuperbè comminans, * ſubtraxiſſem me forſitã ab eo, cuius conſortium & intentatum malum facilè declinare mihi licuiſſet.

*14 Tu verò homo vnanimis, * dux meus & notus meus,*
*15 Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, * in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.*

14 Nunc autem quod intolerabile malum eſt, mihíque ineuitabile, tu mihi maledixiſti,& contra me ſuperbè locutus es,qui fuiſti tanquam intimus amicus,mecum vnius animi ac ſententiæ,qui fuiſti dux ac con
ſiliarius meus,arctiſſimáque mecum familiaritate coniunctus. f
15 Qui vna mecum dulci voluptate ſoles ſuauiter refici, * in domo Dei vnanimiter conuerſati ſumus, hoc eſt, & in prophanis rebus & in diuinis coniunctiſſimè inter nos viximus.

*16 Veniat mors ſuper illos, * & deſcendant in infernum viuentes.*

16 Digni ſunt certè huiuſmodi, ſuper quos ex vltione diuina irruat immatura & improuiſa mors,* & vt abſorpti à terra, viui deſcendant in infernum, ad ſimilitudinem Dathan & Abyron cum congregatione ipſorum.

*17 Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, * in medio eorum.*

17 Regnant enim nequitiæ inhabitaculis corum, * inter ſeſe collecti aliud non cogitant,quàm omnis generis nequitias.

18 Ego autem ad Deum clamaui, & Dominus ſaluabit me.*

18 Ego autem contra horum inſidias magno ardentique affectu Dei auxilium imploraui, nec implorare ceſſabo, * atque ob id non dubito quin ſaluabit me.

19 Veſpere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.*

19 Veſpere,mane,& meridie,omníque tempore narrabo & exponam g
Deo miſeriam meam, ac hoſtium meorum iniurias, * certóque confido,quod,me aſſiduè illum orante,exaudiet orationem meam.

*20 Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi, * quoniam inter multos erant mecum.*

20 Ab his qui mihi appropinquant,vt oppugnent, ipſe me redimet, reddendo mihi pacem, & tranquillitatem,* quoniam aduerſarij mei cum plurimis ad capiendum & perdendum me appropinquauerunt,& adiunxerunt ſe mihi.

21 Exaudiet deus & humiliabit illos, qui eſt ante ſæcula.*

21 Propter quod Deus, qui ſolus me ab eorum multitudine ſaluare poteſt,exaudiet me orantem,& deprimet eos: * ipſe qui æternum eſt, h
ante omnia ſæcula exiſtens, atque ab initio ſuper omnia imperium obtinens, cuius proinde potentiam quantumuis fortes effugere non poterunt.

Et

22 Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum,

** extendit manum suam in retribuendo.*

23 Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius,

** & appropinquauit cor illius.*

*24 Molliti sunt sermones eius super oleum, * & ipsi sunt iacula.*

*25 Iacta super dominum curam tuam, & ipse te enutriet, * et non dabit in aeternum fluctuationem iusto.*

26 Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.

27 Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

** ego autem sperabo in te Domine.*

22 Et quidem dignissimi sunt qui à Deo perdantur, quoniam non commutantur à malitia sua, sed in ea impœnitentes perseuerant: neque videntur vnquam mores suos emendaturi & mutaturi in melius. nõ enim timent Deũ: cuius timore, vel solum sed maxime homo à malo reuocatur, * atque ob hanc eorum in prauitate pertinaciam iã Deus manum suam vltricem extendit, iam paratus est ad retribuendum sua potentia eis condigna supplicia.

23 Prophanauerunt & violauerunt pactum cum Deo initum, leges eius præuaricando, dum innocentem opprimere quærunt: atque ob id ab ira vultus diuini, ab vltione indignationis eius dissipabũtur & dispergentur, ac seperabuntur à Deo, & sanctorum societate. Accedit ad illorum prauitatem simulatæ benevolentiæ malum pestilentissimũ. *Corda enim illorum appropinquauerunt mihi ad capiendum & perdẽdum me. In cordibus suis cogitauerunt mihi appropinquare in malum, vt sci licet nocerent.

24 Et tamen quo malitiam suam tegerent: blandissima verba locuti sunt, quæ oleo magis lenia erant, *cum re ipsa verba eorum sagittæ essent, quibus me aliósque iustos transfigere & perimere studebant.

25 Tu autem anima mea: tu item quisquis insidiis & iniurijs impiorũ impeteris, proijce super Dominum omnem ruam solicitudinem, curã tui illi omnino committens: nec id faciẽs frustraberis. Ipse enim te tanquam sedula nutrix soliciè æducabit & custodiet, *nec sinet iustum semper per impiorum persecutiones fluctuari & iactari corpore & animo: quanquam enim ad tempus eum commoueri permittit, tamẽ mox tranquillitatem præbebit.

26 Ipsos autem impios, qui innocentes persequuntur, tu Deus præcipitabis in puteum perditionis, in profundum lacum inferni, è quo ob eius profunditatem se liberare non poterunt.

27 Viri sanguinarii, qui sanguinis effusioni sunt dediti, & dolis suis iustos opprimere studunt, vt in plurimum non pertingent ad dimidium vitæ quam secundum naturalis complexionis cursum viuere poterant sed immatura & violenta morte hinc abripientur in iniquitatibus suis *ego autem spem meam omnẽ semper in te collocabo Domine, certò confidens te custodiente non ante tempus me ex hac vita auferendum, quemadmodum impii hostes mei conantur me auferre.

ANNOTATIONES.

a QVONIAM DECLINAVERVNT, &c.] Apud Græcos, teste Euthymio, duplex est hic lectio, Quidã enim libri habẽt accusatiuũ singularem ἀνομίαν, iniquitatẽ. Alii nominatiuũ pluralem ἀνομίαι, iniquitates, & tunc est sensus: Quoniã iniquitates, hoc est, homines inquissimi venerũt contra me. Verum ex Hebræo patet priorẽ lectionem essẽ rectiorem, quam & habet psalteriũ Romanũ. Proinde magis conuenerit in nostra lectione aut legere singulari numero, iniquitatem, quomodo & habent quidam nostri libri, aut dictionem, iniquitates, accipere in accusatiuo casu, & non in nominatiuo.

b EXPECTABAM EVM QVI SALVVM.&c.] Græca habẽt, προσεδεχόμην τὸν θεὸν σὺν σώζοντά με, hoc est expectabam Deum saluãtem me, vel qui saluũ me fecit. Vnde videri posset vitiosè nos legere eũ pro Deum, nisi ita constanter legerent omnes. D. Hilarius legit: Expectabam saluantem me. D. Augustinus, expectabam eum qui me saluum faceret: rectius certè quàm nos, qui legimus per præteritum, fecit. Nec est apud hos patres, sicut nec in Græcis, genitiuus, spiritus, sed tantum à pusillanimitate & tempestate.

c PRAECIPITA DOMINE, DIVIDE, &c.] Annotauit D. Hilarius, nec Hebræam, nec Græcam dictionem significare propriè præcipitare, cũ Græcis sit καταπόντισον, quæ dictio significat demergere, sicut & Hebræa dictio significat absorbere. Vnde & Augustinus legit, submerge. Itaque non vẽ verbum, præcipita, referendum ad linguas, sed subaudiendũ: Præcipita eos, in profundum scilicet inferni aut malorum, quod non est aliud quàm demerge eos.

CIRCVNDABIT EAM INIQVITAS.] Propter hos versus plerisque videtur propheta nõ loqui de ciuitate Hierusalem, eo quòd breui tẽpore in ea coniurati egerunt, hic autẽ perpetuum quod dam studium malorum vrbi illi tribuit. Verùm no tandum, Prophetam vsum esse verbis futuri temporis, circundabit, &, non deficiet, (sic enim habẽt Hebræa) vt intelligere liceat Prophetã voluisse significare iniquitatem semper dominaturum in ea ciuitate, si hos hostes suos contra se prævalere Dominus permisisset: notans item Iudæorum Christum persequentium malitiam, cuius eos nũquam pœniteret. d

QVONIAM SI, &c.] Pronomen, meus, vt nõ est in originalibus, ita nec in quibusdam nostris exemplaribus, nec apud Augustinũ, & absolutior est sensus si omittatur. e

QVI SIMVL MECVM.] Hebræa apertius Achitophelem notant: habent enim, qui simul dulciter tractabamus secretum, vel consilium. Et Chaldaica paraphrasis apertè de eo intelligit, sic enim habet: Tu verò Achitophel homo similis mihi, &c. f

ET DOMINVS.] Græca habent, & dominus exaudiuit me. Vnde & quidam nostri libri habent: Et dominus saluabit me. Rectius tamen legitur, saluabit, quia sic habent Hebræa, quæ hoc loco secutus est interpres, non Græca. g

APPROPINQVAVIT, &c.] Hanc partem plerique de Deo intelligunt, vt sit sensus: Cor Dei appropinquauit ad vindicandum. Verùm tum ex Hebræis, h

Hebreis tum ex Græcis patet hęc accipiẽda de impiis, & singularem numerum exponendũ esse pluraliter. Nam Græca pluraliter habẽt: appropinquauerunt corda eorum. Molliti sunt sermones eorum super oleum, &c. Certè D. Hilarius nõ de Deo hęc accipit, sed de ꝓditore illo, de quo supra fit mẽtio.

In finem, pro populo qui à sanctis longè factus est Dauid in tituli inscriptione, cùm tenuerunt eum Allophylli in Geth.

ARGVMENTVM PSALMI LV.

PRæsenti Psalmo exponit Propheta regius, quomodo periclitatus apud Achis regem Philistinorum Geth, Dei opem implorauerit, Saulisq; ac complicum eius in se malitiam, dolos ac vim, qui in illud periculi ipsum detruserant, apud Deum accusauerit, eorum perditionem præsciderit, atque seipsum spe diuina, ac consideratione diuinarum promissionum confirmauerit, Deoque laudis vota pro consequenda salute nuncuparit. Eo autem quod in titulo nostræ lectionis habetur, pro populo qui à sanctis longè factus est, notat vel eum populum qui Sauli adhærebat, contra quem populum hunc Psalmum composuit: vel etiam populum Philistinorum, non quòd contra eum Psalmum ediderit, sed quòd occasione eius periculi, in quod incidit apud eam gentem, hunc Psalmum cecinerit. Accommodus est autem cuilibet iusto, contra quoscunque suos hostes, siue visibiles siue inuisibiles.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, * tota die impugnans tribulauit me.*

*2 Conculcauerunt me inimici mei tota die, * quoniam multi bellãtes aduersum me.*

*3 Ab altitudine diei timebo? * ego verò in te sperabo.*

*4 In Deo laudabo sermones meos, * in Deo speraui, * non timebo quid faciat mihi caro.*

*5 Tota die verba mea execrabantur, * aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.*

*6 Inhabitabunt & abscondent, * ipsi calcaneum meum observabunt.*

*7 Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo saluos facies illos, * in ira populos confringes.*

*8 Deus vitam meam annuntiani tibi, * posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*

9 Sicut & in promissione tua, Tunc conuertentur inimici mei retrorsum,

10 In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es tu.

*11 In Deo laudabo verbũ, in domino laudabo sermones, in Deo speraui, * non timebo quid faciat mihi homo.*

12 In me sunt Deus vota

MIserere mei Deus, quoniam conculcare & conterere me conatus est homo, iugíque sua persecutione iam me propemodum obtriuit, * & assiduè me oppugnans, vehementer afflixit me. *Psal. 55.* 2

2 Omni tempore me conculcare conantur hostes mei, fuisque persecutionibus iam me penè quasi conculcatum obtriuerunt, * plurimi enim sunt me oppugnantes: animóque hostili me persequentes.

3 Verùm nunquid mihi timebo à temporali hostium meorum superbia, potentia, ac prosperitate? nequaquam, * sed in te potius Domine omnem meam spem collocabo, de tua protectione securus.

4 In Deo laudabo, & cum laude prædicabo sermones eius ad me pertinentes, quibus promisit mihi se exhibiturum magnifica beneficia, deque inimicis meis liberationem. * quibus sermonibus fretus omnem meam fiduciam in Deo reposui: * ac proinde ipsius potentiam, benevolentiam ac veritatem perpendens, non timebo anxiè quicquid moliatur aduersum me carnalis, & ob id fragilis homo. b

5 Ipsi quidem hostes mei assiduè abominabantur quicquid vel dicerem, vel facerem, calumniantes illud, & in peiorem partem rapientes, * omnes eorum cogitationes contra me in hoc intentæ erant, vt malum mihi inferrent.

6 Inhabitant & conuersantur mecum, absconditi se suásque insidias, quas occultè mihi disponunt, * vestigia mea diligenter obseruant, vt aliquando opportuno loco me capiant.

7 Verùm quomodo ipsi expectauerunt & desideraverunt animam meam perdere, ita & tu Domine pro nulla re eos saluos facies: * sed per iustitiæ tuæ seueritatem & vltionem, hanc inimicorum meorum populosam multitudinem conteres & disperdes. c

8 Mi Deus, inopiam meam conuersationem, & quicquid in omni vita mea miseriarum, & periculorum pertuli, tibi in oratione exposui, * nec dubito quin amarissimas & frequentes lachrymas meas, quas mihi coram te in oratione miseriæ meæ excusserunt, repositas habeas in tua memoria.

9 Sicut hoc ipsum te facturum promisisti, quandoquidem promisisti te nunquam neglecturum miserorum clamorem & lachrymas. Itaque certò confido tunc semper in fugam conuertendos inimicos meos, & cum pudore à me discessuros.

10 Quandocunque ego te supplex inuocauero, Ecce id ita futurum ex eo cognosco, quia tu es Deus meus, curam mei assiduè geres, liberator meus, & protector, quẽadmodum multis iam exẽplis in me didici.

11 In Deo laudabo verbum promissionum eius, quas mihi fecit: in Domino, inquam, cum laude deprædicabo sermonem, quo salutem, aliáque magnifica mihi beneficia promisit, harúmque promissionum iucunda consideratione in Domino constanter sperabo, * cuius spe nixus non timebo quicquid contra me moliatur mortalis homo, res (si ad Dei potentiam conferatur) admodum fragilis.

12 Sacrificia ó Deus quæ tibi offerre vouerã, in mea adhuc sunt memoria, quæ

tua quæ reddam laudationes tibi.
13 Quoniam eripuisti animam meam de morte, pedes meos de lapsu,
** vt placeam coram Deo in lumine viuentium.*

ria, quæ liberatus persoluam tibi, laudationes scilicet & gratiarum actiones, omnibus externis sacrificiis acceptiores.
13 Ideo autem tibi sacrificia laudis persoluam, cùm liberatus fuero, quoniam tu me liberasti à morte, & pedes meos continuisti ne laberentur: nec permisisti vt ab inimicis meis deiicerer & prosternerer,* quod ob id facies, vt hac luce, qua fruuntur viuentes homines, perfruens, tuique spiritus lumine illustratus, quo perfunduntur hi soli qui verè viuũt, tibi semper digna cõuersatione & laude nominis tui placere studeam.

ANNOTATIONES.

a AB ALTITVDINE, &c.] Apud Hebræos ף noster vertit, ab altitudine, coniungitur cum superiori versu. Vnde sic vertit Hieronym⁹: multi bellantes aduersum me altissime, & potest, altissime, es se vocatiuus, vt sit sermo ad Deum: vel aduerbium, vt intelligãtur hostes eius bellare ab alto loco quò magis lædant. Et Græci codices plerique hanc orationem, ab altitudine, coniungunt cum fine versus præcedẽtis. Et deinde versum sequentẽ sic legunt, ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, hoc est, dies non timebo, vt habet Euthymius. vt, alii intelligunt, die, hoc est, per diem nõ timebo. Potest enim ἡμέρας, apud Græcos esse & genitiui casus, & accusatiui pluralis. Quidã tamen Græci codices legunt hæc verba cum principio versus tertii, hoc modo: ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, ab altitudine diei non timebo. cui lectioni negatiuæ consentiet nostra lectio affirmatiua, si interrogatiuè legam⁹, & respõdeatur negatiuè, cui⁹ intelligẽtiæ meminit etiam D. Hieronymus. Vetus psalterium, quod secutus est Augustinus, hæc verba, ab altitudine diei, habet post hæc verba, conculcauerunt, me inimici mei: deinde sic habet, quoniã multi qui bellant aduersum me: timebunt: ego verò, &c. Hilarius legit, Ab altitudine dierum non timebo, quoniam multi qui debellant me, timebunt. Tanta est hic codicum varietas & depravatio.

b IN DEO LAVDABO, &c.] In paraphrasi exposuimus, sermones meos, pro sermones ad me pertinẽtes. Sic enim nostra lectio coincidet cũ Hebræis, quę habent: laudabo verbũ eius. Alioqui nostra lectio sic potest iuxta Euthymiũ accipi, vt sit sensus: In Deo laudabo, hoc est laudabiles faciam sermones meos, quia erunt de Deo, eumq; prædicabunt.

c SALVOS FACIES, &c.] Pleriq; Græci codices hic sũt depravati. Habẽt enim: ὥσεις αὐτούς, hoc est, expelles eos, cùm legẽdum sit σώσεις, hoc est, saluabis quemadmodum & habẽt Biblia Cõplutensia.

d QVAE REDDAM, &c.] Hebræa non habent, quæ, & sic est apertus sensus. Græca habent: In me sunt Deus vota, quę reddã laudationis tuę. Et Psalterium Romanum habet laudationis tibi. Et Augustinus quoque legit per genitiuum, laudis tibi.

In finem ne dispердas Dauidi in tituli inscriptione, cùm fugerat à facie Saul regis Israel in speluncam.

ARGVMENTVM PSALMI LVI.

MEmorat hoc Psalmo vir sanctus, quomodo in spelunca cum suis latitans (quando cum tribus milibus electorum virorum ex omni Israel venerat Saul ad capiendum eum, vt scribitur 1. Reg. 24.) Dei opem implorauerit propter spem in ipso repositam: ipsaq; implorata mox sibi certò auxilium eius pollicitus fuerit, & hostium suorum interitum præsiderit eius quem ipsi parauerant: ac denique se ad laudandum coram omnibus Deum addixerit. Quod autem in titulo Psalmi huius & aliorum sequentium habetur, ne disperdas, quidam hoc significare putant, quod suos his verbis reprimere soleat, qui incitabant eum vt Saulem perderet, quod quidem tum cõtigit, cùm in spelunca latens oram chlamidis Saulis latenter abscidit, cumq; Abisai volentem interficere in castris dormientem Saulem, his verbis repressit: Ne interficias eum. Cui consonat quod in tertio post hunc Psalmo orat Propheta, ne occidas eos. Alij his verbis significari intelligunt Prophetam orasse pro se his Psalmis Deum, ne ipsum perdi sineret ab hostibus suis.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Miserere mei Deus, miserere mei, quoniã in te confidit anima mea.*
2 Sub vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.
3 Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.
4 Misit de cœlo, & liberauit me, dedit in opprobriũ conculcantes me.*
5 Misit Deus misericordiã

MIserere mei ô Deus, miserere mei, ita enim congruum est vt facias, *quoniam in tua solius misericordia ac potentia confidit anima mea. Ps. 56.
2 Nec desinam in protectione tua quasi in vmbra alarum, quibus infirmi pulli defenduntur à vi rapacium animalium sperare, quoad defecerit iniquitas inimicorum meorum. Nam tua custodia destitutus non secus paterem rapacium ferarum violentiæ, quàm infirmi pulli, destituti protectione maternarum alarum.
3 Iugiter itaque ardenti affectu inuocabo Deum, Deum inquam, qui & altissimus est,* & mihi iam aliquoties benefecit: ob quæ duo merito cum omni fiducia illum semper inuocare debeo.
4 Me autem ipsum inuocante, certo certius confido, quod vt iam aliquoties fecit, mittet è cœlo auxilium mihi, & liberabit me de manu hostium meorum, * & opprobrio afficiet eos, qui me obterere conantur, quos suo frustrabitur conatu. a
5 Non dubito, quin misericordiam suam, & in seruandis promissis suis fide

suam & veritatem suam, et eripuit animam meam de medio catulorũ leonũ, dormiui conturbatus.*
6 Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ,
** & lingua eorum gladius acutus.*
*7 Exaltare super cœlos Deus, * & super omnem terram gloria tua.*
8 Laqueum parauerunt pedibus meis, † & incuruauerunt animam meam.*
9 Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.*
10 Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum, cantabo, et psalmum dicam Domino.*
11 Exurge gloria mea,
** exurge psalterium & cithara,* exurgam diluculo.*
12 Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.*
13 Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua.*
14 Exaltare super cœlos Deus, super omnem terram gloria tua.*

fidelitatem, Deus in me declarabit: allato mihi cœlitus auxilio, & eripiet me ab hostibus in modum catulorum leonum ferocissimis, qui me per circuitum obsident,* inter quos sanè cum magna animi conturbatione dormiui, præ nimio timore plenam requiem nunquam habens.
6 Homines quidem sunt, quos dixi leonum catulos, ad omnem humanitatem & mansuetudinem à Deo conditi: toti tamen contra me sunt efferati, vt dentes eorum non iam sint quasi dentes canum, aut aprorũ, sed instar sagittarum, aut similium quorumcunque armorum:* linguáque eorum, sit velut acutissimus gladius, acutie sua facilè penetrans, multúmque lædens. Suis enim calumniis, detractionibus atque consiliis impiis, quę dentibus & linguis suis loquuntur, tanquam gladiis quibusque & lanceis me transfodere & perdere conantur.
7 Tu verò, ô Deus, fac declaratione tuæ potentiæ, vt sublimis ac super cœlestis ab omnibus agnoscaris: ostende te Dominum cœlorum* & gloriam potentiæ ac iustitiæ tuæ declara per vniuersam terram. Id quod maximè fiet, si innocentes liberes de manu opprimentium eos.
8 Hostes mei passim mihi insidias tanquam laqueos disposuerunt, vt me caperent,* conatíque sunt me suis insidiis captum deprimere, & in mortem pertrahere, quomodo captam venatores feram laqueo suo incuruant, & deprimunt. † Suis etiam persecutionibus molestis iam animam meam multum depressérunt & humiliauerunt.
9 Latenter mihi exitium parauerunt, in quod incautus inciderem: veluti si quis in alterius perniciem foueam effodiat in via, per quã iturus esset.* verùm Deo me edocente, certò futurum præuideo, vt in eãdem perniciem incidant, quam mihi parauerunt: nec secus illis euenturum, quàm solet plerumque venatoribus, qui dum sedulo nimis capiẽdis feris inhiant, in eandem incidant improuisò foueam, quã illis effoderunt.
10 Propter quod paratum est cor meum ó Deus ad laudandum te: paratum est, inquam, cor meum,* ad laudem nominis tui, cãtabo, & hymnos proferam.
11 Dicam animæ meæ: O anima mea, quæ decus meum es & gloria, discusso torporis somno expergiscere: tẽque prompté & alacriter ad laudandum Deum excita: à cuius laudibus iamdudum, prementibus tribulationibus siluisti,* & quo laus sit plenior, vos quoque psalterium, & cithara, reliquáque musica instrumenta, quæ otiosa & neglecta iamdiu iacuistis, iam in manus meas venite, atque è vobis modulationem edite,* summo certè mane exurgam è lecto quietis meę, vt ante etiam exortam diem, ante omnia mea negotia, tempore ad id conuenientissimo te laudem alacriter.
12 Palam te laudabo Domine in frequentia multorum populorum, * hymnos in honorem tuum cantabo coram variis gentibus.
13 Tam est enim grandis misericordia tua, vt vsque ad cœlos ipsos pertingat,* & tua in seruandis promissis fidelitas tanta est, vt vsque ad nubes perueniat. Vtraque enim hæc, terrestria simul & cœlestia obtinet atque in eis vbique respersa est. Vtraque adeo sublimis & excelsa est, vt à nobis comprehendi nequeat.
14 Iterum atque iterum te precor, vt teipsum cœli dominum ostendas, tẽque omnibus altiorem esse declares.* & gloriam tuam demonstres in vniuersa terra. Quod cum quidem semper facias, quando innocentes ab impiorum oppressione liberas: tunc tamen perfectissimè perficies, cùm euangelio per mundum diuulgato tuæque bonitatis, misericordiæ ac iustitiæ gloria palam declarata fuerit, idolísque omnibus abolitis, solus per vniuersam terram Deus agnosceris.

PARAPHRASIS

a MISIT DEVS MISERICORDIAM.] Propter verba hæc præteriti temporis intelligunt plerique prophetam hoc Psalmo partim precari, quoniam nondum perfectè liberatus fuit ab omnibus periculis: partim gloriari, & gratias agere de præstita sibi ope Dei, ne scilicet vsque in illud temporis incideret in manus Saulis. Verùm conuenientius apparet verba hæc præteriti temporis
b exponere per futurum, quoniã Hebræa in his duobus versibus habent verba futuri temporis. Atque hanc interpretationem sequitur & argumentum & paraphrasis. Secundum sensum tamen mysticum, quo vnicuique fideli, aut toti ecclesiæ Psalmus accommodaretur, bene quadraret seruata ratio temporis præteriti, vt hoc Psalmo partim precetur ecclesia liberari de instantibus semper periculis: partim agnoscat beneficium redemptionis, per Christum iam exhibitum.

In finem

In finem,ne disperdas Dauid in tituli inscriptione.

ARGVMENTVM PSALMI LVII.

INuectiua est hic Psalmus in Saul,& maximè in assentatores, quorum inueteratam ab infantia & pertinacem malitiam prius describens,deinde sub variis similitudinibus pulchrè celerem vltionem ipsorum prædicit eorumq; vltione iustos mirè exhilarandos,Deiq; iustitiam agnoscendam canit. Sub horum autem typo, simul etiam hostium Christi & iustorum deplorata malitia depingitur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Si verè vtique iustitiam loquimini,* rectè iudicate filij hominum.*

OVos filij hominum,ratione ad discernendum à Deo præditi, quibus etiam prouincia rectè iudicandi mandata est, si certè, quemadmodum ex vestro officio debetis, & sicut vos facere gloriamini,verè iustitiam loquimini,quæque iusta sunt pronuntiatis:* in hoc meo negotio,quæ recta & iusta sunt iudicate.Inuenietis certè me innocentem esse,& præter meritum à vobis persecutionem pati ad mortem. *Psal.57.* a

2 *Etenim in corde iniquitates operamini in terra,*

* *iniustitias manus vestræ concinant.*

2 Verùm nihil minus facitis, quàm vt iustitiam loquamini, aut quæ iusta sunt iudicetis. Nam vos immemores vestri officij in hac terra,in qua potestatem nacti estis & cui toti dediti estis, omnem cogitationem insumitis in hoc, vt quæ prauа & iniqua sunt designetis,* ac deinde quas cogitastis designare iniustitias, executrices manus vestræ tã aptè componunt & perficiunt, vt quamuis vestram iniquitatem pro æquitate venditetis. b

3 *Alienati sunt peccatores a vtero.*

* *errauerunt ab vtero,locuti sunt falsa.*

3 Nec mirum sanè,si tam sint hi peccatores impij, quandoquidem à tempore, quo primùm editi fuerunt in lucem ab ipsa infantia, semper alienati sunt à Deo, iugiter in iniquitatibus proficientes,* ab egressu ex vtero matris semper aberrauerunt ab eo quod rectum est, à prima semper ætate locuti sunt mendacia ad oppressionem innocentium. c

4 *Furor illis secundum similitudinem serpentis,*

* *sicut aspidis surdæ,& obturantis aures suas.*

4 Talis est illis in innocentes concepta ira, qualis est furor venenati alicuius serpentis furor scilicet implacabilis: quem non prius serpens deponit, quàm suum venenum effuderit* immo similis est furor eorum furori nocentissimi & crudelissimi serpentis, aspidis scilicet, quæ seipsam surdam facit obturando aures suas,dum quibusdam coniecturis præsentit adesse eos qui suis carminibus & incantationibus serpentes cogere & conantur,& solent,vt virus ponant,& mansuescant.

5 *Quæ non exaudiet vocẽ incantantium.*

*& *venefici incantantis sapienter.*

5 Quæ quidem sic obturans aures suas,non iam audiet voces incantantium eam,* nec carmina malefici, quantumuis etiam secundum suam artem magicam sapienter incantantis, audiet, vt propterea virus suum deponere cogatur.Ita enim & illi aures suas obturãt,vt nullis verborum blanditiis, nullisque exhortationibus, quantumuis sapientibus & salubribus,reuocari à concepta ira valeant,& furore depositо in man suetudinem redigi.

6 *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum,*

* *molas leonum confringet Dominus.*

6 Verùm propter hanc inolitam & obstinatam ipsorum malitiam, Deus aliquando graui & ignominiosa plaga inflicta,ita vim & ferociam istorum,qui innocentes quasi dentibus suis lædere & discerpere conãtur,reprimet & franget,vt nihil amplius contra eos valeant:* molares dentes,atque ad conterendum innoxios,potestatem eorum qui sua crudelitate leonibus similes magis sunt,quam hominibus, Dominus suo tempore planè conteret, omnem nocendi facultatem illis adimens.

7 *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens,*

* *intendit arcum suum donec infirmentur.*

7 Sicut aqua fluminis velociter decurrens, & pertransiens non iam amplius apparet: & quomodo aqua è cœlo diffluens, & in terram dispersa, ab ea absorbetur, nec amplius inuenitur:ita & ipsi velociter cum labili sua potestate ac prosperitate,hinc auferentur,& quasi in nihilum redacti non amplius apparebunt,* intendet contra eos omnipotens Deus arcum suum,vltricem suam potentiam in eos parabit, & exercebit,iaculans in eos dira tela, mortis scilicet tum corporalis, tum æternæ supplicia, donec omnibus suis, quas nunc habent viribus destituantur. d e

8 *Sicut cera quæ fluit auferentur,* super cecidit ignis,& non viderunt solem.*

8 Sicut cera igni admota statim fluit & liquescit,ita & ipsi subitò hinc auferentur,*è cœlo enim irruet super eos ignis diuinæ vltionis,quo facto,iam amplius non videbunt cum reliquis mortalibus solem hũc corporalem,& multo minus videbunt cum sanctis in futura vita solem spiritualem semper lucentem, sed in sempiternas deijcientur tenebras mortis & inferni.

9 *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum,* sicut uiuentes sic in ira absorbet eos.*

9 Istud autem, ô impii, continget, priusquam spinæ vestræ tenuiores f assecutæ

assecutæ sint modum rhamni,ac magnarum spinarum,priusquam concepta à vobis malitia in effectum deducatur,& antequam pungendi vires in vobis adolescant,atq; in immensum crescãt.*Dominus enim velut iratus eos totos subitò de vita abripiet& absorbebit,velut si viuẽtes terra dehiscente absorberi faceret.Nam in flore adhuc ætatis, immatura eos morte hinc auferet,ac tandem secundum corpus & animam viuos inferno absorbendos dabit.

10 *Lætabitur iustus cũ uiderit uindictam.*

* †*manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

10 Iustus,cùm viderit hanc iustam Dei vltionem,lætabitur,tũ quòd per eam innocentes liberati sint à violenta oppressione, tum maximè & cedat in Dei gloriam,& iustitiæ eius declarationem,*manus,pedesque suos lauabit in sanguine peccatoris.Nam de vltione & morte impij ita gaudebit,quemadmodum solent victores sanguinem hostium insultantes & gaudentes conculcare,& in eo manus suas tingere.†Ex consideratione quoq; vltionis sumptæ de impio,magis actiones suas omnes mundare curabit,eruditus pœna peccatoris ad salutem.

11 *Et dicet homo,si utique est fructus iusto?*

* *utique est Deus iudicans eos in terra.*

11 Et dicet vnusquisque qui viderit: An certè iusto est aliquis fructus & vtilitas?Ita sane,inquiet,*nam Deus iustos suos est iudicans in terra,nõ sinens eos semper impiorum violentia opprimi.

ANNOTATIONES.

a SI VERE VTIQVE.]Pleriq; Latini libri habent,rectè iudicate.Et tunc conueniens sensus hic erit:O filij hominum, recto iudicio apud vos diiudicate,an verè loquimini iustitiã. Cui sensui iã rectè subiungeretur versus sequẽs.Verùm ex Græcis & Hebræis patet legẽdũ esse, recta,accusatiuus pluralis,quemadmodũ & habent pleriq; Latinorum codices.Græca enim habent ἐυθίας.Apud Hebræos aũt totus hic versus interrogatiuè legitur in hunc modũ:An verè vtique iustitiã loquimini? an recta iudicatis filij hominũ?Et sic etiam verti ex Græco potuisset,vt,ἐι, si, accipiatur interrogatiue. Nam κρίνετε, quod noster vertit,iudicate,per imperatiuum modum,etiã verti potuisset per indicatiuum modum,iudicatis,est enim etiã indicatiui modi.Et sic vertendum fuisse Hebræa satis declarant, quamuis alioqui nostra litera conueniẽtem habet sensum,nisi φ versus sequens crude iam cohæret cum isto,nisi aliquid subintelligatur.

b MANVS VESTRÆ.]Concinnare,non est hic solũ perficere ipso opere,vt plerique accipiũt: sed ita apertè disponere,vt iniquitates speciem iustitiæ habeãt.Hebręa enim habent:iustitiã manuum vestrarum ponderabitis,hoc est,quasi iusta statera libratam venditatis.

c ERRAVERVNT,&c.]Per tropũ istud accipi debet,quomodo dicimus:à cunis inter aliquos fuisse amicitiã.Quidam tñ intelligunt dictum esse, ab vtero peccatores errasse, propter originale peccatum. Verùm eius considerationе non solum ab vtero,sed etiam in vtero omnes peccauerunt.

d AD NIHILVM,&c.]Vetus lectio,qua vsi sunt D.Hilarius & Augustinus,habet: Spernentur tanquam aqua decurrens.Nã dictio Græca ἐξουδενωθήσονται,significat etiã pro nihilo ducere & spernere. In quẽ sensum & nostra lectio accipi posset,vt sit sensus.Pro nihilo reputabũtur:sicut aqua fortuitò ab aliquo effusa,& dispersa. At in paraphrasi aliũ secuti sumus sensum,iuxta quẽ Græca dictio accipitur pro annihilabuntur,quia dictio Hebræa significat dissolui & colliquescere.

e INTENDIT ARCVM,&c.]Intelligũt aliqui, quod dicitur Deus intendisse arcum, Deũ iam ad vindicandum esse paratum.Verùm Græca habent verbum futuri temporis ἐντενεῖ,intendet,vt intelligamus Deum intensurum arcũ suum,& iaculaturum in eos in die vltionis.Proinde vel legendũ est, intendet,quomodo legit D.Hilarius,vel præteritũ accipiendum pro futuro,vt frequenter.

f PRIVS QVAM,&c.] Vel coniungendum est istud cũ superioribus,sicut habet paraphrasis,post Euthymium:aut si cũ sequentibus legatur,oportet intelligere subitò more Prophetico,personæ mutatione,& dictũ esse,absorbet,vel absorbebit vos, Quamuis autẽ pleriq; libri habeant, sicut viuẽtes sic in ira:rectius tamen,vt patet ex vtraq; lingua,legitur,sicut viuentes,sicut in ira. Vtrobiq; eñ Græca habent ὡσεὶ,sicut D.Augustinus legit:tanquam viuentes,tanquam in ira combibit eos.

g MANVS SVAS.]Communiter quidem istud intelligitur,vt significetur iustus actiones suas mũ daturus ex consideratione vindictæ de impio sumptr.Hebræa autẽ habent:Pedes suos lauabit,&c. Quod quamuis in eodem sensu accipi possit,tamẽ secundu modum loquendi,quem habet Propheta psalmo 67.cum dicit:dixit Dominus ex Basan conuertam,&c.vt intingatur pes tuus in sanguine,&c. potius videtur sic accipiendũ, vt hac parte significet propheta tropice gaudium iustorum,sicut parte versus prima,metaphora desumpta à victoribus qui pedes suos tingere solent in sanguine victorũ. Et ad hunc sensum etiam redigi potest commode nostra litera.Hic autem sensus rectè conuenit ad declarandum generalem illam iustorum lætitiam, qua gaudebunt in nouissimo die de generali impiorum vltione.

h ET DICET.]Iuxta sensum paraphrasis,prior pars huius versus accipitur,vt sit interrogatio, ad quam sequenti parte respondeatur. Euthymius tamen intelligit sine interrogatione,vt sit argumentatio hunc habens sensum:Dicet homo,si hoc est, quia est fructus iusto,vt est manifestũ ex eo φ propter iustitiam suam liberatur ab impiorũ oppressione:certè manifestũ euadit,Deum esse,eumq; iudicare,quæ in terris aguntur,& nõ negligere mortalia,sicuti impij sibi persuadent.Atque hic sensus magis accedit Hebræis, quę non habent, Si,sed tãtum,vtique est fructus iusto,&c.

In finem ne disperdas Dauid,in tituli inscriptione, quando misit Saul,& Custodiuit domum eius vt interficerent eum.

ARGVMENTVM PSALMI LVIII.

OCcasione eius discriminis, in quo fuit David cùm Saul domum eius obsideri fecerat, ut comprehensum eum mane interficeret, sicut legitur 1. Reg. 19. hoc Psalmo opem Dei contra persequentes se implorat, quàm ut impetret suã iã innocentiam, illorumq; impium ad capiendum se studium & iniqua consilia memorat: tum se diuina misericordia custodiendum, illorumq; uanos fore conatus & ultionem prædicit, precatus Deum ne omnes suos hostes subitò interimat, sed in memoriam, eos potius dispergat & humiliet, ac tandem gratiarum actionem & laudem Deo pro præstanda sibi ope promittens. In his autem omnibus Christi typum animaduertere necesse est. Nam satellites missi à Saule ad obsidendũ domum Dauid, & capiendum eam, figuram prætulere eorum qui à Iudæorum consilio missi fuere siue ad capiendum Christum Dominum, siue, ut magis plerisq; placet, ad custodiendum sepulchrum Dominicè quo tamen clauso, nihil proficiente militum custodia, egressus est. Iudæorum itaque Christi hostium non tale exterminium, sed dispersio per uniuersum orbem, quam eos nunc in magna pati miseria & inopia uidemus, hic à Christo prædicitur, & petitur ut sint populo fideli in memoriam eius facinoris, quod in Christum commiserunt.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Eripe me de inimicis meis Deus meus,* * *& ab insurgẽtibus in me libera me.*

2 *Eripe me de operantibus iniquitatem, & de uiris sanguinum salua me.*

3 *Quia ecce ceperunt animam meam,* **irruerũt in me fortes.*

4 *Neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum domine,*
* *sine iniquitate cucurri & direxi.*

5 *Exurge in occursum meũ & uide,*
**& tu Domine Deus uirtutum, Deus Israel.*

6 *Intende ad uisitandas omnes gentes,* * *non misereris omnibus qui operantur iniquitatem.*

7 *Conuertentur ad uesperã, & famem patientur ut canes,* **& circuibunt ciuitatẽ*

8 *Ecce loquentur in ore suo & gladius in labijs eorum,* **quoniam quis audiuit?*

9 *Et tu Domine deridebis eos,*
* † *ad nihilum deduces omnes gentes.*

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam,*
**quia Deus susceptor meus Deus meus, misericordia eius præueniet me.*

11 *Deus ostendet mihi super inimicos meos,*
**ne occidas eos,*
* *nequando obliuiscantur populi mei.*

PSAL. 58.

OMi Deus, cui soli seruio, à quo totus pendeo, eripe me ab inimicis meis, & ab his qui insurgunt contra me, libera quæso me.

2 Eripe me ab hominibus iniquitati deditis, & de viris sanguinariis saluum me fac.

a 3 Ita enim te facere mihi conuenit, quoniam ecce tanquam rabidi venatores conati sunt me suis insidiis capere, *& qui tam sunt viribus potẽtes, vt eis per meipsum resistere nõ possim, magno numero, magnóq; impetu venerunt contra me, vt me prosternant & obruant.

4 Neque tamen, ó Domine, licut tu ipse nosti, iniquitas mea, aut peccatum meum in causa est, ob quã me persequãtur ad mortem. *ego enim sine iniquitate cum eis cõuersatus sum, omnésq; meas actiones rectas facere conatus sum.

5 Tu itaque Domine, innocentiæ meæ testis, ne quæso quasi dormiẽti similis sinas illos mihi prævalere, sed mihi te quærenti, & ad te confugienti, ad succurrendum præsentem exhibe, declara te videre illorum vesaniam, meámq; innocentiam. *Et tu domine, quum sis Deus imperium habens in omnes exercitus, & sis Deus populi Israelitici,

6 Ne semper sinas tuos ab impiis diuexari, sed animum tuũ adhibe ad visitandum digna tua vltione, non tantum inimicos meos, sed & omnes gentes tui populi hostes. *Nõ miserearis omnibus qui ex proposito firmo addicti sunt iniquitati, & obdurati sunt in malitia, sed ad gloriã nominis tui, pro salute tuorum, iustam de eis sume vltionem.

7 Inimici illi mei ad me capiendum & obseruandum missi, ibant & redibant sub vesperam, & tanquam famelici canes auidè me deuorare cupiuerunt, *& circumibant ciuitatem, huc illucq; discursantes, & obseruantes ne qua elaberer.

8 Res mira profectò, ore suo contra me loquebantur inter se inuicẽ in labiis eorum semper sonabant verba de me, necãdo & perdẽdo. *Ideo autem talia verba inter sese liberè effutiebant, quoniam, inquiebãt, nemo est qui nos audiat. Dum enim nullum hominem suos sermones audire putabant, prorsus à nemine eos agnosci rebantur, eo q̃ Dei ratio nulla apud eos esset.

9 Verũ tu Domine te erga illos habebis more irridentis. Eorum enim conatus facillimè irritos facies, ficque ridendos eos omnibus expones: *nec hos tantum meos inimicos, sed & omnes gentes populo tuo pertinaciter infestas, tu pro nihilo reputabis, spernens omnem earum potestatem. †Ipsáq; omnes suis conatibus & consiliis contra populũ tuum, rediges in nihilum, votis ipsorum eos frustrans, omnémq; illis nocendi potestatem adimens,

10 Et quidem, mi Domine, meam fortitudinẽ, qua fortior esse possem inimicis meis, ego non in meipso reponam, qui me viribus longè inferiorem eis agnosco, sed omnem meam fortitudinem apud te reponam repositámq; apud te custodiã, per te mihi semper contra eos robur sufficiens promittens. * Tu enim Deus & defensor meus, Deus meus, in quem vnicè confido, talis es, vt eius misericordiam non dubitẽ me præuenturam. Sua enim gratia anteuertet preces meas, ad precandum se cor meum excitans, & antequam eum inuocem, opem suam mihi exhibens. Sua item gratia, quocũque me vertero, præsens mihi aderit, ac vltrò sese offeret.

11 Is ipse Deus videre me faciet in inimicis meis optatam ad gloriam eius vltionem. *Te tamẽ precor mi Domine, ne eos omnes subito occidas, *ne vltio inimicorum meorũ penitus veniat populo meo in operę pretium quam ad iustitiæ tuæ cognitionem & reuerentiam diu oblitionem est populum meum in mente habere.

b

c

12 *Disperge illos in uirtute tua,* **& depone eos protector meus domine.*

13 *Delictum oris eorũ sermonem labiorum ipsorum,* **& comprehendantur in superbia sua.*

14 *Et de execratione & mendacio annunciabuntur* * *in consummatione, in ira consummationis, & nõ erũt.*

15 *Et scient quia Deus dominatur Iacob, & finium terræ.*

16 *Conuertentur ad uesperam, & famem patientur, ut canes, & circuibunt ciuitatem.*

17 *Ipsi dispergentur ad mãducãdum,* *si uerò nõ fuerint saturati, & murmurabunt.*

18 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam,* **& exultabo mane misericordiam tuam.*

19 *Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.*

20 *Adiutor meus tibi psallã, quia Deus susceptor meus es,* **Deus meus misericordia mea.*

12 Propter quod potius per tuam fortitudinem vagari eos coge de loco in locum, *& de sua superbia ac dignitatis gradu detractos deprime quæso Domine, qui protector meus es.

13 Istud quæso eis fac propter delictum oris eorum, impiumq; sermonem labiorum ipsorum, *& fac vt per superbiam verborum suorũ ipsimet capiantur, atq; in perditionis laqueum incidant, quo alios se comprehensuros gloriati sunt. d

14 In hac autem ipsorũ destructione & perditione, fabula & sermo omnibus erunt, propter suam blasphemiam & maledicentiam, quã in innocentem euomuere, & mendacium quod cõtra eum protulerunt: Tunc inquam, sermo fiet apud omnes de blasphemia & mẽdaciis eorũ, cùm veniet super eos vltio diuina, consumens & perdens eos, ita vt iam amplius non sint, sublati scilicet per mortem à viuorum consortio, aut inter viuentes ita dispersi, vt iam non amplius esse videantur.

15 Id vbi factum fuerit, tum & ipsi, & omnes homines ex declarata Dei potentia & iustitia cognoscent, quod Deus imperium habeat in populo Israelitico, & in omnibus finibus terræ. e

16 Inimici mei, qui, vt dixi, iam reuersantur nocte, & discursant canum instar, vt me capiant aliquando, rursum discursare miserè cogẽtur, non vt me capiant, sed vt panem sibi comparent, propter quem quærẽdum ire & redire sub vesperam cogentur, & canũ more præ inopia nimiã fame patientur, & circuibunt ciuitatem. f

17 Ipsi vagari cogentur de loco in locum, vt comparent victum sibi, *& quia non inuenient famelici quo saturentur, etiam murmurabunt præ animi impatientia.

18 Ego autem tua benignitate & potentia liberatus ab eorum violẽtia, cantabo tuam fortitudinem, *& summo mane cum exultatione cantabo tuam benignitatem: fortitudinem quidem, qua tyrannos opprimis: benignitatem autem, qua subleuas tibi addictos. g

19 Cantabo, inquam, tuam misericordiã ob id, quoniã tẽpore afflictionis meæ tu factus es defensor meus, ac refugiũ ad quod tuto confugi.

20 Adiutor meus tu es, atq; ob id tibi psallam, quoniam Deus defensor meus es tu. *Deus meus ipse est misericordia mea: ipse solus est, qui mei miseretur, quemq; solum vt mihi misereatur inuoco.

ANNOTATIONES.

a ECCE CEPERVNT.] Hebræa habẽt, insidiati sunt. Græca ἐθηρεῦσαν à θηρίευω, quod propriè venati vel captare significat. Vnde verbum, ceperũt, hic accipi debet pro suo frequentatiuo, captarunt.

b DEVS OSTENDIT.] Sicut Hebræa habẽt futurum, ita & Græca, δείξει μοὶ ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου, hoc est demõstrabit mihi in inimicis meis. Proinde vel legendum est, ostendet, vel præteritum per futurũ exponendum.

c OBLIVISCANTVR, &c.] Græci nescio quid secuti habent, nequando obliuiscantur legis tuæ, νόμου σου, & sic etiam Psalterium Romanũ & vetus. Proinde Latina hic sunt emendatiora, quàm Græca. Tractat hunc locũ D. Augustinus epistola 54.

d DELICTVM, &c.] Græca habent accusatiuos hos in nominatiuo: Delictum oris eorũ, sermo labiorũ ipsorũ. Interpres accusatiuos vertit, vt subaudiatur præpositio, propter, quam & alij ex Hebræo interpretes subaudiunt.

e SCIENT QVIA, &c.] Sicut & Hebræa habẽt præsens tẽpus, ita & Græca, δεσπόζει, hoc est, dominatur. Et sic habent antiqua quædam nostra, vnde meritò existimanda est hæc vera esse lectio, quę cõuenientiorem habet sensum.

CONVERTENTVR. &c.] Versus iste repetitus hic à plerisq; eodẽ modo accipitur, quo primo loco, vt significetur studium & conatus satellitũ, qui missi sunt ad custodiendum Dauidem, vel Christũ. Et tunc secundum eundem sensum etiam intelligi potest versus sequens, vt sit sensus: Ipsi diuagabuntur ad me deuorandum, & quia frustrabuntur suo voto, ideo murmurabunt. Aliis magis placet his duobus versibus significari vindictam hostiũ Dauidis & Christi, q̃ scilicet qui prius circuibãt & vagabantur ad capiendum innocentem, Dei vltione cogentur vagari ex inopia victus, qualem vltionẽ etiam inimicis suis imprecatur Christus alio Psalmo: Nutantes fiant filij eius, & mendicent, &c.

ET EXVLTABO.] Latini codices fere omnes habent: & exaltabo. Verùm ex Græcis & Hebræis satis patet vitium esse scriptoris, qui putabat ineptam esse orationẽ, exultabo misericordiam, cùm hoc eodem modo dictum sit, sicut prius: & exultabit lingua mea iustitiam tuam. Græca enim hic habent idem verbum quod ibi, nempe ἀγαλλιάσομαι. Exultabo etiam habent multa nostra exemplaria, sicut & Augustinus habet & Hilarius. g

In finem pro his qui commutabuntur, in tituli inscriptione Dauid in doctrinam, quum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Syriã Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Ædom in valle Salinarum 12. millia.

ARGVMENTVM PSALMI LIX.

PRæsentem Psalmũ, ut ex titulo satis patet, ædidit Propheta, cùm iam in regem totius Israelitici populi electus, deuictis Philistæis, Moabitis, atq; Syris, Idumæos expugnare, sibiq; subijcere pararet, de quibus scribitur 2. Regum. 8. & 1. Paralip. 18. Itaque primùm memorat quo modo olim iratus Deus populum suum hostibus permiserit, rursum tamen benignè illis opem ferens liberauerit. Deinde nominatim narrat regni Israelitici latitudinẽ & potentiam, cui & Moabitæ & Philistæi iam subiecti erant: indeq; colligit se eodem Deo fretum, eti im de Idumæis victoriam relaturum. In Dauide autẽ omnes finitimos imperio suo adeo fœliciter subijciente, Christi typus deliniatus est, qui post multam ecclesiæ afflictionem & coarctionem, omnes primum gentes hoc Psalmo, secundum mysticum sensum, sibi subiectas per Euangelij prædicationẽ gloriatur, ac deinde per eandem etiam Israeliticum populum per Idumæos designatum, sibi subiugandum in fine mundi prædicit. Nam & Isaiæ 63. per Aedom, Iudaicus populus significatur: quia iam uerus Israel esse desiit, & Aedom, hoc est, rubicundus factus est, ob effusum sanguinem Christi, Prophetarum, & Apostolorum. Discimus autem ex hoc Psalmo, Dauidis exemplo in periculis animum roborandum ex consideratione promissionum Dei, & priorum beneficiorum eius.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Deus repulisti nos, & destruxisti nos: *iratus es, * & misertus es nobis.*

SVperioribus, ô Deus, temporibus, peccatis nostris prouocatus auxilio tuo nos destitueras, & hostibus nos tradens disperdi permisisti, *iratus eras nobis propter peccata patrum nostrorum, *at mox rursum misertus es nobis, liberans nos de manu hostium nostrorum. *Psal. 59.* a

*2 Commouisti terram, & conturbasti eam, *sana contritiones eius, quia commota est.*

2 Propter inimicos nostros, qui undiq; nos oppugnare solent, & adhuc oppugnant, magno timore, grauiq; oppressione concussisti & conturbasti inhabitatores terræ nostræ, quasi eam graui terræ motu cõmouisses. *Verùm iam tandem, vt per me cœpisti, perfectè medere malis istis terræ nostræ. Est enim iam longo tempore ad ruinam commota, & inclinata ad destructionem.

*3 Ostendisti populo tuo dura, *potasti nos uino cõpunctionis.*

3 Feci sti populum tuũ videre & experiri grauia, *potasti nos vino, non eo quod exhilaret, sed qp me stissimos faciebat. Feci sti enim nos degustare amarissimas tribulationes, graui dolore corda nostra vulnerantes, ac ita consopientes, vt, omnium rerum nostrarum incerti, quid agẽdum nobis esset non videremus.

*4 † Dedisti metuentibus te significationem, *ut fugiant à facie arcus.*

4 Verùm iam tandem dedisti populo tuo te metuenti & colenti significationem, & admonuisti, *vt fugeret hostilem arcum. †me enim in regem super populum tuum vnxisti, & quasi in signum aliquod erexisti, vt hoc signo admoniti fugiant arcum, omnémq; armorum vim, qua eos hostes insequuntur, & ad istud signum à te erectum fugitiui cõgregentur, ad redintegrandum regnum tuum.

*5 Vt liberentur dilecti tui, * saluum fac dextera tua & ex audi me.*

5 Proinde vt per me ab hostibus omnibus suis liberentur hi, quos tu peculiariter diligis, *tua quæso potẽtia me semper salua, & exaudi preces meas.

*6 Deus locutus est † in sancto suo: *Lætabor & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.*

6 Id certè me obtenturum certò confido. Nam Deus per spiritũ suum sanctum, †pérque suam sanctitatem quæ mentiri nequit, cùm tantũ regnum obtinerẽ super Iudam, promisit mihi olim, * quod gaudisurus essem in amplitudine & gloria regni, quodq; tanquam verus Dominus diuisurus essem pro meo arbitratu Sichimam, & dimensurus tanquã meã hæreditatem, vallem Succoth, hoc est tabernaculorum, in qua post Saulem in regem constitutus erat filius eius.

*7 Meus est Galaad, & meus est Manasses, * & Ephraim † fortitudo capitis mei.*

7 Atque id quidem iam re ipsa compleuit. Iam enim mea est terra Galaad, & Manasse terra, scilicet quæ trans Iordanẽ Israelitico populo cõtigit, *Iam populus Ephraim, vtpote tribus numerosior & potẽtior aliis, est præcipuum robur principatus mei, †ac fortitudo, qua in bellis à capitis perculo defendor.

*8 Iuda rex meus, *Moab olla spei meæ.*

8 Tribus Iuda ipsa est, in qua & primum & principaliter mihi regnum vsurpo, sicut & huic tribui regia dignitas à patriarcha Iacob promissa est, *nec tantum tribus Israel meum agnoscit imperium, sed & externę nationes. Moabitæ mihi sunt quasi olla aliqua, in quam speré. Ita enim mihi seruiliter & humiliter subiecti sunt ad ministrandũ, quomodo lebes ad lauandum deputata. Ex eis quoque, tanquam ex olla plena, haurire mihi quantum desidero licet, vt quæ sit mihi perfectè iam subiecta. b

*9 In Idumæam extendã calceamentum meum, * mihi alienigenæ subditi sunt.*

9 Certóque confido, quod & in Idumæam proferam calceamentum meum, eámq; terram meæ seruituri perfectè subiiciam, * quẽadmodũ & Philistæi iam mihi subiecti sunt.

10 Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me usque Idumæam?

10 Verùm quis me perducet vsq; in ciuitatem munitam Idumæorum? quis, inquam, me perducet vsque in Idumæam?

*11 Nonne tu Deus, qui repulisti nos, * & non egredieris Deus in uirtutibus nostris.*

11 Nónne solus tu Deus id mihi præstare poteris, qui auxilio tuo & fauore longo nos tempore destituisti: * & non egrediebaris ô Deus cum exercitibus nostris ad prælia? Certè per te solum id assequi potero, per cuius solius derelictionẽ hactenus inimicis nostris inferiores fuimus.

12 Tu

*12 Da nobis auxilium de tribulatione, * quia uana salus hominis.*

12 Tu itaque fer nobis auxilium ad pellendam hanc tribulationẽ, quã ab hostibus nostris in circuitu diu perpessi sumus. *vana est enim salus quæ expectatur ab homine.

*13 In Deo facimus uirtutẽ, * & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

13 Per Dei Auxilium, nos qui alioqui ex nobis infirmi sumus, designabimus fortia: * & ipse Dominus sua infinita & insuperabili potestate oẽs qui opprimere nos conãtur, vel conabũtur, in nihilũ frediget omnibúsque suis viribus exutos disperdet, vt contra nos nihil amplius valeant. d

ANNOTATIONES.

PLerique hunc Psalmum existimant à Dauide compositum, cùm in Ammonitas bellũ pararet, & Rabath ciuitatem Ammonitarum, esse eam ciuitatem, de qua in fine Psalmi: Quis deducet me in ciuitatem munitam? Verùm titulus contrarium conuincit, quandoquidem ex eo patet compositũ fuisse tunc, cũ ea bella pugnaret Dauid quæ describũtur 2. Reg. 18. post quæ lõgo tẽpore primũ cum Ammonitis pugnauit. Idẽ satis patet ex eo quod in eodem versu sequitur: Quis deducet me in Idumæam? Id aũt plerisq; imponere posset, qđ 2. Reg. 8. nulla fiat mentio Syriæ Mesopotamiæ, cuius tamen fit mentio 1. Paralipo. 19. cũ describitur pugna cõtra Ammonitas. Verùm fieri potest, vt pro eo quod 2. Reg. 8. dicitur Syria Damasci, hic Syria Mesopotamiæ posita sit: non quod eadem sit, sed quod idem regnauerit in Damasco, & in Mesopotamia. Caput enim Syriæ Damascus. a

DEVS REPVLISTI NOS, &c.] Quod dicit hic Deum repulisse eos, referri potest vel ad tẽpora Iudicum, vel ad proximiora tempora Saulis. Eo enim regnãte, Philistiim dominabantur multum Israeli, eóq; occiso magis se dominaturos speraurant. In mystico aũt sensu quatuor primi versus duobus modis exponi possunt. Primũ, vt Christus vel ecclesia loqui intelligatur de derelictione gẽtium ante aduentum Christi, & de commotione salubri omnium gentium, qua per euangelicam prædicationem commotæ sunt ad pœnitentiam, dum grauia illa quæ uentura sunt super impios in die iudicij, illis sunt ostensa, & poratæ vino salubris cõtritionis: data tamẽ illis significatio vt fugerent arcũ Dei, hoc est, diuinã vltionem, quam admoniti oẽs sunt fugere posse per pœnitentiã & fidẽ in Christum. Secundò, magis conformiter ad sensum primum, literalem scilicet, intelligi potest ecclesiã loqui de ea tribulatione, quam in principio sæpius passa est, pro qua amouenda hic precatur. In quo sensu quod dicitur, Dedisti metuentibus te, &c. sic rectè accipitur, quãquam nobis gratia experiri feceris, tamen dedisti nobis signum, admonuisti nos quomodo fugere possimus arcum hostilem. Christum enim nobis in signũ erexisti, ad quẽ confugiẽtes, quemq; imitãtes vinceremus hostes nostros. Hic autem sensus cõsentit Hebraicæ veritati, quæ habet: dedisti metuentibus te signum vel vexillũ, vt fugiant, vel, vt triumpharent & exaltarentur. b

MOAB OLLA, &c.] Dictio Hebraica, pro qua nos habemus, spei, propriè significat lotionẽ aut lauacrum. Vndè vertunt, olla lotionis vel lauacri mei, qua locutione significatur seruilis subiectio Moabitarum. Porro dictio ea Chaldaice significat fiduciam, atq; eam significationem secuti sunt interpretes. Accommodando autẽ hæc Christo per Dauidem præfigurato, simplicius fuerit per Iudã, Manassem, Ephraim, Moab & Philistæos, &c. intelligere fidelem ecclesiã, ex Iudæis & Gẽtibus maximè collectã, cui & adunabũtur aliqñ Idumæi, hoc est, Iudæi infideles. Altius tñ hęc cõsiderare iucundè licet. Nã inter eos populos, qui hic dicuntur Dauidis regno subiecti, quidã voluntarie Dauidẽ in regem susceperunt: primũ, s. tribus Iuda, deinde & reliquæ tribus Israel. Alij verò coacte Dauidi subiecti sunt, seruientes ei sub tributo, nẽpe Moabitæ, Philisthęi, & Idumęi. In his aũt qui Christi regno subiecti sunt populis quadruplex est diuersitas. Sunt em̃ Christiani, qui Christũ voluntarie in suũ regẽ susceperunt, designati p 12. tribus Israel. Sunt hęretici, designati per Moabitas, qui erãt de cognatione Abrahę. Sunt Gẽtes p̃ophanæ, significatę p Philisthæos, à cognatione populi Israel oĩno alienos, vnde & ἀλλόφυλοι, & alienigenę dicti sunt. Sũt Iudęi, per Idumæos significati. Atq; hi omnes vel inuiti Christo sunt subiecti, cui à patre omnis potestas data est.

NONNE TV, &c.] Hic versus varie põt accipi. Imprimis enim vel põt ex superiori versu peti, vnde perficiatur, in hũc modũ: Nónne tu Deus solus es, qui deduces nos in ciuitatẽ munitã? vt sit in hoc versu respõsio ad quæstionem superiori versu propositã. Vel põt hic versus per se separatim accipi, vt post quæstionem illã: Quis deducet nos subiiciatur causa perplexitatis illius, & sit sensus: Meritò perplexus dico: Quis deducet nos, &c. An non em̃ tu Deus is es qui repulisti nos? quasi dicat. Te nos repellente, nec pugnante nobiscum, quis deducet nos in ciuitatẽ munitam? Atq; hic sensus magis conuenit Hebræis, quæ non habẽt relatiuum, qui, sed tm̃, Nónne tu Deus repulisti nos. Rursum põt totus hic versus vnica legi interrogatione, vt cõiunctio, &, copulet duo illa verba, repulisti, & nõ egredieris, & tunc verbũ egredieris, futuri tpis debet accipi, positum pro præterito egrediebaris. Vel accipi debet in hoc sensu: Nónne tu repulisti nos? & quantũ apparet, non amplius egredieris nobiscum solito more ad pugnandũ nobiscum & pro nobis. Potest etiam legi duabus interrogationibus, vt prior sit: Nónne tu Deus, qui repulisti nos? Deinde subiiciatur alia: Et an nõ tu Deus amplius egredieris cum exercitibus nostris? c

QVIA VANA, &c.] Hebræa & Græca nõ habent cõiunctionem, quia, sed coniunctionem, &, Bene tamen vertit interpres, quia hæc coniunctio, vt & alias, hic ponitur pro causali. Sunt tamẽ etiã multi Latini codices, qui habent coniunctionem, &, quomodo & Augustinus legit. d

In finem in hymnis Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LX.

EX eo quod in hoc Psalmo dicit Propheta à finibus terræ se clamasse, apparet hunc Psalmum ab ipso editum, cùm exul ageret in extremis partibus terræ Israel, persequente ipsum, siue Saule, siue Absalone. Est autem huic Psalmo cõ-

mune cum nullis alijs argumentum. Liberari enim à periculo orat, & mox, percepes ex prece consolatione, liberationē, & perpetuam in domo Dei mansionem, protectionemq; ac uitæ regniq; diuturnitatem sibi pollicetur, pro his iugem gratiarū actionem Deo promittens. In his uerò quibus gloriatur de uitæ regniq; sui duratione & æternitate, Christi typum sese prophetа exhibet, in quo hæc uerius & perfectius competunt, per quem etiam Dauid regni uitæq; perpetuitatem est assecutus, & per quem hæc etiam omnibus his conueniunt, qui per ipsum reges regniq; sui consortes effecti sunt. Porro secundum argumentum superius, erit necessarium uerba præteriti temporis hic posita pro futuris accipere, quem admodū & fere omnia apud Hebræos in futuro tempore ponuntur. Sunt tamen qui seruata temporis, quod habet nostra lectio, ratione, hunc Psalmum Dauidi asscribunt iam regnanti, ut in regnum constitutus intelligatur precari continuam Dei opem contra quoscunque in circuitu inimicos, eamq; sibi polliceri ob expertam prius frequenter Dei in se benignitatem & fauorem, cùm ipsum de manibus Saulis sæpe liberasset.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Psal. 60.

1 *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.*

EXaudi Deus deprecationem meam, ausculta ad orationem meam.

2 †*A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, * in petra exaltasti me,*

2 Ab extremis terræ partibus, in quibus exul ago, †è terra quę longissimo tractu à cœlis distat, te ardenti affectu, voceque alta inuoco & iam diu inuocaui, dum sic ob malorum multitudinem angustiatur cor meum, * propter quod certo confido, quod me velut in rupem subleuatum, tuto firmóque loco constitues, vt ad me accedere hostes non valeant.

3 *Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitudinis à facie inimici.*

3 Ad talem, inquam, locū me duduces, quia tu mihi factus es is, in quē omnem meam spē collocaui. * tu mihi factus es instar turris fortissimæ contra inimicum meum. Per te enim, ad cuius præsidium confugi, non secus me custodiendum ab hostium telis confido, quàm munitissima aliqua arx est præsidio confugientibus ad eam, atque in ea latentibus.

4 *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, * protegar in uelamento alarum tuarū.*

a

4 Quare nihil dubito quin habitaturus sim imperpetuum in tabernaculo tuo, * & protegendus tua protectione tam sollicitè, quàm protegit suis alis gallina pullos suos à vulturum rapacitate. Nam & in hac vita me, quasi apud te absconditum, tecúmq; habitantem, ad quem nullum accedere malum valet, custodiendum tuo fauore confido, vt nulla me commouere valeat hominum improbitas: & in futura vita, in cœlestem tuam habitationem receptus per te, securissimè viuam, omni malorū timore sublato.

5 *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem, * dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

5 Tu enim Deus nihil dubito exaudies orationem meam. * nobis te colentibus dabis certissimè hæreditatem cùm terrenam, tum maximè cœlestem. Neque enim sines nos semper extorres agere, ac hæreditate populi tui in terris carere, quemadmodum nunc quorundam improbitate cogimur, & post hanc vitam, perpetuam in cœlis hæreditatem timētibus te promissam obtinere facies.

6 *Dies super dies regis adijcies, * annos eius usque in diem generationis & generationis.*

6 Dies diebus regis adijcies, * annos eius produces vsq; in tēpora multarum generationum. In hac enim vita plurimos dies addes diebus vitę b eius, vt multis viuat hic generationibus saltem in semine suo, & diebus vitæ præsentis addes dies futuri sæculi, vt per omnes huius mundi generationes apud te fœliciter viuat.

7 *Permanet in æternum in conspectu Dei: * misericordiam & ueritatem eius quis requiret?*

7 Permanebit in æternum coram Deo. Nam & in præsenti vita nunquā c ab eius fauore excidet, regnúmq; eius in suo semine stabile erit apud Deū, & in futura vita perpetuo Dei conspectu fruetur, * nec erit aliquis qui in rege requirat absentem Dei misericordiam. Hæc enim perpetuo cum comitari & adesse palam videbuntur.

8 *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, * ut reddam uota mea de die in diem.*

8 Propter quod ego his omnibus affectus a te Domine beneficiis, Psalmos ad gloriam tuam dicam imperpetuum, * vt per singulos dies reddam tibi, quas voui, gratiarum actiones. d

ANNOTATIONES.

INHABITABO, &c.] Quandoquidē Dauid in suo exilio vnice desiderauit cōuersari cum aliis in tabernaculo illo tēporali Mosaico, vt ex multis locis patet, videri posset his verbis sibi promittere exilij liberationem, & restitutionem in regnū suū, & templi liberum accessum, nisi addidisset, in sęcula. Ob quam partem magis accipiendū, Prophetā his verbis allegorica locutione significare Deum sibi perpetuò futurum præsidio, quomodo & Psalmo 26. dicit: Protegar in velamento alarum tuarū.

DIES SVPER DIES, &c.] Quanquā duo versus aliquo modo ad literā competere possint Dauidi, vt his in tertia persona sibi polliceatur aut regni perpetuitatē in sua posteritate, aut vitæ cœlestis adeptionē: certum tū nobis esse debet, Dauidē in his oculos defixos habuisse in Christū, cuius personā se sciebat sustinere. In hūcem solū hęc verè conueniunt perfectè, per quē etiam solum Dauidis regnū æternum effectum est, & æterna in cœlis vita à Dauide obtēta. Atq; ob hanc causam videri rectè pōt, Dauidē mutata persona hæc extulisse in tertia persona. Vide quæ supra notata sunt Psalmo 20. circa illud: Longitudinē dierū in sæculū sæculi. Cùm aūt hi versus, & totus Psalmus Christo accōmodantur, illa pars: Misericordiā & veritatem eius quis requiret: intelligitur cōiter, vt relatiuū, eius, ad

ad regē referatur, & significetur Christi misericordiam & veritatem, quā exhibuit in redimendo humano genere, neminem satis exquirere & inuestigare posse. Verùm in paraphrasi aliū sensum secuti sumus, qd in Hebręo, misericordia & veritas manifeste ad Deum sint referenda. Significatur eñ per illa, regem semper seruandum.

PERMANET IN.] Hebræa habēt verbum futuri temporis, similiter & Græca, *διαμενῶ*, permanebit. Interpres legisse videtur verbum præsentis temporis, *διαμένει*, accentu in penultima. Et tamen sunt Latini aliquot codices, qui habent futurum, permanebit, quomodo & Diuus Augustinus legit, proinde hæc lectio preferenda est.

MISERICORDIAM, &c.] Pro, quis, Hebręa habent מִי מָן Man, quod interpretantur, prępara, vt sit sensus: Misericordiam & veritatem prępara, seruabunt eum. Septuaginta acceperunt eam dictionem secundum significationem eius Chaldaicam. Sic enim significat quis vel quid, quod Hebręis dicitur Mah. Hieronymus dictionē eam totū omisit habet enim: Misericordia & veritas seruabūt eum. d

In finem pro Idithum Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LXI.

EXhortatur hoc Psalmo Propheta primum quidem seipsum, & suipsius animam ad fidendum Deo, illiq; se committendum, cuius fiducia securum se fore ab omni malorum incursu non dubitat, atque ob id cum increpatione insultat irruētibus contra se persecutoribus. Tum uerò deinde suo exemplo omnes generatim hortatur in Domino spem suam collocare, non in uanissimis & fallacibus hominibus, neque in diuitijs iniuria aut ui partis, sed neque in diuitijs citra iniustitiam cohęrentibus: subijciens in fine ad terrorem malorum, & consolationem bonorum Deo fidentium duo illa, quæ ex certissimo Dei uerbo & lege eius cognita sunt, potentiam scilicet Dei, & bonitatem eius ac misericordiam: secundum quæ redditurus est unicuique secundum opera eius, ut ob id meritò Deo fidens, securus esse debeat: iniustus uerò, ob eius potentiam & in remunerando iustitiam pertimescere.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Psal. 61.

1 *Nonne Deo subiecta erit anima mea?*

ETsi variis malorum vndis obruar, & impij vndique impetant, nō tamen Deo obmurmurabit, neque ad aliud pro auxilio respiciet anima mea quàm ad Deum. Meritò enim Deo sese totam subiiciet, illique sese committet anima mea, boni consulens quamuis sortem ab eo immissam, ac patienter expectans opem eius. *Ab ipso enim Deo, eoque solo salus mea pendet, mihique certò proueniet. a

**ab ipso enim salutare meū.*

2 *Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus susceptor meus: * non mouebor amplius.*

2 Ipse enim est Deus meus, curam singularem mei gerens. Ipse saluator meus est, & defensor meus, qui me ad se confugientem custodiendum susceperit, *propter quod scio me non multum commouendū impiorum oppugnationibus grauissimis, etiamsi parū me per eas fluctuari, & nutari contingat pro humana fragilitate.

3 *Quousque irruitis in hominem, & interficitis uniuersi uos, *tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?*

3 Cùm igitur tam potentem habeam adiutorem, quandiu vos vniuersi impij in me, etsi infirmum hominem, impetum facietis, & interficere conabimini me? *quousque inquam, irruetis in me, tanquam in parietem ad ruinam inclinatum, & maceriam iam conquassatam, atq; permanentem ruinam? Quasi facile vobis sit me deiicere & prosternere, quēadmodum facile est inclinatum deiicere parietem, cui me similem vos existimatis, casui me proximum reputantes. b

4 *Veruntamen pretiū meū cogitauerunt repellere, *cucurri in sti: *ore suo benedicebāt, & corde suo maledicebant.*

4 Et certè impij honorem meum, ad quem videbant me à Deo euehi, studiosè meditati sunt, inito inter se consilio, auferre à me: *propter qđ sitibundè ac desideranter ad Deū confugi, fontem aquæ viuæ: *qui me lassatum reficeret, ac saluum mihi saluaret honorem delegatum. Quo autem minus eorum iniquas contra me machinationes aduerterē, ore suo bene mihi precabantur & blandiebantur, qui animo suo pessimè mihi volebant. c

5 *Veruntamen Deo subiecta est anima mea, * quoniam ab ipso patientia mea.*

5 Verùm quantumlibet hi contra te ferantur, quantumlibet infestent, tu tamen, ó anima mea, te totam Deo subiice, illique te quanta es committe, sine omni querela ac diffidentia longanimiter opem eius expectans: *ab ipso enim veniet tibi id quod patienter expecto.

6 *Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus *non emigrabo.*

6 Certo enim certius ipse est Deus meus, curam mei singularē gerens ipse saluator meus & adiutor meus, *quare nūquam sat icio loco meo mouebor, quantumuis me hostes mei deturbare conentur.

7 *In Deo salutare meū & gloria mea: * Deus auxilij mei, & spes mea in deo est.*

7 In Deo sita est salus & gloria mea, quam ab eo me assecuturū nil dubito. *Ipse est Deus auxiliator meus, & spes omnis mea in Deo sita est, qui fallere non potest sperantes in se.

8 *Sperate in eo omnis cōgregatio populi: *effundite corā illo corda uestra, Deus adiutor noster in æternum.*

8 Proinde mecum vna sperate in eo, quotquot vsquam estis populi *omnes vestras cogitationes, curas ac desideria per orationē Deo proponite, illiq; curāda committite, Deus enim adiutor omnium nostrum sperantium in se futurus est imperpetuum.

9 *Veruntatem uani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris ut decli-*

9 Ipsi autem homines vani sunt, & fallaces: mendaces sunt filij hominum omnes, adeo vt etiam proximos suos decipiant, in stateris, instru-

*piant, * ipſi de uanitate in idipſum.*

mentis,quæ ad menſurandam iuſtitiam,& fidem declarandã communi iure ſunt inſtituta.*Certè ipſi omnes pariter ſunt ex vanitate, filij ſcilicet vanitatis:& quatenus homines ſunt,toti vanitati,mendaciis & fraudibus dediti.Ipſi quoq; omnes ſimul magis ſunt quàm vanitas.Proinde ſtultũ fuerit in vaniſſimis hominibus ac fallaciſſimis ſpem collocare.

10 Nolite ſpera re in iniquitate , & ad rapinas nolite apponere.

10 Sed neque ſperetis in diuitiis per iniquitatem & calumniam partis, & rapinas ne concupiſcatis auarorum hominum more:* quinetiã ſi diuitiæ abſque iniuſtitia vltrò copioſè obuenerint,ne tamen animum veſtrum illis affigatis,ita vt vel fiduciam veſtrã in eis collocetis,aut amore eas inordinato proſequamini.Quomodocunq; enim partę diuitiæ,cùm fluxæ ſint & incertæ,ſaluare hominem nequeunt. e

11 †Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui , quia poteſtas Dei eſt, & tibi domine miſericordia:

** quia tu reddes unicuique iuxta opera ſua.*

11 Quo autem magis,ſpretis omnibus mundanis rebus , & iniuſtitiam odientes in Dominum ſperetis,ecce ſemel in monte Sinai populo ſuo locutus eſt Deus:†Conſtãter & irreuocabiliter mihi per ſpiritum ſuum ſanctum locutus eſt.Duo ab eo audiui,nempe ꝙ ſolius Dei ſit potentia, qua poſſit omnia quæ vult:& ꝙ tibi Domine ſit ſumma clementia , qua quæ potes,etiam velis.* Quod autem hæc duo tibi, Domine,maximè competant,hinc patet,quia tu reddes vnicuique ſecundum opera eius per tuam omnipotentiam malos ſuppliciis afficiens,& per tuam clemẽtiam omnipotentiæ coniunctam,in te ſperantes perpetuò fœlices efficiens,vt merito diffidere non debeant,qui in te Dominum potentiſſimum & clementiſſimum cõfidunt:metuere verò hi,qui te neglecto terrena ſectantur,cuius in puniendo inuictam potentiam aliquando ſentire cogentur.

ANNOTATIONES.

a SVBIECTA,&c.]Iſtud non eſſe intelligẽdum de ſubiectione obediẽtiæ,qua anima hominis parata eſt ad faciẽdũ imperata:ſed de ſubiectione, qua quis ſe totũ Deo cõmittit, vt habet paraphraſis,patet ex Hebræis,ex quibus quidã præſentẽ locum vertunt:expectabit anima mea,alij,ad Deum ſilebit anima mea,quæ vtraq; ſignificant animum, reſignatum,& conſcientiæ promptitudinem ad ferendum quamuis ſortem.

b NON MOVEBOR,&c.]Ex Hebręis patet,dictionem,amplius,hic accipiendã, vt in Pſalmo 50. Amplius laua me:pro multum ſcilicet, non pro amodo aut poſt hac,Eſt enim רַבָּה Rabba.

c PRETIVM,&c.]Græcè eſt τιμὴν, ſignificat aũt pretium,& etiam honorem.Hic aũt ſignificare honorem Hebræa docent, quæ ſecũdum lectionem, quam ſecuti ſunt Septuaginta,habent,exaltationẽ meam cogitauerunt,&c. Vnde pretium apud nos accipi debet non pro mercede,vt pleriq; intelligũt ſed pro honore,quo quis in pretio eſt,qui ſenſus & Dauidi,& omnibus item iuſtis optimè cõuenit. In eodẽ verſu pro eo quod habemus,cucurri in ſiti:Græcè eſt, ἔδραμον ἐν δίψει. Poteſt autem ἔδραμον, eſſe & primæ perſonæ ſingularis numeri,aoriſti ſecundi,& tertiæ perſonę pluralis numeri,hoc eſt,cucurri vel cucurrerunt.At vero quod potius fuiſſet vertendum,cucurrerũt,ſatis docet verbum pręcedens,cogitauerunt,& quæ ſequũtur in plurali numero,ſed apertiſſime Hebręa,quæ habent verbum tertiæ perſonę pluralis numeri. Vnde ſenſus eſſe deberet:Inimici mei ſitibunde admodum feſtinauerunt,& cucurrerunt ad perdendum me.

d AB IPSO,&c.]Patientia hic non debet accipi pro eo quod proprie ſignificat,pro virtute ſcilicet, qua aduerſa fortiter toleramus. Dictio enim Hebraica proprie ſignificat expectationem.Vnde Hieronymus vertit,pręſtolatio mea.Et Gręcis eſt ὑπομονή,quæ dictio magis expectationẽ ſignificat,quã patientiam.Vnde patiẽtia hic debet accipi pro expectatione patienti pro re expectata.

e VT DECIPIANT,&c.]Ex Hebręo & Gręco ſimul patet,pronomen, ipſi,non poſſe conſtrui in noſtra litera cum verbo,decipiant. Apud Græcos enim hæc oratio,vt decipiãt,ponitur in infinitiuo, τοῦ ἀδικῆσαι αὐτοὶ. Quod ſi autem pronomen,ipſi, conſtruendum eſſet cum verbo,decipiant,dicendũ fuiſſet,τοῦ ἀδικῆσαι αὐτούς. Vnde hęc verba,ipſi de vanitate in idipſum,ſeorſum legenda ſunt,vti etiã legit Euthymius:& duplici ſenſu commode accipi poſſunt,vt etiã indicat paraphraſis.Apud Hebręos longe aliter habetur in hunc modum, Certe vani filij hominis,mendaces filij,in ſtatera ſi aſcendant ipſi pariter,leuiores ſunt vanitate. In quibus verbis eſt elegans hyperbole,quæ ſtultitiam & leuitatem hominum exaggerat,ſignificans homines vniuerſos ipſa vanitate eſſe magis vanos,adeo vt ſi in altera parte libræ ponas vanitatem, in altera vniuerſum genus humanum,vanitas ipſa præponderatura ſit.

f SEMEL,&c.]Hebręa etſi rectè eo modo vertũtur,quomodo nos habemus:tamen vt ſunt ambigua,pluribus aliis modis verti poſſunt.Sunt enim qui ſic vertũt:Vnũ quiddã locutus eſt Deus,bis audiui,hoc eſt,frequenter.Alij:Vnũ locutus eſt,duo hæc audiui.Alij:ſemel locutus eſt Deus,& bis hæc audiui,hoc eſt,ſæpius hæc locutus eſt. Dictiones enim,quas noſter vertit,ſemel & duo,aliquãdo exponuntur per nomina,vnum & duo, aliquãdo per aduerbia ſemel & bis.Quod autẽ nos legimus:ſemel locutus eſt Deus,cõuenienter accipitur ſemel pro conſtanter,vt concordet cum eo quod dicitur Iob 33.Semel loquitur Deus,& ſecundò ipſum nõ repetit.Aut referẽdum eſt ad ea quæ Deus locutus eſt in datiõe legis Moſaicæ,vbi ſatis intimat Deus potentiam,miſericordiam,& in retribuendo vnicuique ſecũdum opera eius,iuſtitiam.Sic enim dixit:Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis,zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios,in tertiam & quartam generationem eorum qui oderũt me: & faciens miſericordiam in milia his qui diligũt me, & cuſtodiunt præcepta mea,vbi ſuam potentiam & miſericordiam aperte ſignificat,Exod.20.

Pſalmus Dauid cùm eſſet in deſerto Iudææ.

ARGVMENTVM LXII.

CAnit hoc Pſalmo Propheta,quomodo exultans ob perſecutionem Saulis in deſerto Ziph(quod in titulo deſertum Iudæ dicitur,non,vt corruptè legitur,Idumeæ)cum prohiberetur intereſſe ſacro cœtui populi Dei,& verſari in tabernaculo eius,quod ſummè deſiderabat,animum ſuum dederit contemplationi diuinæ virtutis & bonitatis,indéque mirificè fuerit conſolatus,atque in laudem Dei accenſus,prædicens in fine hoſtium ſuorum extinctionem & condemnationem : ſuiipſius verò liberationem,exaltationem,& gaudium.In his verò & Chriſtum in ſe deliniatum cecinit,cui non vltimus tantum Pſalmi verſus(quo dum de ſe Dauid in tertia loquitur perſona,Meſſiam notare voluit) ſed & totus Pſalmus perfectè conuenit,cum ad declarandam Iudæorum rabiem etiam ipſe in deſerto latens,aliquoties ad patrem ſuſpirauerit,bonitatis eius conſideratione ſeſe conſolans,hoſtium ſuorum interitum,ſuamque liberationem præuidens. Secũdùm anagogen autem cuilibet iuſto Pſalmus præſens conuenit , qui in hoc mundo tanquam in exilio degens,auidè Deo coniungi,atque in cœleſti eius templo cum ſanctis ipſum laudare deſiderat:quod autem eo frui non datur,hic interim in huius mundi deſerto , corpore exiſtens,ſed mente Deo coniunctus,contemplatione diuinæ gloriæ & bonitatis ſeſe conſolatur,confirmatq́, in vita præſentis malis ſecurus de inuiſibilium hoſtium ſuorum iniquiſſimorum dæmonum perditione,atque de gaudio ſolido,quod in Deo liberatore ſuo in futura vita ipſi proueniet.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.*

ODeus,tu es peculiariter Deus meus , quem vnicè colo quẽmque in me benignum ſemper ſentio,* quare & ſummo mane omnibus aliis meis rebus poſtpoſitis , ad te vigilo , te quærens,ad te ſuſpirans,atque de te attentè meditans. *Pſal.62.* a

*2 Sitiuit in te anima mea, * quam multipliciter tibi, caro mea.*

2 Anima mea ſummo deſiderio ad te Domine fertur,cupiens coram te intereſſe populo tuo ſancto in domo tua:* neque anima mea te tantum deſiderat,ſed deſiderio animæ maximo corpus peruadente,etiam caro mea valde admodum concupiſcit tuam præſentiam , vt hoc graui exilio liberata,in ſanctorum tuorum cœtu te laudet,tuámque gloriam contempletur.

3 In terra deſerta inuia,et inaquoſa ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam,& gloriam tuam.*

3 In terra hac deſerta,inuia,& aquis carente , in qua exul à domo tua agere cogor,in hac,inquam , terra etſi afflictionibus plena , ego coram te ſpiritu apparui,quaſi in tuo ſancto tabernaculo,* vt quoad licet contemplarer tuam fortitudinem & gloriam tuam:quam quoniam cum reliquo tuo populo,in tabernaculo tuo,vbi eam præſentem exhibes , cernere non licet,ſpiritu præſens non deſino contemplari , quo eius contemplatione in his malis me conſoler.

*4 Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, * labia mea laudabunt te.*

4 Ideo autem,quamuis in exilio & in vaſto ſim deſerto , tuæ virtuti & gloriæ contemplandæ me addicere volui , quia miſericordia tua qua tuos proſequeris , gratior & optabilior eſt quauis corporali vita , quantúmuis fœlici,quantumuis diuturna, Plus enim voluptatis conſiderata tua bonitas affert tuis,quàm vita hæc corporalis , res alioqui hominibus gratiſſima & optatiſſima. Magis item beatum facit hominem tua miſericordia , quàm fœliciſſima quæuis vita corporea, * propter quod etiam in his malis non ceſſabo te laudare. b

*5 Sic benedicam te in vita mea, * & in nomine tuo leuabo manus meas.*

5 Ad hunc modum,nempe expreſſa & attenta contemplatione bonitatis tuæ,cum labiorum ſono ego te laudabo ſemper quoad vixero , vtcunque ſe habeãt res meæ,* & cum inuocatione nominis tui extollam in oratione manus meas,à nullo alio auxilium petens,quàm à te potentiſſimo ſimul & benigniſſimo.

*6 Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, * & labijs exultationis laudabit os meum.*

6 Per hanc autem ſeriam bonitatis tuæ perpenſionem ſatiabitur, optóque vt ſatietur anima mea:veluti adipe & pinguedine , delicatiſſimis ſcilicet cibis ſpiritualibus,ſummíſque delitiis, * túmque ex ſuaui cordis plenitudine os meum exultantibus labiis laudabit te. c

7 Si memor fui tui ſuper ſtratum meum,in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.*

7 Laudabit te,inquam,os meum etiam in lecto meo , quandocunque in eo tui memor fuero , & quotieſcunque de te meditabor attentè in matutinis,tempore ſcilicet ad meditandum aptiſſimo.* Et quidem meritò iſtud faciam.Fuiſti enim mihi ſæpiſſimè auxilio.

*8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, *adhæſit anima mea poſt te, * me ſuſcepit dextera tua.*

8 Quare etiam poſthac ſecurus exultabo in ſedula illa tua protectione,qua tuos ita protegis potentia,& bonitate tua , ſicut auis pullos ſuos alis protegit.* Anima quidem mea ex conſideratione tuæ bonitatis tibi per fiduciam & amorem adhæſit , nunquam diuulſa à memoria tui, ſemper in omnibus à te pendens, * nec fruſtrata eſt,nam tua omnipotentia me ſibi coniunxit, atque in omnibus his mundi periculis , quaſi ſuppoſita manu fideliſſimè ſuffulſit & ſuſtentauit.

*9 Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam , introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladij partes vulpium erunt:*

9 Propter quod nihil dubito,quin illi aduerſarij mei qui fruſtra tot cõſiliis,tot inſidiis quæſierunt vitã meã perdere,quin inquã potius ipſi pro meritis ſuis ad inferna retrudantur,* hic à Deo tradentur in vim & aciem gladij quo occidendi ſunt , occiſique cedent in partem vulpium, aliarúmque ferarum ſanguinariarum,à quibus eorum cadauera pro- f

strata, dilaniabuntur. Ad inferos quoque detrusi, proscindentur ibi acie gladij, ac grauissimis suppliciis ibi enecabuntur, cedentque in portionem & possessionem crudelium ferarum, malignissimorum & callidissimorum dæmonum, quibus cruciandi tradentur.

*10 Rex verò lætabitur in Deo, * laudabuntur omnes qui iurant in eo quia obstructum est os loquentium iniqua.*

10 Ipse autem rex, hostium suorum iustam vltionem cernens, & optatam à Deo liberationem assecutus, lætabitur in Deo, quem tam benignum in se experietur,* sed & omnes qui Deum vnicè colunt, non iurantes, cùm res poposcerit, per aliud nomen quàm Dei, simul gloriabuntur in Deo cum laude eius, eo quòd os loquentium falsa contra iustum sit obstructum, & à calumniãdo impeditum per vltionem & mortem eis inflictam. g

ANNOTATIONES.

a DEVS DEVS.] Posset istud continue legi cum verbis sequentibus, vt sit vocatiui casus, & sit sensus: O Deus Deus mi, vigilo ad te. Verum Hebræa habent: Deus, Deus meus tu supple, es. Vnde conuenientius hæc verba seorsum accipiuntur, vt subintelligatur in nostra lectione, es tu.

b SVPER VITAS.] Pluraliter dixit, vitas, more Hebræorum, apud quos dictio significans vitam, voce pluralis est numeri: significatione, singularis, sicut apud nos dictio, tenebræ.

c LEVABO, &c.] Sunt qui hãc partem sic intelligunt: Cùm veneratione nominis tui extendam manus meas ad omnia quæ facturus sum atque in hunc modum Campensis. Verum conuenientius videtur, si accipiatur de eleuatione manuum, quæ fit in oratione. Duo enim in hoc versu coniũgũtur, quæ ex attenta consideratione bonitatis diuinæ nascuntur, & in quibus duobus Dei cultus consistit, nempe laudare Deum, eumque in omni necessitate inuocare.

d REPLEATVR.] Hebræa habent futurum indicatiui. Vnde & Hieronimus vertit, implebitur. Secundum quã lectionem explicat hoc versu quid ex cõsideratione Dei consequatur, nempe satietas animę, cuius sitim & desideriũ prius introduxit. Septuaginta acceperũt futurum indicatiui deprecatiue, vt frequenter accipitur. Nec est sensus multũ à priori diuersus, si quidem vt anima nostra sic ex contemplatione spirituali repleatur, à Deo petendum est, cuius solius donum est.

e SI MEMOR, &c.] Græca non habẽt, sic, sed ὅ, hoc est, si: nec habent meditabor, futuri temporis, sed præteritum imperfectum ἐμελέτων, meditabar, Atque in hunc modum legit & Augustinus: Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabar in te. Et in cõmentariis Hieronymi textus habet, si: Magister sententiarum vtriusq; meminit lectionis, & Glosa item Ordinaria, quæ in cõtextu habet, si: in margine, sic. Hebræa quoque habent dictionem, quæ non sic, sed si significat. Vnde omnino apparet vitio scriptorum locum hunc corruptum, sicut eorum vitio Ioannis vltimo legitur sic pro si, dum dixit Dominus: Si eũ volo manere, &c. Vnde & hic libri plerique habent, si, Hebræa tamẽ non habent verbum præteriti tẽporis, meditabar sed futuri, sicut nos, meditabor. Necesse est autem in nostra & Hebræorum litera verbum præteriti temporis, memor fui, accipere pro futuro, memor ero: aut verbum futuri tẽporis, meditabor, accipere pro præterito, meditatus sum, vt frequenter sit, & sicut habent Græca. Quòd si autem sequamur rationem temporis præteriti, sicut habent Græca, sensus conuenientissimus iste erit: Quandocunque memor fui tui in lecto meo, quod maxime & semper fit in matutinis, tunc meditabar, hoc est, attẽte & presse de te recogitabam. Quòd si verò sequamur rationem temporis futuri, quemadmodum contextus magis requirere videtur, iam hic versus rectius coniungetur cum fine versus præcedentis, quemadmodum habet paraphrasis: quãquã etiam seorsim accipi posset in sensu simili cum eo qui explicatus est, dum sequimur tẽpus præteritũ. Quòd si quis legendum contendat, sic, sensus erit: Sic, hoc est, per attentam contemplationem tuæ bonitatis & frequẽter memor fui tui, & in posterum semper in matutinis meditabor in te. Porro in eo quod sequitur: quia fuisti: cõiunctio, quia, accipi potest vel causaliter, sicut habet paraphrasis: vel infinite, pro quod, vt significet se hoc meditaturum quod Deus fuerit illi adiutor.

f PARTES VVLPIVM.) Quod de vulpibus peculiariter faciat mentionẽ, sub his intelligẽs omne ferarum genus, in causa esse potest multitudo eorũ animalium in illis locis, quę ex eo ibi videtur fuisse maxima, quod Sampsonem trecentas vulpes facili negotio cepisse legimus. Vnde & Threnorũ 5. sub nomine vulpium, omnes feræ significantur, dum dicitur: Ideo contenebrati sunt oculi nostri, propter montem Sion qui disperiit, vulpes ambulauerunt in eo.

g LAVDABVNTVR, &c.] In hac oratione verbũ, laudabũtur, accipi debet deponẽtaliter, sicut in psalmis frequẽter, pro gloriabuntur: alioqui crude cohæret subiuncta ratio: qa obstructũ est os, &c. Porro cum dr: oẽs qui iurant in eo: quidã relatiuũ referunt ad regem: & intelligũt iurare in rege eos, qui ipsum pro suo rege agnoscunt. Solet enim populus iurare per suum regem, sicut Ioseph iurauit per salutem Pharaonis. Aut iurare in rege vel in regem, accipiunt pro eo quod dicimus, iurare in verba regis, hoc est, illi subiectionem & fidelitatẽ promittere. Verùm cõuenientius scripturis futerit, vt, eo, referatur ad Deum. Per iurare eĩ in Deo, scriptura significat aliquoties religiosum Dei cultum, vt Isaię 45. Mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Pro quo Septuaginta: & cõfitebitur omnis lingua, quod secutus est Paulus ad Philippenses secundo. Similiter Isaiæ 65. Et qui iurat in terra, iurabit in Deo, Amẽ. Cæterùm non ita multum ad rem facit, quod, Græca & Hebræa singulariter efferunt: laudabitur omnis qui iurat in eo, quomodo & Augustinus legit, & habent quædam nostra exemplaria. Nam idem significatur, siue singulariter, siue pluraliter dicatur.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LXIII.

PRecatio est hic Psalmus contra delatores falsò iustum accusantes, quorum sauitiam in cupiditate nocendi, & studia struendarum insidiarum præmittentes, prædicit deinceps, quomodo Dei virtute, & irrita sient ipsorum machinamenta

menta, & iusta de eis sumpta vltione, timor Dei augendus sit apud malos, & gloria eius illustranda à bonis iusta Dei iudicia deprædicaturis, & de bonitate ac iustitia eius gaudisuris. Conuenienter autem hic Psalmus mystice Christo per Dauidem adumbrato adaptatur, vt sit eius contra persecutores suos Iudeos oratio, contra quem tantis suis conatibus & consilijs perfidi Iudei non solùm nihil proficerunt, sed etiam sibipsis Dei vltionem peperierunt: quam videntes iam omnes gentes obstupescunt, mirabilem in iudicijs suis Deum annuntiantes, & glorificantes.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*11 Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, * à † timore inimici eripe animam meam.*

OMi Deus, exaudi quæso nunc cùm te deprecor orationem meam * libera animam meam à timore inimici, vt de tua protectione secura, fœuitiam non nimis metuat. † Serua quoque vitam meam ab his minis, quibus me terret hostis meus. *Psal. 63.*

2 Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantiũ iniquitatẽ.*

2 Tu enim qui hactenus me protexisti, in futurum spero proteges, atque vt protegas oro à congregatione maligně agentium qui contra me congregati sunt, à multitudine hominum, qui planè dediti sunt iniquitati. a

*3 Quia exacuerunt vt gladium linguas suas, * intenderũt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum.*

3 Qui exacuerunt linguas suas non aliter quàm exacui solent gladij: vt certius ac magis lædant. Parauerunt enim linguas suas ad lędendum efficacissimè, habẽtes apud se meditata verba, quibus innocentem falso accusantes velut gladio quodam perimant. * Præparauẽruntiam arcum suum, vt absco ditè & per insidias impetant suis sagittis me incautum, & innocentem, nihil tale opinãtem, nihil tale ab eis commeritum Hunc autem eorum arcum, ideo verbum triste & amarum, quo in me eiaculari studeant mortiferas plagas. b

*4 Subito sagittabũt, & non timebunt, * firmauerunt sibi sermonem nequam.*

4 Subito præter expectationẽ, falsis, declarationibus, quasi suis sagittis, imperent me nihil præcauentem, nec aliquo vel Dei vel humanæ legis tenebũtur timore, quo à sua malitia reuocarentur. * obstinato enim animo sequi decreuerunt prauum consilium inter se habitum.

*5 Narrauerunt vt abscon derent laqueos. * dixerunt quis videbit eos?*

5 Verbis vltrò citróque habitis constituerunt abscondere suas insidias, quasi quosdam laqueos, persuaseruntque sibi neminem eorum insidias, cogniturum, qui eas vel detegeret, vel vindicaret: adeo impii isti ne prouidentiæ quidem atque iustitiæ diuinę vllam habent rationem.

*6 Scrutati sunt iniquitates, * † defecerunt scrutantes scrutinio.*

6 Excogitauerunt varios nocendi modos, * adeo vt dum quærunt dolosas artes, in excogitando defatigati sint, nec facile inuenire potuerint conuenientem perdendi innoxium rationem.

7 † Accedet homo ad cor altum,

7 Vnde homo quisquam ex eis accedet ad aliquem, qui profundi est cordis & consilii magni. † Ipsi quoque homines impii ingredientur in secretum & profundum cordis sui: vt ex profunda meditatione inueniant tandem perdendi innocẽtem rationem quam quærunt. * Verum illis hæc agentibus Deus exaltabitur, qui inefficaces faciet omnes illorum cogitationes, comprehendens sapientes in astutia ipsorum.

** & exaltabitur Deus.*

*8 Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, * & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

8 Eorum enim plagæ & verba quibus innocentem lædere studuerunt, fient sicut sagittæ paruulorum: quæ vt nullam habent lædendi potentiam, ita tantum laborem & fatigationem puerulis adferunt sagittantibus. * Et linguæ eorum, quibus ad subuersionem innocentis impia loquebantur, in proprium ipsorum malum infirmabuntur, ita vt nihil linguarum virulentia valeat contra iustum, sed in proprium malum recidat.

*9 Conturbati sient omnes qui videbãt eos, * & timuit omnis homo.*

9 Propter quod omnes qui videbunt eos & suis conatibus turpiter frustratos, & à Deo grauiter vindicatos, magno timore & stupore conturbabuntur, * timebitque omnis homo Deum, cuius in vindicando impiorum scelera, potentiam & iustitiam considerabit.

*10 Et annuntiauerunt opera Dei, * & facta eius intellexerunt.*

10 Et prædicabunt plerique aliis opera iustitiæ diuinæ, quæ pro liberatione iusti, ac vindicta impiorum operatus erit, * & facta eius diligenter expensa intelligent, cognoscentes quàm sit in liberãdo innocentes benignus, quàmque in puniendo impios, iustus.

11 Lætabitur iustus in domino sperabit in eo,

11 Iustus autem iam Dei opem in se expertus, iustus etiam quisque Dei iustitiam & clementiam in liberatione innocentis conspiciens, lætabitur de Domino, ob eius clementiam & iustitiam, iamque magis ac magis de eius protectione securus omnem suam spem in eum collocabit, * & cum laude gloriabuntur omnes in Deo, qui candido sunt pectore.

** & laudabuntur omnes recti corde.*

ANNOTATIONES.

a PROTEXISTI ME.] Quomodo factum sit, vt constanter omnes Latini libri habeant, protexisti, nõ facilè patet, cũ & Hebręa & Greca habeãt, protege, quod magis cohæret cum oratione incœpta in primo versu. Est enim Greçum σκέπασόμ, aoristus primus imperatiui, & Hebræis est futurum indicatiui, quod pro Imperatiuo sæpe accipitur. Proinde nostra litera sic est intelligenda, vt dum propheta agnoscit se hactenus à Deo protectum esse, tacite intelligatur precari, vt in posterum ab eodem protegatur. Ipsa enim beneficii agnitio, alterius beneficii est impetratio. Aut præteritum, protexisti, accipiendum est pro futuro, proteges.

QVIA

b QVIA EXACVERVNT. Rectius habent plerique libri,qui eſt enim Græcis ὅτι ἐξέκλιναν. Vtriuſque lectionis meminit Magiſter.

ACCEDET,&c.] Principio hic aduertendum, altum hic nõ poſſe accipi pro ſublimi,quemadmodũ multi interpretãtur:ſed pro profundo, vt patet ex linguis originalibus. Eſt em̃ Græcis βαθέα. Deinde non eſt Græcis, ad cor altum,ſed,& cor altum, προσελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδία βαθεῖα. Quã lectionẽ Euthymius pro ſenſu literali ſic interpretatur: homo & cor altũ,hoc eſt,homo alti cordis & profundi cõſilii in malum accedet ad eos, vt ſuggerat ſcilicet eis rationem perdẽdi iuſtum,quam quærebant nec inuenire poterãt. Indicat etiam in myſtico ſenſu, ab aliquibus intelligi per hominẽ iſtum, Iudam Iſcariotem, qui Iudæis non inuenientibus conueniẽtem perdendi Chriſtum modum.aperuit quomodo eum capere poſſent. Auguſtinus quoq; videtur legiſſe nõ,ad,ſed &,ex ſua interpretatione in hunc verſum:quanquam in impreſſis libris vitio ſcriptorũ ſemper habeatur,ad. Sic enim ſcribit ſuper hunc verſum: Accedet homo,&c. Illi dixerunt: Quis videbit nos? Defecerunt ſcrutantes conſilia mala. Acceſſithomo ad ipſa cõſilia,paſſus eſt ſe teneri vt homo,non enim teneretur niſi homo, &c. Acceſſit ergo ad omnes illas paſſiones,quæ in illo nihil valerent, niſi eſſet homo. Sed ſi ille non eſſet homo,non liberaretur homo. In his verbis quomã vtitur Auguſtinus præpoſitione,ad,dicẽs: Acceſſit homo ad ipſa cõſilia,ad omnes illas paſſiones: videri poſſet oſcitanti lectori legiſſe,ad cor altum,& cor altum.interpretari ipſa Iudæorum conſilia, & paſſiones, quas alto conſilio Chriſto inferre ſtuduerunt. Verum ex his quæ mox ſequuntur,patet hanc non fuiſſe Auguſtini intẽtionem, ſed tantum hactenus interpretatũ,quare dictũ ſit, accedet, & explicaſſe ad quid homo iſte acceſſerit, quod propheta nõ dicit. Sic enim ſequitur in Auguſtino volente iam interpretari quid ſit cor altum: Acceſſit homo ad(&)cor altum,id eſt,cor ſecretũ,obiiciens aſpectibus humanis hominem,ſeruans intus Deũ, celans formã Dei,in qua æqualis eſt patri:& offerens formam ſerui,qua minor eſt patre. Ex his verbis manifeſtè patet, cor altum tribui ab Auguſtino non Iudæis,ſed Chriſto,declarans Chriſtum acceſſiſſe ad paſſiones cum corde ſuo ſecreto, quia ſcilicet obiecit aſpectibus humanis hominẽ,&c. Vnde indubiè legit: Accedet homo,& cor altum. Alioqui eius interpretatio non erit accommoda. Idipſum apertius patet ex multis quæ ſequuntur: Accedet, inquit, homo ad (&) cor altum,cor ſecretum,cor abditum,non oſtendens quid noſſet, non oſtendẽs quid eſſet. Et in his quæ ſequũtur vocat Chriſtum hominem alti cordis. certe Magiſter ſententiarum, qui vtriuſque lectionis meminit,legit apud Auguſtinum non, ad; ſed,&. Nam poſtquam expoſuit priorem lectionem quę habet,ad,expoſiturus alteram quæ habet,&, affert interpretationẽ eius literæ ex Auguſtino. Sic enim habet: Vel ita ſcrutati ſunt ſed fruſtrã,quia homo Chriſtus, qui nõ pateretur, niſi homo eſſet,accedet ſponte ad paſſionẽ. Et cor altum,erat ei,hoc eſt,ſecretũ cor, quia hoc faciebat ſecundum altum conſilium,obiiciens illis hominem,id eſt,formam humanam,in qua fæuirẽt ſeruans intus Deum,id eſt,Dei formã,cuius potentia ſuſcitaretur. Proinde vitio ſcriptoris videtur in noſtra lectione legi,ad,pro,&,quod putarit orationem ſic eſſe perfectiorem. Nec eſt in pronunciatione magna diſſimilitudo inter,&,atque ad. Quid legerit Hilarius,ex interpretatione non ſatis liquet. Facit autem mẽtionem etiam hominis alti cordis. Et in Pſalteriis quibuſdã benedictinorum inueni, &. Et Auguſtini ergo locus valde corruptus, nec commodum habens ſenſum meritò eſt reſtituendus,& noſtra item lectio.

In finem Pſalmus Cantici Dauid, canticum Ieremiæ & Ezechielis de populo tranſmigrationis,cùm inciperẽt proficiſci.

ARGVMENTVM PSALMI LXIIII.

PLerique exiſtimant hunc Pſalmum a Dauide conſcriptum,ex perſona eorum qui in captiuitate Babylonica àſe per ſpiritum præuiſa,deprecaturi eſſent reditum in patriam,& templi reædificationem. Ex quorum perſona accipiendũ eſſe videri poſſet,eo quod in pleriſque libris in titulo legitur: Canticum Hieremiæ & Ezechielis,& populi trãſmigrationis cùm inciperet proficiſci. Verum hæc verba omnino non habentur in Hebræis,quæ tantum habent: In finem Pſalmus Dauid ſicut & Græcorum ac Latinorum codices plerique. Proinde adiecta ea verba conſtat ſicut & alias aliquotes, ab aliquibus expoſitoribus indicare volentibus,ex quorum perſona Pſalmus intelligendus eſſet. Quamuis itaque præſens Pſalmus rectè accommodetur his qui in captiuitate Babylonica reditum expectabant,& expetebant,non eſt tamen neceſſe ex eorũ perſona aſſerere hunc Pſalmum accipiendum eſſe,& non ex perſona Dauidis auctoris Pſalmi,cùm etiam rectiſſimè in tẽpora Dauidis quadret. Extructo enim in monte Sion tabernaculo,pro arca Domini precatur propheta hoc Pſalmo, vt dimiſſis populi iniquitatibus,auferat ab eo hoſtium in ciuitate habitantium,qui ei populo aliquamdiu præualuerant, imperium & iugum,vt donata populo pace, ſublatoq; ſeruitutis iugo,ex omnibus locis homines accedere valeant tẽplum Domini,quod in Sion ſibi elegerat. Vbi ſicut peculiariter dominus præſidebat,ita quoque ibs eum peculiariter laudandum canit ob potentiam eius,quam in cœlo,terra,mariq; declarat: & bonitatem eiuſdem,qua in vſus hominũ terram,immiſſa è cœlo pluuia, varios fructus producere facit. Sub typo autem corporalis montis Sion,& ciuitatis Ieruſalem,magis canere vult de eccleſia Chriſti,quòd ex eo ſatis patet quod dicit: Ad te omnis caro veniet. Proinde ſecundum myſticum & principaliorem ſenſum precatur prophera,vt dimiſſis peccatis humani generis,ſublatoq; iugo dæmonis,humano generi præualentis,omnes iam orbis terræ nationes ad ſpiritualem ac cœleſtem Ieruſalem,eccleſiam ſanctorum confluant, in qua ſola Deo reddatur laus eõdigna. Secundum hunc autem ſenſum,quæ dicuntur de præparatis & firmatis a Deo montibus, de conturbatione maris,de viſitatione,irrigatione & fœcundatione terræ,arietumq; veſtimentis,altius accipi poſſunt,vt iuxta anagogen hæc omnia impleta intelligamus per vnigenitũ filij dei in hunc mundum aduentum,quo viſitauit nos oriens ex alto,ſua prædicatione ſterilem mundum irrigans,& fœcundans,ipſumq; procelloſo mari ſimilem ſalubriter commouens,præparans item, tanquam altiores quoſdam montes,apoſtolos & apoſtolicos viros ad ædificandum in eis eccleſiam ſuam,eosq; tanquam arietes quoſdam,qui onium Chriſti duces eſſent,induens,& veſtiens abundanti ſpiritus ſancti gratia.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Te decet hymnus Deus in Sion. & tibi reddetur* OMi Deus, cùm optimus ſis ſimul & maximus, decet certè vt tu laudaris ab omnibus, & quidem peculiariter in monte Sion in quo Pſ.64.

votum in Hieruſalem.

quo peculiarem tibi delegiſti manſionem, * tibi perſoluentur vota in Hieruſalem ciuitate quam elegiſti.

2 Exaudi oratione meam * ad te omnis caro veniet.*

2 Proinde exaudi quæſo orationem meam.* Id ſi feceris, omnis generis homines confluent ad te adorandum & laudandum in monte ſancto Sion.

3 † Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos, * & impietatibus noſtris tu propitiaberis.*

3 Quod autem à te vnicè peto,iſtud eſt:Ecce facta iniquorum hominum,quos imitati ſumus,ita aggrauata & multiplicata ſunt in nobis,vt vires noſtras ſuperauerunt,nec ſufficiamus illis diluendis,†Iniquorum etiam dominantium nobis,& opprimẽtium nos blaſphemiæ,quas contra nos & te Deum fundunt,iam magis inualuerunt,quàm vt ferre diutius poſſimus.* tu itaque quæſo propitius ignoſce nobis peccata noſtra.propter quæ eis à te traditi ſumus:vt dimiſſis peccatis ac ſublato hoſtium noſtrorum iugo, in monte tuo te, vt decet, omnes laudare & venerari poſſimus. a

4 Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, * inhabitabit in atriis tuis.*

4 Fœlix certè eſt ille,quem tu elegeris, tibiqúe propinquum feceris, * & qui tua electione aſſiduè verſari & manere poterit in atriis tuis.

5 Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum,mirabile in æquitate.*

5 Nos enim,vbi id aſſecuti fuerimus,ſaturabimur contemplatione & fruitione bonorum domus tuæ: * Nam templum tuum, propter tuam inhabitantis ſanctitatem,eximiè ſanctum eſt, & per tuam conſtantem iuſtitiam,quam ſemper ſeruas & declaras,admodum mirabile. Proinde perceptione tuæ ſanctitatis & æquitatis, quæ in templo tuo maximè relucent,& perpenduntur,abundè ſaturabimur.

6 Exaudi nos deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ,& in mari longè.*

6 Exaudi itaque nos ô Deus ſaluator noſter,in quem non nos tantum ſperamus,qui in terra habitamus, * ſed & hi qui in omnibus terræ finibus,& extremis inſulis maris habitant. Vt enim à te ſolo cuncta hominibus proueniunt,ita & à te,etſi non ſatis bene cognito eis,cuncta omnes expectant,dum à creaturarum & naturæ conditore omnia ſua præſtolantur,& pendere agnoſcunt. c

7 Præparans mõtes in virtute tua,accinctus potentia, * qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum eius.*

7 Tu,inquam,Domine nos exaudi, qui per tuam fortitudinem montes ſtabiliter diſponis,quique omni ex parte cinctus es omnipotentia, inſtructus per eam ad faciendum quodcunque volueris, * qui cùm vis commoues tempeſtatibus profunditatem maris, & ſonum fluctuum eius, rurſúmque cùm vis eos fluctus compeſcis, plenam ſcilicet omnium in terra,& in aquis poteſtatem obtinens. c

8 Turbabuntur gentes,& timebunt qui habitant terminos a ſignis tuis. *† exitus matutini & veſpere delectabis,*

8 Conturbabuntur admiratione omnes nationes terræ, & cum veneratione timebunt qui incolunt fines terrę,propter admiranda tua ſigna cœleſtia,gloriam tuam omnibus prædicantia,* per illorum ortus tum matutinos,tum veſpertinos tu exhilarabis eos,eoſque ouare & laudare te facies. † Populos item tum orientales, apud quos mane oritur:tum occidentales, vnde nox oritur, tu tuis cœleſtibus ſignis ſemper exhilarabis. f

9 Viſitaſti terram,& inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.*

9 Ab exordio conſtituti mundi aſſiduè tuis donis inuiſiſti terram, eámque ſiticuloſam, pluuia è cœlo immiſſa, abundè irrigaſti, * ſicque multipliciter eam ditaſti,variis fructuum ac herbarum generibus eam fœcundans. g

10 Flumen dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum.* quoniam ita eſt præparatio eius.*

10 Flumen tuum,ô Deus, quod in nubibus aeris eſt, vnde in terram fœcundans aqua profluit,plenum eſt aquis pluuialibus nunquam deficientibus:* ex quo quidem flumine ſemper paraſti,& paras cibum illorum qui degunt in terra,* hoc enim modo,nempe per pluuiam inebriantem terram:fit ex tua ordinatione præparatio terræ, vt ad ferendos fructus homini neceſſarios apta ſit,& fertilis.

11 Rinos eius inebrians multiplica germina eius, in ſtillicidiis eius lætabitur germinans.*

11 Tu tua bonitate ſulcos ipſius terræ (qui ſunt quaſi quidam ipſius riuuli)copioſe per pluuiam humectans,multiplicabis germina eius,atque vt in poſterum ſemper multiplices in vſus noſtros,te rogamus:* te autem ita faciente,ipſa germinans terra lætabitur in imbribus leuiter ſtillantibus ſuper ipſam. Proferet enim quaſi lætabunda multam herbam,per roridum imbrem decidentem in ipſam. h

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.*

12 Toti circulo anni, in quo tuam declaraturus es benignitatem, tu benefacies,* & campi terræ tuæ implebuntur fructuum abundantia.

13 Pinguescent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur.*

13 Tua benignitate, & pluuiarum ſtillicidio, pinguia fient ſpecioſa paſcua deſerti olim ſterilis, * & lætitia colles vndiquè circundabuntur, lætiſſimo ſcilicet gramine,ac fructuum copia à te exornati.

14 Induti ſunt arietes ouiũ & valles abundabunt frumento, clamabunt,etenim hymnum dicent.*

14 Arietes ouium præ pinguedine paſcuorum induentur velleribus, & valles abundabunt frumento,* propter quod cuncti hac tua liberalitate perfruentes,ex intimo corde tibi gratias agentes clamabunt, atque hymnum dicent tibi in Sion.

ANNOTATIONES.

VERBA INIQVORVM.] Primũ hic aduertẽdũ,ex Hebræis conſtare præpoſitionẽ,ſuper,hic debere accipi comparatiuè,vt frequẽter accipitur, & quemadmodum indicat paraphraſis. Deinde pro

ἀνόμων, hoc est iniquorũ, Hebræis est, iniquitatum. Et hunc intelligũt sensum: Verba iniquitatum, hoc est, ipsæ iniquitates (nam verba pro factis sæpe accipiuntur) inualuerunt adeo vt vires nostras superet. Septuaginta videntur accepisse genitiuum, iniquitatum, pro ipsis iniquis: sicut scelestum hominem, vocamus scelus, nisi forte verterent ἀνομίαν, & non ἀνόμων. Euthymius literæ nostræ hunc sensum reddit, quem paraphrasis secundo loco habet, scilicet blasphemiæ iniquorum nobis dominantium nimis prævaluerunt. Potest tamen literæ nostræ idem reddi sensus, quem dant sensum Hebreæ lectionis, hoc modo: Facta iniquorũ hominum, quæ imitati sumus, multiplicata sunt nimis: & ideo tua misericordia propitieris eis, sicut prius orat: Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

b INHABITABIT, &c.] Hæc pars accipi potest, vt reddatur hic ratio, quare beatum dixerit eum quem Deus elegerit. Vnde Hieronymus vertit: habitabit enim in atriis tuis. Verùm quoniam idem est habitare in atriis Dei, & à Deo assumptum esse, hoc est, vt habẽt Hebræa apertius, Deo proximum factum, rectius apparet vt hic repetatur relatiuum, qui, & idem intelligatur significari parte secunda versus, quod prima parte, vt frequenter.

c SPES, &c.] Ad literam dicitur Deus spes esse omnium finium terræ, sicut postea dicit, omnia à Deo expectare, vt det illis escam in tempore.

d PRAEPARANS, &c. Græca magis cõsonant Hebreis. Habẽt ἐτοίμασεν ὄρη ἐν δυναμειάυτου, &c. præparans montes in virtute sua, accinctus potentia, cõturbans profundum maris, &c. omnia in tertia persona, vt subintelligatur, præparãs, supple, est Deus, &c. vt hic incipiat propheta cõmendare Dei potentiam. Et Augustinus legit, sua, non tua.

ACCINCTVS, &c.] Metaphorica hęc locutio, qua subinde vtitur propheta, desumpta videtur à militibus, qui accincti armis, instructi sunt ad pugnam.

SONVM, &c.] Græca hic amplius habẽt, quàm nos. κῦμάτων ἀυτῆς τῆς ὑποστήσεται, sonos fluctuũ eius quis sustinebit: Verùm hæc verba, quis sustinebit, Hebræa non habent. f

EXITVS, &c.] Non potest hic, exitus, accipi, vt sit genitiui casus, quomodo quidam accipiunt, intelligentes in hoc sensu: Tempore exitus, aut, homines exitus matutini delectabis. Est enim apud Græcos accusatiuus casus ἐξόδους. Neq; rursum per exitus vesperæ, intelligi possunt occasus solis, quomodo aliqui intelligunt, hunc reddẽtes sensum: tu delectabis homines qui habitant vbi sol oritur, & eos qui habitãt vbi sol occidit, hoc est orientales & occidentales: Dictio enim Hebraica, quã noster interpres vertit exitum, tãtum significat ortum, non autem occasum. Vnde oportet altero illorum duorum modorum accipere hanc partem qui in paraphrasi explicantur, quorum postremum sensum Euthymius assignat, in priori subintelligitur præpositio, per. D. Augustinus sic accipit hanc partem: Tu delectabiles facies exitus matutini & vesperæ. g

RIVOS EIVS, &c.] Græcis est ἄυλακας, quæ dictio magis significat sulcos non riuos, quemadmodum & dictio Hebraica hic posita. Vnde & Augustini lectio habet, sulcos. Nec est Græcis inebriãs sed μέθυσον, inebria, sic & apud Hebræos. Interpres legisse videtur μεθῶν, quanquam ad sensum nihil referat, & sunt plerique libri qui habent, inebria, vt ea meritò videatur vera lectio, quæ est & apud D. Augustinum. h

CLAMABVNT, &c.] Quidam suppositum horum verborum intelligunt ea quæ præcedunt, valles, arietes, &c. vt ea dicãtur clamare, & Deum laudare, quia eum sua fertilitate commendant, & laudandum testantur. Porro, etenim, simpliciter ponitur pro, &, vt, enim, sit superfluum, quomodo sæpe: vel pro, sed etiam. i

Paraphrasis in sensu mystico eiusdem Psalmi.

1 Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur †votum in Ierusalem.

2 Exaudi orationem meã,
** ad te omnis caro veniet.*
3 † Verba iniquorum præualuerunt super nos,

** & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

4 Beatus quem elegisti, & assumpsisti.
** inhabitabit in atriis tuis.*

5 Replebimur in bonis domus tuæ,

** sanctum est templũ tuum, mirabile in æquitate.*

DEcet ô Deus, vt in sanctorum ecclesia peculiariter lauderis, in qua apertius declarata tua bonitas magis cognoscitur, & extra quam omnis laus sordet, *in spirituali tua Ierusalem, à fideli populo persoluetur tibi quicquid tibi ab eis promissum est, † votum item gratiarum actionis tibi debitum. *Psal. 64.*

2 Proinde exaudi orationem meam, quod si feceris, *ad te laudandum in ecclesia tua omnium nationum homines venient.

3 Est autem oratio, quam exaudiri cupio, ista: Facta iniquorum quos imitati sumus, ita inualuerunt per totum orbem, vt illis diluendis non sufficiamus, nec illorum conscientiam diutius ferre queamus. †Superba item iniquorum dæmonum verba, quibus perpetuò se nobis dominaturos gloriantur, magis inualuerunt, quàm vt ferre possimus. *Tu itaque tua benignitate quæso propitiare peccatis nostris, vt his dimissis sublatóque diabolicæ seruitutis iugo, dignè te in ecclesia tua ex omnibus populis collecti laudare, sicut te decet, valeamus.

4 Et sanè omnibus modis beatus est ille, quem tu æterna tua prædestinatione ab initio elegisti, & tandem in tempore per tuam vocationem tibi adiunxisti: *beatus ille qui tua electione & vocatione habitabit in atriis tuis, in populo scilicet tuo fideli, ac tandem in domo tua cœlesti.

5 Nos enim fideles, quibus istud dabitur, satiabimur in bonis domus tuæ. In ecclesia siquidem in terris agente, spiritualibus tuis bonis, quæ domui tuæ propria sunt: in superna verò domo, contemplatione tuæ præsentiæ, & maiestatis, & participatione omnis fœlicitatis, abundè replebimur. *Templum enim tuũ sanctũ est, & præ iustitia summè admirandum. Nã quod in terris tibi ex omnibus gentibus ędificatũ est tẽplũ, tuo spiritu inhabitante sanctificatum, est merito admirandum ob summam

mam præceptorum & doctrinæ eius rectitudinem, quam solam hic reperire licet: & cœleste tuum templum adeo sanctum est, vt in illud nihil coinquinatum sit ingressurum.

*6 Exaudi nos Deus salutaris noster, * spes omnium finium terræ, & in mari longè.*

6 Exaudi itaque nos Deus, Deus saluator noster, * in quem non iam Iudęi tantum, sed & qui fines terræ, marisque extremas insulas inhabitant, spem suæ fœlicitatis sunt collocaturi.

7 Præparans montes in virtute tua,

7 Tu, inquam, qui per tuam fortitudinem, pérque spiritum tuum sanctum, qui virtus tua est, Apostolos, Apostolicósque viros, tãquam montes quosdam, fide firmos, altitudine mentis ab humilibus huius mundi rebus subleuatos, præparas ad ædificãdam in eis ecclesiam tuam, * quî fortitudine maxima instructus es ad debellandum communem humani generis hostem, * quíque euangelicæ prædicationis sono mundum hunc procelloso mari similem, & feros fluctus eius, quibus tuos obruere mundus conatur, salubriter conturbas, compescens eos.

** accinctus potentia. * qui conturbas profundum maris sonum fluctuum eius.*

*8 Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis, * † exitus matutini & vesperæ delectabis.*

8 Omnes terræ nationes, conspectis tuis miraculis, quæ per tuos operaberis, & conturbabuntur admiratione, & ad timorem ac reuerentiam nominis tui prouocabuntur, * tuísque signis, ac vera tui cognitione delectabis & orientales & occidentales populos. † Omnes quoque gẽtes tibi credentes gaudio afficies perpetuo, vt & cùm mane illis oritur, hoc est, omnia sunt prospera: & cùm oritur eis vespera, hoc est, omnia sunt tristitia, gaudio semper perfruantur.

*9 Visitasti terram & inebriasti eam, * multiplicasti locupletare eam.*

9 Inuisisti terram, è cœlis ad saluandos homines descendens, atque tui cognitione, tuísque donis terram replens, hísque veluti cœlesti pluuia aridam terram irrigasti, * atque in hunc modum multipliciter ditasti eam, multitudine nimirum credentium, spiritualium donorum, & bonorum operum.

10 Flumen Dei repletum est aquis,

10 Flumen tuum, ô Deus, plenum est cœlestibus aquis, verbum scilicet doctrinæ cœlestis, quod sanctarum doctrinarum fluxu semper redundat, & Christus item tuus aquis spiritualis doctrinæ, ac cœlestium charismatum ita repletus, vt ipso indesinenter fluẽnte, nec tamen vnquam exhausto, omnes de eius plenitudine accipiant. * Per has antem aquas paras cibum tuorum fideliũ, qui cœlesti eius doctrina, donisque spiritus eius, ac bonorum fluctibus, quos hinc producunt, in mente reficiuntur. Hoc enim pacto constat præparatio terræ, vt ad ferendos bonorum operum fructus fertilis sit & apta.

** parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius,*

*11 Riuos eius inebriãs multiplica germina eius: * in stillicidijs eius lętabitur germinans.*

11 Proinde precamur vt terrena hominum corda, euangelicæ prædicationis aratro prosciſſa, cœlestibus tuis aquis irrigans, multiplices fructus eius, * id dum feceris, germinans terra humani cordis lætabitur in stillicidiis gratiæ tuæ, leuiter stillantibus in eam.

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.

12 Tu Domine toti circulo temporis gratiæ & misericordiæ tuę benefacies, nunquam tuam benignitatem ab eo auferens, * tuaque benedictione particulares tuæ ecclesiæ, & singulæ fidelium animæ, quas tanquam agros tuos excolendos susciꝑies, implebuntur fertilitate donorum spiritualium, operúmque bonorum.

13 Pinguescent speciosa deserti,

13 Ex eadem quoque tua benedictione populus gentium, qui tanquam desertum aridum & sterile, nullos tibi fructus protulit, ex pingue dine tui spiritus ita pinguescet, vt speciosa fiãt pascua, quæ prius inculta iacebant: * & qui in populo Dei fuerunt tumẽtes more collium, præpositi simplicibus lætitia induentur, ac veluti accingentur, expeditiores facti ad ministerium sibi creditum, cum videbunt sibi commissos continuo profectu crescere in Deo.

** et exultatione colles accingentur.*

14 Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento.

14 Populi tui doctores, & rectores, quos tanquam arietes quosdam, duces ouium tuarum constitues, induentur virtute spiritus tui, bonisque operibus, quæ in aliorum exemplũ exhibebunt, & humiliores quique præpositis tuis subditi, abundabunt pabulo spirituali verbi Dei fructúmque ferent copiosum bonorum operum. * Atque ob hanc tantam tuam benedictionem fideles tui præ summa mentis lætitia iubilabunt, sed & hymnum gratiarum actionis tibi in ecclesia tua decantabunt.

** clamabunt, etenim hymnum dicent.*

In finem, Canticum Psalmi resurrectionis.

ARGVMENTVM PSALMI LXV.

PRæsens Psalmus, gratulatio est de liberatione populi Israelitici à tyrannide impiorum, quæ psaltes in persona totius populi cunctos mortales inuitat ad laudem Dei, & considerationem admirabilium operum eius, potentiam Dei, & bonitatem eius, tum à priscis, tum à recentibus ipsius erga populum suum facinoribus, prædicans: atque ob hæc summam pietatem & gratitudinem animi, voce externisque sacrificiis se testaturum promittens. Quoniam autem, teste Paulo, quæcunque veteri populo contigerunt, in figura ei contigerunt, ad declinandum ea quæ ad notum pertinerent populum, ideo quæ hic dicuntur de exsiccatione maris, de redemptione à tyrannide improborum, de oblatione sacrificiorum, mysticè ab ecclesia Christiana accipienda sunt, quæ se liberatam à persecutione infidelium Tyrannorum hoc Psalmo gloriatur, inuitans omnes gentes ad laudandum, & considerandum Dei potentiam, & bonitatem in se declaratam, dum inuitum

hunc

hunc mundum,peruium ſibi fecerit,& grauiſſimis malis,quæ in exortu ſuo plurima paſſa eſt,ipſum exemerit,propter quæ gratitudinem ſuam voce,externiſque factis,tanquam ſacrificijs quibuſdam,ſe declaraturum in domo Dei pollicetur. Porro quòd titulus habet,Canticum Pſalmi reſurrectionis:dictio reſurrectionis,quæ in Hebræo non habetur, adiecta videtur ob id quia in Pſalmo dicitur:Qui poſuit animam meam ad vitam.Proinde ſignificat hunc Pſalmum agere de liberatione populi à ſummis periculis mortis,& de iuſtificatione gentium,quæ eſt ſpiritualis animæ è morte peccati viuificatio,déque ſpe futuræ reſurrectionis,quæ in capite noſtro Chriſto præceſſit.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Iubilate Deo omnis terra pſalmum dicite nomini eius, † date gloriam laudi eius.*

2 Dicite Deo quàm terribilia ſunt opera tua Domine,
** † in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*
3 Omnis terra adoret te, & pſallat tibi,
** pſalmũ dicat nomini tuo.*
4 Venite, & videte opera Dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.*
5 Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede,*
** ibi † lætabimur in ipſo,*
6 Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt,
** qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis.*
7 Benedicite gẽtes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius.*
8 Qui poſuit animã meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.*
9 Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti,
** ſicut examinatur argentum.*
10 Induxiſti nos in laqueum poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.*
11 Tranſiuimus per ignẽ & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium,*
12 Introibo in domũ tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea,quæ diſtinxerunt labia mea.
13 Et locutum eſt os meum in tribulatione mea.
*14 Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum,*offeram tibi boues cum hircis.*
15 Venite,audite,& narrabo omnes qui timetis deum quanta fecit animæ meæ.
16 Ad ipſum ore meo clamaui,& exaltaui ſub lingua mea.*
17 Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet dominus.
18 Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.
19 Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam,& miſericordiam ſuam à me.

QVotquot inhabitatis terram, edite voce ſigna lætitiæ in honorem Dei,Pſalmum dicite ad honorem nominis eius,* glorificate laudandam meritò magnificentiam eius.† Glorioſè etiam ac magnificè illum,ſicut par eſt,laudate, & non humano tantum more: eiúſque laudem ne ſinatis eſſe obſcuram,ſed glorioſam eam facite, palã prædicantes quam magnifica laude ſit dignus. Pſal.65
2 Dicite Deo:Quàm ſunt ô Domine opera tua ſtupenda & admiranda,* quæ certè talia ſunt,vt ob magnitudinem tuæ potẽtiæ declaratam in tuis operibus,nõ ſolum tibi ſubiicientur qui te diligunt, ſed vt etiam inimici tui ſeruiliter,fictoque animo tibi ſupplices fient, volontariam ſubiectionem ſimulantes, quamuis inimicos in te gerant animos. † Præ magnitudine etiam potentiæ tuæ,mendaces palam deprehendentur fuiſſe in te hoſtes,qui diuinitatem non tribuebant tibi.
3 Proinde,vt decet:ita quoque ex animo precor:vt vniuerſæ terræ homines te adorent,& pſallant tibi:pſalmum dicam ad honorem nominis tui:qui vt es altiſſimus,ita ſolus & adorandus es,& laudandus.
3 Venite,& conſiderate diligenter opera Dei,* admirandus enim eſt in conſiliis:quibus humanum genus gubernat. a
5 Vt autem admirandorum operum eius quædam paucis attingam, ecce ipſe eſt qui pro ſalute ſuorum electorum,ſua potentia maxima fecit,vt vbi paulò antè fuerat mare,ibi terra extaret arida:& rurſum fecit, vt patres noſtri ſicco pede pertranſierint alueum fluminis Iordanis, * propter quòd lætabantur in ipſo,† & nos quoque ex his rebus eius in nos intelligentes benignitatem,lætabimur iugiter in ipſo. b
6 In ipſo,inquam,illi lætabantur,nóſque ſemper lætabimur, qui non aliena,ſed propria fortitudine ſuper omnia imperium obtinet imperpetuum, oculi eius diligenter obſeruant quæcunque fiunt in ſingulis nationibus,*propter quod conſultum fuerit,vt qui Deum irritant ſuis impietatibus,non exaltentur apud ſemetipſos, cùm Dei potentiam & ſcientiam effugere nequeant.
7 Proinde hunc Deum noſtrum omnes gentes, reiectis idolis, laudibus extollite,*vocémque laudis eius longè latéque audire facite.
8 Qui nos è maximis malis,ac morte impendente ereptos vitæ reſtituit,*nec permiſit vt laberentur pedes noſtri,& caderemus in mortem & exterminium.
9 Tu enim mi Deus probaſti nos multis tribulationibus, igne tribulationis nos examinaſti, * ſicut igne examinari ſolet argentum, quod non ſolum igne non conſumitur, ſed mundum declaratur, puriúſque redditur.
10 Permiſiſti nos induci in captiuitatem & ſeruitutem, qua tanquam laqueo quodam incluſi arctabamur:venire feciſti ſuper nos grauiſſimas afflictiones,multum nos deprimentes,* impióſque homines ita nobis impoſuiſti,& dominari feciſti,vt inſtar iumentorum nobis abuterentur, ac velut equis inſiderent.
11 Et,vt in ſumma dicam,varias maximáſque calamitates experti ſumus,quibus propemodum tanquam igne quodam abſorpti, & quaſi aqua inundante demerſi eramus. *Verùm iam tandem tua benignitate nos ex omnibus his malis eduxiſti in refocillationem.
12 Propter quod introibo in domum tuam cum holocauſtis, perſoluam tibi vota mea,quæ cùm in malis verſarer, diſtinctè & clare protulerunt labia mea.
13 Et quæ os meum locutum eſt in tribulatione mea.
14 Holocauſta pinguia medullis & adipe plena offeram tibi ſimul cum incenſo thuris,quod in arietum & aliorum oblatione tibi adoletur *offeram tibi boues cum hircis.
15 Omnes qui timetis Deum,huc accedite,& audite, & narrabo vobis quanta fecit animæ meæ. c
16 Ecce ad ipſum ore meo clamaui pro auxilio,*& inter clamandum exaltaui illũ lingua mea,agnoſcẽs eũ ſolum eſſe,qui me ſaluare poſſet.
17 Quod ſi autẽ inter orandum aſpexiſſem in corde meo iniquitatem malè

máléque mihi conſcius fuiſſem,& praua intentione illum fuiſſem deprecatus,vtique non exaudiſſet me Dominus.
18 Quoniam autem vero puróque corde illum inuocaui, ideo exaudiuit me Dominus,& attendit precationi meæ.
19 Laudatus ſit ab omnibus Deus, qui non auertit orationem meam à ſe,& miſericordiam ſuam à me.

ANNOTATIONES.

a TErribilis, &c.] Græca habent ὡς φοβερὸς, quàm terribilis.
b QVI DOMINATVR, &c.] Græca qui dominatur in virtute ſua ſeculo,quomodo & Hieronymus vertit ex Hebręo.Sic enim eſt Græcis: τῷ δεσπόζοντι ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος.
c CVM INCENSO ARIETVM.] Hanc orationem plerique ſic intelligunt:offeram tibi holocauſta ſimul cum oblatione arietum, quos tibi incendam & adolebo.Verùm non videtur hęc interpretatio conueniens.Primùm,quia incenſum propriè dicitur,ſuffitus thuris,nam & Græcis eſt θυμίαμα. Deinde cum dicitur:offeram tibi holocauſta cum incenſo,&c.ſignificatur incẽſum eſſe diuerſum ab holocauſtis.In Græcis autem codicibus nõ eſt hęc difficultas,in quibus legitur: μετὰ θυμιάματος καὶ κριῶν,hoc eſt,cum incenſo & arietibus, quomodo & Auguſt.legit.Hanc tamen lectionem Hieronymus improbat in epiſt.ad Suniam & Fretillam, noſtrámque præfert,eo quod in Hebręis non habeatur coniunctio,&c.Verti autem ex Hebręo poteſt hoc modo:offeram tibi medullata holocauſta cum incenſo, arietes ſcilicet offeram, atque hoc modo vertit Campenſis,& alij aliquot, ſicq; omnis difficultas eſt ſublata.In noſtra tamẽ litera duplex inconuenientia,quæ adducta eſt,tolli poteſt duobus modis.Primum eo modo quem indicat paraphraſis.In holocauſtis enim ſemper debebãt ſimul offerri libamina,cũ libaminibus verò thus, vt docet Leuitici liber.Secũdò,vt genitiuus,arietũ, nõ conſtruatur cum nomine,incenſo, ſed cum, holocauſta,& hoc modo oratio ordinetur:holocauſta, medullam arietum offeram tibi cum incenſo.Notandum autem quod holocauſtorum tantum mẽtionem facit, eo ꝙ hæc offerri ſolebant peculiariter in gratiarum actionem. Deinde his tribus, nempe arietibus,bobus & hircis,omnis generis holocauſta complexus eſt.Nã ex his tribus ſpeciebus holocauſta fiebant,vt docet primum cap.Leuitici 1.
d ET EXALTAVIT SVB LINGVA.] Legendum eſſe,exaltaui, non autem exultaui, originalia docent.Gręca enim habent ὕψωσα. Porro prępoſitio,ſub,pro prępoſitione,in, poſita eſt: quẽadmodum & alibi,dum dicitur:Sub lingua eius labor & dolor, &: Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quod annotat etiam Euthymius Grȩcus.

In finem in hymnis Pſalmus cantici Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LXVI.

PSalmus iſte,oratio eſt prophetica,qua Dei miſericordia,benedictio & ſalus per Chriſtum & ſuper omnes gentes ventura,multa verborum replicatione,ob deſiderij intentionẽ poſtulatur,vt hac ſalute exhibita,& per vniuerſum orbem prædicata,omnes Gentes Deum reuereantur,ac laudent,atque in eius benignitate lætentur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis.
** illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*
2 Vt cognoſcamus in terra viam tuam,
** in omnibus gentibus ſalutare tuum.*
3 Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.
4 Lætentur & exultent gentes,quoniam iudicas populos in æquitate,
** & gentes in terra dirigis.*

5 Confiteantur tibi populi Deus confiteantur tibi populi omnes,
**terra dedit fructum ſuum.*

OMnibus votis id vnicè poſtulo, vt Deus miſereatur aliquando humano generi,& bene faciat nobis,*vtque illuceſcere faciat lumen vultus ſui ſuper nos,fauorem ſuum nobis declarando, cũ hactenus nobis offenſus fuerit,& vt iam tandem miſericordiam faciat nobiſcum. Pſ.66. a
2 Vt in vniuerſa terra omnes cognoſcamus viam,qua itur ad te Deus, iam item ac rationem, qua humanum genus ſaluare decreuiſti, * & in omnibus gentibus cognoſcatur tua ſalus,tuúſque ſaluator quem redimendo homini præparaſti.
3 Fac quæſo ô domine,vt hac tua ſalute vbique manifeſtata,laudẽt te non ſolum Iudæi,ſed populi multi,vt laudent,inquã,te populi omnes.
4 Fac vt omnes gentes te tuámq; æquitatẽ & bonitatem cognoſcẽtes animo lætẽtur,& voce ac corpore exultent,ob id quòd omnes populos ſumma æquitate iudicas,regis,& moderaris,nemine per vim opprimẽs, immo omnes tibi fidẽtes ab impiorum,tum hominum,tum dæmonum tyrannide liberans,reddẽnſque,vnicuique ſecundum opera ſua:
* lætentur & ob id quòd non Iudæos tantum, ſed omnes etiam gentes in terra tanquam bonus omnium paſtor deducis, dirigens eas ad viam veritatis ne errent,nec aliquo eos bono carere permittens, qui ſe tibi committunt.
5 Fiat,inquam,ô Domine te iterum ac iterum precor,vt confiteantur tibi populi multi,vt confiteantur tibi populi omnes, * ob id quia terra, quæ cœlo hactenus clauſo,nec rorante in eam,ſterilis in pietate & vera iuſtitia permanſit,nunc tandem cœlo, nubibúſq; pluentibus iuſtitiam protulit, fructum ſuum, diu ex ea deſideratum, ſaluatorem ſcilicet mundi

6 *Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus,*
* *& metuant eum omnes fines terræ.*

mundi,qui vitam toti mundo largitur, & per eum iuſtitiæ ac bonorum operum in hominibus vbertatem.
6 Benefaciat nobis Deus Deus noſter,benefaciat nobis Deus,*ſicque fiat vt reuerentur illum omnes,qui etiam extremas mundi partes inhabitant.

ANNOTATIONES.

a SVnt qui hunc Pſalmum intelligũt eſſe orationem Prophetę,qua fauorem Dei ſuper populo Iſraelitico ſuo tẽpore precatur,intelligentes in eo quod hic dicitur:terra dedit fructũ ſuum:verbum, dedit,poſitum pro deprecatiuo,det,& precari pro phetam fertilitatẽ terræ promiſſionis. Verũ quoniam fertilitas terræ illius,& fauor peculiariter illi populo exhibendus,non poteſt videri conueniens ratio lætitiæ omnium gentium, magis intelligendum eſt,eum precari vel ſolum,vel potiſſimum, ſalutem per Chriſtum toti humano generi exhibendam. Et eã partẽ,terra dedit fructũ ſuum, de eodẽ fructu accipere,de quo loquitur & poſtea,cùm dicit:Etenim Dominus dabit benignitatem,& terra noſtra dabit fructum ſuum,vbi prophetã loqui de fructu ſpirituali ſatis patet ex præcedentibus,dum dicit:Veritas de terra orta eſt,&c.Magis autem patet prophetam loqui de cõmuni humani generis ſalute,ex eorum verſione qui omnia verba imperatiui modi hic poſita vertunt per futurũ indicatiui. Deus miſerebitur noſtri,&c. Cõfitebuntur tibi populi omnes, &c.Nam vtroq; modo hæc omnia ex Hebræo verti poſſunt.

VT COGNOSCAMVS.] Τὸ γνῶναι ἐν τῇ γῇ, &c.Verti etiã hæc pòſſunt:vt cognoſcatur in terra via,quæ verſio magis cõueniret ei quod ſequitur: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

QVONIAM IVDICAS POPVLOS, &c.] b Hebræa & Græca habent verba futuri temporis, iudicabis & diriges. At frequenter apud Hebræos ſic ponuntur futura,vt nõ tantum quod futurum eſt ſignificent, ſed quid ſemper & omni tempore fiat. Vnde & D.Hieronymus ex Hebræo hic vertit,iudicas,& ductor es. Et Diuus Auguſtinus nobiſcum legit:Iudicas & dirigis.

In finem Pſalmus Cantici Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LXVII.

QVoniam D.Paulus in epiſtola ad Epheſios cap.4.ex hoc Pſalmo deſumptum teſtimonium,Aſcendiſti in altum,&c. de Chriſti interpretatur aſcenſione,ac donorum ſpiritus ſancti diſtributione,plerique totum hunc Pſalmum referendum tantum putant ad tempora noui teſtamenti. Verum quoniam omnia pene huius Pſalmi nimis aperte pſaltem loqui ſignificant de beneficijs ac victorijs,vetari populo olim præſtitis,magis fatendum eſt, Apoſtolum teſtimonium illud non ſecundum primum ſcripturæ ſenſum adduxiſſe,ſed,vt frequenter facit,ſi cuncturn myſticum eius ſenſum,qui & in omnibus pſalmi partibus intelligendus eſt. Quantum itaque ad literalem attinet ſenſum,propheta exordiens ab his verbis,quibus Moſen vſum leginius Numeri 10.quoties in deſerto arca Domini cleuabatur & trãsferebatur,precatur in primis Dei virtute diſpergi hoſtes populi eius,vt populo Dei exulrandi in ipſo ſemper ſit occaſionem & ad laudem Dei imitat,cuius benignitatem variis modis declaratam erga populum maxime Iſraeliticum deſcribit, dum eũ mirabiliter deduxit in deſerto, & induxit in montem fertiliſſimum terræ promiſſionis,vbique eum ſub principatu Iudicum variis victorijs de hoſtibus ſuis donauerit,quibus omnibus heroico plane ſermone enarratis precatur rurſum,vt ceptam in populum ſuum benignitatẽ Deus continuare & confirmare pergat,quo deuictis hoſtibus populi ſui,externæ etiam gentes vltro ſeſe cultui veri Dei ſubdant, & ad adorandum Deum in Ieruſalem cõueniant. Poſtremo demũ verſus,ex præſecta olim exhibita Dei in populum ſuum bonitate,pollicetur populo Iſraelitico Deo virtutẽ adiuturam,qua inimicis ſuis facile ſint ſuperiores. Videri autẽ poteſt ex eo quod hic dicitur:Exurgat,& iter facite illi:Pſalmus hic decantatus in tranſlatione arcæ in montẽ Sion:aut, vt alij volũt, cum ad bellum cum ſuis Dauid proficiſceretur. In his autem omnibus intelligi debere adumbratæ myſteria noui teſtamenti non Pauli tantũ citatio & interpretatio docet,ſed & prophetæ verba,quibus omnia terræ regna laudẽ Domino canere hortatur,nimirum quòd præuideret Chriſto totum orbem nomen aliquando daturum. Proinde ſecundum myſticum ſenſum,præſens Pſalmus,oratio eſt eccleſiæ contra hoſtes populi Dei viſibiles & inuiſibiles,in quas de Chriſti in cœlos aſcẽſione, ſpiritus ſancti miſſione, Apoſtolorum prædicatione,Gentium in eccleſia vnione,& euangelicæ prædicationis efficacia,aliiſq; fidei noſtræ myſterijs gloriatur eccleſia,continuationem diuinæ erga ſe benignitatis obnixè rogans,ſibiq; promittens.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius.*
*& *fugiant,qui oderunt eũ, à facie eius.*
2 *Sicut deficit fumus,deficiant,*
* *ſicut fluit cera à facie ignis,ſic pereant peccatores à facie Dei.*
3 *Et iuſti epulẽtur,& exultent in conſpectu Dei,*
* *& delectentur in lætitia.*
4 *Cantate Deo, Pſalmum dicite nomini eius,iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum.*

NE'quæſo diutius Deus quaſi dormiens ſuam pro nobis diſſimulet potentiam ſed exurgat,exerens ſuam pro noſtra ſalute potentiam, & per eam diſpergantur inimici,non tam noſtri quàm eius,*à potentia virtutis eius pro nobis declaratæ fugiant qui oderunt eum. *Pſal.67*
2 Sicut fumus ſtatim ac ſine negotio deficit,vt minimè appareat, maximè ſi vi ventorum impellatur,ita & inimici Dei,virtute diuina propulſi,deficiant:&*ſicut liqueſcit cera à præſentia ignis,ita pereant peccatores à præſentia potentiæ Dei,qui eſt ignis voraciſſimus.
3 Sicque fiat,vt iuſti ſolemnes & feſtiuas epulas celebrantes,lætentur in præſentia Dei,*& lætitia magna delectentur.
4 Cantate ô iuſti in laudem Dei,hymnum dicite in honorem nominis eius,præparate viam illi qui tã excelſus eſt,vt vehatur ſuper occaſum,& tenebris inſideat, nimirum quia tenebroſa nobis ſunt latibula gloriæ

eius

* *dominus nomen illi.*

eius,humanis oculis prorſus imperceptibilis. Nomen eius eſt,*Dominus omnium,qui vt ſolus eſſe à ſeipſo habet,ita omnibus eſſe & fœliciter eſſe largitur.

5 *Exultate in conſpectu eius,*
** *turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum.*
6 *Deus in loco ſancto ſuo,*
* *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

5 Iuſtum ſane eſt,vt vos qui populus eius eſtis,exultetis in præſentia eius,* ſicut contra impij (& quidem meritò) conturbabuntur timore & horrore magno à præſentia eius, qui pater eſt pupillorum, ac iudex viduarum,omniúmque qui humano deſtituti ſunt auxilio & præſidio.
6 Deus qui habitat in ſanctiſſimo ſuo cœlorum habitaculo,hic inquã, Deus quantumuis longè videatur ab hominibus diſſitus, tamen humilia reſpicit,& terrena curat,atque ſua potẽtia mirabilem in hominibus mutationem operatur.*Nam eos qui paulo antè fuerant ſoli ſine liberis,ſimplici miniméque diſtracta vita degentes,facit ſubinde vt habeãt domum familia pleniſſimam. b

7 *Qui educit vinctos in fortitudine,*
* *ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.*

7 Ipſe item per ſuam fortitudinem eos qui vincti fuerant, aut graui ſeruitute preſſi,aſſerit in libertatem.*qui etiam per nimiam ſuam benignitatem eos qui ad iram ipſum frequenter prouocarant, cum habitarent in locis aridis & horridis,ac calamitate plenis, vbi mortuis ſimiles videri poterant,ex huiuſmodi locis eduxit in regionem fœcundam, in qua fœliciter viuerent. c

8 *Deus cum egrederis in conſpectu populi,*
* *cum pertranſires in deſerto,*
9 *Terra mota eſt*
**etenim cœli deſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſrael.*

8 Deus cum olim gradereris ante populum tuum, ducem te illi præbens in columna nubis,*cùm ante ipſum pertranſires in deſerto. d
9 Terra à tua præſentia commota eſt,nempe cum legem populo tuo in monte Sinai traderes,*ſed & cœli ſtillauerunt manna,fulgura & pluuias,propter præſentiam Dei,qui in Sinai apparuit,propter præſentiam, inquam Dei Iſraelis.

10 *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ,*
**infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.*
11 *Animalia tua habitabunt in ea,*
* *paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.*
12 *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

10 Eadem ſane tua potẽtia & bonitate tu etiã iam nobiſcum gradiens & habitans,pluuiam liberalem ex tua benigna voluntate ſeorſum deſtinabis terræ,quam tibi iure hæreditario vẽdicaſti. Nam ſicut populo tuo in deſerto pluiſti manna,ita & ſperamus te terræ tuæ è cœlo abũdè tuis donis prouiſurum,*quæ quidem aliquandiu variis malis afflicta fuit. Verùm tu eam modò rurſum ſtabiliuiſti,depulſis fractiſque hoſtibus eius, donans eam pace,omnibúſque bonis frui. e
11 Hi,quos tanquam tua animalia tibi paſcendos ſuſcepiſti,habitabũt in hac tua terra,*nullis noſtris meritis,ſed per dulcedinem tantum tuæ bonitatis paraſti cibum,atque de neceſſariis proſpexiſti,ô Deus pauperi tuo populo,à variis tyrannis grauiter afflicto.
12 Nec tantum è cœlo ſuis bonis proſpiciet populo ſuo,ſed,ſicut ſæpe fecit,inſignes etiam ei victorias præbebit,per quas ſuppeditabit ſermonem his qui annuntiabunt lætiſſimum nuntium de obtenta præclarè victoria exercitus Dei.

13 *Rex virtutum dilecti,*
**& ſpeciei domus diuidere ſpolia.*
14 *Si dormiatis inter medios cleros,*
* *pennæ columbæ deargentatæ,& poſteriora dorſi eius in pallore auri.*

13 Dabit etiam Dominus noſter rex exercituum dilectiſſimi populi ſui,*dabit,inquam,ſpecioſæ ſuæ domui,populo ſcilicet ſuo domeſtico, vt diuidat ſpolia hoſtium ſuorum. g h
14 Huius benignitate vos populus eius,qui prius prementibus multis malis,atri fuiſtis,& inglorii,cùm deuictis omnibus hoſtibus veſtris fœliciter requieueritis in medio ſortium veſtrarum,intérque terminos hæreditatis veſtræ,*tunc eritis ſicut deargentatæ pennæ alicuius columbæ,cuius dorſum fuluorem habet auri,hoc eſt,candidi,læti,atque feſtiui eritis. k

15 *Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon,*
* *mons Dei, mons pinguis.*

15 Eo quòd cœleſtis & omnipotens Dominus iam diſtribuit ſuper ſuã hæreditatem qui eam regat,ob id ij qui eam inhabitant,veluti niue dealbabuntur,ad ſimilitudinem montis Selmon,*Sane iam bene declaratum eſt,quòd iſte mons,in quo ſibi Deus ſuam inter nos peculiarem delegit habitationem,mons eſt admodum pinguis & fertilis multorũ bonorum,quæ hinc nobis à Deo proueniunt.

16 *Mons coagulatus,mons pinguis,*
**vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?*
17 *Mons,in quo beneplacitũ eſt Deo habitare in eo,*
* *etenim Dominus habitabit in finem.*
18 *Currus Dei decem milibus multiplex,milia lætantium,*
* *Dominus in eis in Sinai in ſancto.*

16 Mons iſte eſt ad modum caſei coagulati firmiter ſolidatus, caſeíq; ac butyri pinguedinem reddens:mons,inquam,eſt admodum pinguis, l
* proinde vt quid cogitatis de aliis,neſcio quibus,montibus ſolidis ac pinguibus, aut alios expectatis montes, cùm nulli ſint qui huic monti comparari valeant.
17 Hic enim mons eſt,inquo complacitum eſt Deo vt peculiariter habitaret in eo,*ſed & Dominus habitabit in eo imperpetuum.
18 Currus,quibus Deus inuehitur,in infinitum ſunt multiplicati: hi autem currus,ſunt multa angelorum lætantium milia, per quos potenter & celeriter vbiuis locorum quæcunque vult peragit, fortis admodum contra hoſtes populi ſui: * his autem multis ſuis curribus Dominus iam inequitat in ſuo ſanctuario, ſanctóque hoc ſuo monte, ſicut olim fecit in Sinai,vt meritò in ipſum fidere debeant, quotquot in hoc

monte colunt eum.

19 Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem,
** accepisti dona in hominibus.*

19 Te pro nobis pugnante Domine gloriosus victor de hostibus nostris euasisti,ac veluti in altum ascendisti instar triumphantiũ,qui parta victoria currus triumphales ascendunt,omnibus præeminentes, captiuos post te traxisti hostes tuos,*quos tamen ita tibi deuinxisti, vt vltro se offerrent,tũque seruituti addicerent.

20 Etenim non credentes inhabitare Dominũ Deum.
21 Benedictus dominus die quotidie,
** prosperum iter faciet nobis, Deus salutarium nostrorum.*

20 Nam eos qui tibi prius rebelles fuerunt, & credere tuis verbis recusauerunt,sic accepisti tibi,vt tu Dominus Deus inhabitares inter eos, & ab eis agnoscereris & colereris. m

21 Benedictus atque laudatus sit ab omnibus Deus per singulos dies pro variis suis erga nos beneficiis,*ipse Deus auctor omnium saluationum nostrarum,tanquam bonus pastor fœliciter nos deducet in omnibus nostris negotiis. n

22 Deus noster,Deus saluos faciendi,
**& domini Domini exitus mortis.*

22 Deus noster,Deus est habens potestatem faciendi eos saluos quos vult,*& in potestate Domini Dei sunt varii exitus mortis: variis enim modis nouit & potest suos è morte eripere.

23 Veruntamen Deus confringet †capita inimicorum suorum,
**verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

23 Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum,†principes eorum penitus perdet,omnésque suos hostes,quasi confractis eorum capitibus perfectæ internecioni dabit,*cõfringet verticem capillo sum eorum qui perseuerant in delictis suis,obstinati in malitia.

24 Dixit dominus ex Basan conuertam,
** conuertam in profundum maris.*

24 Dixit Dominus,redire faciam populum meũ cum triumpho,|deuictis hostibus eius:sicut olim meos redire feci ex Basan,occiso Og rege Basan cum omnibus suis redire,inquam,meos faciam,sicut olim feci in profundo maris rubri,per quod meos illæsos eduxi, suffocato Pharaone cum omni robore Ægypti. o

25 Vt intingatur pes tuus in sanguine,
** lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

25 Sic,inquit Dominus,te populum meum cum triumpho redire faciam,vt ex multa hostium tuorum strage pes tuus tingendus sit sanguine interfectorum,*& lingua canum tuorum tingenda sit ab occisis inimicis tuis,ex ipso scilicet sanguine effuso.

26 Viderunt ingressus tuos Deus,
** ingressus Dei mei regis mei,qui est in sancto.*

26 Et certè quod tuis Domine promisisti,id eis iam frequẽter egregiè præstitisti.Viderunt enim tui iam sæpe & experti sunt,quomodo cũ eis egressus sis ad pugnam.& cum triumpho à pugna regressus secundum tuam promissionem.*Viderunt certè populi ingressus Dei mei & regis mei,qui in suo sanctuario præsidet.

27 Præuenerunt principes coniuncti Psallentibus,
**in medio iuuencularũ tympanistriarum.*

27 Itaque potita per te victoria,cum triumphali pompa domum redeuntes præcesserunt in solenni populi tui conuentu principes, coniuncti his qui instrumentis ludebant musicis,*qui victoriosos principes præibant,ludentes in medio puellarum circumfusarum,in tympanis etiam ob lætitiam pulsantium,atque dicentium:

28 In ecclesiis benedicite Deo domino,
**de fontibus Israel.*

28 In sacris vestris cœtibus laudate Deum, Dominum inquam, laudate,*vos qui emanastis è filiis Iacob veluti è fontibus eius.

29 Ibi Beniamin adolescẽtulus in mentis excessu.

29 In his autem populo tuo præstitis triumphis, tribus Beniamin minor numero reliquis tribubus,facta est in maximo mẽtis stupore & admiratione ob glorioſas per suum Saulem partas victorias. p

30 Principes Iuda duces eorum,
**principes Zabulon,& principes Nephtalim,*

30 Ibi & aderant principes ex tribu Iuda, duces populi tui, per quos item triumphũ agere de hostibus populo tuo dedisti,*Similiter & principes ex tribu Zabulon,& tribu Nephtalim,qui & ipsi quãdoque populi tui duces gloriosè de inimicis per te triumpharunt. q

31 Manda Deus virtuti tuæ,
** confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis.*

31 Proinde quemadmodum iam frequẽter tua fortitudine nobis adfuisti,ita & in posterum præcipe, ô Deus, potentiæ meæ, fac eam nobis semper adesse contra hostes nostros,*perge quæso confirmare id quod cœpisti in nobis.

32 † A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera,

32 Id cùm feceris,iam propter splendorem & celebritatem templi tui quod in Ierusalem tibi ædificabitur,reges terræ offerent tibi munera: †Per vniuersam quoque terram,incipiendo à templo tuo Hierosolymitano,reges te suis muneribus colent.

33 Increpa † feras arundinis,
** congregatio taurorum in vaccis populorum,*
** vt excludant eos qui probati sunt argento.*

33 Quare tuæ potentiæ robore,cohibe sæuissimos hostes nostros, armatos lanceis ex durissima arundine paratis:†quique similes sunt feris, in arundinibus & caricibus nidum sibi & latibula facientibus:*Congregati enim sunt fortissimi & ferocissimi principes, velut tauri quidam, simul cum populis suis in modum vitularum lasciuientibus,* vt expellant è sua hæreditate eos qui tibi probati sunt,ad similitudinem purissimi argenti.

34 Dissipa gentes quæ bella volunt,venient legati ex Aegypto.
** Aethiopia præueniet manus eius Deo.*

34 Disperge populos qui tuis volunt bella, quod cùm feceris, venient vltrò legati ex Aegypto,tecum & cum populo tuo fœdus inire cupientes:*Æthiopes festinabunt porrigere manus suas Deo, fœdus cum eo pacisscentes,& ad eum adorandum manus suas extendentes,ac munera illi adferentes.

35 Regna terræ cantate.

35 *Vniuersa regna terræ communem vestrum & nostrum dominum nobiscum

Deo,psallite Domino,
36 Psallite Deo, qui ascendit super cœlũ cœli ad orientem:

nobiscum carminibus celebrare,psallite in honorem eius.

36 Psallite,inquam,Deo,qui altissimus & super omnes est. Ipse enim insidet & vehitur in supremo cœlorum circa orientem, vbi lucis sedes est,vnde lumen omne dimanat. r

37 Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo,
**super Israel,magnificentia eius & virtus eius in nubibus.*

37 Atque vt est altissimus, ita & potentissimus. Ecce enim ipse cùm vult,dabit voci tonitrui sui,vt sit vox admodum potens,& ad faciẽdum mirabilia efficax:date gloriam Deo, *magnificentia enim potentiæ & bonitatis eius in populo Israelitico declarata est,& fortitudo eius in nubibus relucet,vnde potenter fulgura & tonitrua, pluuias & grandines terræ immittit.

38 Mirabilis Deus † in sanctis suis,
** Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ,benedictus Deus.*

38 Verè mirabilis est Deus in suis sanctuarijs,†& in hominibus quos sibi in sua sacraria sanctificauit.Deus Israelis ipse dabit robur & fortitudinem plebi suę:benedictus proinde & laudatus sit semper ab omnibus Deus.

ANNOTATIONES.

a QVI ASCENDIT SVPER OCCASVM.] Non est hic illud ascẽdere,quod postea:cùm dicitur: Ascẽdisti in altum,&c.nec significat talem ascensionẽ,quali Christũ in cœlum dicimus ascendisse.Hebraica enim dictio propriè significat inequitare.Itaq; sic dicitur Deus ascendere super occasum,quomodo in alio psalmo dicitur ascendere super Cherubim,& qũo hominẽ dicimus ascẽdere super equum.Porrò pro eo quod nos habemus occasum,siue,vt verterunt Septuaginta δυσμῶν, hoc est,occasus, plurali numero, Hebræi dictionem habent,quæ aliquando vesperam significat, aliquãdo solitudinem aliquando supremum cœlorum,dictũ עֲרָבוֹת araboth,propterea quòd desertum sit stellis : atq; in hac postrema significatione cõmuniter hic Hebræi accipiunt,vt significetur Deus inhabitare summum cœlum, ꝙ empyreũ dicitur:in quo sensu postea dicitur Deus ascendere super cœlum cœli.Ad primam autem significationem respexerunt Septuaginta,volentes, vt videtur, significare Deum nobis sedere in tenebris,cò ꝙ nobis sit inuisibilis.In quo sensu & prius dictum est Psalmo 17.Deum posuisse tenebras latibulum suum,&c.

b DEVS QVI INHABITARE FACIT,&c.] Notandum hic primum,quod & D.Augustinus diligenter annotauit.Græcis non esse relatiuum,qui, sed tantum,Deus inhabitare facit:quomodo & impressi quidam codices iam habent. Deinde notandum pro vnius moris,& Hebræis & Græcis vnicã esse dictionem.Et Hebræa quidem dictio יְחִידִים Iehidim,significat vnicos & solitarios,vnde omnes intelligunt significari:Deum frequẽter efficere, vt hi qui soli sunt & vnici sine omni sobole fiant multorum filiorum parentes, iuxta illud Psalmi 112. Qui habitare facit sterilem in domo,matrem filiorum lætantẽ.Græca verò dictio μονοτρόπους,etsi propriè significet eos qui sunt vnius modi, vel vnius moris, vnde in Psalterio Romano legitur, vnanimes:significat tñ etiã homines cœlibes & solitarios,vt rectè intelligatur idem à Septuaginta significatum,quod in Hebræis iam omnes intelligunt. Quod & Symmachus intellexit,cùm vertit μονοκαχοὺς,hoc est monachos,qui scilicet soli degunt sine prole.Quales & rectè dicuntur vnius moris homines,quod seorsum sibi viuãt familiæ amplitudine non diuisi in varia.Proinde quamuis hunc sensum nostra lectio non tam facilè admittit, eum tamẽ in paraphrasi sequi maluimus, quã alios quosuis,qui nostræ quidem literæ magis conueniunt, sed ab originali & scriptoris intẽtione sunt alieni.

c QVI HABITANT IN SEPVLCHRIS.] Pro sepulchris, dictio Hebraica propriè significat loca arida & sicca. Proinde hic sepulchra accipi debent eo modo,quo Ezechielis 37.vbi terra Babylonica dicitur sepulchra Iudęorum.Sic & Ægyptus & desertum,quasi sepulchra fuerunt populi Israelitici,è quibus eum populum,etsi Deum frequenter exasperantem,Deus tamen eduxit. Quomodo enim in regione vmbræ mortis scriptura habitare dicit eos qui in multis viuunt calamitatibus,ita hic habitare eos in sepulchris.

DEVS CVM EGREDERERIS.] Desumpti d sunt hi duo versus ex cantico Deboræ, quod describitur Iudicum. 5.in cuius principio eadem penè leguntur.

PLVVIAM VOLVNTARIAM, &c.] Versus hi dupliciter accipi possunt. Nam intelligi e potest Prophetam prosequendo quod narrare cœperat,commemorare Dei beneficia, quibus populum in deserto affecit, prouidendo eis de omnibus necessariis ad vitæ sustentationem, & instar pastoris eis prospiciendo,vt per pluuiam voluntariam,vel, vt habent Hebræa, liberalem, intelligatur manna, quod instar pluuiæ Deus populo suo demisit, vnde & alibi dicit : pluit illis manna ad manducandum.Iuxta quem intellectum verba futuri temporis,segregabis, &,habitabunt, per præterita sunt exponenda,quomodo & sequẽtia præterita, infirmata est, perfecisti & parasti, videntur requirere.Vnde & diuus Hieronymus ex Hebræo omnia per præteritum vertit.Intelligi etiam potest Prophetam ex consideratione beneficiorum, quæ olim in deserto Deus suo populo præstitit, polliceri futuris temporibus similiter illum adfuturum eidem populo, quem sibi in suam delegit hæreditatem : aut benefacturum terræ, quæ & ipsa Dei hæreditas sæpe dicitur, vt per pluuiam voluntariã & liberalem, significentur omnia Dei beneficia, quibus abundè populum suum è cœlo pascit,ei de necessariis prouidendo. Et primum quidem promittit Deum prospecturum suis,de his quæ ad victum pertinent : Deinde verò pollicetur & victoriam Deum suis cõcessurum de hostibus ipsorum. Id enim significatur versu sequenti:dominus dabit verbum,&c.

DOMINVS DABIT VERBVM,&c.] Communiter quidem hic versus intelligitur de prædicatoribus Euangelij,in hoc sensu:Dabit dominus Euangelizantibus verbum,idq́ue cum magna efficacia.Verùm pro dictione,virtute, ponitur apud Hebræos צְבָאוֹת tsaba, vnde tsaboth. quæ dictio non significat propriè potentiam & efficaciam,sed exercitum.Vertunt quidem Septuaginta eam dictionem semper per δυνάμεις, sed eam dictio-

nem videntur accipere pro exercitu, vt cum dicunt dominum δυνάμεων, virtutum, hoc eſt exercituum. Pro dictione autem, euangelizantibus, quæ, vt patet ex Græcis, eſt generis maſculini, τῶν εὐαγγελιζομένων, apud Hebræos ponitur genus fœmininum. Vnde Hieronymus vertit, annuntiatricibus fortitudinis plurimæ. Proinde Hebræi hunc verſum ſic intelligunt: Dominus dabit carmẽ triumphale in ore annuntiatricum mulierum, annuntiantium victoriam exercitus Iſraelitici populi, aut fortitudinem per Deum pro populo ſuo exhibitam. Mos enim erat, mulierum in triumphis carminibus muſicisque inſtrumentis epinicia cantare. At verò Septuaginta fœmininum genus acceperunt poſitum pro genere maſculino, quemadmodum aliquoties apud Hebræos fit. Atq; in hũc modum etiã accepit Chaldæus Paraphraſtes, qui ſic hunc verſum reddidit: Deus dedit verba legis populo ſuo, mediantibus Moſe & Aaron, qui annuntiauerunt verbum Dei exercitui magno Iſraelis. Illa autem oratio, virtute multa, duobus modis accipi poteſt. Primùm vt ſit idem quod, cũ magno annuntiantium exercitu. Secundò, vt ſit ſenſus: annuntiantibus de multo potentique exercitu, quomodo ſcilicet Dei virtute de ſuis hoſtibus glorioſè triumphauerit Dei populus, vt ſubaudiatur in noſtra lectione præpoſitio, de.

g REX VIRTVTVM DILECTI.] Græca non habent niſi ſemel genitiuum, dilecti, nec habent coniunctionem, &. Et Auguſtinus notat diligentiores codices, aſteriſcum appoſuiſſe repetitæ dictioni, dilecti, ad ſignificandum eam non eſſe apud Septuaginta. Nec tamen ea auferenda eſt, quia in
h Hebræo eſt repetita dictio, quæ cũ eis punctis quę modo habet, ſignificat, fugient, fugient. Cum aliis vero punctis quæ legiſſe apparet Septuaginta, ſignificat dilectum.

SI DORMIATIS INTER MEDIOS, &c.] Pro, inter medios cleros, ferè ex Hebræo nunc vertunt, inter chytropodas, vel trypodes & ollas, vt ſit ſenſus, etiamſi habitaueritis inter loca humilia & nigra, vbi ponuntur ollæ & caldaria, tamen eritis denceps clari, candidi, & glorioſi. Videtur autem verus huius orationis ſenſus petendus ex ſimili loco, qui eſt Geneſeos 49. cum dicitur de Iſachar, quod ſit aſinus fortis accubãs inter terminos. Nam & ibi pro, accubãs inter terminos, Hebræis eſt idẽ quod hic legimus, dormiatis inter medios cleros. Et Septuaginta ibi verterũt pro inter terminos, eodem modo vt hic, ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, hoc eſt inter medium clerorũ, vel, vt noſter vertit, inter medios cleros, hoc eſt, ſortes. Cùm ergo ſecundum eã verſionem intelligendum ſit, Iſachar inter ſortes filiorum Iſrael ſibi quietam delegiſſe habitationẽ, etiam hoc loco rectè ad literam intellexerimus ſignificatam quietam in terra promiſſionis inter ſortes Iſraelitis diſtributas manſionem: & cõſequenter in myſtico ſenſu, eccleſiæ quietem, quam poſſidet in ſortibus ſuis, hoc eſt particularibus eccleſiis quæ cuique velut ſorte cõtingunt. Vnde & Petrus ea, cleros vocat, cum dicit paſtores non debere dominari in cleris, hoc eſt, vt prius dixit, in grege ipſis commiſſo. Itaq; inter medios cleros, accipietur poſitum pro in medio clerorum, vt habẽt Græca: & illud pro, inter cleros, hoc eſt, ſortes, vel, vt vertit Diuus Hieronymus, inter terminos. Diuus Auguſtinus doctè annotauit per hoc φ eſt dictum, inter medios cleros, vel in medio clerorũ, ſignificatũ eſſe duas eſſe ſortes, inter quas eſt dormiẽdũ, quas proinde putat intelligendas: vel duo teſtamẽta, vel potius hæreditatem vitæ temporalis, & hæreditatẽ vitæ æternæ: vt inter duas has hæreditates dormire, ſit nec illam iam ardenter quærere, & iſtam patienter expectare. Et reuera dictio Hebraica hoc loco poſita dualis numeri eſt. Vnde Geneſeos 49. vertunt: Iſachar aſinus fortis accubans inter duas ſarcinas. Alij: inter duos terminos, & aſſignant terminos hos, mare mediterraneum, & mare Galileę, inter quæ ſuam habuit ſortem tribus Iſachar.

IN SELMON.] Nomen Selmon Septuaginta i
acceperunt, vt ſit nomen proprium mõtis, de quo fit mẽtio in libro Iudicum: quem aiunt ſemper niue candere. Alij illud nomen accipiunt, vt ſit nomen appellatiuum, ſignificans obſcuritatem, vmbras & tenebras, vt ſit ſenſus: velut nix dealbabuntur hi qui prius verſabantur in aduerſitatum obſcuritate & triſtitia.

MONS DEI, MONS PINGVIS.] Videri po- k
terat per montem Dei ſignificare ad literam montoſam promiſſionis terram, de qua dicitur Pſal. 77. Induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius, Hæc enim terra verè pinguis & fertilis fuit, atque iuxta literalem ſenſum in hanc terram Ægyptiis, aliiſque hoſtibus populi ſui tanquam victor aſcendiſſe intelligi potuiſſet, ſecum ducens populum ſuum, quẽ de manu Pharaonis & aliorum ſibi aſſeruerat, atque hoc ipſum figuram fuiſſe aſcẽſionis Chriſti in cœlum, per quã ſecum in cœlum ſubleuauit eos, qui prius ſub diaboli poteſtate captiui detinebantur: verùm quia de hoc monte hic dicitur, quòd Deus ſuam in eo delegerit habitationem, idque de mõte Sion ferè dici ſolet, de monte Sion iſtud ad literam potius accipi debet, qui figura fuit eccleſiæ & militantis & triumphantis. Hunc autem montẽ vocat pinguem, (cùm re vera eſſet ſterilis, & minimè paſcuoſus) propter Dei, illic ſuam potentiã exhibentis, gratiã, quæ ab illo loco omnibus diffluebat: & fertilitatem omnium bonorum, quæ Deum ibi inuocantes abundè perceperunt. Notandum autem, Hebręa non habere, mons pinguis, ſed pro nomine, pinguis, illis eſt nomẽ propriũ loci, Baſan, quæ dictio non ſignificat pinguem, nam hoc ſignificat Daſan, quomodo videri poteſt interpretes Septuaginta legiſſe. Sed mons Sion, appellatur mons Baſan, ad ſignificandum, quod etſi omnino videatur illi fertiliſſimæ regioni & valde paſcuoſæ diſſimilis, tamen ob Dei in eo habitantis præſentiam, & bona inde Iſraeliticis prouenientia, meritò illi ſit conferendus immo præferendus in fertilitate. Notum enim eſt, fertiliſſimam fuiſſe regionem montoſam Og regis Baſan. Itaque bene ſenſum reddidit interpres, vertendo, pinguis.

MONS COAGVLATVS.] Dictio Hebraica, l
ſimiliter & Græca, à caſeo dicitur. Vnde Euthymius interpres magis dicit verrendum, mons caſeatus, vt ſignificetur abundantia butyri & caſei præ pinguedine terræ.

ACCEPISTI DONA IN HOMINIBVS.] m
Magna hic difficultas eſt, quomodo, cum hic ponatur verbũ, accipere Paulus citans iſtud teſtimoniũ ſubſtituat verbum dare, cùm maxima ſit inter accipere & dare differẽtia. Quam difficultatem ſoluẽs Hieronymus ſuper epiſtolã ad Epheſios, ſic inqt: Eleganter hic poſuit, dedit dona in hominibus: cũ in Pſalterio ſcriptum ſit: Accepiſti dona in hominibus. Verũ ibi, quia necdũ factum erat ſed futurum promittebatur propterea dicitur accepiſſe. Hic autem

rem cũ apoſtolus ſcribit, quia iam dederat, & in vniuerſo orbe eccleſiæ fundatæ erant, idcirco nõ accepiſſe dicitur, ſed dediſſe. Ex quibus verbis apparet Hieronymum hunc locũ ſic accepiſſe: acquiſiuiſti à patre varia dona pro poſteris Adæ, quẽadmodũ & intelligit Cãpenſis. Auguſtinus aliter difficultatem ſoluit, ſic dicẽs: Nec moueat φ Apoſtolus idẽ teſtimonium commemorans nõ ait, Accepiſti, ſed dediſti dona hominibus. Ille quippe authoritate Apoſtolica ſecundum hoc locutus eſt, quod Deus filius cum patre fecit. Secundum hoc quippe, dedit dona hominibus, mittens eis ſpiritum ſanctũ, qui ſpiritus eſt patris & filij: Secundũ illud verò, quod idem ipſe Chriſtus in corpore ſuo intelligitur, quod eſt eccleſia, proculdubio & ipſe accepit dona in hominibus. Verùm hic Auguſtini ſenſus non conuenit interpretationi literali. Proinde melius alij videntur ſoluere dubium, dicentes ideo apoſtolum mutaſſe verbum, accepiſſe, in dediſſe, ad ſignificandum quod Deus non accipit dona in hominibus, niſi ſua prius illis det: immo aliud nõ accipere quàm quod dat, vt meritò Deum accipere, non ſit diuerſum ab eo quod eſt Deum dare. Quod vt melius intelligatur, videndum prius quid ſit illud φ præcedit: Cepiſti captiuitatem. Fere enim illud ſic accipitur, vt ſignificetur Deum eos qui ab aliis captiui tenebãtur ſibi cepiſſe & aſſeruiſſe. At ex aliis ſcripturæ locis, vbi hæc phraſis occurrit, patet ea locutione ſimpliciter ſignificari Deũ ſibi quoſdam aſſeruiſſe, ſiue captiui ab aliis tenerentur, ſiue nõ. Nam Deuteronom. 21. vbi nos legimus: Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua captiuoſque duxeris: pro captiuos duxeris, Hebræis eſt, ſicut hoc loco, cepiſti captiuitatẽ, vel captiuaſti captiuitatẽ, Sic & 2. Paralipomenon 28. vbi nos legimus: Reducite captiuos quos adduxiſtis: Hebræis ad verbum eſt, Reducite captiuitatem quam cepiſtis vel captiuaſtis. Itaque capere captiuitatẽ, non eſt aliud quam aliquos ſibi deuincire, & ſubiicere. Ne autem de inuoluntaria ſubiectione & captiuitate loqui propheta putaretur, qualis eſt ea qua principes terreni ſibi quoſdã captiuos abducunt, poſtquam dixit: cepiſti captiuitatẽ: adiecit, accepiſti dona in hominibus: ſignificare volens homines qui prius Deum non agnoſcebant, eique rebelles erant, ſeſe vltrò Deo dedidiſſe. Cui conſonat quod ſequitur, Etenim non credentes, &c. Sic ergo declaratione potentiæ & bonitatis ſuæ Deus ſibi quoſdam captiuauit, vt rebelles ſeſe illi ſpõte ſubmitterent, illisque ſeruitio addicerent. Quod quoniam fieri non potuit, niſi Deo ſua dona effundẽte in hominibus, rectè Paulus, accipere dona in hominibus, mutauit in, dare dona hominibus. Hic videtur genuinus huius loci intellectus, conueniens & literali & myſtico ſenſui. Siquidẽ & tempore Dauidis, pleroſque hoſtes populi ſui ita ſibi Deus per Dauidem & præclaras victorias ſubiecit, vt cognoſcere inciperent quòd ſolus ipſe verè eſſet Deus, vt ob id dicat Pſalmiſta: In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Et tempore noui teſtamenti incredulæ gentes ita à Deo captæ ſunt, vt ſeſe Deo vltro offerrent: & ſic Deus in hominibus acciperet dona, ſed non niſi per hoc, φ eis ſua varia dona dederit.

o DOMINI DOMINI EXITVS MORTIS.] Vt bis ſit poſitum à Septuaginta nomen, Domini, ex eo prouenit, quod apud Hebræos priori loco ſit nomen Dei tetragrãmaton, pro quo legi ſoler nomen Adonai, quod interpretatur: Dominus: poſteriori verò loco, ſit nomen Adonai. Itaque his duobus nominibus nihil aliud ſignificatur, quàm ſi dicas, domini Dei: Vel eſt ſenſus: Domini, domini inquam, ſunt exitus mortis.

DIXIT DOMINVS, EX BASAN, &c.] Verſus p
hic duobus modis accipi poteſt. Primum, vt hic intelligatur Propheta introducere verba, quibus per Moyſen populo Iſraelitico promiſit victoriam de Pharaone, & Og rege Baſan. Secundo, vt intelligatur Deus his verbis promiſiſſe victoriam populo ſuo tempore Iudicum & Dauidis, idq; ad ſimilitudinem victoriarum, quæ præſtitæ erant tẽporibus prioribus, de rege Baſan & Pharaone. Et ſic oportet ſubintelligere aduerbium ſimilitudinis, in vtra que parte, quod frequenter apud Hebręos deſideratur. Atque hæc interpretatio magis videtur conuenire, vbi gloriatur de victoriis Iudicum habitis, ſecundum dei promiſſionem.

IN MENTIS EXCESSV.] Sicut in Pſalmo p
30. annotatũ eſt, non eſſe genitiuum, mentis, ita & hic tantum eſt, ἐν ἐκστάσει, in extaſi vel exceſſu. Ex Hebræo vertunt omnes: dominator eorum. vnde & Hieronymus vertit, continens eos. Eſt enim Hebræis רוֹדַם Rodam, quæ deriuatur à verbo רָוָה Radah cum affixo pronomine. Itaq; ad literã omnes intelligũt Prophetam loqui de Saul, qui prius regnauit apud Iſraelitas: aut de tribu Beniamin, quæ per Saul præfuit Iſraeli. Eadẽ tũ dictio, ſi alia puncta ſubſtituantur, ſignificat ſoporẽ, vel ſoporatum eſſe, vt ſit à verbo רָדַם Radam. Huc ergo reſpexerunt Septuaginta, cum verterunt, in extaſi.

PRINCIPES ZABVLON, &c.] Horũ præci- q
puè facit mentionem, φ hi in cantico Deboræ inſigniter laudentur ob victoriam habitam de Siſara. Secundum myſticam autẽ rationem, Beniamin, principũ Iuda, &c. meminit peculiariter, quod apoſtoli, principes eccleſiarũ, ex his tribubus maximè eſſent. Nam Iacobus & cæteri fratres domini erãt ex tribu Iuda, & cæteri etiam erãt Galilæi. Galilæa autem ſortẽ Nephtalim & Zabulõ cõplectebatur.

QVI ASCENDIT.] Quod hic dicitur de aſcẽ- r
ſu dei ad orientem, communiter refertur ad Chriſti aſcenſionẽ: quem quidã ad orientem aſcendiſſe accipiunt, quia è monte oliuarum, qui eſt ad partẽ Orientalem ciuitatis Ieruſalem, aſcendit. Alij ideo ad Orientem aſcendiſſe intelligunt, quia ad patrẽ aſcendit, quem Oriẽtis nomine ſignificatum accipiunt. Verùm hoc loco pro, aſcẽdit, apud Hebræos eſt idem verbum φ prius, cum dicitur: aſcendit ſuper occaſum quod verbum magis ſignificat ineqtare & vehi ſuper aliquid. Pro eo autem quod Septuaginta verterunt κατὰ ἀναβολάς, ad orientem vel oriẽtes, Hieronymus ex Hebręo vertit, à principio. vt ſit ſenſus: quod deus à principio ſemp omnibus cœlis altior fuerit, & ſupremũ cœlorum inhabitauerit. Videntur autem Septuaginta ſignificare voluiſſe, deum habitare maximè in oriẽte, ad ſignificandum, deũ lucis fontẽ eſſe, ne, quia prius dixerũt Deum aſcendiſſe ſuper occaſus, putetur Deus ex ſeſe tenebroſus eſſe. Nobis enim in tenebris habitat, ſibi verò & ſanctis in oriente, habitans, vt inquit Paulus, 1. Ti. 6. lucem inacceſſibilem.

MIRABILIS DEVS ET.] Græcis eſt, ἐν τοῖς ἁγί- s
οις αὐτοῦ. Nec ex eis conſtat an, ſanctis, ſit maſculinum, an neutrum: ſicut nec ex noſtra lectione. Vnde communiter intelligitur de ſanctis hominibus, vt ſignificetur, Deum in illis mirabilia deſignare; aut ab illis haberi mirabilis. verũ ex Hebręis patet

magis accipiendum in neutro genere. Nã Hebræa dictio non significat proprie sanctos homines, sed sanctuaria dei, hoc est, sancta loca, quæ deus inhabitat, quanquam hæc præcipue sint sancti homines.

Paraphrasis secundum mysticum sensum.

1 Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius,
** & fugiant qui oderunt eũ à facie eius.*
2 Sicut deficit fumus, deficiant,
** sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.*
3 Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei,
** & delectentur in lætitia.*
4 Cantate Deo Psalmum dicite nomini eius,
** iter facite ei qui ascendit super occasum, dominus nomen illi.*
5 Exultate in cõspectu eius,
** turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudex viduarum.*

EXurgat nobis Deus, declarans, pro nobis suam potẽtiam, & per eam dispergantur inimici eius, visibiles pariter & inuisibiles, * in fugam conuertantur qui oderunt eum propter potentiam eius. *Psal. 67*

2 Sicut fumus vi ventorum impulsus, subitò & sine negotio deficit ita hostes Dei, virtute eius populi deficiant priuati omni virtute lædẽdi populum Dei, *ficut liquescit cera propter præsentiam ignis, sic pereant qui in peccatis sunt obstinati, propter præsentiam Dei.

3 Sícque fiat, vt iusti Dei potentiam & iustitiam contemplantes, & de impiorum violentia liberati, coram Deo suaui mentis epulo reficiãtur, & lætentur, *& lætitia solida delectentur.

4 Interim, ô iusti, de Dei ope securi, cuius benignitatem sæpe in vobis experti estis, carminibus Deum celebrate, Psalmos decantate in honorem nominis eius, *parate illi viam in cordibus vestris, qui tam excelsus est, vt inuehatur & insideat tenebris, incõprehensibilis scilicet à nobis. Nomen eius est, Dominus omnium, qui omnibus esse suum diuinum, quod à seipso solus habet, impertitur, per fidem viuificãs credẽtes in se.

5 Iustum sane est, vt contemplantes eius potentiam & bonitatem, coram eo exultetis: *sicut contrà coram eo impij aliquando graui timore turbabuntur, qui se patrem & iudicem exhibet omnium desolatorum ab hoc mundo, vt meritò his nominibus in eo lætari debeant iusti: impij verò conturbari coram eo, qui tanquam iustus iudex nõ sinet iniuriam suorum inultam.

6 Deus in loco sancto suo,
** Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*
7 † Qui educit vinctos in fortitudine.
** similiter eos qui exasperãt qui habitant in sepulchris.*

6 Deus qui habitat in sancto suo cœlorum habitaculo, *ipse inquam, Deus facit eos qui prius soli erant, multa prole fœcundos: gentium ecclesiam prius sterilem, facit matrem multorum filiorum, quos Deo genuit.

7 Ipse est, qui per suam fortitudinem eduxit patres nostros vinctos in limbo inferni, †qui & quotidie multos peccatorum vinculis sub diabolo, mortísque dominio vinctos educit è dira vitiorum captiuitate: * qui per immensam suam benignitatem, etiam eos qui varijs suis peccatis diu multúmque eum exasperauerant, cùm per sua peccata inter mortuos iacerent, in peccatis suis quasi in sepulchris per prauam peccandi consuetudinem requiescentes, educit ex his ipsorum sepulchris in terram viuentium & consortium beatorum.

8 Deus cum egredereris in conspectu populi tui,
** cum pertransires in deserto.*

8 Deus cùm, assumpta humana natura, gradereris coram populo tuo, visibilem te illi exhibens, viámque demonstrans, qua ex huius mundi deserto ascenditur ad veram promissionis terram, regionem scilicet cœlorum. Cùm sic, inquam, pertransires in deserto illius mundi, ducem te populi tui exhibens.

9 Terra mota est,
** etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel.*

9 Tunc terra nouitate cœlestis tuæ doctrinæ, & contemplatione admirandorum tuorum prodigiorum cõmota est, *sed & cœli antea semper clausi cœlestem spiritum ac spiritualia charismata destillauerũt in hunc mundum, propter præsentiam Dei, qui in Sinai olim apparuit, Dei inquam, populi Israelitici.

10 Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ,
** & infirmata est, tu verò perfecisti eam.*

10 Eadem certe Domine tua benignitate, semper tuæ ecclesię, quam tanquam tuam hæreditatem perpetuo possidendam & excolendam tibi delegisti, destinabis liberaliter ex benigna tua voluntate pluuiã cœlestis doctrinæ, ac spiritualium donorum, quibus irrigetur & fœcundetur ecclesia tua: *quam, cùm multis calamitatibus & persecutionibus afflictaretur, tu semper stabiliuisti, vt nunquam deijci potuerit, sed omnia semper mala superauerit.

11 Animalia tua habitabunt in ea,
** parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

11 In hac tua hæreditate semper habitabunt hi, quos tanquam tuas oues suscepisti pascendos. *Nullis ô Deus, nullis hominum meritis prouocatus, sed per solam tuæ benignitatis dulcedinẽ populo gentili omnibus prius cœlestibus bonis destituto parasti quæ ad vitæ spiritualis sustentationem sunt necessaria, nempe vt pabulo verbi diuini, ac sancti corporis tui, donísque spiritus sancti nutriretur, atque ditesceret.

12 Dominus dabit verbum euangelizãtibus virtute multa.

12 Nec tantum Dominus suis de necessarijs prospexit, sed etiam dabit semper glorioſas de hostibus suis consequi victorias, ita vt semper sit prædicatoribus suppeditaturus copiosè sermonem ad prædicãdum de magno fidelium exercitu quomodo Dei virtute suos hostes gloriosè superauerit.

13 Rex virtutum dilecti, dilectic & speciei domus dimidere spolia.

13 Dabit etiã Dominus noster, rex exercituũ & militũ dilectissimi populi sui, dabit, inquã, speciosæ domui, ecclesiæ scilicet suæ, per milites ipsius, vt spolia à deuicto dæmone capta diuidat, constituens diuersis in locis

locis super particulares fidelium, ecclesias, qui eas regant.

14 Si dormiatis inter medios cleros,
** pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.*

14 Vos autem, ô fideles, cùm pace ab hostibus data securè habitare & quiescere cœperitis, vnusquisque in ea parte & sorte ecclesiæ, quam ei Deus diuisit, *tunc vos qui tempore infidelitatis vestræ, vel etiã perse cutionis atri fuistis & fuliginosi, eritis similes columbæ, habentis pẽnas in modum argenti candidas, & dorsum fuluorem auri referens, hoc est, splendidi eritis per candorem & simplicitatem fidei, ac rubicundi per ardorem charitatis, atque ad modum pulcherrimæ columbę, Deo dilectissimi, & ornatissimi.

15 Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.

15 Propterea quòd cœlestis Dominus discernat super suam hæreditatem pastores qui eam regant, ob id hi qui prius habitabant in densis ignorãtiarum tenebris, denigrati atra peccatorum caligine, ad modum niuis dealbabuntur, ab omnibus peccatorum fuorũ sordibus, spirituali baptismatis ac pœnitentiæ lauacro abluti. * Certè iam manifestum factum est, quòd hæc Dei hæreditas, quæ mons Dei est, eleuatus super omnes colles mons sit per abundantiam spiritualium donorum, admodum pinguis ac fertilis.

** mons Dei, mons pinguis.*

15 Mons coagulatus, mons pinguis,

16 Mons iste, mons est coagulo fidei firmiter compactus, multis scilicet populis per vnitatem fidei in vnum coeuntibus & conglutinatis: mons est proferens pinguedinem bonorum operum, quibus tanquam caseo ac butyro mens nutriatur ac pinguescat, mons est admodũ pinguis. *Proinde vt quid, ô fideles, cogitatis alios montes solidos ac pingues? vt quid, præter hunc pinguissimum montem existimatis alios esse pinguiores, quemadmodum faciunt qui ad terrena huius mundi bona confugiunt, aut qui aliarum sectarum dogmata sectantur, ex eis fœlicitatem veram expectantes?

** vt quid suspicamini montes coagulatos?*

17 Mons, in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo,
** Etenim dominus habitabit in finem.*

17 Hic mons est solus, in quo complacuit Deo habitare, * quem nequaquam vnquam deseret, quemadmodum deseruit montem Sinai, montémque carnalem Sion, sed habitabit in eo imperpetuum.

18 Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantiũ, dominus in eis in Sinai, in sancto.
19 Ascendisti in altum,
** cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.*

18 Neque solus hunc montem Deus inhabitat, sed cum multa Angelorum frequentia: quibus tanquam in suis curribus vehitur in hoc suo sanctuario, sicut olim in Sinai.

19 Ita autem, ô Deus noster, pro nobis fœliciter pugnasti, vt tandem deuictis humani generis hostibus, gloriosus victor ascenderis in altitudinem cœlorum. Cepisti tibi multos captiuos, non sic tamen vt faciunt huius mundi reges, qui inuitos & reluctantes post se trahunt, * sed vt tuorum donorum præuentione acciperes dona in hominibus, essẽtq; in hominibus plerique, qui se tibi sponte subijcerent, & offerrent.

20 Etenim non credentes inhabitare dominũ Deum.

20 Nam eos qui prius te non agnouerunt, nec in te crediderunt gentiles, accepisti tibi, vt tu Dominus Deus habitares in eis.

*21 Benedictus Deus die quotidie, * prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.*

21 Dignus sanè est Deus, qui ab omnibus per singulos dies laudetur. *Ipse Deus autor omnium nostrarum saluationum, prosperabit nostrũ iter faciens, omnia nobis cooperari in bonum, vt nihil à consequenda fœlicitate, ad quam tendimus, nos impedire valeat.

22 Deus noster Deus saluos faciendi,
** & domini domini exitus mortis.*

22 Non habent dij gentium potestatem aliquos saluãdi, sed solus noster Deus, est Deus habens potestatem faciendi saluos quos vult, solus potens à quouis malo corporali, à peccatis, mortéque æterna homines liberare, *& in eius solius potestate sunt varij exitus mortis: qui solus nouit & potest variis modis eximere homines è mortis periculis, atque ab æternæ mortis condemnatione humanum genus educere.

*23 Verumtamen Deus confringet capita inimicorũ suorum, * verticem capilli per ambulantiũ in delictis suis.*

23 Et quidem Deus noster, nobis est Deus saluator, ab omni malo nos liberans: verùm idem Deus inimicos suos, quasi confractis eorum capitibus, perfectè perdet, *eos scilicet, qui in delictis suis iugiter perseuerant. Quod quidem & in præsenti sæculo frequẽter & fecit & facit, sed generaliter & perfectissimè in consummata impiorum vltione facturus est, in nouissimo scilicet iudicij die.

24 Dixit dominus, Ex Basan conuertam,
** conuertam in profundum maris.*

24 Id quo magis verum credatis, ecce dominus promisit populo, dicens, Ego te populum meum, superatis hostibus tuis, cum triumpho redire faciam, sicut olim meos redire feci ex Basan, occiso Og rege Basan: *& sicut olim feci in profundo maris rubri, è quo submersis Ægytijs, meos saluos eduxi.

*25 Vt intingatur pes tuus in sanguine, * lingua canũ tuorum ex inimicis ab ipso.*

25 Sic, inquit Dominus, te triumphare de prostratis omnibus tuis hostibus faciam, vt talis sit futurus vester triumphus, qualis solet esse victorum, quando ex multa occisorum strage pes eorum sanguine interfectorum tingitur, *& canes lingua sua effusum sanguinem lambunt.

26 Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei regis mei, qui est in sancto.

26 Quam certè promissionem etsi perfectè implebit Dominus in nouissimo die, iam tamẽ frequenter pro magna parte implere cœpit. Vide runt enim tui, ô Deus quomodo pro illis egressus sis in pugnam contra inimicos populi tui, & eis superatis regressus cum triumpho.

Viderunt te cõtra communem humani generis hostem diabolum pugnantem fœliciter de eo triumphasse. Contemplati sunt quomodo per apostolos milites à te ad expugnandum orbem missos, omnes tibi gentes per obedientiam fidei subiecisti destructis idolis. Deinde quàm gloriosam de Iudæis, te tuámque ecclesiam persequentibus victoriam reportasti, omnibus eis aut occisis, aut è sua terra expulsis. Postremum quomodo deleris omnibus tyrannis populo tuo frequenter infestis, pacem ecclesiæ tuæ præstitisti, & cõtra omnium hæreticorũ varias oppugnationes semper eam inconcussam seruasti, iuxta tuã promissionem.

27 Præuenerunt principes coniuncti psallentibus,

27 Proinde quẽadmodum, victoria adepta, in solemnibus triumphis. fieri solet, vt victorioſi principes totum exercitum præcedant, adiũctis illis vtriusque sexus hominibus qui triumphum voce, musicisque celebrent instrumentis: ita & in tuis illis triumphis ecclesiæ præstitis, tuorũ militum exercitum præcesserunt apostoli, quos militiæ tuæ principes constituisti, primi, per quos de vniuerso mũdo triumphasti: * quibus ad celebrandum tuos triumphos adiuncti sunt viri pariter & mulieres, ad laudem Dei triumphantis omnes inuitantes his verbis.

**in medio iuuenculariũ tympanistriarum.*

28 In ecclesiis benedicite Deo domino de fontibus Israel.

28 Vos fideles, qui è duodecim Apostolis, tanquã duodecim fontibus Israel, per semẽ verbi diuini Deo regenerati estis, dominum Deum gloriosum triumphatorem nostrum laudate in sacris vestris conuentibus.

29 Ibi Beniamin adolescẽtulus, † in mentis excessu.*

29 Inter hos autem principes, atque in his triũphis celebrandis præcipuus fuit doctor Gentium, qui è tribu Beniamin postremus ad apostolatum vocatus (quemadmodum Beniamin inter reliquos fratres natu minimus erat) * qui aliquando raptus in tertium cœlum audiuit ibi arcana verba, quæ non licet eloqui, † quíque cum summa mentis admiratione insignes Dei triumphos per se editos contemplatus est, & per eos omnibus admirandus factus est.

30 Principes Iuda duces eorũ, principes Zabulon, & principes Nephtalim.

30 Ibi etiam duces populi Dei fuerũt principes electi ex tribu Iuda, Zabulon, & Nephtalim. 2.Cor. 12.

*31 Manda Deus virtuti tuæ, * confirma hoc Deus: quod operatus es in nobis.*

31 Proinde quẽadmodum iam sæpe tua fortitudine ecclesiæ tuæ adfuisti, ita & in posterum fac tuam potentiam ei semper adesse contra hostes eius, *perge quæso confirmare, quod cœpisti in nobis.

32 † A templo tuo, quod est in Hierusalem, tibi offerent reges munera.

32 Ita fiet, vt propter celebritatem templi tui, quod in Ierusalem cœlesti, atque in ecclesia tua in terris adhuc agente tibi delegisti, reges vniuersæ terræ susceptа vera religione offerant tibi munera, † per vniuersam quoque terram, incipiendo à templo tuo Ierosolymitano, ex quo salus sparsa est, per totum mundum reges te suis muneribus colent.

*33 Increpa feras arundinis. congregatio taurorũ in vaccis populorum, * vt excludant eos qui probati sunt argento.*

33 Itaque omnipotẽti tuo iussu cohibe fœuissimos nostros hostes lanceis in nos armatos. Congregati enim sunt ferocissimi principes, velut quidam tauri, simul cum populis in modum vitularum lasciuientibus, *vt à prædicatione nominis tui, atque à consequenda hæreditate, quam eis præparasti, excludant & impediant eos qui tibi probati sunt quasi argentum candidissimum.

*34 Dissipa gentes quæ bella volunt, * & venient legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo.*

34 Disperge omnes populos qui tuis bella volunt, pacẽ ecclesiæ quouis modo turbantes, *ita fiet, vt omnes externæ gẽtes, & imprimis Ægyptij ac Æthiopes, vltro ambiant tuam religionem suscipere.

35 Regna terræ cãtate Deo, psallite Domino.

35 Vniuersa regna terræ communem iam dominum ob communem omnibus salutem carmine celebrate, psallite in honorem eius.

36 Psallite Deo qui ascendit super cœlũ cœli ad Orientẽ.

36 Psallite Deo, qui tam excelsus est, vt inuehatur supremo cœlorum in oriente, lucem habitans inaccessibilem, electis suis sine occasu semper oriens.

*37 Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo, * super Israel magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.*

37 Vt autem est altissimus, ita & potentissimus. Ecce enim voci euangelicæ prædicationis dabit, vt sit vox admodum efficax: quia, quantumuis remittente mundo, omnes gentes fidei crucis subijciẽtur. In nouissimo quoque iudicij die valde potẽtem faciet vocem suam, qua omnes qui in monumentis sunt resumptis mox corporibus, ad vitam reuocabit. Hunc itaque glorificate & dictis & factis. *Magnificentia enim potentiæ ac bonitatis eius in populo suo fideli, qui verus Israel est, frequẽter declarata est, & fortitudo eius in suis Apostolis, quibus tanquã quibusdam nubibus cœlesti pluuia vniuersa terra irrigata est, multum relucet, eo quòd per homines tam infirmos & prodigia magna operatus sit, & totum orbem ad se traxerit. In nouissimo etiam iudicij die virtus eius in nubibus declarabitur, quando veniet in nubibus cum potestate magna, & angelis suis, conspicuus omnibus.

*38 Mirabilis Deus in sanctis suis, * Deus Israel ipse dabit virtutẽ & fortitudinẽ plebis suæ, benedictus Deus.*

38 Verè mirabilis est Deus in suis sanctuariis: *Deus Israelis ipse dabit plebi suæ cõtra inimicos robur & fortitudinem, ita vt nec portæ inferi vnquam præualere poterint aduersus eam proinde benedictus sit hic Deus noster ab omnibus semper.

In fi

In finem pro his qui commutabuntur, Psalmus ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI LXVIII.

CVm in scripturis noui testamenti sex vicibus ex hoc Psalmo desumpta testimonia Christo applicentur, pleraque etiam sint in eo, quæ neque Dauidi satis propriè conuenire possint, neque populo Israelitico in captiuitate Babylonica constituto, cui Iudæi hunc Psalmum tribuendum putant, sed solo nostro Christo manifestè constat hunc Psalmum à Dauide de Christo, eoq; solo editum fuisse, quãuis non sine typo suiipsius, in cuius passionibus adumbrari grauiores Christi passiones præuidit. Itaque Christus tanquam per Dauidem præfiguratus, & iustorum omnium exemplar, hoc Psalmo primum quidem, cum vehementi exaggeratione querulatur de maximis malis, quæ non ob sua peccata, sed ob Dei magis gloriam & studiũ domus Dei patiebatur ab impijs: deinde subiungit & ardentem pro liberatione precationem, tum & diram hostium deuotionem, postremum promissionem gratiarum actionis & laudis Dei pro lato auxilio: adiungens simul & vaticinium de profectu ecclesiæ, quam nomine Sion & Iudææ significat, quod in ea vera sit Dei contemplatio atque confessio.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

SAluum me fac, ô Deus, quoniam calamitates plurimæ & grauissimę, in modum inundantium aquarum affluentes, ita excreuerunt, vt vniuersum etiam cor occupent, & de vita extremè periculiter, perinde ac in aquis constitutus ita ascendentibus, vt per os ingredi incipiant, ad suffocandum cor, & extinguendum animam. *Psal. 68*

*2 Infixus sum in limo profundi, * & non est substantia.*

2 Perinde me habeo, ac si infixus essem in luto profundæ aquæ, * quod fundo penitus caret, in quo subsistere possem, immo in quo eo profundius immergerer, quo magis me extricare laborarem, propter quod ex eo nulla mihi euadendi per meipsum via esset. Sic enim & iam in his calamitatibus meis nusquam solidè subsistere valeo, in quibus eo semper altius infigor, quo magis adnitor euadere: ex quibus proinde nulla per meipsum ratione liberari, sed sola tua virtute possum.

*3 Veni in altitudinẽ maris, * & tẽpestas demersit me.*

3 Ita constitutus sum ac si decidissem in profunditatem maris, *& me tempestas suis fluctibus inuolutum demergeret. Sic enim malorum vndis penitus immersus, ac tribulationum tumultibus, quasi sæui maris fluctibus obrutus sum, vt quantum ex me est euadere prorsus desperem.

*4 Laboraui clamans, rauca facta sunt fauces meæ, * defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.*

4 In his autem malis ego clamando ad te dominum defatigatus sum, raucum factum est guttur meum præ iugi & intenso clamore, * sed & oculi mei debilitati sunt, & caligauerunt, dum intentè suspiciendo in cœlum expecto auxilium à Deo meo.

5 Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

5 Plures sunt quàm capilli capitis mei, hoc est, innumerabiles qui oderunt me: idque sine causa cùm nulla in re vnquam à mæ læsi sint.

*6 Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei inuste, * quæ non rapui tunc exoluebam.*

6 Inimici mei, qui me absque iusta causa persequuti sunt, & numero & viribus admodum contra me inualuerunt, *his autem cõtra me præualentibus, ego similis factus sum illi qui exoluere cogitur quod nõ abstulit. Pœnas enim dedi earum rerum, quas non admisi, eáque perpeti coactus sum, quæ non merui.

*7 Deus tu scis insipientiã meam, * & delicta mea à te non sunt abscondita.*

7 Tu ipse Domine qui omnia nosti, scis quid stultè contra eos admisi, *si quæ sint peccata mea in eos commissa, hæc te minimè latent. Et certe ipse tu mihi es testis, nihil me imprudenter aut malignè egisse, vt isti videri volunt & calumniantur.

8 Non erubescant in me qui expectant te domine, domine virtutum.

8 Itaque ô Domine, Domine inquam, qui imperium habes in omnes exercitus, ac proinde tua potentia saluare potes omnes te inuocantes, ne quæso sinas vt pudefiant per me, qui patienter tuam opem expectãt: qui sanè erubescẽt, si viderint me inuocantẽ te iugiter, nõ exaudiri à te.

9 Neque cõfundantur super me qui quærũt te Deus Israel.

9 Non suffundãtur pudore propter me illi, qui studiosè ambiunt amicitiam & opem tuam ô Deus Israelis.

*10 Quoniam propter te sustinui opprobrium, * operuit confusio faciem meam.*

10 Ego enim hanc talem ignominiam ab inimicis meis pertuli tua causa, nempe quia te colere studiosius, tuámque veritatem adserere solebã, *propter te, pudor ignominiam illatam consequens obtexit faciẽ meam méque totum repleuit & occupauit.

*11 Extraneus factus sum fratribus meis, * & peregrinus filijs matris meæ.*

11 Et tãta quidem facta est ignominia mea, vt propter eam à fratribus meis, mihique amicissimis ac coniunctissimis prius hominibus, reputatus sim vt externus, *& incognitus aliquis hospes, ita vt me iam derelinquerent & negarent qui prius familiares erant amici. a

12 Quoniam zelus domus tuæ comedit me,

** & opprobria exprobrantium tibi cecidерunt super me.*

12 Propter te autem ô Domine hoc opprobrium sustinui. Quoniam ecce ardentissimum studium gloriæ domus tuę vrebat animum meum, molestissimè ferentem neglectum religionis, & inhonorationem domus tuæ, *& opprobria eorum qui tibi exprobrauerunt, admodum molesta facta sunt mihi, ita vt iniquiori ea animo ferrem, quàm si ego ipse probris illis affectus fuissem, & sic pro dictis factísq; gloriæ tuæ derogãtibus dolorem, vt pro eis tãquam à meipso cõmissis me humiliauerim, b

iram

iram tuam in eos qui hæc admittebant,placare ſtudens.

*13 Et operui in ieiunio animam meã, * & factum eſt in opprobrium mihi.*

13 Ita tum propter violatum nomen tuum,tum propter impiorũ ſalutem ego in ieiunio adſumpto operui animã meã mœrore ac fletu, meipſúmq; inter ieiunandũ multũ afflixi,*& cùm hoc nomine illis charior eſſe deberẽ,ecõtrà illud apud eos factũ eſt mihi occaſio opprobrij mei.

*14 Et poſui veſtimentum meum cilicium, * & factus ſum illis in parabolam.*

14 Vtebar pro veſte mea ſacco, exterioríque habitu triſtitiam meam teſtatus ſum,*& factus ſum etiam ob hoc illis fabula,ita vt mea humilia tio publica irriſione celebraretur.

*15 Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, * & in me pſallebant qui bibebant vinum.*

15 Peſſimè de me loquebantur iudices & primores ciuitatis,qui ad iudicandum ſedebant in porta,in publicis hominum conuentibus detrahentes mihi,atque in ſuis iudiciis me condemnantes,*& de me pſallebant cum irriſione carmina,hi qui bibebant vinum.

*16 Ego verò orationẽ meam ad te domine, * tempus beneplaciti Deus.*

16 Ego verò cõtra hæc omnia,& in his omnibus malis níhil aliud quã ad te Domine orationem meam dirigo.*Sit quæſo nunc,ó Deus, tempus,quo placeat tuæ bonitati ſuccurrere mihi.

*17 In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, * in veritate ſalutis tuæ.*

17 Per multitudinem miſericordiæ tuæ exaudi me, * per veritatẽ, qua ſalutem te tuis allaturum promiſiſti.

*18 Eripe me de luto vt non infigar, * libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.*

18 Libera me de his malis,in quibus tanquam in luto profundo hæreo,vt non prorſus immergar & abſorbear,*libera me quæſo ab his qui iniquo odio me perſequuntur,& de calamitatibus iſtis, in quibus tanquam in profundiſſimis aquis demergor, abſorbendus ab eis, niſi tu me extraxeris.

*19 Non me demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundum, * neque vrgeat ſuper me puteus os ſuũ.*

19 Non ſinas vt tribulationum magnitudo, quaſi tempeſtas quædam aquarum,me demergat,neque profunditas iſta malorũ me abſorbeat, neque puteus hic,in quem iam cecidi,conſtringat ſuper me os ſuũ, aut cooperculo ſuo me concludat:hoc eſt,ne permittas vt de mea liberatione planè ſit deſperatum.†Sed neque inferni ac ſepulchri puteum ſuper me claudi ſinas,quin potius ex eo me à morte eripiendo educas.

*20 Exaudi me domine,quoniã benigna eſt miſericordia tua, *ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.*

20 Exaudi me Dominẽ,quoniam benigna, & ad auxiliandum admodum prompta eſt miſericordia tua:*ſecundum multitudinem miſerationum tuarum,quas varias omni tempore hominibus exhibuiſti, benigno aſpectu fauoris tui reſpice in me.

*21 Et ne auertas faciẽ tuã à puero tuo, *quoniã tribulor,velociter exaudi me.*

21 Et ne auertas tui fauoris declarationem à me ſeruo tuo, * ſed quoniam grauiſſimè tribulor,velociter exaudi me.

22 Intende animæ meæ,& libera eam, † propter inimicos meos eripe me.*

22 Declara te attendere ad deſolationem & afflictionẽ animæ meæ, & miſeratus libera eam, * tu quæſo permotus iniuſtitia & blaſphemiis inimicorum meorum,eripe me,†ne quoque inimici mei de mea perditione lætentur,atque in ſua impietate roborentur, & te blaſphement, quaſi non valentem aut non volentem ſuos liberare, eripe me à perditione,quam mihi cupiunt inferre.

23 Tu ſcis improperium meum,& confuſionẽ meam, & reuerentiam meam.

23 Tu Domine cum omnia noſcas,ſcis vtique quibus probris, quo pudore,quáque verecundia iam affectus ſim.

*24 In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulãt me, *improperium expectauit cor meum & miſeriam.*

24 Noſti itẽ omnes qui me tribulant,quàm ſint ſcilicet multi, & quanta illorum malitia,atque in perſequendo me iniuſtitia. * Ab his ita afflictio afflictioni acceſſit,vt non aliud mihi expectandũ videretur, quàm opprobrium & miſeria. c

25 Et ſuſtinui qui ſimul cõtriſtaretur, & non fuit : & qui conſolaretur, & non inueni.

25 Quod autem omnium grauiſſimum eſt, in his tantis malis expectaui aliquem,qui ſimul mecum doleret:ſed nullus aduenit : expectaui aliquem,qui nonnihil me conſolaretur,ſed nullum inueni. Itaque non tantum me omnes inimici mei grauiter afflixerunt,ſed & omnes amici deſeruerunt.

26 Et dederunt in eſcam meam fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto.*

26 Adeo autem nemo fuit qui conſolationem aliquam adferret, ſed omnes potius grauiſſimam afflictionem augere ſtuduerunt,vt dederint mihi pro cibo fel,*& cùm maxima ſiti premerer,pro potu reficiente obtulerint mihi acetum,contra naturam nimium inhumani,vt qui volentes videri naturę inopiam ſublcuare,magis eam auxerint:& ſub refectio nis ſpecie,afflictionem adiecerint afflicto.

27 Fiat mẽſa eorum coram ipſis in laqueum.

27 Quoniam itaque talem mihi parauerunt menſam,ob id ſecundum d iuſtitiæ tuæ æquitatem, ſicut futurũ prænideo, ita & præuidens precor, vt fiat menſa eorum illis tanquam laqueus ante eos expenſus, in quem incidant & irretiantur,vt ibi capiantur in exitiũ,vnde delitias ſibi petendas putabant.*Fiat & menſa eorum eis in condignam retributionem,vt tale ſcilicet fiat eorum prandium,quale mihi appoſuerunt,amarum, & in ſuaue:& vt ipſa eorum menſa ſit eis occaſio recipiẽdi ea quæ promeruerunt,& in ruinam ipſorum cedat eis.

** & in retributiones & in ſcandalum.*

28 Obſcurentur oculi eorum ne videant.

28 Per ſubtractionem tui luminis obtenebrentur oculi mentis eorũ, ne videant manifeſtam veritatem,priuati omni recto iudicio : * & graui eos ſeruitutis,omníque miſeriarum onere ita preme,vt ſimiles ſint his, qui ob oneris impoſiti magnitudinem incuruato dorſo incedunt.

** & dorſum eorum ſemper incurua.*

29 Copio

29 Effunde ſuper eos irã tuã,& furor iræ tuæ cõprehendat eos.

29 Copioſe ſuper eos demitte tuas vindictas, & grauiſſima vltio tuæ ſeueritatis apprehendat illos.

30 Fiat habitatio eorũ deſerta,& in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.

30 Fiant habitacula eorum deſerta,& in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.Ita vniuerſi eijciantur de ſuis habitationibus, vt domus eorum deſolatæ ab eis maneant.Ita eorum domus funditus deleantur, vt non manente lapide ſuper lapidem quiſquam eas inhabitare valeat.

31 Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt.

31 Et quidem iuſtum eſt hæc omnia eis euenire,quoniam cùm humanitas exigat,vt afflicto commiſereamur:ipſi econtrà me,quem tu domine grauibus malis afflixeras,amplius perſequuti ſunt,variis me infectãtes contumelijs,*& ad dolorem vulnerum meorum, quibus tu me vulneraueras,alium addiderunt doloré,dum qui conſolari me debuiſſent, ſuis conuitiis meos dolores exaſperauerunt.

** & ſuper dolorem vulnerũ meorum,addiderunt.*

32 Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum.

32 Proinde ſicut mihi dolorem dolori addiderunt,ita quoque ſecun- e dum iuſtum tuum iudicium ſic eos labi permittas, vt noua ſemper iniquitas addatur iniquitati eorum,& excæcati ruant de ſcelere in ſcelus, *nec eò perueniant,vt participes fiant iuſtitiæ tuæ,qua per fidem homines coram te iuſtificas.

** & non intrent in iuſtitiã tuam.*

*33 † Deleantur de libro viuentium, * & cũ iuſtis non ſcribantur.*

33 Et cùm hactenus connumerati fuerint cum iuſtis, ex quibus prognati ſunt, & cum populo Dei, nunc expungantur ex numero eorum, quod ad vitam æternam ab initio delegiſti,& quaſi in libro tuæ prædeſtinationis deſcriptos habes : † fac vt verbis & factis ipſorum omnibus declaretur,non eſſe eos adſcriptos in librum prædeſtinatorum ad vitã, *& numero iuſtorum amplius non adſcribantur.

*34 Ego ſum pauper & dolens,*ſalus tua Deus,ſuſcepit me.*

34 Ego quidem iam pauper ſum,omni humano deſtitutus auxilio, & mœrore ſummo affectus:*Verùm ſecurus confido, quod ſalus tua me ex his malis ſubleuabit.

35 Laudabo nomẽ Dei cũ cãtico, & magnificabo eum in laude.

35 Liberatus autem laudabo Deum cantico,& glorioſa laude extollam eum.

36 Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas.

36 Eritq; huiuſmodi laus & gratiarũ actio Deo gratior, quàm quodlibet ſacrificium animalium,magis quàm oblatio vituli nouelli & teneri,cuius cornua iã pro ratione ætatis enaſci incipiũt,& indurari vngulæ.

*37 Videãt pauperes & lætentur,*quærite Deum, & viuet anima veſtra.*

37 Conſiderent afflicti à Deo mihi præſtandam ſalutem, & ea conſiderata lætentur:*vos qui afflicti eſtis exemplo meo inuocate opẽ Dei, & certiſſimè anima veſtra malis omnibus exempta reuiuiſcet, & exhilarabitur.

*38 Quoniã exaudiuit pauperes dominus, * & †vinctos ſuos non deſpexit.*

38 Quoniam ab initio ſemper Dominus exaudiuit afflictos ſe inuocantes,*& qui cauſa illius vincti erant, † aut qui in ſua captiuitate & afflictione ipſum inuocabant,nullo vnquam tempore deſpexit.

39 Laudent illum cœli, & terra,mare & omnia reptilia in eis.

39 Laudet illum vniuerſa creaturarum machina,cœli ſcilicet,terra & mare,& omnia quæ mouentur in eis.

40 Quoniã Deus ſaluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ.*

40 Quoniam non me tantum ſaluum faciet,ſed per me etiam Deus, hoſtibus populi ſui deletis,ſaluam faciet nouam Sion,*& collapſæ ciuitates Iudæ reædificabuntur:pro dirutis ciuitatibus Iudææ,eccleſiæ gentium per vniuerſum orbem nouæ erigentur.

41 Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

41 Et ſerui eius in ipſa Iudæa habitabunt,& in hæreditatem perpetuã poſſidebunt eam.

*42 Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, *& qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.*

42 Sed & progenies ſeruorum eius hæreditario iure poſſidebit eam imperpetuum,*& qui amatores ſunt nominis eius,pacificè habitabunt in ea.

ANNOTATIONES.

a PROPTER TE SVSTINVI,&c.]Plerique orationem,propter te,ſic intelligũt,propter tuã voluntatẽ,& quia pro ſalute hominum me pati voluiſti. Verùm ſequentibus magis conuenit ſenſus qui in paraphraſi explicatur,vt propter Deũ Chriſtus ſuſtinuiſſe opprobrium intelligatur,quia propter Dei gloriam illuſtrandam,à Iudęis opprobrio affectus eſt.Hic enim ſenſus declaratur, cũ ſubdit: Quoniam zelus domus tuæ,&c.Eſt autem notandum, quòd in ſcripturis quandoque propter nos opprobrio affectus fuiſſe Chriſtus dicitur,aliquando propter Deum.Propter nos quidem, ſi Dei patris voluntatem conſideremus,qui ipſum pati voluit propter noſtrã ſalutem.Propter Deum verò,ſi Iudęos reſpiciamus,qui odio eum perſequebãtur, ꝙ gloriæ Dei illuſtrãdæ intentus eſſet,eorum vitia carperet,eaq; faceret quę à patre illi erãt delegata.

OPPROBRIA EXPROBRANTIVM, &c.) Pars iſta in paraphraſi dupliciter explicatur, & vtrumq; ſimul ſenſum ſignificare voluiſſe videtur propheta.Certè ſecundum,Paulus ad Ro.15.ſatis indicat,non ꝙ eum ſolum ſcriptura hæc ſignificaret,ſed quòd is propoſito ſuo conueniret. b

IMPROPERIVM EXPECTAVIT,&c.]Hebręa habent:opprobrium contriuit cor meum.Verùm Septuaginta literam ſchin leui ſpiritu legerunt,שָׂבַר ſibar ſcilicet,quod expectare ſignificat, non שִׁבַּר ſchibar, quòd conterere ſignificat, vt modò legitur.Noſtram autem lectionem plerique ſic intelligunt vt ſignificetur hac parte voluntaria paſſio Chriſti,& quòd pro ſalute improperium deſiderauerit,ſicut ipſe in Euangelio teſtatur, dicens Baptiſmo habeo baptizari,& quomodo coarctor vſque dum perficiã illud?Verùm ſenſus,quem c

habet

habet paraphrasis,toti proposito psalmi,præcedẽtibus etiam & sequentibus magis conuenit. Non enim hic Christus loqui inducitur secundum id quod in eo perfectum erat,sed in modum afflicti de sua calamitate conquerens.

d FIAT MENSA EORVM,&c.] Intelligitur istud rectè de duplici simul mensa: mensa scilicet corporis,& mẽsa animi,& quantum quidẽ attinet ad mẽsam corporis,istud impletum est in Iudæis, dum tempore paschalis festiuitatis,quando ad celebrandum cum voluptate paschale cõuiuium ex omnibus locis in Ierusalem Iudæi cõuenerunt, simul ibi omnes hac occasione concluſi sunt, exerci tu Romanorum ciuitatem obsidente. Tunc enim mensa illorum facta est illis occasio, vt irretirẽtur, caperentur,& caderent. Scribit hac de re Iosephus lib.7.de bello Iudaico,capit. 17. Quod verò attinet ad mẽsam animi,mẽsa hæc est sacra scriptura,quæ Iudæis,eo quod ab illis malè intelligatur, occasio est vt illaqueentur varijs erroribus, & vt in Christum scandalizentur,atque in æternum pereant.

c QVONIAM QVEM TV PERCVSSISTI, &c.]Duplex in verbis huius versus apparet absurditas. Primum,qm̃ non apta videtur ratio quã assignat,ob quam hostes sui à Deo vindicentur. Qua enim vindicta digni sunt,si eum persequãtur, quẽ Deus percussit,& persequi voluit? Secundo, quia dum dicit,quem tu percussisti persecuti sunt, &c. indicare videtur præter eam percussionem, qua Deus ipsum percussit, hostes suos aliam addidisse persecutionem,& alia vulnera. Iam autem percussiones Dei patris,& vulnera eius,diuersa non sunt ab eis,quæ Iudæi inflixerunt. Percussit enim pater filium suum nõ nisi per Iudæos. Proinde sunt,qui vt hanc sermonis,quæ videtur, absurditatem tollant, sic exponunt: quem tu percussisti vsque ad mortem,ipsi amplius persequebantur, dum scilicet me in mẽbris meis & fidelibus meis persecuti sunt. Diuus Augustinus autem patrem filium percussisse intelligit,dum humano corpore indutum, necessitatibus & miserijs istius vitę obnoxium fecit,atque his malis Iudæos addidisse & alia mala. Verùm conuenientius fuerit & simplicius hunc locum sic intelligere,quemadmodum illud Iob 19. Miseremini mei saltemvos amici mei,quia manus Domini tetigit me. Quare me persequimini sicut Deus,& carnibus meis saturamini? Ibi enim propheta Iob amicos,qui ad se visitandum venerant, persecutionem addere dicit diuinæ percussioni,eo quòd cùm consolari debuissent, amaris verbis ei loquerentur,dolorem eius non lenientes, sed exasperantes & augentes. In Hebræo autem pro,vulnerum mcorum,habetur vulnerum tuorũ, vel, vt plerique vertũt,vulneratorum tuorum:& pro,addiderunt,habetur narrabunt. Quam lectionem ita plerique intelligunt,quoniam eum persecuti sunt quem dicunt te percutere,& percuti velle:& cum voluptate narrauerunt dolorem eorum, quos te vulnerare iactabant,vt quod hic dicitur Deus iustum percussisse non intelligatur,quòd reuera sic esset,sed quod sic gloriarentur hostes,putantes se obsequium prẽstare Deo in persecutione iusti,& suam impietatem in Deum reijcientes. Qui sensus optimè quadrat cum eo quod de Christo dicitur, Isaiæ 53. Nos reputauimus eum quasi percussum à Deo,& humiliatum.

In finem Psalmus Dauid in rememoratione,eo quòd saluum fecit eum Dominus.

ARGVMENTVM PSALMI LXIX.

VIr iustus in vrgentibus periculis ac malis constitutus,hoc Psalmo orat sibi celerem Dei opem,hostibus confusionem, sanctis autem ex ope sibi impensa letitiam. Est autem Psalmus iste ad verbum pene idem cum vltimis versibus Psalmi 39. Quod verò titulus habet:in rememoratione,vel,vt Græca magis habent,in rememorationem.(quod & ponitur in titulo Psalmi 37.)videtur significare,Prophetam hoc carmine voluisse alijs in exemplum memorare, quomodo in persecutione hostium suorum Deum inuocarit. Quod autem sequitur,eo quod saluum me fecit dominus,Hebræa omnino non habent:Græca vero aliter,εἰς τὸ σῶσάι με κύριον,quod rectius sic vertitur: vt saluum faciat me Dominus, quanquam & Euthymius hæc verba legisse non videtur:noster interpres apud Græcos legisse videtur,ἐν τῷ σῶσαι.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Deus in adiutorium meũ intende,*domine ad adiuuandum me festina.*
2 Confundantur & reuereantur qui quærunt animã meam.
3 Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala.*
4 Auertantur statim erubescẽtes, qui dicunt mihi, euge euge.
5 Exultent & lętentur in te omnes qui quærunt te,
** & dicant semper, magnificetur dominus qui diligunt salutare tuum.*
6 Ego verò egenus & pauper sum,Deus adiuua me.

DEus intentus quæso esto ad auxilium meum, *Domine festina ad adiuuandum me,vrget enim periculum. *Psal.69*
2 Fac vt te liberante me,pudefiant, & ignominia afficiantur, frustratĩ sua spe omnes qui cupiunt perdere animam meam.
3 Te eos impellente,in fugam conuertantur, discedentes à me re infecta,& pudore suffundantur,*quotquot cupiunt mihi mala.
4 Subitò in fugam cum ignominia cõuertantur, quotquot malo meo gaudentes dicunt de me:Euge,Euge.
5 Contrà vero fac vt omnes te inuocantes, tibíque placere studentes corpore & animo gaudeant de te,videntes tuam in me benignitatem. *Fac vt quotquot diligunt salutem tuam,& à te saluari desiderant,semper dicant:Magnificat Dominus erga suos tam misericors & iustus.
6 Ego certè Domine pauper sum,& omni humano destitutus auxilio: quare tu Deus pauperum pater,adiuua quæso me.
7 Tu es,quem in adiutorem meum & liberatorem mihi delegi,tu mihi in omnibus malis adiutor semper fuisti,ne ergo differas diutius mihi adferre auxilium.

7 Adiutor meus & liberator meus es tu,domine ne moreris.

Psalmus

Psalmus Dauid filiorum Ionadab & priorum captiuorum.

ARGVMENTVM PSALMI LXX.

CReditur hic Psalmus à Dauide editus,occasione coniurationis filij sui Absalonis, quemadmodum idipsum vel ex eo maximè apparet,quod precatur ne sẽ Deus derelinquat in tempore senectutis. Sed & eo quòd dicit,inimicos suos inter se consultasse,& dixisse:persequimini eum:consilium illud Achitophelis subnotare videtur. Est autem præsens Psalmus argumenti communis,quo Dei opem implorat contra suos inimicos,petens a domino,vt sicuti à puero ipsum seruauit, ita nec in senectute deserat,sed inimicos ipsius pudefaciat,promittens se semper prædicaturum omnibus Dei potentiam, iustitiam,& bonitatem,& voce musicis instrumentis se domino celebraturum. In his autem Dauid & Christi typum & exemplum omnium iustorum gessit,quorum omnium hic Psalmus generalis est oratio pro auxilio Dei,vt adsis semper in eorũ afflictionibus. Quòd verò in Græcis,Latinisq; codicibus titulus habet,Psalmus Dauid filiorum Ionadab, & priorum captiuorum,vt propositio psalmi parum conuenire videtur,sta Hebræa omnino non habent:in quibus Psalmus iste ἀνεπίγραφος est,quemadmodum & Græca in titulo testantur. Vnde in Græcis Latinisq; adiecta sunt ea quæ in titulo legimus, ab interprete vel aliquo expositore,idq; ex Hieremiæ 35.vbi dicuntur filij Ionadab in prima captiuitate migrasse è sua terra in Ierusalem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*In te Domine speraui, non confundar in æternum, * in iustitia tua libera me, & eripe me.*
*2 Inclina ad me aurẽ tuam *& salua me.*
*3 Esto mihi in Deum protectorem,& in domum refugij,*vt saluam me facias.*
4 Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu.
5 Deus meus eripe me de manu peccatoris,& de manu contra legem agentis & iniqui.*
*6 Quoniam tu es patiẽtia mea, * Domine spes mea à iuuentute mea.*
*7† In te confirmatus sum ex vtero, * de ventre matris meæ tu es protector meus.*
8 In te cantatio mea semper, † tanquam prodigium factus sum multis,& tu adiutor fortis.*
*9 Repleatur os meũ laude vt cantem gloriam tuam, *tota die magnitudinẽ tuã.*
*10 Ne proijcias me in tempore senectutis. * cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.*
11 Quia dixerunt inimici mei mihi,& qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum.*
12 Dicentes Deus derelinquas.

IN te Domine omnem meã spem collocaui, ne ergo sinas vt vnquam confundar,frustratus,quam in te habeo,spe:*sed per tuam in seruandis promissis fidelitatem,eripe me à malis,& libera me. *Psf.70.*
2 Cúmque mea humilitas tuam altitudinem attingere nequeat,inclina te,& condescende mihi:clementérque attende orationi meæ,exaudiens eam,& saluum me fac.
3 Præbe teipsum mihi Deum protectorem, & quasi locum aliquem bene munitum,ad quem confugere,& in quo delitescere tutus possim, *ita vt saluum me facias ab inimicis meis.
4 Tu enim solus es fortitudo mea, cui, tanquam rupi firmissimæ, nitor:tu vnicus es,ad quem & nunc & semper confugio, vt per te ab omnibus malis tutus sim.
5 Tu itaque Deus eripe me de potestate peccatoris me persequentis,
* & de tyrannidẽ hominis agentis contra legem tuam, & ob hoc iniqui. Non enim iusta aliqua causa me hostis meus persequitur, vt vel ob manifestã eius impietatẽ meritò me ab eius violentia liberari cõueniat.
6 Eripe,inquam,me Domine,quoniam tu vnus es, à quo patienter & nunc expecto,& semper expectaui mihi omnem opem. *Domine tu solus es,in quem à iuuentute mea vsque in hanc ætatem omnem meam spem collocaui.
7 Ab eo tempore, quo primum egressus sum ex vtero, in hoc vsque tempus,semper tuo præsidio stabilitus sum:téque me sustentante,ne aliquo vnquam malo deijcerer confirmatus, * ab exitu ex vtero matris meæ tu me semper protexisti vsque in hunc diem.† Ab ineunte etiã ætate,& ex eo tempore,quo primum intelligere ac sapere datum fuit, per spem tibi veluti firmissimo sustentaculo firmiter innixus sum, téq; mihi in protectorem vsque in hoc tempus semper delegi.
8 Quoniam itaque tuam semper expertus sum protectionem, ideo de te vnico semper fuerunt mea cantica. Nunc autem,ô Domine,à multis reputatus sum,tanquam res prodigiosa, ita vt plerique me tanquam rem terribilem,& propter quam sibi malè metuant fugiant, † ac multi ob afflictionum grauitatem oculos in me intentè injiciant, & spectaculum illis factus sim. * Verùm tu vnicus mihi es fortissimus adiutor, quo vel solo me protegente,quæ videntur ineuitabilia mala, facilè superare potero.
9 Fac itaque vt ab his malis liberatus,pleno te ore laudare, sempérq; tuas laudes ore resonare possim,ita vt assiduè canam laudem tuam,
* omníque tempore cantem magnitudinem bonitatis tuæ.
10 Cùm autem me à puero semper hactenus custodieris,& per iuuẽtutis discrimina saluum perduxeris,ne quæso me iam tempore senectutis abijcias à tua cura:*& cùm me destituere cœperint vires meæ, tu ne destituas me tua ope.
11 Et quidem meritò te rogo ne me derelinquas. Quoniã ecce inimici mei dixerunt de me,*& qui obseruant me struẽdo insidias animæ meę, captandóque oportunam aliquam perdendi occasionem, ipsi inter se pariter consultarunt contra me,
12 Dicentes:Deus cuius fauorem semper iactare solet, cuius ope hactenus

quit eum, persequimini: & comprehendite eũ, quia non est qui eripiat.*

13 Deus ne elongeris à me,

** Deus meus in auxilium meum respice.*

14 Cõfundantur & deficiãt detrahentes animæ meæ,

** operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.*

15 Ego autem semper sperabo,

** & †adiiciam super omnẽ laudem tuam.*

16 Os meum annunciabit iustitiam tuã, tota die salutare tuum.

17 Quoniam non cognoui literaturam,

** introibo in potẽtias domini, domine memorabor iustitiæ tuæ solius.*

18 Deus docuisti me à iuuentute mea & vsque nũc,

**pronũciabo mirabilia tua.*

*19 Et vsque in senectam & senium, * Deus ne derelinquas me.*

20 Donec annuntiã brachiũ tuum generationi omni quæ ventura est.

21 Potentiã tuã & iustitiã tuam Deus vsque in altissima, quæ fecisti magnalia,

** Deus quis similis tibi?*

*22 Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus vuificasti me, * & de abyssis terræ iterum reduxisti me?*

23 Multiplicasti magnificentiam tuã, & conuersus, consolatus es me.

*24 Nã & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuã Deus, * psallã tibi in cithara sanctus Israel.*

*25 Exultabunt labia mea cũ cantauero tibi, * & anima mea quam redemisti.*

*26 Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiã tuã, * cum confusi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

ctenus contra omnes meos hostes fortis fuit, is nũc dereliquit eum à solita sua protectione: proinde prosequimini eum: * & si sic feceritis, certissimo comprehendetis eum, quoniam non habet quemquam qui conabitur eum eripere de manibus vestris.

13 Tu itaque Domine vel propter impia eorum verba, quo scilicet falsum esse declaretur, quod de te dicunt, ne quæso tuum auxilium longe facias à me, * quin potius, ó mi Deus, benigno tuo fauoris aspectu respice in me, ad adiuuandum me.

14 Pudeant & deficiant in suis conatibus, tũæque vltionis vindicta absumantur hi qui malè loquuntur de me, * contegantur vndique pudore & ignominia, quotquot me malis afficere student.

15 Ego autem cùm liberatus ab eorum improbitate, expertus fuero non fuisse vanam meam in te confidentiam, vlterius semper magis ac magis in te omnem meam spem collocabo, * & ad omnes laudes tuas, quibus ob accepta à te innumera beneficia hactenus te laudaui, adijciã & alias laudes, †maiore etiam studio quàm ante hac, laudibus tuis cantandis incumbens.

16 Os meum depredicabit tuam in seruandis promissis fidelitatem, a
& in vindicandis impiis iustitiam, omni tempore annuntiabit salutẽ mihi abs te allatam,

17 Et quidem humana eruditione in literis non sum institutus, vt qui de post fœtantes, & ex rustico pastore assumptus sim in militiam, & deinde in regnum: * tamen ingrediar ad contemplandum magnifica Dei opera, & ad ea prædicanda aliis accingar: Domine solius tuæ in reddendis promissis iustitiæ semper memor ero, de ea semper & cogitans mecum, & loquens coram aliis.

18 Tu enim Domine me ab hominibus & libris non instructum do- b
cuisti ab ineunte ætate, vsque nunc, per experientiam scilicet potentiæ ac bonitatis tuæ in me semper declaratæ, pérque spiritum tuum, quo me & aduertere & intelligere ea quæ tua sunt dedisti. * quare semper publicè prædicabo opera tua admiratione dignissima, quæ designasti.

19 Etiam vsque in extremam senectutem & canos. * Tu itaque Domine ne me nunc tuo auxilio destituas.

20 Vt tuam omnipotentiam voce & scriptis annuntiare possim om- c
nibus generationibus post me venturis.

21 Et vt potentiam ac iustitiam tuam in altum laudibus extollam, si- d
cut & tu potentiam ac iustitiam tuam vsque in altissima extulisti. Quæ enim designasti Domine, admodum magnifica sunt, adeo vt ob ea nemo tibi conferri possit. * Quis enim Deus similis est tibi?

22 Vel in me enim solo quam magnifica operatus es Domine. Ecce enim sæpe experiri me fecisti tribulationes & multas & molestas: mox tamen tu qui me dereliquisse videbaris, rursum reuersus ad me per declarationem tui fauoris, ex grauissimis periculis mortis me liberasti, * & veluti è sepulchro, ac infimo terræ iterum me reduxisti, liberans sci- e
licet me ex his malis, in quibus iam propemodum morti & inferno traditus eram.

23 Secundum multitudinem & magnitudinem tribulationum mearum tu etiam multiplicasti, & multipliciter declarasti in me magnificentiam bonitatis tuæ, & conuersus ad me, consolatus es me tua bonitate & ope. Quare & nunc eandem tuam in his malis benignitatem securus me percepturum confido.

24 Vt autem tu hactenus, quod tui muneris est, egregiè in me præstitisti, & nunc te præstiturum confido: ita quoque etiam ego quod mei muneris est exequens, te laudibus efferam, specialiter autem cõfitebor tuam in seruandis promissis fidelitatem, * idque cum instrumentis musicis, ad honorem tuum cithara psallam, qui sanctificator es veri populi Israelitici.

25 Neque enim segniter aut torpidè te laudabo, neque tantum musicorum instrumentorum sono, sed cùm musicis instrumentis tibi psallero, cúmque voce tuas laudes sonuero, simul etiam labia mea cũ summa mentis exultatione & corporis gestu te laudabunt, * & multo magis anima mea inter cantandum exultabit in te, eo quòd eam redemeris ab omnibus malis.

26 Quin & lingua mea cum attenta mentis meditatione assiduè se exercebit in cantando tuam in promissis reddendis iustitiam, * cum per te confusi & reueriti fuerint qui me iam malis afficere student.

ANNO

2 QVONIAM NON COGNOVI, &c.] Pro nomine, literatura, apud Hebræos ponitur dictio, quę etsi etiã literas significat, tamẽ proprie significat numeros. Vnde fere oẽs vertunt: Quoniã non cognoui numeros: & adiungunt hanc partem cum superioribus, vt idẽ hic significetur qđ alibi, dum dicit: Multa fecisti tu dñe Deus, &c. Annũtiaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerũ. Ps. 39. Sed & apud Græcos hic positũ nomẽ γραμματεία, non solum literas, sed & numerationem significat, sicut Græcorum lexica docent. Interpres autem noster alteram significationem magis secutus est, vertendo literaturam, quia mox sequitur: Deus docuisti me à iuuentute, &c. Porro, in potentias, Græcè est ἐν δυναστείαις, in potentatu vel in potẽtia, quomodo & quidã apud nos legendũ putãt, vt sit sensus: quoniã humano magisterio nõ sum instructus, ingrediar in diuina potestate, qua fretus huiusmodi prouinciam tẽtabo. Sic Euthymius. Et Augustinus quoq; legit singulari numero, in potẽtiam, quomodo & multi nostri libri habent. Hebræa tamen habent pluralem numerum, in potentias, quomodo etiam multa nostra scripta habent.

b DEVS DOCVISTI ME, &c.] Multi hũc versum sic distinguũt, vt hæc verba, & vsq; nunc, coniungantur cũ verbo, pronũtiabo, & hic sit sensus: docuisti me à iuuẽtute mea, & ideo vsq; in hoc tẽpus semper pronũtiaui mirabilia tua. Sic em̃ futurum tempus, pronuntiabo: secundum hanc distinctionem, pro tempore præterito accipi debebit. Verum Græcorũ lectioni magis cõsentit, vt hęc oratio, & vsq; nunc, cum præcedentibus cõnectatur, habent em̃ Græca hoc modo: Deus, quæ docuisti à iuuentute mea & vsq; nunc, pronuntiabo mirabilia tua. Quæ oratio sic est ordinanda. Deus pronũtiabo mirabilia tua, quæ docuisti me, &c.

DONEC ANNVNTIEM.] Aduerbia, donec, c
vsque, & similia, Hyeronimus cõtra Heluidiũ in scripturis duobus modis accipi ostendit. Proprie enim hæc aduerbia certum tẽpus significant, quo finito non amplius futurum est quod vsq; ad illud tempus factum fuit, aut ecõtrariò, futurũ est, quod vsq; ad illud tẽpus factum non fuit. Frequenter tamen accipiuntur vt infinitum tempus designent, hoc est, vt id quod significatur futurũ vsq; ad certum tẽpus, semper futurum intelligatur: aut contrà, quod vsq; ad certum tempus nõ factũ significatur, nunquã intelligatur factũ vel futurũ. Exempla primi sunt: dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos, &c. Similiter quod dicit Dominus Matthæi vltimo, Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi. Exẽplum secundi est, quod habetur Matth. 1. Non cognouit Mariam Ioseph, donec peperit filiũ suũ primogenitum, & alia multa. Ideo autem in his oĩbus certum tempus determinatur, vt dum aliquid dicitur factum vsq; ad illud tẽpus, quo videri poterat non factum, intelligatur multo magis & reliquo tempore futurum, aut ecõtrario dum significatur aliquid non factum vsq; ad illud tempus quo poterat videri factum, intelligatur & reliquo tempore multo minus factum. Quoniam autem his duabus horum aduerbiorum acceptionibus non videtur commodè hic locus & alia aliqua scripturæ loca explicari posse, addenda est & tertia acceptio, qua scilicet hæc aduerbia sic aliquando ponũtur, vt rei tãtum consecutionem significent. Ita enim hic significare vult, si ipsum Deus non derelinquat consecuturum vt omnibus Dei potentiam annũtiet. Sic & illa oratio explicari põt: Sede à dextris meis, donec ponam, &c. vt intelligamus post sessionem Christi in dextra patris, consecuturum aliquando vt omnes inimici eius subiiciantur ei.

POTENTIAM TVAM ET IVSTITIAM.] d
Possunt accusatiui hi coniungi cũ præcedentibus vi hic repetatur, donec annũtiem: vel seorsum accipi possunt, vt subintelligatur verbum, extulisti.

CONVERSVS VIVIFICASTI ME.] Hęc e
vt Dauidi non nisi per tropũ cõueniunt, ita Christo per Dauidem præfigurato verius & perfectius competunt. Hunc enim Deus pater viuificauit, resuscitando à morte, & de abyssis terræ reduxit, dũ & corpus è sepulchro, & aĩam ex inferis reuocauit.

Psalmus Dauid in Salomonem.

ARGVMENTVM PSALMI LXXI.

DAuidem huius Psalmi auctorem esse, non autem, ut quidam existimant, Salomonem, euidẽter satis comprobat id quod in fine subiunctum est, Defecerunt laudes Dauid filij Iesse, quod ad præcedentes Psalmos, non autem, ut quidam faciunt, ad titulum Psalmi sequentis referendum est. Cum autem pleraque huius Psalmi soli Christo competant, quædam uerò etiam propriè typico Salomoni, manifestè satis constat Prophetam Dauid, cum decantaret hunc psalmum, in Salomonẽ filium respexisse (unde & titulus habet in Salomonem) sed tanquam in typum Messiæ, cui soli tanquam uero Salomoni, totus Psalmus accommodari potest. Orat itaque Propheta aduenire regnum Messiæ, & uaticinatur de regni huius æquitate, amplitudine, fœlicitate, & diuturnitate: omnia autem sub typo regni Salomonis, quem præuidens figuram fore Messiæ, præterquam quòd de regno Christi prophetat, simul etiam aliquot uerſibus prædicit, & orat æquitatem, tranquillitatem, & fœlicitatem regni Salomonici. Quòd autem in fine Psalmi subiungitur, defecerunt Laudes, &c. non sic accipi potest, quasi nulli omnino post hunc Psalmi Dauidis sint, sed secundum quosdam, quia post hunc aliquot sub sequuturi non sunt Dauidis, sed eorum quorum nomina titulus habet, & potissimum ipsius Asaph, cuius nomen habent aliquot Psalmorum sequentium inscriptiones. Ipsum autem Asaph Psalmos composuisse, satis testatur id quod legitur 2. Paral. 29. Ibi enim scribitur, Ezechiam regem Leuitis mandasse, ut laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph uidentis. Alij uerò per hæc uerba significari intelligunt summam omnium uotorum Dauidis fuisse, ut quæ hoc Psalmo canantur euenirent, materiámque huius Psalmi finem fuisse omnium quæ in Psalmis Dauid concipiuerat. Sicut enim legis, ita & Psalmorum omnium finis Christus, de quo apertè hic canitur. Nec desunt qui hunc Psalmum ultimum fuisse existiment eorum quos Dauid composuit, tametsi ordine ultimus non sit, atque ob idipsum in fine subiunctam habere hanc clausulam. Defecerunt, &c.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Pſ. 71.

1 *Deus iudicium tuum regi da,*
**& iuſtitiam tuam filio regis.*

DOmine Deus da quæſo noſtro Salomoni,quem regem populi tui conſtituiſti,æquitatẽ tui iudicij:*da huic filio regis,vt ſit in eo tua ad rectè de omnibus iudicandum iuſtitia.†Committe quoq; huic excellentiſſimo regi tuam iudicandi poteſtatem,iuſtitiæq; tuæ executionem illi trade.

2 *Iudicare populum tuum in iuſtitia.*
** & pauperes tuos in iudicio.*

2 Vt à te iudex cõſtitutus,tuæq; iuſtitiæ æquitate donatus,iudicet electum populum tuum cum iuſtitia,*& pauperes tuæ curæ relictos, atq; à te ſolo pendentes cum æquitate,vindicans ſcilicet eos ab iniquis eorum oppreſſoribus.

3 † *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.*

3 Da,ô Domine,vt montes & colles, atq; vniuerſa terra cœlitus ſuſcipiant pro populo tuo pacem & iuſtitiam,vt ſcilicet impiorum iniuſtitia compreſſa & ſublata,pacificam populus tuus ſub hoc rege vitã degat: †da quoque vt primores populi tui,qui montibus & collibus ob excellentiæ eorum altitudinem ſimiles ſunt,à te ſuſcipiant pacem & iuſtitiã populo tuo annuntiandam,vt ſcilicet ex tua delegatione euangelizent pacem per ſummam tuam,tuique regis iuſtitiam populo tuo præſtitã, hoſtibus eius deuictis & expulſis. a

4 *Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum.*
** & humiliabit calumniatorem.*

4 Tuo certè dono Domine,rex iſte iudicabit pauperes populi tui,ſaluã do ſcilicet ipſos ab violentis eorum oppreſſoribus,*& humiliando iniquum calumniatorem populi tui,diabolum ſcilicet, humanum genus calumnioſis accuſationibus infectantem,ac impiè & tyrannicè illi dominantem.

5 *Et permanebit cum ſole, & ante lunam,in generatione & generationem.*

5 Et permanebit in hoc ſuo regno quoad fuerit ſol,& in conſpectu lunæ,atque durante luna ipſe perſeuerabit per omnes generationes,nullum habens nec ſubſiſtentiæ ſuæ finem,nec regni ſucceſſorem.

6 *Deſcendet ſicut pluuia in uellus.*
** & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.*

6 Eius autem in hunc mundum aduentus admodum erit nouus,mirabilis,iucundus,& vtilis. Quemadmodum enim olim pluuialis ros in aridum vellus Gedeonis miraculosè deſcendit,abſq; vllo ſtrepitu,nihil nocumenti inferens velleri,neq; dum illabebatur,neque dum exprimebatur:ita & ipſe è cœlo cœleſtis,nouo & inaudito modo illabetur in vterũ virginis inſenſibiliter,nihil vitians aut ſuo ingreſſu aut egreſſu pudorem virgineum:*& ſicut ſtillicidia imbrium leuiter ſtillant ſuper terrã ſitientem,fœcundantia eam,hominesq; ſuo deſcenſu ac humectatione lætificantia:ita & ipſe è cœlo deſcendet in vterum virgineum,atque etiam in hunc mundum,ſuo aduentu mirè mortales lætificans, mundúmque hunc ſterilem & aridum,ſua irrigatione fertilem reddens.

7 *Orietur in diebus eius iuſtitia,*
** & abundantia pacis,donec auferatur luna.*

7 Itaque cùm ante aduentum eius in vniuerſo mundo iniuſtitia & iniquitas præualuerit,diuerſæq; gentes per diuerſas religiones interſeſe diſſenſerint,ac tumultuatæ fuerint,mortales etiam cũ Deo longas propter iniquitatem inimicitias traxerint,neq; cum ſeipſis conſcientię pacem & tranquillitatẽ inuenire potuerint,in diebus eius terra ab eo fœcundata germinabit,& proferet vndique iuſtitiam,*& pacis abundantiam duraturam,vſq; dum à ſuo officio ceſſet luna,hoc eſt,vſq; ad conſummationem ſæculi,& vltra.Iuſtitia enim fidei ac bonorũ operũ vbiq; obtinente,irato Deo humanum genus reconciliabitur, ac diſſidentes prius populi in vnam religionem coadunabuntur,inter ſe verã in Deo pacem ſeruantes,atq; in ſeipſis aluiſſima mentis pace & tranquillitate perfruentes. b

8 *Et dominabitur à mari uſque ad mare,*
**& à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.*

8 Vt autẽ regnum eius æquiſſimum erit & pacificum,ita quoq; latiſſimè ſeſe protendet.Obtinebit enim hic rex imperium à mari occidẽtali,vſq; ad mare orientale,& à flumine magno Euphrates,vſq; ad extremos fines orbis terrarum,totũ ſcilicet orbem ſemini Abrahæ promiſſum,ſibi ſubiectum habens.

9 *Coram illo procidẽt Aethiopes.*
**& inimici eius terram lingent.*

9 Ante ipſum prouoluẽt ſeſe vltimarum regionum incolæ,quales ſunt Aethiopes,*& qui prius inimici eius & populi ipſius fuerũt,in perfectę ſubiectionis proteſtationem ipſam terram coram eo deoſculabuntur, externóq; corporis habitu ſummam ei & reuerentiam & ſubiectionem exhibebunt.

10 *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent:*
** Reges Arabum & Saba dona adducent.*

10 Reges Tharſis,& hi qui inſulas inhabitãt remotiſſimas,munera offerent,huic regi in reuerentiam eius, & in ſubiectionis declarationem, *reges Arabum,regéſq; Saba honoraria dona ei adducent.

11 *Et adorabunt eũ omnes reges terræ,omnes gẽtes ſeruient ei.*

11 Et adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes voluntariè ſeruient ei. c

12 *Quia liberabit pauperẽ à potente,*
**& pauperem, cui non erat adiutor.*

12 Idcirco autem ſe cuncti eius imperio ſubijciẽt,quia regali ſua fortitudine & iuſtitia liberabit pauperẽ à tyrannide potentis,*& pauperem talem,cui nullus erat inter homines adiutor,humanũ enim genus omnibus veris bonis egens,ac crudeliſſimo diaboli potentiſſimi imperio preſſum,

preſſum,à quo qui ipſum liberaret nemo erat,nec inueniri poterat,ipſe liberabit à diabolicæ ſeruitutis iugo grauiſſimo.Quemcunq; etiam afflictum,qui humano præſidio deſtitutus ipſius auxilium implorabit,à quocunque oppreſſore,ſiue dæmone,ſiue homine,quantumuis potente,liberabit.

13 *Parcet pauperi & inopi,*
**& animas pauperum ſaluas faciet.*

13 Neque verò in iam ſibi ſubiectos durus erit,ſed clemẽtem ſe ac mitem exhibebit pauperi & inopi facilè cõdonans errata humilium ſpiritu,inopiámq; ſuam agnoſcentium,quorũ imprimis curam ſuſcipiet,*& animas pauperum ſaluas fecit à peccato,à morte,ac tandẽ ab omni malo,æterna beatáque ſalute eos donans.

14 †*Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum,*
**& honorabile nomen eorũ coram illo.*

14 A manifeſtis criminibus,quales ſunt vſurę,& ab omni iniquitate, quam admiſerũt,liberabit animas eorũ.†Ab omni etiam peccato quod commiſerunt,& ab omni obligatione,qua tanquam accepto fœnore & ære alieno grauati ſe peccatores per peccatum diabolo,mortiq; debitores faciunt,ipſe animas eorum redimet,perſoluens pro eis redemptionis debitum pretium.†Sed & ab omni iniuſtitia & violenta impiorum oppreſſione liberabit animas pauperum.*& quanquam prius pauperes fuerint,& à ſe redempti,non tamen eos habebit(vt fieri ſolet)veluti vilia mancipia,ſed in magno apud ipſum pretio & honore erunt admodum ei chari & grati,habentes iam nomen nouũ,quod apud ipſum maximi fiat. d

15 *Et uiuet, & dabitur ei de auro Arabiæ,*
**& adorabunt de ipſo ſemper tota die benedicent ei.*

15 Et viuet hic rex imperpetuũ,in flore regni,ſummáq; fœlicitate ſemper degẽs,& dabitur ei de auro fœlicis Arabiæ,ac quicquid optimũ eſt ab omnibus ei paſſim offeretur,*& orabũt omnes gentes ſemper Deũ pro proſpero ſucceſſu regni eius,aſſiduéq; illum ſuis hymnis laudabũt & regno eius ſemper bene precabuntur. e

16 *Erit firmamentum in terra in ſummis montium.*
**ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius,*
**& florebunt de ciuitate,ſicut fœnum terræ.*

16 Neque ſub hoc rege aliqua erit ciborum victúſq; inopia in terra,ſed ſumma fertilitas.Erit enim tempore regni eius in ſummitate montium, in ſummis illis viris Apoſtolicis firmamentum pánis,Verbum ſcilicet euangelicæ doctrinæ,& ſacroſanctæ Euchariſtiæ cibus,quo corda fidelium confirmabuntur ne vnquam deficiant.*Huius autem vtriuſq; cœleſtis panis fructus quem proferet,frugiferum libanum excedet & altitudine,& multitudine ſua,*& qui erunt ciuitatis regis iſtius ciues,flore bunt ſicut gramen terræ,per fœcũditatem cœleſtis panis in bonis operibus virentes,atque in maxima creſcentes multitudine,quemadmodũ ſolet gramen in agro. f

17 *Sit nomen domini benedictum in ſæcula,*
** ante ſolem permanet nomen eius.*

17 Proinde ſit nomen eius ab omnibus perpetuò laudatum:*in conſpectu enim ſolis,& quamdiu durabit hic ſol,permanebit celebritas nominis eius.

18 *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ,*
omnes gentes magnificabũt eum.

18 Et iuxta promiſſionem patribus noſtris,Abrahæ,Iſaac & Iacob factã vniuerſæ nationes terræ ſine diſcrimine & acceptione,per ipſum bene dicẽtur à Deo ſpiritualibus & ſempiternis bonis,& à ſeipſis quoq; propter ipſum fœlices prædicabuntur:*ideoq; omnes gẽtes magnificabũt eum,fatentes eum omnibus eſſe beatiorem,per quem omnes benedicti benedicentur,& beatificabuntur.

19 *Benedictus dominus Deus Iſrael,*
**qui facit mirabilia ſolus.*

19 Benedicatur ab omnibus Dominus Deus Iſraelis.*Non enim dij gẽtium,ſed hic ſolus,non adiutus alienis viribus,ſed ſuis ſolis viribus mirabilia deſignat opera,qualia maximè erunt ea,quæ in hoc, quem dixi, rege & per ipſum deſignabit pro totius humani generis ſalute.

20 *Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum,*
** & replebitur maieſtate eius omnis terra,fiat fiat.*

20 Laudetur ab omnibus perpetuò nominata & celebris maieſtas eius, *fiátq; vt non ſolum in Iudæa,ſed & in vniuerſa terra maieſtas potẽtiæ, bonitatis & ſubſtãtię eius declaretur,prędicetur & agnoſcatur.Id quod omnibus votis vnicè fieri exopto.

Defecerunt laudes vel finiunt preces Dauid Filij Ieſſe.

ANNOTATIONES.

a DESCENDET SICVT PLVVIA,&c,]Dictio Hebraica,pro qua nos habemus, vellus, ſignificat & herbã demeſſam & vellus.Prioré ſignificationé pleriq; tranſlatores ſequuntur, vertẽtes: Deſcendet ſicut pluuia in demeſſam herbã,&c.Secundum quam lectionem hoc verſu tantũ ſignificatur,quod aduentus Chriſti & gratus ſit futurus hominibus,& vtilis mũdo, quomodo ſcilicet pluuia in deſecatã herbã deſcendẽs,admodũ grata eſt, eo ꝙ progerminare eã facit:Septuaginta & Hieronymus ſecuti ſunt ſecundam ſignificationẽ,ſecundum quam lectionẽ omnes penè interpretes intelligunt hic prophetã alludere ad vellus Gedeonis, in quod miraculosè ros deſcendit in ſignũ futuræ liberationis.Accũmodatur autẽ hic verſus ad figurã velleris dupliciteŕ. Auguſtinus enim, & poſt eũ

alij priorem huius versus partē referunt ad primū miraculum, quod Gedeoni datum est, rore scilicet descendente tantū in vellus expāsum in area. Secū dam autem partem ad secundum miraculum, quo ros in reliquam terram decidit, vellere permanēte sicco. Itaq; intelligunt per vellus mysticè, designatum populum Iudaicum, cui soli Christus in hunc mundum descendens primū apparuit: quo tamen postea propter incredulitatem derelicto, Christus gentilem populū doctrinæ suæ irrigatione fœcúda uit. Alij priorē tm̄ huius versus partem ad signum Gedeoni datum referunt, per vellus Gedeonis intelligentes præsignificatum vterum diuæ virginis, quem sensum latè satis explicat paraphrasis. Videri autem potest Propheta non respexisse ad vellus Gedeonis, eò quòd in libro Iudicū non pluuia, sed ros descendisse dicitur primū in vellus, deinde in reliquam terram. Vnde & Euthymius hanc partē sic explicat, vt nullā velleris Gedeonis mētionem faciat, sed simpliciter intelligatur Christus descen disse in vterum virginis insensibiliter, & sine corruptione, sicut in vellus pluuia descendere solet.

b ORIETVR DIEBVS EIVS.] Pro, orietur, Græca quidem dictio ἀνατελῶ, ortū significat, qualis soli & lunæ tribuitur. At Hebræa hoc loco posita, ortum significāt, qualis tribuitur herbis, quæ & ipsæ oriri dicūtur è terra. Significat enim germina re & crescere. Sed & alias sæpe Septuaginta pro germinare eo verbo abusi sunt, vt cū dicitur: Veritas de terra orta est. Et Isaię 61. hic locº clarius explicatur: Sicut terra profert germē suū, & sicut hor tus semen suum germinat, sic dominus Deus germinabit iustitiam. Quo loco pro, germinabit, etiā est ἀνατελῶ. *Isaiæ 61*

c REGES ARABVM ET SABA.] Vocabulū Saba, in scripturis nō semper eandē regionē significat, sicut nec apud Hebræos vnum semper nomē est eisdem scriptum literis. Nam qñque scribitur per literā schin, & legitur scheba: aliquādo per samech, & legitur seba. שְׁבָא Scheba autem significat Arabiā fœlicē, quæ est illa Saba, de qua scribit Isaias cap. 60. Omnes de Saba veniēt, aurū & thus offerentes, &c. Hoc enim loco scribitur per schin. סְבָא Seba autem per samech, regionē significat Æthiopiæ, vt satis liquet ex Isaiæ cap. 43. & 45. vbi Seba cōiungitur Ægypto & Æthiopæ. Vtrūq; autem istud Saba hoc loco apud Hebræos ponitur. Nam pro nomine Arabum, Hebręa habēt Scheba. Mutuatæ sunt autē hæ regiones hæc sua nomina à filiis Cus, sicut & ipsa Æthiopia, quæ Hebræis Cus dicitur, à primo suo inhabitatore Cus nomen est sortita. Cus enim filium habuit Seba, vnde Iosephо teste Sabei dicti sunt, & Renga. Porro Renga filium habuit Scheba. Vnde Sabateos, quos & Arabes Iosephus dictos esse testatur. *Isaiæ 60.* *Isaiæ 43 & 45.*

d EX VSVRIS, &c.] Paraphrasis triplicē huius partis sensum indicat: Primum, vt nomen, vsuræ, propriè accipiatur, & sub hoc nomine omnia manifesta crimina intelligātur. Secundò, vt vsura non attribuatur ei qui mutuum dat, sed qui mutuum accipit sub vsura: sicq; per vsuram recte intellexerimus omne peccatum, quo per perceptā carnis voluptatem diabolo, quasi fœneratori nostro, debitores nos facimus. Tertiò vt vsura rursum referatur ad vsurarium, qui imposito fœnore pauperes grauat, & nomen speciei accipiatur synecdochicè pro genere, Hoc est, vsura pro quauis iniqua, oppressione, vt significetur animas pauperū & oppressorum liberandas ab impiorū oppressione, fraude, & dolo. Nam & Hebraica dictio, quā noster vertit per vsuram, frequenter aliā quāuis fraudē & dolū significat. Atq; hic sensus postremus magis conuenit cū superioribus, vbi dicitur de saluatione pauperum.

e ADORABVNT DE IPSO SEMPER.] Apud Hebræos & Græcos non est verbū quod adorare propriè significet, est eñ Græcis προσεύξονται, quod orare significat. Vnde & Romanum Psalterium habet, Orabunt de ipso semper, sic & Augustinus legit. & Hieronymus lib. 1. contra Iouinia. legit orabūt pro eo semper. Proinde in nostra lectione cōpositum, adorabuni, accipi debet pro suo simplici, orabunt.

f ERIT FIRMAMENTVM.] Pro dictione, firmamētum, apud Hebræos duæ ponūtur dictiones פִּסַּת־בַּר pissath bar. Dictio autem, bar, frumentū significat. Vnde Liranus mendosè legi putauit in nostris libris firmamentum pro frumentum. Verū rectè nos legere firmamentum Græca docent quæ habent στήριγμα: Dictio aūt pissa significat particulam aliquam, vel volam & palmam manus. Vnde vertunt quidam: Erit particula frumenti in terra, &c. Alij: erit pugillus frumenti in terra, &c. Intelligunt autem significari, ꝙ ex paucis granis in terrā proiectis, & ex tantillo frumenti, quantū vola manus capere pōt, maxima proueniet messis. Quod quidem carnales Iudæi de tēporali fertilitate agrorum, quam expectant in diebus Messiæ sui: Verūm nos id rectissimè intellexerimus de semine verbi euangelici, quod in euangelio saluator noster comparat grano sinapis, eo quòd in principio quidem minimum, totam iam terram impleuerit. Sunt autem inter Iudæos vetustissimos, qui etiā ante Christi tempora extitere, qui dictionē, pissath, pro placē tula accipiunt, exponentes: erit placentula frumenti in capite mōtium. Idq; ideo, vt apparet, quoniā placentulæ similitudinē habent volæ & palmę manus. Intelligūt autem de sacrificio panis in diebus Messiæ offerendo in capite mōtium, hoc est, vt interpretantur, sacerdotum. Vnde Dargum Ionatæ sic habet: Erit sacrificium panis in terra in capite montium, & Cargum aliud: erit panis substantificus in terra in capite montium. Itaq; rectè verterunt Septuaginta, firmamentum, sensum potius quam verba sequuti: intelligentes autē per firmamētum panem. Nam panis cor hominis cōfirmat. Et alio Psalmo dicitur: omne firmamentum panis contriuit. Panis autem iste, de quo loquitur, nullus alius accipi potest, quàm sacrosancta Eucharistia, aut euangelica doctrina, vel vterq; panis simul, vt habet paraphrasis. *Psal. 10.*

Psalmus Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXII.

PRopheta hoc Psalmo in consolationem piorum, qui fœlicitate impiorum aliquoties uruntur & offenduntur, canere instituit, quàm infœlicem exitum habeat impiorum fœlicitas, & contra quàm fœlicem piorum infœlicitas. Itaque primū præmittens fidei sententiam contra carnis tentationem, postea personam assumit hominis fidelis & iusti, qui ex una parte nonnihil tentatus circa prouidentiam Dei considerationē & fœlicitatis impiorū, & suæ iugis miseriæ: ex altera uerò parte huic tentationi occurrens, eo quòd suam sortem sibi uideat cum omnibus iustis esse communem, animum suum accommodat ad per

ad perueſtigandū diuerſitatis in ſpeciem abſurdæ, quæ inter iuſtos eſt & iniuſtos, rationem: aſſerens ſe hanc inuenire nequiuiſſe, priuſquam in ſecretiora Dei adyta introgreſſus, in ſancta contemplatione à Deo didiciſſet, impiorum fœlicitatem infœlici ſubito termino ſui exitu. Contrà uerò piorum momentaneam afflictionem, perpetuæ illis fœlicitatis cauſam eſſe, propter quod concludit, optimum ſibi eſſe ſoli Deo adhærere & fidere.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Quàm bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde.
2 Mei autē penè moti ſunt pedes,
**penè effuſi ſunt greſſus mei*

3 Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum uidens.
4 Quia nō eſt reſpectus morti eorum,
**† & firmamentum in plaga eorum.*
5 In labore hominum non ſunt,
**& cum hominibus nō flagellabuntur.*
6 Ideo tenuit eos ſuperbia,
**operti ſunt iniquitate & impietate ſua.*
7 † Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum,
**tranſierunt in affectū cordis.*
8 Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam,
**† iniquitatem in excelſo loquti ſunt.*

9 Poſuerunt in cœlū os ſuū, & lingua eorum tranſiuit in terra.
10 † Ideo conuertetur populus meus hic,
** & dies pleni inuenientur in eis.*

11 Et dixerunt quomodo ſcit Deus?
** & ſi eſt ſcientia in excelſo?*
12 Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias,
13 Et dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum,
** & laui inter innocētes manus meas.*
14 Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.
15 Si dicebam, narrabo ſic,
** ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.*

16 Exiſtimabam ut cognoſcerē, hoc labor eſt ante me,

VEre admodū benignus est Deus in Israelē, hoc est, in eos qui synce ro sunt corde, vera intētiōe in omnibus vni Deo placere studētes. *Psal. 72.*

2 Quanquam autē istud certissimum sit, tamen aliquando cū mei pene oblitus essem, & secundum sensus imperfectum iudicium iudicarē, mihi propemodum accidit, vt similis efficerer his quorum pedes in via vacillant, *quíq; per lubrica ambulantes, effuso gressu collabūtur, hoc est, vt à fiducia in Deum, & studio virtutis exciderem.

3 In causa verò fuit, quòd indignationis & inuidiæ cuiusdam stimulis commotus excādescere cœperim aduersus iniquos, cùm viderem omnia illorum esse pacata & prospera.

4 Non enim est videre frequētes & acerbas eorum mortes sicut iustorum, *nec est in eorum afflictione aliqua firmitas & perseuerantia. Nā si quando incidat afflictio, mox ab ea liberantur. †In eorum quoq; calamitate incidente adest eis robur & fortitudo diuitiarum, quæ repellere afflictionem mox valeant. b

5 A molestiis famis, frigoris, defatigationis, & id genus reliquis, quibus ex ipsa cōditione homo fragilis obnoxius est, liberi sunt, *nec, sicut alij homines, malis afficiuntur.

6 Hinc fit, vt superbia possideat eos totos, *& quemadmodū totus homo vndiq; veste sua tegitur, ita, & ipsi toti inuoluti sint impietate & iniquitate sua, quam & in Deum, & in proximum liberè committunt. c

7 Ex illorum opulentia, quasi ex adipe resudante suam pinguedinem, prodiit iniquitas eorum. †Ex intimis etiam ipsorum, quasi ex ipsorū adipe, prodiit in opus exterius, meditata prius & concepta iniquitas eorū, *assequuntur quicquid corde affectauerunt.

8 Apud se excogitant nequitiā, ac deinde eam sine pudore eloquuntur, tractantes cum sui similibus quomodo bonos & simplices circūue niant, & adeò eos non pudet suorum scelerum, vt iniquitatem cōmissam aut conceptam in excelso aliquo loco publicè palamq; proloquantur. †Adeo etiam temerarij, vt contra ipsum Deum, quamuis super omnia sit, audeant loqui quæ iniqua sunt. d

9 Efferunt in cœlum os suum, & lingua sua peruagantur vniuersam terram, neque superis, neq; inferis parcentes, sed in omnes præ nimia superbia venenatam suam linguam liberè exercentes.

10 Atq; ob hæc fit, vt populus fidelis (cui me annumero) reuocetur nōnunquam, & declinare incipiat ad hæc impiorum studia: *videtur enim quod in impijs inueniuntur dies pleni, quódq; in multam senectam viuentes impij, omni fœlicitate perfruantur: †ob hæc item impiorum studia, & prosperitatem, plerunque fideles & iusti animum suum accómodant, ad considerandum eorum opera, ac fœlicitatis eorum rationē: & ecce quod magis eos fluctuare facit, dum de his attentè cogitant, inueniunt in impiis dies & longæuos, & omni fœlicitate abundantes.

11 Proinde in impiorum fœlicitate nonnihil scandalizati dixerūt apud se secundum carnis infirmitatem: Quomodo verum est Deum omnia scire & curare, quæ hic aguntur? *& an est omnium rerum scientia in altissimo Deo? e

12 Videri sane potest non cognoscere, aut saltē non curare omnia Deū quoniam ecce isti sunt peccatores, & tamen abundantes in hoc sęculo, assecuti sunt ingentes diuitias.

13 Itaque apud memetipsum dixi: Si non curat terrena Deus, & si melius est peccatoribus quàm iustis, ergo frustra studui cor meum emundare, & mundum seruare ab omni iniustitia, *frustra mundas ab iniquitate cum innocentibus manus habere studui.

14 Quotidie enim pertuli varias afflictiones, & castigatio mea singulis exortibus solis statim incepit. Nullus enim oritur dies, qui non mox mihi aliquam adferat molestiam.

15 Si dicebam in animo meo, vt ad istum modum loquerer, *ecce iam ex altera parte inconueniens se offerebat. Consequebatur enim ꝙ non solum me condemnarem vanitatis, sed etiam totam nationem filiorum tuorum reprobarim, quasi frustra iustitiæ studentem, cū omnes hi, quos pro filiis tuis habes, hic variè affligantur.

16 Itaque in hac animi perplexitate constitutus, cōstitui in animo meo horum rationem inuestigando cognoscere, & speraui me horum causam facilè cognoscere posse. *Verum inueni id mihi esse difficillimū.

17 Donec intrem in sanctuarium Dei,
* ut intelligam in nouissimis eorum.
18 Veruntamen propter dolos posuisti eis,

*deiecisti eos dum alleuarẽtur.

19 Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.
20 Velut somnium surgentium,
* Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21 Quia inflammatũ est cor meum, & renes mei cõmutati sunt, * & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.

22 Vt iumẽtum factus sum apud te,
* & ego semper tecum.
23 Tenuisti manum dexteram meam, & in uoluntate tua deduxisti me,
* & cum gloria suscepisti me.

24 Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid uolui super terram.
25 Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.
26 Quia ecce qui elongant se a te, peribunt,
*perdidisti omnes qui fornicantur abs te.
27 Mihi autẽ adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.
28 Vt annũtiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.

17 Donec ingrederer in secretiora Dei adyta, animúsq; à cũctis creaturis abstractus sese Deo coniungerer, sanctæ cõtemplatione totũ se addicens voluntati diuinæ discendę, *sicq; Deo me erudiente intelligerẽ, quem finem habituri essent impij, qui hic videntur fœlices. f
18 Sanè huic contemplationi deditus, didici te Domine dedisse eis fœlicitatem hanc temporalem, vt per eam deciperẽtur. Cùm enim semel eos ab æterno reprobaueris, æterniſq; addixeris suppliciis, temporalia eis in hoc mundo bona largiris, quibus tua gratia eos deserẽte permittentur abuti, ac abutendo grauissima sibi cumulare supplicia, & ita secunda fortuna blandiente decipi, vt futura non præuideant nec metuãt mala. *Ecce enim Domine, dum exaltati sunt impij isti, dum se magis ac magis eleuare conãtur, tu eos mox ab ea gloria & fœlicitate deiicies in extremas miserias, quemadmodum & iam frequenter fecisti. g
19 Quàm subitò enim frequenter impij deuastati sunt, defecerunt, atq; in nihilum redacti sunt propter iniquitates suas.
20 Quemadmodum somnium eorum qui expergiscuntur perit & euanescit subitò, dormientem inani delectatione detentum sua fraudans expectatione: *ita tu Domine in sanctorum tuorũ consortio, supernáq; tua ciuitate ad nihilum rediges memoriam eorum splendidam, quam apud omnes habebant, eorúmq; fœlicitatem temporalem, quæ imago tantum & vmbra est fœlicitatis, non ipsa fœlicitas. Atque tum primum de præsenti stupore, qui animum eorum captum tenet, euigilantes, intelligent se inanes omnium bonorum fuisse & esse, somnióq; vano similem fuisse, quæ blandiebatur in hoc mundo fœlicitatem.
21 Et quidem Domine priusquam hanc iudiciorum tuorum æquitatem perpenderem, ex æmulatione & cogitationum varietate æstuabat in me cor meum irrequietum, sed & interiores mei affectus commoti sunt super iniquos, atq; immutati, ita vt iam ea concupiscere inciperẽ, quæ sequebantur impij: *sicq; propemodum consumptus sum, & virtute defecta in peccatum prolapsus, quasi enim insipiens iudiciorum tuorum rationem non intellexi.
22 In expendendis consiliis tuis similis factus sum bruto iumẽto, intelligentia omni destituto, nec curante nisi præsentia, *tua tamen gratia factum est, vt à te non recederem, sed apud te semper permanerem.
23 Cùm enim variis in meipso cogitationibus cõflictatus vacillarem, ac propemodum à te recederem, tu me quasi apprehensa manu dextera tenuisti, & benigna in me voluntate tua, mirabiliq; tuæ voluntatis consilio, tu me sic deduxisti, vt etsi in insipientes illas inciderem cogitationes, non tamen per eas à pietate deficerem: sed magis in ea proficerẽ, *sicque à te deductum me, prius quodammodo brutum effectum, cum gloria postea suscepisti ad te, dum omni vacillatione superata, firmius tibi adhærere fecisti, post huius vitæ miserias me certò cum gloria ad te recepturus, cum me tuæ maiestatis participem es redditurus. h
24 Quid enim mihi, præter te, gratum est in cœlo: aut præ te solo quid desideraui super terram?
25 Præ nimio desiderio adhærẽdi tibi deficit ac lãgueſcit & caro mea, & spiritus meus, *tu Deus vnicus es, quem desiderat, atq; in quem sperat cor meum, portio mea hæreditaria tu Deus es in æternum.
26 Idque merito. Nam ecce qui à te procul recedunt peribunt, *perdes certissimò omnes eos, qui, te derelicto, cui soli adhærere deberent & cõiungi, aliquid super te amant, cíque per amorem adhærent.
27 Mihi autem optimum iudicaui adhærere per fidem & dilectionem Deo, ponerẽque in Domino Deo omnem meam fiduciam.
28 Vt perceptis à te Domine sempiternis tuis beneficiis, narrem semper, omnes laudes tuas palam, nempe in portis ciuitatis sanctæ Hierusalem, atque his locis, quibus frequens est hominum conuentus.

ANNOTATIONES.

a QVIA NON EST RESPECTVS, &c.] Hebræa ferè sic vertunt: Quia nõ sunt ligamina morti eorũ, vel in morte eorũ, Græca, ὅτι οὐκ ἔστι ἀνάνευσις ἐν θανάτῳ αὐτῶν, hoc est, quia nõ est abnuitio in morte eorũ. Græca enim dictio, ἀνάνευσις, non significat respectum, sed recusationem & abnuitionem. Cui consonat lectio Augustini, quæ habet, declinatio. Græcam lectionem sic intelligit Euthymius, vt sit sensus: quoniam mors quę eis obuenit, non est abnuenda, aut respuenda, veluti quæ & secundum naturam aduenit, & nulla cum violẽtia. Simili sensu quidã intelligũt in Hebræo significari, in impiorum morte non esse ligamina, hoc est, longos cruciatus, & moras diuturnas, sed placidè & tranquille mori. Quanquam autem nõ satis videatur qd secutus noster interpres verterit, respectus: tamen hæc nostra lectio satis consentit cum eo quod Diuus Hieronymus vertit ex Hebræo: Quia non cogitauerint de morte sua. Idem enim significabitur nostra lectione, si sic accipiatur: Non est eis respectus morti eorum, hoc est, ad mortẽ ipsorũ, id est non respiciũt, nec habent præ oculis mortem eis imminentem. Verùm qm̃ his versibus non in quo peccent impij propheta describere velle videtur sed in quibus videãtur esse fœlices, nẽpe vt explicet quod in genere dixit, pacem peccatorũ videns, ideo aliũ in paraphrasi sensum secuti sumus, qui magis veræ interpretationi Hebræorũ conuenit: Possunt em̃ Hebræa rectius intelligi, vt sit sensus: non ligantur ad mortem, hoc est, ad eã non vrgẽtur variis morbis, aut hominũ iniuria, sicut iusti.
b FIRMAMENTVM IN PLAGA.] Paraphrasis indicat duplicem huius partis sensum. Primum ne gatiuè accipiendo, vt negatio, quæ ponitur in prima parte, hic repetatur. Secundo, accipiendo affirmatiuè, sine repetitione negationis.
c IN LABORE HOMINVM, &c.] Labor in scripturis non significat tantum molestiam operationum humanarum, sed quamuis afflictionem.
d INIQVITATEM IN EXCELSIS O, &c.] Quidam legunt per accusatiuum, in excelsum, & intelligunt in excelsum, hoc est, cõtra Deũ, vt excelsum sit masculinum. Verũ id non patiuntur Græca, quæ etsi habeant accusatiuum, habent tñ neutrum genus, ἐς τὸ ὕψος, Vnde & Augustinus legens, in altum, interpretatur clarè, & audientibus oibus. Qui sensus cõsonat Hebræis, quæ habẽt, de excelso scilicet loco locuti sunt. Sic ergo & nostra litera, accipienda est, siue legas in excelso siue in excelsum. Euthymius quidẽ intelligit impios loqui iniquitatem contra Deum: sed per τὸ ὕψος, hoc est altitudinem, intelligit diuinitatem.
e ET DIXERVNT QVOMODO SCIT, &c.] Sic fere legitur, sed Hebræa & Græca habẽt præterea tum, scit, quomodo & Augustinus legit, & glosa ordinaria habet ad marginem. Parum tamen refert vtrouis modo legatur.
f DONEC INTREM, &c.] Pleriq; ob temporis futuri temporis hic posita, intelligũt hic prophetã significare, non posse se huius difficultatis solutionem inuenire, priusquã in cœlestem Dei mansionẽ exutus hoc corpore ingressus fuerit. Verũ quoniã mox videtur velle aperire rationẽ propositæ difficultatis, cùm dicit: propter dolos, &c. conuenientius futura pro præteritis accipiẽtur. Qm̃ aũt in sanctuario Dei fideles peculiariter Dei opera contemplãtur & perpẽdunt, ideo qm̃cunq; quis sẽ per sanctam meditationẽ accommodat ad considerãdum opera Dei, iã ingredi dicitur in sanctuaria Dei vbi de his quæ Dei sunt, à Deo eruditur. Quod aũt dicitur: intelligam in nouissimis eorũ: Hebraica phrasi dictum est, pro intelligam nouissima eorum.
g PROPTER DOLOS POSVISTI EIS.] Difficultatem habet hęc oratio, tum quia videtur Deo dolum asscribere, tum quia non dicitur quid Deus illis posuerit. Græca autem ad auferendam hanc incõmoditatẽ additum habent aliquid quod Hebræa non habẽt. Habẽt enim sic: propter dolos posuisti eis κακὰ, id est, mala. Et tũc sensus est: Propter fraudes impiorũ, quibus innocentes oppressi runt, tu eis præparasti æterna supplicia. Verũ aliud Hebræa videntur velle significare, & propheta hic videtur velle reddere rationẽ diu iam quæsitã, quare scilicet impiis omnia in hoc mũdo prosperè eueniant, atq; hanc significare eam esse, vt per fœlicitatem temporalem à Deo illis datam decipiantur. Quod tamen ita oportet intelligi, vt præpositio (propter) hic non accipiatur, vt denotet propriam causam finalem, sed tantum consecutionẽ rei, quæ Deo permittente, non aũt faciente cõsequitur, per impiorum malitiam ex prosperitate illis à Deo cõcessa, quomodo frequenter in scripturis accipitur coniunctio, vt. Huic sensui cõsentit quod aliqui ex Hebræo vertunt: In adulatione posuisti eis. Porro, posuisti, Hebraica phrasi positum est, pro dedisti.
h IN VOLVNTATE TVA DEDVXISTI, &c.] Græcis nó est, volũtate, sed βουλῇ, hoc est, consilio, qũo & Hebræa habent. At interpres videtur legisse βουλὴ σε, nam ea dictio voluntatem significat. Sunt aũt qui intelligunt significari Deũ deduxisse prophetam in cognitionem consilij sui, vt scilicet cognosceret quo consilio impij hic sint fœlices, pij verò opprimãtur. Verùm vt istud significaretur, dicẽdum fuerat: in consiliũ tuum: Nunc aũt dicitur: ἐν βουλῇ σου, in consilio tuo. Proinde rectius accipitur de cõsilio illo Dei, quo mirabiliter pios sinit incidere in zelum illũ & indignationẽ cõtra impios: sic tamen, vt per varias cogitationes non excidant à pietate, sed magis in ea proficiãt atq; post fluctuationem confirmẽtur. Sicq; eodẽ recidit siue dicas, in voluntate tua: siue, in cõsilio tuo. In eo aũt quod sequitur: Et cũ gloria suscepisti me. Hebræa habẽt futurum tempus suscipies: & additur dictio ordinem significans, post. Est enim, & post cũ gloria suscipies me, vel. Et post gloria suscipiet me. At in Psalmis maximè nouũ non est, vt præteritũ pro futuro, & contrà ponatur. Indicat aũt paraphrasis, qũo hæc pars ad vtrumque tempus referri possit.

Intellectus Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIII.

PRæsens Psalmus, manifeste ad literam est querimonia de vastatione ciuitatis Hierusalem, & prophanatione tẽpli eius. Quære sunt qui eum non putent compositum ab Asaph illo primo, qui fuit cantor tẽporibus Dauidis: sed uel à posteris eius, quorum ordo patris nomen retinuerit, vel ab aliquo de familia Asaph, habente nomen patris familiæ. Alij tamen ueri similius editum putant à primo illo Asaph, spiritu prophetico præuidente uastationem Hierusalem & templi, quæ eo tempore nondum facta fuerat. Plerique autem Iudæorum, quidam etiam nostrorum, canere Psalmum intelligunt de ea uastatione, quæ facta est per Titum & Vaspasianum, quam & nunc adhuc patiuntur, expectantes per aduentum Messiæ ab ea liberari. Verùm ut uana est eorum expectatio, ita Iudæis exoccatis piæ adeo uoces, quales hic Psalmus memorat, omnino non conueniunt, sicut nec oues pascuæ Dei, & pauperes eius nominari amplius possunt, qui se Dei inimicos constituerunt, quos etiam Romani nequaquam in odium religionis & cultus ueri Dei deuastauerunt, sed ob superbam eorum rebellionem Deo ita ordinante, propter crudelitatem in Messiam ab eis commissam. Sed nec de ea deuastatione intelligendus uidetur, quæ per Nabuchodonosor contigit Iudæis, de qua plerique Psalmum interpretantur. Tunc enim prophetas suos habuere Iudæi, qui finem desolationis prædicerent, cùm Psalmus conqueratur non fuisse aliquem Prophetam. Proinde conuenientius de ea intelligitur quæ inter has duas media fuit, quæ scilicet facta est per Antiochum Epiphanem tempore Machabæorum. Hanc itaque præuidens in spiritu propheta, in persona populi Israelitici grauiter afflicti, primum queritur de templi, ciuitatis, populi

tis, populiq; sancti uastatione, deq; impiarum gentium in Deum & sanctos eius contumelia: tum postquam ad suffulciendā spem commemorauit aliquot Dei facinora pro populo suo edita, & potentiam eius, qua omnia simul creauit, orat, ut uel ob suam ipsius gloriam Deus uindicet sanctos, impijs gentibus digna ultione repressis. Cùm autē hæc uastatio ciuitatis, & prophanatio templi, quæ per Antiochum facta est, figura fuerit prophanationis & uastationis ecclesiæ, quæ per Mahometum, eiusq; sequaces facta est, quotidieq; fit, & eius quoque quæ per nouissimum Antichristum futura est, cuius typum prætulisse Antiochum satis ex Daniele constat, secundum mysticum sensum intelligendum est, prophetam etiam de his uastationibus hoc Psalmo conqueri ex persona ecclesiæ fidelium.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Vt quid Deus repulisti in finem? * iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?*

ET quare, ô Deus ita te geris erga nos, vt videaris nos à tua cura & fauore abiecisse penitus & imperpetuum, tanquā nullam amplius nostri rationem te habiturum statueris? *cur optime Deus indignationis tuæ seueritas manet in eis, quos tibi delegisti in oues pascuæ tuæ, vt scilicet eos pascas, cures & regas? Ps.73.

2 *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

2 Qui iam diu nostri visus es fuisse immemor, declara quęso te memorem esse eius congregationis, quam tibi propriam fecisti, possidēs eam in peculiarem hæreditaté, non ab heri aut hodie, sed à diebus antiquis, dum eam ex Aegyptiaca seruitute assertam, tibi in peculium ex omnibus gentibus delegisti. a

3 *Redemisti uirgam hæreditatis tuæ, * mons Sion, in quo habitasti in eo.*

3 Liberasti enim è durissima seruitute nos, quos tanquam virga mensoria ab aliis separasti tibi in tuam hæreditatem, *Mons Sion iam ab hostibus vastatus, ipse est in quo habitare solitus es.

4 *Leua manus tuas in superbias eorum in finem. *quanta malignatus est inimicus in sancto?*

4 Proinde vt tua clementia respondeat pristinis tuis beneficiis nobis exhibitis, ne quæso omnipotentiæ & iustitiæ tuæ manus diutius demittas sed eas eleua, & exere contra superbias hostium nostrorum, vsquequo penitus eos perdas. *Sunt enim & grauia & multa valde, quæ inimici malignè egerunt in templo sancto tuo.

5 *Et gloriati sunt qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuæ.*

5 Aduersarij tui victores effecti, sublata voce clamauerunt, *ídque in ipsis tuis festis solēnibus, prophanantes ea, & in eis contra te gloriantes, in quibus decebat nos præ gaudio cantare in honorem tuum.

6 *Posuerūt signa sua, signa: * & non cognouerunt, sicut in exitu super summum.*

6 Vexilla sua in excelso loco quasi in portis ciuitatis, per quas omnes egrediuntur, ipsi erexerunt in manifestæ victoriæ signa, *& non cognouerunt se tua permissione hanc victoriam esse consecutos, non sua virtute, cui eam asscribebant: nec agnouerunt aliquam in loco tuo excellentiam, neque reuerentiam deferendam templo arbitrati sunt. b

7 *Quasi in sylua lignorum, securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, * in securi & ascia deiecerunt eam.*

7 Non aliter enim quàm si syluam lignorū ingressi fuissent, ita sine omni reuerentia nulli rei parcentes, omnes pariter exciderunt securibus ianuas ciuitatis, & domus tuæ, *per securē & asciam, aliáque id generis instrumenta deiecerunt eam. c

8 *Incenderunt igni, sanctuarium tuum in terra. * polluerunt tabernaculum nominis tui.*

8 Incenderunt igni sanctum habitaculū tuum, quod tibi in terra delegisti, prophanarunt tabernaculum nomini tuo sancto consecratū, detrahentes illud in terram, omniq; sua gloria spoliantes, & vero Dei cultu sublato, falsorum deorum cultum in ipsum inferentes.

9 *Dixerunt in corde suo: cognitio eorum, simul, * quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.*

9 Omnis illorum praua generatio pariter inter se dixerunt: *Cessare faciamus in terra omnes festiuitates, omnémque cultum Dei, quem colit populus iste. d

10 *Signa nostra non uidimus, iam non est propheta: * & nos non cognoscet amplius.*

10 Plerique itaque nostrum his grauissimis & diuturnis malis commoti, iam desperantes dixerunt: Hactenus non vidimus aliqua talia Dei miracula, ac diuinæ in nos beneficentiæ portenta, qualia nobis promissa sunt in lege, & pro patribus nostris edi solita: non est iam propheta aliquis, vt olim esse solet, qui à Domino missus potēs sit in miraculis & sermone, quiq; nos consoletur, ac indicet, quamdiu duratura sit hæc tribulatio, *proinde apparet Deum amplius non habiturū curam nostri, sed tanquam alienos & incognitos à se nos reiecisse.

11 *Vsquequo Deus improperabit inimicus? *irritat aduersarius nomen tuum in finem?*

11 Quousque sines, ô Deus, inimicū exprobrare tibi? *num feres vt aduersarius tuus sanctum nomen tuum suis blasphemiis ad iracundiam prouocet imperpetuum?

12 *Vt quid auertis manū tuam? & dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?*

12 Quare imperpetuum recusas manum tuam dexteram proferre è sinu tuo, ad adiuuandum nos, & vindicandū hostes tuos? *Vt quid otioso homini similis, qui manum suam in sinum reconditam seruat, proferre cessas tuam pro nostra salute & hostium vltione omnipotentiam? e

13 *Deus autem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.*

13 Nequaquam sanè impotentiæ asscribi potest, quod hactenus suam nobis Deus salutem differt. Ipse enim Deus regem nostrum se exhibens ante multa sæcula, olim sua virtute patribus nostris operatus est salutē, ídque quasi in medio terræ, hoc est palam, atque in conspectu omnium populorum, cùm scilicet ab Aegyptiaca seruitute patres nostros per varia signorum prodigia assereret. f

14 *Tu confirmasti in uirtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.*

14 Tu Domine tua potentia consolidasti fluidum mare, vt esset, patribus

nostris transeundi locus, *atque in eisdem aquis, per quas eduxeras tuos saluos, omnino perdidisti Ægyptios, qui draconibus immanitate similes erant cupientes deuorare populum tuum.

15 *Tu confregisti capita draconis, * † dedisti eum escam populis Aethiopum.*

15 Fregisti vires Pharaonis, qui similis videbatur draconi maximo, & capita multa habenti: *obiecisti eam cum suis deuorandum auibus coruini generis, quę in desertis locis versari solēt, & victitare cadaueribus: †Æthiopū etiam gēti, Ægyptiis semper infestissimæ, Pharaonē demersum cum suis dedisti in escam, atque in oblectationem & derisionem.

16 *Tu dirupisti fontes & torrentes, * tu siccasti fluuios Ethan.*

16 Post hæc tu discindendo semel atque iterum petram, profluere fecisti ex ea aquas, in modum fontium scaturientes, atque in modum fluminum ac torrentium abundantes: *è contrario tu aliquoties rapidissimos ac maximos fluuios exiccasti, vt cùm Iordanem patres nostros sicco pede transire fecisti. g

17 *Tuus est dies, & tua est nox, * & tu fabricatus es auroram & solem.*

17 Nec in nobis tantum tua declarata est potentia, sed & in cunctis creaturis. A te enim creata sunt dies & nox, atque è tua ordinatione & imperio est eorum vicissitudo. *tu condidisti & luminaria minora, qualis est aurora: & maiora, qualis est sol.

18 *Tu fecisti omnes terminos terræ, * æstatem & ver, tu plasmasti ea.*

18 Tu fecisti omnes fines terræ, * æstatem & ver, omnésque anni partes tu pro hominum commoditate distinxisti, Dominus nimirū & cœli, & terræ, & temporis, & proinde etiam omnium quæ in eis sunt.

19 *Memor esto huius, inimicus improperauit domino, * & populus insipiens incitauit nomen tuum.*

19 Cùm itaque tanta sit Domine tua potentia, declara quæso te esse memorem istius, quod scilicet inimicus populus exprobrauit, tibi Domino infirmitatem & impotentiam obiiciens, *& populus iste stolidus, suis blasphemiis ad iram prouocauit nomen tuum, ignorans longanimem tuam patientiam ac omnipotentiam, suúmque creatorem non agnoscens.

20 *Ne tradas bestiis animas cōfitentes tibi: * & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*

20 Ne quæso diutius permittas potestati ferocium hominum animas eorum qui te colunt & laudant, * neque imperpetuum tuo fauore & ope destituas animas afflictorum, qui tuæ solius curæ relicti sunt, quique de se nihil præsumentes, tibi simpliciter confidunt. h

21 *Respice in testamentum tuum, * † quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.*

21 Declara te respicere ad fœdus quod cum patribus nostris pepigisti. * iam enim obscura & tenebrosa loca terræ repleta sunt habitaculis & carceribus violentis, in quibus per violentiam hostium nostrorum agere cogimur. † Sed & impij homines obscuratum in terra cor habentes, iam pleni sunt habitaculis iniustitiæ, quæ per vim & iniustitiā à nobis cum omnibus bonis abstulerunt, diuites inde effecti & abundantes.

22 *Ne auertatur humilis factus confusus, * pauper & inops laudabunt nomen tuū.*

22 Ne permittas vt populus tuus ad te humiliter confugiens, à conspectu tuo abeat sua spe frustratus: * non enim diuites isti in semetipsis confidentes, nec putantes se tuo auxilio egere, sed afflicti, & humano auxilio destituti, cum à te adiuti fuerint, laudabunt, & celebre facient magnum nomen tuum.

23 *Exurge Deus iudica causam tuam, * memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.*

23 Declara itaque tuam contra inimicos potentiam, quam iam diu dissimulasti, dormienti similis: & defende nō tam nostram quàm tuam ipsius causam, * per vindictæ illationem ostende te memorem esse improperiorum, quibus assiduè afficeris à populo isto insipiente.

24 *Ne obliuiscaris voces inimicorū tuorum, * superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

24 Ne sic te geras quasi immemor sis earum vocum, quas contrà te iactant inimici tui: * ecce enim superba vociferatio eorum qui te oderunt, semper exaltatur, assiduéque maior fit & maior. Nec dubium est quin vsque ad te in cœlis perueniat, ita vt ea non lateat te cuius oculis omnia sunt nuda.

ANNOTATIONES.

a OVES PASCVAE TVAE.] Hanc orationem communiter interpretes ita interpretātur, vt sit sensus: Oues quas tu pascendas suscepisti, vt nomen, pascuæ, hic non videatur accipi pro loco in quo quis pascitur, sed pro ipso actu pastoris, pascua scilicet pro pastura. Si autē pro loco accipere quis velit, sic explicabitur: Oues quæ in tuis pascuis pascuntur. Est autem ad literam pascua Dei, ipsis Iudæis terra promissionis: nobis autem secūdum spiritum, Christi ecclesia, in qua pascimur verbo vitæ æternæ, & pane corporis Domini.

b SICVT IN EXITV, &c.] Græca, *ὡς εἰς ἔξοδον ὑπεράνω*, sicut in exitum desuper: desuper, habet etiam lectio Augustini, vt ne quis interpretetur summum pro excelso Deo. Euthymius per exitum, portas ciuitatis intelligit, super quas superius vexilla erecta fuerint: & aduerbiū similitudinis, sicut, ad sensum propemodum superfluere. Illam autem partem, & non cognouerunt, per parentesim interpositam accipere oportet: cuius partis duos sensus paraphrasis indicat quorum posterior optimè conuenit sequentibus. Porro quod Hebræa aliter iam vertuntur, in causa est, quòd aliter Septuaginta legerunt, atque hodie legitur.

c INCENDERVNT IGNI, &c.] Hic vnicus versus obstare videtur ne Psalmus referatur ad desolationē, quę facta est ab Antiocho, nā ab eo nō legimus tēplum fuisse incensum. Sicut contrà, ne referatur ad eā vastationē, quæ facta est per Nabuchodonosor, obstat solum quod dicitur: Signa nostra non vidimus, iam nō est ꝓpheta: cū eo tēpore fuerint Hieremias, Ezechiel, Daniel, & alii. Quamuis autē sub Antiocho non legatur tēplū incēsum, sed tātū prophanatū, legitur tamen li.1.ca.1.Mac. ciuitas Hierusalē incensa

igni:& hãc aliquoties ſcriptura vocat Dei ſanctuariũ,ſicut & totam terram promiſſionis. Veriſimile etiã eſt multas domus ſacerdotũ,tẽplo adiacentes, incẽſas fuiſſe cum multis ad templum pertinentibus,atque ob id dictum eſſe,quòd incenderint Dei ſanctuarium.Qui autẽ propter hunc verſum putãt referendum Pſalmum ad deſolationẽ,quæ facta eſt ſub Nabuchodonoſor, quando templum omnino fuit incenſum,ij quod dicitur,iam non eſt Propheta:intelligunt,vel eſſe voces impiorum Iudæorum, qui Hieremiam & alios pro Dei Prophetis: non agnouerunt:aut eſſe voces iuſtorum in populo qui erat in captiuitate, antequam Daniel prophetare inciperet.nam tunc etiam nõ erat cum eis Hieremias, qui in Ægyptum abiens, ibi mortuus erat.Priori modo Lyranus.Secũdo Caietanus. Euthymius intelligit eſſe verba hoſtium, populũ Dei deuaſtantium.Quod autẽ additur,in terra,ex Græcorum & Hebræorum diſtinctione coniungendum eſt cum ſequentibus, non cum præcedentibus:nec habent Græca,in terra,ſed ἀς τὴν γὴν, in terram,vt intelligatur tabernaculũ Dei in terrã detractũ, ſiue quia ſolo fuit æquatũ, ſiue quia fuit gloria exutũ.

QVIESCERE FACIAMVS.] Græca amplius habent,nempe δεῦτε venite,quieſcere faciamus,pro eo autẽ quod nos legimus,quieſcere,&c.apud Hebræos legitur verbum quod incẽdere ſignificat,ſicut & ex Hieronymi trãslatione patet.Vnde & annotauit Hieron.ad Suniam & Fretillam, Græcorũ codices hic eſſe vitiatos,in quibus nunc legitur καταπάυσομεν, id eſt,quieſcere faciamus,cum Septuaginta verterint καὶ ἀναπάυσομεν,id eſt,incẽdamus.Porro incenſioni quã ſignificat verbum Hebraicum, magis conuenit,vt dictio,pro qua nos legimus,ſolẽnitates,accipiatur apud Hebræos pro ſynagogis. nam vtrunque illis ſignificat. Itaque vertunt plerique:incenderunt ſynagogas Dei in terra.

e VT QVID ADVERTIS,&c.]Secundum ſenſum in paraphraſi explicatum in hac oratione ſub intelligere oportet verbum proferre,aut ſimile, & eſt metaphora deſumpta à moribus otioſorum hominum.Euthymius tamẽ alium reddit ſenſum, vt ſcilicet per ſinum Dei,bonorũ omnium theſaurus intelligatur,& manus dextera illam operationem ſignificet,qua ſua dona Deus diſpẽſat.& ſit ſenſus: quare auertis manum tuam à ſinu tuo, vt iam non mittas manum tuam in ſinum vt ex eo tua beneficia nobis largiaris?hoc eſt,quare bona tua amplius nobis non participas,ſicut olim?

OPERATVS EST,&c.]Secundum myſticũm ſenſum iſtud intelligi debet de ea ſalute,quam pro nobis in cruce Chriſtus operatus eſt,quã in medio terræ operatus dicitur, ſiue quia in conſpectu omnium hominũ,ſiue quia Iudæa meditulliũ eſt terræ. f

SICCASTI FLVVIOS ETHAN,&c.]Plerique nomen,Ethan, putant eſſe nomen propriũ loci eius, in quo tertio loco caſtrametati ſunt filii atq; per fluuios Ethan, ſignificari mare rubrum ei loco proximum. Verùm aliter ſcribitur nomẽ loci illius,quàm nomen hic poſitum.illud enim per,m, in fine,iſtud verò per,n,in fine apud Hebræos,ſcribitur.Proinde rectius accipitur tanquã nomen appellatiuum, ſignificans idem q; fortes & magnos. Per fluuios autẽ magnos, ſynechdochicè fluuium Iordanem ſignificat,numero ſcilicet plurali poſito pro ſingulari. Chaldæus tamen paraphraſtes non tantum Iordanem,ſed & flumen Arnon pro tranſitu Iſraelis exciccatum intelligit. g

NE TRVDAS BESTIIS ANIMAS,&c.]Sic rectius legitur,quàm,animas confitentium tibi. Et adhuc præferenda eſt lectio, quæ inuenitur in quibuſdam libris per ſingularem numerum:Animam confitẽtem tibi.Sic enim habent originalia & Græca & Hebræa.Sic & Auguſt.legit,quamuis vtrouis modo legatur parum referat,cũ ſingulare pro plurali poſitum accipiendum ſit.

REPLETI SVNT QVI OBSCVRATI SVNT,&c.]Genitiuum,terræ, ex Græcis, ſed magis ex Hebræis,conſtat conſtrui debere cum participio,obſcurati,non cum,domibus,vel,iniquitatum. Accedit autem noſtra litera ad ſenſum Hebraicæ lectionis,ſi ſubintelligamus in adiectiuo, obſcurati,ſubſtantiuum loci hoc modo:obſcuri loci terræ pleni ſunt domibus iniquitatum. Poteſt tamen & ad homines referri,vt indicat ſecundo loco paraphraſis.

In finem ne corrumpas, Pſalmus Cantici Aſaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIIII.

HOc Pſalmo Propheta nunc ſe,nunc Deum loquentem viciſſim introducit.Et Dominum quidem ſemel atque iterum prædicentem facit iuſtum ſuum iudicium,quo omnes pro meritis ſuo tempore iudicaturus eſt,deprimens impios, exaltans autem iuſtos:ſe verò iudicij huius conſideratione teſtatur impios admoniuiſſe,ne ſe contra Deum offerrent,& cum iuſtis ſe iuſtiſſimum dominum ſemper celebraturum promittit,nimirum quod per eius iuſtitiam omnes iuſtos præuideret ab impiorum violentia liberandos,quemadmodum & frequenter etiam nunc in hoc mundo liberantur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Confitebimur tibi Deus, confitebimur,

Cvm iam aliquoties Domine tuam iuſtitiam experti ſimus in vindicando nos ab impiorum improbitate,eadémq; tua iuſtitia nos ſemel ab impiis perfectè liberandos confidamus, hinc ô Deus laudabimus te ſemper, laudabimus, inquam,

** & inuocabimus nomen tuum.*

* ſimúlque in omni tribulatione inuocabimus nomen tuum pro auxilio.

2 Narrabimus mirabilia tua,

2 Narrabimus mirabilia opera tua,quæ pro tuis deſignaſti per ſummam tuam iuſtitiam,& aliquando conſummatius deſignabis. Sic enim dixiſti,iudicij tui æquitatem nobis manifeſtans: a

**cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.*

* Cùm venerit coram me tempus ad iudicandum definitum,tunc qui facta hominũ diſſimulare videor,quæ iuſta ſunt & recta iudicabo,reddens vnicuique ſecundum merita ſua.

3 Liquefacta eſt terra,& omnes qui habitant in ea,

3 Id cum fiet,per terribilem aduentum præſentiæ meæ liqueſcet terra,omni ſua virtute deſtituta,& omnino immutata, ſimul & omnes habitantes b

** ego confirmaui columnas eius.*

bitantes in ea præ metu examinabuntur.* ego enim fundamenta illius ieci, & velut columnis ſtabiliui quare & concutere eam mihi difficile non erit cum voluero.

4 Dixi iniquis:Nolite iniquè agere, & delinquentibus: Nolite exaltare cornu.*

4 Huius itaque metuendi tui iudicij conſideratione, ſæpe admonui ſtultos impios,dicens eis:Nolite inique agere:* & delinquentibus dixi: nolite gloriari,& præſumere in veſtris viribus atque potentia.

*5 Nolite extollere in altum cornu veſtrum, * nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.*

5 Nolite,inquam,in ſublime attollere veſtram potentiam ac iactabundam gloriationem, de veſtra potentia ſuperbè ſine Dei metu gloriantes,* neque loquamini contra Deum quæ iniqua ſunt.

6 Quia neque ab Oriente, neque à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt.

6 Quoniam neque ab Oriente,neque ab Occidẽte,neque ab Auſtro, vbi ſunt deſerta montoſa,cuiquam continget quod cum ſolidè magnũ faciet.Deus enim ſolus omnium iudex eſt. c

7 Hunc humiliat,& hunc exaltat, quia calix in manu domini, vini meri plenus mixto.*

7 Itaque ipſe ſolus pro ſua æquitate hunc quidem deprimit, illum autem erigit in altum. * Ideo quoque contra Deum nolite ſuperbire, quia in manu Domini eſt calix iræ ac furoris ſui, plenus vino nequaquam diluto,ſed fortiſſimo,vtpotè meraco, cóque admodum turbido, atque variè premiſto.Apud ipſum enim iam parata eſt impiis ſua portio admodum amara, quam tanquam portionem vini fortiſſimi & auſteri, ſed tamen valde turbidi, & ob id ingrati, epotare cogentur, ita vi eius inebriandi,vt omnes illorum vires,mentíſque harmonia ſoluenda ſit. d

8 † Et inclinauit ex hoc in hoc,

8 Et inclinauit Deus hunc calicem ex parte vna in partem aliam, quemadmodum fieri ſolet,cùm diuerſis idem calix propinatur bibendus.† ex hoc enim ſuæ retributionis poculo:propinauit Deus nũc his, nũc illis impiis cum voluit, grauem eis pro ſuis demeritis calamitatem immittens.* Veruntamen fex ipſius calicis nondum eſt euacuata,nondum extremas vltionis ſuæ pœnas,quas adhuc reſeruat, impios ſentire facit:* has certè,tanquam feces impotabiles,epotare nouiſſimè cogentur omnes peccatores terræ. e

** veruntamen fex eius non eſt exinanita,*

** bibent omnes peccatores terræ.*

9 Ego autem annuntiabo in ſæculũ,cãtabo Deo Iacob.

9 Ego autem hanc diuinæ iuſtitiæ æquitatem annuntiabo hominibus ſemper,atque ob eam cantabo Pſalmum in honorem Dei Iacob.

*10 Et omnia cornua peccatorum confringam, * & exaltabuntur cornua iuſti.*

10 Sic enim inquit Dominus: Ego ſuo tempore confringam omnem impiorum ſuperbiam & potentiam,qua ſeſe in hoc mundo ſuperbè extulerunt:* & contra, efficiam, vt humilium iuſtorum gloria atque potentia magna ſit & exaltata.

ANNOTATIONES.

a CONFITEBIMVR TIBI DEVS,&c.]Difficultatem magnã in Pſalmo facit, quod cum vna & eadẽ perſona ſemper loqui videatur in omnibus verſibus, non tamen eidem perſonæ omnia commodè cõuenire poſſint. Et quidem ſunt plerique,qui Chriſtum in toto Pſalmo loqui intelligũt nunc quidem ſecundum humanitatem, nunc verò ſecundum diuinitatem:vt cum ſe iudicaturum dicat,quatenus Deus eſt loquatur: cum admoniſſe ſe impios dicit,quatenus homo eſt loquatur. Verũ cum pater non iudicet quenquam, ſed omne iudicium dederit filio,dans ei poteſtatem iudicium facere,non ſolum quatenus Deus, ſed etiã quatenus
Ioan. 5. filius hominis,vt dicitur Ioã.5.ideo non videtur in Chriſtũ quadrare,quod in hoc Pſalmo dicitur admoniuiſſe impios de iudicio Dei:quod is qui hic dicitur admoniuiſſe iniquos,nõ ſibi competere ſignificat iudicium,ſed alteri à ſe, nempe Deo. Proinde conuenientius hunc Pſalmum interpretantur, qui viciſſim nunc prophetam,nunc dominum loquentem intelligunt,etiam ſi mutationis perſonarũ nulla nota interponatur.nam id in Prophetis frequens eſt,& maximè in Canticis Canticorum.

b LIQVEFACTA EST TERRA.] Quidam hunc verſum ad primũ Chriſti aduentum referunt vt ſit ſenſus:Cùm omnes habitatores terræ in omnia vitia liberè diffluerent & diſſoluerẽtur,ego veniens in hunc mundum,quoſdam velut columnas terræ ſtabiliui,Apoſtolos ſcilicet,per quos Chriſtus ædificium Eccleſiæ ſuæ fundẽtauit & ſtabiliuit, qui
Galat. 2 & apud Paulum ad Gala.2.columnæ dicuntur.Verùm quoniam in his quæ mox præcedunt,& in ſequentibus,de iudicio fit mentio,rectius hic verſus ad ſecundum Chriſti aduentum refertur,vt præteritum,liquefacta eſt exponatur per futurum,liquefiet,vt habet paraphraſis.Sunt autem qui hũc verſum referentes,ad ſecundum Chriſti aduẽtum,aliter intelligũt quàm habet paraphraſis,vt verbum, confirmaui,etiam pro futuro accipiatur,& columnæ intelligãtur omnes iuſti, qui ſunt quaſi fundamenta terræ.Itaquæ ſenſus:erit omnes terreni homines in nouiſſimo iudicij die præ nimio metu liquefiẽt,& examinabũtur.Verũ iuſtos ego cõfirmabo & ſtabiliam ne terrore præſentię meę deficiant.

QVIA NEQVE AB,&c.]Oratio iſta imperfecta indubiè eſt,& à diuerſis vario modo perficitur & plerunque quidem hoc modo,neque ab Oriente,&c.eſt aliquis qui latere poterit Deũ in illo die: Alii autem aliter. Verùm annotandum in Hebræis pro dictione,montibus, poni dictionem הָרִים Harim,quę ſi accipiatur eſſe nomen,ſignificat mõtes: ſi verò vt ſit verbum infinitiui modi,in coniugatione hiphil à themate רוּם Ram, ſignificat exaltationem. Atque ſic magis apud Hebræos accipiendum videtur.Itaque plerique verũtnęque ab Oriẽte, neque ab Occidente,neque à deſerto,exaltatio ſcilicet eſt.Qui ſenſus conuenit optimè & præcedentibus,vbi de exaltatione cornu fit mẽtio,& ſequentibus,vbi ſolus Deus iudex dicitur quos vult exaltare: proinde conuenientior completio ſententię ea videtur,quam ſequitur paraphraſis, e

CALIX IN MANV DOMINI.)Calix in ſcripturis, Dei remuneratio & portio ab eo attributa intelligitur: & nunc quidem in bonam, nunc in malam d

malam partem. Difficultatem autem hic facit, quòd calix iste, de quo hic fit mentio, dicitur esse vini meri plenus misto contraria enim inter se illa videntur vt sit calix vini meri hoc est, puri, & tamen plenus misto. Proinde sunt plerique, qui calicem hic accipiunt pro diuina remuneratione, qua & bonis bona, & malis mala distribuit: & vinu merum referatur ad iustos, mistum autem ad impios. Secundum quem intellectum genitiuus, vini meri, construi debet cum substantiuo, calix, non cum, misto. vt sit sensus: In manu domini est calix puri vini, quod piis scilicet præbet: qui tamen calix etiam est plenus misto, quod propinabit impiis. Verùm si hunc locum conferamus cum aliis multis scripturæ locis, in quibus fit mentio de calice vini, qui est in manu Domini, vt Isaiæ 51. & Hierem. 15. Apocalipsis. 16. & aliis locis, videbimus conuenientius esse, vt calix hic tantum in malam accipiatur partem pro diuina vltione & vindicta: neque contrarietatem habet, quod dicit calicem esse plenum misto vini meri. Potest enim vinum esse purum, hoc est, alienum ab omni aquæ admistione, & tamè esse mistum, siue quia turbidum est & fœculentum, siue quia ex variis vini speciebus confusum. Hunc itaque calicem dicit esse in manu Domini, quia ex Dei dispensatione vnicuique sua merces contingit. Calicem autem vini, quia mètem inebriat, & à sese alienat: Meri autem vini dicit, ad significandã diuinæ vltionis efficaciam: plenum autẽ misto, siue ad significandum horrorẽ diuinæ vindictę, sicut à turbido fœculento vino abhorremus: siue quia diuina vltio varias in se pœnas & calamitates cõtinet.

ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC.] Hebræa tantum habent: Et effudit ex hoc scilicet calice. Augustini lectio habet: Et inclinauit ex hoc in hunc: & refert, hoc & hunc, ad duo illa hominum genera de quibus superius: hunc humiliat, & hunc exaltat. At Græca habẽt neutrum genus ἐκ τούτου εἰς τοῦτο. Proinde conuenit sic intelligere, vt indicat paraphrasis, nempe calicẽ hũc in varias partes Deũ inclinare, vt qui omnibus sufficiat impiis potãdis. c

EGO AVTEM, &c.] Græcis non est annunciabo, sed ἀγαλλιάσομαι, hoc est, exultabo. Vnde Augustini lectio habet, gaudebo. Hebræa tamẽ dictio significat annũtiare. Vnde Diuus Hieronymus, vertit: Ego autem annunciabo. Ex eius ergo versione secundum Hebraicam veritatem habemus, annunciabo, nisi fortè interpres noster apud Græcos legit non ἀγαλλιάσομαι, sed ἀναγγελῶ. Certè cum hic versus omnino videatur dici ex persona Prophetæ, & sequens versus etiã videatur dici ex eadẽ persona, ex qua iste: videndum nũ sequens versus sic accipiendus sit, vt Propheta dicat se confracturum cornua peccatorum, quia sua continua admonitione, de qua superius meminit, & diuini iudicii commemoratione, impiorum superbiam sit repressurus, quomodo & Paulus se arma dicit habere potentia Deo, ad destructionem munitionum, conf 2. Cor. 10
siliáq; destruere, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.

In finem in laudibus Psalmus Asaph canticum ad Assyrios.

ARGVMENTVM PSALMI LXXV.

PRæsens Psalmus eiusdem ferè argumenti cum Psalmo 47. apertè satis ad literam celebrat præclaram aliquam hostium deiectionem, qua suam Deus in Ierusalem potentiam demonstrarit, seq; præsidem ac Deum Iudææ declararit. Ea ex Psalmi verbis maximè videtur fuisse illa, quam de Assyrijs sub rege Ezechia populo suo contulit, dum vna nocte centũ & octoginta quinque millia in exercitu Sennacherib obsidentis Ierusalem occidit. Quod & inscriptio Latinorum & Græcorũ codicum indicat, in quibus legitur in titulo ad Assyrium: quamuis ea verba in Hebræis non inueniantur. Huius itaque victoriæ occasione, Propheta canit hoc Psalmo desiisse insigniter a Deo Ierusalem, atque in ea Dei præsentiam declaratam, dum ibi hostes ciuitatem oppugnantes sua virtute mirabiliter prostrauit, iustum de cælo iudicium pro suis faciens, propter quod & potentiam eius sicut supereminentem omnibus, ita vnicè formidabilem celebrat, atque ad cultum & victimarum oblationem pro gratiarum actione populum Dei inuitat. Cùm autem temporalis illa liberatio ciuitatis Hierosolymitanæ figura fuerit eius, qua ecclesiam suam, quæ vera Hierusalem est & Sion, liberauit primum ab obstinato eius hoste diabolo, per Sennacherib Assyrium adumbrato: deinde & à tyrannis multis ecclesiam oppugnantibus, & qua postremũ eandem liberaturus est in nouissimo die ab omnibus impiorum oppugnationibus, debet secundum mysticum sensum Psalmus accipi, vt canticum ecclesiæ fidelium celebrantis Dei potentiam & iustitiam in sui defensione & vindicatione ostensam, & amplius adhuc in nouissimo die ostendendam.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Notus in Iudæa Deus:*
* *in Israel magnum nomen eius.*

PRopterea quod suam Deus in Iudæa potentiã contra hostes nostros mirabiliter declarauit, ob id celebris factus est in Iudæa, * & præclarum est nomen eius in Israelitico populo. Ps. 75.

2 *Et factus est in pace locus eius,* * *& habitatio eius in Sion.*

2 Iam declarauit omnibus gentibus, in Salem, quæ interpretatur pax, esse locum suum, in quo peculiariter habitat: * & mansionem suam peculiariter esse in monte Sion ostendit, cum hunc locum sic vnicè ab impiorum violentia immunem seruauerit.

3 *Ibi confregit potentias arcuum,* * *scutum gladium, & bellum*

3 Ibi enim confregit vires arcuum, vt nihil contra nos possent. Ibi confregit & hostium tela, quæ arcuum sunt vires: * scutum quoque, gladiũ, ac totum denique bellum. Ibi sua virtute omnem hostilem apparatum dissoluit, & inanem reddidit, ac bellum contra eum excitatum cessare fecit. a

4 *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis,*

* *turbati sunt omnes insipientes corde.*

4 Cum in maxima mœroris caligine degeremus, ac tetra desperationis nube circundati essemus, tu ab altissimis cœlorum montibus, qui ab initio semper firmi perstiterunt, luce tua nos mirabiliter & magnificè perfudisti, lætificando nos splendore auxilij & opis tuæ, quo tuo splẽdore sicut nos exhilarasti, * ita contrà per ipsum omnes hostes nostri corde val

de valde insipientes, velut oculis perstrictis conturbati sunt, cùm inopinatum & nobis auxilium & sibi exterminium cernerent, verè insipientes, vt qui se tibi resistere posse præsumerent.

5 *Dormierũt somnũ suum,* * *& nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

5 Dormierunt somnum mortis, & morte illis immissa, ita elanguerũt, quomodo solet opprimens somnus omnes simul vires auferre, nec inuenerunt omnes viri isti, in diuitiis ac viribus suis confidentes, aliquid in manibus suis, quo se defenderent, & saluarent.

6 *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos.*

6 Non autem à natura, non nostris viribus, sed per tuam increpationem, sólóque tuæ seueritatis iussu omnipotenti factum est, vt mortem oppetierint hi, qui in equis suis & curribus, quos ascendere solebant, confisi fuerunt.

7 *Terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc iræ tuæ.*

7 Vehementissimè certe metuendus es tu, & solus meritò metuendus. non est enim aliquis quantumuis potens, quantũuis multò exercitu instructus, qui resistere valeat tibi, ex quo tẽpore ira tua defæuire cœperit. e

8 *De cœlo auditum fecisti iudicium,* * *terra tremuit, & quieuit.*

8 E cœlo tu pro nobis protulisti iustum iudicium, illud omnibus gentibus audiri fecisti, cùm palam cœlesti virtute pro nobis depugnasti cũ tyrannis, * habitatores terræ timuerunt, & quieuerunt, nemine eorum vel mutire, vel sese mouere contra nos audente, aut valente.

9 *Cùm exurgeres in iudicium Deus,* * *vt saluos faceres omnes mansuetos terræ.*

9 Cùm tu Deus post longam dissimulationem teipsum palã proferres ad proferẽdum iudiciũ contra malos, * vt liberos redderes à tyrannide illorũ pios qui degunt in terra: Quod & ipsum cõsummatissimè factu-
rus es in nouissimo tui iudicij die, quando te aduenìente in mundũ ad vindicandum omnes pios ab impiorum violentia, omnes habitatores terræ timore magno adeo commouebuntur, vt contra nihil mutire vel tentare audeant.

10 † *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi,* * *& reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

10 Sanè ex recogitatione huius liberationis homines pij laudabunt te, f
* & ex memoria relicta ex hac recogitatione, te solẽniter ac palam celebrabunt ac venerabuntur. † Indignabunda quoque, & malitiosa cogitatio hostium nostrorum in laudem & cõfessionem nominis tui ó Deus conuertetur & cedet. Nam iam hostes nostri, qui malum nobis cogitauerunt, vel inuiti cogẽtur tuam potentiam confiteri, & nobis, omnibúsque gẽtibus eorum impia machinatio iam frustrata, erit occasio magis laudandi nomen tuum: & si quæ adhuc maligna cõtra nos cogitatio reliqua fuerit in aliquibus hostibus nostris, hæc, conspecta tua potentia in nos declarata, immutabitur, ac in solennẽ tui venerationẽ cõuertetur,

11 *Vouete, et reddite domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

11 Vos autem omnes Israelitæ, qui in circuitu domini Dei, in medio vestrum existentis, habitatis, & afferre soletis ei munera, iam spontaneas oblationes illi vouete, & cùm vouistis persoluite vota.

12 *Terribili, & ei qui aufert* † *spiritum principum,* * *terribili apud reges terræ.*

12 Ei, inquam, vouete, qui meritò metuendus est, * qui, cum vult, adimit g
principibus omnem animositatem, † & ipsam quoque animam: qui proinde meritò formidabilis est, etiam ipsis regibus terræ.

ANNOTATIONES.

a POTENTIA ARCVVM.] Male legerunt multi: potentias, arcum, vt sint distincti accusatiui, cum legendũ sit per genitiuum, potentias arcuum, vt habẽt libri correctiores. Græcis enim est, τὰ κράτη τῶν τόξων, pro quo apud Augustinum legitur, fortitudines arcuum. Hebræa habent, sagittas arcus.

b ILLVMINANS TV, &c.] Græce est φωτίζεις σὺ, illuminas tu, &c. in Hebræo tamen participium, illuminans, quo modo si legatur, subaudiendum est verbum, est.

c DORMIERVNT SOMNVM.] Frequens est, vt in scripturis somnus mortẽ significet. Verũ alibi ferè ideo mortem significat, quod ex morte, sicut ex somno, homines exurgant. Hic verò ob id quod sicut somnus languidum hominẽ facit, ita & mors.

d EX TVNC IRA TVA.] Plerique hanc partem separant à præcedente interrogatione, & intelligũt in hoc sensu: Ex tunc, hoc est, olim ira tua declarata est. Alii verò aliter. Verum conuenientius fuerit cum præcedenti coniungere interrogatione, quemadmodum facit Fœlix, & quotquot ex Hebræo quoque vertunt, hunc reddentes sensum quem habet paraphrasis. Fuisset autem sensus apertior, si addidisset interpres relatiuum, quod apud Hebræos frequenter subticetur, hoc modo: Ex illo tempore, quo ira tua, scilicet sæuire cœperit.

DE COELO, &c.] Ad literam quidem istud intelligendum est de iudicio, quod pro suo populo tunc contra hostes fecerat, liberans eum ab iniustis oppressoribus. Tamen quoniam sequitur, vt salvos faceret omnes mansuetos terræ, respicere videtur propheta ad nouissimum Dei iudicium: & sub speciali Dei iudicio, generale iudicium voluisse significare. Vnde Beatus Hieronymus omnia hæc præterita per futurum reddit, hoc modo: de cœlo annuntiabis iudicium, terra timens tacebit, &c. Porro pro verbo, tremuit, Græcis est ἐφοβήθη, quod proprie est, timuit: sicut & Hebræum verbum non tremorem sed timorem significat, quanquam tremor timoris indicium sit. c

f COGITATIO HOMINIS, &c.] Duos indicat sensus paraphrasis huius versus, quorum secundus Hebraicæ literæ magis cõsentit. Nam pro dictione, cogitatio, quæ hoc versu bis ponitur, dictio Hebraica furorem & iram significat, pro qua Septuaginta verterunt nomen ἐνθύμιον: qp quamuis cõmuniter cogitationẽ significet, à θυμὸς tamẽ deriuatur, quod frequẽter etiam iram significat. vt videri possit pro ira, vocabulũ ἐνθύμιον Septuaginta vsurpasse.

AFFER

AFFERTIS MVNERA.] Græcis est ὀίσουσι, hoc est, offerent munera, sic & Hebræa, & lectio quoq; quam sequitur Augustinus. Cómunis autem lectio in nostris codicib. relicta est ex Psalterio Romano.

In finem pro Idithum Psalmus Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXVI.

PRæsentem Psalmum compositum fuisse occasione alicuius calamitatis, manifestè verba Psalmi testantur. Incertũ tamen, an occasione calamitatis populi Israelitici, an ipsius qui loquitur Prophetæ. Et si de calamitate populi editus sit, rursus incertũ de qua populi calamitate agat. Proinde generaliter accipiatur vt sit vox Prophetæ, qui in explii posterorũ memorat, quomodo in tribulatione mentis constitutus, quã siue ob suam causam, siue ob populi sancti calamitatem patiebatur, sese gesserit: nempe quod ad Deum confugerit, à quo & exauditus sit, & quod, cùm molestis cogitationibus maximè nocturnis cruciaretur, rursum per memoriam factorum Dei, quæ pro populo suo edidit, animã recepit & consolationem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Voce mea ad Dominum clamaui: * voce mea ad Deum, & intendit mihi.*

EX ardentissimo affectu animi calamitatibus pressi, clamaui ad Deũ voce mea, quæ testis erat intentissimi desiderij: *voce, inquam, mea ad Dominum constanter & cum fide certissima clamaui, neque repulit clamorem orationis meæ, sed sua benignitate auscultauit mihi, exaudiens orationem meam. *Psal.76*

*2 In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis * nocte contra eum & non sum deceptus.*

2 Cum tribularer, non ad humanum confugi auxilium, sed Deum mihi inuocaui pro auxilio, nocturno tempore, quo mundanis omnibus curis vacuus erat animus, quo etiam aliis dormientibus, somnum mihi orationis studium intercepit, expansis & sublatis in cœlum manibus meis steti coram Deo, nec sum frustratus mea, quam habui in Deum, spe. a

*3 Renuit consolari anima mea, * memor fui Dei & delectatus sum, * & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.*

3 Tantus autem fuit animæ meæ mœror, vt recusauerit admittere vllam consolationem ab alio quouis quàm à Domino, quem solum sciui desperatis rebus meis subuenire posse, atque in quem solum spem meam collocaui: *quapropter memor fui Dei, & cogitãs eius erga suos bonitatem & potentiam, magna ex parte gaudio perfusus sum. * Cum autem altera ex parte longa meditatione animus meus exercitaretur, solicitè curans quonam pacto à tanta mœstitia liberari posset, nec tamen euasionis rationem inuenirem, spiritus meus nimio mœrore in me propemodum defecit. b

*4 Anticipauerunt vigilias oculi mei, *turbatus sum, & non sum locutus.*

4 Oculi mei vigilando præuenerũt omnes nocturnas custodias, trãsigentes scilicet totam noctem insomnem præ nimia solicitudine, *cúmque considerarem diuturnam meam calamitatem, nec rationem liberationis aduerterem, adeo sum in meipso turbatus, vt ne loqui quidem amplius libuerit. c

*5 Cogitaui dies antiquos, *& annos æternos in mente habui.*

5 Itaque reuolui animo tempora quæ fuerunt ab initio sæculi: *& annos multorum sæculorum superiorum rememorabar, in quibus cũ tuis afflictis semper benignè egisti.

*6 Et meditatus sum nocte cum corde meo, *& exercitabar: & scopebam spiritũ meum.*

6 Et nocturno tempore, ad meditandum ob quietem aptissimo, meditatus sum mecum solus, loquens cum corde meo, * animúmque meum variis exercui meditationibus, nec spiritum meum permisi esse quietũ, sed variis eum cogitationibus, quasi scopa quadam agitaui, nũc Dei terribilia iudicia, nunc in suos clementiam, & in promissis seruandis iustitiam, nunc calamitatum causas, aliáque multa discutiens. d

*7 Nunquid in æternum proijciet Deus? *aut non apponet vt complacitur sit adhuc?*

7 Itaque dixi in meditatione mea: Num imperpetuum sua cura & fauore destituet nos Deus? & futurumne est, vt placatiorem se nobis exhibeat vnquam posthæc?

8 Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem.

8 Num imperpetuum solitam suam misericordiam abscindet à nobis per omnes generationes?

*9 Aut obliuiscetur misereri Deus? * aut cõtinebit in ira sua misericordias suas?*

9 Num obliuiscetur misereri Deus, cui misereri & parcere proprium est? *aut si reprimet præ ira sua misericordias suas, ne vnquam eius varia genera benignitatis illius sentiamus? e

*10 † Et dixi: Nunc cœpi, * hæc mutatio dexteræ excelsi.*

10 Post longam autem meditationem mecum habitam, ex perpensione diuinæ misericordiæ in spem cõfirmatus, dixi: Nunc de nouo cœpi fidere Domino; omni pusillanimitate & desperatione abiecta: * hæc autem commutatio à desperatione ad fiduciam in Deum amplioré non meis viribus peracta est, sed per potentiam altissimi domini, qui sua clementia mentem meam donauit iucunda confidentia. † Ex perpensione item diuinorum operum, quæ prius designauit, tandem dixi apud me: Nunc primum incœpit intelligere quod hæc est mutatio dexteræ altissimi Dei, vt postquam suos ad tẽpus quasi iratus deseruit, mox eosdem sua potentia liberet, atque post iram det gratiam.

11 Hinc

11 Memor fui operum domini,

** quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*

*12 Et meditabor in omnibus operibus tuis: * & in adinuentionibus tuis exercebor.*

*13 Deus in sancto via tua, * quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabilia.*

11 Hinc autem facta est in me ea quam dixi mutatio, hinc & mutationem dexteræ Dei auerti, quia memor fui operum domini, quæ superioribus designauit sæculis, post extrema excidia & pericula suauissimis gaudiis suos recreans semper, * neque vnquam horum operum domini memoriam deponam, sed & in futurum semper memor ero mirabilium operũ tuorum domine, quæ ab initio mũdi semper operatus es.
12 Et meditabor in omnibus operibus tuis, * & in recogitandis tuis consiliis & rationibus, quibus tuis adesse soles, occupatus ero semper.
13 Cum autem tua opera studiosius meditarer ó Deus, deprehendi actionum tuarum rationem plenam esse sanctitate, nec aliquid in eis esse reprehensibile: deprehendi quoque potentiæ tuæ magnitudinem. * Quis enim ax diis gentium est magnitudine potentiæ conferendus cum Deo nostro? * Tu certè solus es Deus, qui admiranda designas, cuius solius potentia fit, quicquid mirabile contingit & magnificum in hoc mundo. f

*14 Notam fecisti in populis virtutem tuam, * redemisti in brachio tuo populum tuũ, filios Iacob & Ioseph.*

14 Notam ac celebrem fecisti in variis populis omnipotentiam tuam. * redemisti enim è dura seruitute per tuam fortitudinem populũ Israeliticum, qui & filij Iacob, qui eos genuit, & filij Ioseph, qui vt suos filios in AEgypto eos nutriuit aliquando, rectè dicuntur.

*15 Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, * & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.*

15 Atque maris rubri ob præsentiam & potentiam tuam, quasi eam vidissent & sensissent, atque ob eam metu quodam perculsę fuissent, ita aufugerunt, relinquentes viam electis tuis, * visæque sunt abyssi maris nimio terrore commotę ab imperio suo, dum relicto naturali suo fluxu, insolito modo starent solidę ad dextram & ad sinistram.

*16 Multitudo sonitus aquarum, * vocem dederunt nubes.*

16 Magnus tunc erat sonitus aquarum sese diuidentium pro transitu populi tui, & rursum concurrentium pro submersione hostium, * magnus item sonitus erat aquarum è nubibus defcẽdentium copiosè, nubes ediderunt sonum tonitrui grauem.

*17 Etenim sagittæ tuæ transiunt: * vox tonitrui tui in rota.*

17 Sed & grandines in modum sagittarum à te è cœlis copiosè decidebant, * sonus tonitrui in ipsis curruum rotis impetum fecit, subuertens eas, atque in profundum demergens.

*18 Illuxerunt corruscationes tuæ orbi terræ, * † commota est & contremuit terra.*

18 Emicauerunt in orbem terræ fulgura tua, * habitatores terræ intelligentes quę pro populo tuo operabaris, conturbati sunt & conterriti. † ipsis quoque inimicis populi tui visa est præ nimio horrore terra concuti & commoueri.

*19 In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis. * & vestigia tua non cognoscentur.*

19 Per ipsum inuium mare tu ambulasti ante populum tuum, & semitas tibi delegisti in aquis plurimis, * neque vestigia tua postea cognoscí potuerunt, aquis nimirum in sese coniunctis atque vnitis, vt diuisionis nulla vestigia apparerẽt. Et adeo fuerunt aliis tua vestigia incognita, vt cũ per tuas semitas Ægyptij tẽtarent incidere, ilico perierint suffocati.

20 Deduxisti sicut oues populum tuum in manus Moysi & Aaron.

20 Non aliter quàm pastor solet gregem sibi commissum, tu illo tempore ex Ægypto per mare rubrum deduxisti populum tuum, * per ministerium Mosis & Aaron.

ANNOTATIONES.

a MANIBVS MEIS, &c.] Pro, cõtra eum, Græcis est ἐναντίον αὐτοῦ, quod magis conuenit huic loco, vt vertatur, coram eo, quomodo habet Augustini lectio. Itaque, contra, hic accipi debet pro, è regione, hoc est, coram.

b ET EXERCITATVS, &c.] Græcis est, ἠδολέσχησα, verbũ scilicet deriuatũ à nomine ἀδολεσχία, quod propriè significat sermonem superfluum & nugacitatem. vnde vbi nos postea habemus: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: Græcis est hæc dictio ἀδολεσχία. Iuxta hanc significationem habet lectio Augustini, & garriui. Eadẽ tamen dictio aliquando in meliorem partem accipitur simpliciter pro meditari, & secũ presse cogitare, vertítq; noster interpres eam persæpe per exerceri vel exercitatũ esse, vt hoc loco, & mox postea: Et exercitabar. Et rursum: In adinuẽtionibus tuis exercebor. Et Psal. 118. In mãdatis tuis exercebor. Et Seruus tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Hæc ergo, aliáque similia loca accipienda sunt de exercitatione, quæ in meditatione consistit & cogitatione, non ea quę est in operatione virtutum.

c ANTICIPAVERVNT, &c.] Intelligunt quidam hanc partem, vt sit sensus: oculi mei præuenerunt consuetas vigilias hominũ, hoc est, antequam alii inciperent cuigilare, ego excusso somno ad te vigilare cœpi. At dictio non solũ Hebræa, sed etiam Græca non significat tales vigilias, sed quomodo nox apud militantes solet distribui in quatuor vigilias, hoc est, statuta vigilandi tempora, de qualibus vigiliis aliquoties fit mentio in Euangeliis. Est enim Græce, προεκατελάβοντο φυλακὰς, hoc est, præoccupauerunt vel præuenerũt custodias, hoc est, nocturno tempore vigilare cœpi ante vigiliarũ custodes, quo significat se totas noctes insomnes duxisse.

ET SCOPEBAM, &c.] Græca aliter habent, καὶ ἐσκαλλε τὸ πνεῦμα μου, hoc est, & fodiebat spiritus meus, sic & Hebræa. Noster tamen interpres sensum probe reddit. Spiritũ enim fodere, non est aliud quàm spiritũ perueſtigare, & de re aliqua inquirere, quod idem est cum eo, quod scopere vel scopare spiritũ, hoc est, varia cogitatione quasi scopa quadam mentem agitare, solemnis enim perdita scopando quærere. Augustinus legit: & scrutabar spiritum meum. D. Hieronymus interpretatur, scopebam, hoc est, fodiebam tanquam agrum. d

A GENERATIONE, &c.] Ante hæc verba plus est in Græcis & Hebræis. Sic enim habent Græca e

Græcà: Ξυνετέλεσε ῥῆμα ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν, hoc est, consummauit verbum à generatione in generationem & est sensus: Non iam ab omnibus generationibus abstulit, & irritum fecit sermonem suum, quo pollicitus est se consolaturum mœstos ipsum inuocantes.

f DEVS IN SANCTO, &c.] Præter sensum huius partis, quẽ explicat paraphrasis, sunt qui eã intelligunt, vt ablatiuus, sancto pro Dei sanctuario accipiatur, sicut fere semper accipitur, &, in sancto, construatur cum nomine, Deus, & accipiatur oratio imperfectè prolata à propheta: qui Dei vias considerans, nimis stupefactus sermonem ediderit imperfectum, quemadmodum fieri solet in his qui magna rei alicuius admiratione detinentur. Itaque iste erit sensus: O Deus, qui in sancto habitas, via tua scilicet summè est admiranda: cui intelligentiæ optimè conuenit quod sequitur quis Deus magnus, sicut Deus noster.

MVLTITVDO SONITVS, &c.] Hæc pars vel separatim accipi potest, vt subintelligatur verbum fuit, vel, vt fit in Græcorũ codicibus, oppositiue coniungi cum nominatiuo (Abyssi) qui ponitur in versu præcedenti, vt sit sensus: Abyssi, hoc est, multitudo sonitus aquarum turbata est. Si autem separatim accipiatur, indifferenter accipi potest vel de aquis maris rubri, vel de aquis pluuialibus cum impetu & fragore super Aegyptios demissis. g

Intellectus Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVII.

CONsiderans Propheta Dei esse præceptum, vt patres memoria posterorum Dei facinora commendarent, præsenti Psalmo prolixè repetit opera Dei, quæ à patribus accepit gesta a liberatione ex Aegypto vsque ad tempora Dauidis. Itaque canit quomodo quamlibet incredulum populum Israelicum variis editis signis ex Aegypto eduxerit, tum in deserto continuòse irritantem beneficijs cumulauit, deinde filios eorum qui ex Aegypto educti fuerant, in terram promissam induxerit, eiectis indegenis: in qua etsi pronocantes se sæpe grauiter afflixerit, ac tandem in signum maximæ iræ cum ipsorum ingenti clade, arcam quoque eripi passus fuerit tempore Heli sacerdotis: iterum tamen respexit, dato rege Dauide, & instaurata religione Hierosolymis. Hæc autem omnia eo fine canit, vt ex recordatione diuinorum operum populum erudiat, & instituat ad obseruationem legis diuinæ, nẽ incredulorum patrum exempla filij sequantur, sed potius vestigijs Dauidis a Deo electi insistant, & vt ostendat regnum Israel diuina electione non ad tribum Ephraim, sed ad tribum Iuda, ipsumq; Dauidem pertinere, ac cultum diuinum non amplius in Silo, sed in monte Sion exhibendũ esse. Vocat autẽ Propheta canticum istud, legem, quòd sit rectæ vitæ institutio, quæ expressa operum Dei consideratione nascitur: Parabolas quoque & propositiones, seu (vt significantius Græca habent) problemata, quod contineat graues & sapientia fœcundas sententias, atque à vulgi intelligentia alienas quoque ex similitudine ãt iquorum factorum erudire velit suũ populum. Deinde quod in his rectè adumbrentur, quæ ad populum noui testamenti & Christum pertinent: Quia autem Euangelista Matthæus capite decimotertio, principium huius Psalmi in Christo adimpletum testatur, intelligendum est ipsum adducere testimonium illud non secundum primum eius sensum, sed secundum mysticum, vt frequenter in nouo testamento ea quæ de alijs ad literam dicta sunt, Christo accommodantur, tanquã ei propria, siue quia in his Christus figuratus erat, siue quòd excellentiori, & peculiari quodam modo ea Christo competant. De cuius etiam regno sub typo Dauidis in fine Psalmi huius vaticinatur Propheta, sicut & in principio de se ea dicit, quæ in Christum absolutissimum doctorem peculiarius quadrant.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Attẽdite populi meus legem meã, * inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

*2 Aperiam in parabolis os meum, * loquar propositiones ab initio.*

*3 Quanta audiuimus & cognouimus ea, * & patres nostri narrauerunt nobis.*

4 Non sunt occultata à filijs eorũ in generatione altera.

5 Narrantes laudes domini, & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit:

*6 Et suscitauit testimoniũ in Iacob, * & legem posuit in Israel.*

*7 Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, * vt cognoscat generatio altera.*

8 Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filijs suis.

*9 Vt ponant in Deo spem suam * & non obliuiscantur operum Dei, * & mandata eius exquirant.*

MI populi attende ad doctrinam meam,* præbete aures vestras sermonibus meis, quibus dicturus sum, quæ & prosint omnibus, & diligentem requirant auditorem. *Ps.77.*

2 Commemorabo enim ea quæ sunt abstrusa & parabolica,* è plenitudine meditabũdi cordis eloquar ea quæ sunt quasi ænygmata quædam obscura, & penè incredibilia, quæ contigerunt superioribus sæculis.

3 O quàm sunt & multa & magna Dei opera quæ audiuimus, & certo a
vera esse scimus.* Maiores enim nostri & verbo & scriptis narrauerunt ea nobis.

4 Non permiserunt ea esse posteris suis occultata in generatione, quę post eos uentura erat.

5 Sed narrauerunt laudes Domini, & potentissima eius opera, ac mira b
bilia eius facinora, quæ ille designauit plurima.

6 Fecerunt autem illi hoc ex domini mandato, nam constituit dominus præceptum filiis Iacob,* & legem posuit in populo Israelitico.

7 Vt nota facerent omnia ea filijs suis, quæcunque mandauit ipsis patribus nostris,* vt sic ea quæ Deus vel pro suo populo mirabiliter egit, vel ab eo fieri voluit, generatio post eos uentura cognosceret.

8 Filij scilicet qui post eos nascerentur, & vt hi quoque vbi exorti fuerint, atque adulti, narrarent eadem posteris suis.

9 Vt per huiusmodi diuinorum tum mandatorum, tum operum narrationem, discant semper posteri omnem suam fiduciam collocare in solo Deo, & non excidant memoriæ eorum mirabilia opera Dei, * perque horum iugem memoriam studeant semper mandata eius & intelligere, & obseruare.

10 Ne in malitia & diuina vltione fiant similes progenitoribus suis,

* qui

**generatio praua & exasperans.*

*11 Generatio quæ nõ direxit cor suum, * & non est creditus cum Deo spiritus eius.*

*12 Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, * conuersi sunt in die belli.*

*13 Non custodierunt testamẽtum Dei: * & in lege eius noluerunt ambulare.*

*14 Et obliti sunt beneficiorum eius, * & mirabilium eius quæ ostendit eis.*

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.

*16 Interrupit mare, & perduxit eos: * & statuit aquas quasi in utre.*

*17 Et deduxit eos in nube diei, * & tota nocte in illuminatione ignis.*

*18 Interrupit petrã in eremo: * & adaquauit eos uelut in abysso multa.*

19 Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina, aquas.

*20 Et apposuerunt adhuc peccare ei, * in iram prouocauerunt excelsum in inaquoso.*

*21 Et tentauerunt Deum in cordibus suis, * ut peterent escas animalibus suis.*

*22 Et male locuti sunt de Deo, & dixerunt: * nunquid poterit Deus parare mẽsam in deserto?*

*23 Quoniam percussit petram, * & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.*

*24 Nunquid & panẽ poterit dare, * aut parare mensam populo suo?*

*25 Ideo audiuit dominus & distulit, & ignis accensus est in Iacob, * & ira Dei ascendit in Israel.*

*26 Quia non crediderunt in Deo, * nec sperauerunt in salutari eius.*

*27 Mandauit nubibus desuper, * & ianuas cœli aperuit.*

*28 Et pluit illis manna ad manducandum: * & panem cœli dedit eis.*

*29 Panem † angelorum manducauit homo, * cibaria misit eis in abundantia.*

* qui fuerunt generatio praua, ad iracundiã Deum suis sceleribus semper prouocans.

11 Generatio quæ non fecit rectum cor suum,* nec vnquam ex animo c
credidit Deo, semper diffidens, in necessitate quauis de eius potẽtia ac bonitate.

12 Ecce enim filij Ephraim, etsi in bello fortissimi & peritissimi rei bel- d
licæ, gnari intendere arcum, & mittere sagittas ex eo,* tamen frequẽter tempore belli terga verterunt hostibus suis, inferiores facti eis quibus solebant esse superiores.

13 Idque ob id Domino permittente eis contigit, q̃ non perstiterint in pacto inito cum Deo,* & secundum legem à Deo ipsis præscriptam viuere noluerint.

14 Et obliti sunt beneficiorum eius,* & mirabilium operũ eius, quæ nota fecit eis per patrum suorum narrationem.

15 Ipse enim, spectantibus patribus eorum, designauit mira in terra Aegypti, in agro Taneos vrbis regiæ & Metropolitanæ, coram rege Moyses & Aaron varia edidere miracula. e

16 Inde cum eos educeret ex Aegypto, diuisit mare rubrũ, & per illud ficco pede traduxit eos,* & stare fecit aquas sua natura fluidas, quasi in vtre conclusæ essent.

17 Et deduxit eos in omnibus viis eorum, per diem quidem cum columna nubis, qua contra ardorem solis obtegebantur:* per totam verò noctem lumine igneæ atque lucentis columnæ, qua noctis tenebras depellebat.

18 Fidit in gratiam eorũ arentes petras in ipso deserto,* & ex eis aquarum potum suppeditauit ipsis tã copiosè, ac si fuissent in magna aquarum profunditate.

19 Et eduxit aquam de petra, eduxit, inquã, aquas tam copiosas, vt æquare potuerint fluuios maximos.

20 Et cùm tam multa & magna pro ipsis Deus edidisset, nihil tamẽ his omnibus facti sunt meliores, sed prioribus suis peccatis noua adiecerunt peccata,* & ad iram prouocauerunt altissimum in ipsa vastissima solitudine, in qua nulla ratione viuere poterant, nisi beneficio eius.

21 Ipsi enim de diuina potentia dubitantes, in cordibus suis cupierunt experimentum facere quantum posset Deus & intempestiuam diuinæ g
virtutis declarationem fieri desiderarunt,* ita vt peterent sibi cibũ, qui desideriis eorum satisfaceret.

22 Nec corde tãtum suo Deũ tentauerunt, sed & linguis oblocuti sunt de Deo, murmurantes contra eum, quasi fame eos necasset, & delectabiles ac gratos cibos eis abstulisset, & tentantes eum dixerunt: * Num poterit Deus hic, qui tam putatur potens, instruere nobis conuiuium carneum in hac vasta solitudine, in qua omnium rerum est summa inopia?

23 Ecce enim vidimus, quia percussit petram,* & statim ex ea fluxerunt aquæ, quæ tanquam torrentes inundauerunt.

24 Num etiam cibum quem desideramus, panemq; vulgarem poterit dare,* aut instruere conuiuium carneum populo suo? & hæc quidẽ dixerunt, de potentia atque bonitate, etsi prius multis modis declarata dubitantes, atque ob id cupientes eam intempestiuè declarari. h

25 Dominus itaque audiuit eorum murmur, & iratus reiecit, & elongauit à suo fauore ipsos, & continuò exarsit ignis à Domino emissus in posteros Iacob, deuorãs extremam partem castrorum, & grauis Dei vindicta exorta est in populo Israelitico.

26 Idque ob id, quia post tot miracula & beneficia non crediderũt Deo, quòd & posset & vellet necessaria præstare suo populo:* nec sperauerunt se ab eo saluari, & in necessariis omnibus prouideri posse.

27 Quod tamen meritò ab eo sperare debuerant, nam prius pro illorũ necessitate subleuanda mandauerat nubibus quæ super eos in aëre pẽdebant: easque solo suo iussu rupit, & essent quasi apertæ ianuæ cœli, per quas è cœlo Deus in terras suam diffunderet beneficentiam.

28 Et in modum pluuiæ copiosè descendere fecit super eos manna ad edendum:* & panem nouum dedit eis, vtpotè qui non è terra, sed è cœlo atque ex nubibus, quæ natura feraces non sunt, prouenerat.

29 Et quod est res summè mira, homo mortalis è terra prognatus, manducauit panem Angelorum, hoc est, qui non è terra, nec humano ministerio, sed Angelico paratus & formatus fuerat, † quique vel ob id Angelorum rectè dicatur, quòd è cœlo, Angelorum domicilio, descenderat,* cibúmque suppeditauit eis Dominus in abundantia quocunque i
proficiscebantur: meritò ergo in eos iratus fuit Dominus, qui tam insi-

gne Dei donum ingrati faſtidirent, nec ex eo didicerunt Deo planè fidere, & ipſius bonitati ſe totum committere.

30 *Tranſtulit Auſtrum de cœlo:* & induxit in virtute ſua Africum.*

30 Et tamen priuſquàm in eos ſæuiret, vt ſuam potentiam, quam tentabant, declararet, eorúmq; deſiderium impleret, abſtulit è cœlo auſtrum Orientalem, hoc eſt, Eurum, *adduxit per ſuam potentiam Africũ vehementem Euro contrarium: qui arreptas trans mare rubrum coturnices detulit, & demiſit in caſtra.

31 *Et pluit ſuper eos, ſicut pulverem, carnes: * & ſicut arenam maris, volatilia pennata.*

31 Sicque in modum pluuiæ, deſcendere fecit ſuper eos carnes, pulueris multitudine: *& volucres aues in tãta copia, vt numero æquare poſſint arenam, quæ innumerabilis iacet in littore maris.

32 *Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum: circa tabernacula eorum.*

32 Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, & in circuitu tentoriorũ ipſorum, vt ſine negotio eas ſibi colligere poſſent.

33 *Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, * & deſiderium eorũ attulit eis nec fraudati ſunt à deſiderio ſuo.*

33 Manducauerunt itaque, & ſaturati ſunt valde, etiam vſq; ad naſeã. Ad hunc modum tribuit illis Dominus quod deſiderauerant, nec ſunt fraudati deſiderio ſuo. Voluit enim eos priuſquam perirẽt videre Deũ potuiſſe, quæ ipſum poſſe non crediderant.

34 *Adhuc eſcæ eorũ erant in ore ipſorum, * & ira Dei aſcendit ſuper eos.*

34 Et ecce nondum defecerat huiuſcemodi carnium cibus, ſed adhuc carnes erant in dentibus eorum, * cùm iam Dei vltio deſæuire incipẽret ſuper eos.

35 *Et occidit pingues eorũ *& electos Iſrael impediuit.*

35 Et occidit fortiores ac ditiores in populo, eósq; qui ſe carnium eſu bene impinguauerant, *& ſtrenuos quoſq; ad bellũ, qui erant inter Iſraelitas, quaſi compedibus vinctos proſtrauit, & perdidit, atque mortis nexibus eos implicauit.

36 *In omnibus his peccauerunt adhuc, *& non crediderunt in mirabilibus eius.*

36 Poſt hęc autem omnia, & beneficiorum ſcilicet & ſuppliciorũ exempla, adhuc non deſtiterunt peccare, *necdum credẽtes Deo per omnia mirabilia eius quæ in illis deſignauit. Mox enim poſt vltam concupiſcẽtiam carnium, in ſimile incredulitatis vitium prolapſi ſunt, non credentes ſe poſſe ſecundum diuinam promiſſionem terram promiſſam obtinere, cum redeuntes exploratores audiſſent terræ promiſſionis detrahere.

37 *Et defecerunt in uanitate dies eorum, * & anni eorũ cum feſtinatione.*

37 Propter quod abſumpti ſunt dies vitæ eorum in vanitate, ita vt ſine honore, ſine aliquo præclaro facinore, ociosè in deſerto vitam degerẽt, *& anni eorum ſubitò defecerunt, adeo vt quadraginta annorum ſpatio omnes penè qui ex Aegypto egreſſi fuerant, in deſerto perierint.

38 *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebãt ad eum.*

38 Quotieſcunque percutiebat eos, inuocabant Dei miſericordiam, & depoſita prauitate meliora promittebãt, *& valde ſoliciti ad placãdum ſibi Dominum, mane ſurgentes ſupplices fiebant ei.

39 *Et rememorati ſunt, quia Deus adiutor eſt eorum * & Deus excelſus redẽptor eorum eſt.*

39 Tunc enim vexatione dante intellectum, cũ prius Dei & beneficiorum eius immemores eſſent, cœperunt recogitare q* Deus adiutorem ſe illis ſæpe exhibuit, *& q* Deus excelſus, liberator eorũ, qui ex Aegyptiaca ſeruitute eos redemerat,

40 *Et dilexerunt eũ in ore ſuo, *& lingua ſua mentiti ſunt ei.*

40 Et hæc in ſuis malis recogitantes, ſimulauerunt quidẽ ore ſuo ſe diligere Deum, collaudãtes eum ore ſuo pro perceptis beneficiis: *& linguis ſuis mentiebantur ei, ficto animo promittentes ſe ſeruaturos quæcunque præcepiſſet.

41 *Cor autem eorum non erat rectum cum eo, *nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.*

41 Cor autem eorum non erat ſyncerum erga illum, *quia non perſtiterunt firmiter in pacto, quod pepigerant cum eo, non ſeruantes bona fide quæ promiſerant: quod manifeſtum ſignum fuit, non ex animo locutos eos fuiſſe quæ promiſerunt.

42 *Ipſe autem miſericors eſt, & propitius fiet peccatis eorũ, *& non diſperdet eos.*

42 Quamuis autem tales eſſent, quales iam eos depinxi, ipſe tamẽ Dominus, quoniam ex ſua natura miſericors eſt, ideo ſua miſericordia propitius fuit peccatis eorum, *non enim funditus perdidit illos, quemadmodum promeriti fuerant.

43 *Et abundauit ut auerteret iram ſuam, *& non accendit omnem iram ſuam.*

43 Sed multus in eo fuit, vt auerteret ab eis commeritam ſuam vltionem, mitigando multum iram ſuam, * & non excitauit in eis omnem ſuam indignationem, quam meritò potuiſſet, ſed multum valde de ea remiſit.

44 *Et recordatus eſt quia caro ſunt: *ſpiritus† uadens & non rediens.*

44 Attendit enim q* non eſſent ſpiritus purus, & immortalis, ſed q* eſſent ex carne variis & ſtultis concupiſcentiis obnoxia, *& ex ſpiritu qui cum ad mortem ſemper properet, ad eandem tamen corporis vitam nõ k
eſt amplius reuerſurus: †ex ſpiritu quoq;, qui cum ſuapte natura ad deteriora ſemper prolabatur, redire tamen à malo ad bonum per ſeſe non poteſt. Hanc itaque naturæ humanæ infirmitatem, inſtabilitatẽ, & breuitatem conſiderans Dominus ſeipſum frequenter cohibuit, ne, quã potuiſſet, peccantibus vltionem infligeret.

45 *Quoties exacerbauerũt eum in deſerto: *in ira concitauerunt eum in inaquoſo.*

45 Sanè valdè frequenter irritauerũt eum ſuis murmurationibus, incredulitate, aliiſq; peccatis in deſerto: *ad iram prouocauerunt eum ſæpenumero in ſicca illa ſolitudine.

46 *Et conuerſi ſunt, &*

46 Poſt peractam enim pœnitentiam, mox reuerſi ad ingenium, iterum

*tentauerũt Deum: * & ſanctum Iſrael exacerbauerunt.*

rum tentare cœperunt Dominum quàm potens eſſet: *& Deũ, qui ſanctificat Iſraelem, exaſperauerunt ſua incredulitate.

47 *Non ſunt recordati manus eius die qua redemit eos de manu tribulantis.*

47 Non fuerunt memores, nec aduerterunt Dei potentiam, quã oſtendit eo tempore, quo per admiranda prodigia liberauit eos de poteſtate opprimentis eos Pharaonis. Ex hac potentia enim Dei tunc declarata, facilè intelligere potuiſſent, Deum quiduis pro ſuorum ſalute poſſe.

48 *Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua: * & prodigia ſua in campo Taneos.*

48 Non aduerterunt, inquam, quomodo ediderat in Aegypto varia miracula ſuæ potentiæ manifeſtiua, * ſigna & prodigia, quæ fecit in agro vrbis regiæ Taneos.

49 *Et conuertit in ſanguinẽ flumina eorum, * & imbres eorum ne biberent.*

49 Mutauit enim in ſanguinem flumina eorum, *& manationes aquarum ab imo, dum foderent, ſcaturientes, vt non eſſet Aegyptiis quod biberent.

50 *Miſit in eos cynomiã & comedit eos rana, & diſperdidit eos.*

50 Miſit in eos omnis generis muſcas, quæ momorderunt eos, *miſit & ranas, quæ vexauerunt eos.

51 *Et dedit ærugini fructus eorum: * & labores eorum locuſtæ.*

51 Et dedit ærugini fructus eorum: *& terræ fruges, pro quibus parandis magnum laborem impenderant, tradidit locuſtis conſumendas.

52 *Et occidit in grandine uineas eorum, * & moros eorum in pruina.*

52 Et perdidit grandine vineas eorum: *& ſycomoros, quorum in Aegypto eſt copia, perdidit pruina, quæ ita inimica eſt moris, ſicut grando vineis.

53 *Et tradidit grandini iumenta eorum: *& poſſeßiones eorum igni.*

53 Et tradidit grandini iumenta eorum perdenda: *& quicquid poſſidebant tradidit carbonibus ignitis, qui cum grandine permiſti contra naturam fuerant.

54 *Miſit in eos iræ ſuæ indignationis, indignationẽ, & iram, & tribulationem, immiſßiones per angelos malos.*

54 Poſtremum autem poſt multas plagas, per miniſterium Moſis immiſſas Aegyptiis, miſit in eos maximam ſuæ ſeueritatis & excandeſcentiæ vltionem, *indignationem, iram, & tribulationem, quam immiſit eis per o
angelos, ſecundum Dei præceptum peſſimè eos percutientes, & ob id valdè malos Aegyptiis.

55 *†Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, *& nõ pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorũ in morte concluſit.*

55 Parauit iræ ſuæ viam ad incedendum per eam, nam percuſſurus per Angelos ſuos Aegyptiorum primogenita, preſcripſit iræ ſuæ viam, per quam incederet, prohibens eam à domibus Hebræorum conſignatis: †Iræ quoque ſuæ tum viam fecit, laxãs ſuæ ſeueritatis omnes habenas, ita vt ſine omni impedimento aut retinaculo procederet contra Aegyptios, *& iam non amplius (vt in prioribus plagis fecerat) parceret animalibus eorum à morte, & iumenta quoque eorum interficeret.

56 *Et percuſſit omne primogenitũ in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorũ in tabernaculis Cham.*

56 Itaque occidit omne primogenitum in terra Aegypti, *hoc eſt, primitias omnis laborioſiſſimi partus eorum in habitaculis Aegyptiorum, patris ſui Chan impietatem imitantium.

57 *Et abſtulit ſicut oues populum ſuum: * & perduxit eos tanquã gregẽ in deſerto.*

57 Hiſque percuſſis, eduxit illinc populum ſuum, non aliter quàm paſtor oues: *& perduxit eos tanquam gregem per loca deſerta.

58 *Et deduxit eos in ſpe, & non timuerunt, *& inimicos eorum operuit mare.*

58 Et deduxit eos per mare cum multa in Deum fiducia, & nõ timuerunt, quamuis & maris aquas viderent ſibi ad latera, & hoſtes poſt tergum inſequentes, *quos, ipſis per mare ſecurè tranſeuntibus, mare cooperuit, ita vt ne vnus quidem ſupereſſet. p

59 *Et induxit eos * in montẽ ſanctificationis ſuæ montẽ quẽ acquiſiuit dextera eius.*

59 Et induxit eos in loca montoſa, quæ ipſe ſibi ad inhabitandũ ſanctificauerat, * loca, inquam, montoſa, quæ ipſe comparauit ſibi potentia ſua.

60 *Et eiecit à facie eorum gẽtes: *& ſorte diuiſit eis terrã in funiculo diſtributionis.*

60 Et eiecit, ipſis ingredientibus, ex eo loco gentes impias, quæ eum longo tempore poſſederãt: *& per ſortem diuiſit eis terram, quaſi per funiculum, quo menſurari ſolet & diſtribui terra.

61 *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſrael.*

61 Et habitare fecit ipſas tribus Iſrael in habitaculis eorum qui expulſi fuerant.

62 *Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deũ excelſum: *& teſtimonia eius non cuſtodierunt.*

62 Rurſum tamen tentauerunt & irritauerũt Deum, qui eſt ſuper omnia, *& præcepta eius, quibus ſuam ipſis voluntatem cõteſtatus fuerat, non obſeruauerunt.

63 *Et auerterunt ſe, & nõ ſeruauerunt pactũ: quemadmodum patres eorũ, *cõuerſi ſunt in arcum prauum.*

63 Et auerterunt ſe à Deo, & non ſeruauerũt pactum quod cum Deo pepigerunt: ſicut nec patres eorũ in deſerto ſeruauerunt ſub duce Moſe, *conuerſi ſunt à ſuo pacto ad ſimilitudinem arcus praui & obliqui, qui inter iaculandum illico vertitur, ita vt aliud feriat quàm fuerat expectatum. Sic enim & ipſi mox alios ſeſe Deo exhibuerunt quàm promiſerant, & quàm ab eis fuerat expectatum: ad aliud conuerſi, quàm ad quod dirigebantur.

64 *In ira concitauerunt eum in collibus ſuis: *& in ſculptilibus ſuis ad æmulationẽ eum prouocauerunt.*

64 Ad iracundiam concitauerunt eum per altaria & lucos, quos in editis locis ſitos frequentabant: †& per ſtatuas, quas ſibi fecerant Deos, ad iram vehementer eum prouocauerunt.

65 *Audiuit Dominus, & ſpreuit, *& ad nihilum redegit valde Iſrael.*

65 Audiuit Dominus, & intellexit omnia illorũ ſcelera, quæ ad Deum pro vindicta clamitabant: *& qui prius Iſraeliticum populum præ aliis magnifaciebat, iam offenſus vilem eum habuit, *eúmq; iam pro nihilo habuit, & valde humiliauit, dans eum in manus inimicorum.

66 *Et repulit tabernaculũ Silo,*

66 Iratúſque repudiauit tabernaculum quod erat illi primitus in Silo,

*tabernaculū ſuum,ubi habitauit in hominibus.

*tabernaculum,inquam,ſuum,in quo inter homines ipſe cœli Dominus habitare dignatus erat.

67 Et tradidit in captiuitatem uirtutem eorū,*& pulchritudinem eorum in manus inimici.

67 Capi enim permiſit ab hoſtibus Philiſtæis arcā fœderis,quæ erat Iſraelitis velut eorum robur,per quod ob Dei præſentiam in ea,cōtra inimicos ſemper fortes erant,*& ornamentū illud arcæ,qua populus ille non parum ornabatur,Dominus in poteſtatē hoſtium venire permiſit.

68 Et concluſit in gladio populum ſuum*& hæreditatē ſuam ſpreuit.

68 Et gladio cadere fecit populum ſuum,*& quē prius in ſuam hæreditatem elegerat,iam cōtemptibilem habuit,ſua protectione & defenſione eum deſtituens.

69 Iuuenes eorum comedit ignis,*& uirgines eorū non ſunt lamentatæ.

69 Sæua vis belli,& gladij in modum ignis omnia deuorātis,abſumpſit adoleſcentes eorum,*& virgines eorū occiſas,aut in captiuitatē abductas,ſuiſq; ſponſis priuatas(quæ ob ſterilitatem defleri ſolent)non erat qui lugeret,eo quòd commune omnibus eſſet malum. q

70 Sacerdotes eorū in gladio ceciderūt,*& uiduæ eorum non plorabantur.

70 Sacerdotes eorum Ophni & Phinees gladio ceciderūt in bello, *& viduæ eorum ſimul præ dolore ob auditam maritorum mortem morié tes,non habebant qui eas pro more ploraret,ob communem omnium rerum perturbationem.

71 Et excitatus eſt tāquam dormiens Dominus,*tanquā potens crapulatus à uino.

71 Tandem autem poſt longam diſſimulationem Dominus ad ſimilitudinem hominis dormiētis,qui à ſomno completo exurgit,excitatus eſt ad auxilium populi ſui,& vindictam hoſtium:* tanquam fortis aliquis miles,cuius fortitudini accedit vt vino ſit liberaliter exhilaratus & repletus,qui ob id fortius ac impetuoſius quàm antea prælia aggreditur. Ita enim & Deus fortiſſimus quidem,ſed tamen indignatione cōtra hoſtes ſuos magis accenſus,ad vltionem eorum vehementior exarſit.

72 Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora,* opprobrium ſempiternum dedit illis.

72 Et percuſſit inimicos ſuos in natibus,*atque hac plaga infami ignominia affecit illos,quam nunquam eluere poterunt.

73 Et repulit tabernaculum Ioſeph:* & tribū Ephraim non elegit.

73 Cum autem iam arca captiua reduceretur,& placatus Dominus regem populo ſuo deligere vellet,qui ipſum defenderet, ſpreuit familiā Ioſeph,*& tabernaculum illud antiquum,in quo prius in Silo,in ſorte Ephraim habitauit,& tribum Ephraim non amplius elegit ſibi in arcæ habitationem,nec in regalis dignitatis ſolium.

74 Sed elegit tribum Iuda,*montem Sion,quē dilexit.

74 Sed ad hæc elegit tribū Iuda,*& in ea tribu montē Siō,qué ab initio peculiariter ſemper dilexit,& in ſuā peculiarem habitationem delegit.

75 Et ædificauit ſicut unicornium ſanctificium ſuū in terra:quam fundauit in ſæcula. r

75 In hoc monte extruxit ſibi ædem ſanctam,ſimilem palatiis magnorum principum,qui ſua altitudine & potentia vnicornibus aſſimilātur: extruxit autem in ea terra,quam imperpetuum pro ſua domo fundauit,volens eam perpetuum ſibi habitaculi eſſe fundamentum & ſuſtentaculum.

76 Et elegit Dauid ſeruum ſuum,& ſuſtulit eum de gregibus ouium:* de poſtifœtantes accepit eum.

76 Et elegit è tribu Iuda in regem populi ſui,Dauid ſeruum ſuū, & abſtulit eum de gregibus ouium,quas paſcebat:* à fœtis ouibus quas ſectabatur,auocauit eum.

77 Paſcere Iacob ſeruum ſuum,& Iſrael hæreditatem ſuam.

77 Vt qui prius oues pauit,paſceret Iacob ſeruos ſuos,& filios Iſrael, quos in hæreditatem ſuam ſibi elegerat.

78 Et pauit eos in innocentia cordis ſui:*& in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

78 Nec malè functus eſt commiſſo ſibi officio,pauit enim eos in ſimplicitate & ſynceritate cordis ſui,nihil aliud ſpectans quàm commoda & ſalutem populi ſibi commiſſi,*& actionibus ſumma prudentia diſpoſitis gubernauit eos:quæ duo boni regis ſunt munera,nimirum vt & ſyncero ſit in ſuos corde,& res gerendas ſumma cum prudentia inſtituat.

ANNOTATIONES.

a QVANTA AVDIVIMVS,&c.]Obſcuritatē facit nomen,quanta,hic bis poſitū,pro quo apud Hebræos ponitur relatiuū, vnde vertūt:quæ audiuimus,& quæ mandauit,&c.Septuaginta tamen pro hoc relatiuo ſolent aliquoties transferre nomen ὅσος,quantus,vt Pſal.70. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes,&c.pro quo ex Hebræo Hieronymus : Qui oſtendiſti mihi,&c. Dictio tamen apud Græcos poſita ὅσα,non tantum,quanta ſignificat,ſed etiam quæcunq;.Vnde verti poſſet, quæcunque audiuimus,& quæcunq; mandauit,&c.Et ad hunc ſenſum etiam noſtra litera aptè reduci poteſt,vt quanta accipiatur pro quæcūque,& verſus iſte,quanta audiuimus,&c.non accipiatur interrogatiuè aut admiratiuè,ſed infinitè,& tunc hic erit ſenſus:quæcunque audiuimus, &c.hæc non ſunt, pro non erunt,per nos occultata à filiis eorum,ſed erimus narrantes laudes Domini,&c.qa Dominus ea præcepit fieri.

SVSCITAVIT,&c.]Per teſtimoniū & legē plerique accipiunt hic ſignificari vniuerſam legem Domini,& intelligunt hic Prophetā incipere narrare Dei beneficia,inter quę hoc fuit præcipuū,quod legem ſuam Iſraelitico populo traderet. Nō enim fecit taliter omni nationi,& iudicia ſua non manifeſtauit eis.Hic itaq; quod ſequitur,Quanta mandauit,&c.admiratiuè accipiunt,vt ſit ſenſus:Valde multa ſunt quæ mandauit Deus in lege ſua patribus noſtris,vt nota ea facerēt poſteris ſuis.Verum hæc interpretatio non bñ ſequētibus verſibus conuenire videtur,in q̄bus ſatis ſignificatur Prophetā loqui non tā de enarrādis Dei præceptis in lege traditis,quàm de operibus Dei,cū dicat : vt non obliuiſcantur operum Dei.Vnde rectius] per teſtimonium & legem,intelligitur ſpecialiter illud Domini præceptū,quod ponitur Deutero.4.cap.dicente Domi b Pſ.147.

Domino:Ne obliuiſcaris verborū quę viderūt oculi tui,& ne excidant de corde tuo cuctis diebus vitæ tuæ.Docebis ea filios ac nepotes tuos,&c.

c NON EST CREDITVS CVM DEO,&c.] καὶ οὐκ ἐπιστώθη μετὰ τοῦ θεοῦ τὸ πνεῦμα αὐτοῦ,quę ſic verti poſſunt:Et non fuit fidelis cum Deo ſpiritus eius.Quod quamuis in eo etiam ſenſu accipi pōt quem habet paraphraſis,tamen & aliter accipi poteſt cōformius Hebręis,vt,fidelis, accipiatur pro firmus & ſtabilis,ſicut Hebræis frequenter accipitur.Itaque ſenſus erit:Et non fuit ſpiritus eius cū Deo firmus,ſed ad minimā occaſionem ſtatim ab eo defecerit.

d FILII EPHREM.]Gręca & Hebræa habēt Ephraim,quomodo & Biblia quę edā Latina Coloniæ olim impreſſa habēt,vt meritò non Ephrem, ſed Ephraim legendum ſit.Dubium autē eſt,quando quod hic dicitur contigit. Et ſunt qui putant eam hiſtoriam hic notari,quæ ponitur 1.Paralip. 7.vbi filij Ephraim dicūtur cæſi fuiſſe à viris Geth indigenis,quia deſcenderant,vt inuaderēt poſſeſſiones eorum.Verùm illud contigiſſe ante exitum ex Ægypto,manifeſtiſſimè ex eo conſtat, quia contigit ante mortem Ephraim filij Ioſeph,qué ante exitum ex Ægypto mortuū fuiſſe ſatis cōſtat vel ex 1.cap.Exodi.Hi aūt filij Ephraim de quibus hic fit mentio,filij fuerunt eorum qui ex Ægypto educti fuerunt,quod patet ex eo quod ſequitur:Coră patribus eorum fecit mirabilia,&c.Quo eodē argumento refellitur & eorum ſententia, qui putāt Prophetam hic loqui de ea ſtrage,quæ deſcribitur Num.14.cùm ſcilicet filij Iſrael contra Domini voluntatem voluerunt ingredi terram promiſſionis. Proinde ſunt qui putant prophetam hic propheticè prędicere eam ſtragem,qua ſub Abia Hieroboā cum ſuis cæſus eſt,vt ſcribitur 2.Paralip.13.Filiorum autem Ephraim fieri peculiariter mētionem, eo q̄ Hieroboam ex tribu Ephraim eſſet, propter quod in Prophetis aliquoties nomine Ephraim, decem tribus à domo Dauid diuiſæ notantur.Sed huic intelligentiæ repugnat,qđ in principio Pſalmi Propheta teſtatus eſt ſe narraturum ea quę ab initio contigerunt,non quæ poſtea ventura erant, vt interim omittamus,quod nec ſequētibus iſtud conueniat.Itaque veriſimilius illi dicunt,qui de illa ſtrage iſtud dictum accipiunt,quæ facta eſt à Philiſtæis,cùm arca Domini caperetur,de qua in fine fuſius canitur.Ideo autem filiorum Ephraim ſpecialiter fieri mentionem,quod arca Domini in Silo tum locum haberet,atq; ideo eam tribum primas partes in eo bello habuiſſe.Magis autem adhuc veriſimiliter illi ſentiunt, qui hoc verſu non vnam tantum ſtragem,ſed plures notari intelligūt eas ſcilicet quas iudicum tempore varias à diuerſis hoſtibus acceperunt Iſraelitæ propter impiorū prauitatem.Filiorum autē Ephraim nomine,omnes Iſraelitas ſignificari, eo q̄ ea tribus numeroſior eſſet,& ad bellum magis expedita. Quam ſententiam recenſet Euthymius Græcus.

e CAMPO TANEOS.]Quoniā Tanis regia in Ægypto fuit ciuitas,ideo plerique intelligunt hic ſignificari,miracula ea quę corā Pharaone Moyſes edidit, facta eſſe in ciuitate ea,& agro circumiacēte.Alij per Taneos ſynechdochicè totam accipiūt Ægyptum,& campum vocari Ægyptum ob agrorum fertilitatem.

f IN NVBE DIEI.]Genitiuum ἡμέρας, interpres accepit,quaſi rectus eſſet à νεφέλη,hoc eſt,nube,cum ex Hebręo conſtet accipi,debere,vt ſit genitiuus temporis quando,qui vertēdus fuerat per ablatiuum,die.Proinde per antiptoſin rectè acceperimus caſum poſitum pro caſu.

TENTAVERVNT DEVM.]Varius eſt vſus verbi,tētare,in ſcripturis.Eſt aūt propria eius ſignificatio,experimētum de aliquo ſumere:ſic Deus dicitur tentaſſe Abrahā, & diabolus Chriſtū in deſerto.Quoniam autem afflictionibus probātur homines,ideo tentatio frequenter pro afflictione ponitur,& inde tentare ſæpe pro affligere,vexare , & moleſtare.Et rurſum quoniam dum diabolus, vel mūdus,aut caro prauis ſuis ſuggeſtionibus ad peccatum ſollicitat,quoddam experimētum hominis ſumitur,ideo etiam tētare accipitur pro ſolicitare aut inclinare ad peccatum,in qua acceptione Iacobus dicit,Deum neminem tentare.Tentare autem Deum,quod in ſcripturis fere ſemper accipitur in malam partē,duobus modis accipitur.Primo, pro eo quod eſt periculū facere diuinæ potentiæ & bonitatis præter neceſſitatē, quomodo hoc loco accipitur.Secundo generaliter,pro eo quod eſt Deū irritare & exaſperare.Nam quomodo homo hominem tentare dicitur,qué moleſtat,& affligit quantum in ſe eſt. Atque in hac acceptione accipitur poſtea in eodem iſto Pſalmo. g

ET DISTVLIT.]Communiter quidē oratio hæc intelligitur cum ſubintellectione, & diſtulit iram ſuam.Verùm aduertendū apud Hebręos poni verbum quod iraſci ſignificat,pro quo in trāſlatione Hieronymi ex Hebræo legitur in noſtris libris:& non diſtulit.Verùm apparet eſſe mendum, cum negatio nō habeatur in Hebręo. Septuaginta autem hic verterūt ἀνεβάλετο.Verbum autem ἀναβάλλομαι,ſignificat quidē etiā differre & proferre, ſed proprie ſignificat reiicere à ſe:atq; in hac ſignificatione Septuaginta accepiſſe , ſatis patet ex eo quod cū poſtea in hoc eodem Pſalmo dicitur:Audiuit Deus & ſpreuit,pro verbo,ſpreuit,apud Hebræos idem ponitur verbum,quod hoc loco : pro quo ibi Septuaginta tranſtulerunt ὑπερῆδεν,quod ſpernere,hoc eſt, à ſe abiicere ſignificat. Proinde hic,diſtulit,accipi debet pro abiecit,quemadmodū etiam ſecundum omnes accipitur Pſal.88.cùm dicit:Diſtuliſti Chriſtum tuum. Vbi in Hebræis & Græcis eadem ponuntur verba,quæ hoc loco. h

TRANSTVLIT,&c.]Liber Nume.nō explicat ſpeciem venti à Domino emiſſi,ſed tantū ventū dicit à Domino egreſſum coturnices attuliſſe. Hic verò dicitur Auſter è cœlo ſublatus,& ſuperinductus Aphricus.Circa quod tamen dubitari poteſt,ob quid neceſſe fuit Auſtrum è cœlo auferri,vt Aphricus flaret, cum non ſint venti contrarij. Et ſunt qui Aphricū hic improprie accipiunt pro vento Septentrionali Borea,qui Auſtro cōtrarius eſt, cum dictio ea Hebræis,Græcis & Latinis nihil minus ſignificet.Eſt enim Aphricus,vētus medius inter Occidentalem & Auſtralem,qui & libicus dicitur.Proinde aduertendum pro nomine,Auſtro, dictionem Hebraicam ſignificare ventum Orientalem.Vnde vertit Hier.Eurū,qui eſt ventus mēdius inter Oriētalem & Meridionalem,hic ergo Auſter accipi debet pro eo vēto,qui ob id Auſter dicitur, q̄ ad Auſtrum vergat.hic autem ſatis cōtrārius eſt Aphrico.Diuus Hieronymus eandem dictionem, quæ hic ponitur in Hebræo,vertit etiam alibi per Auſtrum,Ezechiæ ſcilicet cap.27. Ventus Auſter contriuit te. i

SPIRITVS,&c.]Quis ſit genitiuus huius loci ſenſus,ſatis patet ex ſimili loco Pſal.102. Quoniā k

ſpiritus pertranſibit in illo,& nõ ſubſiſtet,&c. Spiritum ergo hominẽs ſemper properantẽ dicit non redire,ſiue quia nõ redibit ad eandem corporis vi
1 tam,ſiue quia nõ redit,permanẽte hoc rerũ ſtatu.

IMBRES EORVM,&c.] Cũ in Ægypto rari ſint imbres,ſed fœcundẽtur agri inundatione Nili vt ſcribit Plinius,cũq; de imbribus in ſanguinẽ cõuerſis hiſtoria Exodi nihil memoret,rectius videretur riuos vel fluenta, quemadmodũ ex Hebræo vertit Hieronym⁹.Id quoq; tãgit Auguſtinus,ediſſerens hunc locum:vel potius, inquit,manationes aquarum,ſicut nõnulli melius intelligũt qđ Græcè ſcriptũ eſt,τὰ ὑμβρήματα,quas Latinè ſcaturigines dicimus ab imo aquas ebullientes.Foderunt enim Ægyptij,& ſanguinẽ pro aquis inuenerũt.Hęc Auguſtinus.Iam verò idem eſt nomẽ Latinis,Imber, quod Græcis ὄμβρος,ſiue ὄμβρημα,mutata litera,o, in,i.Proinde meritò intelligendum erit, quomodo exponit Auguſtinus.Dicitur enim, ὄμβρος ab ἅμου καὶ ῥέω,hoc eſt,à ſimul fluere,quod etiam conuenit aquis ab imo ſcaturientibus.

m MISIT IN,&c.]Pro nomine,cynomia,apud Hebræos eſt עֲרֹב Arob,qđ interpretatur Hieronymus & hoc loco,& in Exodo,omnis generis muſcas: Alij,oĩs generis feras.Proinde Hieronymus ad Suniã & Fretillã,exiſtimat corruptè legi cynomiã pro cœnomyã.Nã κυνομυῖα Græcis eſt muſca canina: κοινομυῖα verò,cõis muſca:niſi velimus omnem muſcam dictã eſſe cynomiã ob eius impudẽtiam.

n DEDIT,&c.]Æruginis nulla fit mentio in Exodo.Eſt autem ærugo,propriè vitiũ æris,ſicut rubigo & ferrugo ferri.Rubigo tamẽ etiam ſignificat vitium ſegetum ex humore nimio contractum:atq; in ea ſignificatione pleriq; putant debere hic accipi æruginem. Confunditur enim ſæpe differentia quæ eſt inter æruginẽ & rubiginẽ. Verũ Hebraica dictio propriè ſignificat genus quoddam animalis arrodẽtis & vaſtãtis ſegetes,quod Hieronymus & alij vertẽt bruchũ.Eſt autẽm bruchus,locuſtarum ſpecies,alis tamen carens.Hoc itaq; animal aut ſimile accipi debet ſignificari nomine æruginis, ob id quod ſegetes perdat ſicut rubigo.

o IMMISSIONEM,&c.]Incertũ eſt an occiſio primogenitorum,de qua hic potiſſimũ fit mentio & aliæ plagæ Ægyptiacæ,inflictę ſint à Deo opera bonorum an malorũ Angelorum. Nam & per bonos Angelos huiuſmodi mala hominibus à Deo immitti patet & ex punitione Sodomitarum,& ex plaga exercitui Sennacherib illata,quã magis apparet factam per Angelũ bonum quàm malum. Et videri quidem poſſet plagas omnes Ægyptiacas Angelorum bonorũ opera inflictas,quia eorũm opera ſatis cõſtat ranas immiſſas, & aquã in ſanguinẽ cõuerſam,vt bene hoc loco Auguſtinus oſtendit. Nec obſtat qđ hic fiat mentio Angelorum malorũ, Mali enim intelligi poſſunt dici,non à malitia affectus,ſed à malitiæ pœnæ.Vnde & Euthymius:Malos,inquit,eos appellat hoc in loco,qa pœnas inferunt & ſupplicia.Et ex Hebræo multi vertũt:angelorũ noxiorum vel nocentium.Notandũ autẽ pro, immiſſionem,rectè verti potuiſſe legationem:Hoc eñ ſignificat dictio Hebraica,ita & Græca ἀποστολὴν ſignificat,& bene conuenit angelis,hoc eſt, nũtiis.

p DEDVXIT,&c.] Quidam libri habẽt,eduxit: alij deduxit,ſicut & notatur in gloſa ordinaria.At, deduxit,legendum cum Auguſtino,docent nõ tantum Hebræa,ſed & Græca, quæ habent ὡδήγησεν, deduxit.

q VIRGINES,&c.]Participium,lamẽtatę,paſſiue accipiẽdũ eſſe docet dictio Græca ἐπεθρήνησαν. Et Hebræum quoq; verbũ paſſiuũ eſt,ſed qđ verti debet: non ſunt laudatæ, epithalamiis ſcilicet,vt mos erat. Quo ſignificatur,virgines ſponſis ſuis morte abſumptis,non potuiſſe conſtitutis potiri nuptiis.In ſequenti autem verſu pro paſſiuo,plorabantur,magis cõueniebat verbum actiuum,plorabant.Nã quamuis dictio Græca κλαυθήσονται,vtrãq; ſignificationem admittat,Hebręa tantum actiuam recipit.Itaq; ſignificatur,viduas non fleuiſſe ſuorũ maritorum mortem,ſicuti mos habebat,quod ſimul cum illis mortuæ eſſent præ dolore.

r ET ÆDIFICAVIT,&c.]In gloſa ordinaria, & apud Liranũ legitur ſingulari numero,ſicut vnicornis,& accipitur ab eis vt ſit nominatiui caſus, cum ex Græcis cõſter ſingularem quidem numerũ magis conuenire,ſed in genitiuo caſu.Habẽt enim ὡς μονοκερώτων,tanquam ipſius vnicornis,Auguſtinus legit pluraliter vnicornium,& Hebræis eſt dictio pluralis,ſed ſignificans excelſa.ſ. palatia,proinde parum refert pluraliter legatur,an ſingulariter.

Pſalmus Aſaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXVIII.

PRæſenti pſalmo pr opheta ſub perſona populi Dei ad literam quæritur de calamitate illata Hieroſolymis à prophanis gentibus.Incertum autem,an de ea quæ ſub Antiocho,an quæ ſub Nabuchodonoſor contigit:Expoſita itaque gẽtium infidelium impietate & crudelitate,orat, vt diuina ultio à Dei populo auerſa in impias gentes effundatur,deiq; populus ab impiorũ violentia liberetur,ut ſic & impijs gentibus occaſio blaſphemandi Deum uerum eripiatur,& Dei populo occaſio laudandi dominum offeratur.Eſt autem myſticè hic Pſalmus,oratio conueniens eccleſiæ,contra externos ſuos hoſtes infideles,quos uel ab initio paſſa eſt,uel etiamnum patitur,& quos maxime ſub nouiſſimo Antichriſto ſentiet.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam,* polluerunt templum ſanctũ tuum, * poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.*

2 *Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas uolatilibus cœli,*carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.*

O Domine impiæ & infideles gentes iam inuaſerunt eum locum, & populum,quem in tuam hereditatem delegiſti,*prophanauerunt templum ſanctum tuum,ſine reuerentia illud vaſtantes,aut impiis ritibus contaminantes:*Ciuitatem tuam ſanctam Hieruſalem admodum magnificam olim,ſimilem fecerũt tugurio extructo ad pomorũ cuſtodiã,quod poſt decerptos fructus mox deſeritur & deſtruitur.Ita enim & nunc inclyta olim tua ciuitas & plena populis,ædificiis dirutis & incenſis,in aceruos lapidum redacta,ab omnibus deſeritur. Pſ. 78.

2 Dederunt cadauera ſeruorum tuorum volucribus aëris in cibum, & carnes eorum qui tibi ſanctificati ſunt,beſtiis terræ.

3 Vn

3 Effuderunt ſanguinẽ eorũ tanquam aquam in circuitu Hieruſalem,& non erat qui ſepeliret.*

4 Facti ſumus opprobriũ uicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.*

*5 Vſquequo Domine iraſceris in finem? *accendetur ut ignis zelus tuus?*

6 Effunde iram tuã in gentes,quæ te non nouerũt:& in regna quæ nomen tuũ non inuocauerunt.*

7 Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.

8 Ne memineris iniquitatũ noſtrarũ antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ,*quia pauperes facti ſumus nimis.*

9 Adiuua nos Deus ſalutaris noſter,& propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.*

10 Ne forte dicant in gentibus:Vbi eſt Deus eorũ? & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris.*

11 Vltio ſanguinis ſeruorũ tuorum qui effuſus eſt, introeat in cõſpectu tuo gemitus compeditorum.*

12 Secundum magnitudinẽ brachij tui poſſide filios mortificatorum.

*13 Et redde uicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum, * improperium ipſorũ quod exprobrauerunt tibi domine.*

14 Nos autem populus tuus & oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſæculum.

15 In generatione & generationem annuntiabimus laudem tuam.

3 Vndique per circuitum ciuitatis Hieruſalem,effuderunt ſanguinem eorum,ranquam aquam,in maxima ſcilicet abundantia,ita vt fluerent riui ſanguinis,†& ſine omni commiſeratione,ita vt ſuper effuſionẽ ſanguinis ipſorum non magis cõmouerentur,quàm ſuper effuſione aquæ: *nec quiſquam inuentus eſt qui occiſos ſepeliret,omnibus nimirũ vel occiſis,vel fugientibus,vel à ſepultura prohibitis per impios.

4 Itaque propter hæc dira quæ patimur,facti ſumus ludibrio vicinis noſtris,*irriſioni & ſubſannationi his qui habitant circum nos, idque non ſine ignominia nominis tui,cui nos fruſtra credidiſſe iactant.

5 Verum ô Domine quouſq; te ſic ſemper quaſi iratum nobis exhibebis?*quandiu iuſta tua indignatio contra nos accẽdetur,& deſæuiet ad modum ignis omnia conſumentis,& vorantis?

6 Effunde potius indignationem tuam in eas gentes,quæ non agnouerunt te,& in regna,quæ tuum auxilium nunquam imploraverunt,ſed proprias vires iactant,& falſos Deos inuocant.

7 Hæ enim gentes tuam vltionem promeruerunt;quia deuoraverũt & vaſtauerunt poſteros Iacob,*& locum habitationis eorum deſolatum fecerunt.

8 Ne quæſo in malum noſtrum memor ſis iniquitatum noſtrarũ, quas antehac vel patres noſtri vel nos commiſimus,* ſed his omiſſis,priuſquam nos apprehendant ea mala quæ commeruimus, priuſquam omnes pereamus,miſerationes tuæ multæ & magnæ ſubito nos præueniãt & præoccupent, *quia attenuati & miſeri facti ſumus vehementiſſimè.

9 Adfer itaque opẽ nobis,ô Deus ſaluator noſter,etſi non propter nos, qui tuum furorem noſtris peccatis demeruimus,* ſaltem propter gloriam magnifici nominis tui libera nos à malis,in quibus verſamur,& remitte peccata noſtra propter honorem nominis tui.

10 Ne ſcilicet aliquando homines dicant inter gentes incredulas,vbi iam eſt Deus illorum quem colunt:vel tam impotens, vt non poſſit:vel tam immiſericors,vt non velit ſuos iuuare?* fac quæſo potius vt nobis videntibus palam fiat in gentibus.

11 Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum,qui ab eis iniquè effuſus eſt, * ne repellas,nec deſpicias gemitum eorum qui in carcere tenentur captiui,ſed eum ſinas penetrare vſq; in conſpectum tuum,vt vindictam iuſtam,& opem quam petit,mox præſtes.

12 Pro magnitudine potentiæ tuæ quæſo Domine,nos occiſorum parẽtum filios,qui & ipſi cum eis morti deſtinati ſumus,tibi vendica, expulſis iniquis dominis in nos dominiũ vſurpantibus,noſque aſſertos,quaſi tuam hæreditatem & peculium cuſtodi.

13 Et vicinis noſtris maleuolis,qui ſe hoſtibus noſtris adiunxerunt,atq; de noſtra calamitate gloriantur,repende abundanter quod promeruerunt:*redde,inquam,illis quod meruerunt opprobrio ſuo quod exprobrando dixerunt contra te Domine.

14 Cùm autem hæc quæ petimus præſtiteris,vt te facturum cõfidimus, tunc nos populus tuus & oues,quarum tu prouinciam paſcendi ſumere dignatus es laudabimus te,& gratias agemus imperpetuum.

15 Per omnes generationes prædicabimus omnibus,quàm verè ſis diguus qui laudaris ab omnibus.

ANNOTATIONES.

CIrca hunc Pſalmum,qui difficultatem non habet in verbis aut ſententiis, non eſt opus annotationibus multis,niſi q notare conueniat Ier. cap.10.habere quoſdam verſus iſtius Pſalmi,vt videri omnino poſſit pertinere ad illius tempora & deſolationem,quæ facta eſt per Nabuchodonoſor. Sicut & Iſaias ſimilibus verbis precatur cõtra eãdem calamitatem quam ex ſpiritu præuidit,aut eã quæ ſuo tempore ab Aſſyriis Iudaico populo partim inferebatur, partim timebatur. Sic enim orat ca.64.Ne iraſcaris Domine ſatis,& ne vltra memineris iniquitatis,ecce reſpice,populus tuus omnes nos.Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta,Sion deſerta facta eſt,Hieruſalem deſolata eſt,&c.Sicut ergo hi prophetæ deprecati ſunt vaſtationem Hieruſalem,quam in ſpiritu præuidẽtes deſcripſerũt quaſi iam factam: ita mirum eſſe non debet, ſi & Aſaph propheta,cui hic Pſalmus tribuitur,& præuiderit futuram deſolationem, & pro ea quaſi iam facta orationis formam reliquerit.

In finem,pro his qui commutabuntur,Pſalmus pro Aſſyriis teſtimonium Aſaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXIX.

Eiusdem penè est argumenti præsens Psalmus cum superiori. Hic enim etiam propheta, in persona populi Israelitici ab Anthioco oppressi, aut (vt magis uidetur) in captiuitate Babylonica existentis, Dei auxilium & fauorem implorat: & quo efficacior sit oratio, ac in Deũ spes magis erigatur, priora Dei beneficia memorat, eáq; præsenti calamitati cõferri: sub uineæ allegoria exprimens, quomodo olim gloriosè populũ Israeliticũ eductum de Aegypto transtulerit in promissionis terram, ibiq; multiplicauerit, radicauerit, & glorificauerit super omnes per circuitũ nationes, cum nunc in prædã fiat omnibus hostibus per circuitum, quomodo uinea, cùm diruta fuerit maceria, à transeuntibus conculcatur, atque ab agrorum bestijs dissipatur. Propter quod in fine Deum precatur, ne quã gloriosè olim transplantauit uineã, prorsus deseratur, sed ut cõuersus perficiat quod cœpit in sua uinea, captiuitatemq; dissoluat. Et hæc quidem quantũ ad literalem sensum, præter què intelligendus est etiam Propheta hoc Psalmo sub temporali calamitate aut captiuitate, deprecari spiritualem humani generis captiuitatem, in scripturis sæpe per Babylonicã captiuitatem designatũ. Itaque dum precatur Deũ uenire, ostendere faciem suam, uisitareq; uineam suam, secundum spiritualiorem sensum, Messiæ in hunc mũdum aduentum precatur, per què humani generis captiuitas sub diaboli potestate soluatur, ac uinea Domini, hoc est ecclesia ante Christi aduentum penè desolata perficiatur. Ad exemplum autem ueteris populi, hic Psalmus etiam est conueniens Christianorũ ecclesiæ oratio, qua contra tyrannos atque hæreticos uineam Domini ex Aegyptiaca, hoc est, peccati seruitute liberatam, & per totum orbem diffusam depascentes, Dei opem & fauorem inuocet, ut pristinæ suæ dignitati & integritati restituatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Qui regis Israel intende, *qui deducis uelut ouem Ioseph.*

Pſ. 79.

O Domine, qui tanquam bonus pastor regere semper soles posteros Iacob, *qui velut oues deducere soles Israelitas tuos filios Ioseph vel ob id merito dicẽdos, quod eis ipse alter in Aegypto pater esses, alimenta eis præbens.

2 *Qui sedes super Cherubim, * manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse.*

2 Qui intra sancta sanctorum inuisibiliter tãquam omnium spirituum Dominus, sedes super Cherubin, *idq; ante tribus Ephraim, Beniamin, & Manasse, quæ in deserto ex tua constitutione occidentalem arcę partem claudebant: tu, inquam, Domine, qui sic nobis tuam præsentiã olim exhibere dignatus es, iam quæso te nobis manifestum fac tuam in nobis præsentiam allata ope declarans. a

3 *Excita potentiam tuam & ueni, * ut saluos facias nos.*

3 Potentiam tuam, quam iamdiu dissimulasti, exerc, & veni, *ad saluãdum nos à malis, in quibus versamur, atq; ab impiis oppressoribus quos ferre cogimur.

4 *Deus conuerte nos, * & ostende faciem tuam, & salui erimus,*

4 O Deus, qui nos ob peccata nostra à tua gratia & fauore reiecisti, iam quęso nos ad te conuerte, per tuam gratiam ab omni malitia cor nostrũ reuocans, atque sic in tuam gratiam nos recipiens: *quíq; iamdiu quasi dorsum nobis præbuisti iratus, modò nos ad te conuertens, placido vultu aspice, fauorémque tuum nobis exhibe, hoc enim si feceris, salui erimus ab omnibus his malis. Tam est enim efficax tuus vultus, vt mox salutem consequantur, eámque veram ac solidam, quos tuo sereno vultu aspexeris, tuóque fauore dignatus fueris.

5 *Domine Deus uirtutum, * quousque irasceris super orationem serui tui?*

5 Domine Deus, qui potestatem habes in omnes exercitus supernos, ac terrestres, *quamdiu iratus dedignaberis audire orationem populi, qui cultui nominis tui dicatus est?

6 *Cibabis nos pane lachrymarũ, * & potum dabis nobis in lachrymis in mẽsura.*

6 Quamdiu tu nos prę nimia calamitate coges lachrymas pro pane comedere, *quamdiu pro potu bibere nos facies meras lachrymas in maxima mensura? Vsquequo nos facies panem manducare, & bibere vinũ cum lachrymis? Durantibus enim his malis, neq; cibum, neque potum sine lachrymis sumere licet: imò ne libet quidem potum aut cibum sumere, sed potius, cùm edendum esset, lachrymari.

7 *Posuisti nos in contradictionem uicinis nostris, * & inimici nostri subsannauerunt nos.*

7 Constituisti enim nos tales, vt omnes vicini nostri iugiter nobiscum contendant, nósque maledictis incessant, * & inimici nostri deriserunt nos.

8 *Deus uirtutum conuerte nos, * & ostende faciẽ tuam, & salui erimus.*

8 Verum ô Domine Deus, qui potestatem habes in omnes exercitus, iam tandem conuerte nos ad te, tua gratia nos à malo reuocatos ad te trahens, atque in tuam gratiam recipiens, *& benignum tuum fauorem quem hactenus substraxisti, nobis exhibe: quod si feceris, mox salui erimus.

9 *Vineam de Aegypto trãstulisti,*

9 Id quo magis facias, in memoriam reuoca pristina tua beneficia nobis exhibita. Ecce enim populum Israeliticum, quem in vineam optimã tibi deligẽs, tanquam bonus agricola studiosè excolendũ suscepisti, vt eum longe lateq; crescere faceres, & fructum suauissimum ex eo reciperes: Hanc, inquam, vineã tu olim ex Aegypto, in qua multiplicari impediebatur, transtulisti, ad modum agricolæ studiosi, qui vineam, quam amat, de incommodo loco transfert ad locum commodiorem, * atq; vt hanc euulsam è terra Aegypti, plantares in terra vbi fructum tibi facere posset: eiecisti impias gentes, quasi spinas quasdam inutiles è terra sua, *atque in ea, illis eiectis, vineam tuam inseruisti. b

* *eiecisti gentes,*
* *& plantasti eam.*

10 *Dux itineris fuisti in cõspectu eius, & plantasti radices eius.*

10 Exhibuisti te ducem itineris ante faciem eius in columna nubis & ignis, vitæ tramitem ostendens, & inimicos eius ante eam prosternens,

* *& impleuit terram.*

neque solum eam in terram optimam introduxisti, sed in eãdem etiam fecisti firmas agere radices, dum, eiectis indigenis terræ, firmam illi sedem in ea terra dedisti. * Vnde etiam factum est, vt totã terram, quam accepit in possessionem, impleuerit, multiplicatis in ea supra numerum filiis Israel, tanquam quibusdam propaginibus fœcundæ vitis.

11 *Operuit montes umbra eius, * & arbusta eius cedros Dei.*

11 In tantam autem altitudinem excreuit hæc à te plantata vinea, vt vmbra eius montes obtexerit, * & rami eius cedros procerissimas ac maximas. Nam per te ita sunt in gloria & potentia exaltati Israelitæ, vt pleraſque suæ potestati gentes finitimas subiectas haberẽt, tribus quoque & cognationes: multi eam populi tui duces & reges, qui velut propagines erant vineæ tuæ, adeo sunt eleuati, vt altissima gentium regna, regesque eorum superarent, sibique subiicerent.

12 *Extendit palmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propagines eius.*

12 In tantam quoque latitudinem excreuit hæc vinea, vt ramos suos extenderit vsque ad mare occidẽtale ex parte vna, *& vsque ad flumen Euphratem ex parte altera.

13 *Vt quid destruxisti maceriam eius? * & vindemiãt eam omnes qui prætergrediuntur eam?*

13 Quare ergo nunc vineæ huius tam firmiter radicatæ, tũc exaltatæ & dilatatæ sepem, qua prius muniebatur, destruxisti? vt quid tuam protectionem quæ populo sepis & maceriei loco erat subtraxisti? * ita vt iam cum eo agatur, quemadmodum post dirutam maceriam cum vinea, quam vastant & decerpunt quotquot itet faciunt iuxta illam? Ita enim modò, destituente nos tua protectione, omnium volentium, omniumque vicinorum nostrorum direptioni & vastationi patemus, nemine scilicet eos prohibente à nobis.

14 *Exterminauit eam aper de ſylua, * et singularis ferus depastus est eam.*

14 Et quomodo vineam patentem non homines tantum depascuntur, sed & apri de sylua egredientes, aliæque feræ agri demolientes eam & conculcantes: ita & vineam tuam, populúmque tuum custodia tua destitutum depopulatus est hostis crudelis, & immundus, * qui ob c suam immunditiam & feritatem, sylueſtri apro ac porco agresti (quem singularem dicimus, quod ob summam feritatem aliis non misceatur) magis similis est quàm homini.

15 *Deus uirtutum conuerte, respice de cœlo, & uide * & uisita uineam istam.*

15 Tu itaque Domine Deus exercituum, qui iratus auertisti faciem tuam à nobis, iam tandem misertus vineæ tuæ, conuertere obsecro ad nos, respice de cœlo & vide quæ patitur vinea tua, benignóque eam vultu aspice: * quinetiam veni, & visita eam opem tuam illi afferens.

16 *Et perfice eam quam plantauit dextera tua. * & super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

16 Et quam non aliena manu, sed tua omnipotentia, quasi propria manu semel in optima terra plantare dignatus es, eam quæso iam dirutam pristinæ integritati restitue, * respice super populum tuum, quem in filium tibi cooptasti, sed qui tamen hominis est filius ex sese fragilis & miser quem olim tua virtute, atque ad tui nominis gloriam corroborasti contra inimicos ipsius. d

17 *Incensa igni & suffossa. * ab increpatione uultus tui peribunt.*

17 Ecce enim vinea ista tua incensa est igni, & suffossa, planéque nimia calamitate deuastata: * quod si autem eam respexeris, mox quotquot e eam demoliuntur, peribunt vel à sola increpatione faciei tuæ, hoc est, à toruo tuo in eos aspectu, atque iræ tuæ in eos declaratione. Neque enim ad perdendum hostes nostros magno tibi labore opus est, qui tam facilè eos perdere vales, quàm si quis hostes suos solo suo aspectu perdere posset.

18 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, * & super filium hominis, quem cõfirmasti tibi.*

18 Proinde adsit nunc omnipotentia tua populo quem tibi delegisti in virum, cui tua potentia mirabiliter adesse solebas, * & in filium tuum quem ex sua quidem conditione fragilem, & infirmum, tu olim tua virtute tibi corroborasti.

19 *Et non discedimus à te, uiuificabis nos, * & nomen tuum inuocabimus:*

19 Id cum feceris, Domine, non iam amplius discedemus à te, sed firmiter tibi adhærebimus, vbi tu nos ab hac morte viuificaueris, atque his malis liberaueris, * nos iam perpetuo in cultu & inuocatione nominis tui perſistemus, nullum iam alium Deum, præter te solum appellantes.

20 *Domine Deus uirtutum conuerte nos, * & ostende faciem tuam, & salui erimus.*

20 Itaque vt concludendo repetàm quod prius: Domine Deus, qui potestatem habes in omnes exercitus, nos quæso à te reiectos ad te cõuerte, in gratiam nos recipiens, * absconditámque tuam iamdiu faciem ostende fauorem tuum rursum nobis declarans. Id enim si feceris, mox salui erimus ab omnibus malis.

ANNOTATIONES.

CORAM EPHRAIM, &c.] Plerique hanc assignant rationem, quare harum trium tribuũ peculiariter fiat mẽtio, nempe quia olim in deserto fuerant in Occidentali parte tabernaculi habentes ante se arcã, in qua super Cherubin Dominus sedebat. Verũ secundũ hãc rationem videtur necesse, vt hęc oratio nõ coniungatur cũ verbo immediate præcedenti, manifestare, sed cũ præcedẽti qui sedes, &c. vt habet paraphrasis. Vnde Felinus in sua paraphrastica versione habet: qui es coram Ephraim, &c.

Alii dicũt harum tribuum nomine, ſignificari omnem Iſraelem, ſicut aliquando ſignificatur nomine Ioſeph, eo quòd hi eſſent filii Rachelis, præcipuæ vxoris Iacob. Secundum vtramque verò rationem in myſtico ſenſu rectè intelligitur per has tribus, populus Chriſtianus. Nam hic deſignatus eſt per eos qui caſtrametabãtur in occidentali parte arcę, eo quòd in fine ſæculi crediderit, & poſt aduẽtum Chriſti Deo coniunctus ſit. Per filios quoque Rachelis, quos ſimul cũ Rachele magis dilexit Iacob præfiguratus fuit: ſicut & per Rachelem eccleſia gentium ſignificata eſt, prius quidẽ ſterilis, ſed poſtea mater multorum filiorũ, magis à Deo dilecta, quàm vetus ſynagoga, propter quam etiam graui ſeruitute Chriſtus ſeruire dignatus eſt, vt eam ſibi in ſponſam copularet.

b VINEAM, &c.] Frequenter in ſcripturis nomine vineæ, populus Dei ſignificatur, vt Iſaiæ 5. Mat. 20. & 21. & alias, idque valde appoſitè. Primũ quòd vinea latius quam alię arbores ſuos ramos extẽdit. Deinde quod fructum & vberiorem & ſuauiorem afferat: Tum quod maiorem operam in ſui cultura requirat ab agricola, ſi fertilitatem ex ea expectet, ad ſignificandũ ſummam Dei curam & ſolicitudinem, quam impẽdit ſuo populo, vt fructum bonorum operum ſibi quouis vino gratiorem proferat. Præterea ℣ ſicut in vinea ſunt palmites fertiles, qui ab agricola purgantur, vt fructũ plus afferant, ſunt & infrugiferi qui auferuntur, ita & in Dei populo & eccleſia eius, boni pariter ſunt & mali.

SINGVLARIS, &c.] Non eſt ferus ſingularis, beſtia ſolitaria, vt plerique intelligunt, accipientes nomen ferus, ſubſtãtiue: ſingularis, vero adiectiue, ſed nomen, ſingularis, debet hic accipi ſubſtantiue pro certo genere animãtis aprini generis. Eſt enim Græcis non μόνος, ſed μονὸς ἄγριος. Nomen autem μονὸς, ſignificat quoddã genus porci ſyluestris, teſte Cęlio, qui li. 2. c. 39. ſic habet: Ariſtophanes grãmaticus: Sunt, inquit, ex ſuibus qui dicuntur monij, quibus ſimilis forſan fuerit, quem vocant chlunem, ſæuitia & moribus. Vnde lexicon Græcum, μονὸς, animal porcus ſyluestris, qui Latine ſingularis dicitur. c

ET SVPER, &c.] Filium hominis, & virũ dexteræ, noſtri fere Chriſtum intelligunt, qui ſibi hoc nomen quaſi proprium fecit, vocans ſe frequenter filiũ hominis. Iudæi intelligunt ipſum Zorobabel, aut totum populum, quæ poſtrema ſententia probabilior eſt, & ſimplicior, dum literã ſequitur, nec tamen ideo excluditur intelligentia de Chriſto, maxime dum totum Pſalmum myſtice intelligimus. Nam & Matthęus de Chriſto citat: Ex AEgypto vocaui filium meum, cum tamen ad literam de toto populo dictum ſit. d

AB INCREPATIONE, &c.] Hanc partẽ plerique aliter, quam habet paraphraſis intelligunt, in hunc ſcilicet modum. Iam vinea tua incenſa & ſuffoſſa eſt, ſi autem durauerit ira tua, peribũt omnes qui ſignificantur hac vinea, ab indignatione tua. e

In finem pro torcularibus, Pſalmus ipſi Aſaph quinta Sabbati.

ARGVMENTVM PSALM ILXXX.

PRæſenti Pſalmo exhortatur propheta populum Iſraeliticum, & potiſſimum miniſtros Dei Leuitas, ad celebrandum in lætitia feſtiuitates domini Dei, & maxime eam, quæ in prima die menſis ſeptimi erat ſolenniter celebranda cum clangore tubæ corneæ, & quoniam hæc inſignis ſolennitas fiebat in memoriam præteritorum beneficiorum Dei, & legis a Deo tubæ ſonitu datæ (propter quod Leuit. 23. dicitur ſabbatum memoriale) hinc appoſitè Deũ introducit beneficia ſua Iſraeli collata commemorantem, atque de fideli ac pura ſeruitute, quam ſibi velit impendi, cõteſtantem eis pene verbis, quibus in datione legis populum conteſtatus fuerat. Tum quid populus à neglectu dei acceperit mali, quantumque bonorum accipere potuiſſet, ſi ille dicto audiens fuiſſet, ſummatim perſtringit. In quibus omnibus & nos admonitos aduertere debemus ad celebrandum ſabbatum ſpirituale, & colẽdum ſerio Deum voce & opere, pro præſtita nobis ab eo per Chriſtum ſpirituali ex Aegypto liberatione, & vera ipſius cognitione per legem Euangelicam: in qua ſi deo obedientes fuerimus, multa, magnaque bona conſecuturi ſimus, nempe omnium hoſtium noſtrorum ſubiectionem, vitamque perpetuã, & eandẽ omnibus bonis abundantem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Exultate deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob.*

CVm exultatione laudate Deum, qui ſe adiutorem noſtrum frequẽter exhibuit, ac ob id merito à nobis cum exultatione laudandus eſt,* lætitiæ ſigna edite in honorem Dei Iacob. *Sal. 80.*

2 Sumite Pſalmum & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara.

2 Aſſumite in ore veſtro hymnos, quibus laudetis eũ: exhibete quoque tympanum, atque pſalterium iucũdum cum cithara, omnibuſque inſtrumentorum muſicorum generibus, vt in his cum voce humana perſonetur ſonitus lætitiæ. c

3 Buccinate in nęomenia tubæ, in inſigni die ſolennitatis veſtræ.*

3 Miniſtri Dei Leuitæ clangite tuba cornea in nouilunio, * illo quod eſt nobis dies inſigniter feſta, nempe in nouilunio menſis ſeptimi duplici nomine ſolenni.

4 Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob.*

4 Quia de ſolennitate hac ſic celebranda præceptum datum eſt in populo Iſraelitico:* & lex iuſta profecta à Deo Iacob.

5 Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud cũ exiret de terra Aegypti, linguã quam non nouerat audiuit.*

5 Hoc autem præceptum in teſtimonium & memoriam beneficiorũ ſuorum conſtituit Deus, poſteris Ioſeph, cum exiſſent de terra Aegypti * quando populus ille vocem audiuit prius inauditam, & auribus eius inſuetam, vocẽ ſcilicet Dei è mõte Sinai cum clãgore tubæ præcipiẽtis. a

6 Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus in cophino ſeruierunt.*

6 Quãdo & liberauit a geſtandis oneribus dorsũ eius,* manus enim eius ſeruierãt in cophinis, i quib⁹ portare cogebãtur lutũ, lateres, & paleas. Ob quæ duo præcipue beneficia, liberationis ſcilicet ex Aegypto & da

7 In tribulatione inuocaſti me, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis: probaui te apud aquã contradictionis.*

& datæ legis, hanc feſtiuitatem celebrari voluit.

7 Sic enim inquit Dominus: Cùm tu ô Iſrael in maxima conſtitutus eſſes tribulatione apud Ægyptios, imploraſti auxilium meum, & liberaui te: adimpleui tuas petitiones, cùm ego in columna nubis latens, tonitrui tempeſtate concitata, Ægyptiorum currus in profundum maris rubri ſubuerſis rotis agitarem, * Poſt hæc autem meæ tum potentiæ, tum bonitatis manifeſta indicia, feci aliquoties in deſerto periculum, num firmiter mihi crederes, quemadmodum (vt exempli gratia vnum proferam) cùm te probarem apud aquas, quæ ex tua murmuratione nomen acceperunt: vt dicerentur aquæ contradictionis.

8 Audi populo meus, & cõteſtabor te Iſrael, ſi audieris me, non erit in te Deus recẽs neque adorabis Deũ alienũ.

8 Super hæc etiam in monte Sinai obteſtatus ſum te, atque etiam hodie obteſtor, dicens: Audi populo meus, & commonebo te: Iſrael ſi obedieris mihi, nõ erit in te Deus aliquis nouus, neque veneraberis Deum alienum à me.

9 Ego enim ſum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, dilata os tuum, & implebo illud.*

9 Ego enim ſolus ſum Dominus Deus, qui eduxit te de terra Ægypti. * Quod ſi autem id feceris, aperi quantum velis os tuum, ac poſtula à me quicquid libuerit, & ego copioſiſſimè voti tui compotem te faciam.

10 Et non audiuit populus meus vocẽm meam, & Iſrael non intendit mihi.*

10 Ad hunc quidem modum ego eis conteſtatus ſum: Verum non obediuit populus meus voci meæ, * & Iſrael non acquieuit ſermonibus meis.

11 Et dimiſi eos ſecũdum deſideria cordis eorũ, ibũt in adinuentionibus ſuis:*

11 Propter quod permiſi illos ferri ſecundum praua deſideria cordis eorum, * atque à me permiſſi ſua ſecuti ſunt conſilia, ipſis perniciosiſſima, qui noluerunt ſequi mea ſaluberrima illis futura.

12 Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet.

12 Si enim populus meus obediſſet mihi, Iſrael ſi in præceptis meis conuerſatus fuiſſet.

13 Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam,*

13 Nullo itaque negotio ſtatim inimicos eorum perdidiſſem, * & ſuper tribulantes eos extendiſſem vltricem omnipotentiam meam ad perdendum eos.

14 Inimici dominũ mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula.*

14 Inimici domini coacti fuiſſent ſeruiliter fieri ſupplices populo eius, ac voluntariam ſubiectionem ſimulare, quantumuis inimicos geſſiſſent animos, * & vidiſſet populus Deus fœlicia tempora perpetuo. b

15 Et cibauit eos ex adipe frumenti, et de petra melle ſaturauit eos.*

15 Et cibaſſet eos Dominus ſemper medulla tritici: * & ad ſaturitatem vſque pauiſſet eos, melle tam abundè illis ſuppeditato, vt etiam de petris colligeretur, vbi abſque hominũ ſtudio vltro apes mellificaſſent.

ANNOTATIONES.

QVoniam in verſu tertio dicitur: Buccinate in nęomenia tuba: plerique putant hunc Pſalmum, adhortationem ad celebrandum Calendas ſingulorum menſium, quæ Iudæis ſanctæ erant. Verùm hanc ſententiam alii probabiliter refellunt. Primum, quia hic dicitur, in inſigni die ſolẽnitatis. Calendę autem ſingulorum menſium non erant Iudęis inſigniter ſolennes, nam quanquam in eis peculiaria ſacrificia offerri debebãt, vt patet Num. 28. nõ tamen in eis ab omni opere ceſſare debebãt ſicut nec hodie Iudęi in eis vacant. Vnde etiam Leuit. 23. inter ferias Domini ſanctas non computatur cum reliquis feriis. Secundo, quia quanquam Calendis omnium menſium tubis Iudæi vterẽtur, vt patet Num. 10. cap. non tamen tali tuba, quæ hic ſignificatur, vtebantur. Pro vocabulo enim, tuba apud Hebræos eſt dictio שׁוֹפָר Sophar, quæ non quamuis tubam, ſed corneam tantum tubam ſignificare ab Hebræis dicitur. In Calendis autem omnium menſium non tuba cornea, ſed tubis argenteis ductilibus vtebantur, quæ in Hebræo dicuntur חֲצֹצְרוֹת Haſoſeroth. Proinde probabilius dicitur, hunc Pſalmum adhortationem eſſe ad celebrandum primam diem menſis ſeptimi, qui Iudæis ſolennis erat, & tubæ corneæ vſu celebrabatur. Propter quod Nu. 29. diẽs clangoris dicitur & tubarum. Dicunt autem Hebræi huius diei feſtiuitatem inſtitutam fuiſſe cum ſono tubæ corneæ in memoriam liberationis Iſaac, quando aries cornibus ſuis hærens inter vepres, pro Iſaac immolatus eſt. Verùm hæc ratio cum ex ſcripturis omnino haberi non poſſit, nec his quæ in præſenti Pſalmo dicuntur conueniat, fabuloſa videtur. Dicitur autem hæc feſtiuitas Leuitici 23. Sabbatum memoriale: vtique propterea quod celebrari deberet in memoriam præteritorum. In quorum autem præteritorum memoriam celebrari debuerit hic Pſalmus ſatis iudicare videtur dum mentionem facit liberationis ex Ægypto, & conteſtationis diuinæ factę in monte Sinai, cum legem decalogi populo daret. Atque hęc videtur fuiſſe ratio, quare in hac die vſus fuerit tubę corneę, nempe quòd huius ſonitus auditus ſit cùm populo loqueretur, nam cum dicitur Exodi 19. populus audiſſe vocem buccinę: a apud Hebręos ponitur dictio שׁוֹפָר Sophar. Et quidem conuenienter prima menſis ſeptimi die, datio legis in memoriam reuocabatur, eo quòd decimo die eiuſdem menſis ob tranſgreſſam legem affligere deberent animas ſuas.

LINGVAM, &c.] Plerique iſtud intelligunt de lingua Ægyptiaca, quę Iſraelitis peregrina erat, intelliguntque hic ſignificari Iſraelitas in Ægypto peregrinos quòd in ea audirent idioma ipſis prius inauditum. Verùm cum idioma Ægyptiorum peregrinum & inauditum non fuerit Iſraelitis egredientibus de AEgypto, ſenſus is conuenientior videtur, quem explicat paraphraſis: ſecundum quem b in ſenſu myſtico per linguam inauditam fidelibus ex diaboli poteſtate liberatis, intelligenda eſt vox Euangelica, per quam inaudita prius toti mundo audita ſunt, vt de regno cœlorum, de adoptione filiorum, crucis virtute, &c.

INIMI

b INIMICI &c.] Omnia verba quæ ponuntur in his quatuor vltimis versibus apud Hebræos ponuntur in tempore futuro. Vnde sic verti possent: Si populus meus audiuerit me,&c. pro nihilo inimicos eorum humiliabo,&c. Inimici Domini mentientur ei,& erit,&c. & cibabit & saturabit.&c. Quoniam tamen in vltimo versu ad verbū, cibare ponitur vau conuersiuum futuri in præteritū,ideo constanter omnes pene ex Hebræo vertunt verba horum quatuor versuum per præteritum: Inimici mētiti fuissent,&c. quomodo etiam ex Græco duo vltimi versus verti possunt. Ponuntur enim in eis Aoristi primi, quemadmodum duobus versibus præcedentibus.vnde per idem tempus verti potuissent,vt intelligātur hi versus adhuc pendere à coniunctione,si. Proinde in nostra litera videtur negligenda ratio temporis, vt præterita indicatiui sint posita pro præteritis subiunctiui. Si tamen quis tempus vt legitur seruare vult,sensus erit: Inimicos Dei Iudæos sæpius mentitos Deo, quod non seruarint fidem promissam sæpius,atque ob id tempus punitionis eorum fore perpetuum, idque ob id quòd abundantia bonorum donati,adeo ingrati & rebelles facti sunt.

Psalmus Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXI.

PRopheta iudices terræ sui officij admonere & redarguere volens,quo efficacius id faciat,Deum facit in medio iudicum loquentem ac omnes vt iustitiæ studeant monentem,atque iniustitia eos redarguentem,atque vltionem male fungentibus suo officio prædicentem. Tum in fine,quoniam frustra ab hominibus iustitia expectatur,Deum inuocat,vt ipse surgat,& iudicet terram. Id quod Deus per Christum,cui omne iudicium datum est,iam fecit ex parte,& amplius in nouissimo die facturus est. Quare & de eius regno simul vaticinatur,omnes gentes in hæreditatem eius cessuras asserens. Secundùm sensum autem mysticum,plerique conuenienter hic intelligunt Prophetam vaticinari de Christo eam redargutionem,qua homo factus inter Scribas & Pharisæos vsus est,ac in fine,Christi resurrectionem precari,vt post eam iudicium vniuersæ terræ sisteret.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.*

DOminus Deus iudicum omnium summus præsens astat in congregatione iudicum terræ,qui eo quod diuino honore & officio donati sint,dij quidam terrestres sunt:* atque in medio astans,hos deos dijudicat, diligenter attendens si commissum sibi iudicium bene administrent,& de neglecto officio increpansac, dicens. Ps 81.

2 Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?*

2 Quamdiu vos,qui constituti estis vt iudicetis quod iustum est sine personarum acceptione, pronunciatis iniquam sententiam,* & vultus impiorum in iudicio honoratis,in gratiam eorum iustum iudicium deprauantes? a

*3 Iudicate egeno & pupillo * humilem & pauperem iustificate.*

3 Reddite potius iustum iudicium pauperi & pupillo, qui sine vestro auxilio impares sunt aduersarijs suis,* eos qui ab impijs iniuste affligūtur, nec seipsos suis viribus aut opibus defendere possunt,vos potestate vobis commissa innocentes declarate,iustitiæque patrociniū suscipite.

4 Eripe pauperem,& egenum de manu peccatoris liberato.

4 Quin & sententiam vestram,quam pro eis profertis,opere ipso exequamini,eripiētes pauperem & egenum;ac liberantes eum è violentia impiorum.

5 Nescierunt,neque intellexerunt,in tenebris ambulant.† mouebuntur omnia fundamenta terræ.*

5 Quanquam autem à me subinde admonerentur principes terræ non sunt tamen his admonitionibus sapientiores & prudentiores facti sed quasi in tenebris assiduè versantur,excæcati sua dignitate,vel auaritia,vel denique malitia,* propter quod breui omnes ipsi qui constituti sunt vt sint quasi quædam terræ fundamenta, mouebuntur, deiecti à suo gradu & dignitate.† Veniet quoque tempus iudicij mei, quo à fundamentis commouebitur terra, quando & ipsi commune cum aliis iudicium recipient. b

*6 Ego dixi,dii estis, * & filij excelsi omnes.*

6 Ego per Prophetas meos vocaui vos deos,& esse feci in terra quasi deos quosdam propter communicatam vobis potestatem iudicandi & vindicandi mihi propriam:* similes iudicaui angelis,qui tam chari fūt mihi, vt sint quasi filij mihi. Communem enim vobis potestatem gubernandi homines cum eis concessi,ac peculiarem vobis fauorem promisi.

7 Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.*

7 Verùm longe aliter vobis quam filijs Dei euenient,neque enim immortalitate donabimini,sed moriemini.sicut hi qui tantum sunt homines,quique inter homines sunt abiectissimi,* & quemadmodum vnus ex tyrannis gentium,à vestra dignitate cadetis præcipitati ad inferos, c

*8 Surge Deus, iudica terram, * quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

8 Dùm itaque frustra à iudicibus terræ iustum expectetur iudiciū, tu ipse Deus exurge ad iudicandum,& iudica tua institutia vniuersam terram.* Tu enim non in Iudæis tantum,sed & in omnibus gentibus hæreditatem cōsequeris,vniuersas gentes hæreditario iure possessurus: propter quod & competit tibi,vt iusto tuo iudicio vniuersam terram vindices, quemadmodum per Messiam tuū te facturum scimus,& rogamus qui & primo suo aduentu humanum genus redempturus est ab iniusto oppressore diabolo,atque æquissimis legibus suam ecclesiam moderaturus,& in secundo suo aduentu vnicuique redditurus secundum opera sua.

ANNO

ANNOTATIONES.

a FACIES PECCATORVM,&c.] Sumere faciē alicuius,phrasis est Hebraica: pro qua Græci fere semper habent πρόσωπον λαμβάνετε, vel προσωποληπτεῖν, vt est apud Iacobum. quod nostri vertunt: accipere personam quemadmodum & hic reddi potuisset, nam & hic ponitur πρόσωπα λαμβάνετε. Significat autem πρόσωπον faciem simul & personam. Hebræi,sumere faciem,vel eleuare faciem alicuius,vt ad verbum apud eos sonat,exponunt honorare alicuius vultum,quemadmodum & Hieronimus vertit Isaiæ 3. cap. vbi legitur honorabilem vultu pro quo in Hebræo ad verbum est,susceptum vel eleuatum facie: vbi in bonum accipitur, cum alias ferè vitium signet,quod Græci προσωποληψίαν nos personarum acceptionem dicimus, phrasi, vt patet,ab Hebræis derivata.

b MOVEBVNTVR,&c. Græca habent σαλευθήσαι, moueantur: Hebræa verò habent futurum, mouebuntur,sed quod potius per præsens vertendum erat,mouentur vel nutant, sicut quod præcedit per præsens versum est, in tenebris ambulant. Itaque sensus esset: hi qui constituti sunt vt sint terræ fundamenta, ipsimet nutant & vacillant,excidentes à Iustitiæ æquitate. Potest nostra litera & hunc cōuenienter habere sensum: Ipsi qui aliis præ lucere deberent,in tenebris ambulant, ideoq; tota firmitas terræ vacillat& c ōcidit. Vniuersus enim orbis vacillat,& omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur, vbi iudices nō funguntur officio suo.

c VOS AVTEM,&c. Hunc versum quidam intelligunt priori subiunctum ad reprimendam iudicum superbiam,ne ex versu præcedente audientes se esse deos,& filios Dei efferantur nimis. Itaq; sic cum superiori connectunt: Quamuis deos vos dixerim,scitote tamen quòd communi cum reliquis hominibus morte moriemini. Verum propositō Psalmi conueniētius fuerit,vt intelligatur hoc versu prædicere perditionem & humiliationem, quæ veniet iudicibus male fungentibus suo officio. vt opponatur versui superiori in hunc modum: Ego quidem vos deos esse feci, immortalitatis meæ facturus vos participes, verum quoniam commissa mea vobis potestate abusi estis,moriemini,sicut hi, qui non sunt dii,aut filii Dei:sed sicut hi,qui tātum sunt homines,qui à morte corporis amplius nō viuūt beate:aut erit mors vestra ingloria,sicut infimi alicuius ex hominibus. Potest & ex Hebræo verti per nomē proprium,vt vertit diuus Hieronymus: sicut Adam moriemini,hoc est, sicut Adam, cum tanquam Deus esset futurus immortalis, factus est mortalis peccato suo, ita & vos priuabimini immortalitate vobis parata.

Canticum Psalmi Asaph.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXII.

EX eo quòd in Psalmo hoc dicuntur multæ gentes contra Dei populum confœderatæ,et factæ in auxilium filiis Loth,probabiliter à plerisque putatur compositus contra hostes eos,qui cum Ammonitis & Moabitis filiis Loth venerunt contra Iosaphat in maxima multitudine,vt scribitur 2. Paralip 20. quanquam sint qui existiment editum fuisse occasione eius belli grauissimi,quod Dauid gessit cum Ammonitis,qui vndique sibi auxiliares copias parauerant.sed minus probabiliter. Itaque populus Dei conspiraſſ. ad expugnandum se gentes pler. sque cum Moabitis & Ammonitis confœderatæ,conqueritur:& orat vt sicut olim profecit sui hostes Madianitæ & Chananæi sub ducibus Gedeone & Baruch absumpti & deleti fuerant, ita & modo isti damna vltione penitus absumantur,quo superstites intelligant Deum Israelis, solum verum esse Deum in cuius potestate sint omnia. Est autem præsens Psalmus aptissima ecclesiæ orandi forma contra suos hostes,qui vniuersi per decem istas gentes ob denarij perfectionem significantur.

PARAPHRASIS EIVSDĒM.

*1 Deus quis similis erit tibi? * ne taceas, neque compescaris Deus.*

ODomine,cùm nemo sit tibi in potentia conferendus, * ne quæso diutius dissimules aut cesses,neque diutius tuam virtutem continеas;sed responde nobis, profer pro nobis iudicium contra hostes nostros & tuos. Ps 82.

2 Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput.*

2 Ecce enim iam inimici non tam nostri quàm tui magnum dedere sonitum congregati scilicet contra nos in multitudine,magnisque clamoribus contra nos perstrepentes: * & osores nominis tui iam extulerunt caput suum,superbè se contra te tuumque populum erigentes.

3 Super populum tuū malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.*

3 Contra populum tuum inter se malitiosè tractauerunt consilium, * & consultauerunt contra eos quos tibi sanctificasti.

4 Dixerunt,venite & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomē Israel vltra.*

4 Dixerunt inter se: Venite, ita extirpemus eos,vt amplius non sint gens:* nec vnquam amplius mentio fiat nominis Israelitici. a

*5 Quoniam cogitauerunt vnanimiter,simul aduersus te testamentum disposuerūt, * tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ.*

5 Quoniam omnes pariter vnanimi consensu conspirauerunt,aduersus te fœdus pepigerunt gentes quamplurimæ,* nempe Idumæi in tabernaculis habitantes,& Ismaelitæ.

6 Moab & Agareni,Gebal & Amon & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

6 Moabitæ quoque & filij Agar Gebalitæ & Amalethitæ, Philistæi, vnà cum habitatoribus Tyri.

*7 Etenim Assur venit cum illis * facti sunt in adiutorium filiis Loth.*

7 Quin & assyrij cum eis venerunt contra nos: * venerunt autem hi omnes iā nominati,vt essent auxilio Ammonitis,& Moabitis filiis Loth. b

*8 Fac illis sicut Madiam & Sisarę: * sicut Iabin in torrentem Cisson.*

8 Verùm tu illis fac,sicut olim fecisti Madianitis sub duce Gedeone, & sicut antea etiam sub ducibus Baruch & Deboræ feceras Sisaræ,* & exercitui Iabin regis Chananæi,iuxta torrentem Cisson.

9 Qui

9 Disperierunt in Endor. * facti sunt vt stercus terræ.
10 Pone principes eorum sicut Oreb & Zeb & Zebeæ & Salmana.
11 Omnes principes eorum qui dixerunt, * hæreditate possideamus sanctuarium Dei.
12 Deus meus pone illos vt rotam, * & sicut stipulam ante faciem venti.
13 Sicut ignis qui comburit syluam: * & sicut flamma comburens montes.
14 Ita persequeris illos in tempestate tua, * & in ira tua turbabis eos.
15 Imple facies eorum ignominia, * & quærent nomen tuum Domine.
16 Erubescant & conturbentur in seculum seculi & confundantur & pereant.
17 Et cognoscant quia nomen tibi Dominus, * tu solus altissimus in omni terra.

9 Qui perierunt in Endor, * & corpora eorum conculcata sunt vt stercus terræ, relictáque inhumata, vt computrescentia essent: quasi stercus terram impinguans.
10 Fac, inquam, principes hostium nostrorum similes Oreb & Zeb & Zebeæ & Salmana, principibus Madianitarum.
11 Omnes, inquam, principes hostium nostrorum, qui dixerunt: Venite, in hæreditatem possideamus eam terram, quam Deus Israelis sibi ad inhabitandum sanctificauit.
12 Deus meus, in quo solo mea nixa est fiducia, fac quæso sint tam instabiles in suis cogitationibus & actionibus, quam est rota, quæ continuè circumagitur, suisque consiliis præcipites ruant in propriam perniciem: * fac vt sint quasi leuissima & vilissima stipula, quæ à præsentia venti facillimè & subitò rapitur, & tollitur, vt sic & ipsi ab omnipotentia tua subitò dispergantur & disperdantur.
13 Sicut ignis syluam etsi viridem comburens: * & sicut flamma, quæ obuia quæque in cacuminibus montium deuastat inexitinguibili incendio.
14 Ita tu eos persequaris vi vltionis tuæ, quasi tempestate quadam abs te immissa, & per vindictam tuam ita eos conturba, vt nullo pacto consistere, nec vsquam se recipere valeant.
15 Perfunde vultus eorum pudore, * vt quærere cogantur placationem nominis tui domine, cui se opponunt.
16 Pudefiant frustrati sua expectatione, & perpetuo terrore conturbentur, ne se amplius populo tuo opponere audeant, imperpetuum etiã cõturbentur à sempiterna tua in eos vindicta. erubescãt & pereãt.
17 Et tandem vel inuiti cognoscant, quòd tibi soli verè competit nomen domini: * & quòd tu solus es altissimus, potestatem habens non in Iudæa tantum, sed super vniuersam terram.

ANNOTATIONES.

VNANIMITER, &c.] Ex Hebræis patet vtrumque aduerbium debere referri ad verbũ præcedẽs, vt aduerbium, simul, denotet gentium congregationem: vnanimiter verò, consensum.

GEBAL.] Quæ gẽs hoc nomine significetur, ex scripturis non satis patet, cum in eis nusquam hoc nomen legatur, nisi hoc loco. Septuaginta quidem montem eum, qui Deut. 27. dicitur Hebal, vocant Gebal mutato initio nominis, sed eum mõtem hic non significari satis certum est. Putant autem quidam hoc nomine significari ciuitatem quandã Syriæ, quæ nunc Gibil dicitur. Verum verisimilius est significari hoc nomine gentem quandam ex Idumæis, quę ad montem Seir habitarit. Nam Targũ Hierosolymitanum montem Seir vocat Gibala, & Gebalena regio dicitur esse Idumęorum. Et Genes. 36. Ebal dicitur esse filius Sobal, filij Seir, filij Edõ. Vnde probabiliter loco alicui nomen Gebal inditum est, mutato paululum nominis initio, quemad modũ in nomine montis Hebal fecerũt Septuagĩta. a

In finem pro torcularibus filiis Core Psalmus.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIII.

EIusdem est hic Psalmus argumenti cum quadragesimo primo, sicut & vtrobique in titulo filij Core ponitur. Proinde sicut illum quidam odium putant sub persona populi Israelitici, è captiuitate Babylonica cupidè desiderantis reditum in Hierusalem: ita & de præsenti Psalmo existimant. Verùm sicut ille verisimilius ad literam intelligendus est de Dauide summo desiderio cupiente reditum in templum Domini, cum ab eo propter coniurationẽ Absolonis abesse cogeretur, ita & iste, maximè cum in versu nono dicatur: Respice in faciẽ Christi tui. Exponit itaque vir sactus, à domo & arca Dei exclusus flagrantissimum suum desiderium adeundi locum sacrum, in quo Deus peculiariter coli voluit, ac fœlicitatẽ decernat, tum eorum quibus datum est habitare in domo Domini, tum eorum qui à Deo aditu suis tẽporibus eam domum adeunt. Deinde ad orationem conuersus petit voti sui compos fieri, de diuina benignitate sese sãcta fiducia cõfirmãs ac securum faciens. Cùm autẽ tabernacula illa & altaria veteris legis, cœlestis habitationis Dei figura fuerint: & Dauid ex ilium, exemplar quoddam eius exilij, in quo se agere pij homines queruntur, quandiu in hoc mũdo, excluſi à cœlesti patria, degere coguntur, mystice hic Psalmus accipiẽdus est, sicut & quadragesimus primus, vt congruat cuique pio homini summe desideranti, vt ex miseriis huius vitæ præsentis commigret in cœlestem Dei domum, perpetuo ibi Deum laudaturus: in cuius præsentis contemplatione & laude, vera hominis consistit fœlicitas. Ad quam Dei domum principalius etiam Dauidem, dum hæc caneret, respexisse dubium esse non potest, cum intelligeret materialia illa tabernacula tantum exemplaria esse verorum. Proinde Septuaginta ita hunc psalmum ex Hebræo verterunt, vt pleraque magis congruant sensui mystico, quam literali, vt quod dicitur: Habitantes in domo Domini, in secula seculorum laudabunt te, cum pro, in secula seculorum ex Hebræo etiam verti potuisset, vsq;, vel semper.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum,

OQuam sunt amabilia habitacula tua Domine exercituum, * ob amorem certe eorum tanto desiderio fertur anima mea ad atria Domi PSAL. 83.

* concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.
2 Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.
3 Etenim passer inuenit sibi domũ & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos.
4 Altaria tua Domine virtutum, * rex meus & Deus meus.
5 Beati qui habitant in domo tua Domine, * in secula seculorum laudabunt te.
6 Beatus vir cuius est auxilium abs te, * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in locum quem posuit.
7 Etenim benedictiones dabit legislator, * ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.
8 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.
9 Protector noster aspice Deus, * & respice in faciem Christi tui.
10 Quia melior est dies vna in atriis tuis super millia.
11 Elegi abiectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
12 Quia misericordiam & veritatẽ diligit Deus, * gratiam & gloriam dabit Dominus.
13 Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia. * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Domini, vt præ nimio illorum desiderio, & ad factam eorum mentionem penè deficiat, vt vix apud se permaneat.
2 Cor meum, & ex redundantia cordis simul quoque caro mea in tui nominis memoria sese cum exultatione oblectauerunt, summóque affectu gestierunt peruenire ad te Deum viuum. Nam propter te solum, tuámque præsentiam, spiritus & caro mea concupiscit atria & tabernacula tua.
3 Siquidem etiam passer, animal paruum & fragile, inuenit sibi habitationem: & turtur nidum sibi, vbi reponat pullos suos, ne pateant voracitati rapacium animalium. a
4 Ad eum itaque modum ego quoque fugitiuo passerculo, ac turturi gemebundo similis, altaria tua inuenire cupio, vt iuxta hæc in dulcedine spiritus conquiescam, & ab omni malorum incursu securus degam, * ô Domine exercituum, qui mihi rex es & Deus.
5 Fœlices enim sunt, quibus datum fuerit habitare in domo tua Domine, * siquidem hi semper laudare te poterunt, tua nimirum benignitate semper illis suppeditante materiam laudis tuæ, in qua summa hominis consistit & voluptas, & fœlicitas.
6 Fœlix tamen etiam est, qui etsi nondum habitare in domo tua potest, tamen auxilium omne suum abs te expectat, atque in te omne robur suum constituit, & hoc auxilio confisus, etsi constitutus in loco humili ac miseriarum pleno, quasi in valle quadam lachrymarum, disposuit tamen apud se ascendere ad eum locum, quem constituit sibi Dominus in habitationem. b
7 Fœlix, inquam, etiam talis est. Nam ipse Dominus, qui legem dedit, & certum sibi locum delegit, ad quem omnes vult ascendere, his qui tales sunt varias benedictiones gratiæ suæ largietur, * perque eas benedictiones progredientur de fortitudine in fortitudinem, facti indies seipsis robustiores: sicque tandem peruenient in montem Sion vbi ab eis palam videbitur Deus Deorum, quem quærunt. c d
8 Proinde cùm ego in hoc misero degens exilio, auxilium meum in te collocarim, atque per te adiutus ascẽdere ad tabernacula tua disposuerim, exaudi quæso Deus exercituum orationem meam, admitte ô Deus Iacob precẽ meã, qua vnicè cupio ad tabernacula tua peruenire.
9 Protector noster ne quæso iratus vultum, fauorẽmq; tuum auertas à me, sed benigno tuo vultu aspice in me, fauorẽ tuum mihi declarans, * & cùm ego faciem meam sublatam habeã ad te, expectans auxilium à te vnico, tu vicissim clementer intuere in faciem meam quem tua benignitate in regem vnxisti.
10 Meritò enim tanto desiderio deprecor accessum in atria tua. Quia melior, optabilior, atque iucundior est dies vna in atriis tuis, quàm mille dies siue in hoc miseriæ & exilij loco, siue quocunque alio loco.
11 Itaque elegi potius abiectus esse in domo Dei mei, & vel infimum ostiarii munus obire, * quam habitare in splendidis tabernaculis peccatorum, qui per fas atque nefas diuitias colligentes, omnibus huius mundi bonis atque voluptatibus perfruuntur. e
12 Et certe quod tantopere desidero, me consecuturum securus confido. Quoniam enim Dominus misericordiam & fidilitatem diligit, seruans ea in cunctis suis operibus. * ideo secundum suam misericordiam & promissionem dabit & gratiam & gloriam confidentibus in se. Gratiam quidẽ, qua & sibi, & bonis omnibus amabiles sint ac gratiosi: Gloriam vero eximiæ sanctimoniæ, & tandem fœlicitatis sempiternæ. f
13 Non negabit desiderata bona iis qui viuunt in simplicitate & integritate. Propter quod meritò cum exclamatione dicere licet concludendo: * Domine exercituum, omnibus modis fœlix est ille homo, qui, omnibus aliis posthabitis, spem suam collocat in te.

ANNOTATIONES.

a ETENIM, &c.] Hos duos versus quidam sic ordinant vt accusatiuus, altaria tua, appositiuè iungatur cum accusatiuis, nidum & domum: intelliguntque Prophetam conqueri, quod cùm auibus datũ sit circa altaria Dei nidos habere, sibi iuxta ea versari nõ detur. Pro turture autem vertunt, hirundinem, quod dictionem Hebraicam magis significare dicũt, & huic sensui magis conuenit, nam hirundines circa templa habitare solent. Verùm cùm non sit verisimile aues sibi nidos facere potuisse in tabernaculis & altaribus Dei, (nõdũ enim Dauidis tempore templũ Deo extructũ fuerat) meritò sensus ille multis non placet. Proinde sunt plerique, qui turturem & passerem hic accipiunt mystice pro anima hominis iusti, cui ad modũ passeris laquei tenduntur, quique ad modũ turturis in malis suis ingemiscit solitarie degens. Hunc itaq; intelligunt sibi domũ inuenisse & nidum in ipsis Dei altaribꝰ in quibus requiescat. Verũ magis appositꝰ erit sensus, si pars ea, altaria, &c. accipitur per reticentiã, quæ intẽse aliquid desiderãtibus valde congruit, & frequẽs est. Hãc autẽ quidã sic absoluit: Passer

ſer inuenit, &c. ego verò inuenire nequeo altaria tua. Alii vt habet paraphraſis.

b IN LOCO,&c.] Græca ἐις τόπον, hoc eſt in locum quem poſuit: quemadmodum & legit & interpretatur D. Auguſtinus, qui intelligit virũ, de quo loquitur, aſcẽdere ad locum, quem Deus poſuit. Pſalterium Romanum habet: in locum quem diſpoſuiſti ei. Itaque primùm dicit eum beatum, qui in domo Dei habitat. Secundò eum qui etſi in eo non dum habitet, & ab ea excluſus ſit, tamen ad eam aſcẽdere diſponit: idque non ſuis nixus viribus, ſed Dei fretus adiutorio. Porro per vallem lachrymarum, in ſenſu literali intelligitur locus miſeriarum: qualis is erat, in quo exul tũ agebat propheta Dauid. In ſenſu autem myſtico, vallis miſeriarum, totus hic mundus eſt, qui vallis quædam eſt, ſi ad altitudinem cœlorum referatur. Pro nomine autem, loci apud Hebræos nunc legitur בְּעֵמֶק Mahian, quod fontem ſignificat. Vnde vertit Hieronymus: Tranſeuntes in valle fletus fontem, ponent eam. Septuaginta verò legiſſe videtur בְּעֵזֶק Maon, vau ſcilicet pro Iod, quod nomẽ locum ſignificat refugii, alias frequenter verterunt refugium & habitaculum.

c ETENIM,&c.] Græca & Hebræa habent pluraliter, benedictiones, vt ſignificentur varia Dei dona, & benedictionum eius copia. Et ſcripta quædam noſtra habent pluralem numerũ, vnde & Biblia Louanien. habent in contextu, benedictiones.

d IBVNT.&c.] Non eſt hic Græcis ἀφετὴ, ſed nomen *Δύναμις*, quod fortitudinem ſignificat, ſic & Hieronymus vertit ex Hebræo.

IN TABERNACVLIS,&c.] Non eſt hic Hebræis eadem dictio, quę prius, cùm dicitur de tabernaculis Dei: quàm dilecta tabernacula, &c. quãuis Græcis vtrobique eadem ſit dictio. Nam hic ponitur dictio אֹהֶל ohel, quæ propriè tabernaculum & tentorium ſignificat: Ibi verò מִשְׁכְּנוֹת miſcenoth quod propriè ſignificat habitaculum, vt non inepte hic quidam philoſophentur in nomine tabernaculi, intelligentes peccatorum habitationes non eſſe firmas & ſtabiles.

QVIA,&c.] Hebręa habent: quia ſol & ſcutum Dominus, ſecundum quam lectionem iſtud accipi poteſt vt cauſa ſuperioris, vt ſignificet ſe ideo elegiſſe habitare in domo Domini, quod ipſe ſit habitantibus in ea ſol illuminans, & depellens eorum tenebras, & ſcutum protegens ab omni malo. Noſtram lectionem ita multi accipiunt, vt coniunctio, quia, accipiatur tantum affirmatiue pro, & certe. Conuenienter tamen accipi poteſt, vt coniunctio, quia, cauſam indicet ſequentis, vt habet paraphraſis. Secundum quã connexionẽ recte duo illa, quæ ponuntur in ſecunda parte, accipiuntur reſpõdere præcedẽtibus duobus, gratia ſcilicet miſericordiæ, gloria veritati & iuſtitiæ. Gratia enim quæ gratis datur, ex Dei procedit miſericordia: gloria vero, quę datur bene operantibus, ex Dei iuſtitia, quamuis etiam in vtroque vtraque concurrat.

In finem filij Core Pſalmus.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIIII.

PRæſentem Pſalmum Iudæi accipiunt, vt ſit vaticinium & precatio liberationis è captiuitate Babylonica. Verùm cùm neque peccatorum omnium remiſſio, neque pax quæ hic promittuntur, obuenerint redeuntibus ex ea captiuitate, non poteſt ad eam liberationem Pſalmus referri, aut ſaltem non principaliter, ſed ad eam, quæ per Chriſtum humanum genus liberatum eſt è dura peccati ac diaboli ſeruitute, veraq; pace donatum: quamuis veriſimile ſit de hac redemptione Prophetam hic prophetaſſe ſub figura & typo illius è Babylone liberationis, in qua & humani generis captiuitatem ſpiritualem & liberationem adumbratam videbat, quemadmodum & Iſaias cap. 45. dum precatur: dicens: Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: Aperiatur terra, & germinet &c. humani generis liberationem principaliter precatur, ſed ſub typo liberationis è captiuitate Babylonica, de qua ante hæc verba & poſtea apertè loquitur. Principio itaque huius Pſalmi Propheta vtens verbis præteriti temporis, ob euentus futuri certitudinem, vaticinatur humani generis redemptionẽ per Chriſtum futuram: deinde & pro eadem precatur, ac rurſum venturam eam aſſerit per Dei miſericordiam, veritatem & iuſtitiam, quæ in aduentu Chriſti toto orbi declarandæ erant. Dum autem à nobis hic Pſalmus pronunciatur, hoc tempore, quo adimpleta ea ſunt quæ hic ventura prædicuntur ſub verbis præteriti tẽporis, ſic accipiendus eſt, vt precemur ſalutis præſtitæ olim mundo per Chriſtum participes fieri. Deiq; iram, quam noſtris peccatis mereremur, à nobis auerti.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Benedixiſti domine terrã tuam, auertiſti captiuitatẽ Iacob.
*2 Remiſiſti iniquitatẽ plebis tuæ, * operuiſti omnia peccata eorum.*
*3 Mitigaſti omnem iram tuam, * auertiſti ab ira indignationis tuæ.*
4 Converte nos Deus ſalutaris noſter,
** & auerte iram tuam à nobis.*
5 Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

CErto certius tu Domine terræ tuę benefacies diſſolues enim captiuitatem populi tui. pſ.84. a
2 Remittes iniquitatem plebis tuæ, *teges tua benignitate omnia peccata eorum, non amplius memor eorum ad vindicandum.
3 Sedabis iram tuam, qua noſtris iniquitatibus offenſus fuiſti, *auerte ab ira indignationis tuæ, ab ira & vltione grauiſſima, quam commeriti ſumus, atque ad miſerendum & benefaciendum nobis pertranſibis.
4 Id quo quam citiſſimè facias te toto corde precamur, dicentes: O Deus ſaluator noſter converte quæſo nos ad te, tua gratia nos recipiẽs, *& ne amplius nobis iraſcaris, vt hactenus iuſtè iratus fuiſti.
5 Num enim imperpetuum iraſceris nobis, aut protendes iram tuam per omnes generationes?
6 Ita ſane naturali tuæ miſericordiæ non conuenit, ſed potius tu ad nos converſus, benignóque tuo vultu reſpiciens, & in gratiam recipiens, viuifica nos: *id cùm feceris, plebs tua lætabitur in tua benignitate.
*6 Deus tu converſus viuificabis nos: * & plebs tua lætabitur in te:*

7 Fac

7 Oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.
8 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:
** quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.*
9 Et ſuper ſanctos ſuos & in eos qui conuertuntur ad cor.
10 Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius,
** vt inhabitet gloria in terra noſtra.*
11 Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi:
** iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.*
12 Veritas de terra orta eſt,
** & iuſtitia de cœlo proſpexit.*
13 Etenim Dominus dabit benignitatem,
** & terra noſtra dabit fructum ſuum.*
14 Iuſtitia ante eum ambulabit,
** & ponet in viagreſſus ſuos.*

7 Fac Domine experiamur miſericordiam tuam quam pollicitus es. & ſalutem tuam exhibe nobis.
8 Auſultabo quid inſpiraturus ſit mihi dominus Deus, *certo enim ſcio, quod ſua inſpiratione loquetur in me ſuper populo ſuo ea quæ ad pacem & fœlicitatem eius pertinebunt.
9 Super populo, inquam, ſuo, hoc eſt, ſuper ſanctis ſuis & electis, & ſu per his, qui à depoſita malitia, ob quam Dei iram inciderunt, redeunt ad cor ſuum, meliora proponentes.
10 Et certè propinqua erit colentibus eum ſalus ipſius, * qua fiet, vt non perfunctoriè perambulet terram noſtram, ſed eam inhabitet gloria maieſtatis & bonitatis diuinæ, quæ nobis præſens facta, magnum terræ noſtræ priùs maledictæ decus & ornamentum eſt allatura.
11 Tunc miſericordia Dei, & eius in præſtandis promiſſis veracitas mutuo ſibi obuiam fient, in ſalute ea quæ præſtabitur, ſimul concurrentes, dum & gratis deus ſuis ſubueniet, & quæ promiſit adimplebit. c
* Iuſtitia dei, quam ſeruat in ſuis promiſſis, & pax ab eo terræ præſtita, ſecundum ſua promiſſa tunc ſimúl conuenient in mundo.
12 Dei veracitas de terra progerminabit fructum ſuum, hoc eſt, promiſſam ſalutem, & omnis boni abundantiam in terra, & hominibus terram habitantibus proferens, * & iuſtitia dei, quæ diu latuerat, è cœlo proſpiciet, deo ſcilicet ſecundum promiſſorum ſuorum iuſtitiam nobis ſubueniente.
13 Dominus enim è cœlo benignè faciet terræ noſtræ, gratiæ ſuæ benedictionem infundens in eam, *atque ſic terra noſtra, quæ prius cœlo clauſo, nec ſtillanti in eam, ſterilis fuit, dabit fructum ſuum, diu ex ea deſideratum, ſaluté ſcilicet & ſaluatorem mundi, & per ipſum iuſtitiæ ac bonorum operum in hominibus vbertatem.
14 Iuſtitia dei coram ipſo fœliciter ingredietur, & ad peruagandum vniuerſam terram alacriter ſeſe parabit. non enim ſemper differet venire dominus ad ſaluãdum nos veniéſque nihil ex iniuſtitia aget, *ſed iuſtitiam ſuam ſemper ob oculos habebit in omnibus quæ acturus eſt, atque ſecundum eam promptè in vniuerſo orbe diffundet quam promiſit ſalutem, populi ſui hoſtes pro ſua iuſtitia profligans atque humilians.

ANNOTATIONES.

a BENEDIXISTI.] Caietanus motus verbis his præteriti tẽporis, hos tres primos verſus intelligit de liberatione Iſraelitici populi ex Ægypto. Lyra de liberatione è captiuitate Babylonica, & verſibus ſequẽtibus liberationem humani generis precari & vaticinari. Simili fere modo Valentia, qui tribus primis verſibus intelligit generaliter cõprehendi liberationes frequenter exhibitas populo veteri. Verùm quoniam circa finẽ Pſalmi, Propheta redẽptionẽ humani generis vaticinatur per verba præteriti temporis, dum dicit: Miſericordia & veritas obuiauerũt ſibi, & melius intelligitur etiã his verſibus eandem vaticinari, vt præterita accipiãtur pro futuris, quemadmodum circa finem ſecũdum omnium interpretationem accipienda ſunt. Porro pro verbo, Benedixiſti, Græcis eſt εὐδόκησας, hoc eſt bene voluiſti, vt etiam habent Hebræa.

b DEVS TV CONVERSVS.] Græcis participium medium ἐπιστρέψας, quod poteſt verti vel actiuè, conuertens, vt habet lectio Auguſtini, vel paſſiuè, converſus, vt nos legimus: & eodem redit nam etiamſi actiuè legatur, magis cõuenit intelligere: Tu conuertẽs te ad nos. Hebræa enim habẽt Tu reuerteris.

c ET IN EOS QVI CONVERTVNT.] Græca paulò aliter, καὶ ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ' αὐτὸν, & ſuper eos qui conuertunt cor ad ipſum. In quem modum habet Pſalteriũ vetus, quo vſus eſt Auguſtinus. Pſalteriũ Romanum: & in eos qui conuertũtur ad ipſum. Apparet noſtram lectionem miſtam eſſe ex duplici hac lectione.

d MISERICORDIA ET VERITAS.] Hos verſus plerique variè interpretãtur. Quidam enim per miſericordiam & veritatem, intelligũt virtutes quæ per aduentum Chriſti paſſim in toto orbe obtinuerunt, atque ob id dictas eſſe ſibi has obuiare, mutuata ſimilitudine ab hominibus ſibi inuicem occurrentibus: quod cum paſſim fit, magna eſt hominum frequentia. Alij de miſericordia & veritate accipiunt, quæ in Chriſto conuenerunt, quemadmodum & in verſu ſequente per veritatẽ Chriſtũ intelligũt natum de virgine incorrupta, & ad modum terræ, cœlitus fœcundata & irrigata. Verùm ſi diligenter in Pſalmis obſeruemus, dum hæc duo Pſalmiſta coniũgit, de Dei miſericordia & veritate in præſtandis promiſſis loquitur. Quomodo autẽ intelligi debet quod ſequitur: Veritas de terra orta eſt, &c. ſimilis locus apud Iſaiã docebit, cap. 45. vbi ſic habet Hebraica veritas: Rorate cœli deſuper & nubes ſtillent iuſtitiam. Aperiat ſe terra, & ſuccreſcãt ſalus & iuſtitia, quas illa germinare faciat ſimul, ego Dominus creaui eum, nẽpe Cyrũ, de quo prius facta eſt mentio. Hieronymus verò pro, iuſtitia, primum vertit, iuſtum: & pro ſalute, ſaluatorẽ: volens Chriſtianis magis commendare huiuſmodi verſione myſterium redemptionis humanæ hic inſinuatum. Teſtatur autem in commentariis, quoſdam hũc locum intelligere de relaxatione captiuitatis Babylonicæ, de qua prius apertè fit mentio, & mox poſtea. Qui autem ſic intelligũt (vt ad literam videtur debere intelligi, quamuis ſub litera etiam inſinuetur liberatio ſpiritualis) vtique debẽt accipere de Dei iuſtititia, quæ tunc è cœlo pluit & é terra naſcitur, dum quã promiſit Deus ſalutem è cœlis, in terra hominibus præſtat. Mutuata eſt enim ſimilitudo & metaphora à copia frugum, quæ copio

se & fœliciter proueniunt, vbi fœcunditati terræ respõdet cœli benignitas. Porro intellectum vltimi versus, quem varie diuersi enarrant, docet similis locus in Psalmo 88. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: quo intelligunt omnes significari, Deum in omnibus quæ agit seruare misericordiam & iustitiam, secundũ illud: Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas. Porro pro ἀνατεῖλαι hoc est, orta, Hebræis est verbum quod significat progerminare. Vnde, oriri, nõ potest hic accipi, vt significet talem ortum quo solẽ oriri dicimus, sed quo herbam dicimus oriri terra. Irenæus lib. 3. cap. 5. intelligit per illud: Veritas de terra orta est, significari & natiuitatẽ Christi ex virgine, & resurrectionem ex mortuis.

Oratio Dauid

ARGVMENTVM PSALMI LXXXV.

VIR sanctus impiorum persecutionibus pressus, variis primum rationibus Deum ad audiendum se flectere studens tum demde duo precatur, nempe deduci in via mandatorum Dei, eo quod sciat se à Deo non derelinquẽdum, quam diu innocenter vixerit: & liberari ab insequentibus se hostibus suis, interserens etiam orationi suæ vaticinium de regno Christi, ac gentium vocatione. Apparet autem occasione persecutionis Saulis hãc orationem Dauidem fudisse ad Deũ, & id quidem, vt ferè semper, in typo Christi, qui de se verissimè dicere potest. Sanctus sum, & eruisti animam ex inferno inferiori. Ad cuius tamen exemplum Psalmus hic, oratio est communis omni viro iusto, pro impetrãda vitæ innocentia, & liberatione ab hostibus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Incina Domine aurem tuam, & exaudi me,
** quoniam inops & pauper sum ego.*
2 Custodi animam meam quoniam sanctus sum,
** saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te:*
3 Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die.
** lætifica animam serui tui, quoniam ad te domine animam meam leuaui:*
4 Quoniam tu Domine suauis & mitis & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te.
5 Auribus percipe domine orationem meam,.
** & intende voci deprecationis meæ.*
6 In die tribulationis meæ clamaui ad te.
** quia exaudisti me.*
7 Non est similis tui in dijs domine.
** & non est secundum opera tua.*
8 Omnes gentes quascunque fecisti venient:
** & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*
9 Quoniam magnus es tu.
** & faciens mirabilia tu es Deus solus.*
10 Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua:
** lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.*
11 Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo
** & glorificabo nomen tuũ in æternum.*
12 Quia misericordia tua

CVm, ò Domine, mea humilitas tuam altitudinẽt attingere nequeat. Pſ. 85.
inclina quæso aurem tuam ad precem meam, mihi condescende atque ad audiẽdũ te facilem præbe, & exaudi me,* primũ quidem hoc nomine, quod afflictus & omni humano præsidio destitutus sim ego.

2 Animam meam, nẽ incidat in manus inimicorum, quæso custodi, etiam ob id quia sanctitati ac virtuti deditus, sum, innocẽter me gerens cum hostibus meis, tibique soli in omnibus placere studens: * saluum fac me seruum tuum Deus meus, ob hanc etiam causam, quod omnem meam spem in te collocarim.

3 Miserere mei Domine vel ob orationis meæ perseuerantiam & intentionem. Ego enim toto affectu tuum auxilium assiduè imploraui, * proinde exhilara animam serui tui in his malis mœrentem, quoniam ad te vnicum animam meam leuaui, à terrenis rebus, in quibus nulla mihi est salus, eam attollens, téque solum cogitans.

4 Ideo autem sic assidue tè inuocaui. Ideo quoque vt præter dictas causas mei miserearis conuenit tibi: Quoniam tu Domine benignus es & clemens, & multus in misericordia erga omnes qui tuum auxilium inuocant.

5 Ausculta itaque Domine ad orationem meam,* & attende ad intensum clamorem deprecationis meæ.

6 Quotiescunque enim aduersi aliquid mihi accidit, tuam opem imploraui, sicut & in hac calamitate mea ego te inuoco,* ob id quod semper exaudire me solitus sis, quare & iam secundum solitam tuam misericordiam conuenit me exaudire.

7 Accedit ad hæc tua omnipotentia, qua quod peto non fuerit præstare difficile. Non est enim quisquam vel inter deos gentium, vel inter angelos, aut homines potẽtia aliqua pollentes, conferendus tibi in potentia.* & nonest aliquid factum ab aliquo simile operibus tuis.

8 Quare futurum est, vt exteræ omnes nationes, quarum omnium tu autor es, prouocatæ operum tuorũ magnitudine veniãt ad te,* & supplices tibi fiant, & magnificent nomen tuum.

9 Quando quidem magnus es tu,* soluſque tu es Deus ille qui mirabilia designas

10 Vt ne autem à te iustè derelinquar violentiæ hostium meorum, de duc quæso me Domine in via mandatorum tuorum, vt eam intelligam & velim, atq; in ea semper versẽr: fac vt ingrediar in æquitatẽ præceptorum tuorum * fac vt in hac re sit vnicum vel præcipuum gaudium cordis mei, vt reuereatur nomen tuum, scilicet vt timor ac cultus nominis tui non sit spiritui meo grauis, sed lætitiam potius menti adferat, & vnicè me oblectet.

11 Cùm autem quam peto ab his malis liberationem mihi præstiteris ego non ingratus celebrabo te toto pectore meo, & imperpetuum laudibus efferam nomen tuum.

12 Ob id quod misericordia tua magna declarata sit in me,* quódque e ueris animam meam è summis periculis in quibus versabar, ac veluti eg inferisad superos reuocaueris.

mana est super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

13 Deus iniqui resurrexerunt super me:
† & synagoga potentium quæsierunt animam meam & non proposuerunt Deum ante cõspectum suum.
14 Et tu domine Deus miserator et misericors, patiens & multæ misericordiæ & verax
15 Respice in me & miserere mei, da imperium tuũ puero tuo.
** & saluum facfilium ancillæ tuæ.*
*16 Fac mecum signum in bonum vt videant qui & oderunt me & confundantur. * quoniam tu Domine adiuuisti me & consolatus es me.*

13 Ecce Deus homines iniqui, qui præter iustam causam me persequuntur, iam insurrexerunt cõtre me:* & magna congregatio fortium studiosè hoc egit, vt vitam mihi adimat, nec aliquam habent tui rationẽ vt per timorem tuum a proposita malitia reuocentur.

14 Tu autem Domine es Deus miserator & misericors, tardus ad iram sed multus ad miserandum, & verax in promissis.

15 Secundum tuam itaque misericordiam & veritatem respice in me benigno tuo aspectu & miserere mei: da mihi seruo tuo fortitudinem tuam, qua dominium & victoriam de hostibus meis obtineam.* & saluum fac me, qui non solum me seruum tuum humiliter agnosco, sed & vernam ac natiuum seruum, vt pote filium humilis ancillæ tuæ.

16 Ede præclarum aliquod signum fauoris erga me tui, vt qui oderũt me videant, & confundantur: †videant inquam, quod tu Domine adiuuisti me, & cõsolationem attulisti mihi, liberando me ab his malis & in regni gloriam me euehendo.

ANNOTATIONES.

a NON EST SECVNDVM OPERA TVA.] Hebræa ad verbum habent: non est sicut tu in Diis Dñe, & nõ sicut opera tua: vbi in secũda parte subaudiẽdũ est, nõ sunt opera sicut opera tua. Quo mõ & Græca accipi possunt, οὐκ ἔστι κατὰ τὰ ἔργα σου τὰ ἔργα repetatur ad verbũ ἔστι. & sit sensus non sũt opera iuxta opera tua, hoc est, similia tuis. Quẽ sensum & nostra lectio habebit, si in verbo, est, sub audiatur nõ dictio, aliquis, sed dictio, aliquid, scilicet factũ ab alio: Alioqui potest nostra lectio accipi vt alij intelligunt: nõ est aliquis secundũ opera tua hoc est, qui ea imitarivaleat, & taliafacere qualia tu.

b LAETETVR CORMEVM, VT TIMEAT, &c.] D. Augustinus intelligit coniunctionem, vt, significare modum, quo hic est lætandum, vt sit sensus: Lætetur cor meum, sed sic vt simul etiam timeat nomen tuum, hoc est, vt non nimis securus degam. At hunc sensum Græca non bene admittunt. quæ habent. τὸ φοβεῖσθαι vbi subaudi endumest ex phrasi Græca ἕνεκα. Itaque (ad verbum est, propter timeri nomen tuum, hoc est propter timorem nominis tui. Potest autem præpositio, propter, vel designare finem & quem lætari desiderat, vt significetur ipsum velle lętari in Deo, ad eum finem, vt per eam lætitiam constanter timeat & colat Deum, hunc sensum videtur secutus noster interpres. Potest etiam accipi, vt significetur causa lætitiæ, nempe vt ideo lętetur, quia sentit se timere & reuereri Deum. Quem sensum intellexit Euthymius, exponens: Lætetur cor meũ in timore nominis tui. Ad quem sensum tanquam conuenientiorem, nostrã lectionẽ in paraphrasi conati sumus accõmodare. c

d DAIMPERIVM TVVM.] Græcè est, κράτος, quod nomen significat imperium & fortitudinem hic autem significare fortitudinem Hebręa docet dictio.

Filiis Chore, Psalmus cantici.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXV

SVb typo cœlestis Hierusalem celebrat Propheta hoc Psalmo Hierusalem supernam & nouam, de qua in spiritu mediatus prorumpit in verba de ea, commendans eam à fundamentis suis & portis, hoc est, a firmitate & fortitudine, ac vaticinans in ea omnes gentes à Deo quodam alienas habitaturas cum summa animorum lætitia. Non est autem distinguendum num de ecclesia militante an triumphãte Psalmus sit accipiendus, siquidem vtraque hæc ecclesia vna est Hierusalem, quam supernam, cœlestem & nouam scripturæ appellant, cui pro vtraque sui parte, tam ea scilicet quæ in terris, quam quæ in cœlis agit, conueniunt ea quæ hoc Psalmo canuntur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Fundamenta eius in montibus sanctis,

** diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.*

2 Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.

3 Memor ero Raab & Babylonis scientium me.

CIuitas illa noua, quam in spiritu sub typo nostro Hierusalem meditor, firmiter erit fundata: habebit enim fundamenta sua in mõtibus sanctis: in altissimis scilicet cœlis, atque in ipsis Apostolis, virisfide sublimibus, & sanctitate præcipuis, in quibus prima ciuitatis illius iacientur fundamenta, quibus superædificari oportebit omnes eos qui tanquam lapides viui coædificabuntur in ciuitatem Dei,
*hanc ciuitatem Sion, quæ & fortissimas & multas habet portas, hoc est, quæ & optimè munita est, & omnibus aditum præbet ex omni loco, Dominus magis quam omnes veteris populi synagogas diligit, maiori eam fauore & cura prosequens, pluribusque & maioribus eam beneficiis ornans, atque in ea magis sibi complacens, quemadmodum & terrenam Sion præ aliis habitaculis populi Israelitici sibi delegit in peculiarem habitationem. b

2 Ociuitas Dei, admodum magnifica dicta sunt de te à Deo per prophetas ipsius.

3 Inter quæ à Deo dicta, istud quoq; de te dixit Dominus: In noua ciuitate Sion, ego Dominus agnoscam non tantum Israelitas, sed etiam

4 Ecce alienigenæ, & Tyrus & populus Aethiopum hi fuerunt illic.

5 Nunquid Sion dicet homo & homo natus est in ea:

**& ipse fundauit eam Altissimus.*

6 Dominus narrabit in scripturis populorũ & principum horum, qui fuerint in ea.

7 Sicut lætantium omniũ habitatio est in te.

eos qui ante populi mei præcipui fuerunt hostes, Aegyptios scilicet & Babylonios, iam tum agnoscentes me quem prius ignorauerunt.

4 Ecce rem nouã Philistęi & Tyrij vnà cũ Aethiopibus, & ex omnibus d
omnino gentibus, oriente, occidente, aquilone, & meridie, erunt in hac
ciuitate non tanquam aduenę & peregrini, sed quasi ciues eius, vt pote
in qua nati erunt per lauacrum regenerationis.

5 Proinde de ipsa Sion aliquãdo dicet vnusquisque, quòd plurimi, & e
diuersarũ nationum homines nati sint in ea: *quodque ipse, qui est alti-
ssimus, ædificauerit & stabiliuerit eam, firmam & inconcussam eam fa-
ciens contra omnes hostium insultus.

6 Dominus ipse narrabit istud, & notum faciet tũc, cum omnes simul
populos & principes, qui nati fuerint in ea ciuitate, describet & recẽse
bit in nouissimo scilicet iudicij dei, quando omnes simul ciues huius ci
uitatis numerans, toti mundo declarabit, quãta sit, & quam diuersarum
gentium multitudo ciuium eius.

7 Quanquam autem tã vària erit, ô Sion, ciuium tuorum multitudo,
nulla tamen in te erit discordia, atque tumultus dissonus, sed omnes si-
mul habitantes in te erunt sicut hi qui præ nimio gaudio tibijs canunt,
chorósque ducunt. Solida enim de Dei benignitate lætitia afficientur,
& cùm adhuc in terris agent, & multo magis cùm hinc in cœlos trãs
lati fuerint.

ANNOTATIONES

a FVNDAMENTA EIVS.] Relatiuũ, eius, apud Hebręos & Græcos est masculini generis. Vnde non videtur posse referre ciuitatem Sion, cum nomen, Sió, in omni lingua sit generis fœmini. Itaque Euthymius refert relatiuum, eius, ad Christum, qui fundamenta sua, hoc est, prima fidei dogmata iecit in Apostolis. Sed in Prophetis, maxime Hieremia id crebrò fit, vt cũ de Hierusalem & de Israele sermo fit, subiiciantur relatiua masculina, quę nõ tam respondet nomini Hierusalem, quam nomini quo Hebręi significãt populum, nempe nomini עַם Am, quod & hic recte creditur factũ, vt sit relatio non tam ad vocem, quam ad rem: siquidem ciuitas ipsa de qua loquitur, nihil est aliud, quam Dei populus.

PORTAS SION,] Per portas, quidam sacra domagta fidei, alij virtutes intelligunt. Verùm simplicius fuerit per portas Sió, ipsam ciuitatem Sion intelligere: & portarum ideo fieri mẽtionem, tum ad designandum fortitudinem ciuitatis, quæ ferè à portis pendet, tum ad significandum omnibus ad eam patere aditũ. sicut Apocalyp. 21. duodecim dicuntur ciuitatis nouæ Hierusalem portæ & in singulis mundi partibus tres, vt intelligatur omnibus gentibus ingressum patere.

RAAB ET, &c.] Nomen, Raab, hic non est nomen eius mulieris, quæ exploratorès accepit hospitio, nam illius nomen scribitur Hebręis cum aspiratione forti, nempe cheth. Vnde & Græcis scribitur ῥαχάβ. Istud verò nomen per aspirationem lenem, Græci ῥαάβ. Significat autem hoc nomen alibi frequenter AEgyptum, ab AEgypti rege sic dictum ob superbiam, vt Psalmo 88. Tu vulnerasti sicut vulneratum superbum. Vbi Hebræis idem nomẽ ponitur quod hic. Porro quod nos habemus in genitiuo, scientium me, Hebræi & Græci habẽt in datiuo, τοῖς γινώσκουσί με. & est sensus: Ego Dominus Aegyptiorũ & Babyloniorum memor ero simul cum agnoscentibus me Iudæis, vel apud cognoscentes me Iudæos, quibus annunciabo illos à me susceptos esse.

HI FVERVNT &c.] Interpres legit ἐγεννήθησαν, cùm Septuaginta transtulerint, ἐγενήθησαν, hoc est, nati sunt. quemadmodum & Euthymius legit. Et postea cùm habemus: Principium qui fuerũt in ea, Græcè est γεγεννημένων ἐν αὐτῇ, hoc est, qui nati sunt in ea, cum interpres legisse videatur, γεγεννημένων, per ν simplex. Certe Hebraica dictio apertè nasci significat. habent autem Hebræa ad verbum in hũc modũ: Ecce Philistęa & Tyrus cum Æthiopia, hic natus est ibi. Quam lectionem sic accipiũt, vt gentibus intelligatur annunciari quod insignis aliquis natus sit in Sion nempe Christus: aut in typum Christi, Salomon. Septuaginta autem dictionem Hebraicam acceperunt secundum phrasim satis receptam apud Hebræos, quibus frequens est pluribus subiungere singulares, quoties vnicuique illorũ plurimũ volunt significare aliquid cõuenire.

NVNQVID &c.] Ex Hebræo constat dictionem, Sion, esse datiui casus. Pro signo autem interrogatiuo, nunquid, quod apud Hebræos non est, vt modo legitur, Græcè iam legitur μήτηρ, mater Sion dicet &c. in quem modum legit & Augustinus. Verùm codices Græcos hic esse deprauatos annotauit & Hieronymus in commentarijs, sic scribens: Septuaginta interpretes ita transtulerunt. Nunquid Sion dicet homo. Spreuerũt ergo multi, nec intellexerunt μήτηρ σιὼν, quid est, & addiderunt ῥ, & legunt μήτηρ σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος, & hoc propterea, dicunt, quia sequitur, & homo natus est in ea, Spreuerunt etiam ita debere dici, mater Sion dicet homo, quoniam filius natus dicitur. Propterea erant in matris vocabulo. Hęc ille. Porro nostra lectio dupliciter distinguitur. quidam enim distinctionem faciunt, post primum, homo, vt illud sit suppositum verbi, dicet, & sit sensus: nũquid ipsi Sion dicet homo quispiam, quod homo natus sit in ea, nẽpe Christus quatenus homo, & quod idem quatenus altissimus & Deus fundauerit eã: Verùm quoniã apud Hebręos pro, dicet, ponitur verbum passiuum, dicetur, cõuenientius fit distinctio post vetum, dicet, vt subaudiatur eius suppositum: & oratio illa, homo & homo, accipiatur secundum phrasim Hebraicam, pro varijs & multis hominibus.

IN SCRIPTVRIS POPVLORVM.] Græcè est ἐν γραφῇ, in scriptura, intelligitur autem à plerisque de scriptura sacra, in qua Dominus notã facit vocationem gentium, & ædificationem Ecclesię. Verùm Hebręa magis sonant, in scribendo, vel describẽdo populos. est enim apud eos infinitiuus. Vnde vertit Hieronymus: Dominus numerauit scribens populos. Proinde sequendus videtur sensus paraphrasis.

Canticum

Canticum psalmi filijs Core, in finem pro Maeleth, ad respondendum intellectus heman Ezrahitæ.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVII.

PRæsens Psalmus, oratio est & querulatio vehementissima hominis afflicti, penitusque à Deo derelicti in grauissimis afflictionibus, qui cũ magna exaggeratione extremis à plurimus malis se obrutum cõqueritur sine aliqua consolatione præter aliorũ omnium psalmorum consuetudinem. Apparet autem ex consonantia cum alijs multis psalmis editus esse ad literam de Dauide, occasione eorum malorum quæ passus est, siue à Saule, siue ab Absolone. Secundum spiritum verò de Christo per Dauidẽ adumbrato intelligendus est. cui pleraque huius Psalmi verius, perfectius atque simplicius cõuenirũt, vt potè in quem vates potissimũ respexit. Allegoricè autem hic Psalmus etiam congruit cuique fideli, qui in mortale crimen prolapsus, atque ob id pœnitentiæ dolore sese macerans, æternam damnationem deprecatur, in qua nemo Deum laudabit. Quod autem in titulo ponatur & nomen filiorum Core, & nomen Hemàn Ezrahitæ, putatur Heman hunc Psalmum composuisse, ipsis autem filijs Core decantandũ tradidisse. Fuit enim Hemam, vates regis in sermonibus Domini, vt scribitur 1. Paralip. 25. & princeps cantorum inter filios Caath, de quibus fuerunt & filij Core. Heman enim legendum esse, non Ethan, quod nomen in titulo est sequentis Psalmi, patet ex Hebrais: ex quibus etiam patet perperam apud Græcos legi nomen Esraelitæ, cùm sit legendum Ezrahitæ.

PARAPHRASIS EIVSDEM

1 Domine Deus salutis meæ in die clamaui & nocte coram te.

2 Intret in cõspectu tuo oratio mea:

** inclina aurem tuam ad precem meam.*

*3 Quia repleta est malis anima mea, *& vita mea inferno appropinquauit.*

4 AEstimatus sum cum descendentibus in lacum:

** factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.*

5 Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum nõ es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt:

6 Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis,

7 Super me confirmatus est furor tuus:

** † & omnes fluctus tuos induxisti super me.*

*8 Longe fecisti notos meos à me, *posuerunt me abominationem sibi.*

9 Traditus sum, & non egrediebar.

** oculi mei languerunt præ inopia.*

*10 Clamaui ad te Domine, *tota die expandi ad te manus meas.*

11 Nunquid mortuis facies mirabilia?

** aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?*

12 Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam-

** & veritatem tuam in perditione?*

13 Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua † in terra obliuionis?

DOmine Deus, autor salutis meæ, in quo sita est omnis spes salutis *ps. 87.*
meæ, sicut tu solus me saluare potes per diem simul & per noctem
sine aliqua intermissione inuocaui te tota mentis intentione.

2 Admittatur itaque precatio mea in conspectum tuum, * facilem- a
que te præbe ad exaudiendum orationem meam.

3 Quia ad saturitatem vsque plena est calamitatibus anima mea, vt
pluribus ferendis non sufficiat, *& morti atque sepulchro iam proxi-
mus esse videar.

4 Reputatus sum ab omnibus cùm his qui iamiam in sepulchrum de
scendunt, omnibus scilicet de mea salute desperantibus: *similisque fa-
ctus sum homini qui est omni auxilio destitutus, quique inter mortuos
existens, liber est officijs, curis, & rebus vitæ huius.

5 Similis factus sum vulneratis, qui mortui iacent in sepulchris, quo
rum non recordaris amplius, vt eos pristinæ vitæ restituas; *quique à cu
ra tua, quam viuis impendes, penitus sunt reiecti. Ita enim & mei peni-
tus oblitus videris, nec aliquam prouidentiæ & protectionis tuæ decla-
rationem in me exhibes.

6 Affecerunt ne malis tam multis aduersarij mei, vt visus sim ipse mi-
hi positus in puteum aliquem profundum, aut in carcerem obscurissi-
mum, atque iam versari in extremis malis, quæ nihil nisi mortem præ se
ferant

7 Super me confirmatus est furor tuus, perseuerante scilicet afflictio-
ne, nouáque semper priorem sequente, *& omnia genera calamitatum
quibus obruere homines soles, venire fecisti super me. † In me quoque
solũ exarsisse videris, adeo vt totã tuã iram solus ego ferre mihi videar.

8 Neque verò me tantum omni tua consolatione destituisti, sed & fa-
miliariter mihi notos alienasti à me per immissa à te horrenda mala, ita
vt neque ab eis aliquid accipere possim consolationis. * reputauerunt
enim me apud se, quasi rem summè abominandam.

9 Traditus sum à te extremis malis, atque ab eis vndique conclusus,
nec video quo pacto his me explicem, *propter quod oculi mei per ni-
mium dolorem & fletum debilitati sunt ob calamitatem meã, & quod
omni auxilio ac consilio destitutus essem.

10 Imploraui toto corde tuum auxilium Domine, * idque assiduè, ex
pandi in oratione manus meas ad te, & dixi:

11 Nunquid in defunctis declarabis potentiam & bonitatem tuam,
operando in eis mirabilia, qualia frequenter in viuentibus operaris?
* aut num medici suscitare poterunt mortuos, vt sic mortui laudes tuas
decantent apud viuos?

12 Nunquid aliquis iam mortuus prædicabit apud viuos misericor-
diam tuam? *& veritatem tuam, quam in promissis seruas, num aliquis
laudabit, cùm perierit?

13 Num cognoscentur mirabilia tua, vbi omnia sunt tenebræ? * & iu-
stitia tua, quam in promissis seruandis exhibes, num nota fiet apud eos
qui ex hoc orbe migrarunt in locum mortuorum, qui à te, & à viuenti-
bus obliuioni traditi sunt? † quíque immemores sunt & ignari earum re-
rum quæ hic à te agũtur? nequaquam certè ista futura sunt. Cùm enim

14 Et ego ad te Domine clamaui.
** & mane oratio mea præueniet te.*
15 Vt quid Domine repellis orationem meam,
** auertis faciem tuã à me?*
16 pauper sum ego, & in laboribus a iuuentute mea:
** exaltatus autem humilia tus sum & conturbatus.*
17 In me transierunt iræ tuæ,
** & terrores tui cõturbauerunt me.*
18 Circundederunt me sicut aqua tota die,
** circũdederunt me simul.*
19 Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.

mortui tuam bonitatem,neque in viuentibus,neque in ſeipſis maximè ſecundum corpus amplius experiantur,eãdem quoque amplius lauda re nequeunt:propter quod à morte,te quæſo,me præſerues, quo decla ratam in me tuam bonitatem ac veracitatem apud viuos celebrare ob priuatam me ipſius rationem.

14 Et quidem ad hunc modum ego ad te Domine clamaui, * & ſummo mane ante omnia precatione mea occupaui te priuſquam ſolẽ mũ e do oriri faceres.

15 Cur igitur Domine non admittis orationem meam, *cur aufers à me benignum aſpectum, ſolitúmque fauorem tuum?

16 Miſer ſum ego,& in afflictionibus ab adoleſcentia mea:† cùm autem paululum eſſem per te exaltatus,mox rurſum ſum deiectus & affli ctus,adeoque in meipſo conturbatus, vt præ inopia auxilij & conſilij deſperare cœperim:

17 In me apparuerunt manifeſta ſignafuroris tui,* & mala,quibus me terrebas,conturbauerunt me.

18 Circundederunt me vndique,ſicut ſolent aquæ vnũ malũ obruere collapſum in eas,ſídque aſſiduè:* cinxerũt me vnũ nõ malũ poſt aliud ſed ſimul mala vniuerſa,

19 Et quod eſt extremę calamitatis, feciſti à me procul abire propter nimiam miſeriam meam,amicum & proximum.& omnes familiariter mihi natos ita vt in tantis malis nemo ſit qui miſerum conſoletur, & cõ ſolatione ſua miſeriam mitiget.

ANNOTATIONES

a INTER MORTVOS LIBER.] Ob hanc partem potiſſimum plerique hunc pſalmũ de ſolo Chriſto accipiendum putãt,quòd hic ſolus dicere poſſit ſe liberum eſſe inter mortuos.eo quod inter eos exiſtens,mortis vinculis alligatus & detentus non fuerit,ſed liberam habuit facultatem vitam re ſumendi. Verùm hic ſenſus etſi piiſſimus,ſolique Chriſto conueniens,non videtur eſſe proprius ſen ſus huius loci.In hoc enim ſenſu hæc verba nõ ca lamitatem,ſed fœlicitatem loquẽtis explicant,cùm tamen omnia & præcedentia & ſequentia miſeriã loquentis ſignificent.Itaque potius videtur ſenſus paraphraſis amplectendus,ſecundum quem is qui loquitur,non dicit ſe eſſe liberum inter mortuos, ſed eſſe ſimilem homini libero inter mortuos. Dicũt autem Hebræi mortuos homines liberos eſſe, quomodo nos eos dicimus defunctos.ſcilicet quia defuncti ſunt & deſtituti hac vita, & officiis cius. Sic.Iob. 3.ſeruus in morte,dicitur eſſe liber à domi no ſuo,quo loco eadem eſt dictio Hebræis, quæ hoc loco.

b NVNQVID MORTVIS.] Dum Pſalmus Chriſto applicatur,his verſibus tribus intelligẽdus eſt Chriſtus ſecundum infirmitatem humanæ naturæ deprecari mortem,quemadmodum fecit in horto aut precari ſuam aut potius omnium noſtrum reſuſcitationem & viuificationem, propter quã mor tuus eſt.In ſenſu autem tropologico per mortuos, damnati:per perditionem & tenebras,æterna dam natio intelligenda eſt,in qua nemo Deũ laudabit, nec cognoſcet ritè.

INTERRA OBLVIONIS.]Dubium eſt num genitiuus,obliuionis,actiuè debeat exponi an paſſiuè,num ſcilicet ſit ſenſus:in terra, in qua qui habitant immemores ſunt omnium,quæ hic agun tur: an in terra eorum qui obliuioni traditi ſunt à viuentibus.Vtrámque intelligẽtiam Latina & He bræa admittunt.Verùm Græca exigunt expoſitio nem paſſiuam,habẽt enim ἐν γῇ ἐπιλελησμένη in ter ra obliuioni tradita.Septuaginta nomẽ quod ſigni ficat obliuionem,acceperunt apud Hebræos tan quam participium paſſiuum,non tanquam nomen ſicũt & Hieronymus,qui trãſtulit ĩ terra quę obli uioni tradita eſt. Actiua tamen expoſitio magis quadrat.Gratius enim eſt ſi dicatur aliquid cogno ſci non poſſe in eo loco,vbi omnium eſt obliuio,ſi cut in prima parte dicitur,Dei mirabilia nõ cogno ſci in tenebris. Tenebræ enim obſunt cognitioni, ſic & obliuioni.

Intellectus Ethan Ezrahitæ.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXVIII.

PRauidẽs in ſpiritu Prophetа temporalem deſolationem regni Dauidici,quæ facta eſt per Chaldæos ſub Sedechia, priuſ quã de ea conqueratur,ne de Dei miſericordia,fidelitate ac potentia dubitare videatur,primum quidem celebrat Dei & bonitatem & veritatem,tum & ipſius ſummã potentiã,qua & omnia creata ſunt & gubernantur,& quæ ſãctos ſuos vindicauit & exultauit ſupra inimicos ipſorũ. Deinde verò prolixius memorat promiſſiones Dei factas Dauidi de ſemine ſui perpetua conſeruatione,de Throni regij eterna ſublimatione,de miſericordia imperpetuum ſemini eius ſeruã da & alijs huiuſmodi multis. Poſt hæc autem vſque ad finem queritur ex oppoſito, ſemen Dauidis quaſi rupto fœdere à Deo reiectũ,regia dignitate exutũ,malisque ornibus obiectum. Porro quemadmodũ Dauid in omnibus pene Chriſti typus fuit & figura,ita quæ hic & alibi promiſſa dicuntur Dauidi & ſemini eius,non implentur perfectè,niſi in Chriſto,qui & ex Dauidem præſignatus eſt,& ex eo ſecundum carnem deſcendit,& in his qui per Chriſtum ſemen Dauidis ſpirituale efficiuntur. Itaque ſit,vt etiamſi Dauidi ea competãt ratione Chriſti ex ipſo nati,propriè tamen Chriſto conueniãt,quam obrem conuenienter allegorice ſic pſalmus accipitur,vt ſit vox eccleſiæ celebrantis pactum Dei patris initum cũ Chriſto ac ſemine eius,ac oppoſito conquerentis ſuper fidelis populi derelictione & afflictione,quam cum ſinit Deus,videtur fœdus irritum feciſſe. quod cum Chriſto ſuo pepigit. Cæterum Ethan Ezrahitæ, cuius nomen ponitur in titulo,ſit mentio 3.Reg.4.qui & videtur idem eſſe cumuo de quo 1.paralipom.6.

PARA

1 Miſericordias Domini in æternum cantabo.

2 In generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.
3 Quoniam dixiſti:In æternum miſericordia ædificabitur in cœlis:
**præparabitur veritas tua in eis.*
4 Diſpoſui teſtamentum electis meis iurauiDauid ſeruo meo.
** vſque in æternum præparabo ſemen tuum.*
5 Et ædificabo in generatione et generationem ſedẽ tuam.
6 Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine:
** etenim veritatem tuam in eccleſia ſanctorum.*

7 Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?
** ſimilis erit Deo in filijs Dei?*

8† Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum,
** magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.*

9 Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi?
** potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.*
10 Tu dominaris poteſtati maris:
** motum autem fluctuum eius tu mitigas.*

11 Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum,
**in brachio virtutis tuæ diſperſiſti omnes inimicos tuos.*
12 Tui ſunt cœli, & tua eſt terra.
**orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti, Aquilonem & mare tu creaſti.*
13 † Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt,
** tuum brachium cum potentia.*

14 Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua.

**iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.*

PARAPHRASIS EIVSDEM.

MVltiplices miſerationes Domini, quas omni ſæculo exhibuit, in æternum, celebrabo, nunquam non carminibus teſtabor & meæ Pſ. 88.
ætatis hominibus,& poſteris omnibus,quàm ſit Dominus ſemper miſe ricors.

2 Sed & tuam in præſtandis promiſſis fidelitatem per omnes genera tiones ore meo deprædicabo.

3 Tu enim dixiſti Domine,quod miſericordia tua in æternum firma a
bitur,& augebitur inſtar ædificij,quod ſumma arte conſtruitur,*quoq; veritas tua in ipſis cœlis ſtabilietur, nimirum quòd perpetuo ſit duratu ra,quemadmodum & cœli perpetuo perſiſtent.

4 Fœdus inquit Dominus pepigi cum electis meis, Abraham, Iſaac, Iacob,& poſteris eorũ:Deinde & per memetipſum iuraui, ac irreuocabiliter pollicitus ſum Dauid ſeruo meo dicens: Perpetuo ſtabiliam ſemen tuum,nunquam ſineos interire poſteritatem tuam.

5 Pérque omnes generationes firmabo regale ſolium tuum,perpetuum illud faciens ſimul cum ſeminis tui perpetuitate.

6 Et certè ipſi cœli à te Domine mirabiliter conditi,& per quos conſtanter hunc mundum gubernas,teſtantur,ſempérque teſtabuntur mirabilia opera tua,*tuam quoque in ſtatutis & promiſſis cõſtantiam notam faciẽt in cœtu ſanctorum tuorum.Hi enim ſancti tui ex ipſis cœlis intelligent quàm ſis mirabilis opifex,quámque verax,& conſtans in decretis tuis. Ipſi quoque cœleſtes homines in congregatione electorum tuorem colentium nomen tuum annunciabunt mirabilia opera tua, quæ tum in creando mundum, tum in redimendo deſignaſti, & fidelitatem tuam, qua quæ prioribus temporibus promiſiſti, fideliter præſtitiſti.

7 Mirabilia,inquam,opera tua annuntiabunt ſanctis tuis. Quoniam quis eſt nedum in terra, ſed etiam in ſuperuis locis qui in potentia & mirabilium patratione poſſit Domino comparari?* & quis ſimilis erit Deo,etiam inter angelos dignitate & potentia tam ſublimes,vt filij Dei rectè dicantur?

8 Ipſe Deus eſt,qui per declarationem maieſtatis & potentiæ ſuæ glo rificatur à ſeipſo in medio ſanctorum ſuorũ,& angelorum & hominum in quorum cœtu regia eius maieſtas & diuinitas relucet & agnoſcitur. †Ipſe quoq; eſt,qui ob eximiã ſuam potentiã magnificatur à congregatione ſanctorũ ſuorum.*magnus eſt & metuendus apud omnes, qui in circuitu eius ſunt,ſiue angelos illi aſſiſtẽtes,ſiue hominesillũ colentes.

9 Quis igitur ſimilis tibi eſſe poſſit ô Domine Deus, qui poteſtatem habes in omnes exercitus ſupernos & infernos?*Tu enim prę omnibus potens es Domine,inſuper & fides atque iuſtitia tua te ex omni parte circundat,vndiq; relucens in omnibus tuis operibus,& inſeparabiliter tibi adhærens.

10 Tu imperium obtines non ſolum ſuper vniuerſam terram,ſed etiã ſuper fæuitiam & ſuperbiam maris: elationem enim fluctuũ eius tu dũ vis compeſcis, quod certe nemo poteſt ex regibus & dominatoribus, qui ſunt ſuper terram.

11 Tu deieciſti ſuperbum illum Aegypti regem Pharaonem, nõ ma iori negotio, quam ſi res tibi fuiſſet cum vulnerato aliquo viribus omnibus ſuis deſtituto,*potenti brachio tuo ſubuertiſti inimicos tuos vniuerſos.

12 Tua ſunt omnia & ſuperna & inferna,cœli ſcilicet & terra,quę à te b
creata ſunt,& in tua ſemper permanẽt poteſtate,*orbem terre, & quibus ipſa terra plena eſt, tu condidiſti: Aquilonem & Meridem,vbi eſt mare mortuum,tu creaſti.

13 Thabor mons occidentalis,& Hermon mons orientalis,ſua mole teſtantes omnipotentiam tuam, occaſionem præbent videntibus laudandi nomen tuum.†ipſi quoque qui habitant montem Thabor, hoc eſt, occidentem, & qui montem Hermon, hoc eſt,orientem habitant, omnes ſcilicet habitatores terræ,agnoſcentes tuam potentiam & boni tatem in te exultabunt.*tuum enim robur nequaquam inualidum eſt, ſed ſumma potentia præditum.

14 Opto autem vt omnipotẽtia tua ſemper valida ſit in nobis ad protectionem noſtrã,vt potentiæ tuæ altitudine ſemper declaretur in inimicis noſtris:neque vero ſumma tibi tantum adeſt poteſtas, quæ dum ſola eſt tyrannum facit, ſed & æquitas omnipotentiæ tuæ coniuncta eſt,*Iuſtitia enim & æquitas ipſa inſtruunt & ſtabiliunt regale ſolium tuum,ipſa regalis tua poteſtas in æquitate conſtabilita eſt, ita vt nihil agere valeas,niſi quod iuſtum ſit & æquum.

15 *Misericordia & veritas præcedēt faciem tuam,*
* *beatus populus qui scit iubilationem.*
16 *Domine in lumine vultus tui ambulabunt,*
* *& in nomine tuo exultabunt tota die,*
† *& in iustitia tuo exaltabuntur.*
17 *Quoniam gloria virtutis eorum tu es:*
* *& in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*
18 *Quia domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri.*
19 *Tunc locutus es in visione sanctis eius, & dixisti:*
* † *posui adiutorium in potente & exaltaui electum de plebe mea.*
20 *Inueni Dauid seruum meum,*
* *oleo sancto meo vnxi eum.*
21 *Manus enim mea auxiliabitur ei,*
* *& brachium meum confortabit eum.*
22 *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.*
23 *Et concidam à facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam.*
24 *Et veritas mea & misericordia mea cum ipso,*
* *& in nomine meo exaltabitur cornu eius.*
25 *Et ponam in mari manum eius.*
* *& in fluminibus dexteram eius.*
26 *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ.*
27 *Et ego primogenitum ponam illum,*
* *excelsum præ regibus terræ.*
28 *In æternum seruabo illi misericordiam meam,*
* *& testamentum meum fidele ipsi.*
29 *Et ponam in sæculum sæculi semen eius:* * *& thronū eius sicut dies cœli.*
30 *Si autem dereliquerint filij eius legem meam,* * *& in iudiciis meis non ambulauerint:*
31 *Si iustitias meas prophanauerint,* * *& mādata mea non custodierint:*
32 *Visitabo in virga iniquitates eorum:* * *et verberibus peccata eorum.*
33 *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo,* * *neque nocebo in veritate mea:*

15 Misericordia quoque & fides semper antecedent te, in omnibus quæ facturus es semper præsentes, & in omnibus tuis factis quasi ob oculos tuos versantes. vt eas in omnibus semper præstes. *Fœlix igitur ille populus, qui agnoscens hanc Dei potentiam, iustitiam ac misericordiam, nouit delectari in Domino, atque de his dignè Deum laudare.

16 Quicunque enim Domine tales fuerint, hi aspirante & concomitante illos semper tuo fauore, fœliciter in omnibus agent, & veluti in clarissima luce vultus tui versabuntur tuum fauorem semper sentientes, tuámque voluntatem semper intelligentes, *atque ob id assiduè in tua benignitate & nominis tui memoria exultabunt, perque iustitiam tuam, qua talibus secundum promissionem tuam semper præsto eris, omnibus inimicis superiores euadent, magnique per te efficientur, * propter iustitiam quoque tuam sese ipsi attollent, perfuasi scilicet te pro ipsis vigilare ac proinde nihil eis nocere posse.

17 Tu enim es in quo gloriantur se fortes esse. *tu is es per cuius gratuitam beneuolentiam robur nostrum magis ac magis incrementa suscipiet, & super omnes inimicos nostros præualebit.

18 Quia à Domino pendet defensio nostra, & à sanctificatore Israelis qui est rex noster, in cuius solius potestate consistit, cuique soli tribuenda est protectio nostra.

19 Olim enim, cùm tibi placuit populum tuum in tuam protectioné assumere, locutus es sanctis propheris tuis per visionem interiorem, & dixisti eis: *Viro alioqui forti addidi robur ad adiuuandum populum meum: †dedique fortitudinem viro, quem mea virtute potentem feci, & virum quendam electum de plebe mea exaltaui in regem super populum meum.

20 Cùm diligenter & ex animo quærerem dignum aliquem regem populo meo, inueni tandem, mihique prouidi Dauid seruum meū: qui existens vir secundum cor meum, dignus à me habitus est, quem populo meo præficerem, *atq; ob id oleo sancto meo vnxi eum, regem eum constituens populi mei.

21 In hoc, inquam constitui adiutorium populi mei, nam omnipotētia mea adiuuabit eum semper cōtra inimicos ipsius: *& fortitudo mea corroborabit eum, vt omnibus inimicis semper præualeat.

22 Nihil poterit aduersus illum vllus inimicus, nec homo sceleratus nocere poterit ei.

23 Conteram enim ante cū inimicos eius, & odientes eum in fugam conuerti faciam.

24 Et veritas mea & misericordia mea semper erit cū ipso, ita vt red diturus sim ei quidquid promisi, & primam illam gratiam, qua eum elegi, nō sim vnquam ablaturus ab eo, *& per me robur ipsius, regalisque dignitas semper exaltabitur, ita vt omnibus semper inimicis suis præualeat. ac magis semper ac magis augescat.

25 Extendam enim vsque ad mare occidentale ditionem illius, * & versus orientem vsque ad flumina Mesopotamiæ proferam potentiam imperij ipsius.

26 Ipse inuocando me familiariter dicere audebit: Pater meus es tu, Deus meus, & defensor salutis meæ.

27 Et ego inter omnes filios meos primogenitum illum constituam, tribuens ei inter omnes fratres suos principatū, munus scilicet primogenituræ, *superiorem quoque illum faciam omnibus regibus terræ.

28 Misericordiam meam, quam cœpi in illum declarare imperpetuū seruabo erga illum: *& pactum, quod inij cum ipso, firmum erit ei.

29 Et durare faciam posteritatem eius in omne æuum, *& solium regni eius tam diuturnum faciam, quam erunt dies cœli.

30 Quia si filij eius dereliquerint legem meam, *& secundum æquissima præcepta mea non conuersati fuerint:

31 Si iusta mea statuta per inobedientiam violauerint, *& mandata mea non seruauerint, opere ea perficientes:

32 Ego non, tanquam seuerus iudex, agam cum eis, penitus eos perdens aut abijciens, neque finam eorum peccata diu impunita, ne in peiora prolabantur: sed tanquam pius ac bonus pater, filiorum errata castigatione emendare studens, virga paternæ correptionis mox animaduertam in eos: neque morte, aut extrema perditione vlciscar eos, *sed verberibus corripiam peccata eorum.

33 Misericordiam autem meam nō auferam ab eius semine, * neque iniustitiam aliquam committam in fide mea, ita scilicet vt transgrediar pacta cum illo inita, & fidem meam fallam.

34 *Neque prophanabo testamentum meum,* * *& quæ procedunt de labijs meis, nō faciam irrita.*

34 Neque violabo pactum quod est inter me & illum, *& quæ semel locutus sum illi, non mutabo vnquam.

35 *Semel iuraui in sancto meo,* * *si Dauid mentiar, semen eius in æternū manebit.*

35 Hoc est autem pactum, quod cum eo pepigi, & locutus sum, nempe quod semel iurauerim, idque per memetipsum & sanctitatem meā eo quod non habeam maiorem me per quem iurarem: iurauí, inquam, dicens: *Nequaquam Dauidem fallam, sed, sicut promisi, semen eius in æternum perstiet.

36 *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternū* * † *& testis in cœlo fidelis.*

36 Neque posteritas eius tantum, sed solium regni eius tam erit stabile & diuturnum, tam etiam clarum, quam est ipse sol in conspectu meo: regnum eius imperpetuum erit clarum, sicut luna perfecta tēpore pleniluni, perpetuóque subsistet sicut luna quæ facta est, vt in æternum perduret. *Et ne quis vanas fore credat has pollicitationes, horum omnium testem fidelem in cœlo constituo, solem scilicet & lunam: omniaque astra, quæ pollicitationis meæ stabile signum esse volo, vt his durantibus omnes intelligant regnum eius certissimo duraturum. † Ipse quoque ego, qui hæc in cœlo contestatus sum & pollicitus, fidelis sum & verax, vt ne de promissis meis quisquam diffidere debeat.

37 *Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum.*

37 Hæc quidem olim Dauidi, & semini eius pollicitus es: & tamen nunc tanquam horum omnium oblitus, repulisse, despexisse, & elongasse videris à te Christum tuum, dum semē eius ita ab impijs conculcari, & regni eius gloriam intercidere permittis.

38 *Euertisti testamentum serui tui,* * *prophanasti in terra sanctuarium eius.*

38 Euertisse videris & abiecisse à te fœdus cum seruo tuo initum, nec amplius illud seruare velle. * quasi enim rem prophanam ignominiosè in terram deiecisti diadema illius, regalémque ipsius dignitatem, quā à te consecratus erat, & ab altis insigniter separatus.

39 † *Destruxisti omnes sepes eius:* * *posuisti firmamentum eius formidinem.*

39 Destrui permisisti omnia munimenta regni eius: * fecisti vt loca firmiora quæ munire & defendere solebant ab hostium insultibus, iam sint in formidinem, eoquod diruta sint, eosque qui in regno fortiores erant pauore magno impleuisti. † Omnem quoque tuam protectionem, qua muniti & fortes esse solebamus, cōtra aduersarios hostes quasi diruptis muris ciuitatis, aut materia vineæ deiecta, a nobis abstulisti, vt iam tu ipse nobis formidini sis, qui firmum munimen esse soles:

40 *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam,* * *factus est opprobrium vicinis suis*

40 Proinde quemadmodum cum vinea fieri solet, cùm diruta iacet maceria: ita & nunc populum eius deuastant, quotquot iter faciunt iuxta illum, factus est ludibrio vicinis suis.

41 *Exaltasti dexteram deprimentium eum,* * *lætificasti omnes inimicos eius.*

41 Potentiam hostium conculcantium eum tu superiorem fecisti, *gaudio affecisti quotquot malè voluerunt illi.

42 *Auertisti adiutorium gladij eius,* * *& non es auxiliatus ei in bello.*

42 Abstulisti adiutorium tuum, quo gladium eius adiuuare soles, *& non attulisti ei opem in bello vt soles.

43 *Destruxisti eum ab emūdatione,* * *& sedem eius in terra collisisti.*

43 Destruxisti mundiciam & ornamentum eius regale, cessasti ab ornando illum solito more, *solū illius regium in terram vsque deiecisti.

44 *Minorasti dies temporis eius,* * *perfudisti eum cōfusione.*

44 Abbreuiasti dies temporis eius cum durationem regni eius (quod pollicitus fuisti fore æternum) tam breuem fecisti, *vndique eum ignominia cooperuisti.

45 *Vsquequo domine auertis in finem?* * *exardescet sicut ignis ira tua?*

45 Quandiu Domine sic semper auertes te à nobis, fauoremque tuum nobis subtrahes? *quandiu ira tua desæuiet in nos, ad modum ignis omnia deuorantis & consumentis?

46 *Memorare quæ mea substantia,* * *nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?*

46 Declara quæso Domine te memorē esse, quàm breue & nihili sit tempus vitæ & subsistentiæ nostræ: quod cum perbreue admodum sit, cōuenit sane vt interim dum viuimus, bonitate tua aliquantulum fruamur: *non enim frustra creasti vniuersos homines. Ita sane videbitur, si in breui hac vita, non nisi ad miserias perferendas nati simus. Nam quid vixisse profuerit, si & mox moriendum sit, & breue illud tempus quod viuitur, in solis miserijs transigendum?

47 *Quis est homo, qui viuet & non videbit mortem?* * *eruet animam suam de manu inferi?*

47 Nullus est enim homo quātumuis etiam fortis, qui ita viuat vt non sit moriturus, *quique vitam suam liberare possit de potestate mortis. Propter quod conuenit, vt misertus fragilis cōditionis nostræ, tua bonitate nos hic paululum respirare dones, priusquam hinc abeamus.

48 *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine,* * *sicut iurasti Dauid, in veritate tua.*

48 Accedit ad hæc promissionum tuarum veritas, inimicorumque nostrorum exprobratio, in tuam vergens ignominiam, quæ & ipsa quoque ad miserendum nobis te merito commouere debent. Vbi enim nūc sunt superiorum sæculorum misericordiæ tuæ Domine, *quas per fidelitatem tuam iurasti Dauid, te exhibiturum semini eius?

49 *Memor esto opprobrij seruorum tuorum,* * *quod continui in sinu meo multarum gentium.*

49 Declara quæso te perpendere opprobrium, quo multæ gentes seruos tuos afficiunt, *quod concoquere cogor clam, & velut in sinu meo portare.

50 *Quod exprobrauerunt inimici tui Domine,* * *quod exprobrauerunt commutationem Christi tui.*

50 Opprobrium, inquam, quod inimici non tam nostri quàm tui ex probrando iecerunt & in nos, & in te: *quo inquam, exprobrauerunt nobis, quod iam commutatus sit, & à te reiectus Christus tuus.

51 Qualiscun

51 Benedictus Dominus in æternum Fiat, fiat,

51 Qualiscunque tamen sit status rerum nostrarum, Deus quod promisit non poterit nō adimpiere, quamuis molesta sit nobis mora: quare dignus est qui perpetuo laudetur ab omnibus Amen. Amen.

ANNOTATIONES.

a IN COELIS PRÆPARABITVR, &c.] In cœlis, iungendum sequentibus docent & Græca & Hebræa. Nam Greca non habent, in eis, sed tātum, in cœlis præparatur veritas tua. & Hebræa habent cœlos parabis vel stabilies, veritas tua in eis. Dictio enim Hebræa etsi parare significet, magis tamen significat stabilire. Vnde & Euthymius exponit stabilietur. Verbum enim, præparo, inquit, sępenumerò apud Hebræos ponitur pro stabilio.

b AQVILONEM ET MARE.] Septuaginta pro eo quod Hebręa habēt יָמִין Iamin, hoc est dextrū meridies scilicet, legerunt יָם Iam, quod nomē mare significat. vt autē opponatur Aquiloni, accipiendū videtur de mari mortuo aut rubro, quorum vtrūque in meridie est, respectu terrę promissionis. Porro quod sequitur: Thabor & Hermon. &c. plerique intelligūt notari miracula illa, quæ in his mōtibus pro salute populi Israelitici Deus edidit. In monte quidem Thabor per Berac & Deboram: in monte Hermō, dum siccis pedibus deduxit Israelē per Iordanē. Secundum quam intelligētiam Hermon hic accipitur pro monte quodam iuxta Iordanem, sicut Psal. 41. Et dicuntur mōtes isti exultare in nomine Dei, eo quòd ratione beneficiorum Dei quæ in eis præstita erāt, dabant occasionem exultandi in Deo. Verum quoniam prius duarum plagarum mundi fecit propheta mentionem, intelligūt alij verisimilius his duobus mōtium nominibus & alias duas mūdi plagas designari: & sic nomē, Hermon, accipi debet pro monte quodam iuxta Libanum, qui aliàs Sarion dicitur, qui respectu mōtis Thabor in Oriente situs est. (Iud. 4.)

c IPSE INVOCABIT ME.] Cùm & Græca & Hebręa habeāt tempus futurū, sicque Latina quędam etiam habeant, dubium esse nō potest, quin ea sit vera lectio, quæ & apud Augustinum est.

d EVERTISTI TESTAMENTVM.] Quidam libri habēt: Euertisti: sicut & Augustinus legit quę lectio vt commodiorem habet sensum, ita Græcæ dictioni κατέστρεψας, magis conuenit. vnde ea potius retinenda est. Cùm autem sequitur: Auertisti adiutorium gladij, iam non est Græcis idem verbum, sed ἀπέστρεψας Vnde ibi legendum est Auertisti.

e SANCTVARIVM EIVS.] Intelligūt hic per, sanctuarium, significari templum Hierosolymitanum. Verùm notandum Hebręis esse dictionem, נזר nezer. quæ propriè significat diadema regium. Deducitur autem ea dictio à themate quod separare & sanctificare significat. Vnde & Nazarei dicti sunt. Atque ob id videtur diadema regium נזר nezer dici, quòd sit quasi regis sāctificatio, qui per illud ab alijs separatus est, & prę alijs ad regalem dignitatē consecratus. Vnde Septuaginta vertunt ἁγίασμα, quę dictio etsi etiam sāctuarium significet, propriè tamen significat sanctificationem. Atque in hac significatione satis respondet significationi dictionis Hebraicæ. Proinde vt ab originalis linguæ sententia quamminimum recedatur, conuenit vocabulum, sanctuarium, impropriè hic accipere potius quàm alienum sensum reddamus.

f DESTRVXISTI.] Gręcis clarius est, κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτοῦ. quod rectius verti potest, desiuisti à mūdatione eius. Etsi enim καταλύω significet destruere, significat tamē & desinere. quod & Hebręa dictio hoc loco significat. Nec est, ī terra, sed εἰς τὴν γῆν, i. in terrā, quomodo & quidā nostri libri habēt.

Oratio Moysi hominis Dei.

ARGVMENTVM PSALMI LXXXIX.

PRæsenti Psalmo Propheta primum lamentando describit humanæ vitæ tum breuitatem, tum multiplicem miseriam quam ob peccatū humanū genus incurrisse agnoscit. Tum precatur, vt ex temporali hac castigatione omnes doceantur metuere venturam Dei iram, et vt placatus dominus reparare velit sua misericordia humanum genus ac calamitatē eius in fœlicitatem commutare, suoque fauore electorum suorum opera dirigere in viam pacis æternæ. Cum autem humanæ naturæ restitutio per Christum facta sit, consequens est Prophetam, dum eam precaretur, in Christum respexisse, per quem vita per peccatum amissa, gaudium, simul pax atque fœlicitas, hic quidem in spiritu incipit, in futuro autem consummatur. Quod vero titulus psalmi habet: Oratio Moysi hominis Dei: plerique cum Hieronymo ad Cyprianum intelligunt Moysen presentis psalmi authorem fuisse. Alij autem ideo in titulo nomen Moysis positū putant, quod similia olim Moyses orauerit pro populo Israelitico in deserto, cum iram Dei suis peccatis prouocauerat, aut quod, quoniam Moyses scripsit humani generis historiam, quo modo homo factus sit, & peccauerit, punitusque sit, ideo attribuatur ei iste Psalmus in quo memoratur miseria humani generis. Alij etiam alia, sed minus probabilia asserunt.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

2 Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem.

DOmine tu, omnibus nobis agnoscētibus & colentibus nomen tuum fuisti in omnibus generationibus instar asyli, ad quod semper confugimus in quauis necessitate. PSAL. 89.

2 Priusquā montes fierent, aut formaretur terra, à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.

2 Et quidem merito, nam non ab heri aut nudiustertius, vt dij gentiū, cœpisti esse Deus: Neque ab exordio nascentis mundi, sed priusquam mōtes producerētur, aut formaretur terra & orbis, ab æterno & vsque in æternum tu es Deus in te ipso potentissimus.

3 Ne auertas hominē in humilitatem

2 Solito ergo more ad te fugientes, tuámque æternitatem componentes cum breuitate nostræ calamitosæ vitæ, te precamur ne miserum humanū gēus in eā vilitatem, abiectionem, & contritionem deduci sinas, vt perpetuo in morte permaneat, *eo quod peccato primhominis offensus, diffinīueris de omnibus hominibus posteris Adæ, quod redire debeant secundum corpus in terram, vnde formati sunt, dicens de homine: Puluis es, & in puluerem reuerteris.

** & dixisti: Conuertimini filij hominum.*

4 Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt.

4 Ne quæso ob hanc tuam sententiam, hominem ad tuam imaginem creatū perpetuò deijcias ac cōteras. Tu enim Domine nosti quam breue, immo nihili sit tempus, quod hic viuimus. Nam ecce etiam mille anni, quos, tamē nulli viuere datur, apud te & cum tua æternitate collati sunt tanquam dies hesterna, quæ iam præterijt, & nihil iam eius superest. Genes. 3.

*5 Et custodia in nocte, * quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

5 Et quid dico tanquam dies, immo tanquam vna vigilia noctis, quæ tribus tantum horis cōstat. † Anni hominum ob breuitatem suam sunt ex numero eorum quæ nihili reputantur, vt sunt ea quæ amplius non sunt, quæque homines esse somniant. a

6 Manè sicut herba transeat, manè floreat & trāseat.

6 Ex tua constitutione homo similis est herbæ mox virenti, & mox arescenti. Quemadmodum enim herba manè exoriente sole proficit, permutatur, & transit per augmentationem ad perfectiorem staturam ita vt iam aliquid esse appareat flore emergente. * Cùm autem nimio solis calore per diē adusta fuerit, vespere decidit à suo virore, suóque humore destituta, arescit: ita & homo manè, hoc est, in initio vitæ, quasi è tenebris noctis productus, continuo profectu celeriter trāsibit ad iustā corporis mensuram, manè, inquam, florebit, ac vigebit secundum corpus, profeciétque semper: ad vesperam autem, cum vitæ terminus siue senectus aduenerit, decidet à suo vigore, & exhaustus humore naturali indurescet & arescet, senectute scilicet aut ipsa morte humorē, quo viuebat, consumente. b

** vespere decidat induret, & arescat.*

*7 Quia defecimus in ira tua: * & in furore tuo turbati sumus.*

7 Sic enim per tuam iram consumimur: * & quia nobis hoc pacto declaras te vehementer offensum, ideo conturbamur & inhorrescimus.

*8 Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: * sæculum nostrū in illuminatione vultus tui.*

8 Experimur enim quod collocaueris iniquitates nostras coram te, memor earum ad vindicandum, * & quòd totum vitæ nostræ decursum constitueris in luce vultus tui, lucidissimè considerans, & cognoscens omnes sæculi nostri operationes præteritas atque præsentes, etiamsi nobis occultæ sint.

*9 Quoniam omnes dies nostri defecerunt. * & in ira tua defecimus.*

9 Id autem ita esse vel ex eo satis intelligimus, quoniam omnes dies nostri subito in magna ac varia miseria consumuntur, * & cum illis nos quoque consumimur propter iram tuam, qua in nos accensus es, non sanè ob aliud, quàm propter peccata nostra.

*10 Anni nostri sicut aranea meditabuntur, * dies annorum nostrorum in ipsis septuaginti anni.*

10 Et quidem adeo subito dies nostri consumūtur, vt anni nostri, qui bus hic viuimus, reputari possint quasi tela quædam aranei res maximè fragilis, quæ leui tactu mox disrumpatur, *dies annorum nostrorum tam breues sunt, vt in ipsis tantum sint anni septuaginta. c

*11 Si autem in potentatibus octoginta anni: * et amplius eorum labor & dolor.*

11 Si autem multi fuerint dies annorum nostrorum, & admodum fortis complexionis fuerimus, octaginta sunt communiter ad summum anni vitæ nostræ: * neque solum breue est tempus vitæ nostræ, sed & plurimum tēpus annorum nostrorum plenum est laboriosis molestijs atque miserijs. d e

12 Quoniā superuenit mansuetudo, & corripiemur.

12 Hinc autem nobis tāta vitæ nostræ breuitas, & cum breuitate afflictio obtingit, quoniam venit super nos mansueta tua castigatio, eáque à te corripimur pro delictis nostris, vt hac correptione præsenti erudiamur, ad intelligendum & fugiendum venturam tuam in nouissimo sæculo iram. f

*13 Quis nouit potestatem iræ tuæ? * aut præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

13 Quis enim hominum ex se nouit vim iræ tuæ, quæ ventura est super impios in futuro sæculo; quis nouit ex timore tibi debito comprehendere venturam tuam indignationem? nemo certè.

*14 Dexteram tuam sic notam fac: * & eruditos corde in sapientia.*

14 Proinde tu Domine temporali hac castigatione notam fac nobis potentiam iræ tuæ futuræ: * & fac nos per sapientiam cœlestem eruditos esse corde, vt ex præsenti tua vltione venturam iram intelligentes, eam effugere studeamus.

15 Conuertere Domine, vsquequo.

† & deprecabilis esto super seruos tuos.

15 Non maneat autem Domine super nos hæc ira tua, qua ob peccata nostra & multis modo miseris, & morte denique nos afficis: sed quiamdiu quasi iratus teipsum ab humano genere elongare visus es, iam tandem ad nos redi, in tuam pristinam gratiam nos recipiens. quamdiu mi Domine auersus eris à nobis? * vel iam exorabilem te præbe erga seruos tuos.

16 † Repleti sumus mane misericordia tua, & exultauimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

16 Fac, quæso id quod certò futurum expectamus, nempe vt adueniente Messia, qui discussis huius mundi tenebris, quasi sol mane oriēs totum hunc mundum illuminabit, abundè impleamur misericordia tua. † Per ipsum quoque Messiam præsta, vt in nouissimo iudicij g

die

die nos post transactam huius sæculi noctem,è somno mortis resuscita
ti satiamur benignitate tua,vt exultare liceat, & delectari in te omni-
bus diebus quibus viuemus coram te.

*17 Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: *annis,quibus vidimus mala.*

17 Fac, inquam, vt de tua misericordia satiati lætemur pro diebus,
in quibus nos in hac vita afflixisti,* pro annis, in quibus mala plurima
experti sumus.

18 Respice in seruos tuos & in opera tua dirige filios eorum.

18 Benigno quæso vultu respice in nos,fauorem tuum nobis declarãs
tum quia serui tui sumus,tum quia opera manuũ tuarũ:*ducémque te
præbe posteris nostris,vt tua directione fœliciter omnia agant,& ad desi
deratam fœlicitatem pertigant.

19 Et sit splendor domini Dei nostri super nos,& opera manuũ nostrarum dirige super nos,& opus manuum nostrarum dirige:*

19 Declaretur quæso in nobis splendor magnificentiæ & fauoris do-
mini Dei nostri:*tuóque domine fauore nobis affulgente;quæcunque,
nos gesserimus tu in nobis dirige,quæcunque,inquam, gesserimus, tu
ita dirigas & instituas,vt fœliciter nobis cedãt, & ad perpetuam verám-
que beatitudinem nos promoueant.

ANNOTATIONES.

QVAE PRO NIHILO HABENTVR,&c.] Græca habent, τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτι ἔσονται, hoc est, contemptus eorum adhuc erũt,hoc est,vt exponit Euthymius,ipsorum mille annorum contemptus adhuc erũt apud me,hoc est,magis ac magis à me contemnentur,collati ad tuam æternitatem.Habent enim Greci codices, ἔτι,adhuc,nõ, ἔτη, hoc est,anni.Verum Septuaginta vertisse ἔτη satis ex Hebræo constat,dum manifestum est eos legisse שָׁנָה schana, quod nomẽ annũ significat,pro quo iam legitur שֵׁנָה schena, quod somnum significat.

MANE SICVT HERBA,&c.]Verba hęc optatiua,in Hebręo sũt futura indicatiui.Et Euthymius annotauit, omnia hæc verba,licet optantis modũ retineant,in futuri tamen significatione accipiẽda.

ANNI NOSTRI SICVT ARANEA,&c.]Plerunque hic locus intell gitur, vt per aranеam,ipsum animal culum intelligatur,cui commoda comparatione vita hominis comparatur,eo quod sicut animal istud magna solicitudine telã suã sibi parat atq; ob eam parandam sese totam euisceret :nec tamẽ alium inde fructum consequi potest,quam tenuem victũ,quo tamẽ sæpe frustratur.Alio,vt ipsa tela,quam animalibus capiendis texũt,ipsimet laqueus fiat quo capiatur.Ita & in conquirendis huius sæculi bonis, magno,inutili,immo plerũq; noxio labore homo vitam suam consumit. Secũdùm hunc autem sensum,oratio ista in commodo sẽsu accipi debet,vt anni nostri dicãtur meditari, quia nos in annis nostris exercemur, & meditamur ad modum,araneę.Verùm nomen,aranea,fœmininũ, melius & frequẽtius ipsam telã significat,quemadmodum & nomen Græcum hic positũ ἀράχνη,cùm ipsum animal dicatur Gręcis ἀράχνης,sicut apud nos araneus.Proinde aptior videtur sẽsus paraphrasis, quanquam is habeat illud incõmodi,quòd verbũ, meditari,passiue accipi debeat.Atque hũc sensum reddit Euthymius Grecus, estque simplicior, & præcedẽtibus atque sequentibus magis cõueniẽs. Hebræa nullam faciunt araneæ mẽtionem,sed habent anni nostri quasi sermo loquentis. Cur autẽ araneæ vocabalum positum sit à Septuaginta, explicat Hieronymus ad Cyprianum,dicens:Pro,sermone loquentis,Septuaginta meditationẽ araneę transtulerunt.quomodo enim sermo loquẽtis præteruolat,ita & opus araneæ præteruolat.

IN IPSIS 70. ANNI.] Quidam libri habent, annis quomodo & D. Hieronymus vertit ex Hebræo.Itaque ordo erit: Dies annorum nostrorum sunt in ipsis annis 70.Verùm Græca,ex quibus nostra trãslatio est facta,habẽt in nominatiuo,septuaginta anni.Cui cõuenit quod sequitur in nominatiuo,octoginta anni.Proinde relatiuũ,ipsis,referẽdum est ad nominatiuum,dies,qui ponitur absolutè.Illud enim,dies annorum nostrorũ in ipsis, positum est Hebraica phrasi,pro,in ipsis diebus ãnorum nostrorũ sunt 70.anni.Sicut illud:Dñs in cœlo sedes eius:dictum est pro,Dñi in cœlo est sedes.

ET AMPLIVS EORVM,&c.]& Gręca καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν, &c. Vnde patet hic, ãplius debere accipi nominaliter propter articulum τὸ. Potest autẽ hæc oratio duobus modis accipi.Primũ vt sit sensus & quod excedit iãdictos ãnos,plenũ est afflictione:aut,quod plurima pars dictorũ ãnorũ plena sit miserijs.qui sensus originali linguę magis cõsentit.

QVONIAM SVPERVENIT.]Verbum, superuenit esse pręteriri temporis & non præsentis docent Græca:quæ habent, ἐπῆλθε.

REPLETI.&c.]in Hebręo hi duo versus habẽt verba deprecatiua sicut alij duo sequẽtes: & Euthymus ãnotauit pręterita hic,pro futuris accipiẽda,quẽadmodũ inquit Aquila,& cæteri interpretes significarũt.

laus camtici ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XC.

SEcuritatem hominis solam fiduciam in Deo habentis mira iucunditate toto Psalmo Propheta depingit:asserẽs eũ qui Deo sese firmiter commiserit,diuina protectione,& Angelorum custodia tutum liberũque à malis vniuersis siue quæ ab hostibus eius per noctem vel per diem,ex insidijs vel ex aperto obuenire possint,siue quæ à Deo impijs immittuntur,siue quæ sua negligentia aut fortuitò homo incidere solet,siue quæ à feris noxijsque bestijs imminire possent.In fine autẽ quo magis indubitata sit ipsius assertio,etiam Deum ipsum loquentem introducit,suam protectionem,& ab omnibus malis liberationem in se speranti promittentem,& post liberationem ab omnibus periculis vitæ huius,beatitudinem vitæ æternæ.

PARAPHRAIS EIVSDEM

Qui habitat in adiutorio altissimi.
** in protectione Dei cœli commorabitur:*

QVicunq; omnẽ suam spẽ firmiter collocauerit in adiutorio altissi ps. 90.
mi, atq; in eo requieuerit,hic certè tuto versabitur inter pericula
vitæ huius.*nã huic pro secura mansione & habitaculo erit protectio
Dei cœli,Dei scilicet põtetissimi, atque in omnia imperium habentis
2 Quis-

*2 Dicet domino: susceptor meus es tu,et refugium meũ *Deus meus,sperabo in eũ.*

2 Quisquis enim talis fuerit,dicet ad Dominum:Tu es defensor meus
tu es,ad quem semper in omnibus malis meis volo confugere. * Tu es
Deus meus, quem vnicè colo, & à quo totus pendeo, atque ob id omnem
spem ponam in eum.

*3 Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium: * & à verbo aspero.*

3 Et quidem meritò:quoniam ipse certo certius liberabit me, ne capiar
insidiis eorum qui quærunt perdere animam meam : nẽue incidã
in rem aliquam asperam & noxiam.

4 Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.*

4 Et sane quemadmodum tibi quisquis eiusmodi es,promittis,ita tibi
eueniet.Nam ad modum gallinæ,sedulo infirmos pullos suos protegẽ-
tis,ipse quasi alis suis super te expansis,cooperiet te,sua potentia atque
bonitate protegens te ne quid mali patiaris: *& sub hac alarum eius
protectione tu in spe bona securus deges.

*5 Scuto circundabit te veritas eius,*nõ timebis a timore nocturno,*

5 Ad modum scuti vndique hominem circundantis,muniet te ex õ-
ni parte.& omni tẽpore fidelitatis eius,quæ te sperãtem in ipsũ nũquã
fallet:*ideoq; non timebis ab eo quod noctu timorem incutere posset.

6 A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano.*

6 Neque à sagitta iacta per diem,non ab eo quod in tenebris occulte
toto conamine & magna calliditate studet negotium facere tibi,* non
etiam à dæmono aut aduersario quouis,qui clara luce apertè tibi vim
inferre conatur,hoc est,securus eris ab omni malo,quod vel per noctẽ,
vel per diem obtingere,& vel ex insidijs,vel ex aperto inimicus aliquis
homo vel dæmon tibi intentare posset.

7 †Cadent à latere tuo mille,et decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.*

7 Si prælium ingressus cum hostibus manus conserueris, à latere tuo
sinistro corruent mille,& à dextro decem millia.*Tu verò nullum incõ
modum accipies.

*8 Veruntamen oculis tuis considerabis, *& retributionem peccatorum videbis.*

8 Quin potius tuis ipsis oculis securè conspicies, * & cum animi voluptate
videbis (Deo pro te pugnante) impios qui te persequebantur
commeritas dare pœnas, † Similiter cum offensus dominus peccatis
hominum,grauem aliquam vltionem hostibus immiserit, adeo vt ab vtroque
tuo latere,atque ab omni parte infiniti cadant: ad te tamen huiusmodi
malum non perueniet,neque te simul inuoluet.sed securus videbis
condignam vltionem sumi de impiis,quemadmodum & in nouissimo
iudicij die impijs ex omni parte cadentibus,tu secũdum tuam in
Deum fiduciam ab eorum vltione liber eris,quam tuis ipsis oculis securus
conspicies.

*9 Quoniam tu es Domine spes mea,*altissimum posuisti refugium.*

9 Hinc autem tibi hæc securitas proueniet,quoniam dixisti: Tu Domine
es ,in quem omnem meam spem colloco: *& quoniam ipsum altissimum
dominum constituisti tibi tuum refugium, qui cum altissimus
sit,& super omnia potentissimus,ad se confugientes ita quasi in altissimum
aliquem locum sublatos, sua omnipotentia custodit, vt nullum
nocumentum appropinquare eis valeat,

*10 Non accedet ad te malũ *& flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo:*

10 Propter hoc itaque non poterit malum aliquod ad te accedere,
aut nocumẽti aliquid infe rri, *nec vlla plaga infestabit familiam tuam.

11 Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiãt te in omnibus vijs tuis.*

11 Quoniam angelis suis præcepit Deus de te:*vt custodiant ab omni
malo quacunque ieris,& vt solliciti sint ne in omnibus actionibus
tuis mali quiddam inacidas,aut in via mandatorum dei ambulans,scandalum
aliquod incurras.

*12 in manibus portabũt te, *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

12 Proinde ipsi mandato Dei lubenter parentes,te fidelissimè omni
cura & studio custodient, quasi manibus te portantes in via quam ambulas:*ne
quo modo tua negligentia,aut improuiso impingas ad lapidẽ
pedem tuum,& vel leue offendiculum aut læsionem patiaris.

13 Super aspidem & basiliscum ambulabis,

**& conculcabis leonem & dra conem.*

13 Neque immunis tantum eris à malis quæ impij tibi intentant, aut
quæ Deus impiis immittit,aut improuiso accipere possent sed & à nocumentis
ferarum quãtumuis potentium atque ferocium, quantumuis
noxiarum atque callidarum: * à quibus non solum non læderis,sed &,
cum oportunum fuerit,tibi parere coges,earumque fortitudinem, ferociam,atque
nociuam astutiam victor superabis.Itaque super aspidẽ
& basiliscum ambulabis,& conculcabis leonem & draconem ; hoc est,
omnes omnino bestias homini formidabiles,nec has tãtum,sed & quæ
cunque nociua atque terrifica in dæmonibus,hominibus aut rebus quibuscunque,diuina
virtute subijcies ac conteres.

14 Quoniam in me sperauit,liberabo eum, protegam eum,quoniam cognouit nomen meum.*

14 Quo autem maior magnificis promissis meis à te fides habeatur,
Deum ipsum de sperante in se loquentum audi:Quoniam,inquit Dominus,in
me sperauit,liberabo eum ab omni malo:*protegã eum,quoniam
nouit maiestatem, potentiam, bonitatem, atque prouidentiam
meam,atque ob id me coluit & inuocauit.

*15 Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, *cum ipso sũ in tribulatione,*

15 Quoniam autem me ex toto corde inuocauit, ego nequaquam
frustrabor eum,sed exaudiam,cum aduenerit ei aliqua tribulatio : nequaquam
deseram eum,etiamsi hominibus desertus à me videatur;
* sed adero ei:consolabor enim eum ac perdurare faciam in tribu-
latione

eripiam eum,& glorificabo eum:

latione,*& in tẽpore eripiam eum ab ea,atque magnificando illum ſuperiorem illum faciam hoſtibus affligentibus eum,& pro afflictione ipſum dignitate inſigni ornans. Et quidem frequenter etiam in præſenti vita,ſemper autem in futuro.

16 Longitudine dierũ replebo eũ & oſtendam illi ſalutare meum.

16 Longæua ætate ſaturabo eum,& exhibebo ſalutem meam,faciés eum experiri & deguſtare.nam & in præſenti ſæculo frequentur eũ qui eiuſmodi eſt,perducam ad extremam ſenectutem, vt plenus dierum hinc diſcedat,expertus meam ſalutem,qua à cunctis malis, atque à cũctis hoſtibus eum ſaluum feci: Et in futuro eum ſẽper ſatiabo æternitate ſæculorum,perpetua illum vita donans,atque ſalutis illius, quæ à me ſolo obtingere poteſt,participẽ faciens,qua liber à malis omnibus in æternum mecum fœlix viuat.

ANNOTATIONES.

a QVI HABITAT.]Græca & Hebræa habẽt participium,habitans in adiutorio,&c.Vnde patet hunc verſum accipiẽdum, vt per ſe perfectũ faciat ſenſum,& non,vt quidem intelligunt, pendere cum ſequenti verſu,in hunc ſenſum:qui habitat & commorabitur,&c.dicet Domino,&c.

b IPSE LIBERAVIT,]Græca & Hebræa habent verbum futuri temporis,neque habẽt me, ſed te,ῥύσεταί σε,liberabit te,vt hinc intelligatur loqui Propheta ei qui ſpẽ ſuam ponẽs in Domino,dixit:Suſceptor meus es tu.ſicut ei dẽ in ſequẽtibus loquitur verſibus.Auguſt.lectio habet verbũ efuet.

c NON TIMEBIS A TIMORE NOCTVRNO. Quatuor hę partes,quibus varia tentationum genera deſignãtur,ita diſtinguenda videntur, omiſſis multorũ variis interpretamẽtis,vt duabus primis partibus duplex tẽtatio ſignificetur,nempe occulta & manifeſta.Rurſum duplex huiuſmodi tẽtatio ſignificetur per duas partes poſteriores:ſed quę in hoc differunt,à duabus prioribus,quod prioribus membris ſignificẽtur tentationes aut oppugnationes leues,& citò tranſeuntes:poſterioribus autem graues, moleſtæ & diuturnæ. Quomodo autẽ hęc varietas tentationum deprehendatur in inuiſibili noſtro hoſte diabolo,facilè quique apud ſe intelliget ex generali literæ ſenſu.

d ANEGOTIO PERAMBVLANTE, &c.]ἀπὸ τοῦ πράγματος, habent Græca,& accipit Euthymius dictionẽ πρᾶγμα, ſimpliciter pro quacunq; re.nam hoc,dictio ſignificabit.Eadem tamẽ etiã ſignificat moleſtiã,quomodo &Latinisdicimus negotiũ pro moleſtia.In hac ergo ſignificatione hic accipi debere dictio Hebræa indicat,nã ea peſtẽ ſignificat.

c ALTISSIMVM POSVISTI REFVGIVM.] Quoniam ſunt qui hanc partem malè intelligunt, referentes dictionem,altiſſimum,ad refugium,qua ſit ſit neutri generis,quorum etiam quidã in hoc membro putant ſermonem dirigi ac Deum, ſicut in priori mẽbro,hoc ſenſum reddendtes: tu Deus poſuiſti refugiũ tuum altiſſimum, hoc eſt,in alto loco:ideo notandum ex Græcis. manifeſtum eſſe, dictionem,altiſſimum,eſſe maſculini generis, quæ ſignificat ipſum Deum qui eſt altiſſimus, ſicut & Hebręa dictio ſignificat.Eſt em Græcis, τὸν ὕψιστον, ipſum altiſſimum,ſcilicet Deum.Itaque cum in hac parte propheta ſermonem dirigat ad pium,ſicut in ſuperioribus verſibus: in priori verò verſus parte ſermo dirigatur ad Deum, vt ſit partium apta cohærentia,oportet in priori parte ſubintelligere verbũ dixiſti,vt ea verba,Tu es Domine Deus meus, non ſint verba Prophetæ,ſed pij,ad quem Prophe ta loquitur,de quo ſuperius dixit: Dicit Domino, ſuſceptor meus es tu,& refugium meum. Hebræa enim verti poſſunt:Quoniam tu Dominum ſpem meam,altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

MANDAVIT DE TE.]Græca & Hebræa,habẽt,mandabit,ἐντελεῖται,ſic & poſtea pro,clamauit originalia habent futurum,clamabit.κεκράξετε.

Pſalmus Cantici in die Sabbathi.

ARGVMENTVM PSALMI XCI

PRæſens Pſalmus,qui,vt ex titulo ſatis habetur, ſabbatis cantari ſolitus erat,docet quid præcipue ſabbatis ſanctis ſit agẽdũ,nempe conſiderare,& ex conſideratione laudare opera Domini.Inuitat itaque fideles ad laudem Dei,cuius ampliſſimam materiam ſuppeditãt probè conſiderata opera ipſius:inter quæ hoc à iuſtis animaduerſum eos maximè cõſolatur quod intelligant Deum omnia ex æquitate gubernare,vt impios ſui nominis hoſtes,quamuis hic ad tempus ſæpe florere videãtur,tandem,tamen deijciat ac perdat:iuſtos verò extollat ac beet,longæua ac iucunda vita eos donans,& quidem partim in præſenti tempore,maximè autem in futuro.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Bonum eſt confiteri domino: & pſallere nomini tuo altiſſime.*

BOnum eſt,ſalutare & æquum, laudare Dominum,* & ad gloriam nominis tui o altiſſime cantare. *Pſ.91.*

2 Ad annuntiandum mane miſericordiam tuã,
**veritatẽ tuam per noctem.*

2 Vt annuntietur à nobis omni quidem tempore, ſed potiſſimum à ſummo mane, * rurſum veſpertino tempore miſericordia tua, & in præſtandis promiſſis fidelitas.

3 In decachordo pſalterio cum cantio in cithara.

3 Idque non voce ſolum,ſed & muſicis inſtrumẽtis, pſalterio ſcilicet decem chordarum,& cithara, ſimul cum vocis dulci modulamine.

4 Quia delectaſti me domine in factura tua et in operibus manuum tuarum exultabo.

4 Perfuditi enim me lætitia per elegantiſſimam hanc operum tuorũ varietatem,* ex conſideratione operum à te factorum memet oblecta bo,aduertens in eis immenſam tuam potentiam,ſapientiam, & bonitatem erga nos.

*5 Quam magnificata ſunt opera tua domine, * nimis profunde facte ſunt cogitationes tua.*

5 Vere enim valde ſuſpicienda ob magnitudinem ſunt opera tua dõmine,* vehementer profunda & inſcrutabilia ſunt conſilia tua,quibus cuncta gubernas & diſpenſas.

6 Itaque

6 Vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelliget hæc.

6 Itaque vir incipiens,qui deſtitutus ſpiritu tuo,terrenis rebus ẽnino addictus eſt,nihil tuorum operum & cõſiliorum ob eorum profunditatem intelligit, *neque animalis homo,qui verè ſtultus eſt, agnoſcit quæ dixi opera tua,neque cõſiderat id quod modo dicturus ſum, quod in omnibus tuis operibus ſummè admirandum minimè agnoſcitur, atque ob id quam plurimos errare facit.

*7 Cum exorti fuerint peccatores, * & apparuerint omnes qui operãtur iniquitatem.*

7 Nempe quod poſtquam peccatores ad modicum tempus germina uerint*atque floruerunt,ſicut gramen terræ,& eminere cœperint omnes qui operantur iniquitatem.

*8 Vt intereant in ſæculum ſæculi,*tu autem altiſſimus in æternum domine.*

8 Futurum mox eſt vt in æternum pereant. *Ipſis autem cum ſua gloria pereuntibus,tu Domine,cùm ſis altiſſimus,& omnium potentiſſimus,in æternum idem & immutabilis permanes: quare & hi qui à te pendent,tecum quoque,quamnis hic ad tempus afflicti,perpetuo florebunt.

*9 Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, * & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem.*

9 Ecce enim(quod tuæ altitudinis & omnipotentiæ manifeſtum eſt argumentum)inimici tui Domine,inimici, inquam,tui,qui nunc florere videtur,funditus peribunt,*& ſubuertétur ob ſua peccata quotquot operantur iniquitatem.

*10 Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, *& ſenectus mea in miſericordia vberi.*

10 Cõtra vero per tuam potentiã mea gloria atque poteſtas exaltabitur ad modum cornu vnicornis.cuius eſt præ aliis animalibus cornu magis eleuatum & potens: *neque, vt impij,ante tempus hinc diuellar,ſed ad extremam perueniam ſenectutem,atque copioſam Dei ſentiet miſericordiam, quæ tanquam oleum quoddam pingue,corpus ex ſe dificiens ſucculentum reddet & cœleſti quodam vigore ſreuiuiſcere acflorere faciet.

11 Et deſpexit oculus meus inimicos meos: & inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*

11 Et videbit ipſe oculus meus inimicos meos ea pati,quæ cõmerue runt,& quæ optaret quiſquam in hoſtibus ſuis:& de malignè agentibus qui me perſequuntur,audiet auris mea mala quæ illis contigerunt.

12 Iuſtus vt palma florebit

12 Neque vero mecum tantum ſic aget diuina bonitas,ſed in vniuerſum iuſti omnes florebunt,non quidem ſicut impij florẽtes,vt gramen terræ,quod virorem & fiorem ſuum ſubitò perdit:ſed quemadmodum palma quę & viuaciſſima eſt,& ſemper viret etiam ipſa hyeme,& gratię ſucco nunquam deſtituti,tum in proſperis, tum in aduerſis ſemper virebunt,longæuam degentes vitam, ac fructus dulciſſimos bonorum operum ſemper proferentes.ne tum quidem florere ceſſantes cum hinc deceſſerint,immo verius hinc in terram fœcũdiorem trãſplantati fuerint.*Et quomodo cedri Libani robore,odore,& incorruptibilitate inſignes.in maximam ſuccreſcunt altitudinem, multumq; augentur,& ramis ſuis latè expãtis diffunduntur: ita & iuſti inſigni à Deo robore præditi,virtutũ odore omnibus grati ſemper in bono proficiẽt,ſeipſis ſemper altiores,ac multam prolem Deo proferentes,donec tandem cœlos ipſos,ad quos palmarum ac cedrorum more ſemper nituntur, attigãt.

** & ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.*

13 Plantati in domo Domini,in atriis domus Dei noſtri florebunt.

13 Non enim iuſti quemadmodum impij eradicabuntur è terra, ſed firmiter plantati in domo Dei, florebunt iugiter in atriis eius.In cõgregatione enim ſanctorum colentium Deum vſque in longam ſenectam vt in plurimum viuentes,vigebunt in ea,fructuſque proferent,& gratiſſimos flores bonorum operum,ſemper validi ad laudandum Deum in templo eius,in medio populi ſui,& hinc decedentes,in cœleſti Dei domo,è qua nunquam dimouebuntur,perpetuo virore vigebunt.

14 Adhuc multiplicabuntur in ſenectute vberi.
** & bene patientes erunt vt annunsient.*

14 Etiam in ipſa ſenectute,quæ non erit in eis effœta & arida,ſed ſuco diuini ſpiritus pinguis & fœcunda,viribus proficient,& in virtutibus creſcent,erúntque etiam tum bene habiti atque diſpoſiti, vt experti in ſe Dei iuſtitiam & bonitatem annuntient.

15 Quoniam rectus Dominus Deus noſter,& non eſt iniquitas in eo.

15 Quod iuſtus eſt Dominus Deus noſter:*quódque ab omni iniuſtitia & prauitate eſt alieniſſimus.

ANNOTATIONES.

a ADANNVNCIANDVM.]τὸ ἀναγγέλλειν,hoc eſt, ipſum annunciare,vt repetatur verbum, bonum eſt.Interpres legiſſe videtur,τῷ ἀναγγέλλειν

NON INTELLIGET HAEC.]Pronomẽ, hęc. quidem ad præcedentia,alij ad ſequentia referunt, necmultum intereſt. Nã in ſequentibus ex operibus Dei vnum deſcribit, quod ſtulti & carnales homines minime aduertunt.Quod autẽ ſequitur: cum exorti fuerint,&c.eſt oratio imperfecta, quã quidã paulo aliter quàm habet paraphraſis abſoluunt hoc modo: cùm exorti fuerint, &c. hoc ideo fit,vt intereant in ſæculum ſæculi: vt ſit idem cum eo quod alibi dicitur de impiorum fœlicitate. Veruntamen propter dolos poſuiſti eis. Porro pro verbo,apparuerit, Hebræis eſt verbum quod propriè ſignificat florere: quod tamen etiam aliquando ſignificat videre,proſpicere. Ad quam ſignificationem reſpexiſſe videtur Septuaginta, vertẽtes διέκυψαν.Eſt enim διακύπτω, proſpicere. Quod tamen quomodo cum originali concordandu ſit, paraphaſis indicat:Sic & pro exorti fuerint,verbũ Hæbraicũ germinare ſignificat. Vnde Hierõymus vertit

vertit:germinauerũt impij quaſi fœnum,& floruerunt omnes qui operantur iniquitatẽ vt intereant.

IN MISERICORDIA VERBI.]Interpres legiſſe videtur ἐν ἐλέῳ,cùm Græca habeãt ἐλαίῳ,oleo, atque hoc modo legendum eſſe Hebræa manifeſtè docent.Per oleum tamen Dei miſericordia intelligitur,quare ſenſui nihil detrahitur. c

PLANTATI IN DOMO.] Quantũ ad literã attinet,plantati in domo Dei aut habitare in ea dicuntur in pſalmis hi,quibus datum erat lõgo tempore conuerſari & viuere in populo Dei, & cũ eo ſtatis diebus conuenire ad domũ Dei, ibiq; Deum cum reliquis laudare.Nos autem per domum Dei, intelligere debemus Chriſti eccleſiã, aut domum Dei cœleſtem,cui per fidem & ſpẽ inſiti ſunt omnes fideles,cuius domus Dei illa vetus vmbra fuit. p

BENE PATIENTES ERVNT.] Græca, καὶ εὐπαθοῦντες ἔσονται.dicitur autem εὐπάθεια, bona corporis diſpoſitio & cõplexio. Vnde εὐπαθοῦντας eos vocat,qui corpore bene ſunt diſpoſiti & affecti.Auguſtinus legit.Tranquilli erunt:Dictio autem vberi,ſecundu Hebræa quidẽ referẽda eſſet ad ſequentia,vt ſit nominatiuus pluralis.habent autem,pingues & virides erunt.Secundum Græca verò,coniungi debet cum ablatiuo, ſenecta. Habent enim Græca ἐν γήρει πίονι,hoc eſt,in ſenecta pingui. e

Laus cantici Dauid in die ante ſabbatum,quando fundata eſt terra.

ARGVMENTVM PSALMI XCII.

Prædicat hic Pſalmus Dei maieſtatem à cõditione orbis,& gentium maximè formidabilium(quas per flumina & maria deſignat)deiectione,vnde & oraculorum Dei certitudo declarata ſit,dum quam ſuis promiſerat ſalutem præſtitit. Cauſam autem cur hæc cecinerit omnino apparet fuiſſe inſignem aliquam victoriam,qua Deus ſuum populum hoſtibus ſuperiorem fecerit.In eo verò ſimul adumbrata fuit ſalus per Chriſtum parta,& victoria de hoſtibus Chriſtiani nominis conceſſa.Quare ſecundum myſticum ſenſum accipiendus eſt hic Pſalmus canere de regno Chriſti,quod deuicta morte accepit à patre,quodq; in vniuerſo mundo obtinuit,deuincens omnium qui ſe Chriſtiano nomini oppoſuerunt,potentiam & ſapientiam,ita vt oracula vatum,quibus hæc deus prædixerat,iam certa facta ſint & indubitata,Deiq; eccleſia in ſua ſanctificatione permanſura ſit vſque in conſummationem ſæculi.Quod autem in titulo legitur:Laus cãtici Dauid in die ante ſabbatum,quando inhabitata eſt terra:paruipendendum eſt,quandoquidem neque Hebræa in titulo hæc habent,nec emendatiora exemplaria Septuaginta interpretum,vt teſtatur Euthymius.quare certum eſt ab aliquo pro ſua voluntate adiectũ.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Dominus regnauit,decorem indutus eſt,
** indutus eſt dominus fortitudinem,& præcinxit ſe.*

Dominus eſt qui regnum in omnia obtinet,idque cum ſumma tum gloria,tum fortitudine,quibus ſic vndique atque abunde ornatur, vt indutus his quaſi veſtimentis quibuſdam videatur,*Et quomodo vir pugnator gladio ſeſe accingit,vt aduerſus hoſtem dimicet,ita & ipſe robore ſeſe quaſi præcinxit ſumma ſua potentia,ſeſe adaptans ad faciendum quæcunque vult,& deijciendum aduerſarios ſuos. Pſ. 92. a

2 Etenim firmauit orbem terræ:
** qui non commouebitur.*

2 Ecce enim quod potentiæ ipſius & gloriæ præclarum eſt indicium, ipſe orbem terræ,dum conderet,ita firmiter ſtabiliuit:*vt nõ ſit imperpetuum commouendus de loco ſuo.

3 Parata ſedes tua Deus ex tunc,
**à ſæculo tu es.*

3 Itaque non ab heri aut nudiuſtertius regnandi prouinciam tu Domine ſuſcepiſti,ſed ex eo tempore,quo à te terra firmata eſt,ſolium regni tui firmatum fuit, etiam ſi id mundus non agnoſcat. * Ab æterno etiam ante mundi conſtitutionem tu es idem ſemper in teipſo permanens.

4 Eleuauerunt flumina domine,
** eleuauerunt flumina vocẽ ſuam.*

4 Præterquàm autem quod in creatione omnium tuam fortitudinem declaraſti, etiam in hoſtium noſtrorum deiectione eam mirabiliter innoteſcere feciſti.nam quam plurimæ ac fortiſſimæ gentes ſeſe in modum fluminum perſtrepentium extulerunt contra nos, *vociferantes contra nos,atque ſuis perſecutionibus & oppugnationibus obruere conantes.

*5 Eleuauerũt flumina fluctus ſuos,*à vocibus aquarum multarum,*

5 Extulerunt,inquam,in modum fluminum ſuas contra nos voces & oppugnationes, quibus quaſi fluctibus quibuſdam nos opprimerent, *atque propter voces multarum gentium, quæ tanquam aquæ multæ fragore magno confluentes,conclamauerunt contra nos. b

6 Mirabiles eleuationes maris,
** mirabilis in altis Dominus.*

6 Propter has, inquam, plurimarum gentium voces & contradictiones,mirabiliter & terribiliter validæ erant oppugnationes hoſtilis populi, nos obruere tanquam tempeſtuoſum mare conantis.*Verũ magis mirabilis factus eſt Dominus,qui vt in altis habitat,ita & in omnia ſummam obtinet poteſtatem. Hic enim vt ſolus poteſt maris fluctus compeſcere, eóſque cùm vult facilè ſedat: ita & omnium hoſtium noſtrorum validam oppugnationem ſua virtute facile deiecit & contriuit,hoſtibus noſtris quantumuis fortibus & admirandis longe potẽtior,atque ob id magis admirandus.

7 Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis,
**domum tuam decet ſanctitudo domine in longitudine dierum.*

7 Quoniam ergo quam promiſeras ſalutem nobis attuliſti, hinc iam teſtimonia tua & oracula vatum,quibus ſalutem nobis te allaturum teſtatus es,iam valde certa eſſe declarata ſunt, & mundo egregiè perſuaſa.*Decet autem o Domine vt quemadmodum iam cœpiſti tuam pro nobis

nobis declarare potentiam,ita per tuam virtutem domus tua, quã in nobis tibi delegiſti,ſancta permaneat in perpetuũ,vt ne eam aliquis omnino hoſtis prophanus polluat vnquam. Cùm enim ſis ſanctiſſimus,domui etiam tuæ decens eſt perpetua ſanctitas.

ANNOTATIONES.

a DOMINVS REGNAVIT.]Incertũ an dicat dominum regnaſſe,eo quod ab initio mundũ gubernauerit,an quia inſigni aliqua victoria potẽtiam ſuam declarauerit,& regnare cœperit in proſtratis hoſtibus.Priorẽ ſenſum ſequitur paraphraſis,vt cui magis conuenit ſubiuncta ratio:Etenim firmauit,&c.Pro quo tamẽ Hieronymus vertit ex Hebræo,Inſuper appendit,cui lectioni magis conueniret ſecundus ſenſus. In ſenſu autem myſtico per decorem & fortitudinem,quam induit Dominus Deus noſter Chriſtus, intelligi debet gloria immortalitatis,quã depoſita ignobilitate & infirmitate carnis,aſſumpſit in reſurrectiõe ſua,& per orbẽ terræ,eccleſia per vniuerſum orbem fundata.

b A VOCIBVS,&c.]Hãc partem noſtri ferè cõiungunt cum ſuperioribus, diſtinguẽtes inter flumina & aquas multas,atque mare : vt per flumina Apoſtoli intelligãtur : Aquæ multæ,populi multi, contradicentes Apoſtolorũ prædicationi,atq; eoſdem per mare intelligentes.Itaq; hunc reddũt ſenſum:Apoſtoli tanquam flumina plena aquis cœleſtis doctrinæ eleuauerunt vocem ſuam contra voces populorum multorum contradicentiũ:vel eleuauerunt vocem ſuã magis quàm voces multorũ populorum,quibus ſcilicet præualuerunt. Verùm hic modus intelligendi non poteſt aptari literali intelligentiæ,& omnino apparet idem ſignificari per aquas multas,mare & flumina,per quę in ſcripturis frequenter hoſtilis oppugnatio deſignatur. Itaque melius ſecundum diſtinctionem Hebræorum coniungetur cum ſequenti verſu,quemadmodum & Euthymius fecit. Vertunt autem Hebræi quidam hoc modo:præ vocibus aquarum multarum,& admirabilibus fluctibus maris admirabilis in excelſis Dominus,quod Sãtes apertius ſic:Pluſquam ſonitus aquarum multarũ , fortium fluctuũ maris,fortis eſt in excelſo Dominus.Hieronymus autem:A vocibus aquarum multarum grandes fluctus maris,grãdis in excelſo Dominus.Quæ lectio ſimul cũ noſtra præter ſenſum paraphraſeos etiã ſic accipi poteſt:Propter voces aquarũ fuerunt fluctus maris grandes,propter eaſdem etiam grandis eſt Dominus,qui eas compeſcuit.

Pſalmus Dauid,quarto Sabbati.

ARGVMENTVM PSALMI XCIII.

Præſenti Pſalmo uir ſanctus inuocat iuſtum Dei iudicium contra improbos innocentum & eorum qui omni humana ope maximè deſtituti ſunt,oppreſſores:& quoniã in eam immanitatem prolapſi diuinam negant prouidentiã, oſtendit contra eos,Deum omnia cognoſcere,omniaq; ſcelera uindicaturum,ex eo q; nobis cognoſcendi facultatem dedit, & antea quoque mundi ſcelera grauiter ultus ſit.Deinde fœlices eos pronunciat,qui,quamdiu impij dominari permittuntur, à Deo ita erudiuntur,ut afflictiones impiorum manſueto animo ferant,uſque dum iuſta de impijs ultio ſumatur:aſſerens in exemplum omnium iuſtorum,Deum ſolum eſſe,per quem impiorum uiolentiam ſemper ſuperauerit,& à quo, dum ab impijs uexaretur,abundè ſit conſolatus,quodq; ſuo tempore omnibus impijs quam merentur inferet perditionẽ. Apparet autem à Dauide præſentem Pſalmum editum eſſe occaſione Saulis,& impiorum qui Sauli adhærebant:nã eſt conſimilis plerijq; Pſalmis,quos hac occaſione editos conſtat.Quod uerò titulus habet Pſalmus Dauid,quarta Sabbati:cum in Hebræo nõ ſint hæc uerba,adiecta uidentur ab aliquo fortè quia feria quarta hic decantari ſolitus erat à Iudæis.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Deus ultionum Dominus,
**Deus ultionem liberè egit.*

Dominus,qui ſolus eſt Deus habens poteſtatem vlciſcendi iniurias ſuorum,*cuique ſoli competit vltio omnis,in vlciſcendis impiorũ criminibus,& in vindicando ſuos ſemper liberè & confidenter egit.ac ſemper acturus eſt,neque enim reſpicit cuiuſquam perſonam,neq; metuit vultum cuiuſquam,vt illius dignitati aliquid deferat:ſed ſine omni perſonarum acceptione liberè cum vult de omnibus vltionem ſumit, ſiue paruis,ſiue magnis. Pſ. 93. a

*2 Exaltare qui iudicas terram:*redde retributionẽ ſuperbis.*

2 Tu itaque Domine ſcelerum vltor,etiã modò pro tua libertate age cum impiis,cumque ſis iuſtus iudex hominum vniuerſæ terræ,altiorẽ te & potentiorem impiis declara,atque in altum ſolium tuum iudiciarium conſcende,hoc eſt,iudicium iuſtum exerce:*& his qui prę nimia animi ſuperbia nec te verentur,redde quod merentur.

3 Vſquequo peccatores Domine, uſquequo peccatores gloriabuntur?

3 Quamdiu enim impij Domine,quamdiu impij te permittente & cõniuente gloriabuntur,quaſi impunè malefaciant?

4 Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniuſtitiã?

4 Quamdiu ſines eos è plenitudine peruerſi cordis ſui effundere & loqui iniqua?quamdiu faſtuosè loquentur?

5 Populum tuũ Domine humiliauerunt: & hæreditatem tuam uexauerunt.*

5 Audi enim Domine quàm ſuperbè glorientur,& quàm iniqua loquãtur Nam populum tuum Domine afflixerunt,*& quos tibi delegiſti in peculiarem tuam hæreditatem,variis malis affecerunt.

6 Viduam & aduenam interficerunt,& pupillos occiderunt.

6 Eos qui humana ope maximè deſtituti ſunt,quales ſunt viduæ,aduenæ,atque pupilli,crudeliter occiderunt.

7 Et dixerunt:nō uidebit dominus, nec intelliget Deus Iacob.*

7 Et cum hæc immania fecerint,dixerunt apud se:non cōsiderabit Dominus ea quæ facimus:*nec Deus Iacob habebit eorum rationē,vt aliquando ea vindicet.

8 Intelligite insipiētes in populo, & stulti aliquādo sapite.*

8 Vos autem qui tam estis insipientes in hominibus,intelligite tandē: *& qui tam stultam de Deo habetis opinionem,tandem quę recta sunt sapite.

*9 Qui plantauit aurem,non audiet?*aut qui finxit oculū non considerat?*

9 Qui capitibus hominum aures affixit,& potestatem dedit audiēdi,an non audiet quæcūq; vos superbè loquimini?*& qui oculos hominibus in fronte aptauit,& videndi facultatem concessit, an non ipse quoque considerabit quæcunque à vobis aguntur?

*10 Qui corripit gentes, nō arguet?*qui docet hominem scientiam.*

10 Qui ob scelera eorum frequenter iam corripuit varias gentes,an nō de vestris criminibus supplicium sumet?*is,inquam,qui omnes homines docet scientiam,insculpens eam animis omnium, & suggerēs vnicuique quod rectum,& quid maximè sequendum,an non vos abutentes scientia ab eo data,pro magistri officio arguet sua vltione?Ipse quoque,à quo homini est omnis quam habet prudentia,an non cognoscet omnia vestra,aut ex ignorantia,dictorum & factorum vestrorum vindictam de vobis non sumet? b

11 Dominus scit cogitationes hominum,quoniam uanæ sunt.

11 Certè Dominus non solum perfectā habet notitiam eorum quæ dicunt aut faciunt huiusmodi homines,sed & de cogitationibus eorū nouit ꝙ futiles sint & inualidæ,atque de omnibus omnino hominibus cognoscit,quòd quæ ex sese cogitant,vana sint & inefficacia.

12 Beatus homo quem tu erudieris Domine,& de lege tua docueris eum.*

12 Quare modis omnibus fœlix est ille Domine,quē tua doctrina imbuere dignaberis:*quemque in lege tua institueris.

*13 Vt mitiges ei à diebus malis,*donec fodiatur peccatori fouea.*

13 Quo tranquillitatem illi pares à temporibus istis malis,quibus boni ab impiis opprimuntur:*vsque dum parata fuerit peccatori fouea interitus,in quam incidat:quæ nunc ipso non aduertēte paratur ei,dū finitur bonis dominari.Hoc enim pręstat eruditio diuina,ac iugis legis Dei meditatio,vt tempore aduerso,priusquàm incidant eum interitum impij,quem suis facinoribus iam sibi effodiunt & parant,docti à Deo, mitius,tranquillius atque patientius illatam ferant afflictionem,ex Dei lege agnoscentes omnes ipsorum calamitates in bonum eorum cessuras,& eos qui affligunt,condignas aliquando criminibus suis pœnas daturos. c

14 Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.*

14 Intelligunt enim docti à Deo,quòd sua cura Dominus non destituet etiam in tribulationibus populum suum,*& quos in hæreditatem suam delegit,non derelinquet.

15 Quoadusque iustitia cōuertatur in iudiciū, & qui iuxta illam,omnes qui recto sunt corde.*

15 Quousque tandem id eueniat,quod certò futurum est,nempe vt iustitia Dei post aliquam dissimulationem procedat ad iudicandum pro populo suo,cúmque liberet,impiis condemnatis:*ac tum quidem omnes qui recto sunt corde,propinqui erunt iustitiæ diuinæ,camq; sequētur,approbantes atque amplexantes eam,cùm econtrariò impij Dei iustitiam auersabuntur & execrabuntur. d

16 Quis cōsurget mihi aduersus malignātes, aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?*

16 Quod autem suos Dominus nunquam sit derelicturus, vt demū ac tādem pro eis iustè sit iudicaturus,vel ex me discere licet.Nam cum ex meipso hostibus meis longè inferior sim,& ab omnibus desertus, quis alius præter Dominū surget pro me aduersus homines malignos * aut quis se mecum opponet hostibus iniquè me persequentibus?

*17 Nisi quia Dominus adiuuit me*paulominus habitasset in inferno anima mea.*

17 Nullum certè præter Dominum adiutorium expecto,neque pręter eum aliquem sufficere mihi puto,nisi enim Dominus auxilio fuisset mihi,*parum abfuisset,quin vita spoliatus habitassem apud inferos,immo breui futurum erat vt in mortem caderem.

*18 Si dicebam,motus est pes meus,*misericordia tua Domine adiuuabat me.*

18 Si quando videbatur mihi pes meus vacillare,& in periculum lapsus & interitus venisse me putabam,*misericordia tua Domine statim adfuit mihi,addens mihi robur,& stabilens me: e

19 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

19 Pro multitudine dolorum meorum,quibus per varias cogitationes intra me cruciabatur animus meus,vicissim multæ consolationes tuæ exhilarabant mœstam animam meam.

*20 Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis,*qui fingis laborem in præcepto?*

20 Atque hoc quidē maximè te suggerente me consolabatur & recreabat,ꝙ apud me sic cogitabam:num fieri poterit,vt commune quicquā tibi sit cum solio & potestate tyranni,cum eo,inquam,qui per pręceptū ac prætextu legis cogitat adducere afflictionem insontibus, * quive ad hoc impia decernit præcepta,vt homines affligat & opprimat ? Sanè quicunque talis est,tibi non sociabitur,nec acceptus tibi erit, cum tribunal tuum æquissimū sit,nec aliud tuis præceptis intendas,quàm hominum promouere salutem.

21 Captabunt in animam iusti,& sanguinem innocētem condemnabunt.*

21 Ipsi quidem impij animam meam præter meritum meum venabuntur,cupientes eam capere& perdere, méque innoxium condemnabūt, ac morti addicent.

22 Ve

22 Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutoriū spei meæ.*

22 Verùm contra hos Dominus factus est mihi loco asyli,in quo tutus lateam:*Deus meus factus est adiutorium,in quo fiduciam meam omnem collocaui.

23 Et reddet illis iniquitatē ipsorum,& in malitia eorum disperdet eos,disperdet illos dominus Deus noster.*

23 Et retorquebit in eos iniquitatem ipsorum,qua alios opprimere conati sunt:*& propter malitiam subuertet eos penitus,subuertet inquā, eos certissimò Dominus Deus noster.

ANNOTATIONES.

a LIBERE EGIT.]Hebrea habent: הוֹפִיעַ hophia quod pōt esse appare vel apparuit,sed sequētia indicāt,debere accipi vt sit imperatiuus.Septuaginta vidētur legisse הוֹפִיעָה hophiah , & illud acceperunt in tēpore præterito, nam hoc verbum.Psal.11.verterunt παῤῥησιάζω,quod libere agere vel dicere significat.

b QVI DOCET,&c.]Paraphrasis indicat dupliciter intelligi posse,quod dicit Deum docere hominem scientiam,nempe vel quia omnes docet quid maximè sequendū per lumen naturale,ac legē scriptam in cordibus hominum.Vel quia quæcunque homini est scientia,illi à Deo est,Indicat etiā orationem hāc imperfectā duobus modis perfici posse,scilicet vt aut repetatur:non arguet:aut vt intelligatur hæc pars carere suo antitheto, subintelligēda hoc modo:qui docet scientiam , quomodo non & vestra sciret mala?

c VT MITIGES,&c.]Per dies malos,quidā intelligunt tēpora nouissimi iudicij,à quibus bn̄ homini esse facit eruditio diuina,accipiúntq; dictionem,donec,pro quādo,vt sit sensus:vt bene ei esse facias à die malo nouissimo, quando parabitur peccatoribus omnibus fouea æternę perditionis. Verùm quoniam hæc acceptio huius dictionis noua est,& ea dictio exigit,vt dies mali,de quibus loquitur,intelligātur præcedere peccatoris perditionem,ideo per dies malos oportet intelligere tēpora illa,quibus finitur hic iustus vexari à malis.Notandum autem quod secundum hanc intelligentiā dictio,donec,dupliciter hic accipi potest.Primum, vt accipiatur denotare certum aliquod tēpus, quo impius perdetur,& tūc dicatur peccatori fouea fodi,vel effossa esse,qn̄ iam incipit Deus de eo supplicium sumere,& in interitum præcipitare. Itaque quod dicitur,donec fodiatur,exponi debebit, vsq; dū effossa fuerit.Secundo,vt,donec,accipiatur pro quandiu, & toto eo tēpore intelligatur peccatori fouea fodi,quo dominari permittitur in hoc mundo.Erit itaque sensus:vt tranquillo eū animo esse facias à diebus istis malis,quādiu impio foditur fouea,& quandiu adhuc impletur mensura peccatorum eius,post quam decreta de eo vltio sumatur.

d ET QVI,&c.]Græca non habent hanc interrogationem:nec vtrúmque relatiuum,qui,sed hoc modo, καὶ ἐχόμενοι αὐτῆς πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ. Quod iuxta Psalterium Romanum sic est translatū.Et qui iuxta illud,omnes qui recto sunt corde. Vetus autem,quā sequitur Augustinus,sic habet. Et qui habent eam,omnes recto sunt corde.Acceperunt enim qui sic transtulerunt dictionē, ἐχόμενοι,vt sit participiū ab,ἔχω,habeo , cùm hic sit nomen,vt patet ex regimine,significās propinquum & vicinum.Itaque sic sonat:Et propinqui eius oēs recti corde. Quæ verba cùm variis modis exponi possunt,accommodanda sunt ad lectionē Hebręorum,qui sic habent ad verbū:& post eam,vel illud, omnes recti corde.Vnde Hieronymus:& sequentur illud omnes recti corde. Quæ lectio hoc videtur indicare,ꝙ Dei iustitiam vel iudicium(nam ad vtrumque potest referri relatiuū apud Græcos & Hebræos)sequentur & approbabunt omnes recti corde.

e PAVLOMINVS,&c.]Apparet hic quædā sermonis incōuenientia,nā his verbis significatur,qđ etiamsi Dn̄s non adiuuisset,nō habitasset apud inferos,sed tn̄ parum abfuisse quin habitaret qui tamen nō videtur Prophetæ sensus.Proinde hac absurditate apparenti offensus,vt videtur, Cāpensis, ipsa Habræa sic accepit: nisi Dominus auxiliator meus , paulominus,habitauit in inferno anima vt ante paulominus fiat punctus,& præcedens, oratio sit defectiua,perficiēda hoc modo:Nisi Dn̄s auxilio fuisset mihi,periissem,parū enim abfuit quin habitauerit:&c.Alius verò simili,vt apparet,ratione motus,dictionē,paulominus,explicat p breui: Breui,inquit,habitasset anima mea in locis silētiū.

f NVNQVID,&c.]Communiter Latinorū codices habent,qui fingis,&c.& intelligunt quidam Prophetam hic sermonem suum cōuertere ad impiū,qui causatur præcepta Dei difficilia esse , vt sit sensus : Nunquid,ô impie,qui mendaciter astruis difficultatem esse in obseruatione præceptorum Dei,adhæret tibi inueterata malè agēdi consuetudo,in qua sedes & quiescis velut in sede ? Verū hic sensus præcedentibus & sequentibus impertinens est.Alij itaq; hæc verba Deo intelligunt esse dicta cui & prius Propheta loquitur.Et quidā intelligūt Deum fingere laborē in præcepto, quia ea præcepit quæ sunt homini ex infirmitate carnis laboriosa.Augustinus aūt legens,qui fingis dolorē in pręcepto,exponit Deum fingere,hoc est,cōstituere& facere dolorem in præcepto,quia de dolore pręceptum dedit, nempe quia præcepit suis dolores & calamitates patienter ferre.Posset & intelligi Deū fingere laborem,hoc est,dolorem & flagella cōstituit & comminatus est.Verùm hæc omnia aliena sunt à mente Prophetæ,qui sedem iniquitatis vult fingere laborem,hoc est,dolorem & molestiam in præcepto.Apud Græcos enim & Hebręos pro,qui fingis,est participium,fingēs, quod interpres quidem accepit in secunda persona,cum omnino debeat referri ad ipsam sedem,vt sit sensus:sedes , & thronus fingens laborem,quomodo apertè exponit Euthymius.Sed & D.Hieronymus in Commētariis legit,qui fingit.

Laus Cantici ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XCIIII.

PRæsens Psalmus primùm quidem Dei populum ad laudandum & colendum seriò Deum inuitat , tum quia omnium sit supremus,qui omnia fecit & gubernat:tum quia peculiariter nobis Deus esse dignetur pastor & curator suorum

fidelißimus. Deinde fideles omnes admonet ad obediendum uoci illius Domini potentißimi simul & optimi, adducens exemplum antiquorum, qui seipsos sua inobedientia priuauerunt terra promissæ quietis. Hæc autem exhortatione D. Paulus ad Hebræos secundum mysticam sensum subtiliter usus est, interpretans his uerbis nos admoneri, ne simus inobedientes, & increduli uoci Domini, ni uelimus excludi à requie cœlestis patriæ, quemadmodum ob incredulitatem sua n excluſi fuerint Israelitæ ab ingressa in terram Canan. Hanc enim intellexit figuram obtinuisse patriæ cœlestis, & cum admoneamur his uerbis, ne simus Deo inobedientes exemplo antiquorum, qui ob suam inobedientiam prohibiti sunt ingredi in requiē terræ promissæ eis, intellexit quoque per contrarium sensum nobis non obdurantibus cor nostrum, sed credentibus promitti hic introitum in requiem Dei quamuis expreßè hoc non promittatur. Porro etiam prior Psalmi pars, quæ inuitationem ad laudem Dei continet, ad nos singulariter pertinet, cùm à nobis maxime Deus laudandus modò sit, postquam per Christum saluator & pastor humani generis excellentiori ratione esse cœpit. Totus itaque Psalmus inuitat ad solidum Dei cultum, qui in duobus maxime consistit, nempe in laude ac uenerationē ipsius, & in obedientia eius.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Venite exultemus Domino: *iubilemus Deo saluatori nostro.*
*2 Præoccupemus faciē eius in cōfessione: * & in psalmis iubilemus ei.*
*3 Quoniam Deus magnus dominus: *& rex magnus super omnes Deos.*
*4 Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, * & altitudines montium ipsius sunt.*
*5 Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, *& siccā manus eius formauerunt.*
*6 Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante dominum qui fecit nos *quia ipse est dominus Deus noster.*
*7 Et nos populus pascuæ eius *& oues manus eius.*
8 Hodie si uocē eius audieritis, nolite obdurare corda uestra.
9 Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto.
*10 Vbi tentauerunt me patres uestri, *probauerunt & uiderunt opera mea.*
*11 Quadraginta annis offensus fui generationi illi, * & dixi: semper hi errant corde.*
*12 Et isti non cognouerunt uias meas, * quibus iurauī in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

1 VEnite cum exultatione, laudemus Dominum cum iubilo vocis *laudemus Deum propterea q̄ ipse sit saluator noster, qui ab hostibus nostris ac multis malis nos saluos fecit. Ps. 94.
2 Ante omnia maturemus & festinemus summo diluculo venire corā eo, cum laude ipsius, *& Psalmis iubilemus in honorem eius.
3 Ita enim exigit vt faciamus, primum quidem potentiæ eius magnitudo, tum & singularis eius in nos bonitas, nam Dominus noster est Deus magnus: *& Rex magnus præ omnibus qui à gentibus falsa appellatione dicuntur dij, aut qui ob aliquam excellentiā vocantur dij, siue in cœlo siue in terra.
4 In ipsius enim solius potestate sunt omnes fines terræ: * & summos vertices montium ipse possidet, ita vt nihil sit quantumuis eminens & altum, quod non sit in eius potestate.
5 Ipsius etiam est mare, nam ipse fecit illud, * & terram omnipotentia eius formauit: fecitque extare extra mare vt esset arida, quæ prius aquis tegebatur.
6 Venite itaque, adoremus & procidamus, & pro commissis peccatis nostris ploremus coram Domino qui fecit nos: *quia ipse est peculiariter Dominus Deus noster, quem, relictis idolis gentium, nos colendum singulariter suscepimus.
7 Et nos vicißim sumus populus, qui ab eo peculiariter pascimur: *& veluti grex ouium, qui ab eius prouidentia quasi pastoris manu deducimur & dirigimur.
8 Proinde cùm hic Dominus noster maximus simul sit & optimus, quā docunque vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra, ita vt eam vocem non suscipiatis, credendo & obediendo ei.
9 Sicut olim fecerunt patres nostri, cùm ad iracūdiam Deum sua incredulitate prouocauerunt, eumque in deserto tentauerunt. a
10 Ibi enim, inquit Dominus, patres vestri multis vicibus me tentauerunt, nunc ex diffidentia periculum cupientes facere potentiæ & veritatis meæ, nunc meis verbis obmurmurantes & diffidentes: *cùm tamen experti fuissent & vidissent opera mea mirabilia, quæ feceram coram eis, ex quibus merito intellexisse debuissent me omnia posse, nec aliquando illis defuturum.
11 Et quoniam sic me frequenter tentauerunt, & potißimum quia diffidebant se possessuros quam promiseram eis terram, ob hoc quadraginta annis infensus fui generationi illi prauæ, spatio quadraginta annorū eum populum variis plagis afficiens, donec omnes in deserto morerentur quotquot increduli fuerant. *Dixi enim: Hi, etsi multis à me affecti beneficiis, & frequenter admoniti, semper tamen persistunt in errore cordis sui. b
12 Non enim voluerunt cognoscere meam potentiam, iustitiam ac misericordiam, quas in omnibus actionibus meis adhibeo, nec mandata mea cognoscere & amplecti voluerunt: *Vnde factum est, vt iurauerim eis iratus, quòd non essent ingressuri in locum illum quietißimum, quē eis paraueram & promiseram. c

ANNOTATIONES.

a SICVT IN IRRITATIONE.] Pro dictiõe, irritatione, & tētationis, apud Hebræos ponūtur duæ illæ dictiones, quibus appellatus est locus ille, in quo Israelitæ Deum tentauerunt in Raphidim, cùm ob defectum aquæ murmurarent, nempe Meriba, Massa, pro quibus Hieronymus Exodi 17. vertit: Tentatio. Vnde putatur à quibusdam hic notari ea tentatio, qua populus Deum tentauit in Raphidim. Paulus tamen ad Hebræos interpretatur hic notari eam tentationem, qua populus Deū irritauit, cū nō crederet se posse obtinere terrā promissā, de qua propheta hic loq̄ satis patet ex fine.

Propter

Propter eam enim iurauit Dominus non ingressurum eum populum requiem paratam: neq; in ea tētatione, quę facta est in Raphidim apparet, quomodo populus obdurauerit cor suum, & vocē Dei non audiret, cùm nihil tunc legatur Deus dixisse illi populo.

b QVADRAGINTA, &c.] Psalteriū Romanū habet: proximus fui, quomodo qui vertit, legisse videtur in Græcis codicibus προσώχθισα, nō προσωχθήσα. Nā, vt testantur lexica, προσοχθίζω, significat ad littus appellere & propinquare: quāuis etiā significet idē quod προσωχθίζω, nempe offensum esse, & molestiā ex re quapiā accipere. Porro lectio Psalterij Romani cōsentiet in sensu cum lectione Græcorum & Hebræorum, si intelligatur Deus illis proximus fuisse in malum, nempe quod assiduè eos vindicauerit, nec vltricem suā manū ab eis amouerit.

c VT IVRAVI.] ὡς habēt Græca, hoc est, vt. At in epistola ad Hebræos legitur ὅς, id est, quibus, quomodo & habet Psalterium Romanū, & Augustini lectio, quomodo & Hebræa magis sunt vertenda, habent enim relatiuum.

Psalmus Dauid, quando domus ædificabatur post captiuitatem.

ARGVMENTVM PSALMI XCV.

PSalmus hic primi Paralip. 16. scribitur cum alijs decantatus, & ad decantādum ordinatus eo die, quo arcam domini Dauid transtulerat in tabernaculum à se in monte Sion erectum. Quoniam itaque eo tēpore res populi Israelitici optime sese habebant, salute iam & pace ei præstita ab uniuersis hostibus: ob id, quantū quidem ad literam attinet, inuitat Psalmus omnes primum gentes ad celebrandum Deum hymnis, offerendum ei sacrificia, & prædicandum apud omnes eius potētiam, splendorem, æquitatem, atque salutem præstitam: tum & omnes quoque creaturas ad lętitiam pronocat, & gaudijuras prædicit ob æquitatem Domini, qua, ut tunc facere cœperat, postulum fuit per Dauidem ab iniquorū hostium oppressione liberans, etiam totum orbem terræ iudicaturus erat. Cùm autem regnum Dauidis, ipsißimus typus fuerit regni Christi: & temporalis illa salus per Dauidem populo præstita, umbra quædam illius uerioris salutis, quæ per Christum toti orbi uentura erat, nihil dubium quin hac canens propheta in Christi regnum respexerit, in quod solum pleraq; huius Psalmi perfectè competunt, ut quæ dicuntur de salute & gloria Dei publicanda, & euangelizanda in omnibus gentibus, iudicando orbe terrarum quod iam per primum Christi aduentum ex parte impletum est, dum humanum genus ab iniquo dæmonis imperio assertum est, sed consummatè implebitur in secundo Christi aduentu, in quo reddet unicuique secundum merita sua. Proinde secundum mysticum sensum & principaliorem, præsens Psalmus, uocatio est omnium gentium ad laudem Dei, ob salutem mundo per Christum præstitam, & iudicium eius æquißimum, quo suos iudicat & iudicabit. Porro q̄, in titulo nostri codices habent: Laus cantici Dauid, quando domus ædificabatur post captiuitatem: cum Hebræa non habeant, adiectū est ab aliquo, forte quia Psalmus hic cantatus fuerat à Leuitis tempore Esdræ, cùm templum reædificabatur post captiuitatem Babylonicam, Psalmos enim Dauidicos fuisse tum ab eis decantatos, testatur scriptura, 1. Esdræ 3.

ANNOTATIONES.

*1 Cantate domino canticum nouum, *cātate domino omnis terra.*
*2 Cantate domino, & benedicite nomini eius: * annūtiate de die in diē salutare eius.*
*3 Annuntiate inter gentes gloriā eius, * in omnibus populis mirabilia eius.*
*4 Quoniam magnus dominus, & laudabilis nimis, *terribilis est super oēs deos.*
*5 Quoniam omnes dij gentium dæmonia, * Dominus autem cœlos fecit.*
*6 Confessio & pulchritudo in conspectu eius, * sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.*
*7 Afferte domino patriæ gētium, afferte Domino gloriā & honorem, * afferte domino gloriam nomini eius.*
*8 Tollite hostias, & introite in atria eius, *adorate dominum in atrio sancto eius.*
*9 Cōmoueatur à facie eius uniuersa terra, *dicite in gētibus, quia dominus regnauit.*

CVm iam Dominus nouum nobis beneficium contulerit, ob id etiā modò nouum carmen canite in honorem ipsius. *Canite autē non Israelitæ tantum, sed etiam omnes terræ habitatores, vt quibus hic Dominus omnibus communis & idem est. Ps. 95.
2 Cantate in honorem Domini, & collaudate nomen eius, *prædicate per singulos dies salutem quam ipse attulit nobis, liberans nos ab omnibus per circuitum inimicis nostris. a
3 Quo autem vestra prædicatione etiam gentes, relictis idolis, ad cultū vnius verique Dei conuertantur, narrate etiam apud gentes maiestatē eius: *& apud omnes populos mirabilia opera eius, quæ pro suis operatus est.
4 Magnus est enim Dominus in potentia, sapientia, iustitia atq; bonitate, & propter suam magnitudinem dignus est, qui & multum laudetur, *& timeatur plusquam omnes qui vsquam habentur pro diis. b
5 Quoniam omnes, quos gentes habent pro dijs, sunt impia & fallacia dæmonia, quæ in idolis gentiū coluntur: *at verò Dominus noster ipse est qui cœlos fecit.
6 Quicquid est coram ipso, confessione dignum est, ac summè decorū, *sanctitas eius eximia, & magnificentia maiestatis eius relucent in sancto templo eius, quod sibi in nobis delegit, & maximè in eo quod in cœlis sibi peculiariter elegit.
7 Proinde in sanctuarium eius afferte Domino omnes vos familiæ gentium, relictis idolis vestris: afferte, inquam, ante omnia gloriam, quę conuenit nomini eius.
8 Tum & arripite hostias, & cum eis introite in atria eius: * prosternite vos ante Dominum in atrio sancto eius. c
9 Sancto timore ac reuerentia commoueantur ab ipso omnes qui habitant terram: *id vt fiat, euulgate in gentibus, q̄ Dominus solus est qui regnum in omnia obtinet.

10 *Et enim correxit orbem terræ,qui non commouebitur *iudicabit populos in æquitate.*

11 *Lætentur cœli,& exultet terra, cõmoueatur mare,& plenitudo eius,* gaudebunt campi,& omnia quæ in eis sunt.*

12 *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie domini quia uenit quoniam uenit iudicare terram.*

13 *Iudicabit orbem terræ in æquitate,* & populos in ueritate sua.*

10 Ipse enim in mundi exordio direxit,ac egregia virtute stabiliuit orbem terræ,ita vt non sit commouendus de loco suo in æternum:* Ipse quoque in cõsummatione sæculi iudicabit omnes populos cũ æquitate summa,reddens vnicuique secundum merita sua,qui etiam interim omnes populos æquissimè moderatur,atque gubernat. d

11 Propter quod tunc lætabuntur cœli,& exultabit terra: commouebitur præ lætitia mare cum omnibus quæ in eo sunt:* gaudebunt campi & omnia quæ sunt in eis.

12 Tunc & omnia ligna syluarum exultabũt propter Dominũ,eo quod aduenerit,*quod,inquam,aduenerit ad iudicandum vniuersam terrã. Quicquid enim vsquam est creaturarum rationabilium in cœlis, in terra,in mari, in campis & syluis, ad aduentum Domini communi lætitia gaudebit,omnésque omnino creaturarum differentiæ materiam diuinæ laudis præbebunt,imo suo quoque modo hominibus redẽptis congaudebunt,vt quæ propter homines factæ sint,& quæ homine restituto etiam ipsę restituentur,sicut filiis Dei hic adhuc laborantibus semper congemiscunt corrũptioni subiectæ.

13 Lætabuntur,inquam,omnia ob aduentum Domini ad iudiciũ.Nam cum summa æquitate iudicabit orbem terræ,*& populos secundum iustitiam suam.

ANNOTATIONES.

a ANNVNTIATE,&c.]Nó est hoc loco Græcis idem verbũ quod sequenti versu,sed verbum nouo testamento congruens εὐαγγελίσασθε, euangelizate,quod etiam Hebręa dictio significat, pro qua Augustinus legit,bene nuntiate.

b PATRIÆ,&c.] Interpres reliquit dictionem Græcam πατρίδι,quæ tamen Græcis non idẽ significat,quod Latinis patria.Nam illis significat tribũ & familiam.Vnde hoc loco dictio hæc accipienda vt Græca,non vt Latina.

c TOLLITE,&c.]Nó est apud Hebręos,hostias, sed מִנְחָה minha, quod nomẽ significat non hostias & oblationes ex pecudibus,sed libamẽta,quæ pane,vino,& oleo,&c.cõstabãt:vt hic meritò intelligi debeat insinuari sacrificium Eucharistiæ,quod constat in pane & vino,& solum relictũ est ecclesię gentium pro omnibus sacrificiis legalibus.

d ETENIM,&c.]Hebræis idem verbũ est quod Psal.92.vbi habemus:Etenim firmauit orbẽ terræ. Notandũ enim Septuaginta verbũ Hebraicũ, כּוֹן Koan,nunc vertere per κατωρθῶσθαι,quod est corrigere:nunc per ἑτοιμάζειν,qđ est parare:nũc per στερεόω, quod est firmare.Vnde & cũ Psalmo prędicto 92. sequitur:Parata est sedes tua:& cùm Psal. 98.dicitur.Tu parasti directiones:semper est idem verbũ, sicut & psalmo sequenti,vbi legimus:iustitia & iudicium correctio sedis eius:pro correctio,& vt habent Græca,κατόρθωσις.Hebræis est nomen à prędicto verbo deductum,pro quo psalmo 88.verterũt Septuaginta ἑτοιμασία, præparatio, cùm sit alioqui Hebræis idem versus.Vnde Hieronymus vtrobiq; vertit:Iustitia & iudicium firmamentum throni. Omnibus enim illis locis verbum firmandi & stabiliendi magis conuenit, quod Hebręa dictio etiã magis significat.

Psalmus ipsi Dauid,quando terra ei restituta est.

ARGVMENTVM PSALMI XCVI.

OCcasionem huic Psalmo dedisse uidetur insignis aliqua de hostibus cœlesti uirtute relata uictoria,in qua mirabiliter de cœlo saluificam suam potentiam declarauerat Deus,tempestate scilicet sæua hostibus immissa,quemadmodũ fecerat in mari rubro,& aliàs aliquoties,quomodo & pro se Deum fecisse Dauid prolixè describit Psalmo 17.& ut faciat precatur Psalmo 143.Itaque ob hanc ipsius iustitiã suos uindicantẽ ab impijs,monẽtur omnes homines,ac potißimũ iusti, ad gaudendum:gentes,ad idolorum detestationem:angeli,ad reuerentiam Dei:iusti uerò,ad odiũ uitiorum,eo q; iustitiæ studeant& iniquitatem odientes custodiat Dominus,& ab impiorum uiolentia liberet. Vt autem omnis temporalis salus ueteri populo per Dei æquitatem præstita,figura fuit eius salutis,quam Christus summa æquitate nobis attulit,ab iniquo dæmone humanum genus liberans,eius quoque quam consummatius per suam iustitiam asseret omnibus electis in nouissimo iudicij die,cùm ab omni malorum metu liberabuntur:ob id secundum mysticum sensum accipiendus est Psalmus,ut sit gratulatio de regno Christi,ob eius æquitatem,cuius maiestas atque potentia per cœlestia signa iam declarata est,dùm igne spiritus sancti suos cum tempestate afflauit in die Pentecostes,& cœlesti sua uirtute corruscante in mundo,per apostolos uerbo & portentis regna idolorum & gentium,quæ tanquam montes stabant,instar ceræ defluxerunt,partim' uoluntate,partim ui Christi subiecta.Et euidentius suam potentiam in secundo aduentu suo ostensurus est,cùm uenturus est in nubibus & caligine ad iudicium,igne & fulminibus ipsum præcedentibus:præclariùs multo ac magis tremendè suam potentiam exhibiturus,quàm illa tempestate,qua in monte Sinai suos exterruit,ad quam hic alluditur. Proinde Paulus de Christi regno hunc Psalmum canere intelligens,ad Heb. 1.de Christo dictum interpretatur quod hic dicitur:Adorate eum omnes angeli eius.Vnde & alios Psalmos huic similes de Christo intelligendos mysticè,secundum spiritus intentionem ex Pauli interpretatione docemur.Quod autem titulus habet:Psalmus ipsi Dauid,quando terra eius restituta est,uel melius,secundum significationẽ uerbi Græci καθίστατο,constituta est,apud Hebræos non est.Itaque adiectum est ad significandum Psalmũ hunc à Dauide editum,cùm iam terra eius pacem & tranquillitatem obtinuisset,hostibus populi deiectis, hoc est enim terrã eius restitutam & constitutam fuisse,ut interpretatur Euthymius & Hieronymus.

PARA

1 *Dominus regnauit,exultet terra,* lætentur insulæ multæ.*

2 *Nubes & caligo in circuitu eius.*
**Iustitia et iudicium correctio sedis eius.*

3 *Ignis ante ipsum præcedet:*& inflammabit in circuitu inimicos eius.*

4 *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ,*uidit,& commota est terra.*

5 *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini*à facie Domini omnis terra.*

6 *Annuntiauerunt cœli iustitiam eius,* & uiderunt omnes populi gloriam eius.*

7 *Confundantur omnes qui adorant sculptilia,* & qui gloriantur in simulachris suis.*

8 *Adorate eum omnes angeli eius,* audiuit,& lætata est Sion.*

9 *Et exultauerũt filiæ Iudæ, propter iudicia tua domine.*

10 *Quoniam tu dominus altißimus super omnem terrã,* nimis exaltatus es super omnes Deos.*

11 *Qui diligitis dominũ odite malũ,* custodit Dominus animas sanctorum suorũ, de manu peccatoris liberabit eos.*

12 *Lux orta est eis,*& rectis corde lætitia.*

13 *Lætamini iusti in Domino,*& confitemini memoriæ sanctificationis eius.*

DOminus noster ipse est,qui imperium in omnia obtinet:ipse iã deuictis hostibus nostris se regnare & dominari declarauit,ac nouo modo regnare cœpit.Proinde vniuersi habitatores terræ,relictis idolis suis,exultent in eo,*gaudeant & hi qui longè à terra distantes incolũt insulas numero plurimas. Psa.96.

2 Vt autem intelligatis quomodo hostes nostros prosternens se regnare declararit,ecce cum ad pugnandum pro nobis, & vindicandum nos veniret,nubes caliginosa erat circa illum:in nube tenebrosa,quam subito oriri ad terrorem malorum iussit,præsentem se,sed tamen inuisibilẽ declarans,atq; in ea nube se nobis quasi iudicem in tribunali sedẽtem exhibens.*Ipsius autem iudiciariam & regalem sedem,rectam & æquã faciunt atque confirmant iustitia & iudicium,ita vt his perpetuis comitibus sedem ipsius dirigentibus,nihil valeat agere & iudicare,nisi quod æquum sit & iustum. a

3 Ex ipsis autem nubibus,in quibus deliteſcebat & resĭdebat,secũdum iustitiæ ipsius æquitatem,in executionẽ vindictæ præcessit ante ipsum ignis fulminum,*& vastauit vndique hostes illius:quemadmodũ & factum ab eo fuit in mari rubro,cùm pro assertione suorum,igne misso è cœlo,Pharaonem cum suis præcipitabat in mari.

4 Illuxerunt fulgura eius orbi terræ:*quare videntes hæc habitatores terræ,timore magno commoti sunt.

2 Montes,in modum ceræ,ob ignis præsentiam liquescentis & diffluẽtis,videbantur per ignis vorantis impetũ è cœlo demissi, diffluere propter præsentiam domini:*præsentiam,inquam,Domini vniuersæ terræ, quemadmodum olim contigit,cùm in monte Sinai lex daretur, qui totus ignis vi dissolui videbatur. b

6 Ipsi cœli testati sunt Dei iustitiam,dum ex eis vi tempestatum impios pro sua iustitia vindicauit,ac suos liberauit Deus:*& viderunt vniuersi populi maiestatem eius, quæ per prodigia magna è cœlis ostensa,sese omnibus exeruit.

7 Cùm itaque omnibus Dei nostri gloria satis sit declarata, pudeſiant omnes qui venerantur sculptilia:*& qui sibi placent in suis idolis, atq; intelligentes deorum suorum vanitatem,qui nihil tale vnquam præstare potuerunt,qualia noster designauit admodum multa, verum,vnũq; Deum nobiscum colant.

8 Quin & vos angeli ipsius ita,vt facitis,illum semper venerari debetis, vt qui est communis omnium & hominum & Angelorum Dominus: *Qui montem Sion incolunt,audierunt quæ pro suorum salute Dominus operatus est secundum suam iustitiam,& lætati sunt.

9 Sed & quotquot habitãt in ciuitatibus Iudæ,exultauerũt propter æquissima iudicia tua Domine,quibus tuos vindicasti,oppressis impiis.

10 Tu enim Domine iam declaratus es esse altissimus super vniuersam terram:*per hæc admiranda quę designasti,cognitus es infinitis modis altior esse omnibus aliis qui pro diis habentur.

11 Vos qui diligitis Dominum,constanter odio habete omnem malitiam:*custodit enim dominus animas sanctorum suorum,quemadmodum nunc ipso opere declarauit,de tyrannide impiorum liberabit eos.

12 Nunc certè gratissima lux diuini fauoris,qui ad tempus nobis sese occultrauerat,iustis orta est:*nunc rectis corde magna lætitiæ materia data est,quando suam æquitatem & bonitatem suis palam modo ostendit.

13 Proinde quotquot iusti estis,lætamini in Domino,eo q; sentiatis eũ vos tam propitium habere,* vestraque confessione & laude celebrem facite memoriam sanctitatis eius,vt eam passim homines recordentur cum laude ipsius, intelligentes tam sanctum esse dominum nostrum, vt nulli iniquitati vnquam faueat,ac sanctitati studentes nunquam derelinquat.

ANNOTATIONES.

a NVBES ET,&c.]Plerique existimant,omnia quæ hic canũtur debere ad literam referri ad regnum & aduẽtum Christi:partim,quia ille futurus legitur in igne & nube:partim,propter Pauli citationem ad Heb.1.Verùm quæ hic canũtur de nube,igne,& fulminibus,& aliis similibus verbis,de Deo canuntur,vbi manifestè de Christi aduẽtu ad literam non est sermo,vt Psalmo 17.& 143.versus etiam quartus:Alluxerũt,&c.ponitur etiã in psalmo 76.vbi impletus canitur in submersione Ægyptiorum in mari rubro.Et qui sequitur:Mõtes,&c. ponitur etiam in cantico Deborę,pene eisdem verbis,& impletus canitur ĩ mõte Sinai,cũ à Deo lex daretur.Proinde ad literã hæc sic sunt intelligenda

quomodo ea quæ canuntur Psalmo 17.vt scilicet intelligamus Dauidē canere Deū sibi cōtra hostes adfuisse in nube & igne fulminū, vt frequēter pro suis Deum pugnasse leginus è cœlo. Aut prophetā voluisse Dei magnificentiā canere,ab his quæ aliquando prius pro suis mirabiliter è cœlo operatus fuerat. Videri etiam potest eadem canere hic Psalmus,quæ psalmus 47.& editus occasione alicuius victoriæ,quæ peculiariter alicui regi Iudæ cōtigit: qualis erat victoria Iosaphat aut Ezechiæ, eo ꝙ & hic dicitur: Lætata est Sion,& exultauerūt filiæ Iudę,&c. quod & canitur psalmo 47. Quod autē attinet ad citationem Pauli,frequens est Paulo citare ex psalmis testimonia secundum sensum mysticū: secundum quem quæ hic dicuntur referri possunt ad aduentum Christi & primum & secundum,vt ostendit argumentum. Non enim quia nostra litera habet ad Hebræos: Et cùm iterū introducit, &c. Paulus voluit indicare hęc pertinere ad secūdum Christi aduentū. Illud enim,iterum non debet referri ad verbum,introducit, sed significat tantum aliam scripturam à Paulo citari de Christo. Heb.1.

A FACIE,&c.] Legendū est,terræ,per genitiuum non terra. Nā Græca habent: κυρίου πάσης τῆς γῆς. Et apud Hebræos nomē,Domini,ponitur in regimine. Augustinum quoq; legisse genitiuum, terræ,patet ex interpretatione eius,quāuis contextus habet mendosè,terra. Sic enim scribit explicans ea verba: A facie Domini,&c. Non Iudæorum tātum Deus,sed & gentium Dominus: ergo vniuersæ terræ Dominus Iesus Christus in Iudęa natus,sed nō Iudeæ tantum natus. b

Psalmus Dauid

ARGVMENTVM PSALMI XCVII.

IDem argumentum est præsentis Psalmi,quod Psalmi 95.cum quo & in verbis satis conuenit. Canit enim etiā iste,quantum quidem ad literam & ad typum attinet,salutem quam Deus præclarè attulit populo suo,regnante Dauide. Quantum autem ad spiritum & ad veritatem pertinet,canit eam salutem,quam patrauit saluator noster Christus,quæ quoniam omnibus gentibus est communis,imo et iam ad cunctas irrationales creaturas peruentura est,ob id meritò & omnes mortales ad laudem Dei,& omnes creaturas ad gaudendum in Deo prouocat.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Cantate domino canticum nouum:*qui mirabilia fecit.*

*2 Saluauit sibi dextera eius * & brachium sanctū eius.*

*3 Notum fecit dominus salutare suum, * in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.*

*4 Recordatus est misericordiæ suæ, * & veritatis suæ domui Israel.*

5 Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

6 Iubilate Deo omnis terra, cantate,& exultate, & psallite.

*7 Psallite Domino in cithara & voce psalmi,*in tubis ductilibus,& voce tubæ cornea.*

*8 Iubilate in conspectu regis domini, moueatur mare & plenitudo eius:*orbis terrarum,& qui habitant in eo.*

*9 Flumina plaudent manu simul montes exultabunt à conspectu domini, *quoniam uenit iudicare terram.*

10 Iudicabit orbem terrarū in iustitia, & populos in æquitate.*

CVm noua beneficia nouo sint celebranda carmine: Cantate nunc in honorem Domini canticum nouum: * fecit enim iam recenter valdè admiranda. Ps. 97.

2 Ecce enim cùm nemo adesset nobis qui defenderet nos,omnipotentia eius,non aduita alienis viribus,sed per se solam,salutem nobis attulit,*& robur illius sanctissimum,quod iniquitati nunquam fauet. a

3 Salutem,quam nobis promiserat,iam notam fecit, postquam eā ipso opere exhibuit:*iam etiam coram gentibus patefecit suam iustitiā,quā doquidē manifestè ea præstitit quæ pollicitus fuerat, & impios nostros hostes sua æquitate prostrauit.

4 Cumque multo tempore visus fuerit oblitus nostri,iam declarauit se memorem esse,iamque rationem habuit misericordiæ, & veritatis suæ erga populum Israeliticum,promissam ei misericordiam exhibens.

5 Viderunt enim quotquot etiam in finibus terræ habitant,salutem, quam nobis Deus noster attulit.

6 Iubilate itaque in honorem Domini quotquot inhabitatis terrā, cantate,& exultate,& psallite.

7 Psallite in honorem Domini cithara,cithara inquam,sed adiuncta voce cātici:*in tubis quoque ductilibus,& sonitu tubæ cornęæ;omnibusque instrumentorum musicorum generibus:& omni quo potestis modo cordis lætitiam foris testemini.

8 Iubilate coram Domino,qui iam regnū in nobis susciperе dignatus est,commoueatur præ gaudio mare cum omnibus quæ in eo sunt,*vniuersus quoque orbis terrarum,& quotquot habitant in eo.

9 Flumina fluctuum allisione,quasi complosis manibus,gaudia sua testentur,simul & montes exultent propter Dominum:*quoniā ipse venturus est ad iudicandum terram,quemadmodum & iam venit,incipiēs pro suis iudicium exercere. b

10 Et quidem meritò omnes creaturæ ob Domini aduentum gaudere debent. Iudicabit enim orbem terrarum secundum iustitiam:*& populos vniuersos cum æquitate summa,reddens vnicuique secundum opera sua.

ANNOTATIONES.

a SALVAVIT,&c.] Plerique Græcorum codices habent ἐσωσεν αὐτὸν ἡ δεξία αὐτοῦ, id est, saluauit eum dextera eius. Atq; in hunc modum legit Euthymius,qui,eum,refert ad populū Dei. Et Romanum Psalterium habet,eum. Quidam tamē etiam Græci codices habent datiuum αὐτῷ, quemadmodum & Hebręa datiuum habent. Interpretatur autem Augustinus datiuū,sibi,vt sit sensus: Dextera Dei

Dei saluabit nos sibi,hoc est,in suam gloriam, cui nos saluatos studere vult. Verum magis accipi debet secundum phrasim Hebraicam, vt hoc datiuo intelligamus singificari Deum per se, non adiutum alienis viribus, saluasse. Est autem similis locutio Isaiæ 59.& 63.

MOVEATVR,&c.] Huiusmodi prosopopœia frequenter vates vtuntur ex nimio Dei amore, etiam eas creaturas ad laudandum Deum,& gaudendum in Deo inuitātes,quæ gaudere & laudare nequeunt volentes hoc modo significare Dei beneficia, Deique bonitatem & potentiam à nobis satis celebrari non posse,& ob id se optare, vt omnes creaturæ Deum laudarent,si id fieri posset,volentes etiam nos admonere quàm debeamus nos in Deo gaudere, & eum laudare, quando istud & creaturæ irrationales debent. Hoc tamen loco specialiter creaturæ irrationales ad gaudendum ob aduentum Dei inuitantur, quoniam & ipsæ tunc liberabuntur à seruitute corruptionis, propter quam Paulus eas ingemiscere asserit. b

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI XCVIII.

CAnit & hic Psalmus regnum Dei quo in veteri populo olim Deus regnauit,& maximè Dauidis tempore, arcæ Domini iam in monte Sion collocatæ: ob cuius potētiam sapius Israeli declaratam,sanctitatem quoque & æquitatem, ad colendum ipsum & prædicandum maximè in monte Sion inuitat proponens in exemplum Moysen, Aaron,& Samuelem: qui quod præceptorum Dei studiosi fuerint obseruatores,semper meruerunt in suis precibus à Deo exaudiri. Vt autem regnum illud,quo olim in veteri populo Deus regnauit,initium quoddam & figura fuit eius regni, quo per Christum nouo modo regnare cœpit in vniuerso mundo: ita à nobis hic Psalmus mysticè accipiēdus est canere potentiam & æquitatem regni Christi,qui inuisito maiorem & altiorem sese exhibet in Sion cœlesti,ecclesia scilicet Christianorū, quàm olim in urbe Sion. Huius itaque scabellum adorare præcipimur,hoc est,corpus sanctissimum, quod velut diuinitatis eius scabellum est, & quasi arcæ propitiatorium: coram quo fide incurnati reconciliamur Deo. quādoquidem Christum,teste Paulo,proposuit nobis pater propitiatorem,vel,vt habent Græca,propitiatorium per fidem in sanguine ipsius.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 † Dominus regnauit,irascantur populi, * qui sedet super Cherubin, moueatur terra.*

*2 Dominus in Sion magnus * & excelsus super omnes populos.*

*3 Confiteantur nomini tuo magno quoniam terribile et sanctum est * et honor regis iudicium diligit.*

*4 Tu parasti directiones, * iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.*

5 Exaltate Dominū Deū nostrum, & adorate scabellum pedum eius.* quoniam sanctum est,*

6 Moyses & Aaron in sacerdotibus eius,& Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.*

7 Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.*

8 Custodiebant testimonia eius & præceptum quod dedit illis.

DOminus est,qui imperium in omnia obtinet, quiq; deuictis hostibus nostris nouo modo iam in nobis regnare cœpit: irascantur & indignentur quantum voluerint incredulæ nationes,nihil vnquam suis viribus profuturæ contra Domini nostri potentiam:* is,inquam,dominus regnum suscepit,qui sedet super Cherubin,angelorum omnium & hominum Dominus: moueantur contra eum terreni homines vt volūt nihil tamen omnibus suis machinationibus vnquam proficient.† Aut potius salubri timore commoueantur habitatores terræ à declarata insigniter eius potentia, atque sibiipsis irascantur,quòd tanto domino tandiu rebelles fuerint. Ps. 98. a

2 Dominus est,qui in Sion magnus est:* & potestate in omnes populos sublimis. Neque enim cellitudo potentiæ eius tantum se extendit ad eum locum in quo colitur,aut ad populum suum,sed ad omnes omnino populos.

3 Dignum itaque est,quemadmodum & quandoque futurum est, vt omnes populi laudem dicāt nomini tuo magno,est enim illud ob summam potentiam vnicè metuendum,& simul etiā sanctum ob summam ipsius æquitatem:* nam quamuis potentissimus sit dominus, non tamen tyrannidem in aliquos exercet, sed regia ipsius dignitas & potestas æquitatem diligit, quam & in omnibus suis operibus,& erga omnes semper seruat.

4 Tu enim domine semper designasti quæ recta sunt:* quod æquum est & iustum in posteris Iacob exercuisti semper, summa æquitate eos nunc affligi permittens,nunc rursum liberans.

5 Hunc igitur dominum Deum nostrum potentissimum simul & iustissimum omnes quantum in vobis est exaltate,altitudinem eius hymnis & laudibus canentes,vestráque prædicatione eam alijs notam accelebrem reddentes;* & in reuerentiam eius qui sedet in medio duorum Cherubin,prosternite vos coram propitiatorio arcæ eius,quod est quasi scabellum pedum eius.* Est enim ipse sanctissimus, & propter nimiam eius sanctitatem etiam hoc scabellum eius sanctum est ac reuerendū.

6 Vt autem intelligatis quanto cum fructu sitis eum veneraturi & inuocaturi,eorum vos doceant exempla,qui religionis nostræ prima fuere capita. Ecce enim Moyses & Aaron inter sacerdotes eius,& Samuel vnus ex his qui inuocant nomen eius. b

7 Hi,inquam, imploraverunt Dei auxilium, & ipse exaudiebat eos: * & quo suam erga illos familiaritatem ac beneplacitum magis testaretur,è nube,quæ formam columnæ habebat,loquebatur ad eos.

8 Obseruauerunt enim mandata ipsius & cæremonias,quas præscri-

*9 Domine Deus noſter tu exaudiebas eos: * Deus tu propitius fuiſti eis,† & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.*

pſerat eis,atque ob id tantopere Deo placuerunt.
9 Domine Deus noſter tu exaudiebas eos frequenter orantes pro populo* Deus tu ad preces illorum propitius fuiſti patribus noſtris clementer remittens quod contra te iniquè geſſerant: † & quia tibi illi ſummè placuerunt, tu etiam ſubinde, vltus es ſtulta conſilia, & iniqua opera patrum noſtrorum, cùm ſanctis illis tuis obmurmurarent & reſiſterent.

*10 Exaltate dominũ Deũ noſtrum, * & adorate in monte ſancto eius, quoniam ſanctus dominus deus noſter.*

10 Itaque vt quod ſemel dixi, rurſum concludendo repetam,hunc Dominum Deum noſtrum tam potentem,iuſtum,& erga ſuos beneuolum omnes exaltate,* & proſternite vos coram ipſo in ſancto ipſius monte Sion. eſt enim ſanctiſſimus Dominus Deus noſter,atque ob id omni reuerentia & laude dignus.

ANNOTATIONES.

a QVI SEDET,&c.]Sedet legendum eſt,vt habẽt libri correctiores, & Auguſtini lectio. Eſt enim Græcis & Hebræis participium,ſedens,quod refertur ad præcedens nomen,Dominus.Et admonuit D.Auguſtinus repetendum verbum,regnauit.

b QVONIAM,&c.]Recepta quidem lectio habet neutrum genus, ſanctum. Et bene ſcabellum Dei
Exod.3. ſanctum dicitur,quomodo terram illã,in qua Moyſes ſtabat,Dominus ſanctam dicebat. Verũ Græca habent genus maſculinum,ὅτι ἅγιός ἐϛι,quoniã ſanctus eſt,quemadmodum & ex Hebræo vertit Hieronymus,quanquam in Hebræo nomen קָדוֹשׁ cados, accipi poteſt in vtroque genere. Magis enim conuenit accipere in maſculino, vt ad Dominum referatur,non ad ſcabellum:quia in fine Pſalmi,vbi verſus iſte repetitur,dicitur:ſanctus Dñs Deus noſter.Auguſtinum quoque legiſſe maſculinum,ſanctus,manifeſtè ipſius enarratio oſtendit, quamuis contextus habeat,ſanctum,vitio certè ſcriptorum. Sic enim ſcribit: Ideo & ad terram quamlibet cum tu inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis,ſed illum ſanctum cuius pedum ſcabellum eſt quod adoras propter ipſum enim adoras. Ideo & hic ſubiecit:Adorate ſcabellũ pedũ eius,quoniã ſanctũ eſt. Quis ſanctus eſt?In cuius amore adoras ſcabellu pedũ eius.D. Hieronymum quoq; legiſſe, ſanctus eſt, commentaria indicant. In quibus ſic ſcribit: Multæ de ſcabello opiniones ſunt,ſed hic Propheta corpus Dominicum dicit in quo maieſtas diuinitatis tanquam ſuper ſcabellum ſtat.Sanctum enim eum dici ſæpe docuimus.Cum enim dicit ſanctum eum dici,&c. manifeſtè oſtendit ſe legiſſe genus maſculinum. Proinde ſatis apparet vitio ſcriptorum neutrum genus in noſtris codicibus irrepſiſſe.

PROPITIVS,&c.] Plerique quidem relatiua, eis & eorum,referũt ad Moyſen, Aaron,& Samuelem,oſtendentes quomodo omnes peccauerint, & puniti ſint à Deo,cum tamen de peccato & vindicta Samuelis ſcriptura nullam faciat mẽtionẽ. Sed neque hic ſenſus conuenit intentioni prophetæ, qui & prius dixit hos viros cuſtodiſſe Dei teſtimonia, & his verbis vult oſtendere Dei erga iſtos beneuolentiam,& quàm hi Deo fuerint grati. Proinde melius hæc relatiua referenda ad populum, cui illi præfuerunt. Nam Hæbraïs frequens eſt,relatiua ſine antecedente ponere, quando ex ſubiecta materia certum antecedens facile poteſt intelligi: Aut ſi omnino relatiua prædicta referenda ſunt ad Moyſen, Aaron,& Samuelem,iam conueniens erit cum Euthymio in paſſiuo ſenſu accipere illud adinuentiones eorum, vt ſignificentur adinuentiones, quæ aduerſus illos compoſitæ & ſtructæ fuerunt.

Pſalmus in confeſsione.

ARGVMENTVM PSALMI XCIX.

HOrtatur hic Pſalmus omnes,& maximè Dei cultores,vt agnoſcentes Dominum ſuum,ſolũ eſſe uerũ Deum,ipſumq; eſſe,qui nos & fecit,& paſcit:frequentes,lubentes,& læti templum Dei adeant, ipſum in ſacro cœtu laudaturi, & prædicaturi,idque maximè de perpetua illius miſericordia & fide.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Iubilate Deo omnis terra, *ſeruite Domino in lætitia.*

IVbilate in honorem Domini,quotquot inhabitatis terrã,*colite Dominum cum lætitia cordis. Ita enim conuenit eum colere,vt quẽ ſentiatis vobis eſſe propitium.Ita quoque coli à nobis vult, vt qui hilarem cultorem diligat,triſtem autem aut coactum reiiciat cultum. Pſ.99.

2 Introite in conſpectu eius, in exultatione.

2 Venite in conſpectum eius cum exultatione,vt in ſacro cœtu eum lætilaudetis,lætitiam cordis etiam vocis iubilo,ac totius etiam corporis geſtu teſtantes.

*8 Scitote quoniã Dominus ipſe eſt Deus: * ipſe fecit nos,& non ipſi nos.*

3 Id vt faciatis,perpendite q̃ Dominus noſter,quem colimus, ipſe ſolus eſt verus Deus:*ipſe fecit nos,& nequaquam noſipſos fecimus.Propter quod planè congruum eſt,vt læti eum colamus,tum quia verum a
Deum præ aliis gentibus nacti ſimus,tum quia ipſe nobis creator eſt. Neque enim à nobis ipſi ſubſiſtimus,vt ipſi ſeruitutem & cultum negare poſſimus.

4 Populus eius & oues paſcuæ eius.

4 Perpendendum autem & illud,quod non ſolum fecerit nos (quod quidem cum omnibus creaturis nobis eſt commune) ſed quod etiam ipſius dignatione ſumus peculiariter populus eius,quẽ ſingulari ratione ſibi acquiſiuit, & ſingulariter acquiſitum ſingulariter etiam paſcit ita vt ſimus quaſi oues paſcuæ eius: quandoquidem nos terra ſua optima abundè paſcit ſecundum corpus: ſecundum animam veroſan b

** introite portas eius in confeſſione atria eius in hymnis confitemini illi.*

ſanctiſſimis ſuæ legis inſtitutis & verbis.* quare hæc attendẽtes introite portas eius cum laude,& gratiarum actione,& per portas introite in atria eius cum hymnis,& celebrate eum.

*5 Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus, * in æternum miſericordia eius & uſque in generatione & generationẽ veritas eius.*

5 Iterum atque iterum dico, quod omnino faciendum eſt, laudate nomen Domini, quoniam Dominus admodum eſt benignus, & ob ſuam benignitatem valde ſuauis:* in æternum permanebit miſericordia eius & veritas eius in præſtandis promiſſis per omnes generationes durabit.

ANNOTATIONES.

ET NON,&c.] Hieronymus vertit:& ipſius ſumus,quam lectionem Faber præfert, eo quòd nullus ſit tam habes,vt arbitretur creaſſe ſeipſum. Sequitur & hanc lectionem Caietanus.Itaque Hieronymus legit hic in Hebræo לֹא, per vau,& non per aleph.ſic enim ſignificat,non: cùm per vau,ſignificet, ipſi, vel ipſius.Hebræa tamen ſatis conſtanter habent לֹא lo per aleph, id eſt,non. Neque fruſtra dicitur, quod nõ creauerimus noſipſos. Id enim additum eſt,non quòd quiſquam de eo dubitare poſſet, ſed quòd ex hac conſideratione omnibus perſuaſa, cogamur fateri,debere nos Deo ſeruitutem.

OVES,&c.]Per paſcuam ad literam videtur in- b
telligi terra promiſſionis, & lex Dei, nam illa quidem populus ſecundum corpus, hac verò ſecundum mentem à Deo paſcebatur, nobis autem paſcua Dei,eſt tota terra,ſcriptura ſacra,& ſanctiſſimũ Dei corpus. Sunt autem qui paſcuã accipiunt pro actu paſcendi,explicantes hanc orationem hoc modo:Oues paſcuæ eius, hoc eſt,qui ab eo peculiariter paſcimur,& eius curæ commiſſi ſumus.

Pſalmus ipſi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI C.

PRopheta regius hoc Pſalmo deſcribit officia pij & iuſti principis,ſiue vt ſe in exemplar omnibus imitandum proponeret ſiue vt ſe virtutum,quas præſtitit,& præſtare decreuit, commemoratione in recta viuendi norma confirmaret,ſuamque in Deum fiduciam magis excitaret. Caterum cum per Dauidem quatenus regem,Chriſtus ſit præfiguratus,eaq; omnia,quæ Dauid hic pollicetur,ſolus ipſe verè & perfectè præſtiterit,rectè etiam ad ipſum hic Pſalmus refertur:qui in matutino futuræ reſurrectionis diſperdet omnes impios ciuitatem Dei ab omnibus improbis purgaturus.Sed & ad priuatum quemque quæ hoc Pſalmo ponuntur,pertinent ſecundum moralem ſenſum.Vnuſquiſque enim ſyncerè conuerſari debet in conſcientia ſua(quæ ſua cuique domus eſt)vt nihil ſit in quo ipſum propria arguat conſcientia:occidere quoque valde maturè omnes peccandi affectus,vt mens hominis,quæ ciuitas Dei eſt,pura ſit ab omni impietate.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.

STatui,mi Domine,iam coram te, & ad tuum honorem carmine ce- Pſ.100.
lebrare virtutes eas præcipuas,ſub quibus omnes aliæ comprehenduntur,miſericordiam ſcilicet & iuſtitiam:quę vt in omnibus tuis operibus relucent, & à te ſeruantur, ita eas à nobis maximè vis obſeruari, Statui carmine commemorare quomodo piè & iuſtè viuendum ſit.

2 Pſallam & intelligam in via immaculata: quando venies ad me?*

2 De his mi Domine pſallã modo, & prudenter apud me diſpiciam, atque pronuntiare ſtudebo quibus in rebus ſita ſit vita irreprehenſibilis.Verùm dum iſtud conor nihil profecero,niſi meos conatus iuueris: b
* Oro ergo, atque omnibus votis deſidero vt venire digneris ad me, quo animum meum luce ſapientiæ tuæ illuſtres, & amore ſanctiſſimo inflammes.

3 Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

3 Itaque vt omnes vel in me diſcant,quomodo piè & iuſtè viuendum ſit,& quæ ſit viuendi ratio perfecta ac immaculata,ecce ante omnia ſtudui inter domeſticos meos conuerſari corde innocenti & ſyncero,vt nihil culpare in me poſſent qui omnium actionum mearum ſunt familiares inſpectores.

*4 Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, * facientes præuaricationes odiui.*

4 Non propoſui mihi rem aliquam iniuſtam,vt de ea perficienda vel imitanda in aliis cogitarem, * quin & omnes tranſgreſſores mandatorum tuorum ex animo odiui.

*5 † Non adhæſit mihi cor prauum: * declinantem à me malignum non cognoſcebam.*

5 Non permiſi vt in animo meo hæreret affectus aliquis prauus,† Sed & hominem qui peruerſo eſt corde nõ ſiui mihi familiariter adhærere: malignos,* qui ob vitæ diſſimilitudinem à mea ſocietate declinauerũt nihili feci,& etiamſi prius amiciſſimi mihi fuiſſent,tamen amplius inter notos & amicos habere nolui,omnem quoque impium,qui à meo vitæ inſtituto declinat, non agnoui, ſic vt cum eo commune aliquid haberem in eius ſtudiis.

6 Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.

6 Infamantem clanculum proximum ſuum (quo malo nihil eſt perniciosius) hũc nõ ſolũ nõ ſuſcepi,ſed perſecutus ſum & verbis & factis magis ad eum redarguendũ & puniendũ intentus,quàm in eũ qui præſenti obloquitur, cũ qui præſens eſt ab irrogata infamia ſe tueri poſſit

7 Cum

7 Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc non edebam.

8 Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*

9 Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.

*10 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, * vt disperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem.*

7 Cum homine superbo, qui fastum mentis, oculis in sublime iactis, præ se fert, quique cor habet latissimum, quod nullus honor, nulla dignitas satiet, cum hoc, inquam, non initui familiaritatem, ita vt cum eo communi fruerer mensa. c

8 Sed contra oculi mei intenti erant in eos qui bona fide versantur in terra, vt eos ex omni terra & ditione mea mihi iungerem, & iuncti sederent mecum:* Qui conuersatus fuit in via virtutis, hunc mihi in ministrum assumpsi, prouidens mihi bonos tum amicos, tum seruos. d

9 Non pertuli vt habitaret in ædibus meis inter ministros meos is qui superbiam commitit, alios despiciendo aut conculcando: * sed & qui loquitur falsa ac perniciosa, non prosperatus est coram me: non inuenit gratiam ante me, quin potius aduersatus sum eum.

20 Summo mane ante omnia in hoc incubui, vt sine cũctatione interficerem omnes peccatores terræ. Maturè quoque admodum priusquam prævaleret iniquitas, subuertere studui, sine delectu personarum omnes impios terræ mihi subiectæ:* vt è ciuitate Domini, quam solis sanctis patere conuenit, exterminarem quãtum fieri potest omnes operarios iniquitatis

ANNOTATIONES.

MISERICORDIAM.&c.] Plerique de misericordia & iustitia Dei istud intelligunt, vt significet propheta se sẽper cantaturum Dei misericordiam & iustitiam, quas, Deus in omnibus suis factis & verbis seruat. Et intelligunt quidam inter cętera officia iusti & maximè principis, de quibus agitur in sequentibus, istud significari primum esse, nẽ pe vt Dei misericordiã & iustitiã assiduè celebret. Notãdum enim omnia quæ post duos primos versus nos iuxta Septuaginta legimus per verba præteriti temporis, apud Hebræos efferri per verba futuri temporis, sicut apud nos duo primi versus verba habent futura, vt toto Psalmo propheta canat, non quid fecerit, sed quid facere statuerit: Alij intelligũt prophetam hic loqui de misericordia & iustitia ab hominibus seruãda, atque hoc primo versu ĩdicare quid hoc Psalmo acturus sit, videlicet quod cãtaturus sit de misericordia & iudicio, in quibus rebus illa sunt sita, & quomodo ea sunt obseruanda. Quæ intelligentia maxime conuenit nostrę lectioni, in qua versibus sequẽtibus propheta suo exemplo depingit, quomodo iustè & piè viuẽdum sit. Iuxta quam intelligentiam, quod dicitur: intelligã in via immaculata: in paraphrasi explicauimus, vt sit idem, quod prudenter aduertam ad viam immaculatam, non tantum scilicet ad eam sectandam sed etiam ad eandem aliis demonstrandam. Potest enim Hebraica dictio etiam verti, intelligere faciã, sicut illo loco: Intellectum tibi dabo, & instarum te in via hac qua gradieris, vbi pro, intellectum dabo, idem est verbum quod hoc loco. Hunc sensum secutus est Campensis, dum sic habet: Ego quidem pro viribus operã dabo, vt familiam honestè instituam, & integritatis morum studiosus ero. 2

QVANDO.&c.] Plerique dictionẽ, quando, hic accipiũt nõ interrogatiue, sed infinitè, vt sit sensus: intelligã tũc cum venies ad me. Verũ obstat dictio Græca. Nõ est enim Græcis ὁτε sed πότε quæ dictio interrogatiue accipitur. Et Hebraica dictio docet magis interrogatiue istud enuntiandum esse. b

INSATIABILI, &c. Quidã per cor insatiabile, intelligunt hominem auarum, cuius cor nõ saturatur diuitiis. Verùm apud Prophetas & in Prouerbiis per hæc duo simul, nempe superbiam oculorum, & cor insatiabile, vel, vt habent Hebræa, cor latum, solet designari homo superbus. Coniungũtur enim hæc duo & Prouerb. 21. ad designandum superbum, vbi legimus: Exaltatio impiorum, & dilatatio cordis, lucerna impiorum, peccatum. Et hic quoque eundem significari per oculum superbum & cor insatiabile, satis patet ex eo quod subdit: singulariter cum hoc non edebam. c

HIC MIHI, &c.] Aliqui libri habẽt futurũ, ministrabit, sicut in sequenti versu ponitur futurum, non habitabit. Græca tamẽ vtrobique habent præteritum, ἐλειτούργει & κατῴκει. vnde verisimile est interpretem vertisse, ministrabat, & habitabat, sed ex D. Hieronimi versione ex Hebręo, in nostrã lectionem irrepsisse verba futura. Nam & Augustinus & D. Hieronimus in commentariis legit, ministrabat. d

Oratio pauperis, cùm anxiaretur, & coram Domino effudit precem.

ARGVMENTVM PSALMI CI.

PRæsentis quidem Psalmi argumentum, neque ex ipso titulo, neque ex Pauli ad Heb. 1. citatione satis liquet: ex ipsius tamen Psalmi verbis verisimiliter putatur, & satis constat esse precem pro reparando templo Hierosolymitano, per Chaldæos exusto, & sub illius typo pro reparando orbe per Christum. Eduus itaque est ex persona populi Israelitici, in captiuitate Babylonica degentis, aut viri alicuius sancti, qui sese afflixerit ob captiuitatem populi, & desolationem templi aut propterea quod dum reuersus esset populus à Babylone ad reædificandum templum & ciuitatem, impediretur à gentibus vicinis. Ita enim Danielem, Nechemiam, Esdram, & alios fecisse legimus. Igitur populus sanctus vel adhuc in captiuitate existens, sed tempus captiuitatis iam impletum esse intelligens, vel reuersus a Babylone, sed per vicinas gentes ab opere impeditus, aut vir aliquis sanctus nomine populi se affligens, hoc Psalmo multis primum, eisque commodis similitudinibus describit suam desolationem, tristitiam, atque miseriam: tum precatur vt ciuitatis suæ Sion Deus misereatur, vt ex eo gloria exteris quoque nationibus illucescat, & in Sion prædicetur. Postremum ex consideratio

sideratione æternitatis & immutabilitatis Dei promittit sibi Dei quoque seruos secundum ipsius promissa feliciter victuros, & in terra Domini habitaturos. Quod autem ad Hebræos primo, ex fine ipsius Psalmi D. Paulus citat de Christo dictum: Initio tu domine terram fundasti: non probat hunc Psalmum referendum esse secundum literalem & primum sensum ad Christum; & ad restaurationem humani generis per eum peragendam, vt plerique colligunt. Non enim eos versus de Christo sic dictos Paulus citat, quasi de eo solo dicti sint, cùm toti diuinitati competant, sed Christo proprie accommodat, vel quia Christo, quatenus verbum Dei, proprie tribuuntur, vt per ipsum omnia dicantur: fatìa vel quoniam intelligebat in hoc Psalmo sub typo restituendæ terrenæ Hierusalem optari restitutionem superne Hierusalem, quæ per Christum expectabatur. Hanc siquidem Prophetam præcipuè hic optasse illud plane probat, quòd in hanc solam pleraque vox è competant, vt quod præter alia hic dicuntur omnes gentes & reges terræ, reædificata Hierusalem, reuerituri nomen Domini. Porro inter Psalmos pœnitentiales, hic Psalmus connumeratur, quòd in principio verè pœnitentis dolorem exprimat, ac deinde & consolationem adiungat de Dei misericordia ac bonitate. Est autem apta orandi forma iusto, qui ecclesiæ desolationem mœstus deplangit.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Domine exaudi orationem meam: * & clamor meus ad te veniat.*

*2 Non auertas faciem tuã à me: * in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.*

*3 in quacunque die inuocauero te, * velociter exaudi me.*

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

*5 Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum. * quia oblitus sum comedere panem meum.*

6 A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

*7 Similis factus sum pelicano solitudinis, * factus sum sicut nicticorax in domicilio,*

8 Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.

*9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei, * & qui laudabant me, aduersùm me iurabant.*

*10 † Quia cinerem tanquam panem manducabam * & potum meum cum fletu miscebam.*

*11 A facie iræ indignationis tuæ: * quia eleuans allisisti me.*

DOmine exaudi orationem meam: * & clamor meus, quem præ desiderij & doloris magnitudine edo, admittatur vsque ad te.

2 Ne tuum quæso fauorem atque benignum aspectum auferas à me; * quin potius præbe te mihi ad exaudiendum facilem, in quacunque die affligor, nam afflictis lubenter adesse soles. PSAL. 101.

3 Cumque non soleas derelinquere quærentes & inuocantes te, in quacunque die inuocauero auxilium tuum, * tu quæso votis meis citò responde, quandoquidem in mora est periculum.

4 Ecce enim tanta est miserarum nostrarum & doloris magnitudo, vt dolore absumente omnem vitæ vigorem, instar fumi statim euanescentis dies vitæ meæ subitò consumpti sint, sine omni honore atque voluptate, * & ossa mea sicut aridũ & concrematũ aliquod lignum exaruerint, dolore scilicet & afflictione succum corporis & ossium medullam exhauriente.

5 Quemadmodum gramen solis ardore percussum exciccatur, ita & ego afflictionis & doloris æstu percussus sum, vt etiam cor meum penè aruerit, & humore suo destitutum clanguerit, idque non solum ob doloris magnitudinem, * sed etiam quia præ nimia calamitate oblitus sum sumere cibum, quem natura exigebat. Ita enim omnem cibi cupiditatem ægritudo animi abstulit, vt non solum non liberet cibum sumere, sed ne de eo quidem cogitarem. a

6 Præ clamoso gemitu factum est, vt carne pene omni consumpta, & ad maciem corpore redacto, ossa mea cuti adhæreant.

7 Similis factus sum pelicano, in aquis & desertis locis habitanti soli tariè. Nam & ego præ nimio mœrore hominum cõfortia fugiens, secreta loca querito amica mœrentibus.* Factus sum sicut noctua, quę reliquarum auium commercia fugiens habitat in secreto & tenebroso aliquo loco domicilij, lucem quoque atque conspectum hominum ediẽs noctibus vigilat, ac grauiter cantat, velut canticum lugubre. Sic enim & ego lucem & hominum aspectum effugiens, per noctem vaco fletibus, & lugubres ẽdo gemitus. b

8 Totas noctes insomnes duxi, tum quia dolor somnum mihi eripiebat, tum quia anxiè redemptionẽ nostram expectarem, & factus sum sicut passer, qui solus residet super tectum, summo mane continuo clamore, eóque inuariato sine omni modulationis dulcedine perstrepens. Nam & ego ab omnibus desertus, & omnes derelinquens, post nocturnas vigilias summo diluculo continua ad te ẽdo suspiria. c

9 Accedit ad hæc mala, quod nullus in eis sit consolator. Incessanter enim inimici mei contumelia me afficiunt,* sed & qui olim amici fuerunt, & laudauerunt me, cum adhuc fœlix ac prosper degerem, iam coniurauerunt & conspirauerunt contra me.

10 Hinc autem & illi hostes mei me conuitiis infectati sunt, & isti olim amici mei coniurauerunt contra me, quia videbant me iam in maximis constitutum malis, ita vt præ nimio dolore ego comederim panem tanquam cinerem, & cibus meus nõ magis mihi sapuerit, quàm si cinerem comedissem. † In puluere quoque procumbens, ipsum pulverem loco panis, ac simul cum cibo meo edi, præ dolore non satis perpendens quid ederem:* & potui meo lachrymas admiscui, ne inter bibendum quidem temperans me à fletu.

11 Idque propterea, quia aduertebam te mihi vehementer iratum. * Ita enim mecum egisse videris, quomodo faciunt hi qui quippiã grauiter collidere conantes, hoc ipsum in altum prius eleuãt, quo fit illius collisio grauior. Ita enim & me quasi ex alto loco deiectum vehementer afflixisti & humiliasti. Cumque me prius multũ extulexis, ac insigni gloria affeceris, nunc contra me deiecisti & depressisti vt post exaltationem

12 *Dies mei sicut vmbra declinauerunt,* & ego sicut fœnum arui.*

13 *Tu autem Domine in æternũ permanes:* & memoriale tuũ in generatione & generationem.*

14 *Tu exurgens dominie miseberis Sion,* quia tempus miserendi eius, quia venit tempus.*

15 *Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius,* & terræ eius miserebuntur.*

16 *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, * & omnes reges terræ gloriam tuam.*

17 *Quia ædificauit dominus Sion,* & videbitur in gloria sua.*

18 *Respexit in orationem humilium:* & non spreuit precem eorum.*

19 *Scribentur hæc in generatione altera,* & populus qui creabitur laudabit Dominum.*

20 *Quia prospexit de excelso sancto suo: dominus de cœlo in terram aspexit,*

21 *Vt audiret gemitus compeditorum,* & solueret filios interemptorum.*

22 *Vt annuntient in Sion nomen domini,* & Laudem eius in Hierusalem.*

23 *In conueniendo populos in vnum,* & reges vt seruiant Domino*

24 *Respondit ei in via virtutis suæ,*paucitatem dierum meorum nuntia mihi.*

25 *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum,*& in generatione & generationem anni tui.*

26 *Initio tu Domine terram fundasti,* & opera manuum tuarum sunt cœli.*

27 *Ipsi peribunt, tu autem permanes, * & omnes sicut vestimentum veterascent.*

28 *Et sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

29 *Filij seruorum tuorum habitabunt, *semen eorum in seculum dirigetur.*

tionem meam grauior mihi iam & molestior sit mea humiliatio.

2 Dies mei ad modum inanis & fugacis vmbræ transierunt velociter sine honore:* & ego calamitatis ardore exiccatus,arui sicut herba,quę calore solis exusta arescit subito.

13 Tu autem Domine nequaquam, sicut nos, defectum aliquem pateris,sed imperpetuum immutabilis perseueras: * & cum substantiæ tuæ perpetuitate,ipsa quoque memoria tui per omnesgenerationes durabit.Neque enim per admiranda opera tua,quæ semper designas, excidere vnquam poterit.

14 Tu itaque,qui in teipso idem & immutabilis permanens,non potes tuis deesse promissis,quique hominibus tui memoriam semper ingeris,nunc quæso tandem post longam dissimulationem profer te ad miserendum Sion desolatæ,quemadmodum & te facturum certo confido,*Est enim iam tempus vt miserearis eius,quia iam aduenit tempus à te constitutum.

15 Quod vel ex eo satis colligire licet,quia seruis tuis iam beneplacitum est in ruinis & dejectis lapidibus Sion,ita vt sint parati suo vel præcepto vel ministerio ruinas eius restaurare:* cũ misera sit facies eius pulueris eius,& ruderum miserti succurrere cupiunt. d

16 Neque infrugifera erit restauratio Hierusalem.Tum enim metuere & reuereri incipient etiam exterę gentes nomen Domini:*& omnes reges terræ venerabuntur maiestatem illius.

17 Ob id quoniam Dominus rædificauit Sion,* in qua videbitur ab omnibus in maiestate sua,quæ nunc quidem ipsis occulta ibi palam declarabitur.

18 Et quoniam conuertit se ad exaudiendum precem afflictorum, c
* nec reiecit orationes eorum.

19 Hæc quę pro suorum restitutione Dominus benignè operatus erit, scribentur propter posteros,* & populus qui nascetur intelligens f
ista ex scripturis,laudabit Dominum.

20 Eo quod dignatus sit respicere nos de excelso suo sanctuario,* & Dominus è cœlis in ipsam vsque terram prospexerit.

21 Vt attenderet gemitus eorum qui vincti detinebantur,* & vt attendens,à vinculis & à captiuitate solueret eos,quorum patres crudeliter interempti fuerunt,cum quibus & ipsi filij morti destinati fuerunt.

22 Vt à captiuitate soluti deprædicarent in Sion nomen Dei, & laudem eius in Hierusalem. g

23 Tunc cum simul collecti erunt populi:*& eorum reges,vt vnanimiter Dominum colant.

23 Proinde ob horum desiderium iustus quisque, qui est in populo Dei,locutus est modo ipsi Domino, cum iam incepit suos confortare per illucescentem suam beneuolentiam,& dixit:* Indica quæso mihi h
domine,quam pauci sint dies mei, quibus in his malis viuere cogar,vt consolatior sim,intelligens post breue tempus me liberandum, & ciuitatem Dei reparandam.

25 Ve reuoces me ex hac vita,in medio tẽpore vitæ meæ:neque immatura morte me hinc abripias,sed in senectam vsque, vitam meam proferas:vt ante mortem videam promissam & iam instantem liberationem,ac ciuitatis Sion restitutionem,Tuæ enim subsistentiæ duratio per omnes generationes sese protendit,vt quæ sit æterna:quare conuenit vt tuam æternitatem breuitati vitæ nostræ comparans nostri miserearis,ne morte præuenias iustum vitæ nostræ terminum.

26 Tu Domine in principo terram potentia tua stabiliuisti:*& cœli ipsi sunt opera omnipotentiæ tuæ.

27 Ipsi quantumuis iam diu subsistiterint,suo tamen tempore interibunt, immutati à præsenti suo statu tu autem semper idem permanes, *& omnes ad modum vestimenti veterascent,vt sicut vestis assiduo vsu & tempore inueterata innouari debet, ita & ipsi cœli cum terra post longum vsum & tempus quasi attriti renouatione egeant.

28 Itaque quomodo vestimẽtum vetus facili negotio mutatur in nouum ita & tu summa facilitate mutabis & renouabis eos,& cum volueris ad tuum imperium statim renouabuntur:*tu ipsissimus ille es,erisque semper,qui ab initio fuisti,& duratio tua fine carebit, sicut nec habet initium.

29 Quare de tua tum potentia,tum æternitate confisus ,nihil addubito,quin filii seruorum tuorum paternam pietatem & fidem imitãtes, tuo munere securè habitabunt in terra tua:*& illorum quoque filii in perpetuum coram te prosperabuntur, fœliciterque viuent. Misertus enim aliquando nostri post hanc captiuitatem,malorum oppressionem & ex

& exilium,filios populi tui in terram tuam translatos omnimoda fœlicitate donabis,perpetuaque beneuolẽtia prosequeris.Id quod quidem partim in hac vita, sed maxime in cœlesti mansione tua perficies per desideratum nobis tuum Messiam,qui collapsam Hierusalem verè aliquando restituturus est.

ANNOTATIONES.

SICVT CREMIVM, &c.] Vocabulum istud, cremium,quod nusquam inuenitur,nisi hoc loco, videtur interpres deriuasse à verbo cremo, ad imitationẽ Græcę dictionis φρύγιον à verbo φρυγῶ. Putatur autem à plerisque significare id quod in frixorio durum & aridum remanet, pinguedine liquefacta. Quæ significatio videtur ei tributa, eo quòd Psalterium Romanum & vetus habeat:sicut in frixorio frixa sunt.Hæc autem translatio alludit ad vocabula Græca. Sic enim habent Græca: ὡσὲι φρύγιον,συνεφρύγησαν.Deriuatur ením à φρυγίω, apud Latinos frigo. Porro Euthymio teste pro φρύγιον,& cremium,Symmachus vertit torrem.Atque in hac significatione magis conuenit accipere nostrum cremium,& φρύγιον apud Græcos. Sic enim aptissima est comparatio,vt ossa arida ligno arido & concremato comparentur.Atque in hac significatione exponunt vtrumque nomen lexica Græca. b

SIMILIS,&c.] Non oportet ad intelligendum sensum ,pphetæ curiosè inuestigare quales sint hæ aues,& quę earum proprietates,cùm propheta solùm velit indicare se assimilatum auibus solitudinẽ quærentibus, atque hoc pacto suam desolationem & mœstitiam explicare.Quoniam tamen pleraque hoc loco dici solent de pelicani proprietatibus,operę pretium fuerit nõnulla de eo annotare. Primum autem vocabulum Hebraicum hic positum, quaath scilicet,à Hieronymo aliquando trãsfertur per,onocrotalus,vt Sopho. 2. aliquãdo per nomen pelicani,vt hoc loco. De pelicano autem sic scribit Aristoteles in quodam loco historię animalium:Pelicanes autem (nam apud Græcos per quintam inflexionem dicitur, πέλεκαν,ανος,auis sic dicta,quòd arbores perforet,nam πέλεκυς securis,& πελεκαω dolo)fluuios accolentes maiusculas planasq; cõchas glutiũt:quas vbi in ingluuie præuenticuloque ceperint,euomunt,vt hiantibus ipsis eximentes carnes edant.Plura de his Cicero 2. de natura deorum, vocans eos alio nomine,nempe plataleas,ob latitudinem pedum apparet,sed ex descriptione satis patet eandem esse auem. Sic enim habet:Legi etiam scriptum esse,auem,quæ platalea nominatur, eam sibi cibum quærere aduolantẽ ad eas aues quæ se in mari mergerẽt:quæ cùm emersissent,piscẽmque cepissent,vsq; eo premere eorum capita mordicus dum captum illæ amitterent,idque ipsa inuaderet. Eademque hæc auis scribitur conchis se solere cõplere easque cùm stomachi calore conceperit,euomere, atque ita eligere ex eis quæ sunt esculenta. Hũc secutus est Plini' lib.10.vocãs eas aues,plateas sic eũ scribit platea nominatur,aduolãs ad eas quę se in mari mergunt,& capita illarum morsu corripiẽs,donec capturam extorqueat. Eadem cùm deuoratis se impleuit conchis, calore ventris coctas euomit,atque ita ex iis esculẽta legit,testas excernens. De onocrotalo verò sic scribit eodem libro: Olorum similitudinem onocrotali habent, nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius veteri genus.Huc ómnia inexplebile animal cõgerit, mira vt sit capacitas,mox perfecta rapina sensim inde in os reddita, in veram aluum, ruminantis modo,refert. Gallia hos septẽtrionalis proxima oceano mittit. Ex qua vtriusque auis descriptione patet in hoc vtramque conuenire,quòd deuoratam rapinam euomat, ob quam proprietatem vocabulum Hebraicum hic positum vtrique conuenire potest.Nam à verbo deriuatur quod vomere significat. Imo Hieronymus vtroque vocabulo vtrumque genus significari intellexisse videtur.Nam in commentariis Sophon.2.Onocrotalorum duplex dicit esse genus :alterũ aquatile, alterum solitudinis. Et in commẽtariis super hunc locum : Duo,inquit,dicuntur esse genera horum volatilium.Vnum in aquis est,& esca eius pisces sunt: & vnum in solitudine,& esca eius venenata animalia,hoc est serpentes crocodilli,& lacertæ.Augustinus autem super hoc loco, ex aliorum sententia & alias pelicani proprietates narrat:Dicuntur,inquit, hæ aues tãquam colaphis rostrorum occidere paruulos filios suos, eosdemque in nido occisos lugere per triduum : postremo dicunt matrem seipsam grauiter vulnerare,& sanguinem suum super filios fundere,quo illi superfusi reuiuiscunt. Porro hanc pelicani proprietatem alii aliter narrant,asserentes pelicanum non à se occisos, sed à serpentibus occisos filios proprio sanguine viuificare, atq; huius sententiæ authorem citant B. Hieronymum. Hic enim ad Præsidium in epistola,quam qudiam reiecit in quartum tomum, quod non putet esse Hieronymi, sic scribit:Pelicani cum suos à serpente filios occisos mortuos inueniunt,lugent,& se & sua latera percutiunt, & sanguine excusso ad corpora mortuorum sic reuiuiscunt.Verùm sicut hæc proprietas incerta est,ita huic loco nõ deseruit.In quo hoc tantum spectãdum est,quod pelicanus auis sit solitudinis,nisi quis putet ad hunc locum pertinere quod scribitur de eius vomitu,ad designandum quo modo is qui loquitur mœstitiam cordis in solitudine corã Deo euomuerit. Quod & rectè quadrabit,dum in persona pœnitentis hæc intelligũtur. Grægorius de pelicano nihil adducit,nisi quòd auis sit amans solitudinem, vbi venenatis pascitur animalibus.Sophoniæ secundo ponitur קָאַת quaath,vbi solitudo loci futura prædicitur.similiter & & Isaiæ 34.Vertunt autem aliqui,cuculum.Hieronymus onocrotalum.

CINEREM,&c.] Indicat paraphrasis hanc partem dupliciter intelligi posse.Primum per figuram hyppallagen,vt,cinerem tãquam panem, positum sit pro,panem tãquam cinerem.Per quam figuram dictum est à poeta : perflauit fistulæ buccas,pro eo quod dicendum erat,perflauerunt buccæ fistulam. & apud aliũ:Trade rati vẽtos,date classibus equor, Secũdo, vt significet se cinerem loco panis,& cum pane commedisse.In puluere enim solebant iacere a
qui vehementer lugebant : hinc dicit se puluerem esitasse, dum nimirum pronus in terram procumberet. c

PLACVERVNT,&c.] Serui hi ad literam ab Hebręis intelligũtur Darius & Cyrus,&reliqui prĩcipes,qui Iudæis annuerunt ędificare templum & ciuitatem:nã & in Isaia Cyrus Dei seruus dicitur.

Aut

Aut accipi possunt ipsimet Iudæi,qui promptos se exhibuerunt ad ædificandum templum. Secundú spiritum autem hi serui Dei,sut Apostoli,& quotquot studuerint ex viuis lapidibus templum Dei ædificare.

e QVIA ÆDIFICAVIT,&c.] Græca habent futurum ὠικοδομήσει, ædificabit, quomodo & Augustinus legit.Hebræa tamẽ habent verbum præteriti temporis,ædificauit, quod etiam sequẽtibus magis conuenit,

f SCRIBANTVR,&c.] Communiter libri ferè habent,in generatione altera.Quidam tamen libri habẽt,in generationem alteram,quomodo & Græca habent & Augustinus,proinde ea lectio est conueniẽtior.Vtriusque lectionis meminit Glosa ordinaria, & sensus idem semper intelligendus est, vt præpositio,in,accipiatur pro, propter,vel pro . quẽ sensum clarius exprimũt Hebræa,quæ habent,scriberatur,vel scribetur hoc generationi alteræ.

g VT ANNVNVIENT,&c.] In Græcis & Hebreis in certum est an vertendum sit per verbum singulare vt annũtiet,an plurale, annuntient, quia vtrobique est infinitiuus.vt sit,Ad annuntiãdum:Itaque Euthymius intelligit verbũ singulare,quod refert ad Christum.vt sit sensus:Christũ de cœlo prospexisse vt solueret filios interẽptorum,ad hoc vt ipse annuntiaret nomen patris sui fidelibus.At quoniam superius dictum est: populus qui creabitur laudabit Dominum:magis videtur hæc annũtiatio tribuenda iis qui liberandi dicuntur.vt rectè versũ sit per pluralem numerum:Vt annuntient.

h RESPONDIT,&c.] Obscurus est hic locus, nec ex Hebreis iuuari possumus ad intellectũ eius. Longe enim aliter Hebræa habent,nempe:Afflixit in via virtutem meam,breuiauit dies meos.Dicam Deus meus ne reuoces me,&c.Cuius lectionis sẽsus satis planus est.Pro intelligentia autem nostræ lectionis primum annotãdum nomen,virtutis,hic nõ posse accipi,vt opponatur vitio.Est enim apud Græcos ἐν ὁδῷ ἰσχύος.Vnde D.Augustinus legit, in via fortitudinis.Dubium autẽ quod debeat accipi suppositum verbi,respondit,& quid referãt relatiua,ei,& suæ.Et sunt qui intelligunt pro supposito nomẽ,Dominus,& relatiua referri ad Sió & Hierusalẽ,aut populum potius,nã relatiua apud Græcos sunt masculini generis.Itaque hæc pars non ad sequentia,sed ad præcedentia referenda erit in hoc sensu:cùm conuenient populi in vnum,tũc Dominus respondebit,id est satis faciet voto populi per rationem fortitudinis suæ.Vel,Populus qui creabitur laudabit Dominum.Primũ,quia prospexit de cœlo,&c.Deinde etiam,quia respõdit populo suo per fortitudinem suam.Verùm magis apparet Septuaginta voluisse verba quæ sequũtur,scilicet paucitatem dierum meorum nuntia mihi,&c.esse verba eius qui hic respondisse dicitur, vt suppositum verbi sit,populus,aut iustus quisque in populo.vel is qui in principio psalmi locutus est,hic intelligatur loqui de se in tertia persona,vt suppositum sit pauper, de quo loquitur titulus,sicut & alio loco propheta de sequitur in tertia persona,dum dicit: Iste pauper clamauit,&c.In hoc autem sensu, respondere, accipi debet simpliciter pro, dicere, vt alias in scripturis frequenter.SicEuthymius.

Psalmus Dauid

ARGVMENTVM PSALMI CII.

HOc Psalmo vir sanctus primum suam animam excitat ad laudãdum Deum totis viribus,ex perpensione beneficiorum De ipsi præstitorum, quæ sex numero gradatim enumerat,tum & Dei erga totum populum suum omnesque timentes ipsum iustitiam,misericordiam,ac bonitatem,celebrat.Postremum cantans vniuersale esse ipsius in omnia dominium,etiam angelos,omnesque omnino creaturas ad laudem Dei mutat.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Benedic anima mea domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.*

GRatias age domino,& lauda eum anima mea:* & omnes interiores vires animæ meæ nunquam cessent laudare nomen eius ob sanctitatem summè reuerendum. Neque enim satis est lingua & voce ipsum laudare,sed cum ij se spiritus sit,ac nostrum spiritum intime perscrutetur,maxime mente laudandus est, idque non frigidè,sed ex totis ipsius viribus,cum omnia illi debeas quæ habes. *Psal.102.*

2 Benedic anima mea domino: noli obliuisci omnes retributiones eius.*

2 Gratias itaque age ô anima mea Domino,* nec sinas vnquam excidere memoriæ tuæ illa tam varia quæ in te liberaliter contulit beneficia,sed horum iugis memoria,& digna æstimatio ad laudem diuinam te semper accendat. a

3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus, qui sanat omnes infirmitates tuas.*

3 Gratias, inquam, age Domino,qui(quod est omnium bonorum & beneficiorum Dei fons,ac ob id primò recensendum) propitius remittit omnem iniquitatem tuam,quantumuis varia sit & multiplex:* qui, remissis peccatis tuis,sanat quoque omnem ægritudinem tuam.

4 Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.*

4 Et quod ilto maius est,etiam de imminente ac destinato interitu frequenter redemit,ac constanter redimit vitam tuam:nec his contentus, non solum à malis vniuersis te liberat,* sed etiam sua benignitate atque miserationibus te vndique circuncingit,& abundè cumulat. b

5 Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*

5 Quodque his amplius est, etiam vsque ad saturitatem satisfacit desiderio tuo,abundantiam omnium bonorum tibi suppeditans: * cuius beneficio & id postremò consequeris,vt ad modum aquilæ, quæ rostrum ob vetustatem nimis àduncum abiicit, sicque iuuentam ac nouas vires recipit,tu quoque senescens florem iuuentutis recipias,& viribus valens veluti reiuuenescas.Atque hæc quidem omnia temporaliter tibi præstat,

præstat,peccatis quæ animæ mala sunt, remissis, etiam corporis mala, qualia sunt morbi ac mors, quibus per peccatum homo fit obnoxius, depellens,omni benignitatis genere cumulans,& temporalium bonorum abundantia vsq; ad satietatem replens,& ipsam senectam floridã ac vegetam reddens.Veruntamen etiam spiritualiter hæc omnia in te magnificè complet,non tantum remittens tua peccata,sed & morbos eos,qui propriè animi sunt morbi,& quorũ ipse solus est medicus, hoc est,ad vitium pronitatem,ad virtutis officia infirmitatẽ sanans sua gratia,& ab æternæ damnationis interitu vitam suam præseruans,ac deinde variis suæ benignitatis spiritualibus bonis te ornans, imo & satians, atque senectutem tuam iuuentuti restituens,& id quidem tum in præsenti vita,in qua te siue per peccati vetustatem, siue per tædium miseriarum senescentem,sua gratia & consolatione renouat,vegetámq; facit:tum maximè in futura vita,in qua te gloria fœlicitatis per suam misericordiam coronans,omniq; bono ita saturans,vt nihil vltra cõcupiscere possis,tandem etiam per futuram corporum resurrectionem,veteri & mortali corpore depositio,nouo & immortali induet corpore,cũ quo in perpetuo flore vigebis.

6 Faciens misericordiã Dominus,& iudicium,omnibus iniuriam patientibus.

6 Neque verò tantum ea quæ erga te agit Dominus,ô anima mea, laudandi Deum materiam subministrant,sed ea quæ generaliter erga oés, & maximè erga populũ suum egit & agit.Ipse enim & misericordiã & iudicium facit omnibus qui iniuriam patiuntur,subueniendo eis, & liberando,atque iniustos oppressores eorum vindicando,quemadmodũ olim per suam misericordiam & æquitatem fecit in eductione populi sui ex Aegypto.

7 Notas fecit vias suas Moysi,
**filiis Israel uolũtates suas.*

7 Ipse quoque singulari sua in nos dignatione post eductos ex Aegypto patres nostros,patefecit Moysi præcepta rectè viuẽdi:*& per hunc Israelitis suas voluntates notas fecit,indicans quæ ab eis fieri vellet, vt benè beatéq; viuere possent;indicans etiam eis,quæ nouissimis temporibus pro suorum salute operaturus esset.

7 Miserator & misericors dominus,
**longanimis & multũ misericors.*

8 Accedit ad hæc,quod(quemadmodum post datam legem sæpius in nobis declarauit)benignus sit & misericors Dominus,*tardus ad vindictam,multus autem & facilis ad miserendum.

9 Non in perpetuum irascetur:
**neque in æternum comminabitur.*

9 Vnde etiamsi contingat eum peccatis offensum suos vindicare,eisq; grauia comminari,siue per prophetas,siue per immissos terrores, non tamen propter nimiam suam misericordiam in æternum suos vlciscetur,*neque in perpetuum comminabitur,sed paterna virga castigatos, & iam emendatos mox in gratiã recipiet,perpetua eos prosequens misericordia.

10 Non secundum peccata nostra fecit nobis,
**neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

10 Quod autem dico de magna ipsius misericordia,ex nobis discere licet.Non enim egit nobiscum secundum exigẽtiam multitudinis & magnitudinis peccatorum nostrorum*:neq; pro merito iniquitatũ nostrarum pœnas sumpsit de nobis,quandoquidem cum exterminiũ & perpetuam abiectionem commeruissemus,temporaliter tantum nos afflixit imo & multa peccata,sua clementia sine vltione remisit.

11 Quoniam secundum altitudinem cœli à terra corroborauit misericordiam suam super timentes se.

11 Ipse enim super eos qui reuerentur ipsum, stabiliuit misericordiam suam,idq; non in parua mensura,sed secundum altitudinem cœli à terra:vt quantum est interuallum à cœlo in terram,tanta sit & misericordia eius super timentes eum,hoc est,immensa:cuius celsitudo ab homine comprehendi & coniectari non possit.Vnde fit, vt etiam si subinde tales peccent,eius tamen misericordia ab eis non auferatur,imo longè superet ipsorum miseriam & delicta. c

12 Quantum distat ortus ab occidente,longe fecit à nobis iniquitates nostras.

12 Itaque per hanc immensam suam misericordiam tantum elongauit à nobis iniquitates nostras,quantum distat oriens ab occidẽte,hoc est, maximè,& remotissimè à nobis nostra peccata profligauit,vt quemadmodum oriens & occidens extremi termini orbis nunquam se contingere possunt ita & nos nõ possint remissæ iniquitates nostræ corripere, & malis quæ commeruerimus inuoluere.

13 Quomodo miseretur pater filiorum,misertus est Dominus timentibus se.
**quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*

13 Sicut pater summo misericordiæ affectu mouetur erga filios suos, ita vt vel ad eorum vitia conniueat:vel si verberandos eos iudicet citra meritum tamẽ verberet,nec alio fine quàm vt castigatione emẽdet: ita & Dominus non solum affectu pij domini,sed paterno affectu misertus est sempérq; miserebitur iis qui reuerentur illum,neque singula errata vindicans,neque pro merito puniens dum castigat:*ipse enim nouit cõditionem plasmationis nostræ,naturámque nostram à se effictam.

14 Recordatus est, quoniam puluis sumus:
** homo sicut fœnũ,dies eius tanquam flos agri sic efflorebit.*

14 Rationem scilicet habet,quòd ex limo terræ constamus, quódque ob id in fragili & terreno corpore fragiles ad bonum, proni autem ad sectandum terrena simus.*Aduertit etiam inanitatem, breuitatem, & irreparabilitatem vitæ nostræ, nempe quòd hominis dies, sunt sicut

fœnum & gramen,quódq; in vita ſua miſerabilis homuncio fœno graminique ſit ſimilis.Floret enim ſicut flos agri,hoc eſt,ad modicũ tẽpus viget,mox ſuo vigore deſtituendus.

15 Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & nõ ſubſiſter:
* & non cognoſcet amplius locum ſuum.

15 Quoniam quemadmodũ cùm ventus aliquis vrens attigerit & perflauerit floré agri mox emarceſſit,& eſſe deſinit:* nec obtinet amplius locum ſuum,quem ita perdit,vt prius eum obtinuiſſe nõ videatur: ita & cùm ſpiritus indignationis vel ſententiæ Dei, imperiúmque eius pertrãſierit in hominẽ,mox deperdito ſuo virore ſubſiſtere deſinit homo,nec amplius inter mortales locum aliquem obtinet. d

16 Miſericordia aũt domini ab æterno,& uſque in æternum ſuper timentes eum.

16 Nõ ſic autem ſe habet Dei miſericordia,quomodo vita hominis, ſed miſericordia Dei ab æterno & vſq; in æternum perdurat erga eos qui reuerenter colunt illum,quantumuis per ſe inanes ſint & caduci.

17 Et iuſtitia illius in filios filiorum:
*his qui ſeruant teſtamentũ eius.

17 Et illius in præſtandis promiſſis veritas perſeuerat etiã in filios filiorum,*eos qui non degenerantes à patribus ſuis,ſoliciti ſunt ad ſeruandum pactum cum Deo initum.

18 Et memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendũ ea.

18 Hoc eſt,memores ſunt præceptorum eius,non tantũ ad cognoſcendum aut recenſendum ea,ſed ad complendum ea opere.

19 Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam,
*& regnum ipſius omnibus dominabitur.

19 Præter autem iam commemoratam Dei iuſtitiam,atq; benignitatẽ, ſupereſt etiam ipſius ſuper omnia potentiã recenſere & celebrare.Ipſe enim Dominus ab initio parauit & firmauit ſibi ſolum ſuum in cœlo, omnibus ſe altiorem declarans,*& poteſtas eius regia in omnia imperium obtinet.

20 Benedicite domino omnes angeli eius,
* potentes uirtute facientes uerbum illius ad audiendam uocem ſermonum eius.

20 Propter quod non homines tantum,ſed & vos cœleſtes angeli Dominũ laudate,*qui maximis prædití viribus exequimini mãdata ipſius, ita vt obediatis voci & imperio eius,& cuncta ei obedire cogatis.

21 Benedicite domino omnes uirtutes eius,
*miniſtri eius,qui facitis uoluntatem eius.

21 Laudate inquam, Dominum omnes exercitus eius cœleſtes,qui in maximo numero ſub potentiſſimo hoc principe militatis,ad ſimilitudinem multorum exercituum militarium:*laudate cũ vos miniſtri eius, qui promptiſſimè exequimini quæcunque fieri ipſe vult.

22 Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.
* Benedic anima mea Domino.

22 Et quoniam ne ab angelorum quidem multitudine ſatis omniũ hic Dominus laudari poteſt,laudate eum etiam vniuerſa opera eius,quęcũque eſſis in vllo loco poteſtati eius ſubiecta,hoc eſt,cœleſtem omnino creaturæ,nã & omnes creaturæ,Dei ſunt opera,& omnis locus Dei eſt ſubiectus imperio,vt ob id duplici nomine Deo laudẽ debeant omnia,tum quia Dei opera,tum quia in regno eius exiſtẽtia.*Cumque omnia Deo laudem debeant,etiam tu anima mea quẽadmodum dicere cœpi,Dominum totis viribus lauda,conſiderans eius iam commemoratam in te & in omnes benignitatem,iuſtitiam,atque potentiam.

ANNOTATIONES.

a QVI PROPITIATVR,&c.] Pro omnibus his verbis cu relatiuo,ponẽtur apud Græcos participia accuſatiui caſus,quæ conſtituuntur cum accuſatiuo, τὸν, præcedente:Benedic Dominum propitiantem,ſanantem,&c.

b RENOVABITVR VT AQVILÆ.] Scriptura hic ſatis indicat,aquilam in ſenectute innouari, & reiuueneſcere,quod qua fiat ratione nõ ſatis cõſtat.Ariſtoteles enim & Plinius de eius innouatione nihil meminerunt.Iudæi autem quidam fabulãtur,aquilam quolibet decẽnio,donec ad centu annos perueniat,petere ignem elementalẽ, & ab eo vbi ſupra modũ incaluerit:deiicere ſe in mare, indéque nouas ei ſuccreſcere plumas, ac ita reiuenescere.At cùm cẽteſimo id anno facere tentet,deſtitui viribus,vt è mari,cùm ſe in illud præcipitaueric,reſurgere nequeat.Ab aliis autem aliter modus innouationis deſcribitur,idque authore Hieronymo ex epiſtola ad Præſidium, in qua ſic ſcribitur: Aquila quando ſenuerit,grauantur illius pennę & oculi,quærítq; fontem,& erigit pennas,& colligit in ſe calorem,& ſic oculi eius ſanantur,& in fontẽ ſe ter mergit,& ita ad iuuentutem redit.Veriſimilius autem eſt quod de hac re ſcribit Auguſtinus ſuper hoc loco,nempe aquilam, cùm ad ſenectam deuenerit,roſtrum acquirere iam aduncatũ,vt vnco ſuperioris roſtri claudente roſtrũ inferius,prohibeatur ſumere cibum, ſicque viribus neceſſariò deficere:ſed naturali indu ſtria roſtrum aduncũ ad petram atterere,& cibo reſumpto, vires labentes reparare. Huic enim ſententiæ ſatis accedit quod Ariſtoteles & Plinius ſcribunt,aquilam non ſenectute,ſed fame mori,cùm propter aduncitatem roſtri non valuerit cibum ſumere.Euthymius de renouatione nihil amplius adfert, quàm & veteres pennas deiiciat,nouaſq; reſumat,quod & notatur Iſaiæ 40 Qui ſperant in Domino,mutabunt fortitudinem aſſument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient.Vbi D.Hieronymus: Crebro,inquit, diximus aquilarum ſenectutem reuireſcere mutatione pennarum,&c.

c QVONIAM SECVNDVM ALTITVDINEM.] Diuus Auguſtinus hũc verſum ſic intelligit vt ſit ſenſus:Sicut cœlũ ſemper eleuatũ eſt ſuper terrã,ita Dei miſericordia ſemper permanet ſuper timẽtes ipſum.Sicut,inquit,protectio cœli permanet ſuper terrã,ſic protectio Domini permanet ſuper timentes eũ.Alij ſic intelligunt:Quanto ipſum cœlum eſt altius terra,tanto Dei miſericordia fortior eſt,& maior miſeria & indigentia timentium ipſum.Verùm magis apparet prophetam hoc verſu de Dei miſericordia duo aſſerere.Primùm,quod Deus eam firmauit ſuper timentes eum.ſicut alio loco dicit: Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius,&c. Secundò, quia firmata eſt non in parua menſura,ſed in immenſa:quod ſignificat per altitudinem

dinem cœli à terra,ſicut & alias id ſignificat, dum Dei miſericordiam dicit eleuatam vſq; ad cœlos & ad nubes.

d QVONIAM SPIRITVS PERTRANSIBIT.] Quidã ſpiritum hic accipiunt pro anima hominis,& relatiuũ,illo,referunt ad hominẽ, non ad floré.Et videri põt ſic neceſſariò intelligendũ,quia in fine verſus dicitur:& non cognoſcet locum ſuũ: vbi de homine loqui videtur,non de flore,cui non competit cognitio. Magis tamen videtur,ſpiritus de vento accipiendus,& relatiuum,illo,ad florem, propter ſimilem locum, qui eſt apud Iſaiam cap. 40.Omnis caro,fœnum:& omnis gloria eius quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnũ,& cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo.Hic enim manifeſtè ſpiritus dicitur flauiſſe in flore.Hebræa autem non habent:& non cognoſcet locum:ſed,& nõ cognoſcet eum locus eius, quamuis & noſtra lectio in eundem ſenſum bene accipitur, vt indicat paraphraſis.

Pſalmus ipſi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CIII.

VIR ſanctus ſeipſum ad Laudandum ex animo Deum excitat idque non ut in præcedenti Pſalmo, ex conſideratione beneficiorum Dei,ſingulariter ſibi omnibúſque colentibus ipſum præſtitorum,ſed ex conſideratione uniuerſorũ operum Dei,quæ in cœlis,terra,atque mari potentia ſua,& ſapientia Dei maxima condita eſſe,ac benignitate ſumma cõſeruari atque gubernari,canit pulchro ordine,accenſúque in his conſiderandis,diuinæ potentiæ,ſapientiæ,& potiſſimum bonitatis admiratione promittit ſe,quoad uixerit,laudes Dei cantaturum.

PARAPHRASIS. EIVSDEM.

1 Benedic anima mea Domino:*Domine Deus meus magnificatus es uehementer.

LAuda anima mea Dominum.Ita enim fieri decet:*nam tu Domine Deus meus admodum magnus declaratus es per potentem rerum omnium creationem,& ſapientiſſimam atque benigniſſimam eorum gubernationem. Pſ.103

2 Confeßionem & decorem induiſti,
*amictus lumine ſicut ueſtimento.

2 Tu te laude & pulchritudine ex omni parte circundediſti, ornaſti,& velut veſtiuiſti,dum per cuncta opera tua potentiam,ſapientiam & bonitatem tuam declarans,oſtẽdiſti quàm ſis in omnibus laudabilis,decorus & glorioſus.*Et primum quidẽ id te glorioſum atq; laudabilem prædicat,q lumine tanquam veſtimento te circundederis. Nam & lucem habitas inacceſſibilem,nihil habens in te tenebrarum.Et in initio creationis ante omnia lucem tuo præcepto feciſti,qua tuam ſedem ac domum,hoc eſt,cœlũ ita perfudiſti,vt ea luce quaſi pallio ex omni parte amictus videaris.

3 Extendens cœlum ſicut pellem:
*qui tegis aquis ſuperiora eius.

3 Quomodo homo pellem aliquam tentorij,aut cortinam in vnũ conuolutam facili negotio latè expandit:ita & tu poſt creatam lucem facil limè ipſum cœlum in maximam latitudinẽ extendiſti,vt eſſet quaſi tẽtorium & operimẽtum inferioris iſtius domus,quã homini omnibúſq; animalibus ædificaſti.*Huius autem cœli ſic expanſi ſuperiorem partem texiſti aquis,diuidens per extenſum firmamẽtum aquas ſupernas ab aquis infernis. 2

4 Qui ponis nubem aſcenſum tuum:
* qui ambulas ſuper pennas uentorum.

4 Tu Domine nubibus ipſis inequitas,eiſq; pro vehiculo quodã vteris: his enim per vniuerſum orbem quaſi veheris,tuam potentiam mortalibus oſtendens,per mirabilia quæ ex eis deſignas.In his quoq; frequenter te nobis peculiariter præſentem exhibuiſti,ex eis nobis loquẽs,aut contra hoſtes noſtros pugnans,quẽadmodum rex aliquis è curru ſuo. *Iter facis vectus alatis celerrimíſq; ventis,hoc eſt,indicibili pernicitate vbicunque vis te mox præſentem exhibes,vt velociſſimis ventis ferri videaris,per quos etiam frequenter ſubito excitatos,circumquaque tuam potentiam horribiliter declaras,& ad terrendum homines quaſi aduolas.

5 †Qui facis angelos tuos, ſpiritus:*& miniſtros tuos, ignem urentem.

5 Tu facis ipſos ventos tibi eſſe pro nuntiis & angelis, ita vt iram tuam impiis denuntient, tuáq; iuſſa ſtatim perficiant:*ſimilíq; modo ipſa fulgura flammantia facis tibi eſſe quaſi miniſtros,dum per ea quæcunque vis exequeris,per ventos enim atque fulgura inſignes ſæpe vltiones de impiis feciſti.†Tu Domine etiam feciſti,vt hi quos pro nuntiis & miniſtris tuis eſſes habiturus,eſſent creaturæ omnino ſpiritales,& lucidiſſimæ,ac inſtar venti,atque ignis velociſſimi & efficaciſſimi,nobiliſſimos ſcilicet & potentiſſimos tibi proſpiciens miniſtros,ſicut tuam decebat maieſtatem. b

9 Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam,
*non inclinabitur in ſæculũ ſæculi.

6 Tu terram firmiter collocaſti in ſua ſtabilitate, vt videatur quaſi baſibus quibuſdam inniti,cùm pro baſi & ſuſtentaculo ſit ei ſola tua diſpoſitio atque voluntas,qua mirabiliter etiam in ipſis fluidis aquis ita ſtabilita eſt,*vt non ſit mouenda loco ſuo vnquam.

7 Abyſſus,ſicut ueſtimentũ amictus eius:
* ſuper mõtes ſtabunt aquæ.

7 Aquarũ maxima profunditas ipſam in principio veluti veſtimentum quoddam cooperuerant:*ſuper ipſos altiſſimos mõtes ſtabant aquæ.

8 *Ab increpatione tua fugiẽt,*à voce tonitrui tui formidabunt.*

8 Mox autem propter imperium tuum,quo eas velut impedientes bonum terræ videbaris increpare,recesserunt:* & propter iussum tuum, quod erat quasi sonus tonitrui efficacissimum,celeriter fugerunt,velut timentes te.

9 *Ascendunt mõtes, & descendunt campi in locũ quẽ fundasti eis.*

9 Atque ita ex ipsa aqua montes quasi ascenderunt,& campi quasi descenderunt ad locum istum,quem eis stabiliter collocasti,dum nimirũ aquis desidentibus,& in oceanum collectis,montes,& campi,vallésque apparuerunt.

10 *Terminũ posuisti,quem non transgredientur:*neque conuertentur operire terrã.*

10 Terminum statuisti aquis,quem tuo iussu parentes non transgrediẽtur neque amplius reuertentur ad operiendum terrã vniuersam, quẽadmodum in principio operuerunt.

11 *Qui emittis fontes in conuallibus,*

11 Ne tamen ipsis tum hominibus,tum bestiis aquarum sit inopia sine quibus vita hæc subsistere nequit,ob id tu ex montium occultis venis ingiter emittis, & scaturire facis fontes in locis humilioribus : * atque ita fit, vt ex fontibus collectæ aquæ inter montes indesinenter fluant.

inter medium montiũ pertransibunt aquæ.

12 *Potabunt omnes bestiæ agri,*expectabunt onagri in siti sua.*

12 Bibent ex eis omnis generis animalia,quę in agris degunt:*Ipsi syluestres asini,vt sunt animalia valde sitibũda, & in arentibus locis habitantia, in siti sua anhelabunt ad eiusmodi aquas,vt ex eis sitim suam restinguant. c

13 *Super ea uolucres cœli habitabunt,*de medio petrarum dabunt uoces.*

13 Iuxta ista,nempe iuxta fontes & flumina,aues,quæ in aëre volitant, habitant in arboribus iuxta aquas nascentibus:*ex ipsis altissimis montiũ rupibus suauiter cantillãt vnaquæq; secundũ naturę suæ cõditionẽ. d

14 *Rigans montes de superioribus suis:*de fructu operum tuorum satiabitur terra.*

14 Cumque fontium,fluminúmq; aquis mõtes rigari nequeãt,ne prorsus sterilescãt,humectat eos Deus è locis suis superioribus,ex ipsis nubibus pluuias demittens:*per hanc autem aquarum pluuialium irrigationem vniuersæ terræ cum montibus communem,saturantur quęcũque degunt in terra, ex abundantia fructuum, qui opera tua proueniunt.

15 *Producens fœnum iumẽtis,*& herbam seruituti hominum.*

15 Hac enim ratione germinare facis in incultis locis gramen in vsum brutorum animantium:*& herbam cultorum locorum ad hoc vt seruiat vsui hominum. e

16 *Vt educas panem de terra:* & uinum lætificet cor hominis.*

16 Vt scilicet ex herba prouenire facias homini cibum è terra:*& vinũ exhilaret cor hominis variis miseriis obnoxij.

17 *Vt exhilaret faciem in oleo,* & panis cor hominis confirmet.*

17 Vtque per oleum hilariores reddat vultus eius:*& panis cor hominis,& cum corde omnes corporis vires confirmet.

18 *Saturabuntur lingua cãpi, & cedri libani,quas plãtauit,*illic passeres nidificabunt.*

18 Eorundem aquarum irrigatione etiam ipsæ arbores campi humana opera destitutæ,humoris summam copiam imbibunt, quæ ad earũ incrementũ sufficiat:& Cedri quæ in monte Libano copiosè proueniũt, quas non hominum opera,sed Dei solius cura plãtauit,crescere eas faciens citra hominum culturam.*Has autem arbores non hominũ tantum vsibus creauit,sed & auium.In his enim passeres,reliquæque aues nidulantur. f

19 *Herodij domus,dux est eorum,*montes excelsi Cerui, petra refugium Erinaceis.*

19 Inter has autem aues,nidus Herodij siue Ardeæ principatum obtinet,eo q; & amplior & altior sit nidus eius quàm reliquarum auium. *Quemadmodum autem arbores auium mansioni deputatæ sunt, ita & mõtes excelsi diuina prouidentia ipsis Ceruis ordinati sunt ad quos confugientes à persequẽtibus se saluent:similiter latibula petrarum,ex Dei ordinatione sunt refugiũ ipsis Erinaciis:& similiter aliis animalib⁹ sua sunt loca,in quibus seruentur deputata. Adeo nullum est animal, quantumuis vile & infirmũ,cui non prospexerit Deus:nec vllus est locus,qui si non hominibus,saltem aliquibus animalibus seruiat,vt sunt montes excelsi ac rupes.

20 *Fecit lunam in tẽpora.*

20 Iam quanta est solis ac lunæ in his inferioribus vtilitas.Fecit enim Deus lunam,vt sua mutatione certa tempora distingueret,& mensium exordia indicaret suis nouiluniis.*Sol obseruat tẽpus occasus sui idq; adeo determinatè & constanter,vt videatur intellectu prẽditus cognoscere,quod sit tempus occasus quotidiani,sibi à Deo præscriptum. g

Sol cognouit occasum suũ.

21 *Posuisti tenebras,* & facta est nox:*in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ.

21 Post solis occasum inducis tu Domine tenebras,& fit nox, quæ non ad hoc tantũ vtilis est,vt diurnis fessos laboribus somno reficiat,sed & multis seruit animalibus ad vigilandum.* In ea enim liberè prodeunt animalia,quæ per diem in syluis hominum causa latuerunt,tũmq; huc & illuc ambulant.

22 *Catuli leonum rugientes ut rapiant:* & quærant à Deo escam sibi.*

22 De quorum numero maximè sunt catuli leonum præ fame rugientes,qui perambulant syluas vt rapiant sibi prædam:* & quærant pro se aliquam escam à Deo,à cuius solius prouidentia omnibus animalibus etiam ferocissimis cibus præparatur.

23 *Ortus est sol,* & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.*

23 Post hæc autem iterum oritur sol,& quæ per noctem sparsa erant animalia,ad quærendum sibi victum colliguntur rursum, & in antris suis

24 *Exibit homo ad opus suum,* & ad operationem suam usque ad uesperam.*

suis collocantur,vt in eis cubent per diem.

24 Illis autem cubantibus,cùm iam ab eis nullum homini est periculũ homines qui nocte quieuerunt,egrediuntur ad perficiẽda opera sua:* & ad culturam agrorum suorum(quod præcipuum & maximè naturale eorum est opus)vsq; ad vesperam.Itaq; fit,vt homo cum bestiis illis, quæ homini sunt formidabiles,per vices ipsa terra vtatur.

25 *Quàm magnificata sunt opera tua Domine:* omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

25 Meritò itaque ex horum omnium consideratione exclamare licet, O Domine opera tua sunt à te valde magnifica facta,tu fecisti ea admodum magnifica haberi à nobis,dum in tanto numero,tali ordine atque vtilitate omnia condidisti: * nihil enim non summa sapientia creasti, ipsaque terra plena est diuitiis tuis,& rebus à te creatis,quaram vt es author,ita & possessor. h

26 *Hoc mare magnum & spatiosum manibus:* illic reptilia,quorum non est numerus.*

26 Nec minorem admirationem de se præbet ipsum mare,quàm terra. Ipsum enim mare magnum est & amplissimum spatiis, habẽs brachia latissima,& sinus,* in quo sunt natatilia innumerabilia,nõ tantũ quoad individua,sed etiam quoad eorum species. i

27 *Animalia pusilla cũ magnis,*illic naues pertransibunt.*

27 Pisces parui cum magnis ibi sunt,*&,quod summè est admirãdum per ipsum naues pertranseunt,homines quaquauersum voluntrãsferentes,cum grandi tum miraculo,tum vtilitate.

28 *Draco iste,quem formasti,ad illudendum ei.*

28 Illic etiam sunt admirandæ magnitudinis cete, quæ tu creasti, vt se in ipso voluerent atq; reuoluerent quasi ludendo,vtque nimia sua fortitudine ita in ipso dominarentur,vt ridere audeant,& contemnere reliqua,quæ degunt in mari,omnia:& merus eis sit lusus venari,& capere animantes in eo quaslibet.Omnia autem hæc,quæ siue in terris,siue in aquis viuũt,animalia innumera,sicut à te creata sunt,ita non à seipsis sed à te conseruantur.*Omnia enim à te expectant,vt des illis tempore oportuno cibum,naturæ cuiusque conuenientem.

* *Omnia à te expectant,ut des illis escam in tempore.*

29 *Dãte te illis, colligent,* aperiente te manum tuam, omnia implebũtur bonitate.*

29 Vbi tu illis suppeditaueris,colligent:*vbi velut aperta manu illis largiter dederis,omnia saturabuntur tua benignitate.

30 *Auertente autem te faciem,turbabuntur,* auferes spiritum eorum, & deficiẽt, & in puluerem suum reuertentur.*

30 Si verò iratus faciem tuam auerteris ab eis,& cura tua destiteris ea continuò turbabuntur,& in seipsis anxiabuntur,*& si spiraculo illo vitæ,quod insufflasti,& animas ipsorum spoliaueris ea,mox interibunt,& in terram,vnde sumpta fuerant,resoluentur.

31 *Emittes spiritum tuum, & creabũtur, & renouabis faciem terræ.*

31 Rursum autem insufflabis spiritum tuum in eandem terram, & creabuntur alia in locum eorum quæ interierant:sicq; per illa innouabis superficiem terræ.Atque hæc quidem manifestè in generali illo terræ diluuio declarata sunt,cùm hominum peccatis offensus vniuersa penè animantia perdidisti:hæc mox nouis animalibus totum orbem impleuisti.Quotidie quoq; hæc oculis omnium ingeruntur,dum per continuã animalium corruptionem & generationem,mortuis parentibus orbem succedentibus filiis renouas.At verò in nouissimo die cùm per ignem mundus innouabitur,vt olim per aquam,istud,quantũ ad homines attinet,eximiè præstabis,cùm in depolita corpora & corrupta spiritũ tuũ, animas hominum.(quæ magis propriè tuus dicũtur spiritus,quàm aliorum animalium animæ,eo quod à te solo inspirẽtur,tuique spiritus expressiorem gerant similitudinem)emittes,& qui mortui fuerunt homines,& secundum corpus interierunt,rursus creabuntur,atque per nouos hos innouabis orbẽ terræ,& simul cum eis ipsa quoque terra a præsenti statu innouabitur. k

32 *Sit gloria domini in sæculum.*

32 Sanè cùm magnificam Dei maiestatem ex operibus eius modò perpendam,ex totis animæ visceribus opto,vt in perpetuum perduret gloria maiestatis eius,quæ in operibus eius relucet:vtque maiestas eius ex creaturis semper ab hominibus agnoscatur,& agnita colatur, quemadmodum certè futurũ est:*nã Dominus in variis istis operibus suis semper se oblectabit, liberalissimo amore ea semper prosequens,& maxima sapientia atq; bonitate ea gubernans,quemadmodum pater in filio se oblectans singulari eum fouet indulgentia,& artifex in opere quod diligit plus operæ & curę impendit.

* *Lætabitur Dominus in operibus suis.*

33 *Qui respicit terram, & facit eam tremere:*

33 Neque gloriam suam tantum declarabit sua erga creaturas benignitate,sed & virtutis suæ maximæ ostensione terrificabit.Ipse enim vbi terram vel semel aspexerit,solo ipsius nutu continuò mouebitur, & quasi formidans contremiscet:*& cùm vel leuiter montes tetigerit, mox ab ipsius igne incensi fumigabunt,quomodo olim factum est in monte Sinai,qui mox vt præsentiam suam in eo Deus testatus est,in modum fornacis terribiliter totus fumabat:quemadmodum etiã & frequenter fieri videmus,cùm fulminibus attactos mox fumare facit. Adeo nihil est quantumuis firmum,aut magnis præditum viribus,quod non tam facilè ad nutum eius commoueatur,& concidat,quàm si quis solo suo aspectu aut attactu omnia vincere posset.

* *qui tangit montes,* & fumigant.

34 *Cantabo Domino in uita mea, * psallam Deo meo quandiu sum.*
35 *Iucundum sit ei eloquiũ meum, *ego uerò delectabor in Domino.*
39 *Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita ut non sint.*

* *benedic anima mea Domino.*

34 Propter hæc igitur omnia tam admiranda cantabo in honorẽ Domini per omnem vitam meam,*psalmis celebrabo eum quoad vixero.
35 Opto autem,vt sermo meus quo eum deprædicabo, sit ei gratus & acceptus:quod si fiet,*ego certè delectabor in Domino, quod illũ mihi habeam propitium.
36 Vt autem ego laudis diuinæ studiosus perpetuo Deum carminibus i
glorificare,& meas laudes illi acceptas esse desidero:ita quoq; opto, vt peccatores & iniqui,qui Dei laudes negligũt,imo nomen Dei blasphemant,suáq; vita,quod in ipsis est,Dei gloriam obscurant,sic consumantur à terra,vt amplius in ea nõ sint:sed vbiq; omnia obtineãt hi,qui Dei nomen verè sanctificent,quemadmodum & suo tempore fore nihil addubito.*Interim autem quandiu adhuc in terra peccatores tolerantur, tu saltem anima mea(vt in principio dixi) totis viribus lauda Dominũ, aliósque ad laudandum eum,quantum in te est,adducere labora.

ANNOTATIONES.

a QVI TEGIS AQVIS.]Quæ nos legimus hoc versu & tribus sequentibus in secunda persona, Græca & Hebræa habẽt in tertia persona. Vnde,& Augustinus legit,qui tegit aquis : & Qui ponit nubem ascensum suum,&c. Aliquoties enim in hoc Psalmo est mutatio personę,vt nũc ad Deũ, nunc de Deo fiat sermo.

b QVI FACIS ANGELOS TVOS,&c. Qui literalem sensum diligenter persequuntur, intelligunt hic significari Deum ventis & igne vti,tanquã ministris & nũtiis,Qui sensus optimè cõuenit his quæ præcedunt de nubibus & pennis ventorum. Simili loquẽdi figura vsus est postea Psalmo 148. cũ ait:Ignis,grando,nix,glacies,spiritus procellarum, faciunt verbum eius. Iuxta hanc intelligentiã accusatiui,spiritus,& ignem ventem,debent,præconstrui in hunc modu:Tu facis ipsos ventos esse Angelos tuos,hoc est,ventis eis pro nuntiis:& ignem facis ministros tuos,hoc est,ventis eo pro executore tuæ voluntatis:quemodo ventorum ministerio Deus viam strauit Hebræis in mari rubro:igne Sodomitas consumpsit.Sed & Augustinus hoc ordine istum versum accipit,etsi in longè diuerso sensu priorem partẽ accipiat, nimirũ de his qui proprie Dei angeli sunt,versum explicans in hũc modum:Deus est,qui spiritus,hoc est,spirituales creaturas facit esse angelos,hoc est,nũtios suos.Nomẽ enim spiritus,intelligit hic esse nomen naturæ:nomen verò angeli,nomen officij non naturæ. At ex Græcis constat Septuaginta interpretes hunc versum diuerso ordine intellexisse.vt scilicet accusatiuũ,angelos & ministros,præconstrui debeant. Habẽt enim Græca sic.ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα,καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα. Vbi articuli additi ad accusatiuos,angelos & ministros, & non ad alios accusatiuos,exigunt hanc ordinationem:Qui facit ipsos angelos suos,esse spiritus : & ipsos ministros suos,facit esse flammã ignis.Angelos autem,qui sunt Dei ministri,dicit à Deo factos spiritum & ignẽ,siue vt eorum celeritatem,vim & efficaciam insinuaret:siue vt eorum naturã hoc pacto declararet,videlicet ꝙ à Deo facti essent immateriales,& instar ignis lucidi,& charitate ardẽtes. Itaque sic hunc versum intelligunt Euthymius & Theodoretus,qui cum Græci essent,facilè aduerterunt hunc ordinem Græca requirere,quem nõ requirunt Hebræa,quæ priorem sensum & ordinem magis postulãt.Cùm ergo Diuus Paulus in epistola ad Hebræos 1.hunc locũ citet secundum Septuaginta versionem,sicut & alia in eadem epistola,nõ mirũ est,ꝙ in alio sensu hunc versum adducat,quã quẽ Hebræa requirunt, nẽpe de angelis Dei priè dictis.De his eñ solis Græca intelligi possunt. c

EXPECTABVNT ONAGRI.]Græca modo habent:προσδέξονται,hoc est,suscipient onagri in sitim suã,quomodo & D. Augustini lectio habet.Verisimile eñ est Septuaginta vertisse, προσδοκήσονται,atq; sic legisse nostrũ interpretẽ,quia hoc verbum significat,expectare,Hebr. tum enim verbum שָׁבַר Sabar, hoc loco positũ,si cum puncto in sinistro cornu litera Schin legatur,significat exspectare & sperare. Quanquam iam legatur purctus in dextro,quo modo significat conterere & frangere. Vnde vertunt:Frangent onagri sitim suam. d

SVPER EA VOLVCRES CCELI.] Græcis pro,super ea,est ἐπ' αὐτὰ, ꝙ est,super ea vel iuxta ea,& refertur relatiuẽ,ea,ad aquas,quæ Græcis dicũtur in neutro genere ὕδατα Vnde vertendũ erat iuxta eas,Augustini lectio habet:Super illos:& referendũ putat ad montes,qui & ipsi neutro genere efferuntur Græcis.Cui sensui bene cõuenit quod in sequenti versus parte dicitur:De medio petrarũ dabunt voces:aut,vt rectius legitur singulariter,vocem,Sic enim habent,& Græca & Hebræa,& Augustinus.Pro,petrarum,autẽ dictio Hebræa putatur magis significare ramos aut frondes arborum. Vnde aliena est Euthymij interpretatio,qui intelligit aquas fontiũ, & fluminũ de medio petrarum, inter quas fluunt,edere vocem,hoc est,strepitum.

ET HERBAM SERVITVTI HOMINVM.]Quidam per seruitutẽ hominũ,intelligut significari iumenta,quæ hominu seruituti sunt deputata,vt idẽ significetur secũda versus parte,quod prima. At Hebræa dictio magis postulat operationem,culturã,& vsum alicuius rei.Vnde magis conuenit accipere hunc sensum:Herbã producis è terra in vsum hominum,atq; ad hoc vt seruiat hominibus,vt priore parte significetur cibus bestiarum, fœnum scilicet,hoc est gramẽ,(sic enim nomẽ fœni hìc & alibi accipiendum est.)Posteriori verò parte significetur cibus hominum,herba scilicet,quæ in cultis locis nascitur,cuius species præcipua est seges. Græcis enim priore loco est χόρτον,ꝙ significat herbam,eam maximè quæ in incultis nascitur locis.Secundo loco est,χλόην, quod significat herbam,quæ ex cultis percipitur locis,vt olus. e

HERODII DOMVS, DVX EST,&c.]Græca clarius pro,dux est eorum,ἡγεῖται αὐτῶν,hoc est, præcedit eas,præsidet eis.Qualis autẽ auis sit Herodius,nõ satis certum est.Suidas Ciconiã putat, aut auem Ciconiæ similem.Alij Ardeã intelligunt, quod huic loco benè cõuenit.Siquidem ea gaudet nidificari in altis arboribus, Augustinus Fulicam legit,hoc est,mergum. f

REFV

g REFVGIVM ERINACIIS.] Græcis est λαγωοῖς,quod significat magis lepores,sicut & Hebræa dictio significare creditur. D.Augustinus legit Ericiis & leporibus,vtrumque coniungens.

h POSSESSIONE TVA.] Græca habent τῆς κτίσεώς σου,hoc est,creatione tua, hoc est, vt interpretatur Euthymius, his quæ à te creata sunt.& Augustinus legit creatura tua. At Hebræa dictio significat non creationẽ,sed possessionem. Vnde verisimile est Septuaginta potius vertisse, κτήσως, quod possessionem significat.

i SPATIOSVM MANIBVS.]Græcis tantum est ἐυρύχωρος,hoc est,spatiosum. At manibus,additum est ex Hebræo,quæ habent latũ manibus, vel locis,nam dictio,quæ illis manus significat,quandoque etiam pro loco ponitur.

EMITTES SPIRITVM TVVM.] Emittes, k
legendũ est,non emitte,cum sit Græcis ἐξαποστελλῇς, ficque habent etiam nostri codices emendatiores, quemadmodum legit & Augustinus.

DEFICIANT PECCATORES.] Quidam l
legunt per futurum indicatiui,deficient,quomodo & Hebræa habent : quanquam non sit nouũ apud Hebræos,futurum indicatiui ponere pro optatiuo. Alij legunt, deficiant, quod magis conuenit cum Græcis.vnde nostra lectio sumpta est,habẽt enim optatiuum ἐκλείποιεν.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CIIII.

PRæsens Psalmus usque ad uersum 16. describitur 1. Paralip. 16 decantatus ex institutione Dauid corã arca Domini, cùm in montem Sion translata esset in tabernaculum à Dauide præparatum. Inuitat autem filios Israel ad laudandum Deum & narrandum eius in illos collata beneficia,& maximè,quod promissam olim patribus terram Chanaan eis possidendam tradiderit. Propter quod & memorat uaria Dei in populum illum beneficia,inchoans ab eo quòd fœdus iniit cum Abrahaam,Isaac,& Iacob,usque ad id temporis,cum ei educto magnis portentis ex Aegypto,& per deserta deducto,terram Chanaan tradidit in possessionem hæreditariam. In his autem omnibus oportet nos etiam simul agnoscere & illa beneficia,quæ per Christum omnibus fidelibus impensa sunt, per quem fideles in spe introducti sunt in terram uiuentium sub typo terræ Chanaan spirituali semini Abrahæ promissam.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Confitemini Domino,& inuocate nomen eius:*annũtiate inter gentes opera eius.*

LAudate Dominũ ob percepta ab eo beneficia,& agnoscẽtes ex his Ps.104.
ipsius in nos benignitatem, inuocate in omni necessitate opẽ eius: *deprædicate etiam inter exteras nationes admiranda opera eius quæ pro suorum salute operatus est,vt & ipsæ gentes hæc cognoscẽtes relictis idolis suis,vna nobiscum Deum verum colant.

2 *Cantate ei,& psallite ei, * narrate omnia mirabilia eius.*

2 Cantate & psallite in honorem eius, *psallendo autem enarrate illa tam varia,& admiratione digna facta,quæ in nobis designauit.

3 *Laudamini in nomine sancto eius:*lætetur cor quærẽtium dominum.*

3 Laudando gloriemini in nomine sancto eius,eo quod eius beneuolẽtiam tam insigniter experti sitis:lætẽtur ex corde,& solido gaudio,omnes qui placere student ei,& in quauis necessitate inuocant eum.

4 *Quærite Dominũ,& cõfirmamini:*quærite faciem eius semper.*

4 Quærite Dominum,atque in perquirendo eum estote constantes & fortes:*quærite faciem eius semper,in omni tribulatione non ad alium quàm ad ipsum confugientes,piisq; studiis assiduè studentes illius fauorem vobis comparare.

5 *Mementote mirabilium eius quæ fecit:
* prodigia eius & iudicia oris eius.*

5 Vt autem & canatis ei,& gloriemini in eo,& constanter illum quera tis,memores estote mirabilium operum eius quæ fecit pro nobis : *recordemini quàm stupenda sunt quæ designauit,quámq; æqua sint omnia quæ locutus est vnquam,aut quæ suo decreto ac iussu vnquã exercuit.

6 *Semen Abrahæ serui eius:*filii Iacob electi eius.*

6 Vos,inquã,hæc facite,qui estis posteri Abrahæ,& cultores illius,*filij Iacob,& electi ab eo ex omnibus gentibus in populũ sibi peculiarẽ, a
vt meritò tum ratione diuinæ in vos dignationis.tum ob paternam pietatem quam imitari vos decet,Deum peculiariter colere debeatis.

7 *Ipse dominus Deus noster * in uniuersa terra iudicia eius.*

7 Nam ipse Dominus,est peculiariter Deus noster,*qui tamen per vni- b
uersam terram iudicia exercet,imperium & iudicandi potestatem non in Iudæa tantum,sed vbique obtinens.

8 *Memor fuit in sæculũ testamẽti sui:*uerbi quod mãdauit in mille generationes.*

8 Ecce autẽ vt ex multis pauca narrem,ob quæ à nobis celebrandus est & laudandus,Deus noster post datam modo nobis quietã in terra Chanaan habitationem declarauit se memoré esse pacti,quod in æternum durare voluit:*& verbi quod statuit,vt in mille generationes,& vsq; in consummationem sæculi perstet.

9 *Quod disposuit ad Abraham:* & iuramenti sui ad Isaac.*

9 Memor inquam,fuit eius verbi,quod primum promisit ipsi Abrahæ, *& iuramenti sui,quo deinde astrinxit se ipsi Isaac.

10 *Et statuit illud Iacob in præceptũ : *& Israel in testamentum æternum.*

10 Quod & ipsi Iacob firmiter statuit,vt esset quasi statutum & lex,qua seipsum obligauit:*& Israeli constituit illud vt esset ei in fœdus æternũ, nunquam à se infringendum.

11 *Dicens:Tibi dabo terram Chanaan:
* funiculum hæreditatis uestræ.*

11 Dicens singulis istorum trium patriarcharum:Tibi dabo terrã Chanaan,*vt sit tibi & seminitui in portionem vestram hæreditariam,quã velut funiculo distinctam à portione reliquarum gentium,hæreditario iure possidebitis.

12 *Cùm essent numero breui paucissimi, & incolæ eius.*

13 *Et pertransierunt de gẽte in gẽtem:* & de regno ad populum alterum.*

14 *Non reliquit hominẽ nocere eis:* & corripuit pro eis reges.*

15 *Nolite tangere Christos meos,* & in prophetis meis nolite malignari.*

16 *Et uocauit famem super terram,* & omne firmamentum panis contriuit.*

17 *Misit ante eos uirum, * in seruum uenundatus est Ioseph.*

18 *Humiliauerunt in cõpedibus pedes eius, *ferrũ pertransiit animam eius, donec ueniret uerbum eius.*

19 *Eloquium Domini inflã mauit illum, * misit rex & soluit eum princeps populorum & dimisit eum.*

20 *Constituit eũ dominum domus suæ:* & principem omnis possessionis suæ.*

21 *Vt eruditet principes eius sicut semetipsum:* & senes eius prudentiam doceret.*

22 *Et intrauit Israel in Aegyptum: * & Iacob accola fuit in terra Cham.*

23 *Et auxit populum suum uehementer:* & firmauit eũ super inimicos eius.*

24 *Conuertit cor eorum ut odirent populum eius* & dolum facerent in seruos eius.*

25 *Misit Moysen seruum suum Aaron quem elegit ipsum.*

26 *Posuit in eis uerba signorum suorum, & prodigiorũ in terra Cham.*

27 *Misit tenebras & obscurauit:* & non exacerbauit sermones suos.*

12 Hoc autem pacto cum eis inito, mox suã cœpit in eos declarare be- d
neuolentiam. Cùm enim adhuc esset eorũ familia in exiguo numero, imo paucissimi cùm essent, & simul etiam peregrini in ea terra, quam in hæreditatem illis promiserat.

13 Cúmque adhuc nullam fixam habentes mansionem proficiscerentur peregrinorum more, ex vna natione in aliam:* & ex vno regno ad populum alterius regni, morum ab altero longè diuersorum.

14 Cùm sic, inquam, se haberent, & iniuriæ hominum paterent, cum ob paucitatem, tum q̃ peregrini essent nõ permisit Dominus vllum hominem nocumentum aliquod eis inferre:* quin & reges corripuit verbo & facto, illorum causa.

15 Ne attigeritis, inquiens, Christos meos, vt noceatis eis:* & in prophetis meis ne quicquam malignè agatis: Christi enim, hoc est, vncti, & prophetæ erant patriarchæ nostri, eo q̃ à Deo electi essent, & spiritu eius sanctificati, futurarum rerum vaticinia à Deo excipientes, aliisque renuntiantes.

16 Iam & Dei nostri beneuolentiã declaratam in nos per patriarcham Ioseph attendamus. Ecce enim Dominus famem magnam venire iussit super terram Chanaan:* & omnem panem quo confirmatur & sustentatur cor hominis, perdidit, & absumpsit per sterilitatem septem annorum.

17 Verùm ne fames hæc patres nostros opprimeret, multo antè miserat ante eos in Aegyptum virũ insignẽ,* in seruum enim vænundatus est Ioseph à patribus nostris, qui etsi de eo malum cogitauerint, Deus tamẽ illorum malum vertit in bonũ, tum ipsius Ioseph, tum eorum qui vendiderunt, in quorum gratiam hac ratione præmittebatur à Deo.

18 Afflixerunt compedibus pedes eius:* ferrei iq; compedes cruciauerunt animam eius, vsquequo eueniret id quod de eo Deus decreuerat & ordinauerat.

19 Tunc enim sermo quem Dominus illi suggessit in interpretatione e
somniorum, ipsum ad loquendum accendit, & velut argẽtum igne examinatum probauit, & verè Dei spiritu præditũ fuisse declarauit, cũ scili f
cet testimonii veracis interpretationis pincerna Pharaoni de eo redderet,* propter quod rex misit, & solui iussit eum è vinculis carceris: is, inquam, qui imperium habebat in plurimos populos, rationem habuit illius qui in carcerem coniectus fuerat, & liberum eum dimiti iussit, iolutis, quibus detinebatur, vinculis ferreis.

20 Neque solum eum liberauit è carcere, sed ob sapientiam eius maximam, etiam constituit illum dominum regiæ domus suæ: neq; domus tantum dominum,* sed etiã totius regni, & omniũ quæ possidebat ipse.

21 Vt sua sapientia, qua erat eruditus à Deo etiã erudiret principes:* & multo seniores se ipse prudentiam doceret. Adeo in illo emicuit diuina quædã sapientia, vt ab eo, quanquam seruo & peregrino, etiã principes ac senes suos sapientiam discere vellet, cùm semper de insigni sapientia apud se nata, Aegyptij sese iactarent.

22 Ioseph itaque regnante, tempore famis intrauit pater nõster Israel in Aegyptum cum suis:* & Iacob peregrinus fuit in terra Cham, hoc est, Aegypto: sic dicta q̃ eam primus incoluerit Mesraim filius Cham, cuius & impietatem hic populus postea imitatus est.

23 Et auxit ibi Dominus populum suum vehemẽter:* multitudine & viribus fortiorem fecit inimicis eius, qui seruitute dura premebant illũ,

24 Quoniam autem insigni miraculo populum suum ex Aegypto liberari, suámq; in eum beneuolẽtiam rursus testari voluit, nec id fieri posset, nisi populo antea afflicto, & ab Aegyptiis attrito, ob id immutari permisit animos Aegyptiorum, vt odio persequerẽtur populum suum, quem eos fecerat prius per Ioseph diligere: & vt aduersus seruos suos machinarentur dolos, quibus eos opprimerent callidè: Immutauit autẽ animos dico non incitando ad odium, sed affectum dilectionis, quẽ dederat, subtrahendo, & odij occasiones apponendo, atq; permittendo, vt in odium eorum commouerentur.

25 Itaque iam afflictis succurrere volens, misit Moysen seruum suum, ipsum quoque Aaron fratrem eius, quem nihil tale cogitantẽ, aut ambientem suo beneplacito elegit ad perficiendum per ipsum cum fratre opus redemptionis populi sui.

26 His itaque dedit præceptum & facultatem faciendi signa sua, & stupenda opera in terra Cham.

27 Immisit per eos huic terræ tenebras & obscuritate maxima inuoluit omnia,* nec fecit sermones suos esse incredibiles, quin potius perficiẽs quæcũq; per Moysen & Aaró loquebatur, fecit vt tũ ab Israelitis, g

tum

28 *Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.*

29 *Edidit terra eorum ranas,* in penetralibus regum ipsorum.*

30 *Dixit, & venit cynomyia, * ciniphes in omnibus finibus eorum.*

31 *Posuit pluuias eorum grandinem:* ignem comburentem in terra ipsorum.*

32 *Et percussit uineas eorum, & in ficulneas eorum, * & cõtriuit lignum finium eorum.*

33 *Dixit, & venit locusta & bruchus, cuius non est numerus.*

34 *Et comedit omne fœnum in terra eorum,* et comedit omnem fructum terræ eorum.*

35 *Et percussit omne primogenitum in terra eorum, † primitias omnis laboris eorum.*

36 *Et eduxit eos cum argento & auro,* & non erat in tribubus eorum infirmus.*

37 *Lætata est Aegyptus in profectione eorum:* quia incubuit timor eorum super eos.*

38 *Expandit nubem in protectionẽ eorũ:* & ignem vt luceret eis per noctem.*

39 *Petierunt & venit coturnix:* & pane cœli saturauit eos.*

40 *Dirupit petram & fluxerunt aquæ:* abierunt in sicco flumina.*

41 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerũ suum.*

42 *Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.*

43 *Et dedit illis regiones gentium:* & labores populorum possederunt.*

44 *Vt custodiant iustificationes eius,* et legem eius exquirant:*

tum ab Ægyptiis vel inuitè crederentur veri esse sermones eius.† Ipsis quoque Moysi & Aaron fecit Deus sermones suos non esse ita acerbos & molestos, vt iussis eius non obtemperarent, quamuis periculosum videretur prouocare tantum regem, támque grauia comminantem,

28 Mutauit aquas eorum in sanguinem, sicque pisces eorum occidit. *1. Plaga*

29 Ebulliuit terra ipsorum ranas in maxima multitudine:* idque ne- *2. Plag.*
dum in domibus plebeiorum, sed & in secretissimis quibusque locis h
principum eorum, quæ tamen tutissima ab omni malo esse solent.

30 Iussit, & subitò prodiit omnis generis maxima muscarum copia: *4. Plag.*
* & similiter ad solum eius iussum in omnibus terminis regni illorum extiterunt pediculi aut culices, hominum ac iumentorum corpora molestè cruciantes.

31 Immisit illis pro pluuiis grandinem in maxima multitudine:* & *3. Plag.*
cum grandine mistum ignem fulminum, omnia comburentem misit in terram ipsorum

32 Et percussit per grandinem vineas eorum, & ficulneas eorum * & *7. Plag.*
contriuit quicquid fuit vsquam arborum in finibus illorum.

33 Iussit, & continuo extitit locustarum maxima copia, & bruchorum *8. Plag.*
innumerabilis multitudo.

34 Hæc vastauerunt quicquid residuum fuerat grandini, omne scili- *10. Plag.*
cet gramen, & omne viride quod erat in terra eorum, * & vorauerunt omnem fructum, quem terra producere cœperat eis.

35 Nouissimè autem percussit in terra eorum tam in hominibus quã in pecoribus omne primogenitum, hoc est, primitias omnis laboriosissimi partus eorum,† & prima quæque in animalibus, pro quibus acquirendis & conseruandis homo laborat.

36 Et post hæc omnia ostenta, eduxit illinc suos, onustos argento & auro, quod mutuo acceperant ab Ægyptiis, Deo ita iubẽte, vt haberent mercedem ministerij sui, quod illis impenderãt;* cúmque in exitu tãta esset Israelitarum multitudo, nõ erat tamen Dei beneficio in omnibus tribubus eorum aliquis infirmus, qui præ infirmitate ab itinere impediretur.

37 Tum autem & mirabili rerum mutatione factum est, vt Ægyptij, qui prius nullis signis adduci potuerunt, vt populum dimitterent, iam etiam exire compellerent, & lætarentur cùm abire inciperent, quanquam ab eis spoliati essent:* quia irruerat super eos timor à Domino immissus, quo sibi malè metuebant ab illis.

38 In ipsa autem profectione expandit super eos nubem, vt ea tanquam vmbraculo per diem protegerentur ab æstu:* columnam quoque ignis extendit super eos, vt lumine suo pelleret tenebras per noctem.

39 Cùm autem iam in deserto existentes ciborum inopia laborarent, mox vt postulauerunt, aduenit eis coturnicum, auium certè delicatissimarum, maxima vis:* & pane non in terra, sed contra naturam in aëre nato, ad saturitatem vsque impleuit eos Dominus, non satis habens famem illorũ leuare, nisi & optimis & delicatissimis cibis suos saturaret.

40 Et quemadmodum mirabiliter in fame ipsorum, cibum illis prouidit, ita & pro extinguenda siti eorum, dirupit petram arentem, & ex ea mox effluxerunt aquæ in maxima copia:* & labebantur instar fluminũ per loca arentia deserti.

41 Hæc autem omnia Deus tam benignè cum Israelitis operatus est, quoniam rationem habuit illius promissi sanctissimi, quod promiserat Abrahæ seruo suo, quod omnino violari propter nimiam eius sanctitatem non potuit.

42 Propter quod eduxit ex Ægypto populum suum cum exultatione, & cum gaudio electos suos.

43 Eisque ex Ægypto eductis, dedit regiones gentium multarum:* & ea, in quibus populi laborauerunt, ipsi hæreditario iure possederũt, agros scilicet quos illi coluerant, & vineas quas plantauerant, ac ciuitates quas extruxerant.

44 Hæc verò cuncta Deus illis præstitit, vt custodirent iustissima statuta ipsius* & legem ab eo latam toto corde exquirerent, summo studio annitentes eam & discere & facere. Neque enim pro omnibus suis beneficiis aliud Deus requirit, quam obedientiam & obseruantiam legum suarum.

ANNOTATIONES.

SEMEN ABRAHAM, &c..] Dictiones serui & electi non possunt accipi in genitiuo casu, vt referantur ad Abraham & Iacob: sed accipi debent, vt sint nominatiui casus, pluralis numeri. Græca

enim habent: δοῦλοι αὐτοῦ & ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ.

b IN VNIVERSA TERRA,&c.] Præter sensum paraphrasis potest & sic intelligi: Iudicia eius, quibus pro nobis iudicauit contra hostes nostros, nota facta sunt per vniuersam terrã. sicut alibi dicitur in conspectu gentium reuelauit iustitiam suã.

c DICENS TIBI DABO.] Non debet ex his verbis intelligi quod promissio, quæ his verbis continetur, sit pactum cum Abraham initũ, (non enim promissio est pactum) sed in pacto includitur, & pacti signum est. Nam pactũ, est amicitia aut obligatio aliquorum inter se, sub certis conditionibus vtriusq; partis. Pactum itaque Dei cum Abraham & semine eius est, quod ipse erit eorũ Deus, & ipsi vicissim eius populus: atque hoc quidem pactum æternũ est, quia reiecto carnali semine Abraham, in spirituali continuatur.

d CVM ESSENT NVMERO BREVI.] Quidam hunc versum cum superiori connectunt in hunc sensum: Promisit eis Deus terram Chanaam, etiam tunc cùm erant in exiguo numero, &c. verùm iam durè cohærebũt versus illi, Non reliquit, &c. Proinde conuenit sic accipere, vt cum sequentibus versus illi duo coniungantur.

e FERRVM PERTRANSIIT,&c.] Ita habẽt omnes libri, vt sit hic similis locutio ei quæ est in euangelio: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. sicut annotauit Diuus Augustinus. Græca tamen non habent accusatiuum, animam, sed ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, hoc est, anima eius pertransiuit ferrum, hoc est, passa est ferrũ. Et D. Hieronymus vertit: In ferrum venit anima eius, hoc est, ipsemet Ioseph.

ELOQVIVM DOMINI,&c.] Quidam literam nostram simpliciter sic intelligunt: eloquium Domini accendit eum ad loquendum. Verùm Hebraica dictio, pro qua habemus, inflammauit, propriè significat per ignem examinare & probare, quod & dictio Græca, ἐπύρωσεν, hic posita significat, quamuis & ea significat, inflammare & incendere. Proinde conuenit istud intelligere in sensu quem indicat paraphrasis. D. Augustinus alios codices magis expressè ex Græco habere annotauit: Eloquium Domini igniuit eum. f

ET NON EXACERBAVERVNT.] Latina hic à Græcis, & Græca ab Hebræis dissident. Hebræa enim habent: & non exacerbauerunt, vel, non fuerũt rebelles sermonibus eius: & tunc refertur verbum istud ad Moysen & Aaron, qui Dei præceptis obedierunt, quamuis eis grauia minaretur rex potẽtissimus. Græca verò habent ὅτι παρεπίκραναν, quoniam exacerbauerunt sermones eius: & tũc referri debent ad Ægyptios, qui increduli fuerunt sermonibus Dei, & ob hoc dicuntur sermones eius exacerbasse, sensu, vt notat Euthymius, improprio. In nostra autem lectione verbũ ad Deum referendũ est, & omnino apparet nostrũ interpretẽ aliud apud Grecos legisse, nempe, καὶ οὐ παρεπίκραναν, &c. g

EDIDIT TERRA EORVM,&c.] Legendũ est, edidit, non, & dedit, vt docent Græca simul & Hebræa. Nam Hebræa dictio proprie significat, in multitudine magna proserpere: & Græcis est, ἐξῆρψε, quod est, ebulliuit, vel potius repentes edidit. h

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CV.

Præsentem Psalmum ad populum captiuitatis Babylonicæ quidam referendum putant, eo quòd in fine ipse canendo dicatur: Saluos fac nos Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, &c. Verũ cum 1. Paralip. 16. primus uersus & tres ultimi scribantur decantati coram arca Domini tum translata in montem Sion, patet satis & ad tempora Dauidis hunc Psalmum pertinere. Inuitat autẽ propheta ad laudem diuinam, simulq; pro salute populi precatur: & ad laudem quidem Dei inuitat, non eadem qua in præcedenti Psalmo oratione in eo enim, nulla facta mentione malorũ, quæ filii Israel egerunt contra Dominum, tantum describuntur illa Dei beneficia, quibus secundum promissa tribus patriarchis facta, à tempore Abrahæ usque ad introductionem populi in terram promissam, suam beneuolẽtiam erga semen Abrahæ semper Deus testatus sit. Hic uerò Dei benignitas & misericordia commemoratur, qua peccantes Israelitas septies in deserto, ac multis uicibus in terræ promissionis Deus prosecutus est, in gratiam eos suscipiendo & liberando. Atque huius quidem benignitatis Dei consideratione, præterquam q; ad laudem eius hortatur, simul etiam precatur, ut pro solita sua misericordia nunc Deus populo suo placatus beneuolentiam exhibeat, & collectum rursus saluet. Nam & tempore Dauidis multos fuisse Israelitas in uariis gentibus dispersos per oppreßionem populi ante Dauidis tempora, dubium non est. Negandum tamen non est, quin & ex persona populi captiuati in Babylone, precatio hoc Psalmo contenta accipi poßit, quandoquidẽ & in posterorum usum psalmos à se editos prophetæ reliquerunt. Secundum mysticum autem sensum, ea precatione, quã hic Psalmus comprehendit, intelligendus est propheta precari Christi aduentum, per quem filii Dei, qui erãt dispersi ex omnibus terminis terræ, congregandi erant in unum ouile.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

LAudate Dominum, quia benignus est, nec vllo tempore finem accipiet misericordia illius. Ps. 105

2 Quis loquetur potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius?

2 Neque solum ob suam benignitatem laudandus est, sed & ob summã suam potentiam. Quis enim eloqui poterit illa admiranda diuinæ fortitudinis opera, quæ tum in creatione omnium rerum, tum pro suorum salute operatus est? quis est vel in hominibus, vel in angelis, qui commemorare valeat aliis omnes meritas laudes eius? nemo sanè. Nã quis enarrabit inenarrabilia?

3 Beati qui custodiant iudicium, & faciunt iustitiam omni tempore.

3 Sanè fœlices sunt illi, qui seruant æquitatem à Deo præscriptã, & secundum eam faciunt omni tempore quæ iusta sunt. Hi enim & idonei sunt præcones laudum Dei, & immensæ illius ac sempiternæ benignitatis Dei maximè sunt participes.

4 Memor

*4 Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: * visita nos in salutari tuo.*

4 Memor autem Domine tuæ benignitatis patribus nostris sæpius exhibitæ, & promissæ, te nunc precor vt digneris te declarare memorem nostri in bonum, nempe secundum gratuitam illam tuam beneuolentiam qua prosequi soles populum tuum, quámque ei promisisti: * visita nos salute tua sæpius patribus nostris præstita, & nobis promissa.

*5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, * vt lauderis cum hæreditate tua.*

5 Vt videre mihi liceat, & frui bono electis tuis præstito, vidénsque, simul cum exultante populo tuo gaudeam, * atque præ nimio mentis gaudio lauderis à me simul cum populo tuo, quem in hæreditatẽ tibi delegisti.

6 Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

6 Fateor quidem Domine, peccauimus nos, sicut & patres nostri: iniquè multa gessimus, iniustitiam commisimus. Verùm quemadmodum tua benignitas patrum nostrorum malitiam vicit, vt promissa tua eis sæpius te offendentibus nihilominus præstares, & ad eorum peccata remittenda facilis esses, ita & modo nobiscum agas precamur.

*7 Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: * non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.*

7 Ecce autem, vt in memoriam reuocem quædam patrum nostrorum peccata: & contrà in illos tua beneficia & indulgentiam, patres nostri, qui in Ægypto habitauerunt, non prudenter expenderunt illa stupenda, quæ pro eis in Ægypto designaueras ipse: * non diu fuerunt memores multimodæ, quam toties experti fuerant, clementiæ tuæ.

8 Et irritauerunt ascendentes in mare, mare rubrum.

8 Nam etiam tunc cùm ex Ægypto ascenderent ad mare, mare, inquam, rubrum, te ad iracundiam prouocauerunt, cum diffisi de tua potentia & benignitate (quæ tamen duo eis satis declarata erant in mirabilibus illis in Ægypto editis) insequentes se hostes nimis metuebant, & contra Moysen obmurmurabant.

*9 Et saluauit eos propter nomen suum. * vt notam faceret potentiam suam.*

9 Etsi autem hi ob suam incredulitatem Dei beneficio indigni essent, Dominus tamen eos ab inimicis ipsorum saluauit, idq; propter nomen suum, * nempe vt in omnibus populis notam faceret fortitudinẽ suam, & per hanc celebre redderet nomen suum.

*10 Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. * & deduxit eos in abysso sicut in deserto.*

10 Itaque pro salute illorum Dominus quasi iratus mari rubro, quòd iter eorum impediret, iussit vt sese diuideret contra naturam, & continuò ad præceptum eius exaruit: * sicque deduxit eos Dominus per alueum profundissimum in medio aquarum maris, tam securè & tam facilè quàm si fecissent per desertum siccissimum.

*11 Et saluauit eos de manu odientium: * & redemit eos de manu inimici.*

11 Atque ad hunc modum liberauit eos de potestate eorum qui odiebant eos, * & redemit eos de violentia inimici Pharaonis, qui cum toto suo exercitu eos insequebatur.

12 Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remansit.

12 Et cooperuerunt aquæ maris tribulatores eorum Ægyptios, vt ne vnus quidem ex omnibus reliquus fuerit.

*13 Et crediderunt verbis eius, * & laudauerunt laudem eius.*

13 Et tunc quidem videntes se adeo mirificè saluatos, & extinctos Ægyptios, crediderũt verbis Domini, quæ per Moysen eis loquebatur, promittens eis perpetuam protectionem: * & cantabant laudes illius.

*14 Citò defecerunt, obliti sunt operum eius, * non sustinuerunt consilium eius.*

14 Verùm citò recesserunt à sua in Deum fide & laude, mox postea diffidentes de Dei potentia & bonitate, declarauerunt se oblitos esse operum eius, in quibus ipsius omnipotentia & clementia adeo insigniter reluxit: * non expectauerunt exitũ diuini consilii & voluntatis, sed impio suo murmure illud præuenerunt mox enim post triduum ab insigni illa de Ægyptiis victoria propter aquarum amaritudinem contra Moysen in Mara obmurmurauerũt, nec multo post ob ciborũ inopiam: Exo. 15.
deinde etiam ob aquæ penuriam: & quotiescunque non omnia pro voto succedebant, impatientes facti murmure suo Deum tentauerunt. Exo. 16. Exo. 17.

15 Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerũt Deum in inaquoso.

15 Inter frequentes autem eorum obmurmurationes, quibus ob ciborum aut aquarum inopiam murmurauerunt, illa insignior & intolerabilior erat, quòd cum panem cœlestem Deus illis abundè suppeditaret, ipsi tamen hunc cibum fastidientes, exarserunt concupiscentia carnium in deserto: * & periculum facere conati sunt an verè potens esset Deus in solitudine. Nu. 11.

*16 Et dedit eis petitionem ipsorum, * & misit saturitatem in animas ipsorum.*

16 Ipse autem Dominus etsi tentatus, tamen tribuit eis carnes quas petiuerant: * nec id quidem tenuiter, sed in tanta abũdantia, vt satiaret animas eorum, adeò vt exirent carnes per nares, & verterentur eis in nauseam: ac deinde Domino vindicante etiam mors sequeretur, quæ omnem eis cibi appetentiam abstulit. b

17 Et irritauerunt Moysen in castris Aaron sanctum Domini.

17 Rursum autem aliàs plerique eorum cum Core, Dathan, & Abyron exacerbauerunt in castris Moysen, & Aaron cõsecratum Domino in sacerdotem. Contra hos enim à Domino præpositos surrexerunt, & seditionem excitauerunt ex inuidia: Core quidem cum suis contra Aaron, propter sacerdotium, quod sibi vindicare optabant: Dathan autem, & Abyron, contra Moysen ob principatum, quem sibi deberi, eo quod ex tribu Ruben primogeniti essent, contendebant. Nu. 16.

18 Itaque

18 *Aperta est terra, & deglutiuit Dathan: * & operuit super cõgregationem Abyron.*

19 *Et exarsit ignis in synagoga eorum flamma combussit peccatores.*

20 *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile.*

21 *Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

22 *Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.*

23 *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.*

24 *Vt auerteret iram eius, ne disperderet eos, * & pro nihilo habuerũt terram desiderabilem.*

25 *Non crediderũt verbo eius, * & murmurauerunt in tabernaculis suis, non exaudierũt vocem Domini.*

26 *Et eleuauit manum suã super eos, * vt prosterneret eos in deserto.*

27 *Et vt deijceret semẽ eorum in nationibus, * & disperderet eos in regionibus.*

28 *Et initiati sunt Beelphegor, * & comederunt sacrificia mortuorum.*

29 *Et irritauerunt Deum in adinuentionibus suis, * & multiplicata est in eis ruina.*

30 *Et stetit Phinees, & placauit, * & cessauit quassatio.*

31 *Et reputatum est ei in iustitiam, * & in generatione & generationem usque in sempiternum.*

32 *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: * & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerũt spiritum eius.*

33 *Et distinxit in labiis suis.*

18 Itaque in vltionem istorum, primum quidem aperta est terra, & absorbuit Dathan viuum cum suis: * & cooperuit eos qui conspirauerant cum Abyron contra Moysen.

19 Deinde in vindictam eorum, qui cum Core coniurauerant contra Aaron, dum incensum suis thuribulis offerrent, ignis egressus à Domino exarsit in cœtu illorũ, flamma exussit peccatores: primùm ducentos quinquaginta viros, ac deinde quatuordecim millia ac septingentos.

20 Quodque his, quæ dixi, grauius est, fecerunt sibi patres nostri vitulum iuxta montem Horeb, & supplices se prostrauerũt ante statuam quam ipsi conflauerant. *Exo.32.*

21 Et mutauerunt diuinam maiestatem, quæ gloria illorum fuerat, in simulachrum vituli, animalis tam humilis vt fœno victitet. Deserto enim Deo, qui decus erat eorum, loco eius assumpserunt colendum non vitulum, sed similitudinem vituli, animalis certè irrationalis, vt quod fœno vescatur, cùm ipsi tamen essent rationales.

22 Obliti sunt Dei qui saluos fecerat eos, qui pro eorum salute primum magna designauit in Ægypto, stupenda in terra Cham: Deinde etiam in mari rubro admiratione dignissima, & ipsorum hostibus terribilia. Huius tamen obliti salutem suam acceptã referebant simulachro vituli dicentes: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt è terra Ægypti.

23 Quare iratus Dominus cogitauerat illos funditus subuertere: nisi Moyses vir illi charissimus tanquam mediator stetisset coram eo, in ea, quæ illis imminebat plaga, qua confringendi & perdendi erant. c

24 Nisi, inquam, Moyses se medium opposuisset inter Deum & populum, vt iram Dei à populo auerteret ne penitus eum disperderet. Iam & aliàs vide quanta eorum impietas. * Spreuerunt enim terram optatissimam eis promissam, optantes potius in solitudine mori, aut in Ægyptũ redire, quàm terram à domino promissam, fluentem lacte ac melle ingredi, & pro ea obeunda aliquod periculum aut laborem subire.

25 Non crediderunt verbis eius, quibus promiserat se illam daturum eis, * atque ob hanc incredulitatem murmurauerunt in tentoriis suis, nec obedire voluerunt voci Domini loquentis ad eos per Moysen, Iosue, & Chaleb, ad ingressum eos adhortantes.

26 Propter quod iratus Dominus, ad similitudinem eius qui grauiter quempiam percussurus, in altum manum eleuat, quo fortius feriat, grauem vltionem sua potentia eis inferre decreuerat, * ita nimirum, vt prosterneret eos in deserto. d

27 Vt & posteros eorũ corruere faceret inter impias gentes: * & disperderet eos per regiones varias. Verùm per preces Moysis, decreta & debita vltio mitigata est, vt tantummodo hi qui obmurmurauerãt in deserto caderent per quadraginta annos: Semé autem eorum promissam terram ingrederetur, & possideret, nisi quod & istud quoq; postea, paternam impietatem imitans, in variis regionibus dispersum sit.

28 His omnibus sceleribus & aliud pessimum addiderunt: consecrauerunt enim se, & addiderunt Beelphegor idolo Moabitarum: * & deficiẽtes à Deo viuo, sacrificia oblata diis, in quibus nihil erat vitæ, comederunt in venerationem eorum.

29 Itaque his prauis suis studiis ad iram prouocauerunt Deum: * iratóque Deo eos vindicante, multi in eis corruerunt occisi. *Nu.25*

30 Phinees autem sacerdos zelo Dei accensus sese pro gloria Dei erexit ad vltionem transgressorum, transfodiens Zambri Israelitam cũ muliere Madianitide; & hac ratione placauit iram Dei, * & cessauit a filiis Israel plaga, qua eos Deus concussit, occidens viginti quatuor milia hominum.

31 Et adeo quidem hoc opus Deo placuit, vt non solum ad crudelitatẽ non ei imputaretur à Deo, sed etiam ad iustitiam: * ita vt propter hoc opus Deus ei & semini eius promitteret sacerdotiũ sempiternũ, quod per omnes generationes semen eius obtineret, quãdiu legale sacerdotium vigeret: post quod succedens Messias, verus Phinees, propter zelum gloriæ Dei quo accenderetur, acceptaturus erat sacerdotium nunquam finiendum. e

32 Insuper etiam prouocauerunt Deũ ad iram in eo loco qui à contradictione & murmure dictus est, Aqua contradictionis: * & afflictus est à Deo etiam Moyses propter eos, eo q; spiritum Dei impio suo murmure illi nimis exacerbauerint. *Nu. 20.*

33 Vnde factum est, vt quemadmodum homo aliquis multum exacerbatus facilè etiam charissimo sibi amico ob leue aliquod delictũ irascitur, ita quoque & Dominus Moysi vnicè dilecto, & fido seruo suo iratus ob dif

* *non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis.*

34 *Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum: * & seruierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.*

35 *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.*

36 *Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.*

37 *Et infecta est terra in sanguinibus, & cõtaminata est in operibus eorũ: & fornicati sunt in adinuentionibus suis.*

38 *Et iratus est furore Dominus in populum suum, * et abominatus est hæreditatem suam.*

39 *Et tradidit eos in manus gentium, * & dominati sunt eorum qui oderunt eos.*

40 *Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum sæpe liberauit eos.*

41 *Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: * & humiliati sunt in iniquitatibus suis.*

42 *Et vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum.*

43 *Et memor fuit testamenti sui, * et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.*

44 *Et dedit eos in misericordias: * in conspectu omnũ qui ceperant eos.*

45 *Saluos nos fac Domine Deus noster: * & congrega nos de nationibus.*

46 *Vt confiteamur nomini sancto tuo: * & gloriemur in laude tua.*

47 *Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo vsque in sæculum, fiat, fiat.*

ob diffidentiã eius dira locutus sit, distinctè & apertè affirmans, ipsum & Aaron non ingressuros terram promissam, Iam autem postquam etiã patres nostri ingressi essent terram eis promissam, nec tunc quidem à peccando destiterunt, * Non enim disperdiderunt omnes eas gentes, de quibus Dominus dixerat, illis præcipiens eas deleri.

34 Sed commisti sunt impiis illis gentibus, & ex illorum consortio didicerunt opera eorum, ob quæ Deus eos auersabatur. * Coluerunt enim ad imitationem illarum gentium sculptilia earum: quæ res fuit eis frequenter causa offendiculi & ruinæ.

35 Eo quoque dementiæ ex commistione harum gentium peruenerunt, vt filios suos & filias immolarent crudelissimis cacodæmonibus.

36 Et effunderent sanguinem innoxium, quódque magis adhuc impium est, sanguinem charissimorum filiorum suorum & filiarum, quas sacrificauerunt sculptilibus terræ Chanaan, tribus modis impietatem committentes.

37 Itaque terra illa, quam Deus sibi sanctificauerat, polluta est per effusionem innoxij sanguinis, & contaminata est per scelerata opera eorum: * Ipsi enim suis nouis studiis & factis fornicati sunt cum diis alienis, quibus adhæserunt contra fidem, quam soli debebant Domino. g

38 Quare vehementer iratus est Dominus populo suo: * & abominatus est eum, quem in suam hæreditatem selegerat.

39 Et quoniam commodum Domini iugum & imperium abiecerãt, merito tradidit eos in potestatem gentium, & dominati sunt eis qui odiebant eos.

40 Et grauissimè afflixerunt eos inimici eorum, & subiecti sunt tyrannidi eorum. Ipse quidem pro sua benignitate eos sæpe liberauit ab hostibus eorum.

41 Verùm ipsi liberati ad ingenium redeuntes, perrexerunt eum irritare per sua consilia impia, quæ sequebantur: * quare & sæpius afflicti sunt propter scelera sua.

42 Cùm autem tribularentur, Dominus benigno vultu aspexit tribulationes eorum, & audiuit orationem eorum.

43 Rationem enim habuit pacti quod pepigerat cum Abrahã: * ideóque pro inexhausta misericordia sua in morem pœnitẽtis se habuit erga eos, commutans vindictam in miserationem, & recipiens se ab indignatione sua.

44 Ipse enim misertus est eorum: idque adeo apertè & manifestè, vt id perspicuè cognoscerent & viderent hi qui eos prius captiuauerant, & in seruitutem redegerant.

45 Iuxta hanc itaque tuam solitam misericordiam te Domine precamur, saluos fac nos, qui ob peccata nostra impiorum potestati & dominio traditi sumus: * & collige nos ex variis illis nationibus, per quas dispersi sumus.

46 Vt collecti simul laudare possimus sanctissimum nomen tuum: * & inter laudandum te, exultemus de benignitate tua.

47 Ab æterno & vsque in æternum laudetur Dominus Deus Israel, & dicat omnis populus: Ita fiat. Ita omnino fiat.

ANNOTATIONES.

a CITO FECERVNT] Græca ταχυναν, festinauerunt. sic & Hebræa. Putant autem hic quidam notari crimen commissum in Mara, vbi post tertium diem ab egressu e mari rubro murmurauerunt ob aquas amaras. Alii putant hic prophetam incipere describere crimen illud, quod sequẽti versu apertius exponitur. Paraphrasis autem generaliter hunc versum accipit, vt eo intelligantur comprehendi omnia peccata, quorũ postea aliqua speciatim recensentur.

b MISIT SATVRITATEM] Hebræa habent, misit maciem vel tenuitatem, & intelligũt per maciem mortem eis immissam in vltionem sceleris. Vnde vt ad hunc sensum nostra litera accedat, oportet saturitatem, non in bonum accipere, de ea quæ propitio Deo eis contigit: sed in malum, de ea qua iratus illis Dominus fecit illis cibum verti in nauseam, eo quòd fastidio illis fuerit panis cœlestis: aut de ea qua per mortem omnis ei cibi appetentia ablata est.

SI NON MOYSES, &c.] Bene hic annotat D. Augustinus non ita dictum esse Moysen stetisse in confractione, quasi vt frãgeret iram Dei: sed in confractione, hoc est, in plaga qua erant illi feriendi: id enim Græca apertius significãt, quæ habẽt εν τῃ θραυσει, hoc est, in quassatione & vulneratione. c

ET ELEVAVIT, &c.] Per eleuationem manuum Dei intelligunt quidam iuramentum Dei, quo iurauit in ira sua non ingressuros eos qui incredituli fuerãt in terrã promissam, de quo iuramento Numer. 14. Nam mos iurantium est manus in cœlum leuare. Verum quoniam in iuramento illo Dei non includebatur, quòd semen eorum deiiceretur in nationibus; magis videtur amplectendus d

sensus

sensus paraphrasis, secundum quem alibi dicitur: Leua manus tuas in superbias eorum, &c.

Psal.73. c ET REPVTATVM EST EI, &c. Quidam hunc versum sic intelligunt: Per omnes generationes hoc factum imputatur ei ad iustitiam apud homines qui per omnes generationes ipsum Phinees laudant, tanquam iustū ob opus zeli ipsius. Verùm per illa verba, in generatione, &c. magis apparet prophetam alludere ad verba Domini, quibus promisit ipsi Phinees & semini eius sacerdotium sempiternum, dicens: Ecce do ei pacem fœderis mei, &
Nu.25. erit ei & semini eius pactū sacerdotii sempiternū. Dicitur itaq; hoc opus reputatum ei apud Deum ad iustitiam vsque in sempiternum, quia Deus pro eo opere promisit ei sacerdotium sempiternum. Nec huic promissioni obstat quod ad tempus modicum, sacerdotium summū fuerit in familia Ithamar. Heli enim fuit ex domo Ithamar, Nam quāuis ad tempus ob causam aliquam fuerit in ea, ius tamen summi sacerdotii mansit in familia Phinees.
3.Reg.2. Vnde ad eam mox rediit, in Sadoch scilicet, quem reiecto Abiathar, qui fuit ex filiis Heli, Salomon sacerdotem summum constituit, mansitque in eius semine sacerdotium summum vsque ad Christum. Rursum non obstat quod sacerdotium illud legale non solum à semine Phinees, sed etiam à toto populo Iudaico sublatum sit per Christum: nā quod sacerdotium sempiternum illi promittebat, ad literam quidem significabatur sacerdotium in eius semine permāsurum quamdiu duraret lex, in qua sacerdotium illud institutum erat, ita quod collatione legis sempiternum dicebatur: secundū spiritum verò significabatur sacerdotiū eius in Christo perseueraturum, cuius Phinees suo zelo typum gessit.

EXACERBAVERVNT, &c.] Prima pars versus sequentis. Et distinxit in labiis suis: non debet cum sequentibus coniungi, quemadmodū quidā faciunt, intelligentes iratum Deum promisisse & affirmasse, quòd non possent Israelitæ vincere gentes quas promiserat Israelitas superaturos. Nā illis verbis: nō disperdiderunt, &c. detestabere vult propheta aliud peccatum populi commissum in terra promissionis. Debet itaque cum præcedentibus ea pars coniungi, quemadmodum & in Hebræo coniungitur, & diuus Augustinus distinguit. Porrò relatiuum, eius, & verbum distinxit, quidam ad Moysen referunt, vt sit sensus: quod filii Israel exacerbauerint spiritum Moysis, qui exacerbatus distinxit, hoc est, vt interpretatur Euthymius, flexiloquo & ambiguo sermone locutus est, dicens: Num ex petra hac aquam vobis educere poterimus? Verùm verbo illo διαφελᾶν, pro quo hic legimus, distinxit, Septuaginta videntur vsi pro promittere, loqui & affirmare, vt alibi: Reddam tibi vota quæ distinxerunt labia mea. Proinde magis videtur referendum *Psal.65.* ad Deum secundum sensum paraphrasis.

ET INFECTA EST TERRA.] Plerique libri habent: Et interfecta est terra, quod tamen non est putandum accidisse vitio scriptoris, quemadmodum annotat Augustinus, qui ostendit debere legi, interfecta. nā Græca habēt: ἐφονοκτονήθη, quæ dictio manifestè significat, interfecta est. Hebræa tamen dictio manifestè significat infectam & pollutam esse, quemadmodum omnes vertunt, & Euthymius dictionem Græcam hic accipiendam dicit pro eo quod est, cæde infecta est. Proinde verisimile est Hieronymū, qui Psalterium se emendasse testatur, dictionem interfecta, mutasse in, infecta, quo lectio nostra magis Hebræis cōsentiret, & absurditas locutionis tolleretur, Isaiæ aute vigesimoquarto capite, corrupte legitur: & interfecta est terra ab habitatoribus suis: cū legendū sit: & infecta est, nā & in Hebræo eadem ponitur dictio quæ hoc loco. Et Septuaginta habent ἀνόμησε, terra iniquè egit, &c. f g

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CVI.

QVoniam quæ Psalmus hic memorat tanquam res gestas aliquando, non uidentur ex aliqua historia contigisse usque ad tempora Dauidis, ob id quidam omnia ipsius Psalmi ad literam putant dicta prophetice de redemptione humani generis per Christum uentura, ita ut quæ hic dicuntur de errore, esurie, siti, carcere, & similibus, metaphoricè accipiantur de spirituali errore & esurie, & sic de reliquis. Alij eadem moti ratione literam magis sequentes intelligunt hoc Psalmo generaliter describi, quomodo à uariis periculis & malis, quæ solent homines incidere, Deus sua bonitate clamantes ad se liberare, & omnia pro uoluntate sua immutare soleat. Verùm sicut primæ expositioni obstat, q. nimis aperte Propheta uideatur loqui de temporali liberatione à malis corporalibus, sub qua solet prophetare, sed in mystico sensu, liberationem humani generis à malis spiritualibus: ita secundæ obstat, quòd secundum eam frustra uidebuntur admoneri ad laudem Dei, redempti à Domino, & collecti à quatuor partibus mundi. Ex eo enim apparet, pericula hæc, de quibus hic fit mentio, ad eos spectare. Proinde ad literam apparet hunc Psalmum canere de iis beneficiis temporalibus, quæ populo ueteri tēpore Dauidis collata erant, cùm iam ab omnibus hostibus liberatus, collectus esset in terra sua. Videtur enim hic Psalmus sic respondere Psalmo præcedenti, ut sicut ibi in fine petitur congregari populus Dei de nationibus in quibus dispersus fuerat per oppressionē tyrannorum ante Dauidis pacificum regnum, ita hic congregati ad Dei laudem inuitentur. Constat enim ex libro Iudicum Israelitas propter peccata sua frequenter traditos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & uendiderunt hostibus habitantibus per gyrum, sub quibus mala quæ memorat hic Psalmus, passi sunt, liberati autem perfectè tempore Dauidis, qui omnes hostes in circuitu populo Israelitico subiecit. Hortatur itaque Propheta redemptos undique & collectos à Domino laudare Deum propter bonitatem eius, tum quia tribulatos clamantes ad se liberauit à quatuor malis, scilicet uagationis in deserto, captiuitatis, ægritudinis, & fluctuosæ nauigationis: tum quia post terræ sterilitatem, & populi oppressionem, contulit terræ fertilitatem & populi multiplicationem, atque exaltationem. In his autem oportet intelligere principaliter admoneri laudis diuinæ fideles, qui per unitatem fidei collecti in unam ecclesiam liberati sunt per Christum ab errore & stimulis quasi quibusdam fluctibus concutiente. In qua et iam ecclesia mystice adimpletur, quod hic dicuntur flumina in desertum redigi à Deo: desertum uerò in stagna aquarum, secundum eum sensum in quo hæc eadem quasi ex hoc loco desumpta Isaias prædicit cap. 41. & 42. nempe quia reiectis Iudæis, gentes prius steriles fructificare cœperint. Annotanda autem poëtis elegantia, quam seruat Propheta in quatuor illis malis, à quibus clamantes ad Deum liberatos canit, hoc scilicet ordine, ut primùm describat tribulationem, secundò recursum ad Deum, tertiò beneficium diuinum, quartò autem gratiarum actionem exigat.

PARA

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Confitemini Domino, quoniam bonus: * quoniam in sæculū misericordia eius.*
*2 Dicant qui redempti sunt à Domino: * quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos.*
3 A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari.
*4 Errauerunt in solitudine in inæquoso, * uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.*
*5 Esurientes & sitientes, * anima eorum in ipsis defecit.*
*6 Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur, * & de necessitatibus eorum eripuit eos.*
*7 Et deduxit eos in uiam rectam, * ut irent in ciuitatem habitationis.*
*8 Confiteantur Domino misericordiæ eius, * & mirabilia eius filijs hominum.*
*9 Quia satiauit animam inanem, * & animam esurientem satiauit bonis.*
*10 Sedentes in tenebris & umbra mortis: * uinctos in mendicitate & ferro.*
*11 Quia exacerbauerunt eloquia Dei, * & consilium altissimi irritauerunt.*
*12 Et humiliatum est in laboribus cor eorum: * infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret.*
13 Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos.
*14 Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, * & uincula eorum dirupit.*
15 Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
*16 Quia contriuit portas æreas, * & uectes ferreos confregit.*
*17 Suscepit eos de uia iniquitatis eorum: * propter iniustitias etenim suas humiliati sunt.*
*18 Omnem escam abominata est anima eorum: * & appropinquauerūt usque ad portas mortis.*
*19 Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: * et de necessitatibus eorum liberauit eos.*
*20 Misit uerbum suum, & sanauit eos: * & eripuit eos de interioribus eorum.*
*21 Confiteantur Domino misericordiæ eius, * & mirabilia eius filijs hominum.*
*22 Et sacrificent sacrificium laudis, * et annuntient opera eius in exultatione.*
23 Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.

LAudate Dominum, tum quia benignus est: * tum quia nullo sæculo finem accipiet misericordia eius. *Ps.160.*
2 Fateantur istud, & publicè deprædicent qui redēpti sunt à Domino: * quos scilicet Dominus redemit à tyrānide & potestate opprimentiū eos, quósque in vnū collegit è variis regionib⁹, in quibus dispersi fuerāt.
3 Ab oriēte & occidente, ab Aquilone, & Austro vbi est mare Arabi- a
cum hoc est, à quatuor mundi plagis.
4 Hi certè ab oppressione hostium dispersi vagabantur per loca deserta, aquis carentia: * nec inuenicbant viam quæ duceret ad ciuitatem in qua tutè habitare possent.
5 Sic autem errantes in desertis locis & arentibus esuriebant & sitiebant, * anima eorum præ inopia cibi potúsque, præque mœrore nimio elanguit in ipsis, ac penè dēfecit.
6 Et clamauerunt ad Dominum cum sic affligerentur, * ipse verò ex angustiis eorum eripuit eos.
7 Itaque eos ab errore & vagatione liberans, eduxit in viam rectam, * vt irent in ciuitatem, quam securè inhabitare possent, hostibus enim eorum extinctis, & ob id occasione erroris & vagationis sublata, fecit vt ad inhabitandam ciuitatem securè pergere possent.
8 Quare congruum est, vt misericordiæ Domini, quas experti tales b
sunt, deprædicentur ab eis in honorem Domini: * & vt mirabilia opera eius narrentur ab eis filiis hominum.
9 Eo quòd satiauerit animas eorum siti laborantes, * & animas eorum famelicas impleuit bonis quibus indigebant.
10 Similiter eos qui sedebant in tenebris carceris, qui mortis quandam imaginem præ se ferebant, * quique constricti fuerunt afflictione, ferreisque cathenis & compedibus. c
11 Propterea quod inobedientes fuissent præceptis Domini, * & consilia eius qui est super omnia contempsissent, provocantes & irritantes Deum per suam inobedientiam.
12 Propter quod afflictum est molestis afflictionibus cor eorum, * viribus suis destituti sunt, nec erat quisquam qui eis aut vellet aut posset succurrere.
13 Hos cum clamarent ad Dominum, implorantes auxiliū eius quando sic affligebantur, ipse Dominus liberauit ex angustiis in quibus redacti erant.
14 Et eduxit eos è tenebris illis horridis carceris, quæ mortis imaginem ostentabant: * vincula, quibus vincti fuerant, disrupit.
15 Prædicentur itaque ab eis in honorem Domini misericordiæ eius: * & mirabilia eius opera ab eis narrentur filiis hominum.
16 Eo quod fregerit portas æreas, & vectes ferreos comminuerit, hoc est, fortissima repagula, quibus sine spe euasionis in carcere inclusi detinebantur, non solum abstulerit, sed etiam cōtriuerit, hostibus qui eos ceperant deletis.
17 Atque in hunc modum, quasi porrecta manu eos susceptt in gratiam suam è via iniquitatis eorum: * propter iniustitias etenim suas affligebantur.
18 Rursum autem & alio beneficio suam misericordiam ostendit redemptis suis inuocantibus ipsum. Omnem enim cibum respuebat anima eorum præ nimia ægretudine animæ & corporis, * & iam proximè morti accedebant.
19 Et clamauerunt ad Dominum cùm sic affligerentur: * & de angustiis eorum mox liberauit eos.
20 Mandauit verbo, & per solum verbum ac imperium suum sanauit eos à languoribus eorum: * & eripuit eos de interitu mortis, qui imminebat illis.
21 Prædicentur itaque ab eis in honorem Domini misericordiæ eius: * & mirabilia eius opera narrentur ab eis filiis hominum.
22 Et offerant sacrificium laudis, hoc est, ipsam laudem sacrificium Deo gratissimum pro gratiarum actione offerant, externisque etiam sacrificiis testentur animi sui gratitudinem: * & cum exultatione apud alios commemorent palam opera eius.
23 Iam verò non solū qui in terra errantes, aut in carcere concluſi, aut infirmitate quauis grauati Deum inuocauerunt, eius benignitatem & mirabilia experti sunt.

sed

ſed & hi qui ingredi ſolent mare, nauibus negotiationem exercentes per aquas illas vaſtiſſimas.

24 Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.*

24 Ipſi quoque re ipſa experti ſunt qualia ſint opera Domini:* & quã admiratione digna que fiunt ab ipſo in profundo maris.

25 Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.*

25 Mox enim vt iuſſit,aſtitit ei,& ſurrexit ventus procelloſus : & per eum exaltati ſunt fluctus illius maris vaſtiſſimi.

*26 Aſcendunt vſque ad cœlos,& deſcendunt vſque ad abyſſos, * anima eorum in malis tabeſcebat.*

26 Qui fluctus nunc in maximam altitudinem eleuabantur, nunc profundiſſimè demittebantur:ſimúlque per fluctus vectores cum nauibus ſubleuati aſcendere in cœlum vſque videbantur,& iterum velut in barathrum præcipitari:* propter quod animi eorum in his malis ſoluebantur,& defecerunt præ metu.

27 Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapiẽtia eorum deuorata eſt.*

27 Turbati ſunt hac iactatione,& ad modum ebrij commoti ſunt,quia ſcilicet nunc huc,nunc illuc iactati.atque in ſeipſis præ nimia turbatione mentis ſuæ inopes, * & quantumuis alioqui variarum rerum periti & ſapientes fuerant, ibi tamen omnis ſapientia,omníſque ſenſus ac rationis vſus abſorptus & interceptus eſt ab illa maris iactatione & mentis turbatione.

*28 Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: * & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.*

28 Cùm itaque nulla eis in aliquo ſpes reliqua eſſet, clamauerunt ad Dominum in afflictione ſua:* & de anguſtiis eorum mox liberauit eos.

29 Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius.*

29 Continuo enim ſuo præcepto ac nutu commutauit tempeſtatem eius in ſerenitatem,& placidam ſpirationem,* ſicque ſedati ſunt, ſtrepentes horridè fluctus illi maris.

*30 Et lætati ſunt quia ſiluerunt: * & deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

30 Lætati ſunt itaque,eo quòd fluctus ſedati erant,* & deduxit eos dominus recta in eum portum,quem optauerant.

*31 Confiteantur Domino miſericordiæ eius : * & mirabilia eius filijs hominum.*

31 Quare etiam ab his miſericordiæ Domini prædicentur in honorem eius:* & mirabilia eius opera ab eis narrentur filiis hominum.

*32 Et exaltent eum in eccleſia plebis: * & in cathedra ſeniorum laudent eum.*

32 Et laudibus extollant eum in ſequenti congregatione populi: * & in conſeſſu ſenum laudent eum.

33 Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.*

33 Præter hæc etiam aliis modis declarauit Deus ſuam miſericordiã. Nam redegit flumina nimia ſiccitate exſiccata in aridum deſertũ,* & d fluenta aquarum commutauit in ſiccitatem & ſitiẽtem terram,hoc eſt, fecit vt terra,quæ prius abundantia aquarum irrigabatur,& ob id fertilis erat,aquis deſtituta fieret quaſi aridum deſertum & ſterile.

34 Terram fructiferam in ſalſuginem: & terram ſine aqua in exitus aquarum.*

34 Terram fructiferam redegit in ſalinas,& ſterile ſolum, idque propter malitiam eorum qui habitabant eam.* At mox ad clamorem afflictorum rurſus terram deſertam & ſterilẽ & aridam cõuertit in irrigua, aquarumq; riuulis irrigauit,& terram aquis deſtitutam fluentis aquarũ donauit.

35 Et collocauit illic eſuriẽtes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis.*

35 Et habitare fecit in ea colonos antè famelicos,*qui deinde in ea cõſtruxerunt ſibi ciuitatem quam inhabitarent.

36 Et ſeminauerunt agros, & plantauerũt vineas, & fecerunt fructũ natiuitatis.*

36 Et ſeminauerunt agros illos nouos, & plantauerunt vineas,*& agri atque vineæ eorũ non ſolum generauerunt & germinauerũt,ſed etiam protulerunt fructum generationis & germinis ſui, nec fuit eorum generatio & germen infrugiferum.

37 Et benedixit eis,& multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.*

37 Et Deus ſuo fauore illis aſpirabat,eorúmq; conatus fœcũdabat,quare multiplicati ſunt valde,in fructibus terrę diuites facti,& multa item prole fœcundi:*& effecit ne pecora eorum vel morbo,vel alia calamitate minuerentur.

38 Et pauci facti ſunt,& vexati ſunt a tribulatione malorum & dolore.

38 Rurſum autem ob ſcelera eorum facti ſunt pauci numero atque diuitiis,& afflicti ſunt per tribulationem variarum calamitatum,& dolorem,quo affecti ſunt præ calamitatibus eis, quas venire permiſit Deus ſuper eos.

39 Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in inuio & nõ in via.*

39 Effudit deſpectionẽ ſuper principes, faciens eos qui glorioſi prius erant,infames & ſine authoritate,abſtulítq; cor eorum & ſapientiam: *ita vt errarent quaſi per inuia loca,nihil recti apud ſe ſtatuentes, aut agentes.

40 Et adiuuit pauperẽ de inopia, & poſuit ſicut oues familias.*

40 Contrà verò pauperem liberauit,& ſubleuauit de inopia & afflictione ſua:*fecitq; illi familias ſicut greges ouium numeroſas, † & multas familias ac tribus prius diſperſas,tanquam oues ſub aliquo paſtore paſcendas conſtituit.

*41 Videbunt recti & lætabuntur, * & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.*

41 Videbunt hæc iuſti,& diligenter obſeruabunt,intelligentéſq; in huiuſmodi mutationibus Dei iuſtitiam & bonitatem,lætabũtur.* Omnes autem ſcelerati,qui Deo conniuente ad eorum ſcelera, dum proſperè agerent,laceſcebant ore ſuo Deum & homines, Dei in impios ſeuerã iuſtitiam & bonorum exaltationem aduertentes,obturabunt os ſuum.

42 Quis ſapiẽs & cuſtodiet hæc?& intelliget miſericordias Domini.

42 Quiſquis certè ſapiens fuerit,is & diligẽter obſeruabit iſta,& ex eis intelliget quàm multæ ſint miſericordiæ Domini,quas,vt prædictũ eſt, ſuis impertit,intelligẽnſq; iſtud,totũ ſe illius bonitati committet, atq; in omnibus hoc vnum ſtudebit,vt ipſi ſeſe approbet.

ANNOTATIONES.

a ERRAVERVNT, &c.] Secundum lectionem quidem noſtram neceſſe eſt omnino, vt quem admodum dictum eſt in argumento, ad redẽptos & congregatos à Domino pertinere intelligatur qui dicuntur erraſſe,in tenebris ſediſſe,& cibũ præ ęgritudine reieciſſe. Verùm Hebręa ſic accipi poſſunt,vt prius intelligantur vocari ad laudẽ Dei hi qui redẽpti ſunt. Deinde ſpecialiter hi qui errauerunt,quiue captiui fuerunt,& ſic de aliis. Poſſunt enim Hebræa ſic accipi: Qui errauerunt in ſolitudine,&c.& liberauit eos Dominus,confiteantur miſericordiam Domini. Similiter & ſedentes in tenebris,vinctique ferro confiteãtur domino: & tertio ſtulti,qui propter iniquitatẽ ſuam infirmitate percuſſi ſunt,& à Deo liberati ſunt,confiteantur, &c. vt ſuppoſitum verbi,confiteãtur,ſit, qui errauerũt ſedentes,& ſtulti. Nam participium,ſedentes, quãuis apud nos ſit accuſatiui caſu,verti tamẽ potuiſſet,ſicut alij vertũt,in nominatiuo caſu : nec habet aliud verbum cum quo pendeat, quàm confiteantur:& pro eo quod nos habemus,ſuſcepit eos, Hebræi habent,ſtulti,&c.

b CONFITEANTVR,&c.] Græca habent: τὰ ἐλέη αὐτοῦ. Poteſt autẽ ἐλέη eſſe vel accuſatiui caſus, vel nominatiui. Itaque ĩterpres accepit in nominatiuo caſu,cùm debuiſſet potius in accuſatiuo vertere, miſericordias eius,tum quia impropriè verbũ, cõfiteantur,accipitur paſſiuè pro narrari & prędicari ſicut hic nunc accipi debet:tum quia Hebræa nomen,miſericordiæ,habent in ſingulari numero,vnde non poteſt eſſe apud Hebræos ſuppoſitum verbi pluralis numeri,confiteantur.

SEDENTES,&c.] Accuſatiuos hos,ſedẽtes & vinctos,plerique connectunt cum verbo præcedẽti, ſatiauit. Verùm ad illud verbum non eſſe referẽdos patet,tum quia impropria eſt locutio, vt dicãtur ſedentes in tenebris,& vincti ferro,ſatiati:tũ quia ad literam nõ poſſunt eidem intelligi,qui prius dicuntur in errore ſuo eſuriiſſe,ſitiiſſe,& ſatiati eſſe, & qui poſtea dicũtur ſediſſe in tenebris, vincti. Nõ enim eidem eodem tempore errauerũt & ſederũt vincti Proinde neceſſe videtur hos accuſatiuos per hyperbaton coniungere cũ verbo ſequẽti, liberauit,cùm dicitur:& de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

c POSVIT,&c.] Quidam intelligunt hic ſignificari Deum aliquãdo in deſertis locis flumina perducere,quemadmodum fecit in deſerto,in quo quadraginta annis filij Iſraël errauerũt. Verùm hic ſenſus non conuenit verſui ſequenti,qui exigit vt in diuerſo ſenſu accipiatur, nẽpe quod flumina redegerit in deſertum,irrigua loca aquis deſtituendo. Non enim dicitur:poſuit flumina in deſerto,ſed in deſertum. Neque propoſito item pſalmi conuenire videtur,quòd aliqui intelligunt his verſibus deſignari, Deum pro ſua voluntate nunc hæc loca fertilia ad ſterilitatem redigere,quemadmodum fecit regioni Sodomorum,nunc alia loca ſterilia aquarũ irrigatione fœcunda facere,ſed potius videtur ad literã velle ſignificare Deũ qui offenſus hominum peccatis ſterilitatem terræ fertili induxerat,rurſum reconciliatum fertilitatẽ adduxiſſe eidem terræ. Ex vltimo enim & primo pſalmi verſu patet prophetam ea tantum velle hic commemorare,in quibus Dei miſericordia relucet. At verò ſecundum priorem ſenſum magis his verſibus ſignificabitur Dei potentia,omnia pro voluntate ſua immutãtis. Porro ante Dauidis tempora ſterilitatem terrę promiſſionis fertiliſſimę Deus propter peccata induxerat quando, vt ſcribitur primo capite Ruth,in diebus vnius iudicis famem decem annorũ immiſit tantam,vt propter eã Elimelech,homo alioqui potẽs cogeretur cũ vxore & filijs,deſerta terra, peregrinari in terra Moab,poſt quam famem rurſum terrę ſua fertilitas reddita eſt. Notandũ autem, verſum illum:Poſuit deſertum,&c.ab Iſaia cap.41.ex hoc loco deſumptum eſſe verbum, & adductum de vocatione gentium. Vnde manifeſte cõſtat & hoc loco principaliter debere intelligi in myſtico ſenſu de gentibus,Dei beneficio fœcũditate donatis per fidem in Chriſtum, per quem fideles in principio naſcentis eccleſię mox multiplicati ſunt,& deinde rurſus ad exiguum numerum redacti per tyrannorum & hæreticorum expugnationem,ſed rurſus de inopia ſua adiuti poſitis familiis multarũ Eccleſiarũ,ſicut ouibus ſub vno paſtore Chriſto paſcẽdis.

EFFVSA,&c. Omnes quidẽ penè Latini codices habent,contentio,verùm manifeſtũ eſt ſcriptoris vitium, qui pro nomine,contemptio,quod vertit interpres,putauit ſcribendum,contentio,quod nomen, contemptio,parũ illi vſitatum videretur. Hebræa enim dictio, בוז Buz, manifeſtè deſpectũ ſignificat,ſimiliter & Gręca ἐξουδένωσις. Et Auguſtinus contemptum legit,Hieronymus quoque in commẽtariis legit cõtẽptionẽ,& interpretatur. Vt qui Dominum contempſerant, ipſi contemnerentur. Verus autem huius verſus ſenſus petendus eſt ex cap.12.Iob,è quo hunc verſum Dauid indubiè mutuatus eſt,ſicut & illud quod ſequitur:Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum:ex Iob capite quinto,vbi Hieronymus vertit:iniquitas autem contrahet os ſuum. Nam eodem modo quo hic verſus hic ponitur in Hebræo,etiam eo capite Iob ponitur in Hebręo, vt nullius nec literæ,nec puncti ſit mutatio. Nam quod hic legimus:Effuſa eſt contemptio ſuper principes:ibi vertit Hieronymus, Effũdit deſpectionem ſuper principes,& quod hic legimus:Et fecit eos errare in inuio,& non in via : ibi poſt aliquot verſus vertit Hieronymus:Et decepit eos vt fruſtra incedant per inuium. Hebræa tamen eodẽ modo vtrobique ſe habent. Iã quis ſit prioris partis ſenſus,patet ex his quæ ibi præcedunt:Baltheũ regũ diſſoluit,ducit ſacerdotes inglorios ,& optimates ſupplãtat,&c. Quis autẽ ſit poſterioris ſẽſus patet etiã ex eo quod prędicit. Qui immutat cor principum populi terræ. & ex eo quod ſequitur: Palpabunt quaſi in tenebris, &c. Videtur autẽ ad literam ex Iob hanc generalem ſententiam aſſumptam eſſe vel contra Saulem,vel contra eos principes,qui populi Iſraelitici fuerũt hoſtes,quemadmodum,& in myſtico ſenſu intelligi debet de excæcatis & deſpectis eis principibus,qui Eccleſię infeſti fuerunt. Quod autem ſequitur:Et adiuuit pauperẽ de inopia:per pauperem vel ſe notare vult regem & in paſtorem euectum à Deo,aut populum ab afflictione ſua liberatũ,& iã ouiũ inſtar multiplicatũ: d

Alleluya, Canticum Pſalmi ipſi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI. XCII.

PSalmus iſte cõpoſitus eſt ex fine Pſalmi 56. & fine Pſalmi 59. conuenitque in materia cũ Pſalmo 59. Nã quemadmodum eo Pſalmo victoria contra Idumæos deſideratur,ita & præſenti,qui tamen in hoc ab illo differt, quod

in illo memorata prius populi dei electione, & diuina promissione de latitudine regni sui transit ad petendum victoriam contra Idumæos secundum Dei promissum, hic autem primum se ad laudem Dei paratum offerens, tum ad precandum eam victoriam secundum Dei promissionem transit, eamque se obtenturum diuina virtute pollicetur, qua iá multos sibi hostes subiecerat, & regni sui ditionem late propagauerat, idque in typo regni Christi.

PARAPHRASIS EIVSDEM

1 Paratum cor meũ Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam in gloria mea.
*2 Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, *exurgam diluculo,*

3 Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus.
*4 Quia magna est super cœlos misericordia tua: * & usque ad nubes veritas tua.*

*5 Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua, *vt liberentur dilecti tui.*
*6 Saluum fac dextera tua & exaudi me, *Deus locutus est in sancto suo.*

*7 Exultabo, & diuidã Sychimam * & conuallem tabernaculorum metibor.*

*8 Meus est Galaad & meus est Manasses, * & Ephraim susceptio † capitis mei.*

9 Iuda rex meus,

** Moab lebes spei meæ.*

*10 In Idumæam extendam calciamentum meum, * mihi alienigenæ amici facti sunt.*
*11 *Quis deducet me in ciuitate munitam. * quis ducet me vsque Iduneam?*

*13 Nonne tu Deus qui reppulisti nos, * & non exibis Deus in virtutibus nostris?*
*13 Da nobis auxilium de tribulatione, * quia vana salus hominis.*
*14 In deo faciemus virtutem, * & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

1 PAratum est cor meum, o Deus, ad laudandum te: paratum est, inquã cor meum, vt assecutus quam expecto victoriam, cantem & psallam idque ex tota anima quæ gloria est & decus.

2 Dicam animæ meæ: ó anima mea, discusso corporis somno, te ipsam ad laudem Dei alacriter excita: & quo laus sit plenior, vos quoque Psalterium & cithara, reliquaque musica instrumenta in manus meas venite, & modulationem è vobis edite: * sum mo certè mane exurgam è lecto quietis meæ, vt ante etiam exortam diem, ante omnia mea negotia, tempore ad eam rem conuenientissimo, te laudem alacriter.

3 Iaudabo te Domine in frequentia multorum populorum, * & in honorem tui hymnos cantabo coram variis gentibus.

4 Cantando autem deprædicabo quod misericordia tua tam magna sit & alta, vt cœlorum altitudinem superet: * & quod tua in præstandis promissis veritas vsque ad nubes ipsas pertingat. Vtraque enim, hæc terrestria & cœlestia omnia obtinet, atque in eis vbique respersa est. Vtraque adeo sublimis & excelsa est, vt a nemine comprehendi valeat:

5 Proinde precor tuæ potentiæ operatione te cœli Dominum ostendas, omnibusque te altiorem declara, & fac vt appareat per vniuersam terram maiestas tua: * hoc est, vt amici tui liberentur à malis suis, & ab inimicis tuis.

6 Tu quæso salutem adfer omnipotẽtia tua, & responde votis meis sic enim per eos & in eis exaltaberis, & glorificaberis per vniuersam terrã Hanc autem salutem me obtenturum certo confido: *Nam Deus per suam sanctitatem, qua mentiri nequit, olim mihi promisit:

7 Quod gauisurus essem in amplitudine & gloria regni, quod quetan quam verus Dominus diuisurus essem pro meo arbitrio Sychimam, * & dimensurus tanquam meam hæreditatem vallem Succoth, hoc est, tabernaculorum.

8 Atque id quidem iam re ipsa compleuit. Iã enim mea est terra Galaad & Manasses, terra scilicet quæ trans Iordanem Israelitico populo contigit: * iam populus Ephraim, vt pote tribus numerosior & fortior aliis, est præcipuum robur principatus mei, †& fortitudo quã in bello à capitis periculo defendor.

9 Tribus Iuda est, in qua & primum & principaliter mihi regnum vsurpo, sicut & regia dignitas à Iacob patriarcha huic tribui promissa est neque tantum tribus Israel meum agnoscunt imperium, sed & externæ nationes. * Moabitæ enim sunt mihi quasi olla aliqua, in quam sperem, hoc est, seruiliter subiecti sunt, sicut lebes ad lauandum deputata, aut si cut olla aliqua plena, ex qua quantum libet accipere liceat.

10 Propter quod certò confido, quod & Idumeam perfectè subiiciã, *quemadmodum & Phylistæi capitales prius inimici nostri iam amicitiam mecum inierunt, tributarij nobis facti sunt.

11 Verum quis Deus deducet me in ciuitatem munitam Idumæorum? †quis, inquam, deducet me in Idumæã, eam mihi subiiciens?

12 Nonne tu deus id solus mihi præstare poteris, qui auxilio tuo & fauore, longo nos tempore destituisti? * & non egredieberis cum exercitibus nostris ad prælium. Certè per te solum id assequi potero, propter cuius solam derelictionem hactenus inimicis nostris, inferiores fuimus.

13 Tu itaque fer nobis auxilium ad pellendam hanc tribulationem, quam ab hostibus nostris perpessi sumus. * vana est enim salus, quæ expectatur ab homine.

14 Per Dei certè auxilium designabimus fortia: * & ipse in nihilum rediget omnes inimicos nostros, omnibusque suis viribus exutos disperdet, vt contra nos nihil amplius valeant.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CVIII.

PRæsenti Psalmo Propheta Dauid primum quidem memorata peruersitate & malitia ipsius Doegi, aliorumque adulatorum Saulis, qui Saulem suis mendaciis contra ipsum incitabant, multis verbis dira eis imprecatur, tum & de miseria

seria sua conquerens opem Dei implorat, in fine, more suo, vota laudis publicè nuncupans. Sub typo autem Doeg & aliorũ aduersariorum Dauidis, oportere intelligere Iudam proditorem Christi, omnesque Iudæos Christum persequentes docet citatio Petri. Actuum primo, cum in Iuda implendum esse testatus est, quod hic in septimo versu dicitur: Et episcopatum eius accipiat alter. reinde in mystico & præsupposito sensu præsens psalmus, est oratio Christi contra impios suos hostes Iudæos, & singulariter contra Iudam proditorem suum, vt diræ imprecationes, quas psalmus hic cõtinet, generaliter quidem, cõtra totum populum accipiantur, singulariter contra Iudam.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Deus laudem meam ne tacueris, *quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.*
*2 Loquuti sunt aduersum me lingua dolosa: * & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.*
*3 Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi * ego autem orabam.*
*4 Et posuerunt aduersum me mala pro bonis, * & odium pro dilectione mea.*
*5 Constitue super eũ peccatorem: * & diabolus stet à dextris eius.*
*6 Cùm iudicatur exeat condemnatus: * & oratio eius fiat in peccatum.*

*7 Fiant dies eius pauci, * & episcopatum eius accipiat alter:*
8 Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.
*9 Nutantes transferantur filij eius, & mendicent * eiciantur de habitationibus suis.*
*10 Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, * & diripiant alieni labores eius.*
*11 Non sit illi adiutor, * nec sit qui misereatur pupillis eius.*
*12 Fiant nati eius in interitum: * in generatione vna deleatur nomen eius.*
*13 In memoriam redeat iniquitas patrum eius in cõspectu Domini, * & peccatum matris eius non deleatur.*

*14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum: * pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.*

MI Deus, ne quæso laudem meam, quam obscurare aduersarij mei conantur, tu taceas: sed manifestam fac omnibus laudem innocentiæ meæ. * quoniam os peccatoris, & os dolosi contra me apertum est, falso me accusans, & nomini meo detrahens. *Ps. 108.*

2 Loquuti sunt contra me lingua fraudulenta, dolos & insidias contra me exquirentes: * & sermonibus ex odio prò fectis omni ex parte aggressi sunt me, sine vllo merito oppugnauerunt me.

3 Immo pro dilectione, quam mihi pro acceptis à me beneficiis debuerant, detraxerunt mihi: * ego autem nec sic quidem prouocatus sũ, vt malum illis rependerem, sed pro illis potius orabam.

4 Ipsi verò rependerunt mihi mala pro bonis: * & odium pro amore meo in illos. a

5 Proinde quando quidem tam peruersa, obstinata, & nociua pietati est malitia eorum, fac eis quod iusto iudicio tuo te facturum non dubito, præfice illi impium aliquem iudicem & dominum: * & calumniator improbus astet semper à dextris eius, accusans eum, & criminans apud crudelem tyrannum.

6 Cumque causa illius tractata fuerit in iudicio, non abeat illinc nisi impietatis condemnatus: * & precatio illius fusa vel ad iudicem pro remissione, vel ad Deum pro liberatione, magis exasperet tùm iudicem, tum Deum, & augeat peccatum eius potius, quam remissionem aut liberationem impetret. Hæc autem Domine mala, duci aduersariorum meorum, omnibusque qui eum eo apud iniquum iudicem me immeritum criminantur, euenĩat, partim in iudicio humano, vt scilicet iniquus & seuerus iudex, atque infestus aduersarius in causa ipsorum eis contingat: partim in tuo iudicio, vt iusto iudicio tuo condemnati tradãtur imperio tortoris tui, & satellitis dæmonis, atque à Sathana iugiter criminentur apud te & diuexentur.

7 Sint dies vitæ eius pauci: * illoque sublato de medio, præfecturam eius accipiat alter.

8 Fiant, per mortem eius immaturam, filij eius orphani, & vxor eius vidua. b

9 Quin etiam vagando transferatur, de vno loco in alium filii eius & mendicent * eiiciantur de domibus suis, quemadmodum me cogit exulem è domo mea huc illucque vagari.

10 Id itaque vt fiat, fœnerator postquam crescentibus vsuris, cunctas improbi facultates obnoxias sibi fecerit omnisque durus exactor scrutetur omnem substantiam eius ad vendicandum sibi: * & diripiant extranei omnia quæ suo labore conquisiuerat ipse, vt de paternis bonis nihil sit, quod secum filii auferant:

11 Addatur & hoc calamitatibus eius & filiorum, vt nemo sit qui ei sic afflicto vllum humanitatis præstet officium? * vel quem misereat liberorum eius, etsi pupillorum & mendicorum.

12 Quin & filij eius simul cum eo ita pereant & exterminẽtur: * vt ipsis sine prole decedentibus, nomen eius deleatur in generatione prima, quæ ipsum proximè sequitur.

13 Et quo nihil desit ad consummatam ipsius vltionem, reuocetur etiam apud Dominum in memoriam iniquitas progenitorum eius quos imitatus est, * & peccatum matris eius non sit in obliuione coram Domino, sed illius memor sit Dominus ad vindicandum etiam illud in ipso, hoc est, tam grauis de eo & semine eius vltio sumatur, vt nó tantum proprias eorum iniquitates Deus vlcisci videatur in eis, sed & maiorum, quibus peccantibus Deus ita pepercerat, vt non cõdigna eis supplicia inferret.

14 Semper peccata maiorum suorum sint, velut ob oculos posita coram domino, ita vt nunquam desinat maiorum peccata in impiis filijs punire: sic fiat, vt pereat apud homines honorifica & celebris memoria eorum: Hæc autem omnia dira ei & semini eius, ita vt iustum est, imprecor. * propterea quod ne semel quidem in mentem venerit illi pietatis erga afflictum proximũ exercendæ.

15 *Et persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.*

15 Quin potius(quod extremæ crudelitatis est)hominem afflictum omnique humano auxilio destitutum,& contritum spiritu persecutus est, vt occideret illum non solum non præstans ei debitam misericordiam,sed etiam sathanicam & inhumanam in eum exercens impietatem.

16 *Et dilexit maledictionem,& veniet ei.*& noluit benedictionem:*& elongabitur ab eo.*

16 Dilexit maledictionem,tum quia ad maledicendum & detrahendum semper fuerit paratus, tum quia impijs suis studijs vsus est sibi ac cersere & quærere execrationem Dei & hominum, quæ impia studia necessario sequitur,propter quod & continget ei maledictio quam dilexit:*& benedictio,quam aliis præstare noluit, quamque visus est nolle consequi à Deo(dum ea sectatus est, ob quæ ,etiam ipso non ignorãte,homines Deus execratur)ipsa,inquam,benedictio procul recedet ab eo.

17 *Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius,& sicut oleum in ossibus eius.*

17 Induit sibi ex omni parte maledictionem sicut vestimentum: * & penetrauit sicut aqua,quam quis bibit,in interiora eius, immo sicut oleum in ossa eius,hoc est,maledictio totum ipsum intus & foris possedit in intimis cordis sui penetralibus, nihil aliud cogitans quam maledicere & nocere aliis,& in lingua sua semper se contra innocentem armans maledicentia sua. d

18 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur:* & sicut zona qua semper præcingitur.*

18 Proinde sit illi maledictio diuina,sicut vestimentum quo operitur vndique:*& sicut zona qua sese ex omni parte præcingere solet; hoc est,maledictio & vltio diuina totum eum semper inuoluat, semperque vndique constringat.

19 *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum:* & qui loquuntur mala aduersus animã meã.*

19 Hæc sit merces eorum à Domino qui detrahunt mihi :* & qui loquuntur mala in perniciem vitæ meæ. e

20 *Et tu Domine, Domine fac mecum propter nomẽ tuum:*quia suauis est misericordia tua.*

20 Mecum autem Domine tu age benignè ,idque maximè propter clementiam tuam quæ de te prædicatur. *est enim admodum benigna in omnes,atque ob nimiam benignitatem suauis misericordia tua.

21 *Libera me,quia egenus & pauper ego sum,*& cor meum conturbatum est intra me.*

21 Proinde secundum eam libera me à malis,indigeo enim misericordia tua,ad miserendum miseris semper facili, nam afflictus & humano præsidio destitutus ego sum:*& præ nimia calamitate & desolatione cor meum in meipso turbatum est.

22 *Sicut vmbra cum declinat ablatus sum:*& excussus sum sicut locusta.*

22 Sicut inanis & fugax vmbra cum ad occasum vergit,& tenebris noctis fit propinquior,ita & ego velociter à malis me præuenientibus penè sublatus sum,morti sepulchroque proximus:* atque in modum locustarum ego vbique depulsus sum ab inimicis meis,coactus vagari de loco ad locum quemadmodum locusta saltat nunc huc,nunc illuc nullam certam habens sedem.

23 *Genua mea infirmata sunt a ieiunio &* cor meum immutatum est propter oleum.*

23 In his autem meis malis ita in precibus,addito etiam perpetuo ieiunio, fui sedulus,vt genua mea debilitata sint,& vacillent præ ieiunio †& caro mea à suo vigore immutata sit propter deficientem eius pinguedinem ,& propter neglectum & intermissum vsum vnguẽtorum quæ sicut & alias delitias corpori meo subtraxi,propter orationis studiũ. f

24 *Et ego factus sũ opprobriũ illis,* viderũt me, & mouerunt capita sua.*

24 Et cum hac ratione charus illis esse merito deberem,contra ob hoc factus sum illis opprobrio:*cum viderunt me humiliatum & afflictum,in derisionis signum mouerunt super me capita sua.

25 *Adiuua me Domine Deus meus:*saluum me fac secundum misericordiã tuã*

25 Tu itaque suppetias fer mihi Domine Deus meus,quem vnicè colo,atque à quo totus pendeo.* Salutem adfer mihi pro inexhausta misericordia tua.

26 *Et sciant quia manus tua hæc:* & tu Domine fecisti eam.*

26 Et fac insigni virtutis tuæ in me declaratione,vt hostes mei intelligant ,quod hæc ipsa salus mea,quam à te expecto, tua potentia mihi contigerit: * & quod tu domine eam rem mihi præstiteris, sicque aduertentes tuum in me fauorem,pudefiant. g

27 *Maledicent illi & tu benedices:* qui insurgũt in me confundantur seruus autem tuus lætabitur.*

27 Illi quidem pro libito maledicant mihi,omnia imprecentur & intendent.Verùm tu contrà benedicas mihi,commutans eorum execrationes in benedictiones:* fac vt qui oppugnant me, pudefiant sua spe destituti,ego verò seruus tuus læter in te,ope tua liberatus.

28 *Induantur qui detrahunt mihi pudore.*& operiantur sicut diploide cõfusione sua.*

28 Qui detrahunt mihi,contegantur vndique ignominia velut veste * & induantur toti tanquam pallio infamia qua digni sunt.

29 *Confitebor Domino nimis in ore meo, * & in medio multorum laudabo eũ.*

29 Id vbi factum fuerit,celebrabo dominum ore meo:* & inter multos laudabo eum.

30 *Quia astitit à dextris pauperis,*vt saluam faceret à persequentibus animã meam.*

30 Eo quod mihi pauperi præsens adfuerit, quasi à dextris astans*:vt defenderet & saluaret animam meam ab his qui eam perdere studiosè conabantur.

ANNOTATIONES.

PROEO VT ME DILIGERENT.)Græca habent,ἀντὶ τοῦ ἀγαπᾷν με,quod etiam verti potest pro eo quod ego dilexi,scilicet eos,quem sensum magis sic Hebræa exigunt.

b EPISCOPATVM,&c.]Dictioepiscopatus,non solum significat ex se eã dignitatem quæ competit summis sacerdotibus,inter quos vnus fuit & Iuda proditor,sed generaliter significat præfecturã,vnde & illud nomen competit Doeg Idumæo, quem historia testatur fuisse principem pastorum Saulis. Nam apud Athenienses ciuitatibus præfecti,episcopi dicebãtur,sicut & apud Lacedemonios ἁρμοξαί, ab ἁρμόζω,constituo, cõpono, quod morum essent compositores,& legum constitutores. Et Cicero in 7.epistolarum ad Atticũ episcopi nominevtitur: Vult,inquit,me Pompeius esse,quem tota Cãpania & maritima ora habeat episcopum,ad quẽ delectus & negotij summa referatur.Proinde à Græcis primitiua ecclesia nomẽ Episcopi mutuata est, vt eo vocarentur præfecti ecclesiarum, quos simili mutuatione Dionysius in Eccles.Hierarch.harmostas etiam vocat,sicut etiam Ecclesia Latina nomẽ Pontifex,eisdem imposuit,mutuatum à Romanorum sacerdotibus.Apostoli enim ex gentibus maximè fundaturi Ecclesiã Christi, nouo sacerdotio noua etiam imposuere vocabula, non amplius vtẽtes nomine sacerdotis aut summi sacerdotis, quo Iudæi & gentes suos vocabant, sed vocantes eos episcopos seu presbytores,quo intelligeretur differentia à sacerdote veteri.

c INMEMORIAM.&c.]Vt intelligatur quomodo Deus puniat peccata patrũ in filiis,& cõcordẽtur scripturę id asserentes cum aliis scripturis,quę asserũt Deum reddere vnicuique iuxta opera sua & quod anima quæ peccauerit,ipsa morietur,vtdicitur Ezech.18.& Hieremię 31.ante omnia id pro certo habendum, Deum iustum neminem punire ob culpam alienam,sed tãtum ob propriam. Verũ quoniam peccata parentum quandoque in prœseti non vindicat,in filiis(qui Dei longanimitate nõ adducuntur ad resipiscentiam,sed potius ea abutẽtes paternam non cessant imitari impietatẽ) dicitur peccata parentum vindicare,quando tã graui vltione peccata filiorum punit,vt non solum propria,sed & parentum,quę multa hic permisit,vindicare ab hominibus iudicetur, & reuera vindicet eo quod filij parentũ peccata,fecerint sua per imitationem.Proinde quod dicitur Exodi 20. & alibi Deus visitare peccata parentum in filios in tertiã & quartam generationem:nõ pugnat cũ eo quod Ezec.18.dicitur: Anima quę peccauerit,ipsa morietur,& filius non portabit iniquitatẽ patris. Neque enim Exodi 20.dicitur Deus visitare peccata patẽtum in filiis innocẽtibus,nam additur,his qui ,oderunt me.Ezechiel verò ostendere vult toto capite neminem puniri à Deo nisi nocentem,& filium in nocentem non puniendum propter peccatum parentis imp j:cuius contrarium populus vulgo sibi persuaserat.Quod si quis obiiciat de filio Dauidis nato ex adulterio,qui morte affectus est propter peccatum parentis,& de paruulis qui in generali aliqua plaga cum impijs pereũt, quemadmodum contigit paruulis qui cum Sodomitis perierunt:dicendum est primo,aliud esse Deũ punire patrẽ in filiis,aliud punire filios innocentespropter patres. Illud enim frequenter facit,& quidem iustè,quatenus filij tũ aliquid ipsius patris, immo & chariora eius pignora.Alterum verò propria locutione nũquam facit, nam etsi aliquando filiis innocẽtibus (si modo quisquam innocens dicendus est)Deus mala aliqua,defectus,calamitates,immo & mortẽ propter peccata patrum inferat,non tamen illos punire,sed potius patres dicendus est. Nã punire dicendus non est,nisi quibus offensus est:mala autem quæ filiis innocentibus propter patres immittit,in punitionem quidem patrum illis infert , in bonũveiè filiorum qui puniũtur. Infantibus enim baptizatis dubium non est quin in bonũ cedat, si cita morte hinc auferantur. Non baptizatis autẽ bene actum putandum,si pueri occiduntur simul cum iniquis parentibus,i.e malorum parentũ vestigia secuti,in grauiorem incidant pœnam. Secũdo notandum & illud quod Ezech.18.& Hieremię 31.non dicitur,quod pro omni tempore filius non portat iniquitatem patris sed indicare videtur hoc referendum esse ad tempora Messiæ.Nam Ezechiel sic habet:Viuo ego dicit Dominus : Si erit vltra parabola hęc vobis in prouerbiũ.quasi,dicat:hactenus quidem sic dicere licuit : Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obstupuerunt. Verũ tempus veniet,quo id nequaquam vltra verè dicetur,& Hieremias apertius:In diebus ,inquit illis)loquitur autem manifestè de diebus Messiæ,) non dicent vltra,Patres comederunt,&c.Sed vnusquisque in iniquitate sua morietur. In diebus enim Messiæ mors non reputatur,nisi sola mors æterna quæ filio innocenti propter peccata patris nõ infertur.Vt intelligamus aũt de hac morte principali prophetas,loqui,dictum est:Anima quæ peccauerit,ipsa morietur. d

ET INDVIT,&c.]Quidam hunc versum intelligunt,vt vltionem diuinam etiam hic imprecetur propheta,& verba præteriti temporis per futura, aut per imperatiuum modum exponantur, & idẽ hoc versu significari accipitur,quod sequenti. Verum rectius cum Cãpensi accipitur,vt seruetur tẽporis ratio,& idẽ hoc versu significari intelligatur quod prius,cũ dixit,Dilexit maledictionem,& noluit benedictionẽ.Sequenti autem versu hoc quod prius dixit,veniet ei,& elongabitur ab eo.

Hoc,&c.] Opus secundum Hebraicam phrasim hic accipi debet pro mercede, quẽadmodũ & Leuitici 19.Nõ morabitur opus mereenarij tui apud te vsquam mane,Isaiæ 4.Ecce merces eius cũ eo, & opus eius coram illo.Rursum Isaiæ62. e

CARO,&c.] Apud Hebræos dicto quæ illis oleũ significat,etiam pinguedinem aliquando significat.Vnde hanc partem quidam sic accipiunt: Caro mea immutata est propter deficientem pinguedinem eius pre ieiunium. f

ET SCIENT,&c.]Pronomina,hæc, & eam , Hebraico more debẽt hicce aipi substãtiue, pro hoc & illud,hoc est,hanc meam salutem quam à te expecto.Videtur autẽ idẽ dicere quod alibi. Fac me cum signum in bonum,vt videant qui oderũt me. &c.

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSLAMI CIX.

CONstat non solum ex verbis Christi Matthei 22. & interpretatione Apostolorum petri 2. & pauli Corinth.15. & ad Hebræos varijs capitibus. Verũ etiã ex antiquorũ Rabinorum scriptis hunc psalmum intelligendũ esse de Christo

eoque ſolo, quod etiam Scribæ ac Phariſæi in lege docti negare non potuerunt. Quanuis enim pleraque hic de Chriſto dicantur, prout præfiguratus fuit per Dauidē, qui in Sion conſtituens ſibi regiā ſedē, illinc regni ſui pomeria dilatare cœpit ſubijciens ſibi & ſuperans cunctas gentes finitimas, idque in typo Chriſti: de Dauide tamen Pſalmus exponi nō poteſt, nec de quouis alio puro homine, quod in eum non quadret ſedere a dextris Dei, naſci ex vtero ante luciferum, eſſeque ſacerdotem in æternum. Itaque Dauid prophetico ſpiritu canit hoc Pſalmo primum quidem de regno Chriſti, quod per reſurrectionem & aſcenſionem accepit in dextera patris, quodque in Sion incipiēs inde vſque ad fines orbis in fideles peruenit per euangelicā prædicationem. Deinde verò de Chriſti ſacerdotio perpetuo, ac poſtremum de perfecta hoſtium eius, hoc eſt, impiorum omnium & proſtratione & ſubiectione ſub pedibus eius futura in nouiſſimo generalis iudicij die.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Dixit dominus domino meo: *ſede à dextris meis.*

2 Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

3 Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion:

**dominare in medio inimicorum tuorum:*

4 Tecum principium in die virtutis tuæ † in ſplendoribus ſanctorum:

**† ex vtero ante luciferum genui te.*

*5 Iurauit dominus, & nō pœnitebit eum, * Tu es ſacerdos in æternū ſecundū ordinē Melchiſedech.*

6 Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges

DEus pater cœleſtis dixit Domino meo Meſſiæ, deuicta morte, aſcēdenti in cœlum, *ſede modo mihi à dextris, mecumque nunc qui etè in æquali poteſtate regna ſuper omnia. *Pſ.109. a*

2 Vſque dum in nouiſſimo die omnes inimicos tuos ita tibi ſubiecero perfectè, vt ſint quaſi ſcabellū pedum tuorum: ſic, inquam, Domino meo Deus pater ſedere iuſſit hoc eſt, æterno ſuo cōſilio ſtatuit, atque ſuo tempore ſedere facit: eius enim dicere, facere eſt. *b*

3 Neque tamen interim inefficax certè ô Meſſia regia tua poteſtas, ſed quomodo regia mea ſede in Sion conſtituta, inde regnum meum dilatatū eſt ad finitimas gentes: ita etiam ex ipſa Sion & Hieruſalem, eque populo Iudaico, in quo primum per fidem regnare incipies, Dominus Deus regiam tuam poteſtatem immittet vſque ad omnes fines terræ. idque per ſpiritum ſuum ſanctum, perque euangelicam prædicationem diffuſſam in vniuerſam terram: Itaque velint nolint, dominaris in medio hoſtium tuorum, tum quia quamuis nunquam quocūque etiam loco deſituri ſint qui regno tuo repugnabunt, nunquam tamen omni ſua virtute illud impedire valebunt, nec aliquid tuis inferre, quod non in illis in bonum cedat, tum quia pro arbitrio tuo de hoſtibus illis tuis etiam ante iudicij diem ſtatues & facies. *c*

4 Quamuis enim in die humilitatis & afflictionis tuæ indutus eris formam ſerui, tamen rerum omnium ſumma & principatus ſuper omnia tecum erit in die roboris tui & regni, cum iam ſublatus eris in magnificis & ſplendidis illis tuis ſanctuariis cœleſtibus, quæ vera ſunt ſancta ſanctorum † cumque magnifica & eximia illa ſpiritus tui ſanctiſſima dona mundo diſtribues: nec mirum quidem hūc principatum tibi adfore, quando quidem ad te Deus pater dixit: *antequam luciferum aut ſolem, aliamue creaturam facerem, ego te genui mihi conſubſtantialem, è ſecreto diuinitatis meæ, ac propria mea ſubſtantia, quaſi ex vtero. † ante luciferum, etiam, omnemque naturam ego te mea virtute, ſine virili cooperatione, è ſolo virginis vtero, hominem generare decreui, iamque tunc in mea prædeſtinatione genui, primogenitum te & caput omnium filiorum meorum conſtituens. *d **

5 Præter dignitatem autē regiam Dominus etiam iurauit tibi, atque immutabili voluntate ſtatuit, quare nunquam pœnitentis more illud retractabit: iurauit, inquam, dicens: *Tu es ſacerdos in perpetuum, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem & ritum Melchiſedech. Quomodo enim Melchiſedech (quod interpretatur rex iuſtitiæ) rex Salem, hoc eſt, rex pacis, ita regnum adminiſtrabat in Salem, quæ Hieruſalem poſtea dicta eſt, vt ſimul & ſacerdotio fungeretur, eoque tali, in quo ipſe nemini, nec aliquis ipſi ſucceſſiſſe legitur: Ita & tu Meſſia, verus iuſtitiæ & pacis rex, ſimul cum regno quod in ſuperna Hieruſalem obtinebis, etiam ſacerdotium conſequeris non temporale, quale Aaron: ſed perpetuum, quod nec quiſquam ante te obtinuit, nec poſt te quiſquam accepturus eſt, vnica corporis tui oblatione imperpetuum conſummaturus, ſanctificaturus, & iugi in cœlis interpellatione patrē hominibus conciliaturus. Et quomodo typicus ille Melchiſedech Abrahæ è cæde hoſtium reuertenti obtulit panem & vinum, Deo prius oblata, feſſumque recreauit, & benedixit, magno illo patriarcha Abraham longè maior: ita & tu verus Melchiſedech Abrahæ, omnibuſque fidelibus, quorum ille pater eſt, benedices, æterna eos vita donans, corporis ac ſanguinis tui ſacrificio, ſub panis, vnique ſpeciebus paſces, recreabis & confirmabis. *5 Iurauit dominus, & nō pœnitebit eum, * Tu es ſacerdos in æternū ſecundū ordinē Melchiſedech.*

6 Tandem autem cum conſummatio ſæculi aduenerit, & iam poſt tempus iſtud gratiæ & clementiæ adfuerit dies vltionis domini, tum ipſe dominus aſtans tibi à dextris & pro te pugnaturus, conteret potentiſſimos quoſque reges, qui regno tuo ſeſe, ſubmittere noluerunt, & proinde multo magis & cæteros omnes hoſtes tuos. *6 Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges*

7 Iu

*7 Iudicabit in nationibus implebit ruinas, *conquaſſabit capita in terra multorū.*

8 De torrente in via bibit

**propterea exaltabit caput.*

7 Iudicium in gentibus exercebit, ſumens ſupplicium de eis qui rebellauerunt tibi, multiplicabit ruinas, multos deſtruens, & ruere faciēs *comminuet atque confringet poteſtatem eorum, qui principatum obtinuerunt ſuper terram multorum populorum, ſeque in terra extulerunt, quos quaſi confractis eorum capitibus perfectè perdet, omnique potentia rebellandi exutos, tanquam ſcabellum pedibus tuis ſubiiciet, quemadmodum promiſit, & in inimicis meis in typum hoſtium tuorum iam præſtitit.

8 Tam perfecta autem erit tunc hoſtium Meſſiæ noſtri ſtrages, quàm ſi quis victor tanta cæde hoſtium ſuorum ſanguinem effunderet, vt in torrentis modum fluens potum in via præberet, victorumque deſiderium abundè ſatiarat. Ita enim perfecta erit Meſſiæ noſtro de hoſtibus ſuis victoria, vt ad vnum omnibus deletis, ſatiandus ſit codigna eorum vltione: *propter quod attollet caput ſuum, ſuperior factus impiis omnibus hoſtibus ſuis.

ANNOTATIONES.

a DIXIT DOMINVS.] Variis modis Iudæi conantur hunc Pſalmum nobis eripere, vt de Meſſia oſtendant non eſſe intelligendum. Nam, vt teſtatur Tertullianus quinto libro cōtra Marcionē quidam de Ezechia hunc putant accipiendū. Hieronymus autem ſuper Matthæi caput 22. dicit Iudęos hunc Pſalmum intelligere dictum de Abrahā in perſona Eliezer ſerui eius. Alij intelligūt quidē dictum de Dauide, ſed in perſona populi, qui Dauidem Dominum ſuum appellarit. Sūt & qui intelligunt Dauidem ipſum hic dominum ſuum vocare Saulem, & quod dicitur. Dixit Dominus domino meo: ſic exponunt, dominus dixit ad me propter dominum meū Saulem, qui me perſequitur. Verū his ōnibus obſtat præter alia quod hic dicitur: Tu es ſacerdos, &c. quod nemini præterquam Meſſiæ competere poteſt. Notandum autem, quod pro dictionibus, dominus & domino, non ſit apud Hebræos eadem dictio: Nam pro, Dominus, Hebræis eſt nomen tetragrammaton יהוה quod quāuis exiſtētem propriè ſignificet, vertitur tamen per nomen, dominus, eo quod pro nomine illo ineffabili legatur nomen adonai. Pro dictione autem, Domino, ponitur nomen אדון Adon, quod propriè dominum ſignificat, quo nomine ſemper Chriſtum Paulus appellat, & conuenienter hic Chriſtum nomine domini nominat, eo quod de regno eius & dominio hic agat. Dominum autem ſuum Dauid vocat nō ſolum ſecundum diuinitatem, ſed etiam ſecūdū humanitatem, ſicut ſecundum eā noſter dominus eſt & caput eccleſiæ. Nec obſtat quod Chriſtus in euāgelio colligit Meſſiam Deum eſſe, ex eo quod Dauid eum dominū ſuum vocat. Nam Meſſias quatenus homo, non eſt dominus Dauid, niſi quia homo ille ſimul etiam Deus eſt. Reſpexiſſe ad hunc Pſalmum videtur Eccleſiaſticus, cum capite vltimo dicit: Inuocaui dominū patrē domini mei: dominum ſuum vocās Meſſiam, filiū domini Dei.

b DONEC, &c.] Donec, non debet hic accipi, vt excludat ſeſſionem ad dexteram, poſtquā aduenerit certum illud tempus præſcriptum, ſed vt tantū in dicet euentum rei huius certo tempore futurum quod ſatis aperit Paulus ad Heb. 10. dū dicit: Sedit ad dexteram Dei, de cætero expectans donec ponā

c tur, &c. *

DOMINARE, &c.] Quidā intelligunt Chriſtū dominari in medio inimicorum ſuorum, quia ſcilicet qui prius inimici erāt ſibi, per euangelij prædicationem ſubiecit. Verum vt patet ex ſecundo huius Pſalmi verſu, inimici Chriſti hic non dicuntur niſi qui obſtinatè pergunt Chriſto repugnare. Nā qui ad tempus ſolum ſunt inimici, non ponentur ſcabellum pedum Chriſti. Proinde paraphraſis indicat alio ſenſu, quomodo Chriſtus dupliciter dominetur in medio hoſtiū ſuorum, nempe quia quā tumuis ex omni parte regnum eius oppugnēt, nequaquam tamen illud extingere valeant, quod regis huius fortitudinem mare commendat, & quia pro arbitrio hoſtes ſuos tractat & ſuperat.

TECVM, &c.] Pro, tecum, Hebræa habent, populus tuus: quæ varietas ex punctorū varietate nata eſt. Nam ſi legatur עַמְּךָ Ammecha, ſignificat idē quod populus tuus, ſi verò עִמָּךְ Immena, ſignificat tuum. Pro dictione principiū, Grēcis eſt ἀρχή quę & principatum ſignificat, & principium. At vero debuiſſe hic verti principatum Hebraica dictio docet, quæ principibus nonnūquam tribuitur. Nā hi dicuntur נְגִידִים Nedibim. Proinde dictionem principiū neceſſe eſt accipere impropriè: pro principatu, quomodo caput & ſumma pro principatu nonnūquam accipitur. In eo autem quod legimus in ſplendoribus ſanctorum, & Græci ἐν λαμπρότησι ἁγίων οὐ: notandum dictionem, ſplendoribus, accipiēdam, vt ſignificet claritatem, qualis eſt claritas ſolis aut lunæ: nec dictionem, ſanctorum. accipiendam pro ſanctis hominibus. Nā pro dictione, ſplendoribus, Hebraica dictio potius ſignificat magnificentiam & decorem, & pro, ſanctorum, Hebræi habent dictionem ſingularis numeri קֹדֶשׁ codaſch, quæ ſignificat ſanctitatem, vel ſanctuarium, vnde per ſplendores ſanctitatis, intelligunt ſanctam magnificentiam & decorem Meſſiæ. Aut per ſplendores ſanctuarij, magnificum ac ſplendidum illius ſāctuarium. Proinde oportet dictionem, ſanctorum, accipi ſubſtantiuè in neutro genere, quemadmodū ſatis paraphraſis indicat.

EX VTERO, &c.] Hebræa longè aliter habent ſecundum verba, quanuis ſenſus non multum diuerſus ſit. Sic enim habēt: Ex vtero auroræ ros natiui tatis tuæ. Aut ſecundum quorundum lectionē: Ex vtero ex aurora tibi ros natiuitatis tuæ. Nā duplex eſt apud Hebręos lectio. quidā enim legūt מִשַּׁחַר mis ſhar, vt litera, M, ſit hecmātica, quidā מֵרֶחֶם miſſahar, ex aurora: vt M ſit præpoſitio à min. Poſſunt & Hebręa ſic verti: ex vtero ex aurora tibi ros natiuitas tua. Eſt autem Hebraicæ lectionis præter diuerſorum varias interpretationis hic ſenſus maximè probabilis: Natiuitas tua ex vtero erit tibiſicut ros ex aurora, hoc eſt, quemadmodū ros quam aurora dimittit, mundo gratiſſimus eſt, terramque fœcūdat: ita & tua natiuitas. Neque naſceris ex vtero virili cooperatione, ſed ſicut ros naſcitur ex au

c 4 rora

rora,cœlesti scilicet virtute. Atque secundũ hunc sensum Christus rori, Maria autem aurorę comparatur,& quidem aptè,vt quæ solem iustitię nobis peperit,quod quidem ex his verbis etiam antiqui Hebręorum intellexerunt. Nam super cap Genes. 25. Rabbi Moses Hadarsan sic scribit: Dixit Rabbi Barachias, Deus sanctus & benedictus ait Israeli: Vos dixistis coram me, pupilli facti sumus absque
Thre. vlt patre. Redemptor quem suscitabo ex vobis, absque patre erit. Sicut dictum est Zacharię 6. cap. Ecce vir germen, nomẽ eius, & de subter se germinabit. Et sic etiã ipse ait Isaiæ 53. & ascẽdet virgultum coram eo, & sicut radix ex terra sicca. De ipso quoq; Dauid, inquit Psal. 110. De matrice aurorę tibi ros natiuitatis tuæ. Quidamta men etiam antiqui Hebræorum in his verbis intellexerũt Christi natiuitatem æternam. Nam Rabbi Ishac Arama super Genesim sic scribit: Nõ inuenimus hominem etiã prophetã cuius prophetæ sit natiuitas ante natiuitatẽ patris & matris, nisi tantũ modo Messiãiustũ nostrũ & propterea dicit Avulua ex aurora tibi ros natiuitatis tuæ, hoc est, antequã crearetur vulua genitricis tuæ, prophetata fuit natiuitas tua. Ethuic cõuenit illud: Ante solem propagatur nomen eius, velfilius nomen eius, quoniam antequã crearetur sol subsistens & firmum erat nomen Messię nostri fuitque sedens ad dexteram Dei, & hoc est quod dicit: sede ad dexteram meam. Proinde & lectio nostra itelligipotest dupliciter, scilicet de generatione filij æterna & temporali. Et quidẽ de æterna Christi generatione omnes ferè patres nostri intelligũt viderique potest Septuaginta rorem natiuitatis Messiæ accepisse pro cœlesti eius natiuitate. Verũ obstare videtur, quod dicitur, ex vtero. Non enim vterus hic significat virilẽ vterũ sed matricẽ & vuluã mulieris, vt patet ex dictione Hebraica רֶחֶם rehẽ quę dictio nõ satis aptè videtur tribui patri. Tertullianus tamen ãduersus Praxeam, vuluam patri tribuit, vbi hunc locum exponẽs sic scribit: Primo gẽitus, vt ante omnia genitus: & vnigenitus; vt solus ex Deo genitus, propriè de vulua cordis eius, secundum quod & pater ipse testatur: Eructauit cor meum sermonem optimum. Ad quam deinceps gaudens proinde gaudentem persona illius: Filius meus es tu ego hodiè genui te. Idẽ tamen author cõtra Marcionem quinto, hunc locum intrepretatur de Christi natiuitate temporali, ex vtero virginis, quia ante Luciferum Christũ genitum intelligit, quia ante Luciferi ortum. media scilicet nocte.

Verũ hũc sensum Euthymius improbat, eo quod non dicatur, ante Luciferi ortum, sed ante Luciferum, cùm itaque ob vocabulum רֶחֶם rehẽ, de natiuitate ex vtero virginis magis videatur accipiendus hic locus, nec accipi potest commodè, aute Luciferum, quomodo exponit Tertulllanus, simpliciusfuerit intelligere Christũ ex vtero virginis genitum ante Luciferum, quomodo Paulus nos dicit electos in Christo ante mundi constitutionem. Singulariter autem de Christo dicit pater: Genui te ex vtero: quamuis & omnes electos etiam tunc genuerit in Christo, tum quia ipsum sola sua virtute gignere ex vtero virginis decreuit, tum quia ipsum etiam quatenus hominem primogenitum esse voluit omnium filiorum Dei.

IMPLEBIT, &c.] Pro dictione, ruinas, dictio Hebraica significat corpora & cadauera, vnde vertunt implebit cadaueribus, supple loca prælij. Eandem significationem etiam habet dictio Græca hic posita πτώματα, τὰ πτῶματα enim non tantum casum significat & ruinam, sed & cadauer, ἀπὸ τῦ πίπτειν, hoc est à cadendo, quemadmodum & cadauer Latinis dicitur à cadendo. Vnde vertendum potius erat, implebit cadauera. Verbum autem, implebit, Euthymius exponit per multiplicabit. Loquiturautem de vltione hostium Christi, sub typo stragis hostium Dauidis. f

DE TORRENTE, &c.] Plerique hunc versum pio sensu sic intelligunt Messias bibet de torrẽte afflictionum & passionum in via peregrinatonis suæ, atque ob id exaltabit caput suum, Frequẽs enim estvt afflictiones per torrentem & flumina significentur. Et in euangelio Christus aliquoties passionem suam designat per calicis potum. Verùm conueniẽtius versus iste cohærebit superioribus, si per bibere de torrente in via, intelligatur significari phrasi Hebraica maxima stragis hostium, & perfecta de eis victoria. Perstat enim adhuc in metaphora qua cepit Christi victoriam describere, sub similitudine victorię, quã victor rex de suis inimicis reportat. Quemadmodum autem per lauare manus vel tingere pedes in sanguine occisorum, in psalmis superioribꝰ Hebraismus designat insignẽ victoriam: ita & per bibere sanguinem occisorũ, vt Num. 23. dum de Israele loquitur Balaam. Ecce populusquasi leena consurget, & quasi leo erigetur: nõ accubabit, donec deuoret prædam, & sanguinẽ occisorum bibat. g

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CX.

Hymnus est hic Psalmus, quo Deum propheta celebrat partim ab operibus eius, & potissimum iis quæ Israeli exhibuit: partim à præceptis eius, quæ populo suis beneficijs affecto seruanda tradidit. Et opera quidem Dei prædicat ob potentiam, æquitatem, veritatem, & bonitatem in eis relucentem, dum scilicet mirabiliter suum populum ex Aegypto liberauit, in deserto pane cœlesti pauit, atque in terram promissam introduxit. Præcepta verò eius a firmitate & æquitate commẽdat, ad quorum obseruationem vt inducat, reuerendam diuini nominis sanctitatem memorat, sanctumque Dei timorem; & salutarem prudentiam eius, qui quod intelligit præstat opere, prædicat. In temporalibus autem illis beneficijs Israeli olim præstitis à Deo, intelligere debemus spiritum sanctum nos subducere ad considerationem spiritualium beneficiorum, quæ per Christum consecuti sumus, per quem & à diaboli potestate redempti sumus, & viuificam escam in memoriam sui rerum mirabilium; qua in huius seculi deserto pascamur; accipimus, & hæreditatem gentium obtinuimus, dum ecclesia Christi per vniuersum orbem dispersa est. Cum enim hic dicitur: Escam dedit timentibus se: pro dictione, escam, Hebr. טֶרֶף, tereph, quæ dictio etsi aliquoties simpliciter pro cibo accipiatur, propriè tamen carneum cibum significat, & carnem à feris dilaceratam, vt intelligamus ipsud propriè pertinere ad corpus dominicum, quod à feris Iudæis crudeliter dilaniatum nobis in escam propositum est. Quæ etiam hic dicuntur de testamento eterno, testatur satis ad

ad Christum hæc potissimum pertinere. Est autem hic Psalmus tertius inter eos, qui iuxta ordinem alphabeti apud Hebræos compositus est. Verùm non, vt alias, capita solum versuum à nouis literis incipiunt, sed & exordia singulorum hemistichiorum, & vnius cuiusque nouæ orationis ad quem modum etiam sequens Psalmus conscriptus est.

PARAPHRASIS EIVSDEM

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in concilio iustorum & congregatione,*
a Magna opera Domini,
† exquisita in omnes voluntates eius.

NOn tantum labiis, sed ex corde toto celebrabo te Domine:*idque palam in cœtu & congregatione iustorum. Hi enim soli diuinas laudes audire percupiunt, & ex eis fructum percipiunt. *Psal. 110.*
a
2 Vt autem laudem Dei canere incipiam: Ecce opera domini modis omnibus sunt eximia, quæ si diligentius & religiosius perueſtigata fuerint ab aliquo, faciunt ad explẽdum omnes volũtates & desideria eius. Inueniet enim in eis tantam potentiam, sapientiam, æquitatem, & bonitatem, vt nihil penitus queat in eis desiderare, sed omnia sua vota lõgè superare agniturus sit. †Eadem Dei opera si quis serio attenderit, plurimum promouent hominem, & excitant ad perficiẽdum quicquid Deo gratum esse cognouerit.
c

3 Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.*

3 Omnia opera domini laude & honore sunt dignissima celeberrima quoque ac magnifica, quodque non parua eius laus est, *iustitia eius permanet in æternũ, omnia enim semper iustè facit, semperque in præstandis suis promissis constans est.

4 Memoriam fecit mirabiliũ suorum misericors & miserator Dominus: escã dedit timentibus se.*

4 Tam admiranda designauit pro salute suorum, vt sempiterna sit futura apud homines memoria operum suorum tam mirabilium, ob quæ ipsum meritò misericordem, ad benefaciendum propensum appellare decet, quandoquidem se talem declarauit in præclaris illis bonitatis suæ facinoribus. *Inter quæ memoranda semper illius opera, hoc vnũ vel maximè admirandum est, quod cultoribus suis in deserto per quadraginta aunos mirabiliter suppeditauit cibum è cœlo.

5 Memor erit in æculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.*

5 Quo quidem opere, sicut & aliis, declarauit satis se semper habiturum rationem fœderis sui, quod cum Abraham & semine eius iniit. *Opera enim summæ fortitudinis exhibuit, & exhibendo nota fecit populo suo, dum in signis & prodigiis magnis populum suum ex Ægypto liberauit, & in desertum deduxit, atque gentes multas potẽter extermi-
d
nauit.

6 Vt det illis hereditatẽ gentium: opera manuum eius veritas & iudicium.*

6 Vt daret illis hæreditatem gentium, quas in illorum gratiam expulerat. *In quibus certè Dei operibus agnoscere cogimur operam potentiæ eius fidei & æquitatis esse plenissimam, dum & præstitit suis, quæ olim patribus promiserat, & impiis gentibus debitam vltionem intulit.

7 Fidelia omnia mandata eius, confirmata in seculum seculi: facta in veritate & æquitate.*

7 Quemadmodum autem in operibus suis Dominus prædicandus: ita & in suis præceptis Omnia enim mandata eius firma sunt, summamque in se continent fidelitatem & æquitatem, confirmata sunt vt in omne æuum perdurent, nec aliquando humanorum præceptorum more rescindentur. *decreta enim sunt ab eo summa cum iustitia & æquitate.

8 Redemptionem misit dominus populo suo: mandauit in æternum testamentum suum.*

8 Liberationem è seruitute Ægyptiaca attulit dominus populo suo: * ob quam ei mandauit seruare in perpetuum pactum suum cum eis initum.

9 Sanctum & terribile nomen eius, initium sapientiæ timor Domini.*

9 Quod quidem meritò seruandum est, vel ob id quod sanctus sit, & ob sanctitatem summam tremendus ac reuerendus dominus, qui mandata sua seruari præcepit: *huius autem timor, ad quem mandata inducunt, nequaquam est sterilis, sed est principium & radix veræ, solidæque sapientiæ. Cùm enim faciat semper attendere mandatis Domini, quæ omniũ agendorum rectissima sunt regula, docet etiam quid in omnire maximè fieri expediat.
e

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.*

10 Intelligentia horum bona est, vtilis & salutaris eis qui non solum intelligunt, sed operè ipso præstant quod intelligunt. *quicunque enim talis fuerit, laudem apud Deum & hominès assequetur perpetuo duraturam.

ANNOTATIONES

a IN CONCILIO, &c.] Neque ex Græca dictione neque ex Hebræa, constat, an cõsilio scribẽdũsit an concilio; cum vtraque dictio vtrunque significet: ex sensu tamen & dictione sequenti patet magis per c, scribẽdũ. Quemadmodum & Hieremiæ 15. Nõ sedi in consilio ludentium, vbi eadem est dictio.

b EXQVISITA, &c.] Relatiuum, eius, in nostra lectione, sicut & in Græcis, referendum videtur ad genitiuũ. Domini, & exponitur hęc pars à quibusdam in hoc sensu: Opera domini sunt exquisitè & eximiè facta iuxta omnes voluntates suas, quia scilicet omnia quæcunque voluit fecit. Euthymius verò sic interpretatur: Opera Domini exquisitè facta sunt, vt fideles ea opera aduertentes adimpleant omnes voluntates & mandata Domini.

Excitant enim Dei opera ad implēdum Dei præcepta.Hebræa autem pro eius,habent pluralē numerū,eorū,&vertunt quidā hoc modo:Exquisita omnibus volentibus ea:vt nomē substātiuū quod volūtatē significat,accipiatur pro nomine חֵפֶץ tho ar hoc est sensus:Quod opera domini exquirātur, & diligenter peruestigātur ab omnibus his quibus complacitum est in eis,quique ea amant.Alius verò vertit:Exquisita ad omnia beneplacita eorū, & interpretatur significari opera Dei huiusmodiesse vt si exquisita fuerint ab aliquibus,faciant ad satisfaciendum omnibus eorum desideriis:ita vt relatiuum, eorum, referatur ad id quod subaudiendum est ad participium,exquisita,atque in eundē modum etiā litera nostra accipi potest.Nescio enim si participium,exquisita,apud Hebræos accipi possit pro exquisitè factis.

c MEMORIAM,&c.]Hanc partem quidā etiā referunt ad sacramētum eucharistiæ, quemadmodū partem sequentem & memoriā accipiunt pro memoriale mirabilium operum,quę pro nostra salute Christus edidit,esse sacramētum corporis Domini qui sensus verissimus quidē est & catholicus,verū is non est proprius scripturæ sensus.Non enim est hic,μνημόσυνον,quod memoriale significat,sed μνεία memoria.Sensus autē paraphrasis seruit & literali & mysticę intelligentię.atque in eo includitur etiā prior ille sensus nam per sacramētum corporis sui Christus effecit,ne vnquam memoria redemptionis nostræ perire possit.

ANNVNTIABIT,&c.]Gręca habent preteritum ἀνήγγειλε similiter & Hebręa.Vnde vertēdū potius erat:Virtutem operum annuntiauit, vt daret illis,&c. d

INTELLECTVS,&c.]Relatiuum,eum,nō potest referri ad timorem Domini,nā φόβος est masculini generis:hic autem relatiuum positum est fœminini generis,scilicet αὐτῇ,quod refertur apud Græcos ad nomen σύνεσις.Hebræi autem habent relatiuum plurale,facientibus ea,& refertur ad mādata Domini,de quibus prius dictum est, & est sensus: His qui faciunt Dei mandata est bona intelligētia, hoc est,rectè sapiunt tales.veréque prudētes sunt, vnde videndum num relatiuum αὐτῇ, apud Græcos referendum sit ad διαθήκην.id est,testamētum, quod Græcis etiam est fœmininum.

Alleluya.

Reuersionis Haggæi & Zachariæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXI.

QVemadmodum superiori Psalmo Propheta Dominum commendauit ab operibus & præceptis eius,ita præsenti Psalmo virum cōmendat,qui præceptis Dei seruandis studet,prosequens id quod in superioris psalmi fine canere cœpit. Itaque canit fœlicitatem hominis Deum timentis, & proximis maximè egentibus benefacientis,id quod vnum ex præcipuis esse viri iusti operibus indicat.Fœlicitatem autem eius canit in semine,in operibus,in liberatione & securitate à malis in memoria,stabilitate atque exaltatione:atq;ob hanc eius fœlicitatē impium quemque iusti viri hostem ira & inuidia contabescendum.porro animaduertendum vatem hic,vt & alias, ad literam cecinisse externam sanctorum fœlicitatem, quæ omnibus Dei synceriter studiosis sane ad hunc modum contingit,nisi ad sublimiora illos Dominus vocarit, nimirum vt sua in aduersis tolerantia mundo ostentent spes futuri sæculi.Quas cùm post Christum reuelatum magis proferri conueniat quàm antea,plures quoque ad id hoc tempore,quā priore Deus delegit.His tamen vt nihil deesse potest verorum bonorum,ita externa ea bona,quæ psalmus hic iusto promittit,commutata in bona spiritualia cumulatim accipiunt, semmo diuitiis ac gloria spiritualibus à Deo donati.Quod autem in titulo legitur, reuersionis Aggæi & Zachariæ:cùm Hebræa non habeant,nec pleraque Græca,adiectitium habendum est, nec ad quid irrepserit constare potest. Siquidem & Euthymius eius nullam facit mentionem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Beatus vir qui timet Dominum in mandatis eius volet nimis.

FOElix est ille vir qui reueretur Dominum, non seruili quidem timore,sed sancto & filiali, qui scilicet multam habet complacentiam in mandatis eius, atque ad ea obseruanda omnem suam voluntatem adiicit. Ps. 111. a

*2 Potens in terra erit semen eius,*generatio rectorum benedicetur.*

2 Huius enim viri semen, siue carnale, siue spirituale, potens erit in terra,quia numero, viribus & opibus præstans:*iustorum enim posteritas ob paternam pietatem beneficiis afficietur à Deo.

3 Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

3 Gloria apud Deum & homines, & cum gloria opes erunt in domo eius: *& iustitia eius non moritur simul cum ipso: verùm permanet in perpetuum,semper laudata ab hominibus,&æternam apud Deum mercedem recipiens. b

*4 Exortum est in tenebris lumen rectis,*misericors & miserator,& iustus.*

4 Quod si aduersitas aliqua inciderit, ipse Dominus, qui misericors est,miserator & iustus,velut lux exorietur iustis, in tenebris illis calamitatum splendore suo & fauore tenebras illas depellens,aut iustorum animos ita confirmans, vt grauis non sit eis futura calamitas.* Ita enim omnino necesse est eum facere,cū sit misericors,& miserator,& iustus. c

*5 Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio *quia in æternum non commouebitur.*

5 Amabilis est & gratus Deo atque hominibus, is qui misericordia mouetur erga pauperes, & ex misericordiæ affectu mutuo dat indigentibus: qui deinde etiam iudicium misericordiæ coniunxerit,ita vt omnia sua verba, rationesque ac negocia dispenset cum iudicio & discretione,nec aliquid temere vel dicat,vel agat:*Is etenim non mouebitur vnquam

vnquam suo loco,*nam & in præsentis sæculi malis impiorumque insidiis Deo ipsum seruante fixus persistet,& post hanc vitā stabili à Deo fœlicitate donabitur.

*6 In memoria æterna erit iustus,*ab auditione mala non timebit.*

6 Huiusmodi vir iustus erit in memoria æterna,non tantum in vita, sed & post mortem celebris apud Deum & homines bonos, *cum audierit malum aliquod ingruere nihil metuet sibi.

*7 Paratum cor eius sperare in domino, confirmatum est cor eius:*non commouebitur donec despiciat inimicos suos.*

7 Cor enim eius constans est & firmum ad sperandum in Domino, pérque spem eam cor eius stablitum est:*quare non conturbabitur timore cuiusquam,quin potius futurum est,vt tādem hostibus omnibus suis superior,quasi ex alto respiciat inimicos suos pati quæ meruerūt & quæ quiuis videre optaret in hostibus suis.

*8 Dispersit,dedit pauperibus,iustitia eius manet in sæculum sæculi,*cornu eius exaltabitur in gloria:*

8 Iustus quidem non thesaurizat nec colligit immodicas diuitias,sed in modum seminantis dispergit eas,liberaliterque expendit,non in voluptates suas,sed in pauperū vsus.Verùm quamuis pecuniæ sic distributæ & dispersæ amittantur ei,& minuantur,iustitia tamen eius permanet in æternum, perpetuam laudem apud homines,& mercedē apud Deum obtinens,*ipse etenim gloriosè admodum sublimabitur, ac potestas illius augebitur assiduè cum gloria. d

*9 Peccator videbit & irascetur:dentibus suis fremet & tabescet:*desideriū peccatorum peribit.*

9 Impius videre cogetur hanc iusti exaltationem, atque ob eam indignabitur,cùmque ore suo obstructo nihil iam habebit quod contrà iustum loqui vel audeat,vel possit,dentibus suis præ ira & inuidia fremet & contabescet,suiipsius affectus carnifex sæuissimus:* frustrabuntur enim desiderio suo impij, iustorum optantes interitum & humiliationem.Atque hæc quidem,quam dixi,iusti exaltatio cum impiorum confusiione & inuidia frequenter etiam in hoc mūdo obtingit, semper autem in fuculo sæcnio.

ANNOTATIONES.

a IN MANDATIS,&c.]Hæc pars duobus modis superiori coniungi potest,scilicet vt aut explicet quis sit qui timet Dominū,sicut indicat paraphrasis,vt repetatur relatiuum,qui. Aut vt significetur primus fructus timoris Domini,videlicet quod per eum homo multum amat Dei mandata, vt sit sensus:Talis imprimis in mandatis Dei gaudebit & delectabitur,vt intelligit Euthymius.

b MISERICORS,&c.]Et hęc quoque pars dupliciter accipi potest,nimirum vt cum superiori cohæreat,& significetur ipsemet Dominus misericors & iustus esse lumen rectis corde. Aut vt per se & seorsum accipiatur,& causam significet præcedētis partis,sicut in paraphrasi indicatur.

c DISPONET,&c.]Legendum est per futurum,disponet,nam & Hebræa futurum habent, & Gręca οἰκονομήσει,dispensabit.Porro pro, sermones: dictio Hebraica etiam facta nonnunquam significat, & omnia negotia,vnde & verbum per factum nonnunquam in scripturis exponi debet. Similiter & Græca dictio λόγος non sermonem, sed rationem ac negotium significat.

d DONEC, &c.] Verbum, despiciat,non debet hic accipi pro contemnere,verbum enim, Hebraicum simpliciter videre significat,& Græcis est ἕως οὗ ἐπίδῃ ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς,hoc est,donec videat super inimicos suos.Et despicio,Latinis propriè significat ex alto videre.Est autem oratio imperfecta,& modus loquendi quo frequenter psalmista vtitur, subticens expressionem mali quod videndum est.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXII.

INuitat ad laudem Dei propheta cultores eius,asserens eum & semper & vbique laudandum,tum ob celsitudinē eius summam,tum ob eius clementiam immensam:qua cum sit summus,humilium tamen etiam rationem habet, abiectos eue hēs,sterilesque fœcundans.porro quod hic dicitur de paupere sublimato ad solium gloriæ,vt in veteri testamento adimpletum est in Dauide,Saule,& aliis:ita & in nouo testamento in Apostolis,et omnibus quoque gentibus et peccatoribus quos è peccatorū fœditate extractos subleuauit ad consortium angelorum,patriarcharum et Apostolorū.Similiter quod dicitur de sterili matre,donata à deo prole multa vt olim impletum est in Sara,Rebecca,atque Anna Samuelis matre (è cuius cantico hæc desumpta sunt)ita nunc eximio modo præstitum est gentium ecclesiæ quæ cum olim sterilis fuerit,nunc multis filiis, quos deo peperit,ac etiamnum parit,lætatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Laudate pueri dominū,laudate nomen Domini.

VOs qui estis serui Domini, eiusque cultui vos mancipastis,laudate Dominum,laudate;inquam,celebre & sanctum nomen Domini. Ps.112.

2 Sit nomen domini benedictum,ex hoc nunc & vsque in sæculum.

2 Celebretur nomen Domini laudibus ab hoc tempore vsque in perpetuum.

3 A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen domini.

3 Non enim tantum omni tempore à vobis,sed & vbique terrarum ab omnibus gentibus,quæ sunt ab oriente vsque ad occidentem,dignū est laudibus extolli nomen Domini.quemadmodum & aliquando futurum est. a

4 Ipsius

4 Excelſies ſuper omnes gẽtes dominus: & ſuper cœlos gloria eius.*

4 Ipſius enim celſitudo extendit ſe non tantum ſuper Iſraelem, ſed etiam ſuper omnes gentes,cum omnium creator ſit & dominus, nec tantum extendit ſe ſuper terram,& inhabitantes eam,*ſed & ſuper cœlos gloria maieſtatis eius eleuata eſt, cœleſtia omnia implens & ſuperans,atque angelorum dignitatem longè poſt ſe relinquens

5 Quis ſicut Dominus deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

5 Præterquam autem quod ob altiſſimam eius maieſtatem ab omnibus meritò celebrandus eſt, etiam ob admirandam eius clementiam ſummæ maieſtati coniunctam ſuſpiciendus eſt maximè. Quis eſt enim vel in diis gentium,vel in omnibus qui in cœlo ſunt,aut in terra,qui aut in potentia,aut in clementia conferendus ſit cum deo noſtro?Qui cum in altiſſimis cœlis ſuam delegerit habitationem tanquam omnium Dominus,tamen etiam quarumcunque rerum quantumuis humilium & vilium curam habet in cœlo & in terra,eoſque maximè attendit,& benigno ſuo fauore proſequitur,qui humiliter de ſe ſentiunt,ſiue in cœlo inter angelos:ſiue in terra inter homines.Neque enim ipſe potentium hominum more,aut infirmarum rerum curam faſtidit,aut ſuperbis potius & potentibus elatis delectatur,abiectos contemnens. b

6 Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.

6 Ipſe enim nonnunquam pauperem,dum quaſi in puluere & maximis ſordibus iacere videtur,è ſua paupertate,& contemptiſſimis ſordibus erigit & euehit.

7 Vt collocet eum cũ principibus,cum principibus populi ſui.

7 Ita vt ſedere eum faciat cum primoribus,cum primoribus,inquam, propoſitis populo Domini.

8 Qui habitare facit ſterilem in domo,matrem filiorum lætantem.

8 Ipſe quoque ſæpunumero facit mulierem ob ſterilitatem ſuã deſpectam & mœrentem habitare in ampla familia:ita vt ſit mater multorum filiorum,de fertilitate ſua gaudens.

ANNOTATIONES

a LAVDATE PVERI.]Nomen,pueri,nõ accipitur vt ſignificet ætate paruulos ſed malitia, hoc eſt,ſimplices & humiles.Vnde & dictio,puer, hoc loco accipi debet pro ſeruo,quomodo frequẽter & in prophanis,& in ſacris accipitur ſcripturis. Itaque Pſalmus 134.eandem ſententiam exprimit, mutato partium ordine,dum ait:Laudate nomen Domini,laudate ſerui Dominum.

b HVMILIA.&c.]Poteſt hæc pars dupliciter accipi pro diuerſa acceptione dictionis,humilia. Aut enim humilia dicũtur res humiles & viles,aut homines humiliter de ſe ſẽtientes.Atque in hac acceptione eiſdẽ pene verbis quæ hic legimus,poſtea dicitur: Excelſus Dominus,& humilia reſpicit,& alta à lõge cognoſcit.Porro Hebræa paulo diuerſum habẽt ſenſum,hunc ſcilicet:Dominus exaltat ſe ad videndum ea quę ſunt in cœlo & in terra.Secũdũ quem ſenſum explicat hic propheta Dei bonitatem relucentem in eius prouidentia,cui ſenſui prior ſenſus literæ noſtræ ſatis accedit.

MATREM,&c.]Græca paulo aliter, nempe, μητέρα ἐπὶ τέκνοις matrem ſuper vel de filiis lætantem.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI. CXI.

PRincipio canit Iſraelem ex Aegypto eductum,à Deo electum in populum ſuum,& inſignia aliquot miracula diuinæ potentiæ pro eo edita.Tum orat,vt pro antiqua illa ſua potentia & bonitate,populo ſuo propter nominis ſui gloriã dominus beneficiat, ope ſua populum vindicans à gentium contumeliis,quo liberatus populus laudes ipſi vero deo canere valeat,& manifeſtum ſit ipſum vnum eſſe deum:idola autem gentium,nihili figmenta,quorum vilitatem,& à vero deo diuerſitatem,ſimiliter & diſtinctionem,quæ eſt inter cultores veri dei,& cultores idolorum pulchrè depingit.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 In exitu Iſrael de Aegypto domus Iacob de populo barbaro.

CVm egrederetur Iſraeliticus populus de Aegypto,& poſteri Iacob relinquerent populum alienæ linguæ,Deum Deique legem non agnoſcentem: *pſ.113.* a b

2 Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius.*

2 Tunc ipſe Iudaicus populus,factus eſt populus ſanctus Dei, quem ſcilicet ſibi Deus ſanctificauerat, è prophana & barbara gente eductũ: *Tunc Iſrael factus eſt Deo populus,in quem præ cæteris nationibus peculiarius regnaret & dominaretur,poſtquam à graui Ægyptiorum tyranni de eos aſſeruerat.

*3 Mare vidit, & fugit * Iordanis conuerſus eſt retrorſum,*

3 Tum ipſum mare rubrum,quaſi præſentiam diuini numinis in Iſreale ſenſiſſet,atque ob eam perterritũ fugiſſet, mox ſectum eſt aquis hinc illinc delabentibus:*ſimiliter & Iordanis poſtea in gratiam illorum conuerſus eſt retrorſum, aquis contra naturam redeuntibus ad locum originis ſuæ,quaſi ſi fugiſſent perterritæ.

4 Montes exultauerunt vt arietes: & colles ſicut agni ouium.*

4 Simili miraculo etiam montana Sinai,cùmin ea dominus ſuamlegẽ daturus deſcendiſſet,à præſentia Dei ita tremebant & agitabantur,vt ſubſilire viderentur ſicut arietes currentes,* & colles Sinai,ſicut agni ouium exilire videbantur ob concuſſionem eorum.

6 Ve

5 Quid eſt tibi mare quod fugiſti,& tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum.

5 Verum quid accidit tibi o mare, quod fugere videbaris? tibique o Iordanis,quod receperis te retrorſum?

6 Montes exultaſtis ſicut arietes,et colles ſicut agni ouium?

6 Et vobis montibus quid quæſo fuit,quod ſubſilire viſi ſitis ſicut arietes, quodque vos colles ſicut agni laſciuientes, exilire videbamini?

7 A facie domini mota eſt terra,a facie Dei Iacob.

7 Dicam veſtro nomine quid in cauſa fuerit. Propter præſentiam domini commota & agitata fuit terra, propter præſentiam, inquam, eius Dei,quem coluit Patriarcha Iacob, & poſt eum poſteri eius colendum ſuſceperunt. Atque ob eiuſdem præſentiam & aquæ diuiſæ ſunt, vt eſt terræ ſimul & maris dominus.

8 Qui conuertit petram in ſtagna aquarũ, & rupẽ in fontes aquarum.*

8 Qui ſemel atque iterum in deſerto à naturali ſua duritie & ſiccitate lapidem ita commutauit, vt è petra effluxerint aquæ maxima copia: *& è rupe aquæ largiſſimæ eruperint.

9 Non nobis domine,non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.*

9 Simili virtutis tuæ declaratione te domine precamur, vt & nunc ab hoſtibus noſtris nos vindices, non noſtram hac in re optantes gloriam, non noſtram, inquam, optantes gloriam, * ſed vt teipſum, nomenque tuum,cui ſoli omnis gloria debetur,glorioſum facias.

10 Super miſericordia tua & veritate tua: ne quãdo dicant gẽtes,vbi eſt Deus eorum?*

10 Idque per miſericordiam nobis exhibitam,& veritatem promiſſorum tuorum erga nos ſeruatam, * ne amplius impij qui nos affligunt, exprobrando nobis cum iniuria nominis tui dicere valeant: vbi nunc eſt Deus eorum?Cum enim nulli in terris ſimulachrum tui colamus, niſi inſigni potentiæ tuæ effectu te eſſe declarauerit,clamabunt quem colimus Deum nuſquam conſiſtere.

11 Deus autem noſter in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit:*

11 Verùm illi vt volunt rideant nos, quaſi nuſquam ſit Deus noſter qui in terris nuſquam,vt idola eorum,videtur. Certum enim habemus, Deum noſtrum in cœlo peculiariter habitare tanquam vniuerſorum dominum,*& eius eſſe potentiæ,vt quicquid illi vnquam libuerit facere,fecerit.

12 Simulachra gentium, argentum & aurum: opera manuum hominum.*

12 Simulachra autem gentium, quæ pro diis colunt, nihil quàm argentum ſunt & aurum:* opera hominum manu facta, ita vt in eis nihil ſit alicuius momenti præter materiam,& ingenium artificum,res plane materiales,anima ſpirituque carẽtes,non à natura productæ ſed quod inferius eſt,mera figmenta artis humanæ, atque ob id longè ignobiliora illis à quibus coluntur.

13 Os habent, & non loquentur: oculos habent & non videbunt*

13 Itaque neque vox,neque ſenſus, neque motus illis ineſt:oris enim formam habent,verum eo loqui non poſſunt:*oculos habent, ſed tales quibus nihil videre poſſint.

14 Aures habẽt, & non audient: nares habent, & non odorabunt.*

14 Aures habent, ſed quibus nihil audiant: *nares,quibus nihil olfaciant.

15 Manus habent,et non palpabunt:pedes habẽt, et non ambulabunt: non clamabit in gutture ſuo.*

15 Manus etiam,ſed quibus palpare nequeunt:pedes,quibus incedere non valeant:*guttur,quo nullum ſonum edere poſſint.

16 Similes illis ſiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.*

16 Dignum ſane eſt vt his ſimiles fiant & qui ea faciunt,*&quotquot ſpem ſuam ponunt in eis, vt ſcilicet etiam ipſi, quaſi meri trunci,omni ſenſu homine digno ſint deſtituti:oculos habentes & aures,nec tamen quod verum eſt videntes,& audientes:ſintque & ipſi infirmi & impotẽtes,quemadmodum nullas habent vires à quibus opem expectant.

*17 Domus Iſrael ſperauit in Domino, * adiutor eorum et protector eorum eſt:*

17 Longe ſecus ſe habet Deus noſter,& hi qui colunt eum. Poſteritas enim Iacob ſpem ſuam repoſuit in domino cœli, nec fruſtra id fecit. *nam factus eſt eis adiutor & protector,opem eis ferens ad conſequendum quæ deſiderabant, eoſque veluti ſcuto quodam ab omni malorum impetu protegens.

18 Domus Aaron ſperauit in domino: adiutor eorum et protector eorum eſt.*

18 Familia Aaron ſperauit in domino,*& ipſe viciſſim factus eſt adiutor eorum & protector.

19 Qui timent dominum ſperauerunt in domino: adiutor eorum et protector eorum eſt.*

19 Atque in vniuerſum quotquot reuerenter colunt dominum,etiam qui ex gentibus Iſraeli coniuncti ſunt ſperauerunt in Domino: *& ipſe factus eorum tum adiutor ad conſequendum bonum, tũ protector ad euadendum malum.

20 Dominus memor fuit noſtri,et benedixit nobis.

20 Dominus ſemper habuit rationem noſtri,& benefecit nobis.

21 Benedixit domui Iſrael. Benedixit domui Aarõ.

21 Benefecit poſteritati Iacob,bene fecit familiæ Aaron.

22 Benedixit omnibus qui timent dominum puſillis cũ maioribus.

22 Benefecit omnibus qui reuerenter colunt eum,ſiue parui fuerint, ſiue magni:non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum.

23 Adiiciat dominus ſuper vos: ſuper vos,et ſuper filios veſtros.*

23 Opto autem, quod & futurum certò confido vt ad antiquam ſuam beneficentiam, qua hactenus vos proſecutus eſt, adiiciat etiam vt poſt hac vobis benefaciat,*vobis,inquam & filiis veſtris.

24 Benedicti vos à Domino,quifecit cœlum et terrã.

24 Vos ſitis,quibus,vt hactenus, ſemper benefaciat dominus ille,qui creauit cœlum & terram.

25 Cœlum cœli Domino

25 Inter cœlum autem & terram,quæ vtraque idem creauit hoc intereſt, quod cœlum quidem, & maxime ſupremum cœlorum omnium Domino deputatum ſit,Vt illud peculiariter cum oſtẽſione gloriæ ſuæ d

in ha

** terram autem dedit filijs hominum.*

inhabitet, ibique suos immortalitatis suæ participes faciat: terram autem dedit hominibus, vt in ea viram, quam ab Adam acceperunt, hoc est, mortalem degerent, atque in ea dominium obtinerent. quemadmodum ipse in cœlo.

*26 Non mortui laudabũt te Domine: * neque omnes qui descendunt in infernũ.*

26 In hac autem terra mortui non laudabunt te Domine: *neque omnes qui per mortem descendunt in feriorem terræ locum.

27 Sed nos qui viuimus benedicim⁹ Domino ex hoc nunc & vsque in seculum.

27 Sed nos qui viuimus vitam hanc corporalem, laudabimus dominum in hac terra, ex hoc tempore vsque in finem vitæ nostræ, & vsque in cõsummationem sæculi. Proinde tum quia terram hominibus possidendam tradidisti, tum vt sint in terra, qui nomen tuum apud viuos celebrent, ne quæso nos cultores tuos è terra impiorum violentia ante tempus tolli sinas: multo autem magis ab æterna nos morte & damnatione, in qua te nemo laudabit, præserua, atque hic quidé vita spiritus postea autem æterna tecum vita viuere dona quo & in hoc tempore, & in æternum te vt dignum est laudare possimus.

Annotationes.

a DOMVS,&c.]Dictio, domus, non nominatiui, sed genitiui casus est construenda cũ ,in exitu, id quod apertius Græca docent, οἴκου Ιακώβ.

b FACTA,&c.]Nomẽ, Iudæa, propriè significat eam terram, quam inhabitauit tribus Iuda, aut etiã totus populus Israeliticus. Proinde intelligunt quidã hanc terram factam sanctificationẽ eius, eo quod hanc terram sibi Deus sanctificauit, vt in ea nomẽ suum coleretur. Verũ Hebraica dictio magis significat ipsam tribum Iuda. Est enim hic, יְהוּדָה Iehuda, quod vertere solent Iuda. Per tribũ autẽ Iuda, hic intelligunt designari totum populum Israeliticum, vt aliquando per Ephraim & Ioseph. Alij spiritualiter intelligunt tribum Iuda factam sanctificationem Dei, quòd eam Deus sibi delegit, vt in ea regale solium cõstitueret, propterea quod vt dicunt Hebrei, hęc tribus prima ingressa sit mare rubrum.

c MONTES,&c.]Non significat hic verbũ exultare, gaudium & lætitiam, sed tantum exilitionem. Loquitur enim de mõtanis Sinai, de quorum subsilitione legitur Exodi 19. nã pro eo quod nos legimus, eratque omnis mõs terribilis valde, Hebręa habent, & omnis mõs valde tremebat vel agitabatur, & commouebatur. Dicit autem mõtes & colles, eo quod in varias partes mõs Sinai diuisus sit. Est enim in eo & mons Obreb:

d BENEDICTI,&c.]Græca & Hebræa non habẽt præpositionem à, sed per datiuum habẽt: Benedicti vos Domino, quomodo & Augustinus legit quã puto esse veriorem lectionem.

e NOS QVI &c.]Græca & Hebræa habent futurum tempus, sic enim est Græcé, εὐλογήσομεν κύριον, benedicemus Dominum.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSLAMI CXIIII.

PRæsens Psalmus carmen est gratulatorium Dauidis de ope Dei qua euasit ex angustia aliqua summa, & periculo mortis, quale inciderat cũ à Saulis exercitu cinctus esset, aut cum coram Achis se in sanii simularet. Itaque memorat angustiã in qua fuerat, suamque tunc fusam ad Deum orationem, ac mox dei opem præsentem adfuisse, ob cuius expertã bonitatẽ se addicit dilectioni Dei, studioque placendi illi. Est autem præsens Psalmus, quoad principium, similis principio Psalmi 17. quoad finem autẽ, similis fini psalmi 5.,

PARAPHRASIS EIVSDEM

1 Dilexi, quoniã exaudit Dominus vocem orationis meæ.

*2 Quia inclinauit aurem suam mihi: * & in diebus meis inuocabo.*

*3 Circunderunt me dolores mortis, * & pericula infernĩ inuenerunt me.*

*4 Tribulationem & dolorẽ inueni: * & nomen Domini inuocaui.*

*5 O Domine libera animã meam: * misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.*

*6 Custodiens paruulos Dominus, * humiliatus sum, & liberauit me*

7 Conuertere anima mea in requiem tuam,

DIlectionis affectum totum iam in Domino constitui, firmumque sed ipsum amorẽ cõcepi. eo quod exaudierit vocẽ orationis meæ *Ps. 114.*

2 Quodque se mihi ad exaudiẽdum facilem præbuit: *propter quod omnibus diebus vitæ meæ clamoribus meis recurram ad ipsum.

3 Cinxerunt enim me, totumque occupauerunt dolores mortiferi *& præsentissima pericula mortis apprehenderunt me.

4 Incideram in afflictionem & anxietatem: * sicque in summa rerũ mearũ desperatione constitutus, auxilium Domini implorabam, dicẽs:

5 Obsecro Domine libera animam meam à præsenti mortis discrimine: *Et sane ob expertam tum mox ipsius misericordiam & veritatem exclamare modo debeo, Dominum misericordem esse & iustum. Ipse enim Deus noster miseris & afflictis miseretur, quemadmodum promisit.

6 Custos est Dominus simplicium, qui posita cuncta carnis vafricie se se totos diuinæ prouidentiæ committunt, eorumque qui per se sapere non possunt. * quam enim affligeretur grauissimè, & consilij expers essem, ipse saluauit me.

6 Proinde tu, ô anima mea, quæ in periculis mortis constituta summè afflictabaris, & augustiarum procellis iactabaris, nunc recipe te à tua

** quia Dominus benefecit tibi.*

8 Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. 9 Placebo Domino in regione viuorum:

tua perturbatione, atque redi ad veterem tuam tranquillitatem, atque in ipso Deo tuo securus quiesce, *Dominus enim benefecit tibi.

8 Liberauit enim à morte animam meam, nec hoc solum sed & oculos meos a fletu pedẽsque meos à lapsu: ne leue quidem passus mihi obuenire incommodum.

9 Propter quod ego iam liberatus è regione mortuorum, inter quopene constitutus eram, studebo omnibus viribus placere Domino inter viuos, nomen eius & vita & voce apud eos sanctificans.

Annotationes

PLACEBO,&c.]Græca habent, εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου. quod dupliciter accipi potest. Primũ, vt sit sensus: Delectabor coram Domino, quomodo Euthymius interpretatur. Est enim εὐαρεστεῖν, hilariter affectum esse, placidéque se habere: Secundò, vt sit sensus, quem noster interpres vertit, nã & hoc dictio Græca significat. Porro secundum sensum magis esse prophetæ docent Hebrea, quę habẽt: ambulabo coram Domino. Est autem ambulare coram Domino Hebraica phrasi studere Domino placere. In hoc enim sensu dictũ est Abrahę: Ambula coram me, & esto perfectus. Proinde Hebraicam phrasim doctè interpres vertit, dicendo: Placebo Domino. *Genes. 17*

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXV.

PRæsens Psalmus est continuatio eorum quæ præcedens continet. Vnde & apud Hebræos in vnum cum præcedenti connectitur. Itaque præter ea quæ ob consequutam à Deo salutem superiori Psalmo promiserat, hic pro eadem se publicè persoluturũ vota sua, sacrificiaque laudis pollicetur. Non malè autem quidam hunc Psalmum in sensu mystico accipiunt, vt sit vox cuiuscunque martyris fidẽ cordis palam profitentis, seque pro beneficijs Christi etiam ad mortis & passionis calicem cum Christo gustandum exhibentis. Siquidem Paulus 2. ad Corin. 4. principiũ huius psalmi sibi applicat, omnesque qui mortem non reformidantes pro Christo susciperę, quod corde credebant, ore confitebantur. Conuenientius tamẽ accipitur in mystico sensu, vt sit vox cuiuscunque fidelis, qui pro percepta per Christum liberatione à morte, aliisque beneficijs, sacrificium gratiarum actionis se oblaturũ in ecclesia pollicetur: & speciatim illud quod in altari sub speciebus panis & vini offerendum nobis in memoriam passionis suæ, quã redempti sumus, instituit Christus: In sacra enim mensa saluti ferum illũ dominici sanguinis calicem & offerimus & accipimus, in gratiarum actionem liberationis nostræ per illum præstitæ: quemadmodum olim apud Iudæos gratulatoria conuiuia cum sacrificijs pacificorum corã Deo celebrabantur, cum solemnes Deo pro insignibus quibusdam beneficijs gratias agerent.

PARAPHRASIS EIVSDEM

2 Credidi propter quod locutus sum,

** ego autem humiliatus sum nimis.*

2 Ego dixi in excessum eo omnis homo mendax.

3 Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

4 Calicem salutaris accipiam:

** & nomen Domino inuocabo.*

*5 Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: * † pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

FIrmam quidem habui promissorum Dei fidem, certò mihi persuadens, Deum omnia circa me perfecturum, quæ per Samuelem pollicitus fuerat, atque ob id etiam confidenter de hac Dei erga me benignitate loquebar apud meos, palam id ore prædicans quod corde credidi: *Verùm post factas mihi insignes illas pollicitationis, contigit vt afligerer vehementer, & periclitarer grauissimè. *Ps. 115.*

2 Itaque tum præ nimio metu vix bene compos mentis sic apud me præcipitanti iudicio cogitaui: mendax est omnis homo. Ecce enim promiserat tibi Samuel, vt ei videbatur, ex iussu Dei regnum Israelis, iam autem peribis hic miser, priusquam vel vmbram regni consequutus sis.

3 Cum autem ex tanto periculo (quod in summam animi desperationem & diffidentiam me perduxerat) modo me Deus liberauerit, quid est quod repẽdere valeam domino pro tam multis ac variis quæ in me contulit beneficiis?

4 Sane etsi vicem rependere dignam non possim, tamen in signum gratiarum actionis, celebrans coram deo cum sacrificij oblatione gratulatorium conuiuium, accipiam manibus meis calicem salutis, hoc est quem in celebri memoria perceptæ à Deo salutis & Deo offeram, & coram ipso lætus bibam: *simulque nomen domini inuocabo, auxilium eius mihi semper adfore precaturus, quemadmodum iam adfuit.

5 Quæ vouí domino in tribulatione mea, persoluam ei in præsentia totius populi eius, *idque ob id, quod vt in meipso experientia didici, magnifica apud ipsum mors suorum qui bonitati student, adeo vt non temere eam patiatur ipsis ab impijs inferri, quin potius pro ea auertenda designet frequenter admiranda & magna. † Et si quando

Dei

Dei gloria exegerit iustos mori in Dei causa,adeo pretiosa est eorum mors coram Deo,vt non solum in præsenti sæculo eorum famam celebrem faciat,sed multo magis æterna fælicitate & vita cõpẽsẽt in cœlis.

6 O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

6 Merito itaque mihi exclamare confitendo licet:Eia mi Domine ,verè ita est quod ego sum seruus tuus.Ego,inquam,seruus tuus,nec simpliciter seruus,sed etiam verna ac natiuus tibi seruus,vt pote filius humilis ancillæ tuæ matris meæ.Talem enim me tibi haberi satis tua ope declarasti,talem & me tibi exhibere,totumque me tibi diuinctum agnoscere necesse est. e

7 Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen domini inuocabo.*

7 Dirupisti enim vincula mea,quibus necessitati mortis illigatus erã mortisque imminentis necessitati exemisti,propter quod tibi offeram sacrificium laudis,*nec desinam vnquam auxiliũ Domini implorare in omni mea necessitate ad ipsum fugiens. f

8 Vota mea Domino reddam in cõspectu omnis populi eius,in atriis domus Domini in medio tui Hierusalem.

8 Vota mea Domino persoluam palam in præsentia totius populi eius,in atriis domus Domini,intra te ô Hierusalem,in qua locum Deus delegit vnicè.

ANNOTATIONES.

a CREDIDI,&c.]Pro eo quod habemus,propter quod & Græci habẽt διὸ, & Hebræi habẽt dictionem, כי ki, quę propriè significat quoniã,vel quia.Vnde Hebræi intelligunt sensum esse:Credidi quia vel quod loquar.Septuaginta tamen eã dictionẽ verterũt per διὸ, id est ,propter quod,quod & Paulus secutus est:sæpe enim sic dictio hęc apud Hebræos accipitur.Vnde Campensis Psalmo 101. quod nos legimus:quia cinerem tanquam panem mãducabã paraphrasticè reddit:Quare cibus meus nõ sapuit magis mihi,quàm si cinerem cõmedissẽ. Idem alibi similiter.Caietanus intelligit dictionẽ, quia,præconstruendamante verbum,credidi,vt sit sensus:quia credidi locutus sum , ad quem modũ ordinat & versum primum præcedẽtis Psalmi: quoniã dilexi,ideo exaudiet,&c.

b EGO,&c.]Dupliciter hic versus intelligitur.Primo,vt intelligatur Dauid dixisse omnem hominẽ esse mendacem,ad reprimendam propriam diffidẽtiã,vt sit sensus:cùm essem in magna trepidatione constitutus:& vix apud me essem,iamque diffidentiæ cogitationem caro suggereret,dixi apud me: õnis quidem homo mẽtiri potest: verùm Deus,qui mihi regnum promisit, nequaquã mentiri potest. Proinde ô anima mea persiste in priore tua fiducia: Et videri potest hunc locum sic Paulũ intellexisse eo quod ad Rom.3.citans hinc illud.omnis homo mendax,adiecit,Deus autem verax.Secũdo,intelligitur hic locus ,vt eo significet Propheta cogitationes diffidentiæ,quam passus erat in sua angustia, atque hic sẽsus magis videtur esse Prophetę,magisque conuenit cum eo loco Psal 30. Ego dixi in excessu mentis meæ,proiectus sum à facie oculorum tuorum.Porro nomen,excessus,& hoc loco & illo nõ accipi pro laudabili illa mentis extasi(qua mẽs à terrenis abstracta subleuatur ad diuinorum contemplationem)Hebræa dictio apertè docet,quę festinationem propriè & trepidationem significat. Sed & Græca dictio ἔκστασις propriè stuporem & alienationem illam significat,quę ex nimio timore vel gaudio accidit:quanquam & pro laudabili illa alienatione Dionysius vsurpet.

c CALICEM,&c.]Per calicem salutis,ad literã intelligitur poculũ,quod in cõuiuio gratulatorio coram Deo apud Iudæos bibi cum lętitia solebat.Vnde patet quis huius loci sit certior sensus mysticus nempe,quod per calicem salutaris intelligi debet calix sanguinis Domini,qui in memoriam liberationis nostræ à fidelibus cum lætitia spirituali sumitur, potius quam calix passionis , quem exẽplo Christi martyres degustauerũt. Cõuiuia em̃ gratulatoria Iudæorum,typi quidã erant & vmbræ mẽsæ nostræ sacræ:noster autem calix verius dicitur calix salutis,quã Iudæorum. Illorum enim solum ob id dicebatur calix salutis , quod in memoriam salutis sumeretur : noster vero non solum quia in memoriam salutis accipitur , sed quia etiam salutis nos participes facit. Porro proverbo,accipiam,dictio Hebraica significat etiã leuare & tollere. vnde aliqui vertunt:Caliçẽ leuabo in altum scilicet,quod sensui mystico etiã optime quadrat.Itaque quod nos habemus,accipiã , rectè intelligitur,accipiam ad offerendum & sumẽdum: Alioqui non rectè videtur hic versus respõdere superiori quæstioni,qua quærebatur, Quid retribuã Domino?

d PRETIOSA,&c.]Hæc pars ferè sic intelligitur,vt mors sãctorum pretiosa dicatur apud Deum quia magnam habet remunerationẽ mors pro Deo suscepta.Verum hic sensus etsi verissimus & bene cõueniẽs sensui mystico , dum hic Psal.martyribus tribuitur,non conuenit sensui literali,sed prasi Hebraica dicitur mors sanctorum pretiosa apud Deũ quia eam tã magni facit ,vt non temere eam sinat inferri ab impijs sanctos persequentibus.Quo modo loquendi & Saul dicit Dauid, 1.Regum 26.Ne quaquam vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis , & Psal. 71. pro eo quod nos habemus:Et honorabile nomen eorum corã illo:Hebræi habent , Et pretiosus sanguis eorum coram illo.Atque hic quidem sensus optime conuenit sensui mystico,secundum quem per calicẽ salutis intelligitur calix sanguinis Domini: Hic enim cum gratiarum actione offerri & sumi debet eo quod mors omnium sanctorum & electorum Dei tanti habita sit ab eo,vt pro ea auertenda filium suum vnigenitum in hunc mundum miserit, & pro nobis in cruce mori voluerit.Quemamodũ mortem corporalẽ Dauidis tanti fecerat Deus vt ne illam Dauid incideret,Phylistæos irruere fecerit in terrã Iudaicam,quo vel sic à Dauide obsesso Saul recedere cogeretur.

e O DOMINE,&c.]Pro dictioe , ô ,apud Hebræos est , אנא anna, quæ hoc loco non est obsecrantis interiectio,vt superiori Psalmo,sed confitẽtis, vel secundum aliquos,amantis, vt respondeat nostræ interiectioni,amabo.Vnde habet Campensis :Merito te amo benignissime Domine. coniunctio autem,quia,accipi debet quoad sensum superfluẽre. quemadmodum & in Psalmo. 117. cum dicitur, in nomine Domini , quia vltus sum in eos.

nv

vnde Græca nec hic,nec ibi hanc coniunctionẽ habent.Aut accipienda est,vt sit particula affirmãdi, nisi quis velit hunc versum coniungere cũ sequenti,hoc modo : quia ego sum seruus, ideo dirupisti vincula mea.

f NOMEN DOMINI INVOCABO.]Communiter nomen Domini inuocare accipitur , vt sit implorare à Deo opem & auxilium , nam gratiarũ actioni ob accepta beneficia , iungenda est oratio pro accipiendis. Hebræa tamen dictio non solum verti potest per inuocare,sed etiam per prædicare, vt significet Propheta,se prædicaturũ nomen Domini,quod magis conuenit his,quibus in isto Psalmo iungitur hęc oratio:Calicem salutaris accipiã, & tibi sacrificabo hostiam laudis. Proinde magis conueniret apud nos,inuocare nomẽ Domini,accipere,pro prædicare illud,sicut accipitur in 3.versu cantici Moysi quod est Deuteron.23.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXVI.

INuitat Propheta ad laudandum Deum omnes gentes propter magnitudinem & perpetuitatem misericordiæ,& veritatis eius erga suos.In eo autem q, non tantum Iudæos,sed & omnes populos ad communem Dei laudem uocat,uaticinatus est ad uniuersas gentes salutem à Iudæis peruenturam.Vnde & Paulus ad probandum gentes quoque per Christum fuisse Deo adducendas,citauit huius Psalmi testimonium ad Rom. 15.Proinde non tantum loquitur Propheta de misericordia & ueritate Dei Iudæis exhibita,sed multo magis de ea quæ per Christũ tum erat toti humano generi exhibẽda:quæ cũ auctior sit quàm quæ ueteri populo præstita fuit,& omnibus sit gentibus cõmunis,omnibus item laudãdi Deũ iustissima est materia.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi,*

*2 Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: *& veritas domini manet in æternum.*

VNiuersæ gentes,abiecto idolorum cultu nobiscum laudate Dominum:*laudibus extollite eum quotquot vsquam estis populi. *ps. 116. a*

2 Illius enim misericordia admodũ fortis & valida facta est super nos, effusa super nos valde liberaliter,& ita super nos cõstabilita,vt nunquã sit auferenda à nobis:*sed & illius in præstandis promissis veracitas duratura est perpetuò.Ob hanc igitur ipsius in nos populum eius copiosè effusam & confirmatam benignitatem omnino & decens & expediens omnibus vobis gentibus,vt idolis reiectis,vnum nobiscum Deum laudetis multò autem magis ob eam benignitatem,quam nouissimis diebus per Messiam longè copiosius totí humano generi exhibebit , dum illius bonitas à nobis Iudæis ad omnes dimanabit:quæ vt omnibus erit gentibus communis:Ita & omnibus iustior laudandi eum occasio.

ANNOTATIO.

a CONFIRMATA EST MISERICORDIA EIVS SVPER NOS.] Dupliciter accipi potest quod dicitur misericordia Dei confirmata,nunc quia stabilita est,siue qa fortis facta est, hoc est,prævalida & magna Atq; hunc posteriorẽ sensum magis Hebræa exigunt:similiter & Græca,quæ habent ἐβεβαιώθη , hoc est confortata est. Porro pronomen nos,ad literã demõstrare videtur Iudæos:quemadmodum enim in Psalmo 97.& 95. ob salutem Iudaico populo præstitã omnes gentes ad laudem Dei inuitantur,vt Dei bonitate in eum populum conspecta,relictis idolis ad veri Dei cultum conuerterentur,ita & hic. Verùm quoniã benignitas illa Dei,quam exhibuit sub Dauidę veteri populo , vmbra quædam erat illius misericordiæ quæ sub Christo exhibenda erat toti humano generi,nihil dubium quin ad illam potissimum Propheta respexerit in his Psalmis,& ob id omnes gẽtes ad laudem Dei inuitarit,vaticinans omnes gentes Deum aliquando agnituras & laudaturas.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXVII.

PRæsentem Psalmũ Propheta cecinit,uel cùm ab uniuerso Israele inauguratus est in Hebron:uel cùm solemni illa pompa arcam fœderis in montem Sion introduxit,celebrem enim fuisse diem,ac maximam populi frequentiam cum cantatus est,ipsa Psalmi uerba abunde testantur.Fuisse autem diem illum,quo arca in Sion introducebatur,ex eo uidetur , quod dicitur de ingressu per portas iustitiæ,& de die solemni cum sacrificiorum oblatione celebrando. Continet autem hic hymnus,usque ad uersum uicesimum primum,gratulationem Dauidis,qua defunctus iam omnibus malis suis,& in regem totius Israelis euectus publicè Dei in se bonitatẽ magno æstudio celebrauit :& ad prædicandũ Deũ alios inuitauit:tũ sequentibus quatuor uersibus complectitur applausum populi de regno Dauidis,atque acclamationem,qua regi suo populus acclamabat bene ei precatus: Deinde uerò duobus uersibus sequentibus sacerdotum uocem populo bene precantium,& ad celebrandum solemnitatem adhortantium:Postremis autem tribus rursus Dauidis gratiarum actionem & ad laudandum Deum inuitationem,à qua cœperat.Porro in his omnibus Dauid Christi imaginem gessit, propter quod ex instinctu certè spiritus sancti eadem acclamatione illa,qua Dauidi populum acclamasse hic canitur,à populo acclamatum est Christo , tanquam regi suo,cùm Hierusalem astans instdens,solemni pompa introduceretur.Et Christus ipse,de se apud Iudæos dictum interpretatur illud: Lapidem quem reprobauerunt, &c. Matth.22. Marci 12. Lucæ 20.Similiter & Petrus Actuum 4.& secundo capite epistolæ suæ primæ.Paulus quoque ad Ephesios 2.dum Christum summum angularem lapidem appellat. Sed & ante hos omnes Isaias ipse de Messia præcipuò dictum esse,quod hic dicitur de lapide facto in caput anguli,ostendit satis caput 28.uocans eum lapidem angularem. Proinde secundum mysticum sensum psalmus iste,uox est patris Christi iam Eph 2.

resuscitati à morte,& in regnum sublati,atque ob id Deo patri gratias agentis:partim fidelium, Christi regno congratulantium,cui quædam huius Psalmi longe uerius cõpetunt quàm Dauidi,ut est illud. Non moriar,sed uiuam. Qui ueluti angularis lapis in unam Ecclesiam coniunxit Iudæos & Gẽtes,quemadmodum per Dauidem Regem decem tribus diuisæ à tribus Iuda,eidem coniunctæ sunt ut iam esset populus unius regni.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Confitemini domini quoniã bonus,
**quoniam in sæculum misericordia eius.*
2 Dicat nunc domus Israel quoniam bonus:
**quoniam in sæculum misericordia eius.*
*3 Dicat nũc Aaron:*quoniam in sæculum misericordia eius.*
4 Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia eius.*
5 De tribulatione inuocaui Dominum:
** & exaudiuit me in latitudine dominus.*
6 Dominus mihi adiutor,
**non timebo quid faciat mihi homo.*
7 Dominus mihi adiutor
** & ego despiciam inimicos meos.*
8 Bonum est confidere in domino,quam confidere in homine.
9 Bonum est sperare in Domino,quàm sperare in principibus.
10 Omnes gentes circuierunt me: & in nomine domini quia ultus sum in eos.*
11 Circundantes circũdederunt me, & in nomine domini quia ultus sum in eos.*
12 Circundederunt me sicut apes:& exarserũt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini qui ultus sum in eos.*
13 Impulsus eversus sum ut caderem, & dominus suscepit me.*
14 Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.*
15 Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorũ.
16 Dextera Domini fecit uirtutẽ,dextera Domini exaltauit me,dextera Domini fecit uirtutem.
17 Non moriar, sed uiuam
** & narrabo opera Domini.*
18 Castigans castigauit me Dominus,& morti non tradidit me.*
*19 Aperite mihi portas iustitiæ,ingressus in eas confitebor domino.*hæc porta domini,iusti intrabunt in eam.*

Laudate Dominum quoniã benignus est:& perpetuò duratura est misericordia eius. Ps.117.

2 Fateatur nunc Israeliticus populus quod bonus sit,* quódque perpetuò perdurat misericordia eius.

3 Fateatur & familia Aaron,*quòd perpetuò duratura sit misericordia eius.

4 Sed & quotquot reuerentur Dominum,etiamsi ex gentibus sint,prędicent nunc ex animo perpetuam fore misericordiam eius.

5 Ita enim ab omnibus modò Dei bonitatem prædicari decens est, nã cum tribularer,& tribulatio mentem atque corpus in arctum cõclusisset,imploraui auxilium Domini:*próq; sua benignitate Dominus exaudiuit me,perducens me ex angustia illa mẽtis ac corporis ad latitudinẽ & libertatem mentis & corporis.

6 Dominus declarauit se mihi adiutorẽ esse,mihíq; certissimè persuasum est ipsum adesse mihi semper:*quare non timebo quicquid moliatur aduersus me homo quiuis,qui quantuscunque sit,tamẽ,quia homo,Deo longe est inferior,sine cuius nutu nihil potest homo quicunque.

7 Dominus stat pro me:*quare nihil dubito quin omnibus inimicis meis superior factus,quasi ex alto respiciã eos ea pati quæ promeruerunt.

8 Sane melius est confidere in domino, quàm confidere in homine quouis.

9 Melius est,consultius,& tutius,spem suam collocare in Domino,quã fidere vlli principũ,cùm etiamnibus etiam principibus Dominus sit potentior,benignior & iustior.

10 Ecce enim gentes variæ circundederunt me,comprehẽdere me, & perdere conantes:*ego autem per auxilium Domini inuocatum vltionem sumpsi de eis. a

11 Diligentissimè circumcinxerant me,verùm per auxilium Domini vindictam exercui in eos.

12 Circundederunt me tã copiosi mordaces & infesti,quàm solent esse examina apum:& effrænata ira exarserunt contra me, quemadmodum ignis grassans in spinis cum ingenti fragore,& inextinguibili rapacitate:*ego verò non quidem mea,sed Domini virtute meipsum de illis vindicaui.

13 Impulsus ab hostibus meis conuersus sum ad casum,parúmque abfuit,quin caderem:*verùm Dominus adiuuit me,sustentans me ne caderem.

14 Proinde agnosco illum esse robur meum,per quẽ & iam prævalui,& in posterum prævalebo hostibus meis.Ipse est quem semper canam:* propterea quòd factus sit mihi author salutis meæ.

15 Neque ego tantum illum canam,sed & in ædibus iustorum communis Dei in me bonitatem spectantium audietur vox exultationis,& pro adepta salute gratulationis,ita vt dicant lætantes.

16 Omnipotentia Domini fortia designauit.Et sane ita est.Omnipoten b
tia enim Domini exaltauit me,eripiens me ab omnibus malis,& in gloriam regni euehens,omnipotentia Domini fortiter in me operata est.

17 Non incidam mortem ab hostibus meis optatam & intentam,sed viuam,*viuensq; apud viuẽtes memorabo opera Domini,propter quod solum vita hæc & ducenda est & optanda.

18 Castigatione seria castigauit me Dominus,in graues me sinens incidere afflictiones:*verùm morti non tradidit me,paterna tantũ clementia in salutem meam aduersa immittens.

19 Itaque aperite mihi portas iustitiæ,& ego ingressus eas in tẽplo Domini laudabo Dominum:* hæc porta,de qua loquor,Domini est,iusti ingredientur per eam ad conspectum Domini.

20 Gratias tibi agam Domine,sempérq; te laudabo, quoniam exaudisti me,& factus es saluator meus.

VOX POPVLI.

21 Is qui fuerat quasi lapis quem repudiauerunt ædificantes,veluti c

20 Confitebor tibi quoniam exaudisti me.& factus es mihi in salutem. 21 Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli.

Nulli

nulli ædificij loco idoneum,mox præter omnium expectationem, mirabili rerum mutatione non solum assumptus est in ædificiũ,sed factus etiam caput anguli,primũ & insigniorem ædificij locũ obtinens,ac velut duos in se parietes cõtinens.Rex enim noster,qui à principibus populi Dei velut maleficus,& ob id indignus consortio populi sancti reiectus fuerat,ecce iam non solum in populum Dei receptus est,sed illius etiam caput effectus,ac velut angularis lapis,duos populos prius dissidentes in vnum componens,atque in se continens.

22 A Domino factum est istud,& est mirabile in oculis nostris.*
22 Et certè nequaquam fortuitò hæc res accidit,neque humanum est istud opus,sed facta est hæc res diuina virtute & voluntate,*& est mirificè mirabilis in oculis nostris.

*23 Hæc est dies quam fecit Dominus:*exultemus & lætemur in ea.*
23 Hic est ille dies,quẽ singulariter Deus fecit,eo q̃ singularia in ipso fecit,& singulariter suam in nos benignitatẽ declarauit:*proinde exultemus corpore,& lætemur animo in ipso.

24 O Domine saluum fac: O Domine bene prosperare.
**benedictus qui uenit in nomine Domini.*
24 O Domine saluum fac regem nostrum,vt per illũ & nos salui simus. O Domine prosperum da regi,& per eum etiam nobis successum,fœlices nos cum ipso & per ipsum reddens.Benefiat à Domino regi nostro, atque ab omnibus benedicatur & laudetur,qui à Domino missus venit ad nos in salutem nostram.

VOX SACERDOTIS.

*25 Benediximus uobis de domo Domini: *Deus dominus & illuxit nobis.*
25 Bene precamur vobis de domo Domini fœlicésque iudicamus, & quidem meritò.*Dominus enim noster quem colimus,ipse verus & solus est Deus,& nunc fugatis omnibus malorum tenebris,suo fauore ac benignitate veluti luce quadã gratissima nos perfudit & recreauit,atq; sub hoc nouo rege nostro suam benignitatem nobis aperire cœpit, cũ prius quasi iratus vultum suum à nobis auertisset.

26 Constituite diem solẽnem in condensis usque ad cornu altaris.
26 Proinde celebrate solennem festiuitatem,disponentes condẽsos arborum ramos,& eis templum ornãtes vsq; ad cornu altaris, lætitiámq; vestram de Dei in nos benignitate cõceptam externis etiam signis declarate.

VOX REGIS.

27 Deus meus es tu,& confitebor tibi, Deus meus es tu & exaltabo te.*
27 O Domine,tu es Deus meus,à quo totus pendeo, quémq; vnicè colo,quare cum gratiarum actione laudabo te:*Deus,inquam ,meus es, atque ob id laudibus te semper extollam.

28 Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.*
28 Laudabo te,eo q̃ me in tribulatione clamantem ad te, exaudieris,* & factus sis mihi saluator.

*29 Confitemini Domino quoniam bonus, * quoniam in sæculũ misericordia eius.*
29 Sed & vos omnes mecum celebrate Dominum, quoniam benignus est.*atque in perpetuum duratura est benignitas eius.

ANNOTATIONES.

a QVIA VLTVS SVM IN EOS.]Coniunctionẽ,quia in his tribus versibus non habẽt Græca,nec Augustini lectio.Habẽt tamen Hebręa, sed quidam eam superfluere putãt, aut esse positã pro aduerbio,certè.Alij orationem esse putãt ecliptitam,perficiendam in hunc modum:In nomine Domini factum est,quod vltus sum me de eis.

b DEXTERA DOMINI FECIT,&c.] Prima huius versus pars referri potest ad præcedentẽ, vt sit vox illa iustorum,de qua illo versu dicitur:nã & in Hebręo hæc pars cum præcedẽti in vnũ versum coniungitur,& tunc quod sequitur accipiẽdum vt sit vox regis confirmantis iustorum vocem. Aut totus hic versus accipiẽdus est,vt sit vox regis,vt nulla vox iustorum exprimatur.In Hebræo tamẽ etiã id quod sequitur: dextera Domini exaltauit me, &c.vox adhuc est iustorum.Habẽt autem Hebręa hoc modo:Dextera Domini excelsa,dextera Domini fecit virtutem.

APERITE MIHI PORTAS.] Per portas iustitiæ,& per portam Domini,idẽ hic intelligitur, quod in Psal.23.dum dicitur:Attollite portas, &c. Proinde ad literam intelligitur porta templi , quæ ob id iustitiæ dicitur, quod per eam nemo dignus esset ingredi,nisi qui iustitiæ studeret,quemadmodum illo dicitur Psalmo:Quis ascendit in mõtem Domini?Innocens manibus & mundo corde.Secũdum mysticum autem sensum intelligitur ingressus in cœlum,quod prius clausum Christus angelos alloquens sibi aperiri iubet.Dicitur autẽ rectè porta iustitiæ & porta Domini,quod in cœlum ad conspectum Domini nemo pertinget,nisi iustus.

LAPIDEM QVEM REPROBAVERVNT, c &c.]Lapis iste factus in caput anguli,hoc est, factꝰ caput anguli, ad literam Dauid est , sed quatenus Christi typũ gessit,Dauid enim 10.tribus Israel diuisas à tribu Iuda in vnũ populũ suo regno cõiunxit in figuram eius,q̃ gentes Iudæis in vnam fidem & ecclesiã esset coadunaturus.Per decẽ em̃ tribus, quæ Israel dicũtur,frequenter apud prophetas gẽtes significantur:per tribum autẽ Iuda populus Iudaicus,quemadmodũ videre licet in Osee,& similiter Ezechielis cap.37.vbi gẽtium significatarum per Israelem,& Iudęorũ,qui significãtur ibi nomine Iudæ,coadunatio futura prophetatur per Christum vẽturum,qui ibi significatur nomine Dauid: idq̃e sub visione duorum lignorum,quę in vnum coniungebantur,nõ sine magno crucis Dominicæ mysterio,vt apparet.Hoc autẽ quod est esse caput anguli,longè verius & perfectius Christo cõuenit, quã Dauidi: sicut omnia quæ sunt in vmbra,perfectius est inuenire in ipso corpore.Dauid enim tantùm caput fuit duodecim tribuũ,quę in vnius regni populum sub eo coadunatæ sunt:Christus au-

tem caput omnium nationum terræ, quas in vnũ coniunxit, neque homines tantũ inter se coaduna uit, sed & homines cum angelis in vnam coniũxit domum. Et hic quidem parietes in vnum cõtinet, & coniunxit nunquã diſſoluendos: tribus autẽ illę quæ ſub Dauide counitæ ſunt, poſt paucos annos ſub Roboam rurſum diuiſæ ſunt. Sic Chriſtus lon gè verius lapis dicitur, & lapis reiectus ab ædificantibus, quàm Dauid.

d A DOMINO FACTVM EST ISTVD.] Græci habent genus fœmininũ, παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη καὶ ἔστι θαυμαστὴ, A Domino facta eſt illa. Vnde putant plerique, maximè Græci, pronomẽ αὕτη, referendum ad caput vel ad angulum, nam vtrumq; nomen Græcis eſt fœminini generis. Eſt quidem & apud Hebræos genus fœmininum, ſed quod ſatis conſtat, omnibus etiam conſentientibus, debere accipi ſubſtantiuè, pro idiomate linguę. Nam cum ea lingua non habeat genus neutrum, ponitur genus fœmininum apud eos ſubſtantiuè, quemadmodũ apud nos & Græcos genus neutrum. Proinde ſi velimus Græca reducere ad ſenſum linguæ originalis, oportet pronomen αὕτη, & nomen θαυμαστὴ, acci pi more Hebraico ſubſtantiuè, ac ſi eſſent poſita in neutro genere, vt & aliàs ſæpe fit, vt illo loco: Vnã petij à Domino, hanc requiram. Itaque rectè vertit noſter interpres, iſtud, & mirabile, quæ non ad caput ſunt referenda, ſed ſubſtantiuè accipiẽda, vt ad totum præcedens referantur.

e HÆC EST DIES, &c.] Vt intelligatur quomodo hãc diẽ ſingulariter dicatur feciſſe Deus, qui omnes fecit dies, notandũ in nomine diei non tantum includi menſuram ipſam tẽporis, ſed & quali tates tẽporis, & conditiones tẽpori accidẽtes, vt pa tet dum dicimus diem lætam aut triſtem, calidam aut frigidam. Itaq; hanc diem ſingulariter dicitur Deus feciſſe, propter ſingularia ſua beneficia quæ dies illa attulit. Eſt autem dies hæc ad literam qui dem tempus illud quo Dauid regnabat: ſecundum ſpiritũ verò dies reſurrectionis Dominicæ, aut to tum potius hoc tempus gratię, quod Paulus vocat diem ſalutis. Valentia aũt indicat & alium ſenſum ſubtiliorem quo intelligi poteſt quod dicitur Do minus feciſſe hunc diem, vt intelligatur ſignificari diem hanc non eſſe diem communẽ, quem ſol corporalis ſuo ortu facit, ſed diẽ ſpiritualem, quã Do minus ſuo aduentu in mundum fecit, fugatis tene bris ignorantiæ & omnium malorum.

O DOMINE SALVVM FAC.] Pronomẽ, me, f
non habent nec Hebręa, nec Græca, nec Pſalterij Gallicani codices emendati, & omnino obeſt ſen ſui, eſt enim vox populi precãtis ſalutem regi ſuo, quomodo & Chriſto acclamabat populus: Oſan na filio Dauid, id eſt, ſalutẽ adfer filio Dauid. Pro ſaluum fac autem Hebręa habẽt הוֹשִׁיעָה הוֹשִׁיעָא Hoſia na, quod non ſolum ſonat, ſaluum fac: ſed ſaluũ fac nunc. Adiectitia enim illa ſyllaba אָ, ſignificat nunc tandem. Sic & Græca non ſolũ habent σῶσον, ſalua: ſed σῶσον δή, ſalua nunc tandem, quæ adiectio non caret magna emphaſi.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXVIII.

PRæſenti Pſalmo uir ſanctus conſiderans fœlicitatem eorum qui uiuunt ſecundum legem Dei, authoritatem item Domini præcipientis eam ſummo ſtudio ſeruari, atque hoc ipſum ſupra uires ſuas eſſe, tota animi intentione precatur Dei gratia doceri, & perficere legem ipſius, multùm ac ſæpe ab æquitate illam commendans, ſuumq; erga illam amorem & ſtudium, atque ob illius tranſgreſſores mœrorem commemorans. Simul autem etiam precatur ſecundum promiſſionẽ Dei, quã lex eius continet, liberari ab impijs ſe perſequentibus. Atque hac etiam cauſa tam ſtudioſe & narrat ſuum erga legẽ Dei affectum, & oprat Dei gratia in legis obſeruatione conſtanter perſiſtere, perſuaſum habens ei qui legis Dei ſtudioſus eſt nemineꝫ nocere poſſe, quemadmodum hoc ipſum lex Dei ſuis cultoribus promiſit. Compoſitus eſt autem hic Pſalmus iuxta ordinem literarum Alphabeti Hebraici, quæ ſunt 22. ita vt octo ſemper uerſus ab uno incipiãt elemento, quod quidẽ aliqui ornatus & inuandæ memoriæ gratia factum putant: alij uerò certum aliquod in eo intelligunt myſterium. Noſcendum autem decem eſſe dictiones idem pene ſignificantes, quarum ſaltem una in ſingulis pene uerſibus occurrit, quæ ſunt lex, mandata, teſtimonia, iuſtificationes, uia, ſenata, iudicia, ſermones, eloquia, uerba. Verum quatuor poſteriora, etſi hic plerunque pro præceptis Dei accipiantur, quandoque tamen etiam aliter hic accipiũtur. Iudicia ſcilicet pro iuſtis Dei factis, quibus ſuos adſerit, & hoſtes eorum reprimit, omnium ſe iudicem declarans. Sermones autem, eloquia & uerba pro Dei promiſſis, quibus ſuis ſe affuturum in lege ſua pollicitus eſt. Et quidem quare Dei præcepta dicantur lex, mandata, ſermones, eloquia, uerba, ſatis per ſe manifeſtum eſt. Cæterum teſtimonia dicuntur, tum quia cum cõteſtatione pœnarum & præmiorum tradita ſunt, tum quia conteſtantur nobis uoluntatem Dei monſtrantis quid agendum, & quid non: iuſtificationes autem quòd obſeruantes faciant iuſtos. Via & ſemita, ſiue quia per ea ad Deum tẽditur, ſiue quia ſunt recta uiuendi ratio. Sæpe enim Hebræis uita accipitur pro uitæ inſtituto, agendiq; ratione: Iudicia uerò dicuntur, eo quòd ſint ſummæ æquitatis Dei decreta. Porro his decem dictionibus & apud Hebræos correſpondent decem. Verum pro dictione, mandata, duo ſunt nomina apud eos, מִצְוֹת & פִּקּוּדִים piccudim & miſuoth. Contrà uerò pro dictionibus illis, uerba ſermones, apud eos una eſt, נְדָבָר dauar.

Myſterium in eo quòd per literas alphabeticas hic Pſalmus compoſitus eſt, ſic explicat Ambroſius in procemio commentarij ſuper hoc Pſalmo: Quem, inquit, per ſingulas Hebræorum digeſſit literas, ut quemadmodum parulorum ingenia primis literarum elementis aſſueſcunt diſcendi uſum aſſumere, ita etiam nos huiuſcemodi elementis uſum diſcamus uiuendi. Idẽ pené & D. Hieronymus in epiſt. ad Paulam Vrbicam de interpretatione alphabeti Hebraici. Poſtquàm enim dixiſſet omnem moralem locum in hoc Pſalmo comprehendi, poſt aliqua ſubiungit: Quomodo autem in his noſtris literis non poteſt quis ad legenda uerba texendaq; procedere, niſi prius ab elementis cœperit: ita & in ſcripturis diuinis non ualemus ea quæ maiora ſunt noſſe, niſi ab ethica habuerimus exordium, ſecundum illud quod Propheta dicit: A mandatis tuis intellexi, q. uidelicet poſt opera cœperit habere ſcientiam ſcripturarum. Huic autem rationi aſtipulari uidetur, quod omnes Pſalmi ordine alphabetico compoſiti, multùm ſint morales. ut eſt uidere in Pſalmis 24. 33. 35. 110. 111. 118. 144. Quòd autem Hieronymus ibi dicit tantum Pſalmum, 110: 111. 118. 144. ordine alphabetico eſſe compoſitos, intelligi debet de pleno ordine & numero literarum, nam in aliis tribus deeſt aliqua literarum.

PARA

PARAPHRASIS EIVSDEM.

Aleph, id eſt, doctrina.

1 *Beati immaculati in uia, qui ambulãt in lege Domini.*

FOElices ſunt qui in ſua conuerſatione ſunt irreprehẽſibiles, & ſine omni macula peccati, hoc eſt, qui viuunt iuxta legem Domini. Pſ. 118.

2 *Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: * in toto corde exquirunt eum.*

2 Fœlices, qui vt innocenter viuant & conuerſentur ſecundum legem Domini, ſummo ſtudio inueſtigant præcepta Domini, quibus ſuam no bis voluntatem teſtatus eſt, *& vbi ea intellexerint, tum reliquis omnibus poſthabitis pro virili ſtudent placere illi.

3 *Non enim qui operantur iniquitatem, in uijs eius ambulauerunt.* a

3 Fœlices, inquam, dico, qui pro virili, totóq; pectore illi ſtudent placere. Qui enim adhuc aliqua in re ipiquè agũt, & qui iniquitati ſtudẽt per ficiendæ, nondum conuerſantur ſecundum eas viuendi rationes, quas ille præſcripſit, & per quas itur ad ipſum.

4 *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.*

4 Et ſanè tu Domine, tu inquam, qui ſummæ es authoritatis, & poteſta tis præcepiſti vt mandata tua à nobis cuſtodirentur ſummo ſtudio, ſum máque diligẽtia, volens ne minimum quidem mandatorum tuorũ à no bis prætermitti, vtque in eis ſeruandis non ſimus tepidi & ſegnes.

5 *Vtinã dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.*

5 Proinde dum perpendo fœlicitatem ſeruantium mandata tua, tum & tuam præcipientis ea ſeruari authoritatem, poſtremum eſſe ſuper vires meas, vt per me ea ſeruem, quæ tam accuratè ſeruari voluiſti, id vni cè opto Domine, vt abs te omnes meæ actiones dirigantur ad ſeruandum mandata tua, quæ vt ſunt in ſeipſis iuſtiſſima, ita quoq; ſeruantem coram te iuſtum faciunt. b

6 *Tunc non confundar, * cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.*

6 Scio enim me tunc non confundendum vnquam: * ſi non ſolum aliqua, ſed omnia tua mandata ob oculos mentis habuero, atq; ſecundum ea omnes meas actiones inſtituero. Tum enim nõ fruſtrabor ſpe totius vitæ meæ, ſed aſſequar optatam & expectatam ſalutem.

7 *Confitebor tibi in directione cordis, * in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.*

7 Celebrabo te corde recto & ſyncero, *propterea quod te docente di dicerim quæ ſunt æquiſſima illa decreta & ſtatuta iuſtitiæ tuæ. Neque enim pro hoc tuo dono, quod maximum eſſe agnoſco, ingratus ero, ſed ob illud continuè te laudabo, & gratias agam, idq; corde puro & recto, quo te nemo celebrare poteſt, niſi à te edoctus mandata obliquitatem cordis corrigentia & purgantia.

8 *Iuſtificationes tuas cuſtodiam, * non me derelinquas uſquequaque.* c

8 Neque verò ſolum te ob id celebrabo, ſed & ſeruabo pro viribus mãdata tua, quibus nos iuſtificas: *quod vt præſtare poſſim, quoniã ex me nequaquam poſſum, tu quæſo ne me vnquam multùm derelinquas, ne me ita penitus tua gratia deſtituas, vt in peccatum aliquod cadam mor tiferum nã vt non derelinquar aliquantulum eatenus ſcilicet vt tẽter, aut leue aliquod peccatũ cõmittã, ſcio me aſſequi in hac vita nõ poſſe.

Beth, id eſt, domus.

1 *In quo corrigit adoleſcentior uiam ſuam: * in cuſtodiẽdo ſermones tuos.*

QVa re poterit adoleſcens corrigere, & ad ſynceritatẽ perducere di centioſius vitæ ſuæ genus? *nulla certè re magis, quàm ſi diligẽter obſeruauerit verba tua, & ſecundũ ea vitam ſuã ſolicitè formare ſtude rit. Quanquam enim illi præ aliis difficile ſit vitam, moréſq, pravos cor rigere, ob carnis vim prædominantẽ, facile tamen id illi fiet, ſi verborũ tuorum attentus ſit obſeruator: quod etiam præ aliis huic ætati faciun dum eſt, eo q. leue ſit & ſimplex, quódque à prima vitæ inſtitutione to ta quæ ſequitur vita pendeat. 2

2 *In toto corde meo exquiſiui te, * ne repellas me à mãdatis tuis.* b

2 Toto pectore ſtudui placere tibi: *quare ne ſinas me errare à manda tis tuis. Scio enim Domine neminem gratia tua dignum eſſe, qui nõ to to corde, ſed ſegniter & tepidè te quærierit: ſed & illud rurſum cõfiteor non poſſe quenquam conſtãter per omnia ſeruare mandata tua, etiãſi te pro virili ſuo quærat, niſi tua ipſum gratia ſemper doceas, & in mãda tis tuis deducas.

3 *In corde meo abſcõdi eloquia tua, * ut non peccẽ tibi.*

3 Et quidẽ ita toto pectore tibi placere ſtudui, vt eloquiis, fabulíſq; ho minum poſthabitis & reiectis, eloquia tua ſanctiſſima non tantùm aut legerim, aut ab aliis audire ſtuderim: ſed & in animo meo quaſi the ſaurum optimum & pretioſum repoſuerim, volués ea ſemper in corde meo: *vt ne qua in re péccem tibi.

4 *Benedictus es Domine, * doce me iuſtificationes tuas.*

4 Dignus es Domine: qui ob tuam in omnes benignitatem benedicaris & lauderis, *pro tua ergo benignitate doce me conſtãter & perfectè iu ſtiſſima tua ſtatuta, vt & in omnibus ſciam quid agendum ſit, & tuis mo nitis in omnibus acquieſcam. Neque enim ſatis eſt ſemel edoctum eſſe mandata tua, neque humana ſufficit eruditio, niſi & tu mentem inte rius conſtãter & perpetuò doceas, & ita quę æquitatis ſunt homini per ſuadeas vt amplectatur.

5 *In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.*

5 Non ſolum autem in animo meo repoſui eloquia tua, vt dixi, ſed &

apud alios recẽsui labiis meis omnia decreta iustitiæ tuæ,quæ per tuos seruos locutus es,studens etiam alios ad obseruationem mandatorum tuorum pertrahere,nihilq; prius habens,quàm loqui de verbis tuis,nõ de fabulis ac vanis rebus huius sæculi.

6 In uia testimoniorũ tuorum delectatus sum,sicut in omnibus diuitiis.

6 Ego enim in via,quam docent mandata tua,perinde delectatus sum ac si diuitias oẽs huius sæculi possedissem:& perinde atq; is qui multis sæculi diuitiis delectatur.Noui enim per obseruationem mandatorum tuorum veriores & stabiliores obtineri diuitias,quàm sint vanę & fluxę huius mundi opes.In custodiendis namque retributio multa,imo omnis veri boni possessio æterna. *Psal.18.*

7 In mandatis tuis exercebor, & considerabo uias tuas.*

7 Proinde assidua meditatione præceptorum tuorum exercitabo animum meum:*& semitas tuas ob oculos mentis habebo semper,secundum eas omnes actiones meas moderari studens.

8 In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.*

8 De iustissimis in quam,mandatis tuis meditabor continuè:*nec obliuiscar vnquam verborum tuorum.

Gimel,id est,retributio,vel secundum Hieronymum,perfectio.

1 Retribue seruo tuo,uiuifica me, & custodiã sermones tuos.*

CVm autem Domine tibi per omnia placere studeã,tu quæso seruo tuo tribue quæ pollicitus es cultoribus tuis, hoc est secundũ promissionem tuam à malis quæ me premunt restitue & recrea, tuóq; me spiritu conforta:*id cum feceris,diligentius iam & liberius seruabo mãdata tua. a

2 Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

2 Et quoniam ad perfectè meditandũ mandata tua multũ præstãt impedimẽti mala quæ premunt,crassæ quoq; & carnales huius sæculi cogitationes,tu quæso remoue huiusmodi velamina ab oculis mẽtis meę: *quod cùm feceris,oculis iam retectis,ac tua luce illuminatis, cõsiderabo admiranda illa quæ continentur in lege tua:intelligam scilicet quàm sint admirandæ æquitatis præcepta tua,quàm magnifica prẽmia obseruantibus proposita sunt in lege tua,atque quàm abstrusa lex tua mysteria contineat. b

3 Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.*

3 Peregrinum ego me hic in terra esse agnosco,in qua nec habeo manentem locum,nec hæreditatem mihi expecto,sed aliã inquiro regionem Vnde & huc veni,& ad quam toto studio propero:*tu ergo ne celaueris me mãdata tua,sed clarè me doceas,vt per ea tuo ducatu perueniam quo tẽdo.Deprimit enim terrena hæc inhabitatio intellectum,vt per se diuina agnoscere non queat,& adeo nobis peregrinis via nostra incognita est,vt,nisi te perpetuo duce,ad terminũ peregrinationis nostræ peruenire non valeamus.

4 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

4 Ne itaque abscondas vnquam à me mãdata tua,nam quoniam agnoui me peregrinũ esse in hoc mundo,ob id anima mea valde semper desiderauit teneri desiderio iustissimorum præceptorum tuorum,non satis habens & modò ea concupiscat,sed adeo ardenter ea amans,vt cupiat ea omni tempore desiderare,nec vnquam eorũ tędio affici,sed in eis semper vnicè sese oblectari:vt per ea tandem terminum peregrinationis assequatur.Hoc aũt desiderio semper teneri cõcupiuit à te Domine,sciẽs vtiq; sine dono tuo illa se semper desiderare & amare nõ posse. c

5 Increpasti superbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.*

5 Ideo vero anima mea semper optauit præcepta tua desiderare.nã tu ab initio semper seuera vindicta vltus es contemptores legum tuarum, sese contra te erigentes,nec iugo tuo se subiicere volentes:maledicẽtur à te quotquot relictis mandatis tuis voluntariè declinant ad vana & impia. d

6 Auser à me opprobriũ & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.*

6 Pro hac ergo tua iustitia in vindicãdo superbos legũ tuarũ trãsgressores, libera me à probro & ignominia,qua mẽ afficiũt,aut afficere conãtur superbi hostes mei:*quod te facere mihi cõuenit,quia admonitiones præceptorum tuorũ ego studiosè & cognoscere & facere quæsiui. e

7 Etenim sederũt principes, & aduersum me loquebantur, seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*

7 Nam etiam potentes principes huius sæculi simul consederunt,consilium inter se ineuntes,& contra me loquebantur pariter, tractantes quomodo mihi noceant,aut quomodo perdant,*ego verò seruus tuus ne eorũ quidem improbitate aut deterritus,aut irritatus,cessaui meditari in lege tua,sed assiduè meipsum exercui in meditatione iustissimorum præceptorum tuorum,solicitè cauens ne quid etiam in eos cõmiterem,quod te offenderet.

8 Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consiliũ meum iustificationes tuæ.*

8 Admonitiones enim præceptorum tuorum sunt,circa quas assiduè versatur meditatio mea: neque simpliciter circa eas semper meditor, * sed & in omnibus agendis adhibeo in consilium iustissima præcepta tua,non agens quod agendum suadet aut caro,aut mundus,sed id solũ quod faciendum tua præcepta consulunt.

Daleth

Daleth,id est,ostium vel ianua.

1 Adhæsit pauimento anima mea: uiuifica me secundum uerbum tuum.*

ANima mea adeo humiliata est & afflicta, vt malorum premẽtium pondere terræ adhæreat,hoc est,iam propemodũ perij,morti sepulchró; proximus,*quare tu quæso pristino statui me restitue iuxta promissa tua.

2 Vias meas enuntiaui, & exaudisti me.

2 Quicquid mihi vnquam faciundũ erat,ego in oratione mea tibi exposui,tuam voluntatem inquirens,optánsq; actus meos dirigi secundũ tuum beneplacitũ,& tu pro tua benignitate semper me exaudisti suggerens quid maximè agendum actionẽsq; meas prosperans:* & nunc ergo ne derelinquas me, semper per spiritum tuum doce me iustissima præcepta tua, vt secundum ea constanter omnia mea studia dirigam.

** doce me iustificationes tuas.*

3 Viam iustificationũ tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.*

3 Fac me in omnibus semper intelligere viam quam docent mandata tua,quibus nos iustificas:*id si feceris ego in præceptis tuis,ob æquitatem nimiam,& promissorum adiunctorum magnitudinem summa admiratione dignissimis,non perfunctoriè,sed diligenter ac sedulò mecum meditabor,horũmq; meditatione animum meũ in omnibus malis consolabor. a

4 Dormitauit anima mea præ tædio, cõfirma me in uerbis tuis.*

4 Ideo autem rursum à te doceri cupio mandata tua, nã ecce præ tædio malorum quæ patior,anima mea cœpit deficere, & à pristino suo vigore ac promptitudine seruiendi tibi flaccescere:*tu ergo per verba promissionum tuarum ita cõfirma animum meum,vt alacritate resumpta in mandatis tuis firmus persistat.

5 Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei.*

5 Iniquam viuendi rationẽ longè fac à me,non sinens me vnquã eam amplecti:*& quoniam nõ est satis declinare à malo,nisi & bonum fiat, fac mecum hanc misericordiam,vt doceas me legem tuam,atque in ea deducas.Hanc enim misericordiam mecum præcipuè fieri exopto.

6 Viam ueritatis elegi,

6 Quam sanè misericordiam mihi exhibeas conuenit,nã veram rectãque viuendi rationẽ quæ ab omni sit falsitate & prauitate aliena,queq; sibi deditos non fallat,ego elegi,repudiato instituto impiorum malo, *& æquissima decreta iustitiæ tuæ nequaquam passus sum menti excidere.sed ante oculos mentis ea mihi semper proposui.

** iudicia tua non sum oblitus.*

7 Adhæsi testimoniis tuis domine, noli me confundere.*

7 Adhæsi enim admonitionibus præceptorum tuorũ domine, affectu, meditatione & opere in eis semper fixus, nec ab eis,huius mundi vel malis vel delitiis me abstrahi permittens:*ne ergo me quæso sinas vnquam pudefieri,ita vt vel in peccatũ aliquod prolabar,vel ab hostibus meis superer,frustratus spe mea quam habeo de te.

8 † Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

8 Si quando Domine torpore mentis discusso cor meum gratia spiritus tui dilatasti,amorem ac promptitudinem seruiendi tibi mẽti instillans,tum ego viam,quam docent mandata tua,non solum perambulabam,sed etiam percurrebã,strenuè & alacriter perficiens mãdata tua. †Sic & quando sublata afflictione animum coarctante,cor meum gaudio perfusum dilatasti & recreasti,iam tum ego de tua in me benignitate lætior & alacrior factus strenuè studui perficere voluntatem tuam. Proinde & modò precor vt tædio & angustia affectam animam meam, tum gratia spiritus tui,tum gaudio de salute à te accepta perfundere digneris,vt sic animo dilatato alacriter viuam secundum te. b

He,id est,ista.

1 Legem pone mihi Domine,uiam iustificationum tuarum, & exquiram eã semper.*

EAm viuendi rationem,quam docent mãdata tua iustissima,tu quæso Domine mihi pone pro lege,eámq; mihi describe in corde meo & doce:*ego autem à te edoctus,omnibus diebus vitæ meæ omni studio conabor eam seruare.

2 Da mihi intellectum, & scrutabor le gem tuam,

2 Quoniam autem frustra quis docetur,nisi intelligat quæ docentur, nec in nobis situm est,vt tuam legem & doctrinam intelligamus,nõ solum doce,sed & da mihi intelligentiam legis tuæ:ita fiet vt toto corde & exerceam meipsum in meditatione eius,* & opere ipso adimplere eam semper studeam.

** & custodiam illam in toto corde meo.*

3 Deduc me in semita mandatorũ tuorum: quia ipsam uolui.*

3 Deduc etiam me Domine in via quam monstrant mãdata tua,atq; secundum eam viuendi rationem fac me conuersari:*hãc enim ego elegi & concupiui,reiecta impietatis via.Deduc itaq; me in ea,neq; enim vt secundum legem tuam viuamus,satis est vt doceas,& simul intelligere dones,si non etiam ductor nobis efficiaris, viuere secundum te nos faciens.

4 Inclina cor meum in testimonia tua:

4 Rursum autem non nudum te mihi velim esse doctorem & ducto-

rem,sed & illud adiice,quod tuæ potentiæ & gratiæ propriũ est munus sine quo diu in lege tua persistere non licet,nempe vt tu, qui in manu tua corda hominum habes,& quocunque vis inflectis ea,cor & affectũ meum inclines ad admonitiones præceptorum tuorum,faciens me eas ex animo amare,*nec sinas cor meum inclinari ad superfluam cupiditatem rerum temporalium,omnium malorum radicem,qua ab obseruatione mandatorum tuorum homines maximè abducuntur.

& non in auaritiam.

5 Neque ab auaritia solum immunem facias,sed etiam auerte oculos mentis meæ,ne intentè videant,probéntq; magnifaciant & ament vanissimas quasq; huius sæculi res,quales sunt voluptates,honores, diuitiæ,miserè fallentes suos sectatores. Oculos quoq; corporis,omnésque sensus coerceas,& præserua ne quid percipiant huius mundi,cuius amore capiantur.* Sed & illud omnibus superioribus adde, vt abiecto omni onere sæcularium cupiditatum,in obseruatione mandatorũ tuorum alacrem & viuacem me facias,ac per eam omnibus malis exemptum vera fœlicique vita me dones.

5 Auerte oculos meos ne uideant uanitatem,

** in uia tua uiuifica me.*

6 Post hæc autem omnia,da & fructũ obseruatæ legis assequi,hoc est, per timorem & reuerentiam hominis tui,cui me totum addixi,confirma mihi seruo tuo promissa tua,præstando scilicet mihi ea quæ cultoribus tuis in lege pollicitus es. a

6 Statue seruo tuo eloquiũ tuum in timore tuo.

7 Secundum quæ promissa tua peto,vt auferas à me opprobriũ, quod mihi timui ab inimicis meis,omni studio me confundere conantibus: quod vt ita facias,iustitiæ tuæ omnino cõuenit. Sunt enim iudicia tua, quibus cunctos iustè iudicas,tuis admodum iucunda & grata ob admirationem iustitiæ & clementiæ tuæ in eis.

*7 Amputa opprobriũ meum quod suspicatus sum, *quia iudicia tua iucunda.*

8 Ecce Domine flagranti desiderio complexus sum mandata tua:* tu ergo pro tua æquitate me restitue liberatũ à malis quibus premor atq; post huius vitæ mala æternam fac consequi vitam.

*8 Ecce concupiui mandata tua,*in æquitate tua uiuifica me.*

Vaud,id est,&.

ET contingat mihi Domine misericordia tua quam promisisti cultoribus tuis:*adueniat mihi salus tua secundũ pollicitationem tuã in lege factam,simúlq; in me declara tuam & misericordiam & fidelitatem,liberando me à malis in quibus versor. a

*1 Et ueniat super me misericordia tua Domine: * salutare tuum secundum eloquium tuum.*

2 Atque hac ratione fac,vt qui modò tacere cogor,respondere possim verbum his qui nunc exprobrant mihi spem meam quam in te habeo, quasi vana sit:id quod vt mihi præstes sane conuenit,eo q; sperauerim in promissis tuis.

2 Et respondebo exprobrantibus mihi uerbum,quia speraui in sermonibus tuis.

3 Ne itaque diutius sinas ab ore meo auferri sermonem verissimum, sed per declaratam in me tuã veracitatem fac me liberè posse prædicare tuam in præstandis promissis fidelitatem:*ego enim in æquitate iudiciorum tuorum,quibus omnia iustè dispensas & moderaris,valde confisus sum,expectans ardenter ea etiam in me declarari.

3 Et ne auferas de ore meo uerbum ueritatis usquequaque,quia in iudicijs tuis speraui.*

4 Assecutus autem tuam quã peto misericordiam & salutem, non tantum prædicabo veritatem,sed etiam custodiam legem tuã,idque omnibus diebus vitæ meæ.

4 Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi.

5 Neque tantum custodiam,sed cum omni alacritate eam adimplere studebo. Liberatus enim ex hac mentis angustia,in latitudine & libertate spiritus pergã semper viuere secundũ mandata tua, *hæc enim sunt in quibus vnicè me exercere cupio.

5 Et ambulabam in latitudine:
** quia mandata tua exquisiui.*

6 Insuper etiam loquar de tuis constitutionibus,nec id solũ apud plebeos,sed & coram quamlibet potentibus huius sæculi:*idque liberrimè & constanter,atque sine vllo pudore,nullius veritus hac in re potétiam.

*6 Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, * & non confundebar.*

7 Et meditabor assiduè in mãdatis tuis,quæ semper amaui,ita vt in his meditari volupe mihi sit.

7 Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.

8 Neque meditabor solum in eis,sed & extendam manus meas ad perficiendum mandata tua quæ dilexi,opere ipso testimonium exhibens dilectionis:*& iugiter occupabor in meditatione & narratione mandatorum tuorum æquissimorum.

*8 Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi, * & exercebor in iustificationibus tuis.*

Zain.

DEclara mihi seruo tuo esse te memorem promissi tui, * in quo me spem magnam habere fecisti. a

1 Memor esto uerbi tui seruo tuo: in quo mihi spem dedisti.*

2 Hæc res,nempe quòd in promissione tua sperare me feceris consolata

2 Hæc me cõsolata est in humilitate mea.

solata est me in afflictione mea: * nam cùm malorum grauitate penè exanimarer,verbum,promissionis tuæ rursum me recreauit:& ne mœstitia extingueret,in vita conseruauit.

** quia eloquium tuum uiuificauit me.*

3 Et quidem adeo me confirmauit promissio tua,vt quamuis superbi regum tuarum contemptores valde iniquè agerent contra me irridentes meam in te fiduciam,studiúmque placendi tibi,atque studiosè persequentes me,ego ne illorum quidem irrisione aut malitia irritatus ab obseruatione legis tuæ defecerim.

3 Superbi iniquè agebant usquequaque, à lege autem tua non declinaui.

4 Atque vt ab ea non deficerem,in memoriam reuocaui iustissima illa tua iudicia quæ ab initio mundi semper fecisti cum iustis & impiis: * & per horum recordationem multum consolationis accepi in malis, quæ ab impiis pertuli.

*4 Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine, * & consolatus sum.*

5 Vt autem consolationem attulit mihi recordatio iudiciorum tuorum,ita contra præ vredine & dolore nimio mentis, defectio quædam animi frequenter inuasit me propter peccatores derelinquentes legem tuam eo quòd ex animo dolerem multum, & propriam ipsorum salutem,& tuam legem negligi ab eis.

5 Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

6 Adeo enim ardenter legem tuam dilexi,vt etiam in loco, quo exulare & peregrinari cogebar propter hostes me insequentes, atque in hoc mundo,in quo tanquam peregrinus & aduena degо,iustissima tua præcepta à me decantarentur, quæ mihi in Psalmos & cantica constituebam,vt horum oblectatione exilij atque peregrinationis meæ molestiam lenirem & condulcocarem,ad morem peregrinantium, qui ad leuandum laboris,& afflictionis suæ fastidium cantica exhilarantia per viam decantare solent.

6 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, & in loco peregrinationis meæ.

7 Neque die tantum studio legis tuæ tenebar,sed & nocte,cùm omnia maximè sunt pacata, memor fui nominis tui Domine somnum nocturnum memoria tui interrumpens,* & attentè tum considerauí legem tuam,perpendens an diebus præcedentibus eam obseruassem per omnia,& solicitus quomodo eam deinceps semper adimplerem. † Cùmq; nocturno tempore magis ad peccandum faciles esse soleant homines propter tenebras & dæmonum tentationes, ego tamen etiam tunc per memoriam nominis tui diligenter obseruaui legem tuam.*

*7 † Memor fui nocte nominis tui Domine: * & custodiui legem tuam.*

8 Istud nempe,vt mandata tua pro carminibus mihi essent, vtque memoria tui ne nocturno quidem tempore mentem meam desereret, euenit mihi:* eo quod mandata tua omni studio quæserim & cognoscere & adimplere.

*8 Hæc facta est mihi: * quia iustificationes tuas exquisiui.*

Heth,id est,vita.

CVm impij sibi partem & hæreditatem deligant in terra,ego despectis terrenis bonis te mihi in partem meam hæreditatem delegi, te vnum possidere cupiens,atque in te vno omnia mea bona reponens: a

*1 Portio mea Domine, * dixi custodire legẽ tuam.*

* quare in animo meo firmiter statui custodire legem tuam,vt per eius obseruationem te semper possidere merear quem vnicè cupio, quẽadmodum pro terrena sua hæreditate & consequenda & conseruanda omnem suum laborem impendunt impij.

2 Quemadmodum autẽ ob id quod sors mea sis & hæreditas, vni tibi placere proposui:ita quoque eadem ratione te pro liberatione ab his malis deprecatus sum,à te solo mihi cuncta expectans: deprecatus autem sum non verbis tantum, sed & toto corde meo conuersus ad te, tuúmque fauorem toto pectore precibus ambiens:* miserere ergo mei iuxta verbum tuum,quo promisisti te affuturum omnibus tibi placere studentibus,atque ex animo inuocantibus. b

*2 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. * miserere mei secundum eloquium tuum.*

3 Ego enim identidem apud me recogitaui omnes conuersationis meæ actiones,attentè discutiens num cum lege tua conuenirent,*& si quãdo qua in re deprehẽdi me aberrasse à lege tua,mox recouocaui affectus & actus meos ad mandata tua.† Similiter si quid mihi agendum esset,aut dicendum,non temerè id aggressus sum,sed prius de eo apud me cõsideraui,tum & hoc ipsum quod faciũdũ erat reduxi ad mandata tua,secũdum rectitudinem præceptorum tuorum id dirigere studens. c

*3 † Cogitaui uias meas: * & non uerti pedes meos in testimonia tua.*

4 Neque solum actiones meas reduxi ad mandata tua,sed cũ mecum cogitando aduerterem quid maximè lex tua exigeret,mox cum omni alacritate paratus fui,ac etiamnum paratus sum ad custodiẽdum mandata tua,nec hac in re turbatus sum vel difficultate operis, vel timore eorum qui iustos ac iustitiæ opera persequuntur.

4 Paratus sum & non sum turbatus vt custodiam mandata tua.

5 Nam scelerati quidem homines suis studiis & artibus veluti quibusdam funibus ad capiendum prædam expansis,circunderunt me,

5 Funes peccatorum circumplexi sunt me.

* *& legem ſuam non ſum oblitus.*

conantes me capere & perdere: * ego tamen neq; illorum violentia deterritus ſum, neque periculorum magnitudine ita turbatus ſum vt legis tuæ obliuiſcerer.

6 Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper † iudicia iuſtificationis tuæ.

6 Immo præ iugi memoria legis tuæ, etiam in mediis calamitatum tenebris, & non in die ſolum, ſed in ipſo etiam medio noctis interrumpens ſomnum & quietem, ſurgebam ad laudandum te de æquiſſimis decretis mandatorum quæ iuſtitia tua facere nobis præcepit, † deque iuſtiſſimis iudiciis illis tuis, quibus ex lege tua intellexi te omnia iuſtè moderari.

7 Particeps ego ſum omnium timentium te, et cuſtodientium mandata tua.

7 Quia autem iudiciorum tuorum perpendo æquitatem, ob id ſocius ſum omnium reuerentium te, & ex reuerentia nominis tui cuſtodientium mandata tua. Cùm his enim in timore tuo & obſeruatione legis participo: cum his beneplacitum eſt mihi amicitiam inire, cõiuere & conmumerari opto.

*8 Miſericordia tua Domine plena eſt terra, * iuſtificationes tuas doce me.*

8 Ob id igitur, tum etiam quia benignitate tua plena eſt terra, * tu quæſo pro tua benignitate doce tuo me ſpiritu iugiter mandata tua, vt in omnibus ſemper intelligam quid faciendum ſit idque tuo ſpiritu perſuadente perficiam.

Teth.

1 Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine ſecundum verbum tuum.

QVanquam Domine me multis malis afflixeris, tamen hac in re agnoſco te mecum iuxta promiſſa tua bene egiſſe, tum quòd ad vtilitatem meam caſtigaueris me, tum quòd in afflictionibus me conſolatus ſis.

2 Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me:

** quia mandatis tuis credidi.*

2 Perge itaque me tua caſtigatione à malo auocatum docere, ita vt imprimis affectu ſim benignus erga te & proximos omnes, ac inſuper ſecundum intellectum ſim inſtructus in lege tua, & ſcientiam habeam omnium agendorum. *nam mandatis tuis firmam habeo fidem, firmiſſime credens ea eſſe oracula diuina per quæ ſola ad veram ſalutem parata ſit via: quod qui nondum credit, nequaquam adhuc capax eſt doctrinæ tuæ.

3 Priuſquam humiliarer ego deliqui:
** Propterea eloquiũ tuum cuſtodiui.*

3 Dico autem te bene mecum egiſſe, immiſſis afflictionibus. Nam priuſquàm à te affligerer, ego à via recta aberraueram, * propter quod tua caſtigatione admonitus peccatorum meorum, & aduertés ea afflictionum eſſe cauſas, iam attentius & diligentius legem tuam obſeruo,

*4 Bonus es tu: * & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.*

4 Verùm quoniam mandata tua intelligere perfectè nemo per ſeſe poteſt, tu qui natura bonus es, & ſolus bonus, imo ipſa bonitas, * per tuam quæſo bonitatem doce me iugiter iuſtiſſima mandata tua, quorum obſeruatione apud te iuſtus habear.

*5 Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, *ego autẽ in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.*

5 Homines ſuperbi, qui legem tuam negligere non verentur, neque te aut homines metuunt, valde iniuſtè egerũt cõtra me, mendacia in perniciem meam concinnantes & componentes: *ego tamen nihil horum malitia commotus toto corde ſcrutabor legem tuã, cognoſcere & adimplere eam pro viribus ſtudens.

*6 Coagulatum eſt ſicut lac cor eorũ, * ego verò legẽ tuã meditatus ſum.*

6 Quemadmodũ lac natura ſua purũ ac fluidum admiſtione coaguli obduratur & coaceſcit, ita & cor eorum odij, alioríumq; vitiorum corruptione ſic induratum eſt & conſtrictum, vt neque mihi bene affici poſſint, neque legem tuam intelligere, quæ cor requirit molle, * ego vero cum voluptate meditatus ſum legem tuam.

*7 Bonum mihi quia humiliaſti me, * ut diſcam iuſtificationes tuas.*

7 Itaque vtile eſt mihi q̃ rebus aduerſis afflixeris me: *ad hoc ſcilicet vt ſtudioſius diſcerem mandata tua.

8 Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argẽti.

8 In his enim maxima conſiſtit vtilitas, nam ipſa lex, quam per os ſanctorum tuorũ nobis tradere dignatus es, vtilior mihi futura eſt, ſi à me cognoſcatur & adimpleatur, quàm auri & argenti pondo mille, cùm ea nequaquam ſaluare poſſidentem valeant.

Iob, id eſt, principium ſecundũ Hieronymũ, ſecundum Ambroſium confeſsio.

1 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me:

QVemadmodum artifex manibus ſuis opus aliquod format, formáque indita ſecundum artem fingit: ita tu omnipotentia, ſapientia ac bonitate tua, quaſi quibuſdam manibus me formaſti & finxiſti, ſecũdum corpus è limo terræ, ſingulariſque ſtudio præ aliis omnibus creaturis, velut adhibita manuum operatione condidiſti, donis & prærogatiuis ſpecialibus me exornando: * tu ergo me tuum opus, & opus tam ſtudioſè à te formatum ne deſtituas tuo magiſterio: ſed qui alia omnia quæ habeo dediſti, da etiam intelligentiam vt diſcere poſſim mandata,

* *da mihi intellectum vt diſcam mandata tua.*

tua

tua non quidem vt ſciam modo quæ ſint à te præcepta, ſed vt etiam intelligam & perſuaſus ſim in mandatis tuis, eiſque ſolis, verã fœlicémque vitam conſiſtere, eáque cæteris omnibus poſthabitis vnicè ſectanda eſſe. Hanc, inquam, da intelligentiam per tuam benignitatem, qua ſola eſſe dediſti, quo per eam intelligentiam perfectum ſit opus tuum.

*2 Qui timẽt te videbunt me, & lætabuntur: * quia ſperaui in ſermonibus tuis.*

2 Id cùm dederis tum etſi impij meam ſpem ſint irriſuri, tamen cultores tui, quibus maximè probari cupio, videntes me lætabuntur: * ob id quod me videant ſimul cum ipſis ſpem collocaſſe in promiſſionibus tuis, atque ob eas legi tuæ ſeruandæ operam dare. Iuſtorum enim charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Vel ob horum ergo promouendum gaudium & profectum, da quæſo quam poſtulaui intelligentiam. *1.Cor.13.*

3 Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua:

** & in veritate tua humiliaſti me.*

3 Quod verò attinet ad afflictiones quas immiſiſti mihi, vt reſipiſcens attentus diſcerem obſeruare mandata tua: ſcio quidem Domine quòd omnia iudicia tua, quibus agis cuncta cum omnibus, iuſtiſſima ſunt, imo ipſa æquitas: *ac proinde etiam ſcio, quòd ſine aliqua iniuſtitia, immo per ſummam æquitatem tuam afflictiones has mihi immiſeris. Neque enim immeritum flagellaſti, ſed grauiora etiam promeritũ quàm patior.

4 Fiat miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

4 Verùm ſit quæſo tandem malorum finis, & ſicut tua me afflixit iuſtitia, ita & tua miſericordia modò mecum fiat ad conſolandum me, liberatione ab his malis præſtita, iuxta promiſſionem à te factam mihi ſeruo tuo. Soles enim poſt iram & flagella miſericordiã exhibere. Huic itaque ſimul & veritati tuæ in præſtandis pollicitis magis innitor, quàm propriis meritis. b

*5 Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam, * quia lex tua meditatio mea eſt.*

5 Adueniant, inquam, mihi variæ ac multiplices miſerationes tuæ, & fac vt liberatus ab his malis reuiuiſcam exhilaratus, * ita enim vt facias mecum decet, quia lex tua eſt, in qua iugiter cum ſumma voluptate meditor.

6 Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me.
** ego autem exercebor in mandatis tuis.*

6 Fac vt ſuperbi legum tuarum contemptores pudefiant ſpe ſua de me fruſtrati, & infames fiant per tuam de eis ſumptã vltionem: promeretur enim hoc eorum malitia, quia præter omne meum meritum iniqua egerunt in me. * Id cùm feceris, ego iam liberius & diligentius occupabor in meditatione & narratione mandatorum tuorum.

7 Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua.

7 Impiis autem pudefactis, & procùl à me recedentibus, fac vt reuerentes te & cognoſcétes admonitiones præceptorum tuorum, qui iam ob impiorum perſecutionem à me elongati ſunt, ad me redeant, mihi de adepta ſalute congratulantes, téq; mecum laudantes, & in legis tuæ ſtudio ſeſe exercentes. Vel ob horum itaque gaudium & legis ſtudium promouẽdum, tum & propter hoſtium meorum iniquitatẽ & fructum confuſionis eorum, deinde & ob ſtudium legis tuæ qua nũc teneor, ſed ante omnia propter tuã miſericordiam, & in præſtandis promiſſis fidelitatem ab his malis ſaluum fac me ſeruum tuum.

8 Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis,

** vt non confundar.*

8 Verùm vt huius tuæ miſericordiæ & ſalutis, quæ à ſolido legis tuæ ſtudio pendet, particeps & nunc & ſemper eſſe poſſim, fac vt animus meus irreprehenſibilis ſit per obſeruationem mandatorum tuorum, fac vt in præceptis tuis cor meum ita candidè ſeſe habeat, vt nullius tranſgreſſione præcepti commaculetur: * adhoc vt nunquam pudore ſuffundar vel in hoc vel in futuro ſæculo, aduerſariis meis mihi præualentibus.

Caph, id eſt, manus vel curuatio.

*1 Deficit in ſalutare tuum anima mea, * & in verbum tuum ſuper ſperaui.*

ODomine dum ſalus tua, quam intenſiſſimè expecto, diutius differtur, anima mea præ vehementia deſiderij ſalutis tuæ in ſeipſa diſſoluitur & deficit, vix amplius apud ſe exiſtens. Inſigniter enim & multum ſperaui in promiſſione ſalutis tuæ mihi facta. a

2 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,

** dicentes: quando conſolaberis me?*

2 Neque tantum anima virésque interiores vehementiam deſiderij non ferentes defecerunt, ſed & oculi mei, dum intentè in cœlum reſpiciunt, expectantes à te promiſſam ſalutem, defecerunt & debilitati ſunt ad expectationem impletionis promiſſi tui: * dũ iugiter ego dicerem, immo & ipſi oculi ſuo modo clamarent: Quando tandem conſolaberis me?

3 Quia factus ſum ſicut vter in pruina.

3 Iam enim tempus eſt vt adferas conſolationem, quia præ calamitatum magnitudine & diuturnitate, præque deſiderij vehementia, iam facta eſt cutis mea ſimilis ſacco coriaceo pruina congelato & conſtricto, aut ſimo in rugas contracto & denigrato. Nam ad eum modum & ego maceratus, conſtrictus & corrugatus ſum, vilis & abiectus apud homines: * nec tamen in his malis mandatorum oblitus ſum. b

** iuſtificationes tuas non ſum oblitus.*

4 Itaque

4 *Quot sunt dies serui tui?* quando facies de persequentibus me iudicium?*

4 Itaque mi Domine quot adhuc dies reliqui sunt mihi seruo tuo quibus hæc pati cogar?* quando tandem de his qui persequuntur me iniustè,iustum supplicium sumes?Ne diutius quæso istud facere differas,tum quod seruus tuus sim,tum ob iniquitatem persequentium me, & tuam in iudicando æquitatem.

5 *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes,* sed non vt lex tua.*

5 Ecce enim iniqui narrauerunt de me apud semuicem nugacissimos sermones,falsa de me inter sese mutuo nugantes & garrientes in perniciem meam:* verum quæ fabulantur inter sese,non erant consona legi tuæ. c

6 *Omnia mandata tua veritas: * iniqui persecuti sunt me,adiuua me.*

6 Omnia enim mandata tua æquissima sunt,nihil aliud præcipientia quam quod verũ est & æquum:* illi verò vt sunt iniqui, ita iniustè persecuti sunt me: Tu itaque vel propter illorum iniquitatem adiuua me: d siue vt ab illorum persecutionibus liberer,siue vt ab eis non superer.

7 *Paulominus consummauerunt me in terra: * ego autem non dereliqui mandata tua.*

7 Pene enim consumpserunt & perdiderunt me hic in terra: * ego tamen non dereliqui mandata tua, ad extremum vsque spiritum paratus ea seruare,nec vlla vi sinens mihi ea extorqueri.

8 *Secundum misericordiã tuam viuifica me: * & custodiam testimonia oris tui.*

8 Tu itaque respectu habito tum ad illorum iustitiam,tum ad meum in lege tua pertinax studium, me ab his malis restitue iuxta misericordiam tuam:* id cùm feceris,iam diligentius & liberius seruabo admonitiones præceptorum tuorum,quæ ipse nobis tradere dignatus es per os seruorum prophetarum tuorum.

Lamed,id est,disciplina.

1 *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo.*

ECce Domine in ipsis cœlis persistit perpetuò mãdatum illud tuum, quo eos voluisti esse æternos,& in hominũ vtilitatẽ continuè volui.

2 *In generatione & generationem veritas tua,* fundasti terram & permanet.*

2 Per omnes generationes perdurat tua in præstandis promissis constantia, quemadmodum id patet in continua cœlorum reuolutione, temporũmque sibi succedentium promissa vicissitudine, similiter & in terræ stabilitate:* stabilem enim eam esse voluisti,& secundum promissionem ac iussionem tuam permanet semper.

3 *Ordinatione tua perseuerat dies:* quoniam omnia seruiunt tibi.*

3 Iuxta dispositionem tuam dies in suo cursu semper perseuerat,post noctem statuto semper tempore rediens:* omnia enim velut serui tui obediunt mandato tuo.Hanc itaque cõstantem creaturarum obedientiam aduertens æquissimũ esse iudico & nos tuis mandatis parere semper.Rursum dum in his tuam attẽdo æternitatem, potentiam & fidem, non parum in malis meis consolationis ea mihi res attulit.

4 *Nisi quod lex tua meditatio mea est:* tunc fortè periissem in humilitate mea.*

4 Ad eũdem modum etiam meditatio legis tuæ multum in afflictionibus animum confirmauit.Nisi enim assiduè meditatus fuissem in lege tua,quæ & ipsa tuam prædicat potentiam & fidelitatẽ,* tunc fortè mœrore periissem in afflictione mea grauissima.

5 *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: * quia in ipsis viuificasti me.*

5 Itaque nunquam obliuiscar mandatorum tuorum, eo quòd per eorum meditationem me recreaueris,& ne mœrore perirem, in vita cõseruaueris.

6 *Tuus sum ego, saluum me fac:* quoniam iustificationes tuas exquisiui.*

6 Tuus per omnia sum ego,qui me totum tibi dedidi, & me tibi curæ esse satis sentio:saluum itaque me fac,* quoniam mandata tua omni studio & cognoscere & facere quæsiui.

7 *Me expectauerunt peccatores ut perderent me, * testimonia tua intellexi.*

7 Impij quidem expectauerunt cupidè perdere me: * Verùm ego aduerti ad contestationes præceptorum tuorum,tum vt ex eis intelligerem quid facere contrà oporteret me,tum vt ex eis consolarer & confirmarer.

8 *Omnis consummationis uidi finem,* latum mandatum tuum nimis.*

8 Cùm autem sic considerarem testimonia tua,intellexi nihil esse tam absolutum & perfectum in hoc mundo,quod non haberet finem. * At verò mandatum tuum latissimè se extendere,eo quòd per omnia sæcula firmum permaneat,nec aliquem habeat finem,sed ad æternitatem diuinam obseruatores suos perducat.

Men,id est,in ipsis.

1 *Quomodo dilexi legem tuam Domine:* tota die meditatio mea est.*

VAlde Domine dilexi legem tuã, id quod vel hinc manifestissimũ est,* quòd tota die assiduè mea meditatio in ea versetur.

2 *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo,quia in æternũ mihi est.*

2 Nec facta est huiusmodi assidua meditatio mihi infrugifera, quoniã enim perpetuò tua præcepta mihi in animo sunt,ideo per ea prudẽtiorem me fecisti inimicis meis,qui cum legem tuam conteñant,sine qua nulla est vera sapientia,quantumuis sapientum nomen apud homines obtineant,nequaquam tamen verè sapientes dici possunt, neque suas actiones & consilia ex vtilitate & salute propria ordinare.

3 Neque

3 *Super omnes docentes me intellexi:* quia testimonia tua meditatio mea est.*

3 Neque inimicis tantum meis,sed & his qui me quondam docuerunt,parentibus & præceptoribus sapientior euasi,*propterea quòd in constitutionibus tuis assiduè meditatus sum.

4 *Super senes intellexi: * quia mandata tua quæsiui.*

4 Eos quoque qui ætate & annis longè me erant seniores, prudentia superaui * eo quod mandata tua omni studio ambigerem tum cognoscere,tum facere.Ea enim sapientia,quæ ex indefinenti meditatione & obseruatione legis tuæ per magisterium spiritus tui paratur,longè verior est & perfectior, primùm quidem eaque mille suis artibus instructi sunt impij ad malum,tum & ea quam vel humano solum studio doctores hominum,vel vsu vel experientia rerum senes consequuntur.

5 *Ab omni via mala prohibui pedes meos,vt custodiam verba tua.*

5 Non solum autem meipsum assiduè exercui in meditatione legis tuæ,sed vt etiam per omnia custodirem legem tuam, prohibui actus & affectus meos ab omni actione & instituto malo.Neque enim custodire legem tuam potest faciendo bonum, qui non imprimis declinauerit à malo,neque ab vno tantum malo,sed ab omni: quod nemo præstabit, nisi qui carnis affectiones ad malum pronas rationis imperio cohibuerit,& à malo reuocauerit.

6 *A iudicijs tuis non declinaui.*

6 Sicut autem ab omni mala via declinaui,ita contra à iustissimis mandatorum tuorum decretis neque ad dexteram, neque ad sinistram declinaui.Quod tamen nequaquam meæ industriæ arrogãtes tribuo, sed tuæ gratiæ dono:* nempe quia tu in corde meo descripsisti legem, docens & suggerens in omnibus quid faciundem.

* *quia tu legem posuisti mihi.*

7 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua,* & super mel ori meo.*

7 Ex hac autem assidua meditatione & custodit legis tuæ factum est Domine,vt præcepta tua,cunctáque tua eloquia,quæ plerique affectu deprauati acerba iudicant & insuauia, admodum suauia sint faucibus mentis meæ,intellectui & voluntati:* adeo vt etiam dulciora sint palato & gustui spiritus mei,quàm sit ori meo suaue id quod suauissimi est saporis,quale est mel.

8 *A mandatis tuis intellexi: * propterea odiui omnem viam iniquitatis.*

8 Ex mandatorum etiam tuorum meditatione & obseruatione prudens factus sum: * propter quod omnem iniquam actionem non tantum deserui,sed etiam odio persecutus sum.Hoc enim odium parit vera illa sapientia, quæ ex sola legis tuæ meditatione & obseruatione paratur.

Nun.

1 *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* & lumen semitis meis.*

VErba tua Domine sunt instar lucernæ affectibus & actiõibus meis, * immo velut clarum lumen sunt conuersationi meæ. Nam in præsentis vitæ tenebris,atque in affectuum nostrorum nocte, verba legis tuæ rectam mihi virtutis viam commonstrant, ne deuiem, impingam & cadam,quemadmodum contingit iis qui in tenebris illis sine lucerna legis tuæ ambulant,secundum præscriptum legis tuæ non viuentes.Pedibus autem meis & semitis verbum tuum lucerna est & lumen, nempe cuius ducatu opus est,quamdiu ambulandum est in caliginoso hoc loco,donec peracto hoc peregrinationis itinere dies illucescat, & Lucifer atque Sol ipse orietur in cordibus nostris. *Prou. 6.*

2 *Iuraui,& statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

2 Itaque perpendens legis tuæ ad rectè viuendum vtilitatem & necessitatem,iuraui,& firmiter apud me constitui obseruare quicquid æquissimo iudicio tuo præcepisti. *2. Pet. 1.*

3 *Humiliatus sum vsquequaque Domine, * vniuifica me secundum verbũ tuum.*

3 Afflictus sum vehementer Domine,* restitue me à malis his, sicut pollicitus es verbis tuis.

4 † *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: * & iudicia tua doce me.*

4 Promissiones oris mei,quibus in hac mea tribulatione nulla necessitate,sed sponte ac volenti animo pollicitus sum,me tibi oblaturum sacrificia laudis & gratiarum actionis,has inquam,spontaneas promissiones gratanter quæso accipe Domine, liberando me à malis his, vt quæ promisi sacrificia tibi offerre possim:* & iudicia illa tua, quibus omnia iustè agis & moderaris,doce me per experientiam æquitatis tuæ declaratæ in me.† Voluntarias quoque illas promissiones,quibus iuraui me seruaturum iudicia iustitiæ tuæ,tu quæso benignus accipe, dirigendo vota mea,& doce me semper illa iudicia quæ nos facere præcepisti.

5 *Anima mea in manibus meis semper: * & legem tuã non sum oblitus.*

5 Assiduè de vita periclitor, animam & vitam meam velut in manu omnibus expositam portans:* legis tamen tuæ in malis tam præsentibus non sum oblitus.

6 *Posuerunt peccatores laqueum mihi,* de mandatis tuis non erraui.*

6 Impij veluti expandentes laqueum in perniciem meam,insidias parauerunt ad capiendum & perdendum me: * ego tamen à mandatis tuis non aberraui, persuasus per horum obseruationem nequaquam me confundendum.

7 *Hæreditate acquisiui*

7 In hæreditatem perpetuam mihi delegi constitutiones tuas, constituens

testimonia tua in æternum,

** quia exultatio cordis mei sunt.*

8 *Inclinaui cor meum ad faciẽdas iustificationes tuas in æternum.* propter retributionem.*

stituës illa possidere tota vita mea, quasi hæreditaria bona, quæ mecum semper etiam post hanc vitam permaneant, & propter quæ aliam hic hæreditatem non quæro,* Sunt enim mandata tua in quibus oblectatur cor meum, non in fluxis ac perituris huius mundi bonis.

8 Itaque animum meum à caducis rebus huius sæculi abtractum accommodaui, vt opere præstem iustissima præcepta tua toto tempore vitæ meæ:* idq; vt consequar eam mercedem, quæ in lege tua promissa est seruantibus mandata tua.

Samech.

1 *Iniquos odio habui,* & legem tuam dilexi.*

2 *Adiutor & susceptor meus es tu:* & in verbum tuum superſperaui.*

3 *Declinate à me maligni:* et scrutabor mandata Dei mei.*

SCeleratos odio habui: legem autem tuam dilexi, ob cuius solius dilectionem impios odiui, idque solum in eis odiés quod legem tuam transgredi non vererentur.

2 Vt autem omni impietate reiecta legem tuam vnicè amaui, ita quoque humano præsidio neglecto, te mihi in adiutorem & defensorem delegi:* multum enim in certissimis legis tuæ promissis speraui.

3 Proinde vt legi Dei, quam amo, expeditius vacare possim, quotquot estis impij, qui vel vestra persecutione impedimentum exhibetis liberè vacandi Deo, vel impiis suggestionibus & consiliis conamini auertere à lege Dei, recedite à me:* & à vestra oppugnatione atque consortio liber diligentius perscrutabor mandata Dei mei.

4 *Suscipe me secundum eloquium tuum, & viuam.* non confundas me ab expectatione mea.*

5 *Adiuua me & saluus ero,* & meditabor in iustificationibus tuis semper.*

6 *Sprouisti omnes discedentes à iudiciis tuis.* quia iniustitia cogitatio eorum.*

4 Tu verò Domine me confugientem ad te suscipe secundum promissionem tuam in quam speraui: defende quæso, & ne ab hostibus meis deiiciar, sustenta, & fac vt ab his malis restitutus alacrius viuã:* neque sinas me frustrari expectata à te salute.

5 Tu me adiuua Domine. id si feceris, quanquam & multi & fortes sunt qui me oppugnant, tuo tamen solius auxilio mox ab eorum violentia saluus ero, qui alioqui tua ope destitutus periturus sum,* Consecutus autem tua ope salutem, assiduè meditabor in iustissimis præceptis tuis.

6 Ideo autem in mandatis tuis occupari assiduè volo. Ideo etiam conuenit, vt ab impiis meis hostibus me vindices, nam spernis sine delectu omnes recedentes à iustissimis mandatorũ tuorum decretis:* eo quod omnis eorum cogitatio, qua excogitant quomodo sua expleãt desideria, iniusta sit & impia.

7 *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ:* ideo dilexi testimonia tua.*

7 Quare & ego quoque iudicium meum tuo conformans, nequaquam impios iustificaui aut laudaui, sed omnes sine discrimine peccatores, qui in terra degunt, reputaui præuaricatores iustitiæ & legis tuæ.* Atq; ob id ne & ego præuaricator haberer, atque à te reijcerer, dilexi admonitiones præceptorum tuorum.

8 *Confige timore tuo carnes meas:* a iudicijs tuis timui.*

8 Verùm quoniam mandata tua, quæ secundũ spiritum diligo, constãter seruare non potero, nisi caro, carnalisq; affectus, qui contra spiritus desideria semper terrena diligit, reprimatur tuo timore, isq; timor tuæ sit gratiæ donum: tu quæso carnẽ meam, carnalésq; omnes cupiditates timore tuo quasi clauis quibusdam confige, reprime atque mortifica, efficiens scilicet vt carnalis affectus, qui legem tuam diligere non pót, saltem timore tuo à perficiendo suo desiderio cohibeatur.* ita autẽ salubriter configi & vulnerari carnem meã exopto, eo quod perterritus sim à iudiciis illis tuis, secundũ quæ te ex lege tua intelligo & sumpsisse frequenter de impiis supplicium, & in nouissimo die sumpturum. a

Ain.

1 *Feci iudiciũ & iustitiã:* non tradas me calumniantibus me.*

2 *Suscipe seruum tuum in bonum, * non calumnientur me superbi.*

3 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum:* & in eloquium iustitiæ tuæ.*

4 *Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam:* & iustificationes tuas doce me.*

EGo Domine nulli iniuriam aliquã intuli, sed erga omnes feci quod æquum est & iustum:* ne itaque me derelinquas tyrannidi studentium iniuria me afficere. Conuenit enim tuæ iustitiæ & bonitati, quemadmodum & te facturum promisisti: vt non sinas iniustè opprimi eum qui erga omnes iustitiam seruauit.

2 Itaque me seruũ tuum ad te confugientem suscipe, ita vt benefacias mihi qui in alios bonus fui & æquus,* nec sinas vt superbi legum tuarũ transgressores vim & iniuriam eam quam conantur, mihi inferant.

3 Iam enim oculi mei debilitati sunt, & caligare cœperunt, dum iugiter in cœlis intentè sublati sunt, expectantes venturam à te salutẽ, * & adimpletionem promissionis factæ à iustitia tua.

4 Proinde mecum qui tibi soli, seruire cupio age secundum misericordiam tuam, liberando me à præsentibus malis: * & simul etiam manda

mandata tua doce. Hæc est enim absoluta misericordia, sine qua parum profuerit à malis liberatum esse: quare ab eis vel ob id maximè liberari opto, vt liberius a te mandata tua doceri possim.

5 *Seruus tuus sum ego,*

* *da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.*

5 Seruum tuum me esse profiteor, qui & creationis iure obediẽtiam tibi debeo, & bonæ voluntatis proposito tuę me seruituti addixi:* quare da mihi eam intelligentiam, qua intelligere queam iustissima mãdata tua: non enim tibi Domino meo seruire poterò, nisi tuum beneplacitum intellexero. Vt autem intelligam perfectè, humana non sufficit diligentia aut ratio, nisi & spiritus tui sancti accesserit interna eruditio, mentí quæ iusta sunt persuadens.

6 *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuã.*

6 Sane Domine tempus iam est tibi vt facias de impiis vltionem, id- a
que non solum causa mei, qui vsque ad oculorum defectionem iandiũ salutem tuam expectaui, sed etiam impiorum causa, nam vsque adeo iam creuit eorum impietas, vt legem tuam sprcuerint & dissipauerint, non ipsi tantum eam transgredientes, sed & alios ad transgrediendum compellentes, & abolitam eam volentes.

7 *Ideo dilexi mãdata tua super aurum & topazion.*

5 Quoniam autem eos vidi legem tuam spernere: & nihil facere, ob id ego contrà eius amore magis magisque accensus sum, diligens eam præ auro & topazio, omnibusq; desiderabilibus & pretiosis huius mũndi bonis.

8 *Propterea ad omnia mãdata tua dirigebar.*

* *omnem viam iniquã odio habui.*

8 Quoniam autem eam dilexi, ideo non ad vnum solum aut alterum, sed ad omnia mandata vniuersę legis tuæ me ipsum dirigebã, ad omniũ obseruationem me accommodans, & secundũ omnia mandata tua conuersationem meam rectã facere studens:* sicut autem omnia mandata tua dilexi, ita contrà omnem iniquam actionem odio habui, vt quæ cum æquissima lege pugnaret ex diametro.

Phe.

1 *Mirabilia testimonia tua.*

COnstitutiones præceptorum tuorum Domine admodum sunt mi- a
rabiles, tum quod in eis etsi perpaucis perfectissima sapientia & æquitas concluſa sit, ita omnibus vitiis corrigendis sufficiant, omne virtutis genus doceant, omni tempori conueniant. cunctisq; hominibus accommodæ sint, consummatam eos iustitiam & sapiẽtiam docẽtes tum q; sapientia, æquitas atque veritas in eis recondita, non sit quibuslibet exposita, nec possit à carnalibus & animalibus hominibus percipi: * ob hanc itaque mandatorum tuorum admirãdam & abstrusam perfectionem anima mea summa cum diligentia & exquisitione scrutata est mãdata tua.

* *ideo scrutata est ea anima mea.*

3 *Declaratio sermonũ tuorum illuminat:* & intellectum dat paruulis.*

2 Nec inutilis sanè horum est inuestigatio, nam hæc cum declarari & exponi cœperint, mox depulsis omnibus ignorantiarum & errorum tenebris, admirabili luce perfundũt,* intelligentiámq; dant ætate atque sensu paruulis, hoc est insipientibus: sed his maximè, qui nulla sibi vafricie placentes, atque humana sapientia inflati sese tibi doctori cœlesti simplicissimè & humiliter submittunt. N. q. enim superbis aut malevolis declarantur, nec aperitur à te arcana legis tuæ sapiẽtia: sed clausa eis manet & abscondita: quæ nisi à te reuelctur, nõ magis illuminat, quàm abscondita sub modio candela.

4 *Aspice in me & miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum.*

3 Proinde ad ti nitudinem hominis præ nimio dolore os suũ aperientis, ad rem expectatam anhelantis, spiritúmq; per respirationem attrahentis, ego mentem meam tibi aperui, anidéq; tuam doctrinam ex verbis tuis imbibere cupiui.* valde enim desideraui pertingere ad intelligentiam mandatorum tuorum.

5 *Gressus meos dirige secũdum eloquium tuum: * & non dominetur mei omnis iniustitia.*

4 Quoniam itaque ad te domine velut aperto & hiante ore conuersus sum, tu quoque ad me cõuersus benigno tuo vultu respice me, & miserere mei secundum eam rationem, qua iudicare & tractare soles diligẽtes te. Nam & ego Domine inter eos esse studeo semper.

6 *Redime me a calumniis hominum,* & custodiã mãdata tua.*

5 Misericordia autem, quam mecũ fieri cupio, hæc est, vt omnes meos affectus & actus disponas & dirigas secundum rectissimam regulam legis tuæ: * nec sinas vt vel iniquitas aliqua, vel ipsi iniqui prævaleant mihi, etiamsi semper oppugnent.

6 Redime me a falsis criminationibus & iniusta oppressione hominũ: b
* & da vt liberatus expeditius custodire possim mandata tua, à quorum inrenta meditatione & studiosa obseruatione nonnihil iniuriæ & molestiæ hominum abstrahunt.

7 *Faciem tuam illumina super seruũ tuum, * & doce me iustificationes tuas.*

7 Fac clarè appareat super me seruum tuum fauor tuus, qui præsentium malorum tenebris discussis, tanquam clara lux me recreet & consoletur: * sed simul tamen iustissima statuta tua doce me, sine quorum

cogni-

cognitione non est vera aliqua fœlicitas & salus.

8 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam:*

8 Adeo enim amaui legem tuam, vt oculi mei præ nimio cordis dolore effuderint largissimas lachrymas, quasi riuulos aquarum per genas decurrentes:* eo quòd viderem impios transgredi legem tuam, cuius neglectum magis deploraui, quàm propriam ab impiis vexationem.

Sade.

1 Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum.*

IVstus es Domine, & solus ex teipso iustus:* quare & omnia iudicia tua, siue quibus omnia moderaris, & omnes iudicas siue quæ nos facere præcepisti, recta sunt & æqua.

2 Mandasti iustitiam, testimonia tua & veritatem nimis.

2 Per mandata enim tua nihil aliud præcepisti nobis, quàm iustitiam a
& æquitatem maximam.

3 Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

3 Itaq; cùm perpenderem tã æquam esse legem tuã, zelus meus, quo b
nimio amore tui & legis tuæ accensus fui, pene me confecit: eo quod viderem inimicos meos verborum tuorum nullam habere rationem.

4 Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.*

4 Tua enim lex velut aurum igne examinatum & purgatum, summè c
pura est, nihil admistum habens vanitatis, falsitatis aut iniustitiæ:* propter quod ego seruus tuus valde dilexi eam.

5 Adolescentulus sum ego & contemptus, iustificationes tuas non sum oblitus.*

5 Iunior quidem sum inimicis meis, & ob id ab eis despectus quasi paruulus puer, & adhuc insipiens ac vilis ab eis reiectus sum:* mandata tamen tua non sum oblitus.

6 Iustitia tua, iustitia in æternum, & lex tua veritas.*

6 Et quidem meritò: nam iustitia, quam tuis mandatis nobis præcepisti, non est talis, qualis ea quam hominum statuta præscribunt, quæ frequenter ad tempus solum iustitia est, nec omni tempori conuenit: tua verò iustitia perpetua est,* & lex tua æquissima simul est & stabilissima, nihil falsitatis aut iniustitiæ, vt aliquoties humanæ leges, admistum habens, & ob id omni tempore stabiliter persistens.

7 Tribulatio & angustia inuenerũt me, mandata tua meditatio mea est.

7 Itaque propter summam hanc & perpetuam æquitatem præceptorum tuorum: ego in eis assiduè meditatus sum, cum tribulatio corporis & angustia mentis me apprehendissent, meditatione iustitiæ tuæ meipsum in malis meis oblectans.

8 Æquitas testimonia tua in æternũ: intellectum da mihi & viuam.*

8 Tua enim mandata nullo non tempore æqua sunt,* istud quæso fac me intelligere & persuasum esse. sic enim alacer & lætus viuam, etiam in mediis calamitatibus.

Coph.

1 Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine: iustificationes tuas requiram.*

PRæ vehementi desiderio clamaui pro auxilio, neque lingua & voce tantũ clamaui, sed ex toto etiam pectore: exaudi ergo me Domine:* Id cum feceris, studiosius & liberius mandata tua quærã tum cognoscere, tum facere.

2 Clamaui ad te, saluum me fac: & custodiam mandata tua.*

2 Clamaui autem non ad alium Deum quàm ad te, tu itaque saluũ me fac à malis istis:* & ego salute à te donatus diligentius mandata tua seruabo.

3 Præueni in immaturitate, & clamaui, quia in uerba tua superspe raui.*

3 Non clamaui autem ad te solum per diem, sed cum adhuc non esset oportunum tempus vigilandi, cúmque adhuc essent tenebræ, præueni a
tempus surgendi, tuámq; faciem præoccupaui, & summo desiderio tuũ auxilium imploraui:* eo quòd in promissis tuis magnam spem conceperam.

4 Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.*

4 In ipso adhuc diluculo ante exortum diem oculi mei somno discusso ad te intẽti erant,* vt occuparer in meditatione verborum tuorum, tum eorum quibus tuam benignitatem tuis promisisti, tum eorum quibus tuam voluntatem nobis præcepisti.

5 Vocem meam audi secundum misericordiam tuã Domine: & secundum iudicium tuum uiuifica me.*

5 Itaque clamorem & desiderium meum exaudi pro benignitate tua:* & secundum æquitatem tuam, qua omnes iustè iudicas, secũdum iudicium illud tuum quo agere soles cum his qui inuocant te viuifica me, eximendo me ab his mortibus, in quibus ago.

6 Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: A lege autẽ tua longe facti sunt.*

6 Ita certè vt facias, etiam impietas hostium meorũ postulat. Qui enim persequuntur me, appropinquauerunt iniquitati, magno conatu agentes vt iniquitatem contra me conceptã designarent,* à lege autem tua remotissimè elõgati sunt. b

7 Prope es tu domine, & omnes uiæ tuæ ueritas.*

7 Verùm vt illi iam mihi imminent, studentes conceptam iniquitatem in me patrare: ita nihil dubito, quin tu quoque adsis mihi, qui propinquus es omnibus inuocantibus te:* noui & illud, quod omnia mandata tua, in quibus nos ambulare voluisti, æquissima sint & verissima. Quare sicut ob tuam præsentiam non multum metuo hostes meos iniquitati

quitati appropinquantes, ita ob præceptorum tuorum æquitatem nolui illorum exemplo elongari à lege tua.

8 Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternũ fundasti ea.

8 Vt autem noui mandata tua æquissima esse, ita quoque ab initio cognoui de eis q̃ ob summam illorum æquitatem volueris ea esse perpetuò stabilia, ac ob id ab eis nullo vnquam tempore recedendum.

Res.

1 Vide humilitatẽ meam & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.*

DEclara quæso Domine te respicere afflictionẽ meam, & eripe me* nam legem tuam non sum oblitus.

2 Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum uiuifica me.*

2 Tu qui iustus es iudex, ad quem omne iudicium pertinet, cuique vni meam causam commisi, fac pro me de aduersariis meis iudiciũ quod meæ innocentiæ debetur, & redime me ab iniustis oppressoribus meis,* sed & propter promissiones tuas ab his malis restitutum alacrius viuere da mihi. Hanc enim quam peto liberationẽ vt præstes conuenit, tum propter tuam in iudicando æquitatem, tum propter promissorum tuorum fidelitatem

3 Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.*

3 Procul quidem abest ab impiis salus tua Domine,* eo q̃ mãdata tua illis curæ non sunt, per quorum obseruationem solam salute tua tum præsenti tum futura dignus quis efficitur.

4 Misericordiæ tuæ multæ Domine, secũdum iudicium tuum uiuifica me.*

4 Verùm erga legis tuæ studiosos multæ sunt miserationes tuæ Domine:* secundum has itaque, & secundum æquitatem tuam, qua illos iudicare soles, tu me his malis exemptum lætius viuere tribue.

5 Multi qui persequuntur me, & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui.*

5 Multi enim numero sunt qui persequuntur & affligunt me,* nec tamen à mandatis tuis declinaui.

6 Vidi præuaricantes & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.*

6 Imo tanto legem tuam amore prosecutus sum, vt cùm viderem præuaricantes aliquos legem tuam, non solum nõ imitarer illos, sed etiam singulari tædio & molestia animi afficerer,* non ob aliud quàm q̃ verba legis tuæ non obseruarent.

7 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua uiuifica me.*

7 Declara itaque Domine te attendere quod mandata tua dilexerim,* pẽrque misericordiam tuam restitue me ab his malis.

8 Principium uerborum tuorum ueritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.*

8 Et meritò quidem mandata tua dilexi Domine, nam omnium verborum tuorum principiũ & caput est veritas, siue quia ab veritate tua summa procedunt, in eáq; quasi primo fundamento nituntur, atq; ob id verissima & æquissima esse necesse sit: siue quia summa est omnium verborum tuorum veritas, obtinens scilicet in omnibus verbis tuis, quibus nihil aliud quàm quod veritatis est & æquitatis præcipitur:* atq; ob hãc verborum tuorum veritatem omnia decreta illa æquissima, quæ nobis tua iustitia præscripsit, in æternum durabunt, neque aliquando labefactabuntur, quemadmodum statuta hominum, quæ nonnunquam mutari necesse est ob deficientem eorum æquitatem.

Sin.

1 Principes persequuti sunt me gratis †& à verbis tuis formidauit cor meum.*

NOn quicunq; homines, sed potentes principes persecuti sunt me, idque præter omne meum meritũ,* eos tamen non tantopere metui, quàm timui ex animo ne præcepta tua transgrederer: † neq; adeo eorum minas aut persecutionẽ metui, quàm metui illa tua verba, quibus grauissima mala comminaris legem tuam deserentibus.

2 Lætabor ego super eloquia tua,

sicut qui inuenit spolia multa.

2 Proinde quoniam per hunc salubrem timorem verborum tuorum perstiti in lege tua, nec ab ea dimotus sum, etiam principũ iniquis persecutionibus, ob id modò gaudeo, sempérq; gaudeo de eloquiis tuis,* perinde atq; is qui deuictis hostibus suis nactus est spolia multa: cuius quidem gaudium duplici nomine maximum esse conuenit, q̃ scilicet & hostes suos superauerit, & opima præda ditatus sit. Ad eum enim modum ego summè gaudeo de verbis tuis, per quæ & hostes meos superaui, & ditissimum me reputo.

3 Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*

3 Quòd autem timui ne præcepta tua trãsgrederer, hinc erat, quia scilicet omnem iniquitatem odio habui, imo & abominatus sum:* legem autem tuam dilexi, non enim tam ex metu vltionis tuæ præceptorum tuorum transgressionem formidaui, quàm ex vero amore iustitię, odióque iniustitiæ.

4 Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

4 Itaque quoniam legem tuam ob æquitatem ipsius dilexi, ob id non tantum singulis diebus, sed septies, hoc est, multoties per diem laudaui te, propter æquissima illa mandatorum tuorum decreta, quę nobis præscripsit iustitia tua.

5 Pax multa diligentibus legem tuam.

5 Et meritò te ob ea laudaui, nam diligentibus legem tuam ampla pax obtingit, & quidem plerunque etiam pax, successus atq; fœlicitas corporalis, semper autem pax mentis, quæ exuperat omnem sensum, nec

*& non est illis scãdalum.

impiis contingere potest,qui sunt quasi mare feruens,quod quiescere non potest,*nec sentiunt diligentes legem tuã vllum offendiculum,& id quidem plerunq; etiam secundum externum hominem,semper autem & principaliter secundum spiritum,nam etsi aduersitates ingruãt, et peccantiũ multitudinem cernant:tamen neq; aduersitatibus occurrentibus status & quies mentis turbatur, cum persuasi sint omnia sibi cooperari in bonum,neque peccantium exemplo à recto dimouẽtur, eo quòd per legis Dei amorem in via virtutis firmati sint.

6 Expectabã salutare tuum Domine:* & mandata tua dilexi.

6 Considerans itaq; hanc pacem diligentium legem tuam, expectaui salutem abs te Domine:*atq; vt hanc impetrarem mandata tua dilexi.

7 Custodiuit anima mea testimonia tua,& dilexit ea uehementer.

7 Custodiui ex animo mandata tua,& dilexi ea vehementer.

8 Seruaui mandata & testimonia tua,*quia omnes uiæ meæ in conspectu tuo.

8 Seruaui mandata & admonitiones tuas:*studui enim omnes actiones meas coram te instituere,in omnibus vni tibi placere cupiens,persuasúsq, fui omnes actus meos tibi esse notissimos, nec aliquem illorũ latere,sed omnes te teste perfici,atque ob id studiosius mãdata tua seruare laboraui.

Thau.

1 Appropinquet deprecatio mea in cõspectu tuo domine: *iuxta eloquium tuũ da mihi intellectum.

A Dmittatur quæso in conspectum tuum,atq; à te suscipiatur prolixa hæc mea deprecatio Domine:*& quemadmodũ hactenus precatus sum,fac me sapere non secundum humanas artes aut mundi sapientiam,sed secundum eloquium tuum,vt scilicet sermones tuos, ac legem perfectè intelligam.

2 Intret postulatio mea in conspectu tuo:*secundũ eloquium tuum eripe me.

2 Perueniat,tua gratia approbante,postulatio mea vsque in conspectũ tuum:*& quemadmodum tum in lege tua,tum priuatim mihi promisisti,eripe me à malis.Hæc enim duo sunt quæ hactenus toties rogaui, legis scilicet tuæ intelligentiam,ac malorum istorum depulsionem.

3 Eructabũt labia mea hymnum,cum docueris me iustificationes tuas.

3 Hæc vbi mihi præstiteris,nequaquam ingratus ero,aut infructuosus, nam vbi tu docueris me mandata tua,labia mea è plenitudine læti pectoris effundent copiosas laudes tuas,hymnúmq; gratiarũ actionis largiter personabunt.

4 Pronunciabit lingua mea eloquium tuum,
* quia omnia mandata tua æquitas.

4 Ad hæc etiã lingua mea iugiter eloquetur aliis eloquia tua, quo per te edoctus,& alios secundum te instruam,quod certè vt per me fiat æquissimum est:*omnia enim præcepta tua,vt tam sæpe dictũ est,æquissima sunt,imo ipsa æquitas,adeo vt quicquid sit præter vel contra legẽ tuam,æquitas non sit.

5 Fiat manus tua ut saluet me:*quoniã mandata tua elegi.

5 Adsit mihi potentia tua ad saluandum me à malis:*omni enim impietate reiecta mandata tua elegi.

6 Concupiui salutare tuum domine,*& lex tua meditatio mea est.

6 Optaui mihi non salutem humanã,sed tuam,atque à te,qui solus verè saluare potes,vnicè saluari desideraui:*insuper & lex tua est, in qua assiduè cum summa mentis oblectatione occupor meditando.

7 Viuet anima mea & laudabit te:*& iudicia tua adiuuabunt me.

7 Itaque cum & in te solo confidam,& tibi soli placere desideré, da vt anima mea his periculis mortis exempta viuat, tum enim grata laudabit te:*fac vt iudicia tua mihi opẽ ferant contra hostes meos,quod fiet, si iusto de eis sumpto supplicio ab eorum violentia me liberes.

8 Erraui sicut ouis quæ perijt:quære seruum tuum quia mãdata tua non sum oblitus.

8 Ecce ego modò exclusus ab ouili populi Dei errare cogor in syluis & montibus,sicut ouis innoxia, quæ à pastore suo perdita, ac ob id lupis aliisque bestiis expositа,proxima est vt pereat:tu ergo vigilãtissimus & amantissimus tuorum pastor require me seruum tuum,atq; ab hoc errore reuocatum reduc ad gregem & ouile tuum,mandata enim tua nõ sum oblitus.

ANNOTATIONES.

In primo octonario.

NON ENIM QVI OPERANTVR, &c.] Hebræa non habẽt relatiuũ,qui,sed,non enim operantur iniquitatem,in viis eius ambulauerunt Secundum quam lectionem redditur hoc versu ratio quare dixerit beatos qui scrutantur,&c. Eodẽ modo & Græca accipi possunt, si in participio ἐργαζόμενοι,intelligatur substantiuum ut sunt.

b PERSPEXERO.]Græca ἐπιβλέπειν,respexero, vt ne in verbo perspexero,quis philosophetur,cũ & Hebræa verbum habeant quod simpliciter videre significat.Augustinus legit:inspicio in omnia mandata tua.

c INDIRECTIONE CORDIS.] ἐμβεβυθίσει καρδίας,in rectitudine cordis.hoc est,recto & puro corde.

d NON ME DERELINQVAS,&c.] Dupliciter accipi potest hæc pars superiori adiecta.Primũ, vt significet se non posse custodire mandata Dei, nisi sua ope adsit illi Deus,vt indicat paraphrasis. Secundo,vt precetur ne relinquatur hostibus suis, eo quòd addixerit se obseruationi mandatorum Dei.

In se

In secundo.

a IN QVO CORRIGIT.]Hebræa & Græca habent futurum tempus,Græca enim habẽt κατορθώσει corriget,quod tẽpus melius sensui conuenit. De correctione aũt viæ iuuenum singulariter mẽtionem facit,tum quia eorum vita vt in plurimũ magis deprauata est & tortuosa, tum quia difficilius est eis vitam suam corrigere,tum etiam quia eis hoc ipsum magis est necessariũ. Bonũ est enim viro,cùm portauerit iugum ab adolescẽtia sua.Et: Adolescens iuxta viam,etiam cum senuerit,nõ receder ab eo.

IN TOTO CORDE,&c.]Duo hic versus docet.Primũ,indignum esse Dei gratia,nisi qui toto corde Deum quæsierit.Secundo,frustra nos quærere toto corde Deum,nisi & gratia eius nobis adsit,qua mandata eius perficiamus. c

In tertio.

a RETRIBVE SERVO.] Intelligunt quidam prophetam hic optare retributionem æternæ mercedis.Verùm cũ toto hoc Psalmo assiduè precetur liberari ab impiis,& hoc quoq; hic precari videtur,vt verbũ,retribue,accipiatur pro tribuet, quemadmodum sæpe.Pro,viuifica autem,Hebræa habent,viuam,sic & Græca ζήσομαι. Interpres autẽ legem ζησόμαι,quomodo & habere quædã Græca & Euthymius quoq; testatur.Porro viuificare propheta semper accipit pro è malis liberare & cõsolatione recreare,quamuis in morali sensu nõ malè à pleriſq; accipiatur,vt significetur precari vitam spiritus & alacritatẽ,quomodo in Octonario quinto necessario accipiendum videtur,cùm dicitur:In via tua viuifica me.

AVFER A ME OPPROBRIVM.] Ad literam quidẽ loqui vult de opprobrio eo quo eũ impij afficere conabantur,vt patet ex versu sequẽte: anagogicè autem intelligendum est de opprobrio illo nouissimi diei iudicij, quo afficientur à Deo omnes impij. c

b REVELA OCVLOS.]Dum dicit,reuela oculos meos,significat esse aliquod oculorũ velamen quod auferri cupiat.Id autem duplex indicat paraphrasis,nempe carnales cogitationes,& mũdanas calamitates. Quæ aũt vocet mirabilia,satis patet ex eo quod postea dicit: mirabilia testimonia tua Domine:in sensu tamen anagogico rectè intelligitur propheta ablationem illius velaminis,quod in secunda ad Corinthios Paulus dicit positũ super cor Iudæorum,quo prohibentur intelligere mirabilia mysteria in lege contenta.

ET CONSILIVM MEVM.]Notandũ quòd Dei mandata non tantum dicat suam meditationem,sed etiam consilium.Pleriq; enim meditãtur iugiter in scripturis sacris,eas tamen nõ habẽt pro consiliariis suis,vt qui secundum eas vitam suam instituere nolint aut negligant. d

In quarto.

a DORMITAVIT ANIMA.]Tædiũ quidam accipiunt pro tædio bonorũ operum,quod in istis etiam hominibus quãdoq; oboritur.Verũ Hebraica dictio significat dolorẽ & tristitiam, quam significationem etiã habet Græca vox ἀκηδία. Porro pro,dormitauit,Hebræa habẽt,stillauit quomodo etiam Ambrosius legit secutus Originem. Nã vt ipse annotauit,si apud Græcos legatur ὑπὸ ϛαξεν, significat dormitauit:si verò omissis duabus literis legatur ϛαξεν, significat stillauit.Posteriori ergo multo legẽdum esse ex Originis authoritate vult, quem verisimile est id ex Hebræis inspectis collegisse:nec diuersus est sensus Hebraicę lectionis à nostra,nam stillasse dicit animã suã,hoc est, liquefactam esse:quod vires eius paulatim defluxissent sicut aquæ.

VIAM MANDATORVM CVCVRRI.] Apud Hebræos in futuro dicitur,currã & dilatabis. Proinde dum in nostra lectione narrat præterito tempore quid fecerit, intelligendus est propheta petere idem beneficium dilatationis cordis,vt & in posterum currere valeat viam Dei,vt olim. b

In quinto.

IN hoc octonario diligenter annotãdus est ordo omnium eorum quæ petuntur ita vt posterius semper priori aliquid adiiciat.

a STATVE SERVO TVO ELOQVIVM.] Hi tres versus,quos paraphrasis interpretatur, vt intelligatur propheta precari liberationẽ à malis & hostibus suis secundũ Dei promissa,etiam aliter intelligi possunt,vt hic sit sensus:Cõfirma me seruum tuum in verbis præceptorum tuorum per timorem tuum,&:Amputa opprobriũ æternæ condẽnationis,quia præcepta tua mihi sunt grata.Viuacem & alacrem me fac in æquitate præceptorũ tuorum,Verùm notandũ,quod secũdum Hebraicã phrasim statuere eloquium,vel cõfirmare sermones,sit adimplere promissa,vt patet ex multis scripturæ locis,sic enim 3.Regum 2.Dauid Salomoni dixit:Serua cæremonias Domini,vt confirmet sermones suos quos locutus est ad me.

In sexto.

a ET RESPONDEBO,&c.]Quidã in hoc versu actiuum verbũ construunt cum participio,exprobrãtibus,vt sit sensus secundũ Campensem:vt habeam quod respondere possim iis qui exprobrãt mihi hoc quod dicere soleo,fidere me promissioni tuæ.Verũ apud Hebræos participiũ potius nominaliter accipitur.Habẽt enim:& respõdeo exprobratoribus meis verbũ.Vnde constat verbum, dicere,connecti cum,respondebo.Vt autem subiuncta ratio:Quia speraui,&c.cũ superiori conueniat, futurum,respondebo,optatiuè accipiendum est,vt sit sensus fac vt respõdere possim.Prętęrita autem illa verba,ambulabã,loquebar,per futura exponẽda esse docent & Hebræa præcedẽtia, itẽ & Octonarij finis,in quo per futurũ dicitur.Et exercebor. Pro quo tamen etiam Græcis est præteritum ἠδολέσχουν,vnde & Augustinus legit:& exercebar, Hebræa autem & hic & superius habent futura.

In septimo:

a HÆC ME CONSOLATA EST.] Pronomen, hęc, nō videtur posse referri ad nomen spē, quandoquidē illud nomen neq; in Græcis est, neque Hebræis, sed vtrobiq; est vnum verbu, pro quo nos habemus, spem dedisti. Proinde accipiendum est substantiuè in fœminino genere secundū phrasim Hebraicam. Quēadmodum & in vltimo versu octonarij huius.

In octauo.

a PORTIO MEA DOMINE.] Versus hic dupliciter distingui & intelligi pōt. Primo quēadmodum habet paraphrasis. Secundo, vt hoc modo ordinetur: Dixi apud me, ꝙ portio mea sit custodire legem tuam, sicut & postea dicitur: Hæreditate acquisiui testimonia tua, &c.

b DEPRECATVS SVM FACIEM TVAM.] Dupliciter indicat paraphrasis hanc orationē exponi posse. Primùm, vt simpliciter significetur, deprecatus sum te. Cum enim aliquem præcari solemus, faciem nostram ad illius vultū conuertimus. Secundò, vt per Dei faciem, vt alias frequēter, Dei fauor intelligatur.

c COGITAVI VIAS MEAS.] Indicat paraphrasis hic versum intelligi posse vel de actionibus pręteritis, vel de futuris, quemadmodū id annotauit & Ambrosius.

In decimo.

a MANVS TVÆ PLASMAVERVNT ME.] Hebręa habent, parauerunt, quomodo etiā Ambrosius legit.

FIAT MISERICORDIA TVA.] Notandū in quatuor versibus istis varia afferri argumēta ad impetrandā liberationem quam petebat. Primò quidem à Dei misericordia & veritate. Secundò à suo studio legis. Tertiò ab iniquitate hostium suorum & fructu confusionis eorum. Quartò ab vtilitate hinc peruentura ad iustos.

In vndecimo.

a DEFECIT IN SALVTARE TVVM.] Iuxta anagogen postulat vir sanctus aduentū saluatoris in carnem.

b FACTVS SVM, &c.] Hanc partem eleganter in sensu allegorico explicat Ambrosius, vt per eā significetur mortificatio corporis viri iusti, quem vtri intelligit cōparari, eo ꝙ sicut vter de exuuiis sit animantis mortui ita & corpus viri iusti peccato mortuum à carnali sit cupiditate abstractum, & factum vter ille, de quo in euangelio dicitur, ꝙ vinum nouum in vtres nouos mittūt. Comparatur autem vtri in pruina, ꝙ sit corpus eius rore gratiæ spiritus diuini, & continentiæ gelu, ieiuniorúmq; *Mat. 9.* restrictibus refrigeratum ab æstu libidinis & carnalium desiderorum.

c NARRAVERVNT MIHI, &c.] Communiter hic versus intelligitur de sermonibus mundanorum hominum, & doctrinis hęreticorū, qui fabulationes rectè dicuntur, ꝙ sint vel vani vel falsi, vel iniqui. Vani quidem, dum in eis nulla est vtilitas: falsi, quia mēdaciis respersi: iniqui, dum ad impietatem hortantur. Verùm hic sensus parū videtur conuenire proposito prophetæ. Proinde notādum Hebræa longè aliter habere, nempe: foderūt mihi superbi foueas, hoc est, parauerūt mihi interitum. Cui lectioni & sensui nostra lectio satis accedet, si datiuus, mihi, Hebręa phrasi exponatur per, de me, quēadmodu psalmo tertio: Multi dicūt aiæ meæ, id est, de aia mea, vt significetur iniquos de viro iusto fabulatos ad perdēdū eum. Vel: narrauerūt mihi fabulationes, quia falsissima crimina obiecerūt.

d INIQVI PERSECVTI, &c.] Satis probabile est vitio scriptoris legi, iniqui, pro aduerbio, iniquè: nā & Hebræa habēt, falsò persecuti sunt me. Et Græca aduerbiū habēt, ἀδίκως, Ambrosiū quoque & Augustinum legisse iniustè. Hilarium autē inique, satis patet ex eorum commentariis, quanquam in textu eorum vitio librariorum habeatur iniusti, & iniqui. Sic enim habet Ambrosius: Non dixit quia persecutiones patior adiuua me, sed iniustè, inquit, persecuti sunt me, adiuua me. Potest enim quis & persecutiones pati, sed nō iniustè, qa est etiam iusta persecutio. Augustinus verò sic: Iniustè persecuti sunt me, quia non in me persecuti sunt nisi veritatem. Hilarius ad hunc modū: Iustū qui persequitur, necesse est vt iniquè persequatur: quia iniquitas iniustæ operationis effectus est. Et sunt quidam codices qui habent, iniquè.

In duodecimo.

a OMNIS CONSVMMATIONIS.] Variè hic versus ordinatur, & intelligitur. Quidam enim sine distinctione versum sic ordināt: Vidi latum mandatū tuum esse finē omnis cōsummationis: intelligentes per mandatū latum, præceptum charitatis, quod latū dicitur, tum quia ad omnes se extendit, tum quia in eo comprehenditur vniuersa lex & prophetæ, tum etiam ꝙ nunquā hoc præceptum adimpletum sit. Verùm per mandatum toto hoc psalmo vniuersa lex designari solet, & non vnicum illud dilectionis mandatū. Proinde alij per distinctionem versum intelligunt, secundum quā, quoniam videtur significari quædā aduersatio inter duas versus partes, intelligendus est versus secundum sensum paraphrasis.

In decimotertio.

a QVOMODO DILEXI LEGEM TVAM.] Dictio, quomodo, nō interrogatiuè accipienda est, sed admiratiuè, pro, O quā: Est enim Græcis ὡς, sicut & postea: Quàm dulcia faucibus meis.

b SVPER OMNES INIMICOS MEOS.] Quod dicit se prudentiorem factū omnibus inimicis suis, simpliciter accipi pōt, nempe quod inimici sui vera essent destituti sapientia, quę ex sola lege Dei paratur. Aut per tria hæc genera, nēpe hostes, docētes, & senes, intelligi pōt triplex sciētia, quam superat sapiētia ex lege Dei parta, scilicet sapiētia impiorū diabolica, qua docti sunt ad malè agendū, sapientia humana studio humano acquisita, & prudentia per experientiam parta.

In dec

In decimoquarto.

a ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS] Gręca habēt manibus tuis, quā lectionē præferunt Augu. & Ambrosius, in pluribus libris asserentes haberi, tuis potius, quā meis. Sed vitio scriptorum legi, tuis, satis constat ex Hebræis, nam cū quidam phrasim Hebraicam ignorantes iudicarēt durius dici: anima mea in manibus meis: pro meis, scripserunt tuis, quod sic sensus aptior & facilior videretur: Dicunt autem Hebræi ponere animam in manibus, pro eo quod est exponere se periculo, vt patet Iudic 12. & 1. Regum 28. Portare aūt animā in manibus, aū habere animā in manibus, accipitur pro eo quod est versari in afflictionibus, & de vita periclitari: ita accipitur hoc loco, & Iob 13. Quare lacero carnes dētibus meis, & porto animā meam in manibus meis? Vnde Chaldæus paraphrastes hoc loco sic habet: In piclitatione fuit anima mea, ac si fuisset in extremitate manus meæ semper.

In decimoquinto.

a CONFICE TIMORE TVO.] Primùm hic notandum, verbum, configere, non significare hic talem confixionem, qualis fit per sagittā, vt ne intelligamus timorem Dei hic sagittæ cōparari, vt quidam intelligūt: Dictio enim Græca, καθήλωσον, significat propriè configere clauis: deriuatur enim ab ἧλος, clauus. Vnde Ambrosius & Augustinus legit: Cōfige clauis à timore tuo. Proinde intelligen- *Gal. 5.* dum de tali confixione, de quali Paulus loquitur, dū dicit quosdā crucifixisse carnē suam cum vitiis & concupiscētiis. Verùm difficultas est quomodo petat timore se cōfigi, cùm subiiciat se timere Dei iudicia, & hoc ipsum pro ratione subiungit. Proinde aduertendū plerosq; timere quidem Dei iudicia, nec tamen habere carnes timore Dei confixas, vt qui timentes quidem æternam damnationem, nondum tamen tali timore detinētur, quo ab omni malo fugiant. Atq; hoc ferè est quod pro solutione huius difficultatis Euthymius affert, sic scribēs: Dum tua inquit, lego iudicia, in animo quidem timore corripior, ipsum tamen corpus huiusmodi timore non castigatur. Tu igitur confige & ipsum corpus hoc timore, ita vt ad immoderata desideria amplius non feratur. Similiter ferè & Augustinus indicat difficultatem hāc solui posse, vt scilicet intelligatur propheta optasse addi sibi timorem, vt tantum timeret quantum sufficeret crucifigendis carnibus suis, id est, concupiscentiis. Postea tamen & aliam affert solutionē, vt scilicet intelligatur prima parte petere timorem Domini castum & filialem: secunda vero loqui de timore seruili. Hebræa tamen pro, confige, habent סָמַר samar, quod secūdum omnes significat ita inhorrescere, vt pili erigātur, vnde vertit Hieronymus, horripilauit, quāuis horripilare propriè sit Latinis horridiore asperioréq; pilo fructificare. Vnde ab hoc verbo deriuatur nomen מַסְמֵר masmer, quod clauū significat ad quam significationem respexerunt Septuaginta.

In decimosexto.

a TEMPVS FACIENDI.] Legendū est per datiuum, Domino, non per vocatiuum, Domine. In Hebræo enim manifestè ad nomen Domini, additur nota datiui casus litera lamed, & Græcis est τῷ κυρίῳ. Et Augustinus testatur plures codices habere, Domino, quomodo etiā Ambrosiū legisse apparet ex commentariis. In cōmentariis Hieronymi habetur item, Domino. Porro verbum, faciēdi, quidam referunt ad prophetam, vt significetur tēpus esse vt ipse faceret legem Dei, & viueret secundum Deum. Verùm potius referendum ad ipsum Deum, sicut fecit D. Hieronymus, qui vertit: Tēpus est vt facias Domine. Si aūt ad Deum referatur, dupliciter hic locus intelligi pōt. Primo vt intelligatur propheta asserere iam venisse tēpus, quo cōueniat Deum vltionē facere propter nimiam hostiū suorum impietatem. Secundo vt intelligatur loqui de tempore nouissimi iudicij, aut tempore a Deo constituto ad vindicandū impios, vt sit sensus: Tēpus constitutum est à Deo, quo sumpturus est supplicium de impiis, secundū quem sensum quod dicitur in versu sequēti, ideo dilexi, &c. ad hanc partem referri pōt, vt intelligatur prophetam ideo dilexisse legem Dei, ꝙ consideraret mente tempus illud vltionis. Paraphrasis autem versum illū refert ad partem secundam istius versus, vt significetur propheta ideo magis amore legis Dei accensus, ꝙ videret eam ab impiis contēni. Porro vltimus versus in quo dicitur. Propterea ad omnia, &c. referri potest ad idem ad quod refertur primùm ideo: vel quoniam dixit se diligere legem Dei in comprobationem dilectionis, subiecit: propterea ad omnia mandata dirigebar. Dirigi autem ad mandata, dupliciter indicat paraphrasis accipi posse.

In decimoseptimo.

a MIRABILIA, &c.] Quoniam non facilè apparet quare Dei mādata, quæ testimonia vocare solet, dicantur mirabilia, cū sint aperta & obuia, ideo quidā intelligunt per testimonia hic Dei opera, idque malè intelligentes Augustinū, qui hoc primo videtur sequi, cum eam potius interpretationem refellat. Alij simili ratione scripturas sacras intelligunt, quæ mirabilia Dei opera testantur nobis. Verùm paraphrasis indicat quomodo duplici ratione Dei mandata, (hæc enim semper hic vocat testimonia) dicantur mirabilia. Dicitur enim quid mirabile, siue ob eximiam eius perfectionem, quā in aliis non ita licet inuenire: siue quod occultum sit, & cuius ratio non ab omnibus percipitur. Vnde Hebræa quidam sic vertunt: occulta vel separata sunt testimonia tua. Augustinus autē intelligit ideo testimonia esse mirabilia, ꝙ cum bona sint, & à bono Deo profecta, hominem tamen iustificare, & bonum facere nequeant, quæ ratio ex Paulo desumpta huic loco non videtur competere.

b REDIME ME, &c.] In huius versus secunda parte cum quidam libri habeant, vt, alij &, ex Gręcis & Hebræis patet legendum, &, sicut & in secūdo versu octonarij 19.

In decimooctauo.

a MANDASTI IVSTITIAM,&c.]In hoc versu pronomen,tuam,dū nos legimus, veritatē tuam,redundat,nec habetur in Hebræis aut Græcis,nec apud Auguſtinum aut Ambroſium,vt ſatis patet ex eorum commētariis:obeſt autem,ſi adiiciatur,non parum ſenſui. Accuſatiuus autem, teſtimonia tua,poteſt ex Hebræo verti etiam per ablatiuum,eritq; ſenſus apertus iſte:Mandaſti iuſtitiam teſtimoniis tuis,& veritatē valde,id eſt,veritatem maximam. Proinde ſi & Græcā & noſtrā literam ad hunc ſenſum redigere placet,ſubaudiendum eſt,voluiſti teſtimonia tua eſſe iuſtitiā,& veritatē maximam: vel mādaſti à nobis nimis ſeruari iuſtitiā hoc eſt,teſtimonia tua & veritatem tuā.

TABESCERE ME FECIT.]Ambroſius habet:Exquiſiuit me. Proinde videtur dictionē Græcam ἐξετήκησε deriuaſſe ab ἐξετάζω, cum ſit ab ἐκτήκω. b

IGNITVM ELOQVIVM TVVM.]Ambroſius intelligit eloquium Dei ignitum dici,quod ad ſimilitudinem ignis purget,illuminet & incendat. Verū ex dictione Hebraica patet ideo dici ignitū, q̄ ſit velut argentum aut aurum igne excoctum & purgatū,vt ſit idē cum eo quod alibi dicitur:Eloquia Dñi caſta,argentum igne examinatum,&c. c Pſ.11.

In decimonono.

a PRÆVENI IN MATVRITATE.] Vitio ſcriptoris hunc locū deprauatū eſſe,& legēdū per vnam dictionē,immaturitate:vel per geminationem præpoſitionis,in immaturitate, manifeſtè patet tum ex Græcis quæ habēt,ἐν ἀωρίᾳ,tū ex Auguſtino,cuius textus habet,intempeſta nocte,ſicque commentatur:Plures,inquit,codices non habent,intēpeſta nocte,ſed immaturitate. Vix autem vnus inuētus eſt,qui habeat geminatā prępoſitionem,id eſt,in immaturitate. Immaturitas itaq; in hoc loco nocturnum tēpus eſt,quod non eſt maturum,id eſt,oportunum vt agatur aliquid vigilādo, quod etiā vulgo dici ſolet hora importuna,&c. Et poſtea:Quod ergo Græcè dictū eſt,ἐν ἀωρίᾳ,nō vno verbo,ſed duobus,id eſt,præpoſitione & nomine, hoc interpretes quidā noſtri dixerunt, intēpeſta nocte,plures immaturitate,nō duobus verbis,ſed vno,cuius vocabuli nominatiuus eſt immaturitas nonnulli verò in duobus verbis,ſicut Græcus poſuit,in immaturitate.&c. Hæc ille.

APPROPINQVAVERVNT,&c.] Auguſtinus ſimiliter & Ambroſius legunt aduerbium,iniquè,vel ablatiuum iniquitate,qui conſtruatur cū participio; perſequētes,vt ſit ſenſus:Hi me perſequūtur iniquè & præter meritū meū,appropinquauerunt mihi,ſcilicet ad nocendū,& ſic quoq; Græca verti poſſunt. nā datiuus ἀνομίᾳ,pōt vel per datiuum verti,& conſtrui cū, appropinquauerūt:vel per ablatiuum,& conſtrui cū perſequentes. noſtra tamē lectio videtur ob id conueniētior, q̄ ſecundū eā pulchra ſit oppoſitio inter duas partes verſus. Hebręa etiā videntur ex diuerſorū verſionibus duplicem habere lectionem. Quidā enim vidētur legere רָדְפַי rodephai,& tunc eſt ſenſus:perſecutores mei appropinquauerunt iniquitati. Quā lectionem & Hieronymus & Campenſis ſequuti ſunt. Alij legunt רָדְפֵי rodephei,in regimine,vt ſit ſenſus:pſequutores ſceleris appropinquauerūt mihi. b

In vigeſimo.

PRINCIPIVM,&c.]Pro principio Hebræis eſt רֹאשׁ roſ,hoc eſt caput. Pōt autem,caput,accipi pro principio,atque hāc acceptionem ſequuti vidētur Septuaginta:vel pro ſumma rei,hoc eſt,eo q̄ omnia in ſe complectitur, vt ſit veritas obtinet in omnibus verbis tuis,&,vt paucis dicam,omnia verba tua ſunt veritas. Iuxta quē ſenſum etiā verti poſſunt Græca principatus verborum tuorum,nā vtrumq; ſignificat dictio Græca ἀρχή, vt ſupra annotatum eſt in Pſalmo 109. a

In vigeſimoprimo.

a NON EST EIS SCANDALVM.]Non eſſe ſcandalum idē eſt quod alibi dicitur,non mouebor in æternum. His autē locutionibus,ſi ſpectemus ſtatum veteris populi,promittitur quidē etiā temporalis ſtabilitas,vt ſcandalū vel offendiculum intelligatur temporale nocumentum,hic enim ſenſus propoſito conuenit:verūm hic ſenſus non eſt generaliter ſemper verus,vnde oportet principalius intelligere de ſcandalo mentis,ſic enim verior & generalior eſt hæc ſententia. Contingit aūt ſcandalum mentis ex duplici cauſa. Primò ex aduerſitatibus,vndē ſaluator in parabola ſeminātis,ſemini quod ſuper petroſa cecidit,comparat eos qui cum gaudio ſuſcipiunt verbum,ſed oborta tribulatione continuò ſcandalizantur. Secundò ex aliorū malis exemplis. Atque huiuſmodi ſcandala etſi etiā impiis contingant,tamen dicuntur communiter ſcandala puſillorum,quos tamen & aliter ſcandalizari contingit,nempe ex facto etiam licito,ſed indiſcretè ab aliis facto,vtpote corā eo qui per infirmitatē fidei & ignorantiā excuſabilem nōdum nouit illud eſſe licitum,hæc autem puſillorum vel impiorum ſcandala non contingunt perfectis. Proinde cū Paulus dixiſſet:Quis infirmatur, & ego non infirmor: & ſubiungeret,quis ſcandalizatur,non addidit, & ego non ſcandalizor,ſed,& ego non vror. Itaq; notant quidam hic dictum,non eſſe ſcandalum diligentibus legem Dei. Perfectorum enim eſt diligere legem Dei. Porro contingit etiam præter tres cauſas ſuperius dictas,alia cauſa quoſdam ſcandalizari,nempe ex opere licito,imo optimo,per ipſorum malitiam aut ignorantiam nimis craſſam in malā partem interpretato,verūm iſtud eſt Phariſiacum ſcandalum,propter quod vitandum,à licitis & bonis abſtinendum non eſt. Mat.13 Cor.11.

In vigeſimoſecundo.

a ERRAVI,&c.]Plerique iſtud intelligunt de errore à lege Dei per peccatum. Verūm hic ſenſus propoſito Prophetæ non ita conuenit, qui in hoc Pſalmo toties gloriatur de ſeruata lege: neque conue

conuenit rationi ſubiunctæ,quia mandata tua nō ſum oblitus. Rectè tamē de illo errore intelligitur ſecundū ſenſum moralem,ſecundū quem ſignificatur neminē à Deo errantē reuerti poſſe ad eum, niſi Deo ipſum requirente. Neque omnino obſtat huic expoſitioni ſubiuncta ratio, quandoquidem peccator,qui adhuc dicere poteſt, quære ſeruum tuum,nondum mādatorum Dei planè oblitus eſt, à quibus aberraſſe ſe cognoſcit.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXIX

Præſenti Pſalmo Propheta regius primum in exemplum noſtrum memorat exauditū ſe à Deo cùm in tribulatione conſtitutus (ea ſcilicet qua ob Saulis perſecutionem exul agere apud impios cogebatur) Deū inuocaret: deinde & precem qua Dei opem implorauit, memorat, in qua malitiam, peſtemq; linguæ fraudulentæ pulchrè deſcribit, & ſuum inter impios exilium deplorat. Vt aūt præſens oratio Chriſto verò Dauidi etiam conuenit, ita quoq; omnibus iuſtis, qui & à uirulentia linguæ praua ſuggerentis, aut iniquè calumniantis liberari exoptant, & ſuum in medio prauorum pacem odientiū deſiderant incolatum, qui deſiderio cœleſtis patriæ quàm longiſſimus eis eſſe uidetur. Porro quod titulus habet. Canticum graduum, quomodo & quatuordecim ſequentes Pſalmi inſcribuntur, certa ratio huiuſmodi inſcriptionis reddi non pōt, quibuſdā aſſerentibus quindecim hoc Pſalmos hoc titulo inſcriptos, q̄ in quindecim gradibus templi decantarentur à Leuitis in feſtiuitatibus: alijs uerò ob id, quòd profectuum quorundam in uero Dei cultu carmina ſunt, alijs rurſum aliud opinantibus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Ad Dominum cùm tribularer clamaui,

**& exaudiuit me.*

2 Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

4 Sagittæ potentis acutæ,

** cum carbonibus deſolatorijs.*

5 Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar,

** multum incola fuit anima mea,*

*6 Cum his qui oderunt pacē eram pacificus, * cū loquebar illis, impugnabant me gratis.*

CVm calamitatibus affligerer, nequaquam, vt faciunt impij tribulationem incidentem animum deſpondi, aut murmuraui contra Dominum, neque ad mun præſidiū ſolatiúmue confugi, ſed magno cordis deſiderio clamaui ad Dominum,*& mox exaudiuit me. Pſ.119

2 Clamaui autem in hunc modum: Domine libera animam meam à labiis mendacibus, & à lingua fraudulenta, vt ne quid mihi nocēāt labiis ſuis qui falſis accuſationibus, ſed tamen doloſè & callidè, me ſtudēt opprimere, falſis quæ mihi impingunt, prætextum veri addentes, aliúdq; in corde quàm in ore gerentes.

3 Et quidē merito ab huiuſmodi labiis ſingulariter liberari opto. Quid enim adhuc mali poſſet tibi, quiſquis es, ſuperaddi, quídue ſuperadiici ad linguam fraudulentam? quod malū peſtilentius accidere cuiquam poſſet? a

4 Eſt enim lingua frauduléta, velut ſagittæ, quæ & à fortiſſimo aliquo iaculantur, & ſimul acutiſſimæ ſunt, atq; ob id penitiſſimè homini ſubitò & præter expectationem infiguntur. *Eſt item velut carbones maximē vrentes, qui vehemētia caloris citiſſime aliquid vaſtant & abſumūt, quales ſunt carbones iuniperorum, vehemētiſſimè vrentes, & diutiſſimè feruentes. Siquidem lingua quæ fraude dolóq; aliquē impetit, vſq; ad intima hominis præter opinionem & ſubito lætale ſuū virus immittit, non tantum externorum bonorum diſpendium inferens, ſed animę etiam vitæq; perniciem adferens. Ipſa quoq; iræ odiiq; igne accēſa, incendia, & diuturnam innoxiis inurit infamiam, atq; cruciatu maximo torquet non prius finem faciens quàm abſumpſerit & deſolauerit quē perditum voluit.

5 Malè certè agitur mecum, quod peregrinatio & exilium meū à domo & populo Dei tādiu duret: coactus enim ſum habitare cum his qui habitant regionem Cedar: próq; habitaculo domus diuerſari in tabernaculis, in quibus habitant Cedareni Arabes: & pro ſancto conſortio populi Dei conſuetudinem habere cū feris hominibus, qui populi Dei maximi ſunt hoſtes, omniſque humanitatis expertes, nomen habentes moribus ipſorum conueniens, ſonat enim Cedar nigredinem*: Inter hos diu nimis ſe peregrinatam & exulantem iudicat anima mea, tū ob deſiderij domus Dei magnitudinem: tum ob inhumanitatem & impietatem eorum inter quos agit.

6 Cum his enim qui oderunt pacem, ego pacificè viuere ſtudui, *verū mox vt loquebar eis quæ pacis erant, illi non ſolum eam non amplectebantur, ſed contrà potius præter omne meritum cōtentioſis verbis, iniurioſiſq; factis me impetebant, inde occaſionem oppugnandi ſumentes, vnde ad pacem perduci debuiſſent. b

ANNOTATIONES IN CANTICVM GRADVVM.

QVæ dicuntur de quindecim gradibus templi, in quibus hi Pſalmi decantari ſoliti fuiſſent, plane incerta ſunt: neq; enim vel ex ſcripturis vel ex Ioſepho conſtare poteſt, quot fuerint gradus

templi à Salomone primò extructi. Ezechiel quidé in suo templo quindecim graduũ meminit, in quorum septem ascendebatur ad atriũ mulierum, reliquis octo ab atrio mulierum ad atrium virorũ. Iosephus tñ in secundo templo plures gradus fuisse memorat, quatuordecim enim testatur fuisse à porticibus ad atrium mulierũ, & ab eo vsq; ad atrium alterum quindecim, ab hoc rursum duodecim gradibus in templo ascendi solitũ, sed neq; eorũ sentétia conuenire videtur, qui cãtica graduũ hęc dicta putant ad literam, quod hęc decantata fuerint à Iudæis iam à Babylone ascensuris in Hierusalem. Etsi enim quidam populo in illo statu conueniant, quidam tñ personæ Dauidis attribuẽdi sunt, vt patet de primo: nam Cedar non est locus in Babylonia, vt quidam putãt, sed in deserto Arabiæ: fuit enim Cedar filius Ismael, qui cum suis filiis Arabiã incoluit. Et tñ quoniã nec inter Arabes Dauid diuersatus legitur, existimãt quidã ipsum de suis populari bus meraphoricè locutum, ad significandũ ipsorũ barbariem & inhumanitatẽ, vt etiamsi inter suos vixerit, perinde tñ vixerit apud suos, ac si fuisset inter Arabes: nec quia de incolatu suo conqueritur, necesse est intelligere hunc Psalmũ pertinere ad tẽpus exilij ipsius. Sæpe enim Propheta huius vitæ tẽpus incolatum vocat & peregrinationẽ, vt supra Psalm. 118. Incola ego sum in terra: &, Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.

a QVID DETVR TIBI, &c.] Hi duo versus tribus potissimũ modis exponuntur à variis interpretibus. Primũ enim Augustinus & pleriq; cũ eo intelligunt hic significari, quod sit remediũ contra linguam dolosam: & versu illo, quid detur tibi, &c. intelligunt Deũ introduci interrogantẽ eum qui liberari cupit à lingua dolosa, quid sibi contra eã dari oportet, & deinde ipsum rñdentẽ Deo vt dentur ei sagittæ potentis, &c. ac tum per sagittas & carbones intelligendũ est verbũ Dei, q̃ & Psalmo 44. significatur per sagittas acutas, & apud Hieremiã igni comparatur: Nunquid, inquit Deus, verbũ meũ quasi ignis, & quasi malleus conterens petrã? Verùm hic sensus sicut optimè conuenit mysticæ intelligentiæ, ita Hebraicæ literæ non bene cõuenit. Illa enim tertiũ versum sic habet: Quid dabit, aut quid apponet tibi lingua dolosa? Proinde secundò alij intelligũt his verbis significari perniciẽ linguæ dolosę tantã vt ea nihil pernicios ius addi possit. Secundũ quem sensum in tertio versu Prophe ta accipiendus est sub pronomine secundæ personæ loqui sibiipsi vel potius cuiuis, quẽadmodum Psalmo sequẽti. Atq; hunc sensum persequitur paraphrasis, à quo non multum dissentit interpretatio Campẽsis. Tertiò quidã intelligũt sic significari præmium & vindictã, quæ manet linguã dolosam, vt per sagittas & carbones vltio diuina, quæ vẽtura est super impios, designetur, propter vermẽ interius vrentẽ, & ignem corpus depascentem. Quẽ sensum secutus Valentia versum tertiũ sic intelligit: quid dabitur tibi, ô tu quisquis lingua iniqua me impetis, ad, id est, pro. Secundũ quem sensum interpretes pro Caietano Hebræa sic verterunt: Quid dabit tibi lingua dolosa? Sagittas potẽtis acutas, &c. scilicet dabit tibi. Porro pro carbonibus ἐρημικοῖς, desolatoriis, Hebræa habẽt, carbonibus iuniperorum. Verùm quoniam hi maximè vrunt, vt tropum explicarent Septuaginta videntur vertisse ἐρημικοῖς, nisi fortè hanc dictionem acceperũt, vt sit idem quod solitudinariis vel carbonibus solitudinis, eo quòd iuniperus, vel vt alij volunt, genista, arbor sit syluestris.

Hier. 23.

b CVM HABITANTIBVS CEDAR.] Hebręa habent tabernaculis. Similiter & Græca. Sic eñ habẽt, σκηνωμάτων: Cedareni eñ & oẽs Arabes in tabernaculis habitabãt, quę pro cõmoditate pascuorum transferebat. Tabernaculis, legit etiam D. Augustinus. Cæterũ interiectio, hei, referri põt ad tres partes huius versus, in hunc modum: Hei mihi incolatus meus prolongatus est, quódq; habitauerim cum habitantibus Cedar, & q̃ multum incola fuerit anima. Aut ibi, habitaui, noua potest esse sententia, declarans quare conqueratur incolatum suum prolongatum.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXX.

Docet hoc Psalmo vir sanctus suo exemplo expectandum auxilium à solo Deo, quem etiam pronidam curam speraturũ in ipso pollicetur habiturum, seruaturúmque eos omni tempore, tum ne malum aliquod eos lædat, siue in prosperis siue in aduersis, tum ut omnia eorum instituta & negotia prospere succedant.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Leuaui oculos meos in mõtes, unde ueniat auxiliũ mihi.*

2 *Auxilium meũ à Domino, *qui fecit cœlum & terrã.*

3 *Non det in commotionem pedes tuos, *neque dormitet qui custodit te.*

4 *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

IN tribulatione constitutus, anxiè opem alicundè mihi aduenturã ex Psal. 120
pectaui, simplicitérq; habitus fui, atque is qui super montes & editio a
ra aliquã loca consistẽs, circumfert in omnem circumquaq; regionem oculos suos, dispiciens sicunde auxilia sibi veniant.

2 Verùm dum vndique mihi auxilium disquiro, deprehendi auxilium meum non ab alio sperandũ esse, quàm à Domino, *qui solus inter oẽs qui dicũtur dij, creauit cœlum & terram, ac proinde omnium summus est, potens facere quæcunque vult, omniáque sibi subiecta habens. Ab hoc itaque, ô anima mea, aut tu quisquis es qui opẽ tibi imploras, meo exemplo tuum auxilium expecta: nam vt est potentissimus, ita & vigilãtissimus suorum custos.

3 Nõ enim sinet vel vacillare, & ad casum inclinari pedes tuos, hoc est, nequaquam permittet vtà statu tuo dimotus incidas in aliquod malũ: *neque dormitanti similis in tui custodia vel leuiter negligens erit is, qui tui custodiam suscepit, & cui te seruandum commisisti.

4 Ecce, mihi crede, etiamsi hominibus quandoque videatur dormire aut dormitare, dum multa dissimulat ad tempus, nequaquam tamen vel leuiter obdormiscet, multo magis non dormiet vnquam is qui singulariter custodiendum suscepit verum Israelem, hoc est, nequaquam pigro & dormitabundo aut fatigato custodi similis, cui obrepens somnus aufert curam rei concreditæ, aliquando vel ad minimum tempus curam tui deponet.

5 Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexterã tuam.

5 Bono igitur sis animo. Dominus enim custodit te, atque vt intelli- b
gas, qua ratione, & quanta securitate ab eo custodiaris, ecce Dominus tibi est velut vmbraculum protegens, astátque tibi assiduè velut iuxta dexteram manum tuam, paratus scilicet te ab omni malorum incursu defendere, téque deducere.

6 Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

6 Proinde illo obumbrante te, neque solis ardor interdiu lædet te, ne- c
que lunæ frigus noctu, sed omni tempore domino te protegente securus eris, in prosperis simul & aduersis, in tẽtationibus magnis & paruis.

*7 Dominus custodit te ab omni malo, * custodiet animam tuam Dominus.*

7 Dominus enim custodit te, adeo vt etiamsi malum aliquod occurrat, nullum tamen omnino noceat tibi, sed magis prosit: * & ne quid dubites, iterum atque iterum dico, custodiet animam tuam Dominus.

*8 Dominus custodiet introitum tuum & exitum tuum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.*

8 Neque tantum ab omni malo te custodiet, sed & in omni tua con- d
uersatione curam tui geret, omnia tua negotia prosperans, & in omnibus te dirigens, siue interna curare volueris, siue externa, * idq; ex hoc tempore vsque in sæculum. nunquam enim fidentes Domino relinquentur, siue in præsenti vita, siue in futura.

ANNOTATIONES.

a LEVAVI OCVLOS IN MONTES.] Dupliciter hic versus intelligi potest. Simpliciter enim accipi potest, vt præpositio, in, accipiatur pro, ad, & per montes, cœli intelligantur: aut saltem per sublationem oculorum ad montes, intelligatur sublatio eorum ad alta loca, atque ad cœlestia. Iuxta quem sensum dictio, vnde, refertur ad montes, vt significetur à montibus, hoc est, è cœlo sibi polliceri auxilium. Verùm Hebræi aliter exponunt præpositionem hic positam, accipientes pro super, vt intelligatur ipsum dicere voluisse se in montibus constitutum coniecisse in omnem circumquaque regionem oculos, atque speculatum, vnde sibi auxilia venirent. Id autem per metaphoram dicit, similitudine scilicet mutuata ab illis qui expectãtes auxilia ex editioribus locis speculantur, vnde illa demum aduenient. Voluit itaque exprimere quàm anxiè opem expectarit, atque & hũc sensum habebit nostra litera, si, in, pro super accipiatur. quemad modum cum dicimus, dormio in latus. Iam verò quod sequitur: Vnde veniet auxilium mihi: aut debet legi interrogatiuè, aut aliquid est subaudiendũ, in hunc modum: Leuaui oculos meos in montes, despiciens vnde mihi veniat auxilium.

b DOMINVS PROTECTIO TVA.] Hebræa dictio non significat simpliciter protectionem, sed vmbram: proinde oportet intelligere de huiusmodi protectione, qualis est vmbra vel vmbraculum, totum hominem omni ex parte obumbrans. Ex quo item consequens est, particulam sequentem, super manum, non sic cum superiori connecti, vt significetur Deum protegere & obumbrare manum dexteram, qui totum hominem quasi sub velamento alarum suarum tegit: sed intelligendum est Dominum astare iuxta manum dexteram, vt, super, accipiatur pro iuxta, sicut cum dicitur postea: Super flumina Babylonis sedimus, &c. vt idem sit hic loquendi modus qui alibi, dum dicit: A dextris est mihi, ne commoueas. Itaque postquã dixisset: Dominus custodit te subiungit duplicẽ rationem, qua Deus intelligatur prouidè admodum nos custodire, vt eo intellecto securius nos illi credamus. In anagogico tamen sensu rectè Augustinus per manum dexteram intelligit bonas operationes, in quibus Deus nobis adest adiutor.

c PER DIEM SOL, &c.] Ad literam quidem hic aliud Propheta significare non vult, quàm omni tẽpore ab omni malo Deum fidẽtes sibi custodire. vnde quasi exponens tropũ, subdit: Dominus custodit te ab omni malo. Secundum anagogicũ tamen sensum rectè per diem, tẽpus prosperitatis: per noctem, tempus aduersitatis intelligitur. Augustinus autem subtilius per solem, Christi diuinitatem: per lunam, Christi humanitatẽ intelligit. Fuerũt enim hæretici, qui in Christi diuinitate sunt scandalizati, & errauerunt: alii vero in Christi humanitate.

d DOMINVS CVSTODIAT, &c. Familiare est linguæ Hebrææ per introire & egredi significare omnem vitæ humanæ cõuersationem, vt Deut. 28. Benedictus eris ingrediens, & egrediens. Vel, vt habent Hebræa, Benedictus eris in introitu tuo, & benedictus in egressu tuo. Sic. 2. Reg. 17. Dauid dicitur egredi & ingredi coram populo. & 3. Reg. 3. Salomon. Ego autem, inquit, sum puer paruulus, ignorans egressum & introitum meum, id est, quomodo conuersari, & omnia mea instituere debeam. D. Augustinus mysticè introitum accipit, cùm ingredimur tentationem: exitum, cum ab ea liberamur, eamque superamus. Porro etsi interpres in hoc Psalmo bis vertat per præsens indicatiui, Dominus custodit, bis per optatiuum, Dominus custodiat: Græcis tamen semper est futurum indicatiui, Dominus custodiet, vt correspondeat quarto versui, Non dormitabit, neque dormiet. Hebræis verò in tribus vltimis locis est, custodiet, primo vero custodit, quomodo & Augustinus legit. Editio tamen Complutensis omnibus quatuor locis habet optatiuum φυλάξει, custodiat.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI. CXXI.

Præsens Psalmus describit studium & gaudium sanctorum in adeundo domum Domini in Hierusalem, cuius gloria & fœlicitas canitur ab eo quod sit egregiè edificata, optatáque ciuium vnanimitate optimè instituta, quódque ea & religionis esset locus, & sedes item regni: tum & vota continet sanctorum, ipsius Hierusalem pacem & prosperitatem optantium. Videtur autem hunc Psalmum Dauid composuisse, & cantandum dedisse, cum iam translata arca fœderis in

Hierusalem, eam domicilium fecerat religionis & regni. Quanquam etiam conueniat his qui post solutum exilium Babylonicum reædificauerunt Hierusalem & templum. Sub typo autem terrenæ Hierusalem, hic oportet intelligere describi potissimum fœlicitatem ecclesiæ Christi votaque & studia sanctorum erga illam. Quæ vt est verior Hierusalem, ita omnia hæc verius illi competunt quæ de ea hic magnificè prædicantur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

GAudio magno perfusus sum ex his quę dicebantur mihi à dicentibus: In domum Domini ibimus. Gauisus, inquam, sum, tum quòd iucundum mihi esset adire domum Domini, tum quòd audirem alios sese mutuo ad domum Domini inuitantes, & ad eam aspirantes. *Psa.121* a

2 Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalē.

2 Itaque nihil cunctantes ad eam statis temporibus venimus, steterúntque summa cum mentis corporisque alacritate pedes nostri in atriis tuis, ô Hierusalem. b

*3 Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. * † cuius participatio eius in idipsum.*

3 Et merito quidem hanc adire, atque in hac stare optamus multis nominibus. Ipsa enim Hierusalem ædificata est, vt par est ædificari ciuitatem: * ciuiúmque eius communio & societas gratissima vnitate sibi mutuò cohæret. † Domorum quoque eius obligationes ob inhabitantium multitudinem in vnum connexæ sunt.

*4. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel * ad confitendum nomini Domini.*

4 Deinde illuc, iuxta testificationem & præceptum datum à Deo Israeli, ascendunt statutis anni temporibus tribus, tribus, inquam non omnium nationum, sed à Domino electæ: * Ascendunt autem potissimum ad laudandum ibi pro acceptis beneficiis Dominū, qui vnicè præ sacrificiis requirit laudis sacrificium. c

*5 Quia illic sederunt sedes in iudicio, * sedes super domum Dauid.*

5 Illic quoque collocatæ sunt sedes ad dicendum ius omni populo: * sedes, inquam, pro domo & familia Dauid, ad cuius solius familiam ex promissione diuina regia & iudiciaria potestas pertinet. d

6 Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem,

6 Proinde quoniam hæc diuinitus instituta est & religionis & regni sedes, atque ob id ab eius pace & prosperitate, totius populi ac regni fœlicitas pendet, quotquot estis de populo Dei, precemini quæ faciunt ad pacem & prosperitatem huius nostræ Hierusalem; mecúmque ei bene precātes dicite: * Abundantia omnium bonorum sit, ô Hierusalem, his qui diligunt te, tibique ex animo fauent, quo hac ratione plures exteri ad amorem tui pelliciantur. e

** & abundantia diligentibus te.*

*7 Fiat pax in virtute tua, * & abundantia in turribus tuis.*

7 Sit etiam pax, innumerosa populi inhabitantis te multitudine, atque in mœnibus tuis, quibus circumcincta muniris, omniúmq; bonorum copia sit in turribus & palatiis tuis, quæ habes insignia. f

8 Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

8 Sic, ô Hierusalē, quæ pacis erant optaui tibi propter eos qui in te habitant fratres meos, & proximos meos, vnius mecum religionis & fidei.

9 Propter domū domini Dei nostri quæsiui bona tibi.

9 Propter domum item domini Dei nostri, quæ constituta est in te, & precando optaui tibi bona, & omni studio tibi prodesse, quod in me est, conatus sum, duplici dilectionis nomine tibi bene affectus, nempe dilectionis proximorum, quibus omnem opto fœlicitatem, & dilectionis Dei, cuius gloriam illustrem esse percupio.

ANNOTATIONES.

a IN HIS QVÆ DICTA SVNT.] Hebræa habent participium actiuū, in dicentibus mihi: sic autem melius cohæret quod sequitur: In domum Domini ibimus. Ita & Græca participiū actiuū habent, ἐν τοῖς εἰρημένοις, non ἐν τοῖς εἰρημένοις, hoc est, in dicentibus, non, in dictis. Porro quod sequitur, in domum Domini ibimus: potest etiam verti futurū ibimus, per imperatiuum, eamus, vt sit vox adhortantium ad eundum in domum Domini, quamuis etiam rectè intelligatur vox eorum qui annuntiāt adesse tempus adeundi Dominum.

b CVIVS PARTICIPATIO, &c.] In hac oratione secundū relatiuū, eius, secundum Hebraicā phrasim additū supereſt, quod ad sensum attinet. Porro relatiuū, cuius, referri pōt vel ad, Hierusalē, vel nomen, ciuitas. Significatur aūt secundū quosdā connexio domorū ob multitudinem inhabitantium: secundū alios, ciuiū communio & vnanimitas: secundum quem sensum duo hic versus continet, quæ ad absolutā ciuitatis gloriā faciunt, nēpe ędificiorū splēdorē, dū dicit: ędificatur vt ciuitas: & ciuiū concordiam, cū dicit: cuius participatio, &c.

c TESTIMONIVM ISRAEL.] Dictio, Israel, datiui casus est. Additur enim in Hebræo litera Lamed, & in Græcis articulus τῷ. Porro dictio, testimoniū, pōt esse accusatiui casus, vt subaudiatur, κατὰ, id est, iuxta, quemadmodū annotauit Euthymius: aut nominatiui casus, vt hæc oratio, testimonium Israel, per parenthesim interiecta legatur, & sit sensus: Testimonium istud factum est Israeli.

d SEDERVNT SEDES.] Aut sederūt, impropriè debet accipi pro collocatę sunt, quāuis tñ Græca dictio ἐκαθισαν, propriè significet vel sedere vel cōstituere: aut sedes. &, vt habēt Græca, throni pro ipsis iudicibus sedētibus in sedibus: nisi fortè, sederūt, accipiatur hic significare perpetuitatē quandā vt sit idē quod permanserunt, & firmiter cōstitutæ sunt. Hebræa enim dictio significat sedere, manere & habitare. Vnde interpretes pro Caietano verterunt, steterūt: ipse autē interpretatur, manserunt.

e QVÆ AD PACEM, &c.] Dictio Hierusalē, manifestè apud Hebræos est genitiui casus. Verùm apud Græcos videtur esse accusatiui casus, præponitur em̄ articul⁹ τὴν. Τὰ εἰς εἰρήνην τὴν Ιερουσαλήμ. Vnde Euthymius sic exponit: Loquimini ad ipsam Hierusalem verba pacifica, dicendo scilicet, pax sit tibi. Vnde videtur verbum, ἐρωτήσατε, accepisse pro dicere & loqui. Videtur autem potius esse vitium scriptoris, qui scripserit τὴν pro τῆς, nisi fortè articulus τὴν referri debeat ad nomen εἰρήνην repetendum, vt sit sensus: rogate quæ ad pacem, pacem, inquam, ipsius Hierusalem.

f IN VIRTVTE TVA.] Dictio Hebræa significat quandoque exercitum, secundum multos tamen hic significat mœnia vel valla ciuitatis. Proinde δυνάμει, vt habent Græca, hoc est, vt nos habemus, virtute, rectè accipitur hic vel pro exercitu, sicut accipitur cum dicitur: Dominus δυνάμεων, virtutum, vel pro ipsis muris & vallis ciuitatis, eo quòd in his ciuitatis fortitudo sita sit.

PARAPHRASIS EIVSDEM SECVNDVM SENSVM MYSTICVM.

1 Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus.

GAuisus sum in magno spiritus gaudio cùm ab Euāgelicis prædicatoribus diceretur mihi iam esse tempus, vt relictis idolorum templis omnes gentes adeamus domum Domini, tum eam quæ in terris constituta est ex sanctis hominibus, è quorum consortio gentes prius excludebantur: tum eam quæ in cœlis est, à cuius ingressu omnes antehac homines prohibebātur. Lætatus quoque sum, cùm audirem quamplurimos me & seinuicem aduocantes ad domum Domini, hoc est, vt relicto mundo, sancta conuersatione ad cœlestem habitationem properarent *Psal.121*

2 Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalē.

2 Itaque ad hanc prædicationem aut adhortationem nihil cunctātes stetimus, ô cœlestis Hierusalem, pedibus nostris in atriis tuis. Relicta enim pristinæ vitæ conuersatione, ac torpore omni discusso, quamuis adhuc corpore peregrinemur à te, tamen affectibus ad te sublatis, in mansionibus tuis supernis consistimus alacriter & fixè, & quandiu non licet in penitiora tua adyta, & vera illa sancta sanctorum ingredi, hic interim in atriis tuis, hoc est, fidelium qui in terra sunt congregationibus, perseueranter stamus cum gaudio.

3 Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas,

3 Et sanè tanta est huius ciuitatis, de qua loquor, claritas & splendor, vt meritò volupe sit eam adire, & in ea stare, idque multis rationibus. Primum enim hæc ipsa Hierusalem ad instar alicuius ciuitatis terrenæ ædificatur, sed ex lapidibus viuis ipsi fundamentō Apostolorum & Prophetarum superædificatis: *estque societas ciuium eius summè vnanimis, sibique consentiens, & id quidem quoad vtramque eius partem, tum eam scilicet quæ in terris, quasi in humiliore valle sita est, tum eam quæ in cœlis, quasi edito monte Sion, suam habet mansionem. Nam & in illa, sublata omni religionum diuersitate, omnes vnius fidei & charitatis vinculo inter se cohærent, quantumuis diuersarum sint nationum & linguarum, & in hac vnius omnes per omnia voluntatis perfectissima sibi amicitia consentiunt. Neque tamen singulārū partium ciues inter se tātum separatim cōsentiunt, sed vt sunt omnes vnius ciuitatis ciues, ita quoque eiusdem dei cultu, mutuæque charitatis glutino mirabiliter atque iucundè inter sese colligati sunt & hi illis, & illi istis.

** cuius participatio eius in idipsum.*

4. Illic enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israel,

4 Ad hanc autem quam dixi, ciuitatis huius gloriam, quam habet partim ex ædificiorum claritate, partim ex ciuium vnanimitate, accedit & alia eius gloria, nempe quod ad eam ascendunt non iam tātum duodecim Israelitarum tribus, sed ex omnium gentium tribubus quamplurimi, non tamen omnes, sed quos sibi Deus ab initio delegit: ascendūtque non iam ter solum in anno sed continuò: idq; siue spectes eam partem quæ in terris sita est, siue eam quæ in cœlis. Siquidem ad illam quotidie adeunt, qui per fidem & sacramenta eius ciues inscribuntur: ad hanc vero, qui peracto peregrinationis huius cursu sursum recipiuntur.

** ad confitendum nomini Domini.*

* Ascendunt autem ad laudandum ibi pro acceptis beneficiis nomen Domini, quod sacrificij genus pro omnibus legalium victimarum sacrificiis hic vnicè exhibetur. Et quidem vt huc ascendant, præceptum est à Deo constitutum omnibus his qui inter veros Israelis filios censeri volunt. non enim præterquam in hac sola ciuitate voluit esse locum cultus sui, adeo vt accepta non sit illi seruitus aut laus, quæ extra eam ipsi defertur.

5 Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.

5 Postremum autem præter sanctitatis ac religionis honorem, quo præeminet, etiam regia ac iudiciaria potestate clara est. Illic enim constitutæ sunt sedes ad exercendum iudicia. Verùm hæ sedes tantum spectant ad domum & familiam Dauid. Solus enim Messias, Dauidis filius est, ad quem primo iudicandi potestas pertinet: qui tamen eam tum in terris, tum in cœlis quibusdam quasi vicariis suis & assessoribus communem facit. Siquidem in terris habet, qui eius nomine populum Dei iudicent, non quidē in his rebus, quæ cum caduco hoc mūdo intereunt sed in his

in his quæ ſpiritus ſunt,iuſtum ab iniuſto,ſanctum à prophano,verúmque à falſo diſcernentes, & inobedientiam gladio ſpiritus vlciſcentes. In cœlis vero habet,qui cum ipſo iam fœliciter regnantes,in nouiſſimo iudicij die totum hunc mundum cum ipſo iudicabunt.

6 Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.

6 Quoniam itaque à proſperitate huius ciuitatis omnium noſtrum ſalus pendet.quotquot eſtis ciues ipſius, ſiue cœlum iam incolentes,ſiue adhuc in terra perigrinantes, orate concorditer ea quæ faciunt ad pacem & tranquillitatem ipſius,ſecundum eam ſcilicet partem quæ in terris conſtructa eſt,& variis vndique hoſtibus oppugnatur:nam ſecundum eam partem,quæ in cœlis exiſtens ab omni hoſtili oppugnãtione libera eſt,non eſt quòd pacem eius quis precetur. Orantes autem dicite:* Sit his qui te diligunt,ô Hieruſalem, omnium bonorum maximè ſpiritualium copia.

** & abundantia diligentibus te.*

7 Fiat pax in virtute tua,

7 Sit Dei beneficio pax in multitudine ciuium tuorum atque exercitũ tuo,qui pro te contra hoſtes tuos militat aſſiduè:pax,inquam,illa diuina,qua omnes tui ciues & inter ſeſe omni diſſenſione opinionum & voluntatum ſubmota, in vna fide & dilectione conſentiant, & ab externorum hoſtiũ oppugnatione ſint liberi.* Cum pace autem ſit in omnibus turribus & palatiis tuis,hoc eſt,in ſingulis fidelium cõgregationibus,omnium bonorum ſpiritualium abundantia, quæ pacẽ cõſequi ſolet,ſit vbertas gratiarum ſpiritus ſancti,ſit profectus euangelicæ doctrinæ,ſit & fœcunditas bonorum operum.

** & abundantia in turribus tuis.*

9 Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

8 Ad hunc ſanè modum precatus ſum pacem pro te,ſempérque precabor,tum propter fratres meos & amicos, qui te diligentes vnius mecum ſunt profeſſionis & fidei.

9 Propter domum Domini Dei noſtri quæſiui bona tibi.

9 Tum propter domum Domini,quam in te ſolam ſibi delegit.Siquidem partim ex charitate fraterna, partim ex dilectione Dei tibi bene precatus ſum,quo nimirum per pacem & fœlicitatem tuam, & Dei nomen glorioſius continuò ſanctificetur,& electi vniuerſi deſtinatam fœlicitatem plenius percipiant.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI. CXXII.

ORatio eſt hic Pſalmus,ſanctorum,qui expoſiti ludibriis impiorum ob rerum ſucceſſum inſolenter agentiũ,anxiè orãt Deum,ut ipſos liberet,quippe à quo toti pendeant,non aliter quàm à dominorum ſuorum ope ſerui.Putantur autem hæc oraſſe Iudæi, cùm Babylonica captiuitate premerentur:quanquam & pro alijs temporibus ueteri populo hæc oratio conuenerit,ut & nunc eccleſiæ fidelium,quandocunque ab impijs opprimitur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Ad te leuaui oculos meos, * qui habitas in cœlis.*

IN his noſtris afflictionibus Domine nequaquam ad mundi reſpexi præſidium,ſed ad te leuaui oculos meos,tum corporales tum mẽtis *qui cum ſis vbique,peculiariter tamen tibi habitationem delegiſti in cœlis,demonſtrans te potentiſſimum vniuerſorum eſſe Dominum. Pſ.122.

2 Ecce ſicut oculi ſeruorũ, in manibus dominorum ſuorum.

2 Neque leuaui ſolũ,ſed perſeueranter ad te reſpexi.Sicut enim oculi ſeruorum intentè reſpiciunt ad manus dominorũ ſuorum,ſiue vt longo labore fatigati ſerui neceſſarium accipiãt cibum,ſiue vt eorum ope vindicentur ab iniuſtis oppreſſoribus, eo q; ſeipſos defendere nec debeant,nec ſufficiant,neque alios adiutores ſperare poſſint,quàm ſuos dominos.in quorum iure toti ſunt.

*3 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ *ita oculi noſtri ad Dominum Deũ noſtrum,donec miſereatur noſtri.*

3 Sicut etiam ad eundem modum ancillæ reſpiciunt ad manus dominarum ſuarum:*ita & nos,humiles Dei noſtri ſerui,omnem vindictam illi committentes,& ab eius ope toti pendentes ſuſpicimus iugiter ad ipſum,donec miſereatur noſtri.

*4 Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri:*quia multũ repleti ſumus deſpectione.*

4 Itaque miſerere noſtri Domine,miſerere,inquam,noſtri,*quia plus nimio ſatiati ſumus contemptu.

5 Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.*

5 Vehementer,inquam,& vſq; ad nauſeam plena eſt anima noſtra contemptu & contumelia,ita vt moleſtè admodum nos grauet & oneret, quemadmodum nimia ſaturitas ventriculum:*opprobrium enim facti ſumus locupletibus,& deſpecti ab his qui præ nimiis opibus & fœlicitate ſuperbiunt contra te,& omnes afflictos,ex his quæ à te acceperunt bonis contra ſanctos tuos non ſine iniuria nominis tui occaſionem inſoleſcendi ſumentes. a

ANNOTATIO.

a OPPROBRIVM ABVNDANTIBVS, &c.] Euthymius ſubintelligendũ vult verbũ, obueniat,vt ſit ſenſus:His qui nos opprobrio afficiunt & deſpectui habẽt,obueniat vicißim opprobriũ & deſpectio ſuperbis:& ſubaudit verbũ,erit. Cæterũ ex Hebræo verè hos nominatiuos vertunt per ablatiuos :,Repleta eſt anima mea opprobrio, abundãtia,& deſpectione ſuperborum.Cui intelligentiæ magis conuenit ſenſus noſtræ lectionis in paraphraſi indicatus,vt ſubaudiatur, facti ſumus.

Can

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIII.

GRatulatur hoc Pſalmo populus ſanctus ereptum ſe diuina ope à præſentiſſimo diſcrimine:& hoſtibus ferociſſimis, qui alioqui totum erant populum deuoraturi.Putatur autem à pleriſque & hic decantatus,cum ſolueretur exilium Babylonicum:verum cum ex titulo Hebraorum codicum conſtet à Dauide editum,& hic dicatur a Dauide: Dicat nunc Iſrael:magis exiſtimandum hunc Pſalmum à Dauide editum,occaſione eius liberationis, qua ipſo regnante populus Iſraeliticus liberatus eſt ab omnibus hoſtibus circumuicinis,à quibus prius grauiter premebatur,quamuis etiam conueniat populo è Babylone redeunti,aut aliàs à quocunque graui periculo liberato,quemadmodum & nunc Eccleſia fidelium gratias agenti pro liberatione ab hoſtili aliqua oppugnatione,ſiue à poteſtate dæmonum humano generi primùm prædominantium.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis.

DIcat nunc totus Iſrael,quod niſi Dominus affuiſſet nobis, dicat inquam,niſi Dominus affuiſſet nobis,defendendo & ſuccurrendo. *Pſal.123* a

2 Cùm exurgerent homines in nos,forte vivos deglutiſſent nos.

2 Quum inſurgebant contra nos hoſtili animo homines in magna multitudine,vtique veluti viuos deglutiſſent nos,hoc eſt,celerrimè nos totos perdidiſſent,ita vt nihil noſtrũ amplius ſuperfuiſſet, quemadmodum dum fera aliqua beſtia celeritate ſumma animalcula minora viua deglutit. Tanta enim certè fuit imminentium nobis hoſtium feritas. b

3 Cùm iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos.

3 Dicam & alia comparatione imminentis nobis perditionis celeritatem.Cùm arderet furor eorum in nos, vtique hoſtilis multitudinis impetus inſtar inundantium aquarum nos omnes penitus obrutos demerſiſſet & extinxiſſet.

4 Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aqua intollerabilem.

4 Incidiſſemus enim in hoſtilem impetum,in modum rapidiſſimi torrentis,irruẽtem ſubitò & præter expectationem,omnéſque obuios ſecum rapientem:vtique incidiſſemus in ineuitabilem hoſtium vim, nos omnes vaſtantem, quaſi impetus aquarum maximus, quem effugere nequit qui eo correptus fuerit. c

5 Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

5 Quandoquidem itaque ſola Dei ope à tam graui tamque præſenti periculo erepti ſumus,meritò ab omnibus nobis laudandus eſt Dominus,qui non permiſit nos fieri prædam dentibus illorum : dico autem prædam dentibus eorum,eo quòd ſimili ſanè feritate nos perdere conabantur,qua belluæ prædam captã dentibus corripiẽtes & concerpẽtes.

6 Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

6 Quid autem dico,Deum non permiſiſſe nos capi & dilaniari ab hoſtibus noſtris?maius eſt quod nobis præſtitit.quandoquidem anima noſtra Dei beneficio erepta eſt de laqueo venãtium,nos quemadmodum paſſer aliquis captus,qui præter ſpem elabitur è retiaucupis.Cùm enim iam ab eis capti videremur, & in illorum poteſtatem veniſſe, ſubito ab eorum tyrannide liberati ſumus, priuſquam ad internecionem vſque in nos ſæuirent.

7 Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.

7 Sicut enim captum paſſerem liberari contingit dum frangitur rete, ita & hoſtium noſtrorum poteſtas, qua tanquam laqueo quodam nos comprehenſos detinebant diſſoluta eſt,atque per hunc modum liberati ſumus ab eorum violentia,

8 Adiutorium noſtrum in nomine Domini,qui fecit cœlum & terram.

8 Cæterum hanc liberationem nulli alij acceptam ferre debemus quàm ſoli Deo.Omne enim noſtrum adiutorium per virtutem Domini nobis contingit,pérque eandem in poſterum omne auxilium nobis expectamus:Illius,inquam,Domini,qui fecit cœlũ & terram,ita vt de eius immenſa potentia meritò nobis gloriari,& confidentius ſperare liceat.

ANNOTATIONES.

a NISI QVIA DOMINVS.] Hanc orationem quidam,eo quòd imperfecta videatur,ſic ſupplẽdam putant:Niſi ſaluati fuiſſemus, quia Dominus erat in nobis. Verùm præſtat eam ſecundum phraſim Græcanici ſermonis accipere, vt, quia,ſuperfluat, & ſit ſenſus: Niſi dominus fuiſſet in nobis,quemadmodum illud:Niſi quia Dominus adiuuit me,&c.&,Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, &c.Hæbrea habent ad verbum: Niſi Dominus qui erat in nobis,& ſubaudiũt, Niſi Dominus qui erat in nobis,ſeruaſſet nos.Plerique tamen eodem modo vertunt quo expoſitum eſt, intelligentes relatiuum,quod etiam poteſt ſignificare quia,ſupereſſe quod ad ſenſum attinet.

b FORTE VIVOS, &c.] aduerbium dubitandi fortè & forſitan hic ter poſitum non bene in his locis conuenire videtur,ſignificat enim non omnimodam neceſſitatem opis diuinæ, ac proinde & beneficij diuini magnitudinem extenuat, quod omnibus modis hic extollere & augere conatur. Proinde notandum. Hebræa in his locis non habere dictionem dubitãdi,ſed magis dictionem confirmantem . vbique enim eſt (tunc) & Græca dictio ἄρα, non ſolum ſignificat fortè, ſed frequenter etiam certè, vtique , ſanè. Vnde vertendum potius erat vtique nos viuos deglutiſſent nos. Vtique aqua,

&c.Ita

Itaque in noſtra lectione hic, forſitan, non debet accipi dubitatiuè, ſed modeſtiæ cauſa poſitum, vt & alibi aliquoties, eo quod futurarum rerum euentus nobis ſit vt in plurimùm incertus.

TORRENTEM PERTRANSIVIT.] Videtur verſus hic ſecundum noſtram lectionem ſic eſſe intelligendus, quemadmodum & communiter intelligitur: Anima noſtra euaſit periculum, verum niſi Dominus fuiſſet in nobis, incidiſſemus periculum inſuperabile. Hic tamen ſenſus non congruit originali linguæ Hebrææ, nec in ſeipſo expenſus conueniens eſt. Siquidem cum torrens aquas ſignificet rapidiſſimas, quomodo dicitur anima pertranſiſſe torrentẽ: non tamẽ aquam intolerabilem, nulla eñ fluens aqua inſuperabilior torrente. Deinde ſecundũ illum ſenſum, verbũ, pertranſire, æquiuocè accipiendum erit. In Hebræo autẽ omnia verba hic poſita in præterito eodẽ ponuntur, quod apud eos eſt vnũ: vnde ſicut præcedẽtia verba verſa ſunt per præteritum ſubiunctiui, conueniebat & iſtud verbũ ſic verti, quomodo & Græcum præteritũ hic poſitũ verti poteſt. cùm ſit etiã Aoriſtus, ſicut præcedentia, & idem verbũ quod in eodem verſu verſum eſt per pertranſiſſet. Annotatũ eſt idẽ in Pſ. 80.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIIII.

PRæſenti Pſalmo Propheta, vt firmiter in Deo ſperare, & in iuſtitia perſeuerare faciat, primùm quidem promittit inſtar montis Sion, & ciuitatis Hieruſalem ſtabiles fore & tutos omnes iuſtos fidentes in Dominum: tum & prece interpoſita pro ſalute iuſtorũ, prædicit à iuſtitia declinantes impiis in punitione commingendos, pacẽ autẽ Iſraelitis veris obuenturã.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.

*2 Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui: * ex hoc nunc & vſque in ſæculum.*

*3 Quia non relinquiet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: * ut non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.*

4 Benefac Domine bonis & rectis corde.

*5 Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatẽ: * pax ſuper Iſrael.*

QVotquot ſpem ſuam collocant in Domino, eique ſe totos credunt, hi ſicut mõs Sion, qui in Hieruſalem fixum habet locum, nũquam tolletur de loco ſuo: ita quoque nunquam commouebuntur, nec deficient, ſed omni tempore ſtabiles erunt. Pſa.124 a

2 Sicut montes ſunt in circuitu Hieruſalem, eiſque circumcincta munitur: ita & Dominus eſt pro muro in circuitu populi ſui, ex omni parte ipſum ab hoſtili impetu muniens & defendens: * idque ex hoc tempore vſque in perpetuum.

3 Etſi enim ſinat aliquando populum ſuum oppugnari ab impiis, aut etiam impios aliquantulum populo ſuo præualere, tamen non ſinet ſceptrum & potentiam impiorum diu dominari hæreditati, quæ velut diuina ſorte iuſtis obuenit: * ne & ipſi iuſti extendant ad perpetranda ſcelera manus ſuas. Nouit enim Domin⁹ & iuſtis periculũ eſſe, ne ſi diu ab eo relinquantur, de diuina iuſtitia & cuſtodia deſperantes, viã iuſtitiæ relinquant. Nouit impiis imperiũ obtinentibus ratã eſſe iuſtitiã, ac pleroſq; iuſtos adhuc infirmos, aut timore tyrannorũ, aut placendi illis ſtudio, aut denique quadam peccandi licentia & conſuetudine à recti ſtudio facilè detorqueri.

4 Pro hac ergo Domine tua cuſtodia, qua iuſtos tibi fidentes ſeruas, benefac bonis, & his qui ſincero ſunt corde, puri ſcilicet à ſimulatione omni & iniquitate.

5 Eos autẽ qui relicta rectitudine iuſtitiæ, quã ſemel amplexi ſunt, declinant ad obliqua, tortuoſa, & peruerſa, atq; ad ea quibus ſuas conſciẽtias miſerè obligant ad vindictã, Dominus coniunget iis qui ex profeſſo mali ſunt, ac ab initio ſemper dediti iniquitati, eodẽ illos quo hos ſupplicio inuoluens. * ſuper Iſraelem autem, qui fidem & pietatem Iacob imitatur, pax requieſcet tum in hoc, tum maximè in futuro ſæculo. b

ANNOTATIONES.

a QVI CONFIDVNT IN DOMINO.] Verſus hic dupliciter diſtingui & intelligi poteſt. Primum enim cõmuniter ſic intelligitur: Qui confidunt in Domino, erunt ſicut mons Sion. Deinde noua oratione ſubiũgatur: non commouebitur in æternũ quiſquis habitat in Hieruſalẽ. Verùm iam neceſſe eſt per Hieruſalẽ intelligere cœleſtẽ Hieruſalem, quandoquidem commoti ſunt iam omnes ciues terreſtris Hieruſalẽ atq; hunc ſenſum ſequitur Auguſtinus, qui deinde in verſu ſequenti per montes qui ſunt in circuitu Hieruſalem, intelligit angelos & ſanctos eccleſiæ cuſtodes, vt ſit ſenſus: Habet quidem hæc Hieruſalem mõtes in circuitu quibus munitur: verum hoc maximè eam munit, quòd etiam Dominus eſt in circuitu eius. Hebræa autem alium habent ſenſum: habẽt enim: Qui confidunt in Domino, ſicut mons non cõmouebitur, ſed in æternum manebit. ſita etiam illi non cõmouebuntur vnquam. Ac deinde in verſu ſequẽti, defenſio populi Dei explicatur per ſimilitudinẽ defenſionis ciuitatis Hieruſalem: montes habent in circuitu ſuo, & Dominus in circuitu, &c. omittitur autem nota ſimilitudinis, ſicut, quod frequens eſt Hebræis: nominatim autem meminit montis Sion & ciuitatis Hieruſalem, ad literam quidem, eo quòd hæc eſſent notiora, gratiora, & ſanctiora Iudæis: ſecundum ſpiritum verò propter ſtabilitatem & munimen cœleſtis Sion & Hieruſalem. Secundum hunc ergo originalis linguæ ſenſum, dum dicitur: Qui habitant relatiuum, qui ad mon

ad montem Sion referendum, & verbum habitare, pro manere accipiendum.

DECLINANTES IN OBLIGATIONES.] Libri iã nouiter impreſſi habent, obliquationes: & eam certè lectionẽ dictio Hebræa magis requirit, quãdoquidem ea manifeſtè peruerſitates ſignificat. Idẽ quoque ſignificat dictio Græca στραγγαλία. Vnde exponit Euthymius εἰς στραγγαλιὰς, hoc eſt, in peruerſa & obliqua. Et Græcis στραγγαλιώδης, ſignificat tortuoſum. Eadem tamẽ dictio à Septuaginta interpretibus accipitur pro obligatione Iſaię 58. nam vbi nos habemus: Diſſolue colligationes impietatis. Septuaginta habẽt, Diſſolue obligationes violentarum cautionum. vbi ponitur eadem dictio, quæ hic, στραγγαλία. Dicuntur enim Græcis στραγγαλιώδεις, nodi ſine nexus intricati, ac proinde & obligatio rectè dicitur στραγγαλία, quod hominem innodet & implicet. Videtur itaque interpres potius vertiſſe obligationes quàm obliquationes, maximè cum hæc dictio Latinis auribus ſatis ſit inſolens. Lectio autem diui Auguſtini habet: Declinantes in ſtrangulationem. quæ lectio alludit ad dictionem Græcam nam & στραγγαλέω Græcis ſignificat ſuffocare & ſtrangulare. Porro peccata dicuntur obligationes, ſiue quia nos obligant ſeruituti peccati, ſiue quia reos faciunt ſupplicio.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI. CXXV.

PVtant hunc Pſalmum pertinere ad literam ad populum Iſraeliticum, cùm è Babylone reuerſus à vicinis gentibus continuò vexaretur, & a reparatione Hieruſalem impediretur, & adhuc magna populi pars in Babylone detineretur. Itaque populus ſanctus in memoriam reuocans lætitiam ſuam in prima relaxatione captiuitatis quæ facta eſt ſub Cyro, ſpem ſibi firmat, & orat etiam reliquam captiuitatem cum omnium gaudio reuocari: Cùm autem typo Babyloniæ liberationis obumbrata ſit perfectior illa totius humani generis liberatio, quæ per Chriſtum facta eſt: poſtquam tamen vſque in finem ſæculi ſemper adhuc electorum aliqui captiui detinentur ſub diaboli poteſtate, nec deſint vnquam qui cœptam ædificationem cœleſtis Hieruſalem remorari conentur & impedire: ob id ſecundum myſticum & præcipuum ſenſum Pſalmus hic vox eſt eccleſiæ in memoriam reuocantis beneficium liberationis per Chriſtum factæ, orantiſque vt cum gaudio & fructu prædicatorum, etiam eos qui per infidelitatem adhuc detinentur captiui, Dominus reducat à diaboli captiuitate. Porro Auguſtinus & Hilarius quæ verſibus quatuor primis per præteritum dicuntur quaſi de liberatione præterita, putant prophetico more de futura captiuitatis reductione eſſe dicta, ac præteriti temporis verba per futura exponenda, quemadmodum & in Pſalmo 84. huic perquàm ſimili, vt ſicut in illo primùm quidem vates verbis præteritis prophetat reductionem captiuitatis populi, ac deinde pro eadem orat, ita & hic: Quam ſententiam, vt eſt valde probabilis, ſi ſequi placet, iam hic Pſalmus prophetia eſt, & oratio prophetarum veteris teſtamenti prophetantium & orantium reductionem populi è Babylone, & ſub huius typo liberationem humani generis è poteſtate diaboli: Secundum quem modum etiam eccleſiæ fidelium vox eſt, prædicentis & orantis eam captiuitatis noſtræ liberationem, quam in nouiſſimo die iuſti omnes conſequentur, tranſlati in libertatem gloriæ filiorum Dei, & fructum ſeminati à ſe verbi Dei, bonorumque operum metentes.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: * facti ſumus ſicut conſolati.*

2 Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

*3 Tunc dicẽt inter gentes * magnificauit Dominus facere cum eis.*

*4 Magnificauit Dominus facere nobiſcum: * facti ſumus lætantes.*

*5 Conuerte domine captiuitatem noſtram, * ſicut torrens in Auſtro.*

6 Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.

7 Euntes ibant & flebãt, mittentes ſemina ſua.

8 Venientes autem veniẽt cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

CVm reuocaret Dominus ab exilio nos qui captiui ex Sion abducti fueramus, * facti ſumus ſicut hi, qui poſt graues calamitates conſolantur, hoc eſt, magno gaudio perfuſi ſumus, ſomno atque quiete nos reficientes: præque magnitudine gaudij viſi ſumus non aſſequuti verè tantum boni, ſed ſomniare, quemadmodum conſolatis euenire ſolet. Pſal.125 a

2 Tunc præ plenitudine gaudij cordis, etiam os noſtrum plenum fuit: * iucundiſque ac lætis canticis, tunc lingua noſtra copiosè reſonabat carmina lætitiæ.

3 Quin & ipſæ gentes Dei noſtri benignitatem ſummam conſpicientes, dixerunt inter ſeſe: * Magnificè admodum fecit Dominus cum iſtis, ſupra modũ enim magna & ſtupenda ſunt quæ fecit in gratiam eorum.

4 Ita profectò ſe res habet vt dicitis, magnificè fecit Dominus nobiſcum: * quare gaudio affecti ſumus maximo.

5 Tu autem Domine, vti cœpiſti, perge reuocare reliquias captiuitatis noſtræ: * ita vt ea ſit quaſi torrens rapidè & copiosè fluens in vaſta illa & ſicca ſolitudine, quæ eſt ad auſtrum Iudææ, hoc eſt, captiuos noſtros copiosè recurrere fac, tantóque cum gaudio & fructu redire, quo terra ſitiens excipit fluentes per eam riuulos aqua plenos. b

6 Tum certè fiet id quod in agricolis ſeminantibus fieri ſolet. Qui enim ſeminant cum mœrore & labore, pòſt cum lætitia metunt. c

7 Soliciti quidem eunt, & mœrent portantes & ſpargentes ſemina ſua.

8 Verùm poſt venient gaudio pleni, referẽtes manipulos ſuos in horrea. Ita quoque & hi, qui lachrymantes & mœrentes in captiuitatem ierunt: diſpergentes in populis ſeſe, ſeménque ſuum, redibunt cum gaudio magno, diſperſos iam quaſi in manipulos collectos reducentes.

ANNOTATIONES.

SICVT CONSOLATI.] In Hebræo eſt, ſicut ſomniantes. Videntur autem Septuaginta ſub metaphora ſomni, cõſolationem deſignatam intelexiſſe, ac ob id quaſi tropum explicare volentes, vertiſſe, quaſi conſolati. Plerique tamen illud, ſicut ſomniantes, intelligunt ſignificare gaudii ma-

gnitudinem,præ qua id quod gerebatur,verè accidere non sit visum,sed quasi per somnium,quêadmodum Petrus è vinculis liberatus præ stupore putabat se id quod gerebatur somniare.Ad quem sensum etiam nostram literam accipi posse paraphrasis indicat.

b SICVT TORRENS IN AVSTRO.] Intelligitur communiter hæc pars hoc modo: sicut conuertitur torrens flante vento australi. Conuertitur autem,& fluere incipit torrẽs hoc vẽto flante,tum quia hic ventus vt est calidus,congelatas aquas dissoluẽs,fluere eas facit:tum quia pluuiam, vt est humidus,adducens,torrentes prius exsiccatos rursus fluere facit. Verùm hic sensus non conuenit originali linguæ,in qua dictio, נֶגֶב negeb,pro qua nos habemus,Austro, nunquam significat ventum Australem,sed vel terram siccam & desertã, vel ipsam meridionalem plagam,sic dictam, quòd vastum sit desertum in meridie Iudeæ.Proinde pro illo deserto, aut indistinctè pro deserta terra accipitur hoc loco, & precatur vates vt Deus captiuitatẽ redire faciat sicut torrentes in deserto fluẽtes, vt scilicet ita eos lætificet reditu captiuitatis, sicut lætificantur habitatores terræ siccæ fluentis aquarum. Itaque in nostra litera Auster potius accipi debet pro meridie.Conuenit autem iste sensus optimè etiam mystico intellectui,secundum quem hoc versu precamur, vt qui adhuc captiui sunt sub diaboli potestate, Dominus redire ad se, & ad ecclesiam suam faciat,sicut torrens in solitudine: nam & hac metaphora frequenter Isaias gentium conuersionem significat.Notandum & illud,Hebræis & Græcis nõ esse in singulari numero torrens, sed in plurali, & in accusatiuo casu torrentes, χειμάῤῥους & hoc modo legisse etiam Augustinum & Hieronymũ patet ex eorum commentariis.

c QVI SEMINANT IN LACHRYMIS.]Per allegoriam seminantiũ cum mœrore,& metẽtium cum gaudio,describere vult mœrorem euntium in captiuitatem, & lætitiam redeuntium. Secundum quosdam autem hac allegoria promittit vates populo magna cum afflictione in reparãda Ierusalem Iudanti lætam messem pacis & fœlicitatis optatæ. Quod quidem mystico sensui magis cõuenit, quo significatur eos qui in instauranda veriore Ierusalem hic verbo & exemplis incumbunt, multa ab impiis hoc sacrum ædificium remorari conantibus patientes,paulo pòst messuros fructus vitæ beatæ & sempiternæ,præter optatissimam messem restitutæ religionis in hoc sæculo.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVI.

PRæsenti Psalmo Propheta vt ad colendum Deum & fidendum ei vnicè inuitet,canit,sine Dei beneuolentia frustra esse omnem conatum,curam & laborem hominis,quem vel in paranda sibi domo & familia,vel in curanda republica,vel in quærendis vitæ necessariis susceperit,diligentibus autem Deum omnium verum securissimam abundantiam,liberósque & eos valentes atque frugi obuenire à Dei benignitate.Cõuenit autem hic Psalmus ad literam magis statui veteris testamenti,in quo filiorum multitudo,cæteraq; temporalia bona Deo placere studentibus promittebantur. Cæterum in mystico sensu & nos docemur,sine Dei gratia nihil nos posse,siue ad promouendum profectum mentis nostræ,siue ad ædificandum & custodiendum ecclesiam Dei:à quo ecclesiæ filij spirituales dantur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Nisi dominus ædificauerit domum,in uanum laborauerunt qui ædificant eam.*
2 *Nisi dominus custodierit ciuitatem,frustra uigilat qui custodit eam.*
3 *Vanum est uobis ante lucem surgere,surgite postquã sederitis,qui manducatis panem doloris.*
4 *Cùm dederit dilectis suis somnum,ecce hæreditas Domini,filij, merces,fructus uentris.*
5 *Sicut sagittæ in manu potentis,ita filij excussorum.*
6 *Beatus uir qui impleuit desiderium suum ex ipsis, *non confundetur cũ loquetur inimicis suis in porta.*

NIsi Dominus familiam & posteritatem parauerit & concesserit,frustra laborant qui sibi comparare eam conantur. Ps.126. a
2 Similiter & in eo quod ad communem vtilitatem & salutẽ pertinet, nisi Dominus custodierit ciuitatem,frustra vigilabit cui cura incumbit custodiendi eam.
3 Proinde vos quicunque vescimini cibo ærumnoso,quicunq; in tristitia editis panem magnis sudoribus paratum,scitote nihil successurum vobis,etiãsi summo mane surrexeritis,& statim postquam fessi sedistis, iterum surgatis ad opus & labores:nihil,inquam,vobis succedet, eo φ non in illo magis quàm laboribus vestris fidatis. b
4 His autem quos diligit Dominus,quæcunque vos magnis laboribus quæritis anxiè,sine solicitudine torquente,abundanter prouenient, ita vt Dei benignitate omnes eorum labores secũdante & condulcorante, videantur omnia quę contingunt dormientibus obuenire.Cùm itaque dederit Dominus his quos diligit mentis securitatem ac quietem summam ob persuasionem præsidij diuini, & affluentem rerum omnium abundantiam,tum certè inter reliqua illius dona,ipsi filij erunt hæreditas data eis à Domino,ac præcipuum præmium iustitiæ eorum,erit fructus uteri. c
5 Per hos autem filios ipsi dilecti à Deo,quamuis per sese fortissimi, & ad oppugnandum hostes suos expeditissimi,tamen fortiores erunt: siquidem hi filij erunt eis velut sagittæ in manu alicuius robusti:vt quomodo fortis aliquis vir sagittas in hostes maxima vi iaculatur, ita & illi filiis suis ad superandum & opprimendũ hostes suos sint potentissimi. d
6 Fœlix certè ille vir,qui plenam habet pharetram telis eiusmodi, hoc est,qui eiusmodi filiis plenam habet domum,& pro desiderio suo plenus est filiorum:*is enim non suffũdetur pudore, cùm cõtigerit eum filiis comitatum,contendere cùm aduersariis suis in porta, & frequentia populi.

Sen

Sensus mysticus.

IN sẽsu mystico domus & ciuitas, mẽs nostra est vel ecclesia,quarum vtramque frustra quis, vel ædificat vel ædificatam custodit sine Dei gratia.

Panem doloris manducant,qui veritatis cognitionem(hæc enim mentis panis est) extra veri Dei cognitionem,& extra ecclesiam summis quærunt laboribus:vt fuerunt philosophi,& nũc adhuc sũt hæretici,Iudæi,& infideles,quorum omnia studia pro inuenienda veritate vana sunt, eo quod à Dei non pendeant illuminatione.

Somnus datus dilectis, securitas est fideliũ per aduentum Christi,data eis ex persuasione diuinæ benignitatis,& gratiarum spiritus sancti abũdãtia cum hoc ergo somno dati sunt Apostolis filij,quia si pro mercede laborum suorum. Vnde hos filios Paulus vocat spem suam & coronam & gaudium, per quos filios,tanquam per sagittas,totum orbẽ Christo subiecerunt,& proper eos non cõfundentur in nouissimo iudicij die.

ANNOTATIONES.

a NIsi dominvs aedificaverit.&c.] Per domum hic nõ intelligitur propriè locus mansionis, (quamuis & de eo quod hic dicitur verum sit)sed familia.Hebraica autẽ phrasi ædificare,domum accipitur pro parare alicui familiam.Sic 2.Regum 7.& 1.Parali.17. promittitur Dauidi, φ Dominus faciet & ædificabit ei domum, & Exodi 1.dicitur Deus ædificasse domos obstetricibus vnde & Hebræis filius dicitur. בֵּן Bẽ ab ædificãdo,& ædificari, pro eo quod est susc̃ipere liberos. Nam Gen. 16.vbi habemus Saram dicentem, Ingredere ad ancillã meam,si fortè ex ea susc̃ipiam filios Hebræa habent,si fortè ædificer ex illa.

b SVRGITE POSTQVAM, &c. Ex Euthymio constat eũ legisse,ἐγείρεσθαι,surgere,nõ ἐγείρεσθε, vt habent nunc Græcorum codices. Et illo modo per infinitiuum vertisse Septuaginta cõstat satis ex Hebræo:non est enim קוּמוּ surgite,sed קוּם surge cũ, quod significat surgere.Proinde nostra litera sic est accipienda:etiamsi surgatis postquam sederitis.

c CVM DEDERIT DILECTIS, &c.) Hæc pars in Hebræo finis est superioris versus,& paulo aliter habetur,nẽpe: sic vel certè dabit dilecto suo somnum. Significatur autem hic per somnum, securitas cum omnium rerum abundantia quemadmodũ & in Psalmo 4.Opponit enim somnũ ei quod prius dixit de iis,qui cũ solicitudine magna vanos perferũt labores pro parandis vitæ necessariis.Porro in versu sequenti dũ dicitur:merces fructus ventris:communiter accipitur fructus esse genitiui casus, quẽadmodũ manifestè est in Græco,vbi legitur δώσει τὸν καρπὸν τῆς γαστρὸς. Proinde intelligitur significari,quod filij adoptiui Dei,sunt merces Christi,qui est fructus vteri virginalis.Verùm in Hebræo fructus est nominatiui casus,nõ enim שֵׂכָר Sacar merces ponitur in regimine.Itaque sẽsus est,quod fructus ventris est merces pietatis, quemadmodũ promittitur in Deuteronom.Et Euthymius in hoc sensu etiam Græcam literam intelligit.sic explicãs hanc orationem, merces fructus ventris. Merces illa quę de ventris prouenit fœcunditate, pietatis est merces.

d FILII EXCVSSORVM.] Laborãt hic omnes interpretes inquirẽdo qui sint isti excussi & eorũ filij.Et sunt qui excussos intelligunt Apostolos, & filios eorum esse credẽtes. Alij rursum excussos, intelligunt prophetas & filios eorum esse Apostolos,alij aliud adferunt.Verùm secũdum consilium Hieronymi in epistola quadã ad Marcellam in qua hunc locum Psalmi cum aliis eiusdem tractat, recurrẽdũ ad frontẽ Hebraici sermonis.Hic autẽ habet secundum omniũ versiones:ita filij adolescetiæ vel iuuẽtutis.Dictio enĩ Hebræa hic posita potest significare iuuentutem,potest etiã esse participiũ passiuum,significans excussos,à verbo נָעַר Naar, quod excutere significat.Septuaginta autem interpretes hic per excussos voluisse significasse iuuenes patet,vt ostendit Hieronymus, ex eo quod Nehemiæ 4. eandem hanc dictionem eodem modo verterunt.Nam vbi nos habemus:media pars iuuenum faciebat opus : Septuaginta verterunt, Medij excussorum,&c.vbi per excussos, iuuenes manifestè intellexerunt, sic eos appellantes, φ excussi essent,hoc est, expediti ad opus. Excussos enim, inquit Hyeronimus, & consuetudo sermonis humani vegetos & robustos &expeditos vocat : nimirũ quòd tales ab omni operandi impedimento liberi sint.Sunt ergo filij excussorum,filij iuuenum, hoc est ad literam,filij qui electis in adolescentia nascũtur.Proinde in hoc versu notatur duplex bonum filiorum quos Deus dat electis.Primùm,quod dentur eis filij validi ad deiiciendum hostes, secundo, quod dentur eis adhuc adolescentibus, quo dupli cem Dei benignitatem notauit,& quod suis matu rè liberos donat & quòd donat cùm tempus est illos æducandi,probe que instituendi,quod filiis senectutis à parentibus præstari nõ potest. Porro in sensu mystico per filios excussorum vel iuuenum, Christianorum populus accipiendus,qui filij sunt Apostolorum,qui respectu patrum veteris testamẽti,iuuenes fuerunt expediti valde ad perficiendumnoua opera Dei:Et hi quoque sagittis & arcui comparantur Zachariæ 9.

NON CONFVNDETVR.) Græca & Hebræa e habent plurale,non confundentur cumloquentur. Verùm familiare est linguæ Hebreæ mutare numerum. Vnde & Campensis singulariter interpretatur.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVII.

PRæsenti ipsalmo vates homini colenti Deum primum quidem promittit fœlicitatem in bonis priuatis,deinde autem etiam imprecatur fœlicitatem in bonis publicis.Enumerat autem bona vulgaria & temporalia quemadmodũ psalmo superiori,eo quod hæc promittebantur veteri populo.Verum in his spiritualia bona nos intelligere oportet, & quidem per manducationem laborum,voluptatem & fructum ex bonis operibus percipiendum: per uxorem fertilem,siue cœlestem sapientiam,quæ tot parit homini filios,quot per eam quisque instituit & erudit,siue carnem nostram,quæ rationi subdita bonorum operum multitudinem producit,per bona Hierusalem et pacem Israelis,superne Hierusalem vera bona,pacem quę sempiternam electorum Dei.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Beati omnes qui timẽt Dominum, qui ambulant in vijs eius:*

FOElices sunt omnes sinè discrimine cuiuscunque nationis aut conditionis qui reuerentur Dominum, & ex rẽuerentia eius viuunt secundum præscripta eius. Neque enim alioqui verè & salubriter quis Dominum reueretur, nisi secundum illius mandata ambulet. Ps.127.

2 *Labores manuum tuarum quia manducabis,*

**beatus es, & bene tibi erit.*

2 Fœlices autem tales esse dico. Nam tu quisquis huiusmodi fueris primum quidem cum voluptate edes laboribus tuis propriis acquisita, hoc est, neque inopia cogente alienos labores comedere necesse tibi erit, neque rursum alienus tuos labores te frustrato consumet: *diues eris, fœlicitérque tibi cuncta succedent.

3 *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ:*

3 Ad hanc autem externorum bonorum sufficientiam & abundantiam accedet & alia maior fœlicitas. Vxor enim tua similis erit viti fructiferæ, quæ sese propagabit per omnia latera domus. Quemadmodum enim vitis humile & infirmum lignum cum sit, longe tamen aſtéque ramos suos diffundit, fructumque omnium suauissimum profert: ita & vxor tua filiis multis, eisque elegantibus ac dulcibus domum tuam replebit.

4 *Filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mẽsæ tuæ.*

4 Filij tui sicut nouæ oliuarum plantulæ, pulchræ, ductibiles, delectabiles, semper virentes bonæque spei erunt in circuitu mensæ tuæ, ita vt & Dei munere eos iucundè pascas, & numero atque elegantia circũ stantium oblecteris.

5 *Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

5 Ad hunc profecto modum diuinam benignitatem percipiet quisquis piè metuit Dominum, abstinens eius metu ab omni malo, & faciens eius bonum.

6 *Benedicat tibi Dominus ex Sion, * & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

6 Benefaciat tibi Dominus ex Sion, *& ad priuatam illã quam dixi fœlicitatem adiiciat etiam publicam, vt scilicet cum voluptate videas & participes fœlicitatem Hierusalem cunctis diebus vitæ tuæ.

7 *Et videas filios filiorum tuorũ: * pacem super Israel*

7 Det quoque vt longo viuens tempore oblecteris, videndo tũ filios filiorum tuorum: *tum pacem super vniuersum populum Dei.

ANNOTATIONES.

a PACEM SVPER ISRAEL.] Græca habent, pax super Israel, vt eodem modo concludatur hic Psalmus quo 124. Et sic legit D. Augustinus. Hieronymus tamen ex Hebræo vertit accusatiuũ: nam & sic Hebræa verti possunt, & ab aliis quoque sic vertuntur. Vnde nostra lectio hac in parte mutuata videatur ex D. Hieronymi ex Hebræo trãslatione, sicut & alibi quandoque fit:

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXVIII.

HOc Psalmo vir sanctus primum inuitat populum Dei ad agnoscendum Dei erga se beneficium, quod scilicet impios etsi ab initio sæpe multumque populum Dei oppugnantes, non permiserit præualere: tum et precando prædicit in posterum quoque semper hostes populi Dei frustrandos sua spe. Quod autem dicitur, dicat nunc Israel, videtur ad literam notare tempus illud, quo post constitutũ regnum Dauidis in Sion populus Israeliticus liber atq; erat ab omnibus hostibus quos sæpe experti fuerat, à quo tempore cœperat esse populus sub Moyse duce. Verum in mystico sensu, quo hic Psalmus referẽdus est ad ecclesiam fidelium, aduersum, nunc, quoduis tempus designare potest, cum omni tempore ecclesia gloriari & peruenire & possit de diuina ope, qua hostibus suis (quos tum ab exordio mundi, tum à principio euangelicæ prædicationis semper habuit, semperque habitura est vsque in consummationem sæculi,) nunquam vel succumbet.

PARAPHRASIS EIVSDEM

1 *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel,*

MEritò iam dicere potest & debet Israel, sæpe impij oppugnauerũt me ab eo tempore, quo cœpi esse populus Dei. Ps.128 a

2 *Sæpe expugnauerunt me à iuuẽtute mea: * etenim non potuerunt mihi.*

2 Sæpe, inquam, oppugnauerunt, & expugnare conati sunt me velut ab ineunte ætate: * sed certè nequaquam potuerunt mihi prævalere penitus, ita vt quemadmodum cupiebant, omnino extinguerent, aut in sua potestate semper detinerent.

3 *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores,*

** prolongauerunt iniquitatem suam:*

3 Non solum autem multis vicibus me oppugnarunt, sed etiam grauissimis atque diuturnis afflictionibus. Ipsi enim impij veluti supra dorsum meum fabricauerunt & arauerunt, sine vlla scilicet commiseratione grauissimis calamitatibus corpus meum velut contundentes & proscindentes: *deinde iniquitatem suam etiam longo tempore in me continuauerunt. b

4 *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum, * confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui odiunt Sion.*

4 Verum Dominus, eo quod iustus sit abscidit elatas impiorum ceruices, arrogãtiamque illorum ac potentiam perdidit: *sed & in posterũ ipso pro nobis pugnante pudefient semper, & in fugam conuerteatur, pudefactique discedent quotquot odio habent Sion. c

5 *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit.*

5 Fient similes herbæ crescenti in tectis domorum, quæ priusquam in eã magnitudinem excreuerit, vt humana opera euellatur, exaruit, eo quod non habebat firmam radicem

6 Qua

6 *De quo non implebit manum suam qui metet: * & sinum suum qui manipulos colliget.*

6 Qua non dignatur manum suam implere vllus messor: *nec sinum suum is qui colligit manipulos. d

7 *Et non dixerunt qui præteribant: * Benedictio Domini super vos, benedicimus vobis in nomine Domini.*

7 Atque ob id etiam nulli prætereuntes pro huiusmodi herba vel segete dixerunt messori & collectori: * Adsit laboribus vestris benignitas Domini, bene precamur vobis, inuocando super vos nomen Domini. Ita enim & ipsi, quamuis ad tempus florere videantur, tamen eo quod non habeant firmam radicem, subito ante tempus euanescent, diuinæ vltionis ardorem non ferentes, neque erunt qui eos colligere & erigere dignabuntur, aut colligentibus bene precari. Atque in nouissimo die non habebuntur digni, vt à messoribus Domini congregẽtur in horrea eius, aut vt quis videns eos benedicat iis qui fauent eis, aut laborant pro eis.

ANNOTATIONES

a ETENIM NON, &c.] Coniunctio, etenim, hic est accipienda, sicut in Psalmis frequẽter pro, & certè. Plerique tamen intelligunt eam dicere causam eius quod dixit, sæpe expugnauerunt, vt sit sensus: multis viribus me oppugnarũt, eo quod non potuerint præualere.

b SVPRA DORSVM FABRICAVERVNT.] Hebræa habent, arauerunt aratores. Significatur autem illa mathaphora idem quod in nostra lingua: notatur enim vtraque locutione & hostium crudelitas, & calamitatum magnitudo.

c DOMINVS IVSTVS CONCIDIT.] Legẽdum esse præteritum, concidit, & originalia docẽt, habent enim Græca κυρίευσεν, & sensus postulat. Si quidem post narratũ in versu superiore calamitatem: restabat vt beneficium diuinæ gratiæ hic recenseret. Sic apertè declarat se legisse Hieronymus in Commentariis.

d DEQVO NON IMPLEBIT.] Si legitur in hoc versu per futurum, metet & colliget, legendũ etiã est, implebit. Aut si legatur, impleuit, quemadmodum habent Græca & Hebræa, legendum est per præsens tempus metit & colligit. Originalia enim habent participia præsentis temporis, sic & emendatiora habent exemplaria Latina.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIX.

HIc Psalmus, vox est siue populi, siue hominis aduersus alios propter peccata pressi, atque ob id primum quidem serio precantis peccatorum condonationem, malorumque liberationem, deinde verò hæc omni Israeli spe solida pollicentis. Putatur autem & hic ad literam pertinere ad populum apud Chaldæos exulantem, quamuis alioqui generalis vsu conueniat omnibus peccatorum veniam precaturis: nec improbabiliter quidam existimant hoc Psalmo Prophetam adtentum Messiæ et orasse et prophetasse, eo quòd remissio peccatorum, de qua hic agitur, proprius sit Messiæ actus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

a *De profundis clamaui ad te domine,*

EX profundissimis malorum vndis, in quibus iam penè obrutus sum, & è quibus non licet meis viribus emergere: è profundis etiam & intimis cordis mei clamaui ad te Domine: Ps.129.

* *domine exaudi vocẽ meã.*

*Itaque Domine exaudi vocem meam.

2 *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.*

2 Declara quæso te attentum esse ad vocẽ deprecationis meæ, quod fiet, si orationem meam exaudias.

3 † *Si iniquitates obseruaueris Domine:*

3 Vt autem exaudias omnino conuenit, tum propter humanam fragilitatem, tũ propter propriam tibi misericordiam, tuæque misericordiæ promissa. Si enim iniquitates hominum, tãquam curiosus & seuerus iudex exquirere volueris, pro singulis iustam vindictam infligendo:

* *Domine quis sustinebit.*

† Si denique eorum quæ admisimus scelerum perpetuo memor esse volueris, & veluti reposita apud te seruare Domine: *mi Domine iam non ego tantum ferre tuæ iustitiæ seueritatem non potero, sed nullus omnino coram te subsistere, aut tuam iustitiam sustinere valebit. Adeo nullus omnino est hominum, qui non suis peccatis grauiora cõmeruerit, quàm ferre possit. a

4 *Quia apud te propitiatio est,*

4 Verum nõ ita sat scio iniquitates nostras obseruas Domine. Quoniam tecum semper adest propitiatio, tibi adeo genuina & naturalis, vt nunquam abesse possit: qua fit vt neque singula punias, neque quæ punis, iusta æternáque vltione semper punias: *Propter hanc itaque tuam miserandi & parcendi facilitatem propter etiam legem tuam, qua clementiam & indulgentiam promittis pœnitentibus, & clamãtibus ad te, ego nequaquam per desperationem defeci, sed spe bona erectus, expectaui tuam misericordiam Domine.

* *& propter legem tuam sustinui te domine.*

5 *Sustinuit anima mea in verbo eius, * sperauit anima mea in domino.*

5 Longanimiter expectauit anima mea adimpletionem promissionis eius: *sperauitque anima mea in Domino.

6 *A custodia matutina vsque ad noctẽ speret Israel in domino.*

6 Hortor autem vt meo exemplo omnis Israel veri Dei cultor à matutino tẽpore vsque ad noctem, hoc est, omni tempore speret in Domino

7 *Quia apud dominũ misericordia, & copiosa apud Deum redemptio.*

7 Est enim suapte natura misericordissimus, ac copiosus, liberalisque ad redimendum ab omnibus malis suis,

8 *Et ipse redimet Israelem ex omnibus iniquitatibus eius.*

8 Quare ipse liberabit Israelem ex omnibus quantūuis variis, multis ac grauibus iniquitatibus eius, ac proinde etiam ab aliis malis, quorum iniquitates solæ sunt causa: Israelem, inquam liberabit, hoc est, electum populum suum, derelictis interim reprobis verum Deum ignorātibus aut non dignè colentibus, in suis vitiis, per quæ æternis malis fiant obnoxij.

ANNOTATIONES.

a SINIQVITATES, &c.] Quomodo hic significat Deum non obseruare iniquitates, cū Ecclesiastici 23. dicatur: omnia videt oculus, illius Et: Oculi Domini multo plus luci diores super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi: & hominum corda intuentes in abscōditas partes. Notandum itaque duobus modis intelligi posse Deum obseruare iniquitates, quemadmodum & paraphrasis indicat. Primo enim dicere tur, obseruare eas, si diligenter eas sigillatim exquireret: id autem tum faceret, si singula iustè vindicaret, nam alioqui sigillatim omnia exquirit cognoscendo, non autem puniendo. Secundò diceretur eas obseruare vel seruare, vt possunt Hebræa verti si eas semper memori mente retineret, nolens earum obliuisci, sed in æternum pro eis irasci, eáque vindicare volens. Dictio enim Hebraica significat, & obseruare aliquid & seruare. Porro pro, sustinebit, Hebraica dictio significat, stabit, quasi dicat. Omnes cadent à sua causa, victique discedēt. At in hac significatione videntur accepisse Septuaginta verbum ὑποφέρειν, quod hic trāstulerūt, vt sit idem, quod subsistere, quamuis significet idē verbum etiam sustinere. Non est enim Græcis hic idē verbum quod d posteà, cùm bis habemus sustinere, nam ibi ponitur verbum ὑπομένω, quod significat & sufferre & expectare, atq; in secuda significatione debere hic accipi, Hebræa docent.

b PROPTER LEGEMTVAM, &c.] Græca aliter nunc habent nempe, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, id est propter nomen tuum. Noster autem interpres le pro ὀνόματος, νόμου, atque hoc modo vertisse Septuaginta magis apparet ex Hebræis. Nam cum nunc Hebræa habeant: Quia apud te propitiatio est, vt tmearis: Septuaginta videntur cum aliis pūctis legisse תּוֹרָה pro הַנּוֹרָא tota pro tiffare.

c

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXX.

PRopheta Dauid canit se ab arrogantia alienum fuisse, & sectatum humilia, atque hoc modestiæ suæ exemplo proposito omnem Israelem monet vt sibi dissimus, atque de se humiliter sentiens, totum se Deo commendet, & ab illo semper vt in omnibus pendeat. Quemadmodum enim qui sibi multum tribuit, nequaquam à Deo omnia expectat: ita contra qui modeste de seipso sentit, facile spes suas omnes in Deo reponet.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine non est exalta tū cor meum, *neque elati sunt oculi mei.*

Pſ.130

DOmine qui solus corda hominum nosti, tu ipse mihi testis es quia cor meum non superbierit.* & ob id etiam non fuerūt elati oculi mei, quemadmodum esse solét oculi superborū corde, qui oculis suis elatis, & alta solum magnáque spectant ac ambiunt, & præ se alios arroganter despiciunt.

2 *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.*

2 Atque vt quod dico clarius exprimam, nō versatus sum in rebus maioribus & magis mirandis, quàm vt me decerent. In his, inquam, nō sum versatus, ita scilicet vt ea ambirem assequi, aut his me ingererem aut arrogarem: aut denique quæ captui meo superiora essent intelligere conarer. a

3 *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*

3 Nisi enim Domine, te teste: modestè semper de me sensi: sed extuli animā meam, appetendo vel arrogando altiora me, non recuso quidquis à te pati. b

4 *Sicut ablactatus super matre sua: *ita retributio in anima mea.*

4 Verùm quemadmodum infans ab vberibus matris suæ recens depulsus se habet ad matrem suam, à qua adhuc totus pendet, & sine qua nihil adhuc potest, etiam si iam non sugat: *ita & anima mea tibi vni omnia refert accepta, atque à te vno omnia sibi tribui, donarique expectat.

5 *Speret Israel in domino ex hoc nunc & vsque in seculum.*

5 Meo itaque exemplo quiuis ex Israel, si sapit speret in Dominum déque seipso nihil magnificum sentiens humiliter se Deo subiiciat: pendēs in omnibus ab eo ab hac hora assidue vsque in finem vitæ. Sic enim fiet, vt sicut in me videre est, exaltetur ab ipso qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

ANNOTATIONES.

a NEQVE AMBVLAVI.] Varijs quidem modis contingit in magnis ambulare, vt satis indicat paraphrasis. Verum Dauid videtur ad literā loq de maiestate regni & munere prophetiæ, quorum nihil sibi ipsi temere arrrogauit. Ex Hebræo autem constat, magnis & mirabilibus, esse neutri generis, non masculini, vt intelligit Eurhymius.

SI NON HVMILITER, &c.] Possunt hi duo versus dupliciter intelligi & distingui. Ante omnia enim constat coniunctionem, si, hic accipi per modum iurantis, & alicui maledicto se obstringentis. Potest ergo primum sic intelligi, vt altera pars, qua exprimitur maledictum cui se obstringere vult: reticeatur, vt tertius hic versus accipiatur per se distinctus à

ctus à versu sequenti, vt in sequenti versu intelligatur significare Propheta suam animam habuisse se erga Deum sicut se habet ablactatus erga matrem suam, hoc est, à Deo in omnibus pendisse. Secundo potest hic versus legi cōiunctim cum versu sequenti, vt in quarto versu cotineatur maledictio cui se iurādo obstringere vult, vt sit hic sensus: si non humiliter de me sensi Domine, volo vt sit talis retributio animæ meę, qua sim sicut est infans qui ante tempus ablactatur à matre, hoc est vt subtrahatur mihi gratia Dei in vltionem superbię meæ. Verum prior sensus verisimilior est, vt & Hebræi illum magis sequuntur. Notādum autem pro nomine, retributio, Græcis esse verbum ἀνταπόδοσις, id est, retribues. Verisimilius tamen est Septuaginta vertisse ἀνταπόδοσις, quod est vertibutio, nā hoc potest significare dictio Hebraica, mutato vno puncto, nullo autē modo potest esse, retribues. Deinde Græcis est, ἐπὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, & ἐπὶ τὴν ψυχήν μου, id est, ad matrem suam & animam meam. Item Græca habent ὡς τὸ ἀπογεγαλακτισμένον, hoc est, sicut ablactatum, quomodo etiam habent quæ dā antiqua scripta. Augustl. legit. Sicut quia ablactatus est à lacte super matrem suam, ita retributio in animam meam.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXI.

PRæsentem Psalmum fuisse orationem Salomonis, cum ab eo arca Domini trāsferretur in templum à se ædificatū partim quidem ex Psalmi verbis, sed maximè ex fine capitis sexti primi libri paralipom. constat sibi enim in oratione sua post multa alia huic Psalmo congruentia, tandem eadem dixisse Salomon scribitur quæ hic canuntur versibus octauo, nono & decimo, vt ob id etiam valde verisimile sit hunc Psalmum à Salomone editum: quanquam sint qui putent Dauidem à se compositum, ipsum Salomoni pro futura arcæ translatione tradidisse, cui & omnia pro extruendo templo necessaria prouidit. itaque rex Salomon in memoriam coram Deo reuocans votum Dauidis de inueniendo loco tabernaculi & arcæ Domini, precatur, vt in templum à se ædificatum eo in loco, qui fuerat Dauidi demōstratus, ascendat, sacerdotes iustitia indu at, seque propter Dauid patrē suum benigno fauore prosequatur: atque quo maiorem sibi impetrandi hæc ſtem faciat, memorat promissiones Dauid à Deo factas de stabilitate regni ipsius, de electione & fœlicitate Sion, & claritate eiusdē per regnum Dauidis in Sion constitutum: Proinde in tres potissimum partes] Psalmus hic secatur. Primo enim narratur votū ac iuramētum Dauidis Deo factum. Tertio vero loco promissiones Dei factæ Dauidi: atque inter hac duo, secundo loco interseritur Salomonis oratio, qua duobus illis innixa, efficacius Deum flectere potuit, & maiorem fiduciam exauditionis suggerere. Ceterum quoniam Dauid flagrans desiderio ædificandi templum Domini, Christi gessit hac in parte figuram, templumque à Salomone extructum vmbra fuit templi noui, quod est in cœlesti nouaque Hierusalem, promissiones item Dauidi factæ de gloria regni sui & ciuitatis Sion in Christi solum regno & veriore Sion perfectè adimplentur: ob hæc, inquam in mystico sensu accipiendus est hic Psalmus, vt sit vox fidelis populi, precantis vt pro voto Christi & secundum promissiones Dauidi nostro factas, ecclesiam fidelium ipse Deus pater cum veriore arcæ, nempe filio suo, inhabitare dignetur.

PARAPHRASIS EIVSDEM. pſ.131.

1 *Memento domine dauid, & omnis mansuetudinis eius.*

ODomine declara, quæso te memorem esse Dauidis:* & omnis mānsuetudinis ac patientiæ eius, qua æquissimo mitissimoque animo multas magnasque afflictionos frequenter pertulit, propter quàm eius insignem in malis ferendis mansuetudinem dignus certè est, vt, sicut promisisti, domum eius claram facias & illustrem. Declara etiam te recordari omnem illam animi ipsius humiliationem, & huic coniunctam mansuetudinem, quam exhibuit, cum post peccatum numerationis populi, pro plaga populi cum multa mansuetudine animi sese humiliaret & affligeret.

2 *Sicut iurauit domino: *votum vouit deo Iacob.*

2 Memento quomodo tunc iurauerit tibi Domino:* & votum nuncupauerit fortissimo Deo Iacob, a b

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ: *si ascendero in lectum stratu mei.*

3 Dicens: Nequaquam introibo in habitaculum domus meæ, *multoquè magis non ascendam stratum lect mei. c

4 *Si dedero somnum oculis meis: * & palpebris meis dormitationem.*

4 Neque permittam oculis meis somnum:* immo nec dormitationē quidem palpebris meis.

5 *Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.*

5 Nec requiem præbebo temporibus, vsque dum inuenero Domino locum aliquem qui placeat ei, vt in eo sacrificia ipsi offerantur, & templum extruatur.

6 *Ecce audiuimus eā in Ephratha, *inuenimus eam in campis syluæ.*

6 Et certè quod inuenire tam studiosè quæsiuit inuenit. Ecce enim per Prophetam audiuimus, ipsam mansionem domini debere esse in Ephrata,* ac deinde & reipsa inuenimus eam esse in campis syluosis, in monte Moria, & area Areunæ Iebusei. d

7 *introibimus in tabernaculum eius, *adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.*

7 Proinde introibimus inhabitaculum quod ipse sibi delegit, * ac deinde adorātes prosternemus nos in loco eo, in quo est arcæ propitiatorium, quod secundum humanæ mentis cōceptum scabellum est pedum eius.

8 *Surge domine in requiem tuam, *tu & arca sanctificationis tuæ.*

8 Et tu ergo etiam Domine nobiscum exurge, & veni in eum locum quem tibi ad hoc elegisti vt præ cæteris peculiariter requiescas in eo: *veni, inquam, tu & arca quam tibi sanctificasti, atque in qua sanctificaris & honoraris. e

9 *Sacerdotes tui induantur iustitiam: * & sancti tui exultent.*

9 Et vt in hoc loco dignè à ministris tuis colaris & lauderis, da vt sacerdotes tui à te veluti vestimento quodam vndique operiente induantur iustitiam, vt scilicet ipsi & perfectè iusti sint, & promissam à te salutem consequātur: * atque hac ratione præsta, vt hi qui in populo tuo

10 Propter dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*

11 Iurauit dominus dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

*12 Si custodierint filij tui testamentum meum, * et testimonia mea hæc quæ docebo eos.*

13 Et filij eorum usque in seculum sedebũt super sedẽ tuam.

14 Quoniam elegit dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.*

15 Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.*

16 Viduam eius benedicẽs benedicam: pauperes eius saturabo panibus.*

*17 Sacerdotes eius induam salutari, * & sancti eius exultatione exultabunt.*

18 Illic producam cornu Dauid: paraui lucernam Christo meo.*

19 Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.*

specialiter tibi in seruitium tuum consecrati sunt, atq; adeo omnes sancti tui habeant cur serio exultent, & exultando te laudent.

10 Quanquam autem ego indignus sim quem exaudias, tamen propter Dauid seruum tuũ tibi charissimum,* ne quæso confundas faciẽ meam, qui tua dispositione in regem populi tui vnctus sum: ne quæso reiicias precem meam, & me repulsam passum pedufacta auersaque facie abire facias, sed quæ rogaui benignè præsta, ac grato me semper fauore prosequere. f g

11 Firmissimè autem confido quæ precatus sum Deum præstiturũ. Si quidem Dominus iuramento promisit ipsi Dauid rem verissimam, atq; ob id non faciet eam irritam, cum fallere veritas veritatem nequeat. *Iurauit autem dicens, Post te collocabo in folio tuo filium, qui egressus erit de vtero tuo: quod quidem in me Salomone pro parte impletum iam est, sed perfectius implendum in vero Messia, qui ex semine Dauid natus sedebit in æternum super solium ipsius. h

12 Iurauit & præterea addens: Si custodient filij tui pactum meum, *& statuta mea hæc quæ docturus sum eos.

13 Etiam filij filiorum tuorum donec sic in iustitia perstiterint, sedebunt propter te vsque in sempiternum super solium regni tui.

14 Ipsam enĩ Sion, in qua regni Dauidis regia est sedes, dominus præ aliis elegit:* elegit, inquam, non tantum in regale solium, sed etiam pro habitatione sua, ex qua etiam firmitas regalis solij colligi possit.

15 Dixit enim hic erit locus, in quo quiescam, non ad tempus, quemadmodum in Silo sed in perpetuum:* hic stabiliter habitabo, quoniam præ aliis ciuitatibus elegi mihi eam in mansionem.

16 Annonam eius, viduásque ipsius copiosè benedicam:* egenis qui in ea sunt cibum ad saturitatem vsque suppeditabo. i

17 Sacerdotes eius profundam salute:* & sancti eius propter magnitudinem benignitatis meæ serò exultabunt.

18 Ibi faciam prodire ipsi Dauid cornu, regiámque eius potestatem ibi crescere faciam, vt nunquam desit ex semine eius qui regnet in ea. *Parauí enim vncto meo Dauidi posteritatem, quæ sua claritate & gloria quasi lucerna quædam illustrabit Dauidis nomen. k

19 Inimicos ipsius Dauidis perfundam pudore & infamia:* in capite autem illius erit cum summa claritate regia corona, qua eum cum suo semine à me præ aliis consecratum & sanctificatum declarabo. l

ANNOTATIONES.

SICVT IVRAVIT DOMINO.] Ex scripturis quidem patet quàm studiosus fuerit Dauid in parando loco arcæ, & ædificando templo: dũ mox in principio regni sui super totum Israelem arcam Domini cum solemni pompa transferret: primum è domo Abinadab: deinde è domo Obededom in domum suam, & postea ædificare templum cogitaret, nisi à Domino per prophetam Nathan prohibitus fuisset. Verũ de voto Dauidis nihil in scripturis legitur. Putant igitur quidam votum istud Dauidem fecisse illo tempore, quo circa arcam trãsferendam intentus erat. Verùm iam obstare videtur verba voti hic explicita. Cùm enim Dauid tũc nõdum inuenerit tabernaculum Deo Iacob, necesse fuisse eum contra votum suum frequenter fecisse, ac proinde stultum votum consequens fuit eum emisisse. Itaque dicũt verba huius voti non simpliciter esse accipienda, sed per totum: vt per omnia hæc. Non ascendam in domum vel lectum meum nec dormiam, &c. intelligatur voluisse significare se nõ perfectè qui eturum, nec depositurum solicitudinem, priusquã inuenisset locum Domino, &c. Hæc tamen interpretatio non videtur Itereq; bene cõgruere. Proinde verisimilior est Hebræorum hoc loco sententia, qui dicunt istud votum Dauidem fecisse eo die, quo vidit propter peccatum numerationis populi angelum paratum ad percutiendũ Hierusalẽ, vt scribitur 1. Paralip. 21. & 2. Reg. 24. Tunc enim videbat necessarium sibi esse vt Deum sacrificiis placaret, nec tamen poterat ire in Gabaon, vbi erat altare holocaustorum, vt scribitur in locis prædictis: erat enim timore perterritus, scribebat quoque templum à filio Salomone ædificãdum in Sió, quemadmodum et promissum fuerat verùm certum locum in qua ædificãdum erat nõdum didicerat. Itaque tunc voluit se non introiturum in domum suam, &c. priusquã diuina reuelatione didicisset locum illũ à Deo electum, in quo templum extruendum esset. Accessit ergo Dei iussu Gad propheta, qui præcepit vt ascenderet ad aream Ornam Iebusei, super quã viderat angelum, extentum habentem gladium, ibique extructo altari offerret sacrificia: quæ cùm vidisset igne cœlesti deuorari (exaudiuit enim eum Dominus in igne de cœlo, vt ibi scribitur) dixit: Hæc est domus Dei, & hoc est altare in holocaustum Israel, quasi dicat. Iã inueni locum quem quærebã. Hic enim erit locus in quo à filio meo construetur templum, & in quo erit altare holocaustorum. Vnde & 2. Paralipom. 3. dicitur Salomon construxisse templum in mõte Moria, qui demonstratus fuerat Dauidi patri eius, in loco quẽ parauerat Dauid in area Ornãe Iebusei. atque ab eo tempore cœpit pro rare omnia ad ædificandum templum necessaria, & filium Salomonẽ ad id adhortari. Secundum hanc sententiã scripturis & literæ conformẽ, quod dicitur in primo versu: memento mansuetudinis eius, vel, vt habẽt Hebræa, afflictionis eius, rectè intelligitur de ea afflictione & humiliatione, in qua erat tũc tẽporis, cũ sacco indutus & prostratus in terram hęc voueret. Alioqui enim satis impertinens videtur quod hic affertur de mansuetudine & humilatione Dauidis, Quod ergo dicitur: donec inueniam tabernaculum: intelligendum est, donec inueniam locum tabernaculi, quemadmodũ quod dixit Dauid: hæc est domus Dei, &c.

b VOTVM VOVI DEO IACOB. &c.] Conuenienter hoc loco vocat Deum Iacob eo quòd hac in re Dauid imitatus sit Iacob, de cuius simili voto legimus in Genesi.

c SI INTROIERO IN TABERNACVLVM Notandum in tribus istis partibus, si introiero, nisi ascendero, si dedero. &c. gradationẽ esse contra morem Latinorum, sed secundum consuetudinẽ Hebræorum, qui quod maius est præponere solent, quemadmodũ fit in versu primi Psalmi. In tribus autem illis orationibus. Si dedero oculis, & si dedero palpebris: &, si dedero requiem, gradatio est cõtraria, secundum morem Latinorum. Vltima tamẽ illa pars nõ est apud Hebręos, qui tãtum quatuor habent membra.

d ECCE AVDIVIMVS EVM] Locus hic admodum difficilis est, torquens etiam plurimũ Hebręos, eo quòd vates videatur hoc versu voluisse dicere, se audisse locũ arcæ fœderis debere esse in Ephrata, quæ erat Bethlehem, quo arca nunquam perlata in scripturis legitur. Lyra similiter & Valẽtia, & post eos Caietanus, per Ephrata hic intelligũt locũ Silo, eo quod fuerit in sorte Ephraim. per campos syluæ, ciuitatem Cariathiarim, quod interpretatur, vt dicitur Iosue 15. ciuitas syluarũ. Itaq; intelligunt hic designari duo loca, in quorum altero primum requieuit arca post introitum filiorum Sion in terram promissionis: in altero vero post multas alias arcæ sedes vltimò mãsit antequam à Dauide in Sion trãsferretur, atque hoc versu reddi rationem quare tanto desiderio Dauid optauerit inuenire locũ domino, nempe quod aduerterit ea tenus arcam instabilem fuisse. Atque ob id, inquit Caietanus, prius dicitur, audiuimus eam, &c. postea verò, inuenimus eam, &c. quia Dauid nõ vidit vnquam arcam in Silo, sed à patribus id tantum didicerat, in Cariathiarim autem ipsemet eã inuenit. Verùm hæc sententia virisimilis non est. tum quod Ephrata nunquam significet sortem Ephraim, tum quòd hoc versu omnino videatur significari locus ille iam inuentus, pro quo inueniendo prius dicitur Dauid votum fecisse. Proinde omissis multorũ Hebræorum super hoc versu interpretationibus, verisimilius videtur per Ephratam & campos syluę eundem hic locum voluisse significare, eũ scilicet, in quo à Salomone templum extructum est, nępe aream Ornam Iebusei, quæ ad literam quidẽ hic vocatur Ephrata, siue propter loci fertilitatem, à qua & Bethlehem id nominis accepit (significat enim Ephrata fructiferam etiam Hieronymo teste super micheam) siue quia erat hæreditas, & empta possessio Dauidis Ephratei. Sicut enim Bethlehem dicitur ciuitas Dauid, ita & Sió í qua erat ista area. Vnde fieri potest, vt & Sió dicatur ea ratione Ephrata, vel etiã ab maximã eius cũ Bethlehẽ vicinitatem, non enim nisi duobus milibus distat Bethlehem à Hierusalem, cœpitque Hierusalem semper computari cum sorte Iuda, postquam esset capta à Dauide, expulso Iebuseo, cum secundem diuisionẽ terræ prius esset in sorte Beniamin. Itaque fieri potest, vt ab eo tempore & nomen etiam ciuitatis Dauid acceperit. Dicitur & idem locus, Campi syluæ, siue quia locus esset syluosus, vnde & postea in eo loco ędificauit Salomon domum, quę dicta est domus saltus Libani: & mons Sion aliquando vocatur in scripturis Libanus, vt apparet Hiere. 22. vbi dicitur de Hierusalem, quæ sedes in Libano, & nidificas in Cedris, quomodo congemuisti cum venissent tibi dolores: siue etiam propter vicinitatẽ montis Iarim, de quo Iosue 15. id est, montis syluarũ, qui erat ad occidentem vrbis Hierusalem. Verùm quacunque ratione literali hic locus sic est appellatus, rectè intelligitur his nominibus voluisse hic spiritum sanctũ hunc locum appellasse propter mysterium, nępe vt nos subduceret ad sensum mysticũ de loco arcę verioris, quę est humanitas Christi de hac enim populus Gentilis verè dicit se audiuisse ex Euangeliis, & Apostolorum prædicatione, quod fuerit in Ephrata Bethlehem, in qua Christus natus est: inuenisse autem se eam in campis syluæ, hoc est, in syluestri & inculto populo gentili. Sicut etiam non sine mysterio templum extructũ est in hæreditate hominis Gentilis, & per manum proselytarum, & seruos regis Tyri. Porro relatiuum, eã, nõ habet apud Græcos aut Latinos antecedens aliquod, ad quod secundum vocem referatur: Apud Hebræos tamẽ videtur referri ad nomen illud pro quo nos habemus tabernaculum: nam id est fœminini generis, quãuis sit hoc loco pluralis numeri; nã pluralis numerus hic videtur accipi pro singulari, cũ vnũ tantum quæsierit tabernaculum, & mutatio numeri apud Hebręos frequens est. Secundum autem eã sententiã quæ iam posita est, annotãdũ quòd primo quidẽ dicitur, audiuimus: deinde verò inuenimus. Primum enim ex narratione Gad, Dauid intellexit quis deberet esse locus quẽ quęsiuit. Deinde verò signo cœlesti deprehendit reipsa, quod auditu prius perceperat, cùm igne cœlesti sacrificiũ absumeretur. Quod si non placeat idem intelligere per Ephrata & per campos syluæ, sed per Ephrata ipsam ciuitatẽ Bethlehem, cõmodè locus hic secũdũ quosdã Hebræos sic intelligetur: Nos quidẽ fama & opinione ducti quorũdã, putauimus aliquando locum arcæ futurum in Bethlehem, sed postea ex iudicio diuino deprehẽdimus illum debere esse in cãpis syluæ, in mõte Morea qui est Sion. Verisimile enim est, cum locus esset incertus, & de eo inueniẽdo Dauid multũ esset solicitus, quosdam opinatos illum futurum in patria Dauid, vbi & Christus posteaesset ni sciturus e

INDVANTVR IVSTITIAM.] Nõ videtur istud cõuenire cũ eo quod dicitur in 2. Paralip. 6. vbi habetur: Induantur salutari, sicut & postea in hoc Psalmo, cũ describitur promissio Dei huic orationi correspondens, salutare ponitur non iustitia. Vnde pro locorum istorũ concordantia, vel debet hic iustitia accipi prõ Dei iustitia, (sic enim idẽ erit quod salus Dei. eo quòd eam promiserat) aut si pro hominum iustitia accipiatur, ideo hic positum est nomẽ iustitię, cũ alibi salutare ponatur, eo quod iustitia, sit vera & consummata hominis salus. Porro quis sit sensus, cum dicit: Sancti tui exultatione exultabunt: satis patet ex eo quod dicitur in Paralipom. Sancti tui lætentur in bonis.

NON AVERTAS, &c.] Phrasi Hebraica sicut suscipere faciem, est honorare aliquem: ita auertere alicuius faciẽ, est reiicere precẽ illius, eo quod is qui aliũ exaudire recusat, cogat eũ cum pudore faciẽ auertere, & pudefactũ abire. Vertit autẽ hãc orationem Hyeronimus non semper eodẽ modo, nã 3. Reg. in

oratione Berſabeæ ad Salomonẽ vertit: ne confundas faciem meam. Poſtea tamẽ ſtatim vertit: neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam. Secundi autẽ Paralipam. Cap. 6. vertit: ne auerſeris faciẽ Chriſti tui. Eſſent autem ad verbum Hebræa vertenda hoc modo ne facias auertere faciem, &c.

g IVRAVIT DOMINVS DAVID.] Quod dicit iurauit Dominus veritatem, accipi poteſt, vt ſit ſenſus: iurauit ei fidelitatem, promiſitque ei ſe fore fidelẽ. / Alibi enim in Pſalmo dicit Dominus: Semel iuraui in ſancto meo: ſi Dauid mentiar. Aut iuraſſe veritatẽ dicitur, quia iurault rem veriſſimam, quę interpretatio ideo videtur conueniẽtior, quia poſtea videtur velle explicare eam veritatẽ quam promiſit. Porro legẽdũ, eſſe, nõ fruſtrabitur eã, nõ autẽ eũ, patet ex Hebręis, Gręcis, & latinis emẽdatioribus

h PONAM SVPER SEDEM.] In his quidẽ verbis intelligẽdũ eſt, Meſſiam promitti naſciturũ ex ſemine Dauid, & ſeſſurum ſuper ſolium eius: verũtamẽ id nõ eſt quod his verbis primũ promittitur. Primo enim ad literã hic promittitur Dauidi vnũ ex filiis eius regnaturũ poſt ipſum, quod quidẽ in Salomone ex parte impletũ eſt. Sed ſicut in iis promiſſionibus, quæ habentur 2. Reg. 7. de Salomone filio Dauidis, neceſſe eſt intelligere Salomonem Chriſti geſtiſſe typũ, in quem eæ promiſſiones verius competunt, ita & in hoc loco. Irenæus libro 3. cap. 27. expendit dictum eſſe, de fructu ventris tui, nõ autem de fructu lumborum vel renum tuorum

VIDVAM EIVS.] Interpres noſter legit apud Græcos, τὴν χήραν, cum ſit, θήραν, hoc eſt, cibum eius, vt etiam habent Hebræa.

k ILLVC PRODVCAM, &c.] Melius illic, &, Dauid, eſt datiui caſus. Additur enim ei apud Græcos articulus, τῷ, & apud Hebræos litera Lamed. Porro pro cornu hic ſolito ſcripturę more intelligitur poteſtas regia, quæ ex ſemine Dauid & in gloriã nominis Dauid creuit in Sion. Sicut autem aliæ omnes promiſſiones hic poſitæ, perfectæ in Chriſto & eius eccleſia impletæ ſunt, ita & iſtud quoque, nam cornu iſtud, de quo hic canitur potiſſimũ, eſſe Meſſiã docet illud Zacharię Luc. 1. Et erexit cornu ſalutis nobis in Domo Dauid pueri ſui.

PARAVI LVCERNAM.] Secundũ phraſim Hebraicam lucerna frequenter accipitur pro filio vel poſteritate, quæ patris nomen clarum facit & illuſtre. Sic dicitur 3. Regnũ 11. ad Hieroboã. Filio eius (nempe Salomonis) dabo tribum vnã, vt remaneat lucerna Dauid ſeruo meo cũctis diebus. Et 15. cap. de Abiam dicitur: Propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Hieruſalem, vtſuſcitaret filium eius, & ſtatueret Hieruſalem. Sic & 2. Paralip. 21. de Achab dicitur: Noluit autẽ Dominus diſperdere domũ Dauid propter pactũ quod inierat cum eo, & quia promiſerat vt daret ei lucernam, & filiis eius omni tẽpore. Ex quibus locis ſatis patet poſſe hoc loco nomen, lucerna, accipi vel pro ipſo filio Salomone, vel pro poſteritate ſuccedẽtiũ ſibi filiorũ Dauidis. Porro in ſequẽti verſu pro dictione, ſãctificatio, & dictiõe Græca, ἁγίασμα, Hebręis eſt dictio quę ſignificat coronã regiã, ſic dictã à ſanctificatione & ſeparatione. Vnde ſi velimus habere ſenſum originalis linguę, debet hic ἁγίασμα accipi, ſicut annotatũ eſt in Pſal. 88. cũ dicitur Prophanaſti in terra ſãctuarii eius, vbi apud Græcos & Hebræos eadã eſt dictio quæ hoc loco.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXII.

Commendat fratrum concordiã pluribus ſimilitudinibus, tum vtilitatem, tum incunditatem quæ in ipſa eſt depingẽs. Apparet autem hoc concordiæ encomium tunc Dauidem cecinisſe, cum populus Iſraeliticus, qui in principio regni Danidis diuiſus erat ſub duobus regibus, iam totus vnitus fuiſſet ſub vno rege, Dauide ſcilicet, ac tum demũ ſtrages e voluiſſe ab ipſa experientia bonum concordiæ, cum in diuiſione populi ſatis experti fuerant diſcordiæ malum. Verius tamen & perfectius quæ hic canuntur, competunt in eos qui eodem ſpiritu renati, fraterna inter ſe charitate maxime coharẽt, vt ſint omnes vere Chriſtiani. Nam & fidelium eccleſia, quæ ex Iudæis & gentibus conſtat, cum prius diuiſa fuerit, aliis Deum Iudæis, alium Gentibus colentibus, nunc ſub vero Dauide mira grataque conſcione coiunita eſt.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.

2 Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

3 Quod deſcendit in oram veſtimenti eius.

**ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion:*

4 Quoniam illic mandauit dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum

POſteaquam experti ſumus in fratrum diuiſione diſcordiæ incommodum & inſuauitatem, nunc certè videre eſt quam ſit res tum bona, tum ſuauis, habitare fratres vnà inter ſe concordes, Pſ. 132

2 Habet enim ſe huiuſmodi fratrum vnanimitas, ſicut vnguẽtum illud pretioſiſſimum & ſummè oderiferum, quod copioſè effuſum ſuper caput, defluere ſolet præ abundantia in barbam, barbam, inquam, ſummi ſacerdotis.

3 Ac deinde fluere in ſuperiorem oram, & os veſtimentorũ eius. Sicut enim huiuſmodi oleum & in ſeſe optimum eſt, & dum ſic copioſè effunditur, mirè præſentes recreare ſolet: ita huiuſmodi fratrum concordia, præterquam quòd res ſit optima, etiam Deum hominẽſque maximè reficit & oblectat. *Proinde etiam ſimilis eſt huiuſmodi concordia rori, qui deſcendit tum in montem Hermon, tum in montem Sion, nã vt ros cœleſtis & gratiſſimus eſt hominibus ac terræ, & ſummè item bonus, vt qui fertilitatem & fœcunditatem adferat terræ, maximeq; ſit neceſſarius potiſſimum montibus, qui fluminibus irrigari nequeunt: ita & cõcordia, præter voluptatẽ, multorũ etiã bonorũ mortalibus parẽs eſt.

4 In vnanimi enim fratrum habitatione Dominus ſuo iuſſu eſſe facit donorum ſuorum munificentiam, & quod inter omnia dona eius potiſſimum eſt & caput, vitam perpetuam, quæ quidẽ hic incipit in ſancto ac religioſo Dei cultu, & durabit ſemper in contemplatione vultus diuini, à qua omnibus bonis replebuntur. Proinde quid melius, quidue iucundius eſſe poſſit fratrum concordia?

ANNOTATIONES.

a QVAM BONVM; &c.] Græca paulò aliter habent: Ecce quid bonum, aut quid iucundum, niſi habitare fratres in vnum. hoc eſt, nihil illo melius aut iucundius. noſtra tamen lectio magis cũ Hebræis conuenit. Duo autem dicit de concordia fratrum, nempe quòd res ſit bona, & ſimul iucunda. Quædam enim bona ſunt, ſed non iucunda, & contra. Martyrium enim bonũ eſt, ſed non iucundum. & contrà, voluptas eſt iucunda, non autẽ bona. Comparationes autẽ duas quæ ſequuntur quidam ſic accipiunt, vt prima adhibeatur ad oſtendẽdum per eam concordiæ ſuauitatem. Secũda verò ad oſtendendũ concordiæ bonitatem & vtilitatem. Verùm rectius acceperimus per vtrãque vtrunque oſtendi. nam & vnguentum vel oleum, de quo hic loquitur res erat optima & prætioſiſſima. Vnde etiam in Hebræo hic habetur: ſicut vnguentum bonum, &c. & ros, res eſt gratiſſima. Cõparat itaque concordiam oleo non cuiuis, ſed ſacerdotali, eo quòd illud eſſet optimum & maximè odoriferum: Vnguento autem effuſo comparat, eo quòd tunc vnguẽtum odorẽ ſuum ſpargat quàm latiſſimè. Per hoc autem quod dicit vnguentum deſcendens in barbam & in oram, abundantiam effuſi vnguenti ſignificare vult, vt ſic magis concordiæ ſuauitatẽ maximam deſignaret. Ideo quoque rectè intelligitur oleo ſacerdotali comparaſſe concordiam, vt oſtenderet eam rem eſſe ſanctam, & quæ nos Deo conſecret, & ſanctos faciat. Rori verò qui in montes deſcẽdit, comparat, quòd huiuſmodi ros magis ſit gratus & vtilis, cum valles fluminibus irrigari valeant: Rori verò potius quàm pluuiæ, quòd ille ſit gratior, nec vnquam noxius, vt quandoque impetuoſa pluuia. Et in hac rurſum comparatione rectè intelligitur deſignari, cõcordiam fraternam rẽ eſſe diuinam è cœlo prouenientem, ſicut ros cœleſtis eſt. Montium autem Hermon & Sion facit ſpecialem mentionem, eo quod hi eſſent Iudæis notiores, & celebriores apud eos. Abſtruſiori autem intelligentia rectè à patribus noſtris intelligitur cõparari concordia Chriſtiana oleo, &c. eo quod ſit gratia ſpiritus ſancti, quæ à capite Chriſto (qui nõ ad meſuram accepit ſpiritum) deſcendit in Apoſtolos, & ab eis in inferiores & poſteriores fideles. Chriſti enim barba, Apoſtoli ſunt, vt qui ei proximè adhæſerunt, & virile robur eius declarauerunt. Veſtimentum verò Chriſti, fideles omnes. Similiter comparatur rori Hermon & Sion, eo quod coadunauerit populũ Gẽtilẽ & Iudaicũ ĩ vnitate fidei.

b QVOD DESCENDIT, &c.] Ora hic non poteſt accipi pro extremitate veſtis inferiore, ſed pro extremitate ſuperiore. Hebræa enim habent: in os: & Græca dictio ὤκ, ſignificat propriè rei faſtigium.

c ROS HERMON, &c.] Non debet intelligi ros montis Hermon, idem numero deſcendere in mõtem Sion, ſed idem ſpecie, vt repetatur nomen, ros vt ſit ſenſus: ros Hermon, & ros qui deſcendit, &c. Euthymius tamẽ intelligit rorem generatum è vaporibus & niuibus montis Hermon deſcendere in montem Sion.

Canticum graduum.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIII.

Inuitat ſeruos Dei ad orandum & benedicendum Deum, ac viciſſim eis diuinam benedictionem optat atque promittit. Apparet autem ex eo quod dicitur, ecce nunc, ad literam ſiue Dauidem, ſiue Salomonem hoc Pſalmo adhortatum ſacerdotes & Leuitas, vt pace populo data, & extructo tabernaculo vel templo, Leuitarũmque manſionibus, diuino cultui ſtudioſius inſiſterent, quod non ita prius eis licebat. Quod verò ad nos attinet, admonet hoc Pſalmo ſpiritus ſanctus, vt hoc tempore gratiæ pro effuſa Dei in nos per Chriſtum benignitate, gratias ei agamus, & ad Chriſtum, qui vera eſt arca et propitiatorium, manus attollamus inter orandum illius meritis nitentes, & per eum exaudiri a patre precantes.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Ecce nunc Benedicite dominoomnes ſerui domini.

2 Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.

3 In noctibus extollite manus veſtras in ſancta,

**& benedicite Domino.*

4 Benedicat tibi dominus ex Sion,

**qui fecit cœlum & terrã.*

ECce cùm modò Dei in nos benignitas eximiè declarata ſit, nunc ſtudioſius laudate Dominum quotquot eſtis cultores illius. Pſ. 133

2 Qui verſamini iugiter in domo Domini, atque in atriis domus Dei noſtri.

3 Neque interdiu tãtum, ſed etiam in noctibus leuate manus veſtras ad propitiatorium ſanctitati illius ſingulariter dicatum, orantes ſcilicet quæ ſpectant ad ſalutem populi, *ſimũlque pro perceptis abeo beneficiis laudate Dominum.

4 Tibi autem quicunque id feceris, è diuerſo promitto & opto, vt ſicut tu benedicis Domino laudando ipſum, ita & ipſe tibi viciſſim ex Sion benedicãt, benefaciendo tibi: *qui Dominus etſi in Sion peculiariter habitet, autor tamen eſt cœli & terræ: ac proinde etiam omnipotẽs omnium Dominus, meritò ab omnibus colendus: & talis in quo tuto confidamus.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXXIIII.

RVrſum ſeruos Dei inuitat ad laudandum ipſum, idque tum propter bonitatem eius qua Iſraelem ſibi elegit, tum propter ipſius potentiam, quam partim ex his quæ paſſim per vniuerſum orbem ſolus deſignat: partim ex his quæ pro Iſraele primum in Aegypto, deinde in terra Canaan patrauit, deprædicat. Ex his autem populo credenti Dei miſericordiam etiam in poſterum pollicitus, riſis idolis, idolorũmque cultoribus, iterum ad celebrandum Deum ſanctos cuiuſque ordinis hortatur.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Laudate nomen domini: *laudate serui dominum.*

LAudibus extollite nomen Domini:*laudibus,inquam, extollite Do- Ps.134
minum vos qui cultores & serui estis ipsius.

2 Qui statis in domo domini, in atriis domus dei nostri.

2 Qui statis in domo Domini, & in atriis domus Dei nostri assiduè versamini.

3 Laudate dominũ, quia bonus Dominus, psallite nomini eius, quoniam suaue.*

3 Laudate Dominum,quia benignus est,*psalmos canite in honorem nominis ipsius.est enim memoria nominis ipsius ob immensam eius benignitatem admodum suauis & iucunda.

4 Quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.

4 Et quidem illius benignitas omnibus etsi communis,tamen eximiè erga nos hac in re declarata est,quòd ipse Dominus præ aliis omnibus populis, nullis prouocatus meritis, sed sua sponte, soláque sua gratuita beneuolentia elegerit populum ex Iacob prognatum,elegeritque eum quasi in suum peculium & singularem possessionem,quam singulari cura & gratia prosequeretur, cum alioqui omnium sit Dominus & moderator.

*5 Quia ego cognoui quod magnus est Dominus: *& Deus noster præ omnibus diis.*

5 Neque verò sola eius bonitas causam laudandi ipsum præbet, sed & potentia eiusdem immensa,qua omnes superat. Ex magnificis enim ipsius operibus ego certè noui magnum potentémque esse Dominum:* & Deum nostrum potentia longè superiorem esse vniuersis reliquarum nationum nihili diis,& omnibus qui siue in cœlo,siue in terra rarioris & insignioris sunt potentiæ.

6 Omnia quæcunque voluit fecit,in cœlo & in terra in mari, & in omnibus abyssis.

6 Ita enim esse primo quidem ea opera declarant,quæ passim per vniuersum orbem semper & fecit & facit,nam quæcunque vnquam voluit efficere,ea mox fecit siue in cœlo,siue in terra,siue in mari, & in omnibus aquarum aliorúmque locorum profunditatibus,tantæ nimirum potétiæ existens,vt solus omnia quæ vult facere possit,omniáque solo suæ voluntatis imperio perficere.

*7 Educens nubes ab extremo terræ, *fulgura in pluuiam fecit.*

7 Et vt ex multis ipsius operibus quædam recenseam,ipse è terra,infima orbis parte,à cœlis maximè distante,ad editissimum aeris locum facit ascendere nubes, *fulgura in pluuiam desinere,simúlque cum pluuia miscere facit, cum magno certe naturæ miraculo, quo contrarium contrario quodammodo gigni,aut contraria inter se commisceri cernũ tur,ita vt fulgurum ignis aquis pluuialibus permistus,non tamen ab eis extinguatur. a b

*8 Qui producit ventos de thesauris suis, * qui percussit primogenita Aegypti ab homine vsque ad pecus.*

8 Ipse denique est qui ventos educit è locis abditis,tanquam thesaurorum suorum repositoriis,recludens & cohibens vẽtos cum vult,cosdémque cùm vult relaxans:* Sed & ex his quæ propter nos peculiariter egit,potentiæ ipsius magnitudo mirabiliter innotuit.Ipse enim est, qui(vt cæteris præteritis id recenseam quod vltimum fecit pro nobis in Ægypto)occidit vna nocte omnia primogenita Ægypti tam hominum, quàm reliquorum animalium.

9 Misit signa & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem, & in omnes seruos.

9 Et immisit admiranda signa & prodigia in medio tui, ô Ægypte, in Pharaonem,& in omnes seruos ipsius.

10 Qui percussit gentes multas,& occidit reges fortes.

10 Qui & deinde percussit gentes numero plurimas, & reges occidit potentissimos.

11 Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

11 Seon scilicet regem Amorrhæorum,& Og regem ipsius Basan: & post hæc etiam omnia regna Chananæorum.

12 Et dedit terram eorũ hæreditatem, hæreditatem Israel seruo suo.

12 Et dono dedit terram eorum veluti in patrimoniũ, patrimonium, inquam,ipsi Israeli,populo sibi charissimo.

13 Domine nomen tuum in æternum,Domine memoriale tuum in generatione & generationem.

13 Proinde Domine per hæc tuæ tum potentiæ,tum bonitatis in nos facinora, nomen tuum nunquam in obliuionem veniet, sed memoria tui perseuerabit per omnes generationes, nec interibit vnquam: adeo sunt præclara & eximia quæ designasti,nec designare cessabis.

*14 †Quia iudicabit Dominus populum suum, *& in seruis suis deprecabitur:* c

14 Nam ex his quæ hactenus nobiscum fecit satis constat, quod si quando populus ipsius, ab impiis iniustè oppressus fuerit, etiam in posterum iudicium facturus sit de aduersariis pro populo suo,*&erga seruos suos se facilem & exorabilem præbebit,sinens se ab eis cum affligũ tur facilè exorari. † Insuper si quando populus suus illi peccauerit, nequaquam impunitos illos dimittet,tanquam alienos abiiciens, sed vindicabit peccata populi sui:non tamen ipsi imperpetuum irascetur, neque exterminabit,sicut gentes Chananæas,sed mox vltione de peccatis ad castigationem eius sumpta,clementem se & exoratu facilem exhibebit seruis suis:atque hac tum iustitiæ,tum misericordiæ suæ ostentione,etiam perdurabit memoria nominis ipsius in omne æuum.

*15 Simulachra gentium argentum & aurum, * opera manuum hominum.*

15 Longè verò ab hac quam dixi Dei nostri excellentia absunt dij gẽtium. Siquidem simulachra eorum quæ pro diis colunt, quod quidem attinet ad materiam,argentum sunt & aurum: *quod verò ad figuram, opera hominum manu facta,ita vt in eis nihil sit mirandum,præter materiam & ingenium artificum, & res sint planè materiales, anima spiri

*16 Os habent, & non loquentur: *oculos habent, & non videbunt.*

17 Aures habent,& non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

18 Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

*19 Domus Israel benedicite Domino, * Domus Aaron benedicite domino.*

20 Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Dominum:*

21 Benedictus Dominus Deus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.*

spirituque carentes, rebusque naturalibus longè inferiores,vt quæ sint solum artis humanæ figmenta.

16 Itaque oris quidem habent speciem,sed eo nequaquam loqui poterunt:*& oculorum similiter figurã, sed quibus nihil videre possunt.

17 Aures quoque habere videntur, non tamen eis quicquam audient *non enim halitus vitæ est in ore ipsorum propter quod necesse est eos etiam omnibus sensibus vitalibus esse destitutos.

18 Et sanè dignum est vt his similes fiant, tum qui ea faciunt,* tum qui spem suam collocant in eis,vt scilicet & ipsi quasi meri trũci omni sint priuati sensu homine digno, sintque contra populum Dei infirmi & inualidi,quemadmodum nullas habent vires in quibus confidunt.

19 Proinde quoniam soli verum Deum sortiti sumus,vos quicunque estis ex familia Iacob,contempta idolorum & gentium vanitate, laudibus extollite Dominum:*peculiariter autem vos filij Aaron,sacerdotali donati munere,laudate Dominum.

20 Omnes posteri Leui laudate Dominũ:*atque in vniuersum quotquot reueremini Dominum,etiam qui ex gentibus adueri Dei cultum conuersi estis,laudibus celebrate eum.

21 Laudetur ab omnibus è Sion Dominus,*ipse enim peculiarem sibi delegit in Hierusalem habitationem,cùm alioqui cœlum & terram impleat.

ANNOTATIONES

a A BEXTREMO TERRAE.]Per extremum terræ,quidam terræ superficiẽ, quidã mare Oceanum, alij verò ipsam terram accipiunt, quæ respectu cœli extrema est & infima orbis pars, vt intelligatur hoc miraculum hic designari,quod ex infima terra in cœlos vsque nubes eleuẽtur.

FVLGVRA IN PLVVIAM, &c.] Dupliceꝫ sẽsum inducat paraphrasis,nempe,vt vel intelligã tur fulmina in pluuiam desinere,vel simul cum pluuia misceri nam:Hebræa etiam verti possunt: Fulgura cum pluuia fecit

b QVIA IVDICABIT.] Quod dicit Dominũ iudicare populum suum, dupliciter exponi posse indicat paraphrasis.Primum vt sit idẽ quod iudicabit pro populo suo.Secundo, vt sit sensus:vltionẽ sumet de peccatis populi sui.atque hic sẽsus ob id præferẽdus videtur,quod in cantico Moysis Deuteronomij trigesimo secundo,vnde hic versus desumptus est ad verbum secundum Hebræorum codices,in hoc secundo sensu accipiatur, vt patet ex præcedentibus & sequentibus. Secundum quem sensum duplex Dei beneficium erga populum suum hic significat.Primum,quia, vt dicitur 2. Machab.9 nõ multo tẽpore sinere peccatoribus ex sẽtentia agere,sed statim vltiones adhibere,magni beneficij est indicij. Nõ enim sicut in aliis nationibus Dominus patiẽter expectat,vt eas,cum iudicij dies aduenerit,in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit,vt peccatis nostris in finẽ denotatis,ita demum in nos vindicet.Secundo,quod in populum suum non irascitur semper,neque exterminet,sed statim se exorabilem præbet, more optimi patris,Vnde & illo loco subditur: Propter quod nunquam à nobis misericordiam suam amouet,corripiens vero populum suum non derelinquit.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXV.

PRæsens Psalmus vti pleraque eadem habet quæ præcedens,ita cum eo eiusdem pene est argumenti,inuitat enim & ipse ad laudẽ Dei,ob perpetuam eius misericordiam.quam singulis inculcat versibus, commemoras tamen simul Dei tum potentiam,quam & in creatione orbis,& in liberatione Israelis exhibuit,tum prouidentiam & curã,qua & specialiter curat populũ, suũ,& generaliter omnia animantia.Noua enim ratione hic Psalmus cẽpositus est,vt cũ in singularis versibus repetatur: Quoniam in seculum misericordia eius: atque misericordia Dei causa afferatur laudis deo debitæ: semper tamen etiam tribuatur Deo aliqua conditio ipsi propria,quæ excellentiam naturæ potentia vel prouidẽtiæ demõstret,vt huius etiam ratione ostendatur laudandus dominus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Confitemini Domino quoniam bonus, * quoniã in æternum misericordia eius.*

LAudate Dominum,tum quoniam natura sua bonus est,& ad benefaciendum facilis:*tum quia imperpetuum duratura est misericordia eius. Ps.135.

*2 Confitemini Deo deorũ *quoniam in æternũ misericordia eius.*

2 Laudate eũ qui est Deus super omnes qui vel falso ab hominibus dicuntur dij,vel ob participationem diuinæ potestatis deorum nomine censentur:*quoniam imperpetuum duratura est misericordia eius.

3 Confitemini domino dominorum quoniam, &c.

3 Laudate eum qui est Dominus omnium dominorum,quoniam imperpetuum&c.

4 Qui facit mirabilia magna solus quoniam, &c.

4 Laudate eum quia sua solius omnipotẽtia facit admiratione dignissima,quæ alius nemo facere potest,quoniam imperpetuum,&c.

5 Qui fecit cœlos in intellectu,quoniam,&c.

5 Laudate eum qui summa intelligentia,singularique ingenio & arte fecit cœlos,quoniam imperpetuum,&c.

6 Qui firmauit terram super aquas,quoniam,&c.

6 Laudate eum qui summo miraculo terram stabiliuit super aquas, quoniam imperpetuum,&c.

7 Qui fecit luminaria magna, quoniam, &c.
8 Solem in poteſtatẽ diei, quoniam &c.
9 Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniã, &c.
10 Qui percuſſit Ægyptũ cum primogenitis eorũ, quoniam, &c.
11 Qui eduxit Iſrael de medio eorum, quoniam, &c.
12 In manu potenti & brachio excelſo, quoniã, &c.
13 Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, quoniam, &c.
14 Et eduxit Iſrael per medium eius, quoniam, &c.
15 Et excuſſit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro, quoniam, &c.
16 Qui traduxit populũ ſuum per deſertum, quoniã &c.
17 Qui percuſſit reges magnos, quoniam, &c.
18 Et occidit reges fortes, quoniam, &c.
19 Sehon regem Amorrhæorum, quoniam, &c.
20 Et Og regem Baſan, quoniam, &c.
21 Et dedit terram eorũ hæreditatem, quoniam, &c.
22 Hæreditatem Iſrael ſeruo ſuo, quoniam, &c.
23 Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri, quoniam, &c.
24 Et redemit nos ab inimicis noſtris, quoniam, &c.
25 Qui dat eſcam omni carni, quoniam, &c.
26 Confitemini Deo cœli, quoniam, &c.
27 Confitemini Domino dominorum, quoniam, &c.

7 Laudate eum qui fecit in cœlis duo luminaria magna, quoniã imperpetuum, &c.
8 Ipſum ſcilicet ſolem, vt præeſſet diei eumque ſuo motu & lumine conficeret: laudate itaque eum, quoniam, &c.
9 Ipſam quoque lunam & ſtellas, vt præeſſent nocti, laudate eũ, quoniam, &c.
10 Laudate eum qui multis plagis affecit Ægyptum, inter alia multa etiam occidens omnia primogenita eius, quoniam, &c.
11 Laudate eum qui deinde eduxit Iſraelem è medio Ægyptiorum quoniam, &c.
12 Idque fecit per maximam ſuam potentiam, quam exeruit in prodigiorum patratione: laudate itaque eum: quoniam, &c.
13 Laudate eum qui mare rubrum diuiſit in duas partes, quoniã, &c.
14 Qui eduxit Iſraelem per medium ipſius, quoniam, &c.
15 Atque demerſit Pharaonem & exercitum eius in eodẽ illo mari rubro, quoniam, &c.
16 Laudate eum qui per imperuium deſertum duxit populum ſuum, quoniam, &c.
17 Qui deinde percuſſit reges potentes, quoniam, &c.
18 Et occidit reges fortes, quoniam, &c.
19 Sehon ſcilicet regem Amorrhæorum, quoniam, &c.
20 Et og regem Baſan, quoniam, &c.
21 Qui dedit terram eorum in hæreditatem, quoniam, &c.
22 In hæreditatem, inquam, Iſraeli ſeruo ſuo, quoniam, &c. b
23 Et ſane quotieſcunque etiam poſtea affligebamur, declarauit ſe noſtri memorem eſſe, laudate itaque eum, quoniam, &c.
24 Et eripuit nos frequenter à tyrannide hoſtium noſtrorum, proin de laudate eum, quoniam, &c.
25 Ipſe eſt qui non noſtri tantum curam gerit, ſed & vniuerſæ carnis cùm omni carni cibum tribuat: quare laudate eum, quoniam, &c.
26 Laudate Deum cœli creatorem & inhabitatorẽ, quoniã imperpetuum, &c.
27 Laudate Dominum dominorum omnium, quoniã imperpetuum duratura eſt miſericordia eius.

ANNOTATIONES

2 CONFITEMINI.] Tribus his primis verſib. in prima parte notatur excellentia diuinæ naturę. Et in primo quidẽ verſu ponitur nomẽ tetragrammaton יהוה in ſecundo vero אֱלֹהִים elohim, in tertio אֲדֹנָי adonai, ſimul & trinitas perſonarum in vnitate naturę deſignatur. In ſequẽtibus verò verſibus diuinæ potẽtiæ excellentia notatur. In quibus notãdum, ſemper debere repeti, verbũ, confitemini, ſicut repetitur, quia in æternum, &c. nam pro eo quod nos legimus: Qui fecit, Qui firmauit, Qui percuſſit, &c. apud Hebræos & Græcos ponitur ſemper participium præſentis temporis datiui caſus. Nam apud Hebrços additur ei ſitera lamed, & apud Græcos articulus τῷ. Vnde apud eos habetur, Facienti, Firmanti, Percutienti, &c. Ad hos autem datiuos conſtat debere ſubaudiri verbum, confitemini, quare & ad hoc verbum ſemper referri debet cauſalis illa, quia in æternum, &c. nõ autẽ ad verbum illud quod in ſingulis verſibus explicite ponitur vt pleriquè intelligunt.

QVIA IN HVMILITATE, &c.] Et Græca quoque habent dictionem cauſalem ὅτι quia, vn de videtur litera intelligenda de afflictione ea quã in Ægypto perpeſſi erant, vt hic intelligatur reddi ratio eorũ quæ prius dicta ſunt, nempe quare pocuſſerit Ægyptum, & eduxit Iſraelem, &c. Verùm Hebræa etiã verti poſſunt per relatiuum, qui & cõuenit magis, vt ſit ſenſus: Cõfitemini ei qui in afflictione noſtra memor fuit noſtri. ſicque rectius intelligitur de ea affliction e, quã tẽpore Iudicum frequẽter perpeſſi ſunt poſt acceptã terrã promiſſionis in poſſeſſionẽ. Quẽ ſẽſum ſequẽdo, accipiemus cõiunctionẽ, quia, vt in pſalmis frequẽter, vt ſit idẽ quod, & certè, & affirmet potius quã cauſã reddat. b

Pſalmus Dauid Hieremiæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVI.

PSalmus iſte, vox eſt ſacerdotum, Leuitarum, cantorum, omniumque iuſtorum in Babylonica captiuitate exiſtentium, qui primo quidem memorant ſuſceptum à ſe ob veſtationem Hieruſalem luctum, eumque ſe etſi Babyloniis carmina lætitiæ requirentibus non depoſituros durante exilio: Deinde verò talionem orant vel prophetant Idumeis, qui cum fratres eſſent, & dolere Iſraelis calmitatem debuiſſent, etiam incitauerunt hoſtes ad ſæuiendum magis, tum Babyloniis, qui ad ſummam crudelitatem nihil fecerunt reliquum. Porro ſecundum myſticam intelligentiam hic Pſalmus aptãdus eſt populo fidelium in hoc mundo, tanquam in exilio atque in medio Babylonis degenti. Sancti enim iugiter memores ſui exilij, & agnoſ

& agnoſcentes locum vnde abducti ſunt, & in quem redire aliquando ſperant, ſuſpendunt organa in ſalicibus, hoc eſt ônia, huius mundi gaudia abiurant, ſemper ad patriam ſuam aſpirantes, atque in omnibus quæ his blandiuntur renitẽtes dele ctari. Vltio autem illa quæ in fine Pſalmi canitur, grauiſſimam illam ſignificat vindictam, quam de dæmonibus, Iudæis mundanisque hominibus in nouiſſimo iudicij die ſumpturus eſt. Per Idumæos enim rectè, dæmones vel potius Iudæos Chriſti ſanguine rubicundos (Edom enim rubicundum interpretatur) intellexerimus. Per Babylonios verò, mundi iſtius (qui in Apocalipſi Babylon nominatur) homines carnales, iuſtos affligentes & irridentes.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sió.

IVxta Babylonis flumina, quæ in illa ſunt plurima, reſedimus tãquam exules & miſeri extra vrbes, & fleuimus dum recordaremur tui, ô Sion, tum quod perpenderemus à tam ſancto loco, in quo nobis optimè erat, per miſeram hanc captiuitatem elongari: tum maximè quod tuam vaſtationem, neglectum Dei cultum, in tẽ exhiberi ſolitum, cerneremus. Quam rem ſane magis deplorauimus, quàm propriam miſeriam & exilium. Pſ. 36.

2 In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

2 Itaque ad ſalices, quæ ſunt illic copioſè in media Babylone iuxta fluenta aquarum, ſuſpendimus muſica noſtra inſtrumenta, præ nimio mœrore ab lætitiæ ſigno & prouocamento abſtinentes.

3 Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum.

3 Et adeo quidem omnem lætitiam abiurauimus, vt cum etiam prouocaremur ad pſallendum & canendum, nequaquam ad id adduci potuerimus, immo magis exacerbati ſumus. Illic enim hi qui nos ceperãt, poſcebant à nobis audire verba cantionum noſtrarum, nõ ſine ludibrio & irriſione religionis noſtræ. a

*4 Et qui abduxerũt nos, * hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

4 Et hi qui nos è Sion captiuos abduxerunt, rogauerunt nos, dicentes * Canite nobis vnum aliquod carmen ex his canticis, quæ cantare ſolebatis in Sion.

5 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5 Verùm quomodo poterimus cantare laudes Domini in terra, quæ & nobis & Deo noſtro aliena eſt? cum in hac terra extorres & miſeri degamus, ne cãtare quidem in ea nobis libet. Quia vero in ea verus Deus ignoratur, & pro vero Deo ſtatuæ & dij nihili, coluntur, neque decet, neque licet ſacra Domini cantica impiorum auribus occinere, ne ſacra canibus obiiciantur, & margaritæ porcis ſpargantur. b

6 Si oblitus fuero tui Hieruſalem.

6 Suſceptum autem hunc à nobis luctum ob memoriam tui, ô Sion, nullo vnquam tempore exilij præſentis deponam. Alioqui ſi vnquam quaſi tui ô Hieruſalem, oblitus cœpero vacare lætis cantibus & muſicis ludere inſtrumentis, * faxit Deus, vt dextera mea, qua tentauero citharã pulſare, detur à me obliuioni, hoc eſt, ceſſet in me ars pulſandi citharã, vt iam oblitus ſim vſus manus dexteræ in tangendo muſica organa.

** obliuioni detur dextera mea.*

7 Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

7 Sed & lingua mea, qua cœpero lætitiæ carmina decãtare, ſic hæreat palato meo, vt loqui amplius non poſſim, ſi non, quo ad hic vixero, ſem per memor fuero tui, & per tui recordationem ſemper lugens ab omni lætitia abſtinuero.

8 † Si non prope fuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.

8 Niſi etiam ipſam Hieruſalem fecero eſſe caput & principium lætitiæ meæ, ita ſcilicet vt non prius lætari incipiam, quàm vaſtatæ Hieruſalem reſtitutionem, quam certò ſperamus, videro. † Aut ſi non, quandocunque ſe lætitiæ occaſio ingeſſerit, priuſquam lætari incipiam, mihi ob oculos propoſuero miſeram Hieruſalem vaſtationem, vt ea tunc memoria mihi luctũ fletúmque excitet, quem omni lætitiæ præponere volo. c

9 Memor eſto Domine filiorum Edom in die Hieruſalem.

9 Tu autem Domine, ad conſolationem noſtram declara per vltionẽ te eſſe memorem eorum quæ Idumæi iniquè admiſerunt in die vltionis, & in tempore vaſtationis ciuitatis tuæ ſanctæ Hieruſalem.

10 Qui dicunt: Exinanite: Exinanite vſque ad fundamentum in ea.

10 Tunc enim ipſi cum, quod fratres noſtri & vicini eſſent, calamitatem noſtram dolere debuiſſent, hoſtes tamen noſtros Chaldæos per ſe abundè ſæuientes magis ad crudelitatẽ incitauerunt, dicentes: Euacuate, euacuate ipſam ciuitatem vſque ad fundamenta ipſius, ne ſaluum in ea relinquatur, nec veſtigium aliquod ciuitatis ſuperſit, vt reædificandi ſpes nulla ſit. d

11 Filia Babylonis miſerã.

11 Sicut autem de Idumæis his non dubito Deum condignam quandoque ſumpturum vltionem, ita ſanè & tu Babylonicę ciuitatis congregatio per diuinam vindictam miſera eris, immo & iam miſera verè es, etſi ignores: * beatus enim erit ille rex & populus, qui ea tibi rependet & inferet mala, quæ tu nobis rependiſti & intuliſti: Beatus, inquam, erit, quia Deo ipſius conatus adiuuante, proſperabitur contra te, & pro vltione de te ſumpta à Deo benedicetur. e

** beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.*

12 Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.

12 Beatus qui inter cætera mala tibi irroganda etiam apprehendet paruulos tuos, & allidet eos ad petram, ne his quidem parcens, quibus tanquam innocentibus maximè in bello parcere ſolent, vt ſic nulla poſteritatis tuæ & nominis tui ſpes reliqua maneat.

ANNO

ANNOTATIONES.

a QVIA ILLIC &c.] Coniunctio, quia nō videtur hic accipi posse propriè, vt causa superiorum hic reddatur: non enim vult rationem, quare suspenderint organa, esse, quia Babylonij rogauerunt eos carmina: sed vult significare tantū fuisse dolorem, vt etiam Babyloniis exigentibus, adduci ad cantandū non potuerint, immo potius eorū adhortatione dolor esset auctus, eo quod non sine irrisione religionis carmina sancta extorquere conarentur: Proinde, quia, accipiendum videtur, vt
b frequenter, pro, & quidem.

SI OBLITVS FVERO.] Loquitur de oblivione quo ad signa & facta, hoc est, de tali qua ex signis & factis iudicatur quis alicuius oblitus, quo modo dicimus eum oblitum mortis paternę, quę videmus vacare delitiis, cātibus & iocis. Ita enim vult idem significare se nō vacaturum carminibus & musicorum instrumentorū delectationi quasi oblitus esset ipsius Hierusalem. Porro in eo quod sequitur obliuioni detur, &c. dubium quid per dexteram intelligi debeat, dum alij aliud & aliud intelligunt, quærendū ité, quare potius dexteræ & linguæ malum imprecatur, quam aliis corporis membris. Pro quibus intelligendis notandum, Græca quidē sicut & Latina habere passiuè ἐπιλανθάνῃ obliuioni detur, vel sit in obliuione: Hebræa tamē habere verbum actiuum, oblitiscatur dextera mea quomodo & Augustini litera habet, in qua ad perfectionem orationis additur accusatiuus, me, obliuiscatur me dextera mea. Verūm Hebræorum lectionem quidam sic verisimiliter intelligendam & perficiendam putant, obliuiscatur dextera mea artis suæ vel officij sui. Secundū hunc enim sensum statim suggeritur ratio, quare dexteræ & linguæ suę imprecatur malè. Dicere enim voluit se in terra aliena neque cantaturum lingua, neque lusurū organis. Cōuenienter ergo manui dexteræ, qua iuditur, obliuionem artis, linguæ verò, adhęsionē ad palatum imprecatur, si contrariū fecerit. Hūc itaque sequēdo sensum & nostrā literā sic recte intelligitur: obliuiōni detur à me dextera mea, hoc est obliuiscar ego vsum dexterę meæ in pulsando citharam & alia instrumenta. Simili enim locutione in vulgari sermone dicere solemus, cùm habitum rectè scribendi amisimus: *Ick hebbe myn handt vergheten.*

c SI NON PROPOSVERO.] Ex Græcis non satis constare potest num legendum sit proposuero an præposuero, cum dictio Græca, προαιρῶμαι vtrumque significare possit, nisi quod magis significet, præposuerō: quomodo etiam exponit Euthymius, & legit Augustinus. Hebræa autem habent ad verbū, si non extulero vel ascendere fecero Hierusalem super caput vel principium lætitiæ meæ. Quæ quidem lectio à quibusdam sic intelligitur: Si non feceto ipsam Hierusalem esse principiū lętitiæ meæ: quomodo & nostra lectio rectè etiam intelligitur. Alij sic: si non prætulero luctum pro Hierusalem, vel laudes Hierusalem omni lætitiæ quæ mihi contingere potest, aut, Si non quandocūque lętitię occasio se obtulerit, cùmque lætari incepero proposuerō mihi ob oculos ipsam Hierusalē, vt eius memoria omne gaudium excutiat, atque hunc etiam sensum probè admittit nostra lectio. d

IN DIE HIERVSALEM.] Phrasi Hebraica dies alicuius sæpe accipitur pro tēpore vltionis & vastationis. vt Psalmo 36. de impio dicitur Deum prospicere quòd veniat diēs eius. Proinde oratio hæc eclyptica est complenda hoc modo: Memor esto filiorum Edom secundum ea quæ fecerunt in die Hierusalē, nisi hanc partem, in die Hierusalem, velimus construere cum verbo sequēti, qui dicunt pro qui dixerunt: nam hic sequens versus apud Hebræos cum priori in vnum coniungitur.

FILIA BABYLONIS.] Et hic phrasi Hebraica filia Babylonis, ipsa ciuitatis congregatio vocatur. Sicut Psalmo 44. filia Tyri, pro congregatione ciuium Tyrensium. Porro in versu sequēte pro nomine secundæ personæ, tuos, corruptè quidam libri habent, suos: corruptiùs autem quidam pro, tenebit, habent timebit. Et intelligunt hanc lectionem sequentes hunc sensum. Beatus qui præ timore Dei allidet ad petram Christum prauas affectiones, priusquam in opus prodeant. Hic autem sēsus etsi pius, præcedentibus tamen maximè secundum sensum literalem omnino est impertinens. Crudelitatem autem eam, qua vindicādam Babylonem prænuntiat vates, etiam Isaias cap. 13 similibus verbis prophetauit, dicens de Babylone, Infantes eorū allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorū violabūtur. In mystico autem sensu recte vltimus versus sic intelligetur: Beatus erit ille, qui tū in se, tum in aliis occiderit & mortificauerit parvulos tuos o Babylon, hoc est, affectus huius mūdi, cum adhuc quasi paruuli sunt, & in opus nondum proruperunt, vel quoscūque puriles ac fatuas affectiones, allidendo eas ad fidem Christi. Cùm enim spiritus sanctus in veteri testamēto seueritatem suam exhibuerit, in nouo autem suam charitatem, quæ in veteri testamento ad literam vltionem & vindictam impiorum malā significant, in mystico sensu à nobis accipienda sunt, vt significent salutiferam vltionem Dei per abolitionem vitiorum.

Psalmus ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVII.

Vir sanctus Dauid primum pro Dei in se benignitate canit se gratias ei religiosè acturum, tum & in posterum eandē Dei bonitatem in se declarari precatur, quo simul omnes reges terræ Dei potentiam ac benignitatem agnoscant & celebrent: postremum confidenter pollicetur ad futuram sibi deinceps opem Dei quam precabatur, adiungens in fine communem pro Dei erga suum populum fauore orationem. Porro quod hic precatur aut prophetat omnes reges Deum agnituros & laudaturos, etsi dauidis tempore in aliquot regibus illi terræ vicinis impleri cœperit, perfectè tamen implētum non est, nisi per mirabilia in Christo patrata, & euangelicam prædicationem. proinde & totus psalmus Christo per Dauidem adumbrato, & ecclesiæ quoque ipsius accommodandus est. quod quomodo fiat, intellectu difficile non est.

PARAPHRASIS EIVSDEM

1 *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniā audisti verba oris mei.*

LAudibus te celebrabo Domine, idque ex toto córde meo, * eo quod dignatus sis exaudire omnes preces meas, quas ore meo ad te fudi. Ps. 137

2 Neque

2 † *In conspectu angelorum psallam tibi,*

* *adorabo ad templū sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

3 *Super misericordia tua & veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.*

4 *In quacunque die inuocauero te, exaudi me:*

* *multiplicabis in anima mea virtutem.*

5 *Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.*

6 *Et cantent in vijs domini, quoniam magna est gloria Domini.*

7 *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, * & alta à longe cognoscit.*

8 *Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me.*

* *& super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam:*

* *et saluum me fecit dextera tua.*

9 *Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in sæculū, & opera manuum tuarum ne despicias:*

2 Neque priuatim tantum te celebrabo, sed & coram magnatibus populi & sacerdotibus, qui sunt quasi dij quidam & angeli terrestres, diuinæ voluntatis nuntij & executores, psalmos decantando in honorem nominis tui. † In publico etiam populi conuentu coram propitiatorio & Cherubim psallam tibi: *procidam coram te conuersus ad templum tuum sanctum quod inhabitas, & laudabo nomen tuum.

3 De misericordia tua mihi præstita, & fidelitate promissorum tuorū, b erga me seruata: *per hanc enim tuam misericordiam & fidelitatem extulisti nomen tuum sanctum super omnia, augustius & gloriosius omnibus quæ sunt in cœlo & in terra reddens.

4 Sicut autem hactenus in omnibus me exaudisti, ita & in posterum quandocunque tuum auxilium implorauero, exaudi quæso me: *& auge in spiritu meo vires, vt tua consolatione & gratia confortatus, nunquam in malis aliquibus deficiam, sed contra omnia fortis persistam.

5 Et fac vt magnificæ benignitatis & potentiæ tuæ manifesta declaratione non iam ego tantum, sed & omnes reges terræ te celebrent: *eo quòd audierint qualia fuerunt promissa tua quæ in nobis adimpleuisti.

6 Et fac vt carminibus efferant instituta Domini, & fateantur immen c sam esse maiestatem Domini.

7 Præterea & illud fateantur, quod quanquam Dominus sit super omnes excelsus, habitans in altissimis cœlorum, omniáque sua potentia longè exuperans, tamen) quæ illius immensa est benignitas) ad eos maximè attendit, qui de se humiliter sentiunt, hósque benigno suo fauore magis prosequitur, & quasi cominus respicit: eos vero qui se efferunt, superbásque cogitationes, cognoscit quidem, cum nihil eius cognitionem fugiat, sed cognoscit veluti eminus, vt qui tales non opprobet, sed ad puniendum tantum eorum recordetur. Atque hoc ipsum quòd dico in me apertè demonstratum est, cum me ex pastore ouium in regē euexit, deiectis & neglectis interim superbis hostibus meis.

8 Porro per eam quam hactenus expertus sum in me Dei benignitatem, nihil dubito quin & in posterum, sit contingat me versari in media afflictione, & vndique præsentissimis periculis circumcingi, tu me viui- d ficabis, tua opeme recreando, ac è periculis mortis me eximēdo: *nam contra sæuientem in me iram hostium meorum tu veluti manū tuam, vt soles, extendēs, tua potentia eorum sæuitiam comprimendo & superando, *& ab omni malo me saluum faciet omnipotentia tua.

9 Certus sum Dominum, cuius est vlcisci, redditurum pro me hosti- e bus meis quæ meruerunt. Domine cùm misericordia tua non sit momentanea & instabilis, vt hominum misericordia & fauor, sed perpetua sit, ne quæso nos, qui sumus veluti singulari quædam opera potentiæ & prouidētiæ tuæ, aliquando despicias & negligas, sed cœpto fauore semper prosequere. Ita enim vt facias conuenit, tum propter misericordiæ tuæ perpetuitatē, tum quod noster sis peculiari ratione artifex, qui nos ad tuam imaginem effinxisti, & populum tuum esse fecisti.

ANNOTATIONES

a QVONIAM AVDISTI VERBA, &c.] Tota hæc pars apud Hebræos non habetur, & in Græcis codicibus nō eo ponitur loco quo apud nos, nam in illis ponitur post eam partem: In conspectu angelorum psallam tibi: nec habetur solum audisti verba, sed audisti omnia verba. In cōspectu angelorum, non ponitur hic apud Hebræos pro nomine ăgelorū, מלאכים malachim, sed אלהים elohim, quod propriè significat Deum vel deos: vertunt autem illud nomen Septuaginta aliquoties per angelos, vt etiā Psalmo 8. verūm hic apud Hebræos accipitur pro iudicibus populi, & magnatibus terræ, qui in scripturis sæpe elohim & dij dicuntur. Sicut autem hi dij recte dicūtur ob authoritatem diuinam eis communicatam, ita etiam angeli rectè dicuntur, eo quod sint diuinæ iustitiæ & voluntatis executores, quod est officium angelorum Dei. Euthymius autem angelorum nomine sacerdotes intelligi docet. nā & hi apud Malachiam angeli Domini exercituum dicuntur, quod diuinæ sint voluntatis nuntij. Possunt & per angelos hic intelligi Cherubim, quæ erant intra sancta sancto rum: aut sublimiori sensu etiam angeli Dei in cœlo existentes, & per Cherubim figurati. In horum autem conspectu psallere, est à terrenis subleuatū quasi inter angelos, Deo astantem cum illis Deum laudare, quorum est proprium laudes Deo canere.

SVPER OMNE NOMEN, &c.] Ex Græcis ma- b nifestissimum est dictionem, sanctū, non esse masculini generis, vt sit hic sensus, & hæc distinctio: Magnificasti sanctum tuum super omne nomē: vt multi accipiant, intelligēres per sanctum, Christū nostrū. Habent enim, τὸ ὄνομα ἁγίου σου, Proinde sic est distinguendum & construendum, magnificasti nomen sanctum tuum super omne, id est, omnia. Porro Hebræa ad verbum habent: magnificasti super omne nomen tuum eloquium. quam orationem quidam per hyperbaton intelligunt in hoc sensu, magnificasti nomen tuum super, id est, per omne eloquium tuum. Alij coniunctionem intelligunt, magnificasti nomen tuum & eloquium tuum super omnia. Et omnino verisimile est Septuaginta pro dictione Hebraica,

quæ

quæ eloquiũ significat,non vertisse λογιον,sed λόγιον. Hac enim dictione solét semper vertere dictionem Hebraicam hic positam.

c ETCANTENT IN VIIS,&c.)Viæ Domini dicuntur in scripturis quandoque Dei præcepta quandoque Dei actiones. Secundum priorem acceptionem posset hæc oratio intelligi, vt sit sensus cantét ambulãdo in præceptis Domini. Qui enim in his non ambulat,digne Deo canere non potest. Verum potius secundu posteriorẽ acceptionẽ est accipiendũ,secũdũ quem sensũ habet paraphrasis.

EXTENDISTI,&c.]Hebræa hęc duo verba, d extendisti,& saluum fecit,in futuro habent, quod tempus & præcedens etiam & sequens verbum requirit.

DOMINVS RETRIBVET,&c.]Hebræa me e lius sic verti possunt,Dominus perficiet circa me, Domine misericordia tua in sæculũ,opera manuũ tuarum ne remittas,vel non remittes:vt intelligatur vel precari,vel promittere sibi propheta quod quæ cœpit in ipso Deus perficiet,atque hic sensus toti contextui Psalmi magis conuenit.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXVIII.

CAnit Propheta Deum omnia sua,nempe actiones,cogitationes & locutiones perfectè nosse:quod quidem colligit tum ex eo quod ipsum Deus totum intus & foris fecerit,tum ex eo quod vbique præsens adsit. Deinde vero ob hanc Dei vbique præsentis,omniaque potentis omniscientiam,Dei amicos se colere,& cõtra Dei inimicos se detestari asserit, offerẽs se ex bonæ conscientia testimonio probationi omnia cognoscentis Dei:itaque qua de scientia Dei canit in principio Psalmi vult ostendere esse causam sui erga iustos boni affectus,in impios verò odij. Caietanus autem non improbabiliter putat ob id Dauidem Dei omniscientiam tam diligenter describere,vt eam testem faciat pro se,quod amauerit Dei amicos, odinerit autem dei inimicos:idque ob id hoc Psalmo fecisse,quod plerique de integritate Dauidis male suspicarentur,cùm videret Ioab virum sanguinarium principem esse militiæ in aula ipsius,cui sententiæ maximè cõuenit Psalmi finis. Porro in eo quod Dauid in hoc Psalmo gloriatur imperium & numerum iustorum inualuisse(in quo quidem restexit ad id tempus,quo impios,regni Israelitici Deus pessundarat:ipsum autem una cum iustis euexerat) typum prætulit regni Christi, quod pessundatis impiis dæmonibus,Iudæis & idololatris gentibus per Apostolorum prædicationem,mirum in modum florere cœpit, ingenti hominum multitudine ipsum in regem suscipiente. Proinde rectè ecclesia Catholica illud exurrexi,&c.sicut & illud,tu cognouisti,&c. De Christi resurrectione ad vitam immortalẽ intelligit,sicut & totus quoque psalmus Christo rectè tribuitur,qui verius longè quam Dauid gloriari potest,non fuisse in se aliquam viam iniquitatis,& iniquos perfectoſe odio odisse.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine probasti me,& cognouisti me,*

DOmine scio quod me meaque omnia diligenter aduerteris, ac veluti exactè perscrutatus sis:neque solum aduertisti sed,etiam per- Ps.138 a
nouisti. Non enim de te id opinari licet,quod hominibus vsuenire experimur,qui post multarum rerum diligentem obseruationem & inuestigationem,ad perfectam earũ cognitionem peruenire nequeunt. Ita enim tu omnia obseruas, vt etiam omnia pernoscas. Et vt quod generatim dixi de tua omniscientia, per partes ostendam:* ecce Domine tu cognouisti & sessionem meam & surrectionem meam,non solum quia cognoscis quando sedeo,& quando à sessione surgo, quod & homines visu facilè cognoscunt,sed quia etiam antequam aut sedeam aut surgã cognoscas quãdo sessurus sim,& quando surrecturus,præterea ad quid sedeam,& ad quid surgam.

**tu cognouisti sessionẽ meam et resurrectionem meam.*

2 *Intellexisti cogitationes meas de longè,*

2 Nouisti enim non solum externas meas actiones,sed,quod nullus hominum potest,etiam internas mentis cogitationes, idque non solũ cum menti iam insunt,sed etiam longè antequam incidant in animum meum: * Sicut autem & sessionem & surrectionem meam nouisti,ita quoque ambulationem meam in via, & quietem meam in hæreditate atque cubili meo attendis diligenter,& qu asi exactè inuestigata perfectè cognoscis. Scis enim & vbi,& quando,& quare,siue foris ambulem interdiu,siue domi quiescam nocturno tempore.

** semitam meam et funiculum meum inuestigasti.*

3 *Et omnes vias meas prævidisti:*

3 Et vt paucis omnia comprehẽdam,omnes actiones & instituta mea (quæ quidem prædictis quatuor vitæ officiis & actibus, nempe sedere, surgere,ire,cubare,cõtinentur)non solum nouisti,sed etiam antequam fiant quasi iam sint vidisti:*non enim est etiam verbum aliquod in ore meo,quod tu non noueris Domine,etiam antequã exprimatur, & dum adhuc in lingua volutatur & formatur. Cumque iam editur,cuiuscũque sit idiomatis,& quãtumuis obscurè dictum sit,ac verborum inuolucris tegatur:intelligis tamen illud,&perspectum habes ad quid,quáque intẽtione omnia dicantur.

** quia non est sermo in lingua mea.*

4 *Ecce domine cognouisti omnia nouissima et antiqua:*
** tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.*

4 Et quid opus est multis;Ecce enim Domine tu cognouisti non tantum mea,sed omnia,& quæ in vltimis temporibus ventura sunt, & quæ antiquis olim tẽporibus facta sunt,futura atque præterita omnia perinde ac iam præsentia cognita habes.*Sic autem, vt dixi,te omnia mea b
cognoscere hinc imprimis constat,quia tu me totum intus & foris formasti:& quemadmodum artifex manum suam formando operi admouet,ita & tu potentiam tuam accommodasti,vt mirabili arte & inimitabili opere me fingeres. Proinde quid te latere posset mearum rerum,cũ tuum sim figmentum?

5 Sanè

5 *Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me, * confortata est, & non potero ad eam.*

5 Sanè cognitio tua qua omnia comprehendis,magis mirabilis est,quã vt eam comprehendere meo intellectu possim: *inualuit supra modũ c
eleuatáq; est altissimè,ita vt ad eam peruenire nequeam. Etsi enim cognoscere possim omnia te scire,supra captum tamen meum est, vt intelligam modũ quo omnia tam varia sine intellectus tui aut molestia aut perturbatione comprehendere possis.

6 *Quo ibo à spiritu tuo, *& quo à facie tua fugiam?*

6 Omnia autem te cognoscere rursum ex præsentia tua in omnibus locis colligere licet. Quo enim abire hinc potero à præsentia inuisibilis & incorporeæ diuinitatis tuæ?*& quo fugere potero vt conspectũ tuũ lateam?nusquam sanè.

7 *Si ascendero in cœlum,tu illic es:*si descendero in infernum,ades:*

7 Si enim ascendero in cœlum,ades illic & tu:*si descendero in infima terræ loca,res mira,etiam illic ego offendam te.

8 *Si sumpsero pennas meas diluculo:*& habitauero in extremis maris.*

8 Rursum si contingat mihi vt summo diluculo assumam mihi alas:*& d
simul cum sole ab oriente vno die vehar in extremum occidentem,illicque habitauero,

9 *Etenim illuc manus tua deducet me:* & tenebit me dextera tua.*

9 Etiam illic te inueniam,quandoquidẽ & te ductore solùm eò perueniam:*& ibi existens non nisi tua potentia & cura me sustentante,subsistere potero. Cùm itaque & supremum orbis locum cœlũ, & infimũ mundi locum infernum,orientem quoq; & occidentem tua præsentia obtineat,multo magis & media omnia loca obtinet,vt præsentiam tuã nemo subterfugere valeat.

10 *Et dixit forsitã tenebræ conculcabunt me:*
** & nox illuminatio mea, † in delitijs meis.*

10 Si cogitaui apud me:fortasse occultabunt & supprimẽt me tenebræ, e
ita vt à Deo non videar,quemadmodũ occultant me hominum conspectui,deprehendi citò stultitiam meam:*nã in ipso Deo, qui solus mea est oblectatio,etiam nox illuminat circa me,& super me lumẽ illi præbet æquè vt dies ad contuendum me.† Proinde si ad perfruendũ delitiis carnis optatis tenebras requisiero,vt solent facere carnales, neque tamen sic oculos diuinitatis illius effugere potero.

11 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, *sicut tenebræ eius,ita lumen eius.*

11 Nullæ enim tenebræ Domine tibi sunt obscuræ,sed apud te nox per- f
inde atq; dies lucida est,eo q nihil tibi obtegere possit magis quã dies:
* Perinde enim se habent apud te tenebræ noctis,& lux diei,ita vt in
vtriusque æquè omnia videas,neque lumine diei ad videndũ adiutus, g
neque nocturnis tenebris à videndo impeditus.

12 *Quia tu possedisti renes meos,*

12 Nec mirum si nihil te lateat mei vbicunq; fuero,cùm renes meos,in quibus affectuum sedes est,& omnes secretissimas corporis mei partes tu ab initio semper possederis,vt qui eas in vtero materno creaueris,& in tua semper plenissima habeas potestate,eásq; intimè inhabites:*atq; vbi in materno vtero me plasmasti,etiam me susceptisti in curam tuam mox ab ipso egressu è ventre matris meæ,manum tuam mihi porrigendo,& à noxiis protegendo.

** suscepisti me de utero matris meæ.*

13 *Confitebor tibi,quoniam terribiliter magnificatus es:*
** mirabilia opera tua,& anima mea cognoscet nimis.*

13 Quoniam autẽ hanc tuam tam admirandam in nos virtutẽ simul & bonitatem perpendo,meritò certè celebrabo te,mirabiliter enim tu in h
nobis declaratione potentiæ & bonitatis glorificatus es.* eo quod sint admiranda opera tua,quod ingenuè agnoscit spiritus meus, & modis omnibus supra captum suum esse ea confitetur.

14 *Non est occultatũ os meum à te quòd fecisti in occulto,*& substantia mea in inferioribus terræ.*

14 Vt autem redeam ad ostendendum ex formatione mei te omnia cognoscere,ecce nullum est ex ossibus meis,quod vel nunc te lateat,quãuis intra me absconditum,vel te latuerit,cùm in vtero matris formarer, cum tu omnia ossa mea in abditissimo materni vteri loco feceris:
* Imo & tota mea subsistentia quam habui in vtero matris,loco magis abdito quàm est vllum antrum terræ, non fuit occultata à conspectu tuo. i

15 *Imperfectum meum uiderũt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur:dies formabuntur,& nemo in eis.*

15 Cùm adhuc in vtero materno informis essem fœtus,videbas me oculis diuinitatis tuæ,cognoscens & qualis & quantus essem futurus: atq; etiam tum in præscientia tua,veluti in libro quodãdescriptos habebas omnes artus meos,cùm adhuc per singulos dies formaretur, & nullus ex eis adhuc perfectus extaret.

16 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.*
** nimis confortatus est principatus eorum.*

16 Quoniam itaque persuasus sum omnia te quantumuis occulta perfectè nosse(ob id certè sicut tua mihi scientia testis esse põt)valdè à me
honorati sunt iusti,qui & à te singulariter amãtur,& te vicissim diligũt, k
hos maximi sanè facio,eorúmq; societatem vnicè ambio:*video enim iam tuo munere eorum imperium inualuisse & corroboratum esse,nã pessundatis & suppressis in regno tuo impiis,qui prius dominabantur, iustos tui studiosos magnopere auctos & numero præualuisse cũ magno animi gaudio cerno,imo & admiror.

17 *Dinumerabo eos,& super arenam multiplicabuntur,*exurrexi,& adhuc sum tecum.*

17 Si enim coner eos numerare,plures esse inuenientur quàm sit arena maris:*ob id itaq; veluti à graui somno quo deprimebar,euigilaui,erectus nimirum à calamitatibus meis,& tecum semper persisto,vni tibi viuere & placere studens. l

18 *Si occideris Deus peccatores,* *viri sanguinum declinate à me.*

19 *Quia dicitis in cogitatione,*
* *accipient in vanitate ciuitates tuas.*

20 *Nónne qui oderũt te domine oderam?* *& super inimicos tuos tabescebam?*

21 *Perfecto odio oderam illos,* *inimici facti sunt mihi.*
22 *Proba me Deus, & scito cor meum:*
* *interroga me, & cognosce semitas meas.*
23 *Et uide si uia iniquitatis in me est.* * *& deduc me in uia æterna.*

18 Quia itaque decreuisti perdere impios, quemadmodum iam facere cœpisti multiplicando iustos, *ob id ò vos viri sanguinarij, qui sanguini iustorum fundendo inhiatis, recedite à me, ne & ego vobiscum perdar à Deo.

19 Perdimini enim, eo quod ex cogitatione vestra praua loquimini cõtra Deum sceleste, & in cogitationibus vestris quæ praua sunt & noxia voluitis, contra iustos scelerata machinantes: * Proinde in vanum accipient isti ciuitates tuas Domine. Nihil enim illis proderit, quod intra ciuitates tuas in medio populi tui habitent, è quo citò à te exterminabũtur. Vanum item est quod conãtur oppressis amicis tuis obtinere & diripere ciuitates, quas amicis tuis inhabitandas dedisti, cùm te adiuuan te tuis prævalere nequaquam poterunt. m

20 Tu Domine, qui solus omnia scis, & corda hominum rimaris, ipse mihi testis es, q̃ odientes te odiuerim: *nec simpliciter odiuerim, sed q̃ etiam propter hostes nominis tui in meipso contabuerim, & consumebar, eo quòd nimia indignatione & ira contra illos commouebar.

21 Sanè maximo odio prosequebar eos: *& quia tui erant inimici, etiã ego pro inimicis meis habebam eos.

22 Huius rei cum ego mihi optimè conscius sim, nõ dubitabo tibi ipsi me explorandum offerre. Tu ipse itaq; Domine, qui, vt dixi, omnia mea probas, attende ad me, & veluti me explora, & cognosce cor meum: *diligenter aduerte in me, & cognosce omnia mea instituta qualia ea sint.

23 Et perpende num in me sit cum impiis commune institutũ aliquod prauum, *quod si (vt ex bonæ conscientiæ testimonio firmiter confido) nihil tale in me inueneris, ne quæso me cum impiis derelinquas & perdas, sed constanter me deducas in ea via, quæ perpetuo durat apud te, nec, sicut iter impiorum, vnquam peribit: quæ proinde ad æternã perducit vitam, hoc est, in via virtutis quam amplexus sum, in qua tamen nisi tuo ducatu iugiter ambulare non potero.

ANNOTATIONES.

a DOMINE PROBASTI ME, &c.] Probare, scrutari, inuestigare, & similia quandoquidẽ propriè accepta Deo non conueniunt, vt quæ imperfectionem aliquam includunt, dupliciter exponi possunt, dum Deo tribuũtur. Primò vt significẽt diligenter rem aliquã aduertere, secundum quam explicationem notãdus ordo horum verborũ, probasti & cognouisti. Quamuis enim in Deo vnũ altero prius non sit, tamen quoniam ita est in nobis, Deum prius dicit probare, deinde cognoscere. Secundo exponi possunt, vt sint idem quod rem aliquam quasi bene inuestigatam perfectè cognoscere: secundum quã explicationem additum est verbum, cognouisti, ad exponendũ quomodo dixerit Deum probare. Porro hæc oratio, probasti me, & cognouisti me, proponitur in principio, tanquam propositio quæ in genere cõtineat quæ post latius sunt explicanda. Ostensurus aũt Deum cognoscere oẽs externas actiones, enumerat quatuor corporis motus vel situs, quibus oẽs actiones cõprehenduntur, nẽpe sedere, surgere, ire, & iacere. Vbi eñ nos legimus: semitam meã & funiculum meũ, &c. Hebræa habent, semitã meam & accubationẽ meam, quomodo etiã Hiero. vertit. Pro dictione aũt accubationẽ, verterunt Septuaginta σχοῖνος, quæ dictio Græcis duo potissimũ significat nã qñque significat funem, & qñ funibus solet terra mẽsurari, accipitur pro certa terræ mẽsura & portione, & hac ratione phrasi Hebraica acceperũt hanc dictionẽ aliquoties pro hæreditate quę funibus diuidi vnicuique solet. Hanc ergo dictionis Græcæ significationem secutus est etiã hoc loco Latinus interpres. Aliqñ autem eadem dictio significat iuncũ & stoream, hoc est, mattã ex iuncis cõtextam in qua cubatur, atque in hac potius significatione hoc loco trãstulisse Septuaginta patet ex collatione Hebręæ dictionis vt etiam annotauit diligenter Steuchus. Proinde vt & litera nostra accedat ad sensum Prophetę, nomen, funiculus (quod pro hæreditate hic trãstulisse interpres videtur) nobis significabit qeãtem in hęreditate, sicut per semitã significatur ambulatio in via. Foris eñ ambulamus, domi quiescimus. Nisi quis simili translatione, qua σχοῖνος, Græcis significat stoream, nẽpe quia ex iuncis contextam, funiculum etiam hic velit accipere pro lecto quod ex funibus quandoque contexitur.

b POSVISTI SVPER ME MANVM.] Variè hæc pars enarratur. Quidã enim eam accipiũt, vt idem penè significet quod præcedens, formasti me, & sit metaphorica locutio, desumpta ab artificibus manum suã operi formando admouentibus. Alij intelligunt sensum esse: non solũ formasti me, sed etiam post formationẽ mei curã gessisti, & potentia tua ne periré conseruasti: vt per hanc partẽ, posuisti, &c. notetur differentia inter Deũ & alios artifices, qui facto opere manũ suam ab eo subtrahunt. Cãpensis videtur sic intelligere, vt, cùm dicit, formasti me ante & retro, vt habẽt Hebręa. de corpore suo loquatur: cùm verò adiecit, posuisti, &c. significet se formã à Deo accepisse, exponit enim, impressisti formã certam in me manu tua, quãuis hæc interpretatio à prima parũ differre videatur.

c MIRABILIS FACTA EST.] Quod dicitur, ex me, quidã sic intelligũt, ex his & per ea quæ fecisti in me, facta est sapiẽtia tua, quam in formatione mei exhibuisti, valde mirabilis. Verũ cõsequentia Psalmi magis exigit, vt per sciẽtiã Dei, intelligatur non sapientia Dei qua in creatione rerũ vtitur, sed Dei cognitio, qua oĩa cognoscit. Et illud, ex me, vel, vt habent Hebręa, à me, magis secundum Hebraeam

eam phrasim accipi debet cõparatiuè, sicut in Psalmis sæpe accipitur, super me, vt sit idẽ quod magis quàm intelligere possim, quem sensum & sequens oratio satis ostendit, conformata est, &c.

d SI SVMPSERO PENNAS.] Hebręa habẽt, si sumpsero pẽnas aurorę, loquitur aũt poeticè, tribuens ob summã celeritatẽ ipsi aurorę pẽnas. Notat aũt hoc versu orientẽ & occidẽtẽ, sicut superiori versu notauit, supremã & infimã orbis partes: In sequẽti aũt versu cũ debuisset dixisse, etiam illic inueniã te: dicit, etiam illuc manus, &c. ex ipso effectu Dei præsentiã in oriente & occidente colligẽs.

e NOX ILLVMINATIO MEA, &c.] Pronomẽ, mea, nec habetur in Græcis, nec legitur apud Augustinũ aut Hilariũ, & sensui nonnihil officit. Porro ꝓ eo qđ Septuagintaverterũt, ἐν τῇ τρυφῇ μου, in deliciis meis, Hebræa etiã verti pñt, circa me: & est sensus proposito cõgruẽtior, quẽ oẽs sequũtur qui Hebręa vertunt. Cæterũ in nostra litera si per delicias Prophetæ, Deus ipse intelligatur, vt intelligit Euthymi⁹, nó multũ recedit à sensu Prophetæ.

f TENEBRÆ NON OBSCVRABVN. &c.] In hac oratione debet oratio, à te, accipi impropriè, pro apud te, vt annotauit etiã Euthymius, aut potius verbũ passiuũ, obscurabũtur, actiuè accipi debet pro obscurabunt, nã Hebræa manifestè habent verbũ transitiuũ, vt sit sensus: Tenebræ nó facient aliquid tibi obscurũ, nec à te aliquid occultabunt.

g SICVT TENEBRÆ, &c.] In hac oratione relatiua, eius, nõ possunt referri ad Deũ, cũ sint apud Græcos fœminini generis vnde primũ, eius, debet referri ad noctem, secundum ad diẽ. Habẽt autem Hebræa ad verbũ hoc modo: sicut tenebræ, sicut lumen: ésq; linguæ phrasis, qua significatur perinde sese habere apud Deum tenebras & lumen. Vnde in eo sensu etiam nostra litera intelligenda est.

h ANIMA MEA COGNOSCET NIMIS.] Hebræa & Greca habẽt tẽpus præsens γινώσκει, cognoscit. Hilarius quoq; manifestè legit nouit. Augustinum etiam legisse tẽpus præsens ex cõmentario patet, sic enim habet: Iã cognoscit anima mea valde, quoniam suscepisti me. Vnde, satis cõstat vitio librariorum legi, cognoscet: &, cognoscit, habẽt etiam quædam scripta.

IN LIBRO TVO OMNES, &c.] In hac oratione primo notãdum dictionẽ, dies, nõ posse esse sup positũ verbi, formabũtur, nec relatiuũ, eis ad dies, referri posse, cũ Greca sic habeãt, ἡμέρας πλασθήσονται, καὶ οὐθεὶς ἐν αὐτοῖς. Vbi ἡμέρας, vel est accusatiui casus, vt subintelligatur κατὰ, vel genitiui casus, qñ quidem tẽpus apud Græcos in genitiuo ponitur, sicut apud nos in ablatiuo, & sic potius deberet intelligi, vt sit sensus: die formabũtur. Vñ & Aug. legit, per diẽ errabũt. Quod aũt legat, errabũt, cum nos habeamus, formabuntur prouenit ex æquiuocatione dictionis Greçę, πλασθήσονται. Pót eñ esse à πλαζομαι, quod errare significat: aut à πλάττομαι, qđ formari significat. Debere aũt verti potius, formabũtur, Hebręa docẽt. In nostra ergo litera aut legẽdum est, die, qũo quidam libri habere dicũtur: aut, dies, debet accipi vt sit accusatiui casus, & sub intelligatur præpositio, per. Cúmq; relatiuũ, αὐτοῖς, sit masculini generis, ἡμέρας, vero fœminini, nõ potest relatiuum, eis, referri ad, dies, sed ad, oẽs. Porro verba illa futuri tẽporis, scribentur, & formabũtur pro præteritis accipi debent, sicut etiam apud Hebræos secundum verbum in præterito ponitur, & in dictione, oẽs, subaudiẽdum, artus: alioqui & per neutrum genus rectius ex Hebræo verti põt: & in libro tuo omnia ipsa, nempe mẽbra scribebantur. cùm per singulos dies formarẽtur, & adhuc nullũ extaret in eis. Hic est probabilior literæ Hebraicæ sensus, ad quẽ modo prædicto nostra litera referẽda est. Si autem durum alicui videatur in dictione, omnes, intelligere artus, pót literam nostrã sic accipere: in libro cognitionis tuę oẽs homines scribẽtur, qui adhuc per singulos dies formabũtur, & nemo inter eos erit, qui scilicet in tuo libro non scribatur, hoc est, qui tibi sit incognitus,

k CONFORTATVS EST, &c.] Græcis est pluraliter sicut & Hebræis: Confortati sunt principatus eorum, quomodo & Augustinus legit, & quædam nostra exemplaria habent.

l EXVRREXI, ET ADHVC, &c.] Pro, exurrexi, dictio Hebraica propriè significat euigilaui, quã paraphrasis exponit, pro eo quod est è calamitatibus erigi, & ad gaudiũ exilire, quo modo simile verbũ accipitur apud Hebræos Iob 31. vbi nos legimus: Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quod inuenisset eum malum. nã pro, exultaui, habent Hebræa, & exurrexi.

m QVIA DICITIS IN, &c.] Multa hic annotanda sunt, & primũ qđ Augustini lectio & Hilarij habeat, quia dices in cogitatione. Quę quidẽ varietas prouenit ex varietate Græcorũ codicũ, nã Græci codices, quos vidit Hilarius, vt ex eius cõmentariis patet, habebãt ὅτι ἐρεῖς ἐν διαλογισμοῖς. Illud autẽ, ἐρεῖς (inquit Hilarius) pronuntiatione distinguitur, vt aut, dicis, intelligatur, aut contẽtio, vtrũque eñ sub eisdẽ verbis significatur hoc dicto. Sed qui Hebraici sermonis scientiã cõsecuti sunt, nõ dicis, sed, contẽtiones, in eo qđ ἐρεῖς translatũ est, prodiderunt. Hactenus ille. In quibus verbis mirandũ quo modo dicat Hebraicè doctos dictionẽ Græcã ambiguam debere potius interpretari, contentiones, cũ dictio Hebraica manifestè significet dicere & loq. Nunc autẽ Græci codices habent, ὅτι ἐριοῦσί σοι ἐν διαλογισμοῖς, quidam autem pro σοι habẽt, εις. & sic legit noster interpres, qui tamen dictionem ἐριοῦσι, intellexit deriuari ab ἐρέω, cũ sit ab ἐρίζω, contendo. vnde sensus est: qñ contentiosi estis ad cogitationes. Porro Septuaginta dũ verterunt, ἐριοῦσι, intellexerũt verbũ Hebraicũ hic positũ esse à מָרַר Marar, cũ potius sit ab אָמַר Amar, dicere. Dictio autẽ Hebraica, pro qua Græci habẽt διαλογισμοῖς: & nos cogitationem, non simpliciter significat cogitationem, sed sceleratam, imo & omne scelus. In eo aũt quod sequitur, accipiẽt, &c. corruptè legitur apud nos, accipiant, cũ sit Græcis, λήψονται accipient. qũo legunt Augustinus & Hilarius. qũo item habẽt Latina emendatiora. Corruptè quoq; legitur in omnibus libris Latinis, ciuitates suas, cum sit Græcè πόλεις σὰς, ciuitates tuas, qũo, etiam Hilarium legisse patet ex illius commẽtario, quãuis textus habeat, suas. Sic enim scribit: Isti hæretici scilicet infœlices animas extinguũt, & in vanum ecclesias sibi cõgregant, quas, ciuitates Dei secũdum prophetică, euãgelicãq; cõsuetudinem nuncupari frequens & plurima authoritas est. Et postea: Hi in vanum ecclesias Dei accipient, infructuosarum ecclesiarum cœtus per schismatũ dissidia reddẽtes. Primã autẽ huius versus partẽ legit Cassiodorus hoc modo, quia dicitis in cogitationibus, & interpretatur de cogitationibus malis, hoc modo, id est, contra illa murmuratis quæ vobis spiritus sancti virtute prædicata sunt. Hic sensus proximè accedit ad lectionem Græcorum & Hebræorum, vnde similem etiã sensum paraphrasis reddit.

In finem Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CXXXIX.

EX ipsis Psalmi uerbis satis apparet hunc esse compositum contra Saulem, & maximè cõtra Doeg, & alios malignos Saulis adulatores. Itaque primum ab iniquo Saule atque Doeg, & complicibus eorum liberari optat, commemorans eorum peruersitatem & dolos: suam uerò in Deo confidentiam, tum & exterminium, grauemq; ultionem eorum, suam uerò omniumq; iustorũ liberationem & gaudium cum religioso Dei cultu prædicit. Porro in his alijsq; similibus, cum Christi omniumq; iustorum typum prætulerit Dauid, etiam illis Psalmus accommodandus fuerit.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Eripe me Domine ab homine malo: * à uiro iniquo eripe me.*

LIbera me Domine ab hominibus malis:*à viris inique me persequẽ *Ps.139.*
tibus eripe me.

2 *Qui cogitauerũt iniquitates in corde:*tota die constituebant prælia.*

2 Qui corde machinantur scelerata,*& assiduè parant prælia cõtra iustos, nihil aliud semper meditantes, quàm quomodo iustos oppugnent & expugnent.

3 *Acuerunt linguas suas, sicut serpentes.*

3 Neque tantum corde iniqua machinati sunt, sed quemadmodũ serpens linguam suã exerendo acuit, vt magis penetrando lædat: ita & ipsi serpentina quadã malitia linguas suas exacuerunt, quia scilicet eas incitauerunt ad loquendum pernicioſa mendacia, quibus innoxios vehementer lædant, & quia suis mendaciis linguas suas quàm maximè nocuas & læsiuas reddiderunt:*neque solum linguæ serpentinæ acutié referunt, sed & venenum quoq;. Pestiferos enim sermones in modũ venẽni efficacissimi maximè noxios, semper habent paratos in ore, ad effundendum illud cum opportunum fuerit. a

**uenenum aspidũ sub labijs eorum.*

4 Tu itaque, Domine impietatis eorũ habita ratione, custodi me, ne incidã in manus & potestatẽ impij & ab hominibus istis iniqs eripe me.

4 *Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe.*

5 Qui apud se constituerunt me prosternere & deiicere:*atq; vt id perficiant, absconditè disposuerunt homines isti superbi laqueum in perniciem meam. Fraudibus enim suis & dolis me circumuenire inopinatũ, & capere, captúmque perdere non aliter moliuntur, quàm faciunt venatores, qui vt feram capiant, & cadere faciant, absconditos parant laqueos.

5 *Qui cogitauerũt supplantare gressus meos,*absconderunt superbi laqueum mihi.*

6 Ita enim & isti quasi funes in laqueum expanderunt mihi, * & iuxta viam qua iturus eram, offendicula mihi posuerunt, in quæ incautus impingens caderem. Quandoquidem insidias mihi in omnibus locis parauerunt ad capiendum, & in omnibus meis negotiis & studiis, quæ simpliciter exequebar, studuerunt callidè mihi parare perditionis meę occasionem, ita vt sine tua Domine singulari custodia eorum insidias euadere nequaquam possim.

6 *Et funes extenderunt in laqueum,*iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

7 Proinde in his constitutus periculis ad te solum Domine cõfugi, dicens tu es Deus meus, à quo vnicè pendeo, quique me custodiendũ suscepisti:*exaudi itaque clamorem orationis meæ, quam ad te toto cordis desiderio fundo.

7 *Dixi Domino, Deus meus es tu,*
* *exaudi Domine uocẽ deprecationis meæ.*

8 Domine, Domine, tu es fortitudo salutationis meæ, tu es per quẽ hactenùs seruatus sum,*nam quoties cõfligendũ mihi fuit cum hoste, aut quoduis periculum incidit, tu veluti scuto caput meum obtegente me protexisti ab hostium sagittis,& quouis nocumento.

8 *Domine domine uirtus salutis meæ,*obumbrasti super caput meum in die belli.*

9 Ne itaque Domine nunc sinas me venire in potestatem impij contra desiderium meum:*Ipsi quidem cogitauerunt contra me: verum tu ne derelinquas me, ne fortè efferant sese & cogitationem suã perfecerint, & votorum suorum compotes facti sint. b

9 *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori:*
**cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.*

10 Ita sanè te facturũ persuasus sum, vt non solùm nihil mihi noceant, sed etiam seipsos per illa perdãt, per quæ me perdere conati sunt. Illud enim, quod est caput & summa insidiarum suarum quibus me circundant, nempe afflictio illa & pernicies, quam labiis suis mihi adferre parant inuoluet eos totos, & obruet. c

10 *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.*

11 Quemadmodum olim in vltionem Sodomitarum pluit è cœlo Dominus ignem, ita & super istos è cœlo cadent carbones: in ignem præcipitabis eos Domine, tantisque calamitatibus afficies, vt in eis subsistere nequeant, nam & in præsenti sæculo veniet super eos grauissima vltio diuina, qua tanquam igne subito consumantur ac pereant, & post hanc vitam deiicientur in ignem illum æternum, intolerabilẽ omnino, & perpetuum interitum afferentem.

11 *Cadent super eos carbones, in ignem deijctes eos: in miserijs non subsistent.*

12 Lingua enim homo, qui facilis est ad maledicendum & mentiẽdum contra proximum suum, nequaquã prosperabitur in terra:*& quisquis iniurijs afficit proximum suum, illum mala venabuntur & corripiẽt, vsquequo eum planè perdant.

12 *Vir linguosus non dirigetur in terra,*
* *uirum iniustum mala capient in interitu.*

13 Hoc

13 *Cognouit quia faciet Dominus iudicium inopis, & uindictam pauperum.*

13 Hoc autem ob id tam indubitanter affero, quia etsi ad tẽpus causam iniquè afflictorum videatur Dominus negligere: tamen scio eum aliquando iudicaturum & vindicaturum pro afflictis omni humana ope destitutis: ipsos quidẽ ab iniusta oppressione liberando, impiis verò oppressoribus iustam vltionem inferendo.

14 *Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo,* & habitabunt recti cũ cultu tuo.*

14 Sumpta autẽ de impiis vltione, & liberatis ab eorum oppressione iustis, tum sanè iusti celebrabunt nomen tuum:*& coram facie tua securè habitabunt recti. In præsenti enim vita tuum fauorem & benignitatẽ ob oculos semper habentes semper lætabũtur, tibíq; vni placere iugiter studebũt, & in futuro sæculo contẽplatione vultus tui indesinenter fruentes, perpetuis laudibus nomen tuum efferent & decantabunt.

ANNOTATIONES.

a ACVERVNT LINGVAS, &c.] Græcè est singularis numerus, linguã suam, sicut & in Hebræo: nec est Græcè, sicut serpentes, sed per genitiuum, sic serpentis, ὡσ τὲ ὄφεως, Secundũ quam lectionem non oportet intelligere etiã serpentes acuere linguas suas, & in hoc cõparari istos impios serpẽti, ꝙ sicut serpens linguam suã acuit, sic & isti: sed ꝙ impij acuunt linguam suã, ita vt fiat similis linguę serpentis, non enim serpens lingam suã acuit, sed natura sua acuta ei lingua est præter morẽ fere aliorum animaliũ, quorum lingua obtusa est. Et verisimile est vitio scriptoris legi, serpẽtes, cum & Augustinus videatur ex commẽtariis legisse, serpẽtis, eo ꝙ singulariter serpentis, & non serpentum mentionẽ faciat: intelligit tamen Caietanus etiam serpẽtes acuere linguã suam, cum eã exerẽdo acutiorem reddunt. Porro dupliciter indicat paraphrasis explicari posse ꝙ impij dicũtur acuere linguas suas, nempe vel quia eas dem ad lædendũ incitant, vel quia eas mendaciis suis impias faciunt.

b NE TRADAS ME DOMINE, &c.] Hebręa nunc vertuntur: Ne des Domine desideria peccatoris, quod bene conuenit ei quod sequitur: tantũ tamen punctis mutatis Hebræa hoc significãt, quod verterunt Septuaginta: A desiderio meo. Quod D. Augustinus similiter & Euthymius sic piè & doctè interpretantur: ne ita Domine sinas in me praua aliqua desideria, quę subinde in me exurgũt, dominari, vt ob ea me tradas in potestatẽ peccatoris. Alium tamen sensum indicat paraphrasis, qui literali sensui magis videtur conuenire, vt, à desiderio, positum sit pro, præter desiderium.

c CAPVT CIRCVITVS EORVM.] Hebręa habent, caput circundãtium me. Et intelligũt quidam, caput, esse accusatiui casus, vt sit sensus: labor labiorum operiet & caput hostium meorũ, & cum capite oẽs adhærentes ei. Alij orationem intelligũt esse imperfectã, cõplendam hoc modo: caput circũdantium me incidet cum suis in hæc mala quæ dicturus sum. Nostra autem litera, in qua, vt patet ex Græcis, caput, est nominatiui casus; dupliciter põt intelligi. Primũ vt appositiuè iungatur, caput, cum dictione, labor, & per circuitum, insidiæ intelligantur, vt indicat Paraphrasis. Secudò vt inter, caput, & labor, subintelligatur coniunctio, &, quemadmodum facit Hilarius, vt sit sensus: *Is qui est caput & princeps hostium circundantium me, & labor labiorum eorum operiet eos, id est, erit eis perditionis occasio, & inducet in extremã miseriam.* Vt autem hunc sensum non præferremus, fecit verbum, operiet, ꝙ videtur significare voluisse idẽ illud malum venturũ super impios, quod iusto parauerũt. Notandũ autem dictionẽ, labor, debere accipi, vti frequenter, pro pernicie & afflictione. Secundũ autẽ hunc sensum, caput, in sensu literali est Saul vel Doeg: In sensu verò mystico, Iudas vel diabolus.

Psalmus Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CXL.

PVtatur etiam hic Psalmus à Dauide compositus, cum per Saulis persecutionem submotus à tabernaculo fœderis, ubi sacrificia matutina & uespertina fiebant, incensum & sacrificium precationibus sarciret. Itaque ante omnia precatus orationem suam acceptari à Deo, tanquam sacrificia illa, orat deinceps & labia sua ita custodiri, ut ne quid unquã in tantis tentationibus impiè loquatur, & eam sibi dari mentem, qua gratiæ impiorum quantumuis fœliciũ præferat iustorũ seueram correptionem: tum commemorata utilitate ex ultione impiorum prouentura, & oppressionis magnitudine, precatur & suam liberationem, & dignam impijs hostibus suis ultionem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine, clamaui ad te, exaudi me:*inteñde uoci meæ cum clamauero ad te.*

DOmine toto cordis affectu & ad te præcipue clamaui, quare precor exaudi me,*declara te attendere vocẽ meam, quoties auxiliũ tuum imploraueró. *Ps.140.*

2 *Dirigatur oratio mea, sicut incẽsum in cõspectu tuo,*
**eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum.*

2 Precatio mea fœliciter ascendat in conspectum tuum, sicut suffitus thuris in venerationem tui in altari excitatus,* ipsáq; eleuatio manuũ mearum sit coràm te, sicut libamen & munus, quod coram te vespere sem per subleuatur, hoc est, quemadmodum gratissimum tibi est thymiama super altare aureum intra sancta tibi incensum: ita & precatio mea, quę incensi instar ex corde meo euaporat, tibi placeat: & quomodo vespertinum sacrificium extra sancta super altare holocaustorum tibi oblatũ, acceptum tibi est: ita quoque & exterior manuum mearum oblatio tibi grata sit & placida. a

3 *Pone domine custodiam ori meo.*

3 Ante omnia autem te precor Domine, vt quoniam linguæ lapsus facilis est, maximè cum quis aduersitatibus premitur, ne quid in his malis impiè loquatur lingua mea, vel contra te, vel contra hostes meos,

*& ostium circunstantiæ labijs meis.

Pone quæso veluti custodiũ ori meo,*& circa labia mea veluti ostiũ pone quod illa circumstet & custodiat per circuitũ,hoc est, da mihi gratiam tuam,qua ita linguam & os meum custodiam.& cohibeam,vt nõ nisi quod decet,& quando decet eloquar:quemadmodum militari custodia ciuitas,& ostij munitione domus custoditur,vt nihil obfuturum aut exeat,aut introeat.

4 Non declines cor meum in uerba malitiæ:
* ad excusandas excusationes in peccatis.

4 Et quoniam omnis linguæ lapsus ex cordis procedit deprauatione, ne quæso sinas animum meum propensum fieri ad loquendum malos sermones:*singulariter autẽ non permittas ad id inclinari cor meũ,vt in commissis peccatis quærat excusationes,quibus peccata sua defendere aut excusare conetur.

5 Cum hominibus operantibus iniquitatem,

5 Ad hæc,inquam,ne me inclinari permittas exemplo eorum qui viri sunt scelerati,qui vt ad maledicẽdum proximis,& blasphemandum te sunt paratissimi:ita commissa peccata variis semper modis prætexere & excusare nituntur,præ mentis superbia impietatem suã agnoscere renuentes.*Vt autem oro te linguam & cor meum diligenter custodire,ita quoque precor vt ne me vnquam participare sinas cum impiis in his quę ipsi eligunt & approbant,nempe in deliciis & voluptatibus eorum,conuiuiis & compotationibus,boniſq; rapina partis,quæ suauissima illis reputantur.

* & nõ communicabo cum electis eorum.

6 Corripiet me iustus in misericordia,& increpabit me:
*oleum autẽ peccatoris non impinguet caput meum.

6 Imo contrà da,vt iustus misericordia commotus me peccantem castiget,& seuerius etiã increpet:*nec sinas peccatores quasi oleo suo ca b
put meum impinguent,hoc est,vt suis deliciis me ita demulceant,vt illorum mihi conuersatio & amicitia placeat, aut suis adulationibus & blandiloquentiis ita animum meum oblectent,vt in peccatis meis me foueant & enutriant.

7 Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorũ.

7 Tantum enim abest vt impiorum gratiam quæram, vt etiam oratio mea semper futura sit contra ea,quæ placent impiis,scelera,precando semper vt & ab eorũ sceleratis operibus quàm alienissimũ me serues, & finem malitiæ eorum aliquando facias,quo alij per eos à iustitia nõ diutius auertantur,*Cùm enim principes eorum & præcipui inter eos exterminabuntur,& veluti ad petram allisi cõminuentur,aut saxo alligati demergentur in profundum maris.

* absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.

8 Audient uerba mea,quoniam potuerunt.

8 Tum certè fiet,vt saltẽ simplices,quos modò principes illi dementãt & seducunt,audiant sermones meos de pietate,iustitia, innocentia, & cæteris:sunt enim huiusmodi sermones ob summam eorũ gratiam & suauitatem admodum ad persuadendum efficaces & potentes.Et iure quidem oro,vt finem accipiat malitia eorum.*Nã sicut crassitudo terræ aratro discissa rumpitur & in proximam terram spargitur.

* sicut crassitudo terræ erupta est supra terram.

9 Ita & ab eis ossa mea & meorũ,quasi dispersa sunt proximè inferno & sepulchro,quia scilicet ita vires nostras fregerũt,atq; in ea discrimina induxerunt,vt quasi in ore sepulchri & inferorum simus,proximi nimirum morti & perditioni:*Verùm,mi Domine Deus,quoniam in te assiduè intenti sunt oculi mei,& in te omnis mea spes sita est, ob id ne quæso sinas perire animam meam.

9 Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

10 Custodi me à laqueo quẽ statuerunt mihi:*& à scandalis operantiũ iniquitatem.

10 Custodi me Domine ne capiar insidiis,quas tanquam laqueum dispoſuerunt mihi:*& ne impinguam in offendicula hominum iniquitati deditorum.

11 Cadent in retiaculo eius peccatores:
*singulariter sum ego donec transeam.

11 Sed contra in rete & perniciem eam,quã mihi parauit aduersarius meus,incidant potius(quemadmodum & futurum certus sum)peccatores quotquot illi adhęrẽt:*ego verò tua protectione singularis subsistam,liber scilicet ab illorũ impiorũ imposturis,donec perfectè euasero illorum insidias,& ad fœliciorem vitam hinc migrem te adiuuante. d

ANNOTATIONES.

DIRIGATVR ORATIO MEA.] Ex hoc versu colligitur Dauidẽ hæc orasse cũ exularet,nec cum reliquo populo communibus beneficiis interesse posset,atq; ob id precari,vt loco incensi & sacrificij à Deo acceptetur oratio ipsius, quomodo tres pueri apud Danielem precabãtur, dicentes:Non est in hoc tempore holocaustũ, neque sacrificium,neque oblatio,neque locus primitiarum apud te,vt inueniamus misericordiã tuam: sed in anima contrita,& spiritu humilitatis suscipiamur,sicut in holocausto arietũ & taurorum,sic fiat sacrificium nostrum hodie.Simpliciter tamen versus iste intelligitur:sic placeat tibi oratio mea, sicut incẽsum iuxta legem oblatũ,& eleuatio,&c. Verùm hic quispiam dubitabit,quomodo orationem suam acceptari optet sicut incensum,cũ oratio iusti lõgè sit Deo acceptior,quã incẽsum, quod non nisi ratione deuotionis offerentium illi placet. Sed Propheta significans incensum & sacrificium vespertinum Deo esse grata, non loquitur de eis per se acceptis,sed vt à deuotis offeruntur mentibus secundum legis præscriptum,& vt erant figura vnici illius sacrificij per Christũ offerẽdi in ara crucis.Quoniam enim sic oblata Deo erant gratissima,ob id etiam orationẽ suam susci pi à Deo orat sicut illa:Sicut autem incẽsum per se acceptũ Deo gratum

gratum non est,aut sacrificiũ quoduis:ita nec oratio,aut manuũ eleuatio externa,nisi à deuota mẽte proficiscatur.Conuenienter autem orationẽ incenso,eleuationem autem manuum sacrificio vespertino comparat,nam sicut incensum accendebatur intra sancta,ita oratio veluti euaporatio est intimi cordis nostri. Et sicut sacrificiũ offerebatur extra sancta in altari holocaustorum,atq; ibidem manibus sacerdotis in altum leuabatur:ita quoq; eleuatio manuum,exterior quædã est cæremonia.Non tandum autem,nomine sacrificij hic non designari animal in altari holocaustorum immolatũ, sed illud quod cum animalibus offerebatur ex simila, oleo,& vino,vt patet ex dictione Hebræa מִנְחָה Minha.Quoniã enim hoc sacrificium manibus sacerdotis eleuabatur,apertius huic eleuationẽ manuum comparat.Meminit aũt sacrificij vespertini potius quàm matutini,secundũ quosdam,eo q; forte sub vesperam hæc precaretur: secundũ Euthymium verò,eo q; vespertinum esset quadã ratione honoratius.Nam matutinũ ad vespertinum respiciebat:vespertinum autem vniuersum sacerdotale diei ministerium perficiebat.Quibus addatur & illud,quod Propheta respexerit in sacrificium illud singulare,quod vespertino tẽpore Christus eleuatis in cruce manibus Deo obtulit,consummãs oĩa veteris legis sacrificia, inter quæ ob has rationes expressiorem quandam figuram sacrificij Christi præferebat vespertinũ illud quotidianũ sacrificiũ.

OLEVM AVTEM PECCATORIS.] Indicat paraphrasis dupliciter posse accipi oleũ peccatoris.Quoniã enim ad voluptatẽ oleo corpus vngi solet,delicias peccatorũ significare põt:& rursum propter olei mòlitiẽ,adulationes peccatorũ, quẽadmodum Prouerbiorum quinto dicitur de muliere:Nitidius oleo guttur eius.Pro,impinguet,aũt b
habent Græca verbũ imperatiui modi, λιπανέτω, impinguat.Porro Hebræa,alium habẽt sensum in hoc versu,hunc scilicet:Percutiat me iustus, & reputabo esse beneficium: increpet me, & erit mihi quasi oleum quo caput vngitur:neq; iusti percussio aut increpatio franget aut lædet caput meum, sed potius sanabit.

ABSORPTI SVNT.] Dilucidiora sunt Hebræa,quæ habẽt:præcipitati sunt in locis petrosis, &c.Et Græca pro eo quod nos habemus, iũcti petrę,habẽt:ἐχόμενα πέτρας,qđ rectius vertitur, iuxta petram.Ponitur enim ἐχόμενα,aduerbialiter, quãquam alio qui significet continuum & coniunctũ. Porro in eo quod vertit interpres in versu sequenti,quoniam potuerũt, declarat se in Græcis legisse, ὅτι ἠδυνήθησαν,à verbo δύναμαι, possum, cũ Græca non habẽt:ἡδύμβησαν,id est iucunda fuerũt. Atque hoc modo vertisse Septuaginta manifestè ostendit Hebraica dictio,quæ significat iucundũ esse.In sensu aũt mystico hic significatur,q; perditis dæmonibus principibus peccatorũ per petram Christũ,cœperũt hi,qui prius illis parebãt,audire dulcissimos & efficacissimos Christi sermones.Ostẽdit autem paraphrasis satis concordiam nostræ lectionis cũ vera Græcorum & Hebræorum lectione.

CADENT IN RETIACVLO EIVS.] Qui d
dam Græci codices habent,ἀνταῦ,in retiaculo eorum vel suo.Alij tñ,Euthymio teste,habẽt,eius,& ita habent Hebræa.Quod aũt dicitur singulariter, sum ego,&c.intelligendum videtur sicut accipitur singulariter in versu vltimo Psalmi 4.si coniungatur cum verbo,cõstituisti,& sicut accipitur dictio, solus,Deut.33.dum dicitur:Habitabit Israel cõfidenter,& solus,id est,liber ab omnibus inimicis. Est enim in his locis apud Græcos eadem dictio, καταμόνας,quamuis non sit eadem apud Hebræos.

Intellectus Dauid,cùm esset in spelunca, Oratio.

ARGVMENTVM PSALMI CXLI.

EX titulo quidem constat hunc Psalmum continere orationem Dauidis,quam ad Deum fudit, cùm ob persecutionẽ Saulis in spelunca latitaret. Verùm cum bis in spelunca latitasse Dauid legatur,semel in spelunca Engaddi,ut scribitur 1. Regum 24.quando præcidit oram chlamydis Saulis:& semel in spelunca Odullam,ut scribitur 1.Reg.22.in quam venit fugiens à facie Achis regis Geth,magis apparet de spelunca Odullam titulum loqui,eo q; ei magis conueniant quæ dicũtur in versu quinto,quàm spelunce Engaddi.Siquidem in hac non erat omni destitutus auxilio,cùm adessent ei sexcenti uiri. In illa autem in principio omnino solus erat,quousque uenirent ad eum fratres sui,& milites quadringenti. Itaque uir sanctus multis uerbis exprimit præsenti Psalmo,quomodo ab omnibus derelictus,& animo deficiens dominum inuocauerit,precatus de tanta angustia liberari,tum ut per ipsum celebrari posset nomen Dei,tum ut satisfaceret expectationi iustorum. Cæterũ ut in suis persecutionibus Dauid fuit Christi figura,& iustorum omnium qui affliguntur exemplum:ita quoque & ad Christum hic Psalmus pertinet,cùm in sua passione ab omnibus derelictus ad patrem clamaret,& ad omnes,qui,dum ab impijs affliguntur,omni etiam humano destituuntur auxilio.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Voce mea ad Dominum clamaui,
* uoce mea ad Dominũ deprecatus sum.

CVm constitutus essem in maximo discrimine,& omni destituerer humano præsidio,ego intentissimo affectu in vocem erumpẽte ad Dominum clamaui,*cum summo,inquam, desiderio Dominũ deprecatus sum. *Ps. 141.*

2 Effundo in cõspectu eius orationem meam,
*& tribulationem meã ante ipsum pronuntio.

2 Ex plenitudine cordis adeo afflicti,vt suos quęstus apud se diutius cõtinere nequiuerit,effundebam coram ipso orationem meam,multiplicando tumultuariè,ac sine certo verborum ordine preces meas:*& afflictionem meam ante ipsum pronuntiabã, ac veluti in sinum eius effundebam,vt qui solus mihi solatio esse posset. 2

3 In deficiendo ex me spiritum meum,

3 Hæc autem tum faciebam, cùm præ nimia afflictione & euadendi desperatione animus meus in me deficeret,& vix intra me cõtineretur proinde pro consolatione & cõfirmatione eius coram te effudi preces

* †& tu cognouisti semitas meas.

meas.*Non enim dubitabam te nosse omnẽ semitam & vitam meã, ac scire vtique me illa insontem pati ab aduersariis meis: †non dubitabã etiam quin etsi ego nullam nouissem viam qua elaberer, & in qua tutus versarer, tu scires adhuc semitam qua euaderem, & per quã securè incedere possem.

4 *In uia hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi.*

4 Nam in via, per quam incedebam, hostes mei absconditè disposuerũt insidias in perniciem meam, ita vt hæc tuta satis non fuerit, nisi te semitas meas custodiente, & quò eundum sit demonstrante.

5 *Considerabam ad dexteram, & credebam:* & non erat qui cognosceret me.*

5 Sic autem hostibus meis mihi insidiantibus, hoc animum meũ planè deiecit, q̃ neque viderent aliquẽ mihi esse auxiliatorem neque aliquẽ refugij locum. Cõsiderabam enim ad dexteram, & videbam num quis esset futurus mihi à dextris adiutor & ductor.*Verùm nullus accurrit, qui me agnoscere vellet, meíque aliquam curam suscipere.

6 *Perijt fuga à me, *& non est qui requirat animam meam.*

6 Defecit etiam à me fugæ remedium, cùm non viderem tutum aliquẽ locum, ad quem confugerem, *nec erat quisquam, qui quæreret seruare vitam meam.

4. *Clamaui ad te Domine dixi: tu es spes mea: *portio mea in terra uiuentium.*

7 Itaque omni humano præsidio, omnique consilio destitutus, clamaui ad te Domine, & dixi: Tu es solus, in quo omnis mea spes reposita est, non creatura aliqua, non meæ vires, non mea cõsilia: *Tu solus es in vniuersa viuentium hominum terra pars mea, cui soli affectus meus inhæret, cui soli nitor, & in quo omnis mihi spes reliqua est.

8 *Intende ad deprecationẽ meã, * quia humiliatus sum nimis.*

8 Proinde declara te auscultare ad deprecationem meã, *quia admodum afflictus sum.

9 *Libera me à persequentibus me, *quia cõfortati sunt super me.*

9 Libera me ab his qui persequuntur me: *sunt enim viribus longe superiores me, vt sine tua ope eorũ violentiam euadere omnino nequeã.

10 *Educ de custodia, animã meam ad confitẽdum nomini tuo: *me expectant iusti donec retribuas mihi.*

10 Educ de carcere isto, in quo modò concludor, periclitantem animã meam, vt liberatus celebrare possim nomen tuum: * Ecce enim Domine iusti expectãt me donec benefeceris mihi, & retribuas mihi, id quod promisisti, & quod debetur innocentiæ meæ: expectant, inquam, cupiẽtes vnà mecum ruam prædicare bonitatem & iustitiam. Vel itaq; vt iustorum, quos impensè diligis, expectationi satisfacias, & nomen tuum prædicetur ac illustretur, me quæso libera ab hoc carcere, & his malis quibus detineor.

ANNOTATIONES.

a ET FVNDO, &c.] Hebręa & Græca verba habent futuri tẽporis, effundam, & pronuntiabo. Verũ hæc futura accipi debent pro præteritis imperfectis, effundebã & pronuntiabam, vt apud Hebræos frequẽs est. Narrat enim hic propheta quid in illa constitutus angustia egerit. Porro in verbo, effundo, notatur primo cor angustia adeo plenum, vt à voce se continere nequiuerit: deinde orationis prolixitas, & demum tumultuaria oratio.

b CONSIDERABAM, &c.] Quidam in verbo, videbam, subintelligunt, ad sinistram. Verum sine subintellectione videtur potius subintelligẽdum, & ideo prophetã dixisse se ad dexteram considerasse, q̃ qui alicui venit defensor aut ductor, se soleat illi a dextris adiungere, sicut alibi dicit de Domino Propheta: Quoniã à dextris est mihi ne cõmouear.

c EDVC DE CVSTODIA.] Ad literã per custodiã intelligitur vel spelunca illa in qua latebat Dauid, vel mala illa, quibus ita concludebatur, vt non esset ei liberũ ire quò vellet. Mysticè verò per carcerem intelligitur corpus istud, è quo educi animã suam orat vir iustus, vt in regno cœlesti Deũ cum sanctis liberè laudare possit: ad quod omnes iusti qui sunt in cœlis, expectant iustos qui sunt in terris, vt cum illis Deum vnanimiter celebrent, & vt impleto electorũ numero, veniat resurrectio corporum. Quod autem dicitur, retribuas mihi, dupliciter exponi potest. Primũ vt retribuere accipiatur pro benefacere, sicut ibi: Retribue seruo tuo, &c. Secundo vt subintelligatur, donec tribuas mihi qd expecto, vel quod promisisti. Accipitur autẽ retribuere pro simplici tribuere, vt aliàs sæpe. Sunt tñ qui intelligũt donec remuneratus fueris patientiam & innocentiam meam. Hæc autem propria verbi, retribuere, acceptio maximè conuenit sensui mystico. Siquidẽ iustis vita æterna retribuitur tanquã merces bonorum operum, & Christus gloriã suã accepit in præmium suæ patientię & obedientiæ. Possunt autem Hebręa & hoc modo verti: me coronabunt & circumcingent iusti cùm retribueris mihi. Quãuis autem nos habeamus verbũ præsentis tẽporis, expectãt: Græca tamen, sicut Hebræa, habẽt verbum futuri temporis ὑπομενοῦσι, expectabunt: verum interpres noster mutato accẽtu legisse videtur ὑπομένουσι, sic enim est præsentis temporis, expectant.

Psalmus Dauid quando persequebatur eum filius suus Absalon.

ARGVMENTVM PSALMI CXLII.

Constat quidem satis ipsis Psalmi uerbis, Dauidem hunc composuisse occasione persecutionis suæ. Verùm incertũ est num de persecutione, quàm à filio Absalone pertulit, an de ea, quam à Saule, editus sit. Nam quod in titulo vulgatæ lectionis habetur: quando persequebatur eum filius suus Absalon: in Hebræo omnino non legitur: & Euthymius in multis Græcorum exemplaribus testatur hanc inscriptionem non inueniri. Et uersu tamen secundo quidam colligunt Psalmum magis

magis loqui ad literam de persecutione Absalonica eo quòd is uersus uideatur insinuare Prophetam agnoscere se iuste eam pati persecutionem, de qua loquitur: cùm persecutionem à Saule innocenter pateretur, adeo vt de ea alibi loquens oret Deum vt iudicet iudicium suum, & secundum iustitiam & innocentiam suam. Hac tamen ratio non omnino conuincit, cùm aliud sit, Deum iudicem inuocare, dum quis rem habet cum aduersariis iniquè ipsum persequentibus: aliud, cum Deo iudicium inire, & cum ipso iudicari. Istud enim nunquam non omnes quantumuis sancti deprecantur, scientes se, eo quòd in multis offendimus omnes, causa sua cadimus. Siue itaque Saulina, sine Absalonica persecutione pressus vir sanctus, præsenti Psalmo postquam imprimis precatus est Deum vt orationem suam exaudiat, & non in iudicium secum ueniat, exponens deinde hostium suorum persecutionem, súdmque angustiam & recursum ad Deum, rursum exaudiri ardenter precatur, optans diuino spiritu deduci in via virtutis, & ab hostibus liberari, illos autem pro meritis ipsorum perdi. Porro secundum Ecclesiasticam obseruationem aptissima est hic Psalmus orandi forma, qua pœnitens peccator debitam peccatis deprecatur vltionem: precetur autem dimissis peccatis à Deo doceri, & deduci in via rectà, à diabolicæ potestatis iugo liberari, omnésque pietatis hostes disperdi.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: * in ueritate tua exaudi me in tua iustitia.*

MIDomine exaudi quæso precationem meam, benignè attende ad obsecrationem meam, * exaudi me, & si non ob propria merita, de quibus non præsumo, tamen pro fidelitate & iustitia tua, quam in præstandis promissis constanter seruas. *Psal.142.*

2 *Et non intres in iudicium cum seruo tuo, * quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.*

2 Pro hac, inquam, tua iustitia exaudi me: & ne contendas iudicio cũ seruo tuo, summo iure mecum agendo. *Nam si iudicium nobiscum inire velis, non ego solùm, sed nullus omnino super terram viuens, quantumuis apud homines iustus & irreprehensibilis, iustus deprehendetur apud te, cum nullus sit in quo non multa reprehendere possis, & multò plura exigere quàm præstiterit. Proinde oro me exaudias, non tam pro mea, quàm pro tua iustitia. a

3 *Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliauit in terra vitam meam.*

3 Et sane vt clamantem exaudias, tuæ conuenit veritati. Ecce enim hostis capitali odio me prosequutus est, cupiens perdere animam meã: *prostrauit in terram vsque vitam meam, in ea me redigens discrimina, vt iamiam videar periturus.

4 *Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi.*

4 Coegit me habitare in obscuris, sicut eos qui olim mortui sunt, in profundissimis iacẽtes tenebris, & obliuioni hominum quasi nunquam fuissent traditi. Ita enim & ego hominum præsidio destitutus, cogor ob inimici persecutionem in obscuris antris latere, atque in afflictionum tenebris mortem semper præ se ferentibus versari, vt quasi inter mortuos esse videar. * Atque ob hæc animus meus in me maxima angustia affectus est, & conturbatum est intra me præ nimio timore cor meum. b

* *& anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

5 *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, * & in factis manuum tuarum meditabar.*

5 Proinde vt à sua angustia & consternatione sese reciperet anima mea, in memoriam reuocaui dies antiquos: diligentérque meditatus sum de omnibus operibus tuis, per quæ priscis illis temporibus, cùm in me, tum in alios sæpe tuam bonitatem mirificè declaraueras, * in gestis potentiæ tuæ expendendis totus eram.

6 *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

6 Per hanc ergo meditationem animo erectus, & in spem bonam cõfirmatus, præ magno desiderio opis expandi ad te in oratione manus meas, * anima mea anhelat ad te, & modo quodam præ ariditate tibi aperta est, aquis consolationis tuæ humectari & refocillari percupiens, mox defectura, nisi statim adfueris, quomodo terra præ humoris defectione torrida aperitur atque fatiscit, quasi anhelans ad pluuiæ irrigationem.

8 *Velociter exaudi me Domine: * defecit spiritus meus.*

7 Itaque velociter exaudi me Domine. * præ nimia enim angustia & metu vix amplius apud me est spiritus meus.

8 *Non auertas faciem tuã a me, * & similis ero descendentibus in lacum.*

8 Ne cesses fauorem tuum mihi declarare: *alioqui enim similis fiam his qui descẽdunt in lacum mortis & inferni, vnus scilicet ex eis factus.

9 *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, * quia in te sperani.*

6 Fac vt maturè & citò sentiam tuam misericordiam, atque etiam vt matutino tempore cum ad te attentius orauero, & animus meus tuis responsis capiendis aptior fuerit, percipiam auribus mentis consolatoria misericordię tuæ verba, *quia in te omnem meam fiduciã collocaui:

10 *Notam fac mihi viam in qua ambulem, * quia ad te leuaui animam meam.*

10 Fac me cognoscere viam per quam securus ambulem, * quoniam ad te animam meam in oratione leuaui, expectans summo desiderio tuam opem & illuminationem.

11 *Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

11 Eripe me de hostibus meis, Domine, ad te enim confugi, committens me occultæ tuæ protectioni & custodiæ. * Et ne aliquando a te meritò derelinquar violentiæ hostium meorum, doce me non tantummodo scire, sed etiam facere quod placitum est tibi: tu es enim Deus meus, cui soli vt seruire sum obligatus, ita quoque ex animo cupio.

12 *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã,*

12 Propter quod spiritus ille tuus benignus me quæso deducat ad viã virtutis, & per viã virtutis, quæ ab omni prauitatis obliquatione est aliena, & rectà ducit ad te: non enim rectum viuendi genus arripere, vel constanter seruare me posse confiteor, nisi tuo spiritu & ad eam

** propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.*
13 Educes de tribulatione animam meam.
** & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.*
*14 Et perdes omnes qui tribulant animam meam: * quoniam ego seruus tuus sum.*

uiuendi rationem deducente, & in ea semper me concomitante. * Et quanquam meritis meis non debeatur, vt me his malis liberes, tamen propter gloriam nominis tui Domine viuifica me, a morte me præseruando per tuam in seruandis promissis iustitiam. Sic enim glorificabitur nomen tuum, si in me promissam exhibueris benignitatem, iustúmque te esse declaraueris.

13 Educ ex afflictione hac animam meam: * & per tuam erga innocentes clementiam disperde omnes inimicos meos.

14 Et perdas omnes qui iniquè affligunt animam meam: * seruus enim tuus ego sum, vni tibi in omnibus seruire & placere desiderans. Quare & tibi conuenit, vt tanquam Dominus serui tui rationem te habere declares, vindicando me ab iis qui iniustè me opprimunt.

ANNOTATIONES.

a ET NON INTRES IN, &c.] Deum intrare cum aliquo in iudicium, non est Deum venire ad iudicandum illum, & iudicem illius se exhibere: sed est Deum cum aliquo contendere, expostulare, & quasi aduersarij personã in iudicio suscipere. Id autem cùm sancti semper deprecẽtur, Dauidi conueniebat, & tam cùm affligeretur à Saule, quàm cum Absalõ eum persequeretur. nam & cum Saul eum persequeretur, agnoscebat Propheta indubiè dignum se eis malis coram Deo, si Deus cum ipso contendere vellet, & omnes vitæ suæ actiones obseruare, quamuis vbique se innocentem prædicet in causa illa, quæ erat illi cum Saule, sicut etiã erat innocens in ea causa quæ erat ei cum Absalone. Porro in eo quod sequitur, quia non iustificabitur, &c. primò quidẽ cauendum, ne ea oratio intelligatur secundum Dialecticorum regulas, secundum quas non omnis valet idem quod aliquis: nõ enim vult Propheta aliquem viuentem non iustificari coram Deo, sed omnino neminem. Secundò cauendum, ne, quemadmodum Lutherus ex hoc versu colligit, hic significari intelligatur, iustum in omni opere quantũuis bono peccare, & omne opus hominis quantumuis iusti coram Deo esse peccatũ. Nam ex eo quod dicitur, nullum esse viuẽtem qui coram Deo iustificetur non sequitur, nullum esse opus quod coram Deo iustum sit. Vt autem intelligatur quomodo hæc prophetæ sententia non contrarietur aliis scripturæ locis oppositum asserentibus secundũ apparentiam, vt præter alia dum dicit Paulus: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur: aduertendum hunc locum posse in catholico sensu dupliciter intelligi. Primum vt sit sensus: Non iustificabitur in conspectu tuo, id est, si ad summam tuam iustitiam cõparetur, & iuxta eam exquiratur. Sicut dicitur Iob 25. Nunquid iustificari potest homo cõparatus Deo, aut apparere mũdus natus de muliere? Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Verùm hic sensus acuto Lectori fortasse proposito Prophetæ conuenire non videbitur. Proinde dicendum non simpliciter intelligendum quod dicit, non iustificatur coram te omnis homo, sed cum conditione, quæ petenda est è præcedenti parte. Non enim dicit: non iustificatur omnis homo coram te: sed, nõ iustificabitur. si scilicet cum ipso volueris in iudicium venire. Sicut enim dicitur is in iudicio, quod est illi cum altero, non iustificari, qui ab illo in multis iustè accusari potest, quæ alius refellere nequit: ita & Deo nobiscum expostulãte, vel nobis ipsis iudicibus inueniemur non esse iusti. Nam præter debita gratitudinis quæ Deo nemo satis exoluere potest, etiam ea debita, ad quæ præcepto diuino obligamur, nemo est qui plenè satisfaciat, sed Deo expostulante oẽs inuenientur feciſſe multa quæ facta non oportuit. & rursum multa non feciſſe, quæ facta oportuit. Vnde dicit Iob cap. 13. Si iustificare me voluero, os meum condẽnabit me: si innocentẽ ostendere, prauum me comprobabit. His ergo non obstant ea scripturæ loca, quibus Paulus dicit hominem iustificari coram Deo per fidẽ: per hanc enim fit, vt iniustitia nostra nobis nõ imputetur, sed imputetur & communicetur iustitia Christi.

b COLLOCAVIT ME, &c.] Huius versus prior pars ponitur etiã Threnorũ tertio, vbi nos legimus: In tenebrosis collocabit me sicut mortuos sempiternos. Quod ob id annotãdũ duximus, vt ex loco rũ collatione verus huius loci sensus percipiatur.

PRO SENSV MYSTICO ANNOTATIO.

IN sensu mystico dum dicit peccator pœnitens, vitam suam in terra humiliatam, significat se terrenis rebus addictum per consensum peccati, aut perditioni iam proximum factum. Collocatum autem se rectè in obscuris dicit, tum quia iam carceri tenebroso inferni obnoxius factus est: tũ quia mẽs eius, per peccata sit obtenebrata, vt in summa caligine versetur exors veræ lucis. Est autem hic primus salutis gradus, vt agnoscat se collocatũ in tenebris: & in terra vitam suam depressam, hoc est, vt agnoscat peccata sua. Secundus, vt ob ea metu iudicij diuini intra se turbetur: vnde rectè sequitur, anxiatus est, &c. Tertius vero, ne nimia turbatione desperet, vt antiquas Dei miserationes, peccatoribus frequenter exhibitas in memoriã reuocet, atque ex his quarto loco mentem suam per fiduciã erigens, & animam & manus ad Deum per oratio nem subleuet. Precetur autem non solùm peccatorum remissionem, sed etiam liberari à dæmonum, quorum per peccata seruus factus est, potestate, & viam virtutis edoceri à Deo, atque in ea constãter deduci. Quod enim hic dicitur: notã fac mihi viam in qua ambulem: quãuis in literali sensu rectè intelligitur de communi via, tamen in mystico sensu accipi debet de genere vitæ, & modo viuendi quo ad Deum peruenire possimus.

Psalmus Dauid ad Goliath.

ARGVMENTVM PSALMI. CXLIII.

PRæsenti Psalmo Propheta regius cum summa admiratione & perpensione diuinæ ergo se bonitatis, Deũ prædicat, & prædicaturum se promittit ob victorias multiplices, admiranda Dei virtute sibi collatas ab hostibus suis alienigenis: quorum temporali fœlicitati, quam in hoc mundo impij sectantur præponit fœlicitatem eorum quibus agnoscere, colere & possidere contingit uerum Deum, ut qui summum sit bonum, & perfecta suorum hæreditas & fœlici tas

citas. Videtur autem absurditatem quandam hic Psalmus includere, eo quod cum sit gratulatorius de donatis à Deo victoriis, tamen in se orationes contineat, quibus victoriam de hostibus reportandam impetrare nitatur Dauid. Proinde quidam intermissas huic Psalmo orationes ita accipiunt, vt illis Prepheta non iam orare intelligatur, sed memorare voluisse quomodo contra hostes suos à Dei cultu alienos, Dei opem implorare solitus sit. Alij verò gratiarum actioni orationem coniunctam & interpositam intelligunt, vt sicut pro perceptis aliquoties à Deo victoriis gratias agit, ita quoque propercipiendis in postremum precetur. Videri enim potest hic Psalmus compositus, cum post victorias multas postremum cogeretur cum Ammonitis bellum suscipere. Nam quod in Titulo Latinorum Codicum legitur: aduersus Goliath. vt ad Psalmi materiam parum quadrat, ita in Hebræis libris non inuenitur, sed neque in plerisque Græcorum codicibus, vt testatur Euthymus. Generale enim est epinicium de triumphis Dauidis diuina virtute peractis, quemadmodum & Psalmus 17. huic perquam similis in multis versibus. Porro in mystico sensu hic Psalmus est gratiarum actio, & oratio Christi, Ecclesiæ, ac cuiuscunque iusti pro victoria contra diabolum, omnesque pietatis hostes.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & digitos meos ad bellum.*

OMni laude dignus est Dominus Deus meus, qui me imbuit scientia & industria militari, aptans manus meas ad pugnam: * & digitos meos ad bella cum hostibus impiis fœliciter gerenda. Cum enim humano exercitio ad bella exercenda prius instructus non fuerim, sanè non nisi diuinitus me ad ea tam fœliciter & gerenda: & victoriis perficienda institutum atque instructum agnoscere cogor. *Psa.143*

*2 Misericordia mea, & refugium meum, * & susceptor meus, et liberator meus.*

8 Ipsæ est, qui sola sua beneuolentia, nullis meis prouocatus meritis, miris modis erga me est misericors: per suam enim erga me misericordiam ipse meum est refugium, ad quem tuto, tanquam ad arcem munitissimam confugio: * qui & confugientem ad se me suscipit, estque adiutor meus & liberator meus.

*3 Protector meus, & in ipso speraui, * qui subdit populum meum sub me.*

3 Ipse me instar clypei ab omnibus hostium telis semper protegit, ipse est, in quo omnem spem meam collocaui, * qui ob id non solum de externis hostibus me gloriosè triumphare facit, sed etiam obsequẽtem facit populum meum mihi. a

4 Domine quid est homo quia innotuisti ei?

4 Hanc dum erga me diuinæ bonitatis clementiam perpendo, meritò præ admiratione exclamare libet: O Domine, quid est miser homuncio, quòd tu tantus dignatus sis familiarem cum eo inire amicitiam, tẽque illi insinuare, tui cognitionem ei impartiendo: eique declarando te illius peculiarem habere rationem & curam? * aut quid est filius hominis, ex mortali homine mortalis genitus, quod tam singulari dignatione eum tanti facias, immensa in eum conferendo beneficia? b

** * aut filius hominis quia reputas eum?*

*5 Homo vanitati similis factus est, * dies eius sicut vmbra prætereunt.*

c Ecce enim homo ipsi vanitati quàm simillimus est, propter vitæ ipsius miserias, instabilitatem ac breuitatem, propter studia item vana & inania quæ ex sese sectatur: * dies vitæ eius in maxima instabilitate citò prætereunt, sicut obscura vmbra: quæ vt perpetuo mutatur, ita mox quoque esse desinit, nec post se vestigium aliquod sui relinquit, nõ tam dicenda res aliqua, quàm rei veræ imperfecta imago.

6 Domine inclina cœlos tuos, & descende,

6 Oro autem Domine, vt quemadmodum feciſti cùm daturus legem in monte Sinai, in nubibus visus es ad populum tuum descendere, ita etiam ad pugnandum mecum cõtra impios hostes inclines cœlos tuos, in quibus peculiariter habitas, & cum eis descendas ad nos, hoc est, fac vt nubibus apparentibns, terręque imminentibus, cœli tui demissi & inclinati videantur, túque in eis per efficacia potentiæ tuæ signa præsentiam tuam palam exhibe. * Et sicut olim, te præsentiam tuam in monte Sinai declarante, mox fumare cœpit totus mons, ita quoque pro nostra salute immissis fulminibus, aut caliginosa nube tange montes, sicque ad terrorem hostium nostrorum fumigent. † Ipsos quoque superbos hostes nostros, qui montibus similes videntur, percute, & veluti fumus ab ira tua subito euanescant.

** † tange montes, & fumigabunt.*

7 Fulgura coruscationem, & dissipabis eos,

7 Et quomodo in mari rubro contra Ægyptios pugnasti pro populo fulguribus tanquam sagittis à te iaculatis è nube in qua latitabas: ita & in hostes nostros eiaculare fulmina, & vehementer eos potentiæ tuæ terroribus concutias, sicque eos dispergе: * emitte coruscationum tuarum sagittas, & per eas conturba illos.

** emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*

*8 Emitte manum tuam de alto: * eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorũ.*

8 Et cum illis quidem sic age: ad me autem velut de altissimo cœlorum habitaculo manum adiutricem demitte, * hoc est, cœlesti tua virtute eripe me, & libera me de aquis multis, nempe de potentia & violentia hominum, qui à diuino cultu planè sunt alieni, qui me tanquam aquæ multæ obruere & perdere conantur.

*9 Quorum os locutum est vanitatem, * & dextera eorum, dextera iniquitatis.*

9 Quorum & sermones mali sunt, & opera pessima, nam & os eorum non nisi vana loquitur, mendacia scilicet, quæque iniqua sunt & noxia: * & dextera eorum nihil quàm iniqua operari nouit, vt ob hæc meritò non tam nostri quàm tui hostes habendi sint.

10 Deus canticum nouum cantabo tibi.

10 Cùm autem ad hunc quem precatus sum modum pro me insigniter depugnaueris, sicut aliquoties feciſti, tum & ego nouam habens

celebran

celebrandi te occasionem,nouum carmen in honorem tuum decantabo,* simúlque cum voce psallam tibi psalterio decem chordarum.

in psalterio decachordo psallam tibi.

11 Eo quòd tu præstes quibus vis regibus salutem, non militum fortitudo,aut rei militaris prudentia,quòdque me seruum tuum frequenter singulari ratione liberaueris à gladio hostili pernicioso.* Proinde vt posteriora prioribus respondeant,& vt nouo te carmine celebrare possim, etiam nunc eripe me.

*11 Qui das salutem regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum, * de gladio maligno eripe me.*

12 Et libera me à violentia hominum, qui à diuino cultu sunt alienissimi,* quorum & verba & facta omnia sunt sceleratissima.

*12. Et erue me de manu filiorum alienorum, * quorum os locutum est vanitatem,& dextera eorum dextera iniquitatis.*

13 Quorum filij sunt in iuuentute sua sicut nouæ arborum plantulæ, pulchri scilicet atque iucundi,florentes atque in vigore, & continuum augmentum quantitatis ac roboris fœliciter sumentes.

13 Quorum filij sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua.

14 Similiter & filiæ eorum, membrorum aptissima proportione & compositione eleganter sunt excultæ,* insuper & externo vestium,ornamentorúmque cultu vndique exornatæ ad similitudinem templi, quod & exquisita est arte fabrefactum, & variis pretiosisque vndiquaque ornatum donariis.

*14 Filiæ eorum compositæ, * circumornatæ vt similitudo templi.*

15 Neque solum prole,eáque eleganti sunt fœcundi, sed etiam diuitiis,omnibúsque temporariis rebus abũdantes. Penuaria enim, & omnia eorum repositoria adeo sunt plena,idque omnis generis fructibus, vt præ nimia plenitudine copiosè effundant & subminístrent vnam fructuum speciem post aliam.† Cogantúrq; aliquando ex vno promptuario in aliud euacuare reconditorum bonorum copiam,quòd priora illa angustioria essent quàm vt capiant fructuum abundantiam.

15 † Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

16 Similiter & oues eorum admodum sunt fœcundæ,quæ in copioso numero cernuntur è caulis suis egredi ad pascua,* & boues eorum propter pascuorum vbertatem pingues sunt,atque ob id ad agriculturam, aliáque onera ferenda fortes & validi.

*16 Oues ebrum fœtosæ abũdantes in egressibus suis, * boues eorum crassæ.*

17 Accedit ad hanc prolium, fructuum, atque pecorum fœlicitatem etiam maxima trãquillitas, & ab omni hostili incursu libertas.Nõ enim est qui quæuis muniméta agrorum,vel domorum, vel vrbium ipsorum diruat,& per ea iam diruta transeat ad incommodum aliquod inferendum: * neque ob incursum hostium, aut aliam quamuis accedentem calamitatem,vlla lamentabilis vox auditur in plateis eorum.

17 Non est ruina maceria neque transitus:

** neque clamor in plateis eorum.*

18 Et quidem homines huius sæculi fœlicem prædicant eum populũ, cui adest huiusmodi visibilium bonorum copia,& cum ea ab omnibus malis immunitas:*verùm ego veriore sentẽtia illum verè fœlicem pronuntio populũ,cuius est Deus ipse Dominus,cœli terræq; creator, hoc est,qui hunc & agnoscit & colit,eundémq; vicissim habet adiutorem & protectorem.Ipse enim Dominus cùm sit solus summum bonum,solus verè potest suum populum beatum facere,& non solùm quæ dixi suis abundè & fœlicissimè præstare,sed & alia his longè excellentiora,nempe vitam æternam,cum omnium bonorum exuberantissima affluentia, & pace securissima.

18 Beatum dixerunt populum,cui hæc sunt.
** beatus populus cuius Dominus Deus eius.*

ANNOTATIONES.

a QVI SVBDIT POPVLVM,&c.]Habent quidem libri quidam:subdis,in secunda persona:at melius habẽt a ij in tertia, subdit. Id enim magis conuenit Græcis & Hebræis,& præcedentibus.

b QVIA REPVTAS EVM.]Græca habent, λογίζῃ αὐτῷ hoc est reputaris ei, id est,cognoscens ab eo:vt correspondeat ei qđ in priori mẽbro dicitur,innotuisti ei.Hebræa tamen habent,vt nos,reputas eum,hoc est,ęstimas eum,& tãti facis,vt legit & exponit D.Augustinus. Sed eadem Hebræa in priori mẽbro etiam habent pro,innotuisti ei,cognoscis eum,hoc est,rationẽ eius habes & curam.

c QVORVM FILII,&c.]Septuaginta hæc oĩa sic verterũt,vt ad impios ha c terrena fœlicitas pertineat,quod magis conuenit nouo testamento.At in Hebræo hæc quæ de terrena fœlicitate dicũtur, tribuuntur populo Dei.Vnde & Hieronymus vertit:Vt sint filij nostri sicut nouellæ plãtationes.Filiæ nostræ.Promptuaria nostra,&c. Quod bene cõuenit veteri testamento,in quo piis hæc bona promittuntur.

Laudatio ipsi Dauid.

ARGVMENTVM PSALMI CXLIIII.

CAnit se omnes q; generationes,imo & omnia Dei opera,sed præcipuè sanctos semper Deum celebraturos,idq; ob varia quibus insigniter Deus excellit,nempe ob magnitudinem eius,immensam potentiam,infinitam bonitatem in omnes creaturas effusam.sed maximè in afflictos,splendorem & æternitatem regni ipsius,iustitiam,& sanctitatem,in omnibus uerbis,factis q; prouidam & liberalem omnium uiuentium æducationem,facilitatem ad exaudiendum & saluandum iustos, & æquitatem in perdendo impios.Est autem hic Psalmus septimus & ultimus inter Psalmos alphabetarios, elegans sanè, & multiplicem diuinæ laudis in genere materiam indicans.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Exaltabo te Deus meus rex.* EXaltabo te mi Deus,omnium rex & gubernator, non quidem sic vt sublimiorem te quàm sis constituam, cùm sis altissimus:sed vt altitudinem tuam & excellentiam laudibus meis celebrem, ignorantibús Psal.144

tibúsque eam hominibus insinuem & commendem:* hoc est, laudabo nomen tuum, idque tota vita mea, immo & per cuncta sæcula, nam & per edita à me laudis tuæ carmina in omnibus post me venturis generationibus te prædicabo,& post indesinentes præsentis sæculi laudes,in futuro æternitatis sæculo perpetuis te laudibus semper efferam.

** & benedicam nomini tuo in sæculum & in sæculum sæculi.*

2 Per singulos dies laudabo te,* & celebrabo nomen tuum per sæcula cuncta,neque in præsenti,neque in futuro sæculo vnquam cessans à laudibus tuis.

*2 Per singulos dies benedicam tibi, * & laudabo nomen tuum in sæculum,& in sæculum sæculi.*

3 Et id quidem meritò.Siquidem ipse Dominus super omnes magnus est,siue naturæ præcellentiam,siue potentiam spectes, atque ob id dignus est qui valde laudetur.* Neque simpliciter magnus est, sed magnitudo eius omnino infinita est,vt ob id meritò nullus etiam laudum ipsius finis modúsque esse debeat.

3 Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.

4 Itaque omnes sibi mutuo succedentes hominum generationes laudabunt opera tua,* & omnipotentiam tuam in operibus tuis relucentem annuntiabunt.

4 Generatio & generatio laudabit opera tua:
** & potentiam tuam pronuntiabunt.*

5 Excellentem gloriam & claritatem sanctitatis tuæ,qua in teipso sanctissimus es,ab omni vitio alieníssimus, loquentur: & opera à te clarissimè cum omnium admiratione gesta,siue in mundi creatione & gubernatione,siue pro tuorum liberatione,studiosè enarrabunt aliis.

5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur,
** & mirabilia tua narrabunt.*

6 Et fortitudinem terribilium operum tuorum effabuntur,* & magnitudinem potentiæ tuæ commemorabunt.

6 Et virtutem terribilium tuorum dicent:
** & magnitudinem tuam narrabunt.*

7 Neque potentiam tuam tantum prædicabunt, sed etiam copiosam tuam benignitatem,qua suauissimus es,è mente sua memori, & per intentam recogitationem iucundissimorũ tuorum beneficiorum redundanti effundent, pleníque buccis personabunt:* ob iustitiam tuam, qua & promissa seruas,& iustè omnia administras,iustos beneficiis, impios pœnis afficiens,cum exultatione carmina decantabunt.

7 Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt.*

8 Et iure quidem Dei deprædicabunt benignitatem. Est enim Dominus miserator & clemens,tardus ad iram, ad clemẽtiam autem pronus mirificè.

8 Miserator & misericors Dominus: patiens & multum misericors.

9 Benignus est Dominus, idque non erga quosdam tantum, sed sine personarum discretione & acceptione erga omnes.* & multiplices miserationes eius effunduntur super omnia opera eius,& in illis clarissimè relucent. Vt enim omnia fecit, ita nihil eorum odit quæ fecit: sed in omnibus suam declarat & effundit misericordiam,iustis simul & peccatoribus, hominibus & brutis,immo & in ipsis inanimatis, vt quibus sola sua benignitate esse dat & conseruat,quæque hominum vtilitati seruire facit. b

*9 Suauis Dominus vniuersis, * & miserationes eius super omnia opera eius.*

10 Proinde quoniam in omnibus operibus tuis bonitas tua effusa est Domine, omnia etiam, ita vt dignum est, te suo modo prædicabunt & laudabunt,demonstrando scilicet & exhibendo tuam in seipsis potentiam,sapientiam, bonitatem ac prouidentiam,& per hoc aliis occasionem laudandi te præbendo.* Verùm peculiariter sancti tui magnificè loquentur de te hi enim vt benignitatis tuæ præ aliis magis participes sunt:ita quæ tibi excellenter competunt attentius aduertunt & cognoscunt,ac proinde in his prædicandis assidui sunt.

10 Confiteantur tibi Domine opera tua.

** sancti tui benedicant tibi.*

11 Hi itaque magnificentiam regni tui loquentur,* & omnipotentiam tuam narrabunt.

*11 Gloriam regni tui dicent, * & potentiam tuam loquentur.*

12 Vt hac ratione notam faciant hominibus potentiam tuam,* & illustrissimam excellentiam regni tui. Est enim id verè sanctorum præcipuum studium,vt agnitam Dei potentiam & excellentiam non solùm apud se commendent,sed & ignaris eam insinuent, quo ad illius reuerentiam & cultum eos adducant.

*12 Vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, * & gloriam magnificentiæ regni tui.*

13 Et bene quidem illi excellentiam regni tui prædicabunt, nam regnum tuum nequaquam tale est,quale regnum principum huius mundi,quorum regnum neque ad omnes populos,neque ad omnia tempora se extendit. Tuum regnum ad omnia se extendit sæcula,tam præterita quàm futura, principio simul carens & fine:* & potestas tua regia in omnes sibi mutuò succedentes obtinet generationes,ita vt nullus omnino sit populus,nullum tempus,in quo non regnes.

13 Regnum tuum regnum omnium sæculorum.

** & dominatio tua in omni generatione & generationẽ.*

14 Ad hanc autem regni & potestatis præcellentiam, accedunt & alia ob quæ laudandus est Dominus. Etenim in omnibus verbis suis verax,fideliter adimplens quæcunque promittit,* & sanctus in omnibus factis suis,nihil vnquam designans,quòd meritò reprehendi & culpari possit.

14 Fidelis Dominus in omnibus verbis suis
** & sanctus in omnibus operibus suis.*

15 Præterea cùm regia dignitate & potestate præclarè excellat, non tamen, vt ferè potentes huius sæculi, humilium & afflictorum curam despicit,quin potius his singularius prospicit, & adest, nam sine personarum

15 Alleuat Dominus omnes qui corruunt,

narum discretione omnes suos iam cadere incipientes subleuat,sustentátque ne cadant:* & iam collapsos , humíque iacentes mox erigit , ne pereant.& id quidem siue corpus spectes, siue animam.Suos enim Dominus,dum secundum corpus periclitantur,& casui,hoc est,morti proximi sunt,à casu frequenter præseruat.& iam iniuriis,morbisque depressos & fractos statim liberat. Maxime autem secundum spiritũ ipsorum non sinit,vt ad peccandũ inclinati in peccatum ruant: aut in peccatum prolapsi,in eo diu perseuerent.Neque est omnino aliquis , qui sine Dei beneficio vel ne cadat sustentetur,vel iam prolapsus erigatur.

** & erigit omnes elisos.*

16 Immo & omnibus omnino animantibus sua prouidentia & cura prospicit.Omnium enim animalium oculi Domine in te intenti sunt, expectantes à tua pasci benignitate:* neque tu pro tua bonitate illorũ expectationem vanam esse sustines.Suppeditas enim eis tempore opportuno cibum vnicuique conuenientem.

16 Oculi omnium in te sperant Domine.
** & tu das escam illorum in tempore oportuno.*

17 Neque pascis tantum , sed copiosè etiam & liberaliter. Quemadmodum enim liberalis aliquis homo ad largiendum extendit & aperit manum suam,ita & tu quoque velut aperta & exporrecta manu profundis tuam liberalitatem: * & satias abundè omne animal tuis gratuitis beneficiis.

17 Aperis tu manum tuam,

** & imples omne animal benedictione.*

18 His accedit quòd in cunctis institutis suis Dominus sit iustus:* & sanctus in omnibus operibus suis,nihil in omnibus quæ agit iniquum aut impium committens , etiamsi non semper ratio prouidentiæ & dispensationis omnibus innotescat,immo impiis aliquãdo videatur quædam iniquè gerere.

18 Iustus dominus in omnibus viis suis. & sanctus in omnibus operibus suis.*

19 Præter communem omnibus creaturis potentiam , bonitatem , & iustitiam Dei , operæpretium est aduertere illius erga inuocantes & timentes ipsum,benignitatem.Omnibus enim sine discretione imploran tibus auxilium & gratiam eius , inuocantibúsque ipsum vt adsit, mox adest paratus succurrere eis:* omnibus,inquam,qui non labiis tantùm, neque fictè aut frigidè inuocant illum,sed ex animo & vere: † quique non in errore aliquo de Deo , sed syncera religione & rectitudine fidei illius implorant auxilium.

19 Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum,

** omnibus inuocantibus eũ † in veritate.*

20 Itaque quicquid optauerint hi qui reuerenter colunt illum, faciet, & deprecationé eorum exaudiet.Nihil enim tales optare possunt quod iniquum sit,& ab diuina discrepans voluntate,cui se suáque omnia sem per lubenter submittunt:*Sicut autem eorum vnicum & præcipuũ votum est,cõsequi salutem à Deo:ita & ipse quoque salutem cùm tẽpora lem,quantum expedit,tum æternam maximè eis adferet.

20 Voluntatem timentium se faciet , & deprecationem eorum exaudiet,
** & saluos faciet eos.*

21 Quin & in ipsis malis & periculis Dominus omnes diligentes ipsum singulari cura custodit ab omni malo:*ipsos autem peccatores omnes disperdet.

21 Custodit Dominus oẽs diligentes se, & omnes peccatores disperdet.*

22 Proinde ob hæc omnia semper laudes Domini personabit os meũ, *dignúmq; est vt mecum omnis homo laudet per cũcta sæcula sanctũ & colendissimum nomen illius.

22 Laudationẽ Domini loquetur os meũ: & benedicet omnis caro nomini sancto eius,in sæculum & in sæculum sæculi.*

ANNOTATIONES.

a LAVDABO IN SÆCVLVM.]Pro,in sæculũ sæculi , Hebræa habent לְעוֹלָם וָעֶד leolam vaed,per quas dictiones non semper significatur æternitas,sed qñq; tempus vitæ præsentis,aut longum aliquod tempus.Proinde hoc loco,in sęculum,& in sæculum sæculi,tripliciter exponitur, vt indicat satis Paraphrasis.Quidam enim intelligũt Dauidẽ per hæc verba promittere se tota vita sua in hoc mundo Deum laudaturum.Alij , ꝙ per carmina posteris relicta Deum vsque in finem sæculi sit laudaturus:& alij rursus,quòd tam in futura vita,quàm in præsenti sæculo. Deum laudabit semper.

b SVAVIS DOMINVS.]Suauis,hoc loco debet accipi pro benigno,sicut pòst suauitas pro benignitate.Dictio enim,χρηστὸς,vtrũque significat,& magis conuenit bonus vel benignus,quàm suauis. Nam propriè non est omnibus Dominus suauis.

c FIDELIS DOMINVS.]Versus iste in Hebræo nõ est.Deest enim apud Hebræos versus literæ Nun,qui tamen videtur fuisse in libris quibus Septuaginta vsi sunt:nisi Septuaginta hũc versum addiderint pro perfectione alphabeti,nam fidelis, si Hebraicè dicatur,incipiet à litera Nun.

ALLEVAT DOMINVS,&c.] Quod dicitur d
Dominus omnes alleuare,variè exponi põt , quêadmodum & illud Ioannis:Illuminat omnẽ hominem,&c.& similes scripturæ.Secundum Augustinum enim intelligendũ est Dominũ alleuare oẽs suos,& inuocantes illum.Potest etiam intelligi Dominum omnes simpliciter alleuare,quantum quidem in se est.Nam ꝙ quidam non erigantur, ipsorum vitio euenit,qui porrigenti manum Domino resistũt.Postremum accipi potesti n eo sensu,quòd omnes corruentes qui alleuantur , non nisi diuino beneficio alleuantur. *Ioan. 1.*

INVOCANTIBVS EVM,&c.]Illud,in veritate,indicat Paraphrasis dupliciter exponi posse. e
Primum vt sit idẽ quod ex animo,& excludat inuocantes solis labiis.Secũdò vt sit idem quod,syncera religione,rectáque fide. Proinde non inuocant in veritate,primò qui corde non inuocant. Secundò , qui de Deo non rectè sentiunt , vt Iudæi, hæretici pagani. Tertiò , qui polluta conscientia, & cum proposito perseuerandi in peccatis ;Deum inuocant, non est enim horum cor rectum cum Deo. Quartò , qui sine fiducia , animóque dubio & hæsitanti Deum inuocant. nam neque Iii de Dei

de Dei potentia,& benignitate recte sentiunt. Postremum, qui magis optant temporalia quàm spiri
Iac. 4. tualia,de quibus Iacobus:Petitis , & non accipitis, eo quòd male petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.& horum enim cor non est rectum cum Deo,ac proinde in veritate non inuocant.

Alleluya Aggæi & Zachariæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXLV.

PRopheta præsenti Psalmo vbi primum seipsum & ad laudem Dei inuitauit,& semper Deum laudaturum promisit a fidendo hominibus dehortans,ad fiduciam in Deum collocandam omnes vocat,quod solus ipse iuuare & possit & velit,solus potentissimus,ditissimus,fidelissimus & benignissimus,potissimum erga afflictos & inopes. Vt enim ad fidendum Deo alios secum permoueat,Dei potentiam fidelitatem,iustitiam,benignitatem,ac perpetuitatem commodè depingit. Hæc enim in aliquo animaduersa fiduciam in illum excitant.Dum autem in solo Deo sperandum docet propter illius omnipotentiam,alíque Deo conuenientia:simul etiam indicat ipsum ob hæc ab omnibus secum vnicè laudandum. Quòd autem in titulo huius Psalmi & aliquot sequentium quidam libri habent nomina prophetarum , Aggæi & Zachariæ , adiectitium est,cùm Hebræa non habeant,sed nec Græca pleraque teste Euthymio , sicut neque lectio Augustini. Adiecta autem videntur ob quædam quæ in his Psalmis temporibus illorum prophetarum conuenire videntur,vt quod dicitur in fine huius Psalmi:Regnauit Deus tuus Sion,& in sequentibus:Aedificans Hierusalem Dominus,& conforauit feras,&c.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 Laudabo Dominum,laudabo Dominum in vita mea, Psallam Deo meo quandiu fuero.*

NOn solum tu ô lingua mea, sed potissimum tu ô anima mea lauda Dominum : volo enim laudare Dominum per omnẽ vitam meam, * neque quoad vixero desinam psalmos canere in laudem Dei mei,à quo totus pendeo,cuique totus deditus sum. *Psa. 145*

*2 Nolite confidere in principibus, * in filiis hominum, in quibus non est salus.*

2 Vos autem mortales nequaquam fiduciam vestram collocetis in principibus,* aut quibuslibet filiis hominum , siquidem hi non habent potestatem saluandi aut beandi vos immo neque seipsos. Quantumuis enim sint principes potentes & liberales , tamen quoniam filij sunt hominum,atque ob id mortales & miseri, vanè quis ab eis expecter salutẽ & fœlicitatem,quam nec sibi præstare queunt. a

*3 Exibit spiritus eius , & reuertetur in terram suam, * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

3 Mox enim futurum est,vt spiritus ille vitalis ipsorum,ipsis etiam inuitis,& mortem remorari cupientibus,exeat è corpore , ipsíque secundùm corpus resoluantur in terram vnde prodierant: * & tunc quidem peribunt vno die,immo momento,quæcunque cogitarant,& facere instituerant:quare vt sint quàm maximè & potentes, & ad benefaciẽdum propensi,tamen ob incertę mortis ineuitabilem necessitatẽ,qua omnis eorum potentia & benignitas subitò cum eis extinguitur , vanum fuerit eis fidere.

*4 Beatus,cuius Deus Iacob adiutor eius,spes eius in Domino Deo ipsius : * qui fecit cœlum & terram , mare,& omnia quæ in eis sunt.*

4 Fœlix autem ille est,qui in adiutorem suum delegit sibi eum qui solus verè Deus est,nempe Deum Iacob , cuiusque spes omnis reposita est in Domino Deo suo.* Nam primum quidem huic Domino summa est potentia immensæque opum copiæ , cùm fecerit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt , omnia hæc in sua habens potestate & subiectione.

5 Qui custodit veritatem in seculum: facit iudicium iniuriam patientibus.*

5 Deinde & fidelissimus est,seruans imperpetuum veritatem in præstandis promissis,neque more hominum vnquam pacta rescindens. Postremùm idem & benignissimus est, idque maximè erga calamitosos,& simul iustissimus.* Iuste enim iudicat pro his qui iniustè opprimuntur, liberando eos ab oppressione , & vlciscendo oppressores.* cibum sùppeditat esurientibus.

6 Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.*

6 Dominus liberat è vinculis captiuos , * Dominus visum tribuit cæcis. b

*7 Dominus erigit elisos, * Dominus diligit iustos.*

7 Dominus iam prostratos & deiectos , maximisque calamitatibus fractos rursum subleuat:* Dominus vt est iustus , ita quoque diligit iustos,eísque quæ dixi beneficia,cùm opus est,impartitur.

8 Dominus custodit aduenas , pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.*

8 Dominus singularem gerit curam eorum qui ab hominibus ferè nẽgliguntur,peregrinorum scilicet:orphanum & viduam,qui iniuriæ magis patere solent,ipse defendet,* & studia peccatorum simul cum ipsis peccatoribus disperdet.

9 Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion,in generatione & generationem.

9 Accedit ad hæc,quod immortalis sit Dominus iste , & regnum eius sempiternum.Non enim,vt huius mundi principes,aliquando cum suo regno esse desinet,sed regnabit ô Sion Deus tuus imperpetuum, in generatione & generationem , absque vllo fine.Proinde ob hæc meritò ipse omnibus vobis esse debet,in quem omnem vestram spem reponatis:quémque mecum semper communibus celebretis laudibus.

ANNOTATIONES.

NOLITE CONFIDERE.] Aduertendum quàm efficaciter Propheta dehortetur à fidẽ do hominibꝰ.Cumenim dixisset,principes(qui hoc loco Hebraica dictione dicuntur à liberalitate Nedibim,hoc est munifici)mox adiecit,in filiis hominũ,monens illos, quantũuis sint potentes & liberales

rales,tamen quia hominum filios,mortales esse & infirmos,atque ob id etiam adiecit,in quibus non est salus. Quod cũ variis modis probare potuisset, nempe per ostentionem infirmitatis humanæ, aua ritiæ,& fallacitatis in seruãdis promissis, tamẽ hæc omnia præteriens adfert id quod certissimum est, nempe ineuitabilem moriẽdi necessitatẽ ob quam nulli quãtumuis potenti,liberali & fideli confitendum fuerit. Cùm autẽ dicitur:exibit spiritus eius: mutatio numeri est, eius, pro eorum:In Hebræo autẽ ponitur quidẽ etiam singularis numerus, verùm præcessit quoq; in singulari numero, in filio hominis, in quo non est salus. Suppositum autem verbi,reuertetur,non est,spiritus,vt manifestè Hebræa docent.Nam apud Hebræos nomen,spiritus, est fœminini generis: verbum autem, reuertetur, masculini. Proinde ipsius verbi suppositũ est pronomen,ipse,incluſum in relatiuo,eius.

DAT ESCAM ESVRIENTIBVS.] Hæc h
omnia & ad literam intelligenda sunt de beneficiis corporalibus, & secundum mysticum sensum de spiritualibus.Porro quod dicitur Dominus illuminare cæcos,soluere compeditos, &c. non sic accipiendum,quasi semper in omnibus faciat,sed potissimum in iustis,quantum hoc illis expedit,atq; ob id adiectum videtur. Dominus diligit iustos. Aut potius intelligendum hæc beneficia nulli ab alio quam à Deo obtingere,vt sit sensus:Dominum solum esse qui esurientes pascit,cæcos illuminat, & reliqua.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI. CXLVI.

ET hoc quoque Psalmo inuitat Propheta ad laudes Dei, vtque id impetret, Dei primum beneficia Israeli præstita in ædificatione Hierusalem,& dispersorum collectione,tum eiusdem intelligentiam,potentiam ac bonitatem in omnia,& peculiariter erga timentes se multis deprædicat. Quoniam autem hic meminit ædificationis Hierusalem, & congregationis dispersorum Israelis,quidam compositum hunc Psalmum autumanauit post solutam Babylonicam captiuitatem,aut Dauidem hic vaticinatum de reditu ab illa captiuitate. Verùm verisimilius est & à Dauide ipsum esse compositum, & de his ad literam ipsum loqui quæ suo tempore gerebantur.Tempore enim Dauidis,qui primus Hierusalem & cæpit,& pr ciuitate regia reædificauit,multi ex Israelitico populo dispersi in finitimis gentibus, vt scribitur in libro Iudicum, cœperunt congregari,& redire in terram suam, subactis à Dauide gentibus illis quibus venditi fuerant secundum mysticum verò sensum principalius intelligendus est de ædificatione cœlestis nouæque Hierusalem, & veri Israelis,hoc est, electorum per varios errores dispersorum congregatione in vnitatem fidei. Quæ quidam ædificatio & congregatio per Apostolorum prædicationem cœpta non prius desinet,quàm impleto prædestinatorum numero,& vniuersis vtuis lapidibus in Christum coaptatis,ædificium supernæ Hierusalem steterit consummatum.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Laudate Dominum,quoniam bonus est Psalmus, *Deo nostro sit iucunda decoráq; laudatio.*

LAudate Dominum:quia bonũ est psallere Deo nostro,hoc est,salutare pariter & amœnum:*proinde sit vobis laudatio Dei nostri iucunda & decora,ita vt relictis sordidis & inamœnis huius mũdi & carnis cantilenis,iucundum & pulchrũ ducatis carminibus laudare Deũ. *Ps.146 a*

*2 Ædificans Hierusalẽ Dominus. *dispersiones Israelis congregabit.*

2 Ipse enim Dominus ædificat,& restaurat,& confirmat ciuitatem nostram Hierusalem,*atque ad eam dispersos populi Israelitici congregabit.

3 Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.*

3 Ipse sanat eos qui fracto sunt animo: * & instar medici veluti alligat plagas eorum,dum sua ope & consolatione omnem eorum molestiam & afflictionem leuat.

*4 Qui numerat multitudinem stellarum, * † & omnibus eis nomina uocat,*

4 Ipsius scientia tanta est,vt innumerabilem alioqui multitudinẽ stellarum numeratam habeat,hoc est,exactè pernoscat:*& ita pernoscat, vt singulis illarũ nomina propria indere possit,hoc est,vt singularum etiã naturas & proprietates perspectas habeat.†Eisq; præterea ita dominatur,vt singulis quasi proprio nomine appellatis imperet,sibiq; obedientes faciat.Simili modo & electos suos omnes,instar stellarum fulgẽtes, etsi innumerabiles & vndique dispersos,tamen in numerato habet, & nominatim cognoscit.

*5 Magnus Dominus noster, & magna uirtus eius, * & sapientiæ eius nõ est numerus.*

5 Magnus certè est Dominus noster,vt cuius natura sit immẽsa, infinita,& incõprehensibilis omni creaturæ,sed & potentia eius maxima èst: b
*& sapientiam eius nemo est qui mensurare & comprehendere valeat, ita vt ordinem,rationémq; sapientiæ eius cognoscere,aut quæcunq; sapientiæ & cognitioni eius subiecta sunt numerare possit.

6 Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autẽ peccatores usque ad terram.*

6 Idem quoque & summè bonus est & iustus.Nã mansuetos æquo animo afflictionem suam ferentes Dominus subleuat & curat:*peccatores verò seipsos superbè efferentes ipse prosternit vsq; in terram,maximáque confusione humiliatos penitus perdit.

*7 Præcinite Domino in confessione,*psallite Deo nostro in cithara.*

7 Tali itaque,tantòq; Domino canite cum laude & prædicatione excellentiæ eius,*neque voce tantùm illum laudate,sed & manibus,psallentes illi cithata.

8 Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiã.*

8 Ipse enim est qui tegit cœlum nubibus,*& per eas parat ipsi terræ pluuiam.

9 Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.*

9 Per irrigationem autem pluuiæ producit pro bestiis gramen in montibus.

montibus,qui alioqui aquæ penuria sterilescerent,*& herbam producit pro iis animalibus quæ hominum seruiunt vtilitati.

10 Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorũ inuocantibus eum.*

10 Qui dat vnicuiq; bestiæ pabulum ipsi conueniens,* & singulari miraculo pascit pullos coruorum,cùm à parentibus,antequã plumescãt, derelicti sua crocitatione Deum veluti inuocant,ab eo pasci optantes.

11 Nõ in fortitudine equi uoluntatem habebit, neque in tibijs uiri beneplacitum erit ei.*

11 Quod si autem tam prouidam bonitatem exhibet omnibus bestiis, adeóque ipsis rapacissimorum coruorum pullis clamantibus ad ipsum quantò magis sua bonitate aderit hominibus,qui ex fide vociferantur ad illum,quantumuis alioqui humiles sint & abiecti?non enim Dominus,quemadmodũ principes huius mundi,delectatur fortitudine equi *nec complacet ei in fortibus tibiis viri,ita vt quibus hæc sunt,iis ob illa magis adsit,& opem præsentius ferat.

12 Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.*

12 Sed complacet ei in iis qui & reuerenter colunt eum,*& simul omnem suam spem ponunt in clementia ipsius,sic diuinam illius maiestatem reuerentes,vt de eiusdem misericordia optimè sperent. Hos enim sic singulari ratione diligit,vt sua illis semper adsit virtute, qua potentiam quamlibet facillimè vincant. c

ANNOTATIONES.

a QVONIAM,&c.] Cõmuniter sic intelligitur vt datiuus,Deo nostro,regatur à,iucunda, & sit sensus:bonum est & salutare nobis psallere,verùm agite vt laudatio vestra sit iucunda Deo, cui nõ est laus iucunda quæ ore tantum personatur, aut à peccatore procedit.Verũ hic sensus ob id cõueniens non videtur,q̃ sicut ferè semper, ita etiã in hoc versu secunda pars videtur ex originali idẽ significare,quod prima.Et quamuis Græci datiuũ, Deo nostro,sequentibus iungant,in Hebræo tamẽ iungitur præcedẽtibus,vt sit sensus:bonus est psalmus Deo nostro decantatus:Id autẽ quod sequitur sic rectius intelligetur, sit vobis iucunda laudatio Dei,hoc est,pulchrum & iucundũ ducite illũ laudare,nisi quis sic malit intelligere,vt & in prima parte bonitas,& in secunda parte iucunditas ad Deũ vtrobiq; referatur,& sit sensus: Quoniam bonus, hoc est,gratus est Deo nostro psalmus,quare facite vt laudatio vestra sit illi iucunda.Secundũ primum autem sensum si datiuus,Deo nostró,sequẽtibus iungatur,non iungetur cũ adiectiuo, iucuda, sed cũ nomine,laudatio,subaudiendo,decantata.

b SAPIENTIÆ,&c.]Indicat Paraphrasis duplicẽ intelligentiã.Primũ,vt numerus accipiatur pro mensura.Non enim potest quis mẽsurare Dei sapientiam,quia cõprehẽdere nequit modũ,rõnem & quantitatem ipsius.Secũdò,vt propriè accipiatur,& intelligatur nõ esse numerũ sapiẽtiæ eius qa nemo numerare valet quæ sapiẽtiæ eius subsunt.

c ET PVLLIS,&c.] Prima parte versus ostẽdit Deum pascere bestias terræ.Secũda verò aues cœli.Quod aũt pullorum corui singulariter meminit pleriq; hanc assignant rationem,quod pulli coruorum à parentibus suis derelinquãtur,eo quod degeneres iudicentur ob id quod albi sint,ac tum diuinitus pasci eosdem,siue rore cœli,siue vermibus in nido enatis,siue animalculis quibusdam circumnidum volitantibus.Verũ hanc coruorũ naturam historiæ naturalis scriptores non scribunt,sed nec apparet eam talẽ esse ex verbis Iob 39.vbi etiã de coruorum pastura meminit,dicens:Quis præparat coruo escam suã,quãdo pulli eius clamant ad Deũ vagantes,eo quod non habeant cibos:Quibus verbis significari videtur, Deũ coruo parare escã pro pullis suis,hosque extra quærere sibi cibũ.Proinde rectius dicetur ob id curuorũ hic fieri mẽtionem, ad notandũ & cõmendandũ magis Dei erga hoïes prouidentiã & benignitatẽ. Si enim Deus etiã rapacissimos & odiosos coruos benignè pascit, quãtò magis hoïes ab ipso potissimũ pendẽtes? Deinde etiam ob id coruorũ meminit,quod voracissimi sint,multò egentes cibo:ob quod & fugant lõgius pullos suos iam robustos,quẽadmodũ scribit Plinius lib.10.naturalis historię cap.12.& Aristoteles lib.6.de historia animalium:Corui,inquit,locis arctioribus,& vbi non satis cibi pluribus sit, duo tantum incolunt,& suos pullos cùm iam potestas volandi est,primùm nido eiiciunt,deinde regione tota eiiciunt.Ex quibus verbis satis patet ratio,quare pullorũ corui hoc loco & apud Iob scriptura peculiariter meminit.Atque ob has easdem rationes coruorum singulariter mentionẽ facit Dominus, Lucæ 12.volens ex prouidẽtia Dei erga eos,eiusdẽ prouidentiam erga homines arguere: Cõsiderate, inquit,coruos,&c.Pulchrè autem pullos coruorũ Deum dicit inuocare,nam cæteræ aues suo cantu magis videntur Deum laudare,& lætitiam testari: corui verò sua crocitatione non nisi famen testari videntur & penuriam.Simul & Dei eximiam notat clementiam,qui illorum crocitationem veluti precem ad se fusam suscipit,ac proinde etiam solũ gemitum hominum illi esse pro oratione.

Alleluya Aggæi & Zachariæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVII.

EIusdem est cum superiori Psalmo argumenti,sicut etiam apud Hebræos cum illo in unum connectitur Psalmum. Nam & hic ad laudes Dei inuitat,nominatim autem ipsam Hierusalem,idq; tum ob beneficia Hierusalem à Deo peculiariter præstita,munitionem scilicet,pacem,omniumq; rerum fœlicem abundantiam:tum ob eiusdem omnipotentiam,qua summa celeritate quiduis eum in aere, cum uoluerit,efficere ostendit:& postremum ob legis solis Israelitis ex omnibus gentibus à Deo datæ beneficium.Iuxta anagogen autem.Hierusalem & Sion,ecclesia est fidelium, quam ita ueluti portis bene obseruatis Dominus confortauit,ut portæ inferi nunquam sint præualituræ contra eam,quam & in terris pace partim tẽporali,sed maximè spirituali donat,& pinguissimo frumenti adipe,nempe Sacramento corporis & sanguinis sui,satiat:in cœlis autem securissima pace,& diuinitatis suæ aspectu,ueluti adipe frumenti delicatissimo, frui concedit. Eloquium uerò Domini terræ immissum,prædicatio est euangelica,breui tempore ad omnes perueniens gentes,qua electi in modum niuis sunt dealbati,nebulosi dæmones dispersi,& congelata hominum corda spiritu afflante diuino liquefacta.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Lauda Hierusalem Dominum.*lauda Deum tuū Siō.*

VOs quotquot estis ciues fœlicis Hierusalē,laudate Dominū *qui- Ps.147.
cunque incolitis & aditis montem Sion à Domino in suam habita
tionem delectum,laudate Deum vestrum,qui in hoc peculiariter mon a
te colitur.

*2 Quoniam confortauit seras portarum tuarum, *benedixit filijs tuis in te.*

2 Ipse enim fortissimas fecit seras portarū huius ciuitatis vestrę, egre-
giè eam sua præsentia & custodia muniens,ne quisquā hostis seris con
fractis portas vestras ingredi valeat:*deinde & vobis ciuibus ipsius,qui
intra eam estis,copiose benedixit,multiplicando vos,& beneficiis suis
cumulando.

3 Qui posuit fines tuos pacem,& adipe frumenti satiat te.*

3 Qui præterea non solùm vestram ciuitatem in seipsa pacificam esse b
fecit,sed & terminos eius in pace constituit,vt nullus eos amplius infe
stet:*ac postremùm tanta vos donat omnium rerū abundantia, vt non
tantum quod satis est largiatur,sed selectissima farinæ medulla abūdè
satiet,proinde absoluta vestrā ciuitatē frui facit fœlicitate.Quid enim
desit ciuitati optimè munitæ,ciuibus abundāti,pacem assequutæ,om-
niumque rerum optimarum copia fruenti?

*4 Qui emittit eloquiū suum terræ, *uelociter currit sermo eius.*

4 Neque tamen ob præstitā vobis peculiariter fœlicitatem laudandus c
tantum est vobis,sed & ob potentiā verborū eius maximā, qua in crea
turis omnibus facit quæ vult,declarans se non modo populi Israelitici
gubernatorem,sed totius etiam creaturæ dominum.Ipse enim cū vult
emittit in terrā verbum suū:*id cùm facit,velociter currit verbū ipsius
ad perficiendum omne ad quod illud miserit,hoc est,tātæ est fortitudi
nis,vt solo ipsius iussu,tanquam legato potentissimo & obedientissimo
ab ipso in terras amandato, mox perficiatur quodcunque voluerit.

*5 Qui dat niuem sicut lanā *nebulam sicut cinerē spargit.*

5 Proinde solo suo imperio dat niuem in leuitate & candore similem
lanæ,*& nebulam sicut cinerem spargit per aera.

6 Mittit crystallum suū sicut buccellas, † ante faciē frigoris eius quis sustinebit?*

6 Mittit quoque è cœlis frustratim instar paruarum buccellarū gran- d
dinem,glaciei in frigiditate & congelatione similem,*†& ob frigidita
tem suam intolerabilem,frigus aliquoties tam ingēs terræ immittit,vt
nemo coram præsentia illius subsistere valeat,illudque tolerare.

*7 Emittet uerbum suum,& liquefaciet ea: *flabit spiritus eius,& fluent aquæ.*

7 Rursum autem cū vult,solo suo iussu in terras emisso,liquefacit per
ardorem solis ea quæ modo dicta sunt,niuem scilicet & grandinē *fa-
citque exurgere ventum quemcūq; voluerit:quo flante mox incipiūt
profluere aquæ,tum ex resoluta niue & grandine,tū ex ipsis nubibus.

8 Qui annuntiat uerbū suū Iacob. iustitias & iudicia sua Israel.*

8 Vt autem verbo suo,hoc est,iussu & voluntate suam in omnes creatu
ras declarat potentiam,ita rursus verbo suo suam erga populum Israe
liticum ostendit singularem benignitatē.Ipse enim per legem à se da-
tam,perque prophetas,doctoresq; suos dignatur posteritati Iacob an-
nuntiare mandata sua,*& iustissima sua & æquissima viuendi præscri-
pta tradere populo Israelitico,vt merito & hoc quoque nomine a no-
bis eximiè sit laudandus Dominus.

9 Non fecit taliter omni nationi,& iudicia sua nō manifestauit eis.*

9 Non enim ad hunc modum fecit vlli alij nationi,* nec à se prescri- e
ptas æquitatis formas manifestauit eis.

ANNOTATIONES.

a QVONIAM,&c.] Hebraica dictio significat vectes,similiter & Grȩca,μοχλους.Itaq; Augustinus legit,vectes.Porro verbū benedicere,hic accipitur,vt aliis locis fere qbus Deo tribuitur, pro benefacere : aut potius hoc loco accipitur,vt designet multiplicationem ciuiū.Ita enim frequenter accipitur,dum loquitur scriptura de benedictione prolium,vt cum dicitur Deus benedixisse Adæ & Noe,dicens:Crescite & multiplicamini. Quod si hoc modo accipiatur,iā his duobus versibus quatuor notantur,quę dum adsunt alicui ciuitati,perfecta fœlicitate fruitur.

b QVI POSVIT,&c.]Similis est oratio in alio Psalmo:posuisti firmamētū eius formidinē.Debet autem exponi hoc modo:qui posuit fines tuos in pace:vel substātiuum,pacem,accipi debet pro adiectiuo,posuit fines tuos pacificos.

c EMITTIT,&c.]Loquitur Propheta de eloquio & verbo Dei,tanquā legato potentissimo simul & obediētissimo,quéadmodum & Isaias cap. 55.Quomodo,inquit,descēdit imber & nix de cœlo,& illuc vltra nō reuertitur,sed infundit terram, &c.sic erit verbum meum quod egreditur de ore meo,non reuertetur ad me vacuū,sed faciet quæcunque volui,& prosperabitur in his ad quæ misi illud.Proinde in sensu literali Dominū mittere eloquium suum in terram,non est aliud quàm Dominum aliquid velle in terra fieri:nam eloquiū eius, imperium & voluntas ipsius est,currere autem sermonem eius,est cito perfici voluntatem ipsius.

d NEBVLAM,&c.] Dictio Hebraica significat pruinā,non nebulā.& magis quadrat pruinā sparsam cineri cōparari:deinde & pòstea dicitur Dominus liquefacere suo verbo ea,nēpe quæ dicta erāt, niuem,pruinam,& crystallum.Porro dictio,crystallus,Græca dictio est,significans non id modò quod vulgus crystallum vocat,sed glaciem omnem:deriuatur enim à κρύος,id est,frigus,& στέλλω,id est,cōtraho.Vnde & Plinio teste species illa gemmæ vitro similis,quę crystallus dicitur,nihil aliud est quā glacies,sub terra nimio frigore sic indurata,vt resolui calore nequeat.Quoniam autem glacies hic dicitur,è cœlo scilicet,& buccellis comparatus,rectè Hebræi hic per glaciem grandinem intelligunt eo quod grando secundum philosophos non sit aliud quàm pluuia congelata.

PRO

PRO SENSV MYSTICO.

IN sensu mystico quod dicitur Dominus confortasse seras vel vectes portarum Hierusalē,simplicius accipitur tropicè , pro eo quod est Deū egregiè muniuisse ipsam Hierusalē,ita vt eā hostis ingredi nequeat,eamq; sibi capere:quod quidē nouæ Hierusalem conuenire pro ea parte quę in cœlis quasi in edito monte Sion consistit,nemo dubitat.Conuenit tamē etiam eidem pro ea parte quæ adhuc hic in terris , quasi in humili valle sita est. Nam hæc ita Deo custodiēte munita est, vt quāuis & semper,& vndique,& variis,eisq; fortissimis hostibus oppugnata sit,& oppugnetur,nunquā tn̄ in hostium potestatem ventura sit,nec venerit secundum Christi promissionem dicentis,portas inferi non pręualituras aduersus eam.Atq; hoc item est quod in prophetis toties Dn̄s promisit se nō per-
Isaie 52 missurum vltrà,vt pertransiret per hanc Hierusalē incircuncisus & immūdus.Sic & quod dicitur Dominus pacem dedisse omnibus finibus Hierusalē, manifestum quidem qūo ei parti conuenit,quæ in cœlis quietè regnat libera ab omni perturbatione:cōpetit tn̄ & ei quæ in terris militat adhuc.Nā quamuis hæc pacem nondū sit adepta ab hostibus suis,cū quibus assiduè luctatur,pacem tn̄ illam veram cōsecuta est,qua Christus,qui est pax nostra, hoīes Deo reconciliauit,& inter sese in vnā fidem & religionē ciues huius ciuitatis conciliauit prius inter se multum discordes.Porrò adeps frumenti, quo satiantur hi qui in cœlis regnant,ipsa est diuinitas Christi.Nam hic pascimur quidē frumento, illi verò frumenti pinguissimo adipe,si ad nos conferantur,quāquam & nos rectè adipe frumenti satiari dicimur.Christi em̄ corpus inter oēs sanctos, qui sunt frumētum illud quod in horrea Dn̄i condendum est,quasi adeps est frumenti,cū solus ipse sit ab omni vitio quàm alienissimus.Sic & scriptura sacra,adeps frumenti est,si ad aliorū Catholicorum scriptorū & philosophorum libros comparetur.Quæ aūt dicūtur de niue,nebula,vel,vt habēt Hebræa,pruina,& glacie,& grandine,varie tractari possunt.Primū enim simpliciter in his intelligere possumus,secundū Euthymium,diuina permissione mox immitti calamitates grauissimas,per niuem,pruinam,& grandinē significatas,ac mox iterum Deo iubente easdē in gaudium cōmutari.Faber aūt & alij aliquot per niuē,intelligūt peccatores,per euangelij prædicationem in modum niuis & lanę dealbatos,quomodo de seipso dicit Dauid: Super niuē dealbabor:& Isaiæ 1.Dominus:Si fue
Ps. 50. rint peccata vestra sicut coccinū,velut nix dealbabuntur:& si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.Per nebulā aūt sparsam,intelligit dispersos nebulosos dæmones.Per crystallum aūt, obstinatos peccatores,quos Dn̄s tanquam buccellas à se proiicit in esum,& escam impiorū dæmonum.Verùm secūdum hunc sensum relatiuum,ea, non habet ad quod commode referatur,non enim potest referri ad crystallū, hoc est,obstinatos peccatores:hos enim qui dicuntur proiici in escā dęmonum,nunquā liquefacit suo spiritu.Augustinus autem per niuem,nebulā,& crystallum,intelligit tria peccatorum genera:per niuē quidem , peccatores ex infirmitate peccantes:per nebulam verò,peccātes ex ignorantia:per crystallū,peccantes ex malitia,& in malis obstinatos,quos intelligit Dn̄m mittere tanquam buccellas,eo quod frequenter Dei vocatione incorporētur ecclesiæ,vt alios pascant, quēadmodum patet de Paulo. Hieronymus verò indicat conuenientiorē tractationē, nempe vt per niuem significetur purgatio à peccatis:per nebulā vel,vt admonet habere Hebræa,pruinam , dolorē de peccatis & pœnitentiā,secundum illud:Factus sum sicut vter in pruina,& cinerem tanquam panem manducabam.Per crystallum vero iam rectè intelligentur seuerissimæ cōminationes gehēnę & vltionum Dei,in scripturis sparsim contētæ,quarūrum acerbitatem nemo ferre pōt:nebulam tn̄ hāc & glaciem frigidissimam Dominus verbo & spiritu suo liquefacit,dum consolationibus scripturarum & spiritus sui,rigorem pœnitentiæ mitigat, & sparsas in scripturis comminationes dulcissimis promissionibus lenit.Hæc autem tractatio præter contextum omniū conuenientem,etiam literę maximè conuenit.Quemadmodū enim in sensu literali significare vult propheta Deū per eloquiū suum terræ immissum dare niuē,pruinam,& grādinem, vel glaciem:ita etiam cōuenit in sensu mystico intelligere,Deū per euangelij prædicationē dare niuem,pruinam,vel nebulam,& glaciē.Quod autem quidam hic philosophentur in vocabulis, crystallum & buccellas,otiosum est,cū ex Hebræis constet,vt prius dictū est,crystallum hic simpliciter significare glaciem,& buccellas tantum significare frusta. Non enim Hebraica dictio significat propriè buccellas,sed frusta quæuis.

e NON,&c.]Hæc oratio non pōt intelligi secundū regulas dialecticas , maximè in sensu literali. Nō enim vult propheta Deū alicui nationi non sic fecisse,sed nulli oīno alteri nationi sic fecisse. Lex enim Mosaica,de qua ad literā loquitur,solis Israelitis data fuit.Proinde,non oī accipi debet, vt frequenter apud Hebræos,pro nulli & debet intelligi,alteri.In sensu tn̄ mystico,quo hi versus intelliguntur de lege perfectionis per Christū tradita,videtur debere,non omni accipiendum secundū regulas Dialecticorum,nisi maluerimus sic intelligere:Nō fecit taliter alicui nationi,quæ fuit ante nos in præcedentibus Christū temporibus:quādoquidem ne ipsis quidam Iudęis ante Christū tam perfecta lex tradita est,quàm modo nobis.

Alleluya Aggæi & Zachariæ.

ARGVMENTVM PSALMI CXLVIII.

INuitat hoc Psalmo propheta ad laudem Dei cunctas creaturas,ita ut obseruato naturæ ordine congruo,à cœlestibus incipiens descendat ad inferiora,atque in his primùm aquatica,deinde aërea,tum & terrestria inanimata simul & animata,uniuscuiusque postremum conditionis homines,& singulariter populum Dei appellet.Quod autem uir sanctus etiam in animata & bruta,quæ Deum,quem non cognoscunt,uoce laudare nequeunt, ad celebrandum Deum exhortatur , primùm quidem ardens desiderium laudis diuinæ in propheta arguit,nam quoniam ad laudem diuinam se,imo homines omnes idoneos minimè esse perpendebat,omnes simul ad creatoris laudem creaturas aduocat.Deinde huiusmodi creaturarum inuitatione magis uult indicare quid nos facere cōueniat ex creaturarum animaduersione,& uotum suū explicare,quo cupiuit ex omnium creaturarum Dei consideratione homines in laudem & admirationem Dei excitari.Nam alioqui uniuersæ creaturæ laudes Dei,semper celebrant suo modo , cùm incessanter incredibilem eius sapientiam,potentiam,& bonitatem mirificè ostendant.Verùm ut id ab omnibus intelligatur,hac inuitatione creaturarum precari potißimum accipiendus est.

Laudant enim mutæ creaturæ Deum per os nostrum, dum ab illis laudandi Deum occasionem accipimus.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Laudate Dominum de cœlis, *Laudate eũ in excelsis.*

VOs imprimis compello supernas creaturas, laudate eum in superpsal.148. a
nis vestris locis.

*2 Laudate eum omnes angeli eius, *Laudate eum omnes virtutes eius.*

2 Et vt speciatim vos appellem, laudate eum imprimis vniuersi Angeli eius: *laudate eum omnes cœlestes exercitus eius, qui in numero inexplicabili militatis sub ipso, omnem illius voluntatem celerrimè perficientes.

*3 Laudate eum sol & luna: *laudate eũ omnes stellæ & lumen.*

3 Laudate eum sol & luna, *laudate eum stellæ & lumen ipsarum.

*4 Laudate eum cœli cœlorũ, *& aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

4 Laudate eum varij cœlorũ orbes, *sed & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.

*5 Quia ipse dixit & facta sunt, *ipse mãdauit & creata sunt.*

5 Ipse enim tantum iussit, vt hæc omnia fierent, & mox ad iussum eius b
facta sunt: *ipse vt crearentur mandauit, & mox creata sunt.

*6 Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, *præceptum posuit, & non præteribit.*

6 Eodem autem iussu quo ea creauit, etiam stabiliuit ea, vt omnibus darent sæculis: *legémq; dedit præscribentem eis motus rationem nec abrogabitur ea lex vllo tempore, sed vsq; in consummationem sæculi constanter semper diuinæ obtemperabunt voluntati. Cógruum itaque vt vniuersa hæc Deum laudent, tum quod cùm maxima sint opera, solo tamen verbo ab eo creata sint: tum q̃ perpetuitatem illis præstitit, tũ quòd inobliquabili eis lege constanter dominetur.

*7 Laudate Dominũ de terra, *dracones & oẽs abyssi.*

7 Sed & vos terrestres creaturæ in inferiori hoc mundo consistétes simul cum cœlestibus communem Dominum laudate ex vestro inferiori quem obtinetis loco. *Et imprimis nomen Dei laudent cete grandia, & quotquot sunt animantia in omnibus aquarum profunditatibus.

*8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, *quæ faciunt verbum eius.*

8 Deinde & aërea, qualia sunt ignea fulmina, grando, nix, vẽtus procellosus: *quæ vniuersa faciunt quæcunque à Deo iubentur eis.

9 Montes & omnes colles ligna fructifera, & oẽs cedri.

9 Post hæc etiam terrena, nempe montes & omnes colles, arbores fructiferæ, & syluestres quoque atque inferæ, inter quas primum obtinent locum cedri.

*10 Bestiæ & universa pecora: * serpentes & volucres pennatæ.*

10 Iam & animantia bruta, siue sint bestiæ feræ, siue mansueta pecora *quicquid vel in terra serpit vel in aëre volat.

*11 Reges terræ & oẽs populi, *principes & omnes iudices terræ.*

11 Postremùm etiam homines cuiuscunq; sint conditionis, reges scilicet terræ, & omnes populi, *principes quoque, & omnes iudices terræ.

*12 Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, *quia exaltatum est nomen eius solius.*

12 Iuuenes & virgines, senes vnà cum pueris vniuersi laudent nomen Domini. *Solus enim ipse sup omnia exaltatus est, & magnificatus per grandia & admiranda sua opera.

*13 Confessio eius super cœlum & terram, *& exaltauit cornu populi sui.*

13 Proinde laus ipsius tanta est, vt cœlos & terram infinito superet, nec dignè satis explicari possit ab his qui vel in cœlis, vel in terra degunt. c
At verò præter magnificentiam ipsius, quæ vbique in omnibus creaturis relucet singulariter, aduertenda illius benignitas peculiariter populo suo exhibita. *Euexit enim nunc potentiam & gloriã populi sui, supd
pressis hostibus ipsius, gloriosè & potenter eum triumphare & regnare faciens.

14 Hymnus omnibus sanctis eius filijs Israel populo appropinquanti sibi.

14 Quare singulari ratione conuenit, vt illum semper laudent omnes ab eo sanctificati, eiusque cultui dicati, nempe filij Israel, qui sunt populus propinquus & familiaris illi, per cultum & religionem accedens ad eum. His enim singulariter conuenit laus Dei, vt qui præ aliis omnibus, pluribus sint ab eo affecti beneficiis, quique soli sunt, per quorum ora, inanimata & bruta Deum laudare possunt.

ANNOTATIONES.

LAVDATE, &c.] Quod dicit, de cœlis, &, in excelsis, nõ debet referri ad Dominũ, quasi sit sensus, Dominũ cœlorum, & qui est in excelsis: sed debet referri ad verbum, Laudate, vt alloquẽdo supernas creaturas, exigat ab eis vt è cœlis suis, & in excelsis suis locis Dominum laudent: sicut postea alloquendo inferiores creaturas exigit ab eis, vt è terra Deum laudent. Græcis enim & Hebræis est, ex cœlis & ex terra.

b AQVÆ, &c.] Secundũ Hebræos & Græcos hæc pars in secuda persona refertur ad superiora, aquæ quæ super cœlos estis. Apud Hebræos enim illud, laudent nomen Domini, principiũ est noui versus, & ad omnia superiora refertur. Græca autẽ habent καὶ τὸ ὕδωρ τὸ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν, aqua quæ super cœlos, quod non potest esse supppositum verbi sequentis pluralis numeri, αἰνεσάτωσαν laudent.

c CONFESSIO, &c.] Dictio Hebraica תּוֹדָה Hod, Septuaginta frequenter vertũt per, ἐξομολόγησιν. id est, confessio vel laus, propriè non significat laudẽ sed gloriam & magnificentiam alicuius: Vnde sic vertit Hieronymus: & gloria eius in cœlo & in terra, vt sit idẽ cũ eo quod in cantico Seraphim apud Isaiã dicitur: Plena est terra gloria eius. Lectio aũt nostra intelligi põt præter sensum paraphraseos & hoc modo: Laus eius decantari debet super cœlũ, & terram, hoc est, in cœlo & in terra: Græca enim habent ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ οὐρανὸν, quod potius est, in terra & in cœlo, quàm, super cœlum & terram: vt, super, excessum significet, quemadmodum in oratione dicitur: Fiat voluntas tua ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, sicut in cœlo & in terra.

ET EXALTAVIT, &c.] Græca quidẽ habent ὑψώσει exaltabit, quomodo & D. Augustinus legit. Verùm Hebræa magis docẽt legendum per præteritũ, exaltauit, quomodo & D. Hieronym. vertit ex Hebræo d

bræo, & legit item in commentariis. Ponitur enim in Hebræo futurum, sed cum vau conuersiuo. Iam & sensus magis postulat præteritum tempus. Vult enim Israelitas Deum laudare ob exaltationẽ suã, non vtique futuram, sed iam acceptam.

APPROPINQVANTI, &c.] Pronomẽ, sibi, e
abusiuè positum est, pro illi, non est enim Græcis ἑαυτῷ, sed αὐτῷ nempe Deo.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI. CXLIX.

INuitat peculiariter ad laudandum Deum Israelem, quòd illum Deus, singulari fauore prosequi cœperit: unde futurũ præ dicit ut ipsum sancti summo studio celebrent, postquam populum suum non restituerit modò, sed etiam gentium victorẽ, & ultorem effecerit. Putant autem quidam hic prophetam uaticinari ad literam de restitutione & euectione Israelis quæ illi cõtigit à soluta captiuitate Babylonica. Verum nihil obstat quin de ea loqui intelligatur, cuius bona spes esse cœpit, auspicante in Sion regnum suum Dauide, per quem etiam postea cum magna totius populi Israelitici gloria finitimæ gentes cum regibus suis subactæ sunt, iusta de eis secundum Dei iudicium ultione sumpta. Porro quoniam & euectio carnalis Israelis post liberationem à captiuitate Babyloni ca, typus fuit ueriorĩ exaltationis spiritualis Israelis quæ per Christum facta est & regnũ gloriosum Dauidis, figura regni Christi: nihil dubium quin spiritus sanctus potissimũ hic uaticinatus sit de salute & uictoria ea, quam ex parte in hac uita, sed consummatè in futuro sæculo fideles per Christũ consequuntur, qui & hic spiritualibus potissimum armis dæmones superant, omnesque reges & populos terræ Euangelio subiiciunt, in captiuitatem redigentes (ut inquit Paulus) omnem intellectum in obsequium Christi, & in nouissimo die simul cum Christo iudicabunt & uindicabunt impios omnes, siue dæmones, siue homines, ut testatur idem Paulus 1. ad Corint. 6. Proinde secundum mysticum sensum præsens Psalmus imitatio est ecclesiæ Christianæ ad celebrandum nouo carmine Deum, q. is humano generi offensus aliquando iam ei per Christum sit reconciliatus, electósque suos de hostibus ipsorum magnificè saluare cœperit.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

*1 Cantate domino canticũ nouum, *laus eius in ecclesia sanctorum.*

NOuo iam à Deo affecti beneficio, nouo etiam carmine illum celepsal.149.
brate: *laus eius decantetur in solenni congregatione sanctorum, qui vt plura à Deo consequuti sunt beneficia, ita Dei benignitatem soli diligenter perpendunt, & inuicem ducunt Dei laudes & audire & decantare.

2 Lætetur Israel in eo qui fecit eũ, & filij Sion exultẽt in rege suo.

2 Lætetur Israeliticus populus in factore suo, & quotquot subiiciũtur a
regno in Sion instituto, exultent talem regem contigisse sibi.

*3 Laudẽt nomen eius in choro, *in tympano & psalterio psallant ei.*

3 Laudent autem nomen eius in vanimi modulamine chori, * neque laudent tantum voce, cordisque lætitia, & corporis lætabunda exultatione, sed etiam tympano & Psalterio, omnibusq; id generis instrumẽ
tis musicis psallant in honorem ipsius. b

*4 Quia beneplacitũ est domino in populo suo: *& exaltabit mansuetos in salutem.*

4 Iam enim declarauit se Dominus bene affectum populo suo, *bonáque spes est, quod quemadmodum cœpit, exaltare perget mansuetos per stabilem salutem eis præstitam.

*5 Exultabunt sancti in gloria, *lætabuntur in cubilibus suis.*

5 Quare futurum est vt sancti exultent in summa gloria, qua à Deo afficientur, *& lætentur in lectis suis, in quibus quieti & securi quiescãt. c

*6 Exaltationes Dei in gutture eorum *& gladij ancipites in manibus eorum.*

6 Exaltationes & laudes Dei erunt in ore ipsorum, *& gladij vtrinq; incidentes in manibus ipsorum.

7 Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

7 Vt vlciscantur se de gentibus, & corripiant populos totos.

*8 Ad alligandos reges eorũ in compedibus, *& nobiles eorum in manicis ferreis.*

8 Vtque vinciant etiam reges eorum compedibus, * & primates eorũ manicis ferreis.

*9 Vt faciant in eis iudicium conscriptum, *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.*

9 Vt exercere possint in eos iudicium à Deo præscriptum & definitũ *Decus hoc erit cunctis qui se Deo dediderunt bonitati studentes.

ANNOTATIONES.

a FILII, &c.] Perperã legitur in plerisq; libris, filiæ Sion, cũ manifestè Hebræa & Græca habeant masculinum, filij, quomodo & Augustinus legit, & habent Latini codices emendatiores.

b EXALTABIT, &c.] Græcis ὑψώσει exaltabit, nõ exaltauit, quemadmodũ & Hebræa docent legẽdum, & sequẽtia exigũt: sic legit & D. Augustinus.

c EXALTATIONES, &c.] Vitio scriptoris legi, exultationes, apertè satis docẽt Hebræa & Græca. Ponitur enim apud Græcos hic nomẽ ὑψώσεις, deriuatum à superiori verbo, exaltabit mãsuetos. Proinde Arnobius legit, exaltationes, qũo & Augustinum legisse, quamuis contextus semper habeat, exultationes, apparet ex ipsius cõmentario. Sic eñ scribit cũ dixisset: Lętabũtur in cubilibus suis, ne quasi sibi placẽtes viderẽtur, adiunxit statim: Exaltationes (ita eñ habent libri) Dei in faucibus eorũ. Sic lętabũtur in cubilibus suis, vt nõ sibi tribuant quod boni sunt, sed illũ laudent, à quo acceperunt quod sunt, &c. Hactenus ipse. Explicat aũt eius cõmentarius bñ orationẽ hanc, exaltationes Dei, nõ aũt quid sit, exultationes Dei, vt interim omittatur eã orationẽ nihil aptũ significare posse. Proinde vitio scriptoris videtur, v, scriptũ pro a, quẽadmodum & alias in hac dictione factũ est. Porro per gladios ancipites, in literali sensu intelligẽda est potentia inuicta, omniáq; prosternens obuia. In sensu verò mystico oportet intelligere gladiũ spiritus quod est verbũ Dei, ac potentiã resecandi putrida membra à puris, deinde & potestatem iudiciariam & vindicatiuam, qua in nouissimo iudicij die cum Christo sancti hunc mundum iudicabunt.

d VT FACIANT, &c.] Quidã singulariter legẽdum volunt, vt faciat, vt ad Deũ referatur, ad quẽ & præcedentia referunt. Ad faciendam vindictam, & ad alligandos, sic intelligit Euthymius. Et sanè Hebræa simul & Græca ambigua sunt, vt vel ad Deũ vel ad sanctos Dei referri hæc possint, quæ de vindicta sumẽda & iudicio exequẽdo dicũtur. Verùm qñ præmittitur sanctos habere gladios ancipites in manibus suis, magis videntur quæ sequũtur ad illos referenda, quomodo cõmuniter intelligitur, vt meritò potius legẽdum sit vt faciãt, qũo omnes libri ferè habẽt, & legit Diuus Augustinus.

Alleluya.

ARGVMENTVM PSALMI CL.

INuitat ad laudandum in cœlis præsidentem Deum pro immensa fortitudine & amplitudine eius, idq; summo studio, atq; ideo non uoce solum, sed adhibitis simul omne genus instrumentis musicis. Nimio enim laudis diuinæ desiderio flagrãs uir sanctus, cõsiderans q; nullum laudis huius modum esse aut terminum, omnibus quibus licet modis collaudari illũ exoptat: primum declarans quem uelit laudari, deinde propter quid, ac postremùm quomodo. Proinde quoniam hic Psalmus ardentissimè ad laudes Dei prouocat, (toties enim in ipso uerbum laudandi repetitur, præter quod nullũ in eo aliud uerbum continetur) appositissimè dispositus est in fine Psalmorum, eo q, horum scopus præcipuus sit, adhortari ad laudes Dei mortales oẽs, quas tum primum absolutè & indesinenter persoluemus, cùm in futura uita creationis nostræ terminum assecuti fuerimus: quod is nobis præstare dignetur, qui in unitate trina uiuit & regnat Deus per omnia sæculorum sæcula. Amen.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Laudate Dominum in sanctis eius, * laudate eum in firmamento uirtutis eius.*

LAudate dominum in sanctissimis suis cœlorum habitaculis presidẽtem: *laudate eum regnantẽ in expanso, firmitérq; à se collato cœlo, quod argumentum est fortitudinis illius maximum. Ps. 150.

2 *Laudate eum in uirtutibus eius; * laudate eum secũdùm multitudinem magnitudinis eius.*

2 Laudate eum propter varia omnipotentiæ ipsius opera, *laudate eũ a
pro immensa magnitudine & excellentia eius; non quod putem lau- b
des vestras Dei magnitudinem assequi & æquare posse, sed quòd cupiã
eum super omnia toto conamine, omnibúsque quibus licet modis lau- c
dari. Id enim magnitudo eius inexplicabilis meretur.

3 *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara.*

3 Proinde laudate eum in clangore tubæ: *laudate eum psalterio & cithara.

4 *Laudate eum in tympano & choro, * laudate eum in chordis & organo.*

4 Laudate illum tympano & choro: *laudate illum fidibus & organo.

5 *Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, *Omnis spiritus laudet Dominum.*

5 Laudate eum cymbalis bene resonantibus, laudate, inquam, eũ cymbalis suauiter iubilantibus, & ad iubilationem excitantibus. Et quid va-
ria enumero instrumenta? *quicquid omnino vsquam spirat etiã in bru
tis, sed maximè in hominibus, suo spiritu & flatu laudet Dominum. d

ANNOTATIONES.

a LAVDATE, &c.] Dictionẽ, sanctis, non debere hic accipi pro hominibus vel angelis sanctis in masculino genere, satis patet ex Hebręis, quę habent ad verbũ, in sanctitate eius, quod quidã intelligunt in hoc sensu: Laudate Dñm propter sanctitatem eius. Ac similiter in secũda parte accipiunt præpositionem, in, vt sit sensus: Laudate eũ ob firmamẽtum, &c. Secundum quem sensum præpositio, in, eodẽ modo accipietur in primo versu, quẽadmodum in secundo, cùm dicitur: Laudate eũ in virtutibus eius. Verùm quoniã per firmamentum verisimiliter intelligitur cœlum, magis etiã apparet per sanctitatem Dei, hic intelligi sanctũ Dei in cœlis habitaculum, quemadmodũ accipitur Psal. 19. dictio, sanctum: Mittat tibi auxilium de sancto: vbi apud Hebræos eadem ponitur dictio. Proinde apud nos ablatiuus, sanctis, accipi debet in neutro genere pro cœlestibus Dei habitaculis, quę Paulus ad Hebræos sancta vocat. Porro pro dictione, firmamẽtum, Hebræis eadẽ est dictio, quæ Gen. 1. ca. vbi eandẽ Septuaginta & Hieronymus verterunt per firmamẽtum: significat autẽ propriè expãsum quid aut expansionẽ, vnde quidam hic vertunt, in expansione virtutis, id est, in expansa & extensa ad omnes creaturas fortitudine eius, secundũ quem sensum firmamentum virtutis quidam exponunt pro fortissima Dei potẽtia. Verum verisimilius est in eodem significato dictionẽ Hebraicam, & dictionem, firmamentũ, hic accipi quo Gen. 1. Itaque secundũ sensum paraphrasis præpositio, in, hoc Psalmo tribus accipitur modis. In primo enim versu indicat locũ regni Dei: quem laudari vult, non iam inuitans ad laudandũ Deum præsidentẽ in Sion, aut in arca fœderis, sed in cœlo, vt hoc dicto sanctos ab vmbris legis ad veritatẽ supernam subueheret. In secũdo aũt versu accipitur pro, de, vel propter. In tertio verò & sequẽtibus designat instrumentũ. Pōt tñ & in primo versu intelligi nos inuitari ad laudẽ Dei propter considerationẽ sublimiũ locorũ quę Deus inhabitat, quę cõsiderata in admirationẽ gloriæ & potẽtiæ Dei hoiem rapiũt, vt præpositio, in, in primo versu accipiatur sicut in scdo.

IN VIRTVTIBVS, &c.] Non significat hic virtutes angelorũ exercitus, vti ferè solet, nõ enim est hic apud Hebręos צבאות Sebaoth, nec apud Græcos δυνάμεις, sed δυναστείας, vnde significat fortitudinis Dei potentia opera. b

IN PSALTERIO.] Pro eo qđ Septuaginta & Hieronymus frequẽter vertunt, psalteriũ, Hebræis est dictio נבל Nebel, quæ putatur significare musicum instrumẽtum, quod vulgo cornamusa dicitur. Nebel enim etiam significat vtrẽ & lagenam, vnde deinde musicum illud instrumentum cũ vtri specie Nebel dictum est. Porro per chorũ hic videtur, quemadmodũ & superiori Psalmo, debere intelligi instrumẽtum aliquod musicum, cũ reliqua omnia nomina sint instrumentorũ. Et in epistola quadam, quæ sub Hieronymi noie habetur ad Dardanum, de musicis instrumentis, dicitur chorus, simplex pellis cum duabus cicutis æreis, & per primã inspiratur, per secundam, vocem emittit. Videtur autem significare velle instrumentum illud, quod prius dictum est in Hebræis vocari Nebel. Verùm vt epistola illa indigna est ingenio Hieronymi, ita dictio Hebraica potius ostendit significari instrumentum illud, quod nos tibiam dicimus. c

OMNIS, &c.] Nomẽ spiritus, hic nõ accipitur in eo significatu quo tribuitur aiæ & angelis, non est em hic Hebręis, רוח ruah, neq; Gręcis est πνεῦμα, sed Hebraica dictio propriè significat flatũ & spiraculum vitę, eadẽ em hic ponitur quę Gen. 2. & Grę cis est πνοὴ, id est, spiratio & flatus. Bene autem de hoc spiritu subiecit superioribus instrumẽtis, eo q pleraque eorum flatu & spiratione sonum reddãt. d

Finis libri Psalmorum.

PARAPHRASIS IN EA VETERIS TESTAMENTI CANTICA, quæ per singulas ferias Ecclesiasticus vsus obseruat, cum Argumentis eorum, & Annotationibus.

Authore CORNELIO IANSENIO Hulstensi, sacræ Theologię Professore, Primo Episcopo Gandauensi.

ARGVMENTVM CANTICI TRIVM PVERORVM.

CAnticum, quod Danielis tertio tres pueri in ardentem fornacẽ missi uno ore decantasse scribũtur, similis omnino est argumenti cum Psalmo 148. Siquidem etiam in isto, præ multa de Dei benignitate lætitia mentis, tres adolescentes omnem creaturam ad creatoris laudem prouocant, à cœlestibus per media quæ in aëre gignuntur ad inferiora descendentes, per singula quæ uel in terra, uel in aquis sunt discurrentes, donec tandem ad hominem deueniant, ubi peculiariter Dei populum & sanctos, nominatim quoque seipsos ad laudẽ adhortantur eius, qui sua benignitate in eis mirabilia operatus erat. Hoc aũt Canticum etsi in Hebræo non inueniatur apud Danielem, sicut nec historia Susannæ, & Belis, Draconisq; Ecclesia tamen Christiana tam apud Græcos, quàm apud Latinos, ex Theodotionis translatione hæc publicè in templis cantanda & legenda suscepit, neq; tamẽ apud Græcos, neque apud Latinos eadem omnino forma decantatur qua apud Danielẽ descriptum legitur. Nã omissis aliquot uersibus in principio, apud utrosque incipitur ab eo uersu: Benedicite omnia opera, &c. deinde apud Latinos quidem pars illa: Laudate & superexaltate eum in sæcula: quæ apud Danielem toties repetitur, quoties uerbum, benedicite, in principio tantũ & in fine canitur, duobus semper uersibus in unum coniunctis, & in fine additum est: benedicamus patrem & filium, &c. Apud Græcos uerò iis creaturis, quæ in duobus uersibus ad laudem Dei inuitantur, in unum uersum coniunctis sub uerbo benedicite, semel posito, tum deinde additur semper: laudate & superexaltate eum in sæcula & in fine additur: Benedicite Apostoli, Prophetæ, & Martyres domini domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicamus patrem, &c. Et nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen. Laudemus, benedicamus, adoremus Dominum, laudantes & superexaltantes eum in sæcula.

CANTICI ISAIAE ARGVMENTVM.

CAnticum quod legitur Isaiæ 12. capite, ut ex superiori cap. 11. in quo de Christo aperta est prophetia cõstat, ad Christi tempora pertinet. In hoc itaque propheta primũ sub persona totius Ecclesiæ Christi, gratias agit de salute per Christum in plenitudine temporis allata, & ira Dei ab humano genere ablata: ac deinde sub sua persona prophetat spiritualium abũdantiam charismatum tempore gratiæ futuram, mutuamq; fidelium, ad prædicandam per uniuersum orbem Dei benignitatem, exhortationem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi, *conuersus est furor tuus, et consolatus es me.*

GRatias tibi agam Domine, téque collaudabo semper, quoniam cũ iam multis sæculis ob peccata mea iratus fueris mihi, ita vt me tua gratia & cœlesti tua mansione non sis dignatus, *iam tandẽ auersa est à nobis indignatio tua, & per exhibitam nobis benignitatem tuam, ac promissiones euangelij tui dulcissimas, cõsolatus es me populum fidelem, qui prius ob iram tuam diuturnam mœrebam assiduè.

2 *Ecce Deus saluator meus, *fiducialiter agam, & non timebo.*

2 Ecce Deus, qui hactenus se mihi exhibuit iratum & seuerum iudicẽ, nunc factus est saluator meus: *quare posthac de benignitate Dei nobis ostensa optimè & firmiter confisus, securus degam, nec amplius timebo, vt hactenus, credens Deo nobis propitio nihil nociuum accidere posse, nullum quantumuis potentem nociturum.

3 *Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, * & factus est mihi in salutem:*

3 Non autem de meis præsumens viribus & meritis securus cõsistam, timore depósito, sed ob id q ipse Dominus Deus sit robur meum, quo adiuuante, facilè omnia mala, cunctáq; impiorum machinamenta superabo, sicut iam superaui ex parte: atque ob id semper illum canã & laudabo, *eo quòd factus sit saluator meus.

VOX PROPHETÆ.

4 *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*

4 In illo gratiæ & saluationis tempore abundanter vos quotquot eritis fideles, haurietis aquas sapientiæ salutaris, & gratiæ atque consolationis cœlestis, ídque de fontibus saluatoris nostri Iesu, nunc quidem adhuc obstructis, sed illo tempore aperiendis, atque indesinenter profluxuris, de cœlesti scilicet nouáque Euangelij ipsius doctrina, déque plenitudine spiritus & charismatis ipsius, qui cùm non ad mensurã accipiet spiritum, ita de sua plenitudine omnes perfundet semper fideles vt tamẽ plenitudini ipsius nihil decedat, quemadmodũ fontium aqua quantumuis hauseris, nunquam tamen ob continuam scaturiginem

& dicetis in illa die: Cõfitemini Domino, & inuocate nomen eius.

deficit, nec diminuitur.* Proinde illius iucundissimis aquis refecti & satiati dicetis in illa die, vos inuicem exhortando: Collaudate Dominum pro acceptis ab eo beneficiis maximis, & simul cum gratiarum actione etiam inuocate nomen ipsius, qui & maiora adhuc paratus est dare bona.

*5 Notas facite in populis adinuentiones eius, *mementote quoniã excelsum est nomen eius.*

5 Et quoniam salus hæc non Iudæis tantum, sed omnibus etiam gentibus allata est, vt ab omnibus agnoscatur, facite vestra prædicatione in omnibus populis notas Dei cogitationes, cõsilia, & opera quę designauit pro genere humano: *atq; in memoriam apud vos & alios reuocate, quòd excelsum sit super omnia nomen eius, vt reiectis omnibus idolis hunc solum omnes colant & adorent.

6 Cantate Domino quoniã magnificè fecit, annunciate hoc in uniuersa terra.

6 Cantate in honorem Domini, quoniã magnificè fecit nobiscũ, dum per suiipsius mortẽ nos ab æterna morte mirabiliter liberauit: *deprædicate hoc per vniuersam terram.

*7 Exulta & lauda habitatio Sion: *quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

7 Exulta in Domino, & lauda eum Ecclesia sancta, quæ habitas in cœlesti nouáq; Sion: quoniam sanctificator Israelis magnum se & potentem atque mirabilem declarat intra te, ob cuius potentiam meritò & gaudere, & secura degere debes.

ANNOTATIO.

ET INVOCATE, &c.] Inuocare nomẽ Domini, quamuis hoc loco accipi possit, vt ferè ab oĩbus accipitur, pro eo quod est implorare Dei auxilium: res tamen magis postulat, vt significet Dei nomen prædicare, & vocibus celebrare apud homines, nã & hoc Hebræa dictio significat, vt dictum est in Psalmum 115. Id enim conuenit ei qđ præcedit: Confitemini Domino: & ei quod sequitur: Notas facite in populis adinuentiones eius.

Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua.

ARGVMENTVM CANTICI EZECHIAE REGIS.

CAnticum, quod Isaiæ 38. inscribitur regi Ezechiæ, carmen est gratiarum actionis. quod pro recepta à Deo sanitate & uitæ prolongatione Deo rex cecinit, quem admodum patet ex titulo, qui sic habet: Scriptura Ezechiæ regis Iudæ, cùm ægrotasset, & conualuisset de infirmitate sua. Itaque in hoc carmine primùm quidem rememorat mentis suæ amaritudinem & tristitiam, in qua erat cùm premeret languor, & per Isaiam audisset nuntiũ instantis mortis in ætate adhuc florenti, nempe 39 annorum, morbiq; sui grauitatem mirè exaggerat: tum deinde Dei erga se misericordiam prædicat ob quã se omnibus uitæ suæ diebus Deum celebraturum profitetur. Quoniam aũt corporalis infirmitas, umbra quædam est spiritualis infirmitatis, quam ex peccato contrahit anima, rectissimè secundum allegoricum sensum carmen istud accommodatur ei, qui cum priùs animæ suæ infirmitatem, æternæq; mortis, quam horrebat, interitum deplangebat, iam se Dei gratia sanatũ, & ab æternæ mortis damnatione liberatum gaudet, perpetuam gratiarum actionem pollicens.

PARAPHARSIS EIVSDEM.

1 Ego dixi, In dimidio dierum meorum uadã ad portas inferi.

CVm me premeret lãguor assiduè, & iam per prophetã mihi imminere mortẽ didicissem, dixi apud me, & cogitaui in corde meo: Ecce miser ego in medio cursu vitæ meæ, in dimidio cõmunis vitæ, & ætate adhuc florente descendam ad infernum.

*2 Quæstui residuum annorum meorum, *dixi: Non uidebo Dominum Deum in terra uiuentium.*

2 Desideraui residuum annorum meorum, existimans omnino me illis priuandum, & vltrà me victurum desperans.* Proinde mecũ cogitaui, dicens: Non videbo posthac arcam Domini Dei in hoc mundo inter viuentes homines.

*3 Non aspiciam hominem ultra, *& habitatorẽ quietis.*

3 Non aspiciam vltrà viuentem in hoc mundo hominem, *neq; videbo amplius populum Domini post percussum Sennacherib, in pace & quiete fœliciter habitantem.

4 † Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me quasi tabernaculum pastorum.

4 Eheu quemadmodum tabernaculum pastorum fixum nõ habet locum, sed de vno loco in alium continuo trãsfertur, tũmq; quo commodius portetur, in vnum conuoluitur: ita & tempus vitæ meæ, quo in hoc mundo & tabernaculo corporis mei peregrinor, à me iam subito abrumpetur, & quasi in vnum conuoluetur, dũ vlterius non extendetur, †Quódq; magis animũ meum angit, progenies mea à me ablata est, & ad modum tabernaculi conuoluta, eo qp cogar sine relicto superstite regni hinc decedere, ita vt in me regia stirps Dauidis sit finiẽda, nec longius scipsam extensura videatur. Quod si fiat, quomodo implebuntur Dauidi factæ promissiones de semine eius imperpetuum regnaturo super domum Iacob, deque Messia ex semine eius regio nascituro?

*5 Præcisa est uelut à texente uita mea, * dum adhuc ordirer, succidit me.*

5 Nunc subitò in medio suo cursu vita mea per infirmitatem hanc abscindetur, ne longius procurrat: quemadmodum subinde tela staminis à textore, cùm voluerit, subito abrumpitur, & præciditur: *dum adhuc putarem

** de mane usque ad uesperam finies me.*

putarem ascendere & crescere ad perfectiorem ætatem & fœlicitatem, immo dum adhuc vix putarem me incepisse viuere, ecce quasi in ipso lucis & vitæ exordio subito Dominus iam me succidet, *nec aliqua mihi quies í hac ęgritudine dabatur, sed à mane vsque ad vesperã tota die perpetuo me cruciatu enecabas, videbarisque finem mihi impositurus.

*6 Sperabam usque ad mane, * quasi leo sic contriuit omnia ossa mea.*

6 Vespertino tempore adueniente, spem meam in matutinum protendi tempus, sperans per noctem à te releuamen venturum, ac temporum mutatione putans mutandum cruciatum: * sed neque per noctem mitius mecum est actum quàm per diem, assiduè enim per diem pariter & noctem morbus contriuit & depastus est, non solum carnem, sed & ossa mea ac interiora quoque, non aliter quàm leo crudelissimè pecus aliquod discerpit.

7 De manu usque ad uesperam finies me sicut pullus hyrundinis sic clamabo,

7 Itaque rursum à matutino tempore vsquè ad vesperam me confi ciebas, videbarisque finem vitæ impositurus propter morbi grauitatem & continuitatem, cum sæuiendi nullus esset nec finis, nec modus; ego ad te Dominum meum totus conuersus instar pulli hyrundinis mussitãtis, & garrientis verius quàm cantantis clamabam ad te, aut potius mussitabam, incomposita cum magno gemitu apud me in silentio edendo verba.* & quomodo gemebunda columba submissas in tristitia emittit voces, ita & ego ex amaritudine animi mei apud me ingemiscẽs, commẽtabar & ĩcodita quędam verba, vel susurrium potius immurmurãbã.

** meditabor ut columba.*

8 Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum.

8 Et adeo quidem in te intentus eram, vt debilitatæ fuerint oculorum meorum acies, dum assiduè suspicerent ad te Deum in cœlum, vnde mihi venturam expectabam opem. Cùm enim manibus pedibusque te inquirere non liceret, morbo scilicet hæc corporis membra a suis officiis impediente, his quibus licebat modis te inuocabam, lingua scilicet & oculis, & dicebam.

*9 Domine vim patior me, responde pro me, *quid dicam, aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit?*

9 Domine violentiam magnam ab hoc sæuo morbo patior magis, quã ferre vires meæ possint, quare tu quæso pro me loquere, & age: meque tuo patrocinio suscipe liberandum à rabie seuientis huius morbi: * Verùm quid ago, quid dicam Domino, aut quid ab ipso mihi expectabo responsi, cùm ipse mihi fecerit omne quod patior? Quorsum enim illi hanc meam propono querimoniam, & patronum mihi futurum spero eum, qui in hoc negotio aduersarij partes contra me suscepit, omnium horum mihi author malorum?

10 Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

10 In memoriam reuocabam coram te cum summa amaritudine animi omnes annos præteritos vitæ meæ, expendens mecum quam essent illi pauci: quantisque miseriis & vanitatibus pleni.

*11 Domine sic uiuitur, & in talibus uita spiritus mei, * corripies me & uiuificabis me: * ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

11 Sane iam securitati redditus, ex his quæ passus sũ didici Domine talem esse conditionem vitæ humanæ, atque in talibus vitam spiritus mei consistere, vt scilicet nihil sit habile in ea, sed perpetuis sit mutationibus obnoxia, & fœlicitati infœlicitas succedat, & contrà * Corripuisti enim me, sed rursum viuificasti me. Sed etsi quãdo in posterum me corripueris, mox postea viuificabis, recreabis, atque restitues me.* Ecce enim cùm iam fugato Assyrio, pax populo meo concessa esset, putarém que me in pace & fœlicitate victurum, accessit mihi subitò amarissima morbi mortisque instantis amaritudo.

*12 Tu autem eruisti animam meam, vt non periret: * proiecisti post tergum tuũ omnia peccata mea.*

12 At mox tu Domine liberasti animam meam à morte, * omniáque peccata mea, quibus & morbum & mortem commerueram, quasi post tergum proiecisti, dum ea ad vindicandum iustè amplius aduertere noluisti.

*13 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: * non expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam.*

13 Quod quidem vel ob id maximè fecisti, vt viuens apud viuentes tuam in me exhibitam prædicarem benignitatem, non enim qui in inferno & morte detinentur, celebrare nomen tuum apud viuentes possunt neque mortui laudabunt te, sicut nec inuocabunt.* non enim expectabunt tuam in præstandis promissis veritatem hi, qui iam in lacum inferni & mortis descenderunt, vt qui iam subtracti sint à gratia tua, quam exhibes in hoc mundo viuentibus.

*14 Viuens, viuens, ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. * pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

14 Sed is qui adhuc viuit, qui, inquam, viuit, ipse laudabit te, sicut & ego hodie facio, totóque vitæ meæ tempore facturus sum: * parentes dum viuunt, secundum tuum præceptum annuntiabunt filiis suis tuam in verbis omnibus & factis fidem & æquitatem.

*15 Domine saluum me fac * & Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.*

15 Proinde, Domine, vt cœpisti & promisisti, saluum me fac, * & Psalmos nostros decantabimus in domo tua cunctis diebus vitæ nostræ.

ANNOTATIONES.

a QVAESIVI RESIDVVM, &c.] Non videtur verbũ, quæsiui, hic exponendum pro eo quod est, optaui, & à Deo petiui. Hic enim sensus neq; cõtextui bene conuenit (vult eñ hic textꝰ describere voces desperatiõis quas infirmus ædebat) neq; dictioni Hebraicæ, quæ hic ab Hebræis exponitur pro carere vel priuari, vt sit sẽsus. Priuatꝰ fui. Proinde, quæsiui, hic accipiendũ videtur, quomodo ali

do aliquoties vtimur verbo desiderare: vt cum dicimus sex milia in bello desiderata esse, pro eo q̃ est tot milia defuisse, vt hic sit sensus: videbam me priuandum residio annorum meorum: quem sensum & Hieronymus visus est significare voluisse, cum in commentariis sic dicat: Quæsiui residuum, &c. putans me vltra non victurum.

b HABITATOREM, &c. Pro, quietis, dictio Hebraica etiã verti potest, & melius, orbis vel sæculi.

c GENERATIO, &c.] Pro, generatio, dictio Hebraica significat vel incolatum, vel progeniem, magis autem conuenit vt intelligatur incolatus, & peregrinatio vitæ humanæ super terram, comparari tabernaculo pastorum. Sicut enim pastores in tabernaculis viuunt tanquam peregrini: ita & in corpore isto, quod Paulus tabernaculum vocat, hic peregrinamur. Neque inconueniens fuerit apud nos, generationẽ, accipere pro ætate & tempore vitæ hominis. Vtriusque tamen acceptionis sensum paraphrasis explicat.

d SIC CLAMABO.] Non est apud Hębræos, clamabo, propriè, sed mussitare & garrire, & pro meditabor, dictio Hebræa significat frequenter aliquẽ de re aliqua anxiè sollicitum, incógdita verba apud sese immurmurare & susurrare. Vnde patet conuenientia cõparationis cum hirundine & columba.

e SPONDE, &c.] Quamuis ad sensum non multum referat, siue legatur sponde, siue responde: tamen potius legendum esse, sponde, Hebræa dictio requirit, quæ nullo modo respondere significat, sed spondere & fideiubere. Neque enim hoc loco Hebræis idem est verbum quod postea: Quid respondebit mihi. Post quæ verba legendum, non, cum ipse fecerim, vt quidam libri habent. sed, vt habẽt correctiores, per tertiam personam, cum ipse fecerit. Id enim apertè patet ex originalibus. Porro in sequenti versu, vbi nos ferè legimus: Recogitabo tibi: pronomẽ tibi, non est in multis libris, sicut nec in Hebræo, nec apud Hieronymum, qui etiam pro, recogitabo, habet in commentariis, reputabo.

DOMINE, &c.] Ita ferè legitur hic versus cum coniunctione, si, Vnde quidã per interrogationem legũt, vt sit sensus: Domine an sic viuitur? & an in talibus vita spiritus mei: hoc est, num talis est cõditio vitæ humanę, vt adhuc sit vox in infirmitate sua conquerentis? Alii sine interrogatione legunt, intelligentes orationem absolui ibi: corripies me, vt sit sensus: si talis est conditio vitæ humanæ, corripias, sed iterum viuifica me. At notandum quosdam libros nõ habere coniunctionem, si, quam D. Hieronymum nõ vertisse, sicut nec est in Hebræo, omnino apparet ex eius cõmentario, qui non bene consistit, si addatur, vt ferè in impressis libris additur, optimè autẽ consistit, si omittatur. Dicit enim regẽ iam securum, nec patiẽtem quæ refert philosopharí de humano statu. Et verba illa futura, corripies & viuificabis, exponit per præterita, vt non sit per quod absolueretur pendens sentẽtia, si sic viuitur. f

ECCE,] &c. Duplex potest esse huius partis sensus. Alter: In media pace & tranquillitate reddita populo & ciuitati meæ, profligato Assyrio, passus sum amarissima, & limina mortis intraui. Sic diuus Hieronymus, cui sensui bene cõuenit, quod per aduersatiuam particulam subiungitur. Tu autẽ eruisti animam meam. Alter sensus est: Ecce tristitia illa quam passus sum, est in pace, cõuersa iam in gaudium. Cui sensui magis conueniret, vt in sequenti versu verteretur: Tu enim eruisti: sicut verterunt Septuaginta. Nam Hebræa vtroque modo verti possunt cum habeant: Et tu eruisti.

NON. &c.] In sensu literali oportet istud nõ simpliciter intelligere, cũ sancti in lacu inferni existẽtes expectarint veritatem exhibendam in aduentu Messiæ, sed de veritate illa Dei, qua viuentibus in hoc mundo temporalia præstat beneficia. h

ARGVMENTVM CANTICI ANNÆ MATRIS.

Liberata diuino beneficio à sterilitatis opprobrio Anna sancti Samuelis mater canticum hoc gratulatorium Deo cecinit, ut scribitur 1. Regum 2. capite, in quo primùm quidem de data sibi à Deo post longam sterilitatem fœcunditate gloriatur, Deo soli opus hoc asscribens: tum occasione mutationis admirandæ in se factæ, generatim canit Dei sua omnipotentia omnia pro suo arbitrio cõmutare: ac postremũ prophetico spiritu vaticinatur de aquitate iustitiæ & nouissimi iudicij Dei, regnig; Christi super omnes sublimandi. Est autem canticũ istud multùm simile cantico Deiparæ virginis, sicut etiã simili occasione vtrumque decantatum est ab vtraque. Itemq; huic sanctæ mulieri accidisse licet aduertere quod Elizabeth matri Baptistæ Ioannis. Sicut enim Elizabeth post conceptum futuri prophetæ, prophetissa effecta: ista & ipsa, cuius hoc est præsens carmen. Iam dubium non est, quin sicut, Paulo attestante, in Agar & Sara uxoribus Abrahæ typus fuerit Synagogæ Iudaicæ, & Christianæ ecclesiæ: ita quoque in duobus uxoribus Elcana, Anna scilicet & huius æmula Phenenna. Proinde rectè secundùm allegoricum sensum accipitur istud canticum esse gratulatio ecclesiæ gentium, à sterilitatis opprobrio, & insultatione synagogæ ueteris iam liberatæ. Præter res enim circa Annam & Phenennam gestas etiam nominũ etymologia typo conuenit, Anna enim gratiam, Phenenna autem margaritam significat rubei coloris, cui præfertur spõsa Christi in Threnis, cùm dicuntur Nazarei eius rubicundiores antiquo ebore: Vbi pro ebore antiquo, ponitur פנינו Paninnõ, hoc est, margaritis rubeis, his forsitan, qui rubini dicuntur uulgo.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Exultauit cor meũ in domino, * & exaltatum est cornus meum in Deo meo.*

2 *Dilatatum est os meũ super inimicos meos, * quia lætata sum in salutari tuo.*

3 *Non est sanctus ut est Dominus, neque enim est alius extra te.*

COr meum exultauit, non quidẽ in meipso, sed in Domino, qui secũdum misericordiam suam fecit mihi magna, * nam per Deum meũ gloria mea prius obscura & humilis iam instar cornu exaltata est.

2 Os meum per confusionem prius clausum iam latè apertũ est, vt magna cum libertate & audacter loqui possim contra inimicos meos mihi prius insultantes, & sterilitatem exprobantes. * Lætata enim sum de salute quam mihi attulisti, optata me donans prole, qua me liberasti ab insultantium opprobrio.

3 Iam ipsa experientia edocta meritò fateri debeo, non esse quenquam tam sanctũ, quàm est Dominus in omnibus verbis & factis suis: quo

* *& non est fortis sicut Deus noster.*

quoniam neque sanctus quisquam verè dicendus est præter te solum Domine: * nec est aliquis qui in fortitudine cõparari possit cũ Deo nostro. Ipse enim & sanctitatem suam maximam, & fortitudinem, potentiámque summam in me egregiè declarauit, dum secundum promissionem suam inuocantibus se factam, me exaudiuit, & supra naturæ virtutem me prole donauit.

4 *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.*

4 Itaque qui hactenus de his quæ à Deo accepistis superbè gloriati estis cum contemptu aliorum, desinite posthac loqui superba cum inani gloriatione.

5 *Recedant vetera de ore vestro, * quia Deus scientiarum Dominus est: † & ipsi præparantur cogitationes.*

5 Cessent ab ore vestro quæ hactenus superbè iactastis. Ipse enim dominus, est Deus scientiarum, hoc est, Deus omnia cognoscens: * adeo vt & etiam cogitationes hominum sint paratæ & aperte cognitæ. † Ipse præterea solus est cuius omnes cogitationes præparantur & dirigũtur: non enim in hominis potestate est, vt quæ apud se cogitauit præparet, dirigat, & adimpleat: sed solus Dominus est, qui quicquid cogitat præparare potest & perficere. Proinde Domini aduertentes tum scientiam, tum omnipotentiam, cessate à solita vestra superba gloriatione. a

6 *Arcus fortium superatus est, * & infirmi accincti sunt robore.*

6 Ipsius enim tanta est omnipotentia, vt ipso volente omnia pro arbitrio eius contra hominum expectationem commutentur. Per ipsum enim frequenter factum est, vt qui arcubus, aliísque armis bellicis fortes fuerunt, & insuperabiles videbantur, superati sint: * & contrà, vt qui impotentes reputabantur, & erant, fortitudine accincti sint, fortes à Deo facti ad gerenda fœliciter grauissima bella.

7 *Repleti prius, pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt.*

7 Simili commutatione aliquoties hi qui prius diuites erant omnibusque bonis abundantes, ad tantam deuenerunt egestatem, vt pro simplici cibo, necessarioque alimento seipsos & suam operam locare coacti sint: * & contrà qui inopia & fame laborabant prius, diuino beneficio omnium rerum abundantiam consecuti sunt.

8 *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.*

8 Et adeo non cessat vnquam Dominus huiusmodi commutationibus suam declarare potentiam, vt etiam aliquando videre liceat, quemadmodum in me patet, eam quæ prius sterilis erat postea quamplurimos parere filios: * & contrà eam quæ multos habebat filios ita elanguescere, vt & ante tempus parere desinat, & quos habuit filios, ante tempus amittat. b

9 *Dominus mortificat, & viuificat, * deducit ad inferos & reducit.*

9 Dominus enim quos vult morti tradit, & quos vult à morte, quam vel inciderunt, vel incidere proximi erant, liberat: * ipse & in mortem deducit, & ex ea reducit, perfectam scilicet potestatem habens mortis & vitæ. Reducit autem è morte, & iam morti proximos vitæ restituendo & iam mortuos resuscitando, quemadmodum in nouissimo die in mortuis omnibus declaraturus est.

10 *Dominus pauperem facit & ditat, * humiliat & subleuat.*

10 Dominus est, qui & paupertatem dat & diuitias: * quique quos vult exaltat. c

11 *Suscitat de puluere egenum, * & de stercore eleuat pauperem.*

11 Proinde nonnunquam pauperem, adeo deiectum, vt in puluere de cumberet & volutaretur, è terra erigit, * & è vilissimis paupertatis sordibus eleuat pauperem.

12 *Vt sedeat cum principibus, * & solium gloriæ teneat.*

12 Adeo vt sedere eum faciat cum principibus terræ, * & gloriosum solium regni obtineat. Nec mirum cuiquam videri debet quòd tam admirandis commutationibus cuncta pro suo beneplacito agat dominus.

13 *Domini enim sunt cardines terræ, * & posuit super eos orbem.*

13 Ipsius enim sunt omnes præcipuæ partes terræ, oriens, occidens, meridies, atque septentrio: * & super has terræ partes, tanquam fundamenta quædam, constituit totum reliquum orbem ac proinde in sua potestate habet omnia pro libito suo in hoc mũdo dispẽsare & cõmutare.

14 *Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent:*

14 Quod si autem præter illius omnipotentiam, etiam iustitiam eiusdem & sanctitatem intelligere quis velit, ecce Dominus sanctos seruos suos ita in omnibus viis ipsorum semper seruat, seruabitque, vt non sit permissurus eos errare, cadere, impingere, & impiorum laqueis irretiri, saltem in finem: impij verò, peracto hoc vitæ cursu, tandem in tenebris inferni deiecti ibidem quiescere & silere cogentur, ità vt nulla iam ratione se iuuare possint: qui in hoc mundo omnia clamoribus & potẽtia

* *quia nõ in fortitudine sua roborabitur vir.*

sua permiscebant. * Non enim impius quisquam homo, qui hic interim in viribus suis confidit, & per eas hic prævalet innocentibus & pauperibus, quicquam poterit sua fortitudine ad prævalendum Deo. d

15 *Dominum formidabunt aduersarij eius. * super ipsos in cœlis tonabit.*

15 Quin potius omnes aduersarij Dei in nouissimo die illum adeo formidabunt, vt nihil audeant vel possint contra illum aut hiscere, aut agere: * Ipse enim super illos è cœlis horribile tonitru emittet, cùm ad iudicandum aduenies terribilis tubæ sonitum præmittet, & deinde, inhorrifici tonitrui, sententiam æternæ damnationis contra eos seuerè de tonabit.

16 *Dominus iudicabit fi-*

16 Dominus enim in nouissimo die iudicabit quotquot in omnibus

nes terræ, & dabit imperium regi suo, sublimabit cornu Christi sui.*

bus terræ habitant terminis, quod tamen non per seipsum facturus est, sed per Messiam filium suum, cui ante extremi iudicij diem tradet imperium vniuersi orbis: * & exaltabit super omnem creaturam gloriam victi sui, constituens eum in cœlis in dextera sua.

ANNOTATIONES.

a IPSI, &c.] Huius orationis indicat paraphrasis duplicem intelligẽtiam. Potest enim intelligi vel de hominum cogitationibus, vel de ipsius Dei cogitationibus. Si autẽ primo modo accipiatur, sensus est: cogitationes hominum coram illo esse præparatas, hoc est, nudas & apertas. Secundum quem sensum possent Hebræa rectius sic verti: ipsi ponderatæ vel numeratę sunt cogitationes. Idem enim hic significabitur quod eodem verbo significatur Prouerb. 16, dum dicitur: Spirituum pŏderator est Dominus, & 21, Appendit autem corda Dominus. Quibus locis idẽ apud Hebræos ponitur verbum quod hoc loco. Quod si secundo modo accipiatur, verbum, præparari, pro dirigi accipiendum erit, nam & verbum Hebraicum dirigere significat, erit que idem huius loci sensus, qui Isaiæ 40. cùm dicitur: Quis adiuuit spiritum Domini? vel vt alii vertunt, quis direxit? Ponitur enim & ibi idẽ verbum quod hoc loco. Notandum autem Hebræa etiam negatiuè posse intelligi hoc modo: & non ponderantur vel numerantur cogitationes vel studia, & opera, vt sit sensus: nemo est qui satis expendere & percipere possit operum Dei modum & rationes, qui sensus sequentibus etiam optimè conuenit.

b DONEC, &c.] Obscuritatẽ hoc loco facit dictio, donec, non potest ergo hoc loco propriè accipi, sed tantum vt designet consequutionem effectus, qui ex voluntate Dei in mutationibus rerum pro illius arbitrio factis consequitur. Septuaginta verterunt: Quoniam sterilis. Hebræa autẽ possent & hoc modo verti: Adhuc sterilis, id est, quæ multo tempore fuit sterilis, &c.

c DOMINVS, &c.] Sicut Dñs viuificat, non solùm dum à morte corporali reuocat ad vitam, sed etiam cùm à grauissimis periculis mortis liberat: ita mortificat quoq;, cùm in huiusmodi pericula incidere sinit, mortificat quoq; cùm sterilem facit, nã & Paulus vocat infœcundam vuluam Saræ emortuam. In mystico autem sensu, mortificat & ad inferos deducit, dum gratiam suam, quæ vita animæ nostræ est, propter peccata subtrahit, & æternæ damnationi obnoxios facit: Viuificat autem, dum per spiritum suum gratiam suam pœnitentibus rursum infundit.

DOMINI, &c.] Quidã per cardines intelligunt duos mũdi polos, arcticum scilicet & antarcticum, circa quos totus cœlorum orbis voluitur, sicut circa cardines ianua. Verũ hi poli, etsi possunt vocari cardines cœli, de quibus dicitur apud Iob: circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat: non rectè tamen possunt vocari cardines terræ, nec super eos rectè dicetur positus orbis. Proinde rectius intelligemus quatuor terræ præcipuas partes, sicut & eædem in cœlo considerate possunt apud Iob intelligi cardines cœli. Intelligunt autem Hebræi dictionem Hebraicam non propriè significare cardines, sed fundamenta vel bases. d *Iob. 2.*

IMPII, &c.] Quod dicitur, conticescent, quidã intelligunt eos cessaturos in inferno à laude Dei. Quæ interpretatio etsi vera & pia, nõ tamen exprimit scripturæ sensum: Ponitur enim hic dictio Hebraica, quam in sequenti cantico Moysi Hierony. vertit: fiant immobiles. Significatur autem hac dictione impios cohibendos & compescendos, ita vt quasi immobiles lapides nihil contra Deũ, sanctósque eius agere possint: sed nec dicere quicquã qđ cuiquam obsit, aut molestum sit, vt eorum verba & blasphemiæ sint quasi non essent.

ARGVMENTVM CANTICI FILIORVM ISRAEL.

EDucto per medium maris rubri Israelitico populo, Aegyptiisque in eodem mari submersis, editum à se hoc præsens carmen Moyses cum filijs Israel, ac seorsim Maria prophetissa cum mulieribus Domino cecinerunt, ut scribitur Exodi 15. cap. In quo primùm quidem Moyses præmissa ad canendum Deo adhortatione & exultatione in Deo, decantat admirabilem illam populi Israelitici liberationem, & ex aduerso persequentium Aegyptiorum interitum: deinde verò tunc adhuc futuram in terram promissionis introductionem partim orat, partim prophetat, idq; nunc per uerba futuri temporis, nũc per uerba præteriti temporis, sic de futuris adhuc loquens prophetico more, quasi iam præterita forent. Cum autem, & eductio Israelis de Aegypto per mare rubrum, figura fuerit, teste Paulo, liberationis nostræ de potestate diaboli per sanguinẽ ac baptisma Christi: & introductio eiusdem populi in terram promissam, typus fuerit eius quem expectamus in regionẽ cœlestem introitus, oportet secundum allegoricum sensum canticum hoc accipere, ut uocem Ecclesiæ Christianæ, sic deliberatione obtenta per sanguinem Christi, & extensionem & manuum eius in cruce, gloriantis in Deo, ut & promissam cœlestis regni hæreditatem assequi confidenter tum sibi promittet, tum oret. Sunt enim & in hoc cantico quæ perfectè & uerè non nisi Ecclesiæ Christianæ conueniunt, ut quæ dicuntur de habitaculo Dei firmissimo, & monte hæreditatis eius.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Cantemus domino, glorioſè enim magnificatus eſt, *equum & aſcenſorem deiecit in mare.*

CAntemus in honorem domini. Nam per ea quæ pro nobis admirãda deſignauit, magnitudo & ſplendor potentiæ eius admodum declarata eſt. *Equos enim hoſtium noſtrorum cum aſcenſoribus eorum demerſit in mare.

2 *Fortitudo mea, & laus mea dominus, * & factus eſt mihi in ſalutem.*

2 Meritò ergo exclamare debeo, dominum eſſe robur meum, cuius ſolius virtute perſequẽtiũ me hoſtiũ euaſi manus, propter quod ipſe mihi futurus eſt ſemper laudis materia, *eo q; factus ſit mihi ſaluator.

3 *Iſte Deus meus, & glorificabo eũ* Deus patris mei & exaltabo eum.*

3 Iſte eſt Deus meus, cui vni ſeruire volo, quare & quibus poſſim modis ſtudebo illum glorificare, laudibus gloriam eius celebrando, prædicatione eam aliis manifeſtando, ac honore, reuerẽtiáque debita ipſam proſequẽdo. *Neq; verò hic Deus meus, recẽs eſt Deus à me iã primũ electus, ſed & Deus eſt patrũ meorum, Abraham, Iſaac, & Iacob, itaque hymnis

hymnis ac prædicatione extollam eum quantum potero.

4 *Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.*

4 Dominus ſe mihi exhibuit quaſi virum bellatorem, adeo vt hoſtes mei Dominum pro me pugnantem ſentirent, dicentes: Fugiamus Iſraelem. Dominus enim pugnat pro eis. Quod ſi nomen eius requiras, ecce nomen illi peculiare, quo ab aliis omnibus ſecernitur, eſt omnipotens. * Suam autem omnipotentiam etiam hac in re nunc declarauit, quòd currus Pharaonis, & vniuerſum exercitum eius deiecit in mare.

5 *Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari rubro, abyſſi operuerunt eos: * deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

5 Electi principes eius: ſubmerſi ſunt ab eo in mari rubro, abyſſi aquarum operuerunt eos abſque mora & reſiſtentia aliqua, * ſubito demerſi ſunt in profundum maris, inſtar lapidis, qui aquis iniectus ſubitò ſuo pondere ſubſidit in profundum.

6 *Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua percuſſit inimicum: * & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos.*

6 Omnipotentia tua, Domine, declarata eſt eſſe valde magna per potentem hanc operationem tuam: potentia enim tua Domine proſtrauit hoſtem tuum & noſtrum Pharaonem, * & per ſummam gloriam atque excellentiam potentiæ tuæ, deieciſti aduerſarios nõ tam noſtros quàm tuos.

7 *Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam, * et in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.*

7 Miſiſti è cœlis vltionem tuam, quæ ſubito & abſque vlla difficultate penitus eos conſumpſit ſicut ſicca ſtipula citò deuoratur, & in nihilum redigitur à flamma vorante. * Prius ſiquidem per oſtenſionem indignationis tuæ, qua aduerſus illorum indignaberis ſuperbiam, perque ventum fortiſſimum ab indignatione tua contra illos concepta excitatum, aquæ maris diuiſæ in duas partes collectæ erant ex vtraque parte in cumulos, relinquentes naturalem ſuæ fluxibilitatis conditionem, vt fieret per eas populo tuo iter.

8 *Stetit unda fluens,* congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.*

8 Vnda natura ſua fluida per imperium tuum contra ſuam naturam ſtabat, * conglomeratæ erant hinc & inde aquarum profunditates maximæ in medio maris.

9 *Dixit inimicus, Perſequar & comprehendam diuidam ſpolia, implebitur anima mea.*

9 Itaque inimicus aquarum videns diuiſionem, & per eas populum tuum illæſum tranſire, dixit: Perſequar eos & comprehendam, diuidam ſpolia, ſicque ſaturabitur deſiderium noſtrum, tum in Iſraelis punitione, tum in ſpoliorum diuiſione.

10 *Euaginabo gladium meum * interficiet eos manus mea.*

10 Comprehenſis autem eis non parcam, ſed euaginabo gladium meum, * cóque manus mea interficiet eos. Verùm tu Domine ſuperbam illorum temeritatem & præſumptionem mox facilique negotio ſtultam declaraſti.

11 *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare:* ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.*

11 Tantum enim ventum à te excitatum flare feciſti, & ecce aquis rurſum redeuntibus in vnum, operuit eos omnes mare: * atque inſtar plumbi ſubitò & quaſi in momento demerſi ſunt in aquis illis nimis horrendè tumultuantibus.

12 *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? * magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

12 Hanc tuæ fortitudinis declarationem dum aduerto Domine, non poſſum non exclamare: Quis inter eos qui fortes exiſtimantur, ſiue in diis, ſiue in hominibus, ſimilis eſt tibi Domine? quis inquam, ſimilis tibi? * qui ita vt tu, ſit in ſanctitate glorioſus, terribilis ſimul & laudabilis ob admiranda quæ facis? Nemo ſanè omnino eſt, qui vel ſanctitatem tuam æquare poſſit, vel potentiam, per quam & impiis terribilis, & iuſtis es laudabilis. a

13 *Extendiſti manum tuã. et deuorauit eos terra:* dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti.*

13 Tu enim velut extendens manum tuam ad percutiendum hoſtes tuos paraſti potentiam tuam in vltionem illorum, & mox in vltione tua abſorbuit illos mare, tanquam ſi viuentes ſubitò abſorpti fuiſſent à terra * inſuper & per columnam nubis & ignis, pérque angelum tuum, ducem te præbuiſti populo tuo, quem redemiſti ex Ægypto.

14 *Et portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.*

14 Atque ex his quæ cum populo tuo hactenus egiſti, dubium nullatenus eſt quin eundem per tuam fortitudinem non ſolùm deduces, ſed & inſtar matris baiulantis dilectum tenerúmq; ſilium in vlnis ſuis, quodammodo portabis ad terram eis promiſſam, quam in habitaculum tuũ ſanctum tibi delegiſti, portabis, inquam, quia ſolicita cura eo illum trãſferes, neceſſaria omnia abundè ſuppeditans, omniáque aduerſa depellens, neque ipſius, ſed tua fortitudine & cura in eã terram introducens.

15 *Aſcenderunt populi, & irati ſunt,* dolores obtinuerunt habitatores Philiſtiim,*

15 Audientes populi quæ pro tuo populo deſignaſti, & facere præparas, exurgent, præparantes ſe in prælium contra illum, & in ſeipſis indignatione nimia contra nos commouebuntur, * dolores ex metu occupabunt habitatores terræ Philiſtinorum.

16 *Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, * obrigueruntomnes habitatores Chanaan.*

16 Tunc partim ira, partim timore conturbabuntur in ſeipſis principes Idumæorum, robuſtos Moabitarum apprehendet tremor, * omneſque habitatores terræ Chanaan nimio terrore obrigeſcent, viribus omnibus ſuis ad repugnandum deſtituti.

17 *Irruat ſuper eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.*

17 Quod ſanè vt in ipſis efficias ſecundum ſpem iam nobis datam te Domine precamur. Per magnitudinem potentiæ tuæ fac in eos irruere formidinem & pauorem,

18 *Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus domine:* donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.*

18 Sint instar lapidis immobiles,vt resistere nobis non valeant,donec ad terram promissam pertranseat populus tuus Domine:* donec, inquam,pertranseat populus tuus iste,quem in tuum peculium ex omnibus gentibus tam singularibus prodigiis tibi acquisiuisti.

19 *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo,quod operatus es domine.*

19 Ipsos autem per medium hostium suorum sine læsione pertranseuntes introduc, introductosque firmiter habitare, altasque radices mittere fac in mõtosa illa terra,quam velut in hæreditatem tuam delegisti,& in habitationem tuam firmissimam,à te iam olim ad hoc paratã, vt in ipsa in medio populi tui habitares.

20 *Sanctuarium tuum domine, quod firmauerunt manus tuæ,* Dominus regnabit in æternum & vltra.*

20 Dico autem sanctuarium illud tuum Domine, quod ita sibi stabiliuit omnipotentia tua,vt non sis illud amissurus, nec sit hostili incursu deiiciendum:* Quæ dum considero, meritò exclamare libet:Dominus noster, etiam omnibus inuitis,semper regnabit vsque in consummationem sæculi, & vltra eam sine fine. Regnaturum autem eum sine fine, suaque potentia nos introducturum in promissam expectatamque terram,ex his satis constat,quæ iam pro nobis patrauit facinoribus. b

21 *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare,* & reduxit super eos Dominus aquas maris.*

21 Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus suis in mare rubrum diuisum: & mox reduxit super eos aquas maris. c

22 *Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.*

22 Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio ipsius maris. Qua in re duplex offertur admirandum miraculum, dum per id quod perdere solet homines,Israelitæ saluati sunt, & per vnũ idémque Israelitæ saluati, Aegyptij verò perditi sunt.

ANNOTATIONES.

a MAGNIFICVS, &c.] Potest hæc pars sub vna interrogatione coniungi cũ eo eo quod præcedit:Quis similis tui: quemadmodũ indicat paraphrasis.Potest & separatim accipi,vt post illam interrogationẽ, quis similis tui?subiiciatur,magnificus in sanctitate,& subaudiatur,Tu solus es.Omittẽda est autẽ cõiũctio &,ante participiũ faciẽs,quę ficut nõ est in Hebræo,ita nec in plerisque nostris.

b DOMINVS,&c.] Quod hic vertit interpres,vltrà, alibi vertere solet,in sæculũ sæculi: vt cùm psalmo 9.similiter vt hic dicitur:dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi,vbi eædem ponũtur dictiones.Et pro eo quidẽ quod vertitur,in æternum dictio Hebręa propriè significat,in sæculum, quo significatur duratio præsentis sæculi. Pro eo quod vertitur,in sæculum sæculi,dictio Hebraica æterni c tatem significare dicitur.

INGRESSVS,&c.] Hebræa habẽt:equus Pharaonis. Et antiqui quidã nostri codices etiam habent, equus Pharao,vt omnino sit verisimile hãc esse verã lectionẽ,quam aliquis deprauauit,putans absurdam esse eam lectionem,quod non intellexerit nomen,Pharao,esse genitiui casus.cum autem singularis numerus est positus pro plurali,aut equus collectiue positus est pro equitatu. Legẽdum autem, equus,non eques,etiam illud probat,quod D.Hieronymus verterit:cum curribus & equitibus eius, cũ alioqui vertendũ erat pronomẽ reciprocũ, suis.

Oratio Abacub pro ignorantijs.

ARGVMENTVM CANTICI ABACVB.

CAnticum Abacub Prophetæ,præter alia,hoc maximè obscurum facit,quod quæ in eo recẽsentur promiscuè per uerba futuri & præteriti temporis describuntur,vt dubium sit,præterita ne an futura retexat. Verũ dum pleraq; manifestè nimis de præteritis operibus à Deo olim pro salute populi sui præstitis Prophetam loqui ad literã declarant,magis consentaneum,ut,sicut familiare est linguæ Hebrææ,omnia futura,quæ à uersu quarto usq; ad uersum 24.occurrunt,accipiantur pro præteritis:quãquam & ideo quis rectè dixerit promiscuè in illis uersibus posita uerba futura & præterita,quod sic narret præterita,ut sub eis & futura uaticinari uelit,quæ uel pro liberatione Israelitici populi de captiuitate Babylonica, uel pro liberatione humani generis de potestate diaboli erant peragenda.Prophetæ enim postquã primo suæ prophetiæ capite,futuram Iudæorum per Chaldæos deuastationem prophetasset,atq; ob eam diuinæ iustitiæ rationẽ admiratus fuisset,quod uideret iustiorem populum à peiore opprimendũ: & deinde secundo capite intellexisset suo aliquando tẽpore Dei populum ab impiorum oppressione liberandum,impios autem Chaldæos perdendos,tandem hoc suo cantico primum orat Deũ, vt post irrogatam populo suo ultionem peccatis debitam,solitam promissamq; misericordiam exhibeat:cuius misericordiæ ut certiorem fidem faciat,recensetpriscamiracula Dei,quæ pro Israelis salute olim in mari rubro,in monte Sinai,in tertia promissionis,sub ducibus Mose,Iosue,& Iudicibus populi designauit.Deinde post prædictam terræ Iudaicæ desolationem,etiam subsequuturam reductionem Israelis ad terrã suam uaticinatur.Cùm autem & quæ in populo Israelitico ante tẽpora Abacub facta sunt,dum is & ex Aegypto educeretur,& in promissam terram induceretur,& habitaret,& similiter liberatio è captiuitate Babylonica:omnia,inquam,hæc,figura non fuerint eorum quæ pro nostra salute per Christum patrãda erant oportet in his omnibus se cundum tropologicum sensum intelligere propheta & prophetare. & orare futurã per Christum in prodigiis multis humani generis redemptionem,post diutinam illius sub potestate diaboli captiuitatem. Quemadmodũ & illud de promissione aduentus Christi,ad redimendum nos maximè intelligendũ esse ex Paulo constat,quod secundo capite dicitur:Scribe uisum,& explana eum super tabulas,ut percurrat qui legerit eum.Quia adhuc uisus procul, & apparebit in finem,& non mentietur:si moram fecerit,expecta illum,quia ueniens ueniet,& non tardabit. Ecce qui incredulus est,non erit recta anima eius in semetipso,iustus autem in fide sua uiuet.Quod autẽ titulus habet:Oratio Abacub pro ignorantijs: significat prophetã pro peccatis per errorem commissis à se & populo suo hanc ad Deum fudisse orationem. Hab. 2.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Domine audiui auditionem tuam,*

*& *timui.*

O Domine Deus,audiui auribus mẽtis quæ tu me audire fecisti,per reuelationem spiritus tui intelligens in quàm crudelem & diutinam captiuitatem abiturus sit populus tuus,quasq; deinde pœnas hostibus ipsius præparasti:*& hæc à te audiens,nimio timore perterritus sum

sum,aduertens iustitiæ tuæ tum in tuos, tum in impios scueritatem & æquitatem.

2 *Domine opus tuum in medio annorum, viuifica illud.*

2 Verùm cùm sciam aduersus tuum decretum nihil nos conari posse & peccatis nostris ita demerentibus in captiuitatem nos abituros, illud saltem oro,vt priusquam in totum dispereat populus tuus,in medio annorum desolationis opus illud tuum solitum,& mihi iam reuelatum resuscites,ac reipsa præstes.

3 *In medio annorum notum facies,* cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

3 In medio,inquam, captiuitatis nostræ & desolationis tempore, tu a quæso opus tuum apud te decretum,omnibus per adimpletionem notum fac:* cumque pro iustitiæ tuæ necessitate vltus fueris peccata nostra,rursum tamen, antequàm omnes pereamus, declara te misericordiæ tuæ non esse oblitum. Hoc est enim opus tuum,quo cum tuis agere soles,vt post vindictam, consolationem adiicias. Hoc est quod & nunc secundum reuelationem mihi factam decreuisti nobiscum facere.

4 *Deus ab austro veniet,*

4 Quomodo enim soleat Deus pro suis agere,antiqua potentiæ & benignitatis ipsius declarant miracula.Olim enim Dominus ad patres nostros,venit in monte Sinai à monte Seis,qui & Theman dicitur,quòd sit b

* *& sanctus de monte Pharan.*

in australi parte Iudeæ:* & ipse,qui solus verè sanctus est,venit de mon c te Pharan,dignatus familiariter loqui cum patribus nostris, legemque à se scriptam eis tradere,& ducem se facere eorum.

5 *Operuit cœlos gloria eius * & laudis eius plena est terra.*

5 Hic autem de quo loquor Deus,tantus est,vt gloria eius & magnificentia cœlos obtegat & adimpleat:neque in cœlis solum diffusa est vbique gloria eius,sed & in vniuersa terra vbique laudis eius materia offertur maxima,ita vt laudem eius nec cœlestia,nec terrestria,explicare valeant sufficienter.

6 *Splendor eius vt lux erit,*

6 Cùm autem patribus nostris se manifestare inciperet in monte Sinai claritas Domini splenduit instar lucis solaris: apparuit enim in igne cum magna gloria Dominus, * & radij splendoris instar cornuum ab d

* *& cornua in manibus eius.*

ipso procedẽtes tunc erant quasi in manibus eius.Accepit enim huiusmodi radiantem splendorem quasi è manu Domini Moyses,cum Deo colloquens,tumque splendores diuinæ bonitatis & potentiæ ipsius illucescere cœperũt per miraculosa opera, veluti manus fortitudinis ipsi9.

7 *Ibi abscondita est fortitudo eius,* ante faciem eius ibit mors.*

7 Illo tempore & loco habuerũt patres nostri apud se in columna nubis & igne absconditam fortitudinem Dei qua & tunc & postea tam admiranda in eis designauit. * Cùm autem iam cum eis progredi per desertum ad promissam terram pergeret, ante ipsum veluti satelles eius precedebat mors:quæ sicut in Ægypto omnia primogenita,ita & in promissa terra,& in via omnes populi sui hostes absumeret.

8 *Et egredietur diabolus ante pedes eius, * stetit,& mensus est terram.*

8 Egrediebatur angelus malus ante ipsum ad perdendum hostes eius: * Post longam deinde cum populo suo per desertum peregrinationem stetit cũ eis in promissa terra,ibique partim per Moysẽ,partim per Iosue mẽsus est terrã in funiculo distributionis,vt diuideretur tribubus Israel.

9 *Aspexit,& dissoluit gentes:* & contriti sunt montes sæculi.*

9 Vidit multarum gentium terram inhabitantium opera pessima, & propter ea confregit illarum gentium multitudinem,vt resistere populo suo non potuerint:* & ab eo prorsus disperditi sunt reges,populique fortissimi & vetusti,qui terram illam diu inhabitauerunt, erantque velut montes æterni.

10 *Incuruati sunt colles mundi:* & ab itineribus æternitatis eius.*

10 Gigantes & reges, qui propter suam fortitudinem & superbiam erant in hoc mundo veluti colles quidam,humiliati sunt & deiecti:* idque propterea,quod ipse qui solus æternus est,sua æternitate longè superans antiquitatem illarum gentium,dignatus sit aduenire in salutem populi sui.

11 *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ,* turbabuntur pelles terræ Madiã.*

11 Vidi, & ex scripturis intellexi quid olim fereris propter iniquitatem in tentoriis regis Chusan,quod interpretatur Æthiopia,quomodo scilicet propter peccata Israelitici populi tradideris eum in potestatem *Iud.3.* regis Chusan,& rursus tamen propter iniquam illius oppressionem tentoria illius dissipaueris, liberato Israele: * simili modo vel turbatos Madianitas,in tabernaculis factis ex pellibus & cortinis habitantes, cũ per Gedeonem superatis & perditis Madianitarum castris, populum tuum liberares.

12 *Nunquid in fluminibus iratus es Domine:aut in fluminibus furor tuus,vel in mari indignatio tua?*

12 Nonne tu domine olim pro salute populi tui etiam in fluminibus veluti iratum te declarasti,& in mari indignatio tua apparuit dum Iordanem fluuium,& prius mare rubrum pro transitu Israelis secuisti,& in crepare visus es quòd populo tuo transitum non permitterent?

13 *Qui ascẽdes super equos tuos,* & quadrigæ tuæ salvatio.*

13 Tu enim pro eis tunc pugnaturus veluti ascendebas super equos tuos,* & per quadrigas tuas salutem illis afferebas, quoniam super nubes vectus per fortissimos & velocissimos angelos, hostes populi tui deiecisti,tum in mari rubro,tum citra & vltra Iordanem fluuium.

14 *Suscitans suscitabis*

14 Potentiam tuam, qua in hostes eorum diram vltionem veluti sagittas

arcum tuum, * *iuramenta tribubus quæ locutus es.*

15 Fluuios scindes terræ, viderunt te, & doluerunt montes, * *gurges aquarum transiit.*

16 Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas leuauit.

17 Sol & luna steterunt in habitaculo suo. * *in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

18 In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.

19 Egressus es in salutem populi tui, * *in salutem cum Christo tuo.*

20 Percussisti caput de domo impij, * *denudasti fundamentum eius vsque ad collum.*

21. Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, * *venientibus vt turbo ad dispergendum me.*

22 Exultatio eorum sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.

23 Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

24 Audiui, & conturbatus est uenter meus: *à uoce cõtremuerunt labia mea.*

25 Ingrediatur putredo in ossibus meis, * *& subter me scateat.*

26 Vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrũ.

27 Ficus enim non florebit, * *& nõ erit germẽ in uineis.*

28 Mentietur opus oliuæ: *& arua non afferent cibũ:*

29 Abscindetur de ouili pecus, * *& non erit armentum in præsepibus.*

30 Ego aũt in Domino gaudebo, * *& exultabo in Deo Iesu meo.*

31 Deus Dominus fortitudo mea, * *& ponet pedes meos quasi ceruorum.*

32 Et super excelsa mea deducet me victori in psalmis canentem.

gittas ex arcu eiaculabaris, tum pro eis exeruisti, & quasi exuscitasti:* iuramenta, quæ prius locutus eras tribubus Israel adimpleuisti.

15 Secasti fluuios terræ, vt per eos transirent tui: itaque experiebantur tuam potentiam reges & potentes huius sæculi, & dolore timoréq; correpti sunt:* sed & aquarum gurgites quasi præsentiam tuam sentientes & metuentes recesserunt, sese retrahendo & rumpendo.

16 In qua aquarum fuga ipsa vndarum profunditas horrende însonuit, eo quod altitudo potentiæ diuinæ veluti manus suas eleuauerat ad præcipiendum aquis, & percutiendum eas.

17 Deinde pugnante Iosue cum regibus Chanan, sol & luna immobiles steterunt in mansione sua cœlesti,* cumque sagittis tuis & fulminibus hostes tuorum prosterneres, ipsi per eorũdem fulminum lucem ac splendorem fulgurantis hastæ tuæ illæsi ibant ad persequendum hostes suos, ita vt mirabili tua dispensatione tui populi commoditatibus ea inseruirent, quæ hostibus eorum nocebant.

18 Per vltionem tuam quasi fremitum iræ tuæ conculcabas terram.* & per vindictam tuam stupidas fecisti gentes illas, vt populo tuo resistendi non haberent potestatem.

19 Egressus olim ad saluandum populum tuum.* ad saluandum, inquam, egressus es cum Moyse, quem spiritu tuo sancto vnxisti, vt esset dux & propheta populi tui.

20 De domo & regno impiorum percussisti caput, dum impium Pharaonem, ne amplius Ægyptiis præesset, perdidisti:* denudasti fundamentum domus ab imo vsque ad collum, dum impium populum simul cum suo principe subuertisti.

21 Maledixisti sceptris eius, tyrannicum eius in populum tuum imperium auferés ab eo, maledixisti duci militum ipsius:* omnibusque qui cum eo venerunt sæuissimo tumultu instar turbinis ad perdẽdum nos.

22 Qui ita gloriabantur contra nos, quemadmodum is qui pauperem in abscondito, nemine sciente vel prohibente, deuorat. Ita enim & ipsi nos viribus infirmiores quasi à te derelictos, & te ignorante sibi promittebant deuoraturos.

23 Verum tu quo tuum populum saluares, mari rubro diuiso, equis g tuis, quibus pugnaturus vehebaris, viam fecisti in mari, atque in luto aquarum multarum.

24 Hæc quidem mirabilia opera te fecisse frequenter pro salute populi tui contra hostes tuos audiui, atq; ad eundem modũ te reuelante etiã rursum te facturum intellexi, futurámq; tam dirã calamitatem hostiũ nostrorũ, vt ob eam à me præuisam præ horrore conturbata sint in me omnia interiora mea:* & propter vocem tuam, quã auribus métis percepi, etiã labia mea contremuerunt, vt ad loquendum inepta sint facta.

25 At parum est vt nunc ad tempus horrore venturorum malorum graiter commouear, ita vt veluti putredo ingrediatur in ossa sua,* & ebulliat atque erumpat sub me, hoc est, vt horror omnia mea interiora depascatur, & erumpat in exteriora.

26 Modo id mihi aliquando detur, vt quiescam in tempore venturæ super impios, qui nos opprimunt, tribulationis:* & tũc ascendere possim è Babylone ad populum nostrum sortem & bellicosum, & cum eo rursum obtinere terram promissionis.

27 Futura est enim tanta terræ hostium nostrorũ desolatio, vt ficus non floreat,* & non sit germen in vineis.

28 Fructus oliuæ frustrabitur expectationem quę est de illo,* & agri nõ producent cibum.

29 Auferentur de ouili greges ouium,* & non erit armentum in præsepibus.

30 Ego autem inimicis nostris in summa miseria & desolatione existẽtibus gaudebo in Domino, qui iustam de eis sumpsit vltionẽ, & nos ereptos ab eorum violentia, liberos abire dedit,* & exultabo in Deo saluatore meo.

31 Deus enim Dominus meus ipse est robur meum,* ipse velut ceruorum pedibus mihi datis velociter me redire faciet. h

32 Super excelsa & montosa loca nostra me rursum deducet, ita vt canam in psalmis victori & triumphanti Domino laudes, & gratiarũ actiones, à quibus in captiuitate constitutus abstinui.

ANNOTATIONES.

IN MEDIO ANNORVM, &c.]Pro his verbis Septuaginta verterunt: In medio duorum animalium cognosceris. Quod in ecclesia vsitatum est. Huius versionis tam distinctæ ratio est, quod dictio Hebraica, quæ annos significat, etiam significat duo: & pro verbo, viuifica, Septuaginta lege

legerunt nomen eiusdem radicis, quod animalia significat. Loquitur autem de annis captiuitatis, quibus currẽtibus, orat vt Deus populi sui, & consueti sui operis non obliuiscatur: sed etiam illis, adhuc durãtibus misericordiã suã ostendere incipiat.

4.re.25. Quod intelligi potest Deum tum fecisse, cũ anno trigesimoseptimo transmigrationis Ioachim è carcere subleuatus est ab Euilmorodach rege babylonis. Tunc enim Deus declarauit se non penitus voluisse abiicere populum suum & semen regium.

b DEVSAB, &c.]Vt istud rectè intelligatur, notandum prophetam alludere ad illud quod Deuteronomij 33. dicit Moyses: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharã, & cum eo sanctorum milia. Seir enim & Pharan montes sunt vicini monti Sinai, siti ad austrũ: vnde Dominus visus est venire ad Israelitas, quum dare legẽ. Porro pro eo quod nos habemus, Austro Hebræis est תימן Theman, nomen etiam montis, qui alibi dicitur Seir, significat autem Austrũ, vnde D. Hieronymus, vertit, Austro, quasi esset nomẽ appellatiuũ, Septuaginta tamẽ verterũt, Thaman.

c OPERVIT, &c.]Potest hic versus sic coniungi cum superiori versu, vt sit sensus: Cùm Deus ab Austro veniret de monte Pharan in montem Sinai, tunc operuit cœlos gloria eius, & terra repleta fuit laudabili splendore eius. Vel potest seorsum accipi iuxta sensum quem indicat paraphrasis.

d CORNVA, &c.]Vt simplex & genuinus huius loci intellectus habeatur, notãdũ Hebræa habere, cornua à manu eius, neque enim est pluraliter, manibus, neque est, in, nisi apud Septuaginta, quos hic imitatus est Diuus Hieronymus, Itaque simpliciter ad literã significare videtur, in datione legis factum esse de potentia Dei, vt facies Moysis videretur propter radios splendoris cornuta, vt scribitur Exodi trigesimoquarto.

e PROINIQVITATE, &c.]Pro, Æthiophiæ est nomen כושן Chusam. Notatur enim historia, quæ scribitur iudicum tertio, de Chusam rege Mesopotamiæ, in cuius manus propter peccata Israelé primò tradidit Deus. Quia tamen nomen כוש Chus, significat Aethiopiam, ideo Diuus Hieronymus vertit, tentoria Aethiopiæ, secutus Septuaginta, qui habent σκηνώματα Αἰθιόπων, idque eo lubentius, quod huiusmodi versio magis conueniret sensui mystico, quem ipse diligenter prosequitur. Iud. 3.

IVRAMENTA, &c.]Aut subaudiendũ est aliquid in hunc vel similem modum, iuramenta impleuisti tribubus, aut repetẽdum verbum, suscitabis, vt sit sensus, suscitasti, hoc est, præstitisti & impleuisti iuramenta tua. f

AVDIVI, &c.]Postquàm varia Dei facta cõmemorauit, quæ pro salute populi sui in impiis hostibus eius mirabiliter designauit, in sequentibus significare voluit similia Deũ operaturum in Chaldæis, de quibus grauem per Medos & Persas vltionem erat sumpturus, populo suo interim è captiuitate dimisso: quam vltionem & liberationem quoconfidentius expectaret populus Dei, ideo commemorauit in præcedentibus antiqua Dei opera, pro salute Israelitici populi perpetrata. Quod enim illis verbis, ficus nõ florebit, &c. desolationem Babylonis, non autem captiuitatem & miseriam populi significare voluerit, satis patet ex aduersatiua, qua in persona populi Dei dicitur: Ego autẽ exultabo in domino, &c. nec obstat quod propheta dicat ventrem suum conturbatum, propter ea quæ Deo reuelante d'dicit ventura, quasi ob id de miseria sui populi in sequentibus loquatur, & non de miseria Chaldæorum. Nã & Isaias cap. 21. cùm videret Babylonis desolationẽ, Propterea, inquit, repleti sunt lumbi mei dolore, & angustia possedit me sicut angustia parturientis. Corrui cùm audirem, cõturbatus sum cùm viderem, &c. Quibus verbis significatur tantam fore malorũ venturorum magnitudinem, vt ipse qui narrat horrore superatus, etiã inimici populi mala plangere affectu humano cogatur. Sic & hoc loco rectè intelligitur, Prophetã præhorrore malorum quæ euentura erant Babijloniis conturbatum, & grauiter commotum. Quæ commotio etiam significatur in versu sequente: Ingrediatur putredo in ossibus meis, &c. qui magis sic erat vertendus: Ingressa est putredo in ossibus meis & apud me expaui. Mirũ enim vnde Diuus Hieronymus posuerit verbum, scateat, cùm Hebræis sit verbum primæ personæ, idemque sit verbũ quod mox vertit, conturbatus est venter meus. g

IN DEO, &c.]Pro nomine, Iesu, non est Hebræis hic nomen proprium, sed apellatiuum, significãs salutem: vnde vertendum erat, in Deo salute mea: vel potius, in Deo salutis meæ, hoc est, qui author est salutis meæ. Verùm quoniam Septuaginta verterunt σωτῆρι μου, hoc est, saluatore meo, D. Hieronymus eos imitatus, pro suo erga Christũ amore vertit nomen saluatoris Iesus, quod tamẽ in sensu literali appellatiuè debet accipi pro saluatore. h

VICTORI, &c.]Legendum esse, victori, ficque D. Hieronymum vertisse patet tum ex eo quod hoc loco cum litera lamed eadem ponitur dictio, quã D. Hieronymus in titulo Psalmorum semper vertit, victori, tum ex eius commentario in hũc locum: habet enim sic. Canam autẽ victoriam eius, & triũphum eius, et tropheum erucis.

ARGVMENTVM CANTICI MOYSIS, QVOD HABETVR Deuteronomij 32.

MOrti proximus Moyses, præuidens ex Dei reuelatione futuram post mortem suam Israelis à vero Deo defectionem & mala ob eam à Deo illis inferenda, ex eiusdem præcepto canticum, quod habetur Deuteron. 32. cõscripsit, & docuit filios Israel, vt esset illis futuris temporibus in testimonium propriæ iniquitatis & iustitiæ diuinæ. In hoc itaque primũ cœlis & terra in testes aduocatis, ac Dei perfectione commendata, statim ad increpationem peruersæ generationis cõuertitur, in memoriam illi renocans singularia & varia Dei beneficia illi exhibita: post quæ tamen delitijs dissoluti filij Israel, derelicto deo suo, ad alienos, falsosque deos defecerunt. Propter quod Deo eis irato, suaque protectione ipsos destituẽte, variis malis traditos esse canit, promittens tamen etiam subsequuturam Dei erga ipsos misericordiam, & de hostibus eorũ sumẽdam vindictam, vbi calamitatibus suis admoniti ad deum conuersi fuerint. Canuntur autem hic pleraque per præteritũ quasi eo tempore, quo canticum hoc scribebatur, adhuc futura erant. Nam cum dominus canticum istud vellet Israelitis esse pro testimonio quod illis responderet, postquam propter peccata inuenissent eos mala multa & afflictiones, necesse erat ea quæ futura erant, quasi iam peracta essent, describere. Aptè autem Diuus Paulus ex hoc cãtico ad Romanos decimo capite citat: Ego ad æmulationem vos adducam in gentem, in gẽtẽ insipientem, in iram vos mittam: pro quo hic legimus Ego prouocabo eos, &c. Quanquam enim istud in Iudeis frequenter, & ante Christi aduentum adimpletum sit, cùm propter idolatriæ crimen coacti sunt seruire & subesse diuersis gentibus, maximè tamen in eis tunc impletum est, quando propter incredulitatem eorum gentes apud Deum prælatæ sunt, cuius ipsi prius soli reputabantur populus. In eiusdem quoque

epistolæ capite 15. illud ex hoc cantico secundum translationem Septuaginta citat: Lætamini gentes cum plebe eius: pro quo nos legimus: Laudate gentes populum eius, nimirum quod in verbis illis cantici quibus in fine promittitur ad literam liberatio populi Dei à violentia hostium suorum, intelligeret in mystico sensu promiti liberationem futuram per Christum gentibus cum Israelitico populo communem.

PARAPHRASIS EIVSDEM.

1 *Audite cœli quæ loquor * audiat terra verba oris mei.*

AVdite cœli quæ loquor.*sed & tu terra audi verba oris mei, vt vos qui creaturæ estis incorruptibiles & stabiles, sitis mihi imperpetuũ testes huius contestationis meæ, & testes tales, qui de non parentibus contestationi vindictam requiratis & sumatis.

2 *Concrescat in pluuiam doctrina mea, * fluat vt ros eloquium meum.*

2 Opto autem vt doctrina mea, quam modo loquar, nõ sit similis nubibus, quæ præ leuitate à ventis per inanes auras dispergũtur, ita vt nullum hinc fructum arida terra accipiat, sed vt instar pluuiæ ex cõcretione tenuis nubis coalescentis, ac tum suo pondere in terram descendentis, etiam ipsa quasi concrescat, vt scilicet suo pondere in audictiũ decidat corda,*atque vt ros suauiter diffluit è cœlo in terram, eámque humectando fœcundat: ita & sermonem meum opto dulciter ex ore meo in audientium diaboli pectora, atque in eis fructificare.

3 *Quasi imber super herbã, & quasi stillæ super gramina, * quia nomen Domini invocabo.*

3 Sicut imber super teneram herbam decidens, ac stillæ pluuiales super gramina, vigere, virere, & crescere ea faciũt: ita & verba mea cupio in mentibus vestris humorem bonum demittere, ac incrementum boni affectus dare.*Et merito certè tam fructuosum cupio esse sermonẽ meum. Non enim de leuibus rebus dicturus sum, sed nomen Domini inclamabo, & prædicabo eiusdemque iustitiam, perfectionem & bonitatem celebrare, & cultum eius constituere studebo.

4 *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sũt opera. * & omnes viæ eius iudicia.*

4 Quare ante omnia id vos hortor Israelitæ, vt deferatis honorem Deo nostro, soli vero Deo, eique omnem excellentiam & magnitudinẽ asscribatis. Ipsius enim Dei nostri opera omnia perfecta sunt & integra, ita vt in eis nihil reprehendi possit & culpari.*omnes enim actiones eius iustissimæ sunt.

5 *Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus, * peccauerunt ei non filij eius in sordibus.*

5 Deus fidelis est, & ab omni liber iniustitia, iustissimus est & rectus in omnibus verbis & factis suis,*& tamen in talem ac tantum Dominũ peccauerunt ij, qui cùm prius vocarentur filij Dei, facti sunt per sordes peccatorum suorum, & immunda idola qui coluerunt, non filij Dei.

6 *Generatio praua atque peruersa, * hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens?*

6 O generatio praua atque peruersa,*hæc ne mala pro variis ab eo Domino acceptis beneficiis rependis ei populo stulte & insipiens? An non aliam à te retributionem merentur illius innumera in te collata munera? Stultum sanè te voco populum, vt qui optimo Deo derelicto, tam stulta sequaris, & tam malè tibi consulas: Generationem autem praua, eo quod hereditaria quadam, & quasi naturali impietate Deo semper obmurmurans, & ingratus fuisti.

7 *Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te? * & fecit, & creauit te?*

7 An non ipse est pater tuus qui te in variis prodigiis liberatum ex Ægypto, sibi in peculium, ex omnibus gentibus acquisiuit?*quique, quod maius est, etiam fecit & creauit, cùm non esses? Fecit autem & creauit, non solum quia vitam dedit, sed etiam quia cùm non reputareris gens & populus fecit te in gẽtem magnam, & gentem quæ singulari ratione illius diceretur populus vt ob id etiam peculiariter tuus sit pater, cum alioquí ratione creationis omnium sit pater.

8 *Momento dierum antiquorum, * cogita generationes singulas.*

8 Quod si non aduertis quomodo ipse sit singulariter pater tuus, & quę sint eius varia in te collata beneficia, in memoriam reuocaiam olim præcedentia tempora,*tecúmque reuolue quę in singulis generationibus præcedentibus pro te fecit Deus.

9 *Interroga patrem tuũ & annuntiabit tibi, * maiores tuos, & dicent tibi.*

9 Interroga patres tuos, et annunciabunt tibi:*seniores tuos interroga, et dicent tibi.

10 *Quando diuidebat altissimus gentes * quando separabat filios Adam.*

10 Ecce enim quando per confusionem linguarum in ædificatione turris Babylonicæ altissimus Dominus diuidebat gentes per vniuersã terram,* et separabat ab inuicem filios Adam:

11 *Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel.*

11 Etiam tunc Israelitis prospexit de cõuẽienti regione, et loco quẽ inhabitarẽt, cum adhuc Israelitarum nomen non esset, Constituit enim tum multis populis, septem scilicet gentibus, terminos locorum tales, qui sufficere postea possent filiis Israel, qua in re multis nominibus gratuitã Israelitarum dilectionem apertè monstrauit. Primum quidem quod eis pararet, non vt aliis populis, incultas et non inhabitatas regiones, sed quæ aliorum opera cultæ essent: et munitissimis plenæ ciuitatibus: Deinde quod quas regiones prius multis assignauit gentibus, vni populo ac genti præparauerit.

12 *Pars autem Domini populus eius, * iacob funiculus hæreditatis eius.*

12 Quamuis enim tum in varias gentes diuiderenter filij Adæ, tamen ex omnibus tã variis gentibus Dominus sibi populum suum Israeliticũ delegit, veluti in partem hereditariam, †filios Iacob, veluti in hæreditatem funiculo mensuratam, & ab aliena hæreditate diuisam.

13 Ita

13 Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.

13 Itaque hunc populum sibi ab initio in sua prædestinatione præaliis electum inuenit in terra deserta, in loco horroris pleno. & vasta soli tudine. Cùm enim hic populus in Aegypto existens vnus cum Aegyptiis populus, vni parens principi, reputaretur, nec ab eis satis distingueretur, Dominus ipsum iam ex Aegypto liberatum, & segregatum ab aliis gentibus, quem iamdudum quæreb at quodammodo inuenit, dũ pacto cũ populo ĩ mõte Sinai inito dominus, Deus & rex ipsius effectus est idqùe eo in loco, in quo non nisi ipsius singulari cura deduci, viuereque potuisset.

*14 Circumduxit eum, & docuit, * custodiuit quasi pupillam oculi sui.*

14 Hic autem circunduxit eum, in columna nubis & ignis, præcedẽs, & viam commonstrans qua gradiendum ei esset: neque id solum, sed & lege à se tradita docuit qua ratione benè beatéque illi viuendum foret: *insuper & ab omnibus hostibus, & noxiis quibusque custodiuit atque protexit. idqúe tanquam rem charissimam summa cum diligentia & solicitudine, ad eum modum quo in corpore humano oculi pupilla naturali solicitudine custoditur diligentissimè.

15 Sicut aquila prouocãs ad volandum pullos suos, & super eos volitans.

15 Sicut aquila, cúm migrandum fuerit, iterum atque iterum volitando super pullos suos, prouocat eos ad volandum è nido, expanditque alas suas vt in his excipiat è nido exurgentes pullos, & super alas eos deferens, ad locum quem voluerit transportat.

*16 Expandit alas suas, et assumpsit eum, * atque portauit in humeris suis.*

16 Ita & Dominus per varia signa in Aegypto edita Israelẽ ad exeundum prouocauit, iámque exire parantem velut in expansis suis alis assumpsit,*atque portauit, dùm, & ne fatigaretur in itinere, aut æstu læderetur, eum sustentaret, columnáque nubis protegeret. & ne à quibusuis læderetur hostibus, diligentissimè per angelos suos præmuniret, atque ad locum commodiorem tanta diligentia & cura veluti portauit, vt solet homo portare paruulum filium suum.

*17 Dominus solus dux eius fuit, * & non erat cum eo Deus alienus.*

17 Dominus solus dux eius fuit in deserto illo,*& non erat cum eo alius aliquis Deus, qui simul cum eo ducatum populo præstaret, sicut re vera præter hunc nullus est alius Deus, etsi sint qui dicantur, & colantur à gentibus pro diis.

*18 Constituit eum super excelsam terram, * vt comederet fructus agrorum.*

18 Tandem autem etiam ipsum cõstituit super excelsam & montosam terram ipsi repromissam:*vt in ea habitãs comederet fructus fertilium agrorum.

*19 Et sugeret mel de petra, * oleumque de saxo durissimo.*

19 Et sugeret mellis dulcedinem, cuius ibi tanta est copia, vt etiam in petris sponte apes mellificent, * vtque & oleum acciperet de saxis durissimis, inter quæ oliuæ maximè fructificare solent.

*20 Butyrum de armento, & lac de ouibus, * cum adipe agnorum & arietum, filiorum Basan.*

20 Butyrum quoque ederet de gregibus vaccarum, & lac de ouibus, *pinguissimos quoque agnos & arietes enutritos in optimis & pinguissimis pascuis regionis Basan.

*21 Et hircos cum medulla tritici, * & sanguinem vuæ biberet meracissimum.*

21 Hircos quoque, & delicatissimam ac pinguissimam tritici farinam: *Insuper & vinum ex vua expressum, ac sanguinis referens colorem biberet, idque purissimum ac fortissimum.

22 Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.

22 Hic autem populus tantoperè à Deo dilectus cùm terræ ipsius fertilitate impinguatus esset, instar equi optimo pabulo bene pasti recalcitrauit, rebellisque fuit suo Domino: cùm, inquam, impinguatus esset, incrassatus, & per pinguedinem & crassitudinem dilatatus, hoc est, cum iam optimè à Deo nutritus esset, & omnibus bonis abundè donatus.

23 Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo,

23 Ecce tum (quæ summa est ingratitudo) dereliquit eum, qui & creator ipsius fuerat & saluator.

*24 Prouocauerunt eum in diis alienis, * & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.*

24 Neque dereliquit solùm, sed deficiẽtes ad deos alienos falsósque per horum venerationem ad æmulationem & iram ipsum prouocauerunt:*& per abominanda tum idola quæ coluerunt, tum sacrificia quæ obtulerunt, ad iracundiam & vltionem ipsum concitauerunt.

*25 Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, * diis quos ignorabant.*

25 Sacrificauerunt enim dæmoniis, neglecto vero Deo, * iis, inquam diis, quos non erant edocti, nec à patribus suis acceperant, neque eorũ potentiam erant experti, sicut frequenter fortitudinem Dei sui.

*26 Noui recentésque venerunt, * quos non coluerunt patres eorum.*

26 Sed dij quos coluerunt, nuper dij esse cœperunt, *quos prius nec coluerunt patres eorum.

*27 Deum qui te genuit dereliquisti: * & oblitus es domini creatoris tui.*

27 Ita ingrata simul & impia gens Deum, qui te genuit, dereliquisti.* & oblitus es Domini creatoris tui.

*28 Vidit dominus, & ad iracundiam concitatus est, * quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ.*

28 Aduertit hęc Dominus, & ad irã concitatus est, *eo quòd etiã hi, quos habebat tanquã filios & filias, prouocauerunt eum ad vindictam.

29 Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum.

29 Proinde apud se decreuit, dicens: Quandoquidem me dereliquerunt, & ego derelinquam eos, & fauoris mei declarationem subtraham eis: sicque velut à longè contemplabor, quid ipsis mea protectione singulari destitutis tandem in nouissimo euenturum sit.

30 Generatio enim peruersa est, et infideles filij.

30 Generatio enim peruersa est, & filij mendaces, initum mecum pactum turpiter nimis rumpentes.

31 Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus: et irritauerunt in vanitatibus suis.*

31 Ipsi me prouocauerunt ad zelum per cultum eius qui non erat Deus:*& irritauerunt per vanos,falsósque deos,quos venerati sunt.

*32 Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, * et in gente stulta irritabo illos.*

32 Itaque & ego simili ratione vlciscar me de ipsis, nam ad æmulationem & iram commouebo eos per populum vilissimum, nullius apud eos existentem reputationis:*& per gentem stultam, in gloriam. atque contemptam ad iracundiam concitari eos faciam, nimirum quia huiusmodi genti eos subiiciam, & seruire cogam,quam tanquam vilissimam & stultam prius contempserant,atque huiusmodi gentem eis cum cruciante zelo præponam.

*33 Ignis succēsus in furore meo, *re ardebit vsque ad inferni nouissima.*

33 Ex indignatione mea contra illos concepta vltio mea, quasi ignis succensus & ardens,parata est:*& ardebit hic ignis non solùm in superficie terræ ipsorũ,sed etiam vsque ad extrema inferni & inferiora terræ.

*34 Deuorabitque terram cum germine suo, *et montium fundamēta comburet.*

34 Hoc est:Et deuorabit terram cũ fructibus suis,*& ipsa etiam montium inferiora,ad profundissima terræ loca consumet,ac sterilitatem afficiet.

*35 Congregabo super eos mala, *et sagittas meas complebo in eis.*

35 Neque vno tantum aut alio calamitatis genere eos afficiam,sed omnia simul mala super eos coaceruabo: * nec desinam donec omnes meas,vltiones in eos plenè emisero, velut sagittas quasdam ex arcu iræ meæ eiaculatas.

*36 Consumentur fame, *et deuorabunt eos aues morsu amarissimo.*

36 Itaque consumentur fame:*& gens velox ac rapax,in modum auiũ rapacium,eos deuorabunt,affligent,& interficient crudeliter.

*37 Dentes bestiarum immittam in eos, *cum furore trahentium super terram atque serpentium.*

37 Immittam in eos feras bestias,quæ dentibus suis eos mordeant:*si mul & venenatos,venenique insania exagitatos serpẽtes,qui corpus suũ super terram rependo post se cum horrore intuentium trahunt:hoc est immittam in eos crudelissimos homines,qui ferarũ,serpentumque more absque vlla misericordia in eos desæuiant,nonnunquam quoque veras bestias ac serpentes illis immittens,affligam.

38 Foris vastabit eos gladius, intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactẽtem cum homine sene.

38 Nullus erit locus,nulla ętas à calamitate immunis. Foris enim extra domum aut ciuitatem deuastabit eos gladius hostilis:intus verò intra domum aut ciuitatem, aut intra ipsam animam cruciabit timor imminentium malorum,idque sine sexus,ętatisue discrimine,iuuenem si mul & virginem,lactentem & senem.

*39 Et dixi:Vbinam sunt? *cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.*

49 Et (vt de me ipso loquar, in morem hominis iracundia plurimum excandescentis)dixi:Vbinam sunt isti præuaricatores mei ?* perdã eos penitus de terra sicque cessare faciam memoriam eorum inter homines,vt amplius non nominetur inter varios populos vnus populus.

*40 Sed propter iram inimicorum meorum distuli, *ne forte superbirent hostes eorum.*

40 Quamuis autem istud seueritas iustitiæ meæ dictaret faciendum, & huiusmodi illi vltione digni essent, distuli tamen hanc inferre extremam vindictam,præter alias causas, maximè propter iracundam superbiam hostium meorum.

41 Et dicerent:manus nostra excelsa, et non Dominus fecit hac omnia.

41 Ne scilicet hostes eorum sese efferendo superbè,& nomen meum blasphemando,dicerent: Potentia nostra maxima, & non Dominus fecit hæc omnia. Ideo enim in hoc populo reliquias mihi seruare decreui,per quarum liberationem ab hostium suorum potestate ostenderem vanam esse illorũ gloriationẽ de fortitudine sua,sicque nomen meum, quod ab illis blasphemabatur,sanctificarem.

*42 Gens absque consilio est,et sine prudentia, *vtinam saperent et intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

42 Deploranda sanè populi huius conditio.Gens enim est consilio& prudentia destituta,eo quòd tam malè sibi consulat,nec prudenter aduertat quid sibi consulto faciendum,quidue in futuro euenturum.*Omnibus sanè votis optarem populum hunc sapientia & intelligẽtia præditum esse,& præuidere quid in nouissimo illis euenturum sit tempore quæque sit impietatis ipsorum futura merces.Non enim vindictæ cupidus eos affligo,sed iustitiæ æquitate adactus, cùm alioqui nolim peccatoris mortem,sed id magis optem vt conuertatur & viuat. Atque hac potissimum ratione calamitates immitto,nimirum vt his admoniti ad mẽtem redeant.

*43 Quomodo persequebatur vnus mille, *et duo fugarent decem millia.*

43 Vel ex hoc sanè quod dicam, admoneri debuissent suæ impietatis & ad sapiendũ promoueri.Quomodo enim vnus ex hostibus eorũ persequi potuisset mille ex ipsis, * & duo quomodo fugare possunt decẽ millia,hoc est,paucissimi hostium quamplurimos ex ipsis.

*44 Nonne ideo,quia dominus suus vendidit eos, *et dominus concluſit illos?*

44 Nónne ideo, quia Deus eorum hostibus tradidit & quasi vendidit eos,*& Dominus concluſit eos in manibus hostium ipsorum?

*45 Non enim est Deus noster,vt dij eorum,*et inimici nostri sunt iudices.*

45 Ita sanè est. Non enim Deus noster, sicut dij gentium, inulta sinit peccata cultorum suorum:neque quemadmodum illi,impotens est ad saluandum suos, vt asscribi non possit Dei nostri impotentiæ, quòd populus ipsius traditus sit in manus hostium. * Et ipsi enim inimici nostri iudices sunt huius rei.Frequenter enim tum in seipsis, tum in aliis Dei nostri in puniendis peccatis seueritatem & iustitiam experti sunt & testati: frequenter etiam illius potentiam pro populo suo pugnantem cuique

cuique nulla vis resistere possit prædicauerunt,vt cùm dixerunt Ægyptij.Fugiamus Israelem,Dominus enim pugnat pro eis.

*46 De vinea Sodomorũ vinea eorum, *& de suburbanis Gomorrhæ:*

46 Et meritò quidem hunc populum Dominus vendidit hostibus ipsorum,nam cùm ipsum plantauerit sibi in terra optima in vineam electam,vinea eorum à naturali sua degenerans origine,facta est de vinea Sodomorum,*& de suburbanis & aruis Gomorrhæ, hoc est, ipsi per malitiam suam commutati sunt in vineam pessimam, ac si ex Sodomitis aut Gomorrhitis nati fuissent,non ex sanctis patriarchis.

47 Vua eorum,vua fellis, & botrus amarissimus.

47 Itaque & vuæ,quas vinea ista produxit,factæ sunt amarissimæ, instar fellis,& botrus eorum admodum insuauis effectus est:cùmque expectaret ab ea Dominus vt produceret vuas optimas, fecit labruscas, hoc est opera eorum talia fuerunt,qualia fuerunt.Sodomorum pessima Deóque ingratissima.

48 Fel draconum,vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*

48 Sed & vinum huius vineæ factum est vt letale fel draconum:*&vt venenum aspidum, quo nemo curari potest:hoc est, doctrina quoque eorum,qua aliorum videntur potare mentes,doctrina fuit maximè noxia,sine spe curationis perdens eos & occidens,à quibus hausta fuerit. Sicut enim vinea mala non potest proferre suaues vuas,aut vinum gratum:ita cùm hi toti vitiati sint, nihil bonum producere possunt,sed pessima simul est vita eorum,& doctrina.

49 Nonne hæc condita sunt apud me?& signata in thesauris meis?

49 An non inquit Dominus, hæc omnia quę agunt apud me seruãtur absconditа : *& obsignata sunt,ac diligentissimè recluſa in occulto cognitionis meæ,velut in quibusdam thesauris, nam etsi ad tempus cõ dignam vltionem differam,nequaquam tamẽ,vt ipsi existimant,ea quæ agunt me prætereunt,aut à me negliguntur,sed sigillatim omnia in cognitione mea ad tempus absconduntur.

*50 Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, *vt labatur pes eorum.*

50 Mihi enim cõperit,mihique soli,sumere de omni iniquitate vindictam,vnde etsi ad tempus dissimulo,tamen suo tempore retribuam eis quæ commeruerunt:*ita vt hi qui sibi firmi videbantur & stabiles, prosternantur,& in omnia incidant mala.

51 Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tẽpora.*

51 Ne autem retributionis istius tempus longius abesse vobis promittatis,scitote prope esse diem perditionis impiorum,*& tempora ad hoc præfinita iam adesse festinant,citiúsque quàm expectatum aut creditum sit aderunt.

*52 Iudicabit dominus populum suum, * & in seruis suis miseribitur.*

52 Veruntamen ne populus Dei à Deo propter sua peccata afflictus desperet de eiusdem benignitate,id quoque sciat quod iudicabit quidẽ Dominus populum suum,iustam de ipso pro admissis peccatis sumendo vltionem, * vbi autem iustis flagellis eum castigauerit, & ad Dominum conuerti cœperit, rursum misericordia flectetur erga seruos suos.

53 Videbit quod infirmata sit manus,& clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.*

53 Aduertit enim potentiam eorum iam adeo debilitatam, vt seseliberare à malis & hostibus suis nequeant,*quodque etiam in carcerem clausi & pauci illi qui erant derelicti,penè in totum consumpti sunt.s

54 Et dicet:vbi sunt dij eorum,in quibus habebant fiduciam?

54 Et hæc aduertens dicet de eis per prophetas suos,cupiens eo- ad resipiscentiam & meliorem mentẽ adducere:Vbi nunc sunt dij eorum,in quibus fiduciam suam reposuerunt?

55 De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum:

55 De quorum sacrificiis comedebant adipes in venerationem illorum,*& bibebant vinum ipsis idolis libatum.

*56 Exurgant,et opitulentur vobis: *et in necessitate vos protegant:*

56 Exurgant nunc,& opem vobis ferant,*&in hac calamitate vos protegant.

57 Videte quòd ego sim solus: et non est alius Deus præter me,*

57 Quòd cum videatis omnino vos frustrà expectare, intelligite ęgo solus sim Deus,*& non est alius Deus præter me.

*58 Ego occidam,et ego viuere faciam: * percutiam, et ego sanabo:et non sit qui de manu mea possit eruere.*

58 Ego & cùm voluero,& quos voluero,morti & periculis mortis tradam,& rursum viuere faciam, siue à morte restituendo,siue à grauissimis calamitatibus liberando,*ego pro arbitrio meo percutiam, & rursum sanabo,nec est quisquam, qui aut se,aut alium eruere possit de potestate mea.

59 Leuabo ad cœlum manum meam,et dicam: viuo ego in æternum.

59 Itaque liberaturus populum meum quem afflixi,leuabo ad cœlum manum meam, & dicam:Viuo ego in æternum,hoc est,quemadmodũ solent homines manum suam leuare in cœlum, per illum iurare volentes qui est in cælo,& dicunt;Viuit Dominus:ita & ego iuramento affirmabo,& quoniam non habeo aliquem me maiorem, per memetipsum & meam vitam iurabo dicens:

60 Si acuero vt fulgur gladium meum,et arripuerit iudicium manus mea:

60 Cùm præparauero gladium vltionis meæ, vt sicut fulgur luceat, terreat,ac citissime penetret,& vltrix potentia mea conuersa fuerit ad faciendum iudicium.

*61 Reddam vltionem hostibus meis,*et his qui oderunt me retribuam.*

61 Tum certè reddam commeritam vltionem hostibus meis & populi mei,& iis qui osores sunt nominis mei,retribuam eis qualia populo meo intulerunt.

62 Inebriabo sagittas meas sanguine: et gladius meus deuorabit carnes.*

62 Tunc ego cum eis agam instar crudelis pugnatoris, qui sagittas suas multorum interfectorum sanguine copiosè perfundit,&rubescere facit,& gladius ipsius carnes hominum crudeliter deuorat & neeat.

* Ita enim & ego vltiones meas satiari faciam sanguine & carnibus:

*63 Dominus occisorum * & de captiuitate nudati inimicorum capitis.*

63 Inebriabo,inquam,& satiabo sanguine interfectorum,* & capti uitate hostium meorum,qui capite nudato in seruitutis signum ante victores hostes suos incedere captiui cogentur.

64 Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vleiscetur*

64 Hæc intelligentes gentes laudate populum Domini,eo quòd tam propitium & iustum habeat Dominum.*Ecsi enim populum suum, peccatis ipsius promerentibus,impiis tradiderit hostibus ad tempus, tamé iniuriam illis illatam non sinet inultam, sed tandem vlcisetur effusum sanguinem seruorum suorum.

*65 Et vindictam tribuet in hostes eorũ,*et propitius erit terræ populi sui.*

65 Et vindictam retribuet in hostes eorum,*& terræ populi sui,cũ ad tempus iratus fuit,propitius erit,benedicendo eam in omnibus bonis.

FINIS.

INDEX PSALTERII.

122. Ad te leuaui oculos meos ps. 150. DAVIDICI.

Psal.		Fol.
	A	
24.	AD te domine leuaui animam meam.	33
27.	Ad te Domine clamabo,ne.	63
281.	Afferte domino filij Dei,	37
48.	Audite hæc omnes gentes,auribus percipite,	63
77.	Attendite populo meus legem.	96
119.	Ad dominum cum tribularer,	148
	B	
1	Beatus vir qui non abiit in cons.	1
31.	Beati quorum remissæ sunt,	41
33.	Benedicam dominum in omni tempore,	43
40.	Beatus qui intelligit super egenum,	54
84.	Benedixisti domine terram tuam,	104
91.	Bonum est confiteri domino,	111
102.	Benedic anima mea Domino, & omnia;	120
103.	Benedic anima mea domino,domine,	122
111.	Beatus vir qui timet dominum	133
118.	Beati immaculati in via,	139
127.	Beati omnes qui timet dom.	153
143.	Benedictus dominus Deus meus,	166
	C	
4.	Cum inuocarem,exaudiuit me deus.	4
9.	Confitebor tibi domine in toto corde meo	10
15.	Conserua me domino,quoniam speraui.	17.& 18
18.	Cœli enarant gloriam dei,	24
74.	Confitebimur tibi deus,	93
95.	Cantate domino canticum nouum,cantate,	115
97.	Cantate domino canticum nouum,quia;	116
104.	Confitemini domino & inuocate nomen,	124
105.	Confitemini domino,quoniam.	125
106.	Confitemini domino:quoniam bonus,	128
110.	Confitebor tibi domine in toto.	133
115.	Credidi propter quod locutus,	136
117.	Confitemini domino,quoniam.	137
135.	Confitemini domino,quoniam bonus,quoniam,	158
137.	Confitebor tibi domine in toto.	159
149.	Cantate domino canticum nouum,laus,	171
	D	
3.	Domine quid multiplicati sunt:	
6.	Domine ne in furore tuo arguas me:	
7.	Domine deus meus in te speraui.	
8	Domine dominus noster,quàm.	
13.	Dixit insipiens in corde suo,	
14.	Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.	
17.	Diligam te domine fortitudo mea.	
20.	Domine in virtute tua.	27. & 28
21.	Deus meus respice in me,	28
22.	Dominus regit me,& nihil mihi deerit.	31
23.	Domini est terra & plen.	32
26.	Dominus illuminatio mea.	35
30.	In te Domine speraui non confundar.	39
35.	Dixit iniustus,vt derelinquat.	46
37.	Domine ne in furore tuo arguas me.	50
38.	Dixi custodiam vias meas,	51
43.	Deus auribus nostris audiuimus.	57
45.	Deus noster refugium & virtus.	60
49.	Deus deorum dominus locutus est.	65
52.	Dixit insipiens in corde.	68
53.	Deus in nomine tuo saluum me fac.	69
59.	Deus repulisti nos & dest.	74
62.	Deus deus meus ad te de luce.	77
66.	Deus misereatur nostri.	81
69.	Deus in adiutorium meum intende.	87
71.	Deus iudicium tuum regi da,& iustitiam.	89
78.	Deus venerunt gentes in hæreditatem,	99

81.	Deus steterit in Synagoga deorum.	102
82.	Deus quis similis erit tibi:ne ta.	108
7.	Domino deus salutis meę in die clamaui.	107
89.	Domine refugium factus es nobis.	109
92.	Dominus regnauit,decorem ind.	112
93.	Deus vltionum dominus,deus vltionum.	113
96.	Dominus regnauit,exultet terra, lætentur.	116
98.	Dominus regnauit,irascantur.	117
101.	Domine exaudi orationem meam,	119
108.	Deus laudem meam ne tacueris.	1159
109.	Dixit dominus domino meo,	131
114.	Dilexi quoniam exaudiet dominus vocem,	135
129.	De profundis clamaui ad te.	154
130.	Domine non est exaltatum cor.	154
138.	Domine probasti me,& cogno.	160
140.	Domine clamaui ad te,exaudi.	163
142.	Domine exaudi orationem meam,	167
	E	
16.	Exaudi domine iustitiam meam.	19
19.	Exaudiat te dominus in die trib.	26
29.	Exaltabo te domine quoniam susceperunt.	38
32.	Exultate iusti in domino,rectos.	82
39.	Expectans expectaui dominum.	53
44.	Eructauit cor meum verbum bonum.	58
54.	Exaudi deus orationem meam &.	69
58.	Eripe me de inimicis meis deus,	73
60.	Exaudi deus deprecationem meam,	75
63	Exaudi deus orationem meam cum dep.	78
67.	Exurgat deus & dissipentur inimici.	81.& 84
80.	Exultate deo adiutori nostrõ,	101
123.	Ecce quam bonum & quàm iuc.	156
133.	Ecce nunc benedicite dominum.	157
139.	Eripe me domine ab homine malo.	162
144.	Exaltabo te Deus meus rex,& benedicam.	166
	F	
86.	Fundamenta eius in montibus.	106
	I	
10.	In domino confido,quomodo dic.	12
25.	Iudica me domine quoniam ego,	57
34.	Iudica domine nocentes me,exp.	45
42.	Iudica me deus,& discerne.	52
65.	Iubilate deo omnis terra psalm.	80
70.	In te domine speraui non confundar in æternum.	88
85.	Inclina domine aurem tuam,&.	105
99.	Iubilate deo omnis terra,seruitute.	117
113.	In exitu Israel de Aegypto,	134
125.	In conuertendo dominus captiuitatem Sion.	152
	L	
112.	Laudate pueri dominum,laud.	134
116.	Laudate dominum omnes gentes,	137
120.	Leuaui oculos meos in montes.	148
121.	Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.	149.&150
134.	Laudate nomen domini,laudate,	157
145.	Lauda anima mea dominum.	168
146.	Laudate dominum,quoniam bonus est.	168
147.	Lauda Ierusalem dominum,	169
148.	Laudate dominum de cœlis.	170
150.	Laudate dominum in sanctis eius.	171
	M	
47.	Magnus dominus & laudabilis nimis.	62
50.	Miserere mei Deus secundum magnam.	66
55.	Miserere mei Deus,quoniam.	71
56.	Miserere mei Deus,miserere.	71
88.	Misericordias domini in æternum cantabo.	108
100.	Misericordiam & iudicium cant.	118

131. Memento domine Dauid. 155

N

36. Noli æmulari in malignantibus. 48
61. Nonne Deo subiecta erit anima mea? 76
75. Notus in Iudæa Deus, in Israel. 94
123. Nisi quia dominus erat in nobis. 151
126. Nisi dominus ædificauerit domum. 152

O

46. Omnes gentes plaudite ma. 61.& 62

P

107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. 229

Q

2 Quare fremuerunt gentes; & pop. 3
41 Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes. 55
51. Quid gloriaris in malitia, qui. 68
72 Quàm bonus Israel Deus his. 91
79 Qui regis Israel intende qui deducis. 100
83 Quàm dilecta tabernacula tua. 104
90 Qui habitat in adiutorio alt. 110
124 Qui confidunt in domino sicut. 151

S

11 Saluum me fac domine, quoniam defecit. 13
57 Si verè vtique iustitiam loquimini. 7
68 Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt. 86
128 Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. 153
136 Super flumina Babylonis illic. 159

T

64 Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi. 79.

V

5 Verba mea auribus percipe domine. 6
12. Vsquequo domino obliuiscéris. 14
73. Vt quid Deus repulisti in finem. 92
76. Voce mea ad dominum clamaui; 95
94. Venite exultemus domino, sub. 114
141. Voce mea ad domum clamaui, 164
Canticum trium puerorum. 172
Canticum Isaiæ. 172
Canticum Ezechiæ Regis. 172
Canticum Annæ matris. 173
Canticum filiorum Israel.
174 Canticum Abacuc prophetæ. 175.& 176.
Canticum Moysi. 177.

IN PROVERBIA SALOMONIS

ACCVRATISSIMA ET DOCTISSIMA Commentaria,

CORNELII IANSENII EPISCOPI GANDAVENSIS.

In quibus vulgata lectio sic tractatur, vt & diligens fiat collatio cum originalibus Hebræis & literalis simul cum mystico sensus tradatur.

Acceſſerunt eiuſdem annotationes luculentiſſimæ in librum Sapientiæ Salomonis.

ILLVSTRISSIMO VIRO D. VIGLIO ZVVICHEMO, PRAEPOSITO GANDENSI AD D. BAVONIS SVPRAEMIQVE SENATVS BELGICI PRAESIDI, & illustrissimi ordinis aurei Valleris Cancellario, D. suo benignissimo

Cornelius Iansenius Hulstensis.

CONSTAT Amplissime Domine Præses in precio semper habitos eos qui graues quasdam breuesque sententias, siue ad rectè de rebus iudicandum, siue ad mores formandos vel verbo protulerunt, vel scripto ediderunt. Nec mirum, cum nihil vtilius esse possit quam huiusmodi breuia eloga ob oculos semper habere proposita, quibus quid de quauis re sentiendum quid quouis casu occurrente faciendum sit, mox mēs hominis admoneatur. Mirata est olim hoc nomine antiquitas Hesiodum, Theognidem, Phocilidem, vt omittamus septē illos Græciæ sapientes, ipsumque Socratē, qui præ his omnibus sapiētissimus Apollinis oraculo iudicatus est, quorū sapienter grauiterque dictæ etiā hodie velut oracula quædā suspicimus. Si autē nō immeritò istorū dicta & legimus & admiramur, multam eis vtilitatem, multumque fructū inesse non dubitantes, multo sane magis nostri nobis Salomonis vere diuina oracula sunt requirēda, expēdēda ac menti exprimenda, qui nō Appollines, sed Dei Opt. Max. oraculo sapientissimus pronunciatus est, non tantum eorum qui cum ipso vixerunt mortalium, sed & omnium quotquot vel fuerunt vel futuri sunt. Dedi enim inquit, tibi cor sapiens & intelligēs in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Cuius sapientia non tantum ipsa magnitudine, illorum longè superat sapientiam, sed & generis sui præstātia. Est enim & diuersi & præstantioris generis. Illorum enim sapientia in naturali rectæ rationis iudicio (quod in eis minus quam in aliis hominibus erat corruptum) constituta fuit. Huius vero nostri Philosophi sapientia, ex lege diuina, quæ certissima omnium tū credēdorum, tum agendorum regula est, profluxit, vnde necesse est, eam vt duplex consequatur præeminentia nempe & quod ab omni errore & vitio sit immunis, & quod viam ac rationem commonstret qua homo nunc Deo placeat, & aliquando ei coniunctus, vere sit semper fælix atque beatus. Quorum neutrum illorum sapientiæ ascribi potest. Nam cum nequaquam diuino fidei lumine illustrati fuerint, in multis sunt hallucinati, & rationem tātum demonstrāt, qua iuxta ciuilem pollitiam bene iusteque viuatur. Itaque istos quālibet præclarè Philosophantes, à sapiētia quam profitebantur alieniss imos fuisse constat, vt qui ne principium quidē sapiētiæ nouerint Initium enim, inquit noster timor Domini, Excellit hic noster sapiens in parabolis proferendis, vt de eo dicat scriptura: Locutus est Salomon tria milia parabolas, et fuerunt carmina eius quinque milia, Ad quæ audienda, cum non tantū finitimæ quæque gentes ad eū confluerent, sed et à cunctis finibus terræ plerique cōuenirent, adeò vt inter cæteros etiā reginæ Sabæ ex vltimis orbis terminis adesset: an non et nos conuenit lubenter eum, adhuc nobiscum in parabolis scripto relictis loquentem, audire? Idque eo magis quod in eis tanta sit sententiarū varietas, vt ex eis ad quoduis argumētum tractandum facile rationes eæque efficacissimæ desumi possint, adeò vt nulla sit vel iustitiæ veliniustitiæ pars, quæ non hinc vel laudari vel vituperari queat, nulla hominis actio aut vitæ functio quæ nō hinc cōmonstretur qualis esse debeat, vt ob id rectè quis dixerit vix esse inter sacros codices alium qui ad quiduis dicendū & persuadēdum, atque ad cōciones vulgares magis sit accommodus, quemadmodum vel ex D. Gregorio facile animaduerti potest, qui ad formandos hominū mores sæpissime, ex hoc libro testimonia petit. Recte ergo etiam huic parabolarum Salomonis libro ea tribui possunt nomina, quæ à Græcis tribuuntur illi, qui ad huius imitationem postea conscriptus est libro, quem nos Ecclesiasticum vocamus, vt scilicet etiam iste dicatur aut παναρετος hoc est eximius, præcipuus et præ cæteris eligendus aut παναρετος, quod omnium virtutum et morum materiam copiosè comprahendat. Quæ cum ita sint, mirari subinde mecum soleo nostram negligentiam

quæ diuinus ille liber qui sapientissimi Salomonis parabolas continet ita neglectus permanet, vt vix sint ex nostris qui in eum iusta ediderint commentaria, cum illum vel maximè requirere commentaria, etiam ipse titulus moneat. Si quidem parabolarum nomen, eorum quæ dicuntur obscuritatem declarat. Sunt enim qui sensum tantum literalem idque perfuncto rie satis sunt prosecuti, sunt rursum qui mysticæ tantum intelligentiæ explicandæ, idque in quibusdam duntaxat versibus incubuere. Deinde nostri ferè sic eam quæ vtimur lectionem Latinam interpretando tractarunt, vt nullam originalis linguæ ab eis habita ratio, sine qua nec quæ sit verior alicuius loci lectio, vbi varietas incidit, nec quis sit verior sensus ex multis qui legenti occurrerunt, & apud commentatores reperiuntur, cognosci satis potest. Alij verò, nostræ omnino non solùm neglecta, sed & reiecta lectione, Hebraicam tantum exponunt literam, suam quisque sequendo versionem, Iudaicisque etiam expositionibus frequenter nimis inhærentes & confidentes. Hæc apud me serio perpendens, cum ex ordinaria professione aliquid mihi publice ex sacris libris tractandum esset, operepræcium me facturum existimaui si prælectionibus publicis vtilissimum hunc librum illustrandum susciperem, vulgatamque nostram lectionem, quæ, quòd tot sæculis recepta fuerit & vsitata atque iam decreto celeberrimi concilij Tridentini confirmata sit, meritò reticienda non est, sed omnibus aliorum præferenda, sic tractarem vt semper ad originalia tum Græca, tum Hebræa respectus haberetur, isque potissimum sensus daretur qui cum ipso fonte maximè conueniret. Sic etiam literalem indicaremus intelligentiã, quæ fundamentu est & basis sensus mystici, vt mysticã intelligentiam non negligeremus. Hanc enim semper iudicaui optimã & vtilissimã esse tractandi scripturas rationem, vt seruata vsitata latinis versione, accurata haberetur collatio ad linguas originales, quo per eam & veritas lectionis in codicum varietate deprehenderetur, & inter varias intelligentias quas nostra versio admittit, ea traderetur quæ cum fonte ipso vel consideret, vel vicinissimè accederet. Deinde vt ne solo vel literali vel mystico sensu tradendo opera daretur, sed vt prius literali sensu præiacto profundamento, solida postea mystici sensus perciperetur suauitas, repressa illa nimia, qua plerique abuntur, mysticas intelligentias tractandi libertate, nullo subnixa fundamento. Quare fit vt pleriſque eorum tractationes ridiculæ fiant non sine iniuria sanctissimarum scripturarum, in quibus explicandis temere quisque vtitur libertate, vt illa suis subiiciat cogitationibus & sine solida ratione id doceat in eis significari, quod à spiritu diuino, qui earum præcipuus est author, alienissimum sæpe est. Hãc enarrãdi sacras literas rationem, cum secuti essemus in hoc libro publicis lectionibus explicãdo, & intelligeremus studiosos pleroſque efflagitare, vt in vtilitatẽ Christianæ reipubl. labor noster ederetur, non potui prætermittere, quãdiu alia ratione Ecclesiæ Christi nõ possũ inseruire, quin illorũ petitioni satisfacerẽ, secutus hùc nostrũ sapiẽtẽ in cuius persona dicitur: Sapiẽtiã sine fictione didici, & sine inuidia cõmunico, & honestatẽ illius nõ abscõdo. Scio hæc tẽpora summopere requirere vt potissimũ stylus exeratur cõtra hæreticos in cõfutãdis eorũ erroribus & stabilienda antiqua catholicæ fidei doctrina. Verum cum istud à multis abũde hoc iam tempore præstitum sit, & naturali genio semper magis tractus sum ad solidã atque genuinã scripturarum tractationem, putaui magis sectandum id ad quod natura ducit, persuasus etiã nulla alia magis ratione aut trahendos errantes ad catholicæ nostræ matris gremium, aut cõfutandos eorum errores quam solida scripturarum explanatione, quam cum videãt in quibusdam commentatoribus nostris desiderari, fit vt cum eorum commentariis etiam fidem & religionem quam sectantur reiiciant, & non satis firmã iudicẽt. Nec tamen hoc nostro labore aliorum commentarios reiicimus, sed ex omnibus aliorum qui ad manum erant & versionibus, & commentariis, quod proposito nostro seruiret mutuari sumus, & inter alios potissimum, Rodolphi Bayni Cantabrigensis, viri & doctissimi, & piissimi, vt ne quem sua fraudemus laude. Cuius commẽtaria in hunc prouerbiorum librum sufficere propemodum poterãt si non suam tantum Hebraicam versionem cum Rabbinorum expositionibus commentario explicuisset, vsuata nostra lectione fere præterita. Nec mihi pudendum duxi, aut illius aut aliorum

aliorum laboribus & frui, & me aliquid proficere, cum hoc demum modo optimè commentaria conscribuntur, quando ad D. Hiero. & aliorum imitationem quæ ab aliis benedicta sunt congerumtur, adhibito iudicio, & adhibitis his quæ desiderari poterant. Nisi enim deprehendissemus non sufficere quæ in hunc librum conscripta sunt, à Beda, Lirano, glossa ordinaria, Dionysio Arboreo, Rodolpho denique & aliis quorum commentarijs vsi sumus, laboribus nostris istis omninò abstinuissemus. In quibus etsi hoc potissimum egimus vt nostram receptam lectionem illustraremus, restitueremus & ornaremus, tamen frequenter ac propemodum semper meminimus aliorum ex Hebræo versionum, nonnunquam etiam græcanicæ lectionis quæ 70. tribuitur interpretibus, earum item sensum explicantes, tum vt qui Hebræa legere volẽt etiam eorum intelligentiam hinc desumere queant, tum vt varios sensus qui in breuissimis hisce sententijs sæpe reconditi sunt, cum legentium vtilitate erueremus, tum maximè vt collatione facta cum aliorum versionibus & originali lingua, non solum quæ verior esset nostræ lectionis intelligentia ostenderemus, sed etiam declararemus nostram lectionem cum Hebraica, vt vocãt, veritate optime conuenire, sicque eandem à multorum calumnia vindicaremus, qui illam aspernantur quasi ab originali lingua planè dissentientem. Cæterum cum absolutis his nostris commentaciunculis videre aliquid mihi ex more deliberãdum, cui illas cõsecrarẽ, & qui illarum patronus esse valeat, contra obrectatorum quorundam iniurias, qui cum ipsi nihil præclarum aut volùt aut possunt præstare, aliorum factis semper detrahunt, mox mihi tua amplitudo occurrit, tanquam cui id præ omnibus deberetur, non solum quòd summa sit tua in his nostris regionibus atque etiam externis, tum authoritas, tum celebritas, sed etiam quòd & mihi meritò à tuo potissimum patrocinio sit pendendum, & huius libri argumẽtum eximiæ tuæ prudentiæ maximè congruat, qua vt prius semper, ita in superioris anni turbatione, sanis & sapientibus tuis consiliis, hisce regionibus summa animi constantia adfuisti, vt in extremis videbamur versari periculis, Dei singulari beneficio magna ex parte restituisti, spẽmque conceperimus, quòd supereſt, adhuc perficiendu tua illa matura, moderata omnibusque nota prudentia, nisi eam nobis iratus Dominus præmature erupiat. Cui enim iustius hic liber, qui sapientiã Salomonis Regis nobis exprimit dedicãdus est, cuius defensioni iustius potius concredendus, quàm ei, cuius consiliis sentiunt se Reges tuari, in quo velut speculo videre licet, quam vera sint, pleraque quæ in hoc libro dicuntur, quam vtilis scilicet sit reipublicæ sapientum prudentia, experientia, & quæ ex his proficiscuntur sana consilia, quam ad regna constabilienda plus valeant sapientia rectaq; consilia, fortium viribus & armis. Ad cuius autem patrocinium ego potius confugiam, quam eius, qui vt est ipse doctissimus, ita studijs promouendis valde intendit, vt declarat erectum ab ipso hoc anno institutum Louanij nouum Collegium? Nec ego sanè alium mihi patronum diligendum duxi quam eum, cuius in me fauorem vt maximè requirere debeo, ita quoque sæpius non obscure expertus sum. Solita ergo tua humanitate hunc nostrum laborem tuo honori & defensioni dicatũ suscipe, quem si intelle xerimus tuæ prudentiæ ac studiosis non displicere, breui spero Deo donante dabimus et in ecclesiasticum commentaria, qui vt similis est cum hoc libro argumenti, ita non minus imò multo magis requiriit, et restitutionem lectionis, et illustrationem solidæ intelligentiæ, quo maiori cum fructu legi valeat. Bene vale Patrone Colendissime, nõsque qua soles beneuolentia prosequere. Louanij ex maiori collegio Theologorum. 18. Octobris, Anno. 1567.

PROEMIVM IN
Prouerbia Salomonis.

TRES esse Salomonis libros canonicos citra cõtrouersiam asserũt omnes, & Iudæi & Christiani. Prouerbia scilicet, Ecclesiasten, & canticum canticorum. Præter ho salios duos, nempe qui liber Sapientiæ dicitur & Ecclesiasticus. Iudæi nec Salomonis esse agnoscũt, nec pro canonicis habent vt sæpe testatur D. Hieronymus. Christiani vero & pro canonicis habent & Salomoni quandoque tribuunt. Nam & D. Cyprianus sumit testimonia ex his duobus libris, velut sententias à Salomone prolatas. In epistola enim ad Rogatianum, quæ est libro tertio, nona, probat ex ecclesiastico tanquã ex Salomonis lib. sacerdotes esse honorãdos. Sed & Salomon, inquit, in Spiritu Sancto constitutus, testatur & docet quæ sit sacerdotalis authoritas & potestas dicens, Ex tota anima tua time Deum & sacerdotes eius sanctifica, et iterum, honora Deum ex tota anima tua et honorifica sacerdotes eius. Sic et sapientiæ librum D. Ambrosius aliquoties tribuit Salomoni. Nam sermone super Psal. 118. Quid sit scientia, inquit, doceat te Salomon qui ait de domino Deo nostro. Ipse dedit mihi eorum quæ sunt, cogitationem veram, pro quo nos legimus in cap. 7o. Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram. Quod quomodo sit accipiendum, monet D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8. vbi recenens libros veteris testamenti, tres tantum esse dicit Salomonis, Prouerbiorum, Ecclesiasten, Canticorum. Duo autem libri, inquit quorum vnus sapientia, et alius Ecclesiasticus inscribitur de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Idem habet lib. 17. de ciuitate Dei cap. 20. Nam de Ecclesiastico cõstat ex prologo quod eum Iesus filius Sirach scripserit, quem se D. Hieronymus in prologo super libros Salomonis asserit Hebraicum reperisse, non Ecclesiasticum vt apud Latinos. sed parabolas prænotatum, cui iuncti erant Ecclesiastes, et canticum canticorum, vt similitudinem Salomonis non solum numero librorum, sed etiam materiarum genere coæquaret. Alterum dicit Apud Hebræos non extare, quin et ipsum stilũ Græcã eloquentiã redolere, et nonnullos scriptorũ veterum affirmare illũ esse Iudæi Philonis. Itaque tres tantum sunt libri qui verè sunt tribuendi Solomoni, de quibus quid scripserit D Hieronymus in commentariis in Ecclesiasten, dignum est annotatione, Cum enim disseruisset de tribus nominibus Salomonis. Ita sitaque, inquit, iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, Prouerbia, Ecclesiasten, & cantica canticorũ. In prouerbiis paruulũ docens, & quasi de officiis per sententiam erudiens, vnde & ad filiũ eius sermo crebro repetitur. In Ecclesiaste vero maturæ virum ætatis instituens, ne quicquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & breuia vniuersa quæ cernimus. Ad extremum iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in cantico canticorum sponsi iungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia, & pompis sæculi renunciantes expeditos nos ad aduentũ Christi parauerimus nõ possumus dicere. Osculetur me osculo oris sui. Hæc illæ, insinuãs scilicet pro triplici hominũ statu, quod ad virtutẽ attinet, scilicet incipientiũ, proficientium & perfectorũ, tres etiã esse libros Salomonis, qui suo ordine singulis cõueniant statibus. Quã obseruationẽ secutus vult etiã diligentius attẽdendum, quod per hos libros, authoris diuersus est titulus. In prouerbiis enim inquit, notatur, Prouerbia Salomonis, filij Dauid regis Israel. In Ecclesiaste vero verba Ecclesiastis filij Dauid regis Ierusalem. In cãtico autem canticorum nec filius Dauid, nec rex Israel siue Ierusalem, sed tantum cãticum canticorum Salomonis. Sicut enim prouerbia quasi rudis institutio ad duodecim tribus & ad totum pertinent Israel, & quomodo cõtemptus mũdi non nisi metropolitis conuenit, hoc est, habitatoribus Ierusalem, ita canticum canticorum ad eos propriè facit mẽtionem qui tantum superna desiderant. Adincipientes & proficientes & paterna dignitas, & regni proprij merito indicatur authoritas. Ad perfectos vero vbi non timore eruditur discipulus sed amore filius propriũ nomen sufficit & æqualis magister est, & nescit se esse regem. Hæc ille. An autem hoc ordine scripserit Salomon quo conuenienter ob causam dictam hi libri sunt positi, non satis conuenit. Nam cum nostri fere credant hoc ordine scriptos, Rabini cõtra sentiũt illũ canticum canticorum conscripsisse cum adhuc esset adolescens, Prouerbia cũ iam grandis esset natu, ac ætate virili, Ecclesiasten cũ consenesceret. Cuius rei coniecturam faciunt ex variis istoramoperum inscriptionib. Sed vt infirma est hæc coniectura, ita rationi magis congruit vt quo ordine sunt positi, eodẽ conscripti sunt. Nã vt habet Hieronym. haud procul ab hoc ordine doctrinarum, & philosophi sectatores suos eruditur, vt primum Ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, & quem in his profecisse perspexerint ad theologiam vsque perducãt Sed curiosum fuerit his diutius immorari, quemadmodum et illud inquirere, an Salomon ipse librum hunc conscripserit, an vt alij volunt ab alio conscriptus sit, qui ex variis sententiis & parabolis sparsim a Salomone prolatis, has collectas in vnum librum redegerit. Certè principium magis testatur à Salomone conscriptum quia nouem capitibus sermo est continuus sibique cohærens. Vt vt est omnia sunt Salomonis, nisi forte vnum aut alterum caput. de quo postea. Nec tam à Salomonis nomine eius pendet authoritas, quàm à spiritu sancto, à quo hanc scripturam profectam esse, vt diuina potius sit habenda quam humana, non solum ex illo patet, quod à cuncto populo Dei tam veteri quam nouo semper pro diuina sit habita sed etiam quod ex hac Apostoli frequenter desumpserint testimonia. Hinc enim est quod Paulus habet 2. Corint 9. Hilarem Datorem diligit Deus, sed secundum translationem Septuaginta Hinc quod ad Hebræos duodecimo habet. Fili mi noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, castigat. &c. quod ipsam consolationem diuinam dicit loqui in scripturis tanquam filiis suis, & desumptum est ex huius cap. 3. Ad quem & in Apoca. cap. 3. alludit ipsemet dominus dicẽs. Ego quos diligo castigo. Ex hoc libro est quod & Iacobus, et Petrus citant. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item quod est 1. Petri 4. Si iustus quidem vix saluabitur, impius et peccator vbi parebunt? Quamuis etiam inhis seculi sint Septuaginta. Item quod est 2. Petri 2. Canis reuersus ad suum vomitum. Sed et Isaias ex hoc libro testimonium mutuatus est. Nam ex istius cap. 1. habet in capite suo 59. Pedes eorum ad malum currunt, et festinant vt effundant sanguinem. Quod et Paulus ad Romanos 3. ex vtroque desumpsit Sicut autem posteriores ex hoc testimonia desumpserunt ita et ipse Salomon in hoc imitatus est eos libros qui diuina authoritate eminebant, nam et ex Iob quædam mutuatus est sicut et Dauid ipse, vt patebit in sequentibus, vt intelligamus diuinarum scripturarum inter se connexionem. Notandum et illud quod ad authoritatem facit huius libri, quòd cum hunc, sicut et alios duos Salomonis, hebræi qui canonem veteris testamenti in tres secant ordines, quorum primus continet pentateuchum

teuchum, 2. Prophetas, 3. Agiographa, vt patet ex Hieronymo in prologo qui Galeatus dicitur, inter Agiographa computent. D. Augustinus qui libros veteris testamenti diuidit in duos ordines, historiales, scilicet & Prophetales vt patet libro 2. de doctrina Christi. hunc librum cum duobus aliis ac libro sapientiæ atque Ecclesiastico inter prophetticos numerat. Vnde 17. de ciuitate Dei cap. 20. ostendit & in hoc & in aliis omnibus iam dictis libris prophetias contineri ad Christum & ecclesiam pertinentes, quod quam verum sit in sequenti explanatione patebit. Quod autem attinet ad uersionem qua vtimur certum est eam non correspondere versioni 70. quæ ante D. Hieronymo fuit vsitata in Ecclesia, qua & Apostoli maximè vsi sunt, vnde & testimonia patrum siue Græcorum siue latinorum non respondent semper nostræ literæ. Certum iterum est D. Hieronimum primum ex Hebræo in linguam Latinam prouerbia sicut & alia omnia veteris testamenti vertisse. Atque omnino verisimile est hãc, qua nunc vtimur illius esse, quæ tamen sicut magis hebraicæ conuenit veritati quam versio 70. ita non semper adamussim illi conuenit, sed frequenter in plerisque accedit ad versionem 70. eandémque sequitur. Ei enim quoniam valdè recepta erat apud Græcos & Latinos, multum adhuc tunc tribuit D. Hieronymus, nec ab ea omnino recedere potuit. His præmissis ad explanationem huius libri accedamus si illud prius lectorem admonuerimus, nos in his commentariis, & si sæpius hebraicæ lectionis mentionem faciamus, tamen pauca tantum verba hebraica inseruisse, cum ob alias causas, tum ne lectorem hebraicæ linguæ ignarum absterreremus ab eorum lectione. Oramus autem omnem benignum lectorem, vt si quæ deprehendat quæ meritò improbanda videantur, candidè admoneat, quò ea in altera editione si eam subsequi contingat, corrigantur.

COMMENTARIA IN PROVERBIA SALOMONIS.

CAPVT PRIMVM.

Parabolæ Salomonis, filij Dauid, Regis Israel: ad sciendam sapientiam & disciplinam, ad intelligendum verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiam & iudicium & æquitatem, vt detur parvulis astutia, adolescenti scientia & intellectus.

HACTENVS pendet sententia, comprehendens titulum simul cum propositione, & fructuum insinuatione. Titulus est Parabolę Salomonis, filij Dauid, Regis Israel, quæ Hebræorum more coherent cum reliquo contextu. Nomen parabolæ libri materiam indicat. Circa quod nomen notandum apud nos librũ hunc duobus vocari nominib. Parabolę scilicet & Prouerbia. Nomen parabolæ respondet nomini Hebraico משלי Misle, qđ propriè significat similitudines, sicut & nomen Parabolæ, quod Græcum est à verbo παραβάλλω, quod est compa o. Nomen prouerbij respondet dictioni Græcę παροιμίαι, quam hoc loco verterunt 70. quamuis propriè non sit idem Parœmia vel prouerbium, & parabola, vel משלה Misle. Siquidem Parabolæ dicuntur similitudines vel similia, cum scilicet vnum alteri expresse cõparatur, vel cũ vnũ sub altero propter similitudinẽ insinuatur, quemadmodũ obseruare est in parabolis Euãgelicis. Parœmia verò vel prouerbiũ propriè est quod Adagium dicimus. Cõmune scilicet & antiquum aliquod dictum, & sententia, quæ in ore omnium versatur, quemadmodum & D. Basilius annotauit scribẽs in initium istud Prouerbium. Veruntamen dictiones istæ sæpè in scripturis cõfunduntur, & nomẽ Parabolæ pro Parœmiis, & nomen Parœmiæ pro parabolis sæpè accipitur, & vtrunque etiam extra propriam suã significationem. Nam apud Ioãnem dicitur, Hoc Prouerbium dixit eis Iesus. Vbi prouerbium, & vt est Græcis parœmia, accipitur pro parabolico sermone, quo prius vsus est dominus. similiter & Ioannis 16. Hęc in prouerbiis locutus sum vobis, venit hora cũ iam non loquar in prouerbijs vobis, &c. Vbi nec accipitur in propria sua significatione, nec pro parabolis propriè dictis, sed pro sermone vtili, obscuro tamen, quemadmodum docte anno Iansi. in Prouerb.

Basilius.

Ioan. 10.

tauit D. Basilius, sic hoc loco scribens. Prouerbiorum vox. apud Græcos παροιμίαι, extra scripturæ vsum de sermonibus vulgatioribus vsurpatur, & de his quæ in viis plerumque dicuntur. ὁμοιος enim apud externos via nominatur. Vnde etiam parœmiam diffiniunt verbum ad viam vulgi vsu tritum, & quod à paucis ad similia plura trãssumi potest. Apud nos aũt parœmia est sermo vtilis, cũ moderata obscuritate editus, multam quidem per se vtilitatem complectens, multam etiam in profũdo intelligentiam occultans. Hæc ille. In qua significatione etiam nomen Parabolæ sæpè accipitur in scripturis, vt cum dicitur in Psalmis. Inclinabo in parabolã aurem meam, aperiam in Psalterio propositionem meam, vbi pro propositionem Græcis est πρόβλημα, problema. Parabolam ergo vocat problema, hoc est, dubium & perplexum sermonem. Itaque cũ hæc nomina Misle, prouerbia & parabolæ huic libro tribuũtur, in ea acceptione impropria sunt accipienda, vt significent sententias graues, vtiles, sed obscuriores quãuis in hoc libro pleræque sunt veri nominis & parœmię & parabolæ, hoc est, adagia & similitudines. Multa enim sunt quæ sine comparatione dicuntur. Sed quoniam quæ dicuntur per parabolas aut prouerbia propriè dicta, sunt occulta, nec facilè cuiuis patẽt, factũ est vt omnes sententiæ graues his nominibus vocarentur. Quæ proprio nomine Græcè dicuntur, γνῶμαι, Latinè sententię. vnde quidam hic vertunt, Sententię Salomonis. Verũ magis cõuenit Parabolarum nomen, quod non simpliciter tantum sint sententiæ, sed & mystici sæpè lateant sensus sub cortice literæ, & præter literalem sensum, aliud etiam quid grauius & spiritualius significetur, vt omnia penè etiam veri nominis parabolę inueniãtur. Et hactenus de nomine parabolæ. Nomen suũ author apponit, dicens Salomonis, vnde constat ipsum libri huius authorẽ esse quãquã sint qui putent eũ non per se hæc scripsisse, sed ab aliis cõscripta, qui ex ore eius exceperunt. De quo nonnihil postea circa caput 25. Hic autem notandum quod inter Hebræos scriptores, Salomõ inuenitur primus qui suo libro titulũ proprij nominis ascripsit, quẽ postea imitati sũt Prophetæ posteriores, Esaias, Hieremias, &c. Quod sanè non parum facit ad stabiliendam libri authoritatem. Adit filij Dauid, quod nõ solum facit pro more Iudæorum, qui nomini

Psal. 49.

proprio ſemper nomen patris adſcribũt vice
cognominis,ſed & ad authoris dignitatem &
operis commẽdationem pertinet,nẽpe quod
talis viri fuerit filius,ſapiens ſcilicet ſapientis.
Eodem ſpectat quod addit Regis Iſrael, quod
quamuis poſſit etiam referri ad Dauidem,ma
gis tamen ſecundum diſtinctionem Hebraicã
referendum eſt ad Salomonem,qui & ipſe fuit
Rex totius populi Iſraelitici. Et hactenus de
titulo.Quæ ſequuntur, demonſtrãt, & ad quẽ
hæc ſcripta ſunt finem, quæve horum vtilitas,
& quibus hæc ſcripta ſint.

Ad ſciendam,inquit ſapientiam & diſciplinam,&c.
Vbi pro abſoluenda ſententia aliquid eſt ſub-
audiendum,hoc modo,Hæ ſunt Parabolæ Sa-
lomonis cõſcriptæ & editæ,ad ſciendã ſapien-
tiam,&c. Longa eſt cõgeries in propoſitione
fructuum, quos promittit his qui hæc præce-
pta ſeu ſententias audiunt.Quæ quidem con-
geries eſt quoddam & huius libri & totius ſcri
pturæ ſacræ encomium,inſinuans abſolutam
ſapientiam hinc colligi poſſe. Quali congerie
& Paulus de ſcriptura ſacra,dixit:Omnis ſcri-
2.Tim.3. ptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docen-
dum,ad arguendum,ad corripiendum,ad eru
diẽdũ in iuſtitia,vt perfectus ſit homo Dei ad
omne opus bonum inſtructus. Ita & hic ſa
piens non habuit dicere:Ad ſciendam ſapien-
tiam,quamuis in ea omnia contineantur quę
ſequuntur , ſed adiecit diſciplinam, hoc eſt e-
ruditionem,intelligentiam,aſtutiã,ſcientiam
& intellectum , vt ſignificaret parabolas has
valere ad perfectam ſapientiam , & valere ad
docendũ,& ad corripiendum,ad erudiẽdum,
proinde nec eſt valde exacta ſingularum par
tium & dictionum inquirenda diſtinctio,cùm
ſapientia,ſicut de ea Sapiens loquitur,non ſit
diſtincta ab intelligentia,prudentia,ſciẽtia &
diſciplina,ſed hæc omnia comprehendat.Vo
cabulum autẽ diſciplina quod ferè reſpondet
dictioni Græcæ παιδέια,& Hebraicæ מוסר Mu
ſad, cum apud Latinos propriè tãtum ſignifi
cet eruditionem & inſtitutionem,tamen in ſa
cris nunc hoc ſignificat,nunc caſtigationem
ſicut dictio Græca & Hebræa vtrunq; ſignifi-
cat.Pro caſtigatione enim ſępè inferius poni-
tur,& apud Paulum ad Hebræos.Omnis qui-
Hebr.12 dem diſciplina in præſenti videtur non eſſe
gaudij,ſed mœroris,&c. Hoc loco cum rectè
accipiatur pro eruditiõe , ſicut mox vertit in-
terpres , poteſt etiã accipi ſecundũ Hebræos
pro caſtigatione & correctione morum. Et ſi
quis harum dictionum particularẽ diſtinctio-
nem requirat , ſapientia referri poteſt ad per-
fectos,diſciplina autem ad imperfectos. Iam
quod ſequitur, *Ad intelligendum verba prudentiæ,*
referri poteſt ad ſapiẽtiam quæ per verba pru
dẽtiæ percipitur,& quod dicitur, *ad ſuſcipiendã,*
eruditionem doctrinæ , pertinebit ad diſciplinam.
Cæterũ ſapiẽtia quæ toto hoc libro & in ſcri-
pturis ſacris cõmendatur tantopere,longè eſt
alia quã de qua Philoſophi loquũtur & ꝑ quã
apud vulgus quidam dicuntur ſapientes.Non
enim hæc conſiſtit in multa rerum naturaliũ
& rerum geſtarum cognitione , aut in ſubtili
argumentorum collectione , aut in prudenti
rerum gerendarum diſpoſitione, iuxta natu-
ralis rationis dictamen,aut in artificioſa ope
rum perfectione: ſed in cognitione eorũ quæ
& de Deo vero credenda ſunt, & ſecũdũ eius
voluntatem facienda ſunt,ad eum finem vt
aliquãdo eo fruamur,& in eo beati ſimus.Hęc
eſt enim ſola verè ſapientia , quæ tamen non
conſiſtit ſolum in cognitione horum,ſed & in
affectione pia erga illa. Sic hac enim non vo-
catur quis in ſcripturis ſacris ſapiens , ſed in-
ſipiens & ſtultus. Et quis quæſo ſtultior eo
qui cum rectam videat viam & agnoſcat, eã
tamen ingredi nolit, ſed præ ea, deuia eligat
per quæ in foueam aut in latronum manus
abducatur.Sic & de ſcientia loquitur Ioannes, 1.Ioan.2.
dicens: Qui dicit ſe noſſe Deum , & mandata
eius non cuſtodit,mendax eſt,& veritas in eo
non eſt. Atque quo inſinuaret ſe Sapiens lo-
qui de huiuſmodi ſapientia , quæ conſiſtit in
rectè viuendo,poſtquam dixiſſet,ad intelligẽ
da verba prudentię,& ſuſcipiendam eruditio-
nem doctrinæ,ſubiicit iuſtitiam,iudicium &
æquitatem,ſignificãs ſe loqui de ea ſapientia
quæ in illis virtutibus conſiſtit,in qubus om-
nis virtus comprehenditur. Omnis enim vir-
tus iuſtitia eſt iudicium & æquitas, quæ nomi
na eodem recidunt. Congeruntur autem pro
Hebræorũ more ad perfectionem indicandã.
Iuſtitia enim eſt omne opus bonũ , quia hoc
iuſtum eſt fieri. Idem eſt iudicium,quia illud
recta ratio & lex diuina faciendum decernit.
Æquitas eſt & rectitudo , quia rectæ rationi
conſonum.Coniunguntur frequenter in ſcri-
pturis duo illa iuſtitia & iudiciũ,per quę quid
ſignificetur hic inſinuatur,dum additur ęqui
tatem, vel vt habent Hebræa pluraliter recti-
tudines,hoc eſt,ea quæ recta ſunt. Cæterum
illorum duorum,alterum eſt mentis decernẽ
tis quod iuſtũ eſt:alterum eſt voluntatis con-
formãtis ſe in operatione cum recto iudicio
mentis.Vnde Ambroſius ſuper illud: Feci iu- Ambro.
dicium & iuſtitiam, ſermone 16. in Pſalmum
118.Iudicij,inquit,finis eſt iuſtitia, In iudicio
eſt veritatis cuſtodia,in iuſtitia fructus æquita
tis.Et Auguſtinus in Pſalmum 105.ſuper illud Auguſt.
Beati qui cuſtodiunt iudicium & faciunt iuſti
tiam in omni tẽpore.Amat inquit, ſcriptura il
la duo ſimul ponere.Et fortaſſe propter vicini
tatem ſignificationis etiã alterum pro altero
poni poteſt,vel iudiciũ ꝓ iuſtitia, vel iuſtitia
pro iudicio,tamen ſi propriè dicãtur aliquid
intereſſe non dubito, vt iudiciũ cuſtodire di-
catur, qui rectè iudicat, iuſtitiam vero facere
qui agit.Hæc ille.Itaque hęc duo coniuncta ſi-
gnificant,nec ſatis eſſe rectè iudicare , nec ſa-
tis eſſe quod rectum eſt agere,ſed neceſſum
eſſe vt & quod rectè iudicamus, rectè agamꝰ
& quod rectum eſt,cum iudicio agamus.

Indicat autẽ Sapiẽs & quib. potiſſimũ hæc
ſcribãtur,cũ ſubdit,vt detur paruulis aſtutia
vbi pro paruulis dictio eſt Hebraica פתאים
Pethaiim,à ſuadendo & pelliciẽdo dicta, quæ
hoc libro ſæpius occurrit, & ferè in malã par-
tem,pro his qui facilè ſuaſionibus ducuntur,
hoc eſt,pro rudibus & imperitis. Pro quo Se-
ptuaginta ſępe vertunt ἄκακος,quẽadmodum
& hoc loco.vnde noſter quamuis hic verterit
paruulis,aliquando poſtea vertit innocẽs,vt
annotabitur inferius.Itaque paruuli hic dicũ
tur non tam qui ætate ſunt paruuli,quam qui
ſenſu & iudicio , quales etiam ſunt qui ætate
ſunt paruuli.vnde & ſubditur.Et adoleſcenti,
vel

vel vt habent Hebræa,iuueni & puero,ſcientia
& intellectus. Imperitis enim & facilè perſua
ſibilibus neceſſaria eſt aſtutia, hoc eſt circun-
ſpectio,ne facilè decipiantur,incautis enim cõ
uenit cautio.Iuuenibus autem ſcientia & in-
telligẽtia, ne ignorãtia pereant,quæ illis ineſt
propter inexperientiam.

Audiens ſapiens ſapientior erit: & intelligens guber-
nacula poſſidebit. Animaduertet parabolam & interpre
tationem: verba ſapientum & ænigmata eorum.

Duobus modis intelligi poſſunt hæc ſub-
iuncta ſuperiori proemio. Altero vt indi
cetur hic qualis debeat eſſe horum auditor,
& qui ſint qui hanc doctrinam ſint ſuſceptu-
ri,nempe qui ſapiunt , hoc eſt qui per timorẽ
Dei ſuam inſipientiam deponere incœperũt.
nã vt poſtea dicitur, Stulti ſapientiam deſpi-
ciunt. Qui ergo ſapit,is hanc doctrinam au-
diet,non aure tantum corporis,ſed etiam mẽ
tis,eam recipiendo & amplexando,ſicque ma
gis magiſq; reddetur ſapiens. Nec his obuiat
quod mox ſupra dixerat , hæc tradi vt detur
imperitis & iuuenibus ſcientia.Nam illis non
proficiet niſi ſapere incipiant. Altero modo
& melius intelligũtur hęc ſubiũcta,vt ne,quia
dixit,vt detur paruulis aſtutia, viderentur hæ
parabolæ tantum prodeſſe poſſe illis imperitis
& iuuenibus,ſed ex eis etiam ſapientes poſſe
non paruam percipere vtilitatem , quamuis
prima ratio habeatur eorum qui maximè in-
digent ſapientia.Sapiens,inquit, ſi audiat has
parabolas,ita vt animũ eis accõmodet,& ipſe
hinc percipiet commodum, ſapientior enim
euadet.Et qui intelligens eſt,ſi audiat has,poſ
ſidebit,hoc eſt , acquiret & obtinebit per has
gubernacula,hoc eſt,rationes gubernandi &
conſilia,per quæ & ſeipſum in omnibus agen
dis,& alios rectè gubernare poterit,ſibi & aliis
bene in omnib. cõſulẽs.Dictio enim Hebrai-
ca hoc loco poſita propria cõſilia ſignificat,
pro qua Septuaginta & hoc loco & aliquoties
poſtea verterũt κυβέρνησιν, quos ſequutꝰ noſter
vertit gubernacula ,quod metaphorice acci-
piendum eſt pro conſiliis quibus res gerẽdas
moderãtur viri prudentes,vt clauo nauem di-
rigit nauclerus.Significat ergo hoc cõſecutu-
rum ex his parabolis eum qui intellectu præ-
ditus eſt,quod ex his diſcet conſilia quæ ſibi
& aliis ſuppeditabit ad gubernandum actio-
nes.Inſuper ſi hæc audiat,animaduertet para-
bolam & interpretationẽ,quia ei dabitur occa
ſio preſſè,cogitandi de ſententiis ſeriis & gra
uibus,& inueſtigandi atque inueniendi earũ
ſenſum & interpretationem.Et vt ſignificaret
quid parabolæ nomine intelligat,ſubiicit:ver
ba ſapientum & ænigmata eorum,hoc eſt ob-
ſcura & perplexa eorum dicta.Quæ ſcilicet &
in hoc libro congeſta ſunt,& quæ etiam ſi hic
non continẽtur,facilius ex iſtis intelligi à ſa-
pientibus poterũt.Hactenus ergo duplex hu
ius libri vtilitas inſinuata eſt , nempe vt inſi-
piẽtes hinc ſuſcipiant ſapientiam,& vt ſapien
tes,hoc eſt,qui vel omnino ſunt ſapientes , &
qui habentur ſapientes,addant ſibi ampliorẽ
ſapientiam. Et illi quidem fiant ex imperitis
aſtuti,ſcientes & intelligentes, hi vero fiant
boni conſultores,& abſtruſas etiam quaſque

ſententias penetrent & intelligant.

Timor Domini, principium ſapientiæ: ſapientiam at-
que doctrinam ſtulti deſpiciunt.

PRiuſquam ſapientiam quam promiſit,tra-
dere incipiat,hunc verſum præmittit,quo
ſignificat qui ſint Sapientiæ capaces,qui non
& quæ ſit ſapientię origo.Sic & Sapiens Eccl.
1.poſt cõmẽdationẽ ſapiẽtiæ ſtatim ſubiicit e-
ximiam commendationem timoris domini,
inter cætera etiam dicẽs,quod hic dicitur:Ini-
tium ſapientiæ , timor domini.Quæ ſententia
ſicut poſt Salomonẽ ab Eccleſiaſtico eſt repe
tita,ita & ante Salomonẽ prolata eſt à Dauide
Pſal.110. vbi legimus initium ſapientiæ timor
domini.Cum ergo tam celebris ſit hæc ſentẽ-
tia,diligenter inquirenda eſt eius intelligentia
Ad quam quo melius perueniamus,tractãda
eſt duplex difficultas quæ circa eam occurrit.
Primo enim quæri põt , quomodo timor Dei
dicatur initium ſapientiæ,cum ipſe timor Dei
ab ipſa proficiſcatur ſapientia, vt quæ timorẽ
Dei inprimis doceat. Ipſa vero ſapientia ge-
neretur ex principiis fidei & præceptis diui-
nis,ita vt potius fides videatur dicenda princi
pium ſapientiæ:iuxta illud: Niſi credideritis, Iſaiæ.7.
non intelligetis.Secundo quomodo in prædi- iuxta 70.
ctis ſcripturis timor Dei dicitur eſſe tantum
initiũ ſapiẽtiæ,cũ Iob,28.dicatur: Ecce timor
domini,ipſa eſt ſapiẽtia,Et Eccleſiaſtici.1. Ple-
nitudo ſapiẽtiæ eſt timere Deũ.Item: Corona
ſapientiæ timor Domini.Et ſapientia & diſci-
plina timor domini.Item c.19.Omnis ſapiẽtia
timor domini.Imo & c.25.præfertur ſapientię,
cum dicitur:Quam magnus qui inuenit ſapiẽ
tiã , ſed non eſt ſuper timentem Dominum.
Timor domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.D.
Thomas tractans has difficultates ſecũda ſe D. Tho.
cundæ.q.19.art.7.quod ad priorem attinet,ait
Initium ſapiẽtiæ dupliciter aliquid dici poſſe.
Aut quia eſt initium eius ſecundum eſſentiam
ipſius,hoc eſt, vnde trahat ſuam originem &
eſſe.Aut quia eſt initium eius ſecundum eius
effectum,hoc eſt,id vnde primo incipit ſapien
tia operari,eſt que in homine primus ſapien
tiæ effectus.Et priori quidem modo,fidem ait
eſſe initium ſapientiæ,hoc eſt cognitionis Dei
Poſteriori verò modo timorem Dei eſſe ini-
tium ſapientiæ,quia hic eſt primus cognitio-
nis Dei effectus.Nõ multum huic diſſimile eſt
quod quidam intelligunt,cũ hic dicitur: Prin
cipium ſapientię timor Domini,tradi primum
ſapientiæ præceptum,vt ſit ſenſus:hoc in pri-
mis ſapientia de qua loquor,exigit, vt quis ti-
meat dominum. Ad poſteriorem difficultatẽ
dicit timorem Dei ſic dici eſſe ipſam ſapiẽtiã,
quomodo radix in virtute dicitur eſſe tota ar-
bor,quia & de timore dicitur Eccleſiaſtici 1.
Radix ſapientiæ eſt timere Deum. Verum hæ
explicandi rationes non videntur ſcripturis
conuenire. Omnino enim videtur prædictis
ſententiis non ſignificari vnde ſapientia in no
bis incipiat operari,ſed vnde oriatur,ſicut illa
ſententia ſatis oſtendit.Radix ſapientiæ eſt ti-
mere Deum.Et cum hic ſubiicitur,ſapientiam
atque doctrinam ſtulti deſpiciunt, ſignificat
ſtultos ideo non eſſe capaces ſapientiæ, quod
vacui ſint timore Dei,timentes autem domi-

num

num, per timorem illum fieri ſapientiæ capaces. Notandum ergo quod ſupra dictum eſt ſapientem hic non loqui de ſapientia vt tantum in ſe includat cognitionem Dei rerumq; agẽdarum, ſed vt in ſe includat cognitionem huiuſmodi ſimul cum pia voluntatis affectione erga Deum & quæ Dei ſunt. Huiuſmodi ſapiẽtiæ, timor domini eſt principium, quia timor D i & facit vt ſerio accommodemus animum noſtrum ad ſciendum quæ Dei ſunt, & facit vt incipiamus illis affici eaq; eligere, approbare,
Auguſt. & opere perficere. Intelligit autem D. Auguſtinus iſtud dictum de timore ſeruili, quẽadmodum patet præter alia loca, ex commentario eius in epiſtolam Ioannis tractatu 9. vbi explicans illud: perfecta charitas, foras mittit timorem, Ergo, inquit, incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor domini. Timor quaſi locum præparat charitati. Cum autem cepit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparauit locum. Sicut videmus per ſetam introduci linũ, quando aliquid ſuitur, &c. Verum iſtud non conuenit ei quod dicitur Eccleſiaſtici 1. Plenitudo ſapientiæ timere Deum. Itaque notandum ſecundo, quod dum ſcriptura tantopere commendat timorem domini in variis locis, nomine timoris non ſimpliciter ſignificatur metus ille, quo homo in ſeipſo concutitur, & ſpei, quodãmodo opponitur, ſed ſimul cũ hoc metu malum aliquod reſpiciente, omnis reuerentia Dei, qua fit vt homo Dei maieſtatem habens præ oculis, illum magni facit, illi ſubmiſſe ſe ſubiicit, illi morem in omnibus gerere ſtudet, cauens ſtudioſe ne illum offendat. Vnde Septuaginta frequenter pro ea dictione Hebraica quæ timorem ſignificat, vertunt θεοσέβειαν, vel εὐσέβειαν, Nam prædicto loco Iob, Græca habent θεοσέβειαν, Vnde Auguſ. variis locis, legit Ecce pietas ipſa eſt ſapientia, vt de ſpiritu & litera c. 11. Et de Trinitate li. 12. c. 14. Nam libro de ſpiritu & litera ſic habet. Pietatem dico quã Græci θεοσέβειαν, vocant. Ipſa quippe commendata eſt, cum dictum eſt homini, quod in libro Iob legitur, Ecce pietas eſt ſapiẽtia. Et hoc loco apud Salomonem nõ eſt φόβος, hoc eſt timor, ſed εὐσέβεια εἰς θεὸν, hoc eſt pietas in Deum, quemadmodum & Eſai. 11. vbi nos legimus, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, Græcis eſt εὐσεβείας, cum ſit eadem dictio Hebræis, quæ hoc loco ponitur, quamuis mox eandem dictionem ſeptuaginta verterunt φόβου quos noſter ſecutus etiã vertit, Et implebit eum ſpiritus timoris domini. Quibus conſideratis quidam exiſtimauerunt non tam vertendũ fuiſſe in prædictis locis: Initium & principium ſapientiæ, quam primitias, vt ſignificetur præcipuam ſapientiæ partem eſſe timorem domini. Dictio enim Hebraica Reſcith, hic poſita non tantũ ſignificat principium, ſed primitias & præcipua quæque in rebus. Hoc enim nomine ſemper vtitur ſcriptura Moſaica cum iubet primitias frugum Deo offerre. Eadem eſt 1. Regum 15. cum dicit Saul: Tulit populus de præda oues & boues primitias eorum quæ cæſa ſunt, hoc eſt præcipua quæq; & electa ex eis. Sed & dictio Græca quæ his locis ponit ἀρχὴ, non tantum ſignificat principium, ſed & principatum, quomodo accipitur Pſalmo 109. vbi noſter vertit: Tecum principium. Nam ex Hebræo patet principium pro principatu accipi debere. Ita ergo hic ſenſus eſſe poſſet, Timorem domini præcipuam eſſe partem ſapiẽtiæ & primas partes atque principatum tenere inſapientia. Timor enim Dei ſic generaliter acceptus vt diximus, per omnes ſapiẽtię partes ſe miſcet. Nam vt habet Paulus: Pietas ad 1. Tim. 4.
omnia vtilis eſt. Itaque mirũ non eſt ſi timor Dei vt pietatem erga Deum & reuerentiã ſignificat, dicatur eſſe ipſa ſapientia, plenitudo ſapientiæ, & corona ſapientiæ. Quamuis etiã verum ſit, ipſum non ſolum ratione illius metus quem includit, quo malum aliquod reſpicitur quod à Deo nobis poteſt obuenire, ſed etiam quatenus ſignificat reuerẽtiam, ipſum eſſe principium ſeu initium ſapientiæ, ſicut & radix ſapientiæ dicitur timere Deum, ſed tale principium quod cum ſapiẽtia quam introducit & ingenerat, permanet, & cum ea ſemper magis perficitur, eámque magis perficit. Nec multum diſſimile prędictis eſt quod Beda in hunc locum ſcribens, timorem ſeruilem dicit principium eſſe ſapientiæ, timoré verò filialem, qui ferè coincidit cum reuerẽtia & pietate, eſſe conſummationem & perfectionem ſapientiæ, quia duo iſti timores partes ſunt timoris quem ſcriptura prædicat & commendat. Nam cum dicitur infra c. 9. Principium ſapientiæ timor domini, non eſt iam illo loco dictio ראשית Reſcith hic poſita, ſed תחלת Thechillath, quæ initium proprie ſignificat. Dicit ergo hoc loco timorem Dei eſſe principiũ ſapientiæ, & vt habent Hebręa ſciẽtiæ, ſignificãs timorem Dei debere adeſſe his qui percepturi ſunt ſapientiam, de qua loquitur. E regione cuius dicit ſtultos, hoc eſt, qui timore Dei ſunt vacui, deſpicere ſapientiam & doctrinam. Coniungit autem ſæpe cum ſapientia, doctrinã & diſciplinã & eruditionẽ pro quibus tribus eſt Hebræis & Græcis eadẽ dictio, vt intelligamus ſapiẽtiam percipi nõ poſſe niſi quis doceatur & erudiatur. Stulti ergo quia ſapientiam deſpiciunt, deſpiciunt & doctrinam qua ad ſapientiam peruenire poſſent, Docet ergo prior huius ſententiæ pars ſapientiam, de qua loquitur non conſiſtere in multarum rerum cognitione, nec multo ſtudio ac librorum multorum lectione parari, ſed timore Dei, ac tum demum incipere nos ſapere cum incipimus Deum timere.

Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

QVę hactenus habita ſunt, proemij loco præmiſſa ſunt, in quibus ſignificatũ eſt & quid hoc libro contineatur, & quis author eius, & ad quem fructum, item quibus hæc ſunt ſcripta, & quales eſſe debeant qui hinc fructum ſint reportaturi. Hic iam primum tradit præceptum, quo monet parentes audiendos. Quoniam enim iuuentutem potiſſimum in principio ſuſcepit inſtituendam, & huius inſtitutio recta maxime pendet à parentum doctrina, qui ab incunabilis eos formare debẽt, ideò rectè hinc auſpicatur quod ſine horum inſtitutione & doctrina, nec timorẽ Dei qui principiũ eſt ſapientiæ, nec quidquis aliud ad ſapientiam pertinens poſſint intelligere. Alloquitur autem vnumquemque tanquã pater, blande ſemper inculcans illud, fili mi, quo oſtẽdat ſe paterno animo hãc tradere doctrinã, atque ex animo nihil deſiderare quam vniuſcuiuſque ſalutem, ſicque ad ſuſcipiendam lubentius hãc doctrinam quiſque inuiterur. Audi, inquit, diſciplinam patris tui quaſi dicat: Quandoquidem per diſciplinam & eruditionem oportet ad ſapientiam peruenire (nemo enim naſcitur ſapiens) parẽtum eruditio & doctrina ante omnia filiis eſt audienda, tum quod hoc munus præcipue ad parentes pertineat, tum quod nemo eo munere melius fungi poterit, vt qui filiorũ ſalutẽ maxime ament & exoptent. Vnde etiã cõſequitur tanto grauius eſſe filiorũ peccatũ, ſi parentum doctrinam audire & recipere nolint, vt qui hac re maxime faciant contra primum ſecundæ tabulæ præceptum de honorandis parentibus. Quamuis autem de patre dicat, Audi diſciplinã patris: de matre, ne dimittas legem matris. Vtrumque tamen ad vtrunque parentem eſt referendum, quaſi dixiſſet: Audi diſciplinam patris & matris, & ne dimittas eorum legem. Diuiſio enim illa tantum fit ex elegantia pro more Hebraico, qui in multis verſibus, tum huius libri, tum Pſalmorum eſt obſeruandus. Prius autem dicit: Audi diſciplinam, & poſtea ne dimittas legem, quia prius oportet audire & recipere, ac deinde quod auditum & receptum eſt, retinere, nec ob quamuis occurrẽtem cauſam & ſeductionem derelinquere. Vnde Hebræa habent. Ne proiicias & abiicias, & ne eradices legem, quam ſcilicet mater multo labore in animo tuo plantauit, ne ſinas illam eradicari. Quo autem ad audiendam parẽtum diſciplinam filios adducat, fructum ſubiicit hinc conſecuturũ. Vt, inquit, addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Vbi quidã metaphoram ſumptam putant, à puerilibus ornamentis, quibus ætas puerilis gaudet, nempe coronis & torquibus, quibus rebus, oculis vulgi commendari ſolent: vt ætatem eam cui loquitur, eis rebus quibus delectatur magis inuitet ad obediẽtiã. Per gratiã enim rectè intelligitur corona quæ caput ornat. vnde 70. verterunt, στέφανον χαρίτων, coronã gratiarũ. Itaque ſignificatur per obediẽtiã parẽtibus exhibitam, filios cõſecuturos apud homines gratiã & fauorem, ita vt eos libẽter omnes aſpiciãt omnẽſq; complectantur & magni faciant veluti corona & torque ornatos. Vel conſecuturos a Deo magna gratiarum dona, quaſi ſi donarentur corona & torque pretioſis, proſperitatem ſcilicet, bonam famam, diuitias, longã vitam, prudentiam, quemadmodum poſtea
Eccle. 3. latius explicat. Sic Eccleſiaſtici tertio. In opere & ſermone honora patrẽ tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, vel vt habent Græca, ἀπὸ τοῦ ἐντρόπου, ab hominibus. Item: Quã malæ famæ eſt qui derelinquit patrem, & eſt maledictus qui exaſperat matrem. Alij metaphoram ductam eſſe volunt ab ornamẽtis regũ & victorũ, vt ſignificetur filios qui parẽtũ monita ſequuntur, peruenturos ad inſignes honores. Quod frequenter in eis etiam tẽporaliter impletur, & ſpiritualiter ſe mper perfi-

citur in eis apud Deum, a quo & in hac vita multis chariſmatum donis ornantur, tum in mente, quæ eſt quaſi caput animæ, tum in ſermone qui fit per guttur, & poſt hanc vitã vel reges & vitiorum victores coronantur in Cap. 5.
cœlis, cum illis implebitur illud Sapiẽtiæ: Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu domini. Cæterum quod ad literã hic dicitur de parentibus corporalibus, iuxta my Myſticus
ſticum ſenſum, intelligendum ſimiliter eſt de ſenſus.
ſpiritualibus, nẽpe patre cœleſti & matre ſpirituali, eccleſia, vt intelligamus hic omnes qui ſapientiæ filij cenſeri volunt, moneri, vt & diſciplinam patris cœleſtis libenter audiant, & interim tamen non negligant nec dimittant legem, præcepta ac conſtitutiones Eccleſiæ, quæ eos Deo per Euangelium & baptiſmum generauit.

Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint, Veni nobiſcum inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra, deglutiamus eum ſicut infernus viuentem & integrum quaſi deſcendentem in lacum. Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus implebimus noſtras domos ſpoliis. Sortem mitte nobiſcum, marſupium vnum ſit omnium noſtrum. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorũ. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem.

COnuenienti ordine poſtquam monuit parentes audiendos, ſubiicit cauendos ſeductores, à quibus iuuenili maxime ætati, vt potẽrerũ inexpertæ, & quæ ad mala ex ſeſe maxime prona eſt ſummum eſt periculum. Solent enim ab his in quibus domi, bene ſunt inſtituti iuuenes, praui illi conſiliarij & ſeductores foris eos abducere, cõtrarium his quæ parentes inſtillauerunt ſuggerendo: Præmunit ergo ſuum filium Sapiens dicens. Fili mi, ſi te peccatores lactauerint, hoc eſt, blandis verbis atque promiſſis allexerint ad ſe, ne acquieſcas eis conſentiendo eis: Et vt efficacius deterreret à conſenſu illorum, proponit exẽplum de latronibus & ſicariis, qui publicas obſident vias, prædantur, & ſtrãgulant homines innocentes, quales maximè ſolent alios allicere ad ſui cõſortium, quo fortiores ſint & facilius efficiant quod moliuntur, Hoc inquam, exemplum eorum qui peſſima ſuadẽt & ſuggerunt proponit, vt oſtendat quam impia audeant homines impij ſuggerere, quodque ad hæc tam impia tandem reuoluerentur qui impiis aurem præbere cœperint deſertis parentum monitis. Ex paruis enim ad hæc maxima peruenire ſolet. Oſtendit item in oratione peſſimorum iſtorum hominum qualibus & quam efficacibus rationibus vti ſoleant, vt imperitos iuuenes facilius pelliciant ad malum. Primum enim ſignificant id ad quod inuitant fore ſecretum, nam pudore & verecundia cohibentur iuuenes à flagitiis. Inſidiemur inquiunt, ſanguini, hoc, eſt, vitæ hominum, abſcondamus tendiculas, hoc eſt, inſidias & laqueos, contra inſontem, hoc eſt, eum qui nos non læſit, & proinde ſibi à nobis non cauebit: abſcondamus inquam fruſtra, hoc eſt, præter eius meritum, aut impune. Deinde ſignificant id ad quod inuitant fore facilè, nam difficultas multos deterret à vitiis. Deglutia-

mus, inquiunt eum ſicut infernus viuentem, & integrum quaſi deſcendẽtem in lacũ. Quibus verbis inuitant ad perdendum homines ſimplices & rectos (qui facilè decipiuntur) ſubito & penitus, ita vt eorum nihil ſuperſit, aut
Num.16 appareat. Videri autem poteſt eſſe alluſio ad hiſtoriam de Dathan & Abyron, qui viui cum omnib. ſuis rebus abſorpti ſunt in lacũ inferni ſubito, & ſumma cum facilitate. Ad quam
Pſal. 54. hiſtoriam alluſit Pſalmiſta dicens: Deſcendant in infernum viuentes. Aut cum dicitur: Deglutiamus eum, ſicut infernus viuentem, nõ ſignificat infernum abſorbere homines quãdiu ſunt in vita, ſed quod abſorbeat per mortem eos qui vixerunt. Itaque ſenſus erit: Totũ eum ſicuti eſt, ſubito per inflictam mortẽ abſorbeamus, hoc eſt, de vita tollamus ſicut infernus, hoc eſt, mors & ſepulchrum (nã & hoc ſignificat dictio Hebræa) abſorbet ſubito & minimo negotio de terra totum hominem viuentem. Et hominem integrum, hoc eſt, rectum deglutiamus, quaſi qui deſcendat in lacum mortis & ſepulchri. Tertia perſuadendi ratio eſt ex lucro quod multum lactare ſolet iuuenes, vnde ſubiungũt. Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domos noſtras ſpoliis, quæ ſcilicet auferemus nullo reſiſtente, ſublatis illis quorum erant illa bona. Quaſi dicant: Modico negotio & via compendioſa diuitias nobis comparabimus, ad quas alij vix magnis peruenient laboribus, His præmiſſis rationibus ad inducendum cõſtructis, concludunt: Sortem mitte nobiſcum hoc eſt, committe te nobiſcum fortunæ, experiamur communem fortunæ aleam, vt & vnum: ſit omnium noſtrum marſupium, hoc eſt, commune ſit lucrum, quod diripiendo cõſequemur. Quibus verbis & quartam ad perſuadendum rationem inducunt, dum qui veluti duces futuri ſunt, & in flagitiis huiuſmodi aſſuefacti, ita vt ſuo iure primas ſimul & maiores partes vendicare poſſent in præda, æqualitatem in omnibus permittunt, & prædæ communionem. Efficacior erit tota hęc oratio, quæ quatuor complectitur partes & rationes, ſi omnia verba vertantur per futurum indicatiui, vt habent Hebræa, quamuis ſæpe etiam futurum indicatiui vertendum ſit per imperatiuum. Inſidiabimur ſanguini abſcõdemus, deglutiemus. Et rurſum, ſortem mittes nobiſcum, marſupium omnium noſtrum vnum erit, hoc eſt, omnia erunt communia, ſine muſque te ex communi ſortem mittere nobiſcum, vt ſorte tuam accipias partem. Porrò ſub hoc exemplo latronum in ſyluis degẽtium, etiam parabolicè intelligendi ſunt nonnulli, & hi qui in ciuitatibus Rempublicam & miſeros ciues expilant iniquis rationibus, vt vſuris & iniuſtis negotiationibus per monopolia aliáque iniqua media, qui quo ſint fortiores in ſuam ſocietatem multos pertrahere ſtudent, eiſdem aut ſimilibus rationibus cum his quæ in prædicta continentur oratione. Oſtendunt enim ſua ſtudia ſecreta eſſe & vulgo incognita, per ea ſubito & paruo negotio peruenire poſſe ad immẽſas diuitias, lucrumque commune fore omnibus ſociis. Quibus ſanè rationibus multos abduci videmus ad illicita commercia cum magna reipublicæ iactura. In hos etiam ſimili exemplo bene cõpetit illud Pſalmi: Sedet in inſidiis cum diuitibus in occultis, &c. Quod enim etiam hoc latrocinij genus & quoduis conſortium eorum qui inter ſe propter ſuum commodum in aliorum pernitiem conſpirãt, ſub hoc apertorum latronum exemplo notare voluerit, patet ex generali cõcluſione quam poſtea ſubinfert. Sic ſemitæ omnis auari, &c. Poteſt autem noſtra litera per accommodationem ſpecialem, attribui Iudæis in Chriſtum conſpirãtibus ad perdẽdum eum per inſidias, quemadmodum hunc locum tractat Beda, qua no
Beda. ſtra litera habet ſingularem numerum, Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem & integrum. Nullus autem verè & perfectè integer præter Chriſtum. Meminit huius intelligentiæ & D. Auguſt. lib. 17. de ciuitate Dei ca-
Auguſti. pitulo vigeſimo. Verum hæc accommodatio locum non habet in Hebræis, quæ habent pluraliter, Deglutiamus eos viuentes, & integros ſicut deſcendentes in lacum. Singularem tamen numerum habent ſeptuaginta quos noſter hic ſecutus eſt, ſicut in multis aliis. Propoſita impiorum ſuaſibili ſuggeſtione ſubiicit ſuum contrarium conſilium, dicens: Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum, hoc eſt, noli habere cõmercium cum eis, nec ſequaris eorum viuendi inſtitutum, ſed retrahe te, tuumque affectum à moribus & ſtudiis eorum. Via enim in ſcripturis mores & actionem ſignificat. Addit rationem: Pedes enim illorum ad malum currunt & feſtinant, vt effundant ſanguinem, hoc eſt, ipſi ardenter deſiderant malum perpetrare, idque ſummũ, nempe effundere ſanguinem, vitámque hominis tollere quaſi dicat: Non tam debes aduertere fructum diuitiarum & ſpoliorum, quem tibi proponunt, vt alliciant, quàm malũ illud inſigne ad quod te prouocant, à quo & ipſa natura abhorret. Mutuatus eſt hunc verſum vltimum Eſaias
Cap.54. ex iſto loco, ex vtroque Dius Paulus ad Ro-
Cap.3. manos, vbi habemus: Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Quod & nos legimus in Dauide, Pſal. 13.

Fruſtrà autem iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas. Sic ſemitæ omnis auari, animas poſſidentium rapiunt.

VARIIS modis ſententiæ iſtæ tres apud Hebræos intelliguntur, quæ varietas potiſſimum ab eo pendet, quod pro ſanguinem ſuum & animas ſuas verti etiam poteſt, ſanguinem illorum, & animas illorum. Dubium enim eſt an intelligi debeant relatiua reciproca, an non reciproca, quia Hebræi carent hac diſtinctione. Itaque iuxta noſtram verſionem, quæ hac in parte ſecuta eſt ſeptuaginta verſionem, quæ etiam habet relatiua reciproca, his verſibus Sapiens indicat rationes, ob quas meritò filius quem monet, non debeat cum prauis illis ſuggeſtoribus ambulare, & conſortium inire. Et prima quidem ratio eſt talis. Sicut fruſtrà, hoc eſt, inaniter

niter proiicitur & expanditur rete in oculis pennatorum, hoc eſt, auium, quia videntes rete expandi & parari, volatu illud effugiũt, iux-
Ouidius. ta illud: Quæ nimis apparent retia, vitat auis. Ita & tu iam à me prænonitus, & intelligens ad quod malum ſuis ſuaſionibus ſpe lucri te volunt pertrahere, merito illorum rete quod tibi parant, effugere debes. Secunda ratio ſequenti verſu indicatur. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiãtur, &c. etiam ſic accipi, vt ſignificet impios ſibi mutuo inſidiari, nec inter ſe ſibi fidos eſſe, ſed alterum alteri exitium machinari, ſicque omnis auari morem eſſe, vt pro parandis diuitiis, ne vitæ quidem aliorum parcat. Vt hinc intelligamus illorum concordiam & initam conſpirationem non eſſe ſtabilem & ſecuram, ſed malum ipſum eſſe deſtructiuum ſui & aliorum, iuſtitiam autem ſolam eſſe certum & tutum vinculum ſocietatis humanæ. Si verò intelligantur
Pſal. 7. pronomina non reciproca, his verſibus Sapiẽs pergit oſtendere impietatem illorum impiorum conſiliariorum, quam cœperat oſtendere, dicens: Pedes eorum in malum currunt, &c. Quod proſequendo ſubiicit: Fruſtrà autem, & vt habent Hebræa, Fruſtra enim. Et erit ſenſus fruſtra, hoc eſt, innocenter & ſine auiũ culpa expanditur rete coram auibus ad capiendum eas. Ita & ipſi inſidiantur ſanguini ipſorum, nempe innocentium, cum nihil tale illi meruerint. Nec illi tantum ſic faciunt ſed ad eum modum etiam ſe habent ſemitæ omnis auari. Nam auari inſtar aucupum rapere ſtudent animas poſſidentium, aliorum ſcilicet diuitum, hoc eſt, inhiant eorum diuitiis eóſque ſpoliare & nudare deſiderant. Sed huic intelligentiæ obſtare videtur, quod dicitur rete poni in oculis pennatorum, hoc enim non eſt inſidiantium. Proinde altera, quæ noſtræ lectionis eſt, videtur præferenda intelligentia. Tertia tamen ſententia iuxta Hebræorum lectionem, poſteriori ſententiæ magis fauere videtur. Nam ſic eſt ad verbum, Sic ſemitæ omnis inhiantis lucro, animam tollit eorum, qui habent illud. Auarus ſcilicet inhians lucro tollit animam eorum qui habent lucrum & ſubſtantiam. Niſi ſic intelligas ipſum lucrum & auaritia cui auarus inhiat, tollit animam dominorum ſuorum, & eorum qui illud lucrum & auaritiam ſectantur, hoc eſt, pernitiem eis adfert & interitum auaritia ipſorum. Atque hunc puto probabiliorem intellectum eſſe.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens: Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia rupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionẽ meã, en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.

POſtquam introduxit illicibilem illum peſſimorum hominum ſermonem monuitque ne illum audirent & ſequerentur, vt plus ponderis habeat eius monitio, ipſam nunc ſapientiam introducit loquentem per proſopopœiam & in confuſionem humanæ ſtultitiæ & ignorantiæ, oſtendit ſapientiam omnibus eſſe obuiam, non latere in tenebris, nec in deſertis aut longinquis eſſe locis, quaſi ad eam non pateret aditus, aut quiſquam ſuæ inſipiẽtiæ præterire poſſet difficultatem aſſequendi eam. Dicit ergo ſapientiam ipſam non latere in domo ſed foris hoc eſt in vicis prædicare, hoc eſt palam & magna voce clamare, atque etiam in latioribus plateis dare vocem ſuam, clamitare item in capite turbarum, hoc eſt, in frequentioribus turbis, atque in foribus portarum vrbis proferre verba ſua, hoc eſt palam & omnibus in locis atque apud omnes. Hoc enim illa congerie vult ſignificare: quam uis & rectè intellexerimus per turbas, vulgus illum ſignificaſſe, per portas, magiſtratum & iudices qui in portis iudicia exercere ſolebãt vbi concurſus fuit hominum exeũtium & introeuntiũ. Hæc autẽ ſapientia cui tribuit vocem apud omnes inclamantem, rectè intelligitur, aut ipſa ſapientia in genere accepta tanquam perſona aliqua ſubſiſtens, de quo plura in cap. 8. Aut ipſa diuina increata ſapientia, quæ variis modis ſeſe prædicat apud homines cóſque admonet ſui officij, obquam forte cauſam Hebræis dicitur pluraliter Sapientiæ foris clamant, quòd variis modis inclamet Dei ſapientia in hominibus. Clamat enim per legem ſcriptam in cordibus hominum, demonſtrans per eam quid fugiendum, quid ſectandum, clamat apud Iudæos maximè per legem & prophetas, clamat nunc per euan-

gelij prædicationem ſemperq; clamauit atq; clamabit vbiq;, tum per internã inſpirationẽ corda hominũ commouentem, tum per piorum hominum, & doctrinã & vitę exẽpla, quibus ad virtutẽ homines excitãtur. Vbique & ſemper magna fuit vitiorũ reprehenſio, & ad virtutes prouocatio, ſed maximè in populo Dei. Nec poteſt niſi ſapiẽtiæ diuinæ aſcribi, ſi quid à philoſophis ſapienter dictum eſt pro vitiorum extirpatione & virtutis commẽdatione. Clamat ergo Sapiẽtia his modis, dicens Vſquequo paruuli diligitis infantiam & ſtulti ea, &c. Efficax ſanè & apta eſt hæc ſapientiæ oratio, In qua primo quidem ſapientia, deplorans hominum cæcitatem, blandè eos inuitat ad ſe. Deinde inuitatos & venire recuſantes valde deterret, grauia illis interminans & prędicens, fœlicitatem poſtremum ſummam & perfectam obedientibus ſibi pollicetur. Quod ergo attinet ad primam partem dicit, vſquequo paruuli diligitis infantiã, &c. Gradatio hic eſt in tribus partibus. Primũ enim eſt quod aliis eſt minus, diligere infantiam hoc eſt, ignorantiam vel imperitiã, quod paruulorum eſt, hoc eſt, imperitorum, qui nondum declarant ſe rectum rationis habere iudicium, ſed tanquam paruuli imperitiã amant, & infantilia ſectantur. Secundum maius eſt nempe cupere ſibi noxia, & tertium omnium maximum, videlicet odire ſapientiam. Quæ tamen tria aut coincidunt, aut ſeſe ſequuntur. Ex eo enim quod quis amat imperitiam, fit vt cupiat ea quæ ſibi ſunt noxia, & ex iſto fit, vt odiat etiam tandem ſapientiam & bonas monitiones. Hac interrogatione ſapiẽtia ſignificat ſe deplorare quaſi ex materno affectu hominum ſtultitiam, eandémque ſtultitiam pulchrè notat. Quid enim ſtultius imò inſanius quam amare imperitiam, cupere quę ſibi ſunt noxia, odire ſapientiam? Similis locus eſt in Pſal. Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Itaque cum duplici hoc nomine iam auditorem commouerit, blandè mox eundem ad ſe inuitat. Conuertimini, inquit, ad correptionem meam, quod ſi facere volueritis, ecce proferam vobis ſpiritum meum, hoc eſt, totum me vobis aperiam, non impartiar vobis tantum partem paruam ſapiẽtiæ meæ, ſed copioſiſſimè in vobis ſapientiam meam effundam. Eſt enim hoc loco Hebræis verbum effundam, metaphora tracta à fontibus viuis qui perpetuo fluunt, ad ſignificãdum abundantiam gratiæ, & ſapientiæ perpetuam deriuationem. Aut poteſt eſſe ſenſus Afflabo vos abundè ſpiritu meo. Sunt autem qui illam partem, En proferam vobis ſpiritum meum, referunt ad ſequentia, vt ſit ſenſus: Aduertite quæ vobis ſum dictura parum ſuauia. En aperiam vobis quod mente cõceptum teneo. Iuxta quem Intellectum conuenienter etiam quod præcedit. Conuertimini ad correptionem meam, refertur ad ſequentia, vt correptio de qua loquitur ſit quod ſequitur, ad quod audiendum monet vt conuertantur paruuli. Cæterum quæ hic Sapientiæ diuinæ in genere tanquam fonti omnis ſapientiæ tribuuntur per ſpecialem accommodationem rectè tribuuntur ſapientiæ Dei patris incarnatæ, hoc eſt Chriſto quem Paulus Dei vocat ſapientiã. Hæc enim ſapientia humanitatem induta, in vniuerſo mundo per euangelij prædicationẽ inuitat peccatores ad reſipiſcentiam, promittens eis ſe effuſurum ſpiritum ſuum ſanctum, & omnia quæ audiuit à patre nota facturũ. Et omnino veriſimile eſt ideo Spiritum ſanctum in Hebræo hic vſum eſſe verbis futuri tẽporis. Habent enim Hebræa, Sapientia, clamabit foris, dabit vocẽ ſuam, loquetur verba ſua, vt Chriſtum ſecretiori intellectu prophetando ſignaret, qui illa quandoque erat facturus corporaliter & re ipſa. Cum enim ſcripturæ omnes in Chriſtum reſpiciant, non mirum videri debet, ſi quis etiam ex intentione ſpiritus eſſe dixerit, vt eæ ſcripturæ quæ primo & propriè de illo non videntur dictæ, ei tamen ſecretiori intelligentia accommodentur, cui ſæpè exi mia & perfecta ratione conueniunt.

Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meũ, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum vobis id quod timebatis aduenerit, Cum irruerit repẽtina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & angũſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ ſuæ ſuiſque conſiliis ſaturabuntur.

SEcunda hæc eſt orationis pars. Non enim coniunctio, quia, ad præcedentia pertinet, ſed ad ſequentia, & perficitur ibi oratio: Ego quoque in interitu veſtro: & eſt ſenſus, Quia vocaui & renuiſtis, &c. ideo vicißim ego quoque in interitu veſtro ridebo: Eſt enim יען Iaan propterea quod, vel eo quod. Itaque in hac parte ſapientia prædicatura mala euentura his qui ſtultitiã ſuam moniti non corrigũt, in primis quatuor membris, & ſuum exponit beneficium, & illi opponit ſtultorum ingratitudinem, vtrunque pulchrè exaggerans, quo vtrunque magis appareat, & ſequentem vindictam iuſtiorem eſſe conſtaret. Vocaui, inquit, vos vt ad me conuerteremini & renuiſtis venire, extendi manum meam ad vos, vt ſcilicet illam vobis præberem, meóque auxilio ad me pertraheremini, hoc eſt, parata fui vos iuuare. Aut extendi manum meam vt indicarem vobis viam rectam, hoc eſt, demonſtraui vobis quid faciendum, quid fugiendum, & non fuit qui vel aſpicere dignaretur ad extenſionem manus meæ. Quinetiam deſpexiſtis omne conſilium meum, quo bene vobis conſului, & increpationes meas neglexiſtis. Nec malè Caietanus annotauit quadruplex diuinæ gratiæ beneficium his quatuor membris inſinuatum. In vocatione, beneficium excitandi. In extenſione manus, oblationem auxilij. In conſilio, inſtructionem ad eligendum bona. In increpatione, monitionem ad fugiendum mala. Neceſſe eſt enim nos & diuinitus excitari & adiuuari, & inſtrui de bono ſequendo, ac malo fugiendo. Ob contemptum ergo & neglectum omnium horum, ſubiicit: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, hoc eſt, Sicuti vos me, meáque beneficia, ipſo facto declaraſtis ridere

Pſal. 4.

ridere, ita & ego viciſſim ridebo in interitu veſtro, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Repetitio eſt prioris partis aliis verbis, ad auxeſim faciens pro more Hebræorum. Per id enim quod timuiſſe eos dicit intelligit eorum interitum, hoc eſt, calamitatem, mortem, amiſſionem vitæ & delectabilium huius vitæ. Hæc enim ſunt quæ homines mundani maximè timent, idque tum propter amorem rerum terrenarum, tum quod malè ſibi conſcij malè etiam ſibi metuant. Non timent autem quod maximè timere deberent, Deum ſcilicet. Pro illo enim quod noſter bene vertit id quod timebatis, Hebræis eſt timor veſter, quod dicitur ad diſtinctionem eius, quod eſt timor ſapientum.

Gene. 31. Id autem eſt Deus ipſe, quem Iacob vocat timorem patris ſui Iſaac: Riſuram autem ſe dicit ſapientia, non quod verè ſapientia quenquam rideat, aut ſubſannet, ſed quod ipſo facto ita ſe gerat ac ſi rideret, dum in interitu impiorum non ſolum eos negligit, nec tantum nulla mouetur erga eos miſericordia, etiam dum inuocatur, ſed etiam iuſto iudicio omnibus declarat eos eſſe ridiculos, & ſubſannatione dignos, vt qui ſalutem propriã contemperint, ſibi malorum ſuorum author-

Pſalm. 2. res fuerint. Sic & in Pſalmo dicitur, Qui habitat in cœlis irridebit eos, & dominus ſubſannabit eos. Pulchrè autem in ſequentibus exaggerat malum interitus eorum, de quo iã locutus eſt, vt magis deterreat. Dicit enim calamitatem quam timuerunt ſtulti ſaltem in genere, ſubitò & repentè obuenturam, ac inſtar tempeſtatis, non ſolum ſubito, ſed & cum magna vi cui reſiſti non poterit, totum hominem correpturam & occupaturam, ita vt ſit futura & tribulatio exterius & angußtia interius. Augetur autem adhuc magis hæc calamitas per id quod ſequitur. Tunc inuocabunt me cupientes ſcilicet vt tunc ad eos extendam manum meam, meóque conſilio eis adſim, ſed ſicut me vocantem audire noluerunt ita & ego eos tunc non exaudiam. Nec ſimpliciter ac frigidè me inuocabunt, ſed mane conſurgent ad quærendum me, aut inuocandum me, & ſicut cum ad eos extenderem manum meam ipſi aſpicere ad me noluerũt, nec inueniri voluerunt, ita tunc non inuenient me, hoc eſt, non aſſequentur à me quod deſiderant. Et rurſum repetit cauſam perditionis & neglectus eorum, quo magis oſtenderet eos & iuſtè perire & iuſtè negligi. Propter quod rurſum etiam quatuor membris eorum peccatum exaggerat. Eo quod, inquit, exoſam habuerunt diſciplinam, hoc eſt, eruditionem ac ſapientiam: & timorem domini non ſuſceperunt, &c. Ac tandem concludit: Comedent ergo fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur. Quo metaphoricè ſignificatur eos recepturos mercedem quam meruerunt vita & actionibus ſuis. Eſt enim metapho ra accepta ab agricolis, qui comedunt fructus, quos ſuis laborib. pepererunt. Cui ſimile

Galat. 6. eſt illud Pauli: Quæ ſeminauerit homo hæc & metet. Cõmedere ergo fructus viæ ſuæ, eſt percipere id quod vita promeruit, Saturari ſuis conſiliis, hoc eſt conſiliis, quæ ſpretis con-

ſiliis ſapientiæ, ipſi elegerunt & ſecuti ſunt, eſt abundè & vſque ad nauſeam & faſtidium, dare pœnas dignas illis conſiliis. Videri autem poteſt alluſio eſſe in hac ſententia ad præcedentem ſtultorum vitam, vt ſit ſenſus hic. Quandoquidem elegerunt comedere fructus viæ ſuæ, hoc eſt, delectati ſunt in ſua viuẽdi ratione, nec voluerunt comedere fructus ſapiẽtiæ, ſed vſque ad ſaturitatem ſectati ſunt ſua conſilia, atque in eis voluptatem perceperunt comedent ſanè deinceps fructus viæ ſuæ, quãquam iam longè aliter: vt quaſi ironicè hoc inferatur ex eo quod ſtulti facere elegerunt. In hac ergo tota orationis parte, quæ proſequitur dignam impiorum vltionem eleganter illam depingit & exaggerat. Significat enim illam in ſe maximam fore, vt quæ ſit futura eorum interitus. Deinde ſubito & cum inexcogitabili vi obuenturam, præterea neminem forè qui eorum vices doleat aut fucurrere velit in fœlicibus. Ad hæc, quod omnino eſt intolerabile, ipſos etiam in ſua calamitate fore ridiculos aliis & ſubſannationi expoſitos. Nec caret ſua vi quod in principio ſapientia ipſoſmet ſtultos alloquitur, ſed mox mutato ſermonis tenore, de ipſis in tertia loquitur perſona, dicens: Tunc inuocabunt me, &cæter. quaſi non dignata eos diutius alloqui, cum iam pœnitendi tempus tranſierit, ſed ad alios conuerſa iudicij ſui æquitatem illis exponat. Cæterum quod Sapientia hic impœnitentibus ſic comminatur, frequẽter quidem etiam in hac vita illis euenit. Nam & hic poſt longam expectationem Dei ad pœnitentiam eos inuitantis, cum impleta eſt menſura peccatorum ipſorum, magna ſæpè eos præter expectationem inuoluit calamitas, in qua ad Deum clamantes, non tamen exaudiuntur, quoniam non datur eis vt clament ex vero corde, aut quia fixa Dei ſententia, calamitas iſta eſt immiſſa, vt auferri non poſſit. Vnde de quibuſdam Pſal- Pſal. 17.
miſta dicit Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad dominũ, nec exaudiuit eos. Et apud Hieremiam dicit dominus de Iudæis: Cum ie- Hier. 14.
iunauerint non exaudiam preces eorum, & ſi obtulerint holocauſtomata & victimas, non ſuſcipiam ea, quoniam gladio & fame & pe- 2. Mac. 9
ſte ego conſumam eos. Et de Antiocho ſcribi Hebr. 12.
tur. Orabat autem hic ſceleſtus dominum, à quo non eſſet miſericordiã conſecuturus. Sic & de Eſau dicit Paulus, quod non inuenerit pœnitentię locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. In Iudaica autem gente ſingulariter & excellenter videmus impletum eſſe quod hic Sapientia prædicit & commina tur. Quoniam enim ea gens ſapientiam Dei in carne ad ſe venientem, audire & recipere noluit, quæ blandè ad pœnitentiam inuitabat, flens etiam ſuper illorũ cæcitate & dicẽs: O ſi cognouiſſes & tu, Et quoties volui congrega- Luc. 19.
re filios tuos, ſicut galina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti: ideo quemadmodum eis Chriſtus Dei ſapientia prædixit, grauiſſima eos cępit calamitas in oculis omniũ hominũ, quibus vbique inuiſi ſunt & ridiculi. In qua etſi Deum inuocent quotidie, non tamen exaudiuntur, & Chriſtum quærentes ac veram ſapientiam, non inueniunt, iuxta illud

lud quod eis dicit Dominus: Quæretis me & non inuenietis,& vbi ego sum, vos non potestis venire.Et iterum:Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Vniuersaliter autem & perfectè hæc sapientię prædicatio impletur in impœnitentibus in futura vita, in qua miseritabilis eos corripiet miseria,quæ nec Deum
Ioan.7. nec Angelos ad misericordiam commouebit
Ioan.8. in qua quicquid pertinerint impetrare non poterunt,quemadmodum patet in diuite epulone,qui nec sibi refrigerium , nec fratribus suis sapientiam & eruditionem impetrare orando potuit.
Luc.16.

Auersio paruulorum interficiet eos, & fœlicitas stultorum perdet eos:Qui autem me audierit,absque terrore requiescet,& abundantia perfruetur , timore malorum sublato.

COncludit Sapiętia suam orationem duabus his sententiis,quarum altera ad impios pertinens,docet impios sibi suorum malorum esse causas, declarans proinde sententiam præcedentẽ:Comedent fructus viæ suæ &c.altera priorem fœlicitatẽ describit. Quod autem ad priorem attinet sententiam, sciendum quod pro auersio,etiã verti potest quies, quod magis conueniret ei quod in secundo membro dicitur prosperitas stultorũ, vt vtrobique significetur quietem,otium & terrenã fœlicitatem causam esse perditionis eorum,
Cap.16. iuxta illud Ezechielis.Hæc fuit iniquitas Sodomæ,superbia,saturitas panis,& abundantia, & otium ipsius.Potest etiam teste Pagnino,in secundo membro pro prosperitas verti error, quemadmodum vertit Tharugm quod bene conuenit ei quod in primo membro dicitur: Auersio paruulorum, vt vtrobique significetur errorem & sapientiæ cõtemptum causam esse perditionis eorum,quod maximè proposito conuenit:Et est simile illi Baruch:Quoniã
Baruc.3. non habuerunt sapientiam,perierunt propter
Esa.5. suam insipientiam,Et illi Esaiæ:Propterea abductus est populus meus,quia non habuit sciẽtiam. Noster autem interpres cum potuisset correspondẽtes sibi duarum dictionum significationes vertisse , vertit non correspondentes,secutus nimirum communiores dictionũ significationes.Et habet hæc versio conueniẽtem etiam intelligẽtiam. Significat enim duo esse ob quæ homines pereunt, videlicet auersionem eorum à sapientia,& fœlicitatem terrenam quam sectantur, & qua donati abuntur.Quæ duo in omni peccato quodammodo inueniuntur, quia in omni peccato est auersio ab incommutabili bono, & conuersio inordinata ad bonum commutabile,quo peccator abutitur , Quibus duobus superius etiam attribuit Sapientia correspondentes pœnas. Quoniam enim à sapientia auersi sunt peccatores dixit,quod quærent eam postea, & nõ inuenient. Quoniam verò fœlicitatem terrenã auidè sectãtur,eáque à Deo donati hic abutuntur,dixit,quod venit eis interitus quasi tẽpestas, tribulatio & angustia. Quod autem dicit interficiet & perdet eos,de morte & perditione æterna maximè est intelligendũ, quãquam etiam de morte & perditione temporali intelligi debeat, maximè quia hæc primò dicta sunt Iudæis sub lege existentibus,quę tẽporalia mala & bona comminatur transgressoribus , & promittit obseruatoribus. Sicut & quod sequitur de fœlicitate, quiete & securitate obedientium sapientiæ,maximè & perfectissimè cõpletur in regno cœlorum , vbi perfecta est securitas & quies, & abest omni mali metus, adest verò omnium rerum abundantia. Et tamen etiam in Deuteron.promitti- Deut. 13.
tur:Habitabit Israel confidenter. Et in Leuiti- Leui.26.
co promittitur seruantibus legem quod absq; pauore habitarent in terra promissionis , & commederent panem suum in saturitate,perfruentes rerum omnium abundantia: Quod spiritualiter saltem,in hac etiam vita iusti assequuntur,quãdoquidem de Dei gratia & protectione benè confidentes,non multum concutiuntur timore vel præsentium malorum vel futurorum in altera vita , & abundantia perfruuntur,quia omnia se in Deo habere sibi persuadent,& cum sint tanquam nihil habentes, omnia tamen se possidere putant , cum Paulo dicentes:Tanquam nihil habẽtes,& omnia possidentes.Ita enim promissiones bonorũ,& comminationes malorum , mirabili Dei sapientia , & hoc libro & in Psalmis & in Prophetarum libris dispositæ sunt, vt & de temporalibus bonis ac malis intellectæ seruiant his qui sub lege fuerunt Iudæis, quibus hæc pri- 2.Cor.6.
mò sunt scripta , & de spiritualibus bonis vel malis,aut æternis suppliciis vel præmiis intellectæ,seruiant his qui sub Euangelio sunt,& in omnibus siue bonis siue malis,generalius impleantur,tum in hac,tum in futura vita. Quæ sanè regula semper præ oculis habenda est iis qui rectè huiusmodi scripturas intelligere & explicare voluerint.

CAPVT SECVNDVM.

FIli mi,si susceperis sermones meos, & mandata mea abscõderis penes te:vt audiat sapientiam auris tua inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.

POST seriam illam sapientiæ orationem à Sapiente congruè in principio introductam,redit Sapiẽs prosequendo suum sermonem, ad erudiendum suum filium,hoc est,quemuis sapiẽtiæ studiosum & maximè imperitos iuuenes. Quamuis enim quidam velint etiam totum hoc caput adhuc esse verba sapientiæ , magis tamen apparet ex sequentibus capitib. ipsum sapientem hic loqui,qui auditores graui sapiẽtiæ oratione perterrefactos iam docet , & quomodo sapientia possit acquiri, & quis acquisitæ sapientiæ sit fructus futurus. Hæc enim duo hoc capit.conuenienti ordine tradũtur.Et primum quidem docet ad comparandam sapientiam requiri,vt quis serio eam percipere desideret , cor suum ad hoc inclinans, & ex corde aures suas accommodans ad audiendum sapientiã.Est aũt sententia prima hoc modo

modo ordinanda & intelligenda.Fili mi si susceperis,hoc est,si statuisti,aut si volueris susci pere ea quæ dicturus sum, & mandata mea re condere apud te, ac veluti pro thesauro quodam habere, in primis & ante nomia requiritur, vt inclines cor tuum ad cognoscendam prudentiam, ad hoc vt attentè & cum fructu auris tua audiat sapientiam. Verba enim illa,susceperis & abscõderis , futuri sunt temporis non præteriti , vt patet ex Hebræis, ex quibus etiam patet,quod pars illa,vt audiat sapientiam auris tua,ad sequentem partem magis sit referenda quam ad præcedentia.Significatur ergo necesse esse sapientiæ studioso, vt cor suum abstractum ab amore rerum terrenarum(ad quas ex natura sua corrupta sem per inclinatur & propendet) inclinet atque totum addicat prudẽtię cognoscẽdę,serio hoc ipsum & ex animo desiderãs,sic vt non dedignetur auribus suis sapientiã ex aliis percipere, sed aures suas accõmodet attente sapientũ dictis percipiendis.Nisi enim cordis ad sapiẽtiam propẽsitas & desiderium præcesserit,frustra aure corporali sapientia ex ore auditur sapientum. Inclinabis ergo cor tuum prudentiæ sic vt audiat auris tua sapientiam,vel inclinabis cor tuum prudentiæ ad hoc , vt cum fructu & attentè auris tua audiat sapientiam, Serium enim desiderium requiri ad comparãdam sapiẽtiam docet in sequẽtibus, subiiciẽs.

Si enim sapiẽtiã inuocaueris,& inclinaueris cor tuũ prudentiæ,Si quæsieris eã quasi pecuniã,& sicut thesauros effoderis illam , Tunc intelliges timorem domini & scientiam Dei inuenies.

SIgnificat prioribus duobus membris , sapientiam non tantum corde desiderandam,sed & precibus à Deo implorandã. Hoc est enim inuocare sapientiam , precibus eam petere, & pro ea ad Deum in oratione clamare,hoc est,ardenter rogare. Quod & in secũ
do membro dicitur iuxta Hebræa & Græca quæ habent , & dederis intelligentiæ vocem tuam.Cui conuenit illud Iacobi: Si quis indi-
Iacob.1. get sapiẽtia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter. Aliis duobus membris significat etiã opere & studio magno ambiendam sapiẽtiam. Non enim sic precibus est fidendum, vt nostra cesset industria & studiũ,vnde dicit: Si quæsieris eam quasi pecuniam,hoc est,tanto studio & labore quanto solent homines diuitias quærere,& sicut thesauros effoderis eã hoc est,diligenter scrutatus eam fueris , sicut auidissimè scrutari solent & effodere qui pecuniã vel thesauros alicubi absc̃oditos norũt. Pro effoderis enim 70.verterunt vt & alii scrutatus fueris,quod & dictio Hebræa תחפשנה theopabt magis significat , vñ effodere apud nos pro diligenter scrutari accipiendũ est. Significatur tamen hac comparatione non solum pretium & dignitas sapientiæ, sed etiam quod eadem,velut thesaurus quidam absconditus , sit diligenti studio & inuestiganda, & eruenda,veluti è tenebris in quibus latet quo ad nos propter tenebras ignorantiæ quibus offusi sumus.Cui conuenit illud euangelicũ:
Matt.13. Simile est regnũ cœlorum thesauro absc̃ondito in agro.Precibus & studio atque labore sa-
Eccle.9. pientiam parandam , etiam in Ecclesiastico docetur multis , vbi sic legimus. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorũ conseruabit,& in versutias parabolarũ introibit.Occulta prouerbiorum exquiret,& in absconditis parabolarum conuersabitur.In medio magnatorũ ministrabit , & inconspectu præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet, bona enim & mala hominibus (sic enim legendum est, non autem in omnibus) tentabit. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum qui fecit illũ, & in conspectu altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione , & pro delictis suis deprecabitur,Hæc ibi: quamquã eo loco magis tradatur ratio parandæ sapientiæ exactæ pro his qui alios sunt docturi . hic vero ratio comparandæ sapientiæ quæ ad bene viuendum omnibus est necessaria,quæ serio cordis desiderio,precibus, & studio etiam est obtinenda, vnde subditur , tunc intelliges timorẽ domini,& scientiã Dei inuenies,scientiã Dei & timorem coniungens, quia vt supra dictũ est,Timor Dei principium est scientiæ, imò ipsa sapientia,Nõ est autẽ istud sic intelligendũ quasi priꝰ nõ habeatur Dei timor, aut aliquid sapientiæ diuinæ.Nã ex Dei timore & sapientia ꝓcedit,vt q pro sapientia precetur, eãq; ardẽti desiderio quærat. Sed dicit tunc timorem Dei intelligendũ,& scientiam Dei inueniendam,quia tunc in homine firmabitur, perficietur , eique placere & dulcescere incipiet,dabiturq; quo adhuc ĩdigebat,iuxta illud euãgelicũ:Omni habẽti dabit, vnde sequitur. Matt.13

Quia dominus dat sapientiam,& ex ore eius prudentia & scientia

REddit rationem,quare non nostro tantũ studio,seu precibus obtinenda sit sapientia,quia dominus inquit est , qui dat veram illam de qua scilicet loquitur, sapientiã afflans eã & inspirans mentibus hominum,ad quam hominum studia præparare quidem & disponere possunt,sed eam nequaquam per se largiri possunt. Vnde in Ecclesiastico post verba superius citata dicitur:Si enim dominus Eccle.39
magnus voluerit,spiritu intelligentiæ repleb it eum , Et sapientiæ 9. dicitur: Sensum autem tuum quis sciet , nisi tu dederis sapientiam,& miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis,Vnde Sapiens introducitur eodem loco sic orans: Mitte illam de cœlis sanctis tuis:& à sede magnitudinis tuæ,vt mecum sit & mecum laboret , vt sciam quid acceptum sit apud te.Quod sequitur:Et ex ore eius prudentia & scientia,significat sapientiam prouenire ex diuina reuelatione , quæ in scripturis & Prophetarum prædicatione hominibus innotuit,& interna inspiratione & afflatu spiritus in mente fit vniuscuiusque. Nisi enim sic Deus nobis loquatur per scripturas , sanctorum prædicationes,& simul internum afflatũ quo nos trahat & persuadeat, nequaquam verè sapiẽtes effici possumus,iuxta illud: Erunt omnes docibiles Dei,omnis qui audiuit & didicit à patre,venit ad me. Proinde docet hæc
Ioan.6. sententia,non in Ethnicorũ libris sapientiam quærendam,sed in scripturis , quæ Deus ore proprio locutus est, Sed nec in illis inueniri nisi per illa Deus nobis interius loquatur,& proinde

proinde precibus à Deo ambiendam & impe trandam.

Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter: seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens.

PRo, custodiet rectorum salutem, Hebræis est, Abscondet rectis salutem vel sapien tiã. Vnde saptuaginta habẽt, θησαυρισει τοῖς κατορθοῦσι σωτηριαν, hoc est, thesaurizabit rectis salutẽ. Quod enim dicitur abscondet rectis, non significat ipsum occultaturum, sed quod velut thesaurum in illorum bonum reponet & Psal. 30. recondet, quemadmodum in Psal. dicitur, Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondisti timentibus te, hoc est, pro eis tuto reposuisti, vt sit eis parata cũ opus erit. Idem & nostra litera significat, cum dicitur: Custodiet rectorum salutem. Quod enim in alicuius bonum apud nos repositum habemus diligentissimè custodimus. Itaque sensus est. Custodiet apud se ac diligenter asseruabit salutem rectorum, depromptutus eã illis suo tempore & quandocunque opus erit Est autem hoc loco Hebræis pro dictione, salutem, dictio תושיה Thuschia; quam & 70. vertunt salutem. Cæterum Hebræi magis vertunt sapientiam. Quod proposito magis conuenit. Prosequitur enim quod dixit, dominus dat sapiẽtiam. Recondet, inquit, vel custodiet eam illis reuelaturus scilicet eam illis in quouis obuio casu, vt errare non possint. Ad sensum non ita multum refert. Nam salus rectorum quam Deus recondit & custodit pro rectis, est etiam ipsa sapientia, per quam hic præseruantur ab omnibus vitiis & malis Pagninus dictionem Hebraicam, quoniam deriua tur à verbo quod esse significat, vertit, essentiã & exponit, reseruabit rectis essentiam, supple suam in cuius visione nostra consistit fœlicitas, Iuxta quam versionem optime con uenit nomen salutis, quod noster vertit secu tus 70. Proposito optime quadrat hic sensus, Dominus quærentibus & petentibus ex animo dat, vel vt habent Hebræa, dabit sapientiã & custodiet apud se in tuto scilicet loco, recto rum salutem, quam eis per sapientiam dandã semper cum necesse erit, proferet, & per sapiẽ tiam proteget eos qui conuersantur simpliciter, hoc est, integrè & non fictè, nec maleuolè, seruans in eis semitas iustitiæ, & vias sanctorũ Psal. 33. custodiẽs, ab errore scilicet, seductione & pec cato, iuxta illud Psalmi: Redimet dominus ani mas sanctorum suorum, & non delinquent omnes qui sperant in eo. Itaque non tantum significat dominum daturum sapientiam, sed etiam quem fructum per eam sit effecturus in his quibus eam dederit, quem fructum postea latius prosequitur.

Tunc intelliges iustitiam & iudicium & æquitatem, & omnem semitã bonã. Si intrauerit sapiẽtia cor tuum & scientia animæ tuæ placuerit, Consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.

ADuerbium tunc referri potest ad præcedentia, vt sit sensus, Cũ perfeceris ea quæ dicta sunt de inuocatione & inuestigatio ne sapientiæ, Vel cum dederit Deus sapientiam tunc intelliges iustitiam. &c. Aut potest referri ad sequentia, vt sit sensus. Tunc intelliges iustitiam & iudicium, si intrauerit sapientia cor tuum, hoc est, cum illa tibi cordi fuerit, & illa tibi placere cœperit vt iam sit repetitio sub aliis verbis eorum quæ prius dicta sunt, Si quæsieris eam, tũc intelliges timorem domini & scientiam Dei inuenies. Et ostenditur hac repetitione qua in re sapientia de qua loquitur, sit sita, nempe in intelligẽ do iustitiam, iudicium & æquitatem, hoc est, omnem semitam bonam. Nam hoc per tria il la vult significare vt superius est dictum, quæ proinde non est necesse accuratè distinguere Pergit autem fructum sapientiæ fusius explicare, subiungens: Consilium, quod scilicet sapientia tibi vbiq; suggeret, custodiet te, & prudẽtia seruabit te. Quod in sequentib. declarat vbi ad hæc verba referri debet tercõiũctio, vt Seruabit te vt eruaris à via mala & ab homine qui peruersa loquitur. Rursum vt eruaris à mu liere extranea, Et postremũ, vt ambules in via bona. Siquidem non satis est declinare à malo, sed oportet deinde etiam bonum facere, vt est Psal. 33. & 36.

Vt eruaris à via mala, & ab homine qui peruersa loquitur, Qui relinquũt iter rectum & ambulant per vias tenebrosas, qui lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, Quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum.

MEminit duarum viarum, viæ malæ quæ est mala vita, ac impia viuendi ratio, & viæ bonæ, quæ est recta vita & conuersatio. Et primum quidem dicit sapientiam custodire hominem vt eruatur à via mala. In quam quoniam adolescentes (quibus potissimum loquitur) facilimè pertrahuntur per impiorũ quorundam suasiones & impios sermones, primum subiungit, & ab homine qui peruersa loquitur, impia scilicet docendo, aut suaden do. Cõtra tales enim præmunit sapientia diuina eum in quo est. Et vt à talibus magis auocet sapientiæ studiosum, insigniter traducit eos in sequentibus, dicens iam mutato nume ro, pro more Hebræis familiari. Qui relinquũt iter rectum, vbi subaudiendum: Ab iis inquã, hominibus, Qui relinquunt iter rectum, & eo itinere relicto, ambulant per vias tenebrosas, hoc est, viuunt vitam plenam ignorantia & erroribus, quos necesse est propterea aliquando grauiter offendere & labi. Nec satis habent mala quæque cõmittere, insuper & lætantur cum malè fecerint, & exultant in reb' pessimis, siue à se, siue ab alio perpetratis, quæ natura ipsa & ratio abominatur & abhorret. Cumq; in tenebris agentes in magnis sint periculis, tamen per errorem & cæcitatem nõn agnoscẽtes suum periculum, lætantur etiam in malis suis. Itaque versus ille nõ tantũ exaggerat eorum malitiã, sed etiam eorum cæcitatẽ, Sequitur: Quorum viæ & actiones non solum in se peruersę sunt, sed planè infames, ita vt ob eas pessim è audiant apud eos qui sapiũt quasi dicat, quis horũ velit esse sectator? quomodo nõ omni studio annitẽdum est vt per sapientiã ab horũ seductione & eorũ via homo sit præ

munitus? Quoniam vero præter seductionem quæ in genere fieri potest ab impius periculum est peculiare, maximè iuuentuti, à mulieribus, contra quod item munit sapien tia, recte secundo loco subiicit.

Vt eruaris à muliere aliena, & ab extranea quæ mollit sermones suos. Quæ relinquit ducem pubertatis suæ & pacti Dei sui oblita est.

ALienam vocat & extraneam, quæ ipsius nõ est, sed alterius mariti vxor. Nam de adultera potissimum loquitur, vt patet ex sequenti sententia. Mollire sermones est blandis mollibũsque sermonibus vti ad decipiendum: Nam huiusmodi sermones efficaces admodum sunt in mente iuuenum alioqui per se satis ad libidinem prona. Huiusmodi mulierem similiter præclare traducit & notat vt ab ea magis abstrahat. Quæ, inquit, relinquit ducem pubertatis suæ, hoc est, primum maritum quem in iuuentute sibi accepit in ducem, quem à sua pubertate semper sequeretur. Et pacti Dei sui oblita est, hoc est, fœderis nuptialis, quo nõ tãtum suo marito, sed etiã Deo suo astricta est, & quod fœdus nuptiale à Deo est institutum. Aut potius per pactum Dei intelligit Dei legem vetantem adulteria, quasi dicat: Quam fidem ab ea expecta bis quantũuis tibi blãdè loquatur, quę & marito suo, & ipsi Deo suo infida est, neutri seruãs quod promisit? Generalius tamẽ homini alie na & extranea est omnis quæ eius vxor non est, etiam si nullius sit. Quæ dum blandis sermonibus ad peccatum pellicit, relinquit ducem pubertatis suæ, Deum scilicet quem in iuuenta sequendum susceperat, qui de seipso Hiere. 3. dicit apud Hierem. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meę tues, vel pubertatis meæ. Nam est eadẽ dictio quæ hoc loco, significans proprie iuuentutem. Ab hu iusmodi mulieribus quantũ immineat pericu li, exẽplo Sampsonis & Salomonis licet intelli gere, quarum blãditiis ille corporis oculis, hic mentis captus fuit. Quantum vero contra talium valeat blanditias sapientia, exemplum docet Ioseph Patriarchæ de quo dicitur in li Sapiẽ. 10 bro Sapientiæ. Hæc venditum iustum non de reliquit, sed à peccatoribus liberauit eum.

Inclinata est enim ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.

COniunctio enim reddit causam quare sapientia custodit hominem, vt eruatur à muliere huiusmodi aliena. Meritò, inquit, hoc dico sapientiam effecturam, & merito, id sum mopere optandum est. Quia domus illius tendit ad mortem, ita vt si quis victus illius illecebris, declinet ad domum illius, ad mortem sit deducendus. Vnde postea cap. 7. dicitur, viæ inferi domus illius. Et semitæ ipsius hoc est, viæ quæ ducunt ad domum eius vel ad ipsam. Aut potius semitæ ipsius, hoc est, actiones ipsius & genus vitæ ipsius deducit homines ad inferos, vel vt habent Hebræa ad mortuos. Quod dicit tum quia per adulterũ & fornicationes homo semper efficitur obnoxius morti æternę in quam tandẽ pertrahitur, tum quia per adulterium iuxta legem Mosaicam reus fit etiã mortis corporalis, quam per zelum mariti euadere non poterit, vt dicitur cap. 6 Itẽ quia fornicationes & adulteria multarum sæpæ cædium sunt causa, vt dicitur c. 7. Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. Quia autẽ domũ eius & semitas eius dixit esse mortiferas, persistens in eo, subiicit: Omnes qui ingrediuntur ad eam, hoc est, qui illam mulierem accedunt eique congrediuntur (phrasi enim Hebraica ingredi ad mulierem est cum ad rem habere) non reuertentur. Vbi alludit ad hoc quod mortui non reuertuntur ad vitam. Significat ergo eos qui ad eam ingrediũtur, statim mori, quia morti fiunt obnoxii & iuxta animam moriũtur, iuxta illud: Quacunque die comederis ex Gene. 2. eo, morte morieris, Ideóq; sicut mortui sunt, sic non reuertuntur, quia non reuertuntur vi ui, non reuertuntur liberi à mortis vinculo, sicut prius erant, ita vt non possint ambulare vias vitæ, viam virtutis, nisi singulari Dei gratia veluti à mortuis resuscitentur, & à mortis debitæ vinculo relaxentur, quod raro fiebat sub lege, sub qua marito semper manebat ius exigendi ab adultero mortem corporalem. Venerabilis Beda, quo difficultatem euadat, relatiuum, eam cum dicitur qui ingrediuntur ad eam, refert ad mortem, vt significetur eos qui in mortem æternam semel sunt traditi, ab ea nõ redituros in vitã. Aut si relatiuum, eam, referatur ad mulierem, intelligit non reuertẽ tur per se, & quantum attinet ad naturam iniqua voluntate deprauatam. Potest & sic intelligi quod dicitur non reuertentur, quod impliciti mercriciis vel adulterinis amorib. difficulter ab eis resiliant, & quod vt plurimum nõ facilè respiscant, siue quod dulcedine voluptatis inescati nolint, siue quod nõ possint sese, etiam cum volunt, extricare ab earum consortio. Quadrat istud conuenientissime in mysticum sensum. Nam cum in scripturis propheticis frequenter sub nomine fornicationis & adulterij significetur idololatria, sub qua & hæresis comprehenditur, per quam nouum sibi homo Deum fingit quem colat, rectè etiam in hoc libro quoties de muliere aliena cauenda Sapiens monet, mysticè per eam intelligitur siue idololatria, siue hæresis, quæ deserto Deo suo patrio, quem in baptismo tanquam ducem suæ integritatis & sponsum suscepit, per dulces sermones & benedictiones seducit corda innocentum, hoc est, simplicium, vt ait Paulus Huius domum, hoc est, sectam & con Rom. 16. gregationem qui accedit, mortem statim incidit, à qua difficulter est reditus ad vias vitæ. qa paucos hæreticorum seriam pœnitentiam agere vidimus, vnde eos deuitãdos Paulus monet quod subuersi sint, & proprio iudicio condemnati. Iuxta hanc mysticam intelligentiam, notandum quòd à duplici malorum cõsortio hic cauendum monemur, nempe & eorum qui ad impiam trahunt vitam, & eorum qui ad impiam doctrinam.

Vt ambules in via bona, & calles iustorum custodias.

POstquã dixit sapiẽtiã seruaturã hominem vt eruatur à via mala, in quã siue improborũ hominũ suggestione, siue impudicarũ mulierum

lierum illecebræ inducere possent, subiungit Vt ambules in via bona, hoc est, prudentia custodiet te, vt eruaris à via mala, & à muliere aliena, ad hoc vt ambules in via bona. Quia nõ potest quis ambulare in via bona, nisi prius eruatur à via mala, nec satis est erui à mala via nisi sequatur via bona, & eadem quis via incedere pergat, qua iusti qui vel præcesserũt, vel adhuc sunt.

Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebunt in ea. Impij verò de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.

DVabus his sententijs concludit hoc caput, in quo & quomodo paranda sit sapientia, & quem fructum illa sit operatura, ostẽdit: nempe quod liberabit hominẽ à via mala, & inducet in viam iustitiæ. Docet ergo iam his sententijs duabus, merito propter illos sapientiæ fructus ambiendam & quærendam sapientiam. Et cohærent hæ sententiæ in hunc modum superioribus: Prudentia seruabit te vt eruaris à via mala & ambules in via bona, quod meritò tibi est optandum & faciendum vel quod ideo sapientia faciet, Quia qui recti sunt, habitabunt in terra. In quibus sententiis loquitur Sapiens ad literam iuxta morem legis Mosaicæ sub qua vixit. Ea enim lex promittit longam habitationem in terra iustis, impiis vero interminatur exterminationem de terra Deut.11. Sic enim dicitur præter alia loca in Deutorono. Custodiatis vniuersa mãdata quæ ego præcipio vobis hodie, vt possitis introire & possidere terram, multóque in ea viuatis tẽpore. Itaque sicut ex terra sua exterminati sunt Chananæi, ita & Iudæos ob peccata migrasse è terra sua captiuos, sacra testatur historia. Et è terra per mortẽ impios se ante tẽpus vbique minatur dominus sublaturum, iustis vero longã in terra vitã promittit. Quæ vt ad literã intelligenda sunt, maximè pro Iudæis adhuc carnalibus de terra ista corporali & vita corporali, quia iustis plerunque lõga & quieta vita hic cõtingit, impiis vero immatura mors: Ita pro his qui æterna magis bona spectãt, intelligenda sunt magis de terra viuentium, in qua iusti in æternum permanebunt, reiectis ab ea impijs. Est tamen etiam in quodam sensu mystico verum, iustos omnes hic habitare in terra, impios verò omnes perdi & auferri de terra. Nam illi hic viuunt quieta cõscientia, malorũ metu non admodum cõturbati, q; verè est habitare in terra. Impij verò vt multa inquietudine hĩc agitantur, ita vt hinc auferuntur, cũ contra voluntatem suam mundum relinquere coguntur: & de terra perduntur, quando ex ea auferuntur, quia nihil eorum remanet eis saluum. Iusti autem cum hinc auferuntur, non perduntur, sed in fœliciorem transferuntur statũ, nec amittunt terram, cuius cũ omnium domino manent & ipsi possessores.

CAPVT TERTIVM.

Filimi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat. Longitudinem enim dierum & annos vitæ & pacem apponent tibi.

POSTQVAM superiori cap. ostẽdit modum acquirendæ sapientiæ, quódque per eam & à malo homo præseruetur, & ad bonũ inducatur incipiet nunc præcepta tradere, in quorũ cognitione & obseruatione sapientia consistit, frequenter ad prædecessorũ diligentẽ obseruationẽ adhortans, frequenter item inculcãs & repetens præmia & commoda prouentura obseruatoribus, & omnino præceptorũ ac bonorũ parentũ officiũ imitans, qui sæpius suis filiis & discipulis eadẽ aliis & aliis verbis repetunt, vt aliquãdo eorũ mentibus quod volũt, persuadeãt & imprimãt. Priusquã ergo singularia præcepta tradat, præmittit: Fili mi, ne obliuiscaris meæ legis, & præcepta mea cor tuũ custodiat. Verba sunt Salomonis, vt ex sequentibus patebit. Legem suã & præcepta vocat doctrinã quã traditurus est. Eam vult cor custodire, vt scilicet de eis seruandis & opere adimplendis semper cor cogitet. Idẽ est enim ne obliuiscaris, & cor tuũ custodiat. Vt autem maiore studio præcepta eius suscipiantur, apponit præmia, promittens ea quæ maximè homines desiderant, longã scilicet vitã, eámque tranquillã & fœlicẽ. Longitudinẽ, inquit, dierum, & annos vitæ, & pacẽ apponent tibi. Per longitudinẽ dierum & annos vitæ significans ad literam, longam vitam, per pacẽ, non solum tranquillitatem, potissimum mentis, intelligẽs sed & prosperitatem ac fœlicitatem, quæ Hebræis nomine pacis significatur. Non ergo tãtum longitudinem vitæ, sed & pacem promittit, sine qua, longa vita misera est. Iuxta mysticum sensum promittitur vita æterna quæ finẽ dierum nescit, & pax illa Dei quæ exuperat omnem sensum, quæ per obseruationem mandatorum Dei hic incipit in conscientia, & consummatur in vita futura: De hac vita ac pace rectè dicitur quod apponitur homini, quia superadditur vitæ præsenti.

Misericordia & veritas non deserant te, circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam bonã coram Deo & hominibus.

PRæcepta legis diuinæ paucis complexus est, cum dicit, Misericordia & veritas non deserant te, quia in duobus illis, misericordia & veritate, omnis virtus cõprehenditur. Quæ duo sæpè in scripturis coniunguntur, & Deo atque hominibus tribuuntur, vt infra annotauimus c.14.& 20. Per misericordiam enim impẽduntur ex benignitate proximo officia gratuita, per veritatem, hoc est, iustitiam & æquitatem impenduntur Deo & hominibus officia debita. Has ergo virtutes quas Psalmista semper Deo adesse significat, dicens: Misericordia & veritas præcedẽt faciem tuam, vult Psal. 88. etiam suum filium Sapiens nunquam deserere, hoc est, vult vt curet eas semper sibi adesse vnde subdit: Circunda eas gutturi tuo, hoc est firmiter & vndique tibi adsint, sempérque tibi sint præ oculis, velut quod circundatur collo & à collo dependet, vndique hominem cingit, semperque ob oculos versatur. Describe non in tabulis cæreis vel lapideis, in qualibus lex Moysi fuit scripta, sed in tabulis cordis tui hoc est, imprime eas sic in corde tuo, vt eas ibi semper legas, semperque de eis opere præstandis cogites. Quod si feceris, inuenies, hoc est, assequeris per has duas virtutes, gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus, hoc est, gratiosus eris & bonæ intelligentiæ

tiæ tum apud Deum, tum apud homines. Notandum autem Hebræa verti etiam posse misericordia & veritas nõ deserent te, vt ad Deũ referantur hę virtutes, & significetur, Dei misericordiam & veritatem nõ deserturas eum qui præcepta legis custodierit, vt verba hæc adhuc pertineant ad promissionem quę fit custodientibus legem. Iam in sequentibus vertendum esset: Circunda ea scilicet præcepta, de quibus prius dictum est, & erit sensus: Itaque circunda ea gutturi tuo, &c. De tabulis cordis facit mentionem etiã Paulus alludens ad locum Hiere. sed ibi Deus dicitur scribere, hic verò homini hoc præcipitur, significatúrque idẽ quod in Deutero. vbi dicitur: Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. 1. Cor. 3. Hiere.13. Deut. 11.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

INcipit nũc particularia legis diuinæ præcepta explicare, in quibus misericordia & veritas consistunt. Et primum quidem tradit præcepta Deum concernentia, quibus docetur quomodo se homo habeat ad Deum, postea traditurus præcepta ad proximum pertinentia. Et ad Deum quidem pertinentia præcepta quinque proponit, in quibus ferè cõprehẽditur summa omnis pietatis Deo debitę, id. q; ordine congruo. Quorũ primum est, Habe fiduciã in domino ex toto corde tuo, &c. Quo monet vt in reb. agẽdis & cõquirendis his quę sunt nobis necessaria, non sic nitamur nostrę prudentiæ, quasi per eã possimus quod volumus, vel quod necessariũ est præstare & parare, sed vt agnoscẽtes & nostrã infirmitatem & incertitudinẽ prouidẽtiæ nostræ, quæ variis sæpè modis impeditur & sæpè errat, fiduciã nostram collocemus in Deum, illum scilicet pro auxilio & salutari negotiorum nostrorũ directione orantes, & post orationem de illo confidentes, non frigide & cum hæsitatione, sed ex toto corde, hoc est plena & firma fiducia, qua scilicet nostra, tota mentis deuotione illi committamus, de eius prouidentia & directione bene securi. Non vetat ergo vti in rebus agendis prudentia propria. Nam sic fidere Deo, vt prudentia à Deo data quis vti nollet, fatuum esset & tentare Deum. Sed vetat niti suæ prudentiæ, quod est sic illi fidere quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum & prouisionem rerum necessariarũ Quod manifestè contrarium est fiduciæ quã habere debemus de prouidentia diuina, quã fiduciam hic peculiariter exigit, quemadmodum & Petrus dicens: Omnem solicitudinẽ vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Porrò Hiere. 7. dicitur: Maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à domino recedit cor eius. Contra: Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius. Fiducia autem hæc qua munimur contra præsumptionem humanæ prudentiæ, non tantum valet pro directione nostrorum actuum, sed & pro firmitate fidei diuinarum promissionum Per hanc enim fiduciam factum est vt Abraham in repromissione Dei non hęsitauerit diffidentia, nec consideraverit corpus suum emortuum, vt est apud Paulum. Rom. 4. 2. Pet. 5. Hiere. 7.

In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

PRo cogita Hebræis est scito vel agnosce. Secundum istud est præceptum ad fidem pertinens, per quam Deum agnoscimus & cogitamus. Quo præcepto & ostenditur, quomodo fieri possit quod primo dictum est præcepto, nẽpe vt fiduciã habeamus in domino, & ex eodẽ cõsequitur q; sequitur præceptum de timendo Deum, ita vt rectè sit in medio positum. Agnoscimus enim vel cogitamus Deum in viis nostris, cum cogitamus nos sine illo nihil posse, & proinde ab illo nos pendere debere, illum rogandum, illique fidendum: Cogitamus item illum omnium esse dominum, & proinde in omnibus nostris actionibus illi esse seruiendum, eum timendum omnésque nostras actiones ad eum esse referendas. Sic ergo agnoscere & cogitare Deum in viis nostris, quod fides in nobis operatur facit nos & fidere Deo & timere eũ. Vnde & Tobias inter prima sua præcepta quę filio suo tradidit similiter docuit. Omnib. inquit, dieb. vitę tuę in mẽte habeto Deũ, & caue ne aliquã do peccato cõsentias, & prętermittas præcepta Domini Dei tui. Et in fine suorum præceptorum: Pete, inquit, ab eo vt vias tuas dirigat & omnia consilia tua in eo permaneant. Itaq; & hic subiicitur & ipse diriget, hoc est, bene disponet, & prosperos faciet gressus tuos, hoc est, actus tuos & instituta, si scilicet illum cogitans tua illi commiseris. Sic Propheta: Reuela, inquit, domino viam tuam, & spera in eo & ipse faciet. Et alibi. Iacta cogitatum tuum in domino, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Tobiæ 4. Psal. 36. Psal. 54.

Ne sis sapiens apud temetipsum, time Deum & recede a malo.

TErtium istud præceptum est ex superiori consequens, vt dictum est, & ad timorem Dei pertinens, per quẽ receditur à malo. Cui similiter sicut fiduciæ, repugnat & obstat si quis sit sapiens apud semetipsum, aut vt est Hebręis in oculis suis, hoc est, proprio suo iudicio, ita vt sibi in sua placeat sapientia. Per hoc enim fit, vt quis nimis sit securus in actionibus suis, existimans se bene agere, cum tamen peccet. Item vt excusationes quærat in peccatis, ac defendat quæ mala sunt. Tribus ergo his præceptis, tres virtutes exigit, fiduciã fidem & timorem Dei, per quas, secundum mentem & interiorem hominem, perfectè quis Deo subiicitur, & humiliatur sub potenti manu Dei. Cui subiectioni & humiliationi nihil magis contrariatur, quam si quis sibi placeat & sapientem satis se esse persuadeat, vt mirum non sit quod propriæ prudentiæ fiduciam, opponat hic Sapiens & fiduciæ in Deum & timori Dei, de quo timore benè subiicit præceptum post præceptum spei in Deũ habendæ, ne quis per spẽ in Deũ nimis sit securus. Dilectionis autem Dei hic non fieri mentionem 1. Petr. 5.

mentionem,cum illa sit tertia virtus quæ cũ fide & spe hominẽ sub Deo interius perficit mirum esse non debet, cum præceptum dilectionis Dei proprium sit euãgelio,pro quo vetus testamentum fere tradit præceptum timoris Dei, ad quem etiam pertinet Dei dilectio, Siquidẽ nomine timoris Dei, vt supra dictum est,reuerentia Dei designatur. Cum ergo in his virtutibus hominis perfectio erga Deum consistat,rectè subiungitur.

Sanitas quippe erit vmbilico tuo,& irrigatio osium tuorum.

REferri potest hæc promisio,vel ad timorem,vel ad omnia tria simul prædicta,vt sit sensus:Si sic timueris Deum,vel sic hæc dicta feceris,tunc erit sanitas vmbilico tuo,&c. Sanitatem tribuit vmbilico, & irrigationem ossibus, significare per hæc volens, bonam hominis constitutionem,quia illa tunc est,cũ vmbilicus hoc est,lumbi & media pars hominis suam habet sanitatem, & ossa medullarũ pinguedine plena sunt & irrigata. Fortitudo enim hominis pendet à sanitate vmbilici & firmitate lumborũ, iuxta illud quod dicitur de Behemoth apud Iob. Fortitudo eius in lũbis eius,& virtus in vmbilico ventris eius. Et irrigatione osium per medullarum pinguedinem significatur in Iob bona hominis valetudo: Viscera inquit,eius plena sunt adipe,& (Iob 21.) medullis ossa illius irrigantur.Contrà per ariditatem osium mala valetudo designatur apud eundẽ: Cutis, inquit, mea denigrata est super me,& ossa mea aruerunt præ caumate. (Iob.30) Et Psalmista: Ossa mea sicut cremiũ aruerũt. (Psal.101.) Est enim medulla osium fomẽtum & firmamentum. Methaphoricè ergo hac sententia significatur eum qui prædicta fecerit, bona fore constitutione,potisimum secundum animam & mentem,omnésq; eius animę vires firmas fore & sanas,vtq; Dei gratia & sanabũtur & firmabuntur, ac adipe & pinguedine cœlestium charismatũ irrigatæ recreabunt, iuxta illud:Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. (Psal.62) Septuaginta sensum exprimentes habent:Tunc sanitas erit corpori tuo & curatio osibus tuis.Quod si distinctè quis explicare volet quid per vmbilicũ, quid per ossa significetur, quamuis id non sit necesse, poterit per vmbilicum intelligere partem appetitiuam animæ,quæ viget in lumbis, & vmbilico: per ossa intellectiuæ partis virtutes, quibus sustentatur tota hominis actio. Quidam non male sic explicant: Per timorẽ Dei est vmbilico sanitas, quia per illam refrenantur prauæ cupiditates, & libido quæ in vmbilico & circa illum viget, & est irrigatio osium,quia per illum omnia corporis membra,omnésque animæ vires, redduntur aptæ & agiles ad virtutum opera. Similis tropus, quod attinet ad irrigationem ossium,est Ecclesiastici 16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Et Prouerbiorum 15. Fama bona impinguat ossa.

Honora dominum de tua substantia, & de primitiis omniũ frugũ tuarum da pauperibus. Et implebũtur horrea tua saturitate,& vino torcularia tua redundabunt.

QVartum hic traditur præceptum,superioribus congruè subiunctum.Nam cũ superioribus tradatur,quomodo Deus interno sit cultu colendus,hic iam docetur,quomodo deinde etiam externo cultu sit honorandus,per oblationes scilicet, iuxta legem Deo pro sacerdotibus faciendas.Nam de illis ipsum loqui,cum dicit:Honora dominum de tua substantia,patet ex eo quod sequitur, & de primitiis omnium frugum tuarum. Nam quod apud nos additur,da pauperibus, nec Hebræa habent,nec Græca.Non enim primitiæ omnium frugum pauperibus vel debebãtur vel dari poterant, sed iuxta legem debebantur Sacerdotibus & Leuitis. Qui tamen pauperum nomine intelligi recte possunt, quod inter Israelitas non haberent partem sicut reliquæ tribus,sed ex donis & oblationibus populi sustentarentur,vt est Deutero. 18. Dicit ergo,honora dominum de tua substantia,hoc est,opibus tibi cõcesis,offerendo scilicet ei decimas, primitias & reliquas iuxta legẽ debitas oblatiões. His enim oblationibus honoratur dominus, tum quod hæc dentur Deo in signum supremi dominij,& in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, tum quod dentur in subsidium ministrorum cultus diuini,quos qui alit tanquam ministros Dei,Deum honorat,cuius cultum hac ratiõe promouet,vnde & Ecclesiastici 7.præcepto ti- (Eccles.7.) moris Dei coniungitur similiter præceptum honorandi hoc modo Deum.In tota, inquit, anima tua time dominum,& sacerdotes illius sanctifica.In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius non derelinquas.Honora Deum ex tota anima tua,& honorifica sacerdotes. Da illis partem sicut mãdatum est tibi,primitiarũ & purgationis, &c. Quãuis autẽ proprie hoc præceptũ intelligẽdũ sit de honore qui Deo impẽditur per oblatiões & sustentationẽ ministrorũ eius,extẽsiue tamẽ etiã intelligẽdũ est de pauperũ subuentione, per q̃ etiam Deus honoratur,iuxta illud quod postea dicit. (Prouerb. 14) Qui calũniatur pauperẽ,exprobrat factori eius,honorat aũt Deũ qui miseretur pauperis. Qui enim miseretur pauperum, curam gerit eorum, quorum se Deus in scripturis maxime curã gerere significat,& quorum maxime curam haberi vult. Honor hic de primitiis frugum exhibendus est,quia de optimis & nõ de vilioribus & abiectioribus bonis, ne cum Cain munera nostra reiiciantur.Notãdum autem quod dicitur,de tua substantia,hoc est,bonis quæ ad te iuste pertinent,non autem de bonis aliorum furto,rapina,aut aliàs ablatis.Nam vt dicitur Ecclesiastici 34.Immolantis ex iniquo obla- (Eccles.34) tio est maculata.Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.Et Tobię 4.dicitur:Ex (Tobię.4.) tua substãtia fac eleemosynam.Vnde Septuaginta hoc loco habent τίμα τὸν κύριον ἀπὸ σῶν δικαίων πόνων hoc est,honora dominũ de tuis iustis laboribus,sicque citatur à D. Augustino (August.) libro de vita Christiana cap.11.Ne autẽ quis ab honorando prædictis modis dominũ abstraheretur,timore defectus & inopiæ rerum necessariarum,metuens scilicet ne ad egestatẽ liberalitate deueniat, subiicit, hac ratione

augen

ne augendas potius ipsius opes. Et implebuntur,inquit,horrea tua saturitate, hoc est, frugum abũdantia,& vino torcularia tua redundabunt, hoc est, abunde tibi ex diuino dono suppeditabuntur,quæ esui & potui cõueniãt, (Eccl.35.) Sic & Ecclesiastici 35.Bono animo gloriã redde Deo,& non minuas primitias manuũ tuarum.In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundũ datum eius,& in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam dominus retribuens est, & septies tantũ reddet tibi:Noli offerre munera praua, nõ enim suscipiet illa.Ex quo loco pro intellectu huius loci aduertendũ est,vt quis rectè & verè honoret dominum de sua substantia requiri, vt & bona munera offerat & bono animo ac hilari lubentique offerat. Vnde Mala- (Malach. 1.) chiæ,1.dicitur:Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum,& votum faciens immolat debile domino. Et cap.3.Configi se dicit dominus in decimis & in primitiis, atque ob id illos in penuria maledictos esse, subiiciens:Inferte omnem decimã in horreum,& sit cibus in domo mea, & probate me super hoc dicit dominus:Si non aperuero vobis cataractas cœli,& effudero vobis benedictionẽ vsque ad abundantiam,&c. Similem benedi- (2. Cor.9.) ctionem Paulus etiam promittit eleemosynã facientibus, non ex tristitia aut necessitate. Qui, inquit, administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit,& multiplicabit semen vestrum,& augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Ceterum iuxta sublimiorem huius loci tractationem & allegoriam,monemur hoc præcepto,non solum ex caducis & exterioribus opibus,sed ex talẽtis animæ cælitus collatis & quibuslibet Dei donis dominum honorandum,dispensando scilicet illa non ad nostram, sed ad illius gloriã, eíque ea dona accepta ferendo, non nobis. Quod si fecerimus, sentiemus diuina in no- (Luc.19.) bis dona multiplicari, iuxta Parabolam qua ei qui vna mna decem mnas acquisiuit, data est mnã eius qui eam absconderat quoniam inquit dominus omni habenti dabitur & abundabit. Aduertenda autem hic immensa Dei benignitas, quod cum nihil ei offerre possimus,nisi quod de manu eius accepimus honorari tamen se reputet cũ ex suis bonis etiam quod ei debemus offerimus, idémque àdhuc remuneret,idque abundè quasi omnino nostrum esset quod offerimus, ipse verò hinc commodum aliquod referret,qui omnino bonorum nostrorum non eget.

Disciplinam domini ne abiicias,nec deficias cum ab eo argueris.Quẽ enim diligit dominus,corripit: & quasi pater in filio complacet sibi

QVINTVM præceptum, quo post superiores virtutes commodè & necessario monet, etiam patienter ferenda quæ à Deo mala immittuntur, significans non sufficere,vt quis piè Deo & mẽte & exteriore cultu seruiat,vtque pro perceptis á Deo bonis gratias agãt per oblationes & eleemosynas, sed nportere vt & mala quæ ab eo plerunque immittuntur etiam iusti, patienti pióque animo tolerentur, sicut ob ea neque contra Deum murmuret,neque à spe & seruitio illius deficiat.Plerique enim qui post virtutes & seruitutem Dei mala incidunt, scandalum patiuntur. vt existiment iniquè secum agi, & frustrà se Deo seruiisse,ita vt hinc virtutem Deique seruitutem deserere incipiãt.Itaque contra hæc filium suum præmunire volens. recte post prædicta subiicit: Discipliam Domini ne abiicias. Disciplinam Domini dicit eius correptionem,quæ potest intel.igi,& ea quæ verbo fit asperiore,quo vitia hominum arguuntur,& ea quæ fit flagellis ac malis a Deo immisis. De correptione per verba loquitur dominus in Apocal.cum alludens ad hæc verba,vt est verisimile,dicit:Ego quos a- (Apoc.3.) mo,arguo & castigo,Nam præcedit dura verborum increpatio.De correptione per flagella ac mala à Deo immissa, intelligit post 70. (Hebr. 12.) D.Paulus,qui ad Hebræos totum hunc locũ citat iuxta translationem 70.ad verbum. Vbi sic legimus: Fili mi, noli negligere disciplinam domini,neque fatigeris, dum ab eo argueris: Quem enim diligit Deus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit Pro qua vltima parte,iuxta Hebraicam veritatem habemus,& quasi pater in filio complacet sibi,De tali correptione etiam est sermo in simili loco,qui est apud Iob: Beatus (Iob 5.) homo qui corripitur à domino, increpationem ergo domini ne reprobes.Quia ipse vulnerat & medetur,percutit & manus eius sanabunt.Vbi Hebræa pro eo quod ibi legimus, increpationem domini ne reprobes, eodem modo habent quo hoc loco,vbi legimus:Disciplinam domini ne abiicias, Nisi quod pro nomine domini ibi sit Saddai,hic vero nomẽ tetragrammaton,ita vt verisimile sit ad illum locum Salomonem hic respexisse,sicut & Dauid ex Iob quædam desumpsit. Cæterum disciplinam domini abiicere, est contemnere eam & impatienti eam ferre animo. Deficere ad correptionem eius, est illo castigante pusillanimem fieri,& animo remissum, siue ad ferendum mala,siue ad perseuerãdum in bono, & sperandum in illo.Vnde Græcis est μηδὲ ἐκλύου, hoc est, neque dissoluaris, aut eneruerïs.Subiicit autem rationem valde ad ferẽdum aduersitates plausibilem. Quem enim diligit dominus,corripit,& quasi pater in filio complacet sibi,scilicet in illo, Quasi dicat.Correptio eius & castigatio in his qui timent eum,non procedit ex ira, quemadmodum correptio eius in impiis,quam deprecatur Dauid dicens:Domine ne in furore tuo (Psal.6.) arguas me,sed procedit ex dilectione prædestinationis,scilicet, hoc est, ea qua ad æternã vitam electos suos prouehit,quam bene placitum diuinum Paulus sæpè nominat, quod beneplacitum significatur in 2.membro,cum dicitur. Complacet sibi in illo. Est enim in eo qui corripitur à domino, aliquid quod displicet,id scilicet propter quod eum castigat,& quod emendatum cupit. Et tamen dicitur dominus complacere sibi in illo, quia illum suo beneplacito elegit ad vitam æternam ad quàm sua eum castigatione promouet, Quod autem pro eo quod nos iuxta Hebrai-

cam

cam veritatem habemus, quasi pater in filio, 70.quos Paulus est secutus,habeant:Flagellat autem omnem filium, hinc factum est quod dictionem באב Ceab,quæ non legitur in Hebræo quasi composita ex Caph similitudinis & Ab quod est pater, ipsi legerint tanquam vnam dictionẽ à radice באב Caab quod signi ficat dolere,& in Piel vel Hiphil significat facere dolorem, quod est vulnerare vel flagellare.Vnde in Hiphil illud verbum ponitur illo loco Iob, huic simili qui suprà est citatus, p eo quod nos habemus,vulnerat. Porrò cũ hic dicatur castigari à domino omnis,qui diligitur ab eo,satis insinuatur omnem etiã iustum cũ castigatur,agnoscere debere se peccatis esse obnoxium,atque ab eo se in suum bonum castigari, vt iam rectè etiam alia hic insinuetur ratio cur disciplinam domini abiicere non debeamus,sed patienter suscipere, nimirũ quia eam commeruimus, quam perferentes & admonemur delictorum nostrorum vt ea corrigamus,& purgamur vt postea grauius puniri non debeamus. Dum iudica- 1. Cor.11. mur enim, inquit Paulus, à domino corripimur,vt non cum hoc mundo damnemur. Et 2.Mach. 6. vt dicitur 2.Machab.multo tẽpore non sinere peccatoribus ex sententia agere,sed statim vl tiones adhibere, magni beneficij est indiciũ, Augusti. Vnde Aug.in Psal.98.Illi Deus irascitur, quẽ peccantem non flagellat.Nam cui verè propitius est non solũ donat peccata,ne noceant ad futurum seculum,sed etiam castigat ne semper peccare delectet.Dubium autem hic non paruum est an semper mala quæ iustis à Deo immittuntur,in vltionem peccatorum eis immittantur.Id enim ita esse videri potest ex hoc loco cum immissa mala, castigatio dicuntur & correptio,maximè dum diuus Pau Heb.12. lus hunc locũ citet ad confirmandos eos qui etiam ob Christi nomen afflictiones patiebãtur,vt hinc videri possit etiam tales afflictiones ob peccata immitti.Et tamen multæ alię scripturæ de tribulationibus iustorũ loquuntur,non quatenus castigatoriæ, aut punitiuæ peccatorum,sed quatenus per eas probantur & præparantur ad promerendam magnam victorię in cœlis coronam.Certè quamquam verisimilius sit iustos quandoque pati quædam non in punitionem peccatorum suorum, sed in probationem & augmentum coronæ, potissimum cum grauia quædam eis inferuntur, vt sunt martyrum supplicia, Iob & Tobiæ afflictiones, conuenit tamen iustos peccatis suis ex humilitate,potissimum in cõmunibus afflictionibus, deputare quod patiuntur,& pro castigatione paterna suscipere, quæ non tantum adhibetur quia peccatum est,sed etiam ne peccetur. Siquidem bonus pater non tantum coercet filium & cohibet quem nouit natura ad malum esse propensum, quia quid mali commisit, sed etiam ne in peccatum prolabatur. Ita & Paulus ad Hebræos significat castigationem à Deo prouenientem non immitti propter commissa peccata,sed ne committantur. Nondum, inquit, vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum repugnantes. Itaque ex nomine castigationis iustorum non omnino necessario concluditur eos ob peccata sua puniri & pati. Nam etiam ideo dicit sibi Paulus datum an- 2.Cor.12. gelum Satane qui eum colaphizaret ne magnitudo reuelationum extolleret ipsum. Et 1.Cor.9. castigo inquit,corpus meum, ne fortè cum aliis prędicauero,ipse reprobus efficiar.Quod enim non omnia mala iustis immissa eorum peccatis sint deputanda, patet apertè satis ex Chrisost. D.Chrysostomo explicante illud. Non remit- homil. tetur neque in hoc seculo, neque in futuro: 42. in Matt. Nisi, inquit,pœnitentiam egeritis,nec in prę- 12. senti vita, nec in futura punitionem effugietis. vniuersorum enim hominum alij & hic & ibi supplicia dabunt,alij in præsenti solummodo vita, alij in futura tantum, alij nec in præsenti, nec in futura. Et hic & ibi, vt hi de quibus nunc agitur. Nã & hic ipsos vltus est, quoniam intolerabilia passi sunt à Romanis, ibi autem acerbissima eos manent tormenta, vt Gomorrhæorum ac Sodomorum ciues,alisque complures. Ibi verò solummodo, vt dues ille qui nec guttæ vnius aquæ dominus est.Hic autem tantum, vt qui apud Corinthios fornicabatur. Neque hic verò, neque ibi sicut Apostoli, Prophetæ.Sic beatus ille Iob, cæteriąue huiusmodi. Non enim ad punitionem aliquas passiones hic susceperunt, sed vt clarius in passione vicisse cogno- Augusti. scerentur.Et Augustinus libro secundo de peccatorum meritis & remissione, capite 12 Quantus quidem inquit Iob fuerit ignoramus,sed nouimus iustum,nouimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum,Nouimus nõ propter peccata,sed propter eius demonstrandam iusti tiam illa omnia fuisse perpessum. Quibus verbis quid significetur,apertius paret ex eodẽ Augustino de eodem Iob differente lib. de perfectione iustitiæ, vbi habet:Dicit, inquit, Iob de domino: Multas enim contritiones meas fecit sine causa:Nõ ait,nullas fecit cum causa,sed multas sine causa. Non enim proper multa peccata eius factæ sunt ei multæ contritiones,sed propter probationẽ patientiæ.Nam propter peccata,sine quibus,vt alibi confitetur, non fuit, pauciora se pati debuisse iudicat. Consentit his, quod dominus de Ioan.9. cœco nato dicit apud Ioannem: Neque hic peccauit, neque parentes eius vt cæcus nasceretur, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Sed de hac re accuratior disputatio non est præsentis loci.

Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia.Melior est acquisitio eius negotiatioue argenti, & auro purissimo fructus eius, Preciosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.

POST salutaria illa præcepta quæ homi nem ad Deum rectè ordinant,inquibus prima sapientiæ pars consistit,priusquam ad ea progrediatur quæ ad proximum rectèdi sponunt, interponit fœlicitatem eius qui sapientiã adeptus est,vt hac ratione & quæ dicta sunt,facilius recipiantur,& ad recipiendũ dicenda,animus magis pręparetur.Itaq; cum vulgus ferè magno studio quærat opes huius mundi,

mundi, quasi hæ hominem fœlicem possint reddere ac proinde beatum prædicent eum, qui diuitias tandem inuenit & assecutus est, quo ab hac opinione hominum mentes auocaret,& ad quærendã potius sapientiam prouocaret:Beatus, inquit,qui iam inuenit, hoc est,studio suo quæsitam tandem à Deo obtinuit sapientiam,magis autem beatus qui etiã affluit prudentia,abundè scilicet eam assecutus,sic vt etiam aliis eam possit profundere. Causam reddit,quia eius acquisitio, vel vt est Hebręis,eius negotiatio,excellit negotiationem argenti,hoc est,mercaturam qua argentum conquiritur,significans proinde pro acquirenda sapientia magis esse laborandum & negotiandum, quam faciunt homines pro conquirendo argento.70.habent: Melius est ipsam mercari, quam auri & argenti thesauros.Negotiamur autẽ pro ea obtinẽda,studio, precibus, ac rerum terrenarum contemptu. Quod tunc eximio modo fit,quando quo expeditior sit animus ad vacandum sapientiæ, eámque percipiendum, omnia huius mundi relinquuntur, & iuxta parabolam euangelicam:Inuenta vna preciosa margarita, negoMatt.13. tiator enangelicus vẽdit vniuersa quæ habet & emit eam,quemadmodum fecit ille qui dixit: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumMatt.19. us te,quid ergo erit nobis? Magis adhuc eius precium exaggerat,cum non solũ argento,sed & auro præferendam asserit dicens: Et auro purissimo,hoc est, optimo, eius fructus, subaudi melior est, hoc est, maiorem fructũ adfert homini quam aurum etiam optimum, purissimum & pretiosissimum. Vbi circa lectionem notandum,plerosque legere, negotiatione argenti & auri primi & purissimi fructus eius,& punctum faciunt post auri,vt adiectiua primi & purissimi construantur cum fructus,& sint pluralis numeri. Verũ rectior est lectio quæ in correctioribus inuenitur libris,consentiens cum Hebræis,quæ habet,Et auro primo fructus eius. Quare si altera lectio placet tamẽ adiectiua primi & purissimi, non cum substãtiuo fructus essent ordinanda, sed cum substãtiuo auri, vt sit hæc distinctio, & hic sensus:Melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & negotiatione auri primi & purissimi melior est fructus eius. Nec tantum argento & auro præferendam docet,sed generaliter omnibus quantumuis pretiosis, quãtumuis desideratis.Preciosior est,inquit, cunctis opibus,vel vt habent Hebrea,vnionibus & gemmis,quæ scilicet etiam argento & auro sunt pretiosiores,& omnia quæ desiderantur ab hominibus,humana scilicet & terrena, huic non valent comparari, tantum abest vt æquari possint vel superare. Hæc vera esse ostendit in sequentibus, sapientiam docens ea homini præstare quæ nõ possint omnia illa præbere, & in vna sapientia,vel per vnam sapientiam acquiri quæcunque desideranda sunt homini.Sequitur enim.

Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. Viæ eius viæ pulchræ,& omnes semitæ eius pacificæ. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eã, & qui tẽnuerint eam,beati.

OSTENDIT his versibus sapientiã omnia adferre bona, deinde verò ostendit eandem auferre omnia mala.Quod ad primũ attinet:Longitudo,inquit dierum in dextera eius,&c.Quod dupliciter accipi potest,vel de dextera & sinistra manu eius, vt sit sensus, ipsam dextera manu tenere & præbere longitudinem dierum,sinistra vero diuitias & gloriam.Vel de dextero & sinistro eius latere,vt significetur longitudinem dierum assistere ipsi sapientiæ à dextris,diuitias & gloriam à sinistris, ipsámque his comitatam assęclis, mediã incedere.Vtrouis modo intelligatur, sensus eodem recidit,& est prosopopeia, qua inducitur sapientia vel hæc dona,quasi suis manibus tenere,ostentare & præbere suis,vel his comitatam præbere & adferre ea illis qui ipsam inuenerint.Longitudinem dierum dexterę tribuit,diuitias & gloriã sinistrę,eo quod ante omnia & precipuè expetitur ab hominibus longitudo vitæ, post eam verò secundo loco diuitiæ & honor. Hæc autẽ bona sapientiam conferre intelligendum est temporaliter iuxta promissiones veteris legis, quæ suis sectatoribus & lõgam vitam & fœlicem promittit,vt prius dictum est.Et rursum, iuxta Euangelicæ legis promissiones intelligendum est conferre spiritualiter,atque perfectiori & sublimiori ratione quam in veteri lege.Confert enim vitam æternam quæ hic in spiritu incipit,& in futura perficitur vita. Confert & veras diuitias verámque gloriam,quia animã replet multis gratiarum charismatibus & filios Dei efficit,reges ac sacerdotes facit.Et in futura vita omnis boni abundantiam,& æternam gloriam confert. Atque hunc putamus simplicem & genuinum esse huius loci sensum,non præiudicantes interim aliorum piæ intelligentiæ, qua scilicet longitudinem dierum,dexteræ intelligunt attribui, sinistræ diuitias & gloriam,quod in primis optanda sit vita æterna, ac secundo loco bona temporalia, aut quod in futura vita quasi in dextera Dei constitutis sapientia det æternam vitam, in hac vero vita, quasi in sinistra & inferiori det temporalia.Magis enim intelligẽdum est sapientiam omnia hæc in vtraq; conferre vita temporaliter scilicet & spiritualiter,vt vtrique conueniant populo. Hæc autem sententia bene ostendit quod ostendendũ erat,nempe sapientiam preciosiorem esse omnibus opibus,& omnibus desiderabilibus. Nam cum opes non possint sapientiam dare,ipsa tamen dat opes & reliqua bona quæ etiam opes dare nequeunt.Neque enim opes vitam prolongare possunt possessori, imò ne febriculam quidem sanare, vt inquit ille. Non æris aceruus & auri, Ægroto domino deduxit corpore febres. Cum autem præter longitudinem vitæ,diuitias & gloriam,homines expetãt voluptatem,etiam hanc ostendit versu sequẽti, sapientiam hominibus adferre. Viæ, inquit, eius,viæ pulchrę.Vias eius dicit ipsius sapientię præcepta,in quibus homini est ambulãdũ, aut ipsas hominis actiones, iuxta sapientiæ præcepta. Hæ viæ pulchræ sunt, quia carentes omni erroris & vitiorum macula, suoque decore mire exhilarantes hominis mentem. Vnde Hebræa habent, viæ iucundæ.

Et omnes semitæ eius pacificæ, quia miram adferunt pacem & tranquilitatem mentis, & quantum in se est efficiunt, vt in pace cum omnibus viuatur, atque æternam tandem afferũt pacem. Ecce voluptatem & iucunditatem quam adfert sapientia. Quam magis adhuc extollit dum in sequenti eam vocat lignum vitæ, alludens ad lignum illud vitę, hoc est, arborem illam vitalem quæ fuit in paradiso. Quo iam significat ipsam sapientiam reddere nobis quodammodo paradysum & fœlicitatem, in qua primum homo conditus fuit, quam per peccatum amisimus, quia ipsa, inquit, est lignum vitæ his qui apprehenderint eam, quia scilicet eis cõfert immortalitatem, suauem denique & omni voluptate plenam vitam, & proinde qui tenuerint eã, verè sunt beati, vt quibus restituta est beatitudo à qua peccando excidit humanum genus. Ligno enim vitæ comparat sapientiã non solum propter immortalitatem quam adfert, sed & propter voluptatem, quam arbor suis solet fructibus præbere, vnde postea capite 15. Linguã
Auguſt. placabilem vocat lignum vitę. D. Augustinus in ligno vitæ mystica significatione demonstratum dicit, quod per sapientiam, cuius figuram gestabat conferretur animæ rationali, vt alimento eius viuificata, nequaquã in labem, mortémque nequitiæ verteretur. Meritò enim, inquit, de illa dicitur: Lignũ vitæ est ampiectentibus eã. Sicut hæc arbor in corporali, sic illa in spirituali paradiso, ista exterioris, illa interioris hominis sensibus præbens vigorem sine vlla in deterius commutatione vitalem. Hæc ille lib. 2. de peccatorum meritis capite 21.

Dominus sapientia fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentia, Sapientia illius, eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt.

MAGNAS sapientiæ laudes expositi, adiicit maiores, quo magis in illius amorem accenderet. Extollitque iam eam nõ à bonis quæ nobis confert, sed à magnitudine operum quæ per eam Deus fecit, significans interim per hæc ipsam sapientiam, de qua loquitur non esse humanitus inuentam, sed ipso mundo esse antiquiorem, Nec dubitandum esse quin quæ pollicitus est, præstare possit sapientia cum hæc magna & admiranda præstiterit opera. Qua in re nõ debet videri impertinenter locutus hic noster Sapiens, cum prius locutus de sapientia quę est in hominibus, & in eis operatur longitudinem vitę & alia pleraque bona, iam transiliat ad sapientiam illam diuinam, per quam cœli & terra omniáque quæ in eis sunt, facta sunt. Nam secundum analogiam vna est & eadem sapientia, diuina per quam Deus omnia creauit, & humana, qua Deum homines rectè cognoscunt & piè colunt, quia hęc est illius quędam participatio, defluens ab illa iuxta hominis capacitatem. Vnde in Sapientia dicitur esse
Sap.7. vapor virtutis Dei & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei syncera. Et in Eccle-
Eccle. 1. siast. dicitur Deus sapientiam suam effudisse super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & præbuisse illam diligentibus se. Vnde intelligendum relinquit scriptura, quoties de sapiẽtia hominũ tam magnificè loquitur, non se loqui de ea quę humano studio reperta est ex naturali tãtum rationis lumine, qualis est sapiẽtia & sciẽtia philosophorum, plena multis erroribus quæ verè humana dici potest, quamuis etiam multa vera contineat: sed de ea quæ non nisi singulari Dei dono homini cõtingere potest, qua scilicet vt dictum est & rectè Deus cognoscitur, & piè colitur, quæ verè diuina est sapientia, & secundũ analogiam, eadem cum sapientia Dei, sicut secundum analogiam eadem est Dei essentia & nostra. Cælebraturus ergo sapientiam ab operibus quæ per eam Deus prudenter & mirabiliter operatus est, quatuor potissimum opera cõmemorat. Primum quod per sapientiam dominus fundauerit terram, hoc est, quod eam veluti fundamentum totius sui opificij inferius firmam, immobilem, ac semper duraturam constituit in qua omnia viuerẽt animalia, & circa quam omnia voluerentur elementa. Quod certè mirabile est & summæ sapientiæ opus, eóque maius quod fundamẽtum hoc nullo nitatur sustentaculo, sola Dei manu ipsum sustinente & firmante. Secundum est quod prudẽtia sua Deus miro modo stabiliuit cœlos, non sic vt instar terræ immobiliter persisterent, sed vt in continuo motu, perenni quadam virtute, semper consisterent, neque lassitudinem, neque loci mutationem, neque diminutionem aut dissolutionem patientes. Et hæc quidem ad duo illa corpora totius orbis præcipua pertinent, quorum alterum supremum, alterum infimum est, in quibus & reliqua comprehenduntur quæ in eis sunt. In sequẽti versu commemorat duo alia Dei opera, ad aquæ elementum pertinentia, quorum alterum inferius est & in terris, alterum superius & in cœlis. Sapientia, inquit, illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt. Per eruptionem abyssorum quamuis aliqui intelligunt quod factum est in diluuio, quando vt dicitur in
Gene. rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ: Rectius tamen intelligitur eruptio fontium & fluminũ, quæ ex terræ visceribus ad irrigationem terræ non sine magno miraculo erumpunt & in lucem prodeunt, iuxta il-
Deut. 8. lud quod dicitur in Deutero. In cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssi. Et cap. 8. postea dicit Sapientia, Necdum fontes aquarum eruperant, significans per se factum esse vt fontes aquarum, qui abyssus sunt terræ in qua latent, eruperint, è terra. Quartum sapientiæ opus dicit, quod nubes rore concrescunt, hoc est, ex rore & vapore roscido concrescunt in pluuiam, vel concrescunt in rorem hoc est, pluuiam tenuiorem ad irrigationem terræ. Pro quo Hebræa clarius habent, & nubes stillabunt rorem, & 70. νέφη ἐρρύη ἀρόσω, hoc est, nubes fluxerunt rore. Porrò quæ hactenus aliquot versibus in commendationem sapientiæ dicta sunt in genere, vt patet ex his quæ in primo capite sunt annotata, singulari ratione competunt in Christum tanquam Dei patris sapientiam, qui perfectio est humanæ sapientiæ, imò sine cuius aliquali participatione, nulla vnquam fuit vera

vera sapientia. Beatus est enim is qui Christũ Dei patris sapientiam inuenit, thesaurum sci licet illum absconditum in agro huius mundi, quem inuenire non omnibus datum est, quem inuenisse multo meli⁹ est homini, quã acquisiuisse aurum & argentum, aut quæuis alia preciosa huius mũdi. Hic enim imprimis & ante omnia largitur vitam æternam. Largitur tamen idem & diuitias ac gloriam etiam in hoc mundo, iuxta quod pollicitus est, eum qui omnia propter se reliquerit, centuplum
Marc 10. accepturum in præsenti seculo & in futuro vitam æternam. Eius viæ, vię pulchrę sunt quia & mandata eius nitidiora sunt ac iucundiora præceptis mosaicis, in quibus multũ est vmbrarum multum asperitatis. Et omnes eius actiones atque exempla quę in hoc mundo reliquit, omni carent reprehensione, longeque excedunt puritatem cuiusuis hominis. Omnes semitæ eius & quæcunque gessit, ad hoc tendebãt vt pacem hominibus conciliaret cum Deo. Lignum vitæ ipse est fidelibus quibus per lignum crucis reddit immortalitatem in ligno amissam. Ipse est per quem cœ
Ioan. 1. los terramque fundauit Deus Pater, Quia, Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Per ipsum abyssi sapientiæ & gratiæ Dei, quæ prius mundo incognitæ fuerunt, eruperunt largiter in mundum, & spirituales nubes, hoc est, prædicatores cœlestem pluuiam cordibus hominum instillant, vt ea irrigent ad proferendum bonos fructus.

Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis, custodi legem atque consilium. Et erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis: quiesces & suauis erit somnus tuus. Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi ruinas impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.

POST commemorata dona & potentiam sapientiæ, prouocat rursum ad sapientiã amplexandam & retinendam, subiungẽs iterum, & bona per ipsam obtinenda, & vlterius mala omnia per ipsam effugienda. Fili mi, inquit, ne effluant hæc quę dixi siue de sapientiæ præceptis, siue de eius donis & potentia, ab oculis mentis tuæ, hoc est, versentur hæc semper in cogitatione tua, custodi legem atque consilium quod tibi lex & sapientia suggerit. Quod si feceris, erit animę tuę vita, hoc est verè viuet & valebit anima tua per sapientiam, sana erit & incolumis per eam, & insuper erit faucibus tuis, vel vt habent Hebræa gutturi tuo vel collo, gratia, hoc est, sicut collum ornatur torque aurea, aut fauces venustate aliqua grata, ita per sapientiam consequeris apud homines, & Deum gratiam, ita vt per eam clarus sis & gratus futurus. Hic notandum circa priorem partem, quod cum anima ipsa ex sua natura sit vita, per quã corpus viuit, tamen per sapientiam & legis diuinæ obseruationem promittitur animę vita Illo enim significatur animam sine sapientia mortuam esse, aut non distare intellectum à pecudibus, quamquam in vitæ nomine plus etiam significet iuxta Hebraicam phrasim, nimirum vigor & sanitas. Nam sine sapiẽtia verè languida est & torpida ac male sana mens hominis. Circa posteriorem partem nõ tandum quod per gratiam gutturis vel faucium, potest etiam intelligi gratia verbi & doctrinæ, quæ per guttur & fauces transfunditur ad homines, vt significetur per sapiẽtiam non tantum obtingere homini, vt ipse in se viuat, sed vt etiam possit gratiam hominibus proferre doctrinam in eorum vtilitatem. Prior tamen expositio simplicior est, & similibus aliquot locis huius libri conuenientior Subiicit deinde quomodo Sapientia etiam adferat securitatem ab omnibus malis omni tempore. Tũc, inquit, ambulabis fiducialiter, hoc est, cum bona fiducia sine timore anxio, in via tua, quocũque scilicet ieris, & pes tuus non impinget, hoc est, nullum senties obstaculum vel malum quod tibi noceat. Quare si somno te dederis non excutiet tibi somnũ sed quiesces idque cum suauitate quadam. His autem duobus, quorum alterum ad motum diurnum, sub quo omnis humana actio comprehẽditur, alterum ad quietem nocturnam, sub qua omnis quies comprehenditur spectat: significatur hominem sapiẽtem semper fore securum, & inter diu, & per noctem: & in agendo quiduis, & in quiescendo. Quæ securitas in eo nascitur: partim ex pace & tranquilitate bonæ conscientiæ, partim ex fiducia protectionis diuinæ, eiusdemque protectionis, efficaci custodia: Impij verò quibus non est pax, sed sunt quasi mare ferues, quod
Esa. 57. quiescere nõ potest, vt est in Esaia, & interdiu & per noctem multiplici metu, & variis desideriis exagitantur. Et destituti singulari Dei custodia, & per diem in suis actionibus frequenter impingunt, & per noctem varias patiuntur hostium illusiones. Iuxta altiorem intellectum sub ambulatione & somno, intelligi potest duplex vitæ genus, vita scilicet actiua & contemplatiua, aut vita ipsa præsens & mors, vt significetur per sapientiam hominẽ secure hic viuere, & in via huius peregrinationis cum bona fiducia procedere in actionib. suis, sine offendiculo alicuius peccati grauioris. Et securè excipere fominum mortis in qua quiescit sub certa expectatione futuræ resurrectionis, ita vt mors aliis terribilis ei sit suauis, tum propter hanc expectationem, tum quod finem imponat omnib. laborib. Quod sequitur, Ne paueas repẽtino terrore, &c. magis cõueniebat vertere, Non pauebis, vt cum præcedentibus versibus esset conuenientia Pergit enim ostendere vnde hæc securitas, & per diem & per noctem. Quia, inquit, non timebis à terrore qui ex inopinato aliquo casu, subito solet obuenire. Eodem recidet nostra lectio sic intellecta. Tu quisquis es sapiẽtia donatus (nam illi loquitur, vt patet ex præcedentibus) non est quod paueas terrore subito oborto inter homines, nec est quod timeas potentias impiorum, vel vt melius habent aliqui libri, ruinas impiorum irruentes tibi, hoc est, cum impij te conantur opprimere obruere & deiicere, siue homines sint siue dæmones, iuxta illud
Pſalm 26. Psalmistæ: Si consistant aduersum me castra,

Iansen in Prouerb.

nō timebit cor meum. Cauſam autem huius ſecuritatis non in ipſomet conſtituit homine ſed in Deo. Nam qui temerariè à ſe ſuſcepta audacia impauidus viuit, non bene ſecurus eſt, cum ſæpè ſe falli & ſuperari ſentiat. Hic verò nihil tale eſt metuẽdum, Dominus, enim, inquit, in latere tuo erit, hoc eſt, aderit tibi ad cuſtodiendum & defendendum te, quemadmodum in latere alicui ſolẽt adeſſe interambulandum quidam ad cuſtodiam, qui & latrones dici ſolebãt. Sic & Dauid: A dextris, inquit, eſt mihi dominus, ne commouear. Et cuſtodiet pedem tuum ne capiaris, hoc eſt, ita te cuſtodiet in omnibus viis tuis, vt etiamſi multæ tibi ponantur inſidiæ, quas tu, prouidere & cauere non poſſis non tamẽ capiaris abeis, eis nō inuoluaris. Quod Deꝰ ſuus præſtat & corporaliter, præſeruãdo eos quatenus eis expedit à malis temporalibus, quæ eis inferre moliuntur impij homines, & ſpiritualiter, præſeruãdo eos à malis animæ ſpiritualibus, peccatis ſcilicet in quæ eos impellere variis artibus nituntur impij dæmones. Magna certè hæc merito piis cõſolatio eſſe debet, quod eorum cuſtos & protector, non tantum angelus quiſpiam, ſed ipſemet Deus eſſe dicitur, non à longè eos aſpiciens, ſed ad latus ipſorũ præſens, de cuius potentia dubitandum non eſt quin omnium vires ſuperet, qui circa eos quos cuſtodit ſemper vigilat, iuxta illud: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Vnde huius conſideratione rectè ſubiicit Dauid. Propter hoc lætatum eſt cor meum.

Pſal.15.

Pſal.120

Pſal.15.

Noli prohibere benefacere eum qui poteſt, ſi vales, & ipſe benefac. Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.

POST inſignem ſapientiæ commendationem & vtilitatis quæ ex ea prouenit demonſtrationem, reddit ad particularia ſapientiæ præcepta, ſubiungens iam quædam præcepta quæ erga proximos hominem rectè diſponunt, ſicut ſuprà poſuit quædam ad Deum pertinẽtia. Et commemorat etiam hic quinque peculiariter præcepta, cáque omnia negatiua & prohibitiua. Quorum primum & ſecundum monent benefaciendum eſſe cito, tertium & quartum monent cauendum ab inſigni maleficio. Quintum monet cauendũ ab æmulatione malorum, ſic vt à benefaciendo tranſeatur ad malefaciendum. Quod ad primum attinet, ſciendum Hebræa ſic potius vertenda, vt ſit etiam ipſum purè negatiuum præceptum ſicut reliqua quæ ſequuntur. Ne prohibeas bonũ ab eo qui dominus eius eſt, cum eſt in fortitudine manus tuę vt facias. Et intelligitur per dominum boni, is cui res illa debetur. vt ſignificetur rem alienam non eſſe diu retinendam, ſed reſtituendam ſuo domino, ſi fieri poteſt. Aut non detinendam eleemoſynam quę egenti debetur tanquam domino illius, quaſi non noſtra, ſed pauperum ſint bona quę illis largiri debemus. Poſteriorem hunc ſenſum ſecuti ſunt 70. qui habent Non abſtineas à benefaciendo indigenti, cũ poteſt manus tua auxiliari. Interpres noſter intellexit dominum boni illum qui habet in manu ſua vt benefaciat, hoc eſt, qui poteſt benefacere. Et eſt ſenſus præcepti manifeſtus Noli, inquit, ſiue facto, ſiue verbo & dehortatione tua impedire à benefaciendo eum, qui poteſt benefacere, noli ei eripere voluntatem aut voti ſui impletionẽ qui habet benefaciẽdi facultatem. Quin cõtra potius ſi vales etiã ipſe benefac, alterióſque beneficentiam imitare, aut tuo exẽplo extimula. Contra faciunt plerique, qui quo de ſua auaritia minus ſentiant conſcientiam remordentem, & multos habeant ſui ſimiles, beneficentiã quæ in pauperes fieri deberet aut in tẽpla & religionis profectum, extenuant, prætexentes varia quibus à benefaciendo animos potentium alienant. Simile accidit & in aliis virtutum beneficiis, quæ quidam calumniantur, & in malã rapiunt partem, detrahentes bonis operibus, & ſic ad ea facienda reddentes alios frigidiores, Poſtquam hoc primo præcepto monuit beneficium non eſſe prohibendum aut negãdum, ſequenti præcepto monet beneficium nõ eſſe differendum cum præſtari poteſt. Nã qui differt, perdit gratiam & coram hominibus & coram Deo. Qui enim cito dat, bis dat vt habet commune prouerbium. Et vt Paulus ait: Hilarem datorem diligit Deus. Qui verò differt cum poteſt benefacere, declarat ſe nõ lubenter benefacere, ſed coactum. Pulchrè Seneca libro 2. de beneficiis. Beneficium, inquit, morosè datum, ſimile eſt pani lapidoſo, quem eſurienti accipere neceſſe eſt eſſe acerbum.

2.Cor.9.

Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam. Non contendas aduerſus hominem fruſtrà, cùm ipſe tibi nihil mali fecerit.

DISSIMILIA cæteris hæc præcepta videtur. Nã cum diſtinctè prohibeat non moliendũ malum amico & ei qui habet fiduciam, videtur concedere malum inimico aut ei qui non habet fiduciam, moliri poſſe. Et dũ vetat contentionem cum homine qui nihil mali fecit, videtur concedere eã cum eo qui malum fecit. Notandum ergo non ad hæc ſignificãdum, præcepta iſta ſic eſſe tradita, ſed ad prohibendum inſignia in proximum maleficia, quæ ſcilicet manifeſtam habent malitiam. Proinde aduertenda horum duorum præceptorum cum duobus ſuperioribus cõuenientia. Sicut enim ibi prohibetur beneficij negatio, cum manifeſtè adeſt benefaciendi ratio, nempe poteſtas, ita hic prohibetur maleficij illatio, cum manifeſtè nulla eſt malefaciendi ratio, ſed contra potius benefaciendi, nempe innocentia & fiducia. Et eſt quaſi dicat. Quamquam omnino nemini moliri malum conueniat, nec cum quoquam contendere maximè tamen cauẽdum eſt, ne amico, qui in te confidit, occultè moliaris malum, eúmque ſua de te fruſtreris opinione, ſimiliter ne cum aliquo contendas fruſtrà, hoc eſt, ſine cauſa ab alio tibi data, qui ſcilicet tibi nihil fecit mali. Tradit enim hic quatuor præcepta, quibus prohibet ea quæ ſunt directè & apertè contra charitatẽ proximi, & duo quidem ſunt contra eam per negationem boni manifeſtè debiti, duo verò contra eam per illationem.

lationem mali manifeſtè indebiti. Itaque impertinenter hic quæritur an liceat contẽdere cum eo qui malum intulit, quaſi id Sapiens hic concedere voluerit. Nam poſteà cap. 24. ne cum peſſimis etiam nos vult contendere. Et 29. Vir, inquit, ſapiens, ſi cum ſtulto cõtenderit, ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non inueniet requiem, ſignificans non eſſe ei cum ſtulto contendendum. Cum priori ſententia conEcclе.6. uenit illud Eccleſiaſtici: Noli fieri pro amico inimicus proximo, impropериũ enim & contumeliam malus hæreditabit. Et cap. 7. Noli arare mẽdacium aduerſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias.

Ne æmuleris hominẽ iniuſtum, nec imiteris vias eius.

QVINTVM iſtud eſt præceptum, ſuperioribus diſſimile, ſed quod eis benè ſubiectum eſt. Poſtquã enim monuit malum non inferre his qui illud non merentur, rectè monet, vt ne ex malorum proſperitate conſpecta quis æmulatione & zelo contra eos incitetur, & tandem pertrahatur, vt relicta virtute eos imitetur, eorúmque ſtudia amplexetur. Sicut enim aliorum innocentia abuti nõ debemus ad inferendum eis malum, ita impiorum fœlicitate excitari non debemus ad imitandum eorum malum. Quod & poſtea cap. 23. & 24. aliquoties Sapiens inculcat, eò quod magnũ ſæpè piis ſcandalum eſſe ſolear, conſpecta ab eis impiorum fœlicitas, vt illis locis eſt annotatum.

Quia abominatio domini omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.

SVBIICIT quatuor ſentẽtias, quib. oſtendit meritò nõ imitãdos impios quantumuis videãtur hic fœlices, eò quod longè ſit diuerſa impiorũ & piorũ conditio apud Deum Quod vt pulchra varietate melius oſtendat, quadruplicem facit oppoſitionem, illuſorum ſcilicet, vel vt eſt Hebræis peruerſorũ, & ſimplicium, hoc eſt, rectorũ ac integrorũ impiorum & iuſtorum, deriſorum & manſuetorũ, ſapientum & ſtultorũ. Primò ergo dicit: Omnis illuſor, hoc eſt, doloſus & qui pro nihilo ducit aliis illudere (ſic enim conuenit cum eo quod habẽt Hebręa peruerſus) eſt abominatio domini, hoc eſt, abominatur eum dominus, non dignatur eum ſua familiaritate, conſuetudine & gratia, ſed cum ſimplicibus, rectis & integris eſt ſermocinatio eius, hoc eſt, cum eis familiariter loquitur, eis tãquam amicis ſuis ſecreta ſua cõmunicat. Eſt enim Hebræis, cum rectis ſecretum eius, quemadmodũ & in Pſal. vbi nos legimus: Firmamẽtũ eſt dominus timẽtibus eum. Hebræa habent:
Pſal.24. Secretum domini timentibus eum. Humano enim more de Deo loquitur, & quemadmodum nos aliquorum abominamur conuerſationẽ, alios ſic gratos habemus, vt ad domeſticam & familiarem noſtram conuerſationem admittamus, eis noſtri cordis ſecreta cõmittentes. ita & Deũ dicit abominari peruerſos cum rectis autem eſſe ſermocinationem, vel
Ioan.15. ſecretum eius. Vos, inquit Chriſtus, dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, notum feci vobis. Inter ſecreta quę interna inſpiratione ſua ſuis dominus reuelat, eſt & illud quod non idcirco gratus Deo ſit homo iniuſtus & fœlix, quòd proſperitate gaudeat terrena, nec ſtatim puniatur, imò tanto magis ſit execrabilis Deo & infœlix, quanto fœlicior mundo apparet. Hoc enim ſecretum, ingreſſus in ſanctuarium Dei Pſalmiſta didicit, cum inquireret, cur Deus ſineret hic peccatores fœlicitate frui. Propter dolos, inquit, poſuiſti eis, deiciſti eos cum alleuarentur. D. Gregorius ter- Pſal.72. Gregor.
tia parte paſtoral. curæ, admonitione 12. ſic tractat hanc partem poſteriorem. Cum ſimplicibus ſermocinari dicitur, quia de ſupernis myſteriis illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla vmbra duplicitatis obſcurat.

Egeſtas à domino in domo impij, habitacula autem iuſtorum benedicentur

SECVNDA ſententia, alteram iam differentiam inter impios & iuſtos demõſtrat, iuſtis præter Dei familiaritatẽ ſuperiori ſententia promiſſam, etiam eius benedictionem, nec eis tãtum, ſed toti eorum domui & familię promittens, hoc eſt, omnium bonorũ abundantiam, Contra in domo & familia impij aſſerens prouenturã Dei maledictionem, vt eſt Hebræis, pro quo noſter bene vertit egeſtatem. Nam cum benedictio Dei ſit eius beneficentia, & bonorum collatio, maledictio eius eſt egeſtas & inopia rerum. Eſt autem apoſitè hæc ſentẽtia dicta contra fœlicitatem impiorum. Significat enim eam fœlicitatem, non eſſe Dei benedictionem, qualis eſt iuſtorum benedictio neque ſtabilem futuram, ſed breui collapſuram, eiq́ue egeſtatem ſucceſſuram. Contra verò Dei benedictionem iniuſto rum familia fore diuturnam & firmam. Quod multò verius & perfectius completur in ſpiritualibus bonis & in futura vita. Nam ſpiritualium bonorum magna eſt penuria in familia & in domo cõſcientiæ ipſius impij, quamdiu in hac eſt vita. Et poſt eam omnium rerum laborat inopia, quia tunc nihil inuenient omnes viri diuitiarum in manibus ſuis, vt eſt in Pſal. Iuſti verò & hic ex Dei benedictione ſpi Pſal.72.
ritualibus abundant chariſmatum donis & poſt hanc vitam, æternam conſequuntur fœlicitatem.

Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.

TERTIA ſentẽtia, quę & ipſa ad hoc valet vt ne quis ex impiorũ fœlicitate temporali conſpecta offendi poſſit. Opponit autem illuſores manſuetis. Vbi illuſores non dicuntur ſicut in prima ſententia, qui illudunt aliis & imponunt. Eſt enim hic Hebræis alia dictio ſignificans propriè deriſores, qui ſcilicet per animi ſui ſuperbiam bene monentes rident, alióſque præ ſe contemnunt, fœlicitate rerum terrenarum elati neminẽ verentes, quos & eadem ratione illuſores rectè dixerimus à deridendo. Qui rectè manſuetis opponuntur & humilibus ſpiritu, qui ad ſermones Dei mox contremiſcunt & deprimuntur, iuxta illud Eſaiæ. Ad quem reſpiciam, niſi ad Eſa.66.

pauperculum & contritum ſpiritu,& tremen tem ſermones meos? Deludet autē illuſores hoc eſt, vt eſt Hebræis, deridebit deriſores, quia illorum fœlicitatē per quam hic ſuperbiunt vanam eſſe declarabit & ridiculam,ſubito eam illis eripiendo,per quam etiam mirabili eius iudicio miſerè illis imponitur,dum ea freti, non vident futuram calamitatē, iuxta illud. Propter dolos poſuiſti eis. Et velut ſomnium ſurgentium domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Cæterum manſuetis qui per animi manſuetudinem & verba Dei reuerenter ſuſcipiūt, & impiorum fœlicitatem atque iniurias patienter perferunt, dat Deus ſuam gratiam, augens ſemper in eis ſua dona,quæ animis eorū maiorem voluptatem adferunt,quam impiis ipſorum fœlicitas terrena.Porrò 70. hunc verſum verterunt in hunc modum:Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Nec male. Nam vt patet ex dictis ipſi illuſores iidem ſunt & ſuperbi, manſueti autem iidem ſunt qui humiles. Vnde & Iacobus & Petrus hanc ſententiam iuxta 70.verſionem ex hoc loco citauerunt.

Pſal.72.

Iac.4. 1.Pet.5.

Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exaltatio, ignominia.

QVARTA ſententia, in qua ſapiētes ſtultis opponuntur,& bene poſt gratiam,de qua in præcedenti verſu, gloria eis tribuitur. Nam gratiam quæ eſt potiſſimum præſentis vitæ ſequitur gloria maximè in futura vita, iuxta illud Pſalmi: Gratiam & gloriam dabit dominus. Gloriam ergo & apud homines & apud Deum ſapientes velut hæreditario iure obtinebūt firmam & immortalem.Hoc enim ſignificat verbum poſſidebunt. At exaltatio ſtultorum, qua ſcilicet hic ad tēpus exaltantur & in honore ſunt, & qui ſeſe per animi ſuperbiam efferunt, erit tandem ignominia hoc eſt, conuertetur in ignominiam, adferet eis ſempiternam ignominiam nonnunquam & temporalem. imò ſæpè ideò tolluntur in altum,vt lapſu grauiore ruant. Legendum enim eſſe exaltatio, vt habēt libri correctiores & non exultatio vt plerique legūt, & Hebræa docent & Græca. Et hæc ergo ſententia valet ad cōtemptum fœlicitatis impiorum, ne per eam quis cōmoueatur ad zelum aut eorum imitationē. Nam vt dicitur in Pſalmo, qui ex intentione totus in eo verſatur, vt doceat nō cōturbari in impiorum proſperitate, Adhuc puſillum & non erit peccator, & quæres locū eius & nō inuenies. Et tanquā fœnum velociter areſcēt, & quemadmodum olera herbarū cito decident. Hebræa hunc magis habēt ſēſum:Stulti leuant ignominiam, hoc eſt, Stulti pro ſua portione tollunt, auferunt & leuabunt ignominiam. Quod pulchrè opponitur priori parti, Gloriam ſapientes poſſidebunt. Ita & noſtra litera accipi poteſt, vt ſit ſenſus exaltatio ſtultorum, hoc eſt, id quod ſtulti pro ſua parte elcuabunt & tollent, erit ignominia. Quem ſenſum & Græca habere videntur, quæ habent *οἱ δὲ ἀσεβεῖς ὑψωσαν ἀτιμίαν*, hoc eſt impij vero exaltabunt ignominiam, Quamquam & ſic poſſit intelligi.Stulti exaltant id quod eſt ignominioſum, hoc eſt, illud magni faciunt.

Mal.36.

CAPVT QVARTVM.

AVdite filij diſciplinam patris, attendite vt ſciatis intelligentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.

POST tradita quædam ſapientię & diuinę legis præcepta,rurſum ad ea amplexanda auditores inuitat,frequenter id faciens vt iuuentutē & mentes hominum ad vitium valde pronas, ſaltem ad amorē & deſiderium ſapientiæ prouocet, quod primus gradus ſapientiæ ſit,velle eſſe pium & ſapientem, quemadmodum hoc capite inſinuatur. Cum autem hactenus & poſtea dicat ſingulari numero Fili mi,nunc pluraliter dicit,Audite filij,ſignificās ſe nō vni tantum locutum eſſe vel deinceps loqui, ſed in vno omnibus qui ſapientiæ ſtudioſi eſſe volent.Atq; vel hic patet quę vel ſuperius vel poſtea ad filium dicuntur non eſſe ſapientię verba,ſed ipſius Salomonis,cum mox ſubiungat is qui loquitur. Nam & ego filius fui patris mei, &c. Vnde ſicut omnes quibus loquitur,filios ſuos vocat ita & ſe patrem vocat, cum dicit: Audite filij diſciplinam patris, hoc eſt, meā, qui paterno affectu pro vobis ſolicitus veſtram ſalutem deſidero, & ſapientiæ vos filios facere cupio. Diſciplinā autem hic accipe pro eruditione, quæ aliquando pro caſtigatione ponitur pro exigentia materiæ. Loquitur enim de eruditione quā hactenus tradidit,& quæ poſtea abeo tradetur.Nam quamquam nos habeamus, Donum bonum tribuā vobis,Hebręa habent per præteritum: Doctrinam enim bonam dedi vobis.Sed ſecutus eſt noſter 70.qui habent *δῶρον γὰρ ἀγαθὸν δεδώρημαι ὑμῖν*, hoc eſt,donū enim bonum donabo vobis. Donum ergo bonum doctrina eſt tradita & tradenda, quæ tanquā bonum & ſingulare donum meritò non eſt derelinquenda.

Nam & ego filius fui patris mei,tenellus & vnigenitus coram matre mea.Et docebat me atque dicebat,Suſciat verba mea cor tuum,cuſtodi præcepta mea & viues. Poſſide ſapientiam,poſſide prudentiam, ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei,Ne dimittas eam,& cuſtodiet te.Dilige eam & conſeruabit te.

DVO hic agit: Nam & factum ſuum quotā diligenter ad audiendū ac amplexandum ſapientiam alios tanquam ſuos filios inuitat, comprobat facto Dauidis magnæ apud pios authoritatis viro, qui ipſum tam ſedulò à iuuentute ad ſapientiæ ſtudium & amorem hortatus eſt: & ſuo exemplo prouocat alios, vt quemadmodum ipſe patris ſui monitis obtemperauit ſapientię ſtudendo,itidem & ipſi faciant,idq; à tenera ætate.Ideo enim tenellū ſe vocat, vt inſinuet ſe à teneris annis & cum adhuc puer eſſet à patre ad ſapientiam formatum, à quo & puer in regem fuit conſtitutus. Vnde de eo etiam dicit Dauid: Salomonem filium meum vnum elegit dominus adhuc puerum & tenellum.Vnigenitum autem coram

1.Par. 29

coram matre ſua dici hoc loco intelligendū eſt, non quod vnicus fuerit filius matris ſuæ Berſabeæ, quemadmodum quidam hoc loco falſo aſſerere conati ſunt.Nam 1.Paral.3. apertè dicitur:In Hieruſalem nati ſunt ei filij Simmaa,& Sobab,& Nathan,& Salomō,quatuor de Bethſua filia Ammiel.Nam quod Liranus putat tres illos Salomoni coniunctos, fuiſſe filios naturales Vriæ non Dauidis: Nimis apertè contrariatur ei quod dicitur, Nati ſunt ei filij,quod de eiſdem etiam dicitur 2.Reg.5. Vnigenitus ergo dicitur coram matre, quod tanquam vnigenitus à matre tenerè & vnicè diligeretur.Nec eſt Hebræis vnigēitus, ſed vnicus,nec dicit vnicus matri meæ ſed vnicus coram matre mea, vel vt habent Hebræa in facie matris meæ, hoc eſt, quod mater eum ſic haberet & diligeret, ac ſi vnicus fuiſſet. Poinde 70. id ſentientes tantum verterunt, *ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρός*,hoc eſt,dilectus in facie matris.Itaque hic quidam fruſtra laborant volentes locum hunc Chriſto appropriare,vt is hic adhuc loquatur qui fuit vnigenitus matri ſuæ Mariæ. Hanc enim expoſitionem Lira tribuit cuidam fratri Raymundo & noſtro ſeculo eam ſecuta eſt Galatinus, qui de hoc loco prolixè diſputat,lib.2. cap.5. Tenellum autem ſe vocat & ſic vnicè dilectum à matre,vt inſinuaret,nec ob ætatis teneritudinem, nec ob maternam dilectionem, qua in delitiis habebatur à matre, patrem ab admonitione & adhortatione ad ſapientiam abſtinuiſſe quemadmodum ſtulti quidam parētes faciunt, nimium ætati & dilectioni naturali indulgentes Docebat, inquit me & dicebat,nempe pater meus.Nam ad matrem hoc non eſſe referendum patet ex Hebræis, vbi verba hæc ſunt maſculina.Bis autem legimus in ſcripturis,Dauidem monuiſſe filium ſuum & hortatum ad obſeruationem mandatorum Dei,ſemel 1.Paral.28,quando preſentibus omnibus principibus Iſrael,peſt ſermonē ad eos habitum conuerſus ad filium ſuum,dixit: Tu autem Salomō fili mi, ſcito Deum patris mei & ſerui ei corde perfecto & animo voluntario.Omnia enim corda ſcrutatur dominus,& vniuerſas mentium cogitationes intelligit: Si quæſieris eū,inuenies: Si autem dereliqueris eum proiiciet te in æternum.Rurſum iam moriturus,quando vt eſt 3.Reg.2.dixit ei: Ecce ego ingredior viam vniuerſæ terrę.confortare & eſto vir.Et obſerua vt cuſtodias mandata domini Dei tui, vt ambules in viis eius, &c.Non quod his tantum vicibus illum monuerit,ſed & aliis ſępè prius.Atque hoc eſt q hic dicitur,docebat me atque dicebat: Suſciat verba mea cor tuum,hoc eſt,non tantum auris tua,ſed & cor:nec tantum ſuſcipe, ſed etiam cuſtodi præcepta mea, quæ ſcilicet ex lege domini tibi tradidi,& viues per ea.Significat ergo his verbis ſicut & ſequētibus patrē diligenter ei inculcaſſe ſtudium ſapientiæ, quemadmodū & ipſe hoc libro facit ſæpius hoc repetens, quod iuuentuti idipſum valde ſit neceſſarium qui ex corruptione naturæ, ſapientia tetrica videtur & aſpera Hortatur autem pater Dauid non tantum ad ſuſcipiendam ſapientiam, ſed etiam ad eam firmiter retinendam,cum dicit,poſſide ſapientiā poſſide intelligentiam, hoc eſt, tanquam tuam poſſeſſionem & tuum verum bonum habe & firmiter retine,ne obliuiſcaris, ne declines à verbis oris mei,ne dimittas eam, & dilige eā. Omnia enim hæc ad perſeueranter retinendum ſapientiam monent,quanquam pro poſſide etiam verti poſſit.Eme,vt ſit ſenſus.Comparatibi ſapiētiam tanquam rem precioſam, vel diſpēdio aliarum rerum.Quomodo & noſtra litera accipi poteſt, vt ſit ſenſus, Cura vt poſſideas & obiineat ſapientiam, quemadmodum quis laborat diligenter vt poſſideat rem ſibi charam. Vertendum autem potius eſſe,eme & proinde apud nos verbum poſſi. de ſic exponendum,vt ſit ſenſus, Cura vt habeas,patet tum ex ſimili ſententia quæ eſt poſtea cap.23. Veritatem eme & noli vendere. Sapientiam & doctrinam & intelligentiam, vbi pro eme eſt idēm verbū quod hoc loco, tum ex ſequenti hic ſententia.Principium ſapientię,poſſide ſapientiam. Nam magis emere & comparare ſibi ſapientiam eſt principiū ſapientiæ quam adeptam ſapiētiam iam poſſidere.Videri autē poteſt hic iam rurſum incipere verba Salomonis, eumque iam voluiſſe explicare,cur pater inculcādo dixerit: Poſſide ſapientiam,poſſide prudentiam, nempe quod hoc ipſum ſit principiū ſapientię. Quāquam adhuc deinceps poſſit intelligi eſſe cōtinuatio verborum Dauidis, quæ vbi finē habeant ſatis ſtatui non poteſt. Dubitari tamen hic poteſt,quomodo nunc dicat: Principium ſapientię eſſe poſſidere vel ſtudere,ſibi comparare ſapientiam:cum prius dixerit:Initium ſapientię timor domini. Ad quod facilis eſſet ſolutio,ſi ea ſententia intelligeretur,quomodo eam quidā accipiunt.Intelligitur enim cōmuniter,inquit Lyranus, q profeſſio ſapiētiæ in via,eſt principiū ſapientiæ obtinendæ in patria.Sed nec ipſe eam expoſitionē probat, monens Hebræa magis habere, eme ſapientiam. Caietanus ergo reſpōdet vtrūque verū eſſe,& q principium ſapientiæ ſit timor domini,& quod eius principiū ſit emere ſapientiam,ſed diuerſis modis, nam timor domini principiū eſt ad vitandū peccata.Emere autē ſapientiā eſt principium ad acquiſitionem ſapientiæ. Verū cum timor domini etiā faciat vt quis ſerio ſibi emat & comparare ſtudeat ſapientiam ſimplicius dicetur vtrunque quidem rectè dici principium, quamuis vnum altero prius.Nā inter principia rei, vnum ſæpè alterò eſt prius principiū. Poſſet & ſic intelligi illa ſententia. Id quod ſapientia imprimis requirit aut inter prima ſua præcepta,eſt illud eme & obtinere ſtude ſapientiam.In ſequenti ſententia rectius iam vertit interpres illud verbum,q iam aliquoties vertit poſſide. In omni poſſeſſione tua acquire prudentiam Nam pro acquirere idem eſt verbum quod prius vertit poſſide,proinde vel hinc ſatis reliquit intelligendum, quomodo intelligēdū ſit quod verti poſſide, poſitum ſcilicet illud pro acquirere, quemadmodum & Geneſ. 4. cum nato Cain qui ab verbo huius loci nomen habet dicit Eua. Poſſedi hominem per dominum, hoc eſt, acquiſiui. Poteſt autem hæc poſterior ſententia duobus modis intelligi.Primum vt ſit ſenſus,Inter reliquas tuas poſſeſſiones

Galatinus.

possessiones cura imprimis & præcipuè, vt etiã habeas prudentiã, sine qua reliquæ possessiones prodesse non poterũt, nec bene administrari & possideri. Secundò vt significetur prudentiam omnino comparandã esse etiam si propter eã impendendę essent aut perdendæ omnes reliquæ possessiones, vt prępositio, in, accipiatur pro per, & hoc significetur quod
Matt.13. per parabolam euangelicam quæ assimulat regnum cœlorum negotiatori, qui inuenta vna pretiosa margarita abiit & venditis omnibus quæ habuit, emit eam. Quo autem minus pigeat in acquirenda sapientia magnos, vel labores, vel sumptus impendere, dum variis verbis ad eam hortatur, varia item bona semper promittit per sapientiam consequenda: Nam vt prius, vitam & custodiam promisit, ita nunc gloriam Arripe, inquit eam, vel vt habent Hebræa, Exalta eam, & vicissim exaltabit te, Glorificaberis ab ea, hoc est, honore per eam afficieris cum eam fueris amplexatus, hoc est, cum eam intimè dilexeris, atque in ea voluptatem conceperis. Nec simplicem gloriam hinc secuturam asserit, sed summam, qualis est regia, quod significat cum subiicit: Dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Pro quo primo capite noster vertit, vt addatur gratia capiti tuo. Nam idem est hoc loco Hebręis quod illo loco, vt sit: Dabit capiti tuo additionem gratiæ. Quæ autem sit hæc gratia vel additio gratiæ sequens particula declarat, & corona inclita proteget te. Coronam ergo capitis ornamentum, vocat augmentum gratiarum dandum capiti, quia per illud caput alioqui gratiosum magis adhuc ornatur & decoratur. Metaphoricè autem significatur per sapientiam homines fieri gratos admodum & honoratos aliis, veluti si corona regali essent insigniti. Item per eandem frequenter perueniri ad summos honores, Præterea per eandẽ homines verè reges fieri ac vitiorum dominos, consecuturos proinde tandem immortalem gloriæ coronam apud Deum. Quod autem dicitur corona inclita te proteget, significat eum per coronam & honorem adeptum muniendum contra omnes obtrectatores & hostes. Dictio tamen Hebraica, significat etiã tradet, atque hic esset simplicior sensus, Coronam inclitam tradet tibi. Et hactenus quidem putãt ferè omnes verba esse Dauidis ad filium suum Salomonem. In quo sacra scriptura satis declarat quàm verè cõpletæ sint Dauidis promissiones. Nam quoniam prę omnibus aliis bonis sapientiã elegit Salomon, magnam in toto orbe propter sapientiam suam honorem & famam consecutus est, ab exteris etiam regnis multum honoratus, & quamdiu sapiẽtiam secutus est, insigniter per eam protectus contra omnes inimicos.

Audi fili & suscipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi, illam quia ipsa est vita tua.

POST narratã patris sui Dauidis monitionẽ, putatur hic Salomon exẽplo patris sui prouocatus redire ad inculcandũ studium sapientiæ, quod frequenter facit, tũ vt demonstraret rem quæ hic agitur esse rem magni momenti & valde seriam, tum quod sciret difficilè esse persuadere iuuentuti imò omnibus penè hominibus, vt relicta vitiorum via, virtutis & sapiẽtiæ viam amplecterentur non solum quia natura hominum ac vitium magis est procliuis, sed etiam quia in hac vita tam multæ sunt illecebræ vitiorũ, tam pauci virtutis amatores, tam multa malorum hominum exempla vbique obuia. Omnino enim difficilè videtur fragilitati humanæ arctã virtutis viam cum paucis comitibus incedere, tot incitamentis & illecebris carnis alio trahentibus, tot exemplis malorum vbique propositis. Hę ergo iustę sunt causę cur tam sæpè inculcet & studium sapientię & eiusdem præmia. Iterum ergo dicit: Audi fili mi, nec tantum audi, sed & suscipe atque intra te admitte verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitę, vt hic diu viuas, & postea in æternum. Monstrabo enim tibi viam sapientiæ, nec tantum eam monstrabo, sed & ducam te per semitas æquitatis, semitas scilicet quæ ipso nomine deberẽt meritò attrahere hominem. Ducam, inquit, te dirigendo, scilicet per mea monita & præcepta quomodo in eis perseueranter incedere debeas, ita vt etiam dux tibi per illa sim futurus in via sapientiæ. Parum refert quod Hebræa habeant præterita, Docui te, direxi te, sicut & quidam Latini codices habent, Monstraui & duxi. Nam non solum voluit significare se hoc fecisse, sed etiam se hoc vlterius facturum. Græci habẽt verba pręsentis temporis, διδάσκω, ἐμβιβάζω, doceo, incedere facio. Quo autem hæ semitæ æquitatis, etsi per se & ex nomine suo satis cõmendatę, magis suscipiantur, subiicit: Quas cum ingressus fueris non arctabuntur gressus tui, &c. Circa quod tamen dubium occurrit, quomodo dicat in via iustitiæ non arctari gressus hominis cum dominus eam, viam vocet arctam & angustam adeo, vt ob id pauci sint qui intrent per eam. Deinde quomodo nõ arctantur gressus eius qui ingreditur eam, cum necesse sit homini volenti viam virtutis ingredi, affectus suos, qui pedes hominis sunt spirituales, cohibere in multis, coarctare & reprimere? Ad quod cõmuniter post Bedam dicitur, vias virtutis in principio quidem arctas esse, difficiles & asperas his qui eas incipiunt incedere at postea per consuetudinem, latas fieri, faciles & iucundas exercitatis per eas. Atque ob id hic dici: Quas cum ingressus fueris, quasi significare voluerit, & si illæ tibi videbuntur arctæ cum eas ingredi cœperis, non erunt tamen tibi tales cum aliquandiu eas ingressus fueris. Verum non est Hebræis, cum ingressus fueris, sed tantum cum incedes. Nec Sapiens hic loquitur de ea arctitudine quã sæpè pati coguntur, qui viam virtutis incedere eligunt dum suos affectus coguntur, mortificare, sed sicut cum sequitur, & currens non habebis offendiculum, vel vt est Hebræis, non impingues, per offendiculum, vel impactionem significat nocumẽtum & læsionẽ, ita cũ dicit, non arctabũtur gressus tui significare voluit nullũ inde malũ, nullũ nocumentũ quod verè noxium

noxium sit, ipsum percepturum. Vult enim innuere differentiam inter viam virtutis & viam iniquitatis, quã mox apertius explicat, quod qui in hac via incedunt in multa mala in multas labũtur angustias, sæpè impingunt & offendunt, in illa autem ambulantes nihil patiuntur quod verè eis noceat, quodque nõ sit eis ad eorum salutẽ accommodum & vtile. Non arctabuntur ergo gressus tui, hoc est, non senties sic viuendo aliquid quod tibi sit malum quod pedem tuum hoc est, te sic ambulantem lædat. Duo autem genera studentium virtuti insinuat, quosdam enim esse qui gradiuntur in via virtutis, alios in ea etiã currere, qui scilicet in virtute perficienda valde sint strenui, alacres & feruidi. Quãdoquidem currentibus facilè soleat accidere, vt alicubi impingant in aliquid quod per cursus celeritatem videre non potuerunt (quod maximè vsu venit his qui currunt viam iniquitatis) de semitis æquitatis dicit currens in eis non habebit offendiculum, hoc est, non incidet in aliquid noxium. Cum ergo tam vtilis sit via sapientiæ quam se promittit monstraturum, & in ea deducturum, bene subiicit: Tene disciplinam, hoc est, eruditionem meam quã partim tradidi, partim traditurus sum, & sic tenę vt non dimittas eam, sed eam semper custodias, quia illa est vita tua, hoc est, vitam tibi adferet si à te seruetur.

Ne delecteris in semitis impiorum nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, ne transeas per eam, declina & desere eam. Non enim dormiunt nisi cum malofecerint & non rapitur somnus ab eis nisi supplãtauerint. Comedunt panem iniquitatis, & vinum iniquitatis bibunt.

QVONIAM sermonem intulit de viis sapientiæ & æquitatis, illas commendans, mox subiungit de viis impiorum, eas insigniter traducens & ab eis auocans. Et primum quidem monet ne approbemus viam impiorum, hoc est, rationem viuendi eorum, neç voluptatem in ea capiamus, quantumuis multis placeat, & plausibilis primo intuitu videatur. Deinde vt prætereà eam tanquam rem detestabilem fugiamus, ne cõtingat per eam trãsire atque ab eã planè declinemus, eamq; deseramus. Aut vt si aliquando placuit, & eã aliquando ingressi fuerimus, vt maturè ab ea fugiamus, declinemus & deseramus. Et subiicit rationem quæ meritò commouere debet vt non solum non approbemus malorũ viam sed & eãdem abominemur & fugiamus. Non enim, inquit dormiũt nisi cum malefecerint &c. Quo significat vehemens & ardens malefaciendi studium in impiis, tantum scilicet vt à primo diluculo statim cogitent de facinore aliquo perpetrando, nec sequieti dare possint, priusquam illud opere compleuerint sicut qui rem quam piam vehementer habet cordi non prius bene dormire potest, quam quod desiderat perficiat, quo perfecto iam voti compos suauiter quiescit. Ita & impij ante concepti facinoris perpetrationem dormire nequeunt, post eam iam desiderio suo potiti dormiunt suauiter, nec de perpetrato dolent scelere. Itaque significatur & quantum eis insit malefaciẽdi desiderium & quantum gaudiũ de impleta sua mala voluntate, sicut prius dixit: Lætantur cũ malefecerint, & exultãt in rebus pessimis. Experientia istud docet in perditis hominibus, prædonibus, furibus & sicariis, de quibus locutus est c. 1. & de quibus ex versu sequenti etiam videtur hic loqui. Illi enim cũ se totos dediderunt impietati, à summo mane nihil nisi nocere alicui cogitant, nec diem illum se probè transegisse existimãt nisi insigne quippiam commiserint. Ita similiter & auari fere quiescere non possunt, nisi cum alicuius damno lucrum sibi fecerint. Et qui libidini sunt addicti, inquieti sunt donec conceptã expleant libidinem. Notandum aũt ferè legi in nostris codicibus, & non rapitur somnus ab eis. Verũ dum & Hebræa & Græca consulimus, & ipsum denique sensum, verisimile est interpretem non addidisse negationem. Quis enim rapit somnum vt de istis dicatur, non rapitur somnus ab eis? Certè ob orationis quod prima facie videtur incõmodum, verisimile est quosdam legere, & non capitur somnus ab eis. Nam hoc magis conuenit cum eo quod præcedit, & non dormiũt. Verum Hebræa dictio omnino significat rapitur, vt verisimile sit hoc verbum vertisse nostrum interpretem. Sed habent Hebræa affirmatiuè, Et rapitur, somnus ab eis, similiter & Græca ἀφῄρηται ὕπνος αὐτῶν, id est aufertur somnus ab eis. Quo eleganter significat desiderium malefaciendi abripere eis somnum, vt intelligas eius vehementiam, quòd homini violenter eripiat, id quod ei naturale est. Itaq; apud nos videtur esse vera lectio. Et rapitur somnus ab eis nisi supplãtauerint, scilicet aliquem, hoc est, nisi prodiderint. & deiecerint. Et subiicit causam tanti desiderij. Comedunt panem iniquitatis, Hebræa enim & Græca habent, Comedunt enim, cũ coniunctione causali. Panem & vinum iniquitatis vocat panem & vinum iniquitate, rapina scilicet & iniustitia, partum. Hinc ergo tantum illis malefaciẽdi desiderium, quod vesci nolint ex iustis laboribus suis, sed eligant ex iniustè partis viuere, reputantes aquas furtiuas dulciores esse, & panem absconditum suauiorem. Potest hæc sententia & aliter intelligi, vt sit generalior, & sit sensus, Comedunt panẽ iniquitatis, hoc est, ipsam iniquitatem comedunt & bibunt tanquam panem & potum suum, ea delectantur, reficiuntur & saturantur veluti pane ac vino. Hic illorum potus est & cibus, sicut contra Christus de se dicit: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlis est. Ioan. 4.
Et Psalmista: Cibabis nos pane lachrimarum Psal. 79.
hoc est, lachrymis pro pane, sicut alibi dicit: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac Psal. 24.
nocte. Proposuit ergo pessimos sapiens præ oculis, vt à via impietatis magis auocaret, quæ ad tantam impietatem homines perducit tandem.

Iustorum autem semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem. Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.

DIFFERENTEM longè ostẽdit semitã iustorum à via impiorum, vt ad alteram alliciat eius pulchritudine, ab altera deterreat

reat ipſius deformitate & periculo. Eſt autẽ hęc oppoſitio viarum elegantior & efficatior in Hebræo. Nam non eſt Hebræis via impiorum tenebroſa ſed via impiorum ſicut caligo vt ſicut ſemita impiorũ comparatur luci fulgenti, ita via impiorum caligini obſcuranti, quanquam ſenſum benè reddidit interpres. Nec neceſſe eſt ex Hebræo vertere procedit & creſcit, quæ verba apud nos referri debent ad ſemitam iuſtorum, ſed magis verti poteſt, procedens & creſcens, per participia referenda ad lucem ſplendentem. Cõparat enim Sapiens ſemitam iuſtorũ, hoc eſt, eorum vitam & conuerſationem luci mane ſplẽdenti, quæ deinde procedente tempore creſcit ſemper magis ac magis donec peruenia tur ad diem perfectum, hoc eſt, ad meridiem, quando iam lux eſt in ſummo, nec amplius creſcit. Per quod ſignificare vult iuſtorum ſemitam, & à principio lucem habere, aliiſq; prælucere per bona vitæ exẽpla, & proceſſu tẽporis ſemper fieri lucidiorem, dũ proceditur de virtute in virtutẽ, ita vt ſemper magis ac magis errorũ & vitiorum caligo in iuſto diſpellatur, ſempérque clarius & melius ſcandala in hac vita occurrentia, ac mala imminẽtia & agnoſcantur, & euitentur, donec tandem perueniatur ad diem illum perfectũ in quo lux eſt in ſummo nec amplius creſcit, quod eſt in futura vita, vbi iam Sol eſt iuſtis quaſi in meridie, ipſiq; velut Sol perfectè fulgent, iuxta illud: Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum, qui & hic per virtutum exempla hominibus prælucẽt, iuxta illud. Vos eſtis lux mundi. Et, Lucetis ſicut luminaria in mundo in medio nationis prauæ & peruerſæ. Itaque non ſolum luci, cui iuſtorum ſemita comparatur, ſed & ipſi ſemitæ iuſtorum rectè tribuitur, quod procedat & creſcat vſque ad perfectam diem. Contra via impiorum eſt tenebroſa aut velut tenebræ ipſæ & caligo, quia plena erroribus & ignorantia, per quam nec ſatis agnoſcunt peccata in quæ labuntur, nec mala in quæ vel hic vel poſtea ruunt. Vnde ſubiicit: Neſciunt vbi corruant. Sæpius enim & grauius peccant & impingunt quã putant, & grauiora eos mala, tum hic tum poſteà manent quàm præuident. Neſciunt ergo & vbi, & quo corruant, hoc eſt, in quo & in quid. Vbi enim aduerbium, hic etiam, quo, includit. Similia de duabus his viis habet & Euangelium. Nam apud Ioannem dicit dominus Si quis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi, videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendit quia lux non eſt in eo. Et, Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Et, Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet & ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ excæcauerunt oculos eius. Sed hoc eſt differentiæ inter has ſcripturas & præſentem locum, quod hic ipſa ſemita iuſtorum comparatur luci & ſignificatur eſſe lux quædam, in illis verò ſcripturis dicuntur iuſti ambulare in luce, quæ lux eſt Chriſtus ipſe, ciũſque doctrina & vitæ exempla, iuxta illud: Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, Iuſtorum enim ſemita & eſt lux, & eſt in luce à qua illuminatur & ſuum lumen recipit.

Matth. 13. Matth. 5. Philip. 2. Ioan. 11. Ioan. 12. 1. Ioã. 2. Ioan. 8.

Fili mi auſcultа ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, cuſtodi ea in medio cordis tui. Vita enim ſunt inuenientibus ea, & vniuerſæ carni ſanitas.

POST ſingularia quædam ſapientiæ monita, antequam alia peculiaria ſubiungat ſapiẽtiæ præcepta, rurſum pro more ad auſcultandũ excitat velut ſomnolẽtos, inſtar cõcionatorum, qui thema propoſitum vt inculcent frequenter repetẽdo ſuggerũt: Fili mi, inquit auſcultа ſermones meos, & iã dictos & adhuc dicendos, & ad eloquia mea inclina auré tuã. Ne ſatis ſit audiuiſſe ea, ſed cura vt ne recedãt ab oculis tuis, ſed ſemper ob oculos mentis tuæ verſentur, ita vt in eis mediteris die ac nocte, atque per hunc modum cuſtodi ea in medio cordis tui. Vita enim ſunt inuenientib. ea, hoc eſt, vitã afferunt his qui illa ſunt aſſecuti, non tantum auribus, ſed ẽt corde, nec tãtum vitã afferunt animæ, ſed & ſunt ſanitas vniuerſę carni hominis, hoc eſt, ſanitatem etiam toti afferũt corpori, idq; duplicinomine, tum quia temperantiã docẽt non tantũ in cibo & potu ac libidine ſeruandã ſed etiã in omnibus animi affectionibus, vt triſtitia & dolore, ex qua tẽperantia pendet corporis ſanitas, tum quia iuxta promiſſiones veteris legis ſanitas etiam corporalis datur à Deo ſeruantibus mandata ipſius. Quãquam & ſic ſimpliciter accipi põt quod dicitur vniuerſæ carni ſanitas, vt ſit ſenſus, totum hominem ſanũ faciunt, & optimè ſe habentem, potiſſimum ſecundũ mentem, iuxta quod ſuperius dixit: Sanitas quippe erit vmbilico tuo. Dictio. n. Hebræa מרפא Marpe proprio ſignificat medelã curationem & medicinam, vt videri poſſit ſignificari quod Dei mandata ſunt veluti medicina quædam totum corpus ſanans & præſeruans.

Omni cuſtodia cuſtodi cor tuũ, quia ex ipſo vita procedit.

QVATVOR aut quinque præcepta particularia ſubiungit, concernentia quatuor corporis partes cor, os, oculos & pedes vnde ſubindicat, quomodo per ſapiẽtiæ præcepta toti corpori, totique homini ſanitas eſſe poterit. Et primo quidem præcipit, in primis & ante omnia, cor cuſtodiri, idque omni cuſtodia, hoc eſt, diligenti & exacta cuſtodia. Omni enim poſitum eſt pro ſumma, ſicut Eccleſiaſtici 25. Omnis plaga triſtitia cordis. In hoc autem præcepto metaphoricè ſub ſimilitudine cordis corporalis inſinuare vult, quid ſit faciendum circa cor ſpirituale, quod eſt mẽs hominis. Vult enim ſignificare, quod quemadmodum in corpore hominis, cordis maxima cura eſt habẽda, & quemadmodum illud ipſa natura diligenter cuſtodit, vtpote ex quo maximè hominis vita pẽder, & ex quo vita ad alias corporis partes promanat, nam iuxta phyſicos cor primo animatur, eſtq; vitæ primaria ſedes, vt apud Plinium patet, qui ſic habet: Cor animalib. cæteris in medio pectore eſt, homini tantum infrà leuam papillam turbinato mucrone in priora eminens. Piſcibus ſolis ad os ſpectat. Hoc primũ naſcẽtibus formari

Plinius li. 11. nat. hiſt. c. 37.

formari in vtero tradunt, deinde cerebrum, ſicut tardiſſimè oculos. Sed hos primum mori cor nouiſſimè. Huic præcipuus calor. Palpitat certè & quaſi alterum mouetur animal, intra præmoli firmoque opertum membrane inuolucro, munitum coſtarum & pectoris muro vt pariat præcipuam vitæ cauſam & originem. Prima domicilia intra ſe animo & ſanguini præbet, ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino. Ibi mens habitat, &c. ita prima & præcipua cura eſt habenda mentis, ne ſcilicet vel erroribus vel prauis affectionibus vitietur, diabolo, mũdo, & carne, illud variis modis oppugnante, quia ex ipſa mentis bona conſtitutione, pendet, omnium aliarum viriũ animæ, omniumque actionum humanarum rectitudo, adeò vt niſi mens ſit recta & ſana actiones externę etiam quæ bonæ videntur, prauæ ſint, quia vt inquit dominus: Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit. Vnde benè quoque dicitur in Deuteronomio: Cuſtodi temetipſum, & animam tuam ſollicitè. Et Dominus dicit: De corde exeunt cogitationes malæ.

Matt. 6. Deut. 4. Matt. 15.

Remoue à te os prauum, & detrahentia labia ſint procul à te.

SECVNDVM præceptum concernens os hominis, quod quamuis intelligi etiam poſſit, quemadmodum indicat, Beda, de ore alterius, vt ſit ſenſus: remoue à te eos qui prauo ore loquuntur, & qui detrahunt labiis ſint procul à te, iuxta illud Pſalmiſtæ: Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar, tamen potius intelligi debet de ore proprio, vt ſignificetur ſtudioſo ſapientiæ cauendum ne os habeat prauum, hoc eſt, quod praua loquatur, aut detrahentia labia ne habeat. Prima enim cordis ratio habenda, vt rectæ ſint cogitationes & affectiones, ſecundo verò habenda eſt ratio oris & verborum, in quibus facillimè homo labitur. Cúmque difficile ſit cauere ne quis in verbis peccet (ſi quis enim, inquit Iacobus in verbo nõ offendit hic perfectus eſt vir) monet ſaltem cauendũ ne quis peruerſa loquatur & detractoria, quę ſcilicet alios lædant & ſint noxia, qualia longè abeſſe debere à ſapientibus docet, dum dicit: Remoue à te & longè ſint à te, ſignificans ab illis valde abſtinendum eſſe. Quã noxiũ enim ſit detrahere indicat Eccleſiaſtes dicens: Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil eo minus habet q occultè detrahit. Quod vitiũ cũ ſit valde cõmune, peculiariter monet Petrus, vt deponamus detractiones. Habent autem Hebrea ad verbũ ſic: Aufer à te contorſionẽ oris, & peruerſitatem labiorum elonga à te. In quibus verbis videri etiam poſſet Sapiens mataphoricè deſignare quid in ore ſit obſeruandum, loquendo ſub ſimilitudine deformitatis, quã aliqui exhibẽt contorquendo os ſuũ & labia, vt ſit ſenſus: Quemadmodũ cura hominibus eſt ne cũ foris pdeũt, os habeãt & labia contorta, ſed ea debitè & ritè cõponunt, ita inter loquendũ cauẽdum eſt ne praua & indecentia dicantur, nam id perinde eſſet ac contorto ore incedere. Et Græca habent σκολιὸς τρόμος hoc eſt, os obliquum & tortuoſum

Pſal. 100. Iacob. 3. Eccl. 10 1. Pet. 2.

Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.

TERTIVM præceptum oculos concernens, quod Hebræa ſic habent. Oculi tui in directum (vel in id quod è regione eſt) reſpiciant & palpebræ tuæ rectè ſint (vel incedant) ante te. Inſtar enim corporeorum oculorum, monet habẽdos oculos cordis. Quemadmodum enim oportet incedentem non paſſim vagari oculis, ſed recta intueri in id ad quod tendit, ita monet Sapiens oculos mentis intentos eſſe in id quod propoſitum eſt vt ſectemur, id ſemper præ oculis habẽdum, atque ad illud ſemper nitẽdum, omnéſque noſtras actiones eo dirigendas quæ ab hoc ſunt aliena, non eſſe magnopere cõſideranda nec curanda, iuxta quod Paulus dicit: Ad ea quæ ſunt priora meipſum extendens, ad deſtinatũ perſequor, ad brauiũ ſupernę vocationis Dei. Itaque quo hunc genuinum ſenſum noſtra habeat lectio, dictio recta, cum dicitur, recta videant, non eſt accipienda vt ſit nomen quaſi ſit ſenſus, oculi tui videant, quæ recta ſunt iuſta & bona, ſed aduerbialiter, quomodo dicitur recta aſpicere, pro in directum videre, & obliquum aſpicere, pro obliquè videre, & recta incedere, pro rectã incedere viam. Sicque recta videre, idem eſt cum eo quod in ſecundo membro dicitur, Palpebrę precedant greſſus tuos. Palpebras enim greſſus præcedere non eſt aliud quam oculis mentis, qui per palpebras etiam ſynecdochicè ſignificantur, intendere in illud quo eundum eſt, & in id ꝙ agendum eſt intentos habere oculos. Quamquam ſubtiliori ſenſu etiam per hoc intelligi poteſt ſignificari opus, quod agendum eſt, ſedula cogitatione præueniẽdum eſſe, & meditando præuidendũ an ſit ſecundũ Deum. Aut vt etiã vult Beda, conſilia aliqua bona præuidenda & prꝫcogitanda, priuſquã ꝙ agendum eſt auſpicemur. Qui duo ſenſus in ſenſu illo primo & genuino ſatis includuntur, vel ex eo conſequũtur. Si enim oculi ſic præcedere debeant greſſus hominis, vt non in latera reſpiciãt nunc huc, nũc illuc, hoc eſt, ad nulla quæ eius inſtituto ſunt aliena, ſed ſemper videat homo in directum quo tendat, debet & ante omnia prꝫuidere, quod ei eſt faciendũ quemadmodum & prævidere item conſilia ac media, quibus ad optatum finem perueniatur.

Philip. 3.

Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ ſtabilientur.

QVARTVM præceptum pedes concernens, quod ex Hebræo etiam ſic verti poteſt, Pondera ſemitã pedis tui. Quib. verbis ſub ſimilitudine itinerantis, qui diligenter examinat viam qua ſit eundum, monet vt quis ſtatera ſapientiæ ponderet, hoc eſt, expendat mores & actus ſuos vt reiectis malis, bonos eligat. Aut potius ſignificat, vt quis velut in bilance expendat quod agendum eſt, num ad amuſſim cum ipſa æquitate ac legis rectitudine conueniat, an potius affectus, vel in vnam partem vel in alteram à lege declinent. A quo diuerſum non eſt quod habet noſtra litera, Dirige ſemitas pedib. tuis, hoc eſt, fac pedibus tuis rectas ſemitas, fac vt rectè

incedas

incedas,aut vt affectus tui rectam ambulent viam. Nam per pedes ſæpè affectus ſignificantur, quibus huc & illuc trahimur. Hos ergo affectus ſi quis direxerit, hoc eſt, recta incedere fecerit,omnes viæ eius,hoc eſt,actiones eius omnes ſtabiles erunt & firmæ, hoc eſt, non erunt vagę,in vitiorum varietate errantes,ſed firmæ in bono & æquitate, nec velut inutiles & malæ reiicientur, ſed coram Deo ſuam obtinebunt firmitatem. Conuenit hoc præceptum ei quod præcurſor domini clamat
Ioan. 1. in deſerto:Dirigite viam domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Auguſtinus loco de
Lucæ 3. quo infrà legit iuxta 70.Rectos curſus fac pedibus tuis & vias tuas dirige.

Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram, auerte pedem tuum à malo.

DVBIVM occurrit circa hanc ſententiã propterea quòd ſequatur, vias enim quæ à dextris ſunt nouit dominus, peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Si enim vias quæ à dextris ſunt, nouit dominus, hoc eſt, approbat, quomodo hic prohibet declinare
Auguſt. ad dexteram?D.Auguſtinus hunc locum tractans quæſtione 48.ſuper Deuteró.& rurſum prolixius epiſtola 2. ad Valentinum, quæ eſt in numero epiſtolarum 47.intelligit non prohiberi hic ne quis ambulet viam dexteram, ſed ne quis in ea declinet.In dicta enim epiſtola proponit ſibi quæſtionem dicens: Cur dixit,Ne declines in dexteram neque in ſiniſtram, cum potius dicere debuiſſe videatur: Tene dexteram & ne declines in ſiniſtram, ſi bonæ ſunt viæ quæ à dextris ſunt? Cur putamus, niſi quia ita viæ ſunt bonæ quæ à dextris ſunt,vt in dexteram tamen declinare nõ ſit bonum. Declinare quippe ille eſt intelligẽdus in dexteram,qui bona ipſa opera quæ ad vias dexteras pertinent, ſibi vult aſſignare non Deo.Et poſt pauca.Sed rurſus illi qui putant bonam vitam eſſe deſerendam, quando audiunt ſic Dei gratiam prædicari, vt credatur & intelligatur voluntates hominum ipſas ex malis bonas facere, ipſas etiam quas fecerit cuſtodire,& propterea dicunt: Faciamus mala vt veniant bona, in ſiniſtram declinant. Hæc ille. ſimile habet lib. 2. depeccatorum meritis & remiſſione.ca.35.In dexterã,inquit, declinare,eſt ſeipſum decipere dicendo ſe eſſe ſine peccato.In ſiniſtram autẽ, per neſcio quam peruerſam atque prauam ſecuritatem ſe tanquã impunè dare peccatis.Verum ſciẽdum eſt Hebræa non habere duas illas quæ ſequuntur in fine capitis ſententias.Eſt autem in ſcripturis frequens hæc loquendi phraſis, qua vetatur declinare ad dexteram vel ad ſiniſtram, & ſignificatur ea phraſi incedẽdum eſſe recta & regia via,atque ab ea non deflectendum, nec in vnam,nec in alterã partem. Sic in Deuterono.dicitur:Facite ea quæ præcepit dominus Deus vobis,non declinabitis,
Deute.5. neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed
Deut.17. per viam quã præcepit vobis dominus Deus veſter ambulabitis.Et poſtea:Sequeris ſententiam eorum,Non declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram. Et in Eſaia: Hæc eſt via, ambulate in ea,& non declinetis neque ad dexteram neque ad ſiniſtrã. Quem locum enarrans D.Hieronymus dicit: in vtraque parte Eſa.30.
quicquid ſupra modum eſt,in vitio eſt. Et de D. Hier.
dextris partibus dicitur:Ne ſis iuſtus multũ. De ſiniſtris autẽ quod in hœdorum & pereuntium parte ponuntur,nulla dubitatio eſt.Itaque nihil aliud hoc loquendi modo ſignificatur quàm à recto non diſcedendũ,neque per exceſſum,neque per defectum,neque in proſperis,neque in aduerſis.Aut neque ſtudio amicorum,neque odio inimicorum. Eſt enim virtus in medio inter exceſſum & defectum, quorum vtrumque vitandum eſt. Declinatur in dexteram, quãdo peccatur vno modo, declinatur in ſiniſtram, quando cõtrario modo peccatur. Aut declinatur in dexteram quando per exceſſum peccatur,in ſiniſtrã quando per defectum. Declinatur in dexteram quando quis in proſperis inſoleſcit, aut ſibi iuſtitiã vel ſapientiam immodicè vendicat. Declinatur in ſiniſtram, cum quis aduerſis frangitur, aut nimia puſillanimitate deiicitur. Phraſim explicat ſecunda ſententiæ pars: Auerte pedem tuum à malo,hoc eſt enim,non declinare ad dexteram vel ſiniſtram, ab omni malo auertere pedem ſuũ,hoc eſt, affectus,aut potius actiones. Itaque hæc ſententia explicat id quod ſuperioribus duabus ſentẽtiis eſt inſinuatum.Nam oculos recta intueri & dirigere ſemitas,vel vt habent Hebræa, ponderare ſemitam, non eſt aliud quam non declinare ad dexteram neque ad ſiniſtram.

Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit dominus peruerſæ verò ſunt,quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos,itinera autem tua in pace producet.

HOS duos verſus etſi non habeant Hebræa,|quemadmodum & Lira annotat, habent tamen Græca,ex quorũ antiqua tranſlatione,qua vtitur D.Auguſtinus, relicti ſunt in hac noſtra tranſlatione.Ex Græcis autẽ cõſtat legendum eſſe.Ipſe autem,non ipſe enim quorum vtrumque in Latinis inuenitur codicibus.Sed & Auguſtinus legit, ipſe autem. Facile autẽ D.Auguſtinus hunc verſum, Vias enim quæ à dextris ſunt, coniungit cum ſententia ſuperiore, quia iuxta 70. legit auerte autem pedẽ tuum à via mala. Et exponit viã malam, viam ſiniſtram. Itaque intelligit non prohiberi ne quis eat in via dextera, ſed tantum ne in eam declinet quis, prohiberi verò ne quis incedat in via ſiniſtra. Ad quod probandum bene ſequitur:Vias enim quę à dextris,&c. Verum cũ hæc tractatio ſit coactior, aliter dicendum, quod hæc ſententia non ſit contraria ſuperiori ſententiæ. Nam quod hic dicitur de dexteris & ſiniſtris, impertinẽs eſt ad dexteram & ſiniſtram, de quibus in ſuperiori ſententia.Ibi enim de dextera & ſiniſtra hominis eſt ſermo Eſt enim ſenſus, ne declines ad dexteram tuã, neque ad ſiniſtrã tuam. Hic verò ſermo eſt de dextris & ſiniſtris Dei. Sicut enim ſtatuet dominus iuſtos à dextris, impios verò à ſiniſtris, ita & viæ virtutis ſunt illi à dextris,viæ autem impietatis à ſiniſtris. Aut viæ à dextris dicuntur, quæ ſunt de numero rerum dextrarum, viæ à ſiniſtris quæ ſunt de numero rerum ſiniſtrarum, hoc eſt, viæ dextræ

viæ dextræ & ſiniſtræ, Græcis enim eſt ex dextris & ex ſiniſtris. Dextrum autem & ſiniſtrũ nonnunquã ponuntur pro eo quod probãdũ
Eccle.10. eſt & quod reprobãdum eſt,quomodo in Eccleſiaſte dicitur: Cor ſapiẽtis in dextera illius & cor ſtulti in ſiniſtra illius,hoc eſt, cor ſapiẽtis dexterum eſt, cor ſtulti ſiniſtrũ, reprobum & malum, Docet ergo pedem auertendum à malo,quia vias quæ merẽtur dici dextræ, eas tanquam rectas nouit dominus, hoc
Pſal.1. eſt,approbat quomodo & Pſal.1.dicitur:Nouit dominus viam iuſtorum, Paulo aliter D.Auguſtinus dicto loco. At quæ ex ſiniſtris ſunt hoc eſt,quæ ſiniſtræ ſunt,huiuſmodi ſunt peruerſæ & tortuoſæ,proinde illas non nouit dominus,nec dignatur eas aſpicere. Ne autem vel deſperet quis,& timeat ne quod præceptũ eſt, præſtare non poſſit de dirigendis ſemitis, vel ſe ſuis viribus id poſſe præſumat, rectè ſubiicit:Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, vt quiſque intelligat,cuius gratia id poſſit quod præceptum eſt, & proinde eius gratiam implorandam eſſe.Et itinera tua in pace producet,hoc eſt, ſic diriget actiones tuas, vt nihil ſit quod pacem mẽtis interturbet,nihil quod tuum bonum remoretur & impediat. Itaque, vt benè annotauit Diuus Auguſtinus, ſic hic ſtatuitur liberum arbitrium hominis, cum dicitur:Dirige ſemitas pedibus tuis, & gratiæ
Pſal.5. ſimul neceſſitas inſinuetur,cum dicitur: Ipſe autem rectos faciet curſus tuos.Vnde & Pſal. precatur: Dirige in conſpectu tuo viam meam

CAPVT QVINTVM.

FIlimi,attende ad ſapientiam meam,& prudentiæ meæ inclina aurem tuam:vt cuſtodias cogitationes,& diſciplinam labia tua conſeruent.

POSTQVAM ſuperiori capite dehortatus eſt à ſectanda via impiorum & ſceleratorum hominũ, hoc capite ſuum filium peculiariter dehortatur Sapiens à conſortio impudicarum mulierum, à quibus iuuentuti magnũ eſt periculum,ideóque prolixè hãc admonitionem proſequitur, rurſum in principio inuitans ad auſcultãdum, idque ad cuſtodiam cogitationum imprimis,& deinde locutionis,& verborum.Prima enim cura eſſe debet, vt quis cuſtodiat cogitationes ſuas à malo, ne ſcilicet quid mali concipiat aut proponat, neque eas pollui ſinat per inſpectionem aut auditum rerum vanarum.Deinde verò etiam curandum eſt, vt labia conſeruent diſciplinam, & vt habent Hebræa, ſcientiam, hoc eſt, vt labia non loquantur aliter quam ſcientia requirit, ſed ſcitè loquantur, & iuxta quod ſapiẽtia docet Labia enim hominis probè etiam munita eſſe neceſſe eſt, contra labia, quæ impia ſuggerũt de quibus mox ſubditur.

Ne intẽderis fallaciæ mulieris. Fauus enim diſtillans labia meretricis,& nitidius oleo guttur eius nouiſſima autẽ illius amara quaſi abſynthiũ, & lingua eius acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcẽdunt ad mortem,& ad inferos greſſus eius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulat, vagi ſunt greſſus eius & inueſtigabiles.

PRIMA illa pars, ne intenderis fallaciæ mulieris,in Hebræis non eſt quemadmodum & Lyranus annotat, qui in Libris correctis eam aſſerit non inueniri. Eſt autem ex Græcis aſſumpta. Quoniam enim ſequebatur fauus enim diſtillans, cum nihil præceſſerit cuius ratio dari videtur, ideo aliquid ſupplendũ videbatur interpretibus ſeptuaginta. Non habent tamen fallaciæ mulieris,ſed μὴ πρόσχες φάυλῃ γυναικί,hoc eſt, ne attende improbæ mulieri. Cum ergo dicitur non noſtra litera, No intẽderis fallaciæ mulieris,ſenſus eſt, Ne auſcultes nec attendas ad fallacia mulieris verba,Nam,inquit,labia meretricis,ſunt quaſi fauus diſtillans,hoc eſt, fluens. Diffundũt enim inſtar faui dulcia verba, quæ prima facie grata ſunt & iucunda. Et guttur eius nitidius eſt oleo,hoc eſt,excellit oleũ in mollitie,lenitate & lubricitate.Hebræis enim eſt leuius vel magis lubricum oleo.Nam oleum non commẽdatur nitore, ſed lenitate. Significatur ergo verba eius quæ per guttur proloquitur,inſtar olei mollia eſſe &lenia, atq; hac ratione grata eſſe.At ſequens ſententia, non tantum initia, ſed etiam exitus monet conſiderare, qui longè diuerſi ſunt ab eo quod primo apparet.No uiſſima autem, inquit, illius, hoc eſt, ea quæ poſteà & tandem affert, ſunt amara quaſi abſynthium, quod in amaritudine valde excedens melli rectè opponitur. Et lingua eius acuta eſt quaſi gladius vtraque parte ſcindens qui rectè opponitur oleo placido, molli & lubrico,quod nullo modo lędit,ſed lenit & mitigat. Si enim quis ſequatur verba meretricis, eáque velut mel & oleum ſumat auidé, poſtea & magnam ſentiet amaritudinem,vermem ſcilicet conſcientiæ quouis abſynthio acerbiorem,& grauem denique læſionem incurret mortem ſcilicet animæ eiúſque cruentam dilacerationem,& poſt hanc vitam æternæ mortis amaritudinem. Notandum autem illàs dictiones,lingua eius,vt non ſunt in Hebræis aut Græcis,ita nec apud Bedam, nec apud Lyranum,proinde ſunt omittendæ, vt in quibuſdam manu ſcriptis exẽplaribus omiſſas inueni. Itaque adiectiuum acuta eſt plurale,ſicut adiectiuũ amara. Quod dixit, clarius ſequenti verſu exprimit. Pedes eius deſcendunt in mortem, atque ad eam actiones eius tendunt,& proinde qui cum ea ambulare eligunt, ſimul etiam cum ea in mortem deſcẽdent. Per ſemitam enim quæ ducit ad vitam nõ ambulat,quæ eſt via recta ſibi ſemper conſtans. Quam quia non curat ambulare, adeò vagi ſunt & inſtabiles greſſus & actus eius, nunc huc nunc illuc tendentes, vt peruęſtigari nequeant. Inſtabiles enim ſunt libidinis æſtus,vt qui ad diuerſa impellunt,nec vnquam ſaciantur,ſemper aliud & aliud deſiderantes, vnde poſteà meretricis inſtabilitas eleganter In cap.7.
exprimitur cum dicitur, non valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians. Cæterum, quæ ad literam hic peculiariter dicta ſunt de impudica muliere,extenſiuè accommodari poſſunt ad carnem, quæ inſtar meretricis á vera ſua ſponſa, nempe ſapientia, hominem

hominem abstrahit, Quæ iucunda suggerit & dulcia, sed talia tamen, vt si ea sequamur, & amaritudinem conscientiæ, & læsionem animæ & mortem denique æternam sint allatura. Si enim, inquit Paulus, secundum carnem vixeritis, moriemini. Iuxta mysticum ité sensum, quemadmodum suprà capite 2. est indicatum, meretrix hæc idololatria est & hæresis, quæ ferè dulcia proponit & grata hominibus, quibus eos ad se pelliciat. Sed quę tandem exitium adferunt. Huius gressus admodum sunt instabiles, quia hæresis sibi non cõstat, sed in varios scinditur errores, sibi etiam ex diametro contrarios, vt nostri seculi miseria nimis apertè docet.

Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei, longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum, & dicas: Cur detestatus sum disciplinam & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam?

DEMONSTRATO malo & periculo quod ab impudica imminet muliere, quæ eo magis noxia est, quod dulcedine & blanditia decipiat, & in grauem inducat calamitatem, oportunè subinfert adhortationem ad auscultandum sibi, & recipiendum consilium contra huiusmodi malum ne possit nocere. Quod consiliũ est, Longè fac ab ea viam tuam. Opportunissimum enim consilium, ne quis capiatur blanditiis mulierum est, quam alienissimum esse ab earum consortio & colloquiis, illas nequaquam adire, sed lõgè vitare. non confidere sibi, quod etiam si talium aspectu fruatur & colloquiis non facilè decipi possit, Vnde in Eccles. dicitur: Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius, auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienam propter speciẽ mulieris multi perierunt, & ex hac cõcupiscentia quasi ignis ex illa ardescit. Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem. Hoc autem cõsilium elogandi se à tali muliere, quo magis suscipiatur, subiicit: Ne des alienis honorem tuum. Nõ enim hęc sententia à superiori diuisa est, vt eam quidã accipiunt intelligentes præceptiuè dici, ne des alienis honorem tuum, sed cum superiori iungitur, vt (des) sit subiunctiui modi, & sit sensus, ne appropinques foribus domus eius, ne fortè des alienis honorem tuum. Hunc enim esse sensum manifestè paret ex Hebreis quæ habent, ne fortè des, sicut postea, ne fortè impleantur extranei. Significat ergo euenturum ex consortio huiusmodi mulieris, vt vniuersa bona sua homo non solum perdat sibi, sed & tradat extraneis, quibus non debentur, imò quod peius est etiam crudelibus, qui non solum nulla afficiuntur beneuolentia, sed crudeliter saluti eius nocent, bonis eius inhiant, & erga iam miserum factum nulla mouẽtur commiseratione, quales sunt fornicariæ mulieres, earum lenones & complices. Inter bona autem ista quę sic pereunt & aliis tradũtur, primum memorat honorem hominis, hoc est, vel bonam eius famam & nomẽ quod vt est in proueb. melius est quam diuitiæ multæ: vel dignitatem quam habet homo ex eo quod creatus est ad imaginem Dei aut alias aliquas dotes cõsecutus. Hunc enim honorem commaculat adhærendo meretrici, eique cui adhæret tradit, cum in eius gratiam illũ admittit. Et fit in eo quod dicit Psalmista: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Secundum bonum dicit annos, hoc est, vitã tuam & tempus vitæ tuæ. Traduntur enim anni hominis crudeli, cum vitam suam & tempus impẽdit homo meretricibus, vitam suam & tempus cum illis inutiliter transigendo, vitámq; suam immodica libidine abreuiando. Tertium bonum dicit vires hominis, quæ immoderato Veneris vsu exhauriuntur multum & debilitãtur, quibus extranei implentur cum per eas impudicarum mulierum satisfit desiderio, quas conseruare oportuisset in procreationem prolium legitimarum ex legitimo & moderato vxoris vsu. Quartum bonum, labores hominis, hoc est, ea quæ homo suis comparauit laboribus, facultates scilicet & opes, quam quam & has intelligere licet per vires hominis, de quibus tertio loco, nam per facultates suas fortis est homo & munitus, iuxta illud Prouerb. Substãtia diuitis, vrbs fortitudinis eius. His cõsimile est quod est in eccles. vbi similis est dehortatio à mulierum consortio, ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te & hæreditatem tuam. Non solum autem tã multiplicis boni amissionem, & traditionem in manus alienorum ac hostium secuturam significat, sed & grauissimum dolorem, quem ex prædictis necesse est postremis temporibus consequi, quem duplici nomine significat fore magnum, nempe & quia serio tandem homo sentiet se vires suas ac valetudinem læsisse, consumptis scilicet per immodicam libidinem & intemperantiam carne & corpore & quia memor erit bonorum consilium per quæ mala illa omnia euadere potuisset. Hoc enim magis dolebit, quod etiam prænmonitus acquiescere noluerit, quodque non ignorantiæ suæ aut aliorum prauitati deputare lapsum suum valeat. Itaque tunc seipsum arguet, & sero sapiet qui prius aliorum sapientiæ & correptioni auscultare noluit. Et hoc est quod dicit: Et gemas in nouissimis tuis. Quod autem sequitur in verbis serò pœnitentis. Penè fui in omni malo in medio Ecclesiæ & synagogæ, dupliciter accipi potest. Primum vt sit sensus, propemodum incidi in omne vitiorum genus, cum conuersarer in cœtu impiorum & carnalium hominum, vt per Ecclesiam & synagogam intelligatur cœtus malorum. Neque enim vocabula illa hic accipiuntur vt distinguuntur aliquando, sed significãt ex sua natura cœtũ, qui ecclesia dicitur quasi conuocatio, & synagoga quasi congregatio. Hoc enim ea nomina significant, & nõnũquã pro malorum cœtu accipiuntur, vt ibi: Odiui Ecclesiam

Prouer. 22.
Psal. 48.
Prouer. 19.
Eccles. 9
Psal. 25.
Psal. 105.

Ecclesiã malignantium: & Exarsit ignis in synagoga eorum. Itaque secundum hunc sensum verba hæc sunt pœnitentis & serò agnoscentis vitia in quæ prolapsus est exemplis & societate corruptæ multitudinis. Aliter sensus est. Penè omnia mala, hoc est, calamitates omnes me obruerunt, propemodum infœlicissimus factus sum omnium hominum. Idq; in conspectu totius multitudinis, hoc enim aggrauat infœlicitatẽ hominis, quod ea conspicua sit multitudini, & pauperem debilem & inglorium respublica videat, quem prius viderat diuitem, sanum & boni nominis ac famæ. Cæterum literali sensu habito, facilè est iuxta mysticum sensum, totum hunc locum accommodare, siue ad carnis suggestiones, siue ad idololatriæ aut hæresis depraua tiones, monemur enim ab his quàm longissimè velut à pestibus quibusdam declinare, ne animæ bona dotes scilicet, vitam spiritus & vires benè agendi, diabolo crudelissimo nostro hosti tradamus, eique obsequendo pereamus, & cum filio prodigo paternam substantiam dissipemus viuendo luxuriosè; aut bona quæ in Ecclesia consecuti sumus hereticis cedamus illis adhęrendo, & postea siue in hac vita, siue in futura deploremus nostram, tum miseriam tum insipientiam. D. Greg. in tertia parte curæ pastoralis admonit. 13. pulchrè prosequitur sensum mysticum, quo hic locus ad diabolum accommodatur.

Gregor.

Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, habeto eas solus, nec sint alieni participes tui.

LOCVS hic dupliciter intelligitur. sunt enim qui contra id quod cauendum docuit, ne quis facultates suas traderet alienis, intelligunt sapientem hic monere, vt quisq; suis bonis ipsemet fruatur, sic tamen vt ea etiam pauperibus communicet, reseruando semper sibi dominiũ, ita vt eorũ alienos non faciat dominos. Per primã enim sententiam, Bibe aquam de cisterna tua, &c. intelligunt significari metaphoricè bonis propriis vtendũ aliena non appetenda, sed ex suis quod necessitatis satis est sumendum esse. Per secundam, Deriuentur fontes tui foras, &c. intelligunt significari ex propriis bonis, vnde quis sibi necessaria sumit, communicandum esse pauperibus & egenis, qui in plateis vagantur, ne sibi soli bibẽdam esse putet aquam de puteo suo, nec sint facultates eius sicut aquæ stagnales, sed fiant sicut fontes profundentes aquas suas in plateas. Per tertiam sententiam, habeto eas solus, volunt significari non esse communicandas & spargendas facultates, vt earum dominium deueniat in manus illorum alienorum & crudelium, de quibus prius dictum fuit, sed retinendum earum dominium apud se, vt semper ex illis refici & reficere pauperes queat. Hunc sensum secuti 70. videntur, qui habent, ἐγω σοὶ μόνῳ ὑπάρχοντα: sint tibi soli facultates. Alij verò melius, vt ex sequentibus patebit, intelligunt hic post dehortationem à consortio impudicæ mulieris remedium dari contra vagam illam, inhonestam & damnosam libidinem adhortãdo ad legitimum proianſ. in Prouerb.

priæ coniugis vsum, quem honestissimis verbis & iucũdis metaphoris circunscribit, indicans longè maiorem esse voluptatem, eámq; honestari coniunctam in eius vsu. Itaq; quod dicit, Bibe aquam de cisterna tua & fluenta putei tui, &c. Hunc habet sensum. libidinis fictim extingue, non abusu alienæ, sed vsu propriæ vxoris, quemadmodum omnino conuenit, vt quis puteum habens ex eo bibat, non ex alieno. Quod autem sequitur, deriuentur fontes tui foras, docet & quid coniugalibus amplexibus quæri debeat, & quis ex eis fructus sequatur. Cum enim ex vaga libidine, nec quæratur prolis bonum, nec inde sequatur, legitimum coniugij vsum ad hoc fieri debere docet, & hunc eius esse fructum, vt hinc natæ proles in plateis conspiciantur ciuitatis ex quibus & ciuitati ornamentum & parentibus voluptas accedat. Quonam autem & ex concubinis & meretricibus & adulteris contingit proles suscipere, ad differẽtiam harum & earum quæ ex legitimo coniugio procreantur, dicit: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui, hoc est, tales stude habere proles, quas velut aquas tuas in plateis diuidas, de quibus certus sis & securus quod nõ sint spuriæ, sed quod tu solus in eas ius habes & non alij, quod expectare potes ex legitimo connubio, non ex vaga aut adulterina libidine, ex qua procreatæ proles, incertum sæpè habent patrem: Hæc expositio commodè se habet. Iuxta quàm legitima vxor cisternæ recreanti sitimque sedanti, & proles fontibus comparantur. Nec est quod quisquam hunc sensum indignum tantò virò ipsáque sapientia reputet, & ob id hoc sensu reiecto alium sublimiorem tanquam proprium & primum requirat. Quamquam enim euangelio doctrina perfectior conueniat, qua continentia consulitur, & bonum dicitur homini mulierem non tangere, veteri tamen testamento, in quo sterilitas in maledictionem deputatur, optimè conuenit hæc adhortatio ad coniugij debitum vsum. Deinde quàm sit coniugij remedium, iuuenibus, maximè quos hic potissimum instituit Sapiens, vt plurimum & necessarium & consulendum, docet ipsa experientia, & subindicat Paulus qui in remedium indebitæ libidinis, dicit: Honorabile connũbium & thorus immaculatus: fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Et propter fornicationẽ vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum. Sicut autem ex his Pauli verbis concludi non potest matrimonium omnibus esse præceptum, ita nec ex hoc Sapientis loco. Nam sicut Paulus coniugatis loquitur & quod dicit, non secundum imperium, sed secundum indulgentiam dicit, ita & Sapiens hic coniugatis alloquitur, vt paret cum dicit, de cisterna tua, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, & consiliũ dat quo liber esse possit homo à scortationib. vt omittamus quod veteri populo loquitur ad literam, cui sterilitas opprobrium erat. Sic tamen mirabili spiritus sancti prudentia hæc doctrina est temperata, vt & imperfectis conueniat iuxta literalem sensum, & iuxta sublimiorem sensum etiam his quadret qui ad perfectionem conantur euangelicã. Mysticè enim bibimus aquam

1. Cor. 7.
Heb. 13.
1. Cor. 7.

de noſtro puteo, quando ex doctrina eccleſiaſtica ſalutarem haurimus animæ noſtræ potum, & bibere detrectamus de carnalibus illecebris & lacunis hæreticorum. Ipſa enim Dei ſapientia, quàm vt in amicam nobis aſſumamus poſtea monet, puteus noſter eſt, ex quo in Eccleſia Dei, potum, ſitim noſtram ſedantem, petere debemus, ne contra nos dicatur illud Hierem. dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Ex hoc puteo recreati operam dare debemus, vt noſtra doctrina & exemplo quamplurimos in ornamentum Eccleſiæ filios ſapientiæ procreemus, ita hos inſtituentes, vt in illis nec caro, nec hereſis, nec diabolus dominium habeat, ſed vt proprij & genuini noſtri & ſapientiæ filij deprehendantur, hæc enim myſtica tractatio correſpondet ſenſui literali. Beda paulo aliter intelligit tunc fontes noſtros deriuari foras, & nos diuidere aquas noſtras in plateas, cum perceptam in Eccleſia doctrinã aliis prædicamus & communicamus, iuxta illud Sapien. quàm ſine fictione didici & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Has aquas nos habemus ſoli, cum doctrinam noſtram à conſortio mundanæ & hæreticæ doctrinæ liberam & immunem ſeruamus, aut cum in eius diffuſione aut prædicatione gloriam humanã minimè ambimus. Per huiuſmodi enim ambitionem etiam alieni, hoc eſt, dæmones participes fiunt operis noſtri, in quod ius aliquod acquirunt. D. Aug. lib. 2. contra Creſcon. cap. 14. ſequutus Septuaginta legit, Fons aquæ ſit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi, intelligítque per fontem Spiritum ſanctum. Ad hunc, inquit, fontem nullus extraneus, quia nullus niſi vita æterna dignus, accedit. Hic eſt proprius Eccleſiæ Chriſti, cui tanto ante prophetatum eſt, Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius & nemo alienus communicet tibi,

Sapié. 7.

D. Aug.

Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, Cerua chariſſima & gratiſſimus hinnulus vbera eius inebrient te omni tempore, in amore eius delectare iugiter.

QVi priorem in ſuperiorib. verſib. ſequuntur ſenſum, cõſequenter per venam intelligunt facultates, quas velut fontes volunt deriuari foras ad alios. Eritque ſenſus, fac vt vena & fons tuus (nam vena pro fonte ponitur, vt & poſtea aliquoties) benedicatur tum à pauperibus, tum à Deo, qui iuxta Paulum multiplicat incrementa frugum iuſtitiæ his qui liberales ſunt in pauperes. Verum quia ſequitur, & lætare cum muliere, poſterior ſenſus probabilior eſt, iuxta quem per venã aut fontem intelligitur propria vxor, quæ marito proles velut aquas profundit; & hic ſenſus, fac vt vxor tua fœcunda eſſe poſſit, & benedictionibus veteri fœlix, quod fiet ſi eius amore & legitimo vſu contentus, vires corporis non exhaurias vaga & aliena libidine, & per amorem Dei, vitia declines. Sic enim in vxore implebitur illud Dauidicum: vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ, Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Hortatur ergo lætandum cum vxore adoleſcentiæ, hoc eſt, cum ea quæ in adoleſcentia & ipſo ætatis feruore in vxorem aſſumpta eſt, ſub nomine lætitiæ ad moderatum coniugij vſum inuitans, tanquam remedium fornicationis vitandæ, & medium prolium legitimè procreandarum. Indicans in hoc vſu veram ſolidamque eſſe lætitiam, præ ea quæ in vaga & adulterina eſt libidine, quæ multum habet fellis admixtum & coniunctũ. Vnde & ſubiũgit, Cerua chariſſima & gratiſſimus hinnulus, hoc eſt, ſit ea vxor tibi, velut chariſſima cerua & hinnulus gratiſſimus. Eſt enim hoc animantis genus hominibus in delitiis, amabile & lepidum. Vnde & in Canticis dicit ſponſa: Similis eſt dilectus meus capreæ hinnulóque ceruorum. Significat ergo vxorẽ huiuſmodi amabilem eſſe debere & in delitiis inſtar ceruæ & hinnuli. Quamquam ſubtilius dici poſſet ceruæ vxorem comparari quod prodirum ſit memoriæ in ceruino genere maris & fœminæ nõ fieri congreſſus vnquam palam, ſed eſſe ſecretum loco obſcuro. Aut quod ſicut ceruinum genus ſerpentibus eſt exitio, vt ſcribit Plinius lib. 27. cap. 9. ita & vxor ſcortis aduerſetur, ſerpentibus omnino exitialibus, eſt & alia ceruorum conditio huic loco optimè congruens, videlicet quod (quemadmodum habet Plinius lib. 8. c. 32.) cum maria tranant gregatim nantes porrecto ordine capita imponunt præcedentium clunibus vicibus ad terga redeuntes, ad quod reſpiciens D. Auguſtinus in libr. 83. quæſt. 17. Sicut, inquit, de ceruis nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cum fretum ad inſulam tranſeunt, paſcuarum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorum quæ geſtant in cornibus ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſemper anteriorem ceruice proiecta, caput collocet, & quia neceſſe eſt vnum eſſe qui cæteros præcedens, non ante ſe habeat cui ea put inclinet, vicib. id agere dicuntur, vt laſſatus ſui capitis onere ille qui præcedit, poſt omnes redeat & ei ſuccedat, cuius ferebat caput cum ipſe præiret, ita inuicem onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Iſtam fortaſſe naturam ceruorum intenderat Salomon, dum ait: Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim ſic probat amicum quemadmodum oneris amici partitio, &c. Ita & hic indicatur in coniugio alterum alterius viciſſim onera ferre debere. Sequitur. Vbera eius inebrient te omni tempore. Vbi notandum eſt quod pro vbera, dictio Hebraica magis ſignificat amores, ſed eam noſter etiam alibi vertit vbera, vt Cãticorum primo vbi legimus: Meliora ſunt vbera tua vino, & memores vberum tuorum ſuper vinũ. Sponſa enim ibi ſponſo ſuo tribuit vbera, cui magis conuenit tribuere amores, & omnino conuenit vberã ibi metaphoricè accipere pro amore qui inſtar vberum dulciſſimus eſt & dulcedinem ſponſæ præbet, ita & hic rectè intellexerimus per vbera, ipſos amores coniugum, magis quam vbera ipſos recreantes, vt ſit ſenſus: Amor ipſius inſtar vberum lac diffundentium dulciſſimus: ita te inebriet

2. Cor. 9.

Pſal. 127.

Cant. 2.

Plinius.

Auguſt.

inebriet omni tẽpore hoc eſt, abũdè tuo deſiderio ſatisfaciat & ſatiet, vt extra eã nõ requiras vnquã cum aliena voluptatem. Quod expreſſius dicitur in particula ſequenti, & in amore eius delectare iugiter. Quamquam poſſit etiam ſecundum metaphorã intelligi non quærenda aliena vbera ſed propriæ vxoris vbera ſemper parata pro ſedanda ſiti libidinis ſufficere debere omni tempore, imò ſic ſatiare debere, vt alia nunquam deſiderentur, nõ quod ſemper velit vxoris amplexibus vacandum, ſed quod eis velit ita maritum contentum eſſe debere, vt alienos non requirat. Obſeruandum autem hic quàm euangelicè Sapiens vnius tantum vxoris meminit quàm vnicè vult amari nec vnquam dimitti, vt intelligamus etiam in veteri Teſtamento Digamiam à ſapientia non admodum probatam, nec vxoris repudium. Iuxta myſticũ ſenſum, Vena noſtra & fons, ipſa eſt cœleſtis ſapientia, fons ſignatus, puteus aquarum viuentium De qua quiſque pius & maximè euangelicus cum Sapiente dicere debet, quod eſt in Sapien. Hanc amaui & exquiſiui eam à iuuentute mea & quæſiui in ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Hęc noſtra vena dum ex ea filios ſapientiæ docendo generamus, fit magis magiſque benedicta, quia in nobis fit abundantior & fertilior ex diuina benedictione, iuxta illud: Omni habenti dabitur & abundabit. Hęc noſtra ſponſa veluti cerua chariſſima eſſe debet, quæ ſerpentinã conterit doctrinam. Monemur ergo in huius noſtræ ſponſæ amore iugiter inhærere, lætari in ea, eiúſq; vberibus inebriari, quę rectè intelliguntur teſtamenti vtriuſque ſcripturæ & dogmata, vt huius amore detẽti, liberi ſimus & tuti ab inordinato, ſiue carnis, ſiue hæreſum amore, omnino enim nobis faciendum quod eſt in Sap. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum, ſciens quoniã mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.

Myſticus ſenſus.

Sapien. 8.

Matt. 13.

Sapien. 8.

Quare ſeduceris fili mi ab aliena & foueris in ſinu alterius: Reſpicit dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.

FACTA collatione vitæ inter extraneam mulierem & legitimam vxorem, & vtriuſque commodis ac incommodis ob oculos propoſitis infert, cũ ita ſe res habeat, & tam latum ſit diſcrimen inter inſanas mulieris alienæ libidines & honeſtiſſimæ cõiugis amorem, quare mi fili ſeduci te patieris ab aliena, & foueri eliges in ſinu alterius? Cæterum ne fortè quę dicta ſunt non ſatis auditorem moueant, morẽ ſuo in fine ſententiis quibuſdam grauibus concludendo, amplius ſtudet commouere. Et primum quidem proponit Deum omnes hominis actiones reſpicere & conſiderare, vt huius cõſideratione timeat coram eo peccare, nec putet latere ſe poſſe etiam ſi in tenebris inhoneſtam ſuam expleat libidinem, Oculus enim adulteri obſeruat caliginẽ dicens: Non me videbit oculus, contra quod

Ianſ. in Prouerb.

Iere. 23.

dicit dominus in Iere. Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum. Secundo ne quis putet ſe aliqua ratione debitã ſceleribus ſuis poſſe effugere pœnam, ſubiungit, iniquitates ſuæ capiunt vel capient impium & funibus peccatorum ſuorum cõſtringitur, vel conſtringetur, nam vtrunque tempus legitur in noſtris codicibus & Græca quidem habent præſens tempus, Hebræa verò futurum. Dicuntur autem ipſa peccata velut funibus capere & captiuum tenere, & conſtringere impium, quia per ea ſic deuinctus tenetur corã domino ad certum ſupplicium, vt illud euadere nullo modo manentibus ſuis peccatis valeat, ita vt infligendum ſupplicium non niſi ſuis peccatis imputare poſſit, quæ ipſum coram Deo accuſant, & obnoxium ſupplicio detinent. Significat ergo hęc ſententia, domino, qui omnes hominum actus attendit, poſtquam videt quempiam impiè agentem, non eſſe opus, vt vel ipſemet illi manus iniiciat, vel per ſatellites ſuos id fieri curet, ne fortè quis in tanta malefactorum turba id putet non eſſe credibile. Statim enim vbi quis peccat, ſicut eius peccatum à domino eſt animaduerſum, ita illud eundem coram domino colligatum detinet, vt effugere nulla valeat ratione, niſi dirupto diuina gratia vinculo peccati, vt dicere poſſit cum Dauide: Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Conſtringunt autem & capiunt impium peccata & alia ratione, nempe quia per ea à benefaciendo impij impediuntur & captiui tenentur à diabolo ad ipſius voluntatem. Sed prior ratio propoſito magis conuenit. Tertia ſententia hoc ſuperaddit ſecundæ, quod quem captum eſſe dixit, mortem excepturum denunciet, vt non ad paruum aliquod ſupplicium captus eſſe putetur, videlicet ad amiſſionem fortunarum aut alicuius membri mutilationem, ſed ad ſummum, animæ videlicet corporíſq; interitum æternũ. Ipſe, inquit, morietur, quia non voluit ſuſcipere diſciplinam & eruditionem, quam illi ſapientia ſuggeſſit, & per quam iniquitates ſuas declinare potuiſſet, & per multitudinem ſtultitiæ ſuæ decipietur. Stultitia enim ſua perſuaſit ſibi aut dominũ non videre quæ agit mala, aut eius iram non fore talem, qualis prędicta eſt. Prinde per eam perſuaſionem & multiplicem ſtultitiæ operationem deceptum ſe poſtea deprehendet. Similiter dicitur Baruch. 3. viam diſciplinæ non inuenerunt, ideo perierunt, & quia non habuerunt ſapientiam, perierunt, propter inſipientiam. Et in Iob: Si non audierint, tranſibunt per gladium & conſumentur in ſtultitia.

Sapien. 8.

Baruc. 3.

Iob. 36.

CAPVT SEXTVM.

FILI mi, *ſi ſpopondiſti pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus, fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: erue te quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.*

SVBIVNGIT hoc capite etiam alia ſapientiæ præcepta & documẽta, de cauenda fideiuſſione: pigritia, & malitia, demum, rediens, ad dehortandum, a conſortio alienæ

mulieris. Et benè quidem postquam superiori capite indicauit, quomodo per scortationes res familiaris periclitetur pereátque & in aliorum veniat potestatem, iam indicat quomodo idem eueniat frequenter per leues fideiussiones, ad quas rerum imperiti, iuuenes, maximè sæpè nimis sunt faciles se suámque familiam magno periculo & litibus exponentes, & ad paupertatem redigentes. Proinde rectè indicat non facilè fideiubendum esse pro amico, quemadmodum postea c. 23. apertè docet dicens: Noli esse cum his qui defigunt manus, & qui vades se offerunt pro debitis. Et nunc apertè docet, si fortè vsueniat vt fideiussio facta sit, non debere eum qui fideiussit securum esse, sed summam curam adhibendam, omniáque tentanda vt à fideiussionis vinculo liberetur. Potest autem quod ad literam attinet coniunctio, Si ad omnia quatuor sequentia verba referri in hũc modum, si spopondisti, si defixisti, si illaqueatus es & captus propriis sermonibus, fac ergo quod dico. Vel rãtum referri ad duo priora verba in hunc sensum, quem puto conuenientiorem, Si spopondisti pro amico tuo, Si defixisti apud extraneum aliquem manum tuam (per quod aliud non significatur quam fideiussio quæ fit defigendo manũ in manum creditoris,) Si hoc inquam fecisti, scito quod illaqueatus es, & captus propriis sermonibus, quia iam quasi vinculo quodam constrictus es apud creditorem. Proinde ne te laqueus iste inuoluat, nec sit pernitiosus tibi tuisq; fac quod dico tibi, & operã da vt libereris ab eo quia incidisti, ex tua sponsione in manũ proximi tui, hoc est, in potestatem creditoris tui, qui iam ius habet à te exigendi debitum. Discurre, festina, hoc est neque tardus sis neque negligens, sed & subitò & diligenter da operam, suscita amicum tuum admonendo, precando, excita eum pro quo spopondisti, vt satisfaciendo suo debito te à vinculo tuo liberum faciat, ne dederis somnum oculis tuis hoc est, ne sis hac in parte somnolentus, sed vigil & diligens, eruere quasi damula de manu, hoc est, quemadmodum damula se celeri fuga subtrahit è manu eam capere conantis, & auis volatu se liberat ab insidiis aucupis, ita & tu tua diligentia cura quamprimũ liberari de manu creditoris, ne in te manum suam coniicere possit, & ad soluendum cogere. Aut quemadmodum iam capta damula toto nisu se conatur eripere è manu venãtis, & auis cõtinuo conatu laborat laqueos quibus implicata est effugere & auolare, ita & tu qui illaqueatus es proprij oris verbis, labora assiduè vt à laqueo tuo libereris. Hic est totius huius loci literalis sensus, cui similia pleraque ad fideiussionis dehortationem pertinẽtia, postea sequuntur. Quæ non debent aut indigna videri diuina sapiẽtia quæ hic trãdit̃ur, aut contraria charitati, iuxta quam sicut aliquando tenemur mutuum dare fratri, ita nonnunquã fideiubere pro eo. Nõ enim in totum prohibetur spondere pro alio, sed tantum ostenditur periculum sponsionum, vt ne ad eas quis sit facilis. Et quibus locis sponsiones videtur prohiberi, leues tantũ illæ sponsiones & non necessariæ prohibentur. Cauendas autem sponsiones summopere etiam prophana Philosophia diligenter docuit: nam authore Diogene Laertio inter Chilonis Lacedæmonij sententias erat hæc, sponsioni non deest iactura. Et inter Apollinis tria præcipua oracula, erat tertium, sponde, noxa præsto est. Quibus similia etiam nostrum sapientem tam diligenter inculcare indignum non esse facilè intelliget, qui aduertit eum multa hic tradere quæ ad vitam hanc temporalem commodè transigendum, sunt necessaria. Idque quo expeditius vacemus sapiẽtiæ, Deo seruiamus & quæ ex officio nostro secundum Deum nobis competunt, præstemus. Quemadmodum etiam hoc est eius præceptum quod eo tendit vt liberiores simus ad seruiendum Deo, & nosipsos, nostrámque familiam contra Dei præceptum non redigamus ad inopiam. Est tamen in hac doctrina etiam sublimior sensus mysticus, iuxta quem mouentur hi qui officium regendi alios susceperunt, quando quidem pro aliis spoponderunt, séque obligauerunt, vt omnem dent operam, ne sit eis noxia, qua se obligauerunt pro aliis spõsio. Id autem fiet, si curent sua diligentia & indefesso studio, vt hi pro quibus obligati sunt, suum faciant officium: ac satisfaciant cõmuni omnium creditori domino, monendo eos & suscitãdo ad eorum officia. Sic qui in baptismo pro alio spopondit suscitare eum debet & admonere, vt quod pro eo promissum est, præstet & adimpleat: Sic enim liber erit de manu creditoris. Mysticus sensus.

Vade ad formicam ô piger & considera vias eius, & disce sapientiam. Quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum, sibi & congregat in messe quod comedat. Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies sicut vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.

POSTQVAM monuit diligentiam adhibendã facta fideiussione, congruè digreditur ad dehortandum pigritiam. Ad quod formicæ exemplum conuenientissimum spectandum & inuitandum proponit, quemadmodum & postea c. 30. quod & Horatius carmine celebrat, dicens: *Paruula nam exẽplo est magni formica laboris, Ore trahit quodcunque potest atque addit aceruo,* Cuius operationes admirãdas prolixè prosequitur Plinius c. 30. li. 11. nat. hist. sic scribens formicæ vt apes communicant labores, sed apes vtiles faciunt cibos, hę condunt, & si quis comparet onera corporibus earum, fateatur multa portione vires esse maiores, gerũt ea morsu, maiora auersæ postremis pedibus moliuntur humeris obnixæ. Et iis reipublicæ ratio, memoria, cura. Sẽmina arrosa condunt, ne rursus in fruges exeant è terra, maiora ad introitum diuidũt, madefactã imbre proferunt atque siccant. Operantur & nocte plena luna, eædem interlunio cessant. Iam in opere qui labor, quæ sedulitas? Hęc ille. Itaque cum varia sint in formicis spectãda laborem perissimum earum & sedulitatem proponit considerandam, itémq; quomodo labore tempestiuo Horatius. Plinius.

tempestiuo sibi prospiciant in tempus quod ad laborandum & colligendum cibum est in tempestiuum, Deinde quod hoc faciant etiã cum hoc habeant ducem, qui præeundo id doceat suo exemplo, nec præceptorem, vel vt est Hebræis, exactorem, qui scilicet id præcipiat, aut pensum operis reddere cogat, nec principem qui castiget aut puniat inertem. Quod de formicis dicit, siue ad differentiam quorundam animalium, quæ ducem sui itineris habent, vt oues & grues, aut principem aliquem vt apes, aut exactores vt boues & equi qui ab hominibus ad labores adiguntur: Aut dicit ad differentiam hominum, qui & habent quosdam ad laborandum suo exemplo prouocantes, & habent præceptores & exactores; qui id suis monitis exigant, & principem qui inertiam hominum aliquando sit puniturus, Itaque in confusionem desidum hominum, & ad excitandum eorum ignauiã, tam parui animaculi diligentiam & prouidẽtiam, & solo naturali instinctu prodeuntem proponit considerandam & imitandã, significans quam sit indignum hominem ad laborem natũ, & ratiõe prẽditum; qui & aliorum exemplis & monitis sapientum, & Dei metu ab otio absterreri deberet, non hoc facere, nõ ita sibi prospicere, sicut faciunt huiusmodi animacula. Ab ipsis saltem discendam, vel tandem & diligentiam & prouidentiam, quibus ob id Deus naturæ author talem dedit naturam, sicut & aliis animalibus alias dedit quasdam agẽdi proprietates, vt ex iis homo doceretur, & ad imitationem prouocaretur. Hoc formicarum exemplo proposito, exclamat ad magis excitãdum pigros, vsquequo piger dormies; quando cõsurges è somno tuo? subiiciens damnum quod ineuitabiliter pigritia sua incurrent, cum dicit paululum dormies, &c. (cuius expositionẽ vide postea in cap. 24. vbi hæc repetuntur) subiiciens & alium fructum diligentiæ, cum dicit: Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, hoc est colliges ex laboribus tuis copiosam messem, & abundanté instar frontis fructum, & egestas longe fugiet à te, Qui versus etsi non sit in Hebræo, est tamen apud 70. ex quorum versione in nostris codicibus relictis èst. Cæterũ vt secundum literalem sensum totus hic locus docet opprtuno tempore, in iuuentute scilicet & cum vires sint integræ, item cum temporis ratio permittit, vt cum ętas est & tempus conueniens, laborandum esse corporaliter, otiúmque vitandum quo habeantur, siue in senectute, siue in hyeme; quæ victui sunt necessaria, ita secundum sublimiorem sensum mysticum, docet in presenti vita, quę tempus est laboribus deputatum, virtutibus insistendum esse, vt habeamus in futuro seculo (quando velut in hyeme & nocte nemo potest operari) vnde in æternum reficiamur, nec fame pereamus; sed veniat tũc messis nostra sicut fons indeficienter fluens, quando implebitur illud: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, Fructus enim vitæ æternæ rectè fronti cõparatur, propter eius æternitatem, quæ non cõpetit fructibus terrenis, qui potius cisternæ sunt similes, quæ aliquando exauriuntur & sic- Mysticus sensus. Psal. 125.

catur. Notãdum autem quod quemadmodũ patet ex Aug. li. contra Adimantũ Manich, c. 24. Manichei vetus testamentum vbique carpentes & reiicientes hunc locum, reprehendebant tanquam contrarium euangelicæ doctrinæ Christi qua præcipit ne simus soliciti in crastinum, & ne thesaurizemus in terra Contra quos affirmat Aug. perperam eos hũc locum intellexisse, cõfugitque ad sensum spiritualem, intelligens hic significari, quod quemadmodum formica minutulum animal æstate colligit, vnde in hyeme pascatur. Sic vnusquisque Christianus in rerum tranquilitate, quam significat æstas, colligere debet verbum Dei vt in tribulationibus & aduersitate, quę hyemis nomine significatur; habeat vnde spiritualiter viuat. Quam mysticam tractationem & accommodationem; pulchrè etiam Ð. Aug. Prosequitur in Psal. 66. Ad quam expositionem mysticam non ideò confugit Aug. quasi significare velit sapientem secundum literalem sensum; non etiam laborẽ, corporalem exegisse pro parandis corpori necessariis, sed ad significandum Christianum huiusmodi literali sensu non debere esse cõtentum, sed vltra eum & magis spirituale sensum esse requirendum. Nec literalis ille sensus cõtrarius est Christi doctrinæ, sicut nec Pauli doctrina, cum dicit: Si quis non vult operari, nec manducet. Et denuntiamus huiusmodi vt cum silentio operantes. suum panem manducent. Non enim prohibere voluit Christus laborem & prouidentiam ad paranda necessaria, sed anxiam solicitudinem & immodicũ congregandarum opum desiderii. Quæ hic nequaquam docere voluit Sapiens sed tantũ pigritiã dedocere, sicut & multis aliis sequentibus sentẽtiis. Additur apud Græcos prẽter exemplum formicarum etiã apum exemplũ in hunc modum. Aut vade ad apem & disce quam sit operosa, quũq; seriam operationem exerceat, cuius labores & reges, & idiotæ ad sanitatem assumunt desiderabilisq; est omnibus & illustris & quidem cum sit viribus infirma, tamen quia sapientiã honorat euecta est (vel promouet) Citat D. Hieronymus exemplum apum ex hoc loco in epistola ad rusticum Pudeat, inquit Seneca lib. 1. de clemẽtia ab exiguis animalibus non trahere mores. Augus. 2. The. 3. 1. Ti. 2. Eccl. 33.

Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso annuit oculis, terit pede, digito loquitur: prauo corde machinatur malum, et omni tempore iurgia seminat.

POSTEA quæ cõtra pigritiam sunt dicta transgreditur ad describendam quorundam insignem malitiam non sine cõuenienti ordine. Ferè enim qui piger est & otiosus in alia maiora vitia prolabitur, præsertim obtrectationes, quod Paulus notat in otiosis viduis iunioribus, quæ circumeunt domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ loquentes quæ non oportet. Et in Eccles. dicitur Multam malitiam docuit otiositas. Frequenter autem Sapiens hic suum filium munire studet, vt vitet consortium & improborum ac insigniter malorum hominum & illectamentã improdicarum mulierum. Itaque vt improborum rursum consortiũ fugere doceat corũ mores hic pulchrè depingit Deo maximè

odibiles, subiecturus mox rursum de impudicis mulieribus. Dicit ergo homo apostata vir inutilis. Pro apostata Hebræis est dictio Belial, quam hoc loco & Iob 24. vbi legimus qui dicit regi apostata, noster interpres vertit apostatam, aliis locis reliquit ferè nomen Hebraicum, addens Iud. 19. eius interpretationem, id est, inquit absque iugo, ita enim interpretari potest à בלי Beli, quod est sine & ol עֹל quod est iugũ cum alij interpretentur sine honore à בלי Beli sine & verbo עלה ala, quod est ascendere, vel sine vtilitate ab יעל iaal, quod est prodesse. Significat autẽ ipsam impietatem aut insigniter impium. Impietatem significat cum dicuntur aliqui filij Belial, hoc est, filij impietatis, quod phrasi Hebraica significat homines insigniter improbos. Pro impio ponitur apud Nau: non adiiciet vltrà vt pertranseat in te Belial. Pro impietate, aut potius pro impio dæmone ponitur apud Paulum. Quæ conuentio christi ad Belial, Hic ergo apostatam non oportet intelligere eum qui deficit à fide, quem iam recepto vsu apostatam vocamus per antonomasiam, sed eum qui Deum deseruit, & à Deo recessit cor eius, hoc est, qui iam timore Dei omnino vacuus est, nõ per infirmitatem, sed per malitiam peccans, quomodo & apostata reaccipitur apud eccles. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit eum, recessit cor eius. Et vinum & mulieres apostatare faciunt cor sapientis. Est enim apostata dictio Greca. significans desertorem. Homo erga apostata, hoc est qui omnino Deum dereliquit, nec cura aliqua seruiendi Deo tenetur est vir inutilis, & sibi & aliis, quo per cõtrarium amplius significatur quod sibi & aliis sit noxius. Potest & sic intelligi appositiuè, homo apostata qui idè est vir inutilis graditur ore peruerso, &c. Describit hominis impij conditiones ostẽdens quo modo omnibus suis membris in alterius perniciem abutatur. Graditur, inquit, hoc est: incedit & conuersatur cum aliis ore peruerso, loquẽs scilicet benignè & amicè, sed interim mala cogitans & moliens. Annuit oculis, & terit pede, digito loquitur, His tribus quæ vno versu coniunguntur in Hebræo, significari omnino videtur, Impium qui verbis amicitiam simulat, aliis corporis partibus cõtrarium significare suis complicibus in perniciem alicuius, quem decipere & perdere studet: Quanquam enim vderi possit per annuere oculis (quod quoties occurrit in scripturis malum aliquid designat) significari, vt multi intelligunt, fraudulẽter cum aliquo agere, nutúque oculorum amicitiam simulare, quia amici amicis annuunt oculis: magis tamẽ ex adiunctis hoc loco apparet hac oratione significari, oculorum nutu complicibus suis signum dare, quo ad perniciem alicuius incitentur. Hoc enim magis competit huic loco & illi, qui est Ecclesiastici 27. Annuens oculo, fabricat iniqua. Proinde iuxta hunc sensum magis conueniret vertere, innuere oculo quam annuere. Pro terit pede, Hebræis est, loquitur pede, hoc est, pedib. suis dat signum aliquod complicibus suis, quo intelligãt quid sit faciendum, quemadmodum & digito. Vnde sequitur Digito loquitur, & vt Hebræa habent digitis docet, demonstrando scilicet suis quid faciẽdum, aut inimicitiã quam verbis benignis tegit in corde latẽtem Et mirum quid secutus interpres verterit, terit pede, cum & Septuaginta habeant σημαίνει δὲ ποδὶ, hoc est, signum dat pede. Hoc ergo & in nostra lectione est intelligendum, nempe quod terat terram pede ad insinuandum aliquid, quomodo & digito loquitur. Significatur ergo hominem improbum, dum ad decipiendũ benignè loquitur alicui, aliis sui corporis partibus, oculis, videlicet pede & manu suis complicibus inimicitiam in corde latentem insinuare, illumque quem laudat irridere, ac signum perdendi illum exhibere. Huic sensui benè conuenit quod dicitur in Psal. Oderunt me gratis & annuunt oculis, quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracũdia terræ loquentes dolos cogitabãt. Vnde & hic sequitur, prauo corde machinatur malum, quasi dicat: Hinc est quod ore amicitiam simulat, aliis partibus corporis inimicitiam & odium insinuans, quia prauo suo corde machinarur malum, cogitans apud se quomodo illud rectè & fraudulenter inferat. Cæterum omnibus quæ de impio sunt dicta peius est quod subiungitur, & ex prædictis sequitur, nempe quod omni tempore iurgia seminat inter homines. Cum enim omnibus blandè loquitur in faciem, & post tergum malè loquatur, eisque derrahat quos coram laudat, & in controuersiis vtrique parti corã assentiatur, absens cõtradicat & vituperet, multas sæpè inter amicos contentiones & inimicitias excitat, vtriq; parti mala & falsa in susurrando. Atque hoc est præcipuum malum ad quod præcedentia referuntur. Notandum enim Hebræa vnum tãtum habere verbum & reliqua omnia efferre per participia in hunc modum: Homo Belial vir iniquus, incedens ore peruerso, annuens aut innuẽs oculis suis, loquens pedibus suis, docens digitis suis. peruersitatibus cordis sui cogitãs malũ. omni tẽpore, cõtentiones mittet, hoc est, seminabit & sparget inter fratres & amicos. Si autem quis annuere oculis accipere velit pro fraudulenter nutu oculorum amicitiã simulare, quod verbum annuendi magis significat, etiã reliqua duo de pede & digito sunt eodẽ referenda, vt significetur impium, & ore per verba, & reliquis corporis partibus. oculis scilicet pedibus & manibus per signa quædam & gestus annuendo scilicet & gesticulando, amicitiam simulare, cæterum corde aliud agere, machinari scilicet malum, vnde fit vt iurgia inter homines seminet, dum vbiq; mala suggerit, eiusque suggestionibus & obtrectationibus facilè per amicitiæ simulationem creditur. Hoc hominum genus quoniam admodum est pernicioſum ideo de tali subditur: Huic ex tẽplo veniet perditio sua, & subito cõteretur, nec habebit vltra medicinam, hoc est, non poterit curari, sed æterna perditione inuoluetur, à qua nulla ratione liberari poterit. Competit quod de apostata dictum est, eximiè & perfectè hæreticis & scismaticis, qui quo decipiant ore, & toto corporis habitu benignitatem simulant & charitatem, cum

Naum. 1. 2. Cor. 6.

Eccl. 10. Eccl. 19.

cum corde aliud non meditentur, quàm multos ab ecclesia alienare, & ad se trahere. Itaque fit vt nihil aliud quam iurgia feminent in Christiana republica, homines sommè pestiferi, vt qui charitatem, virtutum omnium reginam, tollant & vnitatem scindant.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans, cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.

OCCASIONE impij hominis, quem descripsit membris corporis sui abutentem & seminantem iurgia, commemorat quædam vitia enormia, quæ ferè certis corporis partibus committuntur, & à Deo singulariter odiuntur, quorum postremum tanquam non minimum, sed reliquis, aut peius aut æquiparandum eis ponit, seminare inter fratres discordias, vt ostendat quam graue sit illud quòd in apostata reprehendit. Quod autem nõ velit significare seminare discordias, peius esse omnino omnibus quæ enumerat, patet: quia inter alia enumerat manus effundentes innoxium sanguinem, quod non potest minus esse quam seminare discordias. Proinde sanè intelligendum est quod nos habemus, & septimum detestatur anima eius. Non enim hoc intelligendum est, quasi sex illa odiat, septimum verò nõ solum odiat, sed etiã præ aliis abominetur. Nam Hebræis non est nomen numeri ordinalis septimum, sed numeri cardinalis, septem sunt abominationes animę eius. Itaque sensus est, sex sunt quę odit dominus, imò septem sunt quæ abominatur. Et proinde nostræ electionis sensus esse debet, si velimus habere sensum genuinum, sex sunt quæ odit dominus, imò & septimum simul cum illis detestatur anima eius, de quo locutionis modo plura in ca. 30. vbi similes loci occurrunt. Similis locus est de sex & septem Iob. 5. cap. vbi nos legimus in sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum. Nam & ibi pro septima est Hebręis numeri cardinalis nomẽ septem, & significatur quod in sex imò in septem tribulationibus dominus liberat, nec sinit suos tangi à malo, iuxta illud: Septies cadet iustus & resurget. In istis autem septem quę hoc loco ponũtur, Imprimis est obseruãdum quod quartum locum cordi tribuit, ita vt medium locum habeat inter septem, vtrinque tribus sceleribus collocatis, nẽpè quod omnium vitiorum initium & origo sit à corde, tanquam à fonte, sicut & in medio hominis situm est, tanquam fons vitæ ad omnes partes manantis. Obseruandum secundo, quod in istis septem priora quinque vitia referuntur, tanquã vitia particularium partium hominis, incipiẽdo ab oculis qui in suprema hominis parte collocantur, & deinde procedendo secundum ordinem quem habent partes in corpore humano vsque ad pedes. Duo verò reliqua vitia referuntur tanquam personarum vitia, non autem partium hominis. Et videri potest quinque illa vitia quæ partibus corporis tribuit considerasse, tanquam per quę à partibus suis vitiẽtur & lædatur totus homo, duo verò reliqua, quæ personarum sunt, tanquam per quæ lædatur communitas & respublica, cuius personæ illæ sunt partes. Multum enim communitatem lædunt testis fallax qui iudicium corrumpit, iudicémque iniquè iudicare facit cum suppressione innocentum, & qui seminat discordias inter eos quos maximè conueniebat esse concordes. Inter septem ergo hæc primò ponit oculos sublimes, per quos arrogantiam innuit quæ oculorum elatione maximè declaratur, quã & imprimis vbique scriptura Deum odisse significat, eámque initium esse omnis peccati testatur secundum ponit linguam mendacem, vel, vt est Hebræis linguam mendacij, hoc est, mentientem & fallentem. Mendacium enim Deo maximè aduersatur, qui est ipsa veritas, & linguam homini ad hoc dedit, vt quod corde concipit, ore exprimat, & aliis manifestum faciat. Proinde Dei dono grauiter abutuntur, qui ad cõtrarium eo vtuntur nimirum vt celent quod corde voluunt. Tertium locum habent, manus quas ad iuuandum alios & tuendum innocentes habemus, quibus si vsqueadeò quis abutatur, vt non solum damnum inferat, sed & homicidium perpetret, & innocentis sanguinem effundat, grauissimum crimen committit diuino prosequendum odio. Quartum est cor machinans cogitationes pessimas. Nõ dicit cor cogitans mala & habens cogitationes pessimas. Nam quis potest dicere mundum est cor meum? sed illius cor execratur dominus, qui ex industria & data opera malum comminiscitur, & consilia apud se disquirit perpetrandi mali, Quintum locum pedes fortiuntur, qui festinant ad malum, iuxta illud quod supra dixit: Pedes eorum ad malum currunt. In quo vitio per velocitatem ad currendum significatur summum desiderium & conatus perficiendi mali. Labi enim in malum carnis fragilitate, ac mundi blanditiis trahi & violentia quadam impelli, humanæ infœlicitatis est, & hominis sub peccato vænundati status & conditio, Summa verò alacritate malum conari & optare, Deo est execrabile & odiosum. In his autem quinq; vitiis, quinque partium corporis, sic philosophari licet vt omnia facilè vitia & ordo eorum in illis deprehendatur. Initium enim omnis peccati ferè est superbia per oculos sublimes significata, ex ea fit, vt cor hominis incipiat machinari cogitationes pessimas, quærens nempè consilia ad vindicandum se, aliosque deprimendum aut acquirendum cum aliorum iniuria, per quæ excellens fiat. Post consilia meditata, sequitur conatus & desiderium perficiendi malum conceptum, quod per pedes significatur veloces ad currendum in malum. Post conatum sequitur mali perfectio, quæ fit vel manu alios lædente, vel lingua mentiente. Cæterum cum multæ sint mendacij species, duas speciatim in hoc malorum catalogo adnumerat sapiens, quod sint maximè pestiferæ, nempe testẽ fallacem proferentem

Eccl. 10.

Prou. 20.

Iob. 5.

proferentem mendacia, per quem ſcilicet iudicium peruertitur, à quo reipublicæ ſalus dependet, per quem innocentes opprimuntur, etiam vſque ad mortem aliquando, ita vt non minus noceat quàm qui manu aliũ occidit. Quid enim intereſt manu an lingua ſanguinem innocentem quis fundat? Deinde eum qui ſuis obtrectationibus, malis cõſiliis, aut aliis rationibus ſeminat diſcordias inter fratres, & eos omnes qui inter ſe tãquam fratres viuunt aut viuere debent, quos concordes eſſe maximè conuenit. Id enim vitium ſummè Deo diſplicet, ſicut e contra charitas & amor mutuus maximè placet. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene ſibi conſentientes. Hoc vitium eximiè reperitur in ſeditioſis hominibus, qui inter ciues ſeditiones excitant. Item in hæreticis & ſchiſmaticis, qui pacem Eccleſiæ violant, graues diſcordias ſeminantes inter Chriſtianos, qui tanquam fratres vnum inuocant patrem, Quos proinde Deum grauius deteſtari, quam quoſuis homicidas mirum non eſt, vt qui membra vnius corporis à ſe diuidant, & multorum animas ſimul & corpora ſua diuiſione interimant. Itaque contra teſtem fallacem, & ſeminantem diſcordias, multæ in ſequentibus proferuntur ſententiæ, nimirum propter tantum nocumentum. Quod autem de Deo dicitur deteſtatur anima eius ἀνθρωποπαθῶς dictum eſt, non quod animam habeat, ſed ad ſignificandum quod vehementer deteſtetur, quemadmodum quod nos ex animo & tota mentis intentione deteſtamur, quomodo & Eſa. 1. in Eſa. dicitur: Calendas veſtras & neomenias veſtras audiuit anima mea, hoc eſt, ego vehementer odio.

Obſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, cum ambulaueris gradiantur tecum. Cum dormieris cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis, Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ, increpatio diſciplinæ.

NON ignarus Sapiens quanta mala iuuentuti immineant à mulieribus impudicis, nunquam ſatis ſe putat ea de re filium admoniuiſſe, proinde rurſus redit ad exhortationem ſeruandæ diligenter legis Dei eam rurſus commendans, vt per eam à magnis criminibus, & ſpeciatim à muliere impudica muniti eſſe poſſint legis obſeruatores. Cúmque iam frequenter legem Dei ac ſapientiæ præcepta, Sapiens, ſuam legem ſuáque præcepta appellauerit, ſéque tanquam patrem audiri voluerit, nunc Dei legem & præcepta, parentum legem ac præcepta, appellat, eóſque audiendos vult, quemadmodum & cap. primo. Nimirum quod ab illis iuuentus ab incunte ætate ſit in pietate inſtituenda, & legem Dei ex illorum ore pueri ab incunabulis diſcere debeãt, quemadmodum & lex vbique præcipit. Non enim cum dicit, conſerua præcepta patris tui, de præceptis, quæ patri propria ſunt, quæque ſua authoritate filio imponit, præcipiendo vt hoc aut illud in re domeſtica faciat, potiſſimum loquitur, ſed de præceptis & lege Dei, ipſo ſcilicet Decalogo, inſinuans tacitè parẽtes hunc debere ex officio docere filios ſuos, & acceptum per manus tradere ſuis poſteris. De lege enim Dei ipſum potiſſimum loqui patet ex ſubiecta commendatione. Quia mandatum lucerna eſt, &c. Cum ergo cap. primo dixiſſet: Audi fili mi diſciplinam patris tui: Nũc monet conſeruare præcepta Dei à patre audita, & ne propter imbecillitatem ſexus paruiſaciat filius, quod ab ore matris audiuit (nam ſolent inſolentiores filij cum adoleuerint, parui facere matris monita) ſubiicit. Ne dimittas legem matris tuæ. Et quemadmodum capit. 3. dixit: Circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tãbulis cordis tui, ita nunc dicit, Liga ea in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo, ſignificans non negligenter iſta eſſe ſeruanda, ſed firmiter cordi imprimenda, ac velut illiganda funiculis timoris Dei, eáque ſemper præ oculis habenda, quemadmodum quod collo appenſum geſtamus. Et benè dicit, Circunda gutturi tuo, ſignificans tacitè ea habenda pro inſigni & precioſo monili & torque, quę collo hominum circundata pẽdere ſolet, ſemper verſans in oculis. Metaphoram in hoc verſu latentem explicat, cum ſubiicit, Cum ambulaueris gradiantur tecum, hoc eſt, ſic ea ſemper præ oculis habe, vt in omnibus tuis diurnis operibus tibi adſint, tecum operentur, & te dirigant. Cum aduenierite nocte, quieti te dederis, fac vt cuſtodiant te, hoc eſt, ſic ea habeas in mente dormiturus, vt per ea dormias ſecurus ab omni dæmonum inſeſtatione, qui etiam dormientibus inſidiantur. Et vbi expergefactus fueris, ſtatim loquere cum eis, hoc eſt, expende apud te quomodo tua conſcientia cum eis conueniat, quidve tibi iuxta legem Dei interdiu faciendum ſit. Conuenit hic locus Deut. 6. cum eo quod eſt in Deuteron. Erunt, inquit Moyſes, verba quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, erúntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribéſque ea in limine & oſtiis domus tuæ. Et rurſum: Deut. 11. Ponite hæc verba in cordibus & in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſigno in manibus & inter oculos veſtros collocate. Docete filios veſtros vt illa meditentur, quando ſederis in domo tua & ambulaueris in via, & accubueris, atque ſurrexeris. Notandum autem Hebræa hoc loco ambigua eſſe, & vel ſic verti poſſe, cum ambulaueris duces tecum (ea ſcilicet) cum dormieris cuſtodies apud te, vel ſic, cum ambulaueris ducet te (lex ſcilicet) cum dormieris, cuſtodiet te. Noſter verò interpres ſic prudenter vertit, vt vterque ſenſus in ſua verſione comprehendatur, quemadmodum ex explicatione ſuperius poſita, patet. Et ſubiicitur cauſa cur tam diligens ratio habenda ſit ſemper legis Dei: Quia, inquit mandatum eſt lucerna, & quod idem eſt aliis repetitum verbis, lex eſt lux, iuxta illud: Præceptum domini lucidum, illuminans oculos. Et Lucerna pedibus meis verbum tuum Pſal. 18. Pſal. 118.

& lumen ſemitis meis. Lex enim Dei ignorantiæ pellens tenebras, demonſtrat quid faciendum ſit, ſicut lux demõſtrat qua ſit eundum. Nec tantum lux eſt, ſed & eſt via vitæ quia per eius obſeruationem peruenitur tanquam per viam ad vitam. Sæpè enim in ſcripturis Dei mandata vocantur viæ Dei, ita & hic increpatio diſciplinæ & eruditionis, hoc eſt, increpatio erudiens & redarguens hominum corruptos mores, per quam intelligit ipſam Dei legem nos increpantem, aut humanam redargutionem iuxta Dei legem. Bene autem dicit increpatio diſciplinæ, quia eſt & increpatio indiſciplinata moroſa & inutilis.

Vt cuſtodiant te à muliere mala, à blanda lingua extranea, non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Precium ſcorti vix eſt vnius panis, mulier autem viri precioſam animam capit.

ILLVD vt cuſtodiãt te, referendum eſt ad ſuperiora, hoc modo Gradiantur tecum & loquere cum eis, vt cuſtodiant te peculiariter ab impudicis mulieribus. Nam quod proximè præcedit, quia mãdatum lucerna eſt, &c. per parentheſim interpoſitum eſt. Mulierem malam, & vt in Hebręis eſt, mulierem malitię, intelligit eam quæ ad malum trahit blanditię linguæ ſuæ. Et quia non ſolum per linguę blanditiem, ſed & per faciei pulchritudinem & oculorum illecebras pellicere ſolent, benè monet. Non concupiſcat pulchritudiné eius cor tuum, & ne capiaris nutibus illius, vel vt habent Hebræa, in palpebris eius. Eſt autem concupiſcere pulchritudinem alicuius, propter pulchritudinem eius concupiſcere ipſam, illiúſque pulchritudine velle frui, quæ concupiſcentia & in ſe peccatum eſt contra legem Dei, & ad peccatũ operis trahit. Quod ſequitur, precium enim ſcorti vix eſt vnius panis, ſic ad verbum habent Hebræa, quia propter mulierem fornicariam vſq; ad fruſtum panis. Quod à pleriſque ſic intelligitur, quia propter mulierem meretricẽ recidet vel deueniet homo vſque ad fruſtum panis, hoc eſt, mendicus efficietur. Iam quod ſequitur auget adhuc malũ quod adfert meretrix & adultera. Mulier autem talis etiam capit & deripit precioſam animam viri, quam ſcilicet morti æternæ obnoxiam facit, aut iuxta diſtinctionem Hebræorum, mulier viri, hoc eſt, mulier maritata capit deripitq; precioſam animam adulteri ſui, quia illam exponit perdendam à ſuo marito, vt hæc ſit differentia inter meretricem & adulteram, quod illa hominem depauperet, hæc verò animã & vitam adulteri deripiendã faciat à ſuo marito. Noſter interpres Hebręa ſic intellexit, quia propter mulierem meretricẽ non eſt dandũ niſi vſq; ad fruſtum panis, Quomodo & 70. intellexerũt, qui verterũt, γυνὴ γὰρ πόρνης δοθήσεται ἕνος ἄρτου, i. precium enim ſcorti quantum & vnius panis. Et eſt cõueniẽs admodũ ſenſus. Iuxta quem hac parte ſignificatur quam vilis res ſit ſcortum, & ſequenti parte quã precioſam rem perdat. Itaque ſenſus eſt, preciũ enim ſcorti vix eſt tantum quantum eſt præcium vnius panis, hoc eſt, res eſt viliſsima, & tamen cum ſit viliſſima, talis mulier deripit precioſam animam viri, quam & æternæ morti obnoxiam facit, & diabolo tradit abreptã à ſuo creatore. Proinde rei indignitatem pulchrè ſic ob oculos ponit, inſinuatque quam abſurdum ſit vt pro breui voluptate & nullius precij atq; momenti, quis ſuam animam vendat, vitámque nullo precio æquandam, omnibúſque bonis preferendã perdat. Pulchrè certè in vno pane philoſophatur hic Beda: Sicut enim, inquit, vnus panis diurnam ſolũ effugat eſuriem, & nihilominus poſtmodum eſurit qui cõteſto pane ſatur abſceſſerat, ſic qui intrat ad ſcortum ad horam quidem euaporat libidinem, ſed poſt paululũ ardentior redit. Hæc ille. Itaque duplici ratione ſcorta vitanda indicat, & quod breuis ſit voluptas ac parui precij, & quod rem precioſiſſimã nobis eripiat. Proinde Diuus Auguſtinus hęc ediſſerens libro de honeſt. mulier. cap. 3. O, inquit, quanta iniquitas, quãta peruerſitas, vt animã, quã Chriſtus ſuo ſacro ſanguine redemit, luxurioſus quiſque propter vnius momenti delectationem libidinis diabolo peſſimo inimico ſuo vendat ac tradat. Verè nimium miſeranda & plangenda conditio eſt, vbi cito prẽterit quod delectat & permanet ſine fine quod cruciat. Sub momento enim libidinis impetus tranſit, & permanet ſine fine infœlicis animæ opprobrium. D. Aug.

Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas & non comburentur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui non erit mundus cum tetigerit eam.

DE adulterio, quod inter fornicationes eſt grauiſſimum, peculiariter deinceps loquitur, oſtendens primum apertis ſimilitudinibus quam ſit res noxia: Deinde & collatione facta eius cum furto, eius oſtẽdens grauitatem & pernitiem. Primum ergo ne quis putet adulterium ſicut ſecretũ petit ita poſſe latere, & ſic vel culpa vel pœna poſſe carere atque hac ratione ad illud perpetrãdum fiat audacior, nunquid (inquit) poteſt homo abſcondere, &c. Vbi notandũ quod pro illo, non erit mundus, Hebręis eſt, non erit innocens, quod non ſolum ſignificat non eſſe ſine peccato, ſed pro phraſi Hebraica ſignificat ſæpe non eſſe impunitũ, vt annotatur poſtea c. 11. quorum vtrumque ſignificat etiam quod 70. verterunt. οὐκ ἀθῳωθήσεται nam ἀθῷος dicitur & inſons, & indẽnis & impunitus. magis autẽ videtur Sapiẽs ſignificare voluiſſe eum qui ingreditur ad mulierem proximi ſui non fore impunitum, ſed grauiter puniendum à marito adulteræ qui nulla ratione ſe placari permittet vt poſtea declarat, aut ſaltem à Deo cuius oculos nulla ratione effugere poterit, qui mariti læſi cauſam defendet, vtpote quo læſo ipſe grauiter læſus eſt. Hic enim intellectus magis quadrat ſimilitudinibus allatis, quibus ſignificatur non macula adferri veſtimẽto & pedibus ſed nocumentum & læſio. Itaque ſenſus erit, Quemadmodum fieri non poteſt vt ignem quis abſcondat & foueat in ſinu ſuo, & veſtimenta illius non ardeant, aut vt ambulet nudis plantis ſuper prunas

ardentes,& plantæ illius nõ comburantur ita fieri non poteſt vt qui ingreditur ad vxorem proximi ſui eámque tangit, hoc eſt, quicunque adulteratur,punitionem, læſionem & vltionem euadat. Ingredi enim ad mulierem eámque tangere phraſi ſcripturę vbique obuia,congreſſus & concubitus cum ea honeſtè & verecũdè ſignificatur.Noſter interpres magis ad culpæ maculam quam ad criminis pœnam reſpexiſſe videtur, cum vertit non erit mundus: poteſt tamen etiam hoc accipi in prædicto ſenſu quomodo infra aliquoties accipitur non erit innocens, pro non erit impunitus & liber ab vltione debita crimini.Bene autem congreſſus cum muliere comparatur igni veſtimenta & pedes vrenti, quia libido talis ignis,quidam eſt grauiter & animum & corpus accendens, quo & pedes hominis, hoc eſt affectus eius aduſti ita læduntur, vt poſtea per viam virtutum ac pudicitiæ non valeant incedere, & veſtimenta eius comburuntur,hoc eſt corpus eius grauiter commaculatur & priſtinæ eius vitæ integritas ignis contactu corrupta male olet,infamia tanquã malo odore latè ſe ſpargenti. Poteſt autẽ generalius hic locus accipi, vt ingredi ad vxorem proximi eámque tangere intelligatur, non ſolum is,qui grauiſſimum adulterij crimen cum ea committit, ſed & qui cum vxore proximi ſui libenter verſatur,ædes alienas
Eccle.9. frequentans quaſi de ſua pudicitia ſecurus, Quod prohibetur Eccleſiaſt. 9. Cum aliena muliere non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum. Iuxta quem intellectum bene conuenit noſtra lectio, non erit mundus,Talis enim non carebit macula,quia etiamſi non peccet corpore,maculam in animo incurret per varias cogitationes & concupiſcentias,maculam item famę & nominis ſui,& maculam offenſionis plurimorum.Iuxta myſticum & ſublimiorem ſenſum monet
Miſticus ſenſus. hic locus, quam periculoſum ſit conſortium habere cum hæreticis,eorúmque libros legere,quod eſt ingredi ad adulteram eámq; tangere.Vix enim fieri poteſt vt non dicam omnino impoſſibile,vt illa conuerſatione & contagio non aliquid mali inuratur menti hominis, vt ſi quis animo caſtus eſſe volet, ſéque ſeruare, ne corrumpantur ſenſus ſui & excidant à ſimplicitate fidei, ſitque immunis ab omni peruerſę doctrinæ libidine,tutiſſimum fuerit nec corporis, nec animæ pedibus ad ſynagogam ſathanæ hæreticorum turbam, accedere.

Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim vt eſurientem impleat animam. Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum,& omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam perdet animam ſuam. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi,& opprobrium illius non dèlebitur. Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.

QVo magis deterreat ab adulterio comparat illud cum furto quod adulterio proximum eſt in Decalogo, & cum illo conuenit in eo quod vtrunque crimen quærit ſecretum & tenebras, vtroq; res aliena inuaditur. Adeo autem in quibuſdã iudicia animorum ſunt deprauata, vt furtum quaſi grauiſſimum omnium crimen abominentur,& prę illo adulterium quaſi rem ludicram & iocoſam habeant.Proinde ex lege Dei & ipſa rerũ æquitate oſtendit longè adulterium ſceleratius eſſe & pernitioſius homini quã ſit furtũ, quod variis modis oſtendit.Primum quod aliter & aliter ſe habeat occaſio mali vtriuſque. Ex occaſione enim mali pendet magna pars & veniæ & ſupplicij.Qui enim furatur plerunque id facit ex inopia rerum ad vitam neceſſariarum, ſicque furando eſurientem implet animam & bonum aliquid facit, proinde merito talis venia dignus eſt, nec vllam meretur magnopere vel confuſionem vel vltionem, apud eos qui æqui ſunt iudices. Quis enim vſqueadeò crudelis erit,vt malit hominem fame perire,aut magna diu fame cruciari,quã tantillum de rebus ſuis diſtrahi quantum ventriculus vnus aut alter capere poſſit?Vnde Hebræa pro eo quod nos habemus, non grandis eſt culpa, habent, non contemnent,ſcilicet homines,furem,non hoc ei magno vitio vertent,Qui vero adulterat, id facit non ex inopia rerum neceſſariarum,ſed propter inopiam cordis,hoc eſt,ſapientiæ, quam ſua culpa non habet nec habere vult, qua prauam illam concupiſcentiam facile potuiſſet vitare aut ſuperare, vnde ex ea inopia adulterando non implet animam ſuam, non quippiam bene facit, ſed inſigne malum, quia perdidit animam ſuam. Et in genere furtum ferè eſſe ſignificat de rebus quæ ſpectant ad vitæ ſuſtentationem adulterium verò in re quæ non ad vitæ ſuſtentationem, ſed tantum ad ſatisfaciendum ſtulto cordis deſiderio pertinet. Deinde differentiam in eo oſtendit, quod fur deprehenſus in aliquo inſigni furto, & re non neceſſaria ad vitam ipſius,poteſt læſę parti ſic ſatisfacere rebus temporalibus, vt ab omni corporis ſupplicio & ignominia ſit liber, reſtituẽdo videlicet ei vel ſeptuplum,vel omnem facultatem domus ſuæ, ſi læſus forte morioſus fuerit,& contentus eſſe nolit reſtitutione dupla,quadrupla & quintupla,quam lex præſcribit. At deprehenſus in adulterio nullius interceſſione nulláq; redemptione ſatisfacere poterit læſo,quin iuſto furore & zelo iuxta legis præſcriptum ſit ſupremum ſupplicium exacturus & illaturus, cum perpetua adulteri ignominia.Nec mirum cum illata iniuria nulla re temporali poſſit cõpenſari.Ex his facilè poteſt intelligi totus iſte locus, Patet itẽ quod cum dicitur de fure, deprehenſus reddet ſeptuplum,non loquatur de reſtitutione quæ à lege præſcripta eſt. Ea enim vt eſt in Exod. ſtatuit, vt ſi quis furatus fuerit ouem Exod.22. aut bouem & vendiderit, reſtituat quinque boues pro vno: & quatuor oues pro vna, duplum vero tantum ſi inuentum fuerit furtum apud furẽ. Dicitur ergo hic quod reddet ſeptuplũ,ad ſignificandũ quod abundè ipſo læſo ſatisfaciet, etiam vltra præſcriptum legis, & ſi neceſſe ſit etiam omnibus ſuis facultatibus traditis. Septuplum enim, vt ſæpè in ſcripturis. pro pleno & abundanti ponitur, ſic dicitur

Eccle. 7. tur Eccl.7.Non ſemines malum in ſulcis iniu
Eccle.20 ſtitiæ,& nõ metes ea in ſeptuplum.Et rurſum Eſt qui multa redimat modico precio, & reſti tuens ea in ſeptuplum,vbi etiam de fure videtur loqui qui multa ſæpè comparat paruo,nã
Eccle.5. Græcę eſt:Eſt qui emit multa paruo. Cõparat idem Sapiens, bilinguem cum fure, ſignificans illum hoc eſſe peiorem.Super furem,inquit,eſt confuſio,& denotatio peſſima ſuper bilinguem.Porrò ſub ſeuera exactione vindictæ à marito implacabiliter & iuſtè inferendæ tacitè etiam ſignificat adulterium, ſeuerè ſaltem à Deo vindicandum forè, ſi fortè conſcientiam mariti vt ſit effugiat, cum Deus morte illud puniẽdũ ſtatuerit,& per adulteriũ grauiter læſa ſit inſtitutio coniugalis fœderis à Deo facta. Non poterat illud aliquibus hoſtiis veteris legis expiari, quæ ad illius expiationem nullę erant præſcriptæ.Morte plectendum erat, aut alio graui ſupplicij genere à Deo vel hic & poſtea in die vindictæ inferendi,vt patuit in adulterio Dauidis: Iuxta myſti-
Myſticus ſenſus. cum ſenſum ſignificatur idololatriæ vel hæreſis crimen multo grauius eſſe quouis alio crimine quod in rerum temporalium abuſu conſiſtit. Quemadmodum enim iſtud quadã ratione furto ſimile eſt, ita illud peculiari ratione adulterio in ſcripturis aſſimilatur. Per illud fides violatur, & Eccleſiæ Chriſti ſponſæ caſtimonia commaculatur & corrumpitur Ideóque & difficilius remittitur, vt quod frequenter eſt peccatum in Spiritum ſanctum Non eſt autem contrarium doctrinæ Salomonis,quod quandoque euenire videmus,vt maritus muneribus aut precibus ſe ſinat placari. Loquitur enim de animo mariti, ſecundũ ea quæ communiter & ex ſua natura conueniunt ei,& ſecundum legem veterem euenire deberent.

CAPVT SEPTIMVM.

Fili mi,cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi.

POST multas ſalutares monitiones & præcepta,inter quę & precipuè & nouiſſimè dehortatus eſt à ſcortationibus ſubiecturus inſigne exemplum illecebroſæ mulieris pro more ſuo rurſum ad cuſtodiam & attentionem ſermonum ſuorũ hortatur.Fili mi,inquit,ſermones meos quos iam ſæpius audiſti, cuſtodi,& præcepta mea reconde tibi,velùt precioſiſſimum ſcilicet theſaurum Hoc enim ſignificat verbum recondere,vt ſcilicet quemadmodum homines huius ſeculi in futurum tempus multum annonæ ſibi recondere ſolent, magnáſque opes in omnem euentum reponere,quas & diligenter ſeruant ne quis eas eripiat, ita & ſapientiæ præcepta pro theſauro habeantur,in ſecreto cordis reponantur ac ſeruentur ſumma cura.Quod ſequitur,Fili honora dominũ & valebis, præter eum vero ne timueris alienum, ſicut propoſito non conuenit, ita non habent Hebræa,Græca tamen habent. ſignificat autem inter omnia ſapientiæ præcepta in primis & ante omnia hoc ſeruandum vt honoremus dominum, timendo ſcilicet eum & ſolicite cauendo ne illum offendamus.Hic ę-
nim eſt præcipuus honor qui ei tanquam domino debetur.Quem qui exhibent valebunt hoc eſt,fortes erunt contra omnia mala & hoſtes,domino ſcilicet eos protegente quem honorant,ita vt nemo illis nocere valeat,Græcè enim eſt ἰσχύουσι,hoc eſt, potens & fortis eris vt ne quis putet ſenſum eſſe valebis animo & corpore,hoc eſt,bona eris valetudine.Et quoniam domino protegente fortis erit qui ipſum honorat, monetur vt præter eum non timeat alienum, vel vt habẽt Græci ἄλλον hoc eſt, alium,ne quis putet tantum diabolum ſignificatum,quem quidam intelligunt ſignificari per alienum, quoniam ipſe omnino alienus eſt à Deo, ne videatur hic prohiberi omnis timor hominum,cum Paulus præcipiat ti- Rom.3.
morem deferre his quibus debetur. Cui (inquit) timorem, timorem prohibetur autem hic tantum, ne præter Deum quemquam alium timeamus tali timore quali illum timemus, ſic ſcilicet vt in illius gratiam faciamus quod voluntati diuinæ contrarium, ſit quaſi malè nobis metuentes niſi illi obtẽperauerimus, & non poſſit nos defendere dominus
Matt.10. quem honoramus. Simile eſt illud Euangelicum: Nolite timere eos qui occidunt corpus ſed potius timere eum qui poteſt & animam & corpus mittere in gehennam. Et illud.Ti- Eſa.8.
morem eorum ne timeatis neque paueatis dominum exercituum, ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter & ipſe terror veſter.Hac ſententia à 70.inſerta reditur ad id quod priori ſententia cœptum eſt.

Serua mandata mea & vives & legem meam vt pupillam oculi tui,liga eam digitis tuis,& ſcribe illa in tabulis cordis tui.

QVOD legem ſeruari præcipit vt pupillam oculi, ſignificat eam non negligi eſſe ſeruandam, ſed tanquam rem chariſſimam & neceſſariam ſumma cum diligentia ſeruandam, quomodo & Propheta orat: Cuſtodi me domine vt pupillam oculi. Ex Pſal.16.
omnibus enim membris corporis nullam tuemur maiori cura (quam & natura ſollicitè muniuit) palpebris, ciliis & ſuperciliis, cui etiamſi quid periculi immineat, in illius defenſionem nullius membri recuſamus iacturam. Ita & pro conſeruanda lege nullum vel rerum temporalium vel corporis diſpendium detractare debemus. Poteſt & ideo lex rectè dici comparari pupillæ oculi, quod ſicut ſupra dictum eſt,lumen vniuerſæ vitæ noſtræ præbeat, ſine qua in tenebris verſantur vniuerſi ſapientes, & apud ſeculum docti. Quod dicit liga ea, nempe mandata, in digi-
tis tuis, Idem eſt cum eo quod Deut.6.dicitur Deut.6.
ligabis ea, quaſi ſignum in manu tua. Quo metaphoricè ſignificatur ea ſemper ob oculos mentis habenda,quemadmodum in oculis corporalibus ea maximè ſunt quæ manibus digitiſque ſunt alligata. Nullum enim membrum corporis habemus nudũ,quod ita ſemper oculis obiicitur atq; manus & digiti. Vnde ad indicãdum hic eſſe metaphoram & ne corporaliter Pharizaico more putaretur præcipi vt digitis alligarentur deſcripta Dei mandata, ſubiicit ſcribe illa non in tabulis

corporalibus

corporalibus, sed in tabulis cordis tui, hoc est, vt prius aliquoties est habitum, firmiter ea cordi imprime, vt in ea semper illa legere & reuoluere possis. Alludit autem siue ad tabulas lapideas in quibus lex Moysi postquã viua voce fuit tradita, descripta fuit pro conseruatione eius, siue ad tabulas communes in quibus olim scribebatur, & quæ dicta fuerant conseruabantur: significans proinde audita menti imprimenda atque in ea retinenda. Et benè dicit tabulas cordis, est enim intellectus humanus, vt inquit philosophus, sta tim ab infantia, tanquam tabula rasa, in qua nihil depictum est. In hac ergo præcipit Dei præcepta describi & imprimi. Potest autẽ subtilius intelligi quod dicit. Liga ea in digitis tuis nempe vt significetur aut quod opere & studiosa actione sint implenda, quodque in omni operatione debeant apparere, aut quod in præsenti memoria & in numerato non minus quam digiti sint habenda, aut quod ea chara & preciosa ducere debeamus, veluti annulos preciosos digitis insertos semperq; ob oculos versantes.

Dic sapientiæ soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit.

HIS verbis magis adhuc & efficacius ad sapientiæ trahit amorem, dum mira verborum dulcedine per prosopopœiam significat fieri posse, vt quis sapientiam habeat sibi sororem, & prudentiam velut amicam & cognatam: vt habent Hebræa, sicque ad has amplexandas inuitans animos iuuenum, quos ex natura iuuat frui fœminarum colloquiis & pulchritudine: quasi dicat: Si quia iuuenis es fœminarum delectaris colloquio & specie omnium pulcherrima est sapientia, omnium maximè affabilis est prudentia, has ergo assume tibi pro charissimis, has fororum loco habe, cum iis colloquere & conseruare, non dedignabuntur se tuo consortio, non aderunt vt dominę, sed vt sorores, eodem tecum patre progenitæ. Id enim si feceris custodiet te sapientia, sua dulcedine, sua prudentia suaque protectione à muliere extranea, & ab aliena quæ quo decipiat verba sua dulcia facit, ita vt ab ea non nisi sapientia comitatus tutus esse possis. Obseruandum autem non dici sac sapientiam sororem tuam, sed dic sapientiæ soror mea es, quasi dicat. In sororem quidem tibi est data, tibi connaturalis, sed tuum est eam pro sorore agnoscere & assumere. Sapiẽ
Sap.8. tiæ 8. Sapientiam delegisse se dicit Sapiens in sponsam hic vero in sororem haberi vult. Nam in spiritualibus eadem est & sponsa & soror, sponsa ad generandum ex ea spirituales generationem, soror vt suo comitatu cõsilia bona suggerat.

De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem qui transit per plateas, iuxta angulum: & propeviam domus illius graditur in obscuro aduesperascente die, in noctis tenebris et caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas garrula, & vaga, quietis impatiens nec valens in domo consistere pedibus suis, nũc foris nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. Apprehẽsumque deosculatur iuuenem & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute deuoui, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre & reperi. Intexui funibus lectulum meum strauitapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrha & aloe & cynamomo. Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus donec illucescat dies, non est enim vir in domo sua, abiit via longissima sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam: & quasi agnus lasciuiens et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, velut si auis festinet ad laqueum et nescit quod de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili mi, audi me, et attende verbis oris mei, ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius, multos enim vulneratos deiecit, et fortissimi quinque interfecti sunt ab ea. Viæ inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.

QVANDOQVIDEM exempla multũ mouere solent, exemplo ostendit quomodo impudicæ mulieres dulcibus verbis sæpè decipiant, & quam difficilè sit sine sapientia earum insidias euitare. Est autem propositum hoc exemplum siue reuera, gestum, siue quod vero similius est docendi gratia confictum. Nam quod dicit, prospexi per cancellos & vidi, non est necesse ad corporis oculos transferre, vt ob id coganur intelligere rem sic vt narratur gestam. Mente enim considerauit quid vtrinque fieri solet, & à mulierum impudentia, & à parum constantibus animis iuuenum, & quod mente vidit quasi corporaliter vidisset docendi gratia commemorat, & veluti in proscenium producit. Graphicè autem in hoc exemplo depingit atque ob oculos ponit, primum occasiones primas perducentes in fornicationis & adulterij periculum, deinde impudicæ mulieris ingenium & mores, quibúsque tum factis tum verbis, & eis mira arte ac fraude dispositis tandem ad scelus pertrahat. Postremum ostendẽs quam imprudenter & cum quanto malo ei assensus prębeatur. Dicit ergo, de fenestra domus meę prospexi, sed per cancellos, ita vt ipse alios videns & obseruans quid in plateis gereretur non viderer tamen ab aliis qui foris erant. Et ecce video paruulos, hoc est, insipientes qui facile decipiuntur & paruuli sunt sensu, & inter eos temere in plateis vagantes considero iuuenẽ quendam vecordem, & insipientem, qui vacuus à laboribus & otiosus transit per plateas, idq; iuxta angulũ, & prope viã domus ipsius impudicę mulieris, quæ domus in angulo plateæ sita fuit, loco scilicet insidiis accommodo. Hoc ergo loco gradiebatur tempore obscuro, aduesperascente iam die in noctis tenebris & caligine. Hac ergo narratione commodè indicat occasiones in periculum adducentes, videlicet otium quod cum aliis vagando sectabatur, locum & tempus, nempe quod ambularet circa domum impudicæ mulieris, idque vespertino & nocturno tempore. His enim modis redditur quis tentationi obnoxius, dum nullis honestis laboribus vacans, sed stultorum rationem sequens, locorum

corum & temporum circunstantias, quæ sunt occasiones peccandi, sectatur. Has itaque occasiones obseruans mulier, non expectauit vt ipsamet inuitaretur, sed vltro occurrit habitu non matronam decenti, sed meretricio, præparata omnibus modis, habitu scili cet vultu, gestu & verbis politis ad decipiendas animas, nec solum habitu, sed per omnia alia etiam meretricem referens garrula scilicet vaga & quietis impatiens non valens in domo consistere pedibus suis, sicut tamen matronam decebat cúmque pudicæ mulieris sit raro in publicum prodire, hæc contra visa est foris, nunc ante ædes, nunc etiam longius in plateas progressa, nunc iuxta angulos platearum ad insidias alicui struendum, atque ad se pelliciendum. Pulchra certè impudicæ mulieris descriptio, ab habitu, à garrulitate, ab instabilitate & vagatione & studio decipiendi. Nunc describit quomodo hæc oblata oportunitate iuuenem sit aggressa, & primum quibus factis, deinde quibus verbis, insinuans quibus gradibus ad crimen perueniatur. Apprehensum, inquit, osculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, hoc est, vltra omnem pudorem fœmineum prior iuuenem amplectitur, osculatur, & impudenti petulantique vultu blanditur in sui amorem pertrahens tribus, amplexu scilicet, osculo, & vultus impudentia ac blanditie. Factis efficacibus adduntur verba efficaciora in quibus mira arte & religionis studium & summum amorem simulat, & ad dulcia gratáque naturæ inuitat, & maximam securitatem promittit. Cum enim dicit victimas pro salute deuoui, hoc est, aliquanto prius deuoueram, hodie reddidi vota mea, significat & religionis studium, & lautum conuiuium se domi habere paratum, ex oblatis victimis pacificis quæ pro salute offerri solent, ex quibus qui obtulit multas secum carnes domum deferebat edendas. Amorem simulat cum dicit, Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, vt te facerem mei gaudij & votorum participem, quasi dicat: nulla leuitate egressa sum, sed tua causa veni, nollens aliquem ad te mittere, sed ipsa egressa vt te inuenirem & reperi. Nec tantum ad epulas amoris & religionis simulatione inuitat, sed & ad libidinem apertè prouocare audet, etiam hic magnum amorem simulans tanquam quæ eius causa & lectum elegantissimè ac mollissimè parauerit, & domum atque cubiculum omnis generis aromatibus asperserit, ipsa etiam elegantia, mollitie & odorum suauitate pertrahens efficaciter ad id, ad quod natura ipsa per se procliuis est, Veni, inquit, inebriemur vberibus, hoc est, amoribus instar vberum dulciter reficientibus, addens & securitatem dicendo, non est enim vir in domo sua, abiit via longissima, neque breui est reuersurus quia sacculum pecuniæ secum tulit, in sumptus videlicet viæ non paruam pecuniam secum ferens, nec reuersurus nisi statuto die, nempe in plenilunio. Hunc enim diem noster expressit cum Hebræa tantum habeant die statuto. A tam efficaci ergo tam procacis mulieris operatione & oratione, non mirum est quod talis iuuenis otiosus, vagabundus & sapientia nequaquam munitus, superatus sit, Proinde sequitur quod est fabulæ huius finis. Irretiuit eum multis sermonibus, hoc est multitudine & blanditie verborum pertraxit eum, vel protraxit eum. Itaque quoniam sapientiam secum comitem non habuit, nec memor fuit præceptorum Dei, quæ olim à parentibus audiuerat, nihil verbis mulieris contradixit, non obiecit timorem Dei, nõ cogitauit de secuturo damno & corporis & animę, sed statim eam secutus est quasi bos aut agnus lasciuiens, & prę petulantia exiliẽs, qui non mouerunt quando ad præsepe, & quando ad macellum ducuntur, sed quando putant se duci ad præsepe, ducuntur ad victimam. Ita enim & ille cum se putat ad conuiuium lautum, & mollitiem lecti atque voluptatem ire, reuera ducitur ad mortem, siue temporalem mœchis secundum legem infligendam, siue æternam à Deo inferendam, & præ stultitia sua qua brutis est comparatus, nescit quod trahatur ad vincula, quæ incidẽt per adulterium. Iniquitates enim suę capiunt impium & funibus peccatorum suorum constringitur, vt suprà dictum est. Quod sequitur, donec transfigat sagitta iecur eius vel est referendum ad id, sequitur eam tanquam bos, vt sit sensus, sequitur eam donec tandem sagitta transfigat iecur eius, hoc est, donec per perpetrationem adulterij mortiferum vulnus accipiat in anima velut sagitta iecori infixa, vel etiam ad illud, nescit quod trahatur ad vincula, vt sit sensus, ignorat ad quid mali trahatur, donec perpetrato scelere sentiat animum conscientiæ remorsu aut timore vltionis promeritæ, siue à marito siue à Deo infligendæ, lãcinari & transuerberari. Subditur & tertia similitudo prioribus consimilis. Sic inquit sequitur quasi bos, aut sic nescit quod ad vincula trahatur, velut si auis festinet ad laqueum, cum se putat volare ad escam quàm quærit, ignorans quod agitur de periculo vitæ illius. Et hactenus exempli propositio & narratio, in quo cum præ oculis posuerit apertè, & quàm efficaces sint mulieris huiusmodi illecebræ, & quam noxiæ rectè concludendo & quorsum hæc dicta sint demonstrando, dicit. Nunc ergo fili mi, audi me & attende verbis oris mei, ne scilicet tale quid aliquando & tibi contingat, ne abstrahatur in viis illius mens tua, vt scilicet mens tua relicta via veritatis inclinetur ad ambulandum in viis quæ ducunt ad domum eius quod fuit huic iuueni principium mali, aut ne mens tua abstrahatur à recto per vias illius hoc est, vias quæ ducunt ad illam, & quibus consortium initur cum illa, & caue ne decipiaris semitis illius. Nam huiusmodi mulieres & multis & fortissimis vulnerum atque malorum multorum, imò & mortis siue temporalis, siue æternæ causæ factæ sunt plerunq;. Domus enim illarum sunt viæ inferi, penetrantes etiam interiora mortis cubicula, hoc est, domus illarum perducunt hominem per impietates quæ ibi committuntur ad mortem, sæpè etiam temporalem, semper verò æternam, imò ad profundam grauẽmque damnationem mortis æternæ. Hactenus ad literam. Salomon

lomon vehementer laborans in principio ſui libri, vt filium adhuc innocẽtem ad amorem caſtitatis pertrahat, haud ignarus quanta mala ex luxu & libidine huic ætati & omni ætati proueniant. Cæterum in hoc eodem exemplo ſecundum ſenſum myſticum quatenus hæc mulier in genere vel carnis gerit figurã, vel hæreſis demonſtratur, quomodo tum caro, tum hæreticorum doctrina ſuis illecebris mentem & rationem, virilem hominis partem, ad mala & errores pellícit, oblectationib. ſcilicet ac benigno aggreſſu velut quibuſdã oculis & amplexibus demulcendo, & ſuaſionis ſuauitate ad conſenſum pertrahendo, amorem prætexendo & religionem, omnémq; voluptatem cũ ſecuritatis promiſſione proponendo. Hæc enim omnia in carne ad peccatum alliciente, & in hæreſi ad errores trahente facilè eſt inuenire, vt qui iuuenili ſunt animo, & necdum ſatis in bono aut in credendis confirmati facilè capiantur, niſi occaſiones vitent, & aures eis claudant, ac congreſſus fugiant, alioqui per illas deducendi ad inferni damnationem. Quadrant tum in carnem tum maximè in hæreticorum doctrinam & mores quæ de moribus huius mulieris dicuntur, nempe quod meretricio incedat habitu præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens ſemper & vbique inſidians, quæ adeo aperta ſunt vt oſtendere non ſit neceſſarium.

Miſticus ſenſus.

CAPVT OCTAVVM.

NVnquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus ſuper viam, In mediis ſemitis, ſtans iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur dicens.

QVONIAM iam introduxerat Salomon mulierem procacem inuitantem ad ſe iuuenes ſermone blando, & petulanti, è regione eius conuenienter iam introducit ſapientiam velut alteram mulierem inuitantem homines ad ſe ſermone qui merito efficacior eſſe deberet, cum ex perſonæ inuitantis probitate, integritate, & excellentia, tum ex fructu quem adfert ſequentibus ſe. Oſtenditque hac ratione neminem cauſari poſſe ſe ideo petulantem illam mulierem ſecutum, quod ſapientiam ſe inuitantem nunquam audiſſet. Nunquid non inquit, etiam ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? hoc eſt an quiſquam hoc negare poterit? an non hoc tam eſt manifeſtum vt inficiari nemo valeat? non enim in angulo aliquo orbis terrę loquitur, nec tenebras quærit & latibula, quemadmodum ſuperior illa mulier, ſed in ſummis excelſiſque verticibus, &c. Tria loca deſignare videtur, primum ſummos montium vertices, ſed qui ſunt iuxta viam per quam tranſeunt homines, quo ſignificatur eam ex alto inclamare ad tranſeuntes per viam. Secundo eam dicit ſtare in mediis ſemitis, pro quo 70. habent ἀνὰ μέσον τριβῶν, id eſt in medio ſemitarum, diuerſarum ſcilicet concurrentium vbi ex diuerſis viis homines conueniunt. Tertio iuxta portas ciuitatis, in ipſis ſcilicet foribus portarum & ciuitatis, nam & hic ingredientium & egredientium eſt multitudo, vbi & iudicia ob id exerceri ſolitum fuit. Itaque ſignificatur ſapientiam non latere, nec eius vocem incognitam eſſe, ſed veluti ex alto & in locis frequentioribus cum in agris, tum in vrbibus, declamare, omnibus meritò cognitam eſſe debere, omnes eius vocem audire, neminem eſſe qui excuſare ſe poſſit quaſi non audierit. Sunt autem qui omnia quæ hic ſapientiæ tribuuntur, de Chriſto intelligenda, exiſtiment etiam ſecundum ſenſum hiſtoricum & literalem. Sed quo omnia quæ his capitibus dicuntur, de ſapientia conformiter intelligantur, rectius intelligimus ſapientem hic loqui de ſapientia Dei increata quæ toti competit trinitati, & variis modis homines ad ſe inuitat vt dictum eſt in cap. 1. vbi ſimilis eſt locus. Aut potius de ſapientia in genere, vt & Deo competit, & per Dei donum hominibus vt dictum eſt in cap. 3. Per proſopopœiam enim de ſapientia ſic in genere comprehenſa loquitur, & tribuens nunc ea quæ in hominibus operatur, nunc ea quæ cum Deo & ipſa diuinitate operatur, quaſi perſona aliqua eſſet & res à Deo & hominibus diſtincta, cum ſit in Deo ipſa eius eſſentia, & in hominibus accidens ex diuina ſapientia profluens & communicatum, & proinde vna & eadem in Deo & hominibus, ſed per analogiam. Sapientiæ ergo ſic conſideratæ & per intellectum apprehenſæ docendi & excitandi gratia ſequentem tribuit orationem, quod dum facit, non mentitur fingendo, nec fallit, quod non eſt pro eo quod eſt aſſerendo, Deus enim in quo eſt hæc ſapientia, item & homines qui eam participant, partim reipſa & factis, partim verbis, ſapientiæ nomine hęc vbique inclamant, de ſapientia hæc quę ſequuntur prædicando & ad eam amplexandum inuitando.

O virì ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite parvuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum & aperientur labia mea, vt recta prædicent, veritatem meditabitur guttur meũ & labia mea deteſtabuntur impium. Iuſti ſunt omnes ſermones mei: non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum, recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. Accipite diſciplinam meam & non pecuniam, doctrinam, magis quàm aurum eligite. Melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari.

ORATIO hæc ſapientiæ elegans & efficax duas præcipuas complectitur partes, Primùm enim excitat & ad auſcultandum inuitat, idque duplici potiſſimum ratione, videlicet & per inſigne doctrinæ ſuæ encomium, & per inſignem ſuæ doctrinę commendationẽ. Secundo hac narratiõne prolixa completa, ſuadet ſibi obediendum, promittens obedientibus ſibi vitam & beatitudinem, non obedientibus exitium & mortem interminans. Ad auſcultandum ergo excitatura, primum nominat perſonas quibus loquitur, viri (inquit) ad vos clamito, quod aliis verbis repetit & vox mea ad filios hominum:

Idem enim intelligit per viros & filios hominum, ſignificãs vniuerſum genus humanum, ita vt & mulieres comprehendantur, mos enim ſcripturæ eſt præſertim in hoc libro & in pſalmis, idem diuerſis verbis repetere. Sequenti verſu ſpeciatim paruulos & inſipientes appellat, ſiue quod ad eos peculiariter hic ſermo dirigatur qui ſapientia ſunt deſtituti vt ſapere incipiant, ſiue quod omnes homines ex ſe ſint paruuli & inſipientes. Paruulos autem & inſipientes eoſdem dicit. nam vt iam aliquoties dictum eſt, paruuli hic ſemper dicuntur qui paruuli ſunt ſenſu qui & inſipientes dicuntur: niſi quod dictio inſipientes vel ſtulti, aliquid plus mali ſignificat, paruuli enim dicuntur ob ignorantiam, ſtulti verò quod rebus ſapientiæ contrariis ſunt dediti. Perſonis ad quos ſermo dirigitur compellatis dicendorum à ſe encomium proſequitur commendãs ea à magnitudine, à veritate & æquitate eaque perfecta. Audite inquit, me quoniam non de rebus leuibus ac parui momenti ſum locutura, ſed de rebus magnis, inſignibus & nobilibus, vt habent Hebræa. Et ne putemus eam locuturam de mirabilibus naturæ & operibus quibuſdam quæ ſtuporẽ quendam adferant & admirationem, ſed nullã in vita vtilitatem aut de perplexis quibuſdam quæſtionibus, oſtendit quæ ſint hæc magna. Aperientur inquit, labia mea vt recta prędicent, hoc eſt, ea quæ pertinent ad rectitudinem veritatis & vitæ. Veritatem tum fidei, tum vitæ, meditabitur hoc eſt cum meditatione loquetur guttur meum & labia mea deteſtabuntur id quod impiũ eſt, hoc eſt, impietatem. Nam iuxta Hebræa, dictio, impium ſubſtantiuè accipi debet pro impietate. Et quoniam etiam in prophanis literis philoſophorum & hæreticorum quædam veritas inuenitur. & deteſtatio impietatis, rectè ſubiungitur, Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauũ quid neq; peruerſum. Eloquia enim domini eloquia caſta, vt in Pſal. 11. & 17 Id autem dici non poteſt de philoſophorum & hæreticorum ſermonibus, in quibus multa falſa & praua ſunt admixta veris & bonis. Quoniam autem ſapientiæ ſermones non omnibus tales videntur, ideo ſubiicit, recti ſunt intelligentibus, & æqui his qui quærendo inueniunt tandem ſcientiam, ſignificans non ſermonum vitio fieri vt in eis multa quibuſdam non placeant, ſed vitio intellectus malo iudicio præoccupati & eos non intelligentis nec ſtudẽtis intelligere, vt qui non ex animo quęrat inuenire ſcientiam. Sic & Dauid dicit, vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Hac ergo commendatione præmiſſa rectè ſubinfert, accipite diſciplinam, hoc eſt, eruditionem & correptionem meam (vtrunque enim dictio Hebræa ſignificat.) & non pecuniam. Quod quomodo ſit intelligendum, indicat ſequens pars, doctrinam magis quam aurum eligite. Non ergo omniño prohibet pecuniam accipere aut quærere, ſed ſapientiam indicat pecunię præferendam eſſe, vt ſit ſenſus, accipite diſciplinam meam, magis quam pecuniam, quemadmodum & in Ozea dicitur, miſericordiam volui & non ſacrificium, quod ſequens pars explanat, & ſcientiam Dei plus quam holocauſta. Cum enim maior pars hominum ante omnia diuitiis colligendis det operam, ita vt dicant, quærenda pecunia primum eſt, virtus poſt nummos, monet è contrario ſapientia vt præ diuitiis doctrina ipſius erigatur, rationẽmque ſubiicit quę & ſupra poſita eſt cap. 3. melior eſt enim ſapientia cunctis pretioſiſſimis.

Pſal. 24.

Ozeæ. 6.

Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor domini odit malum, arrogantiam & ſuperbiam & viam prauam & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo, per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant & potentes decernunt iuſtitiam.

POST commendationem doctrinę ſubiicit prolixam ſui commendationem, primum quidem inſinuando quid in hominibus efficiat, & deinde quomodo cum Deo fuerit & operata ſit. Primum ergo de ſe dicit ego ſapientia habito in conſilio, hoc eſt, vbi ſana rectáque conſilia ineuntur & quæruntur, ibi ego ſum preſens ſemper, inde ego nõ decedo vnquam, ſed huiuſmodi conſilia excito, promoueo & adiuuo, quæ bona ſunt & ſalutaria ſuggerendo: & cogitationibus eruditis, quibus prudenter aliquid gerendum cogitatur, interſum, ſic vt ſuggeram quid maximè faciendum ſit. Quo ſignificat ſe non intereſſe cogitationibus ineruditis, ſtultis & impiis, iuxta illud Sapien. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur á ſuperueniente iniquitate. Quod & ſequens ſententia hic ſignificat. Timor domini: qui eſt principium ſapientię, imo ipſa ſapientia, odit omne malum, & ideo arrogantiam, & ſuperbiam & viam prauam, & os bilingue ego deteſtor, tantum abeſt vt huiuſmodi cogitationibus ac factis interſum. Primum ponit arrogantiam & ſuperbiam, quia hæc eſt initium omnis peccati, & conſiſtit, maxime in cogitationibus. Deinde addit viam prauam, quæ conſiſtit in actionibus. Tertiò quod in verbis conſiſtit os bilingue, hoc eſt, quod aliud loquitur quam cor cogitet, & quod apud diuerſos diuerſa loquitur. Subiicit quo declaret ſe habitare in conſilio: Meum inquit, eſt conſilium, hoc eſt, à me procedit omne conſilium, ſed illud cui æquitas coniuncta eſt, à me eſt omnis prudentia & intelligentia recta, ſed & fortitudo mea eſt, quia & per me peruenitur ad principatus atque ſublimes honores & per conſilia mea fortiter & ſtrenuè multa geruntur. Per me enim reges regnãt, quia & per me ad regnum legitimè peruenium, & per me illud rectè gubernant. Per me legum conditores iuſtas leges populis præſcribunt, per me princeps imperant, & potenter decernunt inſtitiam, tum in legibus condendis, tum in ſententiis ferendis. Hæc enim omnia ſine ſapientia rectè fieri non poſſunt, quę in impetrandã plus habet momenti quam vires & diuitiæ. Melior

Sapi. 1.

Sapi. 6.

lior est enim sapientia quam vires, & vir prudens quam fortis.

Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me: Mecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide precioso & genimina mea argento electo. In viis iustitiæ ambulabo in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

OSTENDIT in superioribus sapientia se multa præstare hominibus & priuatim singulis, & publicè rebus publicis ac regnis. Itaque quoniam quærere quis posset, quibus modis hæc tam omnibus necessaria & vtilis sapientia comparari possit, & metuere, ne quam est vtilis, tam difficulter possit obtineri ostendit his subiectis verbis, se vt est summè necessaria, ita omnibus obuiam esse & facilè parabilem, non regiis opibus comparari, aut viribus belli, sed solo amore quo nihil est homini conuenientius. Ego, inquit, diligentes me, diligo, quod non sic est accipiẽdum quasi nostra dilectio sapientiam omnino præcedat & promereatur. (nam vt sapientiam quis diligat, ipsa efficit in nobis sapiẽtia) sed quod amatores suos, hoc est, studium & affectionẽ bonam erga se ostendentes, magis magisque diligat, hoc est, magis magisque se eis impertiatur, eisque adsit dirigendo & tuendo eos. Vnde & subditur. Et qui mane vigilauerint ad me, & vt habent Hebræa, quæsierint me, significans ante omnia cum quis surgit ipsam quærendam, iuxta illud: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius. Quod facientibus, sicut dominus promittit omnia temporalia, quæ imprimis gentes quærunt, addenda, dicens, & hæc omnia adiicientur vobis: ita & sapientia hic satis idem significat, cum subdit: Mecum sunt diuitię & gloria, &c. quasi dicat, qui me inuenerit, etiam ea quæ alij maximè quærunt, mecum consequetur. Mecum enim sunt & diuitiæ & gloria. Hæc enim etiã temporaliter sæpè per sapientiam obtinentur, & semper spirituales diuitiæ quæ veræ sunt diuitiæ, & gloria vera coram Deo, sapiẽtiam sequũtur. Bene autem dicit, opes superbæ, hoc est, excelsæ & eminentes & iustitia. Nam & diuites huius mundi sapientia carentes habent etiam opes magnas, sed quæ sunt mammona iniquitatis, vt quas frequenter vel acquirunt vel conseruant iniustè. At sapientiæ amatores opes habent cum iustitia. Habent autem quidam codices, opes supernæ, & iustitia, quos spiritualibus diuitiis magis conuenit, quæ sunt maximè iustitia. Sed Lira & Beda legunt superbæ, monétque superbiam hic non accipi in malum, sed vt sæpè etiam in prophanis literis pro excelsis & eminentibus, quomodo & Esa. 60. dicitur: Ponam te in superbiam seculorum: Et magis cõuenit Hebraicæ dictioni superbæ quam supernæ, quamuis neutrum propriè significet, & opes multas & antiquas, hoc est, durabiles & firmas. Cæterum ne quis opes terrenas putaret in sapientiæ adeptione potissimum esse spectandas, aut de iis potissimum, quod dixit de opibus, esse intelligendum, rectè subiicit: Melior est fructus meus auro & lapide pretioso. Est enim præciptius sapientiæ fructus iustitia: quæ tandem perducit ad regnum, & gloriam opésque cœlestes. Et quoniam ad opes ferè peruenium homines auari per media iniusta, in eo quod sequitur, docet sapientia se non huiusmodi via promissas diuitias suis amatoribus comparaturam, sed per iustitiam & æquitatem, vt, inquit, ditem diligentes me. Ambulabo (& vt habent quidam libri) ambulo (Hebræa enim futurum habent, Græca præsens, sed ad sensum parum refert) in viis iustitiæ, & in medio semitarum iudicij, hoc est, non propterea à iustitia deflectam, nec cuiquam quod suum est eripiam, sed iustè id faciam, in iustitia id agam, non declinans neque fauore ad dexteram, neque odio ad sinistram. Ideo enim dixit, in medio semitarum iudicij, significans se seruaturam medium, quod habent semitæ iudici, nec ad alteram partem declinaturam. Potest & aliter intelligi quod dicitur, in viis iustitiæ ambulabo, &c. vt se dicat ambulaturam, quia ambulare in eis faciet, quemadmodum exponit Liranus, nam & verbum Hebraicum אגלך cum sit coniugationis Pihel significat etiam facere ambulare. Itaque sensus erit, faciam & facio meos ambulare in viis iustitiæ, vt p̃ merito iustitiæ ipsorum, ditare eos possim & replere eorum thesauros. Id quamquam etiam de temporalibus diuitiis debeat intelligi maximè iuxta promissiones veteris legis, tamen principaliter adimpletur in diuitiis spiritualibus, quæ hic ex parte, postea verò plenè propter iustitiam conferuntur sapientiæ studiosis. Quibus significandis multum conuenit quod habent Hebræa, vt hæreditare faciam diligentes me id quod est Nam quamquam per id quod est rectè intellexerimus cum nostro interprete significari opes ingenere, sicut & 70. verterunt ὑπαρξιν, id est substantiam speciatim tamen significatur id quod verè & solum est per se, ipsáque essentia, Dei scilicet, quæ sola diuites facit, in cuius fruitione sola est fœlicitas, & omnium rerum copia sine fastidio.

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Necdum montes graui mole constiterant, ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ.

POSTQVAM se commendauit sapientia ab his quę operatur in hominibus, & eis præstat, deinceps prolixa narratione se commendat, ab his quę eam planè diuinam esse ostendunt, súęque cum Deo est operata Meminisse autem oportet quod supra dictum est, sapiẽtiam in genere per intellectum comprehensam hic introduci loquẽtem, quomodo poetę quandoq; iustitiam aut illã quamuis virtutem loquentem faciunt docendi gratia, quomodo & Eccles. 24. Sapientia inducitur loquens, seque prolixè commendans oratione multum simili huic loco, ita vt sapiens ille hunc locum omnino imitatus videatur

deatur, qui & alibi de eadem in genere loqui tur tanquam persona aliqua esset & mulier
Eccl. 15. cum dicit: Qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit ei quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet eum. Itaq; quoniam antiquitas res commendare solet, & dignitatem auget, res præterea cum laude olim gestæ commendãt eum qui preclarè egit, opera denique affabrè facta celebritatem conferunt opificij, seipsam nunc laudat sapientia, & ab æternitate sua, & ab operibus admirandis quæ cum Deo perfecit ,ppter homines. Quod ergo ad prius attinet dicit dominus possedit me ab initio viarũ sua rum bene vertit interpres reddendo possedit potius quam acquisiuit, vt quidam, vertunt, cum vtrumque significet verbum Hebraicũ קנה Cana, non enim propriè dominus sapientiam acquisiuit quam semper habuit ab æterno, sed possediſſe eam melius dicitur, quia eam apud se habuit cum inciperet mundum creare, hoc enim est, quod dicit, in initio viarũ suarũ hoc est operationũ suarũ quibus mũdũ fabricatus est. Septuaginta tamẽ verterũt κύριος ἐκτισέμε hoc est, dominus creauit vel formauit me, quomodo habet & Chaldæus para
D. Hier. phrastes, circa quã versionẽ 70. sic scribit D. Hiero. in epist ad Cyprianũ To. 3. Nullũ autẽ debet verbũ creationis mouere, cũ in Hebræo nõ sit creatio, quæ dicitur ברא Bara, sed possessio, ita enim scriptũ est, קנני ראשית דרכו יהוה Adonai, Canani, Rescith, Darco, quod in lingua nostra exponitur, Dominus possedit me initio viarũ suarũ. Inter possessionẽ autem & creationem multa diuersitas est. Possessio significat quod semper filius in patre, & pater in filio fuerit. Creatio autẽ eius qui prius non erat, conditionis exordium. Hæc ille. Cum ergo hic dicitur secundũ Septuaginta sapiẽtia creata, intelligendum est quomodo & illud
Eccl. 24. Eccles. Ab initio & ante secula creata sum. Et Eccle. Prior omnium creata est sapientia. Et rursum eodem cap. Ipse creauit eam in spiritu sancto, & quod postea hic dicitur, concepta eram & parturiebar, pro quo alij vertunt formata eram & genita. Mos enim scripturæ est cum vocibus humanis, & quæ ab homini bus intelligi possint, res sublimes & cœlestes omnemque humanum intellectum exceden tes, explicare conatur, frequẽter etiam rebus diuinis tribuere voces quasdam imperfectionem continentes, quãtum abstrahere oportet, & id tantum intelligere, quod rei propositæ conuenit. Itaque cum creata dicitur sapiẽtia & formata, id tãtum intelligendum, quod fuerit & substiterit, non quod propriè, creata sit, vel formata, quasi aliquando non fuerit. Alioqui aliquando fuisset Deus sine sapiẽtia & sine sapientia sapientiam creasset. Et cum dicat, Dominus possedit me & creauit me antequam quicquam faceret, manifestè significatur ipsam nunquam propriè creatam, sed ab æterno fuisse. Si enim antequam quicquã faceret Deus, fuit sapientia, non est ergo facta sapientia. Ipsa ergo verba & hoc loco & apud Eccles. manifestè conuinçunt impropriè dici sapientiam creatam vel formatam: Nam & Eccles. 24 dicitur primogenita ante omnem creaturam ipsa sapientia. Sensus ergo huius

loci, siue possedit legas, siue creauit, est, Dominus habuit me in initio suarum operationum, imo antequam quicquam faceret. Pro in initio Hebræa etiam verti possunt initium, quomodo & Septuaginta verterunt: vt sit sensus, habuit me tanquam initium operationum suarum, per quod scilicet, & cum quo omnia fecit, Sed prior sensus sequentibus magis conueniet. Sequitur enim ab æterno ordinata sum, &c. Pro ordinata sum, plerique verunt principatum habui & dominata sum: quia hoc loco ponitur verbum quod in Psal. Ego constitutus sum rex ab eo, &c. Sed Psal. 2. Septuaginta verterunt ἐθεμελίωσέμε, hoc est, fundauit me. Et Chaldæus habet ante mundum sum composita, Itaque sensus est, ab æterno sum constituta: hoc est, fui apud Deum & in Deo, Nihil enim hic aliud multis verbis significatur, quam sapientiam fuisse ante omnia creatam. Ex eo autem quod sapientia ante omnia fuit, sicut sequitur æternam fuisse, ita sequitur ipsam fuisse Deum ipsum. Si enim fuit, & apud Deum fuit, cum extra Deum nihil fuerit ante omnem creaturam, & in Deo nullum sit accidens quod non sit ipse Deus, Sequitur sapientiam de qua loquitur fuisse ipsum Deum, Verum non sic de ea loquitur Sapiens, sed quasi per se apud Deum subsistens & cum eo operata, quemadmodum & accidentia Deo tribuimus, sapientiam, iustitiam, & cætera id genus. Sic dei sapiẽtia in genere tanquam cum Deo operante & cum hominibus, loquitur Sapien. 8.
Sapiens in libro Sapien. Tecum, inquit, sapientia quæ nouit opera tua, quæ & adfuit tunc cum orbem terrarum faceres. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, vt mecũ sit & mecũ laboret. &c. Hęc sapiẽtia quatenus est in Deo & apud Deũ, est ipse Deus, quatenus est in hominibus & cũ hominibus est participatio quędã diuitiæ sapientiæ, sed tanquã vna, eadémq; sapiẽtia cõsideratur & cõprehenditur, atque dicit, hic loqui introducitur. Nec tantũ de se quod possessa sit & ordinata à Deo ante omnes creaturas, sed etiam concepta eram & parturiebar, pro quibus duobus verbis Hebræis vtrobique idem est verbum quod & verti potest formata vel genita, quomodo sivertatur, iam sensus patet ex præcedentibus, nempe quod formata aut genita dicitur, quomodo creata. Cæterum noster interpres vertendo concepta eram & parturiebar, plus quid significare voluisse videtur, nempe quod Deus sapientiam apud se existentem ante omnes creaturas, disposuerit ab ęterno in lucem edere & proferre, per opera videlicet à se mirabiliter efficienda. Tunc enim sapientia in mente diuina latens & quasi cõcepta, veluti genita est, cum per opera in sapientia facta, est manifestata. Vnde de se dicit Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodiui, cum scilicet verbo Dei omnia facta sunt quæ Dei declarant sapientiam. Hinc & dicitur Ecclesiastici. i. ipse creauit illã in Spiritu sancto, & vidit & dinumerauerit & mẽsus est: & effudit illã super omnia opera sua. Cum autẽ satis fuisset, dixisse in genere antequã quicq̃ faceret, ego fui: Varias tamẽ mũdi partes enumerat: incipiẽdo ab infimis elemẽtis, et sensim

ſuperiora & cœleſtia corpora aſcẽdẽs, quod non ſolum elegantiæ & explicationis gratia facit, ſed etiã vt principaliores mundi partes diligentius obſeruemus, & licet earũ perpetuitatem & ſtabilitatem videamus, ob quàm philoſophi mundũ iudicauerunt fuiſſe æternum, credamus tamen eas aliquando cœpiſſe eſſe nec temerè ſic eas eſſe conſtitutas, ſed quemadmodum earum ordo, ſtabilitas & magnitudo ſatis teſtantur, per ſapiẽtiam omnia præcedentem. Enumerat ergo quæ infima ſunt elementa, terrã, abyſſos, hoc eſt, profunditatem & immenſitatem aquarũ maris, fontes, montes, colles, flumina & cardines orbis terræ. Ita enim vertit noſter interpres quod in Hebræo obſcurè ſic habetur, & plateas, & principium (vel caput) puluerum terræ. Cardines orbis terræ legimus, & in cantico Annæ, Domini ſunt cardines orbis terræ & poſuit ſuper eos orbẽ. Et intelliguntur cõmuniter cardinales, hoc eſt, principales orbis terræ partes Oriens ſcilicet Occidens, Auſter, & Septentrio, quibus quaſi columnis ſuſtinetur & conſiſtit mundus. Quamquã quidam intelligant polos mundi circa quos cœlũ vertitur.

Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarũ, Quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamenta terræ, Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies: ludens coram eo omni tempore: & ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.

AD ſuperiores mundi partes iam aſcendit, & rurſum ab eis ad inferiora deſcẽdit, cumque prius ſe dixerit fuiſſe ante eas quas commemorauit mundi partes, nunc ſe dicit in his quæ narrat conſtituendis adfuiſſe & cooperatam, vt intelligamus eius non tantum æternitatem, ſed & efficaciam. Quando inquit præparabat vel cõſtituebat cœlos aderam ſimul ſcilicet cooperans, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, vbi per abyſſos quidam rurſus vt ſuperius cum dicitur nondum erant abyſſi, intelligunt profunditates aquarũ & ipſa maria, quæ ita concluſit in certum locum & quaſi vallo cohibuit, vt egredi non poſſint. Verum cum id poſtea dicatur & iam ad ſuperiora aſcendat, per abyſſos potius hic intelligenda eſt vaſtitas illa & immenſitas illa ſpatij profundiſſimi, quod eſt inter cœlũ & terram, de quo dicitur Gen. 1. & tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi. Hanc abyſſum gyro, hoc eſt, circulo corporum cœleſtium, certáq; lege quę mutari non poteſt circunuallauit, & quaſi vallo cõcluſit, Hebræa enim habent cũ ſtatueret & deſcriberet circulũ ſuper faciem abyſſi. Magnificè autem & expreſſè pergit opera Dei commemorare, vt ea commemoratione ob oculos clarius propoſita, magis ſeſe commendaret, & melius intelligeretur talia opera ſine ſapientia non potuiſſe fieri, aut ſic conſtitui. Sequitur ergo, quando æthera firmabat ſurſum. Vbi per æthera intelligẽdum elementum ignis aut etiam ſuperior aeris regio, hæc enim ſurſum firmiter ſunt conſtituta, hoc eſt firma & ſtabili diſpoſitione. Hebræa dictio magis magnificat nubes vnde 70. verterũt τὰ ἄνω νέφη hoc eſt ſupernas nebulas. Quare quod ſequitur & librabat fontes aquarum. Non de fontibus qui in terra ſunt accipiendũ eſt, ſed magis de fontibus cœleſtibus, qui ſcilicet de nubibus aquas profundunt in terras. Quod ergo dicitur, librabat fontes aquarum, ſignificat Deũ quaſi in libra ſuſpendiſſe ſurſum fontes aquarũ, hoc eſt, nubes ipſas, ita vt eas diuiſerit ab aquis quæ in terris ſunt, & in põdere atq; menſura eas diffundat ſuper terram. Vnde Iob. 26. dicitur, quiligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum. Harum ergo cœleſtium aquarũ occaſione redit ad inferiores aquas. Quando, inquit, circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne trãſirent fines ſuos, dicens videlicet vt eſt apud Iob. Vſq; huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Et in Pſal. Terminum poſuiſti quẽ non tranſgredientur, neq; conuertẽtur operire terrã. Et ſubiicit, Quãdo appẽdebat fundamẽta terræ, Pro quo Hebræa clarius habent. Quãdo ſtatuit fundamẽta terræ. Sunt autẽ fundamenta terræ, ipſa terræ ſtabilitas, in qua veluti in fundamẽto quodã conſtituta eſt firmiter, Deo eã ſuſtinẽte ſua omnipotẽte manu, iuxta illud Pſal. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam. Appẽdere ergo vertit interpres, quemadmodũ & in Eſa. Quis appẽdit tribus digitis molem terræ. Et in Iob: Qui appendit terrã ſuper nihilum, ſignificare volens Deum ipſam terrã ſua manu cõtinere & quaſi põderare. Et hactenus quidẽ ſemper pendet ſnia, ita vt ſemper repeti debeat verbũ prius poſitũ, aderam. Nã quod ſequitur, Cum eo eram cuncta componens, apud Hebræos ſeparatum eſt à ſuperioribus, & coniungitur cum ſequentibus. Notandum autẽ pleroſque ex Hebræo vertere, erã iuxta cum alumnus & veluti nutritius, quo rectè intelligitur ſignificari ſapientiam adfuiſſe Deo velut alumnum non Dei, ſed creaturarum quę per ſapientiam gubernantur. Eſt enim hic Hebræis אמון dictio Amon, quæ etiam, alumnum ſignificat, vt Eſa. 49. Erunt reges nutritij tui. Quidã vertit fidelis quia amon fidelitatẽ ſignificat. Noſter ſeptuaginta ſecutus vertit, componens: quia eadem dictio artificẽ nonnunquã ſignificat, vt Cant. 6. vbi nos legimus, quę fabricata ſunt manu artificis. Habent enim 70. ἁρμόζουσα ἐγὼ ἦμην adaptans ego eram. Quod ſequitur, & delectabar per ſingulos dies ludens cũ eo omni tempore, hoc ſignificat quòd à ſapientia in operibus à Deo creatis voluptatẽ conceperit, iuxta illud: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et in Pſal. Lætabitur dominus in operibus ſuis. Quibus ſignificatur Deũ & ſapientiam eius non tantũ creaſſe vniuerſa, ſed eadem diligere, & in illis complacentiam habuiſſe ſemper, eadémq; gubernare & cõſeruare, quemadmodum artifex cõplacet ſibi & gaudet in opere ſuo, atque ob id illud tuetur, cuſtodítque. Diligis enim, dicitur in Sapien. omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti. Ludere ergo hic poſitũ eſt pro gaudere, quemadmodum & Beda annotauit. Cum autem ſapientia ſe dicat in omnibus creatis gaudere, ſpeciatim tamen ſe gaudere dicit in

Iob. 26.

Iob. 38.

Pſal. 103.

Ibidem.

Eſa. 40.

Iob. 26.

Gen. 1.

Pſal. 103.

Sap. 11.

hominibus

hominibus: Delitiæ meæ, inquit, eſſe cũ filiis hominũ, vel vt habẽt Hebræa, ſine infinitiuo eſſe. Deliciæ meæ cum filiis hominũ. Quo ſignificat ſe in ſingularem habere complacentiam vt propter quos omnia alia ſint creata, quique Dei gerũ imaginẽ. Irẽ quod ſe eis cupiat inſinuare ſéque in illos trãsfundere & cõmunicare. Vnde apud Eccleſ. dicit ſapientia ſe in omnibus populis quæſiſſe ſibi requiẽ, iuſſam autẽ à domino vt in Iacob habitaret & in electis Dei mitteret radices, & in Iſrael ſuam acciperet hæreditatẽ. His autẽ vltimis verbis validè mouere ſtudet ſapiẽtia homines ad ſe capeſcendũ, vt cui volupe ſit ſe tãtã ac talem hominibus impertiri ac illis ſua bona cõmunicare. Et hactenus quidem totã orationẽ ſic expoſuimus, vt ſapientiæ cõſideratæ in genere tribuatur abſque applicatione ad certã in diuinitate perſonam, quẽadmodũ pleriq; imò omnes veteres hũc locũ explanãt Chriſto eũ tribuentes, nõ quod hũc intellectũ reiiciendũ aut excludendũ putemus, ſed quod iuxta modũ loquẽdi ſcripturæ illũ putemus eſſe hiſtoricũ & literalẽ, ſub quo ſenſu nobis cũ Iudæis cõmuni non dubitamus altius quid à Spiritu ſancto ſignificatum his verbis, quod præter Chriſtianos (quibus Chriſtus aperuit ſenſum vt intelligerẽt ſcripturas nulli intelligere poſſint. Sicut enim cũ dicitur in Pſalmis: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, ſecundum ſimplicem & literalẽ ſenſum nobis cum Iudæis cõmunem ſignificatur, cœlos Dei iuſſu & voluntate ſubſiſtere & creatos eſſe, ſed quia ex Euãgelio didicimus filiũ Dei eſſe verbũ per quod omnia facta ſunt, ideo ſenſu altiore eis Pſalmi verbis intelligimus Chriſtiani ſignificari per filium ſuum cũ Spiritu ſancto qui ab ipſo procedit. patrem creaſſe omnia ita ſimiliter quæ hic de ſapiẽtia dicuntur in genere, ſoli nos Chriſtiani, ſub ſenſu hiſtorico nobis cum Iudæis communi, intelligimus ad Chriſtum altiori ſenſu, perfectius, verius, & excellentius pertinere, Quia de eo dixit Paulus quod Dei ſit virtus & ſapiẽtia, nec tãtum Dei ſapiẽtia, ſed & noſtra Qui factus eſt nobis, inquit, ſapiẽtia & iuſtitia. Ad hunc modum nobis hunc locum tractãtibus, præterquã quod & ſolidior & iucundior erit ſenſus noſter myſticus, etiam certius licebit Arrianorum argumenta refellere; qui ex hoc loco & ſimilibus apud Eccleſia. oſtendere nitebantur, filium Dei aliquãdo cœpiſſe & creaturã eſſe, quia dicitur: Dominus poſſedit & creauit me, ab initio & ante ſecula creata ſum, & prior omnium creata eſt ſapientia. Intelligunt quidẽ plerique illud Dominus creauit me, vt annotat hoc loco Beda, dictum de incarnatione domini, non de eius externa generatione, & ideo non eſſe dictum pater creauit me, ſed dominus. Sic enim accipit hunc loco cum D. Aug. li. 1. de Trin. c. 12. Secũdum formã inquit, Dei dictum eſt ante omnes colles genuit me, hoc eſt, ante omnes altitudines creaturarum, ſecundum formam autem ſerui dictum eſt, Dominus creauit me in principio viarum ſuarum, quia ſecundum formam Dei dixit, Ego ſum veritas, ſecundum formam ſerui, ego ſum via. Quia enim ipſe eſt primogenitus à mortuis, iter fecit Eccleſiæ ſuæ ad regnum, ad vitam æternam cui caput eſt, ad immortalitatẽ, etiã corporis, & ideo creatus eſt in principio viarum Dei in opera eius. Similẽ ſenſum prolixè proſequitur D. Hilarius lib. 12. de Trinit. à quo & Aug. ſua mutuatus videtur, legítq; Hilarius: Initium, vel initiũ viarum Dei. Hilarius. D. Ambro. lib. 1. cõtra Arrianos c. 2. aliter hunc locum tractat, vt ſapientia Dei quæ Chriſtus eſt dicatur creata in opera Dei, & ad opera Dei perficiẽda adhibita ſit, & quę latebat producta ſit. Verum hi ſenſus non conueniunt ſimilibus illis locis Eccleſ. Ab initio & ante ſecula creata ſum, & prior omnium creata eſt ſapientia, & quod hic dicitur, ante colles concepta eram & parturiebar, quæ de incarnatione facta poſt longa tẽpora intelligi non poſſunt, vnde illis locis multum gloriabantur Arriani, ſed quam ſubtiliter, patet ex ſuperiori expoſitione. Cum enim hæc non primo de Chriſto ſint dicta, ſed de ſapiẽtia in genere, nec ex his locis ſecundum primum ſenſum concludere liceat ſapientiã aliquando cœpiſſe eſſe, & fuiſſe quando non erat, ſed etiam ſecundum Iudæos intelligenda hæc ſint vt ſapientiã fateamur fuiſſe æternam: nec etiam cum Chriſto hæc accommodãtur, eius arguunt originem aliquãdo cœpiſſe, ſed æternitatem eius comprobant, eiúſq; quàm ex patre habet ab æterno originem & progreſſum. Sicut enim de ſapientia in genere dicitur, & creata fuerit, formata & cõcepta ante omnia quia omnia ante fuit ſubſiſtens in Deo & apud patrem, ita multò magis de appropriata Dei patris ſapiẽtia, quæ filius Dei eſt, quia & illa ante omnia fuit apud patrẽ in perſonali diſtinctione ſubſiſtens, atque ab illo emanans. Vnde ei verè competit quod pro concepta eram & parturiebar, quidam vertunt ex Hebræo eſſe genitam, quia ab æterno fuit filius qui eſt ſapientia patris genitus ab eo, ratione cuius generationis æternæ, etiam quidam rectè intelligunt ſapientiam hãc dici creatam à Deo, vt videlicet creationis nomen abuſiuè poſitum ſit pro generatione. Sic enim Liranus exponit in Eccl. ſic & Hilarius lib. de ſynod. contra Arrian. vbi etiam hic locus tractatur. Huic appropriatæ Dei patris ſapientiæ cõuenit quod in Hebræo hic rurſum, quemadmodum in primo cap. dicitur in principio per verba futuri temporis, nonne ſapientia clamabit, & intelligẽtia dabit vocem ſuam. Rectè enim hic ſignificatum eſt, ſapientiam Dei patris indutam humanitate aliquando verè & corporaliter clamaturã per euangelij prædicationem quàm non in occulto edidit, ſed ſicut ipſa dicit, Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil. Ex excelſis enim montibus ad turbas verba fecit, atque in publicis ciuitatum locis, in plateis, in templo, & ſynagogis, vbi omnes Iudæi conuenire ſolebant, inuitans omnes ad ſe recipiendum, & audiendum. Cuius doctrina meritò recipienda eſt, tum quod maiora & perfectiora contineat quam lex Moſaica, plura etiam & meliora dona accommoda præſtet ſuis obſeruatoribus, conſilium ſcilicet quo expeditè ad fœlicitatem perueniatur, fortitudinem qua vitiis omnibus quis dominetur, & verè regnet diuitias ſpirituales & gloriam æternã, tum quod ab eo profecta ſit

Ecclſ. 24.

Miſticus ſenſus.

Pſal. 32.

Auguſt.

Hilarius Ambroſ.

1. Cor. 1.

Ioan. 14.

qui ab æterno fuit apud patrem, per quem facta sunt & secula quiq; adeo desiderauit esse cum filiis hominum, vt propter eos homo factus sit, cuin eis diu conuersatus, & nihil non faciens, quo se, omniáq; sua bona illis communicaret, cum quibus etiamnũ assiduè in hac miseria manet mirabiliter vsque ad consummationem seculi, sicut promisit dicens: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Quis ergo & talem & talis doctrinam non meritò auidè iubenter susciplet? Meritó ergo subditur.

Matt.24.

Nunc ergo filij audite me, beati qui custodiunt vias meas, audite disciplinam & estote sapientes & nolite abiicere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à domino. Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

HÆC est secunda principalis pars totius huius orationis, in qua post suæ doctrinæ, suique insignem commendationem, ad obediendum sibi inuitat, idque nõ rigidè sed blanda compellatione, filios appellans quos prius paruulos & insipientes dixit ac beatitudinẽ pollicens custodientibus vias suas hoc est præcepta ipsius & ea in quibus incedendum esse demonstrat. At vt insinuaret nõ frigidè se audiendam aut inquirendam, sed sibi præcipuam & primam dandam operam, præ aliis omnibus rebus quibus homines suum studium impendere solent, beatus, inquit, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie & obseruat ad postes ostij mei, hoc est, qui sicut discipulus, aut is qui consilio vel ope alicuius indiget, summo mane adit ædes præceptoris, eiusque à quo consilium & auxiliũ expectat presistens ibi quousque aperiantur fores, & intromittatur & ad eum exeat is quẽ quærit, ita etiã summo mane me requirit, ante omnia desiderans à me edoceri & instrui quid maximè faciendum, non prius desistẽs quam me ad se egredientem receperit, aut in adyta & secreta sapiẽtię intromissus didicerit quod desiderat. Allegoria enim est in eo quod dicitur, vigilat ad fores meas, &c. quemadmodum & in illo Euãgelico: Qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Alluditur enim ad eum qui alterius domum diluculo accedit, doctrinę aut consilij gratia, iuxta illud Eccles. Si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus. Itaq; non est curiosè inquirendum quę sint fores sapientiæ, & postes ostij eius, cum totus sermo sit Tropicus, quo significatur sapientiam summo manè quærẽdam. Simili tropo. Sap. 6. significatur sapientiam desideratam à nobis summo manè adfuturam nostrismet ædibus. Facilè, inquit, videtur ab his qui diligunt eam, & inuenietur ab his qui quærunt eam. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: Qui de luce vigilauerit ad eam, non laborabit. Assidentem enim illam foribus suis inueniet hoc est, mox paratam sibi inueniet vt adsit ei dux & comes in omnibus actionibus suis, veluti præforibus expectans donec egrediatur, & se itineris sociam adiungat. Aut quum quis egredi volet ad sapientiam quærendã, ipsamet ei statim aderit, séq; offeret. Nihil tamẽ vetat quin per fores & postes ostij sapientię intelligamus etiã fores domus Dei, in qua ex ore doctorũ sapientia maximè est percipienda, vt intelligamus diluculo surgendũ, & templa locáq; sacra adeunda, vbi diuinis inspirationibus, & sacris cõcionibus instruamur quomodo legim. de mulieribus, quæ obseruabãt ad ostium tabernaculi testimonij. Iuxta Bedã fores & postes ostij sapientiæ, sunt scripturæ sacræ & doctores sacri, qui sua doctrina aditũ præbẽt ad percipiendã sapientiã, & tanquã postes, alios sustentant. Ad has fores ergo euigilãdum est. iuxta illud quod ex Eccles. citatum est, nõ ad conuenticula hæreticorum & impiorum. Et subiicit sapientia causam, cur talé dicat beatũ qui se auidè quærit. Qui, inquit, me inuenerit inueniet vitam, & gratię in præsenti, & gloriæ in futuro, nec vitam tantum inueniet, sed etiã hauriet, hoc est, percipiet vtraq; vita salutem à Domino. Contra, qui in me peccauerit, me spernens & audire contemnens & negligens, non me lædet, nihil mihi incommodabit, sed lædet animam suam, quam infinitis bonis priuat & æternæ morti obnoxiã facit. Sic in Psal. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Imò omnes qui me oderunt, me odiendo declarant se diligere mortem, quod vel auditu horribile est, nam cõtra naturam est diligere mortem, Proinde significatur quã sint osores sapientiæ nõ solũ miseri, sed etiam planè excordes. Odiunt autem sapientiã quotquot eã admittere recusant, iuxta illud, Omnis qui male agit odit lucem. Diligunt mortem qui his cupidé inhærent, quæ mortem adferũt, iuxta illud Sapiẽ. Impij manibus & verbis accersierunt illam, & ęstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam.

Eccl.6.

Sap.6.

Pſal.10.

Ioan.3.

Sapien.1.

CAPVT NONVM.

Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas, vt vocarent ad arcẽ & ad mœnia ciuitatis. Si quis est paruulus veniat ad me. Et insipiẽtibus locuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ.

IN hoc capite pergit Sapiens comparare sapientiam cum muliere illa impudica, cuius iam sæpius meminit: & quemadmodum superiori capite sapientiam introduxit, inuitantem ad suam doctrinam, contra blandam illã mulieris illecebrosæ inuitationem, de qua in ca. 7. ita nunc eandem introducit inuitantem ad conuiuium à se præparatum, atque è regione illius inuitationis mulierem impudicam inuitantem vicissim ad suum conuiuium. Ipsa hac cõparatione satis innuens, per mulierem hãc non tantum dehortari se velle auditores à libidine & venere, sed exempli causa hanc à se introduci & sub eius exemplo in vniuersum velle dehortari à carnis suggestionibus & prava doctrina quæ sapientiæ est contraria. Quo autem quod in principio huius capitis dicitur Sapientia ædificasse sibi domum, in proprio & literali sensu, sub quo sublimior sensus mysticus latet, prosequendo explicationem superius incœptam, rectè intelligatur, observandus est similis huic locus, qui est vt iam dictum

dictum est Eccles. 24. vbi postquam sapiẽtia similiter dixisset se authore omnia creata, subiicit, & in his omnibus (vel vt habent Græca, cũ his omnibus) requiem quæsiui, & in hęreditate eius (vel vt habent Græca cuius) morabor. Tũc præcepit & dixit mihi creator omniũ & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Pro quo Græca habent κατάπαυσε σκηνήν μου, hoc est, fixit tabernaculum meum, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, &c. Quo loco obscurè quidẽ in nostra versione, sed significantius apud Græcos sapientia insinuat se omnibus iam creatis, quãquam in omnia haberet dominium, quęsisse sibi requiem aliquam & habitationem eámq; Dei iussu se accepisse in populo Israelitico, qui ei datus sit in domum & habitationem suam, in qua familiariter sit conuersata, per legem à populo datam se illi insinuãs, iuxta illud Psal. Qui annunciat verbum suum Iacob, iusticias & iudicia sua Israel. Nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ita & hic postquam superiori capite Sapientia se omnia cũ Deo creasse asseruisset, sed cum filiis hominum delitias habere, iam prosequendo cœptam prosopopœiã, introducit eam deinde Sapiens domum aliquam ædificasse sibi, per quam ex comparatione huius loci cum illo loco Ecclesiast. omnino verisimile est, ipsum iuxta sensum literalem intellexisse synagogã & populũ Israeliticum, in quo se Deus frequenter habitaturum promittit apud Prophetas & Moysen. Et quoniam pro domo magnificè extruenda opus est columnis quibus domus innitatur & sustentetur, inducit eam excidisse columnas septem hoc est, varias & multa iuxta scripturæ phrasim, qua septẽ sæpissimæ ponitur pro multis. Per colũnas intelligens eos qui in illo populo fuerũt præcipui, doctores scilicet tectores eius per quos in Dei cultu populus ille cõtinebatur, quemadmodũ Paulus de Petro, Iacobo & Ioãne dicit, φ videbãtur columnæ esse, & in scriptura aliquãdo maiores populi dicuntur anguli populi, vt 1. Reg. 14. applicate huc vniuersos angulos populi. De his columnis quidam intelligunt etiam illud Psal. Ego confirmaui columnas eius. Domo ædificata, facit sapientiam tanquam conuiuium solenne instruentem ad quod inuitauerit omnes: Immolauit, inquit, victimas suas, pro quo simpliciter Hebræa habent, Mactauit mactationem suam, vt nõ sit necesse intelligere de hostiis, miscuit vinum & proposuit mensam suã. Per quam mẽsam cibo potúque, eóque optimo instructam, significare videtur ad literam doctrinam legis & prophetarum. De qua & Psal. dicit. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Et: Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me. Vnde & Eccl. 24. cum etiam ibi dixisset Sapientia: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus (vel vt est Græcè ἀπὸ γενημάτων, id est, à fructib. meis) adimplemini. Et, Qui edũt me, adhuc esurient, & qui bibũt me adhuc sitient. subiicitur: Hæc omnia liber vitæ & testamentum altissimi, & agnitio veritatis. Quibus significatur scripturam sacram mensam esse qua sapiẽtia suos pascit & reficit. Suppe-

Pſal.147.

Pſal.68.

Pſal.12.

Hieré.

Luc.11.

Eſa.45.

res ludicras & vanas seriis præferunt. Hęc ergo infantia primum est deserenda, ac tum adeunda sapientiæ domus, vt in ea quis reficiatur ac refectus viuat, sícque ambulare possit per vias prudentię. Non dissimilis est inuitatio Eccles. 51. Appropiate ad me indoćti, & congregate vos in domū disciplinę. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. Et in Esa. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite. Venite & emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare appęditis argentū nō in panibus, & laborem vestrū non in saturitate? Audite audiętes me & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra, &c. Quamquam hæc authoritas magis pertinet ad sensum mysticum iā subiiciendum, in quem longè perfectius & excellentius, quæ hic dicuntur competunt. Sicut enim cętum est synagogā & iudaicū populum typum fuisse Ecclesiæ & Christiani populi: ita dubium non est quin per domum á sapientia ędificatā mysticè intelligi debeat ecclesia, quę iuxta D. Paulum est domus Dei viui columna & firmamentum veritatis. Hāc domū sibi ædificauit is, cui eximia & singulari ratione nomen sapientiæ attribuitur filius Dei, qui de se dicit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Excidit etiam proformitudine domus septē columnas, hoc est, in perfecta eam constituit firmitate, ita vt diceret, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Fecit autem id aptando sic Apostolos & apostolicos viros, vt per eos tanquam columnas quasdam ædificium domus eius sustineri possit. Sic Hieremiam dominus dicit se dedisse in columnam ferream & in Apoca. dicitur Qui vicerit, ponam eum columnam in templo Dei mei. Sic D. Gregor. in capi. 26. Iob, cū dicitur: Columnæ cœli contremiscent, intelligit significari Apostolos, vbi & totum hunc locum tractat, indicans per columnas etiam particulares Ecclesias hic posse intelligi. Benè autem columnæ septem excisæ dicuntur, tum propter numeri septenarij perfectionē qui sæpè ponitur, vt dictum est pro multis, tū quia columnæ Ecclesiasticæ Ecclesiam sustinent per septiformem Spiritus S. gratiam, ac septem Sacramenta à Christo Ecclesiæ relicta. Huic mystico sensui bene conuenit, quod iuxta Hebraicam veritatem non habetur praliter immolauit victimas suas, sed immolauit & mactauit victimam suam, vt intelligamus peculiāriter insinuari vnam illam hostiā quam in cruce dominus ipse mactauit & immolauit, quam & in cibū, imò in panem sub panis specie nobis edendam tradidit. Non enim fit hic mentio alicuius cibi. nisi ipsius victimæ, & tamen dicitur postea, Venite comedite panem meum. Pluraliter vertit interpres victimas suas, secutus Septuaginta qui habēt τὰ ἐαυτῆς θύματα, id est, suas victimas. Quod bene conuenit cum eo quod est Matth. 22. in parabola euangelica. Tauri mei & altilia mea occisa sunt, & omnia parata. Quo significatur conuiuij magnificentia, quódque in eo sit ferculorum abundantia sufficiens ad saturādos quamplurimos. Miscuit & vinum sapientia hęc nostra in suo cōuiuio quia & preciosum suum sanguinem sub vini specie, & doctrinā suam euangelicam mirè inebriantem homines etiam vsque ad mortis cōtemptum, suis proposuit, attemperans eam hominū captui: In cuius sanè vini comparatione aqua verè fuit quicquid litera legis frigida suis propinauit. D. Cyprianus hunc totum locum citans de Christo epist. 3. li. 2. intelligit hoc præmonstrari typum dominici sacrificij, immolatę scilicet hostię panis & vini, & vinum mixtæ, calicem domini vino & aqua mixtum, prophetica voce denunciari. Atque ad paratam hāc à se mensam doctrinæ suæ, & sacramenti corporis & sanguinis sui, emisit qui vocarent cæcos & claudos, pauperes & debiles, iuxta parabolam euāgelicam, quæ est apud Luc. huic loco non dissimilem. Qua dicitur: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirēt, quia iam parata sunt omnia. In alia autem parabola quæ est Matth. 22. dicitur seruos suos multos misisse, & postea alios plures prioribus. Vocant hi serui ad arcem, quia ad superna, vel super arcē, quia ex alto. iuxta illud Esa. Super montem excelsum ascende tu quæ Euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocē tuā quę Euangelizas Hierusalem. Et ca. 52. Quā pulchri super mōtes pedes annunciantis & prædicātis pacē. Vocant autem ad sapientiæ domum. nam ibi conuiuium ab ea est instructum, nec extra eius domū de cibo eius salutariter sumitur. Quēadmodum enim doctrina veritatis in veteri testamento petenda erat in populo Israelitico vnde dicitur Eccle. 51. vt supra dictum est: Cōgregate vos in domum disciplinæ, ita Christi doctrina & sacramenta nō alibi sunt accipiēda nec quærenda, nisi in vera ipsius Ecclesia quæ hæc nota agnoscitur, quòd à Christo ędificari cœpta, deinceps ita perseuerat nixa suis colūnis, vt portæ inferi nūquā prævaluerint aduersus eā. Monent autē qui missi erāt à sapiētia relinquere infantiā, hoc est, (præter id quod dictum est) literalem legis intelligentiā & obseruationem, sub qua, inquit Paulus Cum essemus paruuli, tanquam sub elemētis mundi eramus seruientes. Quāquā enim Hebræa non habeant infantiam, sensus tamen eodem redit, nam vel vertendum est, desinite esse imperiti, vel relinquite imperitos. Noster secutus est 70. qui habēt, ἀπολίπετε ἀφροσύνην, derelinquite insipientiā. Sunt qui per domum à sapientia ædificatam intelligunt corpus quod sibi ex virgine filius Dei fabricauit Vide August. 57. de ciui. Dei. c. 20. & in quæst. veteris & noui Test. quęst. 31. quibus locis per domum sapientiæ indicat & corpus Christi & Ecclesiam posse intelligi. Item sunt qui intelligunt animam cuiuslibet, iuxta illud: Sedes sapientiæ anima iusti. Quas intelligētias, vt non reiicimus vtpote pias, ita superiorem tractationem genuinam esse putamus.

misticus sensus.

2. Tim. 3.

Matt. 16.

Iere. 1. Apoc. 2.

Gregor.

Matt. 22.

Cyprian.

Luc. 14.

Esa. 41.

Esa. 52.

Gal. 4.

Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit, & qui arguit impium, ipse maculam sibi generat, noli arguere derisorem ne oderit te, argue sapiētem & diliget te. Da sapienti occasionem & addetur ei sapientia, doce iustum & festinabit accipere.

Indicare

INDICARE videtur his sentētiis sapientia, quare tātum vocet paruulos & insipiētes, significans esse quosdam qui sapientiæ nō sunt capaces, quiq; ad sapiētiæ cōuiuium non sunt aduocandi, hi scilicet qui planè impij sunt, ita vt benè monentes non ferant, sed eos irrideant, & ob id maiori odio prosequātur. De quibus & dominus dicit his quos ad prædicandum misit: Nolitę sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis & conuersi dirumpāt vos. Dicit ergo, qui erudire studet derisorem veritatis, nō solum nihil in illo proficiet, sed ipse sibi iniuriam facit, quia ignominiam sibi à derisore conciliat Et qui arguit impium, ipse maculam sibi generat, tum quia ex detractione impij malè audiet apud multos, & lædetur in fama nominis sui, tum quia ex importuna admonitione non nihil sit reprehensibilis. Itaque noli arguere derisorem, ne oderit te, sícque & in illo peccatum augeas, & te sine fructu periculo exponas. Quibus verbis non vult omnem redargutionem impiorum prohibere, ea enim nōnunquam ad aliorum exemplū facienda est, potissimum ab his quibus ex officio competit impietates cohibere. Vnde D. Paulus vult coram omnibus argui peccantes, vt & cæteri timorē habeant, iubētque arguere oportunè & importunè. Sed eam vult prohibere quæ sit priuata, & per quam nullum expectatur in aliis commodum, sed exacerbatio impiorum. Frustrà enim niti, inquit quidam, & nihil aliud quā odium quærere extremæ dementiæ est. Cum autem videretur iam dicendum esse arguepotius paruulos & insipiētes, qui scilicet necdum in profundum peccatorum deuenerūt, dicit potius, argue sapientem, & diliget te, tum vt per contrarium effectum in sapiente ostendat malitiam impij. Hic enim corripientem, odit, ille eo magis diligit: tum vt sic insinuet paruulis & non omnino malis correptionem sapientiæ recipiendam esse ab eis tum vt etiam sapientes ad conuiuium, sapientiæ pertinere, eóque egere significet, quamuis prius paruuli tantum nominatim expressi sint & insipientes. Nullus enim ferè adeò sapiens est qui nō aliquando delinquat, & non alterius monitione egeat, vel doctrina. Vnde & subiicit? Da sapienti occasionem discendi, & addetur ei sapientia, doce iustum & festinabit accipere, iustum scilicet coniugens sapienti, sicut prius impium derisori sapientiæ, & significans ex doctrina sapienti & iusto proposita, duplex redditurum commodum, alterum in docente, quia diliget te, alterum in discipulo, quia addetur ei sapientia, sicut ex doctrina impiis proposita duplex nascitur malum, odium præceptoris & maior eius qui docetur peruersitas. Sic & suprà dixit, audiens sapiens sapientior erit.

Matt. 7.

2. Tim. 5. 2. Ti. 4.

Sap. c. 1.

Principium sapientiæ timor Domini & scientia sanctorum prudentia.

INDICATVR hic quomodo fieri possit, vt etiam paruuli & insipientes capaces fiant cum sapientibus ipsius sapientiæ, itémque de quali sapientia hic sit sermo. Itaque repetitur Ianſ. in Prouerb. quod in principio dictū est, Initium sapientię timor domini, Estq; hoc loco non dictio illo loco posita ראשית Rescith, quæ ambiguam hēt ibi dictū est significationē, sed תחלת The chillath, quæ nihil significat quā initium, nec est, hic Græcis, ἐυσέβεια, id est, pietas, sed φόβος timor significatur ergo de ea sapientia hic esse sermonem quæ incipit in nobis esse & crescere ex concepto Dei timore sicque paruulos & insipientes posse ad sapientiam peruenire, si Dei timorem concipiant, quem quoniam omnino abiecerunt impij & derisores, ob id sapientiam non posse percipere. Ad indicandam expressius differentiam inter hāc sapientiam & eam à qua iuxta mundum quidam dicuntur sapientes, subditur, & scientia sanctorum prudentia, hoc est, scientia & cognitio rerum sanctarum, quales scilicet scriptura docet, & scientia quam habent sancti homines, illa sola est vera prudentia vel intelligentia. Potest enim sanctorum exponi, vt vel ad res vel ad homines referatur, & potest in Hebræo repeti in secundo membro, principium, vt sic vertatur & scientia sanctorum est principium prudentiæ.

Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris, Si autem illusor solus portabis malum.

HIC patet hactenus fuisse verba sapientiæ ab eo loco: venite comedite panem meum, & adferuntur duobus his versibus duæ rationes, quæ merito mouere deberent ad amplexandū sapientiam. Quarū prior demonstrat vtilitatem quę homini ex sapientia prouenit, longitudo scilicet vitæ de qua superius sæpè dictum est, quæ rectè respondet cōtuitio ad quod inuitauit, quia propter vitam cibus & potus quæritur. Altera ostendit nullū incommodū vel commodum accessurum sapientiæ, siue eam recipiamus, siue non, ne quis putet eam sui causa homines ad se inuitare, Si inquit sapiens fueris non mihi sed tibi & ad tuum bonum eris. Si autem illusor, non ego sed tu solus sine me hinc senties malum. Sic & Iob 22. dicitur. Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei conferes si immaculata fuerit vita tua, & cap. 35. Si peccaueris quid ei nocebis, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris quid donabis ei aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est, nocebit impietas tua & filium hominis adiuuabit iustitia tua. Vnde patet, quomodo intelligendū sit quod hic dicitur, tibimetipsi eris sapiens, & solus portabis malum, videlicet vt Deus excludatur non homo.

Mulier stultā & clamosa, plenáque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus suæ, super sellam excelso vrbis loco: vt vocaret transeuntes per viam & pergentes itinere suo. Qui est paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit quod ibi sint gigantes & in profundis inferni conuiuæ eius. Qui enim applicabitur illi, descendit ad inferos. Nam qui abscesserit ab ea saluatur.

Sicut

SICVT suprà é regione mulieris impudicæ inuitanti sad se oppositi sapiẽtiam tã quam alteram mulierem ad se inuitantem, ita vicissim nunc è regione sapientiæ ad se suũque conuiuium vocantis, opponit alterã mulierem sapientiæ contrariam etiam ad se stúmque conuiuium vocantem & sapientiæ institutum in multis immitantem. Est autem hæc mulier iuxta pleráque quæ in præcedentibus sunt habita ad literam mulier libidinosa quàm pulchrè suis depingit epithetis, vocans eam stultam, vt ostendat sapientiæ contrariam, item clamosam vel (vt habẽt hebræa quod eodem recidit) tumultuosam & turbulentam. Isa.24. Non enim clamat vt sapientia, cum moderamine & modestia, nõ sicut ille de quo dictum est, non erit tristis neque turbulẽtus sed immodestè & tumultuosè, in seipsa variis perturbata passionibus, aliòsque similiter perturbãs. Deinde plenam dicit illecebris ad decipiendum scilicet inconstantes, Item nihil omnino scientem, hoc est, omnino vera prudentia destitutam, nec vllam rationem salutis suæ habentem. De hac dicit non sicut dixit de sapiẽtia quod ędificauerit domum suã & sicut postea dicitur cap. 14. sapiens mulier ædificat domum suam, sed quod sedeat in foribus domus suę super sellam, vt significetur otium eius, desidia, & negligentia rerum eius desiderium verò captandi alios. Vnde sequiturut vocaret transeuntes. Ad immitationẽ autem sapientię ei tribuit excelsum vrbis locum, sicut illa iussit ancillas suas super excelsa vrbis loca vocare, ad significandum illam non pudere suæ impudicitiæ, & quamplurimos ad se pellicere velle. Iere.2. Sic Iere. 2. ca. dicitur In omni colle sublimi, & sub omni ligno frõdoso tu prosternabaris meretrix, Cum autẽ sapiẽtiæ tribuerit ancillas vocantes, huic nullas tribuit, sed ipsam per se vocantem facit, insinuans illam verè esse dominam quæ iure multos habeat sibi subseruienies, hanc verò omnino seruilẽ esse, nec iure habere in quos dominetur, quibúsque præcipiat. Vocat transeuntes per viam & pergentes, in itinere suo vt intelligas eius impudentiam, per quam nõ tantum admittit ad se vltro venientes, sed & transeuntes per viam suam & aliud agentes ad se inuitat, vt relicto suo itinere ad se deflectant. Vnde annotauit Beda sapientiam dixisse; Si quis est paruulus veniat ad me hanc verò declinet ad me quia illa ad rectum actionis iter, quos errare cernit accersit, hæc verò rectẽ pergentes ab itinere suo deuiare docet & ad se diuertere. Verum hæc annotatio nõ habet locum in Hebræo, nam ibi vtrobique est declinet. Sed quoniam ibi non præcessit de itinere è quo sapientia vocet, hic verò præcedit de itinere, è quo vocat mulier, rectè ibi noster vertit, veniat ad me hic verò declinet à me. Vocat autem & hæc ad imitationem sapientiæ (quam vbique malitia quantum potest imitari studet) paruulos & insipiẽtes, quia sicut illa valde malos derisores scilicet & impios non putat vocandos, ita nec hæc valde sapientes aut in iustitia benè firmatos, sed potissimum homines imperitos, inconstãtes & stultos. Inuitat & ipsa ad cõuiuium, sed quod res ipsa longè diuersum esse demonstrat à sapientiæ conuiuio. Illa enim ad vinum vocat, hæc ad aquas, quia frigidũ, sanè est quicquid mundus aut caro exhibet. Illa mensam suam bene instructam palam proponit, hæc suam mensam occultam esse insinuat. Illa ad suum panem vocat, dicens. Venite comedite panẽ meum, hæc ad aquas furtiuas, dicens aquæ furtiuæ dulciores sunt & panis absconditus, hoc est: qui in abscondito editur quia scilicet furtiuus suauior est. Videtur autem ab hac muliere desumpta hæc sententia ex vulgatis prouerbiis, vt vulgatum prouerbium suo accommodarit proposito. Et sic esse vt prouerbium significat, res ipsa docet. Cæterum ratio cur furto ablata ferè sint suauiora, é, quia sicut talia maiori concupiscentia fuerunt desiderata: ita maiori voluptate percipiuntur. Ferè enim propria vilescunt & magis aliena desiderantur, & iam obtenta auidius sumuntur tanquã rara, & quę non semper in promptu sunt. Hoc ergo vulgari prouerbio significare vult congressum cum non sua maiorem adferre animo voluptatem, magis instar cibi & potus reficere quam cum propria vxore, vt quæ habetur in promptu. Et bene cõgressus cum non sua aquis comparatur furtiuis & panis absconditis, quia contra Dei legem & coniugale fœdus vsurpatur, & cum sit indebitus sibi tanquam suus vindicatur à fornicatore & à mœcho, atque ob id caliginem quærit & latibula, quemadmodum quæ ex furto comeduntur. Cæterum sicut suprà Sapiens ex sapientiæ conuiuio significauit vitã expectandam, & longitudinem vitæ, ita quo à conuiuio huius mulieris deterreat inuitatos, mortem significat ex illo secuturam, vt intelligatur cibus potúsque eius esse lethalis. Et ignorat inquit paruulus quisque & insipiens (nam ad mulierem non posse referri Hebręa docet cum sit verbum masculinum. (Quod ibi sint gigantes, &c. quasi dicat: Hinc est quod decipiatur, & à muliere hæc eis imponatur: Prò gigantes dictio Hebraica significat etiam mortuos. Vnde capite secundo eandem vertit noster interpres inferos. Ad inferos, inquit, semitæ eius. Hic secutus 70. qui habent γηγενᾶς, vertit gigantes, quemadmodum & postea ca. 21. versu 16. In cœtu gigantium commorabitur. Vbi sicut per gigantes rectè intelligũtur dæmones, ita & hic, vt sit sensus, ignorauit quod in ea domo dominiũ obtineant dęmones qui instar gigantum sunt potentissimi, sęque Deo tanquam gigantes terrigeni opposuerũt, cũ quibus inter mortuos deputandi sunt quotquot eis adhærent, & conuiuæ eius, hoc est, quotquot ad huius mulieris conuiuium vocati accedunt, tandem erunt in profundis inferni, imo & quando iam cum muliere illa conuiuantur, iam sunt in profundis inferni, quia æternæ dãnationi & grauissimę obnoxij. Vnde sequitur, Qui enim applicabitur illi descendet ad inferos; nam qui abcesserit ab ea, saluabitur. Quãquã hic versus nõ sit in Hebræo, sed nec in Græcis, in quibus tamen alij aliquot versus adduntur. Multa quoque Latina scripta hunc versum non habent, Et hæc quidem pro sensu literali. Cæterum cum tam studiosè mulier hæc sit à sapiente hic opposita sapientiæ, nemini dubium, quin per eam

eam aliud quiddam etiam significatum sit quàm mulier ad libidinem aut Venerem prouocans, adeo vt plerique etiam Hebræi literalem sensum esse velint de stultitia aut carnis concupiscentia. Et Caietanus ipse qui Mysticus sensus. literalem tantum sequitur sensum, de carnis delectatione hæc intelligit. Alij verò de hæresi aut superstitiosa aliqua doctrina, qualis est de futuris per Astrologiam diuinatio. De qua intelligit Liranus. At vt non dubitamus sub muliere ac libidinosa amplius quid significari quàm litera insinuat, ita ad literam non dubitamus sapientem de ea hic loqui, sicut frequenter superius. Sub ea verò mysticè hic significari, rectè dixerimus insipientiam, aut prauam doctrinam, quæ scilicet contraria suggerit sapientiæ. Sic enim vno nomine habetur quod directè est sapientiæ contrarium, & quod omnia comprehendit, quæ alij per partes prosequuntur, carnis scilicet & mundi concupiscentiam, idololatriam, superstitionem, hæresim, & si quid his est simile, quæ singula suggerunt sapientiæ contraria. Praua ergo doctrina atque suggestio siue à carne ac mundo procedat, ad voluptates illicitas inuitans, siue ab idololatris, hísque proximis superstitiosis hominibus, siue ab hęreticis prodeat, ad malam fidem errorésque inducens, rectè comparatur mulieri stultæ, clamosæ & plenæ illecebris, quia caret vera prudentia, & si non careat frequenter multis verbis & suasionibus. Turbulenta est & inquieta, varios in mundo excitans tumultus, multis rationibus ad se pellicere studens stultos & imperitos. Atque ob id sedet in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco. Nam quod ad carnem attinet, otium ipsa quærit & docet, adeóque palam agit in hominibus, vt nemo sit qui non eius prauas suggestiones sentiat. Et quod ad reliqua pertinet, magistri & benè docentis authoritatem sibi vendicant in populo, Ideóque iis rectè tribuuntur, sedere super sellam in excelso vrbis loco, quodque in suam domum, hoc est, sectã & congregationem attrahere alios studet. Inuitat hæc mulier ad aquas furtiuas, & panem absconditum, prætexens quod hæc sint dulciora, quia quicquid id est ad quod caro solicitat, furto iustitiæ surripitur, quicquid falsitatis idololatria, superstitio vel hæresis suggerit, furto diuinæ surripitur veritati. Ideoq; hæc omnia ferè secretum petũt & tenebras. Ioan.3. Omnis enim qui malè agit vel docet, odit lucem & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Et quia hæc ferè secretum petunt, & quia prohibita sunt, ideo in secreto auidius & cũ maiori voluptate sumuntur. Quod vt in carnalibus vitiis manifestum est, ita pulchrè demonstrat verum esse in doctrina superstitiosa & hæretica, D. Augustinus tractat. 97. in Ioannem hunc locum tractans sed secũdum 70. versionem. Cauere, inquit timendo & orando ne irruatis in illud ænigma Saluatoris, vbi mulier insipiens & audax inops panis effecta conuocat prætereuntes. Hæc mulier vanitas est impiorum, cum sint insipientissimi aliquid se scire opinantium, sicut de illa muliere dictum est, inops panis efficitur. Que cum sit inops panis promittit panes, id est, cũ sit ignara veritatis promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi, & aquæ furtiuæ dulcedinem, vt ea scilicet lubentius & dulciùs audiantur & agantur quæ palam in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarij doctores sua venena curiosis, vt ideo se existiment discere aliquid magnum quia mirentur habere secretum, & suauius hauriant insipientiam quàm putant scientiam, cuius prohibitam quodammodo furantur audientiam. Hinc & nefarios suos ritus suis hominibus sua curiositate deceptis & decipiendis magicarum artiũ doctrina commendat. Hæc ille, quæ & prolixè prosequitur, non tantum in doctrina superstitiosa, sed & hæretica. Cuius explanatio quo melius intelligatur, notandum Septuaginta, (quorum versionem tunc receptam Augustinus sequitur) sic habere, mulier insipiens & iactabunda, inops obsonij (Augustlegit panis) efficitur. quæ non nouit pudorem, sedet in foribus domus suæ, super sedem manifestè in plateis aduocans transeuntes viam, rectè gradientes in viis suis. Qui est vestrum insipientissimus declinet ad me, & insipientibus præcipio dicens, panes absconditos libenter attingite, & aquam furtiuam dulcem bibite. Gregor.

De hæreticorum doctrina similiter D. Gregorius hunc locum exponit lib. 33. moral. c. 26. Rursum inquit, per panem hæreticorum doctrina designatur sicut per Salomonem mulier hæreticæ ecclesiæ typum gestãs & stultos conuocans dicit, panes occultos libenter edite vel sicut in nostra trãslatione scriptum est, aquæ furtiuæ, &c. Sunt enim nonnullæ hæreses quæ apertè metuunt prædicare quod sentiunt, & apud infirmorum mentes verba sua tanto magis condiunt quanto quasi amplius reuerenter abscondunt. Vnde non immeritò dicitur panes occultos libenter edite, miseris enim cordibus occulta hæreticorum verba eo magis sapiunt, quo cum reliquis communiter non habentur. Cætera quæ ad mystici sensus tractationem pertinent ex sensu literali facile colligere licet. Proinde hic finis esto primæ partis huius libri, quæ prooemij vice præmissa videtur sequentibus, quæ à nouo incipiunt titulo. Cum autem caput hoc breue sit in Hebræis & apud nos, prolixius est in Græcis quæ quasdam sententias habent, antè illud mulier stulta & clamosa, nam post illam sententiam, si sapiens fueris, &c. sic habent ad verbum. Filius eruditus sapiens erit, stulto autem vtetur famulo. Qui innititur super mendacia, hic pascit ventos, idem autem sectatur aues volantes. Dereliquit enim vias suæ vineæ, & à semitis sui prædij aberrauit. Transit autem per desertum aridum & terram constitutam in siti & congregat manibus sterilitatem. Primam harum sententiarum citat. D. Augustinus frequenter, vt lib. 5. Auguſt. contra Iulia. cap. 10. In fine autem capitis hæc adduntur, verum resili, nec moreris in loco ipsius, & non conuertas oculum tuum ad illam. Sic enim trãsibis velut alienam aquam, & transgredieris fluuium alienum. Ab aqua aliena abstine, & à fonte alieno ne bibas, vt multo

multo viuas tempore & apponantur tibi anni vitæ,quam poſtremam ſententiam citat B. Auguſt.tract.6.in epiſtolam Ioannis.

PARABOLAE SALOMONIS.

CAPVT DECIMVM.

REPETITVR hic titulus in principio libri poſitus:nempe : parabolæ Salomonis: quia nouum hic incipit ſcribendi genus ,ſcumq; ea quæ præmiſſa ſunt veluti communes ſint adhortationes & præfatio quædam, hic iam breues ſententiæ & γνώμαι ſine certa connexione contexuntur,à quibus hic liber ſuum nomen habet. Itaque repetitus hic titulus indicat propriè ea quę ſequuntur dici parabolas.Additur in multis libris filij Dauid regis Ieruſalem:verum hæc non habent nec Hebræa nec Græca. Cæterum hæ ſententiæ ferè ſunt bimembres, ex contrariis contextæ, ita vt ſingulæ partes apud Hebræos propemodum iambi ſpeciem præ ſe ferant,& elegantia multa ſit cum in oppoſitione tum in breuitate, quod cum non ita exprimi poſſit, vertendis hebræis in Græcam vel latinam linguam fit vt gratia magna harum ſententiarum, quam habent in originali ſua lingua apud nos aut pereat,aut imminuatur. Quod annotandum vel ob id erat,ne quis miretur quaſdam apud nos ſententias tanquam parui ponderis. Eſt autem multa in his oppoſitio inter ſapientem & ſtultum,impium & iuſtum, pigrum & fortem,diuitem & pauperem,odium & charitatem,& id genus ſimilia.Sic ergo incipit.

1 *Filius ſapiens lætificat patrem:filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ.*

ET benè quidem ab hac incipit ſententia poſt præmiſſa in ſuperiori parte,eo quod in illa proſecutus ſit laudes ſapientiæ inuitans ad eius amorem.Item vt ſicut in ſuperiori parte cœpit ab obedientia parentibus præſtanda à filiis, ita & hic doceret primum iuuentutem debere parentum monitis obſequi. Cæterum , vt ex ſuperioribus ſatis patet ſapiens hoc in libro dicitur, is qui verè ſapiēs eſt,nempe qui in timore Dei ambulat , iuxta præſcripta, & parentum monita viuens , nequaquam ſequens carnis deſideria, ſed ſpiritui diuino obtemperans, cœleſtia terrenis præferens, non quæ videntur præ oculis habens , ſed quæ videntur à longè proſpectans. Is enim ſolus verè ſapit,ſibiq́ue rectè conſulit. Talis ergo lætitia afficit patrem ſi modo verè pater ſit,ita vt filij amet quærátque ſalutem:vt contra filius ſtultus , Deum non metuens, quæ carnis ſunt quærens, cœleſtia negligens mœrore afficit matrem ſalutis filij cupidam. Hoc enim phraſi hebraica ſignificat illud, mœſtitia eſt matris ſuæ. Eſt autem generalis hæc ſentētia vt & ſequentes,proinde non eſt neceſſe eam aut aliàs in omnibus eſſe veras, ſed ſatis eſt vt in plurimum ſic eſſe vt per eas enunciatur , nec pro abſoluta veritate opportet eas certis perſonis aut rebus attribuere, quemadmodum quidam hāc ſententiam peculiariter de patre cœleſti intelligunt,& matre ſpirituali Eccleſia. Continetur enim & hic intellectus in hac ſententia,ſed vt in genere ſpecies, aut ſub litera ſenſus myſticus. Quod autem lætitia patri , mœror matri tribuitur,non requirit ſingularem cauſam,Sicut enim in patre conſequenrer & mater intelligitur,ita & in matre pater. Nihil enim aliud ſignificare voluit quam filium ſapientem exhilarare parentes , ſtultum vero eoſdem contriſtare,at varietas nominum facit ad carminis elegantiam.Sic & in Eccleſia ſtico dicitur.Benedictio patris firmat domos filiorum , maledictio autem matris eradicat fundamenta. Quanquam in his obſeruare liceat bonum patri tribuit tanquam digniori, malum matri tanquam inferiori. Dici etiam poteſt hoc ordine verborum vſum ſapiētem quod ad naturam rerum reſpiceret, iuxta quam probitas filij potius patri cedit ad honorem , vt qui rectè filium educauit , quem proinde neceſſe eſt maiori affici lætitia, improbitas vero matris indulgentiæ ſolet imputari, quæ & torpeſcentem domi cogitur aſſiduè videre , & grauiùs dolere ſolet pro ingenio muliebri.Monet autem hæc ſententia,ſapientiam vel parentum cauſa amplexandam, reiecta ſtultitia. Cæterum filij ſapientia lætitiam adfert parentibus , tum quod ament eius ſalutem & honorem, tum quod in ipſorum cedat honorem , tum etiam quod inde familiæ ſuæ putant fore bene proſpectum, Lætificat autem ſapientia & per ſe & per bona quæ adfert ſecum.

Ecclē.3.

2 *Nil proderunt theſauri impietatis:iuſtitia verò liberabit à morte.*

IAM diximus ſententias has ſine certa connexione inter ſe hærere, proinde ſuperfluum fuerit cauſam ordinis & cohærentiæ inquirere , non minus quam eam reddere in verſibus Catonis aut Mimis publicanis. Theſauros impietatis vocat diuitias impiè congeſtas aut conſeruatas,vt quæ malis artibus , inſidiis , fraude ac nimia cura ac deſiderio parantur, aut partæ iniquè detinentur nec erogantur, vt opus eſt. Has nihil prodeſſe dicit, quanquam aliter mundus iudicet , & ad hoc eas quærat vt inde multum fructum percipiat delitias ſcilicet,bonorum , ac deinique à multis malis liberationem. Nam per has effugit nonnunquam impius iuſtam iudicis condemnationem , medicorum opera à morbis curatur, & omnino impletur in eo illud Pſalmi:in labore hominum non ſunt & cum hominibus non flagellabuntur. Sed apud Deum nihil proderunt huiuſmodi diuitiæ, qui cum hic volet hominem vlciſci & punire, nihil illius morabitur diuitias , & cum poſt hanc vitam rationem geſtorum exigit, non mouebitur diuitiis impij, vt à recto deſciſcat, quia vt habet propheta : Non dabit impius Deo placationem ſuam , & pretium redemptionis animæ ſuæ. Adeóque non proderunt apud

Pſal. 72.

Pſal.'48.

apud Deum theſauri impietatis, vt multum ſint obfuturi homini, qui pro eis aut hic aut ſaltem poſtea ſit pœnas daturus. Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur , animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?At contra,iuſtitia liberabit à morte, quia etſi nonnunquam apud homines ob iuſtitiam iuſti occidantur,apud Deum tamen iuſtitia hominis frequenter efficit, vt communem aliquam euadat vltionem diuinam aut humanam perſecutionem , vt patuit in Daniele & tribus pueris,ſemper autē efficit vt à perpetua morte (quæ ſola vera mors eſt) liberetur homo , pro qua euadenda nihil proderunt theſauri impij.In hac autem parte ſatis inſinuatur theſauros iuſtè partos & diſtributos prodeſſe , iuxta illud : Diſperſit dedit pauperibus , iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.Cæterum vt prior ſententia adhortatoria eſt ad ſapientiam vt per quam parentes exhilarantur,ita hæc ad iuſtitiam,vt qua certius quis aſſequitur , quod impij per diuitias ſuas aſſequi conantur. Eodem tendit & quod ſequitur.

Matt.'16.

Pſal.111.

3 *Non affliget Dominus fame animam iuſti: & inſidias impiorum ſubuertet.*

CVM nonnunquam iuſti famem patiantur,imò & fame moriātur,quid eſt quod dicit:Nō affliget Dominus fame animā iuſti? Beda quidem exponendo habet. Etſi quandoque iuſtum impij fame affligūt , vel etiam necant , non lædent animam eius,quam dominus in vita futura,ſuæ gloria viſionis conſolatur.Proinde indicat ſignanter dictū, Dominus non affliget , & non affliget animam, quanquam ſcilicet impij corpus iuſti fame affligant.At hic ſenſus etſi ſit veriſſimus,& ſpirituali ſcripturarū intelligentię conueniens, non tamen totam ſententiæ vim complectitur,quia veriſimile eſt ſapientem idem enunciare voluiſſe quod Dauid , cum dicit . Non vidi iuſtum derelictum,nec ſemen eius quęrens panem.Et : Non eſt inopia timentibus eum Inquirentes dominum non deficient omni bono. Itaq; cò quod dicitur: Non afflige t dominus,non tantum ſignificatur dominum id per ſeſe non facturum, ſed quod nec fieri id permittet. Vnde vertūt aliqui,Non ſinet dominus eſurire quenquā , Hebræa propriè habent , Non faciet dominus eſurire , vt bene verterit noſter interpres.Et animā iuſti, poſitū eſt ſimpliciter pro ipſo iuſto . Nec obſtat quod contrariū huic ſnīæ accidere videamus . Pertinet enim hæc promiſſio ſecūdum literam potiſſimum ad vetus teſtamentū quo terrena promittebantur . Deinde vt ſupra diximus, ſententiæ hæ ſunt ſententiæ indefinitæ , quæ quod vt plurimum fit pronunciant. Iam raro id fieri Deus promittit,vt iuſtus grauī fame laboret , ſed vt plurimum aliis fame laborantibus,ei Deus proſpicit, quemadmodum & in nouo Teſtamento ſe facturū promiſit.Quod ſi famem corporalem ferre ipſos patiatur , egeſtatem corporalem ſupplet diuitiis ſpiritualibus , & ſaturatione cæleſtium donorum,ita vt famem patiens,verè pingueſcat in animo, & egeſtas ei veræ ſint diuitiæ.

Pſal.36.
Pſal. 33.

Cæterum cum ſecunda ſentētiæ pars parum videatur per oppoſitionem reſpondere priori parti, ſciendum quod pro(inſidias) eſt Hebræis dictio הון hauath , quàm D. Hieronymus fere vertit vt hic, inſidias. Septuaginta alibi ferè vanitatem, vnde hic ferè vertunt alij prauitatem impiorum ſubuerter. Deriuatur autem ea dictio à verbo הוה haua,quod eſſe ſignificat,quod ſecuti Septuaginta verterunt ζωὴν,id eſt,vitam,quamquam videri poſſint illi legiſſe per fortem aſpirationem חיה chauath, quod eſt à verbo חיה chaia, quod viuere ſignificat. Sic autem pulchra erit oppoſitio inter duo huius ſententiæ membra. Non ſinet dominus virum bonum famere , vitam autem impiorum ſubuertet. Quidam dictionem הוה hauath putant hic idem ſignificare quod nomen hon ab eadem radice deriuatū, ſignificans opes & ſubſtantiam , vt ſit, Opes impiorum ſuſtollet,quemadmodum quidam vertit : Nam & ſic erit membrorum iucunda oppoſitio . Non ſinet Deus iuſtos egere : Diuitias vero impiorum tollet ab eis , & diſperget ac euaneſcere faciet , qui ſenſus concordat cum illo Pſalmiſtæ : Diuites eguerunt & eſurierunt , inquirentes autem dominum non deficient omni bono. Ad hunc ſenſum & noſtra lectio & aliorum verſiones accedent ſi ſic intelligamus , Iuſtos non deſeret dominus , nec famere ſinet , at inſidias impiorum quibus iuſtos opprimere ſtuduerunt, & iniuſtè ſibi diuitias pepererunt omnémque illorum prauitatem tollet,quia impios illos ſubitò tollet è terra,omniq; ſua poſſeſſione exuet, & poteſtatem nocendi ſuſtollet.Poteſt tamen noſtra lectio commodè ſic accipi, vt ſecunda pars non ſignificet oppoſitionem cum priori, ſed vt tota ſententia duo beneficia indicet à domino cōferenda ſcilicet , & quod iuſtum ipſe fame non affliget,& quod impiorum inſidias quibus iuſtum opprimere moliuntur, irritas faciet, iuxta illud Iob : Dominus diſſipat cogitationes impiorum,ne poſſint implere manus eorum quod cœperant. Indicare hunc ſenſum videtur interpres,dum non vertit in ſecundo membro aduerſatiuam partem,ſed coniunctiuam,&c.

Pſal.33.

Iob.5.

Egeſtatem operata eſt manus remiſſa,manus autem fortium diuitias parat.

FREQVENTER Sapiens repetit in hoc libro præceptum de labore. Nam cum otii amor & voluptatum penitus hæreat in natura,ſæpe nos admonet,vt diligentiam excitet in nobis.Pigrum hic opponit forti , hoc eſt,ſedulo & ſolicito:Nam hic verè fortis dici poteſt,& hoc propriè ſignificat dictio Hebraica quæ hic & aliàs in hoc libro ponitur חרוץ Charutſ,quam Hieronymus hic ſemper vertit fortem & robuſtum,alii diligentem,ſedulum & ſolicitum . Deriuatur enim a verbo חרץ Charatſ , quod mouere ſignificat . Diligens autem & ſedulus aſsiduè ſe mouet , vt contra piger quietem quærit & otium,Sciendum tamen pro remiſſa, Hebræis eſſe רמיה Remiia , quæ dictio in hoc libro aliquoties occurrit, ſicut & ſuperior. Hanc autem Hebræi magis exponunt per doloſam aut fraudulentam

dulentam quia deriuatur à verbo רמי Rama, quod fraudare significat: vnde & מרמה Mirma, dolus. Cúmque secundum hanc dictionis significationem non videtur apta inter sententiæ partes oppositio, quia nõ aptè fraudulentus sedulo opponitur, explanant hanc partem Hebræi in hunc modum: Manus fraudulenta facit egestatem, quia ob pigritiam opus erit, vt assuescat fraudibus, vt ditetur & viuat, at illius fraudes ex pigritia natæ non prosperabuntur, sed ad egestatem perducẽt. Ipsa tamen oppositio huius dictionis cum ea quæ diligentem & sedulum significat, magis ostendit hanc dictionem etsi in quibusdam scripturæ locis significet fraudulentum & dolosum, hic significare remissum & ignauum, quod magis patet ex similibus sententiis quæ in sequentibus eandem habent dictionem, vt cap. 12. Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis seruiet, & cap. 19. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet, vbi pro remissa & dissoluta, eadem, quæ hoc loco, est dictio, nec bene in illis locis conuenit nomen fraudulenti aut dolosi: Proinde & alij quidam secuti sunt in his locis nostrum interpretẽ: Et bene dictio רמיה Remiia: ignauum significat & remissum, quia radis רמיה Rama, etiam proiicere significat. Iacet autem ignauus & remissus. Dicit ergo remissam, hoc est, ociosam manum operari & parare egestatem, manus autem sedulorum parare diuitias. Qua sententia vt ciuiliter à pigritia dehortatur, & ad sedulitatem excitat, ita secundum spiritualem intelligentiam monet ne negligentes simus in bonis operibus, ne in futuro egestatem patiamur, sed vt potius seduli in bonis actibus diuitias æternas comparemus. Sic enim pleraque huius libri sententiæ sunt generaliter accipiendæ, vt & ad vitam hanc temporalem rectè componendam sint accommodæ & sub exẽplo eius vitæ seruiant spirituali.

5 *Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes.*

HANC sententiam Hebræa non habent, nec eam exponit Beda, habent tamen Græca, quamquam non hoc loco, sed capite superiori, vt dictum est. Et citat priorem eius partem D. Augustl. libr. 3. cont. Cresco. cap. 9. vbi legit, Qui fidit in falsis, hic pascit ventos, Exponit, hoc est, fit esca spiritibus malis. Si, inquit, maledictus est qui spem suam ponit in homine, quanto magis qui spem suam ponit in falsitate opinionis humanæ, vt in aliud incidat quod scriptum est: Qui fidit in falsis, hic pascit ventos, hoc est, fit esca spiritibus malis. Vnde patet eum pascere hic sic accepisse quomodo dicimus cibum nos pascere, quia nutrimentum præbet. At magis videtur hic positum in ea significatione, qua dicimus pastorem pascere oues quas sequitur & dirigit. Est enim Græcis: ποιμαινῆ Cui & conuenit quod in secunda parte dicitur, Idem autem ipse sequitur aues volantes. Itaque qui nititur mendaciis, dicitur pascere ventos, tum quia operam suam perdit, nec assequitur id quod per mendacia assequi laborabat, tum quia talis nihil stabile sequitur, sed rem constantem, quæ proinde illum fallet instar fugacium ventorum & auium. Non enim mendacium & falsitas sibi ipsi constat, sed subinde variatur, & instar venti & auium in vno nõ consistit. Vnde & Paulus hæreticorum doctrinam vento comparat, dum dicit, vt iam nõ simus paruuli, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, Veritas autem sibiipsi semper constat. Vnde de ea dicitur: Verbum autem domini manet in æternum. Itaque qui illi nititur, solido nititur fundaméto, nec inanem rem sequitur. Similia adagia huic sententię sunt quæ refert Erasmus in Chilia: Reti venaris ventos. Et Ventos colis. Ephes. 2. Esa. 40.

6 *Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem flertit æstate, filius confusionis est.*

HEBRAEA ad verbum sic habent: Congregans in æstate filius Sapiens: Dormitans in messe, filius confusionis. Quæ dupliciter accipi possunt, aut vt participia illa congregans & dormitans posita sint pro verbis præsentis temporis, quemadmodum frequenter fit apud Hebræos qui carent verbis præsentis temporis, vt sit sensus, Filius Sapiens congregat in æstate, filius autem confusionis dormitat in messe, quemadmodum plerique vertunt. Aut participia illa accipi possunt, vt sint suppositа verbi, est, subintelligendi, quod deinde regat post se nominatiuos, filius sapiens, & filius confusionis, vt sit is sensus quẽ noster reddit interpres. Nec multum refert vtro modo accipiatur, cum eodem recidat sensus. Docet autem hæc sententia obseruandum esse tempus & occasionem in rebus agẽdis, vt suum quisque pro tempore faciat officium, nec occasionem sibi sinat elabi, ita vt quæratur victus dum vires sunt integræ, studeat iuuentus dum ætas patitur & præceptores habet optimos, ac quisque salutis animæ suæ rationem & curã habeat, dum hic in hoc gratiæ tempore licet, iuxta illud: Quærite dominum cum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Et, Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Non enim hac aliisque sententiis spectãdum quid verba tantum ad literam significent, sed quemadmodum in adagiis & prouerbiis, ad quid sententiæ illæ sint accommodandæ & quomodo ad varia applicari per similitudinẽ commodè possint. Porro vt filius sapiens Hebraica phrasi positum est, pro, homo sapiens, ita filius confusionis est homo dignus confusione & qui in confusionem incidet propter inopiam aut hic, aut in futura vita. Esa. 55. Ioan. 12.

7 *Benedictio super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas.*

QVIDAM libri habent: benedictio domini, quomodo & græca habent, quomodo & Bedam legisse suus commentarius indicat. At Hebræa non habent: domini nec latini codices emẽdatiores. Hebræa primam partem sic habent ad verbum: Benedictiones capiti iusti: quod dupliciter accipi potest, aut vt significetur benedictiones competere capiti

capiti iusti hoc est iusto, quia iusto proprium & genuinam est ore suo omnibus benedicere & bene precari, sicuti cùm dicitur in psalmis domini est salus, vel vt habent hebræa: domino est salus, significatur domino competere vt salutem præstet, hunc sensum secutus est Caietanus: Aut vt significetur capiti iusti omnes benedicere, Deumq; ipsum suis beneficiis illud ornare, quem sensum noster secutus est interpres, dum vertit: Benedictio super caput iusti. Capiti autem tribui benedictio tanquam potiori hominis parti, & tanquam á quo vicissim in iusto procedit benedictio: Aut potius ad significandum quod de cœlo veniat ac palam super hominem. Secunda autem sententiæ pars dupliciter ex Hæbræis verti potest. Aut sic, Os impiorum operit vel operiet iniquitatem, quomodo hic nonnulli vertunt, & mox posta eandem partem noster vertit interpres: Aut eo modo quo hic nos legimus: Os impiorum operit iniquitas. Ambiguum enim est in hebræo vtrum nomen sit accusatiui vtrum nominatiui casus, eo quod hebræi casibus careant. Prior huius membri acceptio, quadrat rectè prioris mẽbri primæ acceptioni, vt sicut iusti est benedicere, ita os impiorum dicatur operire, hoc est includere in se & tegere iniquitatem, quam semper meditantur in aliorum effundere perniciem impij, vt hoc hic dicat Sapiens quod psalmista, dicens: cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo, sub lingua eius labor & dolor. Posterior huius secundi membri acceptio, quadrat rectè posteriori prioris membri intelligentiæ, vt sicut capiti iusti competit benedici, ita contra dicatur iniquitas operire os impiorum, quia iniquitas quã impij ore suo cõtra pios protulerunt, aut quam opere commiserunt, graui eos vltione inuoluet, eorumque ora dehonestabit & tegret, sic vt in suam defensionem illud aperire non possint, nec in aliorum perniciem. Itaque in hoc est oppositio quod sicut caput iusti benedictionibus ornatur, ita os impiorum propriè iniquitatis vltione confunditur & dehonestatur, iuxta illud Psalmi. Omnis iniquitas opilabit os suum. Patet ergo nostrum interpretem rectè vertisse cum in nostra versione secunda pars priori conueniat, Alius autem quidam vertat: Benedictiones sunt super caput iusti, & os impiorum operit iniuriam. In qua versione secundæ partis acceptio non conuenit priori parti. Psal. 3. Psal. 9. Psal. 106 Psal. 15.

8 *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.*

PRO cum laudibus Hebræis est: In benedictione, vel ad benedictionẽ. Hoc est, Memoria iusti fiet cum benedictione, commendatione & laude eius, at nomen impiorum paulatim deficiet veluti res putrescens, aut veluti res putrida fœtebit, sordescet, ingratáque erit eorum memoria. Veritas huius sententiæ agnoscitur apud bonos, qui iustos & viuentes, & defunctos laudibus efferunt, bene dicentes eis & bene precantes: Nomen autem impiorum ob actus eorum detestantur, ita vt dicant, Nec memor ero nominum eorũ per labia mea. Vnde Psalmista de iusto dicit: Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Concordat hæc sententia cum superiori, ostenditque superiorem rectè ab interprete versam. Psal. 14.

9 *Sapiens corde præcepta suscipiet, stultus ceditur labiis.*

ABLATIVVM (corde) coniungendum non cum verbo suscipiet, sed cum dictione, sapiens, patet ex Hebræis, quia sapiens ponitur in regimine. Sensus ergo est, is qui verè sapit, admittit præcepta, lubẽter patitur se doceri & moneri: at stultus cæditur labiis docentis, quia molestum est ei audire docentem. Secundum hunc enim intellectum pulchra est inter membra sententiæ oppositio. Quanquam intelligi etiam possit de labiis stulti hoc modo: Stultus cæditur labiis suis, hoc est, propter labia sua punietur, quibus scilicet obmurmurat docenti & contradicenti, omnibúsque obloquitur, multa temerè profundens. Sciendum tamen Hebræa habere, stultus labiis cæditur, vel vt alij vertunt, impinget, ita vt nomen correspondens dictioni, labiis, ponatur in medio, sicut mox eandem partem vertit noster interpres. Itaq; dubium est an dictio, labiis, coniungenda sit cum nomine, stultus an cum verbo sequenti. Verbo coniungit noster interpres. At alij ferè coniungunt nominatiuo, stultus, vt sicut nominatiuo sapiens iungebatur ablatiuus, corde, ita nunc ablatiuus, labiis, iungatur nominatiuo stultus & sit oppositio inter sapientem corde & stultum labiis. Est autem stultus labiis qui temere loquitur, qui præceps est in lingua, & vult docere antequam didicerit. Secundum hanc lectionem sensus erit, Sapiens corde nõ temere verba faciet, non subitò ad docendum prosiliet, quoniam potius alios gaudebit audire, & ab eis præcepta vitæ suscipere: At qui stultus est labiis suis, temerè prorumpens ad quæuis dicendum, ad docendum alios subitò se tradens, pœnas dabit suæ temeritatis sibíq; sua lingua offendiculũ pariet & ruinã, In hunc sensum potest & nostra accipi lectio, vt ad id spectet hæc sententia quod dicit Iacobus: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Iacob 1.

10 *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas: manifestus erit.*

PRO, simpliciter, Hebræis est בתומו Battom hoc est, in integritate & perfectè. Ambulat ergo simpliciter qui innocenter viuit & dolo caret nequaquam fucatus ad decipiendum. Is autem ambulat, hoc est, viuit & conuersatur confidenter: hoc est, securè, tutò & cum bona spe, quia innocentia tutum hominem facit à malis, quæ iustitia tum diuinatum humana infert peccatoribus. Tutum item facit à timore verecundiæ & reprehensionis, quia non metuit deprehendi in falsitate & secta fictione & versutia. Confidentem etiam facit de diuina protectione contra improborum iniurias, ita vt dicat, Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Maximè cũ sciat etiamsi incidant quædã mala, nihil hæc illius

illius salutem impedire posse,sed potius pro-
1. Pet.4. mouere,iuxta illud Petri:Et quis est qui vo-
bis noccat si boni æmulatores fueritis? Sed &
2.Ioan.3. si quid patimini propter iustitiam,beati. Et si
Sapien.7 cor nostrum non reprehenderit nos, fidu-
Iob. 15. ciam habemus ad deum:Contra,semper præ-
sumit sæua perturbata conscientia: Et de impio dicitur apud Iob: Sonitus terroris semper in auribus eius,& cum pax sit, ille insidias suspicatur:Non credit quod reuerti possit de tenebris, circunspectans vndiq; gladium. Ambulanti simpliciter opponitur, Qui deprauat vias suas, hoc est, qui prauas sectatur vias & actiones,quique in suis actibus subdole se gerit,fictione vtens ad fallẽdum.De hoc dicitur quo manifestus erit, vel vt habent Hebræa & Græca,cognoscetur & deprehendetur, quod significatur quod talis nõ ambulat confidenter,qui etiamsi ad tẽpus prauitas animi ipsius propter fictionem lateat, tandem tamen deprehendetur & agnoscetur quis sit, & quamquàm ad tempus deus dissimulare videatur, & ob id sine omni timore perpetret mala,tandem tamen aliquãdo inquisitionem operum eius faciet, eáque toti orbi denudabit. Sunt qui (quoniam illud manifestum erit, aut cognoscetur,non videatur includere aliquid oppositum illi quod in priori dicitur membrõ: ambulat confidenter) vertendum putat verbum Hebraicum per conteretur vel frangetur: Nam & hoc putatur aliquando verbum hic positum significare.Verum ex prius posito commentario,patet optime hic habere locum quod noster vertit interpres. quæ propria est verbi significatio.

11 *Qui annuit oculo, dabit dolorem, & stultus labiis verberabitur.*

DOCET hęc sententia sicut & posterior pars superioris impietatem etiãsi ad tẽpus & lateat,& tollere,nõ forè impunitã, nequidé eam, quæ ore committitur. Annuere oculo aliquoties in scripturis occurrit,& semper in malam partem,vt pote conditio malorum,vt Psal.34.Prouerb.6.Item hoc loco, & Ecclesiastici.27. Et sunt qui in quibusdam his locis annuere oculo positum putant, vt sit signum gaudij, quo inimici sese mutuò in malis alterius concitant ad gaudendum & ridendum. Verum ex Ecclesiastici loco magis patet scripturam,hanc phrasim vsurpare pro fraudulenter cum aliquo agere & pacem simulare.Nam hoc fit nutibus oculorum,Dicitur enim ibi:Annuẽs oculo fabricat iniqua.In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suũ,& super sermones tuos admirabitur.Nouissimè autẽ peruertet os suũ,& in verbis tuis dabit scandalũ,&c.Vbi ex descriptione cõditionũ annuẽtis oculo,satis patet annuere oculo nihil aliud esse quã hypocritã agere:amicitiamque simulare. Vnde & in Psalmo prædicto postquam dictum esset, & annuunt oculis veluti significandi causa subiicitur. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant: Et Prouerb. 6. de annuente oculis dicitur, graditur ore peruerso, & prauo corde machinatur malum. Et hoc loco præcedit de Psal.34.
prauante vias suas,qui opponitur, ambulanti simpliciter, cui item opponitur fictus quisque amicus & simulator. Bene ergo subiicitur.Qui annuit oculo, hoc est, qui oculorum nutibus amicitiam falso simulat, dabit dolorem. Quod pleriq; intelligunt vt concordet cum illo,quod mox ex Ecclesiastico citatum est,Annuens oculo fabricat iniqua, hoc est, vt dicitur Prouerb.Machinatur malum, aliis scilicet inferre, vt & hic sit sensus:Dabit aliis dolorem, negotium aliis adferet & molestiam. At vt hoc primum istius sententiæ membrum correspondeat secundo, magis videtur intelligendum de dolore quem sibi adfert tandem simulator, qui tandem suæ simulationis detectæ dabit pœnas, aut frustratum lugebit conatum suum. Sequitur enim: Et stultus labiis verberabitur. Vbi sicut prius stultus labiis opponebatur sapienti corde,ita nunc componitur & comparatur cum annuẽte oculis. Atque hic iam primus versus est in quo apertè non virtus vitio opponitur, sed vitium vitio componitur, quod in hoc libro & aliàs sæpè fit. Significatur ergo nec fictum in oculorum nutibus, nec stultum in loquendo quęuis temere dignas pœnas euasurum. Potest tamen annuere oculo,iuxta ea quæ dicta sunt in c.6. etiam accipi, pro eo quod est signo oculorum alios excitare in alicuius perniciem & irrisionem. Nam & talis, dabit iustas pœnas, iuxta quod ibi dicitur: Huic extemplo veniet perditio eius.

12 *Venavitæ os iusti: os autem impiorum operit iniquitatem.*

VENA vitę dictum est pro fons vitę, quo modo vertit interpres rectius in Psal.35. Quoniam apud te est fons vitæ,vt ne quis putet alludi ad venas corporis, sed ad venas terræ. Dicitur autem rectè os iusti vena & fons vitæ,quia ex ipso procedunt verba vitæ, vtpote per quæ homini bene consulitur & docetur hic bene viuere,vt & hic coram Deo viuat per gratiam, ac tandem vitam consequatur æternam. At contra os impiorum in se operit & concludit iniquitatem,ita vt sit velut fons iniquitatis quam suo tẽpore in aliorum profundit perniciem & mortem. De linguæ orisque tum virtute tũ vitiis crebra Salomoni mentio: quod à lingua sapientis multum boni,ab insipientis multum mali proueniat.

13 *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit, charitas.*

INDICAT hæc sententia vnde tot rixæ & contentiones sint inter homines.Vt autem verissima est inter odium & charitatem oppositio,ita pulcherrimè Sapiens distinxit illorum duorum variam & diuersissimam operationem odium hąc ratione nobis vituperans,& charitatem commendans.Odium,inquit,vt ex rixis & contentionibus plerunque nascitur, ita inter eos inter quos est, nouas subinde exuscitat rixas & contentiones, vel ex minima etiam frequenter re, & ex parua admodum vel nulla causa,dum quoduis quãtumuis exiguum peccatum magni facit & grauiter

grauiter exaggerat, ac vndique occasionem captat contendendi & rixãdi, quiduis in malam rapiendo partem. At contra charitas & dilectio non parua tantum, sed vniuersa delicta operit,quia efficit,vt quis delicta alterius etiam magna nõ multum attendat ad exagerandum ea aut vindicandum,sed vt potius ea extenuet, obliuiscatur & è memoria deleat ac condonet, proinde cõtra quam facit odium,sopit rixas,quæ ex commissis delictis
Psal. 31. oriri possent.Est ergo operire delicta,condonare, sicut in Psalmo dicitur: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta
1.Petr.4. sunt peccata.D.Petrus ex hoc loco charitatis desumpsit commendationem, sic scribens. Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes quia charitas operit multitudinem peccatorum.Quod non ex Septuaginta versione quæ hic longé aliter habet,sed ex Hebraicę veritate desumptũ est.Porro odium non tantum suscitat in habente odium rixas, secundum modum superius indicatum, sed & in his contra quos est odium,dum armarulentia odientis & iniuria ad lites prouocantur. Ita charitas non tantum delet peccata in animo diligẽtis,sed & in animo peccantis,qui charitatis alienæ exhibitione vincitur ad redamandum,iuxta illud:Si esurierit inimicus tuus,&c.At priorem intellectum magis voluit sapiens indicare.Potest & de propriis delictis eius qui diligit intelligi quod dicitur: charitas operire omnia delicta,vt sit sensus: Odium fractis facit vt Deus contendat cum odiente:at charitas coram Deo operit omnia delicta diligentis,iuxta illud Iacobi:Qui cõuerti fecerit peccatorẽ, operiet multitudinem peccatorum.
Prouer. 25.
Iac. 5.

14 *In labiis sapientis inuenitur sapientia,& virga in dorso eius qui indiget corde.*

DISSIMILITVDINEM inter sapientem & indigentem corde,vel vt habent Hebræa deficientem corde,hoc est, insipientem,indicat hanc,quod per sapientiam fit vt in labiis sapientis inueniatur sapientia quæ sapienter eum loqui multa facit, quod ad ipsius sapientis facit decorum & gloriam, At per insipictiã fit vt in dorso stulti inueniatur virga,hoc est, vt propter multa quæ insipienter & agit & dicit,grauiter ipsum castigari & puniri cõtingat cum multo ipsius dedecore Significat ergo sapientiam suum posse fatẽri apud homines decorare,insipientiam dedecorare:& quod sicut in labiis sapientis inuenitur decus eius, ita in dorso stulti dedecus eius Græcus alium ex Hebræis colligit sensum forte quia partes huius sententiæ non videbantur inter se aliquã habere oppositionẽ aptã, Habet enim sic, ὃς ἐκ χειλέων προφέρεται σοφίαν ῥαβδῳ τύπτεται νῶθρα ἀκαρδίαν, qui ex labiis profert sapientiam, virga percutit virum vecordem.atque sensus Hebraicæ lectionis & nostræ versionis esset. In labiis quidem sapientis verè inuenitur sapientia. At hæc ipsa sapientia est veluti virga in dorso insipientis,sicut suprà dictum est: Stultus cæditur labiis, quia, quantumuis salubrem ac sapiẽtem admonitionem, stultus non secus execratur quam virgam,nec minus ea affligitur & cruciatur quam virga. Rodolphus sic intelligit Si quis quærat sapientiam inueniet eam in labiis sapientis,verum quoniam insipiens eã ibi non quærit, ideo tandem inuenietur in dorso eius virga,& dabit vexatio intellectum ei qui verbo instrui noluit.

15 *Sapientes abscondunt scientiam,os autem stulti eorum fusioni proximum est.*

RECTE postquam est in labiis sapientis inueniri sapientiã, subiungitur sapiẽtes abscondere scientiam, ne putetur sapientis esse quouis tempore sapientiam labiis ostendere,sed intelligatur & in silentio fiam esse prudẽtiam.Cæterum variis modis declarari potest,quomodo sapientes abscondunt sciẽtiam,nimirum quia suam scientiam non curant foris ostentare more stultorum, sed potius per modestiam eam regũt.Deinde quia nõ quouis tempore & loco sapientiam suam depromunt, sed cum opportunum est & locus postulat,& cum adsunt qui percipiendę sapientiæ sunt idonei, ne spargant margaritas ante porcos, spiritualibus spiritualia cõparantes, & sapientiam cum Paulo loquẽtes inter perfectos. At quod hic sapiens potissimũ significare voluit istud est: Sapiẽtes abscõdere frequenter id quod sciunt, & omnino quædam siue ad se siue ad alios pertinentia subticere, quia non expedit illa vulgare, vtpote ex quorum publicatione detrimẽtũ aliquod sequi posset.Is enim sensus conuenit sequenti parti: Os autem stulti confusioni,vel(vt habent hebræa & græca)contritioni proximum est. Quo significatur stultum & imprudentem hominem ore suo temerè indicare & effutire quod scit, & ob id confusionem,contritionem & malum accersere sibi & aliis:Vnde dicitur: homo sapiens tacebit vsque ad tempus,lasciuus autẽ & imprudens non seruabit tempus. Itaque non loquitur hæc sententia de scientia artis aut sapiẽtia,sed de simplici scientia,hoc est,cognitione aliquarũ rerũ.Et significatur rectè hęc partium oppositio,Sapientes abscõdentes quod norunt,cauent confusionem & mala multa, stulti temerè nimis offundendo quod sciunt confusionem cito & malum adducunt. In membris enim harum sententiarum sæpè ex vtraque parte supplendum est, quod ex altera intelligendum relinquitur,vt cum hic in priori membro tantum dicatur de sapientibus quod abscondant sapientiam, ex posteriori datur intelligendum quod abscondendo, contritionem præcauent, & cum in posteriori tantum dicatur quod os stulti vicinum sit confusioni, ex priori datur intelligi id prouenire ex temeraria eorum quæ sciuntur euulgatione.Conuenit prouerbium cum illo Catonis:Nil tacuisse nocet,nocuit tamen esse locutum.
1.Cor.2.
Eccl.20.

16 *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius,pauor pauperum egestas eorum.*

INDICAT hæc sententia quantum differat diues à paupere,quid diuitię diuitibus addant,

addēt,quid inopia pauperibus,valétq; ad hoc vt ne quis diuitias conténat, sed iusta ratione eas sibi paret, & otiū fugiat paupertatis causam.Sicut enim protegit sapiētia, sic protegit Eccles.7 & pecunia.Substantia, inquit diuitis, hoc est, opes & diuitię eius,sunt veluti vrbs fortitudinis suæ , quia fidit in eis ceu in vrbe munita, ita vt ea fiducia audacior sit ad quæuis,minúsque alios metuat, nec multū formidet pleraq; huius vitæ mala. At egestas pauperū est pauor eorum,hoc est,causa est vt mętuant aliorum potentiam,& malum inopiæ,metuant etiam sese proferre & virtutes suas ostendere. Pro(pauor)verti etiam ex Hebræo potest, cōtritio vel cōfractio,quomodo & Septuaginta verterunt,vt significetur paupertatem debilitare & frangere pauperes,quia scilicet efficit vt non possint resistere aliorum violentiæ,& quia frangit animos pauperum. Et redit sensus ferè eodem. Porro vt hac sententia intelligi datur ad literam differentia inter diuitias & paupertaté,ita secundum spiritualē intelligentiam monet spirituales virtutū diuitias comparare,vt per eas tanquā vrbe quędam munita tutus sit quis & securus contra irā diuinam, cauere item ab inopia spirituali & bonorum operum egestate , ne venturam Dei iram nimis timere cogatur.

18 *Opus iusti ad vitam, fructus autem impij ad peccatum.*

SVBAVDIENDVM in vtroque mēbro verbum, est , & est sensus Iustus operatur & laborat, non vt habeat vnde luxurietur & desideriis prauis satisfaciat, sed vt viuat,at fructus,vel vt habent Hebræa,prouentus qui impio prouenit ex laboribus ipsius , aut etiam citra eius operam,vsurpatur ab eo ad peccatum.Hoc est ergo differentiæ inter iustum & impium quod iustus quærit opus, impius fructus & prouentus operum,siue suorum, siue alienorum.Iustus quærit ex opere suo vitam, impius vtitur suis bonis ad peccatum.Itaque non est hæc sententia propriè intelligēda de opere iusti meritorio,aut de vita æterna,quāquam secundum spiritualem intelligentiam possit etiam sic intelligi. Opus omne iusti tēdit ad vitam æternam consequendam:At fructus qui ab impio prouenium, hoc est opera eorum, ad peccatum tendunt ac proinde & ad mortē æternā.Vnde Græcus habet,ἐργὰ δικαίων ζωὴν ποιεῖ καρποὶ ἀσεβῶν ἁμαρτίαι. id est , opera iustorum vitam generant,fructus impiorum peccata.

18 *Via vitæ custodienti disciplinam,qui autem increpationes relinquit,errat.*

HEBRAEIS non est via vitæ , sed quod planius est, via ad vitam. Dicit ergo custodienti disciplinam,hoc est, castigationē & eruditionem,competit via ad vitā,quia is ambulat ad vitā æternam.At contra qui increpationes abiicit, errat ac proinde est extra viam quæ ducit ad vitam æternā,gradiens ad mortē.Sciendū autem priorem partem apud Hebræos habere aliquid difficultatis, quia participium nō habet adiunctam literā ל Lamed, quę nota esset datiui casus, ita vt ad verbum sic habeatur. Via ad vitam custodiens disciplinam,inde nata est varietas versionum.Quidem enim vertit.Semitam ad vitam custodit castigatio , sicut & Græca habent.Alij,via ad vitam est custodire castigationem. At cum omnino videatur custodiens disciplinam opponi ei qui in secunda parte dicitur,relinquere increpationes, rectius cū nostro interprete subintelligitur in participio litera ל Lamed,aut ורח Orat positum est pro ורא Oreah,vt non sit via ad vitam, sed ambulat ad vitam custodiens disciplinam, quomodo videtur accepisse quidam,qui vertit,Ad vitā tendit,qui disciplinam custodit.Prouerbium docet hominem lubenter se subiicere disciplinæ maiorum & correptioni verbi Dei.

19 *Absondunt odium labia mendacia, qui profert contumeliam,insipiens est.*

AD hunc vel similem modum omnes ferè vertunt, cum nec sensus rectè constet,nec Hebræa sic habeant. Nō est enim verbum pluralis numeri , sed singularis numeri absçondens vel operiens,vt ad hunc modum vertendum videatur. Absçondens odium labiis mendacibus & proferens diffamiam,ipse stultus,hoc est vterque horum est stultus. Itaque duo linguæ vitia inter sese contraria hic describuntur, quorum alterum est tegere odium verbis falsis, & sermonibus amicitiam simulantibus ad decipiendum , alterum est ex odio proferre alicuius infamiam & contumeliam.Ambo hæc quantumuis sint diuersa & contraria,insipientis sunt,& stulti quia imprudenter fiunt & impiè. Nostra litera vt ad hunc sensum accedat, sic est accipienda. Labia mendacia nonnunquam malignè absçōdunt latens in corde odium , & tamen simul cum eo qui hoc agit etiam est insipiens , qui odium non absçondit , sed ex odio alterius profert infamiam. Potest tamen & sic accipi nostra litera.Frequenter accidit vt quis labiis mendacibus,quibus scilicet amicitiam simulat,absçondat odium & malè facit: at qui statim ex impotentis animi odio,profert contumeliam in alium,præ illo insipiens est,quod odium suum dissimulare nesciat,cum ille in specie sapiētiam prę se ferat eo quòd odium celet. Itaque conuenit hæc sententia cum illa quæ infra est cap. 12.Patuus statim indicat iram suam , qui autem dissimulat iniuriam callidus est. Græca habent: Absçondunt odium labia iusta.

20 *In multiloquio non deerit peccatum,qui autem moderatur labia sua,prudentissimus est.*

TRACTAT Augusti.li.1.contra Cresco. cap.1. hanc sententiam arguens illum quod contra eloquentiam citaret. Ex multa eloquentia non effugies peccatum, cum dictum non sit ex multa eloquentia , sed ex multiloquio. Multiloquium autem , inquit, est superflua locutio,vitiū scilicet,loquendi amore contractum.Adeo autem multiloquiū vitandū,vt & in oratiōe Christus illud abesse voluerit. De quo & Ecclesiastici 20. dicitur: Qui Augus. Eccl.20

Qui multis vtitur verbis lædet animam suam. Hebræa non habent prudentissimus , sed tantum prudens,& habet se tota sententia sic: In multitudine verborum non deerit peccatum, & qui cohibet vel prohibet labia sua prudens est.Bene autem dixit non futurum peccatum in multiloquio vel multitudine verborū, quia præter alia peccata , quæ loquendo committuntur in multitudine verborum difficile vitatur mendacium,difficilius verba vanitatis & ociosa. Multa item indiscretè dicuntur & incircunspectè,vnde multi offendūtur aut turbantur , proinde qui cohibet labia sua à multiloquio,& labiis suis modū imponit, hic prudenter agit,quia multa vitat peccata,multorumq; offensioner. Quin & prudentissimus rectè dicitur, Iacob. 3. quia vt habet Iacobus: Si quis in verbo non offendit,hic perfectus est vir.

21 *Argentum electum lingua iusti,cor autem impiorum pro nihilo.*

QVOD nos habemus pro nihilo, hebraicè est quasi modicum:Et est sensus.Lingua iusti est velut argentum electum , hoc est res est preciosa,at non solum lingua,sed & cor impiorum quasi modicum est & pro nihilo, quia parum boni habet,ac proinde parui pretij est,aut nullius. Modicum enim pro nihilo reputatur. Et quidem simpliciter sic accipi potest quod dicitur lingua iusti argentum electum. At subtiliori intelligentia etiam significatur sermonem iusti velut argentum electum igniq; purgatum , purum esse atque igni diuino examinatum, & ob id splendere pulchrè ac gratum esse.

22 *Labia iusti erudiunt plurimos, qui autem indocti sunt,in cordis egestate morientur.*

HEBRAEA sic habent ad verbum:Labia iusti pascent multos , & stulti in defectu cordis morientur.Benè quidem sensum prioris partis reddidit noster interpres, quia labia iusti non pascunt multos nisi erudiendo eos, sed petit apud nos gratia oppositionis inter pascere & mori.Sensus ergo est.Labia iusti pascunt multos , quia pabulo doctrinæ animas hominum nutriunt & viuere faciunt:At contrà stulti non solum alios pascere nequeunt bonis sermonibus,sed ipsimet propter inopiā cordis & sapientiæ morientur morte animæ, hic & in futuro.Ita Caietanus.Potest tamen & sic intelligi,vt non significetur differentia inter effectus & conditiones iustorum & stultorum,sed tantum describatur efficacia eloquiorum iusti, quæ tamen non perueniat ad stultos,vt sit sensus:Labia iusti pascunt quidē multos,at stulti quoniā à iusto pasci recusant propter defectum sapientiæ morientur. Atq; hāc sensum secutus videtur noster interpres, & sic rectè constat nostra versio.Est enim sensus: Labia iusti eruditi multos,at qui ab eis se doceri non patiuntur, sed indocti manent, morientur por cordis egestatem.

23 *Benedictio domini diuites facit, nec sociabitur ei afflictio.*

IN priori membro hebraïs est pronomen nequaquam ociosum : Benedictio domini ipsa ditat.Pronomen enim hoc opponitur fortunę & nostræ diligentiæ.Secunda pars ad verbum sic habet:Et non apponet dominus, scilicet molestiam vel dolorem cum ea. Vnde patet apud nos non legendum eis sed ei,vt habent codices emendatiores. Est ergo sensus: benedictio domini hoc est diuinus fauor & Dei beneficentia ipsa sola verè locupletat & sic locupletat vt suę beneficentię non adiiciat aut societ molestiam aut afflictionem animi, nimirum quia citra hominis auxiam solicitudinem & animi cruciatum,diuitias piis largitur,cùmq; sine animi molestia frui donat.Quod ipsum sapiens dicit,ad differentiam diuitiarū quas impij possident non ex benedictione diuina,sed per auaritiam & iniustitiā. Eas enim non parant sine magno animi cruciatu,& corporis multiplici molestia , nec possident nisi cum multa animi afflictione,vix partis vti audentes.Quamquam autem hęc sentētia etiam locum habeat in corporalibus piorum hominum diuitiis, tamen maximè vera est de diuitiis spiritualibus,quę in sapientia & virtutibus consistunt. Hæ enim & solæ sunt veræ diuitiæ,& tantum diuina beneficentia parari possunt,nec aliquam secum adferunt molestiam, sed plurimam voluptatem. Vnde de sapientia dicitur, Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.Et rursum. Non habet amaritudinem conuersatio illius , nec tędium conuictus illius sed lætitiam & gaudium. Sapien.7 Sapien.7

24 *Quasi per risum stultus operatur scelus , sapientia autem est viro prudentia.*

PRIMAM partem clarius habent hebræa in hunc modum : Quasi risus est stulto operari scelus, hoc est,putat esse rem ridiculam & iucundam,nō magni facit peccare,sed parui pendit,imò lætatur operando scelus & ridet.Secunda autem pars quamquam aliter verti possit,potest tamen ex hebræo etiā verti vt nos legimus,nisi quod pro prudentia magis conueniat intelligentia. Et erit cōuenientior hic sensus.Cū stultitia hoc efficiat in stulto vt quasi ridendo operetur scelus,sapientia contra est homini prudentia vel intelligentia hoc est adfert ei prudentiā & intelligentiam qua scilicet cognoscat quàm sit res grauis & execrabilis operari scelus. Vnde græca habēt sapientia autē parit viro prudentiam.Quamuis & sic possit intelligi vt nomen prudentia præconstruatur & sit sensus.Prudentia autem est viro sapientia,hoc est prudenter animaduertere & intelligere quā seria res sit operari scelus, & ad quod malū perducat hominem, est viro magna sapientia.Potest ex hebræo etiam verti:Sapientia est viro intelligentiæ.

25 *Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur.*

BENE hic versus subiectus est superiori. Cum enim ibi dictum sit stultum iocando & gaudendo operari malum,hic significatur impios non esse liberos à timore eoque non vano.Quamquam enim ante sceleris perpetrationem

petrationem aut in ipſa perpetratióne peccatum res videatur leuicula, amœna & riſu digna, tamen perpetrato ſcelere frequẽter conſcientiæ ſtimulis agitantur, ſibíque male conſcij ſupplicium metuunt, quod niſi mutent animum in melius, certo aliquãdo aut hic aut ſaltem poſtea veniet ſuper eos. Timent enim ob peccata ſua infortunia huius vitæ, at hæc plerunque pro merito ſuo iuſtè incurrunt, timent gehennam poſt hãc vitam, quamquam non ſatis, eámque iuſto Dei pati cogentur iudicio. Nec his tantum ſententiæ huius veritas declarari poteſt quæ propter peccata ſua timent impij ventura ſupplicia, ſed & in aliis pleriſque rebus. Timent enim patrato ſcelere, ne in palam veniat, & confundantur apud homines, ideóque & varia comminiſcuntur & agunt quo male admiſſa tegant, verum iuſto Dei iudicio fit ſæpè, vt quàm vitare conantur confuſio veniat ſuper eos, quemadmodũ Dauid adulterij ignominiam timens homicidio voluit tegere crimen, quod tamen Deus in oculis ſolis exponi curauit. Rurſus timent frequenter ne ea eueniant quæ ſunt eorum deſideriis & concupiſcentiis contraria, euentúſq; talium variis rationibus conantur præcauere, verum fruſtra frequenter, Deo ſcilicet eorum conatus reddent irritos, & ea, quæ noluerunt, inducente ſuper eos. Ita mortem, famen, aliáque mala quæ timent, frequenter effugere nequeunt. Ita Herodes dum nece infantum regnum ſuum conſtabilire ſtuduit, & Meſſiæ regnum euertere, regnũ in ſua poſteritate amiſit. Ita ſcribæ & Phariſæi, qui timebant ne venirent Romani & tollerent eorum locum & gentem, quod innocentis morte putabant ſeſe euaſuros, inciderunt in Romanorum manus, gente & loco perditis. Bene autem ex oppoſito de iuſtis dicitur: Deſiderium ſuum iuſtis dabitur. Impiis enim tribuit timorem malorum, iuſtis deſiderium bonorum. Et ſicut illorum timorem dicit non eſſe vanum, ita nec horum deſiderium. Per quæ duo etiam amplius quidquam apertè dicit, ſignificare voluit, nempè & iuſtos liberos fore ab his quæ timent impij, & deſiderium ſuum impios non conſecuturos: Iuſtis autem dicit dari illorum deſiderium, hoc eſt, quod ipſi deſiderant, quia quatenus iuſti ſunt nihil petũt abſolutè niſi quod eſt ſalutare. Illud autem & hic conſequuntur, & poſt hanc vitam cum vnicè deſideratam percipient beatitudinem.
Pſal. 144. Voluntatem enim timentium ſe faciet dominus, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

26 *Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.*

RECTE ſic vt nos legimus verti poſſunt Hebræa, vt cõparetur impius tempeſtati tranſeunti, quia etſi ad tempus inſtar tempeſtatis, terribilis ſit hominibus, non diu tamen ſubſiſtit, ſed ritu procellæ prætereuntis, ſubitò è vita tollitur, quæ quantumuis videatur longa hic eſſe, tamen ad æternitatem ſequentem, in qua æternam m oritur mortem, breuis eſt. Iuſtus autem fundamẽto ſempiterno, hoc eſt, diu duranti cõparatur, quia aut iuxta promiſſiones veteris Teſtamenti diu in hac vitã perſiſtit, aut etiamſi hic non diu viuere detur, non tamen viuere deſinit, vt qui per mortem corporalem, veram æternámque adipiſcatur vitã. Poſſunt tamen Hebrea & aliter & rectius verti in hunc modum. Cum pertranſit tempeſtas nõ manet impius: At iuſtus fundamentum eſt ſeculi: vt ſignificetur impium ſubito ruere cum ingruit tribulatio vel tentatio, Iuſtum autem firmum manere, vtpote ſolidatũ ſuprà firmam petram. Sic Græcus interpres, qui habent παραπορευομένης καταιγίδος ἀφανίζεται ἀσεβής, δίκαιος δὲ ἐκκλίνας σώζεται εἰς τὸν αἰῶνα, id eſt, prætereunte procella tollitur è medio impius iuſtus autem declinans, ſeruatur in ſeculum.

27 *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis ſic piger his qui miſerunt illum.*

MONET hæc ſententia diſpicere diligenter quibus quis negotia ſua gerenda & curanda committat. Sicut, inquit, acetum, eſt dentibus noxium, quos ob acredinem ſtupefacit, inidoneóſque reddit ad bene maſticandum, & ſicut fumus eſt noxius oculis quos hebetat & pungit: Sic piger his qui miſerunt illum eſt noxius & moleſtus, quia dum cauſam eorum ſibi commiſſam malè curat per ſuam pigritiam, nocumentum ſimul & dolorem eis adfert, facitq; vt cauſam ſuam bene diſponere nequeant.

28 *Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.*

PLERAEQVE ſunt in veteri teſtamento ſcripturæ huiuſmodi, quæ iuſtis longitudinem vitæ promittunt, contra impiis breuitatem. Quæ quamquam ad literam maximè veteri fœderi terrenas promiſſiones continẽti congruant, tamen & à nouo Teſtamento non abhorrent, quod promiſſioné habet vitæ quæ nunc eſt & futuræ. Timor ergo domini apponit dies, hoc eſt, longitudinẽ adfert vitæ, quia 2.Tim.4
propter timorem domini frequẽter hic Deus longam piis concedit vitam, cum contra iuſto ſuo iudicio impios ante tempus ſubitò tollatè mundo. Rurſus timor domini apponit dies, & contra anni impiorum breuiãtur, quia timor domini quietam affert conſcientiam, ſobriè facit viuere & iuſtè, ac proinde ab immatura morte per intemperantiam aut humanam iuſtitiam inferenda præſeruat: Cum contra impij per intemperantiam ſeſe ante ſtatutum perimant tempus, ac propter iniuſtitiam ſæpè per iuſtitiam tollantur è medio. Poſtremum timor domini apponit dies, impietas autem breuiat annos, quia timor Domini dies æternos apponit vitæ præſenti, impietas autẽ efficit, vt breues ſint anni hominis, quia non viuit niſi in hac vita poſt eam moriturus in æternum, nec poſt ſe aliquam apud homines honeſtam relicturus famam.

29 *Expectatio iuſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit.*

QVID eſt expectatio iuſtorum lætitia? An non & impiorum ſpes & expectatio eſt lætitia? Nemo enim ſperat aut expectat niſi lætitiam & bonum. Videtur ergo prior pars ſic accipienda. Expectatio iuſtorum fit tandẽ lætitia, quia quod expectant & hic & maximè in futuro conſequuntur, eóque quod expectauerunt adepto lętantur: At ſpes impiorum fruſtrabitur, ac proinde mœrorem propter fruſtrationem adferet.

30 *Fortitudo ſimplicis, via domini, & pauor his qui operantur malum.*

SIMPLEX hic rurſum dicitur, ſicut ſuprà ſimpliciter pro integro, recto & perfecto, magiſque quadraſſet datiuus (ſimplici) vt habét Hebræa, ſicut eſt datiuus in ſecunda parte. Senſus ergo eſt, Via domini, hoc eſt lex domini eſt homini recto & integro fortitudo, quia per eam à ſe ſeruatam forti eſt animo & confidenti. At eadem via domini eſt pauor operariis iniquitatis, quia propter eam à ſe neglectam, ſibi malè metuunt, & redarguente eos ſemper conſcientia ipſorum ad cuiuſuis occurſum palleſcunt. Pro, pauor, aliqui vertunt, contritio, nam Hebraica dictio vtrumque ſignificat. Dicitur autem via domini contritio impiorũ, quia propter illam contemptam conterentur, & quia lex ipſa impios condemnabit. Poteſt & ſic accipi ſecunda pars non vt repetatur via domini, ſed ſimpliciter tantum ſignificetur his qui operantur malum aduenire pauorem, ex ipſa ſcilicet operatione mali: ſicut ex operatione boni ſimplici accedit fortitudo. Idem pulchrè habet & Cicero pro Milone: Magna inquit, vis eſt conſcientiæ in vtramque partem, vt neq; timeant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Cæterum quod hic dicitur de via domini, poteſt etiam intelligi de modo & ratione qua Deus agit cum hominibus. Nam & hęc via eius iuſtis animum addit & robur, & impiis pauorem adfert & metum. In ſcripturis enim & lex domini via eius dicitur, quàm ſcilicet nos vult
Pſal. 24. ambulare. vt cum dicit Propheta: vias tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Et ratio item modúſque agendi quo Deus agit cum hominibus, vt cum dicitur in Eſa. Non enim cogitationes meæ cogita-
Eſa.55. tiones veſtræ, neque viæ meæ viæ veſtræ, dicit dominus.

31 *Iuſtus in æternum non commouebitur, impij autem non habitabunt ſuper terram.*

Pſal. 14. SIMILIA his frequenter habet & Dauid:
Pſal. 124. Qui facit, inquit, hæc, non mouebitur in
Pſal. 36. æternũ. Et: Qui confidit in domino ſicut mons Sion, non mouebitur in æternum. Et: Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculũ ſeculi ſuper eam. Iuſtus ergo non mouebitur in æternum & hic diuina eum quia protegente gratia nullo caſu deiicientur, aut lapſus mox erigetur, & in futuro æternam in cœlis obtinebit firmitatem. Impij verò terram quàm diligunt, quámque habitare deſiderãt, non habitabunt, quia ex illa tolluntur contra ipſorum deſiderium, & in ea exiſtentes, non ſecurè nec quieto animo eam poſſident, ſed cum Cain vagi & profugi ſunt in terra corpore aut ſaltem animo ſemper irrequieti.

32 *Os iuſti parturiet ſapientiam, & lingua prauorum peribit.*

PRO parturiet, hebraica dictio propriè ſignificat germinabit & fructificabit, & eſt ſenſus. Os iuſti non eſt ſterile, ſed veluti fertilis arbor bonum profert fructum, ſapientiam ſcilicet, quia ſapientia profert eloquia, & ſapientiam animis auditorum ingenerat. At lingua prauorum, propter ſterilitatem ſuam tanquam arbor inutilis & infructuoſa, peribit: aut vt habent Hebræa excindetur & eradicabitur. Alluditur enim in hac parabola ad arborem frugiferam & infructuoſam, quarum alteri prius conuenit verbum, alteri poſterius.

33 *Labia iuſti conſiderant placita & os impiorum peruerſa.*

PRO, conſiderant, Hebræis eſt, cognoſcũt. Et pro placita eſt רצון Ratſon dictio, cui reſpondet ferè apud Græcos εὐδοκία, hoc eſt, beneplacitũ. Senſus ergo eſt: Labia iuſti ſciunt proferre quæ beneplacita ſunt Deo & hominibus, eaque conſiderant, hoc eſt, in illis occupantur & ad ea proferendum ſeſe parant; Contra os impiorum ſcit & cõſiderat peruerſa. Ea enim conſiderare quis dicitur, quæ diligenter obſeruat & quæ ſemper præ oculis habet ad Pſal.36.
perficiendum: Sic in Pſalmis dicitur: Os iuſti meditabitur ſapientiam. Græcus pulchrè expreſſit ſenſum Hebraicæ locutionis dum vertit, χείλη ἀνδρῶν δικαίων ἀποστάζει χάριτας, id eſt, labia iuſtorum virorum diſtillant gratias.

CAPVT VNDECIMVM.

1 *Statera doloſa abominatio eſt apud dominum, & pondus æquum voluntas eius.*

ALLVDITVR in hac ſententia ad illud, Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iuſtum & verum. & modius æqualis & verus erit tibi, vt longo viuas tempore ſuper terram, Abominatur enim dominus Deus tuus eum qui facit hæc, Deutero. 25. Sic Leuit. 19. Rurſum autem hic pro (voluntas) Hebræis eſt ea dictio de qua in verſu ſuperiori, quæ ſignificat beneplacitum, Senſus ergo eſt: Dominus abominatur ſtateram fraudulentam, & gratum habet, amátque pondus æquum. Qua ſententia vt ad literam monemur æquitatis in menſurando & ponderando: Ita ſecundum ſpiritualem intelligentiam monemur iuſtum de nobiſipſis omnibúſq; proferre iudicium. Vnde rectè Beda. Statera doloſa non tantum in menſuratione pecuniæ, ſed in iudiciaria diſcretione tenetur. Qui enim aliter cauſam pauperis, aliter potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtatera vtique librat iniqua. Sed & is qui ſua bene geſta meliora quam proximorum,

ſuáque errata iudicat leuiora, trutina ponderat dolosa,&c. Bene autem peculiariter dicit Deum abominari, hoc eſt, ei valde diſplicere ſtateram doloſam, quia per eam fraus committitur ſub ſpecie iuſticiæ & æquitatis, peccatúrque in multitudinem, & præſertim in pauperes qui minutim res neceſſarias comparãt, nec fraudem facilè percipiunt. Vnde & in Michæa: Nunquid, inquit dominus, iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi pondera doloſa. In quibus diuites eius. &c. Miche.6.

2 *Vbi erit ſuperbia, ibi erit & contumelia: vbi autem eſt humilitas, ibi & ſapientia.*

HEBRÆA ad verbum ſic habent. Venit ſuperbia & venit ignominia: & cum humilibus ſapientia. Itaque clarius ſenſus noſter reddit interpres: ſignificatúrq; vtrobique, ſuperbiæ comitem eſſe ignominiam, humilitatis autem ſapientiam. Idque vel ob id quia ſuperbus excæcatus ſua ſuperbia alios ferè cõtumelia & ignominia afficit, omnes præ ſe contemnens: Humilis autem ſapienter apud ſe agnoſcit quàm ex ſeſe nihil ſit, ac proinde neminem præ ſe facilè deſpicit. Vel quia per ſuperbiam quis deſpicitur à Deo, & ignominia ab hominibus afficitur, cum ſuperbia maximè ſit execrabilis Deo, & hominibus. Odibilis enim coram Deo & hominibus eſt ſuperbia vt eſt Eccleſiaſt.10. Et quia homo ſuperbus facile committit, vnde ignominiam & contumeliam patiatur. Punit enim deus ſuperbos aut errore in conſiliis capiendis aut infelicitate euentuum. Humiles autem à Deo ſapientia donantur, atque per eam prudenter ſe gerunt, ſapientiæ nomen apud homines obtinentes & proinde gloriam. Humilib. enim dat gratiam. Vnde dominus: Abſcondiſti, inquit hæc à ſapientibus & prudentibus & reuelaſti ea paruulis hoc eſt humilibus. Eccle.10 Matt.11.

3 *Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit eos.*

NON malè reddidit interpres ſenſum, tamen ſi hebræa ad verbum transferantur, noſtra lectio melius intelligitur. Habent ergo ſic: Integritas (vel perfectio) rectorũ deducet eos. & peruerſitas præuaricãtium vaſtabit eos. Simplicitas ergo hic ponitur, p ſyncerita te & integritate, ſicut ſuprà & infrà frequenter ſimplex pro perfecto, ſincero & integro. Sẽſus ergo eſt. Integritas iuſtorũ ipſa diriget, id eſt, deducet eos, ita vt in ſuis conatibus proſperũ habeant ſucceſſum, & impiorũ molimina inofenſi pertrãſeant. At contra impiorũ peruerſitas, qua alios ſupplãtare conati ſunt ipſoſmet vaſtabit, quia incident in foueã quàm aliis fecerunt, eorúmq; malignitas recidet in caput eorũ, quia dum alios perdere conantur impij, ſibi frequenter perniciem conciliant, aut eandem aut aliam, cuius conatus eorũ cauſa eſt.

4 *Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iuſtitia autem liberabit à morte.*

SIMILIS ſententia habita eſt capite ſuperiori in principio, ſed ibi dicitur de theſauris impietatis, hic in genere de diuitiis, & vt ibi quid additur quod hic omittitur: Ita contrà hic additur, quod ibi omittitur. Verũ ex vtroque loco ſupplendum quod in altero deeſt, quanquam etiam in genere de diuitiis verum ſit, quod non proderunt in die vltionis. Docet autem hæc ſententia, iuſtitiæ potius ſtudendum quam diuitiis, vnde Eccleſiaſticus: Noli, inquit, anxius eſſe in diuitiis iniuſtis, non enim proderunt in die obductionis & vindictæ. Eccl.5.

5 *Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius, & in impietate ſua corruet impius.*

IDEM ſignificat hæc ſententia aliis verbis quod ſententia tertia huius capitis. Non ergo ſignificatur prima parte iuſtitiã ſimplicis, id eſt, perfecti rectam facere viam eius. Cui enim dubium eſt iuſtitiam facere vitam hominis rectam? Sed nec ſignificatur iuſtitiã hominis recti eſſe directricem operum & vitæ eius, quia & impij iniuſtitia ſic dirigit viam eius, ſed ſignificatur ipſam deducere hominem, ſic vt eum cuſtodiat ac fortunet. Ei enim opponitur quod ſequitur, & impius corruet per impietatem ſuam, corruet, inquam, in malum, aut cadet fruſtratus ſuis bonis.

6 *Iuſtitia rectorum liberabit eos, & inſidiis ſuis capientur iniqui.*

SIMILIS eſt hæc parabola cum ſuperioribus. Sed in ſuperiori ſententia iuſticia ad bonum promouere dicebatur, hic verò à malo liberare.

7 *Mortuo homine impio nulla erit vltra ſpes, & expectatio ſolicitorum peribit.*

HEBRAEIS non eſt mortuo homine impio, ſed in morte hominis impij, vel moriente homine impio, ſed parũ refert. Porro Hebraica dictio, quã noſter vertit (ſolicitorum) variè admodum à diuerſis transfertur. Alij enim diuitum vertunt, alij diuitiarum, alij iniquorum: quorum verſionem veriſimiliorem puto. Nam adiectiuum hic poſitum deriuatur à ſubſtantiuo און Auen, quod iniquitatẽ ſignificat. Senſus ergo erit: Cum moritur aut cum mortuus eſt homo impius, nulla eſt ei vltra ſpes, &, hoc eſt, quia expectatio iniquorum per mortem peribit. Videtur enim ſecundum membrum declaratio eſſe prioris. Qui verò vertunt diuitum vel diuitiarum, intelligũt diuites comparari cum impiis quoad ſpem, vt ſicuti moriente homine impio omnis eius ſpes cum eo intercidit, ita & expectatio diuitum per mortem pereat, qui ſenſus & noſtræ lectioni conuenit. Nam in ea per ſolicitos intelligi conuenit in malam partem eos qui pro rebus iſtis terrenis conquirendis & conſeruandis anxiè ſunt ſoliciti. Quod autem nulla dicatur ſpes impio poſt mortem, non ob id tantum dictum eſt quia impij tunc amplius non ſperant: nam & ſancti etiam tunc non ſperant amplius, vt pote aſſecuti quod volebant. Spes enim quæ videtur nõ eſt ſpes, Rom.8.

ſpes, nam quod videt quis quid ſperat? inquit Paulus: Sed hoc vult hic ſignificare parabola per mortem impio intercipi & auferri irrepa rabiliter, quod ſperare & deſiderare ſolitus fuit, diuitias ſcilicet, gloriam & omnem vitæ huius fœlicitatem, vt hoc ſignificetur quod per Prophetam: Dormierunt ſumnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Et: non deſcendet cum eo gloria eius. Et alibi: Sunt reliquiæ homini pacifico. Iniuſti autem diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorum diſperibunt, quia poſt mortem nihil eſt ei reliquum. Secũdum ſpiritualem intelligentiam ſignificare etiam hic rectè intelligitur, impio poſt mortem nullam eſſe ſpem veniæ, quia in inferno nulla eſt redemptio. Pſal.78. Pſal.48. Pſal.36.

8 *Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo.*

ITA & Hebræa planè habent, niſi quod pro tradetur, illis eſt venit, vt ſit, Venit impius pro eo vel in locum eius. Non venit autem niſi Deo illum trahente qui & iuſtum liberauit Exẽplum huius ſingulare eſt in Mardochæo & Aman, in Saul & Dauide, in Daniele & his quorum accuſatione Daniel à Dario in lacũ miſſus fuerat. Significat ergo hæc ſententia Dei iudiciũ, quo frequenter fit vt iuſto liberato impius ſuccedat in locũ eius. Poteſt & generalius intelligi, vt ſignificetur iuſtum & ſi ad tempus ferat tribulationes in hoc mundo, liberandũ aliquando, & maximè poſt hanc vitam. Impium verò etſi gaudeat ad tempus in hoc mundo, ſuo tempore ſucceſſurũ in ſortẽ malam iuſtorũ, quando illis gaudentibus ipſe lugebit, potiſſimum poſt hanc vitam.

9 *Simulator ore decipit amicum ſuum, iuſti autem liberabuntur ſcientia.*

ABLATIVVS (ore) coniungi debet nõ cum nominatiuo (ſimulator) ſed cum verbo, decipit, vt patet ex Hebreis, apud quos non eſt decipit, ſed corrũpit vel perdit. Et eſt ſenſus: Fallax adulator & hypocrita qui amicitiam ſimulat, perdit & decipit ore amicum ſuum vel proximum ſuũ, hoc eſt, perdere ſtudet & decipere, & quãtum in ſe eſt perdit eos cum quibus eſt ei negotiũ: (Proximus enim Hebraica phraſi dicitur quiuis homo) At iuſti per ſuam ſcientiam liberabuntur à laqueis ſimulatorum, vt ab eis non perdantur & decipiantur. Veritas huius ſententiæ patet in hæreticis maximis ſimulatoribus, à quorum deceptionibus liberantur iuſti ſua ſcripturarum ſcientia, Docet autem hæc ſententia beneficiũ iuſtitiæ, vt cui Dei dono ſemper adſit ſciẽtia neceſſaria ad proficiendũ. Aut ſignificat iuſtis non opus tantum eſſe probitate & virtute, ſed etiam ſcientia ſcripturarum & cognitione multarum rerum, ne illis imponatur à ſimulatoribus. Vnde petrus monet virtuti addendam ſcientiam. Opponitur autem ablatiuus (ſcientia) ablatiuo (ore) vt ſit ſenſus: Ille quidem ore in verbis concinnè aptatis decipere tentat: Iuſti verò ſcientia liberãtur, quia illórum ſimulationem & fraudem quantumuis tectam deprehendunt.

Ianſ. in Prouerb.

10 *In bonis iuſtorum exultabit ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio.*

QVAMVIS prior pars accipi etiam poſſit de bonis quæ iuſti faciũt, tamen propter ſecundum membrũ potius intelligi debet de bonis quæ eis obueniunt, vt ſit ſenſus: Cum bene eſt iuſtis & cum proſperi ſunt eorum ſucceſſus, cum bona eis obtingunt ſiue temporalia ſiue cœleſtia, tota ciuitas exultabit. Et ſimiliter è contrario cum perierint impij erit in ciuitate laudatio Dei communiſq; lætitia & cantus. Non enim dictio Hebraica ſignificat laudationem, ſed cantum lætitiæ & exultationem. Veritatem habet hæc ſententia maximè in ciuitate bene inſtituta, & proinde maximè competit in Eccleſiam quæ & de profectu iuſtorum lætatur, & de impiorum punitione, iuxta illud Pſal.57. Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.

11 *Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas, & ore impiorum ſubuertetur.*

SICVT ſuperiori ſententia ciuitatis affectus erga iuſtos & impios deſignatur, ita nunc quid ciuitas ab vtriſque commodi vel incommodi reportet. Ciuitas, inquit, exaltabitur benedictione, hoc eſt, benedictis, bonis ſcilicet conſiliis & bonis imprecationibus iuſtorum quæ impartiuntur ciuitati. At contra ore impiorũ ſubuertetur, quia verbis & conſiliis iniquis, dolis, & ſeditionibus quas excitãt impij, euertũt ciuitates & regna. Sunt qui benedictionem iuſtorum accipiunt paſſiuè vt ſignificetur ciuitatem exaltandã, cum in ea iuſti à Deo benedicuntur, hoc eſt multiplicãtur, & diuina dona multa percipiunt, quia hæc in cõmunitatis redundant vtilitatem. At priorem ſenſum magis requirit pars ſequẽs.

12 *Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt, vir autem prudens tacebit.*

DOCET hæc ſententia prudentis eſſe diſſimulare aliorum vitia. Priorem partem magis conueniebat ſic vertere. Deſpicit amicum ſuũ vel potius proximum ſuum, indigẽs corde. Sic enim melius correſpondet ſecundo membro. Et eſt ſenſus. Vir inſipiens indigũſque cordis, hoc eſt, ſapientiæ, is corde ſuo deſpicit proximum ſuum, hoc eſt, alios cum in eis putat ſe aliquã obſeruare imperfectionem, atque ob id contemptim de eis loquitur. At vir prudẽs, etiamſi agnoſcat quoſdam alterius defectus & imperfectiones, tacebit tamen eas, ſciens quod in qua menſura menſi fuerimus, remetietur nobis, & quod non ſit ſine vitio. Simile eſt quod ſequitur. Matt.7.

13 *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, cælat amici commiſſum.*

DOCET quid fidelitati debeatur & quod ſit verſuti opus, ſimulq; indicat non tamere cuiquam reuelãda ſecreta. Qui, inquit, ambulat fraudulenter, hoc eſt, qui cũ amico

ſictè conuerſatur, ſub amici ſpecie callidè explorans alterius animum, is reuelat, id eſt, reuelare ſolet arcana ſibi detecta: At contra qui fidelis eſt, is tegit rem ſibi ab amico commiſſam, hoc eſt, concreditã. Pro quo Hebræa habent: Et qui fidelis eſt animo celat rem, vel verbum. At noſter interpres, quo clarior eſſet ſententia, rectè pro (rem vel verbum) vertit amici commiſſum, id eſt, concreditũ ſecretũ quamquam poſſit commiſſum hic etiam accipi pro admiſſum & perpetratũ aliquod delictum. Porrò Hebræa habẽt de fideli animo ad diſtinctionem eius qui verbis fidelitatem præ ſe fert, qualis eſt is qui ambulat fraudulẽter. Conuenit huic ſententiæ, illud Poetę: Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus. At contra grauis eſt culpa, tacenda loqui.

14 *Vbi non eſt gubernator, populus corruet, ſalus autem vbi multa conſilia.*

HEBRAICE ſic eſt ad verbum, Vbi non ſunt gubernacula. Eſt enim hic ea apud Hebræos dictio quæ ſuprà cap. 1. cũm dicitur intelligẽs gubernacula poſſidebit. At quoniã vbi non ſunt gubernacula, ibi non eſt gubernator, non malè interpres vertit, Vbi non eſt gubernator. Alij dictionẽ hanc magis putant ſignificare conſilia, vnde vertunt: Vbi nõ ſunt cõſilia, quod magis videtur ſequenti competere membro, quod ad verbũ ſic habet apud Hebræos: Et ſalus in multo conſultore, vel in multitudine conſultoris, pro conſultorũ. Vbi autẽ multi ſunt conſultores, ibi & multa ſunt conſilia, proindę eodem redit ſenſus. Docet autem hæc ſententia, populo optandum, & curandũ omnibus modis, vt bonos & ſapientes habeat, tum gubernatores, tum conſultores, ciſq; à populo obedientiam præſtandam, vt porrò à quibus populi ſalus & fœlicitas pendeat, magis quàm à multitudine & viribus populi: ſicut contra neceſſe eſt ſequi eius perniciem ſi deſint boni principes & conſiliarij, nõ minus quàm nauẽ neceſſe eſt perire, vbi non eſt bonus gubernator. Vnde Eccleſiaſtæ 10. dicitur: Ve tibi terra cuius rex puer eſt.

15 *Affligetur malo qui fidem facit pro extraneo, qui autem cauet laqueos, ſecurus erit.*

FREQVENTER in hoc libro Sapiens indicat periculoſam eſſe fideiuſſionem, atque ab ea auocat, non in totum eam prohibere volens, cum ſit nonnunquam opus charitatis & miſericordiæ, ſed per periculi demõſtrationem præmonitos nos volens ne paſſim & temerè ea fiat à nobis. Fideiuſſionem autem duobus verbis ſignificat, primũ per verbum ערב Arab, quod ſignificat fideiubere. ſecũdo per verbum תקע Taçah, quod propriè ſignificat figere & plaudere, & quia fideiuſſiones fiunt per hoc, quod fideiuſſor figit manum ſuam in manum alterius, tangendo eã & percutiendo, ideo accipitur pro fideiubere. Primum verbum primo loco ponitur, ſecundum in ſecundo membro. Vnde ad verbum habetur: Qui autem odit defixores, hoc eſt, qui odit ſtipulantes, ita vt eos imitari nolit, pro quo noſter interpres ſenſum potius quàm verba ſecutus, vertit: Qui autem cauet laqueos, hoc eſt, fideiuſſiones, quibus homo ſeipſum illaqueat & obligatum facit. Vnde ſupra cap. 6. dicitur: Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuã, illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Senſus ergo eſt: Affligitur malo, hoc eſt, moleſtiam patietur aut damnum etiã (vt experientia frequenter docet) qui fidem facit pro extraneo, hoc eſt, pro altero. Ita enim hic ponitur (Extraneus) vt ſignificetur quiuis alius, ne quis putet prohiberi fideiuſſionem tantum pro extero & non pro amico, cum cap. 6. & alibi etiam pro amico prohibeatur fieri. Qui autem cauet obligationes proprij oris, erit ſecurus à multis periculis & malis. Hac autem aliiſque ſimilibus ſententiis vt diſſuadentur temerariæ fideiuſſiones pro debitis temporariis, Ita multo magis ſecundum ſpiritualem & veriorem intelligentiam monemur, non facilè per ſuſceptionem alicuius regiminis, nos pro aliis obligare: Quicunq; enim principatum ſuſcipiunt & epiſcopatũ aut paſtorale onus pro aliis ſpondent, pro quibus vigilare debent, tanquam rationem reddituri pro animabus eorum. Heb. 13.

16 *Mulier gratioſa inueniet gloriam, & robuſti habebunt diuitias.*

IN vtroque membro idem eſt verbum, in cuius repetitione conſiſtit vis & elegantia huius verſus. Ad verbũ ergo ſic habetur. Mulier gratiæ apprehendet gloriam, & fortes apprehendent diuitias. Eſt autem mulier gratię, mulier gratę venuſtatis & probitatis, vnde noſter vertit, Mulier gratioſa, alij mulier venuſta ſignificaturq; quod quemadmodum mulier ſua pulchritudine & gratia, morumque probitate obtinet gloriam apud homines, ita viri ſua fortitudine conſequi debent diuitias, vt intelligamus, quod quemadmodum gloria viri eſt mulier venuſta, ita familiæ opes pendẽt ex fortitudine & ſedulitate viri. Docet ergo in mulieribus maximè requiri formam & morum gratiam, in viris induſtriam & laborem.

17 *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors, qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abiicit.*

PRO (propinquos) Hebræis eſt, carnem ſuam. Sed frequenter in ſcripturis propinqui hominis dicuntur caro eius. Nam Geneſ. 37. de Ioſeph dicit Iudas: Frater noſter & caro noſtra eſt. Et vniuerſæ tribus Iſrael dixerũt ad Dauid: Ecce nos os tuum & caro tua ſumus. Et Eſa. 58. vbi nos habemus, Et carnem tuam ne deſpexeris: Septuaginta verterunt: Et domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris. Hoc ergo ſecutus noſter interpres vertit, Etiam propinquos abiicit. Et eſt ſenſus: Vir verè miſericors benè facit imprimis animæ ſuæ, hoc eſt, ſibiipſi, pars enim pro toto ſynecdochice ponitur. Qui autem crudelis eſt, non tantum exterorum curam, ſed & proximorum abiicit. Conuenientior tamẽ ſenſus eſt ſi carnem propriam ſignificatam intelligamus, quia ſic iucundior erit & efficacior oppoſitio. Habent autem 2. Reg 5.

autem Hebræa ſecundam partem ſic: Et turbat carnem ſuam, crudelis. Quomodo & ſeptuaginta habent, apud quos eſt, & perdit corpus ſuum immiſericors. Et eſt ſenſus: Vir benignus benefacit imprimis animæ ſuæ, hoc eſt, ſibiipſi. At vir crudelis non ſolũ aliis moleſtus eſt, ſed etiam carni ſuæ, hoc eſt ſibiipſi. Vtrobique enim pars pro toto ponitur, ſed ad elegantiam facit varietas. Dicitur autẽ vir pius animæ ſuæ vel ſibi benefacere, quia ſibi indulget debitum ac commodum rerum ſibi neceſſarium vſum. Deinde quia ab his quæ noxia ſunt vitæ & quieti ſuæ, ſerio abſtinet, triſtitia ſcilicet inordinata, intemperantia & id genus aliis. Contra crudelis turbat carnem ſuam, & ſeipſum, quia carnem ſuam affligit, ſubtrahendo ei per auaritiã neceſſaria, variiſque curis & cupiditatibus ſeſe macerando & conturbando, ac intemperantia & indebita triſtitia ſeſe lædendo. Efficacior eſſet ſententia ſi hoc modo vertatur, quomodo item verti poteſt. Qui benefacit animæ ſuæ, vir eſt miſericors, & qui turbat carnem ſuam: crudelis
Eccl. 30. eſt. Declarat hunc verſum illud Eccleſiaſtici: Triſtitiam non des animæ tuæ, & affligas temetipſum in conſilio tuo. Iucunditas cordis hæc eſt, vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis, & exultatio viri eſt longæuitas. Miſerere animæ tuæ placẽs Deo & contine, & congrega cor tuum, & triſtitiã longè expelle a te, &c. Et Sapiẽs Eccleſiaſtes demonſtrat quomodo quis ſibi debeat benefacere
Eccle. 11. & non turbare ſeipſum. Lætare, inquit, iuuenis in adoleſcentia tua, & in bono ſit cor tuũ. Et poſt pauca. Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Et cap. 4. vanitatem deſcribit eius, qui cum vnus ſit nec fratrem habet, nec filium, tamen laborare noñ ceſſat, nec recogitat, dicẽs. Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Et hæc quidẽ quod attinet ad literalem ſenſum. Secundum ſpiritualem autem intelligentiam ſignificatur hic viri pij & benigni eſſe, vt benefaciat animæ ſuæ, ita vt de ſalute ſua æterna ſit ſolicitus, eámque bonis operibus promoueat. In quem
Auguſt. ſenſum D. Auguſt. illud Eccleſiaſtici: Miſerere animæ tuæ placens Deo, vſurpat in Enchiridio ad Laurentium ca. 76. & alibi contra eos qui ſatis ad ſalutem putabant eleemoſynam egentibus dare, etiamſi dantes in ſceleribus perſeuerarent. Sciendum inſuper pro pleniori huius ſententię explicatione, quoſdam pro benefacit, hic, vertere, retribuit. Nam hoc dictio Hebraica propriè ſignificat. Vnde hunc intelligunt ſenſum: Vir benignus qui aliis miſeretur, retribuit ſibiipſi, quia beneficentia hominis non tantum illis vtilis eſt in quos fit, ſed & ei qui benefacit: Contrà vir crudelis & inclemens, non tantum aliis moleſtus eſt, ſed etiam ſibiipſi malefacit ac ſemetipſum turbat. At prior intelligẽtia ſimplicior videtur & aliis ſcripturis citatis conuenientior. Nec nouum eſt in ſcripturis verbum retribuendi accipere ſimpliciter pro tribuere & benefaceRetribue ſeruo tuo, viuifica me.
Pſal. 118. re: vt cum dicitur: Significat autem hoc verbum Gamal hic poſitum, etiam ablactare. Vnde ſunt etiam qui vertunt: Ablactat animam ſuam vir pius, hoc eſt, abducit eã à cõſuetudine prauæ & à malis deſideriis. Qui ſenſus etiam in primo includitur.

18 *Impius facit opus inſtabile, ſeminanti autem iuſtitiam merces fidelis.*

HEBRAEA habent ad verbũ Impius facit opus falcitatis, & ſeminãti iuſtitiam merces veritatis. Eſt ergo oppoſitio non tantum inter impietatem facientem, & ſeminantem iuſtitiam, ſed & inter genitiuos falſitatis & veritatis. Dicitur autem Hebraica phraſi merces veritatis, merces ſtabilis, certa & qua iuſtus non fruſtrabitur: quia verum Hebræis dicitur ſtabile, ſolidum & certum, vnde bene vertit interpres, merces fidelis, hoc eſt, firma & nequaquam fallax. Ex qua ſecunda parte patet quid in primo membro vocet opus falſitatis, nimirum opus fallax, quod expectantẽ fallet expectato fructu. Quod rectè apud nos dicitur opus inſtabile, vtpote quod non ſubſiſtet, quod euaneſcet, ſine bono aliquo fructu. Non ergo dicitur facere opus inſtabile, quia à ſtabilitate virtutis recedit & ſuis paſſionibus agitatur. Dicitur ergo, impius quamuis multum laboret, tamẽ facit opus fallax, quod non perdurabit, nec fructum adferet. At qui ſeminat inſtitiam, non fruſtra ſeminabit, & laborabit, ſed merces eius certa eſt & ſolida. Hoc ergo hic dicitur quod Paulus aliis verbis ad Galatas. Qui ſeminat in carne, de car- Gal. 5.
ne & metet corruptionem: qui autẽ ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Et: Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Pſal. 11.
Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

19 *Clementia præparat vitam, & ſectatio malorum mortem.*

HEBRAEA ſic habẽt. Similiter iuſtitia ad vitam, & ſectator malorum ad mortem, hoc eſt, ſicut iuſtitia perducit aut tendit ad vitam, ita qui ſectatur malum tendit ad mortem æternã, ſcilicet. Ex qua collatione, noſtra lectio alioqui plana melius intelligitur. Senſus enim eſt: Clementia (ſpecies ponitur pro genere) hoc eſt, iuſtitia præparat homini vitã, & ſectatio malorum, hoc eſt, aſſidua in malis perſeuerantia, præparat homini mortem. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Hæc ergo ſententia rectè ſubiungitur ſuperiori, quia eam declarat. Rom. 6.

20 *Abominabile domino cor prauum, & voluntas eius in his qui ſimpliciter ambulant.*

HEBRAEA eundẽ habent ſenſum. Abominatio domino peruerſi corde, & bene placitum eius integri via, hoc eſt dominus abominabitur peruerſos corde: Et contra eidem placent hi qui in ſua conuerſatione ſunt ſyncери. Voluntas ergo hic rurſum accipitur pro beneplacito. Eſt enim hebræis hic rurſum ea dictio quæ in primo huius capitis verſu.

21 *Manus in manu non erit innocens malus, ſemen autem iuſtorum ſaluabitur.*

INNOCENTEM eſſe in ſcripturis aliquoties ex hebraica phraſi ponitur pro impunitum eſſe, vt cum dicitur. Quis enim exten- 2. Reg. 16.

det manum in Christum domini & innocens erit: Sic non esse innocentem hic & alibi ponitur pro non esse impunitum, vt & cum in Exodo 20. Exod. dicitur: Non habebit insontem dominus eum qui assumpserit nomen domini Dei sui frustra, hoc est non habebit eum impunitum. Vnde & hic quidam rectè vertunt, non erit impunitus malus. Cæterum illud manus in manu: ad verbum Hebræis est: Manus ad manum, vnde eandem hanc partem cap. 16. huius libri interpres vertit: etiamsi manus ad manum fuerit, non erit innocens. Hac autē phrasi quidam putant significari, mox mox repente & statim: vt significetur mox adfutura impij vltio. Nam & italica phrasi teste Pagnino dicitur ad mano ad mano, pro statim, nec dissimile est quod latini dicunt ad manum esse quod adest. Alij hac phrasi intelligunt significari conspirationem quæ coadunatione manuum fieri solet. Vt sit sensus. Etiam si inter se conspirarint impij non erunt tamen impuniti: & iusti eorum conspirationem & punitionem euadēt. Qui sensus etiam optimè cōuenit nostræ literæ. Et bene quadrat, vt semen Gregor. iustorum opponatur cōspirationi impiorum: congregatio scilicet cōgregationi. D. Gregor. lib. 25. moral. cap. 3. mysticè hūc locum sic exponit. Manus manui iungi solet, quādo quiescit in ocio, & nullus eam vsus laborum exercet. Manus ergo in manu non erit innocens malus: Ac si diceret: Et cum manus cessat ab iniquo opere, malus tamen nō erit innocens per cogitationem: Secutus Gregorium Beda in commentariis, Græca habet. Qui manui manus iniicit iniustè, non impunitus erit.

22 *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.*

IN hac sententia sicut & in multis similibus subintelligenda est particula similitudinis, sicut, quæ ex proprietate linguæ, sæpè omittitur, vt sit sensus: Sicut est circulus, Vel sicut se habet circulus aureus in naribus suis, ita est, vel ita se habet mulier pulchra & fatua. Qua comparatione non assimilatur ipsa quidem mulier pulchra circulo aureo, sed eius pulchritudo. Ipsa verò mulier talis magis assimilatur sui. Vnde septuaginta clarius verterunt hanc sententiam, Habent enim: Sicut in auris aurea in naribus suis, sic mulieri vecordi pulchritudo. Consistit autem similitudo potissimum in eo, quod sicut aureus circulus non cōuenit in naribus suis, nec suem ornat: ita pulchritudo, quæ per se res est præclara, non conuenit mulieri stultæ, sed malè ibi Cap. 17. videtur à natura collocata, Sicut posteà dicitur. Non decent stultum verba compolita. Et: Cap. 19. Non decent stultum delitiæ. Sicut enim sus circulo aureo naribus infixo non nouit bene vti: ita nec mulier stulta sua pulchritudine. Deinde quia sicut sus circulo aureo non cohibetur à suffodienda terra, sed nihilominus se cœno immergit, circulumque fœdat, Ita & mulier vecors, cum pulchritudine sua gloriam sibi comparare deberet, non ea tamen retrahitur à voluptatum illecebris, sed voluptatum cœno se immergit, sicque pulchritudinem sua insipientia fœdat & obscurat. Ex qua explicatione patet quàm rectè mulier facua suibus comparetur, nempe ob immunditiam, ad quam abutuntur sæpè mulieres sua pulchritudine. Mysticè per mulierem pulchram & fatuam intelligitur anima Christiana, quæ pulchra quidem est per fidem & baptismum, per quæ tanquam annulo aureo Christo est despōsata, sed tamen fatua est per vitæ insipientiam. Hæc bene comparatur sui circulum aureum habenti in naribus, quia in illam competit illud Prouerbij: Sus lota in volutabro luti. Cúmque fidei pulchritudine retrahi deberet ab omni actione inhonesta, eam contrà omni vitæ impuritate conspurcat & commaculat. Mystic. sensus. 2. Per. 2.

23 *Desiderium iustorum omne bonum est, præstolatio impiorum furor.*

NOSTER interpres in priori parte videtur secutus Septuaginta, qui habent, ἐπιθυμία δικαίων πᾶσα ἀγαθή. Hebraica habent Desiderium iustorum duntaxat bonum est, & dictio, bonum, non est adiectiuum substantiui, desiderium, quia cum apud Hebræos dictio, quæ desiderium significat, sit generis fœminini, dictio quæ bonum significat est generis masculini. Vnde quidam vertit: Iustorum cupiditas est duntaxat, bonum. Non ergo significatur desiderium iustorum in se bonum esse, sed quod iusti aliud nō desiderent quàm bonum, vt desiderium sit positum pro re desiderata. Vnde & nostra litera sic est intelligenda. Omne desiderium iustorum, hoc est quicquid desiderant iusti, est bonum. Aut bonum est omne desiderium illorum, hoc est, nihil aliud quàm bonum desiderant. Quod subtiliori intelligentia eximiè verum est, si de eo bono intelligatur quod verè solum est bonum nempe Deus quem solum iusti quatenus tales desiderant. Vnde Lyra intelligit, desiderium iustorum est omne bonum, hoc est Deus in quo est eminenter omne bonum. At quid est quod sequitur: Præstolatio vel expectatio impiorum furor: An sunt qui furorem desiderant & expectant? Sensus ergo est. Id quod impiis expectādum venit, hoc est quod solum eis obuenier, est furor, hoc est, indignatio & vltio diuina. Illud enim dicitur homini expectandum quod homini certò obtinget. Vnde & Paulus: Voluntariè peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio. Heb. 10.

24 *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua & semper in egestate sunt.*

AD verbum Hebræa habent: Est dispergens, & apponitur adhuc, & qui parcit vel prohibet à rectitudine, tantum ad egestatem. Prior pars significat reperiri quosdā qui spargunt suas facultates distribuendo, scilicet eas pauperibus, iuxta illud: Dispersit dedit pauperibus: Aut etiam mundano spiritu liberaliter multos sumptus ampliq; munera faciendo, & tamen crescunt assiduè eorum facultates, Deo hominibúsque eorum liberalitatem remunerātibus, Vnde bene vertit interpres noster sensum. Alij diuidunt propria & ditiores

& ditiores fiūt. Quod declaratur illo Pauli vbi 2. Cor. 9. de eleemosyna disputat: Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semē vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, &c. Secunda pars dupliciter intelligi potest apud Hebræos: Nam si vertatur Qui prohibet: à recto vel rectitudine, subintelligitur seipsum, & est sensus: Qui prohibet seipsum à recto, hoc est, qui abstinet ab æquo nec iustitiam sequitur, sed iniustitiam aliena rapiendo. Quem sensum secutus est interpres & ob id vertit, Alij rapiunt non sua. Si autem vertatur qui parcit à recto: Sensus erit, qui præter æquum & magis quàm decet parcus est, indigentior fiet. Vtrunq; experientia docet, & eos qui per iniustitiam diuitias quærunt, & eos qui nimis sunt parci, ita vt abstineant à sumptib. opportunis, frequēter tendere ad egestatem & facultatum defectū. Cōuenienter autem hæc sententia, & ad charismata spiritualia aptari potest. Qui enim ea in aliorum vtilitatem expendunt, talenta sibi data conduplicant: Qui verò eis non bene vtuntur, sed abstinent ab æquo & bono quod per ea operandum erat, diuina dona quasi propria essent sibi rapiendo, pauperiores fient, iuxta illud Saluatoris: Omni habenti dabitur, Matt. 25. ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.

25 *Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.*

DVPLICITER hæc sententia intelligitur. Primum de beneficio oris, per bonas imprecationes & doctrinam salutarē, vt sit sensus. Is qui aliis bene precatur, aut alios Gregor. bene docendo instruit, impinguabitur à Deo muneribus & gratiis. Sic Gregorius 3. parte admo. 26. Qui enim (inquit) prædicando, exterius benedicit, interius augmenti pinguedinem recipit, & dum vino eloquij auditorum mentem deebriare non definit, potu multiplicati muneris deebriatus excrescit. Secundo potest referri ad beneficia operis proximo impensa & eleemosynas, vt sit similis sententia superioris priori membro, vt benedicere Positum sit pro bene facere, sicut & Paulus be- 2. Cor. 9. nedictionem vocat eleemosynam, dicēs: Qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet: Nam, & hebræa hoc loco habēt nomen benedictionis non verbum benedicere. Est enim anima benedictionis. Sic & inebriare dicetur qui larga bonorum suorum impartitione alios reficit. Et conuenienter quidem vterque sensus in generali hac sententia cōprehenditur, vt & ad oris & ad operis beneficia pertineat. Habent autem Septuaginta in priori membro, Benedicta omnis anima simChryso. plex. Quam sententiam citat aliquoties Chrisostomus, vt homil. 26. in Matth. & aliis aliquot locis.

26 *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: Benedictio autem super caput vendentium.*

SVPERIORIBVS duabus sentētiis insinuauit præmium eorum qui sua copiose spargunt & distribuunt, inuitans hac ratione ad liberalem suorum bonorum, siue temporalium, siue spiritualium communicationem. Quoniam autem sunt qui ab hac liberalitate adeò sunt alieni, vt nec vēdere quidem annonam, qua abundant, velint iusto pretio, tempore oportuno, in egentium vtilitatem, sed sub spe maioris lucri eam reseruant cum magno Reipub. malo, ex multorum damno suum quærentes lucrum, rectè subiungitur hæc sententia, qua similiter inuitantur ad lubenter per venditionem ea quibus abundant communicandum egentibus. Qui, inquit, abscondit frumentum, ex auaritia scilicet illud nolens vænum exponere, maledicetur in populis. Quod de maledictione diuina intelligi posset nisi Hebræa haberent: Meledicet ei populus, vnde sensus apud nos esse debet maledicetur à populis. Malè enim tales audiunt à populo, eisq; pauperes malè imprecātur, quorum imprecationes non sunt contemnendæ. Audit enim iustas eorum querelas frequēter Deus. Nam vt est in Ecclesiastico: Maledicentes tibi in amaritudine animæ exaudietur de- Eccle. 4. precatio illius. Itaq; maledictionem populi sequitur maledictio Dei, qua fit vt agri taliū sint parum fertiles, aut vt male pereant aliare conseruata, aut aliam aliquam vltionem incidant. Contra benedictio & Dei & populi super caput vendentium, quia & populus capiti eius, hoc est ipsi fausta precatur, & Deus amplioribus donat. Cæterum frumenti nomine res omnes victui & vsibus hominum necessarias significat. Ex secunda huius sentētiæ parte licet intelligere iam id quod suprà cap. superiori habitum est: Benedictio super caput iusti. Similis est hæc sententia cum duabus superioribus, docens frumenta non recondenda, sed publicanda in commune bonum, ne maledicentia populi, & bonum nomen in populo amittatur, & diuina contra hominem vltio excitetur, sed contra potius bona populi imprecatione; & gloria homini apud plebem paretur & diuina benedictio obtineatur. Iuxta mysticum sensum ad doctrinam & cibum Mysticus animorum referenda est hæc sententia. Nam sensus. qui abscondit talentum, neque ex eo quod habet pascit egentes in Ecclesia oues Christi, maledictus est. Vnde Greg. 3. parte admonit. Gregor. 26. Frumenta abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentij pro multorum quos corrigere poterat, pœna damnatur.

27 *Bene consurgit diluculo, qui quærit bona, qui autem inuestigator malorum est, opprimetur ab eis.*

HEBRAEA aliter habent sic. Qui mane quærit bonum, quærit bene placitum, qui autem sectatur malum, veniet ei. Cuius sententiæ prior pars quamuis sic accipi possit vt significetur eum qui manè surgit ad bonū faciēdum quærere quod Deo beneplacitum sit & gratum: tamen quo magis respondeat per oppositionem sequenti parti, potius videtur accipiēda de beneplacito ipsi operanti, vt sit sensus: Qui manè surgit ad bonū sectandum, is sectatur id quod tandem ei erit beneplacitum

placitum & gratum, vnde scilicet ei posteà bene sit,& hic voluptatẽ in animo percipiat. At qui sectator mali est,id est,qui assiduè persistit in malo, malum quod hic sectatus est veniet ei. A qua sententia non est multum aliena nostra lectio.Sensus enim est:Qui quærit bona,id est,qui quærit insistere bonis operibus,is bene diluculo consurgit, quia in suũ bonum consurgit.Huic non dicetur:Vanum
Psal.126. est vobis ante lucem surgere, At contra, Qui inuestigator malorum, id est, sectator malarum rerum est, cupiens cognoscere rationes malè agendi & perficiendi,is tandem ab ipsis quæ sectatus est, malis opprimetur, quia ei causa erunt vltionis diuinæ.

28 *Qui confidit in diuitiis suis corruet:iusti autem quasi virens folium germinabunt.*

SIc & Hebræa habent, nisi quod non additur virẽs,quod interpres adiecit,quia & impij folio in scripturis cõparantur, sed folio cadenti, vt Esa.64.Cecidimus quasi foliũ vniuersi,iusti autẽ folio virenti vt Hiere.17.Et erit folium eius viride.Et Psal.1.& folium eius nõ defluet.Sensus est ergo,quod confidens in diuitiis suis, quoniam innititur rebus caducis, corruet nequeuntibus diuitiis eius ipsum seruare,imò ad perniciem ipsum impellentibus: At contra iusti in Deo confidentes & animi virtute, quasi viride & recens folium arbori firmiter adhærens germinabuut,vel florebũt & crescent proficiendo de virtute in virtutẽ.
Psal.91. iuxta illud Psalmistę:iustus vt palma florebit, sicut cedrus quæ in libano est multiplicabitur, Quibus significatur iustos gratum semper seruare virorem & vigorem, continuo crescere & augeri.

29 *Qui conturbat domum suam,possidebit ventos, & qui stultus est,seruiet sapienti.*

SVperior sententia est contra diuitiis confidentes, hæc contra dissipantes eas. Ædificare domum ponitur posteà cap.14.pro domum omnibus necessariis bene instruere, cum dicitur,sapiens mulier ædificauit domũ suam,insipiens extructam quoque manibus destruet. Sic & cap.24.Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria, &c. Itaque hic conturbare domum suam dicitur, qui bona sua dilapidat, familiam suam per hoc multa afficiens molestia.Is possidebit ventos, vel vt est Hebræis, hæreditabit ventum, quia decocto patrimonio, nihil habebit, atque ob id sua stultitia cogetur fieri seruus prudentioris se: Hoc enim significatur per secundam sententiæ partem, quæ proinde sic est accipienda. Et qui sic stultus est, hoc est, sic desipit vt suam domum turbet.Quidam intelligit hanc sententiam dictam contra morosos & præfractos patres familias, qui sua morositate & duritia conturbantes domum suam non proficiunt ea ratione,sed maiores commotiones excitant, quas posteà componere non est facile,quod significari intelligit, per possidere
Eccl.41. ventos. Vnde monet Sapiens: Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi. D.Gregor.super illo.Stultus seruiet sapienti,lib.20.moral.cap. 21. Quomodo, inquit, definitione diuinæ sapientiæ sapienti stultus seruiet,dum plerunq; hunc iure temporalis dominij comprimat? Sed sciendum est, quia cõtra sapientis vitam dum stultus præminens terrorem potestatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumeliis lacerat, profecto hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat.Stultus ergo sapienti etiam dominando seruit,quem ad meliorem statum præmendo prouehit. Gregor.

30 *Fructus iusti lignum vitæ, & qui suscipit animas, sapiens est.*

VAria in hoc libro ligno vitæ comparantur per allusionem ad lignum vitæ de quo est in principio Genes.Nam cap.3,sapientia dicitur lignũ vitæ his qui apprehenderint eam,cap.13. Desiderium veniens dicitur lignum vitæ.Rursus cap.15.Lingua placabilis dicitur lignum vitæ. Hic autem fructus iusti ligno vitæ etiam comparatur,non solum quia fructus iusti suauis est & gratus,sicut desiderium veniens dicitur lignum vitę,sed etiã quia immortalitatem confert,& iusto qui fructum illum profert, & omnibus qui fructum iusti gustant, sumentes ab eo doctrinam spiritus,& bonorum operum imitationem. Hic enim significari fructum iusti etiam aliis prodesse,patet ex secunda parte,quæ in Hebræo sic est.Et capit animas sapiens, hoc est,sapiẽs non sibi tantum prodest,sed & aliis,quia capit animas hominum, hoc est,docendo lucratur eas & ad se trahit è perditione eas venatur, iuxta illud Petro dictũ.Ex hoc iam eris homines capiens. Quẽ sensum vt & nostra habeat lectio,sic intellige. Et solus sapiens est qui ad Luc.5.
se sua doctrina suscipiat è perditionis via animas hominum. Sic enim declaratur fructum iusti,qui idem & sapiẽs est,similem esse ligno vitæ,cuius fructus gratus erat & salutaris.

31 *Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?*

IDem significant Hebræa, nisi quod ad verbum habeant:En iustus in terra retributionem accipiet,quanto magis impius & peccator?Itaque hæc sententia per seſe ambigua est, & potest quod de iusti retributione vel receptione dicitur,intelligi de retributione quã eius iustitia meretur, vt sit sensus: Ecce frequenter iustus recipit in terra, hoc est,in hac vita iustitiæ suæ præmia,multo magis impius & peccator etiam ante mortem recipit commeritam pœnam. Aut potest intelligi de receptione malorum quæ in hac vita iusti aliquando patiuntur ob peccata sua, vt sit sensus: Ecce Deus in hac vita frequentes reddit iustis quàm suis leuibus peccatis merentur castigationem & punitionem, quanto magis impij & peccatores suppliciis afficientur in hac vita, aut si non in hac, saltem in alia. Atque hanc intelligentiam verisimiliorem esse vel ex eo patet, quod alioqui verbum recipit in vtraque partę non de simili receptione intelligeretur. Deinde argumentum hic est à minori,

minori,quod parum efficax erit si priori modo sententia accipiatur:Non enim minus videtur æquum iusto reddi mercedem iustitiæ quàm impio mercedem iniustitię.Minus autem videtur,iustum puniri in terris quam impium & peccatorem.Ab hoc posteriori sensu non abhorret multum versio.70. quam secutus est D.Petrus. Sic enim habẽt ἐὰν ὁ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται, hoc est, Si quidem iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebit? Quo significatur, quod cum iusto Dei iudicio iustus non nisi per multas tribulationes & castigationes ad salutem peruenire possit ęternam,cõsequens est seuerum admodũ & intolerabile iudiciũ peccatoribus ferendum restare,qui sine vllo fræno labuntur in scelera.

CAPVT DVODECIMVM.

1 *Qui diligit disciplinam,diligit scientiam:qui autem odit increpationes,insipiens est.*

DIsciplina hic vt & aliis plerisque locis pro castigatione, correctione & correptione ponitur.Hãc qui diligit, & lubenter admittit, is declarat se diligere scientiam hoc est notitiã certam agendorum, vtpote ad quam homo peruenire non possit nisi frequenti morum correptione facta à sapientioribus, & his qui exercitatos habent sensus ad discretionẽ boni & mali. Contra ergo qui talium increpationes odit,is verè insipiens est, vt qui non agnoscat nec amplecti velit viam, per quam ad scientiam agendorum & sapientiam perduci possit.Ostendit ergo hæc sententia discrimen inter amatorem scientiæ & stultum ex effectu dilectionis & odij increpationum, monetque castigationem diligendam. Et quidem potest hæc sententia accommodari ad quoduis scientiæ genus. Nam in nulla scientia proficit,qui in ea à præceptoribus corripi se non patitur, vt iuuenes qui magistrorum castigationes non ferunt, neque manum ferulæ subdunt declarant se literas non amare nec in eis discendis facilè proficient. Itidem de aliis scientiis. At sapiens potissimum hic agit de scientia, quæ est diuinarum rerum cognitio, eorũque quæ homini vt beatus sit,agenda sunt, quam ij demum amant qui ab aliis se moneri patiuntur & reprehendi,di
Psal.140. centes cum Dauide: Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Nec tamen tantum de castigatione vel increpatione quæ ab homine fit hæc sententia est accipienda, sed & de ea quæ à Deo proficiscitur per immissas tribulationes & aduersitates, per quas homo eruditur & in multis
Esa.28. instruitur, iuxta illud Esaiæ: Sola vexatio intellectum dabit auditui. Per flagella enim diuinitus immissa perducitur homo in cognitionem suorum defectuum, vanitatis huius seculi, atque iustitiæ diuinæ,& omnino in multis fit prudentior. Itaque qui huiusmodi diuinam disciplinam diligit atque lubenter amplectitur, is declarat se verè etiam diligere scientiam qua saluus esse possit. Qui verò huiusmodi increpationes odit, Deoque flagellanti obmurmurat, is sanè insipiens est, dum non agnoscit id in ipsius accidere vtilitatem, nec per id ad sapientiam perducitur, quod vt prudẽtior fieret à Deo ei immissum fuit.Notandum autem in priori membro nõ dici:Qui diligit disciplinam, sapiens est,quomodo vt diceretur,secundum membrum postulare videtur,sed diligit, inquit, scientiam Etsi enim necdũ sit sapiens semper qui diligit disciplinã,tamen hoc ipso declarat se diligere scientiam & cupidum esse sapientiæ. Ita & si non is solum sit insipiens qui odit increpationes, sed & is qui eas amat, nec tamen iuxta eas se statim corrigit,tamen peculiariter de eo qui odit increpatiões dicitur,quod sit insipiens, quia scilicet planè & desperatè insipiẽs est.Et de eius resipiscentia parũ spei reliquum est, vt qui abiiciat medium ad sapientiam hominem promouens.

2 *Qui bonus est,hauriet gratiam à domino, qui autem confidit in cogitationibus suis,impiè aget.*

HEbraea sic ad verbum.Bonus educet beneplacitum à domino, virum autem cogitationum(vel abominationum)condemnabit, dominus scilicet. Aut: vir cogitationũ impiè aget,In prima enim parte rursus ponitur רצון Ratson, quod suprà vertit placitum vel voluntatem.Et intelligunt quidam de beneplacito iusti, vt sit sensus: Bonus sua bonitate suisque precibus, facilè obtinebit à domino quod sibi fuerit beneplacitum,hoc est quod vult & desiderat,quia vt habet Prophe
Psal.144. ta: Voluntatẽ timentium se faciet dominus, & deprecationem eorum exaudiet. At magis conuenit intelligere de voluntate & beneplacito diuino,vt sit sensus: Bonus impetrabit à domino beneplacitum ipsius vel fauorem eius,hoc est,consequetur eius beneuolentiam & fauorem. Nam quod hic habetur: Educet beneplacitum à domino, & alibi in hoc libr. inuenitur,vt c.8.vbi Sapiẽtia dicit: Qui me inuenerit,inueniet vitã, & hauriet salutẽ à domino. Et c. 18. vbi nos legimus: Qui inuenit mulierem bonam,inuenit bonum,& hauriet iucunditatem à domino,Hebræis semper est q; hoc loco noster vertit interpres, Hauriet gratiam à domino & ad verbũ sonat, educet beneplacitũ à dño. At illis duobus locis maximè quadrat ea phrasi intelligere significatum,tales consecutos,aut consecuturos fauorem domini, quemadmodum omnes ferè intelligunt.Huic intelligentiæ optime etiam conuenit quod sequitur: Virum autem cogitationum vel abominationum (Hebræa enim dictio significat & abominationes & cogitationes,sed ferè malas)hoc est,virum malas habentem cogitationes, aut abominationes facientem,& si ad tempus florere videatur, tamen suo tempore eum dominus condemnabit. Contraria enim sunt Deum fauere aut bene velle iusto,& eundem condẽnare impium. Non ergo malè vertit noster interpres, Hauriet gratiam à domino. Nam haurire vel obtinere gratiam à domino non est aliud quàm cõsequi eius fauorẽ. Quod autẽ vertit

vertit in ſecunda parte:Impie aget, cum alij fere vertant condemnabit, verum quidē eſt verbū יַרְשִׁיעַ Raſach hic poni in coniugatione Hiphil,in qua propriè ſignificat quempiam impium declarare & condemnare,ſed tamē teſte Pagnino ponitur in eadem coniugatione nonnunquam etiam pro impiè agere, vt Danielis 9.vbi nos habemus: Et impiè egim' Et cap.12.vbi habemus,impiè agent impij: niſi quod propter cōiugationē ſignificatur nō ſimpliciter impiè agere,ſed valdè impiè agere.Hanc ergo hoc loco D.Hierony.ſecutus eſt verbi acceptionem, vel ob id quod alioquin verbum nō habeat ſuppoſitum.Et videtur D. Hierony.hunc intellexiſſe ſenſum valde conueniētem, quem & Beda indicat: Qui bonus eſt,is ſtudebit obtinere,& ideo etiam obtinebit à domino gratiam talem vt per eam ſemper in virtute magis atque magis proficiat, iuxta illud:Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Apoc.22. Qui autem cōfidit in cogitationib. ſuis nec putat ſibi ambiēdum Dei fauorem & gratiā, ſed putat ſe quod concipit & machinatur in corde ſuo,prēſtare poſſe,is magis ſemper magiſq; impiè aget. Dei enim gratia deſtitutus in impietate ſua perdurat, ſemperque ,pficit iuxta illud:Qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc. Quamquam autem plerique libri habeant per prēſens tempus:impie agit magis tamen conuenit tempus futurum & ſenſui & originalibus. Nam & Hebræa & Græca habent tempus futurum.

3 Non roborabitur homo ex impietate,& radix iuſtorum non commouebitur.

PRIOR pars ſic habet hebraice ad verbū. Nō firmabitur homo in impietate. Quod dupliciter accipi poteſt,aut vt ſignificetur hominem non futurum fixum & diuturnum in ſua impietate,nec in ea diu perſeueraturum, vtpote quem ſimul cum impietate ſua Deus ſit ſublaturus è medio,Aut vt ſit ſenſus,hominem per impietatem non ſtabiliendū,vt præpoſitio ,in,accipiatur quemadmodum ſæpè propter.Secundam acceptionem ſecutus eſt noſter interpres dum vertit:non roborabitur homo ex impietate.In qua verſione verbum (roborabitur) non eſt accipiendū de robore fortitudinis & potentiæ,ſed vt concordet cū originali accipiendum eſt ſignificare robur diuturnitatis,vt ſit ſenſus.Homo ex impietate.i.per impietatem nō ſic roborabitur, vt in æternum & diu poſſit ſubſiſtere,quantumuis conetur ſuis cogitationibus & iniquis conſiliis ſeſe & poſteritatem ſuam ſtabilire. Et ſic Sap.4. ſap.4.dicitur. Adulterinæ plantationes nō dabunt radices altas.Vtrique ſenſui bene conuenit oppoſita ſecunda pars. Et radix iuſtorū non commouebitur,quod ſimpliciter accipi poteſt,vt ſignificetur quod ipſi iuſti tanquam radix quædam bene firma non cōmouebuntur, neq; ob vllas impiorum afflictiones, aut eorum falſam doctrinam, neque per vltionē aliquam diuinam mundo ſuperuenientem, neque per mortem denique ipſam,per quam tranſplantati ſtabiliores fient,vtpote vitā conſecuti æternam.Aut ſubtiliori intelligētia per radicem iuſtorum intelligi poteſt cum Caietano ipſa illorum iuſtitia per quam iuſti efficiuntur,vt ſicut ſuperiori membro ſignificatum eſt impietatem tāquam radicem impiorum non ſtabilire eos:ita hic ſignificetur iuſtitiam tanquam radicem iuſtorum eos ſtabilire & efficere vt perpetuo ſubſiſtant.Sūt qui per radicem iuſtorum intelligūt ipſorum poſteritatem vt ſignificetur illam non defectūram.Nam & ſic radicem vſurpat ſcriptura:vt cum dicitur in pſal.de impio:Euellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Pſal.51. Prima tamen expoſitio ſimplicior eſt,& mori loquendi ſcripturæ conformior. Sic enim hic radix iuſtis tribuitur ſicut i Iob dicitur. Vidi ſtultum firma radice,hoc eſt tāquam firmam habentem radicem,& bene radicatum in terra.Et ſicut Iere. dicitur de iuſto,Et erit folium eius viride,hoc eſt erit ſemper virens ſicut folium viride. Iob.5. Iere.7.

4 Mulier diligens corona eſt viro ſuo,& putredo in oſſibus eius quæ confuſione res dignas gerit.

BENE vertit interpres hebræa quæ ſic habent: Mulier fortis corona eſt viri ſui: & quaſi putredo in oſſibus eius,cōfundens vel pudenda.Pro mulier diligēs hebræis eſt אֵשֶׁת חַיִל eadē ſcilicet oratio, quā poſtea vltimo cap.vertit mulierem fortem.Sonat autem ad verbum,Mulier fortitudinis.Vnde Ruth.dicitur,Mulier virtutis,vbi eadem oratio ponitur.Significatur ergo per mulierem fortitudinis,id eſt,fortem,mulier ſedula & diligens quę vitās ocium & carnis illecebras ab omni turpitudinis infamia liberam ſe ſeruat,familiam egregiè tuetur & moderatur,neceſſaria ei prouidens,liberos liberaliter educās & breuiter talis qualem poſteà deſcribit ſapiēs mulierem fortem,Non ergo diligens mulier hic dicitur quæ amat maritum ſuum,vt quidam exponit ineptè,ſed quæ in opere diligens eſt & ſedula. Talis mulier eſt marito ſuo veluti corona,hoc eſt,ſummo honore & lętitia virū afficit.Contra mulier confuſibilis quæq; ita ſe gerit vt eius maritum pudeat,vel ob infamiam turpitudinis , vel ob ignauiam in reb. domeſticis curandis, eſt tāquam putredo in oſſibus eius,quia ſummo & continuo cruciatu virū tabefacit. Porrò quod dicitur, Putredo in oſſibus, videtur ſimpliciter intelligendum vt per oſſa, membra corporis accipiantur quemadmodum ſępè vſurpat ſcriptura, vt cum ca.15. poſteà dicitur: Fama bona impinguat oſſa.Et cap.14. Putredo oſſium inuidia.Et cum Dauid dicit, Conturbata ſunt oſſa mea.Et exultabūt oſſa humiliata.Neque enim oſſa propriè impinguantur aut conturbantur ſed mębra ipſa in quib.ſunt oſſa. Sic Pſal.50. nec putredo propriè eſt in oſſibus, ſed in carne.Vnde hic vertit quidam,Pudenda eſt quaſi quoddam pus in eius membris.Quāquam rectè intelligatur potius hic poſuiſſe Sapientem oſſa quam carnem ad exaggerationem mali nimirum ad ſignificandum mulierem talē afficere virū & torquere malo, nō quod carnē exterius excedat & ſanguinē,ſed quod interius affligat, & veluti ipſa oſſa corrodat vt tinea lignū. Cui malo aut nullū, aut cum ſumma difficultate remedium adhibetur. Pſal.6.

Aptiſſimè

Aptiſſimè ergo hac metaphora domeſticum malum quod maritus ab ignaua patitur muliere,expreſſum eſt.Quam ſententiam ſi myſtice velimus intelligere,per mulierem fortē hic ſicut & vltimo c. eccleſiam intelligemus,quę dum vſque ad mortem reſiſtit corruptoribus religionis,& pro ſuis filiis ſedulo ſolicita eſt,corona eſt ſui ſponſi Chriſti Sicut contra ſynagoga Iudeorū,quaſi putredo fuit in oſſibus eius, dum eum varia ignominia & pœna affecit. Ex data interpretatione poteſt pronomen eius pertinere ad virum,non autē ad mulierem,quomodo tamen intelligit non ſolum Liranus,ſed etiam Beda,ſed repugnāte lingua originali.

5 Cogitationes iuſtorum iudicia,& conſilia impiorum fraudulenta.

VIDERI poſſet ex ſecunda parte prior pars ſimpliciter eſſe accipiēda,vt ſit ſenſus,cogitationes iuſtorum ſunt iuſtæ,quemadmodum conſilia impiorum ſunt iniuſta,vt pote fraudulenta.Et variè à noſtris prior pars explicatur. Verum vt ſolidum huius verſus aſſequamur ſenſum,oportet obſeruare elegātiam quę eſt in lingua originali. Sūt enim hic in vnoquoque membro tres tantum dictiones,ſyllabarum numero,cum iiſdem ferè pūctis ſibi correſpondentes. Ad verbum ſic eſt. Cogitationes iuſtorum,iudicium:conſilia impiorum,dolus. Hoc eſt,iuſtorum cogitatiōes omnes in hoc ſunt vt iuſtitiam ſeruent:At cōtra improbi illuc omnia ſua conſilia conferūt vt per dolos & fraudes circumueniant alios. Ad hunc ſenſum & noſtra litera reducenda, vt ſit ſenſus: Cogitationes iuſtorum ſunt iudicia, hoc eſt, iuſti cogitant de iudiciis,id eſt, iuſtitiis ſeruandis:At conſilia impiorum quæ ſcilicet agitant in corde ſuo(nam de illis accipiendum prior pars oſtendit)ſunt fraudulenta,hoc eſt,res fraudulentæ,quia ſcilicet cogitant & ſecum conſultant de rebus per quas decipere poſſint.Itaque non tam ſignificatur quales ſint cogitationes vel iuſtorum vel impiorum,quam in quibus rebus conſiſtant,vt cogitationes iuſtorum ſint ea quæ iuſti cogitant.Sic ſe intellexiſſe oſtēdit Gregorius qui Gregor. hunc locum tractans lib.19.moral.cap.18.ſic habet:Iuſti iudicia ſecum quotidie introrſus agunt, quid Deo, quid proximo debeant ſolerter aſpiciunt , atque ad agendum bona ſe vehementer accendunt,& de perpetratis malis diſtrictē redarguunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur Cogitationes iuſtorū,&c.Preſſē hæc ſententia conſideranda eſt, quæ pulchrè veriſſimum diſcrimen aperit inter iuſtum & iniquum, quorum ille ſtudium impendit & ſolicitus eſt,non de priuato tantum commodo , ſed ne quis iniuriā patiatur & vt vnuſquiſque quod ſuum eſt poſſideat.Iſte tantum abeſt vt cuique prodeſſe velit, vt illuc omne ſuum ſtudium referat quo dolos inueniat, quibus circumueniat quos viribus & violentia ſuperare non poteſt.

6 Verba impiorum inſidiantur ſanguini, os iuſtorum liberabit eos.

SVPERIORI ſententia oſtenſum eſt diſcrimen inter cogitationes iuſtorum & iniquorum,hic oſtenditur diſcrimen inter eorum verba, quoad eadem illa circa quæ ſunt eorum cogitationes.Dicit ergo,non ſolum cogitationes & conſilia impiorum ſunt fraudare,ſed iuxta cogitationes eorū,etiā verba impiorū ſunt inſidiari ſanguini.Sic enim ad verbum habent Hebræa: Verba impiorum inſidiari ſanguini,hoc eſt,verba eorum conſiſtūt in tractando de inſidiis contra ſanguinem alicuius peragendis. Hoc loquuntur, hoc docēt,quomodo inſidiari quis poſſit alteri,Aut ſic diſponunt & concinnant ſua verba,vt inſidias per ea ſanguini alterius parent,ſimulantes pacem vt magis decipiant,Aut falſa cōtra aliquem teſtimonia proferentes. Secundum hunc poſteriorem ſenſum noſter interpres & alij vertunt:Verba impiorum inſidiantur ſanguini. Porrò inſidiari ſanguini eſt inſidias ſtruere ad effuſionem ſanguinis , hoc eſt, ad necem alterius, ſub quo tanquam ſub maximo comprehenditur etiam quicquid impij meditantur ad opreſſionem & iniuriam alterius. Cum autem talia ſint impiorum verba, contra, os iuſtorum liberabit eos, hoc eſt,ipſoſmet aut quoſuis alios, quorum ſanguini impij inſidiantur ore. Quia iuſti ore ſuo prænomen incautos, ne verbis impiorum decipiātur, ſeſeque & alios coram iudice tuentur & innocentes oſtendunt contra improborū inſidias.Patet huius ſententię veritas in hiſtoria quæ de Suſanna eſt,cuius ſanguini inſidiabantur iniqui preſbyteri,ſed os iuſti Danielis liberauit eam.

7 Verte impios & non erunt, domus autem iuſtorum permanebit.

IMPERATIVVS(verte)qui & in Hebræo eſt,ad Deum referendus videtur, vt ſit ſenſus : O Deus verte impios & non erunt. Quæ prēcatio poteſt prophetico more accipi vt ſit prædictio futuri, quemadmodum cum dicit Dauid;Effunde ſuper eos iram tuam.Ita Pſal.67. quę ſenſus erit:Vertet,hoc eſt,ſubuertet Deꝰ aliquādo impios ita non vt ſint.Sicut Dauid dicit:Deficient peccatores à terra & iniqui ita vt non ſint. Pſal.103. Aut ſic accipiendum eſt.Verte impios,&c.vt ſit ſenſus.Si volueris aut cōperis ſubuertere impios,iam nō erūt amplius nimirum quia & hic omnem ſuam gloriam & poteſtatem amittent,ita vt & memoria eorū apud homines aboleatur,& poſt hanc vitā quia miſeri erunt, verius non erunt quàm erunt.Vnde Dauid de impio: Cum interierit, Pſal.34. iuquit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.Contra verò,domus iuſtorum permanebit.Vel vt habent Hebræa, ſtabit:quia eorum familia & poſteritas, ſiue carnis ſiue ſpiritus,in longam aut perpetuam ſeriem propagabitur. Veritas huius ſententiæ excellenter patet in tam diuerſis idololatriæ religionibus,in tam multis tyrannis & iuſtorum perſecutoribus, in tam variis hæreticoconciliabulis,quę omnia penitus de terra ſublata ſunt,cū familia Abrahæ & Dauidis adhuc,ſaltem ſecūdum ſpiritum, perduret,omniumq; iuſtorū vna eadēque domus eccleſia ſcilicet,

scilicet,semper persistat contra omnes insultus inuicta.Septuaginta illud,(Verte impios non ad Deum,sed ad homines retulerunt, vt sit sensus:Etiamsi quis vertat impios,vel etiãsi impij sese vertant,& locum mutent,non tamen effugere poterunt Dei manũ.Habent enim ὃ ἐὰν στρέφῃ ὁ ἀσεβὴς, ἀφανίζεται,id est:quocunq; vertatur impius,deletur vel de medio tollitur D.Gregor.hom.32.super Euang. mystice hãc partem intelligit,vt sit sensus: Domine conuerte impios ab impietate, & iam non erunt quod fuerant,impij scilicet. Conuersi, inquit impij,non erunt, non quia non erunt omnino in essentia,sed non erunt in impietatis culpa. Meminit huius intelligentiæ & Beda in commentariis.

8 *Doctrina sua noscetur vir,qui autem vanus est & excors,patebit contemptui.*

BEDA intelligit hic significari ex doctrina hominis declarari ipsum esse virum, hoc est, virtute prẹditum, si scilicet doctrinã bonam factis exequatur.Sunt qui intelligunt significari ex doctrina quam quis profitetur agnosci cuius quis sit professionis, Theologus scilicet an Medicus, Catholicus an hæreticus,& sic de aliis.Verum hi sensus non conueniunt secundæ parti, nec originali linguæ. Habent enim Hebræa sic: Propter os prudentiæ suę laudabitur vir,& peruersus corde erit in contemptum. Et est sensus. Vir laudabitur propter os, quo suam in corde latentem profert prudentiam docendo alios & bene consulendo. At contra qui peruersus est corde, ita vt ex eo nõ nisi peruersa loquatur(ex abũdantia enim cordis os loquitur)is despicietur à probis scilicet. Conueniet cum hoc sensu nostra littera si sic intelligatur.Vir per doctrinam suam noscetur,hoc est,celebris erit & in omnium ore. At contra qui vanus est & excors ita vt docere nequeat sed tantum futilia proferat, is à probis omnibus contemnetur. Noscetur enim per futurum legendum est, potius quàm noscitur. Interpres noster in eo quod vertit vanus & excors, secutus est 70. qui habent νωθροκάρδιος,id est, vecors & ignauo corde. Docet hæc sententia per sapientiã parari apud homines gloriam & nomen, sed eam sapientiam, quæ non occultatur, at docendo alios declaratur. Contra per peruersitatem aut vanitatem ore declaratam parari contemptum. Itaque vt ad docendum sapiẽtes,inuitat loquacitatem impiorum aut vecordium cohibet.

9 *Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane.*

HAc sententia iuxta nostram lectionem significari simpliciter videretur hominem sortis infimæ,qui tamen suæ conditioni habet sufficientia, præferendum esse ei qui magni est nominis & cõditionis, sed indiget necessariis.At ex Hebręis patet amplius quid significari. Habent enim sic:Melior est vilis, & seruus illi (vel seruus sibi)quam gloriosus (vel iactans se)& egens pane. Vtroque enim modo verti potest ex Hebræo, aut seruus illi, hoc est,Melior est vilis cui est seruus, hoc est qui sua industria sibi seruum comparat cui imperet: Aut seruus sibi hoc est, Melior est vilis & ignobilis apud mundum, qui sibi ipse est seruus, hoc est, suis laboribus non detrectat necessaria suppeditare sibi. Quẽ sensum (vt est verisimilior)secuti sunt 70.qui habent κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμίᾳ δουλεύων ἑαυτῷ ἢ τιμὴν ἑαυτῷ περιτιθεὶς καὶ προσδεόμενος ἄρτου,id est,melior est vir in ignobilitate seruiens sibi, quam qui honorem sibi vendicat & indiget pane. Hunc sensum & noster secutus est dum vertit sufficiẽs sibi.Is enim sibi sufficit qui ope aliena non indiget,sed suis sibi laboribus necessaria parat.Sensus ergo est.Melior,hoc est, præstãtior & maiore dignus laude, est homo pauperis conditionis,qui non magnifit à mundo,& seipsum floccipendit,qui sibi ipsi inseruit,pauca quibus indiget suis manibus suaque industria conquirens,quam gloriosus qui apud homines nobilis habetur aut sese iactat(nam hoc propriè Hebræa dictio significat) & indigens pane,hoc est necessariis. Simile habet Ecclesiasticus,Melior est, inquit, qui operatur & abundat in omnibus, quam qui gloriatur & eget pane, [Eccl. 10.] Notat hæc sententia stultitiam multorum nostri etiam seculi, qui nobilitate generis & stemmatibus sibi placentes malunt apparere honorabiles & indigere pane, quã deficere seipsos ad exercitium aliquod & seruire sibiipsi, vt habeant commodè victui necessaria. Quibus etiam peiores sunt qui cum nulla ex origine nobilitatem habeant,tamen delectati gloria mundi & otio,malunt in magna inopia vt nobiles sese gerere,quam honestis laboribus inopiam effugere. Itaque indicat etiam sententia paupertatem esse vtilem, vt quæ efficiat vt homo paucis egeat,& laborare non detrectet, cum gloria & iactantia & multos egere faciat & à labore reuocet. Secundum mysticum sensum quem Beda prosequitur,docet hæc sententia, meliorem esse [Misticus sensus.] idiotam in mysteriis scripturæ non eruditum qui secundum acceptam cognitionem satisfaciat sibi,operando bona iuxta sui status exigentiam,quam qui clarus eruditione scripturarum, vel etiam ob doctoris nomen & officium magnus apud homines, indiget pane dilectionis.

10 *Nouit iustus iumentorum suorum animas,viscera autem impiorum crudelia.*

COMPARAT hæc sententia iustorum in misericordia affectus cum affectibus impiorum.Iustus, inquit, non tantum hominum sibi commissorum curam habet & rationem, sed & iumentorum suorum animas nouit, hoc est, attendit sua iumenta,eorumque habet rationem, solicitus ne plus æquo ĩ laborãdo exigatur ab eis & ne quid eis desit multo magis ea præstans erga homines sibi subditos, filios,seruos & mercenarios. Cõtra viscera impiorum quæ naturaliter ad miserandum sunt prona,adeo vt apud Hebræos à miseratione nomen acceperunt(dicuntur enim רחמי Rachame quod significat misericordias)sunt crudelia,vt nullius hominis nedum bestiarum miseria commoueãtur, plusq; à sibi subditis tũ hominibus tũ animalibus

exigant

exigant quàm præstare possint, nec tamen vicissim quæ necessaria sunt liberaliter subministrent eis,in se tantum indulgentes.Respexisse autem videri potest Sapiens in hac sententia ad legem. [Deut.25.] Non alligabis os boui trituranti. [1.Cor.9.] In quã legem cum Paulus præter literalem sensum indicet esse allegoriã,etiam hoc adagium non simpliciter accipiendum videtur,sed intelligendum allegoricè iustos reddere mercedẽ laborantibus,iniustos non reddere. Sunt qui vertũt secundam partem.Misericordiæ impiorum crudeles.At variè laborant vt ostẽdant quomodo misericordiæ sint crudeles,proinde præstat nostram sequi versionem,quæ commodum habet sensum.Nec enim nouum, apud Hebræos dictionem hic positam, quamuis propriè significat misericordias, accipi pro visceribus vt Gene. 43,cũ dicitur: Commota quippe erant viscera super eo.Vnde & 70. hic habent τὰ δὲ σπλάγχνα τῶν ἀσεβῶν ἀνελεήμονα, id est,viscera autem impiorũ immisericordia.Docet hæc sententia,secũdũ [Mysticus sensus.] mysticum sensum, iustos debere compati & misereri hebetudini & fragilitati proximorũ sibi cõmissorum,bonique pastoris esse ouium suarum habere rationem, impios autem esse qui non solum non compatiuntur subditis, sed iuxta hoc quod dominus ait: [Matth.24 13.] Percutiunt seruos & ancillas,& alligant onera grauia & [Rom.25.] importabilia,Debemus,inquit Paulus,firmiores imbecillitates infirmorum sustinere &c. Sunt & qui(quoniam in Hebræo habetur singulariter. Nouit iustus animam iumenti sui) per animam iumenti sui,mysticè intelligunt animam sensitiuam,cuius necessitati à bonis succurrendum est,iuxta illud quod supra dictum est:Benefacit animæ suæ vir misericors Iam quod sequitur,Viscera impiorum crudelia, significat, aut quod impij nimia licentia laxantes frena appetitui, & sibi indulgendo in seipsos crudeles sint, quia animæ suæ nocent,aut quod crudelitatem in se committãt sibi denegando commodum rerum necessariarum vsum.

11 *Qui operatur terram suam,satiabitur panibus:qui autem sectatur ocium,stultissimus est.*

PARVM refert quod hebræa in secundo membro habent:Qui sectatur vacuos deficit corde.Sectari enim vacuos,hoc est ignauos & otiosos est imitari in eis otium,quod est sectari & persequi otium.Et deficere corde nihil est aliud quam stultum esse.Commẽdat ergo hæc sentẽtia,vt aliæ pleręque huius libri, sedulitatem laborantium & otium desidum damnat, Peculiariter autem meminit operantium,hoc est colentium terram suam quia inter omnes artes merito agricultura, tum necessitatis tum innocẽtiæ nomine primum locum obtinet, sub qua tamen tanquã præcipua operatione,& reliquæ artes quibus victus paratur comprehenduntur. Vnde in secundo membro non omnes stultitiæ condẽnat qui terrã non colunt,sed qui sectantur otiũ,neque scilicet agriculturæ dediti,neque vllam aliam honestam exercentes artem. Cũ autem in secundo membro videbatur dicendum ob rationem oppositionis. Qui sectatur otium indigebit panibus, dixit deficit corde, vel stultus est, significans eum qui operatur, quia ex labore satiatur,sapientem esse, eum qui otiatur,quia indigebit,stulte & imprudẽter agere.Capite.28.vbi eadem penè sententia repetitur iucundior est oppositio: dicitur enim: Qui operatur terram suam, satiabitur panib.Qui autem sectatur otium, satiabitur egestate. Cæterum nomine panis necessaria vitæ intelliguntur, iuxta illud euangelicum Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, [Mysticus sensus.] Mystice is operatur terram suam qui arcana cordis sui per iugem legis meditationẽ & orationum studium exercet, qui corpus suum abstinentię vomere proscindit, rigidoque continentię sarculo fodit,qualis scripturarũ pane:& cœlestis sapiẽtię pabulo mira cũ dulcedine satiabitur in pręsenti vita,saturandus postea plenius cœlestibus dapib.Contra qui pro salute animæ suæ laborare nũc detrectat, verè coram Deo stultus est, tametsi vel diuina vel mundana sapientia gloriosus videatur apud homines,vt qui sibi non prospiciat de his quibus mens & hic & postea dulciter reficiatur & saturetur.

12 *Qui suauis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam.*

HVNC versum nec hebræa habẽt nec vetera exemplaria latina pleraque. Habent tamen eum gręca,ex quibus patet quam perperam hic versus apud latinos legatur in plerisque libris. Nam etiam in operibus D. Hieronymi à Frobenio impressis sic legitur hic versus.Qui suauis est, viuit in moderationib. & in suis monitionibus relinquit contumeliã Quod sic intelligit Liranus: Qui suauis per mansuetudinem in magna viuit moderatione verborum & factorum, ideoque monẽdo alios cessat vti verbis contumeliosis. At græca habent, ὃς ἐστιν ἡδὺς ἐν οἴνων διατριβαῖς, ἐν τοῖς ἑαυτοῦ ὀχυρώμασι καταλείψει ἀτιμίαν, hoc est, Qui suauis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquet contumeliam, vt & apud nos habent codices emendatiores.Itaque vitio scriptoris,viuit in, scriptum est pro in vini Et moderationibus,pro demorationibus, inuersis scilicet priorib. syllabis.Sẽsus est: Qui delectatur immorari potationi vini,in suis habitaculis suáque familia relinquet cõtumeliã, vel potius ignominiam, quia malum post se nomen relinquet, patrimonioque decocto ignobilem suis paupertatem relinquet.

13 *Desiderium impij monumentum est pessimorum,radix autem iustorum proficiet.*

PRo monumentũ Hebræis est מצוד Metzud quod rete,vel venationem magis significat, à verbo צוד Tzud quod venari significat.Itaque sic habent Hebræa.Desiderat impius venationem malorum, radix autem iustorum dabit,Hoc est, impius desiderat cũ malis venari, quia cum ipsis per fas & nefas aliorum inhiat bonis.Illa enim malorum, est venatio,illud eorum studium, Vnde dicunt cap.1.Veni nobiscum,insidiemur sanguini,abscondamus tendiculas contra insontẽ frustra

Omnem

Omnem pretiosam substantiam reperiemus
&c. At contra iustus tanquam radix fructife
ra dabit, hoc est, non modo non quærit aliena
rapere, quin & sua largietur, iuxta illud Daui
dis: Mutuabitur peccator & nõ soluet, iustus
autem miseretur & retribuet, vel vt habent
Hebræa, & dat, idẽ scilicet verbũ quod hoc
loco, vt ne quis miretur absolutè hic verbũ
Psal. 36. dabit positũ sine accusatiuo. Verisimile om
nino est D. Hierony. simul cum 70. vnico pun
cto mutato legisse nõ מרצוד metzud, sed מרצור
metzod, quod à radice מרצר matzad deriuatũ
significat arcem, munitionẽ & munimentũ
vnde nihil dubito quin vera lectio hoc loco
sit non monimentum, sed munimentum. Sic
enim hanc dictionẽ aliquoties vertit D. Hie
ronymus vt Esa. 33. Munimenta saxorum subli
mitas eius. Et 70. in hac sententia habent rur
sum quod est apud eos in versu præcedenti
ὀχύρωμα, id est, munitionem, quamquam a-
pud eos ea dictio ponatur in parte 2. huius
sententię. Habẽt enim ἐπιθυμίαν ἀσεβῶν κακὴ, αἱ δὲ
ῥίζαι τῶν δικαίων ἐν ὀχυρώμασιν, id est desideria im-
piorum mala, radices autem iustorum in mu-
nitionibus. Et munimentum habent hoc lo-
co quędã Biblia impressa nominatim Eucha-
rij impressa anno 30. Est ergo veræ D. Hiero-
ny. versionis hic sensus: Impius desiderat mu-
nimentũ malorum, hoc est, vt mali possint tu
ti esse & fortes, iustis prævalentes, vtque eorũ
consortio muniti sint & ab eis protegantur.
At frustrabuntur suo desiderio, sola radix iu
storum dabit assiduè, hoc est (vt vertit Hiero-
ny.) semper proficiet, semper pullulabit, non
morietur, ita vt ex ea nullum procedat ger-
men. Hoc est, Iusti tanquam radix bene firma
ta & fertilis assiduè proficient, crescent, & ro
borabuntur, nulla malorum fortitudine deie-
cti. Beda (cuius commentarij declarãt ipsum
legisse monumẽtum adeò deprauatio illa in-
ualuit) duobus modis exponit illud: Deside-
rium impij monumentum malorum, vel vt si-
gnificetur impium desiderare imitari memo
riam & exempla præcedentium malorum, ac
de illorum actibus loqui: Vel quia desideriũ
impij eo tẽdit, quamuis eo nesciente, vt cum
prioribus iniustis, æternę mortis carcere clau
datur, vt scilicet monumẽtum pro sepulchro
accipiatur impiorũ, quod est infernus. Quod
suprà diximus verbũ dabit absolutè positum
sine accusatiuo satis intelligi, sic inuerti po-
test. Radicem autem vnusquisque ex iustis da
bit, hoc est, non tantùm de fructibus propriis
amplè suggeret, verum etiam de iis suppedi-
tabit quæ sibimet ipsi necessaria sunt, nec nõ
per quæ alitur & sustentatur. Qua ratione no-
men illud plurale צדיקים tsaddiquim, id est,
iusti distributiuè est accipiendum, pro more
apud hebræos satis trito & vulgato Exemplũ
subiicere placet ex Gen. c. 49. filię incedebat
hoc est, vnaquæq; de filiabus discurrebat su-
per murum & Psal. 119. rectum iudicia tua, id
est, vnumquodque ex iudiciis tuis. Est rursus
plurimorum sententia vt καθ' ἔκλειψιν quidpiã
subintelligi velint prout ea figura apud eos-
dem hebræos est omnino frequens; atque a-
deo ἐκλειπτικῶς subaudiuntur verba quæ maxi-
mè sunt expressis consentanea. Quinetiam
eiusmodi eclipses crebræ sunt in sententiis
Salomonis, qui quidem paucis verbis multa
cõplecti & grauia constringere nititur. Scitis-
simè ergo subaudias, fructũ suum vel ramos
quos iustorum radix longè latéque expandit
& copiosissimos expromit fructus. Iustorũ au
tem vocabulo probos, misericordes, pios ac
charitatem spirantes itidem intelligas. Porro
antitheses ex sensibus iam antea explicatis i-
ta ritè componentur. Impij studiosè ad malũ
tantum collimant dum artes & technas pra-
uorum hominum affectant, vel secundum a-
liã lectionem, fœdera & præsidia. At iusti in
hoc propensiùs incumbunt vt omnibus pro-
sint, abundè fructus edant velut ex opima ra-
dice. Et reuera vberrimum fructum quantũ
in se situm est afferũt. Vel extrinsecus robur
petunt impij vnde sustineantur. Iusti autem
extrinsecus non habent necesse roborari, quũ
in se habeãt vnde satis superque robur sumãt
vi propriæ radicis altissimo defixæ trunco &
validissimis stipitibus. Nec verò quemquam
moueat, quòd prior versiculi pars sit in præ-
sens tempus concepta posterior autem in fu
turum collata, quasi verò non sit æquè præ
sentaneũ iusti bonũ, quod hic sanè in futurũ
differri videtur, atque sint ipsius impij muni-
menta & machinæ ex voto scilicet ac deside-
rio ipsius: siquidem hæc locutio constat ex
ea temporum mutatione quæ apud hebræos
frequentissima cum sit & familiaris nihilo se
cius tamen neque hic mysterio caret. Aiunt
enim sæpissimè vsuuenire vt instãtibus futu-
ra connectantur, ita quidem vt hæc retrahan-
tur ad illorum tempus, à quibus cõtinuata di
cendi serie dependent. Sed magis existimem
(proficiet radix) altiore stylo dictum esse, ea
formula qua futurum tempus rei frequẽtem
vsum demonstrat: vel potiùs par quam in ge-
neralibus sententiis continuus exprimitur a-
ctus. Id ergò potiùs designat parœmiastes
momento vnico & quasi præsentaria tempe-
state qua vim suam in futurum tempus pro-
rogare nequeat impij circunscribi desideriũ,
quùm prorsus sit in reliquum tempus iusti
voluntas duratura & fructus eius perpetuus
extiturus.

14 *Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia.*

HEBRAEA in primo membro habent. In
peccato labiorum laqueus malus. Vel
In peccato labiorum laqueus (vel ruina) ma
lo. Vtroque enim modo verti possunt. Et si-
quidem priori modo vertatur, sensus est. Per
labia scelerata quidam laqueum malum vel
ruinam (vtrũque enim Hebræa dictio מוקש
mocesch significat) aliis parant, cupiẽtes eos
decipere & perdere, Sed iustus euadet de an
gustia ipsis ab impiis intentata. Si posteriori
modo, sensus est: Per peccatum, vel propter
peccatum, quo quis labiis suis alium studet
decipere & perdere, ipsi mala erit laqueus &
ruina quam alteri parauit, hoc est, Malus illa
queabitur suo reti, quod subdolosa & falsa
sua lingua contra iustos expãdit, & iusto Dei
iudicio ruet in foueã quã fecit. Nã impij mul
ta falsa comminiscũtur. & veluti rete multis
filis cõtextũ est, sic multis verbis mẽdacia &
calũnias cõnectũt, quib. & hic frequẽter suæ
sunt perditionis authores, & semper apud
Deum æterno supplicio & damnatione tenen
tur illaqueati. Cæterum iustus angustiam sibi
paratam euadit, quia hic frequenter diuina
ipsum protegente gratia ab impiorum mole-
stia liberatur, detecta eius innocentia, & saltẽ
exiens de hoc corpore ab omni angustia &
tribulatione egreditur. Secundam intelligen
tiam secutus est D. Hieronymus subaudien-
do verbum proximãt, nam aliquod verbum
commodum subaudiẽdum erat, secuti & 70.
qui habent δι' ἁμαρτίαν χειλέων ἐμπίπτει εἰς παγίδας
ἁμαρτωλὸς, id est, propter peccatum labiorum
incidit in laqueos peccator. Sententiæ huius
veritas est declarata in historia Susannę, cuius
accusatores propriis sermonibus illaqueati &
præcipitati sunt, ipsa euadẽte illorum calum-
niam & paratam angustiam.

15 *De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis, & iuxta operum manuum suarum retribuetur ei.*

QVAMVIS secundam partem quidam
aliter vertant secundum verba, sensus
tamen probè à nostro interprete est redditus
Est enim in Hebręo sic: De fructu oris sui vnús
quisq; satiabitur bono, & retributio manuum
hominis reddet ei. Hoc est, ipsa exhibitio bo-
norum operum reddet homini quod mere-
tur. Quod clarius vertit D. Hieronymus: Et iu-
xta opera manuum suarum retribuetur ei.
Porrò vt superior sententia ostendit malum
fallacémq; sermonem impiorum, non noce-
re iustis contra quos profertur, nocere autem
impiis à quibus profertur. Ita contra hæc sen-
tentia indicat iustorum & sermones & facta,
non tantum aliis prodesse, sed & ipsismet. De
fructu oris sui, inquit replebitur bonis, hoc est
ex fructuosis vtilibúsq; sermonibus non tan-
tum illi pascuntur qui docentur, quibusq; be
ne consulitur, sed & ipsemet qui loquitur sa-
piens inde pascitur, imò saturabitur bono, nõ
solum quia ipsa verba docentis etiam ipsius
pascunt affectũ, sed & quia ingens à deo præ-
mium sui laboris reportabit, qui & hic in ipso
spiritualia charismata augebit, & posteà satie-
tatem vitæ æternæ ei largietur copiosius quã
Dan. 12. aliis iuxta illud Danielis: Qui ad iustitiam eru
diunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpe
tuas ęternitates. Sic & qui bene facit alteri nõ
tantũ alteri facit, sed & sibi, ad quem maxima
pars vtilitatis redit. Hoc ipsum enim opus quod
alteri benefacit, retribuet ei, hoc est, dabit ei
mercedem, quia pro illo accipiet præmium
iustitiæ vitam æternam. Vehemens est ergo
hæc sententia ad excitandum sapientes & iu-
stos, ad docendum & operandum, ne putent
fructum suorum laborum tantum transire ad
alios, aut perire suos labores, si qui docentur
non pareant, aut ingrati sint quibus bene fit.
Potest & alio fine accipi dicta hæc sententia,
vt scilicet significetur vnumquenq; suis de-
bere fidere laboribus, non autem tãtum alie-
nis meritis. Quasi dicat: Si bonam à deo expe
ctas remunerationem, non satis tibi esse de-
bet alios audire docentes, & videre bene ope
rantes, eorúmque niti meritis. Vnusquisque
enim iuxta ea quæ ipse siue ore, siue opere
præstitit, mercedem accipiet.

16 *Via stulti recta in oculis eius; qui autem sapiens est audit consilia.*

VT superior sententia ad docendum ex-
timulat sapientes, ita hæc ad audiẽdum
significans stultitię argumentum esse sibi pla
cere, nec ab alio moneri velle. Contra pruden
tiæ indicium esse, aliorũ libenter audire con-
silia. Via, inquit, stulti recta est in oculis eius,
hoc est, stulto videtur iusta & bona esse vitæ
suæ institutio, & ratio ac consilium rerum à se
gerendarum, atq; ob id non patitur se repre-
hendi, audire aliorũ doctrinam & consilium
recusat, tanquam satis sapiens & bene consul
tus: At contra, Qui sapiens est, audit aliorum
consilia, sua consilia suspecta habet, agnoscẽs
quénq; in sua causa ferè cæcum esse. Rursus
agnoscit aliorum cõsiliis audiendis sapiente
sapientiorem fieri, iuxta id quod superius scri
ptum est, Audiens sapiens sapientior erit.

17 *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.*

PRO statim. Hebræis est ביום Baiom, hoc
est, in die, quod positum est pro in ipso die
Vnde Septuaginta verterunt αὐθημερὸν, id est,
ipso die, quod nihil aliud est quàm statim. Vn-
de sic non Hierony. tantum, sed & alij verte-
runt post eum ex Hebræo. Cæterum hebræa
duobus modis verti possunt, potissimũ quod
ad priorem attinet partem. Primũ sic: Fatuus
statim cognoscetur per iram suam. Et erit sen-
sus: Facilè cognoscitur stultus cum irascitur,
quia tunc omnia effundit, per quæ stultitia e-
ius declaratur. Item quia ira eius leui causa
excitata declarat ipsum facilè ad iram prouo-
cari, quod stultitiæ argumentum est. Secũdo
sic: Fatui statim agnoscetur ira. Quod secutus
D. Hieronymus planius vertit, Fatuus statim
indicat iram suam, hoc est, sicut stultus facilè
irascitur, ita etiam statim conceptam iram
animíque commotionem foris prodit & ma-
nifestat; indignis clamoribus, comminationi-
bus, blasphemis, aliisque variis modis. Non
nouit iræ suæ moderari & dominari, statim &
ad leuem occasionem eo prosilit quo ipsum
ira impellit. Hanc posteriorem huius partis
versionem & acceptionem magis requirit se-
quens membrum, quod hebræis sic est: Et te-
git ignominiam callidus. Vel: Et qui tegit
ignominiam, callidus est. Quæ pars dupliciter
item accipi potest: Aut vt significetur calli-
dum tegere suam ignominiosam & puden-
dam iræ passionem in animo excitatam, vt ne
si foris erumpat, indę pudore apud homines
afficiatur, contra quàm facit stultus qui mox
passionem iræ foris declarat: Sic enim viden-
tur Septuaginta intellexisse, qui habẽt κρύπτει
δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀτιμίαν ἀνὴρ πανοῦργος, id est, occultat
autem suum dedecus vir astutus. Quemad-
modum & Beda hanc 70. lectionem exponit.
Aut vt significetur callidum tegere ignomi-
niam sibi ab alio illatam, atque ipsum eandẽ
non prosequi ad vindicandum clamoribus &
minis, sed dissimulare eam tacendo, quasi ni-
hil sit passus. Quem sensum quoniam hic in-
tellexit Diuus Hieronymus, ideo vertit: Qui
autem dissimulat iniuriam callidus est. Et

quidem callidi ſecundum mundum & planè verſuti eſt, diſſimulare iniuriam ad tempus, vt per diſſimulationem minus ſibi cauendũ inimicum opportuno tempore cõmodius lædat & vindicet, vti fecerunt Ioab & Abſalon. At qui ſecundum ſpiritum & coram Deo callidus eſt (de quali Sapiens loquitur) id eſt, qui ſibi prudenter proſpicit, diſſimulat iniuriam, vt ne ſtultum in maledicendo & malefaciendo imitatus ſtultitiæ etiam notam cum eo incurrat, ſeſéq; multis malis per iram inuoluat, vtq; diſſimulando iniuriam ſeſe vincat, veréq; fortis inueniatur, ex aliena malitia tolerata gloriam reportans. Demum vt alterius iniuriam diſſimulando, mereatur apud Deum etiam ad ſua conniueri delicta vnde monet Ia- Iacob. 1. cobus, vt ſit homo tardus ad irã. Hac ergo ſententia iam altera diſcretio diuerſarũ conditionum ſtulti & ſapientis indicatur. Superiori enim ſententia dicebatur ſtultum, quia ſibi placet, conſilia reſpuere, Sapientem, quia ſibi diſplicet, admittere conſilia: hic ſtultum iniuriam perſequendo, ſtatim iram ſuam oſtendere: Sapientem diſſimulare iniuriam, & diſſimulando iram ſuam tegere. Sic Saul. diſſimulauit iniuriam, vt eſt 1.Reg.10. Sic & Dauid cum ei Semæi malediceret, vt eſt 2.Reg.cap.16. Dimitte, inquit eum, vt maledicat iuxta præceptum domini, ſi fortè reſpiciat dominus afflictionem, & reddat mihi bonum pro maledictione hac die hodierna.

18 *Qui quod nouit loquitur, iudex iuſtitiæ eſt, qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus.*

HEBRAEA ſic: Qui veritatem loquitur indicat iuſtitiam, & teſtis mendax dolum, ſupple indicabit vel annunciabit. Cum ergo verbum in prima parte poſitum apertè ſignificet indicare vel annunciare (vnde & 70. habent ἀναγγελεῖ, id eſt annunciabit) veriſimile eſt apud nos non legendum index iuſtitiæ eſt, quomodo & poſtea deprehendi habere quoſdam antiquos codices & Dionyſium ipſum Rurſum in ſecundo membro patet nõ eſſe diſtinctionẽ faciendã ante: teſtis vt teſtis cõiungatur cũ: fraudulentus, ſed poſt: vt coniungatur cum, qui mentitur, hoc modo. Qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus, ſicut & 70. habent, ὁ δὲ μάρτυς τῶν ἀδίκων δόλιος, id eſt, teſtis autem iniquorum eſt fraudulentus. Litera noſtra ſic correcta & dictincta, planè conuenit cum originali lingua. Nam quod nos legimus, Qui qđ nouit loquitur: Nõ eſt diuerſum ab eo, quod hebræis eſt, qui veritatem loquitur. Is enim qui loquitur quod nouit, veritatem vtique loquitur: & contra, veritatem nemo ex animo loquitur, & bene loquitur, niſi res de qua loquitur ei nota ſit. Senſus ergo eſt: Qui loquitur id quod ei notum eſt, quod ſcilicet oculis vidit, aut alias certo percepit, is indicat iuſtitiam, quia is in iudicium productus, oſtendit ſuo teſtimonio iudici quid iuſtum ſit & æquum. Et alibi item omnibus occaſio eſt, vt iuſtè de re pronuncient & iudicẽt. Contra teſtis qui mentitur, quiq; aliter ſiue in iudicio, ſiue alibi teſtificatur de re quàm ei cognitum eſt, is annunciat iudici & aliis fraudẽ, quia id ſuggerit vnde homines decipiãtur & fraudabuntur illi, contra quos teſtificatur, vnde eſt fraudulentus. Cõtinet ergo hoc prouerbium veritatis laudem, mendaciíque vituperium, indicans veritatem, iuſtitiam promouere, mendacium, fraudes & dolos. Poſſunt hæc vt generaliter ſunt dicta, etiam ad intelligentiam ſcripturarum rerúmque ſacrarum referri, vt ſit ſenſus. Qui veritatem ſcripturarum & fidei profitetur, nec aliud loquitur quàm quod bene nouit, benéque didicit, is proferet & indicabit iuſtam ſcripturarum interpretationem, æquámque fidei regulam: Sed qui profeſſor eſt mendaciorum & errorum, docere pergens quod non didicit, is imperitis dolos inſtruit: & à iuſto æquóque de rebus ſacris iudicio auertet.

19 *Eſt qui promittit, & quaſi gladio pungitur conſcientiæ, lingua autem ſapientum ſanitas eſt.*

HEBRAICE ſic: Eſt qui effutit quaſi confeſſiones gladij ſed lingua ſapientum ſanitas eſt, vel ſalubris eſt, Pro (promittit) hebræos eſt verbum בוטה Bote, quod etiam Pagnino teſte ſignificat & pronunciare & promittere, ſed temerè & inconſideratè. Pro pronunciare & proloqui temerè, ponitur in Pſalm. vbi nos legimus. Et diſtinxit in labiis ſuis, pro quo alij vertunt: Et inconſideratè loquutus eſt labiis ſuis. Secundum hanc ſignificationem etiam hic ferè vertunt: Eſt qui effutit aut profert verba, quaſi confoſſiones gladij. Et eſt ſenſus: Sunt qui inconſideratè & temerè pleráque effutiunt, per quæ veluti gladio aliorum corpora & animos transfodiunt, iuxta illud: Lingua eorum gladius acutus. Pſal.56. Vt qui temerè aliorum famam denigrãt, vnde illi in corpore aut in animo grauiter cruciantur. Rurſum qui coram paruulis ea proferunt, per quæ conſcientia eorum ſcandalizatur & vulneratur. Et omnino qui falſa doctrina animas lethali veneno inficiunt & necant. Contra lingua ſapientum planè ſalubris eſt, imò ſanitas eſt, quia non ſolum non loquitur quod noceat aut lædat, ſed ea tantum loquitur, quæ ſanitatem afferunt & vitam animæ, vulnera falſo famæ innocentium inflicta curat contráque venena præcordiis hominum per falſam doctrinam infuſa antidotum fœliciſſimè porrigit. Hunc ſenſum etiam Septuaginta ſecuti ſunt, qui habent εἰσὶν οἱ λέγοντες τιτρώσκουσιν ὡς μάχαιρα γλῶσσαι δὲ σοφῶν ἰῶνται, id eſt, ſunt qui dicendo vulnerant tanquã gladius, linguæ autem ſapientum ſanant. D. Hieronymus alteram verbi בוטה Bote ſignificationem ſecutus vertit. Eſt qui promittit, Pro promittere enim temerè videtur accipi in Leuitico vbi nos legimus. Leuit.5. Anima quæ iurauerit & protulerit labiis ſuis, vt malè quid faceret vel bene, &c. Ibi enim pro protulerit, idem eſt verbum quod hoc loco. Porrò pro genitiuo (conſcientiæ) legendum magis videtur ex Beda, conſcientia in ablatiuo caſu. Sic enim habet in commentariis. Vbi tentatio terrens ſiue blandiens impedimentum præſtiterit, deſerunt quidem cœpta, ſed tamen conſcientia promiſſi quaſi gladio punguntur. Aut illud, Quaſi gladio conſcientiæ

poſitum

poſitum eſt pro, bona voluntate tua vt ſcuto. Quanquam magis putem nomen conſcientiæ, non fuiſſe verſum à D. Hieronymo, ſed fuiſſe ab aliquo additũ vt cui apud Hebræos nihil reſpõdeat. Eſt ergo ſenſus noſtræ lectionis. Eſt qui temerè aliquid promittit, & poſtquam promiſit, pœnitentia ductus, conſcientia promiſſionis pungitur quaſi gladio. Aut conſcientia, id eſt, animus eius (vt ſit nominatiui caſus) pungitur dolore quaſi gladio. Contra, quod ſapientes loquuntur, nec aliis nec ſibi dolorem adfert, ſed ſanitatem & lætitiã, dolorique mentis medetur.

20 *Labium veritatis firmum erit imperpetuum: qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacij.*

APTIOR eſt membrorũ apud Hebræos oppoſitio. Habent enim ad verbum ſic. Labium veritatis firmum erit imperpetuum, & vſque ad momentum lingua mendacij. Dicitur autem phraſi hebraica Labium veritatis, labium verax, lingua mendacij, lingua mẽdax. Et illud quidem permanſurum, hæc momentanea dicitur ratione veritatis & mendacij quæ labiis, & lingua efferuntur. Veritas enim ſtabilis eſt ac firma, & quanquam frequẽter ea ſupprimatur ad tempus, tandem tamẽ euincit & obtinet, quemadmodum patet in veritate ſcripturæ & catholicæ fidei. Contra falſitas & ſi ad tempus obtineat, mox tamen detegitur, detecta euaneſcit & longe propulſatur. Patet iſtud in particularibus mẽdaciis, maximè in hæreticorum erroribus & ſectis. Cæterum ſicut 70. in priori membro quod eſt hebræis לעד Laad, id eſt, imperpetuum, mutatis tantũ punctis legerunt לעד Laaed, quod eſt in teſtem, & ob id vertũt χείλη ἀληθινὰ κατορθοῖ μαρτυρίαν id eſt, labia vera rectum faciunt, vel dirigunt teſtimonium: ita D. Hieronymus in ſecũdo membro mutatis punctis eiuſdem dictionis pro ועד ארגיעה Veadargia, id eſt, vſq; ad momentum, legit ועד ארגיעה Veedargia, & ob id vertit teſtis repentinus, ſubintelligens verbum concinnant, ad ſententiæ perfectionẽ neceſſarium, ſecutus hac in parte 70. qui habẽt μάρτυς δὲ ταχὺς γλῶσσαν ἔχει ἄδικον, id eſt, Teſtis autem velox linguam habet iniuſtam. Cum autem in Hebraica veritate iucundiſſima ſit oppoſitio, in Græca item verſione membra pulchrè inter ſe opponantur, in noſtra lectione nõ ita aperte apparet membrorum oppoſitio, quæ tamen vtcunq; haberi poteſt ſi ſic ſententia explanetur. Labium veritatis firmum erit ſemper, ita vt cõſtanter idem aſſerat, & non pro diuerſitate temporum & perſonarum varietur: At qui eſt teſtis repentinus, hoc eſt qui repente proſilit ad teſtificandum de re aliqua, quique de re pronũciat inconſiderate ac temere, hic concinnat linguã mendacij, hoc eſt aptat, diſponit & ornat ſermonem mendacem: Cogitur enim variis modis quod temere locutus eſt defendere, nunc hæc, nunc illa aſſerens, nec firmiter vni adhærens. Vulgaris ſententia eſt, mendacem oportere memorem eſſe: haud dubie ex eo nata, quod mendacia inter ſe non cohærent. Ita fit vt qui mentiuntur, conſtare ſibi vix vnquam poſſint, Et deprehenduntur hoc pacto architecti mendaciorum, quia pugnantia inter ſe narrant. Patet iſtud in ſectarum doctoribus, qui cum temere quod non bene didicerunt effutire auſi ſunt, in omnem ſe vertunt modũ, vt quod ſemel inconſideratè protulerunt, tueantur, cum eadem ſemper ſibiq́ue cõſtans ſit catholica doctrina.

21 *Dolus in corde cogitantium mala, qui autem pacis ineunt conſilia, ſequitur eos gaudium.*

HEBRAEA ſic: Dolus in corde fabricatorum mali, & conſultoribus pacis gaudium. Fabricatores malorum hoc eſt (vt bene vertit D. Hieronymus) cogitantes mala, & aliis mala machinantes, malorúmque inuentores, opponuntur conſiliariis pacis, quia illi malum quærunt: iſti pacem, hoc eſt quoduis bonum quo aliis bene ſit. Illis tribuitur dolus. Iſtis gaudium. Quæ anthiteſis iucundior eſt in lingua originali ob vocum affinitatem maximè ſi puncta vocalia attendamus. Eſt enim מרמה & שמחה Mirmath & Simchah. Sicut autem illis tribuitur dolus in corde, ita gaudium quod iſtis tribuitur, videtur eorum cordi tribuendum, vt ſit ſenſus. Dolus eſt in corde cogitantium mala, & conſultoribus pacis eſt gaudium, ſcilicet in corde. Hoc autem dupliciter accipi poteſt, Aut quia cõſultores pacis, dum pacem alunt & fouent concordiam, recte conſulendo, magnam ex hoc conſcientiæ tranquillitatem & mentis lætitiam habent. Quem ſenſum D. Hieronymus ſecutus videtur, dum vertit: Sequitur eos gaudiũ, aut quia conſultores pacis in corde volunt gaudium, quia ſcilicet cogitant ea ſuggerere quæ gaudium afferant aliis, ſicut in corde cogitantium mala eſt dolus, quia de dolo inferendo aliis in eorum perniciem & dolorem cogitant. Sic enim membrorum iucunda erit antitheſis. Quæ etiam erit iuxta priorem intelligentiam, ſi intelligatur Sapiens loqui de dolo quo ipſi machinantes mala, cum alios parant decipere, ſeipſos decipiunt, iuxta illud quod ſæpè ſcriptura monet: Impiorum conſilia recidere in authores. Vnde & ab Heſiodo ſcriptum eſt: Malum conſilium conſultori peſſimum.

22 *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo.*

PRIOR pars variè transfertur à diuerſis, quod prouenit, ex ambiguitate duarum vocum quæ ſunt apud Hebræos אנה & און & Ana & Auen. Nã verbum אנה Ana in prima coniugatione ſignificat triſtari & lugere, & proinde in ſecunda actiua, ſignificat contriſtare, quod ſecutus videri poteſt D. Hierony quaſi verbum hoc hic legerit in Piel. In qua coniugatione ſignificat etiam facio occurrere aut euenire, & proinde in paſſiua Pual. ſignificat occurrere aut euenire & dolere. In qua cum hic legatur apud hebræos, hinc eſt quod ferè omnes vertunt. Non accidet iuſto: vel non erit dolor iuſto. Nomen און Auen ſignificat nunc dolorem vel luctum, nunc iniquitatem. Hinc eſt quod quidam vertunt:

Non accidet iusto, dolor, vel incommodum. Alij:non accidet iusto iniquitas:Aut non erit dolor iusto vlla iniquitas. Quomodocunque autem vertatur,sensus ferè eodē redit.Significatur enim Dei protectione & gratia fieri in iusto, vt nihil ei obueniat quod ipsum lædat, eique malum sit, & causam magni doloris Roma. 8. præbeat, eo quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Qui sicut Dei protectione tuti sunt ab iniquitate, quam impij in iustos exercere parāt, ita eiusdem gratia proteguntur, vt in nulla horrenda incidant crimina, ob quæ vel in præsenti vita sustineant pœnam, vel stimulis conscientiæ & tristitia mordeantur, ita vt verum sit quod iustū non contristabit iniquitas,nec aliena,nec propria. Probabilior versio est: Non accidet iusto aliquod malum,vt sit generalior hæc pars,& cōueniat cum eo quod est in Psal. Non accedet Psal. 90. ad te malum.Vbi pro accedet, idem ponitur verbum & eadem forma qua hic D. Hieronymus quod est in hebræo, Non accidet iusto aliquod malum, vel triste, inuertit, vertens pro eo. Non contristabit iustum quicquid ei Psal. 33. acciderit. Fortè quod aduerteret illud quod est in Hebræo,si verba tantum spectemus nō esse simpliciter verum, cum multæ sunt tribulationes iustorum secundum prophetam. Ac proinde illud quod habent hebræa sic intelligendum,vt significetur iusto nihil obuenturum quod ei sit malum,aut deiecto animo faciat,quod planius & verius fecit vertendo, Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Iustus enim quicquid ei acciderit mali siue diuinitus immissum siue ab homine intētatum,æquo fert animo,sciens per patientiā omnia sibi in bonum cessura.Contra impij replebuntur,vel vt habent hebræa,repleti sunt malo.Quod non tam de malo culpæ accipiendum est (quamquam & de illo verum sit) sed vt hæc pars opponatur magis priori,accipiendum potius est dictum de malo pœnæ & miseriæ,quo impij pleni sunt, non solū quia pleraque eis mala à diuina iustitia infliguntur, sed etiam quia & diuinas vltiones & diuina beneficia omnia sibi per impatientiam & abusum vertunt in suum malum:multis itē curis, desideriis & animi cruciatu sese torquentes.

23 *Abominatio est domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt,placent ei.*

Pro, qui fideliter agunt: hebræis est, qui faciunt veritatem. Itaque veritas opponitur in hac sententia suo contrario scilicet mēdacio,vt & alias. Cæterū quærere quis posset, cur labiis mendacibus opponat facientes veritatem, & non potius loquentes veritatem. Proinde sciēdum quod facere veritatem dupliciter hic accipi potest: Aut pro opere ipso perficere quod verum est,quódque veritas requirit. Et erit sensus: Abominatur dominus non tantum opera iniqua, sed & labia mendacia: Contra qui non tantum veritatem loquuntur, sed eadem etiam opere complent, placent ei. Vt intelligamus ad hoc vt Deo displiceamus satis esse si lingua mentiamur, vt autem placeamus, non satis esse vt lingua simus veraces,nisi veritatem opere adimpleamus. Aut facere veritatem, potest accipi hic dictum sicut in Psal.facere superbiam,cum di- Psal. 32. citur. Veritatem requiret dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam, vt sicut superbiam facere est superbe agere, superbe se gerere: Ita facere veritatem sit veraciter agere,aut vt Hieronymus vertit, fideliter agere. Fideliter autem agunt qui bona fide agunt neminem fallere, nec verbo nec facto studentes,quiq; quod verbo pollicentur,opere præstant.His opponuntur labia mendacia, quæ fallere student, nec præstant quod pollicentur. Secutus videtur Hieronymus 70.qui habent ὁ ποιῶν πίστιν, id est, qui facit fidem vel qui agit fideliter.

24 *Homo versutus cælat scientiam, & cor insipientiū prouocat stultitiam.*

Versutus ferè in malam vsurpatur partem,hic in bonum ponitur pro astuto,prudente & circunspecto,quia opponitur insipienti. Sic & sapientiæ. 8. versutia in bo- Sap. 8. num ponitur, cum de sapientia dicitur: Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum,&c.Idem ergo in prima parte huius sententiæ dicitur, quod superius in decimo quarto versu cap. 10.cum dicitur: Sapientes abscondunt scientiam, sed ibi quidem ex opposito significatur os stulti mox quod nouit effundere. Hic vero ex opposito dicitur: Et cor insipientium prouocat stultitiam. Vbi pro prouocat, hebraica dictio simpliciter significat,clamat aut prædicat, ita vt sensus sit Mens insipientium stultitiam suam, non cælat,vt sapiens scientiam suam, sed eam ineptis sermonibus omnibus inuulgat & notam facit.Proinde duobus modis reprehendit stultos, cum sapienter prudentes suā cælant sciētiam, isti nec stultitiam cælant, sed mox manifestam faciunt.Quod ergo nos legimus:Cor insipientum prouocat stultitiam, sic est accipiendum,vt significetur cor insipientum latētem in se stultitiam non cohibere, sed prouocare ad exerendum & manifestandum se stulto sermone. Itaque hoc versu silentium commendatur, vt per quod & scientia & stultitia prudenter tegitur, procacitas loquendi damnatur tanquam stulto proprio,& per quam sapientia & insipientia imprudenter detegitur.

25 *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est,tributis seruiet.*

Rursum fortium manum componit cum manu remissa, quemadmodū fecit capitis.10.versu quarto.Vbi & Hebræis eædem quæ hic sunt dictiones, sed ibi fortitudine, hoc est,diligentia & sedulitate (quæ fortitudo animi est) diuitias, pigritia, egestatem: hic fortitudine simili, imperium, pigritia, seruitutem parari astruit. Quæ,inquit, remissa est, tributis seruiet, hoc est, tributis subdita erit, & vt est in hebræo, erit sub tributo.Hæc & frequenter in rebus temporariis vsu venire videmus, & in animi virtutibus ac bonis maximè veritatem habent. Qui enim sedulam operam impendunt in rebus diuinis, & vitiis dominantur,diabolo mundoque superiores, & aliis

hominibus maiori virtutum gratia principantur regnaturi postea in æternum cum Christo Contra qui ad bona opera ignaui sunt carni ac diabolo seruire cogentur miseram seruitutem.pessimóq; illi exactori tributa vitiorum quotidie exoluent, & si non dominium eius dum viuunt pœnitendo euaserint, post Matth. 5. mortem traditi eidem, in carcerem ab eo pœnarum mittentur æternatum,iuxta quod dominus in parabola euangelica testatur.

26 *Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.*

Hebraea ad verbum sic habent,Mœror vel pauor aut solicitudo in corde viri humiliabit illud,& sermo bonus lætificabit illud. Pronomina enim cum sint apud Hebræos generis fœminini,referenda sunt non ad virum, sed ad cor quod illis est fœmininum.Sensus tamen idem est, & indicatur vis & mœroris & sermonis boni,qualis proficiscitur ab ore sapientis.Hic enim mœrorem,animum etiam viri fortis deiicientem,pellit,animúmque cruciatum & afflictum exhilarat. Quodquam verum sit quotidiana experientia testatur,non solum in amicorum consolatoriis verbis, blandóque sermone qui vulgarem mœrorem ex rebus temporariis conceptum superat, sed multo magis in saluberrimo Dei verbo,quod & vulgarem illum mœrorem efficacius pellit, & tristitiæ illi quæ secundum Deum est, pœnitentiámque in salutem stabilem operatur, ita medetur vt non absorbeatur abundantiori tristitia peccator pœnitens, sed exhilaretur cor eius per fiduciam remissionis peccatorum,quàm Dei verbum suggerit.

27 *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est, iter autem impiorum decipiet eos.*

Priorem partem Hebræa longè aliter habent sic: Excellens est iustus a proximo suo, id est magis quàm proximus suus. Quo significatur iustum alios excellere,fœliciorémque esse proximis suis.Ipsa enim iustitia per sese iustum aliis excellentiorem facit, & per eam ferè apud homines excellentior habetur per eam item frequenter fit vt & diuitiis temporalibus magis abundet præ aliis, semper autem vt pluribus animi bonis & mētis quiete perfruatur. Contra iter vel via impiorum, hoc est, illorū vitæ institutū decipiet eos,vt cum maximè studeant excellere, non tamen veram assequantur excellentiam, sed potius inanes fiāt,egeni & abiecti.Commendat ergo hæc sententia iustitiam, vt in qua vera consistit præcellentia, per quàm maximè verus paretur honos & opes,proinde illi indicat ante omnia incumbendum D. Hieronymus dictionem hebraicam יתר Iather videtur accepisse,vt significet relinquere. Nam & hoc verbū יתר Iathar significat subintelligens damnum. Et est sensus: Qui relinquit vel negligit damnum, hoc est, qui damni illati aut perferendi rationem non habet propter commodum amici,iustus est.Contra vero institutum impiorum, qui semper etiā cum incom-

modo proximi propriū quærūt commodum, decipiet eos,ita vt dispendiū sint facturi cum lucrum quærant. Docet ergo hæc sententia ad iustitiam pertinere,vt pro alterius necessitate proprium lucrum negligatur, & dum id fit,maximum homo sibi faciat lucrum, vt qui iustitiam sibi comparet.Contra iniquorū studium maximum adferre eis damnum. Cum autem de eo qui ob purū hominem amicum, patitur damnum aliquod temporale, rectè dicatur quod iustus sit,& iustitię laude dignus, multo magis iustus dicendus & iustitiæ corona dignus, qui propter Deum amicum, aut vendens quę possidet,pauperibus tribuit,aut rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipit, aut certè in passione occidendam carnem suam tradit.Sic Beda.

28 *Non inueniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis erit auri pretium.*

Hebraea sic habent:Nō aduret fraudulentus (vel ignauia) venationem suam, & substantia hominis pretiosa seduli,hoc est, hominis seduli substantia erit pretiosa.Sciendum enim etiam in hoc versu opponi inter se duas illas dictiones, de quibus dictum est in capitis decimi versu quarto, & huius capitis versu vigesimoquinto,quarum vna significat fraudulentum vel remissum, altera solicitum (vel sedulum)& vt vertit ibi Hieronymus fortem. Cum autem vnā alias vertere soleat remissum,hic vertit fraudulentum,secutus Septuaginta,qui habent δόλιος,id est dolosus.Alteram dictionem nempe חריץ Caruts, vertit aurū.Nā & hoc ea dictio significat. Quod autem pro non aduret venationem, vertit, non inueniet lucrum, secutus est etiā ex parte 70. qui habent οὐκ ἐπιτεύξεται δόλιος θήρας,id est, non assequetur dolosus venationem. Sensúmque maluit reddere D. Hieronymus quam verbū reddendo,obscurum relinquere locum.Significant hebræa sub parabola venationis, diuitias fraude non acquirēdas,aut acquisitas perituras,contra quæ sedulitate & diligētia conquiruntur stabiles fore & magnas.Nō aduret, inquit, fraudulentus venationem suam, hoc est,cum fraudulenti,& dolosi homines inhiēt rei alienæ instar venatorum & aucupum, tamen non assequentur quod venātur,aut si assequantur post multos perpessos labores,non percipiēt commodum ex eo,sed fiet eis sicut venatori qui frustratur venatione sua,ita vt eā non assequatur,aut si capiat, tamē antequam eam assare possit & comedendo vtilitatem ex ea capere,amittit eam, canibus eam prius lacerantibus. Non ergo aliud significatur quā quod vertit D.Hieronymus:Nō inueniet fraudulentus lucrum, nisi quod gratia parabolæ perit,qua insinuatur pulchrè,& quantos labores fraudulenti subeāt instar venatorum, qui & ipsi omnia fraudibus agunt, & quàm sæpè eorum conatus frustrentur: nempe quia (vt habet prouerbium) malè parta male dilabuntur. Quidam ex recentioribus, vt alias cum Hieronymo vertit remissum & pygrum,ita & hic vertit.Non aduret ignauia ferinam suam, hoc est,ignauus non assabit ferinam, quia nihil capiet.Contra,hominis seduli & diligentis

qui ſcilicet honeſta ratione victum quærit neminem decipere quærens, ſubſtantia erit pretioſa, quia magna & ſtabilis. In quem ſenſum & noſtra litera eſt accipienda ſubaudiendo in genitiuo hominis iuſti aut ſeduli. Nam is verè ſolus eſt homo. Senſus ergo eſt. Et ſubſtantia hominis iuſti erit pretium auri, hoc eſt, aurum pretioſum, hoc eſt homo iuſtus poſſidebit ſua diligentia & ſedulitate opes plurimas.

29 *In ſemita iuſtitiæ, vita: iter autem deuium ducit ad mortem.*

SECVNDAM partem ſic habent Hebræa ad verbum: Et via ſemitæ non mors. Et intelligitur ſignificari quod via ſemitæ prædictæ eſt ſine morte. Legitur enim modo in codicibus Hebræorũ אלמורת Almaueth, quod ſignificat non mors vel ſine morte, cum D. Hier. & Septuaginta puncto tantum vno mutato legerunt אל מורת Ael Maueth, quod eſt ad mortem. Et adhuc hodie in aliquot exemplaribus notatur duplex lectio. Poſteriorem D. Hieronymus ſecutus, tanquam probabiliorem etiam recentior quidam prælegit, qui vertit, Via autem deuia ducit ad mortem, Niſi enim ſic legatur, nulla erit partium oppoſitio, ſed repetitio eius quod priori membro ſatis eſt ſignificatum. Porrò pro via ſemitæ (quæ noua & obſcura eſt locutio) Hieronymus vertit, Iter deuiũ, aut via deuia, tanquam via quæ à ſemita recta deflectit. Commendatur ergo hoc verſu iuſtitia, quod in eius ſemita, hoc eſt, actione conſiſtit vita, quia per eam & hic ſpiritu viuit coram Deo iuſtus, & per eam peruenit ad vitam æternam. Damnatur via impiorum, quòd ea mortem animi adferat in præſenti tempore, nonnunquam & corporis, & poſtea vtriuſque mortem æternam.

CAPVT XIII.

Filius ſapiens, doctrina patris: qui autem illuſor eſt non audit cum arguitur.

PRO nominatiuo doctrina, poteſt etiam ex Hebræo verti & conuenientius, accuſatiuus, Doctrinam vt ex ſecunda parte ſubaudiatur in primo membro verbum, audit, hoc modo: Filius ſapiens doctrinam patris, vel reprehenſionem & caſtigationem patris, ſubaudi, audit, & deriſor non audit increpationem, ſubaudi patris. Quo ſignificatur filij ſapiẽtis, qui ſibi bene vult, eſſe lubenter admittere doctrinam & caſtigationem parentum, deriſoris verò eſſe increpationem parentum non ſuſtinere. Poteſt item ex hebræo pro: audit, verti præteritum audiuit. Nam præteritum habent Hebræa. Et erit tunc ſenſus paulò alius à ſuperiore, hic ſcilicet: Filius qui effectus eſt ſapiẽs, hinc talis factus eſt quia audiuit patris doctrinam, qui autem deridet veritatem rectè monentium talis effectus eſt, quia in iuuenili ætate aut ipſe noluit obedire maioribus rectè monentibus, aut ſocordia & vitio parentum non audiuit ab eis increpationes. Secundum quàm intelligentiam ſententia hæc monet, & iuuenes vt auſcultent parentibus ſi probi euadere volent, & parentes ne negligant ſuos corripere, eiſque nimis indulgeant. In hunc ſenſum & noſtra lectio quæ & ipſa pro ambiguitate ſermonis Hebraici, bene cum Hebræo conuenit, accipi debet, vt illud: Filius ſapiens, doctrina patris, ſignificet doctrinam patris efficere filium ſapientem nec aliunde filium facile poſſe eſſe ſapientem, quàm ex doctrina patris eiúſque caſtigatione, Nam vtrunque dictio Hebraica ſignificat. Proinde cum iam ſubditur in noſtra lectione. Qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur, ſignificatur talem nunquam poſſe fieri ſapiẽtem, vt qui reiiciat per quod ſapientia paratur.

2 *De fructu oris homo ſatiabitur bonis, anima præuaricatorum iniqua.*

RVRSVM hic pro nominatiuo, iniqua, in ſecundo membro poteſt, & quidem melius, verti accuſatiuus ſubſtantiuus iniquitatem, vt ex priori membro repetatur verbum comedet, ſicut in priori verſu verbum in primo membro, ſubaudiendum erat ex ſecundo. Sic ergo habebunt hebræa. De fructu oris quiſque comedet bonum, anima autem præuaricatorum iniquitatem, vel iniuriam, ſcilicet comedet. In ſuperiori capite primum huius ſententiæ membrum etiam habitum eſt in verſu 15. niſi quod ibi in Hebræo ponitur verbum, ſatiari, hic verbum, comedere, quæ varietas parum aut nihil facit ad ſenſum vt non malè hic interpres verterit ſatiabitur. Sed ibi quidem illud dictum eſt, ob comparationem fructus linguæ cum fructu manus. Hic verò ob comparationem fructus linguæ in iuſto & impio, ſignificatúrque iuſtum ob ea quæ bene & vtiliter ore ſuo profert, bona percepturum, animam verò peccatorum qui legem Dei tranſgrediuntur, ſicut iniqua loquitur & noxia, malis etiam ſaturandam, hoc eſt, mala percepturam, & iniquitatis noxiúque ſermonis pœnas daturam. Secundum noſtram lectionem quæ habet, anima autem præuaricatorum iniqua, intelligendum eſt ſignificari animam impiorum cum ſit iniqua, & proinde fructum bonum non proferat, non comeſturam bonum nec bonis ſatiandam.

3 *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.*

SVPERIOR ſententia fructus linguæ oſtendit, quos anima percipit ex ſermone vtili vel noxio, hęc verò eiuſdem fructus quos percipit anima ex moderato vel immoderato eius vſu aperit. Qui, inquit, cuſtodit os ſuũ, ita vt tardus ſit & circunſpectus ad loquendum, non loquens niſi cum loquendum eſt & quę loquenda ſunt, is non tantum ſuum cuſtodit, nec paruo fungitur officio, ſed cuſtodit animam ſuam, tum quia eam à multis peccatis quæ lingua cõtrahuntur facilè immunem facit tum quod eam ſeſéque ipſum à multis incommodis & malis præſeruat, in quæ ſæpè homo immoderato vſu linguæ incidit, vt pote

pote ab odio & inſectatione hominum qui alterius dicacitate irritantur, à turbulentis animæ paſſionibus quæ odium hominum ſequuntur, à ſera pœnitentia quæ ſubito animã ob linguæ lapſus percutit. Contra qui dilatat temeréque aperit labia ſua, vt habẽt hebræa, hoc eſt, vt pulchrè expreſſit D. Hieronymus, qui inconſideratus eſt ad loquendum, contritio vel fractio erit ei, vt habẽt hebræa, hoc eſt, talis conteretur, mala perferet, & vt bene Hieronym. vertit ſentiet mala, nam in ſeipſo ferre cogetur animi cruciatum ac cõturbationem & multis incõmodis apud homines & Deum ſubiacebit. Nam, vt ait Plinius, Sæpè vox temere emiſſa, redit per iugulum.

4 *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.*

PRIMAM partem ſic habent hebræa ad verbum, Deſiderat & non anima eius piger, quod ſic ferè intelligitur. Piger deſiderat & non habet anima eius quod deſiderat, vel, & nihil eſt animæ eius, quod bene conuenit ei quod ſequitur, Anima autem operantium, vel vt habent hebræa, ſedulorum impinguabitur. Oſtẽdit ergo hic verſus, vt & alij pleriq; in hoc ſimiles, otium & pigritiam inopiæ, ſedulitatem & induſtriã copię matres eſſe, pigritiam eſuriem, diligentiam parare ſatietatem. D. Hieronymus illud & non anima eius ſic intellexiſſe videtur, deſiderat piger, & rurſum id ipſum non placet animæ eius, hoc eſt, non vult rurſum, aut & non, ſubaudi, deſiderat anima eius, vt verbũ repetatur. Vult enim piger bonum, at cum attendit laborem pro illo aſſequendo ſubeundum, non vult rurſum illud, quia non vult media ad illud obtinendũ neceſſaria. Id vt in tẽporali pigritia vſuenire videmus; ita multo magis veritatem habet in ſpirituali pigritia, qua ad bona opera patranda & certamina ſpiritualia ſubeunda nimis multi ſunt tardi, Volũt enim plerique regnare cum domino, ſed nolunt pati cum eo, deſiderant præmia cũ promittuntur, ſed nolunt certamina cum iubentur, de quibus Iacobus ait Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. Cæterum anima eorum qui iuſta operantur domini, & hic dulcedine ſupernorum chariſmatum impinguabitur, iuxta illud Pſalmi: Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & poſt labores huius vitæ cœleſtium bonorũ pinguedine ſatiabitur. Bene enim cõuenit ſenſui myſtico quod dictũ non ſit, & operantes impinguabuntur, ſed anima operantium impinguabitur. Poteſt autem illud quod nos legimus, vult & non vult piger, etiã alium habere ſenſum, hũc ſcilicet, piger hæc vult, alia non vult, nec aliud agit quã deſiderat, hæc eligendo, illa reprobando, diem totũ conſumit in deſideriis, præterea non eſt quod agat. At quia vanũ iſtud eſt, nec deſiderando ſaturari poteſt quis ideò ſubditur, anima operantium impinguabitur. Quo ſignificatur nihil prodeſſe vanis optionibus animũ paſcere & ventris inediam pati, ſatius eſſe operi admouere manum, ſicque eſurientem ſatiare ventrem. Senſum hunc videtur ſecuti Septuaginta ἐν ἐπιθυμίαις ἰσθὶ πᾶς ἀργὸς hoc eſt in Iaſ. in prouerb. deſideriis eſt omnis ocioſus, Aut ocioſus totus eſt in deſideriis.

Iacob. 1.

Pſal. 92.

5 *Verbum mendax iuſtus deteſtabitur, impius autem confundit & confundetur.*

SECVNDAM partem hebræa, ſi proprie verba accipiantur, ſic habent. Et impius puditum & pudendum facit, ſubaudi ſe. Itaque ſignificatur impium médaciis quæ amat, contra ingenium iuſti, ſeſe decorare apud homines, qui mendacem vel in primis abominantur tanquam cum quo nihil agi poſſit bona fide. Sic & noſtra litera intelligi poteſt, Impius mendaciis ſuis confundit ſe, hoc eſt pudore ſe afficit quãtum in ſe eſt, & pudore ab aliis afficietur, reiectus ab omnibus. Aut, Impius mendaciis & alios pudore afficit, & deprehenſus pudore afficietur. Iuſtus ergo médacia deteſtatur, ideoque ſolicite cauet ne quem mendacio oneret ſeſeque dehoneſtet, impius vero alios pudore afficit & hoc faciens viciſsim ipſe pudore afficietur.

6 *Iuſtitia cuſtodit innocentis viam, impietas autem peccatorem ſupplantat.*

POSTERIOR pars in hebræo ſic habet ad verbum: Impietas ſupplantat peccatum. Prior vero pars dupliciter verti poteſt. Aut ſic, iuſtitia cuſtodit perfectũ via, hoc eſt eũ qui in via, & conuerſatione ſua perfectus eſt & immaculatus, & tunc in ſecunda parte rectè intelligitur peccatum poſitum pro peccatore, abſtractum ſcilicet pro concreto vt vertit Hieronymus. Aut ſic, iuſtitia cuſtodit perfectionem viæ aut integritatem vię, quod nõ eſt diuerſum ab eo quod noſter vertit, Iuſtitia cuſtodit innocentis viam, hoc eſt eius inſtitutum, ſtudium & viuendi rationẽ. Et eodem redit ſiue dicatur iuſtitia cuſtodire innocẽté, ſiue eius viam. Hanc autẽ iuſtitia cuſtodit variis modis, ſicut variè illa opugnatur. Nam & contra illecebras huius mundi iuſtitia quam quis ſectatur & amplexatus eſt cuſtodit eius viam, ſic vt eum perſeuerare faciat ne ab illis ſuperetur. Et contra calumniatores quoque eũ tuetur atq; defendit, ne ab eis vitæ eius inſtitutum poſſit opprimi. Neq; enim innocẽti opus eſt externa aliqua cuſtodia aut aliis munitionibus, ſed ipſamet iuſtitia quã amat quamq; ſectatur, ipſum cuſtodit à malo & malorũ impetitione. Ita cõtra, ipſamet impietas peccatorem ſupplantat, tũ quod cum ita ſibi illigatum detineat vt in varia ipſum vitia propellat prope modũ inuitum, tum quod ipſa illi perditionis eſt cauſa, vt eam non Deo vel alteri imputare debeat.

7 *Eſt quaſi diues cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper cum in multis diuitiis ſit.*

HEBRAEA propriè acceptis dictionibus ſic habent ad verbum. Eſt qui ſe diuitem facit & non aliquid, eſt qui ſe pauperem facit & ſubſtantia multa. Quod varie accipitur. Quidã hunc enim ſenſum intelligũt. Sunt qui ſubito euadãt diuites cũ prius nihil

haberent, & contra sunt qui repente ad inopiam dilabuntur, cum prius multam haberent substantiam, vt hæc sententia ostendat inconstantiam diuitiarum, quæ animaduersa ab illarum studio auocare potest. Aliter etiã intelligitur, vt significetur quosdam laborare multum pro parandis opibus, semper tamen manere ĩ egestate, cõtra alios negligere opes nec eas magnopere ambire, & nihilominus ditescere. Secundum quam intelligentiam etiam auocat hæc sententia à diuitiarum studio, vt quod frequẽter frustretur suo conatu. Verum cum participia in hac sententia posita (sunt enim de coniugatione hithpael) significẽt propriè diuitem vel pauperem se facere, conuenientior est eorum intelligentia qui hic accipiũt significari quosdam esse qui se diuites simulant, ob mundi scilicet honorem, cum interim re vera sint pauperes, nihilque domi habeant. Rursum alios esse qui se pauperes simulent, cum multas habeãt opes. Vnde 70. habent, Sunt qui seipsos diuites faciunt nihil habentes, & sunt qui humiliant se ipsos in multis diuitiis. Quẽ sensum pulchrè satis indicat nostra litera, significatúrque ipsa vanitas ingenij humani circa diuitias. Potest Hebraica lectio & nostra item litera aliũ habere sensum magis misticũ & subtiliorem hunc scilicet. Sunt qui diuites reputent imò qui verè diuites sunt, cum nihil habeant, vt qui sua paupertate contenti viuunt, animo virtutibusque diuites, & rursum sunt qui pauperibus sunt similes. tametsi magnas opes habent, vt qui suis vti non audent, nec eis cõtenti sunt semper plura desiderantes, iuxta illud, Auaro tam deest quod habet, quam quod nõ habet. Secundum quam intelligentiam ostenditur diuitias magis in animo hominis consistere quam in externis facultatibus. Beda inuerso modo declarat hanc sententiam, mystice eam prosequẽs, vt is sit quasi diues cum nihil habeat qui terrenas habet diuitias sine virtutibus, qualis fuit purpuratus diues euangelicus de qualibus dicitur in Psal. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Is Contra sit quasi pauper dum sit in multis diuitiis, qui terrenis eget rebus virtutibus plenus, qualis fuit Lazarus. Tanta est scripturæ fertilitas, vt tam variis modis tractari possit vna sententia.

Psal. 75.

8 Redemptio animæ viri diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

SVPERIOR sententia ostendit vanitatem & varietatem ingenij humani in ostẽtatione diuitiarum, hæc ostendit fructum & diuitiarum & paupertatis, ita vt hic videri possit indicari causa eius quod superior indicauit sententia, nempe quare aliqui videri quærãt diuites, alii pauperes. Opes enim hoc adferunt commodi suo possessori quod ipsum redimunt frequẽter à captiuitate, à morte, ab intentatis calumniis & iniuriis, à quibus se diuites nummis frequenter redimunt aut tuentur. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. At pauperis conditio par est imò superior. Nam vt nõ habet diuitias, quibus sua delicta aut damna illata redimat aut iniurias propulset, ita non est obnoxius iudicũ & impiorum violentiæ cum nihil habeat quod emungi possit, iuxta illud Poetæ: Sic reus ille ferè est, de quo victoria lucro esse potest, inepis vindice facta carent. Atque hoc est quod hic dicitur iuxta hebræum, Pauper nõ audit increpationem, aut quod vertit Hieronymus secutus ex parte 70. qui habẽt verbum ὑφίσταθαι Pauper non sustinet increpationem. Sensus est enim, quod pauper non ita fert aliorũ increpationes, comminationes & castigationes sicut diues qui mox grauiter peccasse iudicatur. Vnde Theodoretus orat. 7. de prouident. Pauper, inquit, non metuit strepitum fori, nec præconis vocem reformidat nec iudicis toruo vultu & oculis ignem spirãtibus terretur. Sunt qui aliter hanc secundam partem intelligunt, vt sit scilicet contraria primo membro, nec significetur paupertatis cõmoditas, sed incommoditas in hunc modum, Diuitem grauiter delinquentem & correptum facilè redimunt suæ diuitiæ, at pauper si quid peccauit non audit correptionem, quia mox citra correptionem punitur & vindicatur, nec sustinet increpationem, hoc est, ei resistere non potest, nec sine graui suo incõmodo ferre. Nota est sententia illa quæ Soloni tribuitur. Similes esse leges telis aranearum, quas muscæ validiores perrumpunt, imbecilliores tantum irretitæ euadere nequeunt. Huc pertinet & illud, Dat veniam coruis, vexat censura columbas. Et illud: Qui non habet inære, luat in corpore. Cæterum vt diuitiæ tempora les frequenter apud homines temporaliter redimũt hominem à multis incommodis, & animam item à morte nonnunquam, ita multo magis illæ redimunt apud Deum. dum per eleemosynarum largitionem erogantur, iuxta consiliũ Danielis: peccata tua eleemosynis redime. Proinde & de hac spirituali redẽptione animę locus hic rectè intelligitur, imò de illa maximè verum est quod hic dicitur, quãdoquidem diuitiæ sic erogatæ verè animam viri liberant, non autem tantum corpus. Beda hanc sententiam intelligit misticè de diuitiis spiritualibus, hoc est, multitudine bonorum operum, quæ qui congregauerit, redimet per ea animam suam à vẽtura ira, qui verò huiusmodi eget diuitiis, increpationem districti iudicis sustinere non valebit. Duas has sentẽtias integro sermone docte explicat iuxta versionem 70. D. August. vt licet videre ser. 212. de tempore.

Eccle. 7.

Daniel. 4.

9 Lux iustorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.

OMNES quidem vertunt verbum transitiuum lætificat, aut exhilarat, hebræis tamen est verbum intransitiuum, lætabitur aut læta erit, quod melius opponitur ei quod sequitur, Lucerna impiorum extinguetur, intransitiuum scilicet intransitiuo, & alioqui lucernam impiorum extingui sonat merorem cui bene opponitur quod lux iustorum dicitur lætari ad significandum quod ipsa nõ extinguitur, sed semper permaneat. Vnde Septuaginta verterunt φῶς δικαίοις διαπαντὸς, id est, lux iustis semper. Cæterum quoniam lætitia luci

luci non conuenit, nisi quatenus per eam homines exhilarentur, non male sensum fecuti omnes vertunt, lux iustorum lætificat aut exhilarat, quod tamen vt opponatur secundo membro, intelligendum de lętitia solida perpetua & perseueranti. Nam & lucerna impiorum ad tempus lætificat, non autẽ perpetuo aut diuturno tempore, quia cito extinguetur. Est autem lux iustorum, eorum claritas & excellentia, doctrina scilicet eorum ac conuersatio sancta de quali luce dominus in euangelio: vos estis lux mundi. Et Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificẽt patrẽ vestrum qui in cœlis est. Hæc ergo lux lætificat & iustos qui eam habent, & alios qui eã in ipsis contẽplantur, eámque ab illis participant. Lętificat autẽ solidè quia sine metu extinctionis, & sine conscientiæ remorsu, diuturna in perpetuum. Porrò lucerna impiorũ est eorum temporalis fœlicitas qua fulgent ad tempus in hoc mundo. Item eorum hypocritica, tum doctrina, tum vita, qua item plerique ad tempus in hoc mundo clari habentur, vt patet in hæreticis. At omnis hæc impiorum lucerna extinguitur, quia per mortem euanescit, & cum interierit impius non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius. Sed & ante mortem plerunque instabilis fortunæ mutatione, terrena fœlicitas eorum tollitur, & veritatis fulgore hypocrisis falsitásque hęreticorum mox detegitur, quemadmodum patuit de omnibus hæresibus quæ breui fuerunt semper extinctæ, veritatis luce semper perseuerante. Idẽ dicitur in Iob: Nónne lux impij extinguetur, nec splẽdebit flamma ignis eius. Lux obtenebrescet in tabernaculoei.us, & lucerna quæ super eum est extinguetur Et ca. 21. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis inundatio. Benè notandum quod iustis lucem, impiis lucernam tribuit. Lucerna enim accenditur ad tempus lumen præbitura, & non nisi nocti seruit, ad exortum vero lucis mox obfuscanda & extinguẽda. Ita & impiorum prædictus fulgor in tenebroso hoc mundo videtur splendere, at omnis hic splendor euanescit extremo adueniente die, aut exoriente veritatis fulgore. Iustorum autem splendor velut lux solis est lux vera quę nulla alia luce superatur, nec vnquam desinit, ac sola solidè exhilarat animos hominum.

Matth. 5
Matth. 6

Psal. 48.

Iob. 18.

10 Inter superbos semper iurgia sunt, qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

HEBRAEA ad verbum habent, Tantam aut verè in superbia dabit cõtentionẽ & cum consultis sapientia. Et est sensus, Id tãtum in superbia est quod dabit contentionẽ, hoc est, superbia nihil nisi contentiones dat Aut verè per superbiam quis dabit contentionẽ. Cum his autem qui consilium ineunt cum sapientibus, erit sapientia. Conferendus est hic versus maximè in hebræo cum versu 2. capitis vndecimi. Et ibi enim in primo mẽbro superbię malum insinuatur, nempe quod adferat secum ignominiam & contumeliam In secundo dicitur, Et cũ humilibus sapientia Ita & hic primo membro superbia dicitur fons contentionis & iurgiorũ, in secundo, & cũ consultis sapientia. Significat ergo eos qui animi sui superbiã sequuntur, ita vt alios audire nolint, multa imprudenter acturos: authoréque fore sibi & aliis contentionum & iurgiorum, quia & ipsi leui de causolites suscipient dum nulli cedere volent, & vt contra eos litem moueant aliis causa erunt qui eorum iniuriam ferre nolent. Contra verò eos qui per animi humilitatem consilium ab aliis requirunt, sibique rectè consuli patiuntur, sapienter se gesturos ac per sapientiam multa litium & iurgiorum incommoda vitaturos. Quod autem dicitur in nostra litera, Inter superbos semper sunt iurgia variis modis declarari potest esse verum. Primum quia superbi non ferunt sibi parem aut superiorem, proinde cum singuli velint præcellere aliósq; deprimere, facilè contra sese non solũ ad contentiones & lites prouocantur, sed etiam ad pugnas & cædes, iuxta illud Ecclesiastici Diffusio sanguinis in rixa superborum, quemadmodũ patuit apud Romanos in Pompeio & Cæsare. Secundo quia superbi, & facilè irritantur quod facilè se grauiter lædi existimẽt, & facilè irritãt sua procacitate, quod alios præ se contemnãt. At sapiens non tam significare voluit quid fieri soleat inter superbos, quam quid super singulis per superbiam accidere soleat, ea de causa, quod suæ sententiæ nimis fidentes, aut pertinaciter nimis quod semel conceperunt persequentes, aliorum vel non requirant, vel non audiant consilia, quemadmodum patet ex opposita parte. Cui vt respondeat prior sentẽtiæ pars intelligẽndum est, eo respectu hic iurgia tribui superbis: quod sibi nimium confidant nec aliorum velint sequi consilia per quę aut à litibus possent præmuniri, aut ab exortis statim liberari. Vnde benè dicitur, semper sunt iurgia, hoc est, iurgia diuturna & perpetua, quia non sinunt se bonis consiliis ad pacem adduci quemadmodum faciunt humiles qui omnia agunt cum consilio prudenter. vnde & diriguntur à sapientia, & per eã fœliciter & tranquille degunt.

Eccl. 27.

11 Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

HEBRAEA Ad verbum habent, Substantia ex vanitate minuetur, & qui colligit per manum, augebit, subaudi, substantiam suam significatur ergo diuitias quæ sunt ex vanitate, hoc est, quæ viis illicitis & artibus parum honestis, & per fraudem atque iniuriam sunt acquisitæ, raro duraturas, quia vt habet Prouerbium, male parta male dilabuntur, & sæpe à prodigis filiisdilapidantur. Cæterum eius qui iusto labore manuum parat sibi diuitias, non tantum stabiles fore opes, sed easdem diuino fauore multiplicandas. D. Hieronimus pro substantia ex vanitate. collecta vertit substãtia festinata, secutus septuagina, qui habẽt ὑπαρξις ἐπισπεύδομένη, id est, substantia festinata vel festinato acquisita quia ferè opes, subitò acquisitæ illicitis mediis sunt paratæ. Et in secunda parte adiecit paulatim.

paulatim,vt sit oppositio inter membra,& ad significandum, quòd manu ac labore iusto non possint opes colligi nisi paulatim. Docet autem hæc sententia debere cuique curæ esse non tam quantum acquirat, quàm quibus modis & artibus sibi paret diuitias.Nec habet hæc sententia tantum locum in diuitiis temporalibus,sed & in spiritualibus.Qui enim sibi opes doctrinæ aut virtutum colligunt ex vanitate heresum aut hypocrisis,statim se doctos ac iustos esse præsumentes , cito opum suarum decrementum patientur. Item qui subito indiscreto feruore perfectionẽ virtutis sibi vendicant,frequenter experiẽtia teste quod subito amplexi sunt subito derelinquũt At virtus & scientia quæ paulatim per humilitatem colligitur,iustis debitisque exercitiis & laboribus illa & stabilis erit,& assiduè multiplicabitur.

12 *Spes quæ differtur affligit animam , lignum vitæ desiderium veniens.*

SPES differri & desiderium venire dicitur,ratione rei speratæ,& desideratæ. Rom. 8. Sæpè enim in scripturis,spes accipitur pro re sperata,vt cum dicitur:Spes quę videtur non est spes.Itaque sensus est , cum res quæ speratur differtur,hoc ipsum cruciat mentem,res desiderata adueniens,perinde est ac lignum vitæ , quia exhilarat mentem ac iucundam facit. In Hebræo iucundior est oppositio , quia non est,affligit animam,sed,spes protracta infirmat cor,vel infirmitas est cordis.Infirmitati enim cordis pulchrè opponitur lignum vitæ,cuius est viuificare cor,& sanare eius infirmitatem. Significatur ergo spem protractam lãguidũ facere cor animũmque hominis, ita vt impediatur à plerisq; suis functionib. nec iubeat viuere , contra ex rerum quæ desiderantur præsentia,animum viuificari, confortari & exhilarari non minus quam si ex arbore vitæ in paradiso fructum quis caperet.Narrando Sapiens vult insinuare vanis promissionibus neminem detinẽdum,sed statim quod promissum est opere præstandum, ne pro beneficio maleficium præstetur, Vnde Septuaginta verterũt, Κρείσσων ἐναρχόμενος βοηθῶν καρδίᾳ τοῦ ἐπαγγελλομένου καὶ εἰς ἐλπίδα ἄγοντος, id est,Melior est qui incipit succurrere cordi,quam qui ꝓmisit,& in spem remisit. Notum est prouerbium,Qui cito dat,bis dat.Et, beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter. Aut insinuat non mox deiiciendum animum,si quod desideratur,non statim præstetur,quia quo quis diutius quidpiam desiderauit, & expectauit, eo iucundior erit rei desideratæ , cum iam percepta erit , fruitio. Ad quem finem hæc sententia si accipiatur dicta , eximiè conuenit iustorum expectationi qui ob dilationẽ suę spei hic interim corde affliguntur,clamãtes cum Paulo: Rom. 7. Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius,Et alibi: Rom. 8. Nos ipsi primitias spiritus habentes,intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. At cum fruentur dulcedine domus Dei , quod diu desiderauerunt,vere eis erit arbor vitæ, quia immortalitatem ex eo assequentur.

13 *Qui detrahit alicui rei , ipse se in futurum obligat, qui autem timet præceptum,in pace versabitur.*

VERSUM hunc ferè sic vertunt ex Hebræo,Qui contemnit verbum, perditio erit ei,qui autem timet præceptum,remunerabitur.Et est iuxta hanc versionem aperta & apta inter sententiæ partes oppositio. Sensus enim est:Qui verbum Dei aut legis contemnit,ita vt seruare illud non sit ei cordi,is peribit & detrimentum sui contemptus aut neglectus aliquando sentiet.Contra, qui præceptum Dei timet,ita vt adimplere illud solicitus sit,is & in hoc seculo & in futuro sui timoris bonam accipiet mercedem.Quod autem ab hac versione tantoperę diuersa videatur nostra versio , accidit id ex ambiguitate triũ vocum Hebraicarum.Nam דבר Dauar,quod propriè,verbum,significat,nonnunquam, rẽ quampiam significat. Et verbum חבל Habal quod corrumpere significat,etiam significat oppignorare. Verbum etiam שלם Schalam, quod remunerare significat & in passiuo, remunerari,significat itẽ pacificare & pacificari,Vnde schalum pax.Itaque sensus nostræ literæ est.Qui de re quapiam malè loquitur,siue bona sit, siue mala, is se in futurum obligat.quia si malè loquitur de re bona , obnoxium se facit pœnæ & condemnationis , si autem de re mala , magis se obligat ad eius mali vitationem,ne quod in alio culpauit,postea ob id ipsum merito reprehendatur , iuxta illud:Qui prædicas nõ furandũ,furaris &c. Rom. 2. Ita ferè Beda exponit, At simplicius fuerit & magis conueniens posteriori parti, vt intelligatur solũ de detractione rei bonæ,cui propriè dicitur detrahi. Qui enim ei detrahit , ipse se in futurũ obligat ad pœnã, reprehẽsionem aut defensionem,qua obligatione se iniicit in magnam perplexitatem ac animi perturbationem. Contra qui timet præceptum diuinũ quo & detractio ꝓhibetur,& quid cuique faciendum sit decernitur, is & hic in pace conscientiæ animique tranquilitate versabitur, & cum hominibus quoque pacem habebit , & in futuro seculo pacem aget æternam & inconcussam. Qui enim alienæ vitæ curiosi sunt scrutatores & detractores: pacem mentis habere non possunt,at qui opus suum iuxta Apostoli præceptum probat & ad domini præcepta expendit , hic in semetipso habet gloriam & pacem.

14 *Filio doloso nihil erit boni,seruo autem sapienti prosperi erunt actus,& dirigetur via eius.*

HIC versus non est in Hebræo, nec in veteribus plerisque exemplaribus Latinis Est tamen in Græcis hoc loco:Sunt autem plerique libri qui pro hoc versu , qui rursum in quibusdam libris repetitur in sequenti capite,alium habẽt versum qui & ipse non est in Hebræo,est tamen apud Græcos hoc quidem capite , sed paulò ante hunc locum habent enim sic:Animæ dolosæ errant in peccatis, iusti autem misericordes sunt & miserentur.Est autem vtriusque sententię apertus satis sensus. Altera enim filium dolosum opponit

ponit seruo sapienti,indicátque doloso nihil prodesse quod filius sit , sapienti nihil obesse quod seruus sit, sed illi per dolum nihil boni futurum. huic per sapientiam prospera omnia futura. Altera animam dolosam, hoc est, hominẽ dolosum opponit iustis,& de illis quidem dicitur quod in suis peccatis errant, vel vt habent Græca πλανῶνται, id est, seducuntur nimirum quia excidunt à sua spe : cúmque suis dolis diuitias quærant,eas tamen frequẽter non assequuntur.Iusti autem ita diuinitus ditantur, vt non tantum sint affectu misericordes, sed & facto misericordiam exhibeãt.

15 *Lex sapiẽtis fons vitæ,vt declinet à ruina mortis*

LEx sapientis,hoc est,disciplina,institutio & præcepta sapientis sunt fons vitæ,quia ex illius vita profluit ad eos qui sapienti obtẽperant,ita vt homo per huiusmodi legem declinare possit à ruina mortis,hoc est,euadere lapsum in mortem.Sapienti enim obtemperans , facilè declinat ab incommodis multis & periculis huius vitæ, quibus stulti frequenter per imprudentiam capti ante diem pereunt & omnino euadit lapsum in mortem æternam. Cæterum quamquam generaliter sentẽtia hæc de quocunque sapiente eiúsque doctrina accipi possit, peculiariter tamen locum habet in eo qui verè solus sapiens est, Christo scilicet eiúsque lege euangelica,quę vera vena est aquarum viuarum , quas qui hauriunt,non sitiunt in æternum , neque rerum mundanarum desideriis illaqueati in mortẽ æternam præcipitabuntur. Ex superiori explanatione patet cõiunctionem (vt) hic accipi,vt alias sæpè in scripturis consecutiuè potius quam causaliter. Et verbum (declinare) videtur hic à D. Hieronimo actiuè positũ pro deflectere aut abducere,vt sit sensus:Lex quam tradit sapiens est auditoribus velut fons vitæ,ita vt deflectat eos, aut valens ad hoc vt abducat eos à ruina in mortem. Nisi quis malit legem sapientis intelligere legem quam ipse sapiens sequitur & amplectitur, quæ est illi fons vitæ valens ei ad hoc , vt per eam declinet à ruina in mortem. Sed hæc explicatio non habet locum in simili sententia, quæ est capite sequenti , vbi idem dicitur dę timore domini,quod hic de lege sapientis.

16 *Doctrina bona dabit gratiam,in itinere contemptorum vorago.*

HEBRAEA sic : intelligentia bona dabit gratiam,& via preuaricantium dura,hoc est,Si quis bona intelligentia,bonoque ingenio sit præditus, is sibi facilè conciliabit sua intelligentia gratiam apud homines.Bona enim intelligentia facit vt homo in omnibus prudenter se gerat,seque omnibus accommodet.At via perfidorum , hoc est, mores eorum sunt duri,præferoces & truces,ita vt flecti nequeant, neque velint aliis se accõmodare, ac proinde sua truculentia & peruicacia omnibus sunt inuisi.Et hic quidem simplex est originalis literæ sensus. Cæterum nostræ literæ hic conuenienter erit sensus.Bona doctrina dabit gratiam,non tantum docenti, sed & discipulo qui eã suscipit. Vterq; enim per eam inueniet gratiam apud Deum & homines,Contra, in itinere eorum qui contemnunt veritatem,bonamque doctrinam,est vorago, quia & ipsi contemptores & qui eos sectantur, suis moribus absorbebuntur à morte.Secutus est D.Hieronimus in hac secũda parte 70.qui habent, viæ contemnentium in perditione, habent tamen 70. in priori parte intelligentia bona dabit gratiam. Cui & nostra litera conueniet si passiue accipiatur doctrina bona , à qua scilicet quis bene doctus dicitur, vt significetur eum qui bene doceri patitur consecuturum gratiam. Cui rectè in secunda parte opponuntur contemptores qui doceri nolunt. Quæ secunda pars habebit etiam sensum linguæ originalis,si intelligatur viæ contemnentium tribui voraginem quia in ea inuenientur inhumanitas & asperitas morum,alios deuorãs & horrore cõcutiẽs Est enim hic pro (vorago) Hebræis dictio Ethan, Psal. 73. quam D.Hieronymus in psal.secutus Septuaginta reliquit non versam.Tu siccasti fluuios Ethan pro quo ex Hebræo vertit flumina fortia,hoc ẽ vortiginosa & rapacia.Et Deuter.21.vbi nos habemus,Ducent eam ad vallem asperam atque saxosam,pro asperam, est Hebræis dictio Ethan. Itaque sensus erit bonam institutionem dare hominibus gratiam, hoc est,efficere vt sint gratiosi,quia facit clementes & humanos viam autem contemnentium bonam institutionem efficere homines inhumanos,asperos & intractabiles & ob id inuisos.

17 *Astutus omnia agit cum consilio , qui autem fatuus est aperit stultitiam.*

VERTI potest vel omnia astutus agit,vel, omnis astutus agit,Et pro,cum consilio Hebraicè est,in scientia,hoc est,prudenter & scitè omnia agit , quod aliud non est quam cum consilio,hoc est,cum deliberatione.Dicit ergo, Quisque astutus,hoc est,circunspectus ac prudens agit omnia sua consultè, sicque aperit suam sapientiam & tegit suam , si quę in eo est,stultitiam.Contra qui fatuus est aperit,vel vt habent Græca & Hebrea expandit,hoc est,prodit suam stultitiam,temere scilicet agendo quæ facit. Docet hæc sententia nihil temerè agendum, magnúmq; vel sapiẽtiæ vel insipientię argumentum accipiẽdum in hominibus à rebus quas moliuntur. Cum enim dicitur,Astutus omnia agit cum consilio,nõ tam significatur quid ille faciat , quàm id quod facere debeat & vnde agnosci possit.

18 *Nuncius impij cadet in malum,legatus autem fidelis sanitas.*

MAGIS vertenda sunt hebræa,nuncius impius,& est clarior oppositio inter nũcium impium & fidelem.Vterque tamen sensus bene se habet. Nam & nuncius impius, qui scilicet aut non fideliter exequitur ea ob quæ mittitur aut impia annunciat , ob suam impietatem cadet ipse in malum , quod aut mittenti aut eis ad quos mittitur molitur.Et nuncius impij,qui scilicet impio alicui ad malum aliquod obsequitur, & ob id dolis & mẽdaciis

daciis vtitur ad decipiendum, cadet in malum quod aliis doloſe parat, ſibíque & mittenti dedecus adferet, fruſtratus honore qui legatis bonis accidere ſolet. Cõtra legatus fidelis, qui bona fide domini ſui legationem obit, & vera nũciaturus venit, ipſe eſt ſanitas, hoc eſt, ſalutaris & mittenti, & ſibiipſi & his ad quos mittitur. Talis enim vtrinque læſos animos & offenſos calumniis falſiſque rumoribus, reuocat ad concordiam & omnia vt ſe habent referendo, ambiguitatem & errores animo pellit, mittenti vtilitatem, ſibi honorem, his ad quos mittitur lætitiam adferendo. Hæc in genere dicta rectiſſimè quadrant in magiſtros errorum, nuncios impij demonis, bonóſque ac fidos verbi diuini prędicatores, qui ſunt ſanitas orbis terræ.

19 *Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam qui autem acquieſcit arguenti glorificabitur.*

MVLTIS in hoc libro ſententiis oſtendit Sapiens quam neceſſaria & vtilis ſit correctio & caſtigatio, cum eam tamen ægre homines admittant. Et quidem ſuperius verſu primo capitis. 12. indicauit ſapientis eſſe admittere caſtigationem, inſipientis eam reiicere, hic vero fructus aperit vel contemptæ vel acceptatæ redargutionis & caſtigationis. Loquitur autem iuxta id quod ſæpiſſimè vſuuenire ſolet admonitionem iuuenibus in primis & tamen in genere omni ætati commendãs oſtendénſque & quanta mala ſoleant comitari illos qui non obtemperant caſtigationib. maiorum (ſunt enim paupertas & ignominia duo mala quæ maximè refugiunt homines ad quę ferè deueniunt qui ſuorũ parentum & præceptorum correctionem non ferunt:) Et quantum bonum aſſequantur qui lubenter admittunt maiorum caſtigationem, honores ſcilicet ſupremum bonorum apud mortales gradum, qui ſimul includit & diuitiarum copiam, ſine qua honor raro mortalibus contingit. Cæterum vt hanc ſententiam verificari videmus frequenter de egeſtate, ignominia & honore temporalibus, ita multo magis vera eſt de his ſpiritualibus ſecundum ſenſum myſticum, Qui enim correptionem & diſciplinam verbi diuini deſerit, incidet in inopiam & ignominiam æternam. Contra qui verbo Dei quod arguit noſtras prauas concupiſcentias acquieſcit, honorem in cœlis aſſequetur æternum. D. Auguſtinus ſecutus 70. D. Aug. citat priorem partem huius ſententiæ quæſtione 34. in quæſtionibus vtriuſque teſtamẽti. Paupertatem & ignobilitatem aufert diſciplina.

20 *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam, deteſtantur ſtulti eos qui fugiunt mala.*

HEBRAEA habent deſiderium factum oblectat animam & abominatio ſtultorum eſt recedere à malo, aut abominatio ſtultorum eſt recedens à malo, quorum poſtremum ſecutus eſt noſter interpres, nec eſt multum diuerſum à priori. Siquidem quia ſtulti deteſtantur recedere à malò, ideo deteſtantur recedentes à malo. Quomodocunque tamẽ vertatur, obſcurum eſt quomodo prior pars conueniat ſequenti. Nulla enim inter ſententiæ partes videtur eſſe apta cohærentia aut conſequentiæ, aut oppoſitionis. Sẽſus ergo commodus hic poteſt accipi. Res deſiderata ſi habeatur delectat animam, ac ob id fit vt ſtulti qui bonis præſentibus quæ deſiderant gaudent, nolint recedere ab illis, deteſtẽturque & receſſionem à malo & recedentes à malo. Dicunt enim præſtat frui præſentibus deſideratis quam ſpe futurorum cruciari, ac deſideratis carendo recedere à malo. Sciendum tamen Hebræa teſte Pagnino in prima parte verti poſſe etiam, deſiderium fractum oblectat animam, quia verbum תאוה Nihia, ſignificat non ſolum fieri, ſed etiam rumpi & confringi, ſicque ſenſus erit per oppoſitionem partium, Sapiens gaudet cum deſiderium eius malum abrumpitur & cohibetur & quamuis amarum ſit homini in principio carere deſideratis, tamẽ poſtea cum ſapiens redit ad cor, magnam animo percipit voluptatem ob impeditam & fractam prauam ipſius concupiſcentiam, at contra ſtulti deteſtantur recedere à malo, nolunt deſiderium ſuum frangi & impediri.

21 *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur.*

APERTA eſt intelligentia ſecundum noſtram lectionem, qua dum ſignificatur talem quémque effici quales ſunt cum quib. familiariter conuerſatur, monemur certo iudicio nobis deligere ſapientum conſortium ſtultorum declinare, hoc eſt enim ire cum ſapientibus, conuerſari cum illis, eorúmque cõſortio delectari. Hebræa in ſecunda parte habent, Amicus vel paſtor ſtultorum, hoc eſt, qui ſtultos fouet, conteretur. In quibus verbis etſi nõ videatur cẽ tã appoſita oppoſitio cùm priori membro, quam eſt in noſtra lectione, eſt tamen in Hebræo iucundiſſima vocum alluſio, in qua ſententiæ elegantia conſiſtit. Nam pro nomine, Amicus & verbo Conteretur eſt רעה ירוע Roe ſeroa, vbi talis eſt alluſio qualis ſi dicas, ſocius ſtultorum ſociabitur, Nec tamen in alluſione vocum eſt ſignificationis ſimilitudo. Eſt autem ſenſus, Amicus ſtultorum conteretur cum eis, quia eorum diſcet opera per quæ malè peribit, ſicut amicus ſapientum, ſapientiam cum eis acquirendo fœliciter aget. D. Hieronymus quia non potuit alluſionem vocum transferre, maluit ob oppoſitionem ſignificandam transferre ſimilis efficietur, & ſignificabitur idem quod in Hebræo, ſi intelligatur, ſimilis efficietur, tum in ſtultitia tum in pœna ſtultos comitante. Monet ſententia non temerè cum omnibus contrahendam familiaritatẽ, ſed deligendos optimos, quorum conſuetudine reddamur meliores. Sic & Paulus docet conuerſatione improborum & impiorũ lædi mores & animos bonorum, cum recitat verſiculum, Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Nec mores tantum corrumpi intelligendum eſt, ſed, quod multo eſt deterius, infici etiam mentes prauis opinionibus per commercia impiorum tanquam quadam 1. Cor. 15.

dam contagione. Proinde accommoda eſt hæc ſententia ad dehortandum fideles à conſortio hæreticorum & lectione librorũ, quos mundo illi obtrudunt. Simile huic ſententiæ eſt illud Erupidis in Phœniſſis. Si quis malorum gaudeat commercio, Rogare qualis ipſe ſit nil eſt opus. Nam quiſque ſimilis eſt ſodalitij ſui.

22 *Peccatores perſequetur malum, & iuſtis retribuentur bona.*

DOCET hæc ſententia nec peccatores impunè peccaturos quamuis aliquãdiu ſupplicium effugiant, nec iuſtos ſua fruſtrandos mercede, etſi aliquandiu variis malis premantur. Nec hoc tantum docet, ſed quod ad priorem ſaltem attinet partem, docet inſuper ipſum malum, quod faciunt peccatores, perſequi ipſos, nec permiſſurum malum culpæ quin aliquãdo ſuis afferat malum pœnæ, vt intelligamus malorum pœnam ex ipſo malo culpę quodãmodo naſci. Cuius ſimile intelligi etiam fortè poteſt ſignificari in ſecunda parte apud Hebræos, qui aduerbum habent. Et iuſtis retribuet bonum. In quibus verbis etſi plerique ſubintelligant nomen Deus, vt ſignificetur Deum retribuere iuſtis bonum, tamen nihil vetat quin pro correſpondentia huius partis cum priore, intelligatur ipſum bonum quod iuſti agunt retribuere eis quod merentur, & mercedem iuſtorum ex his quæ agunt conſequi. Non eſt tamen diſſimulandum quod dicitur in priori parte, peccatores perſequetur malum, poſſe accipi non de malo quod committunt peccatores, ſed, de malo quod merentur, vt ſignificetur malum pœnę & iuſtæ vltionis ſemper eos proſequi, nec deſtiturum quin eos inuoluat. Huic enim intelligentiæ magis conuenit quod ſequitur, Iuſtis retribuentur bona, vel iuſtis Deus retribuet bonũ. Perſtringit hęc ſententia pleroſq; qui ſe impunè putant peccare. Sunt enim qui ob ſuam potentiam, etiam ſi grauiter peccẽt, ſe à nemine quicquã paſſuros opinẽtur, ſunt qui quoniam occultè horrenda committunt facinora, ad lucem ea non putẽt ventura, ſunt qui omnino peccatis non arbitrentur pœnam debitam. Omnes hos redarguit ſapiens, oſtendens peccatores ſuo tempore puniendos, iuſtos remunerandos. Conſentit priori parti illud Platonis lib. 5. de legibus τιμωρία ἀδικίας ἀνωλεθρος hoc eſt, Pœna iniuſtitiæ comes.

23 *Bonus relinquet hæredes filios & nepotes, & conſloditur iuſto ſubſtantia peccatoris.*

DOCET hæc ſententia virtutem non tantum iuſto profuturam, quod habuit ſuperior ſententia, ſed poſteris eius, ipſamque & proprias iuſti opes ſtabiles ei præſtare, & alienas eidem attribuere. Bonus, inquit, non tantum ipſe quæ habet poſſidebit, & ipſis fruetur, ſed & filios ſuos & nepotes relinquet bonorum ſuorum hæredes. Quin & eidem à Deo cuſtodiuntur & reconduntur opes peccatoris, vt quas hic iniuſtè acquiſiuit, aut quibus impiè abutitur, iuſtus poſſideat, iuſtéque expendat. Sententia hæc vt pleræque ſimiles, de terrennis facultatibus intellecta, veteri legi maximè competit, quæ terrenas habet promiſſiones. Iuxta quas illo tempore opes Ægyptiorum & Cananæorum impiorũ Iſraëlis tradidit Deus poſſidendas, & eiſdem ſæpè promiſit ſtabilem eorum poſſeſſionem quandiu iuſtitiæ ſeruirent. Citat poſteriorem huius ſententiæ partem D. Auguſtinus epiſtola 50. iuxta verſionem Septuaginta quę habent: Theſaurabuntur autem iuſtis diuitiæ impiorum, contra Donatiſtas agens qui querebantur bona ſibi eripi à Catholicis, citans ſimul & illud Sapientiæ 10. Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum. De ſpiritualibus autem bonis intellecta, generalior eſt, magiſque conuenit nouæ legi. Nam qui bonus eſt, animi bona, virtutéſque tum merito, tum exemplo ſuo transfundere ſolet in poſteros, & peccatore ſua, quæ habet dona ob abuſum & negligentiam, perdente, iuſtus eadem à Deo accipit, iuxta illud Euangelicũ: Auferte ab eo mnam, & date ei qui decẽ mnas habet. Omni enim habenti dabitur. Cæterum eximiè & peculiari modo ſententia hæc locum habet iuxta Bedæ interpretationem in eo, qui ſolus verè bonus eſt, Chriſtò. Hic enim aſcendens in cœlum reliquit hæredes ſuæ doctrinę, Apoſtolos & ſucceſſores eorum, ad cuius fidẽ conuerſa eſt multitudo gentium Chriſto per prophetas olim promiſſionibus attributa, cũ eſſet ſubſtantia & poſſeſſio diaboli. Item ſingulariter locum habet in populo gentili collato ad Iudaicum. Cuſtodita eſt enim ſubſtantia peccatoris iuſto, quando ablatum eſt regnum Dei à Iudæis, & datum genti facienti fructus eius, quæ ſpiritu Chriſti iuſtificata, accepta dona poſteritati non deſinit communicare vſque in conſummationem ſeculi. Auguſt. Luc. 1. 2

24 *Multi cibi in noualibus patrum, & alia congregantur abſque iudicio.*

HEBRAEA ad verbum habẽt. Multus cibus nouale principum, vel, pauperum, & eſt conſumptus (vel collectus) abſque iudicio. In priori enim membro dictio Raſchim, & principes ſignificat (quod ſecutus noſter interpres vertit patrum) & pauperes. Et in ſecundo membro participium Niſpe, & conſumptum ſignificat & collectũ quorũ poſterius noſter ſecutus eſt interpres, quem omnino veriſimile eſt non vertiſſe datiuum aliis quamuis Beda ſic legat, ſed nominatiuum alij quemadmodum quidam habẽt, libri antiquiſſimi. Nam ſic ſolet verbum, eſt vertere per alij, vt ca. 11. Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, vbi Hebræa habent, Eſt qui diſpergat, &c. Certe Gloſſa ordinaria habet in margine, aliàs alij. Eſt ergo ſenſus vnius lectionis, Noualia pauperum quæ prius inculta erant, multo ipſorum labore multáque diligentia adeò fertilia fiunt, vt copioſum illis cibum proferant. Contra ſunt pleriſque parati cibi qui tamen conſumuntur & pereunt, ꝙ iudicio careant qui eas habent, neſcientes partis bene vti. Itaque iuxta hunc ſenſum iudicatur, quid boni efficiat ſedulitas & diligentia, vt per quam pauperes etiam ex incultis

incultis locis, multum eliciunt cibũ, quid contra mali pariat oscitãtia, & inscicia, vt quæ parare dispergat. Iuxta nostrã lectionẽ quæ etiam bene conuenit cum Hebræis, si legamus alij, non aliis, sensus est: Multos cibos parant sibi filiis ex noualibus patrum suorum, hoc est, si insistant laboribus patrum & eorum diligentiam æmulentur, quia cibi sic quæsiti diuina benedictione multiplicãtur. At sunt alij cibi, id est, aliqui cibi sunt qui à plerisque congregantur iniustè, non cum debito iudicio, quia scilicet non discernunt & quomodo debitè cibi parandi sint iuxta habẽtes, siue per fas, siue per nefas, siue honestè siue inhonestè cógregent, & quomodo iniustè parta mox dilabantur. Docet ergo hæc sententia iuxta hũc intellectum, quosdam sibi colligere prudenter & honestè, alios imprudenter & inhonestè. Illud enim, absque iudicio, potest accipi, vel pro eo quod est, iniustè, quia iudiciũ sæpè ponitur pro iustitia, vel pro eo quod est imprudẽter & sine debita disquisitione. Istud autẽ nõ tantũ iuxta literalem sensum locum habet in bonis & cibis corporalibus, sed etiã in spiritualibus iuxta spiritualẽ sensum. Multos enim cibos animæ parare sibi salubriter quis põt, ex his quæ patres nobis suo labore cultra reliquerunt, ex eorum scilicet libris, sacrarum literarum explanationibus, ac ad virtutes exhortationibus, atq; qui ex his sibi cibos colligit pio studio & humili labore, congregat sibi prudenter & cum iudicio. At sunt cibi qui à quibusdam, siue ex his noualibus, siue ex aliis malè cultis agris congregantur indiscretè & imprudenter, vt hæreses & errores, quos ex scripturis parribusq; malè intellectis, aut ex hæreliarcharum libris sibi pleriq; colligunt. Quod si quis legere velit aliis, sensus erit iuxta Bedam: Sunt qui cum multos cibos habeant ex patrum suorum nouali bus, hoc est, cum victus eis abundet ex iure paternæ hæreditatis, tamen absque iudicio, stultè & imprudenter ab eis diuitiæ aliis congregantur, quasi dicat, Tam fatui sunt plerique, vt quod ab aliis ipsis est relictum, non vtantur sibi, sed aliis stultè congregent. Ita & iuxta sensum spiritualem: Multi cibi alimoniæ cœlestis sunt in dictis & exmplis sanctorum patrum, at absque ratione facit, qui his legendis, meditandis & exponendis instans, non suæ saluti per hoc, sed aliorum potius seruit, qui ab ipso siue viua voce siue scriptis eruditur.

25 *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit.*

VT multis huius libri sententiis docet Sapiens iuuenes parentũ & maiorũ monita & castigationes patiẽter admittere ita hac docet bonorũ parentum esse, filios suos tempestiuè castigare & erudire. Non enim verum prolium amorem in nimia indulgentia. & cõniuentia consistere, vt vulgus existimat, sed contra potius in assidua & matura earum castigatione. Qui, inquit parcit virgæ, hoc est, qui aut totum abstinet à castigatione, aut in ea parcus est & rarus, verè odit filium suũ, non quidem affectu, sed facto, quia ipsa castigationis omissio est cõtra bonum & salutem filij. Qui autem verè diligit illum, ita vt illius quærat salutem, instanter, hoc est assiduè & sedulo erudit eum, non tantum verbis, sed & verberibus, quæ tantum adhibet ad eius eruditionem, vt vexatio det intellectum. Hebræa magis sonant, maturat ei correctionem vel mane quærit ei castigationem, vt significetur mane, hoc est, ante omnia id esse patri cordi, vt delinquentem filium castiget, ipsumque matutino tempore filium castigare, non ex ira scilicet & passiõe, sed animo sedato. Et Græca quæ secutus hic est noster interpres verti potius debebẽt. Instanter vel assiduè castigat. Nam παιδεύειν, non tantum erudiri, sed & castigare significat quæ significatio hic potius conuenit, vt sit huius membri cum priori membro aptior oppositio, Notandum autem quod virgæ dicat non esse parcendum, significans non verbis tantum filium castigandũ, vt plurimi volunt, sed etiam verberibus. Nec Græca habent *ραβδος* vt posteà capite 23. quod virgam propriè significat: *τῆς βακτηρίας*, hoc est baculo, quomodo & citat D. Augustinus epistolaqu inquagesima cõtra Donatistas agens, conquerentes quod seuerè castigarentur à principibus catholicis. August.

26 *Iustus comedit & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis.*

PRo insaturabilis, Hebraicè est deficiet aut egebit, vt simpliciter accipi possit, quod cum iusto diuinitus prouideatur, vt vsq; ad satietatẽ sui desiderij comedat, nec quicquam ei desit necessariorum, iuxta illud, Hæc omnia adiicientur vobis: impius frequenter esurire cogatur, non habens quo famelicum ventrem satiet. Verum sublimiorem sensum in his verbis intellexit interpres, defectum & egestatem, quæ hic impio tribuitur, non tam referens ad inopiam & necessariorum destitutionem, quam ad inexplebilem habendi cupiditatem, per quam impiis nihil vnquam satis est, nec tam habent quod habent, quam quod non habent quomodo & Hebræi plerique hunc versum accipiunt. Itaque vertit insaturabilis, significatúrque quod iustus quidem comedit ad satietatem suę animæ, hoc est, sui naturalis desiderij, quia etiamsi pauca sint quæ adsint, his ipsis facilè est contentus, at venter impiorum semper eget, nec vnquam saturari potest, quia eorum desiderio nunquam satisfit. Hæc enim sententia etsi veritatem etiam habeat ad literam in cibo & potu, nam impiis nullus cibus satis est, ita vt semper quærantur fercula plura vsque ad nauseam, tamen prouerbialiter significatur quod est generalius, iustos contentos esse præsentibus Dei donis, atque ex eis voluptatem percipere cũ gratiarum actione. Impiorum verò desiderio & appetitui (hic enim ventris nomine significatur) nunquam satisfieri. Semper enim fastiditur præsens conditio, quæ quantumuis sit splendida, quæritur vberior. Nec finis vllus est, nec modus quærendi honores. Expetientia certè gentilibus etiam ostendit, cupiditatem illam auaræ mentis infiniam esse, ideo multæ Matt. 6.

multæ graues sententiæ ea de re extant, qualis est, Crescit amor nummi quãtum ipsa pecunia crescit. Item: Crescentem sequitur cura pecuniam, maiorúmq; fames. Et Salustius de cõiuratione Catilinę: Auaritia semper infinita est, neq; copia, neq; inopia minuitur. Iuxta sensum spiritualem, iustus ex scripturis pascitur ad satietatem vsque animæ suæ, ita vt inde bene viuat & valeat, at impij ex eis saturari nequeunt, qui cum ex eis errorum suorum patrocinia quærant, nũquam inueniunt in quo solidè subsistant & quiescant, sed ab errore in errorem prolabuntur, semper discẽtes, & nũquam ad veritatis cognitionem per- 2. Tim. 3. uenientes, vt habet Apostolus.

CAPVT XIIII

1 *SAPIENS mulier ædificauit domum suam, insipiens extructam quoque manibus destruet.*

VAriis sententiis hoc libro ostenditur quãtum sapiẽtia viris prosit insipientia obsit, hac vero quãetiã in mulierib. sapientia sit vtilis, insipiẽtia autẽ noxia insinuatur, tribuiturq; sapientiæ mulieris, domus ædificatio, insipientiæ euersio domus, quod mulieris munus sit domus curam gerere, significatur autem Hebraica phrasi per ædificationem domus familię omniumque domesticarum rerum debita procuratio, dispositio ac promotio, sicut cõtra per destructionem domus significatur eiusdem familiæ & rerum ad eam pertinentium desolatio atq; perditio. Itaq; sensus est vxor sapiens sua diligentia, prudenti administratione, & gubernatione, familiam suam etiam exiguã & nullius in primis pretij, egregiè instruit, amplificat & auget, prospiciens domui de omnibus necessariis, rectéque educans suos filios ac domesticos. Contra insipiens etiam ab alio bene instructam, non tantũ perire sinet, sed suis ipsa manibus per suã insipiẽtiã destruet ac perdet domesticas opes dilapidãdo, domesticos quosque suis sermonib, factis & exemplis euertendo. Simonides laudat vxorem quæ similis est apiculæ, casta, frugalis, intenta operi, nõ vagabunda, fouens sobolẽ. Mystica hęc sentẽtia impleta est in ecclesiã gentium & synagoga Iudeorum.

2 *Ambulans recto itinere, & timens dominum, despicitur ab eo qui infami graditur via.*

AD verbum hebræa habent. Ambulans in rectitudine sua timens dominum, & peruersus viis suis despicens eum. Vbi si pronomen eum referatur ad ambulantem in rectitudine & timentem dominum, quemadmodum intellexit noster interpres, is erit sensus quem habet nostra lectio, per se alioqui manifesta quotidiana experientia comprobata, consentiens cum illo Saluatoris. Si de mundo fuissetis, mundus vtique quod suum Ioan. 15 erat diligeret, quia vero de mundo non estis sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus Et cum illo Iob. Deridetur iusti Iob. 22. simplicitas. Quod si pronomen eum referatur ad dominum, vt alij melius intelligunt sensus erit. Ambulat in rectitudine sua timẽs dominũ & peruersus est in viis suis despiciẽs dominum, vt significetur timorem domini causam esse rectę conuersationis, & contemptum ac neglectum domini causam peruersæ vitæ. Potest & sic verti, vt participia secundo loco posita per verba reddantur Ambulans in rectitudine sua timet dominum & peruersus in viis suis despicit eum, vt significetur vitam ipsam testari internum Dei vel timorem vel despectum, Iuxta illud, probatio dilectionis, exhibitio est operis.

3 *In ore stulti virga superbiæ, labia autem sapientum custodiunt eos.*

INTELLIGVNT quidam ideo virgam superbiæ esse in ore stulti, quia suo ore alios verberant, superbè se contra alios erigentes, comminantes, maledicentes & infamia aspergentes. Verum quoniam in eo quod sequitur significatur os sapientis ipsi prodesse sapienti, magis videtur, priori membro ecõtra insinuari, os stulti ipsi nocere stulto, vt iuxta aliorum intelligentiam, causaliter dictum sit. In ore stulti virga superbiæ, quia videlicet stulti superbo sermone sua efficiũt, vt merentur vt vapulent, & quia in verbis stulti est propter quod pœnas frequenter dat suæ superbiæ. Illi enim bene respondet quod sequitur, Labia autem sapientum custodiunt eos. Itaque significatur stultum suis sermonibus malum sibi accersere, sapientes vero custodire se á malo verbis & lingua, iuxta illud. Ex verbis tuis condemnaberis & ex verbis tuis iustificaberis. Quod si priorem sensum quis se Matth. 18. qui malit, intelliget in secunda parte significari sapientes sermone sapientiæ sese tueri contra linguam stultorum ne ab illa quid damni fuerant.

4 *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis.*

HEBRAEA in secũda parte ad verbum habent, & multitudo prouentuum in fortitudine bouis, hoc est prouenit viribus bouis vel bouum. Id pluribus verbis noster expressit secutus græca quę habent, *δὲ πολλὰ γενήματα φανερὰ βοὸς ἰσχύς*, id est, vbi autem plurimi fructus, manifesta est fortitudo bouis. In priori membro dictionem quam plerique vertunt præsepe (nam & hoc propriè significat) quidam Hebræorum volunt hic significare horreum vel granarium, quemadmodum ea significat, Hiere. 50. vbi pro eo quod nos legimus, Aperite vt exeant qui conculcent eã, omnes ex Hebreo iã vertunt Aperite granaria (vel penora) eius. Et hæc sanè significatio magis videtur huic loco conuenire, vt sicut secundo membro significatur, fortitudinem boum afferre plurimam annonam & horrei plenitudinem, ita priori significetur carẽtiam boum causam esse cur horreum sit vacuum. Cum vertitur præsepe, intelligẽdum est, Vbi non sunt boues. ibi non esse vnde pecora alantur, & ex consequenti, nec vnde homines. Insinuat autẽ hæc parabola imprimis ad literam agricolis dandam esse operam, vt sibi

ſibi de bobus iiſq; validis proſpiciét, per quos terram rectè excolere poſſint, ſi ex ea copioſum fructum referre velint. Deinde ſub hoc exemplo ſignificatur, omnibus laborandum eſſe qui mâducare & diteſcere velint, otiumq; ſectantibus, egeſtatem obuenturam. Item rei publicæ proſpiciendum de bonis prudentibúſque moderatorib. qui ſi deſint, reſpublica omnibus ſit bonis deſtituenda, ſi adſint, multum illi bonorum ſint allaturi ſua prudẽtia atque indefeſſa vigilãtia. Cum autem iuxta Paulum per boues in ſcripturis Eccleſiæ doctores & prædicatores ſignificentur, myſtico ſenſu hic deſignatur, horreum & præſepe dominicum quod eſt Eccleſia, vacuum eſſe ſalutari doctrina vbi non ſunt idonei doctores & paſtores, qui inſtar boum indefeſſo labore populi corda aratro verbi proſcindãt. Vbi autem illi fuerint, ibi copioſam virtutum & bonorum operum meſſem prouenire, vnde & ipſi, & ſimul cum eis populus, cœleſtem capiant alimoniam, quemadmodum ex labore boum, boues ſimul cum omnibus domeſticis aluntur. 1.Cor. 9.

5 *Teſtis fidelis non mentietur, profert autem mendacium doloſus teſtis.*

SENTENTIA hæc nimis ſimplex eſſe videtur, quam vt inter prouerbiales & altioris ſenſus referatur. Quis enim dubitat teſtem fidelem, hoc eſt veracem non mentiri, doloſum vero & mendacem (vt habent Hebræa) teſtem proferre mendacium? Aut quid id dicere, póderis hẽt aut nouitatis, ꝓpinde ſic accipienda videtur, vt quaſi notis quibuſdam deſignet & deſcribat teſtem fidelem & doloſum, vt ſit ſenſus. Si quis ſcire volet, quis verax, quis mendax, aut doloſus ſit teſtis, ſciat eum pro veraci habendum, qui non mentitur illud, pro doloſo & mendaci qui profert mendacium. Quem ſenſum magis habebit ſententia, ſi ſecunda pars vertatur, quemadmodum ex Hebræo magis deberet verti: Qui profert mendacium, teſtis eſt mendax. Nam יפיח Iaphiah, magis eſt nomen adiectiuum quam verbum, vt patet ex ſexto capite huius libri, vbi eadẽ pars ponitur cum nos habemus proferentem mẽdacia teſtem fallacem. Sunt qui intelligunt ſignificari eum qui vult haberi teſtis fidelis, ab omni mendacio alienum eſſe debere, & vt in rebus magni momenti fidem teſtificando faciat, ab omni falſitate labia ſua ſeruare debere. Nam qui ex propoſito & animi conceptu profert mendacium (talis enim propriè profert mendacium) is declarat ſe teſtem doloſum, & facit quod proprium eſt doloſi.

6 *Quærit eriſor ſapientiam & non inuenit: doctrina prudentium facilis.*

SVPERIVS de ſe dixit Sapientia capite 8. Qui mane vigilauerint ad me, inueniẽt me & de ea dicitur Sapientiæ 6. Clara eſt & quæ nunquam merceſcit ſapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat, &c. Quomodo ergo hic dicitur quoſdam quærere ſapientiam & non inuenire? Sed hoc dicitur de deriſoribus ſapientiæ, de quibus & ſapientia capite primo huius libri. Inuocabunt inquit, mẽ, & non exaudiam, mane cõſurgent & non inuenient me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. Itaq; qui longo tempore non tantum per infirmitatem, non acquieuit ſapientum ſalutaribus monitis, ſed etiam inueterata malitia obſtitit veritati & ſapientiæ, eamq; deriſit, iuſto Dei iudicio incidens in tribulationes & anguſtias atque ob id quærens ſapiens conſilium quo euadat vrgentia mala, frequenter non inuenit ſapientiam ſibi aſſiſtentem & bene conſulentem, ſed ſuis conſiliis ſinitur ſemper in peiora prolabi. Rurſum qui veritatis doctrinam irridẽt, vt faciunt hæretici & Iudæi, quantumuis ſummis ſtudiis ſapientiam verã quærant, non tamen inueniunt, tum quia malè quærunt & extra Eccleſiam vbi non eſt, tũ quia traditi in reprobum ſenſum, ſtulti facti ſunt & quaſi cæci palpantes in meridie: Item qui à iuuentute ſe totos nugis vaniſque rebus addixerunt ſapientiæ recuſantes morem gerere, ferè cum ad adultam prouecti ætatem ſeſe ſapientiæ tradere volunt, eámque percipere deſiderant, deprehenduntur difficulter eam percipere poſſe, & ægrè in ea proficere. Contra doctrina prudentium facilis pro quo Hebraicè eſt, Scientia prudenti (vel intelligẽti) eſt facilis, hoc eſt, homo prudens, qui prudentiam ſemper dilexit, & intelligentiæ ſe à iuuentute ſemper accommodauit, is facilè percipiet ſcientias quaſque & quicquid ſapienter dicitur. Proinde apud nos, illud, doctrina prudentum, non actiuè eſt accipiendum, pro doctrina quam docent prudentes, ſed paſſiuè pro doctrina & eruditione quam ab aliis prudentes percipiunt, vt ſignificetur eos facilè doceri, quomodo & Beda intellexit. Septuaginta non legerunt בקש Biccesch, id eſt, quærit vel quærunt, ſed mutato puncto imperatiuum בקש Bacceſch, id eſt, quere vnde, verterunt: Quæres ſapientiam apud malos & non inuenies, prudentia autem apud prudentes facilis eſt. Quo monemur ne quæramus ſapientiam ab illuſoribus & contemptoribus veritatis, apud quos non poteſt inueniri, ſed à prudentibus qui bene viuunt & bene credunt, & facilè inueniemus.

7 *Vade contra virum ſtultum, & neſcito labia prudentiæ.*

QVIDAM libri habent, & neſcit vel neſciet, quomodo & Beda legit & exponit. Alij habent quidem neſcito, at pro prudentiæ habent imprudentiæ. Quoniam enim impiũ videbatur, præcipere vt quis neſciat labia prudentiæ, quidam legunt, neſcit, labia prudentiæ vt verbum, neſcit, ad virum ſtultum referatur, vt ſit ſenſus, quemadmodum Beda interpretatur. Si apertè contra hominis ſtultitiam diſputando incedas, ille neſcit intelligere quæ prudenter dicis. Alij legunt, Neſcito labia imprudentiæ, vt moneamur non addiſcere imprudenter loqui ex conſortio ſtultorum

torum. At ex Hebræis patet veram lectionem eſſe, quam habent antiqui codices plerique, Neſcito labia prudentiæ. Habẽt enim Hebræa verbum ſecundæ perſonæ. Eſt autem ſenſus noſtræ lectionis. Si iueris contra virum ſtultũ, hoc eſt, ſi eidem te diſputando oppoſueris, neſcies labia prudentiæ, hoc eſt, non deprehendes in illo labia prudentiæ, nec ab illo diſces doctè prudentérq; loqui. Imperatiui ergo hic non præceptiuè ponuntur, ſed quemadmodũ alibi aliquoties, ſignificãt quid vno poſito ſecuturum ſit, vt capite 12. Verte impios & non erunt. Plerique Hebræos ſecuti vocem quam noſter interpres reddit, conrra, exponũt, procul & è longinquo, quomodo & in Pſalmo: Amici mei & proximi mei aduerſum me ſteterunt, hoc eſt, è regione mei & longe à me. Additur enim litera Mem dictioni Neged his locis, ſicut & Geneſ. 21. vbi nos habemus. Sedit è regione procul. Itaque addito relatiuo quod frequenter ſubintelligitur in ſancta lingua, ſic intelligunt & vertunt Hebræa: Vade è regione viri ſtulti, & in quo non cognouiſti labia ſcientiæ, hoc eſt, vade procul à viro ſtulto & ne acceſſeris ad eum, & procul ab omni homine in quo nouiſti non eſſe labia prudentiæ. Aut ſic: Vade è regione viri ſtulti, & pro, quia neſcies labia prudẽtiæ, niſi ſcilicet elongaueris te ab eo. Iuxta hos ſenſus quales exigit, lingua Hebræa, noſtra lectio ſic accipi debet, vt ire contra ſtultũ non ſit ſe illi diſputãdo opponere: ſed potius ſe illi non coniungere, & ab illo ſe elõgare, quomodo accipitur illud: Aduerſum me ſteterunt. Iam quod ſequitur, Et neſcito, ſic accipiendum eſt vt ſignificetur ſilendum eſſe & permittendum, vt à ſtulto iudicetur ſapiens nõ habere labia prudentiæ, quia cum illo non congreditur nec diſputat. Nam ideo putant aliqui ſtulto ſe debere opponere. Beda ex commentario videtur legiſſe, labia prudentiæ ſapientia, adiiciens ſcilicet adiectiuum ſapientia ex ſententia ſequenti, vt ea incipiat à Callidi eſt intelligere, &c. aut ex antiqua verſione 70. quæ habent: Omnia contraria ſunt viro ſtulto, arma prudentiæ, labia ſapientiæ. Pſal. 37.

8 *Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam, & imprudentia ſtultorum errans.*

DOCET hæc ſententia in quo ſapientia callidi conſiſtat verè, & in quo maximè imprudentia ſtultorum. Illa enim, inquit non in peritia & cognitione multarum rerũ conſiſtit, nõ in aſtuta diuitiarum ac honorum acquiſitione, in quibus vulgus ſapientiam & calliditatem conſiſtere putat, ſed in eo ſita eſt, vt qui intelligat viam ſuam, hoc eſt, conuerſationem ſuam & mores attendat, quomodo cum honeſtate & lege Dei conueniant, cogitétq; quomodo prudenter viam ſuã inſtituat. Qui enim hoc facit, hic vere ſapiẽs eſt & callidus, vt qui ſibi bene & hic & in futurũ proſpicit. Contra in eo maximè imprudentia ſtulti aduertitur, quod aſſiduè erret de vno vitio in alterum, nihil fixum retinens, quodq; miſere ſeducitur eligens malum, fugiens bonum, non attendens in quem tandem finem, quaſq; miſerias error hic hominem perducet. Hebræis non eſt participium errans, ſed nomen ſignificans fraudem vel dolum, vnde ſecunda pars vertitur, ſtultitia ſtultorum eſt dolus, vel ſtultitia ſtultorũ eſt intelligere dolum, vt ex priori membro repetatur verbũ intelligere, ſicq; iucundior & grauior erit partium antitheſis. Sapientia verè callidi eſt nõ cognoſcere, fraudes & dolos quibus diuitias cõparet aut proximum ſuũ callide opprimat, ſed cognoſcere viam ſuam, ac proinde quamquã ſtulti in eo maximè ſe callidos putent quod artes & rationes inueniant quib. aliis imponant, tamen verè ſtultitia eorũ maxima illa eſt quod fraudes eas intelligãt, quod eas animo aſſiduè verſant, neſcientes ſibi per has ſe pernicié adferre, iuxta illud: Lacum aperuit & effodit eũ, & incidet in foueam quam fecit. Conuenit hæc ſententia quod ad priorem partẽ attinet, cum ea Græcorum ſententia tantopere apud eos celebrata γνῶθι σεαυτὸν, id eſt, noſce teipſum, de qua prolixè Eraſmus in Chiliadibus. Pſal. 7.

9 *Stultus illudet peccatum, & inter iuſtos morabitur gratia.*

PRIOR pars huius ſententiæ intelligi poſſet de peccato ſtulti, vt ſit ſenſus, ſtultus ridebit peccatum ſuum. Lætatur enim cum male fecerit, & quemadmodum ſupra dixit Sapiẽs: Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus. Verum ob ſequentem oppoſitam partem potius conuenit accipere de peccato alieno, vt ſit ſenſus: Stultus peccatum alterius irridebit, hoc eſt, ſi quid viderit alium delinquentem, mox quaſi ipſe ab omni ſit vitio immunis, ridebit, & cum riſu euulgabit delictũ proximi ſui, atque illud omnibus loquitur, inque peiorem partem interpretatur. (Nam & hoc ſignificare poſſunt Hebræa, quæ plerique vertunt, Stultus loquitur vel interpretabitur delictum, quia verbum Hebraicum & deridere & loqui vel interpretari ſignificat) Contra inter iuſtos gratia ſcilicet erit, vel vt noſter interpres de ſuo adiecit, morabitur, hoc eſt, iuſti ſua erga ſe beneuolentia & fauore errata quæ incidunt tegent ac benigné interpretabuntur. Eſt enim & hic pro, gratia, dictio רצון Ratſon. de qua aliquoties ſupra, quæ beneuolentiam propriè & bonum erga aliquem affectum deſignat.

10 *Cor quod nouit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus.*

HEBRAEA ad verbũ ſic habent, Cor cognoſcens amaritudinem animæ ſuæ, & in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Vbi proper coniunctionem (&) plerique participium, cognoſcens, pro verbo poſitum accipiunt quemadmodũ apud Hebræos frequenter fit, vt ſit ſenſus: Cor cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ, &c. Quo ſignificatur ſolam cuiuſque mentem animi noſſe dolorem aut lætitiam. Nullus enim ſatis verbis aut factis teſtari poteſt latentem in animo mœrorem vel gaudium, neque quantumuis id teſtetur, alij illa percipere poſſunt, ita vt ipſe ea in animo ſentit. Interpres vero coniunctionem, & velut ſuperfluam quod ad ſenſum attinet,

accepit, quemadmodum frequenter superflua est apud Hebræos. Iuxta quam sententię acceptionem, bene vertit eam, & sensus commodus hic esse potest, quem etiam alij ex Hebræo reddunt. Cor quod angitur & sibi conscium est secreti mœroris, non capietur facilè solatiis quæ extrinsecus adhibetur. Verus enim animi dolor qui cor penetrat & perudit, non facilè tollitur externis blandimẽtis, atque hoc est quod dicitur, extraneus vel extraneum quid nõ miscebitur in gaudio eius quia scilicet non adferet ei gaudium, nec tẽperabit gaudio cordis mœrorem. Aliter sententia hæc intelligitur. Cor iusti quod iam solum nouit amaritudinem animæ suæ, quam hic nunc in animo perfert ob admissa peccata, ob fastidium huius vitæ & patriæ cœlestis desiderium, idipsum etiam suum gaudium quod postea sequitur, solidè possidebit, nemo id illi minuet, extraneus qui hic cum eo noluit mœroris esse particeps, nõ miscebitur etiam tunc in gaudio eius, sed & ab illo erit extraneus. Ita ferè Beda. Item Gregorius lib. 6. Moralium cap. 8. Simplicior tamen & magis genuinus est prior sensus, quem & nostra litera optimè recipere potest in hunc modũ. Cor quod solum nouit exactè amaritudinem sui animi, solum etiam sui gaudij exactè erit conscium. In gaudio eius non miscebitur sic extraneus vt illud exactè quantum & quale sit percipiat.

11 *Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt.*

PENE annotauit venerabilis Beda impiis domũ, iustis tribui tabernacula. Domus enim quæritur ad fixam stabilemque mãsionem, tabernaculi vero in peregrinatione & itinere vsus est. Igitur impiis domus tribuitur, quoniam in terra suam diligunt habitationem semper in ea manere desiderantes, in qua proinde splendidas ædes & robustas quæ durent quam diutissimè ædificant, idq; frequenter ex opibus male partis. Tabernaculum vero vel tentorium iustis tribuitur, quoniam velut peregrini hic degunt & aduenæ, scientes se non habere manentem ciuitatem sed futuram inquirentes, proinde nec in terris ædificare gaudẽt, mortales res parum curantes, quemadmodum in patriarchis eximiè patuit, qui domibus carentes, in casis habitare elegerunt tanquam peregrini & hospites super terrã, vt habet Paulus. Domus ergo impiorum delebitur (inquit Beda) quia habitationem vitæ præsentis in qua semper manere desiderant, perdent in morte, hoc quod non præuident exilium perpetuæ damnationis subibunt. Tabernacula verò iustorũ germinabunt, quia præsens eorum conuersatio, in qua incolæ sunt apud Deum & peregrini, crescentibus semper sine cessatione meritis, ad fructum vsq; suauissimum patriæ cœlestis pertingit. Rursum domus impiorum delebitur, quia eorum familia cum omni eorũ substantia quantumuis splẽdida & fixa interibit, ita vt deleatur nomen eorũ de terra, & quod coaceruauerunt ad iustos transeat, Tabernacula vero iustorum germinabunt, florebunt aut vernabunt, quia in se suáq; posteritate ex humilibus initiis, clariores semper reddẽtur. Metaphorice enim sub nominibus domus & tabernaculi, rectè intelligimus, vt & alibi, familiam cum iis siquæ ad eam pertinent. Mistice, domus impiorum Iudæorum est synagoga quæ deleta est iuxta verba Euangelij: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Tabernaculũ iustorum Apostolorum est ecclesia, de qua in Apocalypsi: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, quod germinabit sicut lilium & florebit in æternum ante dominũ.

Hea.13. Matth. 24. Apo.12.

12 *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.*

SENSVM probe satis reddidit interpres, cum ad verbum Hebræa habeant, Est via recta ante virum & nouissimum eius viæ mortis. Non habent ergo hebræa, iusta, sed recta quod magis conuenit viæ, sicut & noster vertit in eadem sententia repetita postea cap. 16. Significat autem sentẽtia esse mores quosdã & genus quoddã quod hominibus probatur tanquam iustum, & quod ad vitam rectà perdat, cuius tamen nouissimũ deducit ad mortem. Quod et quodãmodo de omnibus peccatoribus intelligi possit, quia oẽs penè suum institutũ & viuendi modum pro sua affectione rectũ & iustum iudicant (Vnde & superius capite 12. dicit: Via stulti recta in oculis eius:) tamen quia vita scelerata vix cuiquã iudicio rationis iusta videtur & recta, potius est hæc sententia applicanda eis qui singulari quodã tenentur errore, siue fidei, siue morum. Nam & Iudæorum & hæreticorũ via, videtur eis recta, & inter Christianos plerique quosdã mores probant tanquam bonos, qui tamen si in eis perseuerauerint tãdem per eos ad mortẽ perducentur æternam. Potest & applicari his qui fœlicitatẽ constituunt in bonis huius seculi, maxime si legatur, recta. Nam qui fœliciter & prospere agit in hac vita, quíq; bona huius seculi, prospero cursu sectatur, putat se tenere viam quæ recta ad fœlicitatẽ perducat, quã ex temporali tantum metitur prosperitate, cum ea via perducat ad æternam miseriam, quemadmodum in diuite euangelico demonstratum est. Docet autem hæc sentẽtia nõ nitendum esse proprio iudicio, suspectáq; habere propria aut vulgaria iudicia, doctos & sapientes audiendos, qui & quid sentiendum & quid agendum sine errore doceant. Cæterum mirari quis poterit, cur dictum sit nouissimum eius deducunt ad mortem vel nouissimum eius viæ mortis, vt habent Hebræa, & nõ potius, nouissimum eius est mors. Nam alioqui tota via deducit ad mortem. At ideò dictũ est nouissimum, quia ex fine & perseuerantia in malo sequitur mors. Et potius dixit nouissimũ viæ deducere ad mortem, vel esse vias mortis, quãuis sic dicere potuisset cum Paulo, qui ad Ro. habet: Finis illorum mors est) vt ostẽderet viam ipsam quæ recta videtur, viã esse mortis quod tamen non intelligitur nisi in fine. Nouissimum enim alicuius vel finis dupliciter dicitur. Aut quod vltima est eius pars, aut quod post ipsum sequitur.

13 *Risus*

13 *Risus dolore miscebit, & extrema gaudij luctus occupabit.*

HEBRAEA ad verbum habẽt, Et iam in risu dolebit cor, & extremũ gaudij dolor. Bene reddidit interpres, nisi quod omissa ab eo coniunctio, etiam, non caret sua emphasi. Significat enim duplex risus malum, videlicet primum, quòd (vt experientia docet) gaudium mundanum secum fere aliquã habeat amaritudinem coniunctam, tum quod nemo facilè sit, qui non cum gaudet aliquã habeat ex alia parte tristitiæ causam, tum quod si nihil aliud, in gaudio huius mundi metus quidam sit mixtus, ne mox desinat, ne prodatur, &c. Secundum, quòd vt sine dolore sit risus, tamen extremum gaudij huius seculi est dolor, & lætitia in mœrorem conuertitur. Testatur id experiẽtia in particularibus, & in generali docet scriptura eos qui ducunt in bonis dies suos, in puncto ad inferna descendere, vt est apud Iob. Monet hæc sententia non sectari gaudia huius seculi, de quibus hic est sermo vt quæ nec sint sincera, nec solida. Nã de gaudio spiritus dicit dominus: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Iob. 11. Ioan. 16.

14 *Viis suis replebitur stultus, & super eum erit vir bonus.*

PRO stultus Hebræis est, auersus corde, vel aduersum cor. At nihil significatur aliud quã ꝙ nomine stulti aut impij hoc libro sæpè significatur. Cæterum secunda pars non satis conuenit cum Hebræis, quæ dupliciter verti possunt iuxta ambiguitatem dictionis מעליו Mealaf, quæ potest significare, vel à foliis suis, vel à iuxta eum. Itaque aliqui vertunt Et à foliis suis vir bonus, scilicet replebitur vel saturabitur, vt repetatur verbum prioris mẽbri, & significetur, & stultum ex viis suis, hoc est moribus suis, & virum bonum ex suis foliis, hoc est, suis quæ profert virẽtibus operib. saturandũ, hoc est, pro suis cuiq; meritis prẽmia reddenda, & quæ seminauerit homo, hæc & messurum. Iuxta quem sensum & litera nostra accipi potest hoc modo: stultus replebitur, vel vt habent Hebræa, saturabitur viis suis hoc est, vsque ad miseram satietatem recipiet quod promeruit, at vir bonus erit super eum, hoc est, magis ipse recipiet quod promeruit, quia iustitiæ corona excedet iniustitiæ vindictam. Alij vertunt, Et à iuxta eum erit vir bonus, hoc est, vir bonus recedet ab eo, ne scilicet communi inuoluatur supplicio. Et secundum has quidem interpretationes saturari viis suis, accipitur pro recipere præmium cõuersationi correspondens, qualis phrasis frequens est in scripturis, vt & in hoc libro cap. 13. versu 2. & capite 12. versu 15. Iuxta quam phrasim etiam dicit Psalmista: Labores manuum tuarum manducabis. Et ignis & sulphur, & spirirus procellarum pars calicis eorum. Posset tamen hæc sententia etiam intelligi, de saturitate qua se impij hic replẽt, fruẽdo delitiis huius vitę ex diuitiis comparatis, vt sit sensus: Stultus qui non prospicit æterna hic saturabitur ex viis suis, & his quę sectatur, explendo ex eis animum suum, recipiens bona in vita sua, at vir bonus recedet ab eo spe meliorum bonorum terrena contemnens, aut erit super eum, quia ex suis viis melius quam stultus, & hic & postea satiabitur.

Psal. 127. Psal. 10.

15 *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.*

INNOCENTIS nomen non ponitur hic in laudẽ sicut nec astutus in vituperium, sed sicut astutus hic & alibi ponitur pro prudenti & circunspecto, ita innocens pro simplici & imperito quemadmodum & capite 22. versu 3. Nam hoc propriè significat dictio hebraica פתי Pethi, pro quo 70. verterunt ἄκακον, quod secutus noster interpres vertit innocens, cum פתי non solum innocentẽ significet, sed & minimè versutum aut callidũ. Imperitus ergo homo simplexque, ac rerum inexpertus nimis facile credit verbo cuiuis, ideóque instabilis est, & in fide sua & in actione sua, at vir prudens qui iam semel firmiter persuasus est quid verum, quid bonum sit, nõ attendit quid hic aut ille dicat, sed perpendit gressus suos, tota mentis intentione consideratque, quomodo se gerat conformiter ad legem Dei, aut vt habent hebræa, intelligit gressus suos hoc est prudenter moderatur suas actiones, nouítque quomodo eæ conueniant cum lege Dei, illudque cognoscens, nullius verbis sinit se ab instituto abstrahi, nec credit adulatoribus ipsum laudantibus, nec turbatur si qui eius facta calumnietur. Dum autem Sapiens narrat quid soleat fieri, admonet suũ filium quid facere debeat, videlicet non omnibus temere fidem habere, iuxta illud Ioannis. Nolite omni spiritui credere, & illud Pauli, non simus paruuli & circunferamur omni vento doctrinæ. Nam vt habet sapiens Ecclesiastic. Qui cito credit leuis est corde. D. Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 10. citat priorem partẽ in meliorem partem accommodans eã Iosue quòd cito crediderit Gabaonitis, quia fidelis exisitẽs, fidem esse in omnibus arbitratur. Citatur. 22. q. 4. cap. Innocens. Post hunc versum sequitur in quibusdam libris versus capite superiori etiam habitus, cũ neutrobiq; sit in hebræis, filio doloso nihil erit boni, &c.

1. Ioan. 4. Ephes. 4. Eccle. 19. Ambro.

16 *Sapiens timet & declinat à malo, stultus transilit & confidit.*

PRO transilit, legendum puto transit vel transiuit. Dictio enim hebraica hic posita significare videtur transire, nullo autem modo transilire. Vnde & Pagninus in suo thesauro, circa hanc dictionem, D. Hieronimi versionem cirans habet, transiuit nimirum quia sic in suis legit codicibus. Et verbum transiit vertit, D. Hieronymus in simili sententia postea capite 22. versu 3. cap. 27. Hæc ergo indicatur differentia inter sapientem & stultum, quòd ille intelligens siue ex scripturis siue ex prædicantium ore, mala quę manent peccatores, corripitur timore, timoréque concepto declinat à faciendo malo, stultus verò hæc nihilipendens aut etiam irridens, transit ad conceptum flagitium perpetrandum aut ꝓgreditur in sua stultitia ac peccatis, & bene confidit securúsq; est, nihil sibi metuens mali

Docet sentẽtia Sapiẽtis timorẽ esse vtilẽ, iuxta illud. Beatus homo qui semper est pauidus nimiam vero quorundam securitatem esse noxiam. Alij ex hebræo pro transit, vertunt irascitur. Nam id dictio hebraica cũ ponitur in quarta cõiugatione vt hic, in aliis locis semper significat, cum in prima coniugatione significet trãsire: Secundum quam versionẽ significatur stultum cum admonetur non solum non timere, sed etiam irasci contra eos qui benè monent, eisque contemptis securũ esse. Septuaginta pro מתעבר Mithabber, literis duabus inuersis videntur legisse מתערב Mithareb, eam scilicet dictionem, quæ est superius. In gaudio eius non miscebitur extraneus, vnde verterunt δὲ ἀφρων ἐαυθῶ πεποιθὸς μίγνυθαι ἀνδμῳ, id est, at stultus sibi confisus miscetur iniquo.

17 *Impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est.*

PRO impatiẽs Hebreis est קצר אפים Cesser Apaim, hoc est, breuis irarum, quo significatur homo velox ad irascendum & qui cito irascitur, qui ob id Græcis dicit ὀξύθυμος, id est, homo velocis iræ; sicut Hebræis homo tardus dicitur ארך אפים Ærech, apaiim, hoc est longus irarum vel tardus ad iram, qui Græcis dicitur μακρόθυμος, hoc est; longanimis. Pro vir versutus hic est rursum eadem oratio quæ supra capit. 12. versu 2. vbi nos habemus, qui autem confidit in cogitationibus suis. Significat autẽ virum cogitationum. Et cum hoc ambiguum sit aliqui in bonã partem accipiunt pro viro prudente, qui apud se tacitus multa cogitat, sicut & vir versutus, supra in bonum accipitur. Vnde quidam vertit Qui autem cum consiliis omnia agit, à stulto odio habetur. At vt patet ex superiori loco capitis. 12. magis accipiendum est in malam partem pro homine qui apud se suis cogitationibus machinatur alicui malum, iram quidem dissimulans, sed oportunitatem lædẽdi & se vindicandi captans, vnde bene vertit noster, vir versutus. Itaque duo hic cõtraria vitia cõparantur inter se, ostenditur q; vtrum sit grauius vitium ne iracũdi qui subito leui de causa ad iram concitatur, an vitiũ versuti qui irã quidem dissimulat exterius, sed internis cogitationibus tacitus apud se de vindicta agit. De illo dicitur quod operabitur stultitiam, nimirum quia is, dum rationis moderamine caret, multa stultè & effutis & facit, vnde se ridiculum facit omnibus. De isto quod odiosus est, nimirum quia nõ vt ille peccat ex infirmitate & passione, sed ex concepta malitia & tecta hypocrisi. Iste ergo significatur altero peior, vt qui non solum risum, sed & odium mereatur. Monet autem prouerbium nihil agendum, neque per iram, neq; per dolum malũ.

18 *Possidebunt paruuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam.*

DICTIO Hebraica quã noster vertit possidebunt, significat propriè hæreditauerunt, & quam nunc, paruuli, vertit, ea est quã suprà vertit innocens, quæ semper opponitur astuto. Quam autem noster vertit expectabunt, ambigua est, & nũc significat expectare, nunc coronare ac in modum coronæ circundare & circumponere, vnde secũda pars etiam sic verti potest, Astuti circumponent sibi scientiam, vel coronabunt se scientia. Nostræ ergo lectionis sensus est: Paruuli sensibus ac iudicio, hoc est, simplices imperiti & fatui veluti hæreditatem possidebunt stultitiam, quia hanc amant eique adhærent veluti hæreditario bono ac propriæ possessioni, ex qua nihil nisi dedecus reportare possunt. At cõtra, astuti, hoc est prudẽtes nihil aliud semper expectãt atque ex animo desiderant quã scientiam, scientes eam verum esse hominis bonum ac propriam possessionem in qua eius fœlicitas & decus consistit. Aut circundabũt & coronabunt se scientia, hoc est ea se ornabunt, eáque se totos induent, cupientes eam in omnibus & dictis & factis suis elucere. Qui enim veram sapientiam non assequuti, tantũ vanis huius mundi bonis delectantur, vt verè paruuli sunt sensu, ita nihil aliud quam stultitiam possident à qua ægrè diuelluntur, qui verò vera imbuti sunt sapientia, toto desiderio ad scientiam cognitionémque Dei ac cœlestium rerum feruntur, eáque velut corona ornantur & circundantur, ita vt ab eis auferri nequeat. Significatur ergo hæreditariam portionem esse fatuis, stultitiam, prudentibus scientiam.

19 *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum.*

VERBVM hebraicũ quod noster vertit, iacebũt, significat ꝓpriè incuruabũt aut incuruabuntur, humiliabũt se aut humiliabũtur. Itaq; significat hæc sentẽtia, iusta Dei dispositione ita frequenter fieri, vt impij siue propter paupertatem, siue ob cõsilij inopiam cogãtur sese deiicere & humiliare coram iustis. eorumq; domos demissis capitibus adire, vt stipem aut consilium ab eis accipiant, quos ob iustitiam & diuitiis, & sapientia Deus donauit. Item frequenter fieri, vt impij qui impietate sua iustos contẽpserunt postea, siue vexatione dante intellectũ, siue iustorũ dignitate insigniter elucescente, cogãtur mutata sentẽtia eos reuereri, ante eos procidere, ac portas ædẽsq; eorũ humiliter frequẽtare. Iuxta illud: Nõ vis aut numerus, randẽ bona causa triumphat. Quod si non semper hic fiat, tamen in futura vita magis fiet, vt patuit in diuite epulone Lazari opem tam humiliter implorante, & in his quæ impij dicunt in Sapientiæ libro, vbi inter cætera sic aiũt: Hi sunt quos aliquãdo habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorũ est. Venerabilis Beda quod hic dicitur ante bonos, & ante portas iustorum, non ad vicinitatem loci, sed ad visionem refert bonorum, vt significetur bonos malorum tormenta semper visuros, vt maiores creptori suo gratias sine fine referant, videntes coram se impios agere in æterna damnatione, iuxta illud Esaiæ. Egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Sapiẽ. 5. Esa. 66.

20 *Etiam*

20 *Etiam proximo suo pauper odiosus erit, amici verò diuitum multi.*

SENTENTIA clara est, cuius quotidiana experientia veritatem demonstrat. Significat autẽ quã graue sit paupertatis onus, & quam amœna opulentia in hac vita, simul & taxat hominum ingratitudinẽ qui perituras opes magis honorant quam naturam cõmunem. Indicat & vulgaris amicitiæ instabilitatem vt quam commodi spes parat, incommodi metus dissipat: iuxta illud Poetæ: vulgus amicitias vtilitate probat, Et: si fueris fœlix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Et Cicero lib. 4. ad Herẽnium. Vt hirundines æstiuo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simul atque fortunæ hyemẽ viderint, deuolant omnes. Potest & intelligi eo fine dicta hæc sententia vt indicet sedulitate & diligentia vitãdam paupertatem, parandásque opes. Similis sentẽtia est capite 19. versu 4. & rursum versu 6. & 7. Dicit ergo pauperem odiosum esse non solum extraneis & ignotis, sed etiam proximo suo, hoc est amico, proximo & cognato, ita vt eũ propinqui fugiant & qui prius amici erant & socij deserant. Cæterũ ne hoc vulgi iudicium & morem sequamur, commodè subiicitur.

21 *Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.*

QVI, inquit, despicit ob paupertatẽ scilicet, proximum suum, hoc est, amicum aut socium & quemuis item sibi, ob naturæ communionem propinquum, etiamsi mũdo non videatur peccare, nec aliud fac at quam quod fit vulgo, vt superiori dictum est versiculo, peccat tamen coram Deo, daturus aliquando sui peccati pœnas. Contra qui miseretur pauperis beatus erit apud Deum, qui visissim miserebitur eius, & misericordiam pauperi exibitam, & hic & posteà abundè recõpensabit. Quod autem sequitur: Qui credit in domino, misericordiam diligit vt dissimile est aliis huius libri sententiis, ita nec est in Hebræo, nec in veteribus plerisque exemplaribus, sed nec in græcis, vt mirum sit vnde huc sit asscriptum.

22 *Errant qui operantur malum, misericordia & veritas præparant bona.*

HEBRAEA aliter habent in hunc modum. Nónne errabunt fabricantes malũ? & misericordia & veritas fabricantibus bonum. In vtroque enim membro pro diuersis verbis, quæ apud nos sunt operantur & præparant, idem est participium, quod inter alia eius propria significata, etiam significat fabricare, vel arare, quod eius significatum transfertur in scripturis à labore corporali ad operationem spiritualem, vt dicatur quis fabricare vel arare malum & impietatẽ. Vnde Oseæ 10. dicitur: Arastis impietatem, iniquitatem messuistis. Est autem fabricare vel arare malum, ipsa mentis cogitatione moliri & machinari malum. Vnde capite 12. Hanc orationem interpres vertit per cogitare malum. Dolus, inquit, in corde cogitantium mala. Aut est etiam ipso opere studiose malum exercere, vt cum in Psalmo dicitur: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, aut errauerunt arãtes. Itaq; interpres hoc secutus vertit in primo membro, operantur malũ, in secundo præparant bona, explanatius id esse iudicans quã si vertisset, qui fabricant malum, & fabricant bona. Quod autem affirmatiuè vertit primũ mẽbrum, cum Hebræis sit interrogatio, ideò fecit quia interrogatio illa affirmatione vehementis habet vim, nec aliud significat, quam si diceretur. Certè errant vel errabunt. Id tantum in nostro interprete, quod ad sensum attinet, diuersum est ab eo quod Hebræa habẽt & alij vertunt, quod in nostra lectione misericordia & veritas tribuuntur homini iusto in Hebræa & aliorum versione tribuuntur Deo tanquam ea exhibente iustis. Sensus ergo lectionis Hebrææ, quæ sane conuenientior est, hic est, Sane hi qui moliuntur malum alteri, ac studiose illud inferunt, non ex infirmitate peccantes, sed ex animo, tales errabunt quia frustrabuntur suo conatu, contra suam expectationem incidẽtes ipsi in malum, quod aliis parant. Contra his qui bonum facere student continget à Deo misericordia & veritas, hoc est iustitia, quia Deus se illis pium & æquum exhibebit, pium in condonando & æquum in remunerando, iuxta illud Psalmi: Et veritas mea & misericordia mea cum ipso. Nec lõgè diuersus erit sensus nostræ lectionis, si ea sic accipiatur. Qui operantur malum, sectantur fallacia, & ea per quæ se deceptos inuenient frustrati, sua spe, qui vero misericordiam & veritatem proximis suis præstant, per hæc præparant sibi bona à Deo ipsis obuentura. Non enim quod dicitur: Errant qui operantur malum, intelligẽdum videtur de errore, ex quo omnis impietas in peccatoribus nascitur, in quẽ tamen sensum locus hic à multis accipitur, quasi idem hic dicatur quod habet Philosophus cum asserit omne malum ignorare. Nam sic hæc pars nullam habet oppositionẽ cum parte sequenti, sicut tamẽ habet si accipiatur de frustratione suæ intentionis & expectationis. Errant ergo mali, quia frustrãtur sua expectatione, imò cõtra quam expectauerunt in multa incidunt mala. Notandũ autem duo hęc in scripturis sæpe coniungi misericordiam & veritatem, hoc est, fidelitatem aut iustitiã siue hęc Deo, siue hominibus tribuãtur. Vnde est in Psalmis: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Et misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Et veritas mea & misericordia mea cum ipso. Item, Misericordiam & iudicium cantabo tibi domine. Et Micheæ 6. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium & diligere misericordiam. Neque enim misericordia perfecta virtus est sine iustitia, neque iustitia sine misericordia. Misericors est Deus in promittẽdo, iustus in pręstando, misericors in condonando mala, iustus in remunerando bona. Misericors est homo, miseris gratuito subueniendo, iustus, reddendo vnicuique quod suum est. Psal. 35. Psal. 88. Psal. 100. micheæ. 6.

23 *In omni opere erit abundantia: vbi autẽ verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.*

PLERIQVE libri habent. In omni opere bono, sed dictio, bono, abūdat: vt patet ex Hebræis & emēdatioribus Latinis. Addita est autem ab aliquo ad excludendum opus malum, quod alioquí videretur sententia non esse vniuersaliter vera, Nō est autem sermo de opere morali, virtuoso scilicet aut vitioso, sed de opere laboris. Dictio enim Hebraica propriè significat laborem & solicitudinem, vnde & Septuaginta verterunt, ἐν παντὶ μεριμνῶντι ἐνέστι περισσὸν, id est, in omni solicito est abundantia. Significatur ergo labore ac diligentia opes parari non garrulitate, quæ ad egestatē & defectum frequēter perducit, quod garruli otio ferè tempus transigi sinant. Dicit autem in omni opere & labore, hoc est, per quēuis laborem aut cuiuscunque generis opus, proueniet homini abundantia, vel vt etiam Hebræa dictio verti potest, vtilitas, quia per varia operationis genera diuitiæ parātur, per agriculturam, per negotiationem, per artificia. &c. Honestus ergo labor commēdatur vt aliis multis huius libri sententiis, ita & hoc versiculo, garrulitas otiosa condemnatur. Cæterum quod ad literam intelligitur, de laboribus corporis & corporali commoditate, mystícè de operatione virtutum accipi debet. Nam qui iuxta parabolam Euāgelij, acceptis quinque talentis operatus fuerit in eis, lucrabitur & alia quinque, omnique habenti dabitur & abundabit. Qui autem verbis tantum
Matt.22. delectantur, & de virtute tantum loquuntur, non ex animo, sed ore tenus, aut Deū tantum inuocant verborum multitudine, steriles interim in bonis operibus, ad frugem non perueniēt, defectum virtutum & gratiæ Dei patientur, & tandem egestatem sempiternam. Nō enim inquit dominus, omnis qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Habent quidem Hebræa in secunda parte, Et verbum labiorum tantum ad defectum, vel sanè ad effectum, scilicet perducit. Ad id noster elegāter planius vertit. Vbi aūt verba sunt plurima, ibi frequēter egestas.

24 *Corona sapientum diuitiæ eorum, fatuitas stultorum imprudentia.*

PRO fatuitas, & imprudentia, Hebræis eadem est dictio, ita vt Hebræa habeant, stultitia stultorum, stultitia, hoc est, nihil aliud est quam stultitia. Proinde impertinens est Bedæ & aliorum post eum interpretatio, quæ habet: Stultorum fatuitas maxima hæc est, quia improuidi æternorum, de præsentibus tantum commodis gaudent. Imprudentia enim quasi improuidentia dicitur, inquit Beda. Sensus enim est, diuitiæ sapiētum sunt corona eorū, quia scilicet sapientia in eis efficit, vt bene diuitiis vtantur, & bono vsu magnum diuitiæ ornamentum eis adferant, vt qui bene vtantur, quibus vulgus forè abutitur. Item quia diuitiæ magnam sapientibus addunt apud vulgum authoritatem, ita vt per eas admirabiles sint & suspiciēdi veluti corona insigniti, cum alioquí sapientia in homine paupere sit vulgo contemptibilis & nullius authoritatis. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Vtilior est sapientia
Eccle.7. cum diuitiis & magis prodest videntibus solem. Et vt refert Cicero in catone, Lysander ad Cyrum iuniorem dixit: Rectè te beatum ferūt, quoniam virtuti tuæ fortuna iuncta est. At stultitia stultorum nihil aliud est quā stultitia aut imprudentia, quasi dicat: alia est ratio stultorum qui nullis opibus aut externis bonis ornari possunt. Vt enim (iuxta adagiū, de quo Erasmus in Chiliadibus) simia semper simia est, etiamsi aurea gestet insignia, sic stultitia in stultis nullo modo, saltem diu tegi potest aut honestari, ne per diuitias quidem, quę si adsint, magis eorum prodent stultitiam & insigniorem facient, propter illarum abusum. Itaque stultitia illorum est semper & vbique stultitia, quia efficit vt omnia ab eis stultè gerantur, vtrq; & stultè paupertate, & stultè diuitiis vtantur. Secundum subtiliorem sensum per diuitias sapientum intelliguntur eorum virtutes & prudentia, quę eorū sunt proprię diuitiæ, cum alias habeant cum stultis communes, nec eas pro diuitiis reputent, imò & plerunque non habeāt, nec habere velint. Hæ autem eorum propriæ diuitiæ verè eos exornant & veluti corona insigniunt, reges eos efficiendo coram Deo & regum magistros. At stultitia stultorum quæ eorum est, vt supra dicitur, possessio, nihil aliud quàm stultitia, nihil aliud q̄ stultos eos facit & ignominia afficit.

25 *Liberat animas testis fidelis, & profert mendacia versipellis.*

IN secunda huius sententiæ parte, aliquid ex priori membro est addendum, sicut & in priori aliquid subticetur ex posteriori intelligendum, vt frequenter fit in parabolicis istis sententiis. Istud enim est quod Sapiens significare voluit: Testis fidelis, fideli veracíq; suo testimonio, liberat animas, at cōtra versipellis vel vt est hebræis, dolosus, scilicet testis, profert mendacia, proferendóque mendacia opprimit & occidit animas. Cum enim dicitur proferre mendacia, nomine mendacij nō tantum significantur quæ falsa sunt, sed quæ decipiunt, fallunt & fallendo afficiunt alium damno. Ita enim de mendacio sępè loquitur scriptura. Sic mendacia profert versipellis, etiā cum vera loquitur per quæ decipere molitur. Et habet hæc sententia veritatem ad literā, in testimonio vulgari, quo de facto aliquo quispiam testatur, siue apud iudicē siue apud quoscunque homines in publico vel in priuato. Qui enim videlicet de factis dictísque alicuius testatur, & rem vt se habet indicat, frequenter liberat animas, hoc est, homines qui iniustè opprimuntur. Liberat autē ab imminente morte, ab intentata calūnia & iniuria, ab infamia, & quauis iniusta oppressione, à quibus dum vnum aliquem liberat, nō vnā tātum animam liberat, sed multorum, vt totius familiæ eius & amicorum eius, qui cum illo ignominia aspergerentur, vt bene dictum sit, liberat animas testis fidelis. Contra qui falsum perhibet de re testimoniū, animas opprimit, quas vel hæreditate & facultatibus, vel vita, vel honesta deniq; fama priuat. Haber prætera secundū spiritualiorē intelligentiā hoc sententia veritatem in testimonio

doctorum & prædicatorum ex quo maius vel commodum prouenit vel incōmodum. Qui fidelis est veritatis diuinæ testis & annunciator, fideliter testimonia ex sacris eloquiis proferens, & ecclesiasticam veritatem astruens, liberat animas auditorū ab erroribus ac morte ipsa spirituali. Qui verò subdolo ingenio scripturas nouit versutè ad omnia quæ vult torquere, falsum ex scripturis profert intellectum, errorémque suum spargit in populum, quales sunt omnes hæretici, miserè animas hominum occidit & interimit. Ostendit hæc sententia, quam ingens bonum ex testimonio veritatis sequi soleat, & rursum quā grande malum ex testimonio falso, vt hinc intelligamus nihil esse laudabilius quam veritatem defendere, & contra nihil odibilius quam sit falsus testis. Intelligamus item diligenter despiciendum quos in testimonium nobis eligamus aut ascisćamus.

26 *In timore domini erit fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes.*

FIDVCIA fortitudinis dupliciter exponi potest. Primum actiue vt sit sensus: Fiducia quam habet fortitudo, hoc est fortitudo hominis vel homo ipse non debet habere fiduciam in seipso, & si vera est fortitudo non confidit in seipsa, sed in timore domini sperans se prævalere posse per Deum, quoniam scilicet timet illum eiusque offensam cauet. Quod secutus quidā vertit, In domini metu tua est potentia. Pro fiducia enim verti etiam potest ex hebræo, securitas. Secundo accipi potest passiuè, pro fiducia quæ habetur de fortitudine vel fiducia habendæ fortitudinis, vt sit sensus. Per timorem domini erit homini fiducia fortitudinis obtinendæ, hoc est, confidet homo se fortem fore. Per timorem enim domini confidit homo se Deum habere propitium, & proinde per illum se fortē fore ad quæuis agenda, beneq; munitum contra oēs inimicos suos & omnia mala, iuxta illud Psal
Psal.58. mistæ. Fortitudinem meam ad te custodiam. Atq; huic intelligentię magis conuenit quod sequitur. Et filiis eius erit spes. Vbi relatiuum eius, (quod Beda refert ad timorem domini, vt sit sensus, filiis timoris domini, secundum quē sensum idem significabitur vtraq; parte) magis debet referri ad id quod rectè significatur in parte præcedente, nempe ad timentem dominum. Significatur ergo non tātum timenti dominum bene esse, qui per timorē domini bonam habet fiduciam fortitudinis, sed & filiis eius, propter patris merita, bonam esse spem apud Deum, quod ab eo protegentur & beneficiis afficientur, quemadmodum patuit in filiis Abrahæ, Isaac & Iacob, in posteritate item Dauidis, quibus Deus propter patriarchas & Dauidem benefecit. Discant hinc hæretici Christianos bene confidere de Dei gratia propter sanctorū patrum precedentiū merita, ac virtutem non tantū pertingere ad eum qui facit, sed & ad posteros eius. Sic ergo relatiuum, eius, hic refertur ad adiectiuū sub-
Ioan.8. stantiui, timor, sicut apud Ioannem refertur ad substantiuum adiectiui, cū dicitur: Diabolus est mendax, & pater eius, nępe mendacij.

Iansf. in Prouerb.

27 *Timor domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.*

ALTERA hic subiicitur timoris domini commendatio, quod scilicet nō tantum sit in nobis fons fortitudinis, sed & vitæ, idémque iisdem verbis hic tribuitur timori domini, quod suprà legi sapientis in capite 13. versu 15. quanquam vtrobique rectius verteretur secunda pars, ad declinandum à laqueis mortis. Benè autem idem iam timori domini tribuitur, quod supra legi, quia lex non adfert vitam nisi per timorem domini ex lege conceptum, qui sicut rectè frequenter dicitur in scripturis, initium sapientiæ, ita & iam rectè dicitur fons & origo vitæ, qua euaduntur laquei mortis.

28 *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.*

IN Hebræo secunda pars habet, & cum non fuerit populus contritio vel terror est principis, hoc est, ex defectu populi princeps formidat & frangitur animo & imperio. Sensus tamen eodem redit. Docere enim vult Sapiens gloriam regum non in magnis opibus aut castellis & propugnaculis consistere, sed in multitudine subditorum, qui lubenter illorum pareant imperio, in illis opes, in illis vires regni constituendas, per illos regnū bene stabiliendum & muniendum. Et contra illorum defectum diminutionem, ignominiam ei & formidinem allaturum, quātumuis alioquí habeat quod in hac vita splendidum ac magnificum, & ad tutelam imperij firmum videatur. Proinde subindicat regibus & principibus præcipuam operam dandam, vt comitate, clementia, & iustitia tales se exhibeant, vt & sui lubenter eis pareant, nec ab eius regno improbitate commoti discedant, & exteri quoque fama nominis exciti ad regnum eorum commigrent. Pulchrè idem docet colloquium Neronis & Senecæ in Octauia, vbi inter cætera sic habetur. N. Ferrū tuetur principem. S. Melius fides. N. Docet timeri Cæsarem. S. at plus diligi. N. Metuant necesse est. S. Quicquid exprimitur graue est. N. Iussíque nostris pareant. S. Iusta imperia secūdum sensum spiritualem monet hæc sententia, eis qui Dei Christíque gloriam ex animo quærunt, maximè laborandum in hoc vt quamplurimos illi lucrifaciant, & ad obedientiam eius adducant.

29 *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia, qui autem impatiens est exaltat stultitiam.*

MAGNA patientiæ commendatio, per quam fit, vt sapiens quis esse cognoscatur, sicut contra impatientia hominis stultitiam eius declarat. Vnde in Ecclesiaste dicitur: Ne sis velox ad irascendum, quoniam ira Eccle. 7.
in sinu stulti requiescit, hoc est, stulto propria est, quemadmodum & supra hoc capite dictum est: Impatiens operabitur stultitiam. Qui ergo patiēs est, vel vt habent Hebræa, qui tardus est ad iram, is declarat se multa gubernari sapientia, per quam scilicet suis passionibus prudenter cēperat. Aut vt habent Hebræa,

multus est intelligentia, vel multæ est prudentiæ, quod idem est cum nostra lectione, quanquam posset etiam intelligi, eum qui tardus est ad iram, facilè percipere & consequi multam prudentiam & intelligentiam. Nam quẽadmodum impedit ira animum ne possit cernere verum, ita per mansuetudinem & animi quietem, mens magis est sapientiæ capax, vnde monet Iacobus, In mãsuetudine suscipite insitum verbum. Iacob. 1. Qui autem impatiẽs est, aut vt habent Hebræa, qui breuis est spiritu, hoc est, qui cito commouetur animo, velociterq; ad iram impellitur, exaltat stultitiam suam, hoc est, eam perspicuam & manifestam facit, quæ alioqui occulta & incognita esse poterat. Quod enim in altum tollitur, omnibus conspicuum fit. Aut exaltat stultitiã suam, hoc est magnam ostendit stultitiam, sicut contra qui patiens est, multam ostendit prudẽtiam. Non est enim Hrbræis stultitiam suam, sed tantum stultitiam. Iuxta hunc sensum verterunt septuaginta, μακρόθυμος ἀνὴρ πολὺς ἐν φρονήσει, ὁ δὲ ὀλιγόψυχος ἰσχυρῶς ἄφρων, hoc est, longanimis vir multus est in prudentia, at pusillanimis est fortiter insipiens. Sicut enim non est simplicis prudentiæ iram cohibere, sed eximiæ, ita insignis est stultitiæ facilè irasci. Irã enim furor breuis est, inquit Poeta.

30 *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium, inuidia.*

SICVT præcedens sententia auocat ab ira, ita hæc à cognato iræ vitio, inuidia. Sanitas, inquit, cordis, hoc est, mentis ab omnibus passionum morbis liberè conueniens status & bona dispositio, non tantum animæ prodest, cui multum prodest ad contemplationem veritatis, sed & corpori, quia est vita carnium, hoc est, corporis: efficit enim vt corput sit vegetum, viuax & sanum. Conrra inuidia non animæ tantum nocet, sed est & putredo ossium, ac tabes omnium etiam internorum & solidorum membrorum corporis. Cui consonat illud Poetæ: Inuidus alterius macrescit rebus opimis. Cum autem non tantum inuidia sanitati cordis contraria sit, sed & reliquarum passionum intemperies, illam tamen solam sanitati cordis opponit Sapiens, quod ea præcipua sit, quæ animi tranquillum & conuenientem statum perturbet, ea quæ diu & animo simul & corpori maximè noceat: Pulchrè mali huius excellentiam Gregor. prosequitur D. Gregorius libro quinto moralium capite vltimo, vbi locum hunc etiam tractans, sicut & in tertia parte pastoralis curæ, admonitione vndecima, subtiliori intelligentia, carnes & ossa, sanitatẽmq; cordis mysticè exponit, sic vtrobique scribens, quemadmodum ex eo Beda est mutuatus in cõmentariis. Inuidia cum mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit benè gesta consumit. Vnde bene per Salomonem dicitur. Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia. Quid enim per vitam carnis nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa, nisi fortia facta signantur? Et plerunque contingit vt quidam cum vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona, intus inuidiæ pestilentia latenter tabescant. Bene ergo dicitur. Vita carniũ sanitas cordis, si quia mentis innocentia custoditur, etiam si quæ foris infirma sunt, quandoq; roborantur. Et rectè subditur. Putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium, ante Dei oculos pereũt etiam fortia acta virtutum. Hæc ille, intelligens per cordis sanitatem innocentiam mentis, animũmque nullis grauibus peccatis pollutum. Secundum quam intelligentiam etiam aliter hæc spiritualis sanitas cordis, est vita carniũ, quia sicuti peccata quæ morbi sunt animæ, Dei iudicio sæpè sunt causa morborum corporalium, ita & animæ sanitas meretur & obtinet à Deo corporis sanitatem. Verum hic sensus est alienus à intẽtione sapientis. Illud annotandum, in priori membro fieri mentionẽ carniũ, quæ infirmiores sunt hominis partes in secũdo, ossium, quæ sunt partes solidiores, vt intelligamus sanitatem mentis etiam infirmioribus & tenerioribus partibus corporis vitam vigorẽmq; cõferre, inuidiam verò etiam rebustissimas corporis partes inficere & corrumpere. Similes obseruat D. Gregorius secũdum spiritualem sensum quem prosequitur.

31 *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum qui miseretur pauperis.*

PRO calumniatur, dictio Hebraica nõ tantum significat, falsis aliquem criminibus impetere, quod propriè Latinis est calumniari, sed generaliter significat opprimere aliquẽ ac quauis iniuria siue verbis siue factis illata quempiam afficere. Atq; in ea significatione & hoc loco & frequenter postea in hoc libro sicut & in aliis scripturis vsus est verbo calũniandi noster interpres, & cum dicitur capite 28. Vir pauper calumnians pauperes, &c. Et hominem qui calumniatur animæ sanguinẽ, &c. Et capite 22. Qui calumniatur pauperẽ vt augeat diuitias suas, &c. Sic in Psalmis, Non calumnientur me superbi. Psal. 118. Et ne tradas me calumniantibus me. Sicut autem verbum calũniatur, hic non propriè accipitur, ita nec verbum, exprobrat. Propriè enim exprobrare est improperare quidpiã, quę significatio nec Hebraicæ dictioni, nec sensui cõuenit. Non enim significatur calũniatorem pauperis, quidpiã improperare Deo. Sed significat dictio Hebræa, probro afficere & dedecore, quæ significatio sensui optimè cõgruit. Itaq; & hoc loco & simili, qui est capite 17. cũ dicitur: Qui despicit pauperẽ, exprobrat factori eius, cõpositum exprobro pro suo simplici probro, quod est probris afficere & parũ in vsu est, positum est. Et est sensus: Qui iniuria afficit egentem, probro afficit factorẽ eius. Quod intelligi posset ob id dictum, quia qui hoc facit, sic se habet quasi Deum cui cura est pauperis nõ timeret, aut quasi Deo non sit cura tuendi pauperis, cũ sit ei cura omniũ quæ fecit, & de eo sit scriptum: Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Psal. 9. Sed ideo magis hoc dicit, quia qui peccat in creaturam, peccat in creatorẽ eius, eumque dedecore afficit, quod eius creaturam & opus contemnit, ad quod si-gnificandum dicit, factorem eius. Neque verò Deum tantum dicit factorem pauperis ratione naturæ sed etiam ratione conditionis & paupertatis, iuxta illud: Paupertas & honestas à Deo sunt, Et; Diues & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est dominus. Itaque Eccli. 10. Prou. 2. qui iniuria afficit pauperem, dehonestat etiã Deum tanquam authorem paupertatis eius, quia ab ea conditione accipit opprimendi occasionem quæ conditio à deo iusto & occulto eius iudicio profecta est, declaratq́ue se non agnoscere Dei mirabile iudicium, quo in hoc mũdo, etiam præter peculiare meritum hominum quibusdam paupertatẽ immittit, aliis diuitias largitur. Contra, qui miseretur pauperis, honorat Deum, non solum quia vices dei agit subueniendo pauperibus, quorũ cura peculiariter Deo relicta est, sed multo magis quia beneficium creaturæ impensum cedit in honorem creatoris, quem ille se magnifacere declarat, qui eius operi benefacit & succurrit, in quibus ope indiget. Rursum, quia talis declarat se reuereri Dei iudicium, quo pauperes diuitibus commiscet, vt hi ab istis iuuentur. Efficacissima hæc est sententia, siue ad coercendam vim potentium, siue ad excitandos peiorum animos ad beneficentiã pauperũ. Nam honore diuino nihil antiquius habere debemus, contra, Deum opprobrio afficere, vel dictu horrendum est. Aliter magis euangelicè. Qui opprimit egentem, probro afficit factorem eius, honorat autem qui miseretur pauperis, quia Deus sibi factum imputat, quod pauperibus, siue bene, siue male impenditur, iuxta quod ipse dicit in Euangelio; Matt. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis. Sic & posteà dicit Sapiens: Fœneratur domino qui miseretur pauperis.

32 *In malitia sua repelletur impius, sperat autem iustus in morte sua.*

PRO repelletur dictio hebraica magis significat, impelletur aut propelletur, secũdum quam significationem conuenientissimè significabitur impium per suam malitiam impellendum, ita vt nunquam sit securus aut stabilis, sed animo semper sit intranquillo, exagitante illum conscientiæ remorsu, & ad quæuis vitia rapiatur, impellente eũ passionum ipsius ac malarum suggestionum flatu, ac diuinæ iustitiæ dispositione ex vno infortunio impellatur in aliud. Hoc enim est quod Psalmus primus cõparat impium pulueri, quẽ proiicit ventus à facie terræ. Et alio Psal. 34. loco: Fiant, inquit, sicut puluis ante faciẽ venti, & angelus domini coarctans eos, vel vt habent Esa. 57. Hebræa, impellens eos. Ideo & Esaias: Impios dicit esse quasi mare feruens quod quiescere non potest, nec esse impiis pacem. Huic sensui bene conuenit quod opponitur, sperat autẽ iustus in morte sua, hoc est, Cum impius per suam malitiam semper impellatur vt nunquam vsquam sit securus, contra iustus etiam in morte sua, cum maximè metuere soleant homines, bene confidit & securus est. Potest nostra litera & sic intelligi. Impius ob malitiam suam repelletur à spe cuiuscunque boni post hanc vitam, aut à conspectu domini, abiiciendus mox in æternam damnationem. Iustus autem vel maximè in morte sua sperat, quam scit esse finem omnium quas hic patitur miseriarum, & post quam se vitam æternam consecuturum confidit.

33 *In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet.*

QVIDAM libri non habent quosq; sed quoque, nec vtro modo verterit interpres, ex hebræo colligi satis potest, nec ad sensum multum facit. Hebræa habent, & in medio stultorum cognoscetur, scilicet sapientia. Quod noster interpres intellexit significatum, sapientiam requiescentem in corde prudentis, cognoscendam tamen inter stultos, per eruditionem & doctrinam prudentis, cuius est thesaurum, quem habet non abscondere, sed indoctis & imprudentibus communicare, eosdemq́ue suam sapientiam docere, vnde bene vertit, & indoctos quosque vel indoctos quoque erudiet ipsa scilicet sapientia. Septuaginta aliter legerunt quam iam habent Hebræa, videlicet cum negatione, vnde verterunt ἐν δὲ καρδίᾳ ὁ δία γινώσκεται, id est, in corde autem stultorum non cognoscetur. Quos secutus quidam vertit, in insanorum pectoribus ignoratur. Alij inter quos Pagninus, in Hebræo significari intelligunt sapientiam sic requiescere in corde prudentis, vt non temerè neque iactanter sese prodat, sed opportuno tantum tempore. Contra verò à stultis, si quod sapientię verbum habent, illud statim cum iactantia profundi & ostentari, nec habere apud eos locum sicut apud sapiẽtes, illud quod suprà dicitur, sapientes abscõdunt scientiam.

34 *Iustitia eleuat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

SENTENTIA clara est secundum nostram lectionem, docens iustitiam si in gente aliqua vigeat, extollere illam & celebrem magnámq; reddere. Contra peccatum causam esse vt populi alicuius regni variis afficiantur miseriis & calamitatibus, vt ne fortuito hæc accidere putemus, sed ex iusta Dei mundum gubernãtis distributione, discántq; principes præcipuam sibi curam habendam, vt iustitia in regno obtineat, si bene velint suo regno. Veritas huius patet ex scripturis in gente Iudaica, quæ quamdiu iustitiam coluit, floruit & præualuit hostibus suis, peccatoq; passim præualente multis obnoxia miseriis facta est. Cæterum Hebræa secundam partem sic habent ad verbum, Pietas (vel misericordia) populorum peccatum. Est enim hic nomen חסר Hesed, quod proprie significat misericordiam, beneficentiam ac pietatem. Itaque intelligit quidam pietatem populorum dici peccatum, quia omnis beneficentia infidelium, vt ipse vult, peccatum est, iuxta illud Pauli: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom. 14. At præterquam quod hæc sententia simpliciter asserta parum probabils est, quia possunt infideles quædam agere sine peccato, vt

docet

docet D. Thomas in secunda secundæ quæstione 10.articu.4.non conuenit satis hæc intelligentia priori parti, vt cui nec opponitur, nec cómune quid cũ ea habet,sicut nec aliorum expositio,qui per pietatem populorũ significari intelligunt culturam idolorum,quæ manifestè peccatũ est,ideo alij peccatũ hic accipiunt,vt frequenter in lege Mosaica,& apud
2.Cor 5. Paulum,cum dicit Christum factum pro nobis peccatũ,pro,hostia pro peccato, vt sit sensus: Misericordia & benignitas quam Populi exercent sunt coram Deo veluti sacrificium
Heb.13. pro peccato,iuxta illud Pauli.Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Itaque quidam vertit. Populorumq; benignitas est placulũ, hoc est,peccata expiat. Alij dictionẽ חסד Hesed accipiunt iuxta aliam eius significationem quam habet Leuitici 20.vbi, Diuus Hieronymus vertit, rem nefariam, alij probrum vertunt, vnde & posteà capite 25. ab hoc deriuatum est verbum quod D.Hieronymus vertit insultare, alij probris afficere.Itaque vertunt hic. Et opprobrium gentium est peccatum, hoc est,Sicut iustitia gentis extollit eam & clara facit,ità contra,peccatũ est opprobrium populorum, ignominiaque eos afficit.Atque hoc secutus videri potest diuus Hieronymus vertens, Miseros autem facit populos peccatum, nisi potius pro Daleth litera legit literã Resc ei valde similẽ,hoc est, חסר Heser(quod defectum & penuriam significat) pro Hesed. חסר Nam Heser legisse etiam videntur Septuaginta qui habent ἐλαττοῖσι δὲ φυλὰς ἁμαρδία, hoc est, diminuunt autem nationes peccata.

35 *Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis fust inebit.*

AD verbum Hebræa habent: Beneplacitum Regis erga seruum intelligentem, & indignatio eius erga pudendum.Vnde patet sensum benè reddidisse nostrum interpretem.Monet sententia sapientiæ operam dandam,vt quæ regibus homines commendet,& sine qua iram regis experturus est qui in eius ministerium & seruitutem assumptus fuerit. Mystico sensu monet, vt vero regi Christo,
Math.15. prudentia nos commendemus, vt nobis ab eo dicatur:Quia super pauca fuisti fidelis,supra multa te constituam, & non cum inutili seruo proijciamur in tenebras exteriores.

CAPVT XV.

RESPONSIO mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.

INSIGNIS sententia artem docẽs qua indomita alioqui fera cicuretur & mansuescat.Si quis inquit irato suauiter & benigne respondeat, comiter & honorifice eum compellans & placidis vtens verbis,huiusmodi mollis responsio
2. Reg. 25. frãgit accensam aut commotam iram.Exemplum habemus de Abigail.Contra sermo durus,hoc est acerbus etiam iacẽtem & sopitam iram sic suscitat vt furor fiat. Mollis enim responsio minuit iræ materiam, & cõtra sermo durus auget, cuius exemplum habemus in Roboam. Ira enim nascitur ex superbia alte- 3. Reg. 12.
rius,aut iniuria vera vel reputata.Habent quidem hebræa non frangit iram, sed reducit iram,aut retrahit,sed hoc non est aliud quam frangere iram. Habent item nõ sermo durus, sed sermo doloris aut tristitiæ, hoc est sermo dolorem infereps, & vt habent Græca λυπηρὸς hoc est molestus & tristis,at hoc item non est aliud quam sermo durus, quem noster interpres pulchrè opposuit responsioni molli.Obseruanda est apta metaphora, qua indicatur iram instar flammæ excitatam ascendere, si quis verbis durioribus & asperis veluti follibus sufflet.Nam pro suscitat,Hebræis est,ascẽdere facit. Porro quod hæc sententia ad literã indicat de conditione iræ humanæ,idem mystico sensu intelligendum de ira diuina. Nam & hanc frangit responsio mollis, hoc est, humilis confessio redarguenti nos reddita, vt patet in Dauide, qui prophetæ redarguenti respondens:Peccaui,mox audire meruit, Domi 2. Reg. 12.
nus quoque transtulit peccatum tuum. Contra sermo durus eorum qui arguenti resistũt, maiorem iram districti iudicis prouocat, vt patet in Saule qui Samueli se corripienti duriter respondens.Imo auditui vocem domini, 1. Reg. 15.
&c.audiuit se abiectum à regno Israel.

2 *Lingua sapientum ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam.*

ALTERAM linguæ commendationem & vituperationem hæc sententia continet, quam vt intelligamus rectè versam ab interprete, sciendum Hebræa pro ornat scientiam,habere, ad verbum benefacit scientiæ, aut pulchram facit scientiam. Benefacere autem scientiæ, aut eam pulchram facere, non est aliud quam eam decorare & ornare, proinde melius noster vertit, quam alij qui habent, Pulchrè vtitur scientia. Ornat autem scientiam lingua sapientum, qui eam debito & tempore & loco & modo proloquitur, quibus rebus fit vt pulchra auditoribus scientia appareat,grataque eis sit, cum alioqui obscura sit, & ab indoctis stultisq; hominibus capi non possit. Quod enim ad tempus attinet, posteà dicitur capite 25.Mala aurea in lectis argenteis,qui loquitur verbum in Eccl. 20.
tempore suo. Contra verò vt dicitur in Ecclesiastico:Exore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit eam in tempore suo. Modus autem dicendi quantum faciat ad scientiæ decorem, quotidiana docet experientia. Cum autem lingua sapientum sic ornat scientiam, contra, os fatuorum ebullit, vel vt habent Hebræa, eructat aut scaturire facit stultitiam,hoc est,è plenitudine stulti cordis abũde & assiduè nihil aliud profundit quam stultitiam,ita vt etiamsi quid sapiens loquatur,tamen hoc ipsum stultitia fiat, quia non debito tempore & modo profertur.Duo ergo notantur & vituperantur in ore stultorum, nempe & loquacitas, quam indocti & fatui ferè affectant, omnibus quod in animo habent ingerere studentes, nec se continere valentes, sed semper instar scaturiginis profluentes: & stultitiam, quam sua loquacitate assiduè

fiduè & copiosè ostentant. Agnoscere istud licet peculiariter in hæreticis nostri temporis,qui indefesso labore nunquam desinunt, tum scribendo,tum prædicando omnium auribus & oculis suam ingerere impietatem & errorem, nihil aliud ferè semper & vbique quam sua inculcantes.

3 *In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos.*

NIHIL est quod omnibus magis persuasum esse conueniat, quam vt habet Pau-
Heb. 4. lus, Omnia nuda & aperta esse oculis Dei, hoc est diuinæ cognitioni, nec aliquem esse locum quamtumuis secretum aut remotum quo non penetrent & clarè omnes & omnia prospiciant oculi domini. Id enim cognoscere multum valet,& ad consolationem bonorum,& ad terrorem malorum, ne vel illi se à Deo negligi putent,vel hi impune se peccare existiment.Est autem & hæc sententia in Hebræo bimembris, quamuis apud nos id non ita videatur. Non enim est in Hebræo verbũ contemplantur,sed participium,hoc modo, In omni loco oculi domini, subaudi verbum sunt,Deinde sequitur,contemplantes malos & bonos:ita vt priori membro significetur oculos Dei ad omnia pertingere loca,secundo eosdem ad omnes pertingere personas hominum.Quod etiam in nostra litera significabitur,si post oculi domini fiat punctulus, & subaudiatur praticipium, oculi domini existen-
Psal. 10. tes in omni loco,Conuenit cum illo Psal. Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum & impium.

4 *Lingua placabilis lignum vitæ:quæ autem immoderata est,conterit spiritum.*

HEBRAEA habent.Sana lingua vel sanitas linguæ est lignum, vitæ, & peruersitas in ea contritio in spiritu, hoc est, in qua autem lingua est peruersitas ea adfert spiritui contritionem & vt noster habet, conterit spiritum D.Hieronimus vertit lingua placabilis,siue volens explicare quam intelligeret linguam sanam,placidam scilicet & pacificã quæ dolores curat, iram mitigat, ac dissidia tollit,siue quia dictionem מרפא Marpe,nõ à verbo רפא Rapha per alpha in fine,sed à רפה per he in fine deduxit,quomodo eandem dictionem plerique accipiunt superiori capite vbi pro eo quod nos habemus vita carnium sanitas cordis, quidam hebræos secuti vertunt, vita carnium, lenitas cordis, vel cor lene. Significat enim ea dictio sic deducta lenitatem & lenem,quod non est diuersum à placido & placabili,Si ergo intelligatur sana lingua,generaliter significatur linguam sapientum quæ capite 12.dicebatur sanitas vel sana esse veluti arborem vitæ quæ erat in medio paradisi largiens immortalitatẽ,quia cum sit in seipsa sana nec obnoxia sit morbis linguæ quæ sunt loquacitas,falsitas,prauitas,& id genus alia,ac proinde nõ nisi salubria proferat, vitam,vigoremque auditorum mentibus ingenerat.Contra peruersa lingua spiritum auditorum conterit, quia cum conturbat,dolorem aut tristitiam,aut iram ei immittens, aut quia suæ doctrinæ peruersitate eius bonum statim euertit.Si verò peculiariter intelligatur lingua placida,placabilis,lenis & pacifica quæ species est linguæ sanæ, & hæc est quasi lignũ vitæ animos hominum recreans,vegetans:& à mortiferis iræ doloris aliorúmq; malorum passionibus liberans.Quæ vere immoderata est in dicendo,hoc est feruentior quã decet, modũ in increpãdo nõ seruãs, sed vel in vehemẽtia & clamorib.vel in multitudine verborũ excedẽs,cõterit animũ hominis,quẽ pusillanimẽ reddit aut exacerbatũ atq; cõmotũ,euertẽs ac frãgẽs eius bonã cõstitutionẽ. Idẽ ergo penè aut simile hæc sentẽtia secũdũ nostram lectionem habet & docet quod prima huius capitis.

5 *Stultus irridet disciplinam patris sui,qui autem custodit increpationes,astutior fiet.*

FREQVENTER hoc libro sapiens variis sententiis,ad increpationes benignè suscipiendas inuitat,nec mirum, cum sciret nihil magis noxiũ esse hominibus quam quod rectè monentes parentes, & prædicatores audire nolint, eorũmque increpationes ferre recusent.Quod ne imitemur,sapiẽs stulti esse dicit irridere, aut vt habent Hebræa execrari disciplinam,hoc est,castigationem patris sui eum vero qui custodit & obseruat increpationes paternas, ita vt eas habeat præ oculis, & iuxta eas se corrigat,fieri astutiorem hoc est, prudentiorem quam prius erat, quia pereas mala in quæ aliquando incidit, futuro cauebit tempore.Nõ habẽt quidem Hebræa astutior fiet per comparatiuũ, sed tãtum astutus erit, nec tamen malè noster comparatiuum vertit secutus Septuaginta,qui habẽt πανουργότερος,id est,callidior,quia cũ dicitur erit astutus,nihil aliud significatur,quam quod cõtra reciduum prudentior fiet.

6 *In abundanti iustitia virtus maxima est, cogitationes autem impiorum eradicabuntur.*

HVNC versum nec Hebræa habent, nec pleraque vetera exemplaria Latina, habent tamen Græca quamquam diuerso modo, quod ad secundam attinet partem. Sic enim est Græcè ἐν πλειονάζουσι δικαιοσύνη ἰσχὺς πολλὴ, αἱ δὲ ἀζεβεῖς ἐκριζωθήσονται ἐκ γῆς ὑπάρξεως, id est, in abundanti iustitia fortitudo magna est, impij autem radicitus è terra peribunt.Vnde patet virtutẽ hic non accipi vt opponatur vitio, sed pro fortitudine significatũq; hominẽ per copiosam suam iustitiã magnam habere fortitudinẽ,quoque iustior fuerit eo plus habere roboris & firmitatis contra vitia & hostes virtutis, contra iram diuinam à qua non commouebitur.Contra vero impij qui se putant in terra firmiter radicatos, penitus & radicitus è terra perdentur, dum post mortem nihil habebunt reliqui in quo subsistant & fœlices sint.Ita & cogitationes eorũ eradicabuntur,quia quicquid adimplere cogitauerunt, siue ad propriã voluptatem,siue ad innocentum oppressionem, non diu subsister, sed impedietur,omni eis adempta facultate perficiendi.

7 *Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio.*

NON dissimilis est hæc sentẽtia superiori versui, ita vt videri possit versus ille fuisse alicuius Græci hanc sententiam sic vertentis. Est autem breuitatis causa parobolicè dictum, Domus iusti plurima fortitudo, pro domus iusti plurimam habet fortitudinem, quamquam hebræa etiam verti possint, Domui iusti, vel in domo iusti, multa est fortitudo. Pro fortitudine quidam vertere malunt, diuitias, eo quod in secũda parte fiat mentio fructuum & prouentuum impij. Nam dictio hebraica & fortitudinẽ significat & opes, sed ideo Pagnino teste, diuitias quoque significat cum propriè signi ficet fortitudinẽ, quod diuitiæ sint fortitudo hominis. Vnde suprà capite 10. & infra capite 18. dicitur: Substãtia diuitis, vrbs fortitudinis eius. Proinde nihil vetabit & apud nos fortitudinem pro diuitiis accipere, nisi malimus fortitudinem domus iusti, opponi cõturbationi quę est in domo & fructibus impij. Sensus ergo est: In domo, familia, & bonis iusti est multa fortitudo, iustitia scilicet iusti & diuina gratia domum eius protegente ac roborante contra omnia mala. At contra, in fructibus & prouentibus impij nõ est fortitudo, nulla firmitas, sed turbatio & commotio ob multa infortunia quę ex diuina vltione incidunt, ac fœlicitatem impij conturbant & euertunt. Item in domo iusti multa est animorum fortitudo, ita vt inconcussa mente fortiq; animo vtantur concessis á Deo facultatibus, ac gnauiter omnes pro eis conseruandis & augendis insudent, at in prouentibus impij est conturbatio, quia domestici eius discordibus animis vtuntur eis. vnoquoque ad suum explendum desideriũ eos rapiente, & heredes, prouentuum & diuitiarum quas impij relinquunt, causa, inter se frequẽter turbãtur & litigant. Mysticè domus iusti, hoc est, eius cõsciẽtia multam habet for
Math. 7. titudinem. Similis est enim iuxta verbum domini, viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram: & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerũt venti & irruerũt in domum illam, & non cecidit, quia fundata erat super petram. At in fructibus impij, hoc est, operibus eius est conturbatio, magna scilicet instabilitas, ac conscientiæ inquietudo. Quod si quis pro fortitudine malit legere aut intelligere diuitias, sciat iusto pro more veteris legis diuitias tribuit quæ si iuxta mysticũ sensum spiritualiter intelligãtur, virtutes ac charismata diuina, sic plurimæ inueniũtur in domo, hoc est, conscientia iustis aut Ecclesia Christiana, quæ domus Christi est, vt dicat
2. Cor. 1. Paulus Corinthiis, In omnib. diuites facti estis in illo, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia

8 *Labia sapientum disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit.*

RVRSVM labia sapientum commendãtur, sed nunc ab eo quod disseminãt, aut vt est habræis, spargunt scientiam, quam sapientes in corde reconditam habẽt. Sapientũ enim est hanc non apud se seruare, sed anniti vt ad quam plurimos perueniat. Itaque illis proprium est suis labiis spargere in vulgus, in animos hominum & per vniuersum orbem scientiam, tãquam qui id soli possunt ex corde sapiente præstare, & tanquam qui id soli amore sapientiæ volunt. Vnde sequitur: Cor stultorum dissimile erit, pro quo Hebræa habent, Cor stultorum non sic, hoc est, non vt sapientes disseminabit scientiam proinde id quod nos habemus, dissimile erit, hũc habet sensum, Non idẽ quod labia sapiẽtum præstabit, vt quod idem nec valebit nec studebit præstare labiis, sed tantum vt suprà dictũ est eructabit stultitiam. Insigniter huius sententiæ prior pars impleta est in Apostolis, quorum euangelica prædicatio exiuit in omnem terrã, & in fines orbis terræ verba eorũ. Sunt qui ex Hebræo vertũt, Cur stultorum nõ est rectum aut firmum. Nam & hoc significat dictio כן Cen, si accipiatur vt sit nomen, quod sequuti septuaginta vertunt, καρδίαι δὲ ἀφρόνων οὐκ ἀσφαλεῖς, id est, corda autẽ stultorum non sunt firma. Sed non conuenit priori mẽbro hæc versio, sicut nec intelligentia nostræ lectionis, quã indicat D. Gregorius parte ter- Gregor.
tia curæ pastoralis capite 19. vbi secundam huius sententię partem citans, sic eam exponit: Cor quippe sapientum sibimetipsis semper est simile, quia dum rectis persuasionib. acquiescit, constanter se in bono opere erigit. Cor verò stultorum dissimile est, quia dũ mutabilitate se varium exhibet, nunquam idem quod fuerat manet. Ex Gregorio, hunc commentarium & Beda citat, sed vt est hæc expositio pia, ita vt ex superioribus patet, aliena est à proposito sapientis.

9 *Victimæ impiorum abominabiles domino: vota iustorum placabilia.*

HEBRAEA ad verbũ habent: Sacrificiũ impiorum abominatio domini, oratio iustorum beneplacitum eius. Bene interpres Psal. 118.
sensum non verba redderet, substantiua, abominatio, & beneplacitum, vertit per adiectiua, abominabiles & placabilia, hoc est, beneplacita & grata, sed ex originali patet vota iustorum hic non dici promissiones eorum, sed desideria & orationes eorum, quæ etiam Latinis dicuntur vota. Docet autem sententia non fidendum in externis sacrificiis Iudæorum more, sed in iustitia & virtute, per quam solam fieri possit vt externus Dei cultus ei placeat, cum contra per iustitiam externa non solum non placeant, sed etiam ei sint abominabilia, vt & ipse dominus testatur Esai. 7. Nõ ꝙ ea in se sint abominabilia, sed abominatur ea vt ab impiis procedunt. Abominabile enim est deo, impium agere coram ipso personam iusti. Nam iustorum est sacrificare Deo. Ad hæc significanda scriptura Geneseos dicit capite 4. Deũ respexisse ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexisse. Prius siquidem per Psal. 9.
sonæ nominantur quam eorum munera, vt intelligamus ratione personarũ placuisse vel displicuisse Deo munera, nõ ecõtra. Bñ autẽ notãdũ in hac sẽtẽtia, impiis tribui victimas, iustis

iustis verò orationes, quod impij sine interiori debito affectu externis ferè fidant rebus, quas & cum piis communes habere possunt iusti verò in oratione magis fiduciã habeant quæ & ipsis est peculiaris & propria, vt pote quæ est eleuatio mentis in Deum. Eadem distributione Sapiens indicat, Deum non delectari pompa quæ in sacrificiis solebat fieri in veteri lege, sed pro eis magis requirere à iustis, puras mentis orationes, quæ spiritualia sunt sacrificia, quod non parum facit ad pauperum consolationem, qui etsi externis sacrificiis eleemosynarum nõn possint Deo sacrificare, tamen piis precibus illum placare possunt, eique sacrificare.

10 *Abominatio est domino via impij, qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.*

ALTERA iam sententia docet Sapiens quid Deo gratum, quid ingratũ sit, atque hac rectè intelligimus veluti rationem reddi superioris sententiæ. Ideo enim victimæ impiorũ sunt abominatio domino, quia illi via impiorum est abominatio, hoc est abominabilis. Ideò vota iustorum sunt ei grata quia qui iustitiam sequitur, diligitur ab eo. Notandum autem in hac sententia quod dicit, qui sequitur iustitiam, vel vt habent Hebræa efficacius, qui persequitur aut sectatur iustitiam vt intelligamus non segniter iustitiæ insistendum, sed grauiter ad eam obtinẽdam laborandum, vt à qua per carnis illecebras, ita semper retrahamur. vt facilè è manibus elabatur, nisi velut fugientẽ toto conatu insequamur. Sic & Dauid dicit: Inquire pacẽ
Psal. 33. & persequere eam. Dicitur item qui sectatur iustitiam, ne putemus necesse esse ad hoc vt quis placeat Deo, perfectam obtinuisse iustitiam, & iam eo peruenisse, vt perfectus sit, sed satis esse vt ad assidue iustitiæ obtinẽdæ incũbat, nũquam autẽ quẽquam sibi persuadere debere, se in hac vita comprehẽdisse, at semper conandũ vt ad meliora proficiat. Vim Hebraicæ lectionis expresserunt Septuaginta, qui habent διώκοντας δικαιοσύνην ἀγαπᾷ, id est, persequentes vel sectantes iustitiam diligit.

11 *Doctrina mala deserentium viam, qui increpationes odit, morietur.*

HABENT quidam libri viã vitæ, sed genitiuus vitæ non est in Hebræo nec etiã in emendatioribus Latinis, & tollit sententiæ decorem. Sic enim dicuntur aliqui deserere viam, quomodo vulgari sermone dicimus aliquos esse extra viam, quamquam sint in aliqua via, quia sunt extra viam in qua deberent esse. Exponunt autem nostri primam partem ferè sic, doctrina eorum qui deserunt viam rectam, est mala, quia ferè sic docent sicut viuunt, & vt malè viuunt, ita & malè docent. Aut doctrina etiam bona deserentium viam est mala illis, quia talium doctrina condemnabit eos, tanquam non per ignorantiam peccantes. At hi sensus vt parũ conueniunt sequenti parti, ita sunt & alieni à sensu sapientis, quem vt assequamur, sciendum pro genitiuo, deserentium, esse datiuum deserenti quomodo & in glossa ordinaria dicitur alias haberi & pro doctrina, dictionẽ Hebraicam magis significare correptionem castigationem & disciplinam, sicut eandem mox noster interpres in versu quinto huius capitis accipit. Sic ergo habet Hebræa, Correptio vel castigatio mala deserenti viam. Quod sic ferẽ intelligitur, vt subaudiatur verbum erit, & sit sensus: Is qui deserit viã virtutis, malè mulctabitur, nõ impunè peccabit, sed manet eum mala castigatio, siue à iustitia humana siue diuina. Cui sensui cõuenit quod sequitur exaggerando priorem partem: Qui odit increpationes morietur, siue quia ante tempus vitã hanc temporalem amittet, aut per vltionem diuinam aut per authoritatem iustitiæ publicæ, siue quia post hanc vitam, in æternam incidet mortem. Possunt item hebræa & imperatiuè intelligi, hoc modo: Castigatio mala sit deferenti viam & qui odit correptionem moriatur, vt significetur eum qui à recto voluntate sua praua discedit, grauiter corripiẽdũ & castigãdum esse, quam correptionẽ aut castigationem si oderit & cõtempserit, morti ipsum ob sua scelera tradendum, & auferendum impiũ de terra. Potest demum & prior pars sic accipi correptionem quæ adhibetur ei qui deserit viam malam videri, vt qui eam contemnat, rideat & aspernetur tanquam grauẽ & austeram. Secundum quem sensum & nostra lectio accipi potest, hoc modo; Doctrina deserentium viam, hoc est passiuè, doctrina qua docentur hi qui à recto deuiant, mala est in oculis eorum, hoc est, displicet eis at scire talibus cõ uenit, quod qui odit increpationes, morietur, siue ante tempus corporaliter, siue post hãc vitã æternaliter. Hic sensus etiã erit si legatur, deserẽti, quomodo habent libri recens impressi in operibus Bedę, quamuis commentarius videatur sequi alteram lectionem, Nam sensus erit, Doctrina sapientis videtur esse mala ei qui deserit viam & vltro eligit errare.

12 *Infernus & perditio corã domino, quanto magis corda filiorum hominum.*

DIXERAT superius oculos domini in omni esse loco, contemplarique bonos & malos, at ne quis sibi persuadeat exteriora tantum Deo vbique esse conspicua, hac sententia docet etiam corda animosque ei patere. Vtitur autem argumento ad id persuadẽdũ efficaci. Pro quo intelligẽdo sciendũ quod per infernum (pro quo dictio hebraica propriè significat sepulchrum) & perditionem, quę duo in scripturis sæpè cõiungũtur, significatur status mortuorum, & non solum damnatorum, vt nos ferè ex his vocibus auditis concipimus sed in genere status defunctorũ. Vnde in psalmis dicitur. Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam
& veritatem tuam in perditione, hoc est, num Psal. 87.
aliquis inter mortuos existens te celebrabit? Et hoc libro rursum capite 27. coniunguntur infernus & perditio nũquam implentur, pro quibus duobus capite 30. inter quatuor insaturabilia, tantum ponitur nomen inferni, vnde intelligere licet, idem altero quod duobus simul coniunctis significari. Est autem

tem ſtatus mortuorum inter omnia maximè abditus ab oculis & cognitione hominum, cum ex eo ad mortales non ſit reditus, & in abditiſſimis profundiſſimiſque ſit locis, nec quicquam de eo nouerunt homines, niſi quā tum fide percipiūt. Itaque ad cōmēdandum Iob. 26. diuinā notitiā, & apud Iob idem quod hic dicitur. Nudus, inquit, eſt infernus coram illo, & nullū eſt operimētum perditioni. Quib. ſignificatur ſtatum mortuorum, & ſi nulli mortalium cognitum & abditiſſimum, Deo tamē eſſe manifeſtum, qui nouit qualis is ſit, quo loco ſint mortui & qua conditione, coram quo & viuunt ſuo tempore ab eo reſuſcitandi, qui penitus coram hominibus nihil eſſe videntur. Nec mirum ſtatum mortuorum nomine ſepulchri, Inferni & perditionis ſignificari in veteri teſtamento, cum tūc omnes ad inferna profundaq; deſcenderent, ac quaſi penitus perire viderentur antè prædicationē regni cœleſtis & eius apertionē. Argumentatur ergo ſapiēs ab eo quod Deo ea ſint manifeſta quæ ſunt profundiſſima, abditiſſima, & à cognitione hominū ſemotiſſima, hoc eſt, ex cognitione mortuorū, qui omnino ne eſſe quidem videntur, multò magis ipſum cognoſcere corda, hoc eſt, cogitationes & affectus hominum adhuc viuentium, quamtumuis ea hominibus ſint inſcrutabilia & profunda. Nam & hæc vnuſquiſque ſe nouit & aliis verbo indicare nouit. Qui ergo nouit quod eſt profundiſſimum, multo magis nouit & hoc, quod licet eſt profundū, minus tamen eſt profundū. Iere. 17. Vnde Ieremiæ 17. dicitur Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud. Ego dominus ſcrutans cor & probans renes. Et Pſal. 43. Ipſe nouit abſcōdita cordis. Qui nouit etiam mortuos & ea quæ omnino hominibus nō ſunt, nouit multo magis ea quæ ſunt quantūuis occulta. Qui per infernum & perditionem, impiorum dānationem & dānationis eorum locum intelligunt, cum Lyrano ſic hunc locū explicant. Cum infernus & perditio remotiſſima ſint à Deo, vt pote ſub terra exiſtentia, à cœleſti māſione maximè elongata, nec cōmune quid habentia cū his quæ in domo Dei ſunt, & tamē Deo ſint manifeſta, multo magis patēt ei corda hominū quæ media ſunt & in via ſunt. At quoniam nihil noui eſt dicere damnationem impiorum Deo eſſe cognitam vt quam omnibus eam credentibus certum eſt ab ipſo proficiſci, parum efficax eſſet huiuſmodi collectio, ad probandum quod tanquam dubiū erat concludendum, corda filiorum hominū ei patere.

13 *Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.*

DICTIONEM hebraicam לץ Lets in multis huius libri locis interpres vertit deriſor, aut illuſor, quæ propria eius dictionis eſt ſignificatio, hoc verò loco & aliis aliquot vt capite 19. & 22. vertit peſtilens ſecutus in ea parte 70. qui eam dictionē vertunt aliquoties peſtilentem, vt præter alia loca pſalmo primo. Et in cathedra peſtilentiæ non ſedis. Nam in hoc loco 70. habent ἀπαίδευτος, id eſt, indoctus, quemadmodum & noſter capite 22. vbi nos legimus, Superbus & arrogans vocatur indoctus. Deriſor autem eſt & illuſor, qui non tantum peccat, ſed aut aperte ridet verbis quæ ſunt religionis & futuræ vitæ, aut ita ſe gerit vt ea pro ludo habere teſtetur nec ſapientūm doctrina commoueatur. Et tales ſanè rectè peſtilentes dicuntur vt qui communitati valde ſunt noxij, ſuis irriſoriis verbis & conuerſatione ſcandaloſa. De huiuſmodi ergo dicit ſapiens quod nō ament corripientem nec accedant ad ſapiētes, quod videri poteſt dicere, ſiue vt ſapientes ſeſe conſolentur, dum à talibus ſe vident deſtitui nec amari ſed potius odiri: ſiue vt à talibus docendis & corripiēdis abſtineāt, ne ſanctum iuxta domini conſiliū dent canibus, nec ſpargant margaritas ante porcos. Vnde & ſupra capite 9. dixit: Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriā ſibi facit, & qui arguit impiū, ſibi maculam generat: Noli arguere deriſorē, ne oderit te.

14 *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur ſpiritus.*

PRO exhilarat faciem, Hebraicè eſt, bonā facit faciem, aut benè diſponit vultum, at id nihil eſt aliud quam hilarem efficere faciem aut exhilarare faciem: Pro genitiuo animi, Hebræis eſt cordis quomodo hic pleriq; vertendum volunt & non animi, quamuis pro mente & animo cor ſępè accipiatur, quia alioqui animus & ſpiritus idem ſunt, cum Sapiens dicat: In mœrore cordis deiicitur, vel vt alij vertunt, frāgitur ſpiritus per cor & ſpiritum diuerſa ſignificare. Intelligunt autem ſententiam hanc plerique Hebræos ſecuti de corde corporali, quod cum gaudet, bene diſponit vultum eumque hilarem reddit, quia ſpiritus ſuos vitales per gaudium dilatando, diffundit abundè ad faciem in qua magis quam in aliis partibus agnoſcitur diſpoſitio cordis, quamuis & aliæ partes ex cordis gaudio bonam diſpoſitionem recipiant. Cum autem ſequitur, In mœrore cordis deiicitur vel frangitur ſpiritus, quoniam inconueniens eſt intelligere affectionem ſpiritus, hoc eſt, mentis, ſequi diſpoſitionē cordis corporalis, cum cōtra diſpoſitio cordis ſequatur diſpoſitionē mentis, per ſpiritum, non mentem ipſam accipiunt, ſed vel ſpiritum vitalem qui frāgitur lāgueſcit & retrahitur ab exterioribus ad cor cū dolore afficitur aut metu aut quauis paſſione triſti, vnde ſequitur in facie pallor. Aut intelligunt ipſum anhelitum quem cor mœſtum grauiter trahit. At nulla videtur neceſſitas ad has expoſitiones confugiendi. Nā in huiuſmodi locutionibus & toto ferè hoc libro, per cor intelligit ſapiēs, mētem & animū ſpiritualem ſcilicet hominis partem, vt cum mox præcedit, quanto magis corda filiorum hominum. Et cū ſequitur: Cor ſapiēs quærit doctrinam, Et ſupra: Vita carnium ſanitas cordis. Et cap. 17. Animus hilaris, ætatem floridā facit, vbi etiam eſt Hebręis, cor lætum & gaudens. Bene autem ibi vertiſſe interpretem patet ex eo quod per oppoſitionem obiicitur: Spiritus triſtis exſiccat oſſa, vbi pro ſpiritus triſtis, idem eſt Hebræis quod hic pro deiicitur ſpiritus.

ſpiritus. Intelligatur ergo cor gaudens animus gaudens & læta mens. Hæc exhilarat faciem, totumque corpus perfundit, quia affectiones mentis redundant in corpus, & in facie vbi omnes vigent ſenſus, maximè agnoſcuntur & operantur. Contra per mœrorē animi, ipſemet ſpiritus deiicitur, frangitur & languidus fit, ita ſcilicet vt ad officia ſua parum ſit idoneus nec vacare bene poſſit ſtudiis, contemplationi, cæteriſque mentis operationibus. Ex quo ex prima parte oppoſita intelligendum relinquitur, ſpiritu fracto per mœrorem, etiam corpus faciemque hominis indiſponi & turbari. Septuaginta incommoda quę videntur in hac ſententia vitare volentes, verterunt, καρδίας εὐφραινομένης πρόσωπον θάλλει ἐν δὲ λύπαις οὔσης σκυθρωπάζει hoc eſt, cum cor gaudet, facies floret, cum autem eſt in mœroribus, triſtis eſt, aut tetrica eſt. Docemur hac ſententia mœrorem à corde pellere, vt qui & ſpiritui & corpori ſit noxius operamque dandam vt ſpiritus tranquillus ſit & gaudeat, vt ad pietatis opera, omniáq; humana officia aptiſsimus, expediti & alacres. Vnde & Paulus toties hortatur ad gaudium mentis, quod verè & ſolidè haberi nō poteſt niſi ex ſimplici fide in Chriſtum & conſcientia inconquinata, Et ſapiens Eccl. 30. in Eccleſiaſtico: Triſtitiam, inquit, longè expellere à te, multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.

15 *Cor ſapeins quæret doctrinam, & os ſtultorum paſcetur imperitia.*

SECVNDAM partem vertit quidam, os inſanorum, ſtultitiam alit. Nam & ſic Hebræa verti poſſunt, & ſignificabitur os inſanorum fouere ſtultitiam, iugiter proferēdo quæ ſtulta ſunt eáque laudando & promouendo, ſicut contra cor ſapiens doctrinæ percipiendæ & promouendæ eſt addictum. Alij ferè cū noſtro interprete vertunt, paſcetur, imperitia vel ſtultitia. Et intelligunt os ſtultorum paſci ſtultitia, quia delectatur loqui ſtulta, & quia ſtulti, verba ſtultitiæ ſemper habent in ore, quaſi huiuſmodi ſermonibus viuerent & paſcerētur. Poteſt & aliter intelligi ideo dictum eſſe os ſtultorū paſci imperitia, quia ſtulti ore aperto & inhiante delectantur audire verba ſtulta, quibus quaſi paſci videntur, ac veluti per os ad cor ipſorum quaſi in ventrem demittere. Sic enim pulchrè hæc pars opponitur præcedenti. Cor ſapiens quæret doctrinam. Sicut enim mens ſapientis quærit doctrinam & intelligentiam, cupiens in ea proficere, ac velut cibum ſuum continue illam percipere, atque ob id ſapientes adit quos ore hiante & intento vultu audiendo, ſapientiam intra ſe recipit quam deſiderat: ita cōtra ſtulti ore inhiante ad ludicras & vanas narrationes, auidè eas corde percipiunt, quemadmodum patet in multis noſtris Chriſtianis qui cum ſacris concionibus non delectentur, confluunt certatim ad fabulas quæ exhibentur in ſpectaculis, intento ore eas audientes. Secundum hūc ſenſum intelligere licet non inepte cordi ſapiētis opponi os ſtultorum. Significatur enim per os ſtultorum etiam eorum cor paſci ſtultitia. Hunc ſenſum habet & altera Hebræorū lectio. Si quidem duplex hic illis eſt lectio פי Pi, hoc eſt, os, vel Pene, פני hoc eſt, vultus ſtultorum paſcetur imperitia.

16 *Omnes dies pauperis, mali: ſecura mens, quaſi iuge conuiuium.*

PRO ſecura mens, Hebræis eſt bonum cor. Bonum autem cor dicitur Hebraica phraſi cor lætum & iucundum, vnde Eſther 1. vbi nos habemus, cum rex eſſet hilarior, Hebræis eſt, Cum bonum eſſet cor regis. Caietanus tamen bonum cor intelligit, cor virtute præditum. Cum autem lætum eſſe cor non poſſit quod curis torquetur & ſecurum non eſt, cúmque virtus mentem tranquillam faciat & ſecuram, non malè interpres pro bono corde vtrouis modo intelligatur, vertit, ſecura mens. Intelligunt autem quidam ſecunda huius ſententiæ parte indicari quæ res medeatur pauperibus contra dies malos, vt ſit hic ſenſus: Omnes quidem dies hominis inopis ſunt miſeri, tota pauperum vita calamitoſa eſt, quia præterquam quod paupertas multa ſecum adfert incommoda, ipſa per ſe ſemper adhærens perpetuam adfert moleſtiam & miſeriam, at ſi pauper ſit lætus mente, aut virtute ſit præditus, lætitia illa cordis aut tranquillitas conſcientiæ quam virtus adfert ſecum, paupertatis moleſtiam diſcutiet, ſuauiuſque talis viuet; ſuæ mentis conſolatione aſsiduè refectus, quam diues qui in ſuis diuitiis, multis torquetur curis & ſolicitudinibus. Simplicius tamen fuerit accipere ſententiam hanc, vt per eam ſignificetur oppoſitio inter afflictionem & lætitiam, in hunc ſenſum: Paupertas & afflictio efficit vt oēs hominis dies ſint mali, adfertq; iugem miſeriā, ita vt nihil ſit in hac vita quod ipſum delectet quamdiu affligitur, nec cibus illi ſapit, nec cantus illi dulcis eſt. At contra, lætitia mentis, eiúſq; tranquillitas quaſi iuge eſt conuiuium, diſcutiens ac ſuperans ſi quid triſte incidat. Non enim hic nomine pauperis, tantum egeni ſignificātur, ſed dictio Hebraica propriè quemuis afflictū ſignificat, qui & apud nos in ſcripturis frequēter pauper dicitur, vt ibi: Tibi derelictus eſt Pſal. 9. pauper. Afflicto autem & pauperi tribuere cor lætum, ſcripturis parū conuenit. Quem enim afflictum dicunt, eum & mœrentem corde ſignificant. Secura ergo mens generaliter eſt mens libera à cura & anxio metu, qualis ſemper eſt læta. Nam quæ læta non eſt, aliqua anxia cura tenetur captiua, vt mens afflicti quæ ſolicia eſt quomodo malū effugiat quo præmitur. Significat ergo operam dādam vt pulſo mœrore & afflictione mentis, animo læto viuat homo. At ſubtiliori intelligentia, ſecura mens eſt quæ malæ conſcientiæ ſtimulis non pungitur, ita vt non ſibi ob conſcientiæ remorſum malæ vel hic, vel poſtea metuat, ſed dicere poſsit cum Paulo: gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. 2. Cor. 1. Hæc mentis ſecuritas non poteſt verè eſſe ſine virtute & bonitate, vt rectè talis mens dicatur bona, vt habent Hebræa. Hæc mentis ſecuritas, ſolidum verumq; gaudium menti ſola dare poteſt, vt rectè etiam dicatur mens læta, vt alij Hebræa intelligunt. Hæc quaſi iuge eſt conuiuium,

uium,quia continue hominem reficit,& consolatur in omnibus quæ accidunt, efficitque vt nihil eum contristet,nihilq; metuat.Quod pulchrè ex parte prosequitur D. Gregorius
Gregor. libr.2.Moralium cap.19.Nihil, inquit,simplici corde fœlicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet.Habet enim quasi arcem quandã fortitudinis simplicitatem suam. Nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit. Vnde benè per Salomonem dicitur.In timore domini fiducia fortitudinis.Qui rursum ait,Secura mens quasi iuge cõuiuium,Quasi enim continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis.At contra,mens praua semper est in laboribus,quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferãtur. Et quicquid contra proximos excogitat,hoc contra se excogitari à proximis formidat. Fit vndique suspecta,vndique trepida,&c.

17 *Melius est parum cum timore domini, quam thesauri magni & insatiabiles.*

CONVENIT hæc sententia cũ eo quod habet Psalmista:Melius est modicum iu-
Psal.36. sto, super diuitias peccatorum multas.Bene autem hæc superiori subiungitur,vt cuius veritas ex superiori consequitur & melius intelligitur.Ideo enim melius est parum habere cum timore domini quam possidere magnos thesauros,qui nec satiantur,sed semper accumulantur,& augentur:nec satiant mentem possidentis,sed in eo potius accẽdunt habendi desiderium,iuxta illud Poetæ: Crescit amor nummi,quantum ipsa pecunia crescit: quia inter omnia bona excellit mens læta,bona & secura, quæ maxime esse solet in his qui parum habẽt cum timore domini. Timor enim ille efficit, vt Deo non obmurmurent, sed præsentibus contenti sint,& modica possessio,cã illis est vt minus timeant,minus turbentur,minus torqueantur,cũ contra diuitiæ peccatoribus multã eis inquietudinem,curã & metum afferant.Melius est ergo parũ cum timore domini, &c. tum quia ad præsentem vitam quieto, tranquilloq; animo transigendam vtilius est,tum quia ad æternam vitã obtinendam expedientius est. Cæterum pro,& insatiabiles, Hebræis est,& tumultus vel turbatio in eis,hoc est, thesauri diuitiæ quæ cũ tumultu vel turbatione animi vel congregantur,vel possidentur,vt sunt diuitiæ non iustorum, sed peccatorum, qui nescĩunt illud Dauidis: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.Pro eo,noster vertit,insatiabiles.Nã insatiabilitas hic significata,arguit & includit ani-
Psal.61. mi tumultum & turbationem. Potest autem dictio,insatiabiles, accipi vel passiuè vel actiuè, vt supra est indicatũ, hoc est,thesauri qui vel non satiantur,vel non satiant quo secũdo modo magis postulant Hebræa vt accipiatur.

18 *Melius est vocari ad olera cum charitate: quàm ad vitulum saginatum cum odio.*

SIMILIS est hæc sententia superiori.Nam vt ibi tenuitas opum cũ timore Dei præfertur diuitiis cum insatiabilitate & turbatione,ita hic tenuitas mensæ cum charitate præfertur lautis preciosisq; epulis cum odio.Et quanquam non malè vertit interpres, tamen Hebræis sensus est generalior. Habent enim, Melius est conuiuium oleris vbi est charitas, quam bos saginatus(vel conuiuiũ bouis saginati) in quo est odium.Itaque non fit mentio vocationis ad conuiuiũ, ac proinde non tantum docet sententia hospites, quale conuiuium, præferre debeant in domo aliena, vt nostra lectio significat, sed & quosuis docet quale conuiuiũ in propria domo optare debeat, maiorémq; operam quibusuis partibus familiarum dandam,vt cum charitate cibum cum suis edant,quam vt laurã instruant mensam. Plus enim voluptatis adfert dilectio in conuiuiis,quam lautitiæ ciborum sine illa.Dilectio & amor tenuitatem recompensat,odiũ & rixæ mensales, delitias preciosorum etiam ciborũ insipidas reddunt, vt experientia docet.Itaq; similis est hæc sententia ei quæ sequitur capite 17. Melior est buccella sicca cũ gaudio,quam domus plena victimis cum iurgio. Beda legit non vocari,sed vocare, vt patet et ex eius commentario.Quæ lectio magis conuenit & cum Hebræo & cũ Septuaginta qui habent: Melius est hospitalitas olerũ ad amicitiam & gratiam,quam appositio vitulorum cum inimicitia.

19 *Vir iracundus prouocat rixas,qui patiens est, mitigat suscitatas.*

CONCORDAT planè in sensu cum Hebræis hæc parabola,& veritatem eius experientia docet. Conuenit autem prima huius capitis sententia. Ideo enim vir iracũdus prouocat rixas,quia sermo durus suscitat furorem.Qui patiẽs est mitigat suscitatas, quia responsio mollis & silentium frangunt iram. Primam huius sententiæ partem & postea habet Sapiens capite 26. & 29. & Sapiens in Ec- Eccl. 28.
clesiastico:Homo,inquit, iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos. Docet autem hæc sententia, non tantum abstinere ab ira quæ tantorum est causa malorum, sed etiam à consortio iracundorum,à quo postea capite 22. aperte auocat sapiens.

20 *Iter pigrorum quasi sepes spinarum, via iustorum absque offendiculo.*

PRO absque offendiculo,Hebraicè est,cõplanata est,vel trita est, aut strata est, quo aliud non significatur, quam viam iustorum expeditam esse nec habere impedimentum aut offendiculum in quod impingant. Sensus autem est: Iter virtutis quod pigris hominibus ambulandum incumbit, videtur eis esse quasi sepes ex spinis contexta,hoc est,iudicant eam viam non tantum difficilem esse, sed impossibilem, quemadmodum impossibile est spinosam pertransire sepem,aut viam virtutum asperrimam reputant,in qua veluti inter spinas incedere videntur. At contra via quam iusti ambulãt virtutem amantes,est eis absque offendiculo, in ea magnam facilitatem inueniunt, nihil in ea ipsos offendit, atq; à recto deterret, sed veluti viam bene tritã & complanatã fœliciter & expeditè perãbulant.

Quem

Gregor. Quem sensum & D.Gregorius pulchre prosequitur libro moralium 30.capite 23.Multos inquit,sæpè videmus vitam quidem sanctæ cõuersationis appetere, sed ne hanc assequi valeant,modo irruentes casus, modo futura aduersa formidare.Qui incerta maladum quasi cauti prospiciunt,in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. Multa enim ante oculos ponunt,quæ si eis in conseruatione eueniant,subsistere se nõ posse formidant. De quibus bene Salomon ait:Iter pigrorum quasi sepes spinarum.Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sæpium, sic formidinum suarũ oppositæ suspiciones pungunt.Quod quia electos impedire non solet, bene illic secutus adiungit,Via iustorum absque offendiculo.Iusti quippe in conuersatione sua quodlibet eis aduersitatis obuiauerit, non impingunt:quia temporalis aduersitatis obstacula æternæ spei & internæ contemplationis saltu transiliunt:Hæc ille, ex quo suum commentarium hoc loco sumpsit Beda,vt & alias sæpè.

21 *Filius sapiens lætificat patrem,& stultus homo despicit matrem suam.*

IDEM habet prima sententia capitis 10.nisi quod ibi in secunda patre dicitur,stultum tristitiam esse matris suę,hic,ipsum despicere illam.Despicere autem stultus matrem dicitur,siue quia non curat eam,prout desiderat gaudio afficere, sicut filius sapiens studet parentes exhilarare, siue quia eius monitiones spernit,nec eis vult obtemperare, sicut cõtra filius sapiens parentibus morigeratur, ac per hoc eos lætificat.

22 *Stultitia gaudium stulto:& vir prudens dirigit gressus suos.*

STULTVS, inquit,gaudet rebus stultis & vanis videndis,audiendis & agendis,gaudet itẽ in his quæ stulte egit.At cõtra,vir prudẽs id hẽt cordi vt gressus suos rectos faciat, ac rectè ambulet,id illi volupe est,ad id omnẽ animi applicat intentionẽ. Demonstrat ergo hæc sententia diuersa stulti & prudẽtis studia.

23 *Dissipantur cogitationes vbi non est consilium, vbi verò sunt plures consiliarij:confirmantur.*

HEBRAEA ad verbũ sic verti possunt,Dissipa cogitationes quando non est consilium,& in multitudine consiliariorum stabis. Vt sit hæc sententia monitoria, docens tunc hominis cogitationes non sequendas,quando non solido aliquo prudẽtum consilio subnixæ sunt,tunc verò perficiendas,cum accesserint consultores plurimi. Possunt tamen Hebræa & aliter verti, quia verbũ חפר Hapher, potest non tantum esse imperatiui modi,sed & infinitiui,positi pro nomine,vt sic vertatur, Irritare cogitationes,hoc est,irritatio vel dissipatio cogitationum,subaudi erit,quando nõ est consilium,& in multitudine consultorum stabit subaudi, cogitatio. Atque hoc secutus est noster interpres,ac post eum quidam alij: Secundum hanc versionem est assertoria sen-

Ianſ.in Prouerb.

tentia, docens irritos fore conatus & studia eorũ qui in agendis non adhibent debitũ cõsilium,vt ne quis sibi nimium fidat.Cõtra ratos fore conatus & cogitationes eorum qui multis vtuntur prudentibus consultoribus. Eodem ergo spectat hæc sententia quo illa capitis 11.Vbi non est gubernator populus corruet,salus autem vbi multa consilia.

24 *Lætatur homo in sententia oris sui:& sermo opportunus est optimus.*

HEBRAEA ad verbum habent:Gaudium est viro in responsione oris sui, & verbũ in tempore suo quam bonum.Itaque pro responsione interpres vertit sententiam,nec male,quia sententiam suam respondet,qui de re aliqua requiritur. Pro quam bonum,vertit optimus,quia per illud quam bonũ,nihil aliud significatur hebraica phrasi quam sermonẽ in tempore suo prolatum,hoc est,opportunũ valde esse bonum.Nam superlatiuis carẽt hebræi,quẽm hoc modo nonnunquam circumlequuntur, vt cum dicitur.Ecce quam bonũ Psal.132.
& quam iucundum habitare fratres in vnum. Dicit ergo hominem lætari in responsione & sententia oris sui quam profert ab aliquo de re quapiam interrogatus, quando scilicet ea docta est,& ab aliis approbatur,aut quãdo cõsilium eius benè succedit,vt intelligamus fructum prudentis consilij & congruæ responsionis, esse gaudiũ quod redit ad respondentem, tum ob honorem quem inde consequitur, tum ob vtilitatem quæ ad alios peruenit, Quod amplius insinuãs subdit,& sermo opportunus atque suo tempore prolatus valde est bonus,vt qui & gaudium adferat dicenti,& vtilitatem audienti. Continet ergo hæc parabola commendationem appositæ responsionis & sermonis oportuni.

25 *Semita vitæ super eruditum,vt declinet de inferno nouissimo.*

AD verbum sic habent Hebræa.Semita vitæ ipsi intelligẽti est ad superna, vt declinet ab inferno deorsum vel ab inferno imo. Et est sensus, semita vitæ pducit ipsum intelligentem vel prudentem sursum vel ad superna,vt declinet ab inferno qui in imo & deorsum est.Perducit autem semita vitæ sursum,siue quia mentem hominum à terrenis auocat ad cœlestia,siue quia ad cœlestem gloriã tandẽ hominem euehit liberans eũ à damnatione & æterna impiorum morte. Atque hic quidem patet nomine inferni(quanquam dictio hebraica significet propriè sepulchrum) significari in scripturis non semper statum mortuorum in genere,sed aliquando statum damnatorum ad æternam mortem, à quo sola semita vitæ hominem prudentem eximit. Nec putandum est ideo hic significari statum damnationis,quia vt nos legimus,additur nouissimo.Hebræa enim nec habẽt superlatiuũ nouissimo, nec, comparatiuum inferiori, vt quidam vertunt,quomodo & legitur Psalmo. 85. sed tantum habent & hic, & in psalmo iam dicto,inferno imo,aut qui deorsum est, ita vt nulla significetur comparatio, inferni vnius ad infernum alterũ quorum vnus sit superior

alter inferior, quanquam rectè doceat Augu- (August.) ſtinus in Pſalmum prædictum ſcribens,quẽdam infernum dici ſuperiorẽ,alium inferiorem. Simpliciter enim additum eſt imo vel deorſum quia præcedit ſurſum vel ſuperne. Mirari autem hic quis poſſit quomodo ſapiẽs iter virtutis(nã hoc eſt ſemita vitæ)dicat prudentem ſurſum ducere,cum eo tempore neç dum iuſtis liceret à morte cœlos aſcendere. Et fortaſis hæc eſt cauſa quare quidam ſentẽtiam hanc nimis Iudaice & carnaliter putẽt ſic poſſe accipi,vt ſignificetur viam virtutum prudentem perducere ſurſum,hoc eſt ad dignitates & honores inter homines eũque liberare ab inferno, quia ad longeuã vitam hominem perducit, & vt ſerius in ſepulcrũ deſcendat efficit. Sed in Eccleſiaſte Sapiens dicit ſpiritũ hominis aſcendere ſurſum. Dicit (Eccle.3.) enim.Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumẽtorum deſcẽdat deorſum, ſignificãs ſpiritus humanos aſcendere ſurſum quamuis id ignorarent impij, Et capite vltimo. Et reuertatur puluis in terram ſuam , & ſpiritus redeat ad deum qui dedit illum.Ergo & in veteri teſtamento ſpiritus iuſtorum ſurſum aſcẽdere dicitur, nimirum propter ſpem quą per Chriſtum liberatorem expectauerũt ſe aliquando conſecuturos regnum cœleſte.Atque hic eſt Vnus inſignis locus, in quo manifeſtius quam in aliis pleriſque veteris teſtamenti libris inſinuatur aut cœleſtis gloria iuſtorũ,aut infernalis pœna impiorũ. Noſtram lectionem Beda ſic exponit, vt ſignificetur erudito & prudenti deſuper ſemitam vitæ aperiri & oſtẽdi. Eruditũ inquit,dicit non ſolum ſcientia,ſed & operatione perfectum.Huic etenim iure ſemita vitæ deſuper aperta eſt, huic cœli ianua patet. Itaque intelligit vitę ſemitã eſſe ſuper eruditum quia ſuperius ei via ad vitam parata eſt. Quem ſenſum &Hebręa habere poſſunt,nec eſt alienus à ſenſu ſuperiore, cum quo ſi noſtram lectionem omnino velimus conuenire, ſubaudiendũ erit aliquid in hũc modum. Semita vitæ eruditum euehit aut ducit ſuper hoc eſt deſuper,vt declinet de inferno qui eſt nouiſſimus,hoc eſt,in imo deorſum ſitus.

26 *Domum ſuperborum demolietur dominus,& firmos faciet terminos viduæ.*

COMMENDAT hæc ſentẽtia & vt aliæ plereque ſimiles iuſtitiam diuinam,ad terrorem ſuperborum & potentium,ad conſolationem verò humilium, quos nomine viduæ inſinuat,ex omnibus humilibus viduę nomẽ potiſſimum exprimens,quòd viduæ maximè ſint deſolatę & derelictæ in omnibus,potentum iniuriæ maximè expoſitæ,quarum proinde peculiariter iudex & vindex dicitur in ſcripturis Deus. Superborũ ergo , inquit qui ſcilicet in ſuis viribus confidentes tutos ſe & benè radicatos putauerunt,alioſque miſeros oppreſſerunt,occupantes agros eorum,domũ hoc eſt,familiam & quæ ad eam pertinẽt, demolietur, vel vt habent hebręa extirpabit dominus. Et contra firmos faciet fines , hoceſt poſſeſſiones & agros viduæ , defendens ſcilicet eos contra violentorũ potentiam ne occupare poſſint quemadmodum conantur, aut vſurpatos agros in ſuos fines reſtituens. Exercet hæc nonnunquam ad literam Deus contra ſuperbos & pro humilibus viduis , vt habemus inſigne exẽplum in Holoferne ſuperbo & Iudith vidua,& quod occulto ſuo iudicio minus aliquando facere hic videtur, ſinens viduas opprimi , in futura vita plenius exequetur, quando nullã habebunt ſuperbi domũ in qua glorientur & quieſcant, & viduarũ termini erunt ita firmi,vt ab omni ſint impetitione impiorũ liberę futuræ & ſecurę. Myſticè quẽadmodũ Beda doctè cõmentatur,Domus ſuperborũ conuenticula ſunt hæreticorum cęterorũque Eccleſię perſecutorũ quã domum demolietur dominus, & firmos facit in orbem vniuerſum terminos eiuſdem Eccleſiæ,ſponſæ ſcilicet ſuæ, ſed eius iam viſibili præſentia deſtitutæ , vt ideò rectè etiam viduæ comparari poſſit.

27 *Abominatio domini cogitationes malæ,& purus ſermo pulcherrimus firmabitur ab eo.*

TRES vltimæ dictiones , firmabitur ab eo, nec habent Hebræa,nec Græca, nec quidã antiqui ſcripti codices Latini, quãquã Beda ſe legiſſe per commentarium declaret. Itaque tantum legendum eſt,& purus ſermo pulcherrimus. Pro quo Hebræa dupliciter verti poſſunt.Primum ſic,& mundi ſermones decoris,vel pulchritudinis. Et hæc quoq; verba dupliciter accipi poſſunt.Aut ſic vt dictio ſermones , bis intelligatur in hunc modum. Et mundi ſermones vel munda verba,ſunt ſermones,vel verba decoris,vel iucũditatis,hoc eſt,verba iucunda,vel pulchra,hoc eſt , pura verba & munda ab omni falſitate & malitia, ſunt iucunda aut pulchra coram Deo.Atque in hunc ſenſum noſter accepiſſe videtur , dũ vertit & purus ſermo pulcerrimus. Quomodo & ex neotericis quidam poſt noſtrum accipit.Vertit enim, eique iucũda ſunt pura verba. Aut poteſt hæc prior verſio accipi in hũc ſenſum.Et ſermones decoris,hoc eſt , ſermones decori,honeſti ac pulchri,ſunt mundi coram Deo, hoc eſt, grati & acceptabiles, vt mundum,opponatur abominationi, ſicut ſecundum legem mundus cibus diſtinguitur contra immundum qui & abominatio dicitur. Atque hic ſenſus videtur mihi conuenientior, quem & noſtra litera habebit ſi ſic conſtruatur & ordinetur, ſermo pulcherrimus,eſt purus coram Deo.Alij ſic vertunt,& mundorũ verba decoris vel iucunditatis, vt ſit ſenſus,mundorũ verba , ſunt verba decoris vel iucunditatis,hoc eſt,verba pulchra vel iucũda,quod ſecuti Septuaginta habent ἁγνῶν δὲ ῥήσεις σεμναί, hoc eſt caſtorũ autem verba grauia ſunt aut veneranda.Quę verſio per genitiuum videri poteſt magis conuenire priori parti,quæ non habet in hebræo,cogitationes malæ ſed per genitiuum , cogitationes mali, ſcilicet hominis , vt mundi opponantur malo. Cæterum cum in priori membro de cogitationibus malis dicatur, in ſecundo, dicitur de verbis, quia ex cogitationib .verba procedunt.Ex abundãtia enim cordis os loquitur. (Matt. 22)

Itaque

Itaque & in priori membro ſignificatur cum cogitationibus impiorum diſplicere Deo etiã eorum verba: & in ſecundo ſignificatur,cum verbis placere eidem & iuſtorũ cogitationes.

28 *Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam qui autem odit munera,viuet.*

DVOBVS modis poteſt intelligi quod dicitur auarum conturbare domum ſuam nempe aut quia multas excitat in familia ſua contentiones & turbationes arguendo ſuos, & quòd non ſatis lucri faciant,& quod nimiũ cõſumant in victu & veſtitu,aut quia ſua auaritia & iniuſtitia meretur vt domus eius hoc eſt, familia & poſſeſſio eius à Deo aut ab hominibus turbetur , vexetur ac moleſtetur.Siquidem ferè fit vt auare & iniuſte parta,multorum malorum in familia & fortunæ bonis ſint cauſa & occaſio . Huic poſteriori intelligentiæ magis conuenit quod ſequitur , Qui autem odit munera,viuet.Quod de eis muneribus intelligendum eſt, quæ dantur aut accipiuntur ad peruertẽdum iudicium, quemadmodum fit ab auaris & iniuſtis iudicibus.Qui enim munera talia recuſat accipere , viuet, hoc eſt,proſpere pacatéque aget,liber à vindicta diuina , ac inſectatione humana quæ frequenter exurgit cõtra auaros, qui alienas res iniuſte comparauerunt,& ob auaritiam iudicium peruerterũt. Bene autem generalis hæc ſentẽtia aptari poteſt ſingulariter ad paſtores & concionatores,qui ſi auaritiæ ſtudent, ſuas ſubuertunt eccleſias,& contra ſi non temporalis lucri cauſa gregem Chriſti paſcunt , ſemitam vitæ ſequũtur,viuẽntq; & apud Deum ſemper in cœlis , & apud homines immortali fama in terris.

29 *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata, per timorem autem domini declinat omnis à malo.*

HAEC ſententia non eſt hoc loco in hebræo , nec in antiquis latinis codicibus. Eſt tamen hoc loco apud Græcos , & ſimilis eſt apud hebræos & in noſtris libris capite ſequenti verſu 70. proinde ibi exponetur.

30 *Mens iuſti meditabitur obedientiam,os impiorum redundat malis.*

PRO obedientiam, libri quidam habent ſapientiam . Et dubitari poteſt vtro modo noſter verterit.Nam hæbræa dictio ענה Ana, ſignificat præter alia & reſpondere & humiliari . Priori ſignificato conuenit accuſatiuus ſapientiam.Vertunt enim fere , mens vel cor iuſti meditabitur ad reſpondendum, hoc eſt, non ſtatim iuſtus interrogatus reſpondebit quicquid in buccam venerit,ſed ne quid præcipiti reſponſo dicat quod vel impium ſit & contra Deum, vel in cuiuſdam præiudicium & læſionem,meditabitur apud ſe quid reſpondendum ſit.Cui conuenit quod ex oppoſito ſubiungitur: Os impiorũ redundat malis , vel vt habent hebræa eructat mala,hoc eſt,os impiorum ſtatim prorumpit ad effundẽdum ea, quibus cor eſt plenum,nec tacere poteſt, nec bene loqui nouit,ſed velut flumen plenũ nũquam deſinit ſcaturire mala ex abundantia cordis profundens aſſidue. Itaque laudatur merito Demoſthenes,cui cum obiectum eſſet,quod elaborata pronunciaret ,reſpondit, ſe non modo ſcripta,ſed etiam ſculpta dicturum eſſe ſi poſſet.Et addidit hanc vocem memoria dignam ,Ego improbum ciuem duco, qui ſine meditatione audet Reipub.conſiliũ dare.Huic ſenſui cõuenit vna lectio,Mens iuſti meditabitur ſapientiam,hoc eſt,cogitabit quomodo prudenter reſpondeat interrogantibus. Altera lectio conuenit ſecũdo verbi ſignificato quod eſt humiliari , atque hoc ſignificatũ magis ſecutũ noſtrũ interpretem ,vt verterit obedientiam potius quàm ſapientiã, videri poteſt ex eo , quod capite 10. Eccleſiaſtis,idem verbum verterit obedire,vbi nos habemus:Pecuniæ obediunt omnia.Secundum hanc lectionem ſenſus erit , cor iuſti cum ab aliquo monetur,meditabitur obedire, humiliabit ſe,ad obediendum ſe præparabit:at cõtra os impiorum redundat malis , ita vt bene monentibus reſiſtat & obmurmuret.

31 *Longe eſt dominus ab impiis,& orationes iuſtorum exaudiet.*

LONGE dicitur dominus eſſe ab impiis, cũ tamen Paulus dicat, Actuum 17.Non longè illum eſſe ab vnoquoque noſtrum,quòd in ipſo viuamus,moueamur & ſimus,quia nõ adeſt eis paratus per gratiam ſuam ad auxiliandum eis & exaudiendũ eorum preces ſed,perinde ſe habet quoad auxiliandum eis & exaudiendum eorum preces quaſi ab eis elongatus non videret eorum calamitates,nec audiret eorum preces.Vnde per contrarium de iuſtis ſubditur, & orationes iuſtorum exaudiet, exhibens ſe illis quaſi propinquum & preſentem.Sic & Pſalmiſta: Prope eſt,inquit,dominus omnibus inuocãtibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.Voluntatẽ timentium ſe faciet,& orationes eorum exaudiet,& ſaluos faciet eos.Poteſt autem & aliis conſiderationibus rectè dici dominus longè eſſe ab impiis, nẽpe & quia longiſſimè eſt à cordibus eorũ,qui illũ non conſiderant nec attendunt, & quia diſſimilitudo magna eſt inter Deũ & impios,ſicut ob ſimilitudinem & conformitatem voluntatis iuſtorum cum voluntate Dei, dicuntur iuſti appropinquare Deo,& Deus illis.Sed ad id quod primo poſuimus reſpexiſſe hic ſapientẽ,patet ex ſubiũcta oppoſita parte. (Pſal.144.)

32 *Lux oculorum lætificat animam,fama bona impinguat oſſa.*

FAMA bona accipitur hic aliquibus pro bono nomin & opinione bona quæ hatur de aliquo, ſic enim accepiſſe videtur Lyranus,adducens pro declaratione huius, Fama bona impinguat oſſa,illud vulgare,Virtus enim laudata creſcit. Verũ iuxta alios melius accipitur pro rumore & nuncio bono , quod apud homines de re quapiam ſpargitur.Eſt enim Hebræis ad verbũ , Auditio bona vel auditus bonus. Cõparat ſiquidem parabola auditum vſui,ſignificatúrque ad literam,ea quę per hos duos ſenſus percipiuntur, magnum

haberē momentum ad lætificandum mētem, & proinde etiam ad vegetandum benēq; afficiendum corpus, cuius bona habitudo vel mala sequitur animi dispositionem. Dicit ergo, Lux oculorum, hoc est lux corporea quæ oculis percipitur lætificat cor, quemadmodū patet cum post noctis tenebras mœrorem metúmq; incutientes, sol ortitur, aut cum post nubilam auram, cœlum serenum emicat lucente sole. Aut aliter potius sic, Lux oculorū, hoc est, ea quæ oculos illuminant, quę scilicet oculis grata sunt & iucunda, non solum oculos lætitia afficiunt, sed & mentem hominis per oculos. Ita quoque & fama bona, hoc est, sparsum de re quapiam nunciū bonum, quod auditu percipere iuuat, impinguat ossa, hoc est, membra hominis bene afficit. Quod autē luci, oculorum, lætitiam animæ, auditui autē grato, ossium impinguationem tribuit, non sic accipiendum est, quasi illi illud, hoc huic sit proprium, sed vt bona corporis dispositio bonam mentis sequitur affectionē, ita vtrunq; vtríque intelligendum est competere, quanquam elegantiæ, quæ in varietate est causa, vnum vni & alterum alteri tribuatur, ita vt significetur gratum tum aspectum tum auditum, & mentem, & corpus hominis bene afficere, nisi dicamus ossium, hoc est, membrorū impinguationem, ideo potius bono nuncio & rumori attribui, quod maior & diuturnior lætitia, quæque corpus magis peruadat, nascatur frequenter ex bonis nunciis, vnde maior ad hominē redit sæpe fructus, quàm ex aspectu rerum pulchrarum & gratarum, quæ transitoriam ferè adferunt lætitiam. Docet autem hæc parabola duos hos sensus multum valere ad animi corporisque dispositionem, & proinde multum referre quid videamus & quid audiamus. At cum parum hæc doctrina, si nihil aliud vlterius spectemus diuino spiritui cōueniat, mysticus etiam huius sententiæ sensus est requirendus, ob quem magis videri potest quod litera habet, dictum esse, videlicet vt quę dicuntur de efficacia rerum corporalium quæ visu & auditu percipiuntur, per similitudinem intelligantur significare efficaciam rerum spiritualium, quæ interiori visu & auditu percipiuntur. Quemadmodum enim corporea oculorum corporalium lux animam exhilarat, ita multo magis lux mētis, lux euangelica & lux veritatis diuinæ. Item sicut læta corporaliter audire corporis vires auget, ita lætum euangelij nuncium per vniuersum orbem sparsum auditu cordis percipere, vires animæ impinguat & augmentat.

Mystic. sensus.

32 *Auris quæ audit increpationes vitę, in medio sapiētum commorabitur.*

INCREPATIONES vel correptiones vitæ Hebraica phrasi vocat increpationes vitales, hoc est, salutares & viuificatrices, quæ & doceant hic rectè viuere & ad æternam vitam perducant. Huiusmodi increpationes qui lubenter audit, dicitur commoraturus in medio sapientum, hoc est, inter sapientes, siue quia inter illos gaudebit adesse, quærens illorum consortium, à quibus posset moneri & corripi, siue quia dignus efficietur qui & ipse inter sapientes honoretur, sapientíscque nomen & locum obtineat. Sic enim Beda intellexit, scribens in hunc modum. Discipulus qui increpationibus docentium obedienter annuit plerumque proficiendo ad cathedram vsque doctoris ascendit, &c.

33 *Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis,*

FREQVENTIBVS sententiis, vt & supra indicatum est, sapiens indicat correptionem, admonitionem, & castigationem omnibus & præcipuè iunioribus amandam & amplexandam. Nihil enim magis, nihil vtilius, iuuenibus, & his qui per se non satis sapiunt, est inculcandum, nec quicquam eis magis errorum, vitiorum & malorum inde prouenientium causa est, quam quod correptionibus & salutaribus monitis non obtemperant. Qui ergo, inquit, abiicit & acceptare contemnit disciplinam, hoc est, correptionem & morum suorum castigationem, is non tantum bonis monitionibus, benéque monētibus iniuriam facit, eos contemnendo, sed & propriam animam despicit & iniuria afficit, vt cuius prudētiam & salutem non curat, sed negligit & corrumpit. Contra qui acquiescit increpationibus eisque obtemperat, possessor est cordis, hoc est, mentem habet, sapiens est & cordatus. Sicut enim hebraica phrasi dicitur deficere vel indigere corde qui parum sapit, quem & Latinè vecordem vel excordem dicimus, & amentem quasi sine corde & mēte, ita possessor cordis dicitur, qui prudens est & sapit, quem & nos cordatum dicimus mentemque habere. Duabus prædictis sententiis congruit quod habet Hesiodus de tribus hominum generibus. Omnia per se qui præuidet, optimus ille est. Proximus ille tamen, qui paret recta monenti, Sed qui non sapit ipse, nec audit recta monentem, Inuida ei mentem misero natura negauit.

34 *Timor domini disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.*

SECVNDAM huius sententiæ partem iterum habet Sapiens posteà capite 18. versu 13. vbi nos habemus. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur. Nam & ibi in secūda parte Hebræa eisdem quibus hic verbis habent ad verbum, & anté gloriam humilitas. Vnde ex oppositione prioris partis patet per humilitatem hic non significari afflictionem, quæ & ipsa sæpè in scripturis vocatur humilitas, sed virtutē humilitatis, quàm Latinè aliqui propriè vocant modestiam. Nam & hanc virtutem propriè dictio Hebræa his locis posita, scilicet ענוה Anaua, significat. Itaq; significatur per suiipsius deiectionem & submissionem parari gloriam apud Deum & homines, iuxta illud Christi: Omnis qui se humiliat exaltabitur. Id cum per secundam hanc partem significetur, verisimile est & priorem partem hunc habere sensum: Timor domini, disciplina vel (vt alij vertunt) eruditio sapientiæ, hoc est, timor domini est salutaris quædam castigatio atque coercio quam sapientia consequitur quæque efficit vt quis fiat sapiens. Hic enim sensus conuenit secundæ parti magis quam expositio eorum qui interpretantur, Timor domini est disciplina vel eruditio sapientiæ, quia scilicet sapientia imprimis & maximè docet timorem domini. Priorem sensum magis cōfirmat versus quartus cap. 22. sequentis quem nos sic legimus: Finis modestiæ timor domini, diuitiæ & gloria & vita, cum ex Hebræo alij, & rectius, vertant. Præmium modestiæ & timoris domini, &c. vt modestiæ (pro quo Hebræis rursum est eadem dictio quæ hic vertitur humilitas) & timori domini tribuantur eadem. Itaque sicubi duabus illis cognatis virtutibus, gloria tribuitur tanquam earum effectus, ita & hic humilitas animi, gloriam homini adferre dicitur, & similiter timor domini, qui coercendo animum hominis, eúmque deprimendo, adfert sapientiam, efficítque vt sapientis nomen inter homines habeat, & sapientis officium obire possit.

Luc. 10.

CAPVT DECIMVMSEXTVM

1 *Hominis est animam præparare, & domini gubernare linguam.*

HEBRÆA ad verbum habent, hominis sunt dispositiones cordis, & à domino est responsio linguæ. Atque sic ferè citat hanc sententiam D. Augustinus lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. Habet enim sic. Hominis est præparare cor, & à domino responsio linguæ. Quo loco significat quosdam Pelagianorum ex hac sententia suum stabilire conatos errorem, quo asserebant ad hominem pertinere, bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei, sine hoc tamen adiutorio non posse bonum perficere, quia hic dicitur hominis esse præparare cor, quod est inchoare bonum. In qua sententia & Theophilactus videtur fuisse, qui proinde in quibusdam locis cautè est legendus. Contra hāc sententiam eruditè disputat D. Augustinus ostendens hunc locum, sic vt illi intelligunt, non posse accipi, quia contrariaretur illi dicto Saluatoris: Sine me nihil potestis facere, & illi Paulino: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Itaque hunc locum sic intelligit, vt priori quidem parte significetur quod hominis est, sed cum adiutorio, posteriori vero, quòd solius Dei est sine hominis cooperatione, intelligens secundam hanc partem non de lingua humana, sed diuina, vt sit sensus: Hominis quidem est præparare cor suum vt audiat quid in ipso locuturus sit dominus, sed expectata ab homine responsio linguæ diuinæ, pendet à solo domino. Ideo inquit, scriptum est, Hominis est præparare cor, & à domino responsio linguæ quia homo præparat cor non tamen sine adiutorio gratiæ Dei, qui tangit cor: homo præparat cor, in responsione autem linguæ, id est, in eo quod præparato cordi lingua diuina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est à domino Deo. Nam sicut dictum est, hominis est præparare cor, & à domino responsio linguæ ita etiā dictum est: Aperios tuum, & adimplebo illud. Hæc ille. Verum coacta videtur hæc interpretatio, cum de lingua hominis omnino videatur loqui Sapiens sicut de hominis corde. Proinde se hic quidam multum in sententiæ huius explicatione torquent, cum simpliciter Sapiens significare velit, hominem quidem apud se posse cogitare & frequenter disponere quid sit locuturus & responsurus, ac citra Dei auxilium, quod disposuit non bene elocuturum nec quod concepit ad effectum perducere posse, non quod cor disponere & parare possit ad loquēdum sine Dei gratia, sed quod etiam hoc ipsum quod cum Dei gratia loqui disposuit, eloqui bene non valeat, sine noua & singulari Dei gratià, quæ linguam moderetur & gubernet: vt intelligamus doctam vtilemque orationem non tribuendam soli meditationi præcedenti, nec sufficere ad bene salubriterque loquendum, vt quis apud se diligenter cogitet quid loquendum sit, sed post omnem nostram industriam pendendum nobis ab adiutorio Dei, qui non tantum memoriæ suggerere debet quod præcogitatum est, sed etiam dicentis linguam moderari, vt bene, vtiliter & cum gratia auditorum dicātur, quæ concepta sunt. Itaque doctè D. Hiero. pro illo. A domino est responsio linguæ, vertit, & domini est gubernare linguam. Nec illud tamen prætereundum, quod apud Hebræos non est genitiuus, hominis, sed potius datiuus, vt sit homini sunt præparationes cordis, quod nihil aliud significat quàm hominem apud se, in corde disponere, & cogitare, quid scilicet sit locuturus. Similis sententia sequitur in hoc capite. Cor hominis disponit viam suam, sed domini est dirigere gressus eius. Quibus sententiis conuenit illud vulgare, homo proponit, sed Deus disponit.

Ioan. 15. 1. Cor. 3.

2 *Omnes viæ hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est dominus.*

PLERIQVE libri habent pluralem genitiuum, hominum, non hominis. Iuxta quā lectionem relatiuum, eius, à Beda & Lyrano refertur ad dominum, de quo in præcedenti versu fit mentio, vt significetur omnium hominum quasuis actiones Deo esse cognitas, nec actiones tantum illum cognoscere, sed & intima quæque eius perpendere, cogitationes scilicet & intentiones animorum. At cum singulæ sententiæ seorsum sint accipiendæ, nec inter se hæreant, magis relatiuum (eius) ad hominem referendum quam ad Deum vt legatur singulariter, hominis, quemadmodū Hebræa habēt & plerique Latini codices. Non est autem Hebræis verbum, patent, sed, Omnes viæ viri mundæ sunt in oculis eius, vt significetur esse plerosque, quibus omnes suæ actiones mundæ videntur, eosdem tamen nonnimis sibi placeant scire debere, dominū non tantum externa attendere, sed etiam expendere animos, hominum, discernens videlicet quo animo quid fiat & qua intentione, vt illi fallere non possimus, sicut homines, apud quos nos nostráſque actiones nonnunquam probamus tanquam bonas, cum apud Deum cordium scrutatorem malæ deprehendantur.

Sententiam hanc clarius posteà eisdem penè verbis extulit Sapiens cap. 21. versu. 2. vbi nos bene iuxta Hebræa legimus: Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda dominus. Nam & ibi pro appendit, eadem est dictio quæ hic ponderator, & pro, sibi videtur, etiam est, in oculis eius. Vnde patet male hic vertere quosdam ex Hebræo, Omnes viæ viri mundi in oculis eius, vt mundicies ad virum non ad vias referatur, & relatiuum, eius referat dominum. Nostra lectio cum sensu iam tradito conuenit, si quemadmodum sæpè in scripturis ea quæ non probantur alicui dicuntur ab illo non videri, non agnosci, ita patere accipiatur pro probari & pulchrum clarumq; videri. Alioqui sequendus sensus ex Beda indicatus.

3 *Reuela domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.*

PRO reuela domino, magis ex hebræo vertendum est. Volue ad dominum. Voluimus autem ad dominum nostra opera, & cũ domino acceptum ferimus, si quid à nobis recte fiat, & cum ad honorẽ eius omnia nostra opera referimus, & cum ea quæ nobis incumbunt facienda, illi commendamus & committimus, orantes vt ipse ea dirigat atque ad salutarem effectum perducat. Tertium horum consulit Sapiens, dum hic dicit. Volue ad dominum opera tua. Illi enim cõuenit quod sequitur, & dirigentur, vel vt alij vertunt, stabilientur cogitationes tuæ, hoc est, Deo prosperante quæ cogitasti fœliciter procedẽt, & ad-
Tob. 4. implebuntur. Idem ergo hic monet quod Tobias dicens. Pete ab eo vt vias tuas dirigat & omnia consilia tua in ipso permaneant. Et
Psal. 36. quod Dauid. Reuela domino viam tuam & spera in eo & ipse faciet. Vbi etiam pro Reuela domino, idem est quod hoc loco. Volue ad dominum. Sed vt ibi 70. verterunt reuela domino, ita & hic noster interpres eos secutus vertit, quasi imperatiuus גֹל gol, hic & ibi positus sit à verbo גָּלַל gala, quod discooperire & reuelare significat, cum sit potius à verbo גָּלַל galal, quod voluere significat. Sensus tamen nostræ versionis eodem redit. Monemur enim domino reuelare opera nostra non vt manifestemus ei quasi ea ignoret, sed vt in precibus nostris ea illi proponamus, auxiliũ eius & fauorem implorantes. Vnde Beda: domino (inquit) opera nostra reuelamus quando eum quem nihil latere nouimus, in cunctis quæ agimus in memoriam reducimus, atque illius in omnibus flagitamus auxilium. Sic & Paulus, Nihil (inquit) soliciti sitis, sed in omni
Phil. 4. oratione & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

4 *Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum.*

DVPLICITER intelligi potest, Dominus omnia operatus propter seipsum, aut scilicet quia ex sola sua bona voluntate omnia fecit, nullius prouocatus meritis, vt propter causam efficientem vel impellentem denoter, sicut cum dicitur in scripturis, Deus bene facere Israeli propter Abraham aut propter Dauid. Aut quia omnia fecit propter gloriam suã & propter seipsum tãquam vltimum omnium finem ad quem omnia referuntur. Atq; hic posterior sensus magis conuenit ei quod sequitur, Impium quoq; ad diem malũ. Quoniam enim inter omnia quæ ad gloriam suam Deus fecit, impius quatenus talis est, videri poterat non comprehendi, eo quòd impius quatenus talis sit cõtra Dei gloriam, nec ad Deum se referat, sed ab eo auertatur aliud pro suo sibi fine diligens, ideo subiicit: impiũ quoque ad diem malum, supple operatus est dominus propter semetipsum. Non dicit Deũ operatum esse impium hominem, quia homo seipsum facit impium, non deus qui auctor mali non est: sed dicit quod Deus eum qui se impium facit, operatus est ad diem malum, hoc est, quod illum ordinauit ad diem malũ, diem vltionis, idque propter seipsum, & ad ostensionem gloriæ suæ, iustitiæ scilicet suæ in impiis, & bonitatis suæ, in electis, vt docet Paulus ad Roma. vbi ex Exodo citat exemplum de Rom. 9.
Pharaone, quod huc locum planè elucidat. De illo enim dictum est, Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Subtilius autem intelligitur Deum operari & facere hominem impium propter seipsum, si ex profunda Theologia intelligatur Deum non tantum impij impietatem ordinare ad suum bonum, sed etiam vt scriptura sæpius testatur, indurare ipsum impium, iuxta illud: Ego indurabo cor Pharaonis, &c. tradendo scilicet impium in reprobum sensum.

5 *Abominatio domini est omnis arrogans, etiamsi manus ad manum fuerit, non erit innocens.*

QVANQVAM Hebræa tantum habeant manus ad manum, tamen cum huiusmodi phrasi secundum probabiliorem interpretationem significetur conspiratio malorum inter se, vt dictum est in cap. 11. vbi similis est oratio, bene vertit interpres etiam si manus ad manũ fuerit, & est sensus: Omnis arrogans & superbus abominabilis est domino, nec tantum est abominabilis, sed etiam si multos secum habeat conspirantes non erit tamen impunitus, non euadet punitionem. Beda iuxta sensum quem cap. 11. reddidit ex D. Gregorio, intelligit arrogantem non fore coram Deo innocentem, etiamsi manibus nihil operetur, sed manus manui coniuncta sit in otio.

6 *Initium viæ bonæ facere iustitiam, accepta est autem apud Deum magis quàm immolare hostias.*

NON habent hunc versum Hebræa nec codices quidam Latini vetustiores, habent tamẽ Græca, ex quibus iuxta antiquam translationem nũc legitur in plerisque libris. Habẽt autem Græca sic, ἀρχὴ ὁδοῦ ἀγαθῆς τὸ ποιεῖν τὰ δίκαια, δεκτὰ δὲ παρὰ θεῷ μᾶλλον ἢ θύειν θύσιας, id est, principium viæ bonæ est facere quæ iusta sunt, accepta autem apud Deum magis quàm immolare hostias. Quanquam pro principium etiam verti posset, & forte melius, præcipuum, principatus summa, vt significetur viam bonam penitus consistere in
faciendo

faciẽdo quæ iusta sunt. Nam facere iustitiam non tantum est initium viæ bonæ, sed etiam eius consummatio. Cæterum adiectiuum (accepta) apud nos referri potest, vel ad iustitiam vel ad viam bonam, sicut & apud Græcos ambiguum est vtrum referendum sit ad iusta, vel ad viam bonam.

7 *Misericordia & veritate redimitur iniquitas, & in timore domini declinatur à malo.*

DOCET hic versus per quid cõtractum peccatum expietur, & per quid peccatũ ne contrahatur, vitetur. Per misericordiam, inquit, & veritatem, hoc est, æquitatem, vel iustitiam (quæ duo sæpè in scripturis cõiuncta, vt suprà est indicatum circa caput 14. obseruationem omnium mandatorum Dei includũt, iuxta illud Psalmi: Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas,) redimitur vel (vt habent Hebræa) expiatur admissum peccatum, magis scilicet quàm hostiis & sacrificiis. Et per timorem domini declinatur à malo ne cõmittatur. Quod & de timore seruili & de filiali què verum est, de quo vtroque etiam dicitur similiter ecclesiastici primo: Timor domini expellit peccatum. Timor enim seruilis declinare facit peccatũ cõsideratione pœnæ, filialis verò cõsideratione offensæ eius q amatur: Nam vt habet Poeta: Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Oderunt peccare boni virtutis amore. Cæterum pro veritate Græcus vertit πίστιν, vnde ex Græco in cap. superio-
Psal. 24. ri legitur hic versus, Per misericordiam & fidem purgantur peccata, sed intelligitur per fidem, fidelitas quæ à veracitate non differt.

8 *Cum placuerint domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

DOCET hæc sententia ex diuina beneuolentia erga iustos fieri frequenter vt qui ad tempus inimici fuerant, cum eis redeãt in gratiam & ex inimicis amici fiant, Deo sic in gratiam suorum conuertente hostium corda quę habet in manu sua. Patet istud in Dauide, cui Saul aliquoties reconciliatus est, Deo cor illius ob merita Dauidis cõmouente. In Tobia item, qui quoniam memor fuit domini in toto corde suo, dedit illi gratiam Deus in cõspectu Salmanasar regis, vt est Tobiæ 1. Patet idẽ in Assuero, corã quo Hesther & Mardocheus & per eos populus Iudaicus inuenit gratiam. In Ioseph item, Daniele & in tribus pueris. Item in Alexãdro Magno & Iaddo sacerdote, cuius historiã videre est apud Iosephum lib. 11. de capt. Iudaica c. vlt. Sed omnium maximè in populo Christiano, cuius inimicos Reges & Principes post multas persecutiones Deus tandem pacificauit cum eo, ita vt nõ tantum à persecutione cessauerint, sed etiã iugo fidei esse submiserint. Mysticè autem & generalius cum cœperit homo vitam rectam amplecti, Deóq; sic placere cœperit, inimicos eius spirituales, hoc est, vires sensitiuas spiritui rebelles, Deus ad pacem conuertet, atque cum ratione in amicitiam iunget, carnisque desideria rationi subiugabit, ita vt non tam apertè & violenter oppugnare spiritum valeant.

Ianſ. in Prouerb.

9 *Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.*

SENTENTIA clara est, similis ei quæ habita est cap. superiori: Melius est parum cum timore domini quàm thesauri magni & insatiabiles, & illi Psalmistæ dicto. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorũ multas. Non est tamen Hebræis cũ iniquitate, sed Psal. 36.
sine iudicio. Iudicium autem pro æquitate sæpè ponitur, vnde bene vertit noster, secutus Septuaginta qui habẽt μετὰ δόλου, id est, cum iniquitate. Fructus autem hic intelligi debẽt prouentus frugum terræ, sub quibus tamen omnes diuitiæ cõprehenduntur. Beda etiam mysticum huius sententiæ sensum indicat, vt significetur esse melius bene & iustè paucas habere virtutes, quam multas cũ superbia & hypocrisi. Potest, inquit, & sic accipi, quia melius sit in simplici conuersatione Deo deuotè seruire, quàm multis abundantem virtutibus (verbi gratia eleemosynis, orationib. ieiuniis, doctrina, castitate) proximorũ facta despicere & de sua quasi singulari sublimitate gloriari.

10 *Cor hominis disponit viam suam, sed Dominus est dirigere gressus eius.*

SIMILIS est hæc sententia primæ parabolæ huius capitis, vt ibi dictum est, significatúrque hominem quidem apud se cogitare & disponere quod ipsi agendum est, ad huiusmodi cogitationem non sufficere, vt quod
Phil. 2. dispositum est perficiatur, sed à singulari Dei gratia pendere, vt ad effectum illud perducatur, vt intelligamus non tantum nos indigere gratia & misericordia Dei præueniente quæ cor disponit viã suam, sed etiã gratia ac misericordia subsequẽte, qua cogitata operę perficiuntur, iuxta illud Pauli: Deus est qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Potest tamen & ex Hebræo alius esse sensus. Sic enim est ad verbũ, Cor hominis cogitabit viam suam, Dominus diriget (vel firmabit) gressum eius. Quo intelligi potest significatum tum demum dominum directurũ opera hominis, suoq; fauore prosperaturũ, cum homo apud se solicitè, & cogitatione ipsum cor peruadente cogitauerit viam suam, cum nõ temerè quid aggressus fuerit, sed bene præmeditatus, Deo sua negotia commendans, sine qua commendatione nihil prudenter disponitur. In hunc sensum accipit Caietanus.

11 *Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.*

REGVM erat olim non tantum leges & edicta populis præscribere, sed etiam iudiciis ferendis præsidere, vt patet de Dauide & Salomone. Itaque cum Regés Dei in terris vicem gerant, ac dij sint quidam terrestres (Vnde illis dicitur: Ego dixi dij estis & filij Psal. 81.
excelsi omnes) in labiis eorum diuinationem esse dicit, hoc est, velut oracula deorum, quæ diuinationes dicuntur, quia quæ pro officio aut præscribunt, leges promulgando, aut in controuersiis decernunt, sententiam proferendo velut à Deo profecta sunt reputanda, qui per eos officio suo fungentes loquitur, ac

iuſtitiam veritatẽmque tuetur,proinde in iudicando non facilè errabit os Regis,Deo nimirum cuius vices agit, ſententiam eius moderante.Indicat hæc ſententia quomodo ſingulariter Deus adſit regibus officio ſuo fungẽtibus,nempe quaſi prophetis ſuis & internunciis,ac proinde & reges monet vt ſumma moderatione ac grauitate in iudicãdo vtanẽ: & ſubditos vt decretis eorum nõ ſecus quàm oraculis diuinis obtemperent candidè ea interpretantes & benignè amplexantes. Veritas huius ſentẽtiæ declarata eſt egregiè in Salomone, cum in iudicio pronunciauit quæ eſſet vera viui infantis mater,cuius iudicium omnis Iſrael audiens, timuit regem, intelligens Dei ſapientiam fuiſſe in eo ad faciẽdum
Ioan.11. iudicium, vt eſt 3. Regum 3.Sic & Caiphas licet impius, tamen quia pontifex, oraculum protulit quòd expedit vnum hominem mori pro populo, vt non tota gens pereat. Et de ſacerdotibus ſimile quid cum eo quod hic dici-
Mala.2. tur de Regibus, habet Malachias. Labia, inquit ſacerdotis cuſtodiẽt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius,quia angelus domini exercituum eſt.Ex prædictis patet diuinationẽ cum alias in malam partẽ accipiatur pro prædictionibus falſorum prophetarum,qui diuini dicuntur,quia ſe Deo plenos & à Deo affla tos mentiuntur, hic accipi in bonam partem pro oraculo diuino. Quod ſi de Rege regum Chriſto domino ſentẽtiam hanc accipiamus, abſolute vera erit, quia verè diuina oracula, nec aliud quid labiis ſuis protulit ipſe,nec vnquam in iudicio errauit os eius, qui peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. At hæc eſt allegorica parabolæ tractatio,non literalis,quamquam Beda hãc parabolam de ſolo Chriſto dictam putet eo quod ſolus ipſe in iudicio non poſſit errare, cui idem author oſtendit, quomodo diuinatio propriè dicta, hoc eſt, falſorum prophetarum prædictio,tribuatur & competat potius quàm dæmonibus. Sunt qui pro diuinatione vertunt prophetiam,intelligentes per prophetiam,cognitionem & explanationem ſacræ ſcripturæ, vt ſignificetur cum cognitio ſacrę ſcripturæ fuerit in Regibus facultatẽmque habuerint eam explanandi, non facile in iudicio eos erraturos.Similem ſenſum habet Lyranus,niſi quod ridiculè diuinationem exponit diuinam lectionem, quæ eſſe debeat in Regibus iuxta præceptum Deuterono.17.quo præcipitur vt poſtquam Rex ſederit in ſolio regni ſui, deſcribat ſibi Deuteronomium legis, legãtque illud omnibus diebus vitæ ſuæ.

12 *Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt, & opera eius omnes lapides ſacculi.*

QVIDAM libri habent lapides ſeculi,quomodo & Beda legit,& interpretatur lapides ſeculi, iuſtos & fide fortes quos ab initio ſeculi Deus elegit vt eſſent lapides viui domus ſuæ ſpiritualis. Lapides, inquit, ſeculi iuſtos & fide fortes appellat,quales eſſe deside-
1.Pet.2. rabat Apoſtolus Petrus quibus admonens dicit: Et vos tanquam lapides viui ſuperædificamini in domos ſpirituales. Nullus ergo ab initio ſeculi ſua virtute electus eſt, & cœleſti ædificio aptus, ſed eius potius opere, qui omnia in pondere numero & menſura conſtituens,vnicuique ſicut voluit menſuram fidei & gratiarum diſtribuit.Hæc ille. Sed vt etiam Lyranus admonuit,corrupta eſt hęc lectio,& legendum,vt ex Hebręo patet,lapides ſacculi, quo ſignificantur ponderum genera, quæ lapidibus antiquitus diſtingui ſolebãt,vt nũc metallicis partibus, atq; in ſacculis reponebantur,vnde Deuteron.25.dicitur.Non habebis in ſacculo tuo diuerſa pondera. Intelligit tamen Lyranus ſecutus Bedam hac ſententia ſignificari,iudicia domini,quibus,ſcilicet mũdum regit,& præcepta quæ hominibus faciẽda decernit,eſſe pondus & ſtateram,id eſt iuſta & æquitatis lance diſpoſita, & omnia opera eius eſſe velut lapides ſacculi, quia omnia ſunt debitè in pondere & menſura diſpoſita, Sapiẽ. 11.
iuxta illud:Omnia in põdere,numero & menſura diſpoſuiſti. Itaque ſecundum hanc intelligentiã iudicia domini & opera eius preconſtrui debent tanquam ſuppoſita verbi ſunt. At ex Hebræis patet longè alium eſſe ſenſum & ſimpliciorem, nempe pondus & ſtateram atque bilances eſſe iudicia domini, quia hæc Deus ſeruari præcipit,& omnẽ diſtinctionem lapidum ſacculi non tribuendam inſtitutioni & adinuentioni humanæ,ſed eſſe tales lapides opera Dei, id eſt, à Deo inſtituta & præcepta qui iuſtitiam erga proximum hac ratione ſeruari voluit. Vnde ſuprà dixit cap.11. Statera doloſa abominatio eſt apud dominũ, & pondus æquum voluntas eius. Hebræa ad verbum habent, Pondus ſtatera iudicij (hoc eſt,ſtatera iuſta)ſunt domini & opus eius omnes lapides ſacculi.

13 *Abominabiles regi qui agunt impiè,quoniam iuſtitia firmatur ſolium.*

QVATVOR ſequẽtibus verſibus quæ ad reges pertinent deſcribũtur, & duobus quidem prioribus, quæ illis diſpliceant, quæ placeant,duobus verò poſterioribus quãtum illorum ira, quantum contra fauor valeat indicatur.Habent autem Hebręa huius ſententiæ primam partem paulò aliter,nempe,Abominatio Regum eſt facere impietatem,proinde non ſignificatur Reges deteſtari facientes impietatem, ſed ipſam abominari operationem iniquitatis, ita vt nec ipſi eam admittere velint,nec in aliis approbent. Quod tamen idem & noſtra lectio indicat. Nam qui agunt impiè nõ ſunt abominabiles regibus niſi propter operationem impietatis, quàm ſi in aliis deteſtentur,ipſi quoque ab ea faciẽda abhorrebunt. Significat autem hæc ſententia non quid ſemper reges faciant, ſed quid pro officio regali facere debeãt,nimirum vt plus cæteris impietatem deteſtentur,qui iuſtitię ſunt miniſtri cõſtituti in terris. Aut ſignificat quid boni Reges & hi qui verè Reges dici merentur,faciant. Nam qui iniuſtè opprimũt ſubditos,aut iniuſtitiam in ſuis fouẽt,tyrãni potius ſunt quã Reges. Vt enim rectè dixit D. Aug. lib.4.de ciuit.Dei.cap.4. Remota iuſtitia quid ſunt regna,niſi magna latrocinia?Indicat ſuo exẽplo Propheta Regius Pſal.100. quomodo Reges abominari debeãt impietatẽ & facientes eam.

tes eam. Cæterum Sapiens cauſam adiicit ob quàm Reges abominari debeãt impietatem, quoniam, inquit, per iuſtitiam firmatur ſolium,id eſt,regalis dignitas & authoritas,magis ſcilicet quàm viribus, minis & terroribus, quibus licet ad tempus ſubditi violenter cohibeantur, tamen vt nullum violentum eſt perpetuum ita tandem iniqua grauamina & principum impietatem non ferentes, ad rebellionem concitabuntur, cum contra iuſtitia exculta à Regibus & apud Deũ meretur, & apud homines impetrat, vt regnum principibus ſtabiliatur.

14 *Voluntas regum Labia iuſta, qui recta loquitur, diligetur.*

DIXIT quid regibus diſpliceat,nũc quid eis placeat, labia ſcilicèt iuſta, iuxta illud Dauidis. Qui loquitur iniqua non dixerit in cõſpectu oculorum meorum. Specialiter verò labia iuſta regib.placere aſſerit,quod ea ſint illis admodum neceſſaria vt rectè iudicent & vt populus benè inſtituatur. Eſt autẽ hic rurſus pro volũtas,Hebræis ea dictio quæ beneplacitum ſignificat, ita vt ſenſus ſit,Regibus placere labia iuſta.Cęterum pro diligetur,plerique libri habent dirigetur, quomo-
Pſal.110. do & Beda legit & Lyranus exponentes eum qui recta loquitur dirigendum à Deo in finẽ debitum atque in vitam æternam. At ex hebræis patet hanc electionem corruptam eſſe & legendum, vt habent libri emendatiores, diligetur,vt ſignificetur à regibus diligẽdum qui rectè loquitur.

15 *Indignatio regis nuncij mortis, & vir ſapiens placabit eam.*

BEDA intelligit priori parte ſignificari Regem Chriſtum indignari nunciis mortis, hoc eſt,angelis ſathanæ ſub quibus comprehenduntur & omnes qui verba nunciant proximis vnde à morte rapiantur eterna,quibus tamen quoniam iter pœnitẽtiæ non præcluditur,ideo ſubditum vult,& vir ſapiens placabit eum. Nam eum legit, non eam. Poteſt enim(inquit)reſipiſcendo dominum placare quem contigit ſtulte loquendo offendiſſe. At hic ſenſus, etſi pius, alienus tamen eſt ab intentione ſapiẽtis,qui vt ſupra duabus ſententiis locutus eſt in genere de regibus, ita & in duabus ſequentibus. Et vt ibi indicauit quid illis diſpliceat quid contra placeat,ita iã deinceps congruo ordine indicat quid valeat illorum vel ira vel beneuolentia,ne quis parui faciat illis vel diſplicere vel placere. Senſus ergo eſt,indignatio vel furor (Nam hoc magis ſignificat hebraica dictio) Regis eſt velut nũcij mortis, quia,vt illi, terrorem magnum incutit, inſtantẽmque mortem aut grauem aliquam vltionem portendit vt Heſter 7. patet in ira Aſſueri regis aduerſus Aman:ſic & poſtea capite 19. alia parabola ſimili indicatur quàm ſit hominibus regum ac principum ira metuenda & cauenda,cum dicitur.Sicut fremitus Leonis ita & regis ira, vbi & ſubditur quod cum ſequenti conſentit parabola. Et ſicut ros ſuper herbã ita & hilaritas eius,quamuis tamen grauis ſit & periculoſa ira regis,ſapientia tamen vinci poteſt & placari, vnde ſubditur. Et vir ſapiens placabit eam: Nam eam legendum patet ex hebræis. Placat autem iram Regis vir ſapiens, quia ſapienti ſuo eloquio aut prudenti aliqua adinuentione iram regis contra ſe vel alios conceptam auertit & ſedat, vt patet de Ioab, qui per prudentem mulierem Thecuitam ſedauit iram Da-
2.Reg.14 uid contra Abſalon.

16 *In hilaritate vultus Regis vita: & clementia eius quaſi imber ſerotinus.*

SICVT,inquit,in indignatione regis mors, ita contra in hilaritate vultus eius eſt vita.Eſt autem Hebræis pro in hilaritate vultus, in luce vultus, at per lucem vultus Hebraica phraſi ſignificatur hilaritas vultus alicui exhibita,ſicuti latinis facies hilaris, dicitur ſerena facies, & triſtis, nubila, obſcura. Non ſecus enim quàm lux, hilaritas vultus, lætitia afficit hominem cui exhibetur. Itaq; in hilari exhibitione vultus Regis conſiſtit vita, quia quos blande Rex intuetur,magnam inde lætitiam, quæ vita quædam & vigor animi eſt percipiũt ex intellecto eius erga ſe fauore, intelligũntque ſe vita donari etiamſi prius mortem ſibi ab illo inferendam metuebant.Et clementia eius, ſiue vt eſt Hebræis, beneplacitum aut fauor eius alicui ſcilicet exhibitus, eſt quaſi imber ſerotinus, aut vt eſt Hebræis, quaſi nubes pluuiæ ſerotinæ. Vt enim imber talis diu expectatus, gratus admodum & vtilis eſt terræ & hominibus,qui ex eo multa beneficia reportant,ita clementia & beneuolentia Regia,omnem pellit ex animo mœrorem, conſolationem & gaudium menti infundit,& multorum beneficiorum eſt cauſa. Exemplum huius inſigne in Aſſuero erga Heſter reginam. Cæterum quod in genere his ſententiis dictum eſt de Regibus, excellenter competit in ipſum,qui omnium regum excellentiſſimus Rex eſt. Ira enim Chriſti domini quã in nouiſſimo die exhibebit ſuo in malo aſpectu,mortem eternam illos manere denunciabit,quam hic interim qui ſapiunt redimere & placare ſtudent. Hilaritas autem vultus eius quàm iuſtis exhibebit,vitam eis afferet,gratáque erit velut pluuia ſerotina: cuius clementia & benignitas etiã in primo ſuo aduẽtu facta eſt iuſtis velut imber ſerotinus, vt qui ſuo aduentu mundum ſterilem,& aridum irrigauerit & fœcundauerit tanquam ros & pluuia,
Eſa.45 è cœlo deſcendens, iuxta illud Eſaiæ: Rorate cœli de ſuper, & nubes pluant iuſtum. Et bene pluuiæ ſerotinæ confertur Chriſtus, vt qui in vltima mundi ætate venerit in mundum, venturus ſecundo in nouiſſimo die.

17 *Poſſide ſapientiam,quia auro melior eſt, & acquire prudentiam,quia preciоſior eſt argento.*

HEBRAEA potius vertenda ſunt per infinitiuos poſſidere ſapientiam quàm bonum eſt ab auro, hoc eſt, longè excellentius eſt auro, & poſſidere prudentiam eligibilius eſt argento. Bene poſtquam dixit ſapientia placari poſſe furorem regis,iã ſubiungit hanc

sententiã qua sapientiæ possessionem præfert diuitiis, quia per sapientiam sæpè fit quod diuitiis effici non potest. Nam hac placatur sæpè efficatius regum ira quàm diuitiis, bonisque externis. Item possessio sapientiæ auro & argento præfertur, & quia animum verè diuitem facit, & quia auferri non potest, & quia vitam beatam, & hic, & post hanc vitam suo cõfert possessori. Vnde Ecclesiastes 7. dicitur, Hoc plus habet eruditio & sapientia quàm diuitiæ, quod vitam tribuunt suo possessori, & suprà cap. 8. dicitur: Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne deliderabile ei non potest comparari.

18 *Semita iustorum declinat mala, custos animæ suæ seruat viam suam.*

PRIOR pars potest ex Hebræo etiam verti per infinitiuum, vt sit, Semita iustorum est declinare à malo. Nam verbum est ambiguum, Noster secutus est Septuaginta, qui habent τρίβοι ζωῆς ἐκκλίνουσιν ἀπὸ κακῶν, id est, semitæ vitæ declinant à malis. Secunda pars verti potest etiam, Custodit animam suam qui seruat viam suam. Itaque huius lectionis sensus erit. Iter iustorum & eorum institutum est declinare mala, quia hoc est iustitiæ vna pars & prima. Qui sic sollicitè obseruat viam suam, is custodit animam suam eique bene prospicit. Nostræ lectionis quę eodem penè recidit, sensus est: Semita iustorum, id est, vita quàm sectantur, declinat mala, qui solicitus est ad custodiendam animam suam, ne peccato coinquinetur & pereat, is obseruat viam suam, diligenter semper ad eam attendens, ne fortè à iustitia deuiet, studétque assiduè suas actiones seruare immunes ab omni malo. Legendum enim est viam suam, non vitam suam vt multi libri habent.

19 *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus.*

CORRESPONDET hæc sententia quo ad vtranque suam partem ei quod per contrarium dictum est in fine præcedentis capitis. Gloriam præcedit humilitas, quæ duo simul repetuntur ferè eisdem apud Hebræos verbis cap. 18. vbi nos legimus: Antequã conteratur exaltatur cor hominis, & antequã glorificetur, humiliatur. Docet hæc sententia superbiam, vt in primo homine, ita in omnibus causam esse ruinæ & contritionis, id est, perditionis & calamitatis, atque fracturę. Nam hoc propriè est contritio, Neminẽ enim Deus punit ante peccatum, neque peccat aliquis nisi ex superbia quadam, nempe quod corã Deo humiliari nolit. Nunquam enim contemptim & mortaliter transgredimur Dei præcepta, nisi pluris facientes nostram vel voluntatem vel voluptatem, quam Dei imperium. Vnde bene dicitur in Ecclesiastico: Initium omnis peccati est superbia. Quæstio tamen hic moueri posset circa hanc parabolam, eo quod etiam iustis plerisque miserias & calamitates & ruinam accidere certum sit ex scripturis & experiẽtia, citra illorum peccatũ. Exemplum est in Iob & Tobia, qui citra superbiam præcedentem cõtriti sunt & afflicti, & è statu suarum diuitiarum & valetudinis exciderunt. At sciendum morem scripturæ non esse, vt quæ iustis accidunt ad illorum probationem, calamitates & tribulationes, vocet contritionem illorum & ruinam, sed his nominibus designantur tantum mala quæ à Deo inferuntur hominibus in pœnam præcedentis peccati, & quæ vt mala inferuntur. Eccl.10.

20 *Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis.*

PRAECEDENTI sententiæ hæc bene subiungitur, vt quæ ex ea consequatur. Quoniam enim superbia tandem cõtritionem affert, & altitudo ruinam, ideo melius est humiliari ac demittere seipsum cum mãsuetis hominibus quàm cum superbis diuidere spolia quæ ab humilibus impiè & superbè abstulerunt, & exultando inter sese diuidunt. Humiliari ergo hoc non accipitur pro affligi vt frequenter, sed pro demittere animum seseque deiicere. Nam Hebræis est, humiliare spiritũ. Et bene humiles spiritu hic cõiunguntur mitibus, non solum quia hæ virtutes cognatæ, sunt, & mansuetudo sine humilitate esse non possit, vt ob id dixerit dominus: Discite a me quia mitis sum & humilis corde: sed etiã quia hic fit oppositio humilium cum superbis spolia diuidentibus, qui scilicet iniquè quæ aliorum sunt auferunt, sicut mansueti patienter sua sibi auferri & iniuriam inferri ferũt. Sunt tamen qui pro mitibus malunt vertere abiectis. At cum vtrumque Hebręa dictio significet, nostra versio aptior est. Matt.7.

21 *Eruditus in verbo reperiet bona, & qui sperat in domino, beatus est.*

HEBRAEIS pro (in verbo) est magis super verbo, vel de verbo. Accipitur autẽ hebraica phrasi, verbum sæpe pro quacunq; re ac negotio quouis. Itaque sensus est. Qui non temere rem quampiam aggreditur, sed de re quàm tractare instituit, eruditus est & intelligẽs, cognoscens scilicet & quale sit hoc negotium, & quæ ad illud peragendum sint necessaria, hic reperiet bona, fœlicémque sortietur effectum. Quod autem sequitur. Et qui sperat in domino beatus est, adiectum est aut ad indicandum melius esse in domino suam collocare fiduciam, quàm in propria prudentia, aut ad indicandũ non satis esse negotium quoduis cum prudẽtia aggredi & administrare, sed præter hoc necesse esse vt quis omnem suam in domino reponat fiduciam: ita vt sententia significet duo necessaria ad fœliciter quid aggrediendum & peragendum. Conuenit secunda pars cum illo Psalm. Beatus vir cui Deus Iacob adiutor eius, spes eius in domino Deo qui fecit cœlum & terram. Pſal.145.

22 *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis est, eloquio maiora percipiet.*

SECVNDAM partem hebræa sic habent ad verbum. Et dulcedo labiorum addet doctrinam. Itaq; significatur eum qui corde est sa-

est sapiens cõsequi celebre apud homines nomen ita vt dicatur homo prudẽs & intelligẽs. Quod si autem sapientiæ accedat eloquentia qua suauiter & eleganter quæ sapientiæ sunt eloquatur, ipsum tum magis alios docere posse, aliisq; quæ sentit persuadere. Noster interpres dum vertit, maiora reperiet, vel vt multi libri melius habent maiora percipiet, videtur dictionem לֶקַח Lecach, quam alij doctrinam vertunt, accepisse vt significet acceptionem. Deriuatur enim à verbo quod accipere significat, vt sit sensus: Dulcedo labiorum addet acceptionem, hoc est, maiora percipiet. Cuius sensum pulchrè exprimit Beda, sic scribens: Qui sapientiam catholicæ fidei quam didicit illibatam in corde suo custodit, merito prudẽtis nomen accipit. At qui eandem etiam docte prædicare & contra hæreticos defendere nouit, maiora laboris amplioris præmia percipiet. Hęc ille. Simpliciter ergo accipi potest nostram literam significare, sapiẽtem corde hoc cõsequi laudis, vt dicatur prudens, eum verò qui non tantũ sapiẽs est, sed & eloquens, maiorẽ consequi laudem, vt non tantũ ipse prudẽs dicatur, sed afferendo aliis doctrinam, dicatur etiam magister prudentum. Alius tamen mox infra indicabitur huius parabolæ sensus.

23 *Fons vitæ eruditio possidentis, doctrina stultorum fatuitas.*

OBSCVRITATEM in hoc versu facit q. dicitur, eruditio possidentis. Beda sentiens etiam obscuritatem putat subaudiendũ, ipsam eruditionem, in participio, possidentis, vt sit plena sententia, Fons vitæ eruditio possidentis ipsam suam eruditionem. Quam subauditionem etiam ex Hebræo patet faciendam. Intelligit autem Beda significari eruditionem cuiusquam tum esse aliis fontem vitæ, cum ipsemet eam possidet eruditionem, hoc est, amorem verbi quo alios erudit, fixum in corde possidet atq; operę ipse exercet quæ prædicat. Sic & consequenter quod subditur, doctrina stultorum fatuitas, intelligit significare quod etsi qua bona vsu eruditionis didicerunt, eadem tamen quæ dicunt bona, ipsi fatuo corde contemnunt. Lyranus eruditionem possidentis intelligit eruditionem eius qui erudire alios potest, per sapientiam & eloquentiam suam. Alij ex Hebræo vertunt, Fons vitæ eruditio, vel intelligentia, possidentibus eam vel habentibus eam, vt significetur intelligentiam esse fontem vitæ his qui habent eã. Et omnino crediderim nostrum interpretem vertisse non possidentis, sed possidentibus, cũ & Hebræa pluralẽ habeant numerum, & græca habeant, τοῖς κεκτημένοις, id est, possidentibus. Itaque sensus verus est. Eruditio, hoc est sapientia & intelligentia (Nam ex Hebræa dictione patet eruditionem hic non posse accipi pro doctrina & institutione aliorum) est ipsis qui habent eam fons vitæ, quia velut scaturigo semper profluens, nec vnquam deficiens, subministrat eis assiduè, vnde & ipsi in anima viuant & alij per eorum doctrinam. At contra doctrina stultorum qua & seipsos & alios de agendis rebus aut credendis docent nihil aliud est, quã fatuitas, hoc est, stulta sunt quæcunque quatenus stulti & ex suo corde docent. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Cæterum dum legitur eruditio possidentis, simpliciter accipi potest significari eruditionem & sapientiam eius qui talentum sibi creditum non occultat, sed eo vtitur tanquã possidens & habens, esse fontem vitæ, vt ex qua ad alios vita profluit per doctrinam, cum alioqui eruditio eius qui non vtitur ea & est tanquam non haberet eam, sit veluti aqua stagnalis & lacus. Esse enim quosdam qui etsi habeant, sint tamen velut non habentes & non possidentes, ostendit illud Saluatoris: Omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Matt.13.

24 *Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam.*

PROSEQVITVR Sapiens hac & sequenti parabola laudes cordis eruditi, quemadmodum cœpit duabus præcedentibus, significatque hac parabola, cor sapientis suggerere ori, & quid dicendum sit & quomodo, efficereque vt prudenter, eloquenter, & cum gratia auditorum quid dicatur: Cor, inquit, sapientis erudiet os eius, hoc est, faciet os eius erudire & prudenter loqui. Et labiis eius addet gratiam, quia efficiet vt labia ipsius gratũ & acceptum proferant sermonem, aut quia frequenter docendo alios, efficit, vt labia sapientis maiorem in docendo gratiã habeant. Docendo enim & scientia in sapiente crescit & eloquentia. quia qui talento sibi credito bene vtitur, talentum sibi & aliis multiplicat. Est autem Hebræis pro eo quod noster iam vertit, addet gratiam, rursum quod suprà fuit in versu 22. addet doctrinam, pro quo ibi vertit maiora percipiet. Et intelligitur hic illud, addet doctrinam, dupliciter. Nam intelligi potest significari & quod sapientis cor, in dies maiorẽ docendo scientiam acquirat, & quod in animis audientium, doctrinam maiorem quotidie ingerat. Iuxta quam duplicem intelligẽtiam, etiam supra indicauimus dupliciter accipi posse nostram lectionem. Cæterum cũ hic versus confertur cum versu 22. præcedenti, cum quo est valde similis in verbis. (Nam vtrobique fit mentio de corde sapientę & de labiis doctrinã ad dentibus) satis apparet paulo alium illius versus esse sensum, quam modo dedimus, nempe hunc, Qui sapiens est corde is quoniam, per sapientiam in animo reconditam, erudite & prudenter loquitur ore suo (quoniam vt hic dicitur cor sapientis erudiet os eius) ideo appellabitur prudens idemque dulcis existens per sapientiam, in eloquio addet & in aliis & in seipso doctrinam, doctior quotidie & eloquentior euadet, aliisque semper magis ac magis sapientiam ingeret. Itaq; vnicam clausulam continet versiculus, docẽs sapientem prudentis nomen obtinere, quoniam eloquentia sua scientiã auget docẽdo. Pſal.145.

25 *Fauus mellis composita verba, dulcedo animæ & sanitas ossium.*

SVPERIORI versu ostẽdit vnde prudens & docta oratio proficiscatur, nempe ex corde sapien-

de ſapientis tanquam fonte vitæ, nunc oſtendit eius fructum, comparans illam eleganter fauo mellis quod & dulce eſt guſtui hominis, & ſalutare corpori. Compoſita, inquit, verba, id eſt, verba ſapienti corde prudenter eleganterque diſpoſita (pro quo Hebræis eſt, verba amœna) ſunt veluti fauus mellis, quia vt mel & dulce eſt & ſalubre, ita prudens eleganſque oratio eſt dulcedo animæ & ſanitas oſſium, hoc eſt, dulcis animæ & ſalubris corpori. Mentem enim mira afficit dulcedine, ac corpus quoque eiuſque vires recreat & reparat. Oſſa enim frequenter hic in parabolis & aliis ſcripturæ locis, phraſi Hebraica, pro membris & corpore ipſo ponuntur. Quadrat illud perfectè in verba illa diuinæ legis, de quibus dicitur Dulciora ſuper mel & fauum. Et in Canticis: Pſal. 138. Cantti. 4. Fauus diſtillans labia tua. Cæterum plerique libri habẽt ſine coniunctione, & dulcedo animæ ſanitas oſſium. Sic enim legit & Beda & Lyra, vt ſubaudiatur verbum, eſt, quod etiam quidam libri habent, vt ſit ſenſus, dulcedo animæ eſt ſanitas oſſium. Et quidem Beda intelligit nominatiuum dulcedo, à parte anteriori. Habet enim ſic: Multi per eloquẽtiam poſſunt amantibus & fauentibus ſuauiter pronunciare bona, quæ ipſi non amant, ea autem ſolum verba ad ſanitatem oſſium tuorum, hoc eſt, ad virtutum tuarum ſpiritualia incrementa proficiunt, quæ ex interna animæ tuæ dulcedine procedunt. Intelligit ergo quod dulcedo animo afferat ſanitatem oſſium. Lyra verò contra intelligit nominatiuum ſanitas à parte anteriori, vt ſit ordo, Sanitas oſſium eſt dulcedo animæ, hoc eſt, inquit, bona diſpoſitio & robur corporis aut ſpiritale robur virium animæ affert dulcedinem animæ, quia illa delectatur in ſanitate corporis ſui & virium ſuarum. At ex Hebræis patet veram lectionem eſſe, quam ſupra ſumus proſecuti, Dulcedo animæ & ſanitas oſſium, vt duo hæc ad verba compoſita referantur, quomodo & libri emendatiores habent.

26 *Eſt via quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.*

EXPLICATA eſt hæc ſententia ſuperius in capite 14. quæ ob id videri poteſt repetita, quod eandem conueniat mentibus hominum inculcatam eſſe, eo quod philautiæ vitio & cæcitate, longè maxima hominum pars decipiatur.

27 *Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum.*

DVPLEX huius prouerbij poteſt eſſe ſenſus, iuxta duplicem acceptionem verbi laborare, quod in ſcripturis & operari ſignificat & affligi, ſicut labor ſæpè pro afflictione & moleſtia ponitur, quam duplicem ſignificationem etiam hebraica dictio habet hic poſita. Iuxta poſteriorem acceptionem ſignificatur animam hominis afflicti, hoc eſt, hominẽ afflictum ſua culpa affligi quia os ſuum, eum ad huiuſmodi miſeriam compulit, & cauſa illi fuit miſeriarum: pro quo hebræa habẽt quia incuruauit ſe ad ipſum os eius, hoc eſt, os eius perduxit eum ad hoc: quia mors & vita in manibus linguæ eſt. Iuxta priorem acceptionem ſignificatur neceſſitas laboris corporalis, propter neceſſitatem cibi quem os exigit, iuxta illud Eccleſiaſt. Omnis labor hominis in ore eius eſt. Itaque ſenſus eſt. Is qui laborat operando manibus ſibi laborem illum impendit, quia os ſuum compulit eum ad laborem, petendo ſcilicet ab eo cibum corpori neceſſariũ quod ſignificatur per hoc quod hebræa habent, incuruauit ſe ad illum os eius, quaſi ſcilicet ſupplex petens cibum ad vitam ſuſtentandam neceſſarium: Docet hæc ſententia in hoc ſenſu, qui potior eſt, laborem humanum ori ſeruire, & ventri, ac proinde illum rationabilem eſſe, vt qui illum refugit, dignus etiam ſit qui non manducet iuxta illud Pauli. Qui non laborat, non manducet. Significatur etiã quam parum homini ſufficiat, & quam ſuperfluo labore ſe quidam vexent, cum paucis natura ſit contenta, quod ſimili ſententia indicatur Eccleſiaſtis 6. cum ſubiicitur. Sed anima eius non implebitur. Beda hunc verſum ad literam de primo parente exponit, quem vt in ſudore vultus ſui veſceretur pane ſuo, compulit os ſuum, quando cum ſerpente locutus eſt, & ore ſuo vetitum cibum guſtauit. Iuxta ſpirtualem intelligentiam intelligit ſignificari doctorem compelli ore ſuo vt laboret, nimirum quia neceſſe habet agere bona quæ dicit. Quod ex Grego. mutuatus eſt qui homil. 18. ſuper Ezech. ſic habet. Cum ipſa ſua verba doctores ad memoriam reducunt, erubeſcunt non ſeruare quod dicunt. Vnde per Salomonem quoque dicitur. Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. Os enim noſtrum nos compellit ad laborem, quando per hoc quod diximus à vitiis refrenamur.

Eccleſ. 6.

Gregor.

28 *Vir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardeſcit.*

VT ſuperius aliquot ſententiis indicauit fructum labiorum iuſti & ſapientis, ita nunc tribus parabolis proſequitur incommoda quæ ab impiorum labiis proueniunt. Pro impius vel (vt multi libri habent) inſipiens, hebræis eſt dictio Belial de qua ſupra dictũ eſt, capite 6. Qua dictione omnes intelligũt ſigni ficari impietatem & hominem impium, qui non obiter quaſi ex ignorantia aut infirmitate peccat, ſed ſtudio & induſtria. Proinde rectius hic legitur vir impius, quomodo habent Beda & Lyra, quam vir inſipiens, quæ lectio ex 70. eſt mutuata. Nam hi habent ἀνὴρ ἄφρων vir inſipiens. Porrò fodere malum dupliciter accipi pot, aut vt ſignificet indefeſſum corporis laborem, quem pro perpetrando malo inſtar fodientium in terra ſubeunt impij, iuxta id quod dicitur in Hieremia, vt inique agerent, laborauerunt. Aut vt ſignificet crebras & nõ intermiſſas impiorum cogitationes, quibus quaſi fodiendo inquirunt malum & modum mala perpetrandi vt fodere malum, ſit de malo perpetrando ſumma cum diligentia cogitare. Quidam vertunt, Vir impius effodit malum, intelligẽtes impium ex profundi cordis ſui eruere & producere malum, ſicut cor ſapientis

Ierc. 81.

ſapientis erudite facit loqui os eius: Iuxta quẽ modum & Beda de hæreticis ſpecialiter hãc partem intelligit, qui, inquit, pulcherrimos ac florentiſſimos diuinorum eloquiorum campos noxio linguæ ſuæ vomere rumpit, vt de interuis eorũ finibus, ſenſus impios, qui ibi non inſunt, eruat. Quod ſequitur. Et in labiis eius ignis ardeſcit. Hebræa clarius ſic habent: Et ſuper labia eius quaſi ignis ardens, hoc eſt, habet in labiis ſuis quaſi ardentem ignem, nimirũ quia labiis ſuis profert verba, quibus quaſi ignis ardens & cõburens miſerè torquet alios & perdit, nocumenta illis quouis modo inferendo, aut quaſi ignis ardens excitat diſcordias & lites inter homines, quod hæreticorũ proprium eſt. Et Iacobus linguam impiorum ignem vocat. Lingua inquit, ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis, & inflammat totam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.

Iacob. 3.

29 *Homo peruerſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat principes.*

AVT hæc ſententia ſuperiorem exponit ſi per ignem labiorum ſemẽ diſcordiarum intelligatur, aut aliud linguæ malum inſinuatur, nempe quod inimicitiarũ ſit cauſa, quod bene tribuitur homini peruerſo, qui ſcilicet omnia peruertit atque in malam partem rapit, aliterque rem atque verba refert quam ſe habent. Item verboſo, aut, vt habent Hebræa, ſuſurroni & delatori, quales plerunque ſunt homines loquaces & multiloqui, omnium auribus quæuis inſuſurrantes multaque referentes quæ proſeruanda concordia erant reticenda. Tales ergo peruerſi homines & verboſi vel ſuſurrones ſuſcitant plerunque inter homines contentionem & diſcordias, nec inter priuatos tantũ, ſed & inter principes quos ab inuicem ſeparant, ſuis delationibus eorum amicitiam dirimendo in magnum regionum diſpendium. Quadrat & hæc ſententia ſingulariter in hæreticos, qui peruerſe interpretando ſcripturas, & ſuis ſuſurris ac verboſitate inſtillando peruerſa dogmata, pacem Eccleſiæ ſcindunt, diſcordias ſuſcitant, bellorum & inimicitiarum inter principes ſunt authores, quod noſtra tempeſtate nimis experientia docuit. Pro principes dictio Hebræa etiam maritum ſignificat, vt intelligi poſſit verboſos & ſuſurrones etiam maritum à Chariſſima ſeparare vxore, cum totius familiæ diſpendio.

30 *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam.*

TERTIVM linguæ malum inſinuatur, nimirum quod impiorum lingua ſua blandiloquentia, ac ſpecioſis promiſſis lactet, hoc eſt, ſuadendo decipiat etiam amicos & proximos, dum aut in proprium commodum impius alteri ſuadet, quod ipſi inutile erit & noxium, aut dum ad ſuas iniquitates aut errores alterum pertrahit, ita vt ambulet viam quam aliquando ſuo malo ſentiet non eſſe bonam.

Rom. 16. De talibus dicit Paulus: Per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentum.

31 *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua, perficiet malum.*

DVPLICITER hæc ſententia intelligi poteſt iuxta duplicem lectionem. Nam ſi legatur præſens, perficit, vt legit Beda, ſenſus eſt, Non is tantum perficit malum corã Deo, qui opera perpetrat, ſed & qui attonitis oculis hoc eſt, fixo animo cogitat praua, item qui ex indignatione mordet labia. Si autem legatur perficiet, tum ſignificatur malũ aliquod metuendũ ab eo qui cogitat intento animo praua, item ab eo qui mordet labia ſua præ ira & vindictæ cupiditate. Indicat enim hæc parabola conditiones quaſdam & ſigna exteriora hominis, qui alteri machinatur malum, vt ex his illum obſeruãtes nobis ab illo caueamus. Poteſt autem hic verſus, aut ſub clauſula intelligi, quemadmodum noſtra lectio requirere videtur, & ipſa Hebræa, quæ habent ad verbũ, Claudens oculos ad cogitandum peruerſa, mouens, vel agitans labia ſua perfecit malum: ita vt vnum tantum ſit principale verbum ſignificeturque hominem qui malum perficere conatur, primum quidem claudere oculos ſuos, aut attonitis fixiſque ſtare oculis ad cogitandum peruerſa, deinde mordere vel agitare labia ſua, quaſi paratum ad perficiẽdum quod cogitauit. Aut poteſt accipi iuxta multorum verſionem, vt ſit etiam ſententia bimẽbris, duobus conſtans principalibus verbis, ſignificánſque duas in diuerſis conditionem a chinantium malum. Vertunt enim plerique, Qui obſtinatos habet oculos (vel qui claudit oculos) facit hoc ad cogitandum praua, & qui agitat labia ſua, perficiet malum. Quomodo & noſtra litera accipi poterit, ſi ſubaudiatur verbum eſt, hoc modo, qui attonitis eſt oculis cogitat praua, &c. Prior ergo conditio cogitantium malum, eſt habere oculos attonitos, hoc eſt, quaſi ſtupefactos, fixe rem aliquam ſic intuentes, vt tamen præſentia non percipiant. Sic enim ſe habent, quorum cor valde intẽtum eſt alicui cogitationi, vt cum impius intẽto animo malum aliquod excogitat: quãuis poſſit eſſe & conditio eius, qui circa bonũ aliquod intẽtus eſt animo. Sic dicitur & apud Iob: Quid te eleuat cor tuum, & quaſi magna cogitans attonitos habes oculos? Alij vertunt claudere oculos, quod licet diuerſum ſit, & propemodum contrarium ſuperiori conditioni, tamen eodem recidit. Quemadmodum enim qui animo eſt circa aliquid valde intentus, frequenter attonitis oculis res præſentes ſpectat, ita qui aliquid ſerio vult agitare corde, claudere ſolet oculos, ne externis diſtrahatur rebus. Noſter ſecutus eſt Septuaginta, qui habent σηρίσων ὀφθαλμὸς, id eſt, firmans oculos. Noſtrum ſecutus eſt quidam ex recentioribus, habet enim, Qui obſtinatos habet oculos. Secunda cõditio eſt mordere labia ſua. Ex imaginatione enim perficiendi malum quod cogitat, aut ex indignatione, mouentur dentes ad huiuſmodi actum quaſi geſtientes nocere ei cui male volunt. Hebræa propriè habent, innuens labiis ſuis. Eſt enim hic verbum quod oculis ſæpè tribuitur, pro quo quidam bene vertit, Agitans labia ſua, quod non multum eſt diuerſum ab eo quod noſter habet,

Iob. 15.

Mordens

Mordens labia ſua, ſecutus etiam hic ſeptuaginta, qui habent ἐπιδάκνων τοῖς χείλεσιν, id eſt, mordens labia. Nam qui irati mordent labia ſua, nunc hæc, nunc illa mordent, ſecumque loqui videntur, labia ſua mouētes & quaſi malum minitantes. Beda myſticè intelligit impiū attonitis oculis cogitare praua; qui in cogitādo ea non videt quæ ſe in futurum retributio malorum operum ſequatur, quaſi attonitos & obſtupefactos oculos cordis habens.

32 *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis iuſtitiæ reperietur.*

SENECTVTEM commendat non quamuis, ſed quæ reperitur iuſtitiæ vias obſeruare, hanc dicit eſſe coronam dignitatis, vel, vt habent Hebræa gloriæ, hoc eſt, ornamentū glorioſum, honeſtum & decorum, quia talis ſenectus commendat conſpicuumque facit mire ipſum hominem apud omnes mortales; ornamentum item eſt totius communitatis; ornat quoque ipſam iuſtitiam quæ in ſenibus conſtantior eſſe ſolet, & maior magiſque ab omnibus obſeruatur. Sciendum tamen pro ſenectus, dictionem Hebraicam שיבה Seba, magis ſignificare ipſam in ſenibus caniciem crinium, vt ſit ſenſus, Caniciem capitis in ſenibus, eſſe in eis velut glorioſam coronam quæ capiti imponi ſolet. Nec eſt apud Hebræos relatiuum, quæ, ſed tantum corona gloriæ ſenectus vel canicies in via iuſtitiæ reperietur, vt intelligi poſſit ſenectuti vel caniciei duo tribui, & quod ornamento ſit homini, & quod reperitur in via iuſtitiæ, quod iam duobus modis accipi poteſt. Aut vt ſignificetur per iuſtitiam perueniri ad extremam ſenectutem. cum mali homines ferè ante diem Psal. 54. ſuum moriantur, iuxta illud Pſalmi. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, hoc eſt, Non peruenient ad dimidium dierum ſuorum. Cui ſenſui conuenit quod Septuaginta habent στέφανος καυχήσεως γῆρας, ἐν δὲ ὁδοῖς δικαιοσύνης εὑρίσκεται, hoc eſt, corona gloriæ ſenectus, in viis autem iuſtitiæ inuenitur. Quod etiam ſic intelligi poteſt, vt ſignificetur in via iuſtitiæ conſtitutam eſſe ſenectutem, iuxta illud, Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectu- Sap. 4. tis vita immaculata. Aut ideo dicitur in via iuſtitiæ reperiri ſenectutem vel caniciem, quod qualemcumque viam agāt iuuenes, aut adultæ ætatis homines, tamen iam cani ſolent iuſtitiæ vacare & pœnitere ſi quid iniquè geſſerint. Nec obeſt, quod non ſemper ſic ſit. Quod enim ferè ſolet fieri, non quod ſemper fit his parabolis proponit Sapiens. Noſtra tamen litera etiam probè ſe habet. Nam frequens eſt apud Hebræos, vt relatiuum ſubticeatur & ſubintelligendum ſit, vnde poſt noſtrum interpretem plerique hic addunt.

33 *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo, ex pugnatore vrbium.*

NON dicitur hic patiens melior à bonitate virtutis. Quis enim dubitet patientem ſic eſſe meliorem viro forti, cum patiētia virtus ſit animi, fortitudo autem corporis non ſit virtus animi, à qua ſola quis dicitur bonus. Sed melior ponitur pro preſtantior. Eſt autem pro patiens hic rurſum, vt ſupra aliquoties, tardus ad iram, vel longus ad iram. Proinde obſeruandum quam pulchre patiens viro forti conferatur & præponatur. Ex omnibus enim virtutibus corporis fortitudo maximam habet laudem apud homines. Nulli enim magis celebrātur, quam in bello præclari duces, qui hoſtes vicerunt, vrbes & prouincias ſubiugarunt: & tamen iudicio ſapientis præſtātior eſt qui vnicam ex concupiſcentiis ſuis, nempè irā vincit & impeium ſpiritus ſui ratione moderatur, quam qui vrbes aut prouincias ſuperat. Præſtantior (inquam) non ſolum quia magis laudandus, ſed etiam quia reuera fortior illo iuxta illud Poetæ, Fortior eſt qui ſe quam qui fortiſſima vincit Oppida, nec virtus altius ire Mantua. poteſt. Et idem, Ardua res, viciſſe alios, victoria maior, Eſt animi fluctus compoſuiſſe ſui, Et alius, Latius regnes auidum domando ſpiritum, quam ſi Libiam remotis Gadibus iungas, & vterque Pœnus ſeruiat vni. Et quidem hæc animi fortitudo oſtenditur in quarumlibet paſſionum repreſſione. Vnde in ſecundo membro generaliter dicitur, qui dominatur animo ſuo, vel vt habent hebræa, ſpiritui ſuo: peculiariter verò & eximiè probatur in repreſſione iræ, vnde de ea in primo membro ſingulariter fit mentio, de qua etiam peculiariter intelligendum videtur ſecūdum membrum, vt per animum intelligatur impetus ille quo quis ad iram impellitur, à quo dicitur animoſitas. Vnde græcis eſt κρατῶν ὀργῆς, hoc eſt, qui dominatur iræ, Omnium enim paſſionum, ira eſt vehementiſſima, & ſuperatu difficillima, à qua fortiſſimi quique ſecundum corpus frequenter aliis citius ſuperantur. Ciuitates plurimas ſubiugauit totam penè Aſiam vicit & Aphricam Alexander ille magnus, & tamen iræ & furoris beluā in ſe ſuffocare non potuit, ſed iracundia victus chariſſimos amicos Parmenonem, Philotum, Clitum & Caliſthenem trucidauit, vi alij taceantur vrbium domitores, qui ſuos non potuerunt domare affectus. Pulchrè in hunc verſum ſcripſit D. Grego- Gregor. rius, qui homil. 35. in Euan. ſic habet: Quanto culmine virtus patiētiæ polleat, Salomon indicat, dicens: Melior eſt patiēs viro forti & qui dominatur animo ſuo expugnatore vrbium. Minor eſt ergo victoria, vrbes expugnare, qa extra ſunt quæ vincuntur. Maius eſt autem quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ ſternit. Eadem habet in 3. parte curæ Paſtoralis, à quo ſuum commentarium Beda eſt mutuatus, vt & aliàs.

34 *Sortes mittuntur in ſinū, ſed à domino temperantur.*

AD verbum Hebræis eſt, In ſinum proiicitur ſors, & à domino omne iudicium eius. Eo autē quod dicitur à domino eſſe omnē iudicium eius, ſignificatur dominū ſortē cuique occulta ſua æquitate attribuere & diſponere, vnde bene noſter vertit, à domino temperantur. Docet hic verſus nihil in humanis rebus geri ſine nutu & diſpenſatione diuina, vt ne ſortes quidem quæ cæcæ fortunæ tribui

ſolent ab hominibus, & ſine ratione putantur cadere, aliter eueniant quam pro mo- Psal. 30. deratione diuina. Vnde Pſal. In manibus tuis ſortes meæ. Apparet autem morem fuiſſe vt ſortes in ſinum alicuius colligerentur, vnde poſtea cuique ſua educeretur, quemadmodū apud nos colliguntur in ollam aut vas quodlibet. Quomodo autem licitum ſit ſortibus vti, videre licet apud D. Thomam in ſecunda ſecundæ quæſt. 65. art. 8. Beda & hic myſticam huius ſententiæ tractationem non incommodam affert, ſic ſcribens, Sicut ſortes palam in ſinum mittūtur, at clauſæ in ſinu continētur diuini autem eſt iudicij, cuius ſors elata, palmā teneat; ſic hominum facta in preſenti quidem vita latent, ſed cuius ſint meriti pateſcet in futuro, prolato videlicet tunc & manifeſto iudicio ſingulorum, quaſi de ſinu examinis diuini. Poteſt & aliter quod dicitur de ſortib. in ſinum mittendis intelligi, iuxta illud Salua- Luc. 6. toris; Menſuram bonam dabunt in ſinum veſtrum, vt ſignificetur vnicuique ſuam tribui conditionem, quam ferre debeat, ſed eandē non fortuito obuenire, verum ex diuinę iuſtitiæ temperamento. Ita accepiſſe videntur Septuaginta qui habent, In ſinum ſuperueniūt omnia in iuſtis, à domino autem omnia iuſta

CAPVT XVII.

1 M*Elinr eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.*

VICTIMAS opponit Sapiēs buccellę ſiccę, id eſt, pāni ſine obſonio, tanquā lautiores & pinguiores dapes obſoniorum. Selent enim & apud Iudæos & apud infideles mactatis primo in honorem Dei victimis, quæ ex pinguioribus fiebant animalibus, poſteà ſimul lautè & iucundè epulari ex eiſdem. Vnde ſupra cap. 7. mulier lubrica adoleſcentulum ad conuiuium inuitans introducitur, dicens; victimas pro ſalute deuoui, hodie reddidi vota mea. Cæterum pro gaudio, Hebręis eſt שלוה Salua, quod pacem ſignificat & tranquilitatem. Vnde veriſimile eſt noſtrum Salue dimanaſſe, Septuaginta vtrunque coniunxerunt. Habent enim μεθ' ἡδονῆς ἐν εἰρήνῃ, id eſt cum gaudio in pace poteſt autem quod hic dicitur de gaudio vel pace, aut intelligi de gaudio quod inter ſe conuiuātes concordes habent, & erit hęc ſententia ſimilis ei quæ habetur cap. 15. Melius eſt vocari ad olera cum charitate quàm ad vitulū ſaginatum cum odio. Aut poteſt accipi de gaudio & pace mentis quæ benè ſibi conſcia eſt cui opponitur mens quæ ſecū ob remorſum aſſiduè iurgatur & contendit, & erit hæc ſententia tum ſimilis ei quæ præcedit prædicto loco, Melius eſt parum cum timore domini quam theſauri magni & inſatiabiles. Melius eſt, enim cum gaudio mentis ſibi bene, conſciæ, vel pane ſicco veſci, quam habère domum plenam lautiſſimis cibis, ſed ob quos malè partos mens inquieta eſt, & turbatur intra ſe. Poteſt & miſtycè accipi, vt cū Beda intelligatur ſignificari melius eſſe parua bona cum charitate facere ſine ſcientia prædicandi (vt hoc ſit ſiccā eſſe buccellam) quàm magnis effulgere virtutibus, cum admixtione diſcordiæ. Item melius eſſe ſapientiam in ſacris literis reconditam habere ſine ſeculari eloquentia & ſapientia, quam hanc, quæ mundi iudicio delicatior iudicatur, habere cum urgio & litibus, quæ varietate ſcientiarum inflatos ſequi ſolent.

2 *Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet.*

COMMENDAT & hic verſus ſapientiam vt per quam fiat, vt etiam is qui ſeruilis eſt conditionis, & ob id ſubiici ex ſua debet conditione, dominetur ſtultis filiis familias veris alioqui dominis ſuis. Dominetur, inquā, ſiue quia pater illum in ſeruili manentem cōditione filiis præficit, volens illos ſerui ſapientis parere iuſſionibus & magiſterio, tutelámque illorum ſeruo prudenti committens, ſiue quia propter ſuam ſapientiam, libertatem adipiſcitur & cum libertate etiam dominium in eos quib. aliquando ſeruiuit, iuxta illud Ec- Eccl. 10. cleſiaſtici; Seruo ſenſato liberi ſeruiēt, quēadmodum patuit in Ioſeph patriarcha, & multis quotidie, qui ex humili conditione proueħūtur, vt præſint ingenuis & liberis. Et alio, qui reuera, ſemper ſeruus ſapiēs dominus eſt filiorum ſtultorum, quia ipſa per ſe ſapientia dominiū ei affert in illos, vt per quam eos pręcellit, eorúmque affectus & mores moderatur. Iam quod dicitur: Et inter fratres hæreditatem diuidet, bifariam etiam accipi poteſt nempe, quia totius familiæ à patre moderator relictus, patris quodammodo fungēs munere, filiis hæreditatem diuidet aut quia ex patris voluntate tanquam vnus è numero filiorum hęreditatis partem cum filiis accipiet Itaque ſignificat hæc parabola ſapientiam præſtare ingenuitati & libertati, vt quæ adferat dominium, libertatem & hęreditatē. My- Myſtic⁹ ſenſus. ſticè iuxta Bedam ſeruus ſapiens dominetur filiis ſtultis cum quilibet peccator delictis olim ſubditus, poſt conuerſionem vitę ſapiens effectus atque flagrantiſſimo amore Dei feruens filiis ſtultis, hoc eſt quibuſlibet fidelib. à charitate tepeſcentibus, actu vel prædicatione ſua eis prælatus dominatur, atq; inter fratres, perfectos ſcilicet ſanctos, ſupernæ patriæ hæreditatem diuidet. Iuxta quam myſticam tractationē, allegoricè ſeruus ſapiens populus gentilis eſt qui Chriſti iugo collū ſubmiſit. Hic dominatur filiis ſtultis, Iudæis ſcilicet incredulis qui ſe veros Dei & Abrahæ filios iactant, dicentes Domino. Nos filij Abra- Ioan. 8. hæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquā. Inter fratres hæreditatem diuidet, quia inter Prophetas & Apoſtolos partem accipit, & hæreditatem Iudæis tanquam filiis debitam.

3 *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat dominus.*

HEBRÆA ad verbū habēt aurifex (vel conflatorium) argento & fornax auro, & probat corda dominus. Et eſt ſenſus, argentum habet aurificem aut conflatorium,

id,

id est, vas id quo argentū funditur & purificatur (Nā vtrunque potest significare dictio hebrea) & aurum habet fornacem in quo probari possit, at cor solum habet dominum qui illud probare possit. Noster interpres rectè particulas similitudinis suppleuit clariusque sententiam vertit secutus 70. qui sic verterūt ὥσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ ἄργυρος, id est, sicut probatur in camino argentum, Sapientiæ 3. & aliis plerisque locis iustorum probatio comparatur probationi argenti & auri, & per fornacem. Tanquam aurum (inquit) in fornace probauit electos dominus & in Ecclesi. In igne inquit probatur aurum & argētum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. Hic vero in genere probatio cordium quorumuis hominum comparatur probationi argenti & auri. Sed illis quidem locis electorū probatio tali designatur comparatione, quoniam sicut aurum & argentum per ignem purgatur & probatū ostenditur, ita per ignē tribulationis, iuste & purgantur & probati ostenduntur. Patientia enim probationem operatur inquit Paulus. Hic vero cordium quorumuis probatio sub tali comparatione tribuitur Deo: & Deus quidem igni probanti cō paratur, corda vero hominum auro & argento quæ probantur, vt significetur quod sicut aurum & argentum suam habent probationis rationem, ita & corda hominum suum habent probatorem & examinatorem, quemadmodum illa diligenter ob sui precium ab hominibus per ignem probātur, ita & Deus qui ignis quidam est corda hominum, veluti res quas maximè curat & magni facit, sui iudicij examine quasi igne efficacissimo expēdit, ita vt clarè discernat cordium intentiones & dispositiones, atque diiudicet quæ alicuius vel nullius sint precij, & rursum quæ maioris vel minoris sint precij. Dicitur autem & aliter in scripturis Deus nonnunquam corda quæuis & quosuis homines instar conflatoris & aurificis probare, nimirum quia tribulationibus & prædicatorum suorum vocibus & sermonibus conatur eos ab impuritatibus ipsorum purgare ostenditque qui reprobi sint & qui probati inuēti. Vnde in Hiere. dicitur: Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustrà conflauit conflator, malitię eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.

Eccles. 2.

Rom. 5.

Hiere. 6.

4 *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus.*

HEBRAEA pro verbis obedit & obtēperat, habent auscultat & audit. Quę si simpliciter accipiantur, significatur hac sententia vnumquemque his rebus capi quę cum ingenio eius conueniunt, ita vt malus lubēter auscultet linguæ prauę & qui fallere cupit lubēter intendat his quæ fallacia labia proferunt. Noster interpres verba illa accepit pro obedire & obtemperare, quomodo & apud nos frequenter auscultare & audire accipiūtur. Itaque significatur prauam linguam & fallacē facilè persuadere iis qui ingenio & animo sunt malo & fallaci.

5 *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus*

PRIOR huius sententiæ pars, expositа est in versu 30. cap. 14. Secūda pars manifesta est significans eum qui alterius miseriæ non misereturꝫ sed contra potius ob eam gaudet, puniendum aliquādo à Deo, ita vt & ipse ruinā sentiat, qui de alterius ruina lætatur. Exēplum est in Semæi insultāte regi Dauid cum fugeret filium Absolom.

6 *Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.*

DOCET hęc parabola & filios parentib. & parentes filiis esse ornamento & decori. Senum enim corona, hoc est ornamentum est, quod non tantum filios, sed & filios filiorum habeant, per quos securiores fiūt de posteritate, per quam immortales quodammodo sunt futuri, qui iam mortem vicinam agnoscunt, de qua immortalitate posteritatis nonnihil dubitans senes cum filios absque liberis vident. Vnde in veteri Testamento pro magna benedictione ꝓmittitur, videre filios filiorum, vt in Psal. Videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Vicissim patres sunt gloria & decus filiorum, quia eorum virtus & nobilitas ornat filios & honore apud homines afficit. Proinde monet rectè sententia, quod quemadmodum senes amant impensè suos nepotes, vt quos intelligunt sibi esse ornamēto, ita vicissim filij colant ac venerentur suos parentes, vt à quibus eorum gloria & decus pendeat. Dicitur enim in Ecclesiastico: Gloria hominis ex honore patris sui. Quod de carnalibus parētibus & filiis dicitur, idem & de spiritalibus dicēdum. Senum enim, hoc est, patrum veteris testamēti ornamētum est, quod ipsorum sint filij, non tantum Apostoli, sed & filij horum, quos illi per fidē genuerunt Christo: & vicissim gloria atque honor filiorū noui testamēti est, quod Patriarchæ & Prophetę veteris testamenti sint patres eorum. Sciendū autem dictionem, gloria, posse hic accipi, aut vt significet decorem vel honorem, aut vt significet gloriationem, sitque sensus filios gloriari in suis patribus. Priorem enim significatiōem magis habet dictio Hebraica, posteriorem dictio Græca καύχημα, quæ valet idem quod gloriatio. Post hanc sententiā sequitur apud Græcos sententia quæ aliquoties apud Augustinū & alios occurrit. Fidelis totus mūdus diuitiarum est, Infidelis autem neque obolus, Vide August. lib. 5. Confess. capite. 4. & epistola. 54.

Psal. 33.

Ecclę. 3.

Auguſt.

7 *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.*

PRO verba composita & labium mētiens Hebræa habent, labium excellentiæ vel authoritatis, & labium mendacij vel falsitatis. Itaque labium excellētiæ opponitur labio mendacij. cum pulchra vocum alluſiōe, quæ nō potest hic sicut & in multis huius libri sentētiis in versione exprimi, quāuis vt aliqua sit apud nos similis vocū hic alluſio, dici possit, labium

labium authoritatis & labium falsitatis. Pro labio excellentiæ noster vertit, verba composita, quia per labium excellentiæ significatur oratio præstabilis & grauis, vt quæ tractat de rebus grauibus ad salutē Reipub. spectantibus. At hanc oportet non impræmeditatā esse aut inconcinnam, sed aptis beneq; ordinatis verbis ac sententiis constare. Itaque significatur, quod sicut res grauis nō decet varios, ita nec vanitas graues, quodque stultos aut imperitos minimè decet huiusmodi oratio quæ magnos tantum decet viros & doctos, qui sua dignitate & authoritate orationi huiusmodi pondus addere possint, ita & Principes viros minimè deceat mēdacium, vt quorum verbis propter authoritatem omnes facilè adhibent fidem, qui proinde quam plurimis facilè possent imponere. Quomodo ergo stultus admit authoritatem orationi quæ ei debetur, ita princeps dat authoritatem quæ falsitati non debetur. Discere licet ex hac sententia quales debeant esse prædicatores verbi diuini, nempe nequaquam stulti, hoc est, imperiti & mundana spectantes, sed planè principes virique graues, & authoritate tum doctrinæ, tum officij prædicti. Item tales ab omni mēdacio & falsitate debere esse alienissimos, maximè dum pro officio suo cōcionantur ad populum. At iamdudum leuissimis & indoctissimis hominibus ferè munus prædicandi commissum fuit, qui & ipse multis vanis & falsis sæpè sermones suos suffarcire soliti sunt.

8 *Gemma gratissima expectatio præstolantis: quocunque se vertit prudenter intelligit.*

HEBRAEA longè aliter sic habent: Lapis gratiæ, id est, lapis preciosus, est munus in oculis dominorum suorum, ad quē se verterit, prosperabitur. Quo significatur munus alicui collatum, esse apud eum in precio velut gemmam aliquam gratam, & proinde munera prosperum effectum consecutura apud eū cui conferuntur, atque ab eo quæ desiderantur, impetratura. Itaque significatur muneribus homines delectari, ac munera ferè omnes placare, iuxta illud: Munera crede mihi placant, hominēsque deōsque. Verbum שבל Sacal, quod iam vertimus, prosperabitur, significat etiam, & propriè, intelligere, eāmq; significationem secutus est noster interpres. Quidam in sua versione contrarium huius secundæ significationis sensum amplexus est, existimans in hoc verbo literam ש Sin positam vt aliquando fit, pro Samech ס scilicet pro. סבל iuxta quam acceptionem verbum hoc significabit infatuare, & erit sensus, Munus, eo quod sit velut gemma grata in oculis eorum qui illud consequuntur, excæcaturum & infatuaturum eos, iuxta illud Deuter. Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Mirum quid secutus sit noster interpres, cum vertit expectatio præstolantis, cum illud nec cum Græcis conueniat, nisi quod videri possit legisse literam Resch pro Dalet שבר Sachar, scilicet pro שבר Sachad. Nam illud significat mane quærere. Est autem sensus nostræ literæ iste: Res expectata à præstolante magnifit ab illo, estque in oculis

Deut. 16.

eius velut gemma gratissima, itaque quocunque se talis expectans vertit, & quicquid aggrediturꝫ aut quòcunque diuertit, prudenter se gerere studet quo re desideratissima non fraudetur, sed eam aliquātò assequatur. Beda hanc sententiam generalem peculiariter applicat ad id, quod omnium maximè est desiderandum, felicitatem scilicet æternā quæ margaritæ pretiosæ comparatur, Math. 13. ob quā comparandam homo prudens vadit & vendit vniuersa quæ habet.

9 *Qui celat delictum quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos.*

COMMENDAT hæc sententia silentium delictorum proximi, ac eorundem delationem condemnat. Quod autem dicitur in prima parte. Qui celat delictum, quærit amicitias vel vt aliqui legunt, amicitiam, primum quidem accipi potest de amicitia quam sibi comparat qui alterius delictum tegit. Nam per hoc efficitur quis multis gratus. Secundo etiam potest accipi de amicitia quam inter alios fouet, qui proximi errata celat. Nam qui proximi delicta regit, non sibi tantum hac ratione multorum amicitiam parat, sed & inter alios bene sibi cōsentientes amicitiam fouet, & dissidentes sæpè conciliat, dum quod quis in alium vel verbo vel facto peccauit, tegere & excusare studet. Vnde per contrarium subditur. Qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Vbi quod dicitur altero sermone, aut significat sermonem qui aliter rem narrat quā prius narrata est, quo scilicet res deprauatur & malignè refertur, aut simpliciter sermonē nouum, qui alter sit ab eo quo res quæpiam prius audita est referri, vt sit sensus. Qui quod semel audiuit, idipsum altero nouoque sermone repetit. Hebræa tantum habent. Qui iterat rem vel verbum, aut qui mutat verbum. Quod sequitur, separat fœderatos noster interpres cap. superiori vertit separat principes. Solent autem principes pactis fœderibus amicitiam inter se seruare quam in magnum Rei pub. dispendium, falsi prauique delatores sæpè rumpunt.

10 *Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.*

HEBRAEA ad verbum habent, Terret vel frangit increpatio intelligentem magis quam percutere stultum centies. Itaque apud nos dictio correctio actiuè accipi debet correptione & increpatione qua quis verbis alium corrigere studet, quæ etiamsi sit vnica tantum, tamen in cordato plus proficiet quā multa verba in stulto, quemadmodum experientia testatur. Proinde discrimen indicat hæc sententia inter cordatum & stultum, ac argumentum prudentiæ ostendit.

11 *Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

HEBRAEA & sic verti possunt. Profectò vel tantum rebellis quærit, malum, & ad hūc modū. Profectò vel tātum rebellionē quærit,

malus, quorum postremum secutus est noster interpres vertens. Semper iurgia quærit malus, hoc est, qui maligno & peruerso est animo, semper contentionibus deditus est pacem non amat, iurgia contra se & inter alios excitat. Sunt enim qui quædam ideo tantum defendunt non quod vera esse videantur, sed quia eis est voluptati ab aliis dissētire. Id quod cum in omnibus malis, tum in hæreticis maximè apparet. Ideóque contra talem mittetur angelus crudelis, quia aut ab homine iudice mittetur contra eum nuntius mortis, hoc est morte plectetur ob excitatas seditiones in Repub. aut à Deo angelus malus contra eum mittetur, qui eum sine misericordia ad æternum secum rapiat supplicium, aut etiam in præsenti vita variis affligat malis, quemadmodum afflictti sunt ab angelis malis Ægiptij, semper iurgantes & obsistentes. Moysi & Aaron iuxta illud Psal. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem, immissiones per Angelos malos. Psal. 77.

12 *Expedit magis vrsa occurrere raptis fœtibus, quā fatuo confidenti sibi in stultitia sua.*

AD verbum hebrea aut sic sunt vertenda, Occurrere vrsum orbatum in virum & non stultum in stultitia sua & sic aliquid erit subintelligēdum in hunc modum, Optabile aut tolerabile est vrsum occurere homini, nō autem stultum occurrere alicui in sua stultitia, hoc est illud tolerabilius, optabilius & minus formidādum est quam istud quia ab hoc plus imminet mali qui cum sua stultitia aliquem inuadit & impetit, vt qui non tantū vitæ corporali nocere solet, sed & famæ vel animæ. Aut sic per imperatiuum verti possunt, Occurrere vrso orbato in viro, & non stulto in stultitia sua. Qua locutione, phrasi hebraica significatur potius illud faciendū quàm istud. Quod secutus noster interpres vertit, Expedit magis vrsæ, &c. Addidit autē de suo duas illas dictiones confidenti sibi. Significat autē hæc sententia hyperbolica comparatione vel de cauendum ne quis contendat cum stultis, eorumque stultitiæ obsistere conetur disputando & arguendo, maximè si in sua stultitia & errore sibi placeat & confidat. Est enim vrsus animal alioqui ferocissimum & homini inimicissimum, at huius ferocitatem conduplicat perdidisse catulos, vnde vel tunc maximè formidabile est. Itaque & huiusmodi comparatione significatur à Chusi quàm sit formidandus Dauid cum suo exercitu. Tu inquit, nosti patrem tuum & viros qui cum eo sunt esse fortissimos & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat. Nihilominus tamen humano ingenio & industria sępè superatur hoc animal. Cæterum stultum in sua cōfidentem stultitia nulla neque arte, neque viribus possumus domare, quemadmodū hac tempestate patet in nostris hæreticis, qui disputationibus non tantum non sanantur, sed irritantur magis ac ferociores fiunt, sæuientes in eos qui ipsis bene volunt, & ad saniorem mentem eos reducere conantur. Venerabilis Beda mysticè per vrsam furorem gentilitatis intelligit, vt significetur facilius esse doctoribus sanctis furori gentilitatis occurrere rapiendo fœtus eius, atque à bestiali eius sæuitia ad fidei pietatem conuertendo quàm hæreticum quemlibet confidentem sibi in sui perfidia dogmatis, ad fidem rectam reuocare, vel catholicum praua agentem, ad bonæ operationis statum reducere. 1.Reg.17.

13 *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.*

INDICAT hæc sententia quàm magnum sit malum, ingratitudo illa pessima qua quidam malum rependunt pro bono, quales sunt præter alios stulti confidentes in stultitia sua (de quibus in sententia superiori) dum ab aliquo bene monentur & corripiuntur. Qui inquit, reddit malum pro bono, hic vt non simpliciter peccat) bis enim peccāt) ita non semel tantum punietur, sed non recedet malum pœnæ de domo & familia eius, quemadmodum pulchrè explicatur ad longum Psal. 108. Dicit autem, Non recedet malum, siue quod sic frequenter fiat, siue quia omnes tales hoc merentur, quemadmodum pleræque huius sententiæ sunt intelligendæ.

14 *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit.*

CLARAM & iucundam Hebræa habent sententiam in hunc modum, Aperit aquas principium contentionis, & antequam misceatur lis, desere, scilicet litem, hoc est, Principiū iurgiorum est, sicut cū quis aquas cohibitas aperit exitúmque eis præbet. Nam sicut cum aquis exitus aperitur magnæ inundationis causa præstatur, quàm postea non facile est cohibere aut reuocare, ita cū contentioni & iurgio principium datur; nascitur ex eo frequenter impetuosus furor omnia turbans, quem componere non ita sit facile, & sicut vel minima apertura in principio aquis data, violētia aquarum mox fit maxima, ita cum principium litis minimum sit & parui fiat, frequenter instar impetuosæ currentis aquæ, in rabiem & multa mala procedit. Proinde monet Sapiens vt antequam lis misceatur & contentio ex vtraque parte incalescat, lis deseratur, quemadmodum cōsultum est augustum aquarum foramen mox obturare priusquam violentia aquarum dilatetur. Non rectè ergo Lyranus (vt non dicam ridicule) nostram literam explicuit: sic scribēs: qui dimittit aquam, bibens vinum nimis fortè, caput est iurgiorum, quia lites oriuntur ex ebrietate. Dimittere enim aquam non est hic positum pro desere eam & abstinere ab ea, sed pro eo quod est aquam nō cohibere, sed eam laxare in fluxum, quemadmodum bene intellexit D. Gregorius hunc locum tractans lib. 7. Mora. c. 24. vnde & Beda suum hoc loco, vt & alias sæpè commentariū mutuatus est, Aquam, inquit, dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare. Quo contra in bonam partem dicitur, Aqua profunda verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Gregor. Prou.18.

Vnde

Vndē è diuerso scriptū est: Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Hæc illæ. Habebit nostra litera sensum hebraicæ lectionis, si subaudiatur similitudinis particula, quæ frequēter in his sententiis est subintelligenda. in hunc modum, Sicut qui dimittit aquā, ita est caput iurgiorum. Et quod sequitur hunc habet sensum, Ecce is qui caput est & author iurgiorum, antequā patiatur contumeliā aut iniuriā, quæ huiusmodi authores dissidiorum sequi solet, deserit iudicium, hoc est, id quod iustum est. Significatur ergo ideo talem incidere in contumeliam, quia ipse prior deseruit æquitatem. Aut si nomine iudicij significetur causa forensis, quæ tractatur coram iudice, (dictio enim Hæbraica litem significat) sensus esse potest. Quoniam author litis similis est laxanti aquā: ideo si rectè & consultè vult agere antequam grauem aliquam incidat ignominiam, deserit cœptam à se causam coram Iudice, iuxta illud: Esto consentiens aduersario tuo, &c. Prou.26. Matth.5.

15 *Qui iustificat impiū, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

DVPLICITER contingit iustificare impium & cōdemnare iustum, aut in quotidiano sermone dum quis impium iustum dicit & tanquam iustum laudat, iuxta illud Psalmistæ: Laudatur peccator in desideriis animę suæ, & iniquus benedicitur. Et contra iustus pro impio habetur & calumnia afficitur propter iustitiā, iuxta illud Saluatoris: Beati estis cū maledixerint vobis homines, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Aut in iudicio, dum authoritate iudicis impius lata sententia absoluitur, & iustus condemnatur, iuxta illud Esaiæ: Qui iustificatis impium pro muneribus & iustitiam iusti auferris ab eo. Vtrunque malum vtrobique æquè est & similiter Deo abominabile, quia per vtrunque similiter fit iniuria iustitię, & iniustitiæ fomentum præbetur. Psalm.9. Matth.5. Esa.5.

16 *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapiētiam emere non possit?*

SIGNIFICAT hæc sententia iuxta hanc nostram lectionem stulto diuitias non esse vtiles satis, sed potius inutiles. Diuitiæ enim expetuntur potissimum ad subleuandum hominis inopiam, stulto autem, hoc est, homini non sanæ mentis maximè opus est sapientia. At hanc talis diuitiis comparare non potest, siue quia diuitiæ, non sunt per se precium sapientiæ, siue quod stultus suo vitio eis vti nesciat ad sapientiam comparandam, quemadmodum eis sapiens vti nouit ad sapientiā consequendam. Itaque sequitur stulto diuitias nō prodesse, ad id quo indiget obtinendum, imo potius inutiles esse & noxias, vt qui ob sapientiæ carentiam eis non solum non possit bene vti, sed malè necessario vtatur; ad luxum scilicet & voluptates illi noxias, amissurus vt in plurimum diuitias per abusum, & in extremam peruenturus paupertatem. Simpliciter significat sententia sine sapientia diuitias prodesse non posse, atque illam diuitiis propriè non parari, & proinde sapientiam longè diuitiis præferendam esse, quantumuis eas mundus magnificaciat, tum quod illa sine diuitiis prodesse possit, tum quod facilè diuitias nomini comparet: Hebræa paulo diuersam habent sententiā in hūc modum. Ad quid est precium in manu stulti ad comparandam sapientiam, cum non habeat cor? Quo significatur quanquam diuitiæ multum prodesse possint homini cordato ad sapientiam obtinendam, frustra tamen huiusmodi sapientię præcium esse in manu & potestate stulti ob cordis inopiā, & proinde non tam pecunia quam animi præstantia parari sapientiam. Quod ad literam dicitur de diuitiis temporalibus, Beda applicat ad diuitias spirituales, intelligens scripturam sacram, quam habere Iudæis & hæreticis non prodest, cum ea vti rectè non possint ad veram comparandam sapientiam. Idem & in malos catholicos dici pót quibus nō prosunt diuitiæ veræ fidei.

17 *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam, & qui euitat discrè, incidet in malum.*

HVNC versum hebręa non habent, habēt tamen Græca, & mox sequitur quod cū priori coincidit membro, cū dicitur: Qui exaltat ostium, quærit ruinam. Significat autem prius membrum superbiam sequi deiectionē, eúmque qui se exaltat, humiliādum, quemadmodum qui nimis altè ædificat, domū suam ruinæ & vi ventorum magis obnoxiam facit. Secundum membrū similiter significat eum qui præ superbia recusat doceri, in varia mala casurum, vnde per sapientiam eripi potuisset, suæque superbiæ dignas pœnas daturum.

18 *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.*

BREVITER & clarè sapiēs præscribit veri amici conditiones, vt eum à ficto & temporario amico per hunc modū dignoscamus. Is, inquit, qui amicus est, verus scilicet & non fictus, omni tempore diligit, hoc est, non solū in tempore prospero, sed & in tempore aduerso. Et in angustiis, tum demum comprobatur quis sit homini frater, id est, verus amicus & fratris germani loco, Hábent quidem Hebræa: & frater in aduersitate nascetur. At fratrem in aduersitate nasci, non est aliud quam esse qui in aduersitate persistit in amicitia, hoc ipso fieri homini fratrem & dignū qui frater vocetur. Quod nō est aliud ab eo quod noster vertit, Et frater in angustiis comprobatur. Ecclesiastici 6. simili nota docetur discrimē veri & ficti amici, cum dicitur: Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei teipsum. Est enim amicus secundum tēpus suum, & non permanebit in die tribulationis. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, &c. Et Seneca: Amicos fecūde res optimè parant, aduersæ certissimè probāt. Et alius, Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurū, Tempore sic duro est inspicienda fides. Ecclesiast. 6.

19 *Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo.*

SECVNDVM hanc, nostram, literam significatur stultitiæ signum esse, si quis spon-

ſponſione à ſe pro alio facta gaudeat,manibus que præ gaudio plaudat, quaſi re bene geſtá, gaudens quod hoc officio ſibi amicum promeruerit. Declarat enim hac ratione ſe non intelligere,quali periculo ſe expoſuerit,quam multi fideiuſſionibus in varias lites & moleſtias inciderint, atq; ad inopiam & miſeriam peruenerint,propter quæ potius deberet qui fideiubet,iuxta Sapientis conſilium ſupra c.6. ſolicitus eſſe vt à periculis imminentibus liberetur.Fili,inquit,mi,ſi ſpoponderis pro amico tuo, fac quod dico, & temetipſum libera,diſcurre,feſtina, &c.Hebræa ab aliis ſic vertuntur.Vir ſtultus figit manũ ſpondens ſponſionẽ pro proximo ſuo,vel apud proximum ſuum. Qua ſententia ſignificatur ſtultitiæ eſſe facilè figere manum, hoc eſt,ſtipulari & fideiubere pro alio,ob pericula ſcilicet ipſum manentia. D.Hieron.ſequutus Septuaginta figere manũ intelligit, complodere manus præ gaudio. Habent enim Septuaginta ἐπικροτεῖ καὶ ἐπιχαίρει. Diſcant ex hac ſententia quàm ſtulti ſint qui cum gaudio officiũ regendi alios ſuſcipiunt, pro quibus Deo ſunt reddituri rationem.

20 *Qui meditatur diſcordias,diligit rixas, & qui exaltat oſtium,quærit ruinam.*

OSTIVM legendum eſt, non os ſuum,vt quidam libri habent, Nam Hebræa & emendatiores Latini codices oſtium habent, quamuis per oſtium hic quidam intelligant os & labia hominis,vt quæ ſunt oſtium corporis humani. Itaque coincidet ſecundum hũc ſenſum vtraq; lectio in idem, ſignificabitúrque eum qui ſuperbè loquitur, deiiciendum & humiliandum.Priorem partem Hebræa aliter habent & elegantius ſic, Qui diligit rebellionem (vel peccatum) diligit litem. Dictio enim פשע Peſag & ſingulariter rebellionem & generaliter quamuis præuaricationem ac peccatum ſignificat,cum omne peccatum ſit rebellio quædam.Priorem ſignificationem noſter ſequutus videtur,& eſt ſenſus;Qui diligit rebellionem, atque ideo apud ſe meditatur diſcordias introducere, hic declarat ipſo facto ſe diligere rixas,rem minimè diligibilem. Nam ex rebellione ac diſcordia animorum, rixæ conſequuntur. Aut qui per animi ſuperbiam ſic eſt affectus vt ſemper contrariũ ſentiat, & defendere velit cõtrarium alterius ſententiæ,declarat ſe amare rixas,quæ hinc ſemper cõſequuntur,& multa afferunt mala.Similiter & quoduis peccatum ac præuaricatio rixam generat, vt etiam vertunt alii, qui diligit peccatum,diligit litem, & qui eadẽ ſuperbia, qua rebellionẽ amat ac meditatur diſcordias, oſtium,hoc eſt,domum ſuam exaltat (pars enim pro toto ponitur) aliis ſe præferens,nec quibus debet ſubiici volens, talis ipſo facto quærit ruinã & caſum,quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & domus in altum ædificata,ruinæ magis eſt obnoxia.Condemnat ergo hæc ſententia ſuperbiæ malum,vt quod ſit rixarum & ruinæ ac contritionis cauſa.

21 *Qui peruerſi cordis eſt,non inueniet bonum:& qui vertit linguam,incidet in malum.*

CONDEMNAT hæc ſententia & eum qui peruerſum habet cor,& eum qui inuerſam aut peruerſam habet linguam, hoc eſt,& eũ qui praui eſt cordis, omnia maligne apud ſe interpretans,praua corde aliis machinans, ac peruerſitatem cordis tegens atque diſſimulans. Et eum qui ſic vertit linguam ſuam vt aliud loquatur quàm cogitet, ad decipiendũ ſimplices, vt aliud in præſentia dicat adulando,aliud in abſentia, aut vt praua loquatur & erronea.Vtrunque vult ſignificare Sapiens & cariturum bono & caſurum in malum,quamuis elegantiæ cauſa de peruerſo corde ſolum dicat,quod non inueniet bonum:de peruerſa lingua,quod incidet in malũ:Non enim Deus tantum puniet peruerſitatem operum,ſed & cordis & linguæ. Caietanus intelligit de priore dictum,Non inueniet bonum:de poſteriore,incidet in malum,ad ſignificandum quod iſte peior ſit illo,quanto peius eſt incidere in malum,quam carere bono.

22 *Natus eſt ſtultus in ignominiam ſuam,ſed nec pater in fatuo lætabitur.*

HOC eſt natum eſſe cedit ſtulto in ignominiam, ſed & generaſſe ſtultum cedit patri in mœrorem.Hebræa habent, Qui generat ſtultum,ad mœrorem ſibi,& nõ lætabitur pater ſtulti. Quo ſignificatur quod cum parentes ex generatione ſua expectent gaudium, gaudeántque homines ſe habere proles,tamẽ contra euenit in ſtultorum parentibus, qui generãdo ſtultos,mœrorem ſibi generant, ita vt præſtitiſſet non procreare nec habere liberos, quam habere improbos, quos pater ſine triſtitia non poteſt intueri, & vnde propter illorum improbitatem in varios mœrores & mala frequenter incidit.Noſter interpres pro participio actiuo legiſſe videtur participium paſſiuum,punctis ſcilicet vocalibus mutatis, ſignificatúrque hominem improbum ſua ſtultitia efficere, vt cum alioqui natus ſit ad bonũ ſuum atque ad viuendum, natus ſit ad proprium dedecus,iuxta illud Saluatoris:Bonum Matt.26. erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Itaque ſignificatur quod eius vitio ad natiuitatẽ eius ſequatur ipſius ignominia. Male ergo legitur in pleriſque libris,In ignominia ſua.Simili ſenſu 1.Mach.2.dicitur.Vt quid natus ſum videre contritionem populi mei?

23 *Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.*

SIMILIS eſt hæc ſententia illi quæ ſuperius habetur in cap.15.verſu 14.vt ibi dictũ eſt:Cæterum pro ætatem floridam facit, alij ferè vertunt,bene facit Medicina,vt ſubaudiatur particula ſimilitudinis,vt,& ſit ſenſus:Animus lætus bene diſponit corpus ſicut medicina; Eſt enim lætitia mentis, optima corporis medicina.Aut verti poteſt bonam facit medicinam:hoc eſt, efficacem eam reddit. Nam ægroto medicina parum prodeſt, niſi animo ſit læto & expedito. Dictio enim Hebraica גהה Geha hic poſita propriè ſignificat medicinam & ſanationem. Videri tamẽ hic poteſt poſita potius pro ſanitate & valetudine,vnde vertit quidam,bene diſponit valetudinem,& alius,bonam reddit habitudinem,Iuxta quod

bene & noſter vertit ætatem floridam facit,ſicut & 70. pulchrè habent, καρδία εὐφραινομένη εὐεκτεῖν ποιεῖ.i.cor lætum bene habere,aut bene diſpoſitũ eſſe facit.Contra ſpiritus triſtis exſiccat oſſa,hoc eſt,membra corporis quę oſſibus conſtant. Sic enim ſæpè Hebræi vſurpant nomen oſſis, vt ſuprà eſt annotatum. Caietanus intelligit oſſa exſiccari,cum exſiccãtur medullæ quæ oſſibus continentur. Simile eſt Eccleſiaſtici 30.Iucunditas cordis hæc eſt vita hominis,& exultatio viri eſt longæuitas.Et Hippocrates φροντὶς χαλεπὴ νόσος, hoc eſt, cura grauis eſt morbus. Et Lucretius: Et dolor & morbus leti fabricator vterque. Myſticè hanc ſententiam ſic pulchrè explicat Beda: Qui interna ſpiritus conſolatione lętatur,etiã bonæ actionis flore decoratur & fructus præmiorum prę ſtolatur cœleſtiũ. Qui verò triſtitia ſeculi quæ mortem operatur,angitur,pinguedinem diuinæ charitatis in robore virtutum quas exercere videtur,habere nullatenus valet, ſed quaſi exſiccatis oſſibus marceſſit,quia in bonis actibus quos facit gratiam dilectionis amiſit.

24 *Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.*

DVPLICITER accipi poteſt, quod dicitur impius accipere munera de ſinu.Aut enim intelligi poteſt de accipiente munus à dante illud,vt de iudice vel aduocato, aut teſte impio, accipiente munus ab aliquo qui ei dat illud ad corrumpendum ipſum, Et tunc accipere de ſinu,eſt accipere ſecreto & latenter,ita vt ipſe accipiendi modus,magis arguat impietatem,quàm accipiens munus cupit tegere. Aut intelligi poteſt de accipiẽte munus è ſinu ſuo ad dandum illud alicui quem cupit in iudicio peruertere, Vt vt eſt ſignificatur nõ quodlibet delictum eſſe, ſed impietatem eſſe ſiue accipere ab aliquo, ſiue dare alicui munus ad corrumpendum iuſtitiam. Vtrunque ſimul videri poteſt ſapiens ambiguo ſermone in originali litera ſignificaſſe. Nam dictio (ſinu) ponitur apud hebræos in regione genitiui, vt videatur vertendum munus de ſinu impij.Et tamen verbum,accipit,deſiderat nominatiuum,impius.Itaque ſignificatur & impium eſſe qui accipit munus,& eum à quo accipitur. Quod ſi impius eſt qui pro munere peruertit vias iudicij,hoc eſt,leges iuſtitię,vbi de caducis agitur rebus,quanto magis qui foro conſcientiæ præſidens Epiſcopus aut ſacerdos cum iactura animarum pecunias accipit, vt peruertat iudicium.

25 *In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.*

PRIOR huius parabolæ pars dupliciter accipi poteſt.Fere enim ſic accipitur vt ſignificetur ſapientiam prudentis relucere, ſeſeq; Eccle.18. quamuis in corde abdita ſit, oſtentare & declarare in vultu ipſius,vt quod hic dicitur,coincidat cum illo Eccleſ. Sapientia hominis lucet in vultu eius, Iuxta quem ſenſum,quæ ſequitur pars ſignificat oculos ſtultorum vagos eſſe & inſtabiles,vt qui vel ad fines terræ reſpiciant,nunc huc,nũc illuc deflexi, ac proinde ſua inſtabilitate,hominis ſtultitiam coarguentes, ſicut contra vultus ſapientis, grauitate & maturitate, hominis ſapientiam teſtatur. Hunc ſenſum & græca ſignificant quæ habẽt πρόσωπον συνετὸν ἀνδρὸς σοφοῦ, id eſt, viri ſapientis facies eſt intelligens. Aliter tamen etiam accipi poteſt,vt ſit ſenſus,Sapientiam ſemper eſſe in oculis prudentis,ipſique eam videri claram & eximiam, præ omnibus aliis ipſum ad eam ſemper intendere & reſpicere vt ſecundum eam vitã ſuam inſtituat, ac de omnibus rebus rectè iudicet.Hic enim ſenſus magis videtur conuenire hebraicæ veritati, quæ non habet in facie,nec habet verbum,lucet,ſed tãtum. Cum facie prudentis ſapientia, ſcilicet eſt,hoc eſt,coram prudente eſt ſapientia. Iuxta quem ſenſum quod ſequitur ex oppoſito, Oculi ſtultorũ in finibus terræ,ſignificat oculos ſtultorum terrena tantum reſpicere; quibus adeo non ſaturantur vt præſentibus nequaquam contenti, etiam aliena quæ procul ſunt,deſiderẽt, vel orbis dominiũ ambientes.

26 *Ira patris filius ſtultus, & dolor matris quæ genuit eum.*

SIMILIS eſt hæc ſententia aliis pleriſque huius libri, ſignificans ſtultum filium parentibus malas reddere vices, pro beneficiis acceptis ab eis, vt qui in patre excitet iram & indignationem ad vindictam ipſum commouentem, in matre dolorem & amaritudinem animi.Itaque cauſaliter accipiẽdum eſt quod dicit,filium ſtultum eſſe iram patris vel dolorem matris: pulchrè autem iram patri tanquã viro magis conuenientem,dolorem matri tanquam mulieri magis accommodum tribuit.

27 *Non eſt bonum damnum inferre iuſto,nec percutere principem,quia rectè iudicat*

SIGNIFICAT hæc ſententia duo mala pleroſque cõtra iuſtitiam admittere dum & primum, iuſto iniuſte nocent, damnum ei in bonis aut corpore inferẽtes, & deinde principibus iudicibus,qui contra eos in defenſionem iuſti ſententiã protulerunt moleſti ſunt, lingua eos aut etiam manu inſectantes & percutientes. Vtrunque dicit non eſſe bonum, plus tamen ſignificare volens quam dicit,nimirum vtrunque eſſe valde malum & impiũ, nec apud deum ac homines graui cariturum vltione.

28 *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt:& precioſi ſpiritus vir eruditus.*

PRIOR huius ſententiæ pars ſatis eſt manifeſta,docens illinc probari poſſe hominis doctrinam & prudentiam, quia moderari nouit ſuos ſermones, ita vt nec plus nec minus quam deceat loquatur, nec quouis tempore aut loco quod nouit effutiat, ſed vt habent hebræa,contineat apud ſe eloquia ſua,tacenda reticens & tempori opportuno quæ dicenda ſunt ſeruans,eaque debito cum moderamine proferens. Cæterũ ſecunda pars quæ ſignificare videtur,virũ eruditũ habere precioſum ſpiritũ,vel vt alij vertũt, nobilẽ animum,

non bene conuenire videtur priori parti. Nam ea requirit vt ostendatur quis sit vir eruditus non quid sit. Itaque vertendum erat. Et qui est preciosi spiritus, vel qui preciosus est spiritu, est vir eruditus. In quem sensum & nostra litera facilè accipi potest, si sic ordinetur. Et homo vel vir preciosi spiritus, est vir eruditus. Vt autem intelligatur quem dicat preciosi spiritus vel potius preciosum spiritu, obseruandæ quædam apud hunc sapientem sententiæ, vnde huius intellectus pendet. Dicit enim cap. 29. Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt & reseruat in posterũ. Quo significatur stultum temere profundere quicquid habet in animo suo, contrà sapientem pleraq; apud se retinere secreta, suo tempore proferẽda. Et cap. 25. vrbi patenti comparatur vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum, id est, reticere quod habet in animo. Itaque preciosum spiritu vel hominem pretiosi spiritus dicit, qui nouit spiritum suum retinere & cohibere, ita vt non temere quod habet in animo & quod sentit, profundat, quique non facilè, sed ægrè & cum deliberatione matura spiritum suum ostendat, quem nos nostro idiomate dicimus carũ in verbis suis, hoc est parcum, phrasi non dissimili ab ea locutione quæ est 1. Reg. 3. Sermo domini erat preciosus in diebus illis, id est, rarus & parcus. Hunc sensum priori parti bene cõuenientem habent & Septuaginta qui verterunt μακρόθυμος δὲ ἀνὴρ φρόνιμος, id est, longanimis autem est vir prudens. Habet & quidam recentior qui vertit, Et animi frigidi, homo prudens est, exponens animum frigidum, animum remissum & non temerarium in loquendo. Vt autẽ verterit animum frigidum, in causa est quod vocem Hebręam וקר Vecar legerit, & interpretatus sit vt scribitur, quod sic videretur esse sensus priori parti conuenientior. Sic enim dictio Hebræa valet idem quod, Et frigidus, cũ alij legant aliter quam scribatur, nempe יקר Iecar, quod preciosum significat, quæ significatio bene loco etiam conuenit, & cum illius versione coincidit si phrasis scripturæ bene intelligatur.

29 *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.*

ADEO taciturnitas & silentium arguit hominis doctrinam & prudentiã, iuxta sententiam superiorem, vt etiam stulti & indocti, si tacere nouerint, sapientes reputentur & intelligentes ab his qui non nouerunt eos, imò & ab his qui nouerunt qui saltem in ea parte & pro eo tempore prudenter eos agere fatentur.

CAPVT XVIII.

1 *OCcasiones quærit qui vult recedere ab amico, omni tempore erit exprobrabilis.*

HEBRÆA longè secus habent, quamquã & ipsa variè à diuersis ob sententiæ obscuritatem (quam breuitas & dictionum ambiguitas parit) transferantur & exponantur. Ex variis autem versionibus & expositionibus hæc videtur conuenientior plerisque consideratis, Pro desiderio quærit esse separatus (aut quærit separationem) qui in omni re litibus se immiscet. Quo significatur eum qui quæuis cauillatur & in omnibus rebus lites excitat & contentiones, ostendere se cupide quærere, vt sit ab omniũ amicitia separatus, nec magnifacere cuiusquam beneuolentiam. Nostra versio imitata est Septuaginta qui sic legunt, προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βουλόμενος χωρίζεσθαι φίλων, ἐν παντὶ δὲ καιρῷ ἐπονείδιστος ἔσται, hoc est, occasiones quærit vir volens separari ab amicis. In omni autem tempore erit probrosus. Videtur Septuaginta pro תאוה Thaauah legisse תאנה Nun scilicet pro Vau, inter quas literas parua est apud Hebræos differẽtia. Nam Ana significat occasionem quęrere. Et vltimã versus dictionẽ יתגלע Ithgallah, quæ apud hunc sapientem semper accipitur pro litibus se immiscere videtur accepisse per Metathesim pro יתגעל Ithgaal. Nã verbum געל gaal significat reprobare. Hinc ergo omnis hæc nascitur varietas. Cæterũ nostræ versionis sensus est manifestus. Significatur enim eum qui amicitiam alicuius fastidit, & ex animi instabilitate vel malitia ab amico vult recedere, cum non habeat iustam discedendi rationem, vndique quærere occasiones & discedendi & discessionem excusandi, nunc hæc, nunc illa causando, vt ostendat se iustè recedere. Proinde talem merito probrosum fore apud omnes, nec quouis tempore maculam illam eluere posse, vt qui nequaquam læsus amicitiam deseruerit, quam etiam læsus non temere deserere debuisset, quiq; falsas aut inualidas suæ desertionis prætexit causas, peccans proinde multis modis. Secundum hanc autem explicationem dictio exprobrabilis passiuè accipitur, cum iuxta exigentiam Græcæ dictionis potius actiuè sit accipienda, vt significetur talem semper exprobrare & conuitiari amico quẽ reliquit vitia sibi nota denudando, eiusq; facta vbiq; carpendo quo suam discessionem iustam faciat. Veritas huius sententiæ manifesta est in quotidiana experientia, & potissimũ in hæreticis, qui quandoquidem fastidio vetustatis, aut sua malitia quęrunt discessionem ab ecclesia, quiduis causantur, minutissima quęq; exaggerantes & calumniantes, omniáq; infectantes & traducẽtes apud populũ nihil aliud ferè inculcantes in omnibus suis concionibus quam ecclesiasticorum vitia in quæ assiduè debacchantur.

2 *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius.*

NON habent Hebræa verbum, dixeris, sed sic, Non amat stultus intelligentiam, sed ea quæ corde suo volutat, nempe stultitiam & vanitatem. Et est sententia generalior, in qua sensus nostræ lectionis includitur. In qua nostra lectione dictio, nisi, posita est pro, sed tantum si, & est sententia clara.

3 *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

HEBRÆA ad verbum sic habent, Cum venerit impius, venit etiam contemptus, & cum ignominia (vel despectione) opprobrium. Itaque similis est hic versus cum versu 2. cap. 11. qui apud Hebræos, vt suprà dictũ est, sic habet, Venit superbia, venit & ignominia, (vel despectio) & cum humilibus sapientia. Ex qua collatione facilius verus huius loci sensus

sẽsus percipi poterit, cum à diuersis varie explicetur. Sicut enim ibi significatur superbiã comitari contemptum & despectionem aut ignominiam, Humilitatem verò sequi sapientiam, nimirũ quia superbus præ se facilè alios cõtemnit & ignominia afficit, ita & hic significatur impietatis comitem esse contemptũ, quia impius alios præ se contemnit, vilipenditque, & iura & homines, ita vt nullo vel timore, vel pudore à malo retrahatur, nullísque bene consulentium rationibus moueatur. Similiter in secunda parte cum dicitur. Cum ignominia est opprobriũ, significatur eos qui in seipsis sunt ignominiosi & probrosa committunt, opprobrium aliis adferre, quos contumeliis impudenter afficiunt, aut quos propter societatem & amicitiam probro & dedecore aspergunt. Noster interpres secutus est Septuaginta, qui in priori membro quædam de suo addiderunt. Habent enim ὅταν ἔλθῃ ἀσεβὴς εἰς βάθος κακῶν καταφρονεῖ, ἐπέρχεται δὲ αὐτῷ ἀτιμία καὶ ὄνειδος, hoc est, Cũ venerit impius in profundũ malorũ contemnit, sed sequitur ipsum ignominia, & contemptus, & est sensus, impiũ cum iam assueuerit malis, contemnere conscientiæ suæ remorsus, bonáque omnia consilia ac monita. Itaque sibi peccandi fræna relaxat, sed vt ipse omnes contemnit, ita vicissim ignominiam & opprobrium & in hoc seculo & magis in futuro sustinebit apud Deũ & homines.

4 *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ.*

LOQVITVR in prima parte non de quouis viro, sed de sapiente, Cęterum quidam intelligunt hac sententia significari duplicia esse verba sapientum, & quædam quidẽ profundæ aquæ esse similia, vt quæ non possunt à quouis intelligi, quædam verò torrenti vel flumini redundanti & fluenti, vt quæ sic facilè fluunt ad omnes, vt quiuis illa possit haurire & intelligere. Vnde Beda: Quia, inquit, doctorum verba fidelium quædam mystica latent & occulta, quæ solertiore comprehendantur industria, quædam verò aperta & cunctis audientibus facilia ad intelligendum profluunt, rectè hæc & aquam profundam & torrentem dici redundantem. Verum simplicius fuerit intelligere verba sapientis comparari & aquis profundis & flumini redundanti, eo quòd nũquã deficiant, nec vnquam exhauriantur, sed ex imo cordis prolata, subinde noua & noua, pari moderatione & intelligentia suppeditentur hominibus, atque ad eos profluant ex abundantia & profunditate cordis, ad instar fluminis scaturientis & indesignenter profluentis. Itaque aquæ profundæ cõparãtur, tũ quia nunquã deficiãt, tum quia non in ore (vt quidã ait) sed in pectore sint nata. Nec philosophandum cur potius torrẽs dictum sit quam flumen, cum Hæbræa dictio vtrunque significet. Bene autem vt habet Beda, verba sapientum aquæ comparantur, quia & lauant mentes audientium & irrigant, ne vel peccatorum sorde deformes remaneant, vel doctrinæ inopia cœlestis tabescant & quasi nociua ariditate deficiant.

5 *Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij.*

HEBRAEIS pro vt declines à veritate iudicij, est ad subuertendum iustum in iudicio, vt significetur, quanquam semper malum sit accipere personam impij, nec vlla in re id fieri conueniat, maximè malum esse & omnino minimè cõuenire vt ĩ iudicio id fiat ad opprimendum iustum hominẽ & causam eius qui iustitiæ studet, subuertendam. Cum enim dicit (nõ est bonum) plus vult significare quàm dicit, nẽpe id omnino non conuenire, & rem esse pessimã. Septuaginta verterunt in neutro genere ἐκκλίνειν τὸ δίκαιον ἐν κρίσει, hoc est, declinare quod iustũ est in iudicio, quod secutus noster vertit, vt declines à veritate, hoc est, æquitate iudicij, & redit sensus eodẽ. Nam declinando à veritate iudicij opprimitur in iudicio is qui iustam fouet causam. Cęterum accipere personã phrasis est scripturæ ex Hebræis & Græcis deriuata. Hebræa enim habent שאת פני Scheeth pene, quod ad verbum sonat suscipere vultum vel faciem, quãquã verti etiam potest, & melius, eleuare vultum, hoc est honorare faciem cuiusquam. Sic enim quodãmodo exponitur hæc locutio Leuitici 19. vbi legimus. Non cõsideres personã pauperis, nec honores vultum potentis. Pro quo in prima parte Hebræa habent, sicut hoc loco, Non accipies vultũ. Septuaginta ferè verterunt θαυμάσαι πρόσωπον, vel λαμβάνειν πρόσωπον, hoc est, admirari vel suscipere vultũ vel personã. Nam dictio פני vtrunque significat. Hinc est quod apud nos vertitur aliquando sumere faciẽ, vt in Psal. Facies peccatorum sumitis: aliquãdo accipere personam. Vt vt est, hac locutione significatur, quod Latinius dicitur habere rationẽ & respectũ alicuius, vt quia quis talem aut talem sese præfert, & talem personã gerit, ideo quis ei afficiatur, quod in iudicio, & his quæ ad iustitiam quam vocant distributiuam pertinent, fieri nefas est. Leui. 19. Psal. 81.

6 *Labia stulti miscẽt se rixis, & os eius iurgia prouocat.*

HEBRAEA ad verbum habent, Labia stulti venient in lite & os eius ad percussiones vacabit. Venire autem in lite noster interpres intellexit, liti se immiscere. Vnde vertit, miscent se rixis, quanquam simpliciter accipi potest venire in lite pro venire cum lite & litẽ secum adferre, vt cum secunda parte magis conueniat. In qua noster pro percussiones vertit iurgia, nimirum intelligẽs sapientẽ loqui de percussionibus quæ verbis peraguntur & lĩgua, quas digladiationes vocamus, quãquã generalius accipi potest os stulti nõ tãtũ prouocare iurgia inter alios & cõtra se, sed & percussiones manuum & pugnas. Frequenter enĩ per ea quæ temere effundit, non tãtum rixas excitat, sed & pugnas aliorum inter se, & contra se, colaphos nonnunquam referens & vulnera, proinde bene subinfertur.

7 *Os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius.*

QVONIAM enim iurgia prouocat & digladiationes, suo sibi ore perniciem &

contritionem adfert ſuámque animam perdit,aut illaqueat.Nam pro,ruina,Hebræis eſt, laqueus.Frequenter enim ſuis ſermonibus perit ſtultus,eiſque in mala ſic illaqueatur vt effugere non poſſit.Non ſolum autem os ſtulti ideo dicitur contritio eius, ruina & laqueus, quia adfert ei contritionem & perditionem, ſed etiam quia ſuis ipſe ſermonibus ſeſe confundit,dum contraria ſibi loquitur,& ſuis capitur verbis.

8 *Verba bilinguis quaſi ſimplicia,& ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.*

REPERITVR hæc ſententia infra ca.26. vbi nos habemus.Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia,& ipſa perueniunt ad intima cordis,Hebræis enim eædē ſunt omnino dictiones,quamuis hic verterit interpres bilinguis, ibi ſuſurronis:ibi intima cordis,hic interiora ventris.Vnde apud Græcos hæc ſententia hic omittitur, & tantum illo capite in ſequentibus ponitur.Porrò pro dictiõe,ſimplicia,Hebræis eſt dictio ambiguæ ſignificationis, vt pote quæ in Bibliis tãtum hoc loco habetur, & poſteà in eadem ſententia repetita. Eſt autem radix dictionis vtroque loco poſitæ לחמו Laham,quam Hebræi plerique,teſte Pagnino putant ſignificare blandiri,lenire,quod ſecuti Septuaginta verterunt λόγοι κεκρυμμένων μαλακοί, hoc eſt, verba adulantium mollia ſunt. Nec ab hoc ſenſu multum diuerſum eſt,quod noſter vertit ſimplicia.Eſt ergo hic ſenſus.Verba eorum qui coram bene blandéque homini loquũtur,at poſt tergum ſuſurrando hominis famam lædunt,ſunt quidem in ſpeciem ſimplicia, quia nullus eis dolus ineſſe videtur quantum ad ea quæ coram loquuntur, ſunt enim blanda & mollia, at eadem perueniunt vſque ad interiora ventris,hoc eſt, non ſecus atque acutus gladius in interiora hominis depreſſus, graue homini vulnus inferunt, grauémque dolorẽ,ſuntque valde nociua & mortifera,perinde atque viſcerũ vulnera. Cum enim quis ſimplicibus,blãdiſq; illis verbis,quæ coram loquuntur,credens, poſteà deceptum ſe deprehẽdit, grauiter in animo ſuo torquetur,magiſq;, quam ſi ab aperto hoſte ſuo malum aliquod accepiſſet. Aut ſi hanc ſentẽtiã quis malit accipere de verbis calumniantibus,quibus ſuſurrones homini detrahũt,ſenſus erit, Verba calumniatoris aut ſuſurronis (vt habet ſecundus locus) ſæpè ſunt blanda ac ſine omni malo videntur eſſe, quia quod criminantur,cauſantur ſe dicere inuitos, ac ipſa æquitate aut veritate coactos nec prima facie apparet illorum verba noxia eſſe, at frequenter non minus nocent quam vulnera in intimis hominis inflicta,grauémque mẽtibus hominum mœrorem atque læſionẽ inferunt, quæ nõ faciliè curari poſſit, vnde in pleriſque ſcripturæ locis talium lingua & gladio acuto cõparatur aut ſagittis acutis. Alij dictionem Hebræam vertunt percuſſiones,vel percuſſores,vt לחמו Laham, per Methatheſim literarũ poſitum ſit pro חלמו Halam, quod eſt percutere & vulnerare. Itaque in priore parte ſimpliciter verba calumniatorum comparantur percuſſionibus aut vulneribus,in ſecunda vero parte exaggerando dicitur ea non quibuſlibet percuſſionibus aut vulneribus eſſe ſimilia,ſed quæ deſcendunt in intima,hoc eſt,quæ mortifera ſunt ac incurabilia maximéque nocia.Quidam vertit Calumniatoris verba ſunt quaſi ſeipſum ferientis, nimirum quia dictio hic poſita eſt participium in coniugatione reciprocę ſignificationis Hithpaal,intelligitque calumniatorem quaſi ſeipſum ferire,quia ita criminatur, vt inuitus & vero coactus facere videatur.

9 *Pigrum deiicit timor,animæ autem effœminatorum esurient.*

NON eſt hic verſus apud hebræos nec in quibuſdam veteribus exemplaribus. Eſt tamen in græcis vnde hic aſſcriptus eſt. Significat autem timorem laboris ſubeundi deterrere ab opere, & animo deiicere pigrũ, ideóque fieri vt talis effœminatus,miniméque virili animo, penuriam pati cogatur, quemadmodum hoc libro pleræque ſimiles ſententiæ docent.

10 *Qui mollis eſt & diſſolutus in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis.*

QVAEDAM verba de ſuo adiecit interpres explicãdi gratia. Nã hebræa ſimpliciter habent. Etiam remiſſus in opere ſuo frater eſt diſſipantis, hoc eſt decoctoris. Quo ſignificatur eum qui in negocio ſuo & opere quod ei incũbit ceſſator eſt, ita vt non ſtudeat ſuum negocium promouere, ſimilem eſſe ei qui iam parta diſſipat. Nam vt hic perdit iam parta, ita ille perdit ſiue quæ cœpit, ſiue quæ nanciſci poterãt, quæque in manu eius erant,aut ſicut hic aperta profuſione ſua perdit,ita ille negligentia.Verum id eſt, non tantum in temporalibus rebus,ſed multo magis in ſpiritualibus:Vnde Gregorius hunc locum citans ſic ſcribit in tertia parte paſtoralis curæ,admonitione 35.Si inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſubleuat ipſa operandi remiſſio contra hoc quod operatum eſt pugnat.Hinc eſt enim quod per Salomonem dicitur. Qui mollis & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipãtis. Quia videlicet qui cœpta bona diſtricte non exequitur, diſſolutione negligentiæ manum deſtruentis imitatur. Ex quo loco ſuum cõmentarium mutuatus eſt Venerabilis Beda,vt & alias.Monet ergo hic verſus idem fere quod vulgaris verſiculus. Non minor eſt virtus,quã quærere,parta tueri, docétque quod non tantum profuſio, ſed etiam negligentia Patriſfamilias reddit rẽ familiarem deteriorem.Sic & magiſtratuum negligentia non minus nocet Reipub.quam vlli hoſtes.Et eccleſiam Epiſcoporum in curia & inſcitia non minus pene afflixit, quam ſæuitia tyrannorũ qui eam armis opprimere conati ſunt. Gregor.

11 *Turris fortiſſima nomen domini,ad ipſam currit iuſtus & exaltabitur.*

NOMEN domini ſcripturæ more eſt eius potentia & quicquid de eo celebriter prædicatur ac dicitur. Huiuſmodi nomen rectè aſſimilatur turri fortiſſimæ, aut vt habẽt hebræa turri fortitudinis, quia inſtar turris confugientes ad ſe protegit & ſecuros facit.Vnde ſequitur.Ad ipſam currit iuſtus,hoc eſt, quemadmodum homines ſolent quo tuti ſint ab inimicis confugere ad turrim fortem,ita iuſtus qui fiduciam ſuam nõ collocat in rebus terrenis nec in hominibus potiſſimum, currit ad nomen domini, inuocãdo illud contra ſuos hoſtes ſuáſque neceſſitates, nec fruſtra id facit quia exaltabitur in eo nomine,hoc eſt,quaſi in turri alta ſublatus à ſuis hoſtibus & eleuatus, protegetur. Hoc enim hic ſignificatur per exaltabitur,nempe quod veluti in excelſo loco, quo ad ipſum hoſtes accedere non poterunt, conſtituetur. Vnde alij vertunt, Et protegetur.Cæterùm quod in genere dicitur de nomine domini, peculiariter accõmodari poteſt ad nomen illud, quod ſolum datum eſt hominibus, vt in illo ſalui eſſe poſſint.

12 *Subſtantia diuitis vrbs roboris eius,& quaſi murus validus circundans eum.*

PRo circundans eum hebraicè eſt, In imaginatione eius. Dixerat ſuperiori ſententia quæ ſit fortitudo iuſti, qua re vera ille fortis eſt & tutus: ſubiicit nunc quæ ſit diuitis fortitudo, ſed quæ tantum ſit fortitudo eius opinione & imaginatione, hoc eſt, non in rei veritate, ſed hominum æſtimatione, quæ ipſos frequenter fallit. Plerunque enim diuitiis ſuis non ſunt tuti homines, ſed inſidiis aliorum magis obnoxij. Vnde Eccleſiaſtes queritur ſe vidiſſe peſſimam ſubSole afflictionem, diuitias conſeruatas in malum domini ſui. Habetur prior pars huius ſententiæ, & ſupra cap.10.ſed hic iam alia repetitur ratione.

13 *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur,humiliatur.*

AD verbum Hebræa habent, Ante contritionem exaltabitur cor viri, & ante gloriam humilitas.Prior parsferè eodẽ modo habetur in cap.16. vbi nos legimus, Contritionem præcedit ſuperbia. Nam hebræa ibi habent, Ante contritionem ſuperbia. Secunda pars eodem omnino modo habetur in fine capitis 15. vbi nos legimus, Et gloriam præcedit humilitas. Hic ergo quod duobus illis locis diuiſim dictum, eſt coniunctim dicitur, planè coincidens cum illo Saluatoris: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur. Nec mirum videri debet quod hic aliquoties occurrant aliquot verſiculi ſæpius repetiti, non ſolum in ſenſu, ſed etiam in verbis eiſdem. Id enim factum eſt quod ſint ſententiæ quædam inſigniores, quas menti hominum penitius infigere conueniat,quæque variis locis & inſtitutis inſeruiant, quemadmodum & ſuam illam ſententiam iam poſitam aliquoties apud Lucam repetiiſſe Saluator inuenitur, vt cap.14. & 18. & rurſum ad aliud propoſitum Matth.23.Cæterum in noſtra huius ſententiæ lectione, conueniens fuerit verbis,conteratur & glorificetur,dare pro ſuppoſito nominatiuum,homo, vt ſit hic ſenſus: Antequam conteratur homo, exaltatur cor eius, & antequam glorificetur homo,humiliatur cor eius. Poteſt autem videri hæc ſententia ſtudio ſubiecta eſſe duabus ſuperioribus, vt hac ſignificaretur merito iuſtum exaltandum, eo quod humiliter ad nomen domini inuocandum confugit, diuites vero deiiciendos conterendos quia in diuitiis ſuis ſuperbè gloriantes eleuántur. Ecclo.11.

14 *Qui prius reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat,& confuſione plenum.*

HEBRAEA habent, ſtultitia eſt ei & ignominia, hoc eſt, ea res cedit ei in ignominiam & ſtultitiam, proinde non male ſenſum reddidit noſter interpres. Porro ſecundum ſimplicem intellectum, is reſpondet priuſquam audiat, qui ante finem ſermonis, alterius loquentis aut interrogantis, necdum intelligens quid is velit,reſpondet.Quod vt vi- Luc 18.
temus monet Sapiens,Priuſquam,inquit,audias, ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum,ne adiicias loqui.Secũdum ſubtiliorem intelligentiam is reſpondet priuſquam audiat, qui contendentium facta prius iudicat, quam vtriuſque partis cauſam plene cognouerit. Rurſum qui priuſquam auditor fuit doctorum & diſcipulus,doctorem ſe exhibet, qui ad omnium quæſita reſpondere poſſit, quales ſemper fuerunt plerique hæretici. Omnes iſti ſtultitiæ noxam incurrunt, ſtultitiámque ſuam, quã tacendo tegere poterant, reſpondendo produnt, illi quia ſæpè reſpondent quæ propoſito non conueniunt, hi quia ſapientiam quàm non habent, ſe habere profitentur,aut malè de rebus iudicant.

15 *Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam,ſpiritum vero ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?*

HEBRAEA ſic melius verti poſſunt,Spiritus viri ſuſtentat infirmitatem eius, at ſpiritum contritum quis tolerabit, aut leuabit? Et eſt ſenſus Mens hominis ſi ſit,ſana, leuat morbum corporis eius,efficitque ſua bona affectione vt melius habeat corpus ægrũ, Nam, vt ſupra dictum eſt, Animus gaudens benefacit vt medicina, At contra ſi ſpiritus æger ſit maléque affectus,& vel dolore vel inuidia, aut alia quauis mala paſſione fractus & contritus, non facile leuari & curari poterit,Non enim ita viciſſim leuari poterit à corpore,vt morbus corporis à ſpiritu. Difficiléq; erit huiuſmodi ſpiritum tolerare, cum non facilè habeat vnde alleuiari poſſit, ſed & ſibi ipſi & corpori moleſtus erit, imo & omnibus hominibus quibus cum ipſo negotium erit. Proinde docet hæc ſententia morbos ſpiritus graviores eſſe morbis corporis, ideóque in primis curandam animi ſanitatem, quam tribuit ſapientia. In noſtra ergo lectione reciprocum relatiuum, ſuam, accipi debet poſitum, pro relatiuo eius, vt referatur ad virum, non ad ſpiritum. Et in ſecunda parte quod in Hebræo generaliter dictum eſt de quauis infirmitate ſpiritus, noſter interpres ſingulariter accommodauit infirmitati iracúdiæ, quæ vna

vna est ex præcipuis animi morbis, minimè omnium curabilis & maximè molesta, tum illi qui ea malè affectus est, tum aliis. Mysticè autem spiritus viri sustentat imbecillitatem eius, quia fortitudo mentis efficit vt infirmitas carnis in tentationibus non cedat, sed aduersitatum & vitiorum insultus fortiter superet. Conuenit cum eo quod in priori parte dicitur illud Plauti: Bonus animus in re mala, dimidium est mali. Item in Rudente, Animus æquus optimum est erumnæ condimentum.

16 *Cor prudentis possidebit scientiam, & auris sapientium quærit doctrinam.*

INDICAT hæc sententia à quibus & qua ratione comparari possit scientia, nempe à prudentibus per meditationem & auditionem sedulam legis diuinæ. Cor, inquit, prudentis, per assiduam meditationem in lege Dei, & desiderium perfectioris scientiæ, comparabit scientiam eámque pro sua vera possessione ac præcipuo bono obtinebit, & quoniã prudentes norunt, non sola meditatione parari scientiam, sed opus esse, vt & quis alios de sapientia differentes lubenter audiat, ideo & studebit auditu quærere aliorum doctrinam & scientiam. Audiens enim sapiẽs sapientior erit, vt supra dictum est.

17 *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium facit ei.*

HEBRAEA ad verbum habent, donum hominis latitudinem facit ei & ante magnates ducet eum. Significatur autem vis liberalitatis & munerum, quia per liberalitatem & munera facilè aperitur homini via, quę aliis clausa est & angusta, adeo vt illa etiã ad conspectum Principum aditum faciant homini & ad eorum fauorem & gratiam deducant. Dona enim & è clausis carceribus hominem liberant, & è quauis angustia hominem explicant, & quo aliis penetrare non licet, liberum præbent accessum. Huc pertinet & illud poëtæ. Ipse licet venias musis comitatus Homere; Si nihil attuleris, ibis Homere foras. Vt autem hæc sententia in vulgaribus & mundanis muneribus vera cognoscitur, ita multo magis in spiritualibus quibus Deũ nobis demeremur, eleemosynis scilicet. Nam, vt habet Tobias, Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Tobie 4.

18 *Iustus prior est accusator sui, Venit amicus eius, & inuestigauit eum.*

SIC habent Hebræa, Iustus primus in lite sua, venit proximus eius & inuestigauit eum, Et prior quidem pars dupliciter intelligitur. Primum vt hic sit ordo, Qui primus est in lite sua, hic est iustus. hoc est, qui primus loquitur in lite & controuersia quam habet cũ alio, is ius sibi vendicat & iustus esse videtur, sed expectãdum est, quousque veniat proximus eius qui est in causa ipsius aduersarius, ex cuius inquisitione constabit tandem qualis ille fuerit. Itaque docet hæc sententia non temere in quoquã iudicandũ, nisi vtraq; parte audita, iuxta illud: Audi alteram partem. Dictio enim illa quam noster vertit amicus, significat etiam generaliter proximũ, id est, quemuis hominem. Secundo intelligitur vt hic sit ordo, qui iustus est, hic primus est in causa vel lite sua, hoc est, Iustus, statim in principio litis causam suam simpliciter & confidenter iudicibus aperit, ostendẽs suam innocẽtiam, nihilq; se velle nisi quod iustum & æquum est, adeò vt cum venerit proximus eius qui cum eo litigat secure sustineat se ab eo scrutari. Prior sensus ideo videtur verior, quod ad dictionem, Primus, in Hebræis adda tur litera ה he, quę habet vim articuli Græcanici, ὁ, Posteriori sensui magis accedit nostra lectio, quæ tamen magis conuenit cum Græcis quam cum Hebræis. Nam Græca habent *δίκαιος ἐαυτῷ συνήγορος ἐν πρωτολογίᾳ*. Et est sensus, iustum si quid per infirmitatem peccauit, (Non est enim iustus qui non peccat) non defendere suũ peccatum, nec expectare alterius increpationem, sed ante alios priorem esse in accusando, increpando & condemnãdo seipsum, ideóque etiam patienter ferre vt amicus ipsius veniat & inuestiget eum vt si quid inueniat correptione dignum, idipsum admoneat. Iusti enim vox est, Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleũ autem peccatoris nõ impinguet caput meũ. Aut est sensus, Iustus antequam alios accuset & increpet, prius seipsum accusat, Sic enim Beda intelligit. Omnis inquit, qui vere iustus est, vbi peccantium errata conspicit, primum ad seipsum oculum considerationis inflectit, dumque suam fragilitatem solicitus accusauerit, sic demum ad corripiendos alios linguam benignus erexit. Sic & Ambrosius intelligit libro 1. offic. cap. 25. Iuxta quam intelligentiam, secunda pars accipi debet, vt significetur tum demum, vbi se iustus accusauerit, venientem ad se amicum inuestigaturum eiusque opera redarguturum, si quæ in eo digna correptione inueniat. At in secunda parte mouendum est, perperam quosdam legere. Venit inimicus, cum dictio hebræa nullo modo significat inimicum, bene autem amicum quomodo & Beda legit, & Codices Latini emendatiores. Græcus tamen habet *ἀνθίδικος*, hoc est, aduersarius causæ. Citat priorem hanc partem Chrysostomus super Genesim de Lamech se ipsum accusante, vbi nos legimus, Iustus suiipsius accusator est in principio sermonis. Quomodo & D. Hieronymus citat cum super Esaiam explicat illud quod habent septuaginta c. 43. Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Psal 140. Ambros Chryso. Hiero.

19 *Contradictiones comprimit sors, & inter ponentes quoque diiudicat*

BENEFICIVM sortis hæc sententia insinuat, vt per quam lites & contentiones frequenter commodè dirimantur, significãs ad illam confugiendum potius quàm longis & molestis contentionibus agatur, potissimum quando non facilè alia via contentionibus

finis imponi potest, aut quando res est inter potentes qui diuitiis suis aut fortitudini confisi, cedere sibi mutuo nolunt, sed in longum protrahere contentionem cum magno periculo volent. Vnde in secunda parte dicitur: Et inter potentes quoque diiudicat, hoc est, litem dirimit & discindit, vnicuique quo contentus esse debeat attribuens.

20 *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium.*

LONGÈ diuersum sensum habent Hebræa, quæ sic habent, Frater offensus superat fortem vrbem, & contentiones sunt veluti repagulum palatij. Quo significatur fratrem offensum à fratre fortius resistere & durius se gerere quam fortis ciuitas. Atque eiusmodi contentiones, quæ scilicet sunt inter fratres & amicos ægre superari & componi posse. Quo enim arctior fuit coniunctio, eo vehementius est, ea dirempta, inter aliquos dissidium. Noster interpres in priori parte sequutus est Septuaginta, qui habẽt *ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος, ὡς πόλις ἰσχυρὰ*, hoc est, frater à fratre adiutus, quasi ciuitas munita. Et est sensus: Concordiam fratrum validam esse & inexpugnabilem, eorúmque iudicia & decreta quæ concordibus tuentur animis non facilè superari posse. Comprobat hanc sententiam factum cuiusdam Scythæ, nomine Sciluri qui 50. habens liberos masculos, cum esset moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atque ita facilè omnia confregit, filios admonens, his verbis: Si concordes eritis, validi inuictique manebitis: contra si dissidiis & seditione distrahemini, imbecilles eritis & expugnatu faciles. Videmus id locum habere in rebus prophanis. At maximè in Ecclesia Christi in qua concordia Christianorum qui fratres inter se sunt omnes, inexpugnabiles eos facit & inuictam efficit Ecclesiæ ciuitatem. Vnde pulchrè Beda hanc sententiam mysticè sic explicat, Cum populus vterque Iudæorum scilicet & gentium fraterna sibi in Christo charitate consentit, vnam iam catholicæ Ecclesiæ ciuitatem constituit, & sicut vectes vrbium portas muniunt, ita dogmata vtriusque testamenti Ecclesias per orbem quæ vnam catholicam faciunt ab infidelium incursione defendunt. Potest etiam quod dicitur de iudiciis, intelligi de æquitate iudiciorum & sententiarum, quę firmum efficit statum Reipub. vt significetur ciuitatem stabiliri ciuium concordia & æquitate iudiciorum. Verum cum dictio hebraica significet contentiones & lites, magis videtur hoc loco accipienda dictio (iudicia) quomodo apud Paulum, cum dicit: Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos, hoc est, contentiones & lites forenses. Iuxta quam acceptionem sicut priori huius sententiæ parte significatur concordiam fratrum fortem esse & insuperabilem, ita posteriori significatur eorum etiam contentiones non facilè superari posse. Quorum enim coniunctio ex natura firmior est, eorum & dissidia vehementiora plerunque esse solẽt. Proinde rectè indicatur & concordiam inter fratres studiosè esse retinendam, & si incidat aliqua inter eos controuersia, cauendum à forensibus contentionibus quæ graue odium solent inter fratres excitare, sorte potius, vt habet superior sententia controuersiam esse dirimendam.

21 *De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum eius saturabunt eum.*

SIMILIS sententia superius habita est, & cap. 12. versu. 15. & cap. 13. versu. 2. Significatur autem vnicuique bene vel male futurum, prout bene vel male loquitur. Metaphora enim saturitatis & repletionis à corpore transfertur ad animam, quæ tanquam fructus linguæ percipere dicitur, quod linguæ merito percipit, quemadmodum corpus recipit fructus arboris. In qua Metaphora adhuc persistitur in simili subiuncta sententia.

22 *Mors & vita in manibus linguæ: qui diligunt eam, comedent fructus eius.*

DVPLICITER accipi potest, quod dicitur mors & vita esse in manibus, vel, vt habent hebræa, & quædam exemplaria Latina, in manu linguæ. Nam aut loquenti, referri potest mors & vita, vt significetur linguam præbere loquentem siue mortẽ, siue vitam, prout scilicet vel male vel bene loquutus fuerit, & coincidat quod hic dicitur cũ superiori sententia, & cum illo Saluatoris: Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, aut referri potest ad audientes qui à lingua bona vitam, à mala mortem animæ percipiunt. Ab Ecclesiastico enim & Catholico edocti vitam, ab hæretico aut mundana docenti mortem percipiũt auditores. Sic & quod sequitur. Qui diligunt eam, comedunt fructus eius, vel de loquentibus, vel de audientibus accipi potest. Nam & qui amant bene vel male loqui, recipiunt qualia loquendo merentur. Et qui amãt audire loquentem, percipiunt fructus siue bonos, siue malos, quales qui loquitur, profert. Quod si mors & vita non ad loquentem referatur, potest generalius dictum accipi, Mors & vita est in manu, hoc est, in potestate linguę, quia lingua & mortem & vitam aliis adferre potest, non tantum docendo, sed & suadendo & testificando & criminando, aliisque similibus modis. Docet ergo hæc sententia linguam plurimũ vtilitatis adferre mortalibus, & eandem rursum plurimam adferre perniciem, tametsi mẽbrum corporis sit perquam exiguũ quemadmodum & Iacobus Apostolus docet prolixius cap. 3. Consonat his quod de Bia sapiente refertur à Plutarcho in libello de audiendo, rursum in alio de loquacitate. Is enim Amasidi Ægyptiorum Tyranno iubenti, vt sibi quod esset in victimæ, quam ad illum miserat, carnibus, & optimum, & pessimum mitteret, linguam refectam misit, innuens huius vsum esse præcipuum, siue prodesse cupias, siue nocere. Matt. 12.

23 *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet*

hauriet iucunditatem à domino.

TANTVM est hebræis, Inuenit mulierem (vel potius vxorem) inuenit bonum, nec additur bonam, quod tamen omnes pene subintelligunt interpretes, quem admodũ & noster addidit sequutus græca. At hac dictione addita nihil singulare dicitur hac sententia. Quis enim nescit eum qui inuenit mulierem bonam, inuenisse bonum, hoc est, rem bonam? Proinde videri potest hæc esse sententia. Qui inuenit vxorem hoc ipso inuenit rem bonam, quatenus scilicet vxor est, quamuis ex alio nomine possit inuenisse rem malam, vt sit alluſio ad id quod est Gen. 2. Non est bonum hominem esse solum, Faciamus ei adiutorium simile sibi. Sed huic intelligentiæ parum conuenit secunda pars. Itaque sic accipi possent Hebræa, quæ habent. Inuenit vxorem, inuenit bonum & hausit beneuolentiam à domino vel fauorem domini, hoc est, Inuenit quis vxorem, si inuenit bonum, certe scire debet quod obtinuit fauorem domini, cuius gratia bonum illud consequutus est, cum sit res rara. Aut qui inuenit vxorem qualem scilicet quę fuit, nempe probam & prudentem, is certe inuenit nõ vulgare quid, sed rem eximiam & bonam, quamque non sine singulari Dei fauore consequuturus est. Nam vt dicitur capite sequẽti. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem proprie vxor prudens. Sic & nostra lectio accipienda est. Qui inuenit mulierẽ bonam, inuenit aliquid singulariter & excellenter bonum. Solent enim homines frequenter errare electione vxorum, vel opes, vel formam, vel aliud quippiam sectantes, potius quam piis precibus contendentes à domino probam vxorem obtinere. Sic etiam dicitur in Ecclesiastico. Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis. Quod & hic significatur in secunda parte quæ habet apud nos, Et hauriet iucunditatem. Nam pro hauriet potius vertendum erat præteritum hausit vel obtinuit, & pro, iucunditatem, hebræis est, hic rursum רצון Ratson, quod significat potius fauorem vel beneplacitum & beneuolentiam, vt annotatum est in simili loquutione, in versu 2. cap. 12. Cæterum obiter annotandum hic est, verbum inuenit in priori parte bis positum semper esse præteriti tẽporis, vt patet ex Hebræis & Græcis.

Eccle. 26.

24 *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens.*

NON est hæc sententia in Hebræo, est tamen apud Græcos, quos frequenter noster sequitur. Non est tamen Græcis bonã, sed τὰ ἀγαθὰ, hoc est, bona, multa scilicet. Quod autem in secunda parte dicitur de retinente adulteram, accipiendum est potissimum de ea quæ in adulterio perstitit nec pœnitet. Talem enim retinere stultitiæ est, tum quod periculum sit ne quis alienas proles pro suis educare cogatur, tum quod stultum sit alieno se maculare peccato, quod sit retinendo adulteram non pœnitentem, quia fouetur eius crimen. Notandum autem Græcis non esse insipiens, sed ἀσεβὴς, hoc est impius, quo modo etiam citat hunc locum D. Hieronymus scribens in Matth. capi. 19. Sola, inquit fornicatio est quę vxoris vincat affectum, imo cum illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura: Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Vnde patet pro insipiens legendum esse impius. Alluditur etiam ad hunc locum, in secunda expositione in Matth. cap. 19. quæ extat in operibus D. Chrysostomi, vbi sic legimus: Sicut autem crudelis est & iniquus qui castam dimittit, sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat vxoris. Ex quorum Patrum authoritatibus, simul & præsentis loci scriptura, videtur omnino sine peccato non posse retineri adulteram. Et quidem admitti satis potest, ita fuisse in veteri testamento. Vnde & Ioseph ob fornicationis suspicionem cum esset iustus & nollet sponsam traducere, voluit occultè dimittere eam. At vero in nouo Testamento retineri posse adulteram pœnitentem pulchrè docet D. August. 2 lib. ad Pollentium cap. 6. dicens. Quod autem tibi durum videtur, vt post adulterium reconcilietur coniugi coniux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos vel baptismate ablutos, vel pœnitẽtia credimus esse sanatos. Hæc crimina in veteri Dei lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ noui testamenti in sanguine Christi sine dubitatione mundantur, & ideo tunc omnimodo prohibitum est ab alio contaminatam viro recipere vxorem, quamuis Dauid Saulis filiam, quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam noui testamenti præfigurator sine cunctatione receperit. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ, Nec ego te condemnabo, vade & deinceps noli peccare, quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse domum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletum? Hæc ille.

Hieron.

August.

25 *Cum obsecrationibus loquitur pauper, & diues effabitur rigidè.*

NOTATVR hac sententia superbia & auaritia diuitum, qui diuitiis suis elati, pauperibus etiam cum suppliciter & humiliter eis loquuntur, dure tamen respondent, cumque obsecrationibus & precibus ab eis pauperes aliquid obtinere conantur, tantum abest vt aliquid impartiantur, vt ne benignis quidẽ verbis dignentur illos alloqui, sed duris ac minacibus verbis à cõspectu suo nonnunquam abigant, quemadmodum experientia testatur. Indicat sententia diuitias generare superbiam & iniuriam, iuxta illud,
id est, diuitiæ contumeliam pariunt.

26 *Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit quàm frater.*

commendat

COMMENDAT hæc sententia amicitiæ bonum, præferens illud vinculo etiam arctissimæ consanguinitatis. Vir inquit qui ad societatem & beneuolentiam seruandam amicabilis est & benignus, frequenter maiorem amicitiam exhibebit opere & facto, quam frater, quemadmodum experientia in multis testatur. Hebræa paulò aliter & obscurè sic habent, Vir amicorum ad amandum, & est diligens adhærens magis quam frater. Pro quo quidam sic vertit, Necessarius necessitudini idoneus est, & hæret (vel perseuerat in amicitia) interdum magis amicus quam frater.

CAPVT XIX.

MELIOR est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam torquens labia sua & insipiens.

PLERIQVE libri habent in secũda parte, quam diues torquens labia sua, quemadmodum & Bedam legisse constat ex eius commentario. At dictionem diues vt non habent Hebræa, ita nec codices multi Latini emendatiores, vt verisimile sit eam dictionem à quodam additam, vt esset maior oppositio secundæ partis cum prima, in qua fit mẽtio pauperis. Verum intentio sapientis non fuit comparare pauperem cum diuite, sed pauperẽ simpliciter, hoc est integre conuersantem cum eo qui per stultitiam labia sua torquet, hoc est, qui peruersis vtitur sermonibus, praua loquens, à veritate & à recto contorquens labia sua, & ad decipiendũ linguam suam componẽs, aliudque ore proferens quam animo cogitet. Itaque pauperi opponitur stultus, & ambulanti in simplicitate opponitur torquens labia sua, quia hoc non est simpliciter ambulare, hoc est, integre & innocenter se gerere, sed noxium esse & velle decipere. Et significatur paupertatem, quæ magnum reputatur apud homines malum, meliorem esse & eligibiliorem stultitia, vt quæ non prohibeat simpliciter & innocenter se gerere, cum hæc efficiat hominem peruersi sermonis & noxij. Non enim Hebræa habent torquens labia sua & insipiens, quasi posset esse aliquis torquens labia sua qui non sit insipiens? Sed torquens labia sua & ipse insipiens, hoc est, quia talis est insipiens. Sensui prædicto bene conuenit ea lectio quæ etiam in multis nostris libris inuenitur, quæ habet quam torquens labia insipiens, sine pronomine, sua, & coniunctione, &, hæc tamen duo habent Hebræa. Mystice hic versus rectè accommodatur inerudito bene viuenti, qui præfertur praua docenti magistro.

2 *Vbi non est scientia animæ non est bonum. & qui festinus est pedibus, offendet.*

ET apud nos & apud hebræos dictio animæ iungi potest cum præcedentibus, vt sit genitiuus, vel cum sequentibus, vt sit datiuus. Caietano magis visum est, vt iungatur præcedentibus, & sit sensus. Non est bonum cum quis caret scientia suæ animæ, hoc est, cum quis seipsum ignorat suumque animum. Talis enim in plerisque est festinus pedibus, hoc est, temere pleraque agit & precipitanter, & videri posset vel ob id dictio animæ iungenda cum scientia, quia alioquin non est generaliter verum, quod nullum ibi sit bonum animę, vbi non est sciẽtia. Vnde & Lyranus sic ordinat & intelligit Vbi non est scientia animæ hoc est, de salute animæ, ibi non est bonum, quia omnia cessant ibi esse bona quæ alioqui videntur bona. Alij tamen ferè sequentibus iungunt, vt significetur non bene esse animæ nec solidum aliquid ac perfectum ei adesse bonum, si ei desit scientia ac prudentia, qua sciat omnia cum iudicio agere, aut ignoret quæ scire homo debet. Scientiæ enim simpliciter bene opponitur, pedum festinantia, hoc est temeritas in agendo & imprudentia. Habent autem ad verbum hebræa & græca sic. Etiam sine scientia anima non est bona, hoc est, anima non est bene instituta. Sic enim conuenit cum nostra lectione. Quidam propter augentis particulam, etiam, alium reddit sensum, animam hic accipiens positam pro vita vt alias sæpe ponit noster. Vertit ergo. Ne vita quidem sine scientia suauis est. In secunda parte, per festinum pedibus allegoricè significatur is, qui temere aliquid aggreditur carens scilicet scientia, per quam cum præmisso examine & iudicio rem aggrederetur, quique affectiones suas subito sequitur festinans ad implendum eas. Nam per pedes significantur sæpe hominis affectiones quibus ad aliquid, instar pedum, homo fertur. Vnde vt magis persisteretur in metaphora, interpres noster rectè subiunxit verbum offender, quũ hebræa habeant & festinus pedibus peccat. Sensus ergo est, Sicut qui corporaliter festinat pedibus, frequenter impingit, errat & labitur, ita necesse est eum, qui quia caret scientia, festinus est in actionibus suis, sequens potius affectiones suas quàm iudicium rationis, frequenter impingere in via virtutum, hoc est, peccare. Refert Suetonius de Augusto capi. 25. dicere illum solitum: Nihil minus duci perfecto conuenire quàm festinationem ac temeritatem, crebroque illum iactasse σπεῦδε βραδέως, festina lente. Et sat cito, si sat bene. Venerabilis Beda secundam partem accipit non vt festinantia opponatur scientiæ, & vt secunda pars declaret priorem, sed vt significetur cauendum esse ne quis festinet ad plus sapiendum quam oportet. Habet enim sic: Animæ quidem humanæ scientia vitæ cœlestis est necessaria, quia nimirum sine hac beata in perpetuum esse non potest, attamen qui effrenatis sensibus mentis plus appetit sapere quàm decet, plerunque offensionem hæreticæ temeritatis incurrit. Quod in primis humani generis parentibus mystice signatum est, qui dum appetitu scientiæ maioris, vetitum contingere properabant, à statu beatitudinis in qua conditi sunt, deuiantes in pœnam miseriæ & mortalitatis inciderunt.

3 *Stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra dominum feruet animo suo.*

DVPLICITER accipi potest quod dicitur, stultitiam hominis supplantare, aut vt est

vt eſt hebræis peruertere greſſus vel viã eius. Aut quia ſtultitia hominis causa eſt vt peruer ſa ſit vita eius,& actiones eius prauæ ſint. Aut quia ſtultitia hominis in causa eſt vt inſtituta & conatus hominis fruſtrentur ſuo fine, nec perueniant ad deſideratum effectum. Priori modo ſenſus eſt: Stultitia hominis efficit vt homo peruerſe agat,& tamen plerunque homo non ſibi nec ſuæ ſtultitiæ imputat ſuam peruerſitatem, ſed contra dominum feruet animo ſuo, hoc eſt, iraſcitur, vt habẽt Hebræa, cor eius, fortunam ſuam, aut fatum accuſans, quodque ſub infelici ſidere natus ſit, ſiue quod peccandi occaſionem dederit, qui vel fragilem fecerit hominem, vel ad tentationẽ eius hoſtem admiſerit, vel denique importabilia homini onera impoſuerit, aut ſimile aliquid more ſtultorum cauſans, quemadmodum primi noſtri parentes ambo in creatorem quod peccauerant retorquebant, Adam quidem quod mulierem per quam periret à domino ſociam accepiſſet, Eua vero quod dominus ſerpentem qui ſe deciperet, in paradiſo conſtituiſſet. Iuxta poſteriorem modum ſenſus eſt, Quod inſtitutum hominis & actio non proſperetur, ſed ſubuertatur & corruat fruſtrata ſuo fine, id efficit imprudentia hominis. & tamen tanta eſt hominum veſania, vt id Deo imputent, blaſphemantes eum quod non direxerit & fortunauerit eorum conatus quum potius id ſuæ ſtultitiæ aſcribere deberent, quæ non merebatur dirigi & adiuuari diuino fauore. Atque hunc poſtremum ſenſum puto eſſe conuenientiorem. D. Auguſtinus Græca ſequutus legit epiſtola 150. Inſipiẽtia viri violat vias eius, Deum autem cauſatur in corde ſuo. Itidem lib. de gratia & lib. arbitr. cap. 2. & 21. Stultitia autem hominis inſigniter in eo notatur, quod contra dominum faciat hominem indignari, cui ſcilicet nihil incommodare poteſt,& cuius manum effugere non poteſt. Auguſt.

4 *Diuitiæ addũt amicos plurimos, à paupere & hi quos habuit, ſeparantur.*

QVID fieri ſoleat, non quid fieri debeat, hac ſententia Sapiens indicat, Notans hominum ingenium quo per auaritiam ſe quuntur ferè diuitum fauorem pauperibus deſertis, de quo poſtea & frequenter conqueruntur, vt ſuperius eſt notatum in cap. 14. circa verſum 20. Poteſt tamen in commendationem diuitiarum, & paupertatis ſuggillationẽ ſubtiliori intelligentia accipi, idque duplici ter. Primũ ſic: Diuitiæ liberaliter erogatæ addunt amicos plurimos, iuxta illud Saluatoris: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. At ab eo qui pauper eſt animo, tenuis ſcilicet in benefaciendo propter auaritiam, etiam quos habuit amicos ſeparantur, exoſi ſcilicet eius auaritiam. Aut habent Hebræa, Pauper ab amico ſeparatur, quod in paupere per auaritiam optime locum habet, qui non ſolum paratur ab amico quia ab illo relinquitur, ſed quia ipſemet illum prior relinquit, metuens ne quid cogatur impendere amico, quia pluris facit pecuniam quam amicum. Secundo de diuitiis ſpiritualibus & paupertate ſpirituali accipi poteſt hæc ſententia, quemadmodum Beda eam explicat, ſic ſcribens: Diuitiæ regni cœleſtis, quæ per ſanctos doctores fidelibus tribuendo prædicantur, multos amicos & eiſdem prædicatoribus, & earum largitori, domino aſciſcunt. A philoſophis autem cæteriſque gentium magiſtris, quia nihil certæ beatitudinis in futurum norunt promittere, & hi quos habuere, ſeparantur. Videlicet conuerſi ad fidem, ſpemque dominicæ paſſionis certiſſimam. Luc. 16.

5 *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet.*

CVM ex falſo teſtimonio ac mendaciis multa accidant mala, variis Sapiens ſententiis in hoc libro ab illis auocat vitiis, & potiſſimum hac ſententia quæ mox repetitur, qua denunciat non tantum puniendum qui opere proximo nocet, ſed & qui in iudicio falſis teſtimoniis, aut etiam extra iudicium quibuſuis mendaciis proximum grauat. Non erit, inquit, impunitus & non effugiet ſupplicium ſcilicet, quia etſi apud homines effugiat, (apud quos tamen huiuſmodi etiam ſæpe deprehenſus pœnas luere cogitur, vt patet in ſenibus qui contra Suſannam falſum protulerunt teſtimonium) non effugient tamen ſuplicium diuinum. Vnde propheta de Deo dicit: Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Pſalm. 5.

6 *Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt donatribuentis: Fratres omnes pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo.*

DVABVS hic ſententiis idem pronunciatur quod ſuperiori ſententia quarta. Proinde quemadmodum illa dupliciter accipi poteſt, nempe vel ad inſinuandum hominum ingenium vel ad commendationem liberalitatis & deteſtationem paupertatis animi: ita & iſtæ duæ ſententiæ ſimiliter accipi poſſunt. Eo enim ingenio ſunt ferè homines, vt honorent & ſuſpiciant perſonas potentum ac magnatum, & amici ſint eorum qui liberaliter donant. Contra etiam fratres ac conſanguinei quoque pauperis, odiunt eum nec non & illi qui amici eius eſſe ſolebant (cum ſoleãt amici firmius adhærere quàm fratres) procul receſſerunt ab eo verecundantes de eius preſentia, ac metuentes ne quid inopiã amico impẽdere cogantur. Et ſecundum myſticam intelligentiam multi honorãt perſonam potentis. &c. quemadmodum patet in Chriſto, quem multi colere cœperũt, eiuſque vultum deprecari ac gratiam fauorẽmque ambire. (Nam pro colere perſonam Hebræis eſt deprecari vultum) poſtquam aſcendendo in altum potens factus eſt & liberalis, dona ſui ſpiritus diuerſa variè diſtribuens, iuxta illud: Aſcendens in altum, captiuam duxit capſitatem, dedit dona hominibus. Contra etiam fratres & amici Iudaici populi, poſt quam pauper factus eſt in ſcripturarum intelligentia & donis Dei, odire cœperunt eum & relinquere, qui ab Apoſtolis & Iudeis oriũdi ab eis alienati ſunt. Poteſt etiam ſimpliciter Pſalm. 9.

ter his ſentẽtiis accipi ſapientem voluiſſe ſuũ filium impellere ad ſedulitatem & diligentiã vt qua diuitiæ tum corporales, tum ſpirituales comparari poſſunt, quarum liberali diſpẽſatione amicitia & honor apud homines obtinetur. Deterrere aũt à pigritia & ſomnolẽtia, vt quæ mater ſit paupertatis, quæ hominem omnibus odioſum faciat. Notandum autem in ſecunda ſententia pro eo quod nos habemus, Inſuper &, Hebræa magis vertenda eſſe per, Quanto magis. Cum enim in priori membro etiam fratres pauperis dicantur eum odire, non ſatis conuenienter quaſi per exaggerationem ſubiicitur etiam amicos procul recedere ab eo, ſed potius ſubiiciendum erat, minus mirandum eſſe quod & amici ab eo recederent. Niſi intelligamus quemadmodum ſupra eſt indicatum, amicos fratribus præponi, quia vt ſupra dictum eſt, Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus erit quàm frater.

8 *Qui tantum verba ſectatur, nihil habebit, qui autem poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam, & cuſtos prudentiæ inueniet bona.*

PARS iſta, qui tantum verba ſectatur, nihil habebit, finis eſt ſuperioris ſententiæ, ſignificaturque ſecundum aliquos (nam alij varie accipiunt) amicos recedere à paupere, qui dum ſectatur verba promiſſionum ſibi ab amicis factorum, hoc eſt, dum repoſcit promiſſa, inuenit illa non ſubſiſtere, nihilque ſua ſectatione conſequitur. Noſter interpres hãc partem iunxit cum ſequentibus opponens ſectatorem verborum poſſeſſori mentis & cuſtodi prudentiæ. Senſus ergo eſt: Qui ſiue docendo, ſiue audiendo alios, tantum ſectatur verba, hoc eſt, ornatum verborum tantum ſpectat, ſolum curans vt bene & eleganter dicat non vt bona & vtilia proferat aut audiat, non autem vt ea quæ dicit aut audit etiam faciat, is nullum ſolidum fructum inde conſequetur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Et qui fecit & docuerit ſic homines, magnus vocabitur in regno cœlorum. Qui vero poſſeſſor eſt mentis, vel vt eſt Hebræis, cordis, hoc eſt, qui cordatus eſt nec contentus eſt verbis, ſed intra ſe poſſidet ſapientiam, eámque animo retinet, meditando iugiter in lege Dei, is verè diligit animam ſuam, hoc eſt ſeipſum, quia ſibi bene proſpicit & benefacit,& qui prudentiam non tantum audit, ſed etiam cuſtodit in animo ſuo & operibus, is inueniet bona in præſenti & in futuro ſeculo. Beati enim qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Roma. 2. Math. 5.

9 *Falſus teſtis non erit impunitus, & qui loquitur mendacium peribit.*

REPETITIO eſt ſententiæ ſuperius ſemel poſitæ, niſi quod hic exponitur quod ibi dicitur, non effugiet, cum dicitur, peribit.

10 *Non decent ſtultum delitiæ, nec ſeruum dominari principibus.*

DVO indecora hic verſus complectitur, quæ & poſteà cap. 30. inter quatuor numerantur per quæ mouetur terra & quæ ſunt intolerabilia. Per ſeruum, inquit, cum regnauerit, per ſtultum cum fuerit ſaturatus cibo. Hæc duo ergo hic dicuntur eſſe indecora & abſurda, tum quod non conueniant nec æqua ſint in ſeipſis. Non enim debentur ſtulto & imprudenti delitiæ & oblectationes, ſed potius flagella & caſtigationes. Prudentibus vero debentur potius ad recreationem animorum poſtquã in ſeriis & vtilibus negotiis ſint delaſſati. ita iniquum eſt vt qui ſeruilis eſt conditionis dominetur principibus, quum contra principum ſit dominari ſeruis. Tum quia hæc duo ſint diſpendioſa & noxia. Nec enim ſtultus delitiis rectè vti nouit, ſed illis contra abutitur, inſoleſcendo, ſuámque ſtultitiam augendo. Nec is qui ſeruus prius fuit & ſeruilis eſt conditionis, vt in plurimum bene imperio vtetur, cum ad illud euectus fuerit. Nam ferè nimia inſoleſcit arrogantia, eáque intolerabilis fit maximè principibus viris & animi ingenui. Et hæc quidem ad literam. Cæterum ſecundum ſubtiliorem intelligentiam rectè intellexerimus ſignificari, ſtulto, hoc eſt, peccatori qui vera caret ſapientia non competere veras animi delitias, quas ex ſcripturis & contemplatione diuinarum rerum atque animi tranquillitate iuſti percipiunt. De quibus dicit Pſalmiſta: Delectabuntur in multitudine paucis. Et ei qui adhuc peccatis ſeruit & effectibus improbris, non conuenire vt in regimine Eccleſiæ præferatur iuſtis, vitiorum dominatoribus. Item talem non poſſe dominari principibus, hoc eſt, rationi & intellectui præcipuiſque animæ viribus. Valet eadem ſententia ad docendum carni non eſſe nimis indulgendum, iuxta illud Pauli: Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Neque enim conuenit vt ſtulta caro delitietur, aut vt illa quæ rationi parere debet, imperet viribus intellectualibus. Notandum autem apud Hebræos hæc duo non ſimiliter indecora ſignificari. Habent enim ad verbum ſic: Non decent ſtultum delitiæ, quanto magis ſeruum dominari principibus, ſcilicet non decet. Itaque ex comparatione cuius indecori ſignificetur alterum minus decere. Pſal. 37. Rom. 13.

11 *Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi.*

DOCTRINA viri dupliciter accipi poteſt. Aut pro docendi actione qua alios quis docet, aut pro ipſa ſapientia à qua homo dicitur doctus. Secundum priorem acceptionem ſenſus eſſet, ex patientia hominis cognoſci poſſe qualis ſit eius quam tradit doctrina. Vnde Beda hunc ſenſum primum indicans, Doctrina inquit eccleſiaſtica per patientiam doctorum quam ſit perfecta monſtratur, quia dum magis afflictionibus ac morti corpus ſubdere quam à docendi officio ceſſare voluerunt, oſtendebant vtrique quantum eſſet ſalutaris quam tanta inſtantia defenſare curarunt. Sic Lira, Veritas inquit Apoſtolicæ doctrinæ ex eo apparuit quod non recuſauerint mori pro ipſa. Secundum poſteriorem acceptionem ſignificatur ex patientia hominis deprehendi quod doctus ſit & prudens. Nam prudentis

prudentis & intelligentis est aliorum infirmitates patienter ferre & itæ suæ moderari, aut si quid vindicandum sit tardum esse ad vindictam. Secundam hanc intelligentiam etiam subnexuit Beda ex D. Gregorio eam mu-
Grego. tuatus, qui sic habet homilia 35 in Euangelia: Scriptum est doctrina viri per patientiam noscitur. Tanto ergo quisque minus ostenditur doctis quanto conuincitur minus patiés. Atque hoc posteriori modo accipiēda est sententia si hebræa spectemus, quæ ad verbum hæc habent, Intelligentia hominis protrahere (vel differre) facit iram eius. Qui enim intelligens est & prudens, tardus est ad iram & vindictā, cum quod perpendat & se pleraque admittere quæ à deo seuerius puniēda sunt si pergat in proximum feuerus esse, tum quod aduertat indecorum esse passionibus suis obsequi
Iacob. 2. statimque ad vltionem & iram prosilire. Deinde iram impedire animum ne possit cernere verum, atque ex acceleratione vltionis plerunque committi quæ postea displiceat. Ira enim viri Dei iustitiam non operatur. Huic sensui conuenit quod sequitur, Et gloria eius est iniqua prætergredi, pro quo Hebræa habent. Gloria eius transire præuaricationem, hoc est, gloria & honor hominis est alienam transgressionem & peccatum non valde attendere, sed dissimulare eique facilè ignoscere. Beda accipit iniqua prætergredi, pro eo quod est ab iniquis actionibus sese præseruare, vt de propriis iniquitatibus accipiatur, non de alienis. Sic enim habet: Quia nimirum perfecti doctoris est sic aliorum improbitatem patienter ferre, vt suā quoque fragilitatem nouerit ab iniqua actione obseruare. At prior sensus originali magis conuenit.

12 *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira, & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius.*

VIDE Augustinum epistola 68. Vbi sic citat, Nihil interest inter minas regis & irā leonis. Indicat hæc sententia quo studio subditi teneantur prosequi regem suum & principem, cauendum scilicet eis summopere ne eum offendant. Sicut enim rugitus leonis maximum terrorem incutit cæteris animantibus
Amos. 1. inter quæ & ipse veluti rex est, ita vt dixerit propheta Amos: Leo rugiet quis non timebit? Ita & regis ira vel indignatio merito formidabilis esse omnibus debet: vt quæ non facilè placari possit, & in cuius manu sit mox grauem inferre vindictam, iuxta illud Sæuum prælustri fulmen ab arce venit. Contra sicut ros super herbam decidens gratus est & suauis, herbamq; virescere facit, quæ alioqui è terra non exurgeret, nec solis sustineret ardores, ita hilaritas vultus regij eiusque beneuolentia vel fauor (sic enim habent Hebræa) subditos mire reficit & exhilarat, facitque vt bono sint contra malos & aduersa quæq; animo. Cæterum iuxta sublimiorem sensum hac sententia intelligere debemus, quam terribilis sit illius regis ira, qui solus est rex regum, & dominus dominantium, qui licet aliquando vt agnus immolatus est, non aperiens os suum, tamen suo tempore rugiet terribiliter vt leo, cum dicturus est: Discedite à me maledicti in ignem æternum, Et: Ligatis manibus & pedibus mit- Matt. 25
tite eum in tenebras exteriores. Eiusdem erga bonos fauor & hilaritas vultus eius, quam eis exhibebit in nouissimo die, tanquam ros herbam irrigans, iustos post præsentis vitæ calamitates recreabit ac virere faciet in domo Dei in æternum.

13 *Dolor patris filius stultus: & tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier.*

HEBRÆA non habent tectis perstillantibus, sed simpliciter sic. Calamitas patri suo est filius stultus, & stillicidium cōtinuum rixæ mulieris vel vxoris. Indicat ergo hæc sententia duo incommoda quæ in familia patrifamilias accidunt. Nam ex filio stulto & improbo dolor & calamitas patri accidit vt sæpius supra dictum est. Et rixæ vxoris assiduæ molestiam intollerabilem & continuo nouam afferunt, non aliter quam assidua pluuiæ distillatio. Interpres non cuitus stillicidio rixas mulieris intellexit cōparari sed domestico, quod scilicet sit tectis iugiter perstillantibus, Et quidem concinnior sic est cōparatio. Quemadmodum enim incommoda est habitatio domus si tecta perstillent iugiter, Ita rixosa mulier efficit viro incommodam habitationem, & causa est, vt inuitus domi sit, & aliam quærat cum maximo familiæ dispendio societatem. Itaque subindicat sententia patres sollicitos esse debere vt filij eorum bene instituātur, & magna cum prudentia vxores deligendas cum quibus commode habitent & viuant. Cæterum quum id non humana prudentia potissimum, sed peculiari Dei beneficio homini contingat, subiungitur in sequenti sententia, à domino dari vxorem prudentem, vt quisque intelligat eam ob rem dominum potissimum rogandum. Venerabilis Beda subtiliter hunc versum tractat secundum spiritualem intelligentiam. Nam cum priorem partem exposuisset de dolore patris cœlestis, qui dolet quod homines quos ad se laudandum creauit, hosti potius maligno quam sibi seruire consideret, secundam partem sic prosequitur de hæreticis. Sicut tecta perstillantia pluuiam quidem de cœlo suscipiunt, nec tamen hanc ad vtilitatem aliquam dispertiunt, sed ad molestiam potius inhabitantium deriuant: Ita nimirum hæreticorum ecclesia, cœlestium dona verborum non ad salutem animarum, sed ad suæ vsum nequitiæ male interpretando & contra catholicos litigando conuertit. Tecta enim perstillantia mundas quidem pluuiæ guttas accipiunt, sed sub tectis in domo sordidas reddunt. Et hæreticus limpidissima cœlestis oraculi verba, auditu corporis haurit, At vbi hæc corde polluto attigerit, auditoribus suis sorde mixta ministrat. Hæc ille.

14 *Dominus & diuitiæ dantur à parentibus, a domino autem propriè vxor prudens.*

APVD Hebræos non additur propriè sed explicandi gratia ab interprete, aut alioquoquam additum est, quod alioqui etiam domus

domus & diuitiæ dentur à Deo vtpote omnium largitore. Nec est Hebræis dantur à parentibus, sed domus & diuitiæ hæreditas patrum. Proinde significatur illa obuenire filiis à parentibus iure hereditario, vt quasi fortunę donum sit omnibus commune tam malis & indignis quam bonis & dignis, vtque parentibus ea debeant filij accepta ferre, qui ea filiis acquisierint, conseruauerint, & reliquerint, à quibus ea immediate accipiunt, à Deo autem etiam, sed per parentes. At vt vxor filiis contingat prudens, id singulari Dei beneficio tribuendum est, vt quod non ita fit commune omnibus, sed proprium his quos Deus singulariter dilexerit quodque nō potest parentum cura & prouidentia filiis donari, sed Dei beneficio, qui solus dat prudentiam mulieri, & prudentia donatam, viro deputat. Significat ergo filiis merito curandum, vt Deo digna conuersatione & piis precibus huiusmodi donum à Deo consequantur, in re tam graui, vnde fœlicitas hominis multum pendeat, quam à parentibus non possint tuto expectare, à quibus tamen & vitam & reliqua vitæ commoda accipiunt. Vnde in Ecclesiastico dicitur: Pars bo-
Eccle. 26. na, mulier bona, in parte bona timentū Deum dabitur viro pro factis bonis.

15 *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.*

QVAE mala à pigritia & ocio homini proueniant, frequentibus sententiis in hoc libro Sapiens prosequitur vt ad sedulitatē & diligētiam hominem ad laborem natum prouocaret. Duo autem mala pigritiæ hac sententia ostendit. Primum quod hominem reddat dormitabundum & somno deditum, ac proinde à mortuo parum dissimilem efficiat, auferens ei, quod in homine præcipuum est rationis vsum & industriam. Secundum est ex priori consequens, quòd per rerum omnium inopiam, famem adferat, malum certè in vita grauissimum. Ponitur autem synecdochice anima dissoluta pro homine dissoluto, hoc est, ignauo, qui ab omni operatione solutus est & remissus, quique pigritudine ac somno dissolutus est. Pro anima dissoluta plerique vertūt anima dolosa, de quo supra dictum est circa versum quartum capitis decimi. Vt autē hæc sententia per quotidianam experientiam vera inuenitur de sopore & esurie corporalibus, ad quæ pigredo corporalis hominem perducit, ita etiam locum habet secundum spiritualem intelligentiam in sapientiæ studio & virtutis exercitatione. In qua qui segniores sunt ad grauissimum in peccatis somnum perueniunt, & nullis quamlibet magnis prophetarum aut Apostolorum aut cuiuscunque concionatoris vocibus possint excitari ad bene operandum corpore nimirum eos eneruante. Qui & ipsi grauiorem verbi Dei inediam patientur, & post hanc vitam omnibus bonis vacui fortiter esurient, cum sancti saturabuntur & inebriabuntur ab vbertate domus Dei. D.
Gregor. Gregorius ex quo suum commentarium hoc rursum loco Beda desumpsit, mysticam huius sententiæ intelligentiam pulchrè prosecutus est in tertia parte curæ Pastoralis, admonitio-

ne 16. sic scribens. Pigris intimādum est, quod sæpe dum opportune agere quæ possumus, nolumus, paulò post cum volumus non valemus. Ipsa quidem mentis desidia dum congruo feruore non accenditur, à bonorum desiderio, funditus conualescente furtim torpore mactatur. Vnde apertè per Salomonem dicitur: Pigredo immittit soporem. Piger enim rectè sentiendo quasi vigilat quamuis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur, quia paulisper etiam rectè sentiendi vigilantia amittitur dum à bene operandi studio cessatur. Vbi rectè subiungitur, Et anima dissoluta esuriet. Nam mens quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit. Et dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis intimæ fame sauciatur, vt quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab eodem sapiente rursus dicitur, in desideriis est omnis ociosus. Hæc ille.

16 *Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem neglegit viam suam, mortificabitur.*

OSTENDIT hæc sententia fructum seruatæ vel neglectæ legis, ne quis putet rem paruam esse legem seruare vel negligere. Qui inquit, custodit mandatum, non tantum mandatum honorat, sed illud custodiendo, custodit animam suam quam à morte præseruat, & hic diuturnam vitam, postea verò æternam viuere facit. Qui autem negligit viam suam, vel vt alij melius habent, vias suas (sic enim habent Hebræa) hoc est, qui non curat vitam suam & actiones instituere iuxta legem, is mortificabitur, vel potius morietur, plerūque quidem temporali morte à principibus vel Dei vltione ante tempus inflicta, semper au- Rom. 6.
tem æterna morte. Stipendium enim peccati Matt. 19.
mors. Et: Si vis, inquit Dominus, ad vitam ingredi, serua mandata.

17 *Fœneratur domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.*

FOENERARI dupliciter dicitur, Aut simpliciter pro mutuum dare, vt cum capite 22. posteà dicitur: Qui mutuum accipit, seruus est fœnerātis. Et Ecclesiastici 29. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo, &c. Aut pro mutuum dare ad vsuram, vt cum dicitur Deuteronom. 23. Non fœnerabis fratri tuo, sed alieno. Atque hæc est propria verbi huius apud Latinos significatio. Vtrunque significatum huic loco conuenire potest, quia non simpliciter domino mutuatur qui miseretur pauperis, recepturus tantundem, sed multo plura. Verum in priori significatu hic accipiēdum patet ex dictione Hebraica, quæ simpliciter mutuare significat. Itaque significatur eum qui quid ex misericordia donat pauperi, quanquam donet pauperi, tamen hoc ipsum quod illi dat, veluti mutuo dat domino, qui suo tempore, & hic & in futura vita reddet

ei viciſſitudinem eius,hoc eſt, mercedem quã viciſſim meretur. Vnde rectè Baſilius citans hunc verſum concione ſecunda in Pſal. 14. Quum inquit,pauperi dare voles propter Dominum,idem & donum eſt & mutuum. Donũ quidem, quia non ſperas receptionem: mutuum verò, propter domini magnificentiam, qui pro ipſo perſoluit, qui paucis per pauperem acceptis, magna pro ipſis reddet. Qui enim pauperis miseretur,Deo ad vſuram dat. Hæc ille. Baſilius.

18 *Erudi filium tuum, ne deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam.*

HEBRÆA habent, Erudi vel caſtiga filium tuum cum eſt ſpes. Quo monet Sapiens filium incipientem aut peccantem tempeſtiuè erudiendum & caſtigandum priuſquã in profundum peccatorum venerit, & ætate nimis prouectus ſit, quando nulla diſciplina aut correptio profutura ſit,ſed potius obfutura. Secundum noſtram lectionem monetur pater,vt etiamſi ſtatim non ſuccedat eruditio vel caſtigatio filij, non tamen propterea velut deſperans filij correctionem deſiſtat à monẽdo eum, ſpe emendationis ſecuturæ tandem. Græca habent παίδευε γὰρ σῴζουσας γὰρ ἔχει ἐνέλπις, hoc eſt, caſtiga filium tuum, ſic enim erit bona ſpes. Quo ſignificatur per caſtigationem filij bonam eſſe de eo ſpem, quòd ad bonam perueniet frugem. Quem ſenſum & Hebræa habere poſſunt, quæ etiam verti poſſunt, Caſtiga filium tuum, quoniam eſt ſpes, vt ſcilicet per caſtigationem bonus euadat. In quem ſenſum etiam noſtra lectio accipi poteſt, ſi illud, ne deſperes cum præcedenti cohæreat, finémque atque euentum deſignet in hunc modum. Erudi filium tuum, ne forte omiſſa illius eruditione aut caſtigatione aliquando deſperare de eo cogaris. Secundùm quem ſenſum omittenda eſt coniunctio copulatiua,&, quæ in pleriſque libris inuenitur, Erudi filium tuum,& ne deſperes. In quibuſdam tamen non eſt, & ſecunda parte huius ſententiæ monentur parentes ne deſperantes facilè de correctione filij adiiciant animum ad interficiendum eum, aut ad mortem eius quoquo modo procurandum. Aut ſignificatur moderandum à patre caſtigationem filij, cauendumque ne ille ea crudelitate excrucietur, vt ſub manu eius moriatur, quemadmodum domini in ſeruos animaduertere ſolent vſque ad mortem, aut inſignem aliquam læſionem. Poſſunt & Hebræa ſic verti, Ad clamorem eius ne leues animam tuam. Quo ſignificatur patrem non debere aduertere animum ad clamorem filij cum caſtigatur ab eo, ita vt ob id à debita caſtigatione deſiſtat. Hebræa enim dicto המיתו Hamitho, vel poteſt eſſe à verbo המה Hama, quod ſonare & tumultum edere ſignificat, vel poteſt eſſe à verbo מות meth, quod mori ſignificat.

19 *Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum, & eum rapuerit, aliud opponet.*

HEBRÆA habent, Magnus ira portat pœnam vel detrimentum, quod ſi liberaueris & adhuc addes. Quam ſentẽtiam Hebræorum quidam, quos & Caietanus ſecutus eſt, connectunt cum ſuperiori verſiculo, vbi in caſtigatione filij à crudelitate pater cohibetur, videlicet vt caueat ab interfectione. Qui enim talem in filium exercet crudelitatem, magnus eſt ira & impatiens, qui ſupplicium dabit ſuæ impietatis, pœnámq; portabit, cum ipſum poſteà pœnitebit acrioris caſtigationis factæ ex impatientia & magnitudine iræ. Vt ergo iræ intemperantia minuatur, ſubiungitur. Quod ſi liberaueris filium & eripias à ſæuiore caſtigatione, adhuc addes vt caſtiges eum, aliáque vice denuo caſtigare eum poteris. Et in noſtra litera verſum hunc cum ſuperiori cohærere, oſtendit coniunctio enim, quę in multis libris reperitur. Itaque ſenſus eſt, ne inducas animum ad interfectionem filij, quia qui impatiens eſt in corrigendo filio reportabit inde damnum, quandoquidem huiuſmodi immodica caſtigatione & filium ſuum amittet ac perdet, & ſe tum iuſtitiæ humanæ, tum diuinæ vltioni obnoxium reddet. Sunt tamen qui hunc verſum ſeparatim accipiunt, vt non cohæreat cum ſuperiori, ſed in genere dicatur contra eos qui paſſionibus iræ ſunt obnoxij, ſignificeturque eum qui vehemens eſt & magnus in ira, frequenter incidere in pericula, & ſuæ temeritatis & impatientiæ pœnas dare incurrendo damnum aliquod, ex quo ſi liberari eum contingat, tamen alia vice repetendo furorem adiiciet ſibi adhuc damnum. Sic & noſtra litera accipi poterit vt ſit ſeparata & generalis ſententia. Nam vt coniunctio, enim, non eſt apud Hebræos nec Græcos, ita nec in pleriſque codicibus Latinis, nominatim apud Bedam, qui etſi inprimis hanc ſententiam referat ad ſuperiorem, tamen poſtea aliam addit intelligentiam, quæ cum ſuperiori ſententia nihil habet commune. Itaque ſenſus noſtræ literæ Hebræis conformis hic eſſe poterit. Qui impatiens eſt, frequenter ex impatientia ſua damnum reportabit in nomine aut facultatibus, aut corpore ſuo. Et cum rapuerit, hoc eſt, ſuſtulerit illud damnum, aliud rurſum damnum apponet ſibique aſciſſet, cum per conſuetudinem radicata ira rurſum per impatientiam efferbuerit. Hoc eſt, impatiens & in ira intemperans varia incidet damna & mala, atque ex euaſione vnius mali non facilè corrigitur, ſed mox in aliud incidit. Beda ſic hunc verſum tractat. Patet inquit literæ ſenſus, quia qui per impatientiam inopiæ, furto ſeruit aut rapinis, damnum ſuæ animæ facit, & cum rem proximi tollit, etſi non homini, pro hoc, certè æterno iudici rationem reddere habet. Vnde alia æditio ita hunc verſum tranſtulit, malè cogitans homo multo dãno affligetur, & ſi pernicioſus fuerit, animam ſuam opponet: quia nimirum cum pecuniam violẽtus abſtulerit, pro hac animam ſuam inuitus dabit. Hæc ille. Cæterum alia illa æditio de qua loquitur, ipſa eſt ſecũdum verſionem Græcorum, apud quos tamen pro malè cogitans homo, eſt, μακέφρων ἀνὴρ, quod potius eſt malæ mentis vir, hoc eſt, inſanus vir qualis eſt impatiens & ira feruens, phrenetico ſimilis. Mirum cur quidã pro magnus ira, verterit tardus ad bilẽ, cũ ſic dicatur hebręis, Magnus ira: ſicut

ſicut eis dicitur, Magnus miſericordia, pro eo quod eſt multum miſericors, vt nos legimus Pſal. 144.

20 *Audi cõſilium & ſuſcipe diſciplinam, vt ſis ſapiens in nouiſſimis tuis.*

AD filios atque iuniores hæc monitio ſpectare videtur, vt poſtquam inſtruxit patres quo pacto filios monere & caſtigare debeant, viciſſim & iuuenes doceat obtemperare parentibus, eorumque diſciplinam, hoc eſt, eruditionem vel caſtigationem (nam vtrumq; accipi poteſt) Iubentur admittere, quo tandẽ in ſenectute & ipſi ad ſapientiam perueniant, hoc eſt, vt in iuuentute ea capeſſant & recipiãt per quæ ſenectus & honoretur & bene ſe habeat. Nam ſapientia maximè ſenes decet & alioqui in fine hominis maximè requiritur ſapientia cum à fine bono ſalus tota hominis eiuſque bonum pendeat.

21 *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem domini in æternum permanebit.*

PRO voluntas hebræis eſt conſilium, ita vt hic idem dicatur, quod in Pſal. Conſilium domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Non eſt tamen hoc loco in pleriſque libris dictio in æternum, ſicut nec in originalibus. Docet ergo hæc ſententia varias eſſe in corde hominis cogitationes variáque conſilia quibus intra ſe homo angitur & diſtinetur, ſtudens ſibi proſpicere aut quippiam perficere etiam ſæpe contra Dei voluntatem. At fruſtra ſe homines variis huiuſmodi cogitationibus cruciare, quum ſolum conſilium ac decretum Dei ſtabile futurum ſit & fixum, nec conſiliis hominum poſſit impediri, ac proinde ſe eius voluntati per omnia ſubmittere debeant, omnem ſuam ſolicitudinem proiicientes in eum, cui cura eſt de nobis, & cuius voluntati nemo reſiſtere poteſt. Aut ſignificatur multas eſſe & ſubinde variari hominis cogitationes, quia frequenter in irritum cadunt humana conſilia, ita vt ob id alia quærenda ſint. At contra, Dei conſilium nulla ratione mutari poſſe, ſed ſemper ſtabile perſiſtere, vt ſignificetur differentia inter conſilium Dei & hominum. Pſal. 33. 1. Pet. 5.

22 *Homo indigens miſericors eſt, & melior eſt pauper quàm vir mendax.*

HEBRÆA priorem partem longè aliter habent. Sic enim eſt ad verbum. Deſiderium hominis beneficentia eius. Et poteſt hic conueniens eſſe ſenſus. Deſiderant homines vt poſſint eſſe benefici & liberales in egenos, prætexunt id ſuo deſiderio & auaritiæ, aſſerentes ſe deſiderare diuitias ob beneficentiam & miſericordiam egenis exhibendam. At melior eſt vir pauper qui ſua ſorte contentus viuit, quam is qui mendaciter ſuo ad conquirendas diuitias deſiderio, prætexit opera beneficentiæ. Vel ſic: Omnes quidem homines ex natura deſiderant eſſe benefici, præſtat tamen pauperẽ eſſe & beneficum eſſe non poſſe, quàm mendaciter de beneficentia gloriari, & ſuam quam quis non exercuit beneficentiam prædicare. Noſter interpres deſiderium per translationẽ videtur accepiſſe pro indigentia, quemadmodum verbum deſiderare Latinis elegãter pro deficere ponitur, vt cum dicuntur in prælio aliquot milia deſiderata. Vbi enim indigentia eſt, ibi eſt deſiderium. Significat ergo noſtra litera, hominem indigentem, vt in plurimum magis eſſe miſericordem, quam ſint diuites, vt qui per experientiam nouit quam grauis ſit miſeria & indigentia, ideoque virum pauperem præſtare diuiti mendaci, qui ne benefaciat mentitur ſe non habere quod tribuat. Ille enim quanquam non poſſit cupit benefacere, hic verò quum poſſit, non vult. Aut ſignificatur indigentiam hoc boni conferre homini vt miſericors ſit erga alios miſeros, atque inter duo mala nempe paupertatem & mendacium minus malum eſſe paupertatem, quanquam illam valde fugiant homines, & pro extremo malo dicant. Iuxta priorem intelligentiam ſignificatur, paupertatem duo bona conferre homini, nempe voluntatem benefaciendi, & præſeruationem à peccato mendacij. Vere enim poteſt dicere ſe non poſſe benefacere. Beda hanc ſententiam myſtica intelligentia tranſfert ad indigentiam & paupertatem mentis. Indigentem, inquit, dicit humilem, qui ſe perpetuis indigere ſine ceſſatione recolit: Talis namque vt miſericordiam conſequatur à domino, nunquam proximo miſereri recuſat. De quo & ſubſequenter annectit. Et melior eſt pauper quam vir mendax. Melior eſt namque humilis corde qui nihil fidit ſuis operibus, quam qui ſe præ excellentia virtutum viri nomine dignum ducens fallitur neſcius, dum ſuperbiendo perdit bona quæ geſſit. Cæterum quod ad lectionem attinet, ſunt qui in hoc verſu legunt. Melior eſt pauper iuſtus quàm vir mendax. At dictionem iuſtus, vt non habent Hebræa, ita nec noſtri codices emendatiores. Eſt autem ea dictio in quibuſdam addita ex aliqua editione, quæ iuxta Græcos ſic habebat, Melior eſt pauper iuſtus quàm mendax.

23 *Timor domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi.*

HEBRAEA habent Timor domini ad vitã & ſaturus pernoctabit, non viſitabitur à malo. Itaque quod nos habemus, in plenitudine, accipi debet de plenitudine omnium bonorum, quæ ſatietatem adfert. Et ſuperlatiuus peſſimi, pro poſitiuo mali accipiendus eſt. Eſt autem vtraque pars imperfecta, perficienda in hunc modum. Timor domini perducit ad vitam & in plenitudine, vel ſaturatus commorabitur is qui timet dominum. Tria autem bona hic timori diuino tribuuntur recto ordine, quæ perfectè hominem fœlicem reddunt. Primum eſt quæ vita inprimis ab homine deſideratur, vt ſine qua alia bona eſſe non poſſint. Secundum eſt plenitudo & ſatietas omnium bonorum. Et tertium ſecuritas ab omni malo. Hęc enim duo viuenti deſiderãtur vt beatè viuat. Nam viuere, ſed in inopia, miſerum eſt. Et rurſum in ſaturitate & diuitiis viuere, ſed cũ metu, quemadmodũ ſæpè contingit diuitibus,

diuitibus,qui quo plus habent bonorum,plus timent malorum, miſerum quoque eſt. Ad mpletur ergo hęc ſententia perfectè quidem iposſt hanc vitam, quia timor domini perducit ad vitam æternam, quæ ſola verè perfecta vita eſt. In qua & eſt ſaturitas & ſecuritas perfectiſſima.Satiabor,inquit Propheta,cum apparuerit gloria tua. Et tamen etiam in hac vita ſuo modo impletur, ſicut & pleræque ſimiles ſcripturæ temporalem fœlicitatem timentibus Deum promittentes, non ſolum in veteri teſtamento, ſed & in nouo. Pietas enim ad omnia vtilis eſt,promiſſionē habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Timor enim domini perducit etiam hic ad vitam, quia efficit vt homo in anima coram Deo viuat,& vt in corpore liber ſit à multis morbis quos vitia pleraque etiam cum morte afferunt.Item vt liber ſit homo ab vltione ſiue principum, ſiue Dei, per quam ante tempus plerique ob tranſgreſſionem legum è vita tolluntur. Confert item & ſatietatem & ſecuritatem timor domini, iuxta illud: Inquirentes dominum non deficient omnino bono,& non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Plerunque enim Dei beneficio metuentes eum, præterquam quod longitudine dierum donantur,in rerum hic viuunt abundantia & tranquillitate, Dei protectione à multis malis liberi quæ impij ferre cogūtur. Et alioqui qui timet amatq́ue dominum,paucis contentus viuit,terrena non admodum concupiſcit,ſatur dum habet neceſſaria, ita vt cū Paulo dicat: Habeo autem omnia & abundo. Sed & cum omnium bonorum authorem ſecum habeat, cuius rei famem ſuſtinere poſſit: Sic etſi quid pati eum contingat, ſiue pro iuſtitia ſiue pro conditione huius mortalitatis,tamen nouit quod diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Itaque ſecurus degit & mali expers, quia malum illi non eſt quod patitur.

Pſal. 16.

1. Tim. 4.

Pſal. 33.
Pſal. 90.

Phil. 4.

24 *Abſcondit piger manū ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam.*

PRo aſcella vel axilla (vtrunque enim dicitur)Hebraica dictio טלחת Tſallahath propriè ſignificat lebetem vel ollam.Quæ dictionis ſignificatio proprìa præſenti loco etiam bene conuenit.Sic enim vehementi hyperbola exaggerabitur hominis pigri torpor & deſidia,vt qui manum ſuam poſuerit & abdiderit intra ollam vt eſcam inde accipiat, & tamen tedeat eum educere illam cum cibo ad os.Pleriſque tamen hebræis placet dictionem hanc hic poſitam eſſe Metaphoricè pro ſinu, quod quemadmodum aliquid abſconditur in olla, ita in ſinu. Quam translationem etiam ſecutus D.Hieronymus, vertit aſcellam. Eſt autem in hac ſententia hyperbolica locutio ad inſinuandum quorundam hominum admirandā pigritiam.Nam vix inuenias qui ne ad os quidem manum ſuam velint admouere præ pigritia.Cum ergo dicitur pigrum abſcondere manum ſuam ſub aſcella vel in ſinu,ob frigus ſcilicet declinandum & otij amorē, nec ad ſuum os reducere eam ſiue vt cibum capiat ſiue vt caput curet, ſignificatur quorundam tantam eſſe pigritiam, vt & quæ facillima ſunt factu & neceſſaria corpori vel animo, detrectent & recuſent.Certè ſunt infiniti qui malint famen pati,quam vlli honeſto ſtudio aut labori vacare.Et ſunt quibus moleſtum eſt vel cibum capere,vel faciem lauare aut caput pectinare & vel tantillo tempore caloris quem in ſinu quærunt, aut otij ſuauitate carere.Septuaginta alium ſecuti ſunt ſenſum, quem etiam hebræa admittunt.Habent enim,Qui abſcondit in ſinum ſuum manus ſuas iniuſte, neque ori applicabit eas,hoc eſt, qui operari recuſat, non habebit quod ori porrigat, hoc eſt, quod edat. Beda quoniam ad literam ſententia hæc parum vera videtur,ad myſticam confugit intelligentiam valde conuenientem quam ex D.Gregorio rurſum mutuatus eſt, intelligens poſt eum hic redargui eorum negligentiam, qui quod ore profitentur, manu & opere nolunt complere. Sic enim habet D. Gregorius lib.moral.22.cap.10.explicans ſimilem ſententiam quæ eſt poſtea cap.26.Pigro labor eſt manum ſuā ad os porrigere,quia deſidioſus quiſque prædicator nec hoc vult operari quod dicit. Manum quippe ad os porrigere eſt voci ſuæ opere cōcordare Hæc ille.Repetitur enim hæc ſententia poſtea cap. 26. vbi ſic legimus. Abſcondit manus ſub aſcella ſua & laborat ſi ad os ſuum eas conuerterit.

Gregor.

25 *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit:ſi autem corripueris ſapientem,intelligit ſapientiam.*

HEBRAEA ad verbumhabēt. Deriſorem percute,& imperitus fiet callidus,& corripe intelligentem,& intelliget ſcientiam.Verum Imperatiui ſæpe in hoc libro ponuntur non præceptiuè, ſed vt vno poſito intelligatur quid ſecuturum ſit, & exponendi ſint per,.Si, vt ſupra annotatum eſt circa verſum 7. capi. 14. Proinde non malè vertit interpres. Peſtilente flagellato,&,ſi corripueris,ſicut ſimilem ſententiam mox legimus verſam cap.21. Multato peſtilente ſapientior erit paruulus, vbi Hebræa habent,Cum affligitur deriſor,imperitus fiet ſapiens. Quanquam etiam præceptiuè in hac ſententia imperatiui poſſint accipi, vt ſignificetur deriſorem non admonendum eſſe & arguendum,vt de quo non ſit ſpes, ſed in exemplum aliorum flagellandum & mulctandum. Sapientem autem ſi qua in re peccet non affligendum ſtatim, ſed corripiendum & monendum vt qui verbis proficere poſſit,iuxta illud quod eſt ſuperius cap.9. Noli arguere deriſorem, ne oderit te, Argue ſapientem & diliget te & addetur ei ſapientia. Potrò pro deriſore vertit aliquoties noſter interpres peſtilentem, ſecutus Septuaginta,vt & in Pſalmo primo: In cathedra peſtilentiæ non ſedit. Hi enim qui eò impietatis profecerunt, vt veritatem & veritatis doctores, ac monitores æque derideant, homines verè ſunt peſtilentiſſimi & communitati noxij. Significatur ergo hac ſentētia quod quanquam ex afflictione deriſori & planè iam impio homini inflicta, nulla ad ipſum redeat vtilitas, non tamenab ea ceſſandum, vt eius exemplo s qui adhuc non eſt impius,ſed ſtultus,hoc eſt imperitus

imperitus & inſipiens(hoc enim propriè ſignificat dictio Hebraica, quàm noſter nunc ſtultum,nunc paruulum vertit) fiat ſapientior,alienoq́ue periculo & malo cautus.At ſi quis ſapientem in aliqua re corripuerit, hoc ipſum proderit ipſi ſapienti,qui monitus aduertet ad id in quo prius fuit negligens & imprudens. Nemo enim etiam ſapiens alioqui, vbique & omni hora ſapit.

26 *Qui affligit patrem & fugit matrem,ignominioſus erit, & infœlix.*

CREDO interpretem vertiſſe nō fugit, ſed fugat,quum non tantum hebræa dictio fugare ſignificet,ſed & Græca.eſt enim *ἀπωθούμενος*, hoc eſt,impellens vel expellens. Et alioqui fugare cōuenit cum affligere patrem, vel vt eſt Hebræis,vaſtare aut ſpoliare patrem. Et eſt ſenſus,Is qui impia ſua vita patrem affligit eumq́ue ſuis bonis exuit, ſiue per violentiam ſiue per decoctionem bonorum,& matri cauſa eſt vt fugere cogatur ac domum ſuam ſiue patriam relinquere, vel quia non poteſt ferre inſolentiam filij,vel quia per ipſum ad pauperatem redacta, diutius in domo ac patria manere non poteſt, talis planè eſt ignominioſus, omnique vituperio dignus & opprobrio. Dignus item qui & hic & in futuro infœlix ſit quia infœlices reddit ſuos parentes. Quod ſi quis legere velit, fugit, vt conſtanter habent noſtri codices, affligere patrē intelligetur qui ipſum contriſtat nolendo ei obedire, & fugere matrem qui ab ea ſeparatur & diſcedit, nolens eius monitis obtemperare.Hebræa etiam aliter verti poſſunt, vt ſit ſententia maioris pōderis hoc modo: Vaſtat patrem & fugat matrem, filius pudendus, & probroſus, hoc eſt, qui pudendam vitam viuit, parentes ſæpe ſpoliat & bonis & domo: aut,tantum peccat, atque qui parētes ad inopiam & exilium adigit.

27 *Non ceſſes audire fili doctrinam,nec ignores ſermones ſcientiæ.*

HEBRAEA non habent has negationes non & nec, ſed ad verbum ſic. Ceſſa fili mi audire doctrinam vt erres à verbis ſcientiæ. Quod ferè ſic intelligitur ab omnibus, vt moneat Sapiens filium ſuum ceſſare ab huiuſmodi doctrina,quæ inducit ad errandum à verbis prudentibus & ſermonibus veræ ſapientiæ. Qualis eſt diſciplina & philoſophorum, quæ à fide eſt aliena,& hæreticorum, quæ à catholica veritate homines abducere conatur, & hominum mundanorum qui quæ carnis ſunt ſapiunt & alios ſapere docent.Huiuſmodi doctrinam etiam audire prohibemur. Imminet enim ſæpè periculum erroris,ſi vel tantum aures ei accommodemus. Veriſimile eſt interpretem noſtrum ſententiam hanc legiſſe per interrogationem in hunc modum, Ceſſabis ne fili mi audire doctrinam vt erres à ſermonibus ſcientiæ, Aut ironice dictum accepit, Ceſſa fili mi audire doctrinam,vt quod ſequitur demonſtret quid hinc mali ſecuturum ſit, ſcilicet quod errabit à verbis ſcientiæ,ac proinde ex conſequenti ſignificetur ſi errare nolit,non ceſſandum ab audienda ſapientum doctrina.Iuxta hos modos bene vertit interpres per negationem. Non ceſſes audire fili doctrinam,nec ignores ſermonem ſcientiæ, quamuis crediderim potius ſcriptū fuiſſe nec ignores. Sic enim ſignificabitur quid mali ſecuturum ſit ſi quis ceſſat audire doctrinam ſapientum:quod hic ſignificandum erat.

28 *Teſtis iniquus deridet iudicium, & os impiorum deuorat iniquitatem,*

VARIAS hoc libro contra teſtes iniquos vel,vt hoc loco eſt Hebræis, teſtis Belial profert ſententias Sapiens,quòd ab his multū accedat mali Reipublicæ,vt per quos ſubuertatur iuſticia præcipuum Reipublicæ bonum Porro quòd dicitur teſtis iniquus deridere iudicium,variè exponi poteſt. Nam iudiciū ſimpliciter accipi poteſt pro æquitate & eo quod iuſtum eſt ac æquum. Si enim teſtis iniquus deridet iudicium,quia non eſt illi æquitas cordi, flocci facit eam & contemnit. Nec curat ſeruare illud quod iuſtè decretum eſt à domino,Non falſum teſtimonium dices.Quia contra quàm æquum eſt non vereatur audacter quod falſum eſt & noxium proloqui.Poteſt & accipi de iudicio iuſtitiæ ciuilis. Illud enim ēt ſe deridere & contemnere oſtēdit, dum illud quantum in ſe eſt ſubuertit, dūmque illud nō ſicut deberet metuit & veretur.Poteſt poſtremò idque ſimul cum præcedentibus intelligentiis accipi de iudicio diuino per quod teſtis falſus non erit impunitus, vt ſuprà dictum eſt.Nam & illud deridere videntur,cum ſuo facto ſe illud non vereri qua ſi futurum non ſit, declarant: ſic quod ſequitur & os impiorum deuorat iniquitatem, variè accipi poteſt. Primum vt os impiorum intelligatur deuorare iniquitatem, quia auidè impij iniquitatem deſiderant,atque veluti cibo paſci ac refici ardenter quærunt: ſic enim intelligunt Beda & Lyra. Et notat Lyranus bene dictum eſſe deuorat, quia non maſticat nec bene expendit iniquitatis malum,quod ſi facerent, ſentirent eius amaritudinem impij. Aliter exponit quidam, pro eo quod eſt ſceleratè ſuſtinet mentiri, vt deuorare iniquitatem ore ſit iniquitatem & mendacium ſine pudore & remorſu effutire, & quaſi rem nihili non æſtimare nec curare,quomodo & Dominus in Euangelio dicit quoſdam camelum glutire. Sunt qui duo huius ſententiæ verba,deridet & deuorat, aliter, vertunt, pro ambiguitate dictionum Hebraicarum. Nam pro priori verbo vertunt, interpretatur,vt ſignificetur,teſtem iniquum interpretari iudicium, quia illud in alteram & malam partem ſæpè inclinat.Et pro altero verbo vertunt abſcondit, vt ſignificetur os impiorum abſcondere intra ſe iniquitatem,eámque tegere, dum veritatem tegit,aut dum meditatam iniquitatem apud ſe ſeruat ſuo tempore effundendam, iuxta illud: Sub lingua eius labor & dolor. Pſal. 9.

29 *Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.*

BENE poſtquam dictum eſt teſtis iniquus deridet iudicium, ſubiungitur generalis

sententia. Parata sunt derisoribus iudicia, vt quod ille deridet, intelligatur aliquando experturus. Iam quidem plerique veritatem irrident, & quasi nunquam quod merētur sint perpessuri absque timore vllo perpetrant malum, quia non profertur cito contra illos sententia. Verum quanquam patienter agat dominus, expectans hominum pœnitētiam, aut vt impleta mensura peccatorum suo tempore tanto iustius vindicet, parata sunt iam apud Deum iudicia ipsis derisoribus, quos ferè videt vsque in finem perseueraturos in malo, eo quod peccent in Spiritum sanctum. Et vt sciamus qualia eis iudicia sint parata, subiungitur. Et mallei percutientes stultorum corporibus. Pro quo Hebræa tantum habent, Et percussiones dorso stultorum. Non enim additur de malleis, quod tamen non malè addidit interpres, quia dictio Hebraica non simpliciter percussiones significat, sed graues percussiones & contusiones quales fiunt malleo, qui & ab eadem dictione Hebræis ob id suum habet nomen. Itaque significatur corpora stultorum aut potius dorsa eorum, (Nam dorsa flagellari, percuti, & contundi solent) grauiter cōtundenda fore, quemadmodū dum fustibus quis cæditur, aut quemadmodum incus malleo cō tunditur, iuxta illud: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, hoc est, significatur dira supplicia & grauia parata his qui sapere nunc nolunt, quæ frequenter illis in hoc seculo & humano & diuino iudicio acerbius autē irrogabuntur in futuro: quando veluti ferrum cadens in fornace gehennæ sine fine verberabuntur & contundentur. Sacro huic oraculo conuenit oraculum datum Pausaniæ duci Laconico, Pœna luenda tibi est, affert iniuria clades. Et oraculum datum Pisistrato οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει, hoc est, Nemo hominum delinquens pœnam non persoluet.

CAPVT XX.

1 *Lvxuriosa res vinū & tumultuosa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit sapiens.*

PRo luxuriosa res Hebræis est dictio לץ Letz, quam in superioribus versibus noster vertit nunc pestilentem, nunc derisorem, vt in proximo versu, Parata sunt derisoribus iudicia. Pro ebrietas illis est שכר Sechar, quam noster nūc siceram vertit, nunc ebrietatem, quum propriè significet omnem potum qui inebriare potest. Itaque Hebrea quidam sic vertunt. Derisorem vinum, & tumultuosum sicera, vt subaudiatur verbum, facit. Alij vinum est derisor, hoc est, scurrile, & sicera est tumultuosa, nempe quia tales efficit homines. Et re vera sic est. Experimur enim vinum si immodice bibatur, (Nam sic de eo hic loquitur, vt patet ex secūda sententiæ parte) efficere, vt ebrij alios rideant, iura omnia sacra & prophana contemnant, neminem verentes. Item vt contentiones & rixas excitēnt ac clamorum tumultus, (Eccle.31) iuxta illud Ecclesiastici: Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit. Noster interpres secutus est, vt sæpè aliàs translationem Græcorum, qui habent ἀκόλαστον οἶνος, quemadmodum & in superiori versu pro derisoribus habent ἀκολάστοις. Itaque vertit luxuriosa res vt concordet cum illo Pauli: Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Cæterum quemadmodum illo loco nomen luxuria, nō accipitur tantum pro inordinata venere ac libidine, quod tamen plerique ea dictione significari propriè putant, quum propriè significet omnem superfluitatem & abundantiam in vestitu, potu, aliisque similibus rebus. Ita nec hoc loco dictio luxuriosa, tantū ad veneream rem est trahenda, quanquam verum sit vinum immodicum vehementer ad venerem hominem impellere. Vt enim apud Paulum dictio ἀσωτία, omne genus lasciuiæ & intempe rātiæ ac prodigalitatis significat, ita ἀκόλαστος Græcis dicitur prodigus, lasciuus, libidinosus ac intemperans. Dicitur enim quasi impunitus & incoercitus qui sibi temperare non potest. Vnde D. Ambrosius legit, Prodigum est vinum & contumeliosa ebrietas. 2. lib. Offic. cap. 21. Itaque vinum luxuriosa res dicitur, quod ad luxū, prodigalitatem, libidinem, ac omnem lasciuiam & petulantiam homines prouocet. Duo ergo mala, vino vel ebrietati tribuit, quorum vnum ad immodicas voluptates, alterum ad turbas & iras pertinet, vnum ad concupiscibilem, alterū ad irascibilem vim. In eo autem quod sequitur, quicunque his delectatur, nō erit sapiens, Pro verbo delectatur, plerique vertunt errat, vt sit, qui in hoc, nempe vino vel sicera errat, non erit sapiens. Nam id propriè dictio Hebraica significat. De errantibus in vino vel sicera, hoc est, per vinum aut siceram fit mētio Esaiæ 28. vbi nos legimus: Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, &c. (Ese.28.) Quo loco idem est verbum & similis locutio qualis est hic & patet ex illo loco, quod errare in vino sit errare per vinum. Idem tamen verbum aliquādo dicitur, significare delectari, vt Prou. 5. vbi nos legimus: In amore eius delectare iugiter. Quare seduceris fili mi ab aliena. Hic enim pro delectare, & seduceris idem est verbū quod & hic ponitur, & vertunt penè omnes ibi delectari. Qui enim in re quapiam delectatur, in ea totus animo errat, hoc est, occupatur & hæret. Hanc ergo significationem hic noster interpres secutus est, Et rectius vt apparet, quia nihil singulare est dicere, eum qui per vinum errat non fore sapientem. Si enim errat, nō est sapiens. Singulare aūt est dicere, illum qui delectatur vino non fore sapientē. Et sequitur istud ex præcedenti, quoniā enim vinū excitat passiones concupiscibilis & irascibilis, ideo qui illi immoratur & delectatur non potest fieri sapiens, quia sapientia animū requirit sedatum & corpus tēperatum. Vnde in Osea dicitur: Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. (Oseæ. 4.) Quod si verbum errandi placet, sensus erit: Qui permittit se decipi suauitate vini, ta vt eo delectatus se ingurgitet frequenter, nō efficietur sapiens.

2 *Sicut rugitus leonis, ita & terror regis, qui prouocat eum, peccat in animam suam.*

PRior pars superiori capite est habita, vbi legimus: Sicut fremitus leonis, ita & regis ira.

secunda pars manifesta est, quia qui prouocat regem ad iram per inobedientiā, peccat non tātum in regem, sed & in animam suam & in seipsum: quia seipsum periculo exponit mortis & vltionis animámque suam grauiter lædit quàm peccato grauissimo contaminat & vulnerat. Ita enim dupliciter exponi potest illud, peccat in animam suam.

3 *Honor est hominis qui separat se à contentionibus, omnes autem stulti miscentur contumeliis.*

DOCET hæc sententia pacem & concordiam sectandam, litésq; fugiendas, quod sic facientes non tantū suæ vtilitati bene consulant, cum se à multis molestiis & malis liberant, sed etiam honori, quem apud homines consequuntur & Deum, quia per hoc declarant se esse sapientes & apud Deum merentur ob pacis studium exaltari. Contra qui lites amant & contentiones, stultos se esse declarant ꝙ tam multis se molestiis subiiciant & incommodis, ac proinde non tantum sibi incommodum accersunt, sed & ignominiam Non habent autē Hebræa, omnes autem stulti miscentur contumeliis, sed tantum omnis stultus miscetur vel miscet se, scilicet litibus Proinde quod nos legimus. Miscentur contumeliis, intelligendum quod miscent se contumeliis irrogatis ad defendendum vel refellendum eas, quod fit litigando, & contendendo. Aut cōtumeliis accipitur pro litibus, quæ contumeliis ferè peraguntur.

4 *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.*

DICTIO Hebraica quàm noster frigus vertit, propriè hyemem significat, & quàm vertit æstatem, propriè significat messem, sed idem significatur, Nam piger ob hyemem non detrectat arare nisi propter frigus hyemis. Hyemi autem conuenit aratio, æstati messis. Significatur ergo pigrum nolle opportuno tempore cum aliis sedulis arare propter temporis frigus, atque ob id cum alij suo tempore fructus colligent cum voluptate, ob egestatem mendicaturum, nec accepturum, quòd nemo erga ipsum sit misericordia commouendus, iuxta illud Pauli: Qui non vult laborare, non manducet. (2. Thes 4.) Iuxta mysticam intelligentiam significatur eum qui nunc causans vitæ huius & virtutis asperitatem & molestias, ob desidiā in Dei seruitio laborare neglexerit, (Gal.4.) & terram corporis sui, exercitio virtutum velut aratro proscindere, venturo Dei regni, cum alij venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos, ipsum egenum mendicaturum, & non dabitur ei, quia quæcunque seminauerit homo hæc & metet, quando vnusquisq; recipiet secundum suum laborem. Bene autem præsens vita hyemi, regnum autem Dei æstati comparatur, quia vita hæc plena est mœroris, asperitatis & tenebrarum. In regno Dei discussa huius vitæ caligine & frigore, dies eterna solis perpetuo fulgore & calore clarescet, Vnde dicitur in Canticis: Iam hyems transiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. (Cant.2.)

5 *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud.*

AD verbum Hebræa habent. Aqua profunda consilium in corde viri, & vir intelligentiæ hauriet illud. Intelligunt autem quidam aquæ profundæ comparari cōsilium cordis viri sapientis. (Nam de eo solo istud dictum putant de quo supra dictum est cap. 18. Aqua profunda verba ex ore viri) ob eius abundantiam & copiam per quam nunquam exhauriri potest. Sicut enim aqua profundi putei etiam multis hauriētibus non absumitur, ita non minuitur sapientia & consilium sapientis quamuis multi eius fiant participes. Huic autem intelligentiæ non satis conuenit secunda pars, quæ significat non cuiusuis esse, sed tantum prudentis haurire cōsilium ex corde viri ob eius profunditatem, quódque nō cuiuis expositū sit, sed lateat quemadmodum aqua profunda difficultate quadam hauriri debet. Vnde & noster interpres rectè addidit secutus 70. particulam aduersatiuam, sed, cum tantum sit in Hebreo coniūnctio &. Itaque intelligenda videtur hæc sententia de cogitationibus & consiliis quibus quid agere sapiēs aliquis decreuit. Huiusmodi enim consilia & animi decreta is qui verè virilem habet animum non instar fœminarum cuiuis facilè prodit, sed abscondita seruat in penetralibus cordis sui veluti aquam profundam, ita vt non facile ea quiuis expiscari & intelligere possit. Attamen vir prudens & intelligentia multa præditus ex profundo cordis alieni eruere nouit, & veluti profundam aquā exhaurire latens in corde consilium. Vti enim nouit variis rationibus, vt penetret quod erat occultum consilium in corde viri. Adhibet enim multas circumlocutiones & sermones à remotis, aperit, quędam sua, aliáque pleraq; facit, quibus quod occultum erat, percipiat. Potest etiam accipi de consilio viri sapientis, quod is docendo multis dare potest, vt significetur consilium sapientiæ quod est in corde viri ad instruendum alios & consulendum, non posse facile capi à quibusuis ob eius profunditatem, sed tantum à prudentibus, qui illud ex ore ipsius profluēs haurire, percipere, & intelligere possunt. Vnde Paulus se tātum (1. Cor. 2.) inter perfectos sapientiam loqui, & spiritualibus spiritualia comparare profitetur. Singulariter aūt hæc sententia locū habet in singulari nostro viro Christo, cuius incomprehensibilia sunt iudicia & imperuestigabiles vię secundum quas omnia agere decreuit, ita vt paucis datum sit quædam cognoscere ex multis. (Matt. 1.) Cuius item doctrinæ consilia non cuiuis sunt peruia, sed tantum quibus datum est diuino munere. (1. Cor. 2.) Non enim omnes, inquit, capiunt verbū hoc. Et animalis homo non percipiet ea quæ sunt spiritus Dei.

6 *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?*

PRior pars ꝓ ambiguitate linguæ hebraicæ variè verti potest: Sed potissimum his duobus modis, Altero sic. Multi sunt qui prędicant & laudāt eū qui in ipsos est beneficus,

laudibúſque attollunt eius liberalitatem & gratiã,verum quis inueniet ex multis illis virum fidelem,qui ſcilicet fideliter repẽdat beneficium & par pari reddat, quemadmodum fidelitas & æquitas expoſcit. Quaſi dicat, Quum multi ſint qui ſe fatẽtur ab illo beneficium accepiſſe,pauci ſunt qui gratias referant,& in referẽdo ſint fideles & æqui. Aliter ſic verti poteſt & melius, multi homines prædicabunt vnuſquiſque beneficentiam ſuam. Et eſt ſenſus iuxta Pagninum & alios. Multi ſunt qui prædicant ipſi & in ore ſemper habẽt ſuam quàm in alios exercuerunt beneficentiam,at pauci ſunt qui in ea parte fideles ſint & veraces. Pauci enim ſunt, qui benignitatẽ de qua gloriantur opere exhibent pauci qui quam exhibent, fideliter exhibent propter Deum ſolum & non propter mundi gloriam. Hoc eſt,multi ſunt nomine pij,nõ autem ipſa re & ſine fictione.Iuxta quem ſenſum & noſtra litera eſt accipienda, vt ſignificetur multos homines appellari miſericordes &habere laudem miſericordiæ in alios præſtitæ, quod quiſque talis habere velit, verum paucos eſſe inter eos qui verè ſint fideles in miſericordia exhibenda,ſiue quia nõ ſunt ipſo opere adeo miſericordes vt dicuntur,ſiue quia non fideli veracíque animo ſint miſericordes, propter Deum ſcilicet ſolum. Ita ferè & Beda. Atque hic poſterior ſenſus conuenit cum illa ſententia quæ eſt ſuperiori cap.iuxta hebræum verſu 24.Deſiderium hominis beneficentia eius, & melior eſt pauper quàm vir mendax. coniungit enim ſcriptura vt ſuprà annotatum eſt,frequenter hæc duo,miſericordiam & veritatem ſiue fidelitatem. Itaque in his duabus ſententiis oſtenditur plerosque ſibi vnum arrogare nempe miſericordiam ſiue beneficentiam quum alterum deſit,nempe veracitas & fidelitas. Alias verſiones & explicationes earum conſulto omittimus ob vitandam confuſionem.

7 Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua,beatos poſt ſe filios derelinquit.

SIMPLICITAS hic rursũ vt & aliàs ſæpè ponitur p integritate & ſinceritate,quæ duplicitati & fictioni contraria eſt.Itaque ſignificatur iuſtum propterea quod ſincere & integrè coram Deo conuerſatur,habere poſt ſe filios beatos & fœlices,hoc eſt,iuſtũ non tantum ipſum virtutis ſuę fructum capere,& per virtútem ſuam fœlicem eſſe, ſed & ad poſteros fructum virtutis eius extendi. Primum enim magna fœlicitatis pars eſt habuiſſe parentes iuſtos & integros, eoque nomine filij apud homines laudantur & beati prædicantur. Deinde parẽtum exẽplo filij ferè rectè inſtituuntur,& eorundem merito ſæpè multa temporali fœlicitate à Deo donantur, iuxta
Pſal.111. illud Pſalmiſtæ: Beatus vir qui timet dominum,in mandatis,eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius,generatio rectorum benedicetur.Gloria & diuitiæ in domo eius &c. Cæterum ſententia hæc, ſicut & ſimiles ſcripturæ, ſic ad literam intellecta, magis pertinet ad promiſſiones veteris teſtamẽti, quamquis & nouum teſtamentũ huiuſmodi non careat promiſſis. Sed nec ſemper in omnibus iuſtis vera conſiſtit, quum plerique ſint qui vel filios poſt ſe non habeant, vel habeant infœlices.Proinde ſecũdum myſticam intelligentiam accepta de filiis ſpiritualibus,qui ſcilicet iuſti imitantur ſimplicitatem & perfectionem, verior erit,& nouo teſtamento conuenientior.Quicunque enim iuſtè conuerſatur,non poteſt non ſuo exemplo quoſdam ad virtutis ſuę imitationem prouocare,qui dum ipſum imitantur,cum ipſo ſimul eiuſdẽ fiunt beatitudinis participes,quę in hac quidem vita incipit per collatam eis Dei gratiam,In futuro autem conſummabitur per gloriæ cœleſtis poſſeſſionem.

8 Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo.

PRO Intuitu ſuo,Hebreis eſt ad verbum,in oculis ſuis.Quod dupliciter accipi poteſt Primum vt ſignificetur,Regem diſſipare malum quod in oculis eius manifeſtatur, aut ſic diſſipare malum vt coram ipſo non conſiſtat nec inueniatur.Quod ſecuti ſunt Septuaginta,habent enim,Cum rex iuſtus ſederit ſuper thronum,non obuiat in oculis eius omne malum. Auguſtinus legit,Cum rex iuſtus ſederit Auguſt.
in throno,non aduerſabitur ante eum omne malum.Vide libri de correp.& grat.cap.13. Aliter,in oculis,accipi poteſt,pro per oculos & per reſpectum eius,quod ſecutus noſter vertit intuitu ſuo.Et eſt ſenſus,Rex qui non ociatur, ſed ipſemet pro ſuo officio ſedet in ſolio iudicij iudicia exercẽs, & quod iuſtum eſt iudicans, talis in ſuo regno facilè diſſipat & diſpergit omne malum per hoc quod diligẽter obſeruat & aſpicit quid à quouis agatur,& ſęuere animaduertit in delinquentes. Sicut enim dici ſolet, quod oculus heri paſcit equũ ita & oculos regis fugat & diſpergit omne malum,imò & omnium.Nam vtrumque Hebræa ſignificare poſſunt,Aut diſpergit omne malum & omnium malum ſuo intuitu, quia vultu ſuo teſtatur ſe indignari malo, ſicque fit vt à malo ceſſent homines metuẽtes indignationẽ vultus eius.Docet ergo hæc ſententia quantum valeant iudicia cum æquitate & authoritate tractata,quamtúmque valeat autoritas regia ſi ſuo non deſit officio.Cęterum vt hęc generalis ſententia ad omnes pertinet reges & autoritate præditos, ita peculiariter ad regem regum & dominum dominantium cui pater omne dedit iudicium. Is enim cum venerit ad iudicandum & ſederit in ſede maieſtatis ſuæ,non habebit opus vinculis aut ſatellitibus ad coercendos, ſed ſolo ſuo intuitu diſſipabit omnes impios cum impietatibus ſuis, ita vt non ferentes indignationem vultus eius diſcedere cogantur ab eo in ignem æternum. Ad Chriſtum enim D.Auguſtinus loco prædicto hanc ſententiam refert,Qui & modo ſedens in dextera patris ſui veluti in throno ſuo, ſuo intuitu omne malum huius ſeculi,cernit,etiam quod nullis hominum aſpectibus patet, cúmque ei placet oculis ſuæ gratiæ cor hominis illuſtrare atque aſpicere, mox è corde hominis diſſipat omne malum. Nam & hoc ſecũdo modo ſententia hæc prouerbialis

uerbialis Chriſto accõmodari poteſt, vt indicat Beda,iuxta illud: Cõuerſus dominus reſpexit Petrũ & mox fleuit amare. Poteſt & ad quẽuis prouerbiali ritu deflecti hæc ſentẽtia ſi in cuiuſuis animo veluti Rẽpublicã conſtituas,in qua mẽs & ratio veluti regina,cæteris potẽtiis præſidet,quę ſi in iudicio vigilãter ſedeat decernens inter bonum & malum,iuxta verbum domini,atque voluntaria pœnitentia caſtiget rebelles animi motus, faciè hoc ſuo intuitu & circunſpectione diſſipabit cuncta mala, & à maioribus peccatis tranquillum reddet cum Dei adiutorio regnum animæ.

9 Quis poteſt dicere,mundum eſt cor meum,purus ſum à peccato.

QVAERI hic poteſt quomodo Sapiens negare hic videatur quemquam ſe poſ-
Matt.5. ſe mundo corde aſſerere aut purũ à peccato, quũ Dominus in Euangelio dicat:Beati mundo corde,indicans quoſdam tales eſſe.Quam quæſtionem declinat Caietanus confugiens ad veritatem Hebraicam, Quæ habet ſecundum eum. Quis dicet, Mundaui cor meum, purgaui à peccato meo?Secundum quam lectionem intelligit hic ſignificari neminem ſibi arrogare verè poſſe,quòd mundauerit cor ſuum & purgauerit illud à peccato ſuo, quia illud opus eſt proprium miſericordiæ diuinæ quæ ſola Spiritu ſancto mũdat cor hominis à peccato.Hominis enim eſt peccare, At ſolius
Oſeæ 13. Dei à peccato purgare,iuxta illud Oſeæ: Perditio tua ex te Iſrael, tãtũmodo in me auxiliũ tuum.Communiter tamen etiam ab Hebræis intelligitur hic ſignificari quod habet noſtra litera, Neminem poſſe gloriari de munditia cordis & puritate à peccato.Itaque Beda quo nodum propoſitum ſoluat,docte ſcribit:Notandum quod non ait, Quis poteſt mundum habere cor & purus eſſe à peccato, ſed quis poteſt dicere,inquit, mundum eſt cor meum & purus ſum à peccato, quia ſunt qui diuina largiente gratia,poſſunt iuxta humanum modum & cordis & operis munditiã habere.Vnde eſt illud Dominicum:Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.Nec tamen ſeipſum quiſquam mundum corde & immunẽ eſſe à peccato,abſque temeritate pronunciat. Stulta eſt namque proprię laudis iactãtia temerarium de ſua quemque innocentia vel iuſtitia gloriari.Hæc ille. Ex quibus patet neminem ideo dicere poſſe,mundũ eſt cor meum, tum quod temerarium ſit de ſeipſo gloriari & de eo gloriari quod ex ſe quis non habet,
2. Cor. 4. ſed diuinitus accepit.Si enim, inquit Paulus, accepiſti,quid,gloriaris,quaſi non acceperis, tum quòd nemo perfectam hic habeat munditiam cordis, quæ ſcilicet omne peccatum
3. Reg.8. excludat etiã veniale,quia vt habet Salomon
Eccle.7. in oratione ſua,Non eſt homo qui nõ peccet. Et Eccleſiaſtes: Non eſt homo iuſtus in terra
2.Ioan.1. qui faciat bonum,& nõ peccet. Et Ioannes in ſua Catholica 1. Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt.Rurſus, Nec de puritate à peccato mortali quis gloriari poteſt, quia, Delicta quis intelligit,inquit Propheta.Et de pro-
Pſal. 18. Eccl.7. pitiato peccato vult Sapiens nos nõ eſſe ſine metu,quia neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta,vt habet Eccleſiaſtes.Vnde & Paulus, Eccl.9.
1.Cor.4. Nihil inquit,mihi conſcius ſum,ſed nõ in hoc iuſtificatus ſum,Propemodum dicens:Spero me mundũ habere cor,ſed de eo gloriari non audeo. Et Iob: Si ſimplex fuero,hoc ipſum ig- Iob.9.
norabit anima mea.Vnde nec ocioſum eſt pronomen, meo, quod eſt in Hebræo, Purus ſum à peccato meo, quia nemo etiam de admiſſo peccato ſe purgatũ gloriari debet,propter vitæ huius incertitudinem. D. Auguſti- Auguſt.
nus ſecutus tranſlationem 70. quæ tum recepta erat, ſic legit hunc locum, & loco prædicto,& lib.de ſancta virginitate cap.48. Quis gloriabitur ſe caſtũ habere cor, aut quis gloriabitur ſe mundum eſſe à peccato? Et exponit neminem de hoc gloriari poſſe, quod in hac vita quæ tentatio eſt, nemo ab omnibus peccatis ſit immunis, ita vt omnibus quotidie orandum ſit,Dimitte nobis debita noſtra. Docet ergo hæc ſententia omnes ſeſe humiliare debere atq; fateri ſeſe egere Gratia Dei & in proximum delinquentem clementes eſſe debere.

10 Pondus & pondus,menſura & menſura,vtrumque eſt abominabile apud dominum.

PONDVS & pondus, menſura & menſura, Hebraica Phraſi ſignificat varia pondera variáſque menſuras, quibus quidam vtuntur negociatores, maiore pondere comparantes & menſura maiore, minore verò pondere & mẽſura vendentes, Aut iuſto pondere ac menſura vendentes callidioribus,iniquo verò põdere aut menſura ſimplicioribus, quibus facilè eſt imponere. Quæ res manifeſta eſt iniuſtitia,eóq; maior quàm furtum,quod occulta fraude cõmittatur,idq; in his rebus per quas iuſtitia ſeruari debuit, quodque latenter in plurimos fiat contra publicã vtilitatem,dum multorum iactura & populi diſpendio,vnius priuati lucrũ &compendiũ quęritur.Proinde rectè vtrumq; dicitur abominabile apud dominum,& alluditur ad id quod dicitur Deut. 25.Iuxta myſticam intelligentiã diuerſis ponderibus diuerſíſque menſuris vtitur, qui iniquis iudiciis de rebus iudicat,vt ſi quis reprehendat in vno quod in alio bene factum laudat,vel in ſe permittit quod in alio nolit tolle-
rare.Quem ſenſum proſequitur D.Gregorius Gregor.
explicãs hunc verſ.homil.4.ſuper Ezech.Scimus,inquit,quia in negociatorum duplici põdere,aliud maius,aliud minus eſt. Nam aliud pondus habent ad quod penſant ſibi,& aliud pondus ad quod penſant proximo. Ad dandum pondera leuiora, ad accipiendum verò grauia præparant.Omnis itaque homo qui aliter penſat ea quæ ſunt proximi, & aliter ea quæ ſua ſunt,pondus & pondus habet,&c.

11 Ex ſtudiis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.

VERBA noſtræ literæ nihil ſingulare ſignificare videntur. Quid enim ſingulare eſt dicere, poſſe agnoſci ex ſtudiis pueri, an opera eius ſint mũda & recta, quum id com-

mune sit omnibus. Ex studiis enim & actionibus cuiusque, agnoscimus an opera eius sint recta nec ne. Sciendum itaque Hebræa tantũ habere: Etiam in studiis suis agnoscitur puer, si mundum & si rectum opus eius, vt subintelligi possit verbum futuri temporis, erit vel futurum sit, & significetur quemadmodum plerique etiam Hebræorum intelligunt, teste Pagnino, ex his ad quę puer in sua pueritia inclinatur, & in quibus deditus est, probari posse ad quam viam cum adoleuerit sit declinaturus, vtrum ad bonam an ad malam. Sequuntur enim (vt in plurimum) homines in iuuentute aut senectute sua viam, quam in pueritia tenuerunt, iuxta illud quod est inferius;
Prou.22. Adolescens iuxta ỹiam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea. Itaque vt hic sensus habeatur in nostra litera, verbũ sint, accipiendum erit pro erint, aut subaudiendum futura. Sic enim & Lyranus intelligit. Habet enim Nam si sit bonæ indolis, ex hoc cõiecturatur, quod futurus sit virtuosus in ætate adulta. Docet hæc sententia propensiones & studia puerorum diligenter obseruandas, nec vt ferè fit, eorum actiones habẽdas pro ioco & voluptate, sed ex eis coniiciendum de futura eorum vita, ac proinde serio conãdum vt puer à pueritia bonis assuescat, & in suis prauis propensionibus refrænetur. Vide morem Athenien-
Nazian- sium, quem refert Nazianzenus epistola 127.
zenus. inter opera Basilij. Feruntur Lacedæmonij occidisse regij sanguinis puerum, quia solitus esset capras auiculas singulari voluptate necare. Nam ea ex re coniecturã fecerunt de ingenij sæuitia. Sunt ex Hebræis qui verbum illud quod noster vertit, intelligitur, in contraria accipiunt significatione pro ignotum esse & occultari. (Nam vtrunque dictio Hebraica significat) vt sensus sit, interdum inueniri pueros, qui in studiis suis occultantur, ita vt ex his quæ agunt, non possis agnoscere quales futuri sint, cum sæpe nõ respondeant vltima primis. Sed prior sensus vt à pluribus recipitur, ita est verisimilior. Cui cõcordat illud Ouidij: Ingenium cœleste suis velocius annis, Surgit, & ingratæ fert male damna moræ.

12 *Aurem audientem, & oculum videntem, dominus fecit vtrunque.*

QVOD hæc vtraque dominum fecisse asserit hac sententia, Intelligitur à quibusdam ideo dictum, vt intelligamus dominũ qui & auditus & visus author est, & audire & videre omnia, iuxta illud Psalmistæ: Qui plantauit aurem non audiet, & qui finxit oculum
Psal.93. non considerat? Contra eos qui dixerũt, Non videbit dominus nec intelliget Deus Iacob. Vt sciamus omnia aperta esse oculis eius, nec latere posse eum qui loquitur iniqua, quoniã
Sap.1. auris zeli audit omnia & tumultus murmurationum, non absconditur. Alij intelligunt significatum dominum & aurem fecisse ad audiendum & oculum ad videndum, vt ad hæc officia his sensibus (quibus duobus sapientia maximè paratur) studeamus rectè vti, & aurẽ quidem accommodemus ad audiẽdum quæ salutis sunt, iuxta illud Saluatoris: Qui habet aures audiendi audiat, oculos autem ad contemplandum opera cõditoris, ex quibus sempiterna eius virtus & diuinitas cõspicitur. Rectè etiam intelligitur significari dominũ non tantum esse autorem virium & potentiarum animæ, sed etiam recti vsus illarum, vt quod quis auribus rectè audiat & oculis rectè videat, Venerabilis Beda doctè hanc sentẽtiam secundum mysticũ sensum tractauit, sic scribens: Aurem audientem dici auditorem verbi obediẽtem. Oculum videntem, doctorem eruditum. Nemo ergo cum se scientia scripturarum instituerit & ad docendũ verbum Dei viderit idoneum, despiciat simplicitatem fratris, qui & si minus doctus ad prædicandum, non tamen minus est promptus ad discẽdum vel ad implendum bona quæ didicit: Sed recolat quia qui sibi maiorem scientię gratiam dedit, ipse fratri quæ habet spiritualia dona tribuit: nec sibi propter se solummodo sed etiam propter fratris commoda tribuit bona quæ voluit, dans vnicuique gratiã secundum mensuram donationis suæ, Hæc ille.

31 *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, & saturare panibus.*

RVRSVM à somnolẽtia & pigritia dehortatur, & ad vigilantiam atq; sedulitatem hortatur, quemadmodum plerisq; aliis similibus sententiis. Notandum autem hic non prohiberi somnum, sed dilectionẽ somni. Nec enim dicitur ne dormias, sed ne diligas somnum. Dormire enim necessitatis est naturalis, diligere autem somnum, voluntatis est, & huiusmodi dilectionis affectus lõgiorem efficit somnum quàm opus sit, & propterea ad pauertatem perducit plerosque. Cum autem in secunda parte somno opponatur, aperire oculos, positũ est hoc pro vigilare, quia vigilia fit apertis oculis sicut somnus clausis. Sicut autẽ nomine somni parabolicè omnis desidia & ociositas cõprehenditur, (Nam ociosus & deses à dormiente parũ differt) ita nomine vigiliæ insinuatur sedulitas & diligentia in rebus agendis, per quam necessariorũ copia, (quæ per saturitatem panum significatur) paratur facilè. Porrò quemadmodum in hac sentẽtia ad literam à corporali somnolẽtia auocamur vt egestatem corporalem vitemus, ita multo magis secundum mysticum sensum monemur nequaquam diligere somnũ peccati & inertię, de quo Paulus ait, Hora est iam nos de somno surgere; ne egestas in futuro illa gra- Rom.13.
uissima vbi nec stillam aquæ vnam sitiens inuenit diues epulo, nos occupet & opprimat inopinato. Contra potius aperiendos oculos cordis ad vigilias sanctas, vt saturitatem gaudiorum cœlestium bene viuendo conquiramus, imò & hic in anima saturemur pane cœlesti scripturarum, & illo qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo.

14 *Malum est, malum est dicit omnis emptor, & cum recesserit, tunc gloriabitur.*

ITA esse re vera experientia docet. Empturi enim quidpiam solent dicere malum esse malum esse quod capiunt, hoc est multũ subinde reprehendere illud, nũc hoc, nunc illud causantes,

causantes, quo minoris emant. At cum recesserunt à vendente, impetrata merce quam quęrebant, gloriantur se eam imperasse, gaudent se tam vili emisse, laudantque quod prius vituperauerunt. Nam pro gloriabitur, etiam verti potest, laudabit. Cæterum videndum quo fine
*istud à Sapiente dictum sit. Nam ipsa per se sententia, non est alioqui Sapientis sententia nec prouerbialis. Itaque videri potest istud dictũ ad insinuandum hominis ingenium, quo ferè aliena vituperamus, nostra laudamus in eis nobis placentes & gloriantes. Aut ad superiorẽ referendum est sententiam, vt scilicet exemplo mercatorum hortetur ad vigilantiam & in laboribus ac virtutibus diligentiam, ne propter laborum ac virtutum asperitatem segnes reddamur, sed potius consideremus fructum & finem laborum. Sicut enim mercatores primum quidem rem quam desiderant, vituperant, deinde vbi comparauerint, gloriantur & laudant, sic inprimis quidem asperum videtur & durum laboribus insistere, quibus necessaria parantur, at vbi aliis esurientibus, contingit saturari panibus, tum demum laudantur labores, tum gloriantur homines se laborasse, & laboribus necessaria comparasse. Ita & qui virtutibus ac sapientiæ insistunt, inprimis quidem multa mala sentiunt & difficilia. At
Roma.8. posteà in senectute sibi gratulantur, quod sapientiam & virtutem suis laboribus parauerint, & cum de hoc seculo recesserint, in quo mala pleraque ferenda sunt, tum gloriabuntur apertè conspicientes quia non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis.

15 *Est aurum & multitudo gemmarum, vas autem pretiosum labia scientiæ.*

DVPLEX est huius sententiæ apud nos lectio. Nam quidam libri habent. Et vas pretiosum, Alij vas autem pretiosum. Si legatur & vas pretiosum, vt ad verbum habent Hebræa, intelligi potest ipsa labia scientiæ comparari non tantum vasi pretioso, sed & auro ac gemmis, vt sit sensus. Ipsa labia sciẽtiæ sunt velut aurum & gemmæ & vas pretiosum, hoc est, illa sunt homini loco omnis supellectilis pretiosæ. Ornant enim hominem & verè diuitem efficiunt hominem non minus quam illa, imo multo magis. Hunc intellectum & lectionem hanc secutus est Beda vt patet ex commentariis. Si legatur, vas autem pretiosum, quomodo & hebræa verti possunt, sensus erit Est aurum & multitudo gemmarũ & sunt hęc apud homines in magno precio & pro supellectile pretiosa & præcipua reputantur, At vas verè pretiosum est labia scientiæ. Vt non
Sapie.8. auro & gemmis hæc comparentur sed præferantur, iuxta illud quod supra dixit. Melior est sapientia cunctis pretiosissimis & omne desiderabile non valet ei comparari. Qui sensus potest etiam esse in nostra litera etsi legatur & vas pretiosum, vt ante, Et vas, sit distinctio efficiens sententiam bimembrem. Dicuntur autem labia scientiæ phrasi hebræa, labia perita, per quæ significatur eloquentia cum sapientia coniuncta. Hæc enim inter omnia vasa & omnem supellectilem merito pretiosius vas censeri debet. Et vas quidem dici potest quod continet ornetque sapientiam rem pretiosissimam: quamquam simplicius hebraica phrasi dicatur vas quasi hominis supellex & diuitiarum pars. Omnis enim supellex hebræis vas dicitur.

16 *Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni & pro extraneis aufer pignus ab eo.*

PRO eo quod noster vertit qui fideiussor extitit alieni, hebræa etiam verti possunt cum fideiussit alienus, tamen ex secunda particula videtur prior versio conuenientior. Variis sententiis sapiens hoc libro filium suum dehortatur à fideiussionibus propter periculum. Itaque hac sententia durum se exhibet contra eum qui suis monitis non obtemperans, fideiubet pro aliis, maximè si pro extraneis & alienis id faciat, à quibus ei plus est periculi. Significatque dignum illum esse & mereri, vt etiam vestimentum eius, loco pignoris ab ipso tollatur pro debito, & ipse à creditore appelletur potius quam extranei, qui aliquando longius quærendi essent: simulque prudentiam quandam humanam, docet creditores, vt sibi bene prospiciant in fideiussionibus, potissimum quando cum ignotis & extraneis illis res est, ita vt etiam vestimentum fideiussoris non vereantur tollere potius quàm fallantur. Plerique enim ad fideiubendum faciles sunt, ad soluendum difficiles. Iuxta sublimiorem sensum significatur eos qui suscepto in alios regimine, pro eis spoponderunt, se suaque omnia pro illis obligasse, eáque ab eis seuere repetenda, si non studeant suo satisfacere debito.

17 *Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo.*

IN dictione calculo pro qua aliqui vertunt lapillo numerus singularis positus est pro plurali, calculis hoc est, lapillis minutioribus, qui si pani misceantur, dentes vehementer lædunt, Vnde Threno.3. vbi nos habemus. Fregit ad numerum dentes meos cibauit me cinere, pro ad numerum hebræis est dictio hoc loco posita, vt sit fregit lapillo, hoc est, lapillis dentes meos. Alij hoc loco pro calculo vertunt arena, vt arena opponatur farinæ, vnde panis conficitur sicut calculi opponuntur frustulis panis. Est autem panis mendacij panis mendacio atque iniquitate acquisitus. Quo nomine quodcunque lucrum significatur fraudibus & mala arte partum. Itaque significat hæc prouerbialis sententia, huiusmodi lucrum inprimis homini suaue videri & amœnum, vt quod non magnis acquiratur laboribus, postea tamen non minus insuaue esse quã si quis pro pane lapillos aut arenam, mastigare cogeretur, dum scilicet remordente conscientia, quod iniquè partum est concoquere non potest, aut dum ob iniquitatem, diuinam aut humanam vltionem ferre cogitur. Potest hæc sententia non solum ad furtum aut rapinam, sed ad quodcunque peccatum accõmodari, quod rectè dicitur panis mendacij, eo q; veluti panis videatur, ad tempus animum ho-

minis,

minis pascere, cum re vera non pascat. Omne enim peccatum hanc habet naturam & conditionem vt primo dulcedine quadam sensus mulceat & delectet animum, at postea dentes comedentium lædat, siue per remorsum conscientiæ siue per pœnam peccato debitam. Potest præterea & hæreticis singulariter aptari hæc sententia, quibus suauis est panis mendacij, hoc est falsa doctrina, quam pro vero pane euangelico gaudent populo ministrare, at postea sentire coguntur non esse vere panem quod porrigunt, dum suam doctrinam defendere non possunt, sed eam euomere & abiicere adiguntur. Caietanus per calculum siue lapillum intelligit hic significari ratiocinia quæ fieri solebant calculis, ad quod videri potest respexisse nostrum interpretem, dum in Threnis vertit: Fregit ad numerum dentes meos. Itaque intelligit hic describi illud hominũ genus, qui cum delectentur lucrum facere per fraudes, tamen postea plenis burcis loquuntur de iustis ponderibus & iustis ratiociniis, hoc est, qui cum iniustitiam exerceant iustitiam prædicant. Sed prior interpretatio simplicior est consentiens cum illo, quod est superius, Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis
Sa, ca.9. absconditus suauior. Venerabilis Beda dictionem calculo, accipit pro carbone ignito, quomodo accipitur. Esa. 6. cum dicitur angelus de altari sumpsisse forcipe calculũ, quo Prophetæ labia mundata sunt. Itaque intelligit significari hominem per hæc puniri, per quæ peccat, & qui in lingua magis peccauit, in ea magis arsurum, quemadmodum patuit in diuite epulone.

18 *Cogitationes consilijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.*

HEBRAEA ad verbum habent, Cogitationes consilio firma (vel dispone) & consiliis gere bellum. Sensus eodem redit. Per gubernacula enim in hoc libro sæpe consilia sunt accipienda, quibus gubernamur in nostris actionibus. Docet ergo hæc sententia ea quæ facere cogitamus, non temere aggredienda esse, sed cum consilio agenda esse quod à nobis ipsis aut peritioribus petendum sit, iuxta illud Salustij: Priusquam incipias consulto opus est. Sic enim quæ cogitamus roborantur, hoc est, muniuntur, aut ad effectum deducuntur cum alias infirma sint atque suo effectu frustrentur. Potissimum autem id seruandum est in rebus maioris momenti, cuiusmodi est bellum, in quo sæpè plus recta prudentiæ consilia valent quam vires corporales. Vnde peculiariter dicitur: Gubernaculis tractanda sunt bella, nempe quod plerique hæc viribus potissimum aut solum tractãda putent. Cæterum vt hæc in rebus temporalibus præstanda sunt, ita multo magis in spiritualibus. Cũ enim quid facere cogitamus pro gloria Dei atque salute animarum nostrarum, & peculiariter cũ nos ad bellum paramus contra spirituales nostros hostes nempe principes & potestates tenebrarum harum, non tenui cogitatione, sed sagaci consilio vt oportet, & apud nos rem pressè expendere, ac legem Dei consulere, vel viros sapientes, qui exercitatos habent sensus ad discretionẽ boni & mali, iuxta parabolam Euan
Luc. 14. gelicam. Quis ex vobis volens ædificare turrim non prius sedens computat sumptus, &c. Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem. &c.

19 *Et qui reuelat mysteria & ambulat fraudulenter & dilatat labia sua ne commiscearis.*

POSSVNT Hebræa verti, vt duo sint huius sententiæ membra, sicut ferè in aliis sententiis, hoc modo: Qui reuelat secretum, ambulat versutus, & dilatanti labia sua, vel blandienti, vel seducenti labiis suis ne commiscearis. Nam dictio הפתה Pote hic posita significat duo, blandiri scilicet, aut blandiendo decipere, & dilatare. Itaque sensus erit, Qui eius est ingenij & peruersitatis vt reuelet arcana ei cõcredita, is astute ac fraudulenter cum homine conuersari solet, astute scilicet explorans eius animum & consilia, astute item suam peruersitatem & animum tegens & simulans. Proinde cum eo qui dilatat labia sua, ita vt multa profundat verba ad decipiendum & expiscandum animi tui cogitata ne commiscearis nec commercium habeas. Sunt tamen & ex Hebræis, qui iuxta versionem nostrã vnicam clausulam efficiant, nempe vt nihil commercij habeamus, neque cum eo qui reuelat secretum, neque cum eo qui ambulat fraudulenter, neque cum eo qui dilatat labia sua, aut labiis seducit. Et possunt hæc tria accipi, vt in vnum eundemque competant, quia hic à Sapiente variis depinguitur coloribus. Qui enim reuelat arcana, is conuersari solet versute, ac tanquam explorator aliquis callidus: Atque quo callide arcana quæ reuelet exquirat, dilatat labia sua, blandè ad fallendum loquitur, multa profundens verba, quibus amicitiam simulet & dolositatem suam tegat. Talem monet vt vitemus, idque commode postquam sententia superiore monuisset consilio cuncta gerenda, vt ostendat tutum non esse cum quouis secreta communicare, quamuis necessarium sit ad res bene gerendas alieno sæpè vti consilio, significat ergo cauẽdum à fictis & infidis amicis. Hinc dicitur in Ecclesiastico: Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum.

20 *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lumen eius in medijs tenebris.* Eccl. 27.

LVMEN, vel vt habent Hebræa, lucernam hominis extingui in mediis tenebris, intelligunt aliqui, simpliciter esse, vita & luce huius vitæ priuari, vt idem significetur hic parabolicè quod apertè dicitur Leuitici 20. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Et Caietanus sub metaphora lucernæ quæ extinguitur in mediis tenebris, hoc est, tunc quando præcipuè opus est lucerna, intelligit significari breuitatẽ vitæ, quæ opponitur longæuitati promissæ in lege honoranti parentes: vt significetur maledicentem moriturum tũc quando maximè viuendum erat, nempe in iuuentute. Verum notandum hic non dici simpliciter lucernam vel lumen extinguendum, sed lumen vel lucernã eius, vt de luce solis accipi non possit. Itaque sic locus iste est accipiendus, quomodo supra dixit Sapiens: Lucerna impiorum extinguetur. Et Iob: Nonne lux im- Sa ca.13.
pij extinguetur, nec splendebit flamma ignis Iob. 18.
eius

eius? Lucerna enim, vel lux hominis dicitur in scripturis sæpè, illius excellentia, gloria, & q̃ Latinè dicimus claritas. Dicitur & filius sæpè in scripturis lucerna patris, quod per filium adhuc pater quodammodo viuat, & clarus sit apud homines, vt cum dicitur ad Ieroboam.
3.Reg.12 Filio eius (nempe Salomonis) dabo tribum vnam vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus. Et de Abiam dicitur: Propter Dauid, dedit ei dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post
3.Reg.15 eum, Itaque qui maledicit patri suo & matri, cum deberet illis esse lucerna, & illos illustres facere, contra quantum in se est eorum nomẽ obscurat & claritatem eorum tollit. Proinde merito lucerna & lumẽ eius extinguetur, hoc est, eius excellentia & claritas, quam ad tempus habet apud homines, atque temporalis eius fœlicitas, qua fulget in hoc mundo peribit & tolletur ab eo, idque in mediis tenebris aut, vt habent Hebræa in obscuritate noctis, hoc est, quando grauissimæ tenebræ eum obruent. Id autem fit, tum in morte quæ omnem claritatem & fœlicitatẽ impiorum tollit, tum in tempore etiam temporalis vltionis diuinę, quæ frequẽter per tenebras significatur. Contra de iusto dicitur: Orietur in tenebris lux
Esai. 58. tua, & tenebræ tuę erunt sicut meridies. Et rursum quis ex vobis timens dominum, qui am-
Esai. 50. bulat in tenebris & non est lumen ei? Adueniente enim die mortis & vltionis diuinæ, nõ vincitur ab eis tenebris virtus & claritas iustorum sed magis eluescit & tenebras superat, at contra impiorum claritas ab illis tenebris superatur & opprimitur. Potest quod hic dicitur de lumine aut lucerna impij intelligi etiam de lumine spirituali gratiæ scilicet & cognitionis diuinæ, quod lumen in impiis eorum merito extinguitur, ita vt in tenebris huius vitæ non videant quod ipsis expediat, eo quod destituãtur gratia Dei,

21 *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.*

NOTAT Caietanus non de quibuslibet bonis hanc sententiam loqui, sed peculiariter de bonis hæreditariis, vt hæreditas ad quam festinatur (vel vt habent Hebræa hæreditas festinata) sit hæreditas ante tempus expetita aut habita, vt si legitimus hæres ante mortem patris aut patrui cui succedit, festinet ad habendam hæreditatem. Verum Hebraica phrasi hæreditatis nomine, quæuis possessio & substantia possessa significatur. Itaque idẽ hac sententia designatur quod superius, cum
Sa.ca.13. dicitur. Substantia festinata minuetur. Nam cum hic dicitur hæreditatem inprimis festinatam posteà carituram benedictione, diuina scilicet, significatur eam non perseueraturam, nec vlterius multiplicãdam, sed minuendam. Potest & sic accipi, quemadmodum explicat Beda, secutus Gregorium in tertia parte curæ pastoralis, admo. 20. Qui in hac vita per auaritiæ nequitiam multiplicari appetunt, in futuro ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Secundum autem mysticum & spiritualem sensum, rectè intelligimus significari eos qui gradum regiminis ante tempus festinantes accipiunt, quique bona ecclesiastica & iura etiam iuuenes festinant occupare, tandem Dei benedictione destitutos, experturos quid sit pastoris officium obire, ac in die nouissimo mercede benedictionis, quæ debetur rectoribus carituros.

22 *Ne dicas, Reddam malum, expecta dominum & liberabit te.*

SIMILIS est hæc sententia illi doctrinæ Pauli, Nulli malũ pro malo reddentes. Et: Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam,
Rom.12 & ego retribuam, dicit Dominus. Hic tamen amplius quid significatur, Nam non solũ prohibetur, ne quis malum pro malo reddat, sed vt ne apud se hoc statuat, nec secum deliberet de reddẽdo malũ pro malo. Cũ enim dicit ne dicas, Sensus est, ne penes te cogites nec statuas iniuria rependere. Deinde non docet expectandũ à domino, vt is reddat malũ pro malo & vindicetur qui malum intulit, sed potius vt dominus eripiat à malo quod quis patitur, & salutem per illum consequatur. Non enim dicit, expecta dominum & vindicabit te, sed & liberabit te, vel vt habent Hebræa & saluabit te, docens nos cum iniuriam patimur, magis solicitos esse debere de propria salute, quã de alterius damno atque vindicta, contra quã natura hominum ferè habet, quæ per iniuriã irritata non tam cogitat de propria salute & liberatione à malo, quàm de alterius damno, & reddendo malũ pro malo, quare propriũ malum non amouetur, sed augetur frequenter. Quod si quis autem causam suam. Deo commendet, ab eo opem & salutem expectans, nõ tantum salutem se videbit cõsequi, sed & aduersarium suum vindicari, non quomodo ipse iratus desiderabat, sed sicut diuinæ æquitati & clementiæ videbitur opportunum, quæ sic solet vindicare malos, vt liberentur & saluentur boni, & sic saluare bonos vt ea liberatione vindicentur mali. Exemplum manifestum est in Dauide & Saule. Consentit cum isto illud Leuit. Non quæres vltionẽ, nec memor eris, &c.
Leuit.19
23 *Abominatio est apud dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona.*

SIMILIS est hæc sententia ei quæ supra habita est versu 10. Frequenter enim dicẽdum fuit à Sapiẽte, quod ad communẽ vitam summe est necessarium, ad quam inprimis est necessaria in cõmerciis iustitia, quæ à ponderantibus dupliciter violatur, nempe & per diuersitatem ponderum, & per bilancis ac stateræ dolositatem, quam dicit non esse bonam, significans Hebraica phrasi rem esse valde malam & noxiam. Iuxta sensum mysticum, præter id quod superius ex Gregorio dictum est, intelligitur secundum Bedam eos diuersa pondera & stateram dolosam habere in corde suo, qui cum peccauerint, veniam petunt à domino & nihilominus peccanti in se homini ac pœnitenti, q̃ peccauit, dimittere nolunt, suas iniurias grauiores, quàm domini æstimantes.

24 *A domino diriguntur gressus viri. Quis autem hominum intelligere potest viam suam?*

IN priori parte, Hebræa non habent verbum, diriguntur, sed tantum, A domino gressus
viri,

virl,vt intelligatur ſunt vel pendent.Secunda pars ad verbum ſic habet,Et homo quomodo intelligit viam ſuam? Senſus tamen eodem redit.Cæterum hæc ſe cũda pars ad priorem dupliciter referri poteſt. Nam aut poteſt accipi, vt ſignificet cauſam prioris partis,& ſit ſenſus Quandoquidem nullus eſt hominum qui intelligere poſſit viam ſuam,hoc eſt, quid ei potiſſimum ſit agendum, & quis ſit actionum ipſius futurus finis & euentus,neceſſe eſt fatea mur & agnoſcamus à Domino greſſus viri pendere,hoc eſt, eius prouidentiæ & diſpoſitioni tribuendas hominis actiones, vt ab eo petamus quid maximè ſit eligendum, eiuſque directioni noſtras actiones committamus ad ſalutarem finem per ipſum deducendas. In hũc modum accepiſſe Bedam patet, cũ explicans ſecundam partem habet:In hoc,inquit manifeſtè claret,quia quicquid boni habet quiſque à ſeipſo non habet,ſed per gratiam Dei,quod nec per ſui libertatem arbitrij.qualis futurus ſit,qualiter aut quandiu victurus ſit,intelligere poterit. Aut poteſt accipi, vt ſecunda pars ex priori conſequatur & ſit ſenſus, A domino pendent & dirigũtur greſſus viri,eius prouidentia & gratia fit vt quis incidat,hoc eſt,vt aliquid operetur, & quod operatur ad effectũ perueniat. Et ideo nemo poteſt intelligere viam ſuam & actionum ſuarum euentum. Quod enim à Dei pendet directione, non poteſt ab homine percipi & penetrari. Ita ferè Caietanus. Secundum vtranque explicationẽ commendatur nobis Dei prouidentia & cura peculiaris,circa ſtudia affectus & opera hominis in hac vita, vt hoc intelligentes propriæ prudentiæ non innitamur nimium,ſed à Deo in omnibus pendeamus, eius directioni nos committentes,iuxta illud Tobiæ:Pete à domino vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.Beda autem quod in genere dictum eſt de greſſibus & actibus hominis, ſpeciatim intelligit de actibus virtutis, vt hic gratia eius commendetur,ſine qua nihil recte aut bene facere poſſumus. Habet enim in explicatione prioris partis: Quicunque hominũ rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, ſed gubernatione illius, cui dicit Eſaias: Omnia opera noſtra operatus es in nobis.

Tob. 4.

Eſai.26

25 *Ruina eſt hominis deuorare ſanctos, & poſt vota retractare.*

HVIVS verſus varia eſt apud nos lectio, varia item apud Hebræos intelligentia. Apud nos enim quidam legunt,deuotare,atq; videri prima facie poteſt hæc lectio verior, quòd in ſecundo membro de votis fiat mentio.Certè deuotare videtur legiſſe Beda, & accepiſſe verbum deuotare pro deuouere. Nam in commentario ſuo ſubiicit,Quomodo quadraginta viri in Actibus Apoſtolorum deuouerunt ſe non manducaturos neque bibituros donec occiderent Paulum.Et Pagani ſæpè, vt legimus, diis ſuis Chriſtianorum deuouere ſanguinem. Hæc ille. Itaque ſecundum eum ſenſus eſt:Ruina eſt homini promittere ſe ſanctos perſecuturum, aut ſuis diis ſe eos immolaturum,& iuxta vota emiſſa, eos deinde tractare. Subiicit enim: Vt ſua vota compleant, ſanctos proſequuntur. Lyra qui & ipſe legit deuotare,aliũ reddit ſenſum, Intelligit enim, deuotare ſanctos, poſitum pro votum facere ſanctis, vt ſignificetur illum ruere in peccatũ qui quum fecerit ſanctis votum, retractat & reuocat non implendo illud: Alij legunt non deuotare,ſed deuorare,atque hoc potius modo interpretem vertiſſe plane apparet, quòd hebræa dictio propriè ſignificet deuorare aut deglutire, quemadmodum omnes ex hebræo vertunt,quanquam in verſus explicatione nõ omnes conueniant, vt ſunt hebræa ambigua. Ad verbum enim hebræa ſic habent ferè, Laqueus eſt homini deglutire ſanctum (vel ſanctificationem)& poſt vota quærere.Non enim hebræis eſt ſanctos, ſed ſignificat hebræa dictio ſanctitatem,rem ſacram ac Deo dicatam. Vnde & Pagninus dicit quoſdam codices Latinos habere, deuorare ſancta.Itaque ſic quidam hebræa intelligunt.Detrimentum eſt homini deuorare rem Deo conſecratam aut debitam & poſtea quærere vota,quibus Deus placetur, vt ſignificetur ſacrilegorum & ſceleratorum,(Nam omnes ſcelerati rem ſacram virtutem ſcilicet deuorant) votairrita eſſe & ingrata Deo.Iuxta quam intelligentiã & noſtra lectio rectè accipi poteſt ſi legamus in primo membro deuorare, & in ſecundo dictionem vota iungamus non cũ præpoſitione,poſt,ſed cum verbo retractare, quemadmodũ iã plerique emẽdatiores diſtinguunt codices.Senſus ergo erit,Grauiter ruit ac delinquit homo,eſtque ſibi cauſa, vt in grauem cadat damnationem ſi deuoret ſancta, aut ſi quærat perdere ſanctos viros,& poſtea retractet,hoc eſt,requirat vota, quaſi vota eorũ Deo placere poſſint, quorum manus ſanguine plenæ ſunt. Caietanus & alij quidam hunc Hebrææ dictionis reddunt ſenſum. Laqueus eſt homini deuorare rem ſacram, vt primogenita & reliqua debita ſacerdotibus ex lege,aut Deo oblata:& etiam laqueus eſt homini poſt vota emiſſa inquirere, num votum obliget,aut inquirere modũ quo quis poſſit minime obligari, & non reddere quod vouit, Vt ſignificetur hoc vnico verſu duplex ſacrilegij genus. Quod idẽ & in noſtra lectione intelligi poterit,ſi in ſecundo mẽbro dictio vota,cũ præpoſitione poſt iungatur,vt ſit ſenſus,Ruina eſt homini deuorare ſanctos,vel ſancta iuxta ſenſus prædictos. & etiam eſt ruina homini poſt vota facta retractare ea vota, hoc eſt, reuocare ea, aut retractare ac requirere modum quo à votis quis liberetur. Vnde in Eccle.dicitur: Si quid vouiſti Deo,ne moreris reddere.Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio,ſed quodcũque voueris redde: Multoque melius eſt non vouere,quã poſt votũ promiſſa nõ reddere. Beda meminit & antiquæ lectionis, quæ ſcilicet ſequitur 70.verſionẽ quã ſic refert: Muſcipula eſt viro citato aliquid de ſuis conſecrare:poſteà autẽ quam votum fecit pœnitentiam agit. Græci enim ſic habent παγὶς ἀνδρὶ ταχὺ τιτῶν ἰδίων ἁγιάσαι, μετὰ γὰρ τὸ εὐξασθῆ μετανοεῖν γίνεται, hoc eſt, muſcipula vel laqueus eſt viro celeriter aliquid ſuorum ſanctificare. Nam poſt votum contingit pœnitere. Quo docemur non cito ac ſine præuia deliberatione maturâ vouendum eſſe. Nam eiuſmodi vota,

Actor. 25.

Eccle. 5.

vota,ſicut experientia docet plerunque pœnitentia ſequitur,ſicque illaqueatur homo propriis oris ſui verbis.Cæterum quo minus miremur hanc 70.verſionem quę videtur tantopere diuerſa ab Hebræis, ſciendum q̃ quemadmodum indicauit Pagninus, verbum לוע Ialag, q̃ propriè ſignificat deuorare aut deglutire etiam apud Hebræos doctores ſignificat loqui. Vnde eodem teſte ſic verti etiam poteſt hic locus, Laqueus eſt homini cum locutus fuerit ſanctificationem, hoc eſt, cum vouerit aliquid,& dixerit,hoc erit ſanctificatio vel ſanctificatum.Ex Græcorum ergo partim lectione videri etiam poteſt factum vt quidam legant deuotare pro deuorare,quanquam vti ſuperius dictũ eſt veriſimilius ſit interpretẽ noſtrũ ſecutũ propriã hebręę dictionis ſignificationẽ vertiſſe deuorare, non ſolũ ob cauſas dictas,ſed etiã quod deuotare dictio,ſit parũ vſitata, quodq; coacte accipiendum ſemper ſit, quod dicitur deuotare ſanctos.Vnde factũ eſt vt quod ſemel deprauatũ fuit quidã magis deprauarent,legentes pro deuotare,denotare & intelligentes denotare ſanctos, vitiis & contumeliis eos aſpergere.Et hæc quidem hactenus pro verſus huius vera lectione diſtinctione & intelligentia, citra cuiuſquã præiudiciũ.

26 *Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem.*

PRo incuruat ſupereos fornicem hebræis eſt, reducet vel afferet ſuper eos rotam, quomodo & Græca habent in quibus eſt, ἐπιβαλεῖ ἀυτοῖς τροχόν, hoc eſt immittet illis rotam. Secundum quam hebræorum & græcorum lectionem ſignificatur nomine rotæ, pœna quæ à Rege deuoluetur ad impios. Et eſt metaphora deſumpta,vel à trituratione frumenti quærotis & equis fieri ſolet, vt patet Eſaiæ 28. cum dicitur. Non enim in ferris triturabitur gith,nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit.Panis autem comminuetur, verum nõ in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, neque vngulis ſuis comminuet eum. Vbi etiam metaphoricè ſignificatur afflictio piorum, quodq; in tex. eos alij magis alij minus affliguntur. Aut eſt hoc loco metaphora deſumpta à facto Dauidis, de quo legimus quod Ammonitis deuictis, populum adducens ſerrauit & circumegit ſuper eos ferrata carpenta. Poteſt & nomine τροχὸς hoc loco intelligi certum tormenti inſtrumentum quo ad quæſtiones vti ſolent. Nam & hæc dictio τροχὸς ſignificat, vnde τροχάζειν eſt tormentis exquirere. Hinc quidam vertit, equuleum. Vtut eſt ſignificat hic verſus regem, ſi ſapiens ſit, impios non ſolum non tolerare & fouere, ſed & diſſipare ac diſpergere, ſeparando eos ab inuicem, nec permittendo eorum conuenticula, ne congregati machinentur malum aliquod reipublicæ, & eoſdem grauibus ſuppliciis cõterere atque punire quemadmodum merentur. Noſter interpres dum fornicẽ vertit videtur quod dicitur de rota,intellexiſſe de rotis currus triumphalis, atque ob id vertiſſe fornicem qui in triumphis erigi ſolet. Vnde de Saule dicitur quòd erexiſſet ſibi fornicem triumhalem. Itaque in noſtra lectione per incuruationem fornicis ſuper impios ſignificatur,ſecundum Bedam & Lyranum, victoria quã de impiis cum gloria rex ſapiens reportat. Sic autem diſſipare impios,punire, & de eis triumphare, Regi tribuitur, ſed ſapienti, quia & ad regem hoc ex officio ſpectat,qui tamen ſine ſapientia nõ poterit id præſtare, & potentiam ſimul & ſapientiam hoc opus requirit: Cæterum quod in genere de Rege ſapiẽte dictum eſt, eximie in noſtrum regem Chriſtum quadrat: qui pro ſua potentia ac ſapientia, & nunc impiorum conatus diſſipat, vindictam de illis ſumens,& in fine mundi, plenè omnem impiorum deſtruet malitiam,magnam cum electis ſuis eiuſdem triumphi gloriã perpetuo celebraturus. Alioqui & in terrenis principibus pleriſque egregie impletum videmus,vt in Dauide aliiſque piis regibus veteris populi.Sic & Conſtantinus ſuſtulit quinque tyrannos Diocletianũ, Maximianum, Maxentium, Maximinum, & Licinium. Et Theodoſius interfecit Maximinium,Arbogaſtum & Eugenium.

Eſa. 28.

2.Reg. 12.

2.Reg. 25.

27 *Lucerna domini ſpiraculum hominis,quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.*

SPIRACVLVM hominis hic poſitum eſt pro ſpiritu & anima hominis ſicut Geneſ. 2.inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.Varie autem hæc ſententia à diuerſis accipitur vt eſt in ſe, iuxta naturam parabolarum ob earum breuitatem,obſcura.Quidam enim intelligunt hic ſignificari animam hominis eſſe in homine veluti lucernam à Deo accenſam & illuminatam per naturale lumen & inditum & impreſſum, ac veluti lampadem eſſe reliquis animæ potentiis, lumen eis adminiſtrans & cognitionem, per quod lumen ei inditum anima inueſtigat omnia ſecreta ventris,hoc eſt ſcrutatur omnia quæ in homine latent,qui ſcilicet ſint eius affectus, quæ ſtudia & cogitationes. Quis enim ſcit hominum quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo,vt habet Paulus.Secundum quem intellectum in ordine præponi debet ſpiraculum hominis, hoc modo,ſpiraculum hominis eſt lucerna domini.Itaq; iuxta hunc ſenſum nobilitas animæ hominis ſignificatur,qua à reliquis animãtibus rationis expertibus homo differt. Aliter hoc verſu intelligitur commendari lux gratiæ diuinæ,ac lumen ſupernaturale, quod cõmunicatum animæ hominis,omnia intima animi inueſtigat plenius quã naturale mentis lumen,quod per ſe non ſufficit ad perſcrutandum intima quęq; hominis,ſed ſuperadditum lumen gratiæ facit hominẽ ſeipſum quantum neceſſe eſt cognoſcere.Vtrunque ſenſum indicat Caietanus poſteriorem præferens,quem & Beda ex Gregorio reddit. Tractans enim Gregorius hunc verſum in tertia parte curę Paſtoralis cap.13.ſic habet: Quia venter mens dicitur,ea ſententia docetur,qua ſcriptum eſt.Lucerna domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.Aç ſi diceret: Diuini afflatus illuminatio cum in mentem hominis venerit,eã ſibimetipſi illuminans oſtendit, quæ ante Spiritus ſancti aduentum cogitationes prauas & portare poterat & penſare neſciebat

1. Cor.2.

Greg.

nescíebat. Idem eandem sententiam tractans in 15.cap.Iob.28.Sciendum,inquit,quod in sacro eloquio,ventris vel vteri nomine mens solet intelligi Hinc est enim quod per Salomonem dicitur lucerna domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris. Lux enim gratiæ,quæ desuper venit, spiraculum homini præstat ad vitam. Quæ videlicet lux omnia secreta ventris inuestigare dicitur quia occulta mentis penetrat, vt ea quæ de seipsa latebant animam,ante eius oculos flenda reducat. Hæc ille. Verum secundum hunc sensum non satis video quomodo ea oratio, lucerna domini spiraculum vel spiritus hominis,accipi possit.Nam quo sensu lux gratiæ diuinæ dicitur spiritus vel anima hominis? Nisi intelligamus ipsam animam hominis vocari lucernam domini, non semper nec omnem, sed cum est per aduentum spiritus sancti desuper illuminata Tunc enim est velut lucerna à Deo accensa, quæ rimatur quequæ mentis abdita. Nam hunc sensum indicare videtur Gregorius in priori sua explanatione cum dicit lux gratiæ spiraculum homini præstat ad vitam.Similis est intelligentia quorundam qui per lucernam vel lucem domini intelligunt Dei fauorem recreantem ac verè viuificantem. Vnde vertunt, Exhilarari à Deo vita est hominis & penetrat totum corpus. Sunt qui longè aliter hunc versum accipiunt intelligentes hic significari spiritum hominis,qui nemini patet, Deum nequaquam latere, sed ei esse conspicuum velut lucem, vt qui omnia secreta hominis rimatur, iuxta illud Hieremiæ: Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes.Hunc sensum conuenientissimum nostra litera habere posset,si pro quæ, esset relatiuum qui, vt ad dominum referatur, quemadmodum habent Græca, in quibus est φῶς κύριος πνοὴ ἀνθρώπου ὃς ἐραυνᾷ ταμεῖα κοιλίας, hoc est, lumen domini, anima hominum, qui scrutatur penetralia ventris. Quidã in sua versione hunc indicat sensum. Habet enim, Domino perspicuus est hominis spiritus, omnia intima viscera perscrutãti. Itaque Hebræa vertenda essent.Lux domino spiritus hominis perscrutanti omnia penetralia ventris.

Ieremi. 17.

28 *Misericordia & veritas custodiunt regem,& roboratur clementia thronus eius.*

FREQVENTER in scripturis copulãtur duæ istæ voces,misericordia & veritas,vt & suprà est annotatum, quarum altera quid gratuitum designat, altera quid debitum.Hæ autem duæ virtutes vt in omnibus coniunctæ esse debent, quod vna sine altera sit imperfecta, Ita maximè in rege vt per misericordiam clementẽ se præbeat & beneficum,per veritatem & iustitiam, non negligat punire improbos & honorare probos. Si enim solam vsurpet misericordiam, ac per eam ita erga miseros commoueatur vt scelera impunita relinquat, peribit ipsius Respublica, & sceleribus crescentibus,regno aliquando excidet, Contra si ftultitiæ zelo seuere vitia cuncta digna vltione prosequatur,cum summum ius summa sit iniuria,etiam, sic inuisus, in regno non diu perstitet. Iungendæ ergo sunt hæ virtutes, vt pro exigentia temporis, personarum ac causarum,nunc misericordiam exhibeat,nunc iustitiam,& in misericordia, iustitiæ etiam rationẽ habeat atq; in iustitia misericordiæ. Cæterum quanquam ambæ hæ virtutes ad conseruandũ regem in solio suo sint necessariæ potissimum tamẽ ad id valet & necessaria est misericordia & clementia. Nam hebræis in secunda parte eadem est dictio,quę in prima,quamuis noster Interpres in secunda parte verterit clementiam, in prima misericordiam. Superexaltat enim inquit Iacobus, misericordia iudicium. Ea imprimis necessaria est pro defensione miserorum,oppressorum subleuatione, & vindictæ mitigatione aut condonatione, cum res & tempus poscit.Ea item maximè sibi deuincit rex animos subditorum suorum,ac proinde clementia maximè roborat regnum suum. Nam eius robur in subditorum beneuolentia maximè consistit. Itaque hic obseruandum, quemadmodum hoc Sapientis prouerbium, sicut & reliqua ferè mũdanæ sapientiæ sit contrarium.Qui enim illa sunt præditi, longè aliaregibus consilia suggerunt muniendas scilicet vrbes,firmandas præsidiis militum, exigenda tributa,augenda vectigalia,subditorum extenuandas opes,ad plebis animos extinguẽdos, ne quando de principe mutando autrebellando cogitent quemadmodum iuniores consulebant regi Roboam.Contra,Salomon per has virtutes duas,ac potissimum per misericordiã ac clemẽtiam reges magna securitate regnare prędicat.Quod & Ethnici aliquot principes satis intellexerunt.Si quidem de Seuero Imperatore refertur quod cum Mammea mater, vxorque Memmia obiicerent quod nimia ciuilitate redderet potestatem molliorem, respondit, sed securiorem atque diuturniorem. Sic & de Antiocho rege Macedonum referũt historiæ, quod quum omnes admirentur, ipsum, qui in initio regni durior fuisset, iam senem factum clementer ac placide regnum gubernare, responderit, prius opus fuisse regno, nunc gloria & beneuolentia.Sentiens regnum armis & austeritate quidem frequenter parari, sed non nisi ciuium beneuolentia tuto retineri. Et Salustius de bello Iugurthino, Non exercitus,neque thesauri,præsidia regni sunt, verum amici,quos neque armis cogere,neque auro parare queas, officio ac fide parantur.Et Cicero lib.2.officior.Malus, inquit, custos diuturnitatis metus, contraque beneuolentia fidelis est vel ad perpetuitatem. Etenim quisque metui volent, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est.

Iacob.2.

Leui.18.

29 *Exultatio iuuenum, fortitudo eorum: & dignitas senum,canicies.*

INSINVAT hæc sententia & iuuenes & senes habere seorsum vnde glorientur & honorentur, & quanquam in vtrisque aliquid aliorum desit, habere tamen & hos & illos propria sua dona. Iuuenes enim etsi careant rerum vsu ac sapientia, quæ est penes senes, & honore quæ ob sapientiã senibus defertur, habere tamen fortitudinẽ ac vires corporis quæ senibus deest, & Reipublicæ etiam necessaria est,in qua proinde sibi placere & exultare possint. Senes itẽ etsi iam destituti sunt corporis robore

robore habere pro suo ornamento caniciem, ob quam in republica sunt venerabiles & honorati,tum ob vsum rerum & sapiẽtiam, quã experientia collegerunt, tum ob Dei donum quo per tam multa vitæ huius discrimina ad ætatem decrepitã peruenerunt,& quasi Reipublicæ patres facti sunt. Vnde in Leuitico præcipitur:Coram cano consurge,& honora personam senis. Vtrique ergo sua habent dona,eáque talia per quæ vtrique,& sibi mutuo & reipublicę sint vtiles & necessarij Reipublicę enim necessaria est & fortitudo iuuenum, & sapientia ac reuerentia senum. Et quemadmodum iuuenes egent consilio ac sapientia senum, ne quid temere agant viribus corporis,quibus pollent,ita senibus vires non sufficiunt, sed iuniorum opera coguntur vti, vt iam illis facilè coeat amicitia, & harmoniam quandam in republica conseruent.

Leuit.19.

30 *Liuor vulneris absterget mala,& plagæ in secretioribus ventris.*

PRO abstergetmala, etiam verti potest ex Hebræo,abstergetmalum hominem,scilicet, sed sensus eodem redit. Significatur enim malos siue mala emandari & purgari plagis iuxta illud Esaiæ ; Sola vexatio dabit intellectum.Et quidem per liuorem vulneris, hoc est,vibices vulnerum & plagarum significantur flagella ac punitiones leuiores, per plagas autem in secretioribus ventris, scilicet inflictas, significantur punitiones grauiores quasi quæ viscera penetrent, & non tantum in exteriori cute consistant quamquam graui dolore hominem afficiant. D.Gregorius in tertia parte curæ Pastoralis admonit. 13. hunc locum tractans sic duo ista distinguit, vt per liuorem vulneris designetur exterius affligens malum, per plagas in secretioribus ventris, dolor internus qui sequitur ex exteriore afflictione vt significetur tũ demum externam afflictionem purgare hominem cum sequitur in animo dolor compunctionis ac contritionis. Sic enim inter cætera prædicto loco habet, liuor vulneris absterget mala & plagæ in secretioribus ventris, quia dum exterius percutimur ad peccatorum nostrorum memoriã taciti afflictiq; reuocamur, atq; ante oculos nostros cuncta quæ à nobis sunt malè gesta reducimus, & per hoc quod foris patimur,magis intus quod fecimus dolemus.Vnde fit vt inter aperta vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreta vẽtris, quia sanat nequitias praui operis, occultũ vulnus doloris. Hæc ille.Ex quo hoc loco vt aliàs suũ commentarium sumpsit Venerabilis Beda, patet hinc D.Gregorium legisse nõ futurum absterget,sed præsens verbum astergit.

Esa.18.

Gregor.

CAPVT XXI.

Sicut diuisiones aquarum,ita cor regis in manu domini,quocunque voluerit,inclinabit illud.

EBRAEA habent simpliciter, Riui aquarum cor regis in manu domini.Itaque de suo explicandi causa interpres addidit particulas cõ-

parationis,sicut & ita.Patet autem quod dicitur apud nos de diuisionibus aquarum, non posse rectè accipi de ea aquarum diuisione qua diuisit dominus in principio aquas quæ sunt super firmamentum, quemadmodum quidam intelligunt.Nam,vt diximus, Hebraica dictio Riuos significat qui tamẽ à diuisione hoc nomen habent,quod à suo flumine in varias partes diuidantur, vt non malè noster verterit,diuisiones. Dupliciter autem intelligi potest cor regis comparari riuis aquarum, Primum ad significandum quod sicut riui aquarum cum impetu feruntur, nec facilè eorum cursus ab homine reprimi potest, ita & cor regis violenta quædam res est, nec facilè ab homine reprimi potest,sed vni Deo est moderabile,qui illud inclinat quocunque voluerit.Ita Septuaginta qui habent ὥσπερ ὁρμὴ ὑδάτων,ὅτως καρδία βασιλέως ἐν χερὶ θεοῦ, hoc est,quemadmodum impetus aquæ sic cor regis in manu domini.Sic Augustlib.de gratia & lib.arbitrio.cap.21. Pro riuis enim aquarum, vertunt hic,impetus aquæ,quemadmodum & Psal.45, vbi Hebræa habent:Fluminis riui lætificant ciuitatem Dei, vbi Septuaginta habent τὰ ποταμὸς ἱρεμήματα εὐφραίνουσι, hoc est, Fluminis impetus lætificant. Nam pluraliter legendum esse patet tum ex Græcis,tum ex Augustino. Aliter riuis,seu vt nos habemus diuisionibus aquarum intelligitur cõparari cor regis,quod sicut riui aquarum siue humana opera, siue ex sua natura in diuersas partes feruntur & diuiduntur,ita cor regis per manum domini eiusq; potentiam ac prouidentiam huc illúcq; fertur pro illius libito, nimirum quia cum fauet dominus inspirat sana principibus consilia,atq; ad ea implenda impellit,cum succenset,finit eos in reprobum abire sensum,atque ad ea inclinat quę in malum & vltionem subditorum faciant.Patuit istud in Saule prius electo & postea reprobato.Item in Dauide,qui quamquam esset secundũ cor domini,tamen cũ addidit furor domini irasci contra Israel, commouit Dauid ad numerationem populi pernicioſam Israeli, vt est 2.Regum vltimo. Secundum hanc intelligentiam, quæ verior videtur ex subiunctapostériori sententiæ parte in nominatiuo,diuisiones, tantum est subaudiendum verbum sunt, nec repetendum est in manu domini, vt sit sensus. Sicut sunt aut se habent diuisiones aquarum, ita se habẽt cor regis in manu domini.Cæterum cum omnium hominum corda sint in manu domini,peculiariter de corde regis id dicitur,quod hoc maximè sit liberum & alienæ potestati minus subiectum, quódque ab eius directione & inclinatione salus aut perditio totius pendeat Reipublicæ, vt insinuet prudentiæ aut sanctitati regis non esse tribuendam salutem populi potissimum, sed Deo, qui etiam bonos & sapientes principes errare finit exigentibus ita populi peccatis. Docet etiam principibus cum metu conuersandum,& populo Deum orandum pro principum directione salutari reipublicæ, sicut monet Paulus 1.Tim.2.Venerabilis Beda illud, in manu domini, refert etiam ad diuisiones aquarum, vt sit sensus. Diuisiones aquarũ sunt in manu domini,ita & cor regis.Per diuisiones aquarũ

mystico sensu intelligens diuisiones gratiarũ, quæ tanquam riuuli diuersi ex immẽso flumine bonitatis diuinæ deriuãtur variè in homines,& per regẽ intelligẽs vnũquemq; sanctũ & electum,qui per Christum factus est rex vt vitiis imperet.Itaque intelligit quod sicut dominus multifidis aquarum diuisionibus, terrarum fines late implet,ita corda fidelium in varia pro suo libito inclinat.Aut sicut diuisiones gratiarum iuxta suam voluntatem variè hominibus impertitur, ita & corda sanctorum quibuscunque voluerit digna donationibus reddit, vt hic huius doni, alter alterius sit doni capax.

2 *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda dominus.*

SVPERIVS in cap.16.versu 2.hæc sententia est penè eisdem habita verbis apud hebræos vt ibi dictum est,vbi & huius sensus satis est indicatus.Quæri autem potest quomodo verũ sit quod in priori parte dicitur. Omnis via viri recta sibi videtur, quum plerique sint qui se sciãt male agere.Verum prouerbiorum more intelligendum est hic significari, non quid semper sine omni exceptione fiat, sed quid vt in plurimum.Ita enim natura ferè comparatum est,vt quíq; suas actiones & instituta probent,atq; aliorum factis præferant. Et alioqui nemo est qui etiam dum se male agere nouit,non aliqua ratione quod facit, rectum sibiq; commodũ existimet. Nam vt habet D.Dionysius.Nemo respiciens ad malum operatur. Ideoque & hic rectè dicitur quod omnis via viri recta sibi videtur. Quamquam hoc potissimum dictum sit de his qui sibi placent in suis actionibus aut vitæ genere, vt φιλαυτίας vitium cõmunissimum hic notetur, de quo Plato lib.5. de legibus sic inquit. Omnium malorũ summa nobiscum nascitur cui omnes veniam dant,nec eius leuationem desiderant,quod videlicet vnusquisque sibi amicus est,& suis opinionibus delectatur.

3 *Facere iustitiam & iudicium magis placet domino quàm victimæ.*

QVIDAM libri pro iustitiam habent misericordiam vt hic rursum duæ illæ virtutes coniungantur,quę sæpe coniunguntur in scripturis,quæ & Michææ 6.simul præferuntur sacrificiis.Nam post interrogationẽ. Quid dignum afferam Domino Nũquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? aut nunquid placari potest dominus in milibus arietum?Respondet Propheta: Indicabo tibi ô homo quid sit bonum,& quid dominus requirat à te. Vtique facere iudicium & facere misericordiam.At ex Hebræis & Græcis patet legendum iustitiam & iudicium,cui & plerique Latini codices consentiunt, vt hic de iustitia & iudicio seorsum dicatur quod in Oseæ 6. Osea dicitur de misericordia: Misericordiam inquit,volui & non sacrificium. Bene autem monet scriptura virtutes has apud Deum ex ternis præferri sacrificiis,quia contrarium videri posset & videtur plerisq;,vt patet in Phariſæis,eo quòd sacrificia Deum respicere videantur,virtutes autem illæ homines. Quòd autem præferãtur non est solũ eo quod Deus magis delectetur internis bonis quàm externis, quia non tantum præfertur misericordia vel iustitia sacrificiis,sed etiam facere misericordiam & facere iustitiam, quæ sunt etiam opera externa. Ideo ergo præferuntur,.quod quum nulla re indigeat Deus,malit seruiri sibi per actiones huiusmodi quæ hominib.magis prosint,quam per eas quę ex sese sunt inutiles.Non enim Deum tantũ colimus per ex- Heb.13.
ternam sacrificiorum exhibitionẽ, sed & per beneficentię & iustitię in proximos præstationem,quæ si Dei intuitu fiat,iam & ipsa sacrificium quoddam est Deo gratissimum.Talibus enim hostiis,inquit Paulus,promeretur Deus. Quod si non fiat Dei intuitu, sed solo naturæ impulsu aut alia ratione,iam sanè magis placerẽt Deo victimę & sacrificia ipsi debitè obla ta, quàm facere misericordiam & iudicium. Proinde in his sententiis intelligendum est vnum alteri præferri, quum cætera sint paria.

4 *Exaltatio oculorum & dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum.*

MALE quidam legunt,Exaltatio oculorũ est dilatatio cordis, quũ ex Hebræis constet non, est, sed,&, legendum quomodo & correctiores libri habent.Porrò per exaltationem oculorum superbiam designari manifestum est, vt & Prouerb. 6. per oculos sublimes.Superborum enim est oculos attollere & ad altiora sese erigere, & velut ex alto alios præ se despicere. Per dilatationẽ autem cordis quid designetur, non ita est manifestum, quum in scripturis nonnunquam in bonam 3.Reg.4.
partem ponatur,vt cum dicitur Deus dedisse Salomoni prudentiam & latitudinem cordis quasi arenam quæ est in littore maris,quo significatur Salomonem donatum prudentia summa & tanta ingenij vbertate,vt ad omnia comprehendenda animus se posset extendere.Et aliàs in bonam partem positum,latitudi
nem amoris & charitatis inexplebilem affe- Psal.118.
ctum significat,vt cum dicitur,Viam mandatorum tuorũ cucurri cũ dilatasti cor meum. Et Paulus: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij,cor nostrum dilatatum est. In malam autem partem positum aliqui desideria & concupiscentias rerum terrenarum significare putant.Vnde Psal. 100.interpres noster vertit Superbo oculo & insatiabili corde.Nam & ibi duo illa coniunguntur quæ hoc loco, & ad verbum ibi est Hebræis, excelsus oculis & la- 2. Cor.9.
tus corde.Alii quia latitudo cordis & hoc loco & in Psalmis coniungitur cum altitudine oculorum,per hæc duo arrogantiam designari intelligunt,quæ sita est in eleuatione oculorũ,& cordis dilatatione,qua arrogans omnia sibi præsumit,omnia se posse putat,nullius coarctatus timore neque cõstrictus.Vnde Septuaginta hic verterunt θρασυκάρδιος hoc est, audax, aut audaci corde. Iam quod sequitur, Lucerna impiorum peccatum, sic potest prædictis aptè coniungi, vt lucerna impiorum oppositiue adhæreat illis, Et sit sensus, Exaltatio oculorum & dilatatio cordis,

cordis,quæ sunt lucerna impiorum,sunt peccatum, grande scilicet & malum. Vocat autem arrogantiam lucernam impiorum,quod in ea suam constituant gloriam, excellentiam & fœlicitatem, eo se fœliciores existimantes quo sunt arrogãtiores & apud mundũ magis in precio.Vide quę supra dicta sunt de lucerna peccatorum in cap.13.versu 9.& cap.superiori versu 20. Præterea hic multorum alias interpretationes & versiones.Nam sunt qui pro lucerna vertunt, Aratio, quod dictio נר Ner,vel Nir,hic posita vtrunque significet.

1 *Cogitationes robusti semper in abundantia:omnis autem piger in egestate est.*

SIMILIS est hæc sententia plerisque aliis huius libri quibus sedulitas commendatur, pigritia insimulatur vt cum cap. 10. versu 4.dicitur Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat. Nam prò robusto hic eadem hebræis est dictio, quam ibi interpres vertit fortium,cum, vt ibi dictũ est propriè sedulũ & diligentẽ significet.Sed is solus verè robustus & fortis dicendus est, qui sedulus est & diligens quod opere se talẽ demonstret,quodque præter robur corporis, animi etiam habeat fortitudinẽ, qua destitutus est piger. Robusti autem cogitationes in abundantia esse dicuntur,nõ quod abundantiam semper cogitet,sed quod ad abundantiam omnium rerum hominẽ per ducant. Sic enim opponitur illi quod sequitur,omnis autem piger in egestate est. Et hebræis est ad abundantiã & ad egestatem.Sciẽdum autem non esse nomen pigri apud hebræos sed dictionem אץ Ats, hoc est,festinãs. Festinãtem autem hic quidam accipiunt pro temerario & præcipite in suis operibus,vt significetur differentia inter sedulum ac diligentem & præcipitem in rebus agendis,quod sedulus solicite meditando & considerando, quæ agenda sunt, peruenit ad rerum abundantiam & diuitias,qui autem præceps est & temerarius in agendo peruenit ad egestatem, dum non tantum non lucratur, sed sua temeritate etiam quod habet amittit, vt quotidiana docet experientia & in tẽporalib.rebus & in spiritualibus.Verum dum alias huius sapientis sententias consideramus, potius crediderim eum loqui non de temerario, sed de festinante ad diuitias comparandas quacũ que ratione siue iure siue iniuria, vt significetur strennuos & diligentes,qui non iniustis rationibus,sed sua diligentia,labore atque industria,necessaria aut diuitias sibi parare studeant,consequi pederentim diuitias,easq; stabiles,eos verò qui festinant ditari & ob id non labori atq; probatæ industriæ fidũt, sed ad iniusta cõfugiũt media,frequenter ad inopiã redire, iuxta id quod postea cap.28.dicitur.Vir qui festinat ditari & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei. Vbi etiam dicitur:Qui festinat ditari,nõ erit innocens.Sic & superiori capite dictum est.Hæreditas ad quã festinatur in principio,in nouissimo benedictione carebit. Noster interpres secutus est Septuaginta versionem,quæ habet μὴ ἐπισπεύδειν, hoc est, omnis nõ festinans hoc est pi-
Ianſ.in prouerb.
ger,qu amquam videri posset apud Græcos su pereſſe negatiua particula non,vt Septuaginta verterint,idem quod habent Hebræa.

6 *Qui congregat thesauros lingua mendacij,vanus & e xcors est,& impingetur ad laqueos mortis.*

HEBRÆA elegantius habent ad verbum. Operatio thesaurorum in lingua mendacij, vanitas impulsa quærentium mortem,hoc est,parare sibi thesauros & diuitias per mendacia, quemadmodum faciunt falsi aduocati & testes. Itẽ negociatores plerique, res est plane vana & quasi stipula quæ à vẽto impellitur & dispergitur,vanitas inquam, est eorum, qui cum putant se quærere thesauros & magnum quid,re vera mortẽ sibi quærunt.Bona enim fraude acquisita & mẽdaciis plerunque euanescunt & pereunt,fuisq; dominis mortem adferunt sæpè temporalem, semper autem æternam.Duo ergo mala bonorum mendaciis acquisitorum significãtur, primum quod vana sint & instabilia,secundò quod mortem adferant. Idem & nostra litera significat, in qua noster interpres Septuaginta secutus est.Habẽt enim,sic ὁ ἐργαζόμενος θησαυροὺς γλώσσῃ ψευδεῖ ματαίως διώκει ἐπὶ παγίδας θανάτου hoc est, Qui operatur thesauros per linguam mendacem, vana persequitur ad laqueos mortis.Videntur 70.& D.Hieronymus pro eo quod legitur in Hebræis מבקשי Mebacceſche,quod significat quærentes legisse מוקשי Mocheſche,quod significat laqueos, Vau scilicet pro Beth. Iuxta spiritualem sensum,congregat sibi thesauros lingua mendacij, hæreticus, qui sibi maiorem in modum placet quod multos post se trahat discipulos, quod magni sit apud multos nominis, quiq; dies sibi præ aliis in scientia & scripturis videtur,qui non tantum vanus deprehenditur cum errores eius tanquã palea euentilantur & dispergũtur,sed & mortis æternæ laqueis irretitur & capitur.

7 *Rapinæ impiorum detrahent eos,quia noluerunt facere iudicium.*

QVIDAM vertunt rapina impiorum habitabit cum eis,quomodo & 70. habẽt, & significatur rapinam & violentiam impiorum adhæsuram eis, iuxta illud.Opera eorũ sequuntur eos, ita vt cõdignam eis sit allatura vindictam.Alij vertunt rapina impiorum Apoc.14.
terrebit eos,nimirum quia conscientia mordente, metuent semper quod meruerunt. Est enim hebraicum verbum ambiguum & multæ significationis.Iuxta nostram lectionẽ significatur rapinas impiorum detracturas eos è gloria ac statu in quohic viuunt, indignum eis supplicium siue temporale siue æternum, idque quia noluerunt alij facere quod iustum est.Itaque quoniam aliis nõ per infirmitatem sed per voluntatem fuerunt iniurij rapinæ & iniuriæ eorũ detectę adducent eos in exitium,& quia alios detraxerũt à suis bonis vicissim & ipsi detrahentur. vbi nota quod vindictã impiorũ Sapiẽs nõ tã Deo tribuit quã ipsorũ rapinæ vel iniuriæ,quia nõ tã Deus punire dicendus est, cui proprium est

parcere & miserèri, quam peccata hominum quæ punitionem merentur & extorquent.

8 *Peruersa via viri aliena est, qui autem mundus est, rectum opus eius.*

APVD Hebræos additur ad dictionem quæ aliena interpretatur coniunctio Vnde nascitur varia versio, dum quidam eam dictionem referunt ad virum: Alij ad viam noster interpres coniunctionem pro etiam accepisse videtur, vt sit sensus, Peruersa via viri etiam aliena est, atque sic omitti potuit. Porro quod dicitur peruersa via viri aliena, quidam intelligũt alienã dici à Deo, imo in multis libris additur à Deo, sed vt etiam annotauit Lyranus, id non est de cõtextu, sed ex commentario alicuius margini ascriptum, deinde est in textu ascriptum. Alij intelligunt viam peruersam alienam dici, quia est aliena ab hominis natura, secundũ eius primæuam institutionẽ, Iuste. n. viuere coram domino, inquit, Beda, proprium est humanæ conditionis. At qui peruersè viuit, alienam profecto à natura humana viã incedit. Peruersa ergo actio, aliena est & contra naturam. Qui autem mundus est in opere suo, hic rectè quod per naturam originaliter sumpsit, exequitur. Sic ille Pulchrior & conuenientior esset membrorũ oppositio si verteretur. Peruersi via viri aliena est, Sic enim oponitur, Et mundi viti, rectum est opus, hoc est, minimè alienum ab æquitate & natura.

9 *Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa & in domo communi.*

PRO domatis Hebræis est xx gag, quod tectum significat, atque hoc etiam significat propriè dictio doma, quæ Græca potius est quam Latina, ne quis putet hic significare domum. quamquam & hoc etiam significet, vt cum nos legimus in Psalm. 101. Factus sum sicut nicticorax in domicilio. Nam ibi pro domicilio Græcis est δώματος. De hac dictione Hieron. D. Hieronymus in epistola ad Suniam & Fretelam super illud eiusdem Psal. Factus sum sicut passer solitarius in tecto, vbi Græcis est ἐπὶ δώματος δώματα, inquit, in Oriẽtalibus prouinciis ipsum dicitur quod apud Latinos tectum In Palestina enim & Ægypto vbi vel scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romę vel solaria, vel mœniana vocant, id est, plana tecta, quæ transuersis trabibus sustentantur. Vnde cum in Actis Apostolorũ legimus Acto. 10. Petrum ascẽdisse in superiora vt oraret, Græcè est, ἐπὶ τὸ δῶμα, hoc est, super tectum. Et cum in Euangelio legimus, Quod in aure auditis, prædicabitur in tectis, Græcè est ἐπὶ δωμάτων, hoc est, super tecta. Videri autem hic posset genitiuus domatis positus pro domo, quia dicitur angulo domatis, vt significetur locus arctus. At Hebræa dictio Pinnath propriè est pinnaculum, & Græcis est γωνίας ὑπαίθρου, hoc est, angulo, qui sub dio est. Dicit ergo Sapiens; melius est sedere in augulo, aut super pinnaculũ tecti, loco scilicet neglecto incommodo, & qui sub dio est, obnoxio iniuriis cœli & aeris, quàm sedere aut habitare cũ muliere vel vxore rixosa, etiamsi id detur in domo communi, hoc est, in domo ampla & quæ multis sit communis sociis. Frequenter Sapiens ostendit quantum malum sit vxor rixosa præferens ei malo, incommoda quæ magna æstimantur innuens caute diligendã vxorẽ & malam non ducendam, etiamsi cum ea quis habiturus sit pulchras ædes & latos fundos. Vnde & ca. 19. suprà dixit: Tecta iugiter pestillãtia litigiosa mulier. Et hoc capite póstea: Melius est habitare in terra deserta quàm cum muliere rixosa & iracunda. Iuxta sensum mysticum per angulum domatis, iuxta Bedam, rectè intelligimus vitam religiosam & solitariã quæ ab omni actione terrena remota, & à turbatione vitæ præsentis quieta, cœlestia petit. Per mulierem litigiosam, perturbati huius seculi actionẽ, quæ amatoribus suis incessanter tentationes mouet, iurgia atque scandala seminat, immittit lites, amicitias dissipat, eosq; variis cupiditatibus inflammat, nec in semetipsis quiescere facit, nec in fraterna dilectione connexos esse permittit. Similiter mulier litigiosa est Ecclesia malignãtium & hæreticorum, quæ contentionũ & rixarum nullũ facit, neque modum, neque finem, cum qua eisdem habitare mansionibus & in eisdem ciuitatibus ac regionibus, quàm durum sit & molestum homini catholico, tẽporis huius calamitas per experiẽtiam docet. Certè eorum consortium fugiendum iuxta Pauli monitionem etiam hic docemur, ac eligendum, vt cum Prophèta efficiamur sicut passer solitarius in tecto. Tit. 3.

10 *Anima impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo.*

HAEc est differentia inter impium & simplicem peccatorem; quod hic malum quidem ex infirmitate committit, sed non ex animo desiderat, necdum ei penitus addictus est, vt in eo glorietur, illudque laudet. At verò impius illi penitus afficitur, ex corde illud semper desiderat, totus in hoc vt aliis noceat, ideoque etiãsi videat miseriã proximi vel amici sui, (nam pro proximo etiam amicus verti potest) nulla misericordia ergà eum mouebitur, cum alterius miseriam desideret & in ea gaudeat. Item nulla misericordia quæ proximo aut amico debetur, anocabitur ab inferendo ei malo, quod anima eius desiderat. Itaq; prior huius sentẽtiæ pars causam quodammodo indicat posterioris, quam pulchrè reddit interpres, quum ad verbum Hebræis sit, Non erit gratus, vel non inueniet gratiam in oculis ipsius proximus, vel amicus eius.

11 *Multato pestilente sapientior erit paruulus, etsi sectetur sapientem, sumet scientiam.*

CAPITE decimonono idem habetur quod ad primam attinet partem, vt dictum est in versu. 27. eius capitis. Quod autem ad secundam partem attinet, ibi quidem dicitur qua ratione sapiens sapientior fieri possit, vt versus hic duo media indicet, quibus ad sapientiam

sapientiam insipiens perueniat, nimirum per vltionem hominum impiorum, qui in Republica sunt pestilentissimi, & per auscultationẽ doctrinę sapientum, ac obseruationem imitationémque conuersationis ipsorum. Nec male vertit interpres si sectetur sapiẽtem, quamquam pro sectetur sit verbũ חשכל Naschkel, quod propriè significat intelligere aut facere intelligere. Noster enim interpres videtur in hoc sensu Hebræa accepisse, quomodo rectè accipi possunt. Si intellectum suum accõmodauerit, aut si prudenter aduerterit ad sapientem: quod nihil aliud est quam si sectetur sapientem. Quidam verbum illud accipiunt hic in altero suo significatu, quo significat prospere agere, intelliguntque aliter hic significari duobus modis paruulum fieri sapiẽtem, nempe, & dum malos videt puniri, & dum sapientes videt prospere agere. Alij sicut in ca. 19. superius, intelligunt in secunda parte etiam hic significari qua ratione sapiens fiat sapientior, proinde vertunt, Et si quis intelligentiam dederit sapienti, accipiet scientiam. Sicut ibi dicitur: Si corripueris sapientem, intelliget scientiam, vt idem vtrobique dicatur in vtraque sententiæ parte.

12 *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impio à malo.*

A Malo fere habent libri, & sic est sensus satis obuius commendatur enim charitas iusti, qui perpendens domum & familiam impij plenam impietatibus, & ob id ei male meruens, solicitè prudenter apud se de ea excogitat quomodo impios qui sunt in ea domo detrahat, & auertat à malo culpæ quod commiserunt, & à malo pœnæ quod eis metuit obuenturum. In quem sensum quidã sic Hebręa quæ sunt valdè ambigua, vertunt, Intelligere facit, vel instruit iustus domum impij, reflectit impios à malo. Nam pro excogitat, hic rursus est Hebręis ea dictio, de qua superiori versu dictum est. Verum pro à malo, Hebræa magis requirunt vt vertatur, in malum, propter literam Lamed. Atque sic etiam quidam Latini nostri libri habent, & verisimile est eam lectionem à sciolis quibusdam mutatam, quod secũdum eam videretur esse absurdus sensus, cum absurdũ sit dicere iustum hoc excogitare vt detrahat impios in malum. Sed secũdum hãc lectionem verbum detrahat, non referetur ad iustum, sed ad domum impij, vt sit hic sensus. Iustus apud se prudenter excogitat & perpendit de domo impij, vt, pro, quomodo ea domus suo exemplo & vitiis detrahat impios in malum, hoc est, expẽdit apud se quomodo ea domus impios qui in ea sunt vltioni diuinæ propter sua peccata obnoxios faciat, & alios etiam suo prauo exemplo peruertat, ac in varia trahat peccata. Qui sensus optimè conuenit Hebraicæ veritati, quæ sic verti potest, Intelligit iustus de domo impij, quòd subuertat impios in malum, Alioqui laboratur in versione huius versus, dum qui verbum subuertere ad iustum referunt, conantur explicare quomodo iustus subuertat impios in malum. Alij verbum subuertere ad dominũ referunt subintelligẽdo dominum, vt significetur iustum intelligere de domo impij, quòd Deus tãdem subuertat impios in malum ipsorum. Ephes. 4.

13 *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.*

MANIFESTA est hæc sententia cõsentiens cum illa euangelica, Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Patet vtriusque veritas in diuite epulone, qui quoniã surdus fuit ad clamorẽ Lazari, nõ est, etiam postèa exauditus cũ clamaret pro gutta aquæ qua refrigeraretur lingua ipsius in flãma gehennæ, Porro obturare aurẽ suam metaphoricè positum est, pro nolle audire, & se gerere quasi non audiat alicuius clamorem, immo declarare sibi alterius clamorem, esse molestum. Et bene non dicit ad precem, sed ad clamorem, vt quorundam inclementiam designet, qui non solum precibus egenorum non excitantur, sed nec clamoribus superantur ad audiẽdum. Proinde iustè talibus duplex malum euenturum, subiũgitur: Primum quia etiam talis clamabit, quo significatur ipsum in grauem aliquam calamitatem casurum, quæ ipsum clamare præ angustia compellet. Secundum, quia etiam cum clamabit & summis precibus contendet imperrare liberationem & subsidium, non exaudietur, iuxta illud Psalmi, Clamauerunt nec erat qui saluos faceret, ad dominum nec exaudiuit eos. Luc. 6.

14 *Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.*

MVNVS absconditum & donum in sinu est munus in abscondito & occulte datum. Et significat Sapiens hac sententia iuxta simplicem intelligentiam, quantum valeat liberalitas si prudenter exhibeatur, quod per munera occultè data sedentur sæpè ire etiam maximæ, & quæ multis verbis ac personarum authoritate extingui non possunt. Aut significat quorundam auaritiam qua plerunque ob munera secreto data se sinunt corrumpi, vt quam deberent vindictam inferre, non inferant. Iuxta mysticam intelligentiam, commẽdatur hac sententia virtus eleemosynæ, quæ si fiat iuxta præscriptum euangelij, nempe: Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, hoc est, si fiat in occulto, non ad ostentationem, non ad vanam gloriam, sed coram eo qui videt in abscoso, iram extinguet iudicis, sedabitque & mutabit sententiam illam plenam iræ & furoris in illam clementissimam, Venite benedicti patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi. Et omnino verisimile est hunc sensum propriè intentum idque sub similitudine simplicis intelligẽtiæ, vt ex his quæ inter homines fiunt, sic colligamus quid liberalitas valeat apud Deum, sicque commendetur misericordia in pauperes, sicut & superiori versiculo. Matt. 6. Matt. 25.

15 *Gaudium iusto est facere iudicium, & pauor operãtibus iniquitatem.*

DVPLICITER hęc sententia accipi potest. Primũ vt seorsum significetur quid iusto

iuſto ſit gaudium,& quid operantibus iniquitatem ſit pauor.Et iuſto quidem gaudium eſſe facere iudicium,hoc eſt, iuſtitiam & æquitatem,tum quia cum gaudio facit quod bonum eſt & æquum,tum , quod ex operatione iuſtitiæ gaudium concipit conſcientia iuſti. Contra operantibus iniquitatem eſſe pauorē ex eo ſcilicet quod operantur iniquitatem, quia ex eo ſibi metuunt vltionem ſiue temporalem,ſiue æternam.Sic Beda & alij.Secundo accipi poteſt & melius:vt vnum & idem ſignificetur & iuſto eſſe gaudium, & operātib. iniquitatem eſſe pauorem, nempe facere iudicium. Facere enim iudicium iuſtis eſt gaudium,malis autem pauor,vel contritio.(Nam & ſic Hebræa verti poſſunt) quia & iuſti gaudent cum quod æquum eſt ac bonum eis aggrediendum eſt, & mali cum tale quid eis incumbit,cum metu animoque languido illud aggrediuntur,atque a bene operando ſibi metuūt tanquam re ipſis difficili & inſolita.Rurſum iuſti cum alios vident facientes quod iuſtum eſt gaudent,mali verò pauent, animóq; franguntur,Hi enim ſibi malè metuunt à iuſtitia,illi verò gaudent per iuſtitiam ius ſuum Rom. 12. vnicuique tribui. Vnde Paulus iuſtitiæ miniſtrum,dicit in bonū eſſe bonis,in malum malis.Similis eſt hæc ſententia ei quæ eſt cap. 10. Fortitudo ſimplicis via domini , & pauor his qui operantur malum. Vbi ſecunda pars eodem modo habetur hoc loco.

16 *Vir qui errauerit à via doctrinæ,in cœtu gigantum commorabitur.*

HEBRAICA dictio quam noſter ſecutus Septuaginta vertit gigantum , præter hanc ſignificationē etiam ſignificat mortuos.Vnde alij vertunt in congregatione mortuorum requieſcet. Nam requieſcet propriè eſt Hebræis.Per congregationem autem mortuorum,ſignificatur ſtatus damnatorum, qui verè mortui ſunt,vtpote qui ſunt in morte ſecunda,quæ vera mors eſt, deſtituti ſpe fœlicis & beatæ reſurrectionis. Eſt autem via doctrinæ,vel vt eſt Hebræis via intelligentiæ, lex diuina, quæ rationi & intelligentiæ quadrat, & hominem vere docet ac intelligere facit. Significat ergo eum qui ab hac via errauerit, hoc eſt,qui ea deſerta viam carnis & huius ſeculi ambulauerit,priuandū vera vita ad quam via doctrinæ hominem perducit, ac proinde partem habiturum in conſortio mortuorum. Idem ſignificatur & in noſtra lectione. Nam iuxta Bedam, per gigantes dæmones ſunt intelligendi,de quibus iuxta Gregorium dicitur Iob 26.Ecce gigātes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis. Itaque ſignificatur eos qui via quæ ducit ad viam deſerta hic maluerunt ſequi impulſus ac conſilia dæmonum qui velut ſuperbi gigantes, ſe Deo oppoſuerunt ac æquare voluerunt, ſocios futuros damnatio- Matt. 25. nis eorum cum eis dicetur. Ite maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Aut eos qui hic Deo obedire noluerunt, partem habituros cum gigantibus illis,ob quorum ſcelera mundus in initio periit diluuio. Conſiſtit autem verſus huius elegantia in oppoſitione erroris & quietis, nempe quia qui errauit à recta via, poſt longos errores tandem quieſcet, ſed fœliciter, & vt meruit, & in cœtu mortuorum atque gigantum.

17 *Qui diligit epulas,in egeſtate erit:qui amat vinum & pinguia,non ditabitur.*

AD verbum Hebræa habent, Vir egeſtatis diligens lætitiam, diligens vinum & oleum non ditabit,Quod dupliciter accipi poteſt. Aut vt vna ſit clauſula totius ſententiæ & ſit ſenſus:Vir egeſtatis, hoc eſt, qui pauper eſt,ſi diligat lætitiam,diligátque vinum & pinguia, non efficietur diues. Nec enim hac ratione fiet pauper diues, ſed laboribus vtilibus & parcimonia. In hunc ſenſum vertit quidam ex recentioribus. Aut accipi poteſt aliter, vt duæ ſint clauſulæ,ſicut omnium ferè huius libri ſententiarum.Et ſit ſenſus,Is qui diligit lætitiam erit vir egeſtatis, hoc eſt, vir egenus & pauper: Et qui diligit vinum & pinguia, non ditabitur. Sic accepit noſter interpres, & rectius,tum quod ferè ſemper ſententiæ ſint bimembres in hoc libro, tum quod nihil ſit ſingulare,dicere pauperem ſectando lætitiam & epulas non fore diuitem. Pro lætitiam, noſter vertit epulas, quod de huiuſmodi lætitia videatur ex ſecundo membro loqui Sapiens, quæ eſt in epulis & compotationibus, quamuis poſſit generaliter accipi de omni lætitia huius ſeculi, vana ſcilicet,& quæ in temporis conſiſtit iactura.Pro oleum,vt alij vertunt,noſter vertit,pinguia(quia & omnem pinguedinem dictio Hebræa ſignificat) quòd de pinguioribus & lautioribus cibis videretur Sapiens loqui,quia adiungit de vino.Poteſt tamē de oleo accipi,quod in Paleſtina adhibebatur in delitiis & conuiuiis pro vnctionibus corporum. Vnde eſt illud : Oleo caput meum non Luc. 7. vnxiſti. Cæterum quemadmodum iuxta ſimplicem intelligentiam, diuitiæ terrenæ excluduntur ab eo qui voluptatibus indulget,ita ſecundum ſubtiliorem intelligentiā multo magis excluduntur cœleſtes, quæ ſub ſpecie terrenarum ſignificantur. Qui enim cum diuite epulone amat epulari quotidie ſplendide, nō ſolum non erit apud Deum diues, quomodo Paulus monet nos diuites fieri in operibus bo- 2.Tim.6 nis, ſed in ſumma poſtea erit egeſtate, quando nihil inuenient omnes viri diuitiarum in Pſal. 7. manibus ſuis. Aduerte tamen ſapientem non deteſtari bibentes vinum & comedentes pinguia,ſed amantes,hoc eſt,affectus ſuos his apponentes & affigentes. Qui enim hæc auidè ſemper ſectantur,& temporalibus, vt in plurimum,& æternis excident diuitiis.

18 *Pro iuſto datur impius,& pro recto iniquus.*

PARVM refert quòd in quibuſdam libris legitur,dabitur,in aliis datur. Quod autē dicitur impiū dari vel dandum,pro iuſto, quomodo ſit intelligendum, videndum eſt. Beda intelligit impium dari pro iuſto & iniquum pro recto, quia impius aut iniquus punitur pro malo iuſtis illato, aut pro eo quod iuſtorum & rectorum exempla quæ vidit, non eſt imitatus. Itaq; videtur in verbo datur aliquid ſubintellexiſſe , nempe datur in ſupplicium aut pœnam.Aut potius legiſſe videtur nō datur,ſed damnatur.Nā cum verbo datur nihil tale addat,declaraturus quod dixit , ſubiicit. Dānatur Herodes nō tantū pro innocētibus, quos impiè neci tradidit,ſed & auguentū(ſic enim potius legēdum puto quā argumētum) Matt. 12. damnationis accipit:quia fidē magorū ſequi ad quærendum dominū noluit,cum eſſet Iudæus & Prophetarū dicta cognoſceret. Hinc enim dominus ait.Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta & condemnabit eam.Non quia ipſa ſua virtute & potentia cōdēnabit,ſed quia in eius cōparatione condēnabuntur,qui deuotionem eius ſcientes cum multo facilius poſſent,ſapientiæ curam diſſimulabant habere:Hæc ille. Quorſum autem de dānatione Herodis & augmento damnationis eius,Item quomodo Regina Auſtri cōdemnabit Iudæos,ſubiicit ad declarationem huius ſententiæ ſi non legit,pro iuſto damnatur impius.Cæterum vt verus huius ſententiæ ſenſus habeatur,ſciendū eſt hebræa ad verbū habere ſic,redemptio iuſto impius,vel propitiatio aut expiatio iuſto eſt impius, & pro rectis pręuaricator,hoc eſt,peccator,Idē autem vtriuſque partis ſenſus eſt,ideoque ſicut ipſemet Sapiens priorē partem expoſuit ſubiungendo,& pro rectis peccator vel iniquus , ita non male noſter interpres priorem partem etiam vertit,Pro iuſto datur impius, ſi modo rectè intelligatur iuxta exigentiam hebrææ lectionis.Dicitur autem impius eſſe redemptio ipſi iuſto,quia cum malum aliquod impendet iuſto,frequenter fit vt illud iuſtus euadat,& impius illud pro eo patiatur. Ita enim & in humanis iudiciis ſæpè fit,vt innocens ab alio accuſatus euadat liber, & accuſator improbus loco illius puniatur , incidens in foueam quam alteri parauit.Ita diuino frequenter euenit iudicio , vt cum ipſi Mardochæo Aman factus eſt redemptio eius, ſuſpenſus in patibulo quod illi parauerat.In hunc ſenſum hæc noſtra litera accipienda eſt,vt hæc ſententia cōueniat cū illa quæ eſt ſuperius.Iuſtus de Sup.c.11 anguſtia liberatus eſt & tradetur impius pro eo. Quod ſi profundius quis verum huius loci ſenſum eruere volet,intelliget impium nō ſimpliciter dici redemptionem quaſi liberationem iuſti,hoc eſt, non tantum ſignificari quod à malo iuſtis intentato iuſti liberabuntur,& in locum illorum impij punientur, ſed quod impij velut pretium ſunt & propitiatio aut expiatio iuſtorum. Hoc enim propriè ſignificat dictio hebræa כפר Copher.Itaque ſignificare vult ſapiens quod cum ex æquitate diuinæ iuſtitiæ magnum aliquod malum imminet vel irruit ſuper prouinciam aliquā aut vrbem,quod etiam iuſtis debeatur [cum non ſit iuſtus ſuper terram qui nō peccet ſæpius) tunc iuſtus ſupplicio malorum redimetur, & expiabitur quodammodo. Erunt enim impij precium & redēptio , quibus punitis ceſſabit ira Dei.Exemplum huius inſigne eſt, 2. Regu. 21.Vbi legimus famem illam factam in diebus Dauid ob crudelitatem à Saule exercitam in Gabaonitas, expiatam & redemptam morte prolium Saulis ſeptem. Vbi inter cætera dicit Dauid Gabaonitis.Quid faciam vobis & quod erit veſtri piaculum.Vbi pro quod erit veſtri piaculū hebræis eſt verbū, vnde dictio hic poſita deriuata eſt.Senſum hunc ſecuti 70.qui habēt hoc loco περικάθαρμα δικαίου ἄνομος hoc eſt, purgamentum vel expiatio iuſti eſt impius.Sic enim hic dicitur impius purgamētum iuſti ſicut Paulus Apoſtolus dicit factos tanquam purgamenta huius mūdi, nimirum quod per eorum cædes mundus iudicaretur purgari & expiari.Ita enim credebant idolo- 1.Cor.4. latræ Apoſtolos perſequentes,qua ſi illis cæſis & interfectis deorum ipſorum ira placaretur. Vtitur autem Paulus eo loci eadem dictione qua hic Septuaginta ὡς περικαθάρματα , inquit, τοῦ κόσμου. Qui locus Pauli cum hoc collocatus longe ſit clarior quam à pleriſque explicetur.

19 *Melius eſt habitare in terra deſerta , quàm cum muliere rixoſa & iracunda.*

SIMILIS ſententia ſuperius eſt habita hoc capite , ſed hæc mulieris rixoſę magis exaggerat malitiam,quando non ſolùm incommoda quęuis habitatio cum hominibus præfertur commodæ habitationi cum tali muliere,ſed etiam habitatio cum beſtiis& feris quę Eccleſ 5. incolunt loca deſerta, quemadmodum apertius dicit Eccleſiaſticus. Commorari inquit, leoni & draconi placebit , quā habitare cum muliere nequam.

20 *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti,& imprudens homo diſſipabit illud.*

QVOD ſupra vertit interpres pinguia, modo vertit oleum,cum & hic bene conueniret verti pinguia , vt per theſaurum deſiderabilem accipiantur diuitiæ quæ oculis ſunt gratæ,per pinguia diuitiæ, quæ palato placent.In iis enim duobus diuitiæ humanæ conſiſtunt.Si tamen oleum accipere placeat, per illud ad literam vnguenta ſunt intelligenda,quæ inter precioſa apud Paleſtinos habebantur ad vnctiones corporum honorificas & delicatas.Theſauri verò nomine proprie ſignificantur diuitiæ auri & argenti. Itaque his duobus omnis generis diuitiæ, ſiue quæ oculis deſiderantur,ſiue quæ corpori reficiendo conueniunt,deſignantur. Et ſignificatur iuſtum vel ſapientem, (Nam ſapientem habent Hebræa,cui opponitur homo imprudens)parare ſibi ſua ſapientia vel iuſtitia, atque dono Dei obtinere diuitias, ſtultum verò hæredem Eccleſ. 2. decoquere eas,vt frequenter experientia docet.Vnde inter cæteras vanitates Eccleſiaſtes refert , quod cum alius laboret in ſapientia & doctrina & ſolicitudine,homini ocioſo quęſita dimittat.Et hoc,inquit, vanitas eſt & magnum malum.Atque ad hanc vanitatem inſinuandam , veriſimile eſt hanc ſententiam à Sapiente hic prolatam, vt oſtenderet ſapientis & iuſti diuitias præcipuas non eas eſſe quę videntur & æſtimantur hominū diuitiæ,ſed iuſtitiam ipſam & ſapientiam, quam nemo tollere & diſpergere poteſt. Quidam olei ſpeciatim mentionē intelligūt hic factā,ad inſinuandū nocturnas vigilias iuſti aut lucubrationes

sapientis & labores,ad oleū & lucernā factos Relatiuum, illud refertur ad oleum,& ex consequenti similiter referentum est ad thesaurum,vnde melius vertisset, ea, ne quis putet ad habitaculum referēdum,quomodo refert Beda in secundo sensu mystico, quem hic reddit, sic scribens: Potest sanè hic versus & de quolibet martyrum accipi,in cuius habitaculo,id est, corpore anima sancta, Dei videlicet thesaurus, seruetur, abundat & vnctio gratiæ spiritualis. At persecutor imprudens huiusmodi habitaculum disrumpere potest, thesaurum vero qui in habitaculo tenebatur & oleum nequaquam tangere potest,&c. Alter sensus mysticus qui conuenientior est, sic ab eodem redditur. Claritas bonorum operum Deo semper amabilis & pinguedo dilectionis in sanctorum ecclesia refulget. Verum reprobi non tantum virtutes non assequi,sed & persequi,& quantum valent in bonis obruere festinant Hęc ille secundum quem posteriorem sensum relatiuum illud & ad oleum & thesaurum refertur non ad habitaculum, quemadmodum in altero sensu.

21 *Qui sequitur iustitiam & misericordiam,inueniet vitam,iustitiam,& misericordiam.*

PRo sequitur, dictio Hebræa, significat insequitur, vel sectatur. Cui pulchrè respondet verbum inueniet, quod Hebraica phrasi pro consequi ponitur, vt ibi, inuenisti gratiam apud Deum. Significatur ergo eum qui sectatur iustitiam & misericordiam,consecuturum vitam,&c. Per iustitiam & misericordiam, quæ frequenter hic & alibi coniunguntur, vt suprà dictum est, omnes virtutes comprehenduntur, Nam per eas, aut debitum, aut gratuitum officium impendimus Et alioqui quælibet virtus & iustitia est & misericordia. Iustitia quatenus quod iustum est & æquum præstat, misericordia vel pietas(Nam hoc propriè dictio hebræa significat) quatenus ex benigne fit affectu. Itaque qui hæc insequitur vel sectatur, hoc est, qui summo studio hæc præstare studet, perinde ac si ea persequeretur vel consequeretur,talis consequetur inprimis vitam potissimum animæ, hic per gratiam postea per gloriam. Item vitam corporis,quæ Dei beneficio frequenter iustis hic diuturna & fœlix contingit, & quæ in veteri lege iustis singulariter promittitur.Consequitur item iustitiam quam scilicet sectatus est,ne frustrà eam sectari quis putetur,sed præter vitam etiam iustitiam adipiscatur,per quā verè iuste viuat,&iustus habeatur apud Deum & homines.Per quam etiam deinde consequitur gloriam , & hic apud homines temporalem,& postea apud Deum æternam.Vita enim vera non est sine iustitia , & iustitiam semper comitatur gloria. Itaque his tribus significatur quod dicere solemus bene beatéque viuere.Alij quod in secundo membro dicitur de iustitia consequenda accipiunt de iustitia qua Deus retribuet iusto secundum meritum eius,vt quod sequitur,declaret quam iustitiam cum vita iustus consequetur & inueniet, nempe gloriam,quam vltra vitam Deus iusto reddet secundum meritum eius.

22 *Ciuitatem fortium ascendit sapiens,destruxitque robur fiduciæ eius.*

CVM in multis aliis rebus, variis sententiis sapientiā multum posse affirmet Sapiēs, hic etiam in re bellica sapientiam indicat multum valere,significās etiā plus in ea re valere, quàm fortitudinem , quæ tamen ibi maximè quæritur & spectatur.Nā Sapiens aliquis vnus, sua sapientia ascendit ciuitatem fortium plurimorū, quasi dicat,Multos robustos & validos superabit vel vnus sapiens. Et quod copiosus exercitus facere non potest, aliquando faciet sapiens , nempe ascendet ciuitatem fortium, hoc est,expugnabit & vi capiet eam quā multi fortes inhabitant & tuentur, nec tantum ascendet eam,sed & destruet aut vt habent Hebræa descendere faciet,hoc est,detrahet robur omne in quo ciuitas confidebat. Hoc est ergo quod significare vult Sapiens,quod apte dicitur in Sapientia:Melior est sapiētia quā vires & vir prudens quam fortis,vt autē istud in bello & expugnatione vrbium vsu venit nō nūquā ad literā , ita iuxta mysticum sensum in Christo hæc sententia perfectissimè impleta est,Qui Dei patris sapientia existens ciuitatem fortium ingressus est,quando per assumptionem humanæ naturæ in mundum hunc natus est,qui quodam malignorum spiritū tyrannidi stulte subactus seruiebat , quorum omne robur per se & prædicatores suos subuertit,vniuersa arma eius diripiens,in quibus cō fidebat & spolia eius distribuens.Sed & quotidie,vt Bedæ verbis vtar,ciuitatē fortiū ascendit sapiens,& destruit robur fiduciæ eius , cū aliquis fidelis doctor argumenta philosophorum vel hæreticorum , vel etiam contumaces carnaliū fratrū cōtradictiones,quib.scelera sua defendere & alleuiare nituntur, castigationis disciplina redarguit , & euiscerans annullat. Sap.6.

23 *Qui custodit os suum,& linguam suam custodit ab angustiis animam suam.*

AQVANTIS angustiis homo custodiat animam suam,hoc est , vitam suam aut seipsum, si custodiat os suum & linguam suā ab indebito & temerario sermone, quotidiana docet experientia,quæ ostendit in quanta mala incidant,qui non ponunt custodiam ori suo,vt sunt qui secreta aut tacenda effutiunt, qui in alterius iniuriam rem aliter narrāt quā se res habet , qui in quemuis non verētur esse contumeliosi,qui etiam sua non norunt reticere.Hi enim in varias se cōiiciunt angustias, dum multos sibi parant inimicos à quibus sibi male metuunt,dum varia coguntur excogitare remedia ad defendendum quæ temere dicta sunt,&c. Matt.12.

24 *Superbus & arrogans vocatur indoctus,qui in ira operatur superbiam.*

PRo indoctus,Hebreis est לֵץ Lets , quæ dictio propriè significat illusorem aut derisorem , quomodo & Diuus Hieronymus aliquando vertit , quam tamen secutus Septuaginta aliquando vertit pestilentiam quomodo & hic habent Septuaginta, Itaque

que Hebræis , est, Superbus & arrogans, derisor est nomē eius.Quo significatur eū qui superbus est, cum honorē quærat & famā maximè , famam tamen & celebritatem nominis non assecutum , imò ignominiosis nomenclaturis appellandum , dignumque inprimis qui vocetur derisor, vt qui alios præ se cōtemnat & irrideat,ac salutares aliorum monitiones cum derisione reiciat, ex ira animi fastuosi superbe se cōtra omnes gerēs. Superbiā enim nō tantū sequitur irrisio & cōtēptus aliorum , sed & ira ac excandescentia contra eos qui non satisfaciunt desideriis,aut qui cū trariantur volūtati superborum. Mirum quid secutus sit D. Hieronymus quum hoc loco verterit contra suum morem indoctus.Bene tamen,hæc nomenclatura in superbum & arrogantem quadrat , qui cum præ superbia aliis se doctiorem & prudentiorem putat,per opera sua meretur vocari indoctus & imprudens,quod multa operetur superbè per irā. Superbia enim & ira superbiam sequens,efficiunt,vt quis pleraque imprudenter & stulte agat.Conuenit cum illo quod est cap.19. Doctrina viri per patientiam noscitur.

25 *Desideria occidunt pigrum , noluerunt enim manus eius quicquam operari.*

CLARIVS priorem partem habent Hebræa hoc modo.Desiderium pigri interficiet eum. Dupliciter autem id potest intelligi, Aut quia piger semper & multa desiderans,nec quicquam operari volens suis desideriis semper torquetur, ita vt mori videatur iuxta loquendi modum quo enecatos nos dicimus cum magno aliquo malo torquemur, Piger enim per pigritiam,& variis detinetur desideriis , quia in desideriis est omnis ociosus,& non fit vnquam votorum suorum compos. Vnde duplici hoc nomine torquetur desideriis.Aut dicit desideria occidere , quia in suis desideriis moritur,non assecutus quod desiderauit , vt desideria eum occidere dicantur , quia eum ad mortem vsque perducunt aut concomitantur. Istud vt in corporaliter pigris accidere videmus,ita similiter in spiritualiter pigris , qui cum salutem desiderēt, & tamen labores bonorum operum subire detrectent,desiderando,& nihil præterea agēdo incidunt in mortem animę,& tandem etiā mortem æternam.

26 *Tota die concupiscit,& desiderat, qui autem iustus est tribuit & non cessabit.*

ADHVC sermo est de pigro, Nā est prosecutio sententiæ superioris, eiusque explanatio. Itaque de pigro dicitur , quod totū tempus suum consumit desideriis, in his solum occupatus , ac proinde nec sibi nec aliis vtilis. Aut dicit eum semper concupiscere, quia semper aliena desiderat , tantum abest, vt sua tribuat.Contra quod de iusto , qui labore manuum scit parāda esse quibus opus est, dicitur quod nō solum sibi sufficit, sed & aliis vtilis est , tribuens scilicet sine cessatione,ex his quæ iuste parauit & possidet,nec inutilibus & vanis desideriis tempus suum consumens, sed laboribus si opus est propriis manibus, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti , nec auare retinens quod possidet, sed illud aliis incessanter communicans,nec aliena desiderans,sed sua incessanter impartiens Ex qua explanatione satis patet cur iustum pigro opponat,quamquam ex hac oppositione videri possit, cum dicit desiderium pigri occidere eum , intelligi illud potius debere de desideriis rerum alienarum , quas ob pigritiam pigri assidue concupiscunt,& per cōcupiscentiā frequenter rapiunt, malentes ex alienis quam suis viuere laboribus , Vnde & mortem sibi non tantum animæ , sed & corporis frequenter per iustitiæ supplicium asciscunt. Ephes.4.

26 *Hostiæ impiorum abominabiles , quia offeruntur ex scelere.*

DVPLEX hic est lectio , Nam plerique libri habent , quæ offeruntur. Quidam tamen habent , quia offeruntur. Quomodo D. Hieronymum vertisse verisimile est , quod apud Hebræos nullum sit relatiuum , sed dictio זִי Ci , quæ frequenter causalis est significans quia. Vnde & septuaginta, quos sæpe sequitur Diuus Hieronymus habent θυσίαι ἀσεβῶν βδέλυγμα κυρίῳ καὶ γὰρ παρανόμως προσφέρουσιν ἄνδρες, , id est , Oblationes impiorum abominatio sunt domino , Etenim inique offerunt eas. Itaque iuxta hanc lectionē redditur causa cur hostiæ impiorum Deo displiceant , nimirum quia offeruntur plerunque ex malè partis, vt ex rapina aut alia quapiam iustitia , aut quia ex scelerato animo & mala mente offeruntur , nempe vt in sua improbitate prosperum habeant successum, aut ex hypocrisi, vt cum aliis sancti & religiosi habeantur. Hebræa tamen potius sic sunt vertēda, Sacrificium impiorum abominatio, quanto magis si in scelere obtulerint illud. Quo significatur omnem quidem impiorum oblationem Deo displicere,propter inhærentem animo impietatem , sed multo magis si offerant per scelus , vt ex rapina aut praua aliqua cogitatione, quod tunc oblatio impij dupliciter sit contaminata , impietate hominis præcedente & concurrente. Cui sensui magis consentit altera lectio magis apud nos recepta,quæ sic est accipienda , vt non tantum illæ impiorum hostiæ abominabiles significentur quæ offeruntur ex scelere, sed quòd illæ potissimum , vt subintelligas aliquid hoc modo:Hostiæ impiorum abominabiles , maximè quę offeruntur in scelere. Idem clarius & fortius dicitur in Ecclesiastico: Dona iniquorum non probat altissimus , nec respicit oblationem iniquorum , nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.Docet hæc sententia Deum non tam respicere externa quam interna , & sacrificia illi per se non esse grata,sed ratione personarū offerentium,ac proinde illum non sic muneribus posse corrumpi,vt solent aliquando terreni iudices.Itaque in eos quadrat , qui cum sint scelere aliquo obnoxij cuius pœnitudine non Eccl.34.

ne non ducuntur, nihilominus putant per alia pietatis opera, iram Dei posse placari, hanc impiam & scelestam cogitationem de Deo concipientes, quasi peccandi licentiam alicui concederet ob quædam ipsius munera, quemadmodum faciũt nonnunquam terreni iudices. Conuenit cũ hoc illud, quod
Cap. 1. est Esaiæ: Incensum abominatio est mihi &c. Et valet contra eos qui cum perseuerent in peccatis, putant se Deum placare eleemosynis, contra quos scripsit D. Augustinus librũ de fide & operibus.

28 *Testis mendax peribit, vir obediens loquetur victoriam.*

SECVNDAM partem, sic habent Hebræa: Vir audiens in finẽ loquetur. Quã partem sic intelligunt, Vir audiens, hoc est, qui admittit loquentẽ, in finẽ vel semper loquetur: hoc est, is vicissim audietur & locũ habet semper loquẽdi. Alij rectius sic, Vir qui testatur quæ audiuit ac certo nouit, nec ex suo fingit cerebro, sicut testis mendax, is semper loquetur, non imponetur ei silentium sicut mendaci testi, nec afficietur pudore, nec morte aut alia pœna, sicut testis mendax, contra quem etiam prophana lege sancitur Lex talionis Dignus enim est qui suo testimonio pereat qui per illud alios perdere voluit. Diuina autem lege testis mendax æternam incidet mortem & perditionem. Secundum hunc sensum pulchra est oppositio membrorum huius sententiæ. Noster interpres secutus Septuaginta qui habent ἀνὴρ ὑπήκοος, vertit, obediens quia audire frequenter pro obedire accipitur & victoriam vertit, quia dictio נצח Netsah ambigua est, aliquando significans victoriam ali-
Gregor. quãdo æternitatẽ. D. Gregorius hanc partẽ citans libro trigesimoquinto Morali. cap. 12. in commendationem obedientiæ sic explicat, Vir quippe obediens, victorias loquitur, quia dũ alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Venerabilis Beda vt membrorum oppositionem aliquam indicet sic tractat hunc versum. Qui se Deo seruire testatur, nec factis dicta exequitur, peribit: qui autem fideliter vt promittit, iussis subditur diuinis, huius loquela ad victoriam perueniet: quia dum per obedientiam suam vincere satagit, per iustitiam iudicis postmodum victoriæ palmam percipit. Hæc ille doctè, simul & pie. Simpliciter significat nostra lectio ad literam, Testem mendacem & omnem qui in perniciem alterius mentitur, quia contra legem ait, male periturum, ita vt siue hic siue alibi dignas persoluat pœnas at omnẽ qui legi diuinæ obedit, & ob id mẽdacia sicut & omnia alia vitia declinat, confidenter locuturum quomodo omnia supplicia vicerit omnesque inimicos suos superauerit, atque pulchram de omnibus victoriam reportauerit, cum testis mendax tacere cogetur pudore affectus & digne punitus. Aut simpliciter significatur eum qui contra aliquem falsum profert testimonium, periturum, illũ verò qui innocenter viuit obediendo legi diuinæ, liberandum à malo quod falso testimonio ei parabatur, & glorioſè triũphaturum de illo. Potest & ad falsos ac veros doctores hæc sententia accõmodari, qui ad populũ quasi testes se diuinæ veritatis præbent. Qui enim nõ quod audiuerunt, atq; ab Ecclesia didicerunt sed sua sõnia & dogmata reprobata, pro verbo Dei loquũtur & prædicãt, meritã incidẽt perditionẽ, eorumq; testimoniũ, cum eis aliquando peribit, nec stabile erit, sed euanescet, quẽadmodum in omnibus patuit hæresibus. Qui vero quod ab Ecclesia per auditũ percepit, & loquitur quiq; in omnibus, quæ agit & loquitur, diuinæ legi & traditioni Ecclesiasticæ obedit, is etsi aliquandiu persecutionem patiatur ab aduersariis veritatis & virtutis, tamen triumphabit tandem ac victoriam suam audenter proloqui poterit. Super omnia vincit virtus & veritas, quæ hæresibus, instar cerę liquescentis, euanescentibus, semper perdurat ac triumphat.

29 *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.*

PVLCHRE sensum reddidit interpres, cũ hebræis ad verbum sit: Roborat vel fortificat impius vultum vel faciem suam. Et significatur impium etiam si reprehendatur vel moueatur, siue interius siue exterius, nullo moueri pudore, qui in faciem suam habet sedem, sed vt solent, quos perfricuisse frontẽ dicimus, pertinaciter persistere in sua malitia eamq; impudenter tueri vel excusare, & sine rubore fortiter resistere & insultare benemonentibus, vt patuit in Pharaone. Contrà, cum qui rectitudini & æquitati studet, cum de re quapiam monetur (quia non est iustus quisquam qui faciat bonum & non peccet) mox corrigere vias suas, & emendare quod in actionibus ipsius reprehensioni obnoxium est. Conuenit cum prima parte illud Ieremiæ. Frons meretricis facta est tibi, noluisti Iere 3.
erubescere. Et Ezechielis. Domus Israel atrita Ezech. 3.
fronte est, & duro corde.

30 *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum.*

MVLTI quidem sapientia sua, aut prudentia consultant, & cogitant perficere quædam contra domini voluntatem, sed sapiens significare voluit non esse aliquam sapientiam aut prudentiam humanam vel angelicam, quæ quicquam valere possit contra dominum eiusque voluntatem, aut quę quod
Heste. 13. ille voluit facere, ac disposuit fieri, impedire possit iuxta illud Hester: Nõ est qui tuę possit resistere voluntati. Proinde indicat vnumquemque quantumuis sapientem merito debere ab illo vno pendere, illi fidere non sibi nec quicquam illi tentandum quod diuinę voluntati nouerit esse contrarium, quę adeò non potest impediri, humana vel dęmoniaca prudentia, vt magis per eam promoueatur & perficiatur, dum quid contra eam homo vel dęmon tentat, vt patet in fratribus Ioseph, in Pharaone, in Herode & redemptione generis humani, quam diabolus omnibus modis impedire

impedire studuit.

31 *Equus paratur ad diem belli, dominus autem salutẽ tribuit.*

VT superiori sententia significatur nullam sapientiam valere contra dominum, ita hac nullam potentiam aliquid valere sine domino, cui tribuenda est omnis salus
Psal. 32. atque victoria, iuxta illud Psalmistæ. Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Est autem secunda pars huius sententiæ, Hemistichium desumptum ex psalmo 5. vbi nos legimus, domini est salus quum vtrobique sit ad verbum. Domino salus, scilicet competit aut tribuenda est Cæterum vt ad literam istud verum est de salute corporali, quæ in bellis diuina magis quam equorum virtute obtinetur, quamuis non male homo equis ad victoriam consequendam vtatur in bello, vt faciat quod in se est: Ita multo magis locum habet in bello spirituali quod nobis est contra vitia. Nam etsi cõtra illud nos parare & armare debeamus, tamen nobis fidere non debemus, sed diuinæ gratiæ à qua est omnis victoria. Vnde hanc
Gregor. sententiam tractans mysticè, D. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 18. Equi inquit nomine, præparatio rectæ intentionis accipitur sicut scriptum est. Equus paratur in diem belli, sed dominus salutem tribuit, quia contra tentationem quidem sese animus præparat, sed nisi adiuuetur desuper, salubriter non decertat.

CAPVT XXII.

1 *Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ: super argentum enim & aurum gratia bona.*

SVPEREST cõiunctio enim, quæ etiam in plerisque latinis non inuenitur codicibus, vt nec apud Bedã. Et est apud hebræos ad verbum sic. Eligibile est nomen à diuitiis multis. ab argento & ab auro gratia bona. Nó est enim in priori membro dictio bonum, sed tantum nomen quod pro phrasi hebræa accipitur frequenter pro fama celebri & honesta, sicut & in simili
Eccles. 7. sententia quæ est Ecclesiastæ 7. Vbi nos legimus. Melius est nomen bonum quam vnguenta preciosa, hebræis non est bonum, sed tantum nomen. Additur tamen & à 70. & à D. Hieronymo explicandi gratia dictio bonum, quia est & nomen malum. Ex hebræis etiam patet quòd in secundo membro dictio bona non sic debet coniungi immediate cum substantiuo gratia sicut in priori apud nos bonum coniungitur cum dictione nomen, quasi dictio bona addita sit ad distinctionem gratiæ malæ, cum omnis vera gratia tantum bona sit: sed dictio bona referenda est ad illud, super argentum & aurum. Sicut tum in priore membro hebræis dicitur nomen eligibile à diuitiis, pro eo quòd latinè dicimus eligibilius diuitiis multis (Nam hoc modo hebræi circumloquuntur comparatiuum quo carent:) Ita in secundo membro dicitur gratia esse bona ab argento & auro, hoc est, melior argento & auro. In nostra ergo sectione sic litera est ordinanda. Gratia, hoc est, gratiositas, qua quis gratus est Deo aut homini bus, est bona super argentum & aurum, hoc est, melior argento & auro. Sic enim accipitur hic gratia quomodo in illis scripturis quibus quis dicitur inuenisse gratiam apud Deum aut homines. Significatur ergo famam bonam præferendam diuitiis, & ita vixisse ac se gessisse, vt quis gratus sit & bene audiat, præponendum esse auro & argento. Qua sententia monemur potius studendum esse parandæ gratiæ ac nomini bono, quàm diuitiis conquirendis: contra quam ferè faciunt homines. Et rectè quidem nomẽ bonum ac gratiositas diuitiis præfertur, tum quod in se illa sint meliora, quæ ad bonum honestum pertinent, diuitiæ verò ad bonum vtile, cui præfertur bonum honestum, & proinde hominem per se magis commendant, vt quæ ex virtute & rectè gestis parantur, tum quod homini etiam plus adferant frequenter commoditatis & vtilitatis. Nam præterquam quod diuitias nonnunquam adferant, quę per se nomẽ bonum & gratiam non pariunt homini, frequenter prosunt homini plus quam opes, ad promerendum scilicet quippiam à principibus, aut ad inueniendum adiutorium contra inimicos, vt patuit in Tobia, qui fugiens Sen- Tob. 1.
nacherib cũ filio & vxore nudus latuit, quia multi diligebant eum. Accedit his quod diuitiæ quæuis sint corruptibiles & multis pereãt modis, nec morientem sequuntur, fama verò nominis & gratia non facile perit, & etiam post mortem maius desiderium hominis accendit. Bonum autem quo diuturnius eo melius. Vnde bene Cato ille monuit: Omnia si perdas famam seruare memento. Et Plautus in Mostellaria: Ego si bonam famam seruasso, sat ero dives. Cæterum si in republica aliqua nomen & gratiam obtinuisse apud homines, præclarius est & melius quam multas consecutum esse opes, multo magis diuitiis est præferendum, quod apud Deum & sanctos bonum nomen & gratiam quis consecutus est, ad quæ consequenda apud Deum sententia hæc nos exemplo eorum quæ in republica contingunt, inuitat. Alioqui enim bonum apud homines nomen & gratia aliquando homini noxia sunt & nequaquam eligibilia valde. Hinc enim Paulus ille, qui apud valde Galat. 1.
multos male audiuit viuens: Si adhuc, inquit, hominibus placerem, Christi seruus non essem.

2 *Dives & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus.*

DVPLICITER accipitur hic à diuersis verbum obuiauerunt metaphorice. Quidam enim metaphora desumpta ab amicis qui sibi occurrentes obuiis sese mutuo vlnis complectuntur, intelligunt significari pauperem & diuitem sibi mutuo subsidium ferre, & sic quodammodo sibi mutuo occurrere & vnum alterum quærere, quia nec pauper sine diuite, nec dives sine paupere viuere potest, sed alter alterius opera eget. Iam quod sequitur vtriusq; operator est dominus, significat

vt ruuque

vtrunque à domino accepisse conditionem qua contentus esse debeat, ac dominũ vtrunque propter alterum ordinasse, vt & diues pauperi,& pauper diuiti subueniret & opitularetur,& sic inter eos, etsi conditione diuersos pax & charitas consisteret. Itaque simili tropo hic dictum est, Diues & pauper obuiauerunt sibi,quo in Psal. dicitur; Misericordia Psal 84. & veritas obuiarunt sibi.Et quo in Ecclesiasti Eccle.15 co dicitur, quod sapientia obuiabit timenti Deum quasi mater honorificata. Alij metaphora sumpta à bellantibus, sibi inimico aut contrario animo occurrentibus, intelligunt hic significari contrarietatem, quæ est inter diuitem & pauperem, vnde vertunt, Diues & pauper contrarij sunt,habitu scilicet & conditione,& frequenter etiam animo, cum ille insolescat animo, iste humilietur ac demissè se gerat. Simpliciter tamen & sine tropo rectius accipitur de corporali obuiatione,vt sit sensus. Frequenter & passim contingit vt diues & pauper, homines planè diuersæ conditionis sibi occurrant, at ne quis ex occursu huiusmodi personarum in habitu exteriori differentium, alium propter diuitias honoret,alium propter paupertatem contemnat, néve aut pauper obuium diuitem considerans mœrore deficiatur,aut diues contra pauperem superbe erigatur, cogitandũ est quod vtriusque operator,aut (vt potius vertendum fuerat)formator sit dominus,hoc est, quod quantum ad creationem attinet, pares sint, creati ambo ab eodem, & æquè ad imaginem & similitudinem Dei, quæ proinde Dei imago in vtroque æquè est veneranda. Cogitandum item, vt supra dictum est,& paupertatem & diuitias non casu, sed Dei voluntate vtrique obuenisse, atque ad mutuum subleuamen vtrunque à Deo ordinatum ac ob id neutrum alteri despiciendum. Similis sententia est infra cap.29. ex cuius cum hac sententia comparatione vtriusque loci verus intellectus magis eluceſcet.

3 *Callidus vidit malum & abscondit,innocens pertransiit & afflictus est damno.*

SICVT callidus et hoc loco & alibi hoc libro in bonam accipi debet parte, ita dictio innocens in malâ parte accipi debet, pro imperito, simplici & inexperto, sicut & cap. 14.cum dicitur: Innocens credit omni verbo, vbi Hebræis eadem dictio est quæ hoc loco, sicut in secundo membro pro astatus eadem dictio est, quam hic vertit callidus, & hoc libro frequẽter occurrit in bonam partem, pro sapiente, prudente & circunspecto qui mala præuidere & præcauere solet antequam eueniant.Significatur ergo eum qui per sapientiam & experientiam rerum callidus est, videre malum futurum, & vt illud vitet absconde re sese.Contra verò, eum qui inexpertus est, simplex & imprudens, confidenter & sine timore transire & pergere in eo quod cœpit, & proinde eum frequenter affligi aliquo dãno ac malo,quod sua prudentia astutus aufugit.Pergunt enim tales nonnunquam aut ad loca vbi malis incauti inuoluuntur, aut ad quędam munia ac opera perficienda per quæ malis implicantur. Similis est hæc sentẽtia illi quæ est capite 14. versu 16. Sapiens timet & declinat à malo, stultus transit & confidit Itaque his sententiis indicat Sapiens fructus sapientiæ & insipientiæ, vt sic ad sapientiam inuitet, & à stultitia auocet. vt autem in temporalibus rebus quod hic Sapiens dicit vsuenire videmus,ita multò magis in spiritualibus rebus illud obseruandum est. Qui enim verè secundum Deum prudens est, per fidem & scripturarum cognitionem videt mala aliquando peccatoribus obuentura, ideóque absconditse à peccatoribus,inter quos versari recusat,absconditse elogando se ab his rebus per quas mala illa posset incidere, absconditse latitando sub vmbra alarum Dei, Stultus verò & imprudens transit confidenter, in suis desideriis progrediens & illecebris mundanis,inde affligetur aliquando,siue hic, siue in futuro,malo quod præuidere & cauere noluit. Venerabilis Beda callidum accipiens in malam partem pro versuto ac versipelli,innocentem vero in bonam partem, pro recto & fraudis nescio,sic hunc locum tractat. Multi ex principibus credidere in dominum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt de synagoga non eiicerentur.Etenim erant callidi, videbant malum persecutionis quod imminebat & absconderunt fidem pietatis quam parumper conceperant. Innocentes verò Apostoli pertransierunt itinere recto professionis quo cœperunt, & afflicti sunt, verbere,vinculis, carcere,& ipsa etiam morte mulctati. Vtrumque autem exemplum vsque nunc in certamine fidei & in communibus, multi sequuntur actibus. Sic ille. Qui & meminit antiquæ versionis iuxta Septuaginta quæ tamen in nostris codicibus impressis mẽdose citatur.Nam sic habent nostri libri nequam puniri valde ipse disciplinam accipit insipientes autem prætereuntes,damno afflicti sunt. Desunt enim duo verba, vt ex Græcis patet. Callidus videns nequam puniri, &cæt.

4 *Finis modestiæ timor dommini, diuitiæ & gloria, & vita.*

PRO modestiæ, dictio Hebraica propriè significat eam virtutem, quę vulgo humilitas,dicitur,quomodo eam dictionem aliquoties noster vertit, vt versu vltimo cap.15. huius libri.Ea autem virtus Latinis dicitur modestia, per quam scilicet quis modestè de se sentit ac submisse se gerit.Proinde bene vertit hic interpres,nec accipitur hic vt Beda exponit pro constantia bonorum operum, aut pro qualibet virtute, quæ in moderatione actionum ac passionum consistit, vt exponit Lyra.Pro fine,dictio Hebraica, significat vel mercedẽ,vel propter, Vnde alij vertunt merces humilitatis vel modestiæ, vel propter humilitatem. Significat tamen eadem dictio etiam calcaneum & proinde etiam finem, & eodem recidit siue dicatur,merces modestiæ, siue finis. Iam quod sequitur timor domini, plerique (vt est ambigua lingua Hebræa) vertunt etiã in genitiuo: Merces vel finis modestiæ & timoris domini,vt subaudiatur coniunctio,

ctio,& tria illa quæ in secundo mẽbro Ponuntur,significẽtur esse merces ac finis modestię & timoris domini. Quibus duabus virtutibus in versu vltimo capitis 15. etiam gloria tribuitur. Sunt enim connexæ duæ illæ virtutes ac sese confirmantes.Nam humilitas adfert timorem domini,& timor humilitatẽ. His ergo tria illa tribuuntur, quæ maximè desiderant homines.Inprimis enim diuitias exoptãt,ac deinde cum diuitiis gloriã, tum vt his duobus per longitudinem vitæ diu frui liceat.Tribuuntur hæc tria superius,sapientiæ, cuius initium est ac summa,timor Domini.Dicitur enim cap.3. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Vbi longitudo dierum ac vita diuturna præponitur tanquam primum & præcipuum bonum, vnde & dexteræ tribuitur:Diuitiæ & gloria subsequuntur,& sinistræ tribuuntur,tanquam bona vitæ accessoria.& cap.10.Longitudo dierum timori Dei tribuitur.Timor,inquit, domini apponit dies. Et cap.19.Timor domini ad vitã esse dicitur.Tria autem illa humilitas & timor domini adfert homini plerunq; etiam in hac vita semper autem copiosius & perfectius in futura vita.Hũc sensum vt & nostra litera habeat sic accipienda est,vt significetur modestia perducere hominem ad firmiter & sanctè timẽdum Deum, & per hunc timorem adferre etiam homini diuitias,gloriam & vitam.

5 *Arma & gladij in via peruersi,custos autem animæ suæ longè recedet ab eis.*

PRO arma & gladij,Hebræis est,spinæ & laquei,quomodo & Septuaginta vertũt παγίδες καὶ σκάνδαλα, hoc est tribuli & laquei. Sed ad sensum parum refert. Dupliciter autem quod hic dicitur intelligi potest, vt Beda indicauit. Nam in via peruersi,hoc est,in eius viuendi ratione,sunt arma & gladij,spinæ & laquei, siue quia peruersus aliis verbo & facto nocere studet,& veluti armis & gladiis impetere ac velu ti spinis pungere ac laqueis fraudis ac doli inuolucre,siue quia ipsemet sua peruersa vita sibi mala conciliat,ac veluti gladiis confoditur spinisque conscientiæ remordentis pungitur ac laqueis diaboli implicatur, à quo captiuus Psal. 12. detinetur ad ipsius voluntatem.Cõsentit cum illo,Contritio & infœlicitas in viis illorum.Sic & dupliciter accipi potest quod sequitur:Custos autem animæ suæ longe recedet ab eis. Nam qui solicitè animam suam seruare studet, mentem manúmquæ suam ab omni læsione proximi refrænat,& ne conscientia sua hic veluti gladiis & spinis quibusdam,lædatur aut ne aliquando gladio vltionis diuinæ feriatur,tota mentis intentione præcauet. Vnde Ireneus. Ireneus lib.3.c.3.refert de Ioanne quòd cum in Epheso iens lauari vidisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens quòd timeret ne balneum concidat cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.

4 *Prouerbium est adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.*

HEBRÆIS est, Imbue vel erudi puerum iuxta viam suam, nec est vlla prouerbij mentio,sed monẽtur parentes in iuuẽtute rectè instituere suos pueros, vt idipsum vsque in senium in eis perduret.Est autem nostra lectio,in locutione obscurior & imperfecta.Sic enim Latinius dicẽdum erat,Iuxta quã viam adolescens se gesserit,etiam cum senuerit,&c.Id autem dicitur esse prouerbium,quia vulgo sic dicitur.Non quod sic semper sit,sed quòd vt plurimum,iuxta illud Poetæ:Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.Item,quod noua testa bibit,inuetterara sapit.Vnde & dicitur Thre.3. Bonum est viro cũ portauerit iugum ab adolescentia sua.Et Arist. Et hic,2.cap.1. Non parum, inquit, refert, sed caput rei est,hominem hoc aut illo modo assuefieri.Nam alioqui & studio humano & gratia Dei frequenter mores iuuentutis mutantur. Videtur interpres noster dictionem adolescens hic posuisse,vt sit participium,& sit sensus:Is qui adolescit in sua viuendi ratione,hoc est,qui ab adolescentia sua aliquam viuendi rationem amplectitur.

7 *Diues pauperibus imperat & qui accipit mutuum seruus est mutuantis.*

SENTENTIA clara est Significãs in mundo ita fieri ferè,vt per diuitias homines sibi imperium & honorem sibi vendicent, ac pauperum dominentur,eósque sibi per beneficia collata deuinctos & addictos quasi seruos & subiectos habeant. Proinde socordiam hominum hoc prouerbio excitat,vt sua industria studeant sibi potius diuitias parare,quam vt per inopiam cogantur aliis esse astricti,eíq; seruorum instar morem gerere sibique voluntariam accersere seruitutem, vt faciunt qui mutuum accipiunt.

8 *Qui seminat iniquitatem,metet mala & virgairæ suæ consummabitur.*

PRIOR huius sententiæ pars satis conuenit Gal.6. cũ illo Pauli,Quæ seminauerit homo, hæc Matt. 7. & metet,& illo saluatoris:In qua mensura mẽsi fueritis remetietur vobis.His enim omnib. significatur talia quemque recepturũ, qualia aliis ipse intulerit.Cui cõsonat quod sequitur Et virga iræ suæ consummabitur,hoc est,cõsumetur.Quo significatur impium perditum iri malaque passurum ob id quòd ira sæuitiáque tanquam virga quadam alios oppresserit atq; afflixerit. Aut quòd virga potestatis suæ non pro iustitia,sed pro ira sua abusus sit in subiectos.Ita enim dupliciter exponi potest illud, virga iræ suę.Vtut est significatur impiũ ea virga qua alios percussit conterẽdum.Docet autem experientia verum esse quod hic dicitur. Qui enim iniustè in alios sæuiũt sua sæuitia ac potestatis abusu sibi interitum asciscunt, & hic frequenter & semper in futuro.

9 *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur,de panibus enim suis dedit pauperibus.*

DIXIT de impio, nunc è contra dicit de pio. Cæterum pro eo quod nos habemus: qui pronus est ad misericordiam, Hebræis est,Bonus oculus vel bonus oculo. Sed sicut

ſicut Hebræis oculus malus dicitur oculus inuidus, eo quod torqueatur alterius fœlicitate, ita bonus oculus dicitur liberalis & miſericors, eo quod commoueatur alterius infœlicitate & miſeria. Vnde bene vertit noſter, qui pronus eſt ad miſericordiam, ſicut capite ſequenti vertit: Ne comedas cum homine inuido, cum Hebræis ſit, nec comedas panem mali oculo, vel mali oculi, hoc eſt, hominis inuidi. Benedicetur autem pronus ad miſericordiam, & in præſenti vita, tum ab hominibus qui tali bene precantur tum à Deo qui ei ſuam gratiam copioſe impertiet, & in ſpiritualibus ac temporalibus & multo magis in futura vita, quando audiet illud, Venite benedicti patris mei. Eſuriui enim, &c. Sic Deus benefecit viduæ Sarephanæ quæ Eliæ panem ſuum communicauit, Et Sunamitidi hoſpitæ Elizæi. Reſpexiſſe videtur ad hunc. locum Paulus cum de eleemoſyna verba facit, ac inter cætera dicit. Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vbi & ſubiungit. Hilarem enim datorem diligit Deus, quod perſpicuum eſt ipſum ex hoc loco ſumpſiſſe ſecundum lectionem Septuagin ta, qui hoc loco habent, ἱλαρὸν καὶ πρόθυμον ἀγαπᾷ ὁ θεός, hoc eſt, virum hilarem & datorem diligit Deus. 2. Cor. 9

10 *Victoriam & honorem acquirit qui dat munera, animam autem aufert accipientium.*

VERSVM hunc hebræa non habent, nec vetera pleraque exemplaria, habent tamen Græca in quibus ſic eſt, νίκην καὶ τιμὴν περιποιεῖται δῶρα δόντος, τὴν μὲν τοι ψυχὴν ἀφαιρεῖται τῶν λαβόντων, id eſt victoriam & honorem acquirit dãs munera, attamen animam aufert poſſidentium. Quo ſignificatur eum qui dat munera ſibi quidem, vt plurimum prodeſſe, vt qui per ea immeritum aliquando acquirit honorem, & victoriam de aduerſariis ſuis, accipientibus vero frequenter multum nocere, quod dando eis munera animam auferat eorum, hoc eſt, animæ vitam & ſalutem, vt quos cogat indigno honorem deferre, & contra æquitatem pro ſe ſententiam contra ſuos proferre aduerſarios.

11 *Eiice deriſorem & exhibit cum eo iurgium, ceſſabunt quod cauſæ & contumeliæ.*

QVOD ſuprà aliquoties vertit peſtillentem, ſecutus Septuaginta, hic vertit deriſorem, cum & hic Græcis ſit λοιμόν, hoc eſt, peſtem vel peſtilentem, ſecutus ſcilicet iam veriorem dictionis Hebrææ ſignificationem. Quos autem deriſores Sapiens dicat, ſupra indicatum eſt cap. 19. nempe qui bene monentes ſubſannant veritatem non ferentes. Item qui temerè aliorum dicta factáque rident, in peiorem omnia rapientes partem, ſuiſque ſannis alios ad iram contentionéſque prouocantes. Tales autem iurgiorum ac litium tum in familiis, tum in Repub. eſſe autores manifeſtum eſt, proinde monet rectè Sapiens, vt tales eiiciantur, tum è familiis, tum è Repub. quo illis eiectis etiam lites & cauſæ forenſes ceſſent, ac contumeliæ. Idem ſeruandum in Eccleſia Chriſti, in qua præcipui deriſores & peſtilentiſſimi homines ſunt hæretici, qui omnes præ ſe contemnunt, & rident Eccleſiaſticam ſimplicitatem in fide, cæremoniis & obſeruationibus. Vnde, vt noſtri ſeculi malitia demonſtrat, pleræque contentiones & contumeliæ oriuntur ex omni parte. Eiiciendi ergo tales ſunt ab iis qui poteſtatem habent, quo pax Eccleſiaſtica cõſtare poſſit inter Chriſtianos, quemadmodum Sarra eiici voluit, irriſorem Iſmael cum ancilla matre eius. Itaque Beda ſuper hoc verſu. Eiice, inquit, hæreticum, quem corrigere non potes de Eccleſia, & cùm libertatem prædicandi abſtuleris, catholicæ paci auxilium præſtabis. Gen. 21.

12 *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem.*

NON eſt apud Hebræos præpoſitio propter, vnde ferè alij interpretes gratiam labiorum referunt ad verbum diligit, vertentes, Qui diligit cordis munditiam & gratiam labiorum ſuorum, &c. vt ſignificentur duo neceſſaria ad obtinendam regis amicitiam, nempe cordis munditia, hoc eſt, ſinceritas & integritas animi ab omni fuco ac prauitate aliena, & ſermonis elegantia: His enim duobus ſi mul iunctis fit, vt quis regibus, & magnatibus placeat, maxime ſi qui reges dicuntur verè reges ſint. Poteſt tamen gratia labiorum iuxta Hebræa etiam ſeparari a verbo diligit, quéadmodum & per diſtinctiunculam ſeparatur, & verti per ablatiuum, qui diligit cordis munditiam, gratia labiorum ſuorum, hoc eſt, per vel propter gratiam labiorũ ſuorum, &c. Atque id ſecutus videtur noſter interpres. Itaque ſenſus erit, eum qui amat integritatem animi, atque à fuco & impietate liber eſt, ſi accedat etiam dicendi gratia, regi ac magnatibus placiturum. Aut ſignificatur talem non poſſe non habere gratiam labiorum apud reges, hoc eſt, talium, vt in plurimum verba ſermonéſque grata eſſe, quòd ſincero animo dicantur, cum impiorum & fucatorum etiam blandiloquentia elegans & cõpta ſapiẽtibus ingrata ſit & odioſa, vtpote per quã malũ machinentur. Vnde de Dario ſcribitur, quod cũ malum punicum, in manu teneret, dixerit ſe nõ optare maiorem theſaurum vllum, quam vt tot haberet Zopyros, quot eſſent grana pomi illius ſignificans regibus nihil gratius eſſe debere fidis amicis. Cæterum Rex de quo loquitur Sapiens præcipuè, accipiendus eſt Rex ille regum & dominus dominantium, qui ſolus ſcrutari poteſt munditiam cordis humani, eámque in primis requirit. Quam qui amat, eius doctriua, ſermo, & preces non poſſunt non placere regi noſtro longè magis quàm quæuis impiorum orationes ac prædicationes, Cum nõ ſit ſpecioſa laus in ore peccatoris.

13 *Oculi domini cuſtodiunt ſcientiam, & ſupplantantur verba iniqui.*

PRO cuſtodiunt, quidam vertunt obſeruãt. Nam & hoc dictio hebræa ſignificat, & conuenire potius videtur oculis. Oculorum enim

enim eſt obſeruare & conſiderare, non conſeruare, quanquam oculis Domini rectè tribuatur etiam rerum conſeruatio, ſi oculos domini intelligamus eius prouidentiam, qua omnia proſpiciens omnia diſponit ſuauiter. Nam verbum conſeruandum magis conuenit verbo quod in ſequenti membro opponitur, ſupplantatur, hoc eſt, ſubuertitur. Cæterùm cum ſcientia opponatur verbis iniqui, ſatis apparet ſapientem loqui de ſcientia, quã ore boni proferunt. Et poteſt ſimpliciter accipi de cognitione rei de qua aliqui loquũtur & teſtificantur, vt ſignificetur prouidentiam domini conſeruare & tueri teſtimoniũ veritatis, illud ſcilicet quo id quod ſciunt homines loquuntur & teſtantur, contra verò illum ſubuertere iniquorum verba, quæ in alio rum perniciem contra veritatem cogitaue runt, aliud dicentes, quam ſciunt eſſe verum. Aut ſi ſcientia accipiatur pro prudentia & multarum rerum cognitione, á qua quis doctus dicitur & alios rectè docere poteſt, diſtinguit hoc prouerbium inter bonos & malos doctores, ſignificans illorum doctrinam per Dei prouidentiam conſeruari in poſterorum vtilitatem, horum verò euaneſcere, perire & obſcurari, vt patet de catholicæ eccleſiæ doctrina & hereticorum figmentis.

14 *Dicit Piger, Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.*

HOC verſu pulchrè depingit pigrorum conditionem, nẽpe quod cum ad opus vocantur prætexunt ſuæ pigritiæ maxima pericula cauſantes ſe ideo ab operando aut aggrediendo quiduis ceſſare, quod metuant ipſi negotio ſubeſſe arduum aliquod & incuitabile periculum, quaſi ſi vocatus ad egrediendum domum cauſetur ſe ideo egredi nolle quod putet foris eſſe Leonem à quo in medio platearum ſit occidendus. Vno enim hoc Leonis periculo ſignificare voluit pigritiam proponere pigro pericula multa atque efficere vt piger pericula vel nulla vel parua magnificiat, & ſic ociosus maneat. Quod cum ſæpe accidat & videre liceat in rebus temporalibus, multo magis in ſpiritualibus, à quarum ſtudio plerique ceſſant metu periculorum quæ prætexunt, grauiter periculoſa ducentes quę aliis grauia non ſunt, & trepidantes timore vbi non erat timor. Somnum rumpere, ieiunia ferre, caſtitatem ſeruare, & id genus alia propter Chriſtum ſubire, quæ virtutis amatoribus leuia ſunt, pigro mala videntur extrema & intoleranda. Proinde pulchrè hunc locum myſtice tractat Beda, ſic ſcribens. Dicit ſæpe in animo ſuo is qui ad agenda bona opera piger eſt, ad confitendã fidem quam corde tenet timidus: non audeo fidem quam noui foras proferre ne me perſecutor impius quia fidelem nouit perimat. Timeo ad exercendas virtutum actiones: in publicum progredi, ne forte me vel antiqui hoſtis aduerſitas grauior tentet, vel etiam homo quilibet peruerſus cum ſuorũ turba, deridеat, cõuitiis cõfundat, iniuriis afficiat, aut ſicut multos iuſtorũ, qui ab eius vita diſcordãt tormentis conſumat, Leo, inquit foris via: in medio platearum occidendus ſum. Quod eſt apertè dicere, & verba & opera virtutum vbi oſtendi foris cœperint, ſtatim perſecutio vel hominũ vel ſpirituum comitatur inuidorum, nec valeo in tentationibus reſiſtere, ſed in piis boni propoſiti vincor incœptis. Hæc ille. Quidam paucis, ſic explicat hunc verſum in literali ſenſu. Domi ſe piger continet præ pigritia, perinde acſi in vrbe leones graſſarentur, vt quod hic dicitur piger dicere, ſit ipſum hoc facto demonſtrare, ac perinde ſe gerere ac ſi hoc diceret

15 *Fouea profunda os alienæ: cui iratus eſt dominus, incidet in eam.*

ALIENAM vocat quæ vxor ipſius non eſt, quem in ſui amorem vult pertrahere. Huius os foueæ profundæ comparat, quoniam ſuorum verborum blanditiis & illecebris virum alienũ ad caſum pertrahit, eũmque tam grauem, vt reſurgere aut nullatenus, aut vix poſsit. Primum enim in amorem ſui ipſum incidere facit, & in fornicationes & adulteria labi, in quæ pertractus ægrè euadere poteſt, quemadmodum in foueam profundam quis prolapſus ægrè liberatur. Videmus enim viros alienæ mulieris amore captos difficulter ſe ab eo exꝛricare poſſe. Deinde per amorem hunc illicitum & inhoneſtum pertrahit ſæpe viros in flagitia, vt homicidia, & rapinas, atque in mala pleraque & pericula ex quibus non facilè inuenire licet exitum, ſed in quibus frequenter demerguntur & abſorbentur. Quod vt hic temporaliter non fiat, certè longè grauius expectandum eſt, poſt hanc vitam, quando per adulteria aliáque ſecuta flagitia demergentur in profundum abyſſi infernalis, vnde nunquam patebit exitus. Sic ſuperius dixit, pedes eius deſcendũt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant. Et viæ inferi domus eius penetrantes in teriora mortis. Cæterum vt intelligamus ſingularis eſſe gratiæ diuinæ ab hac fouea præſeruari, & cõtra peculiaris cuiuſdam eſſe vindictæ diuinæ in illam incidere. Cui iratus eſt dominus, inquit, incidet in illam. Quo ſignificat neminem facilè in hanc præcipitari foueam, niſi qui aliis fuerit prius cõtaminatus vitiis, meruerítque deſeri à Deo, vt iam iuxta Theologos peccatum poſterius pœna ſit peccati præcedentis, & peccatum peccatum trahat, vt anſa anſam. Primum enim iuſto Dei vindicantis iudicio fit, vt quis incidat in colloquium & familiaritatem mulierum impudicarum. Deinde vt earum conuictu & colloquio capiatur, & in prædicta mala præcipitetur. Poteſt autem quod de ore dicitur extraneæ & ad oſcula referri, atque ad geſtus & ſigna vultus allicientis, per quæ & viri ſæpe irretiuntur. Sed ad verba potius reſpexiſſe ſapientem patet ex ſimilibus locis ſuperius habitis. Dicit enim capite 5. Fauus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Et ca. 7. irretiuit eum multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit eum. Sicut autem locis illis ſuperius per meretricem & alienã myſticè intelligitur hæreticorum ſecta, & cõ gregatio Proue. 5. Cap. 7.

gregatio quæ aliena à Deo, à verâ Christi spõsa homines studeat adducere, & ad se trahere, ita & hoc loco. Itaque per os alienum doctrina sectariorum intelligenda, de quibus
Rom.16. Paulus testatur, quod per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. Horum doctrinam qui sequuntur, incidunt in foueam profundam, vnde emergere non facilè valent. Rarò enim ex animo resipiscunt, qui hæreticorum erroribus imbuti & inuoluti sunt. In horum incidere manus & errores singularis est vindictæ Dei, qui ob præcedentia quædam demerita & superbiam potissimum, qua plus quidam sapere volunt quàm oportet sapere, traduntur à Deo in reprobum sensum ita vt dicentes se esse sapientes, stulti fiant.

16 *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.*

PRIOR pars significat pueris firmiter adhærere stultitiam, hoc est, vanitatem eorúmque cor aliud non cogitare quàm quæ vana sunt, inutilia & mala, nec posse stultitiã hanc facilè sanis monitionibus ab eis auelli, ita vt quasi vinculis quibusdam videatur, eorum cordi alligata. Ex corruptione enim naturæ innata est eis ad vitia & vanitates proclivitas, & propter defectum experientiæ, & humorum in eis dominantium abundãtiam, nondum quæ sana sunt & vtilia sapiunt. Verum ne ob hoc veluti desperati deserantur, indicat secunda pars qua ratione stultitia hęc ab eis possit abigi, quod scilicet si sola monitio & eruditio ad eam abigendam non sufficiat, vt solet sufficere in viris, virga disciplinę fugabit eam, significans vt in plurimum opus esse illis castigatione & coercione, quia sola vexatio dabit intellectum. Notandum autem quod dicat virga disciplinæ, significans moderatam castigationem pueris adhibendam, non virgam iræ & sæuitiæ, hoc est, castigandos eos, non tam ad puniendum quam ad emendandum. Virga iræ impiis debetur, qui scientes peccant, virga disciplinæ pueris, qui ex ignorantia peccant & inscitia. Hæc virga non fugat stultitiam ab impiis, cum in profundum peccatorum venerint, fugat à pueris qui timore pœnæ ad virtutes sunt formandi. Quantum enim hominum cura valeat ad corruptæ naturæ mutationem, & correctionem ostendit D. Basilius hom. 5. in Hexame. ex cura agricolarum qua fructus feri & syluestres emolliuntur, & ad vtilitatem humanam transmutantur.

17 *Qui calumniatur egentem vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori & egebit.*

POTEST hæc sententia & aliter verti ex Hebræo, hoc scilicet modo: Qui opprimit pauperem vt multa sibi acquirat, qui dat diuiti, certè ad defectum scilicet veniet vterque, vt significentur duo hominum genera quę ad inopiam perueniunt frequenter, cum studiosè eam fugere conentur, nempe & hi qui pauperem fraudant vt augeant sibi opes, & qui diuitibus dant munera, vt per eorum amicitiam maiora accipiant. Vtrosque enim frequenter ad egestatẽ perduci videmus, hos quidé quia cũ dando se attenuãt, spe sua quã habent in diuitibus sæpè frustrantur, illos verò quia male parta male dilabuntur, secundum nostram versionem, quæ & ipsa bene cõstat cum Hebræis, sensus est, eos qui violenter opprimunt pauperes vt ditescant, frequenter cogi vt & ipsi diuitibus multa dent, ĩsque ad inopiam perueniant. Aut dum coguntur diuitibus dare, vt illorum conniuentia aut patrocinio licentius rapiant & opprimant tenues, aut vicissim diuites potentiores iustè aut iniustè ab eis malè parta rapiũt, quemadmodum videmus principes spoliare vsurarios & raptores. Munit nos hæc sentẽtia, vt ne cum videamus malis artibus quosdam ditescere, offendamur statim, sed exitum expectemus, certóq; nobis persuadeamus non fore illis diuitias stabiles, sed auferenda aliquando quæ iniquè sunt ablata, & per eadem puniendos per quæ peccauerunt, vt est Sapien. 11. Cæterum verbum calumniatur hic accipi pro iniuria afficere non tantum verbo, sed etiam facto supra est indicatum in cap. 14. circa versum 31. inter iniuriam inferentes pauperi non tãtum censendi sunt qui vi, aperta ab iis bona ipsorum auferunt, sed & qui eos debita fraudans eleemosyna, quemadmodum plerique faciunt vt augeant sibi diuitias, à debitis cessantes eleemosynæ operibus, Mysticè iuxta Bedam calumniatur pauperẽ vt augeat diuitias suas, qui detrahit virtutibus fratris pauperis spiritu, vt per hanc vituperationem ipse diuitias quas desiderat augeat, id est, gloriam laudis humanæ maiorem quasi sanctior accipiat. Talis ergo calumniator quicquid bonæ actionis habere videbatur, amittit, & à fructu virtutum, vacuus in fine manebit.

18 *Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum, appone autem cor ad doctrinam meum.*
19 *Quæ pulchra erit tibi cum seruaueris eàm in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis.*

BENE annotauit Beda nouum locutionis genus hic assumptisse Salomonem, quòd deserto illo scribendi modo quo cœpit a cap. 10. cui pro titulo præmittitur parabolæ Salomonis, nunc redeat ad priorem loquendi modum, ita vt specialiter ad eum quem instruit verbum faciat, sicut in principio libri fecit, nec iam singulis versibus sententiam absoluat, cum quæ à capite 10. hactenus dixit, non quasi ad alium quem docebat dixerit, sed velut solus secum ratiocinando, breuibus versibus, ĩdque bimembribus fere sententiam suam absoluens. Itaque Rodulphus Baynus hic auspicatus est tertium suorum commentariorum librum, Quoniam ergo filium suum instructurus Sapiens, singularia quædam ei traditurus est præcepta, & dogmata, quibusdam sententiis ipsum excitat, ad auscultandum doctrinæ eius & sapientum, dicens; inclina aurem tuam & audi verba sapientum. Et quoniam non sufficit audire sed oportet animum etiam illis apponere. Appone, inquit, cor ad doctrinam meam, quæ scilicet consona est verbis sapientum, &

per

per quam tibi trado verba & sententias sapientum. Quoniam autem ab audiendo doctrinam sapientiæ auocantur frequenter iuuenes, eo quod eis insuauis videatur & aspera, subiicit, quæ pulchra erit tibi cum seruaueris eam in vẽtre tuo, hoc est, Quamquam doctrina mea in initio parum tibi arridebit & grata erit, tamen cum cœperis eam recondere in intimo cordis tui, eámque ruminaueris & sæpius versaueris, eius tandem virtutem percipies, eámque suauissimam & pulcherrimam esse deprehendes. Quod sequitur, & redundabit in labiis tuis, potest coniungi cum verbo seruaueris, vt repetatur coniunctio, cum, & sit sensus, cum seruaueris eam in ventre tuo, & cum deinde redundauerit in labiis tuis ad docendum alios, vt significetur tum demum pulcherrimam & iucundissimam doctrinam sapientiæ videri alicui, cum quis non solum eam in corde suo, assidua meditatione reuoluerit, sed ex plenitudine cordis alij etiam eandem effuderit, & tradiderit. Aut potest coniungi cum, pulchra erit, vt sit promissionis verbum pro seruantibus doctrinam in corde, & sit sensus: Si seruaueris eam in ventre tuo, non solum erit tibi pulchra & amœna, sed & in aliorum profectum & vtilitatem redundabit in labijs tuis. Pro illo, quę pulchra erit tibi, etiam verti potest, Quoniam iucundus eris tu cum seruaueris, &c. vt significetur eum qui recondit in animo suo verba sapientum, & simul ea labiis suis aliis aptè profert, multis gratum & vtilem futurum.

Cregor.

20 *Vt sit in domino fiducia tua, vnde & ostendam eã tibi hodie.*

APVD nos illud, vt sit in domino fiducia tua, coniungendum videtur cum præcedentibus, & maximè referendum esse ad illud, Inclina aurem tuam & appone cor ad doctrinam meam, Vt hic iam intelligatur significari finis audiendę doctrinę sapientum, nempe vt per eam auditam & obseruatam, in domino quis fidere secure possit, in quo confidere recte non potest, qui doctrinam sapientię audire, vel obseruare recusat. Et bene istud subiunxit, ne quoniã dixit, pulchram & gratam fore doctrinam sapiẽtiæ seruanti eam in corde, quis eo fine potissimum illi audiendæ intendat, vt voluptatem in animo suo & honorem apud homines ex ea cõsequatur, sed potius, vt sicut dictũ est in domino secure fidere possit, & confidenter expectare ab eo, & hic eius fauorem & auxilium in omnibus, & post hanc vitam præmia æterna. Potest tamẽ & ad uersum immediatè præcedentem referri in hũc sensum. Pulchra erit tibi cum seruaueris eam, ita vt sit in domino fiducia tua, propter scilicet obseruationem eius, atq; ex hac fiducia quam adfert sapientia, pulchra, & iucũda tibi erit. Itaque, inquit, vt per sapientiam fiduciam in domino consequaris. Et ostendam tibi hodie, hoc est, nõ satis erit mihi te aliquando instituisse, sed etiam hodie tibi ostendam disciplinam sapientiæ, hoc est, perseuerabo te docere. Melius tamen alij libri habent, ostendi tibi eam hodie, quia præteritum habent Hebræa, quæ etiã sic verti possunt vt sit plena & per se subsistens sententia. Habent enim ad verbum sic, vt sit in domino fiducia tua, ostendi tibi hodie etiã tu. Vbi illud, etiam tu imperfectam plerique putant orationem, supplendam hoc vel simili modo. Etiam tu amplectere, vel etiam tu nosti aut meministi. Vel etiam tu ostendas aliis sicut ego tibi. Sed obseruanda sunt similia loca si quæ occurrũt in scripturis. Simile enim videtur quod est in capite sequenti, Vbi Hebræa habent. Fili mi, si sapiens fuerit cor tuũ, gaudebit cor meum, etiam ego, pro quo nos habemus, gaudebit tecum cor meum.

21 *Ecce descripsi eã tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia.*
22 *Vt ostenderem firmitatem & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.*

QVOD dicit sapiens se sapientiam descripsisse tripliciter quidam dictum putant, propter tres libros ab ipso descriptos, Prouerbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum. Beda tripliciter descripsisse intelligit, quia & cogitare, & loqui, & opere sapientiam exercere toto hoc libro docuit. Alij ad verbum hæc referẽtes, vt eius sit vox, hac triplici sapientię descriptione existimant significari tres partes veteris Testamenti, legem scilicet, Prophetas & hagiographa. Nam in has tres diuiditur vetus Testamentum apud Iudæos teste D. Hieronymo. Simplicius fuerit tripliciter accipere positum pro multipliciter ac variis modis & diligenter vel frequenter, & non semel nec iterum, sed sæpius inculcãdo. Quidam vertũt Hebræa descripsi tibi perfecta, magnifica. Nã dictio, Salis, vnde est hic dictio שלשים Salischim, significat principẽ & ducem, vt quod hic dicitur, simile sit illi quod est supra cap. 8. vbi pro eo quod nos habemus, De rebus magnis locutura sum, Hebræa habent principalia, ve insignia loquar, dictione נגידים Negidim, desumpta à Negid נגיד quę principem significat. Cæterum nõ satis est sapienti dicere se multipliciter descripsisse sapiẽtiam, sed addit in cogitationibus (vt vel habent Hebræa) in consiliis, & scientia significans, se nõ temere descripsisse, sed magna cũ deliberatione ac præmeditatione & ex multa rerũ cognitione & scientia, vt & hac ratione ad percipiendam scientiam à se traditã, auditorẽ inuitaret. Addidit & finem ac fructum suæ descriptionis duplicem, vt inquit, ostenderem tibi quæ firma sunt ac certa, & eloquia vera, vtq; his cognitis respondeas ex his rectè ac debitè, illis qui miserunt te, hoc est, illis qui negotium aliquod tibi mandauerunt & commiserunt. Primum enim hoc præstat sapientiæ doctrina, vt quæ veritatis sũt ipsi cognoscamus, ac deinde vt alius ea respondere possimus. Quoniam autem non satis apte dici videtur aliquem respondere his qui miserũt eum, aut vt habẽt Hebræa, referre verba veritatis, quidam vertunt ex Hebræo, his qui mittunt ad te. Ad hoc enim percipitur sapientia, vt quis respondere possit aptè his qui mittunt ad ipsum, ad audiendum ab illo recta consilia & veritatem. Verum hæc versio non bene conuenit proprietati linguę Hebraicę, quę magis

m exigit

exigit vt vertatur ſicut nos habemus his qui miſerunt te. At his datiuus poteſt accipi vt ſit communis datiuus exponẽdus hoc modo, vt reſpõdeas veritatem, pro his & ad honorẽ ac vtilitatem eorum qui miſerunt te hoc eſt, qui negotium aliquod tibi peragendum cõmiſerunt, ſiue is ſit Deus, ſiue princeps aut Eccleſia, priuati aliqui. Ad hoc enim quis ſapientię dat operam, vt nõ ſolum ipſe veritatẽ cognoſcat, ſed & eorum nomine qui ei negotia aliqua cõmittunt, poſſit aliis verba ſapientiæ reſpondere & referre, nẽpe vt in Eccleſia recte
Eccl.8. docere poſſint Chriſti nomine, cuius legatione fungũtur prædicatores, vt in Repub. rectè ius dicere poſſint nomine principis, cuius vice funguntur ſenatores, & ſic in reliquis.

23 Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta.
24 Quia iudicabit dominus cauſam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.

POSTQVAM ad audiendam ſapientiæ doctrinam ſuperioribus quinque ſententiis filium ſuũ ſapiens inuitauit, ſubilicit nũc pleraq; inſignia ſapientiæ præcepta & maxime prohibitiua malorum, quorũ primum eſt vel maxime obſeruandum quod contra illud paſsim a pleriſque fiat. Non facias, inquit, violentiam pauperi. Quamuis enim omnis violẽtia ſit prohibita, peculiariter tamen violentiam & iniuriam quæ pauperi irrogatur prohibet, tum quod de ea magis ſit periculum, & facilius atque frequentius admittatur, tum quod illa crudelior ſit & magis inhumana, atque ob id magis diuina vltione vindicanda vt paſsim ſcriptura indicat. Ob paupertatem enim homines magis iniuriæ diuitũ obnoxii ſunt, & maximè inhumanum eſt eum, qui viribus eſt imbecillior & egenus, violentia & iniuria premere, cũ eo nomine magis ei opẽ preſtare deberemus. Illud quia pauper eſt, dupliciter accipi poteſt, Aut vt ſignificet cauſam quæ quoſdam impellit ad inferendam violentiam & ſit ſenſus. Ne ea cauſa alicui inferas vim quia pauper eſt, & ob id iniuriæ expoſitus, nec valens iniuriam repellere, cum ea cauſa te mouere deberet ad auxiliandum & defendendũ. Aut vt ſignificet cauſam quæ à vi inferẽda reuocare debet, & ſit ſenſus, Nõ facias iniuriam pauperi. Eſt enim pauper, & ob id miſericordia potius dignus, cuius afflictioni, ſi afflictionem addas, plane te crudelẽ declaras, illúmq; ad ſummã miſeriã ac deſperationem adigis. Cum autem ab omni iniuria pauperum ſit abſtinendũ, maximè ab ea quæ illis infertur in iudicio. Vnde ſubiicit: Neque conteras egenum in porta, vbi porta ponitur pro curia & loco iudicij, q̃ antiquitus apud
Deut.16. Iudæos in portis ciuitatum ius diceretur vt patet in libro Ruth, & Deuter. Vbi dicitur, Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis. Maximæ autem iniuſtitiæ eſt, eo loco abuti ad cõterendum pauperem, quo pauperes & innocentes deberent ab iniuria & oppreſſione defendi. Et tamen frequẽter id fit à diuitibus & potentioribus, qui iniuſtis criminationibus, corruptis teſtib. & nonnunquam iudicibus, impenſarum item magnitudine ac litium protractione in iudicio grauant pauperes. Cæterum poteſt hac ſententia intelligi prohiberi non tantũ violentia pauperibus innocentibus illata, ſed etiam quę illis nonnihil pro meritis inferri iuſtè poſſe videretur, videlicet ne ob mutuum, aut debitũ, vel dictum aliquod ad factũ durius tractentur, ſiue extra iudicium, ſiue in iudicio. Vnde in Exo. eſt ſcriptum, Si pecuniã mutuã dederis populo meo pauperi qui habitat tecũ, nõ vrgebis eũ quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Vt autem à violentia pauperum efficacius deterreat, ſubdit: Quia iudicabit dominus cauſam eius, hoc eſt, etſi cauſam ſuam ipſe pauper defendere in iudicio nõ poſſit, & alij eum defendere recuſarint, iudex quoq; ipſe aut muneribus corruptus, aut timore potentię diuitũ ſuperatus nõ iudicauerit cauſam pauperis pro æquitatis exigentia, ipſe dominus in ſe cauſam illam ſuſcipiet, eámque iudicabit qui iuſtus eſt iudex, nec munerib. nec timore cuiuſquam capi poteſt, cui peculiariter derelict' eſt pauper, quiq; iudex peculiariter dicitur pupillorum, viduarum & egenorum. Iudicabit autem non ſententiam tantum ore pronũciando, ſed re ipſa vindicando iniuriam pauperibus illatã, vnde ſequitur, & configet eos, qui confixerunt animam eius. Vbi notandum eſt quod pro verbo cõfigere ponitur apud Hebræos תקב Cabag, quod in Bibliis hoc tantum loco eſt & Malach. 3. vbi etiam diuus Hieronymus vertit configere & affigere. Si affiget homo Deum quia vos configitis me. Omnes autem volunt hoc verbum ſignificare rapere aut ſpoliare, quomodo. & D. Hieronymus teſtatur Symmachum, Aquilam, & Theodotionẽ vertiſſe, Habent enim μὴ ἀποστερήσῃ, num fraudat aut ſpoliat, vnde hic quidam vertunt. Et ſpoliabit animam, hoc eſt vita, ſpoliantes eos. Et eſt ſenſus optimus, quo ſignificatur Deum ablaturum vitam, ſiue temporalem quam abbreuiabit, ſiue vitam gratiæ & glorię æternę ab his qui pauperib. auferunt facultates, quod auferẽdo facultates vitam quoq; videantur auferre cũ eos ad famem extremámq; inopiam ac deſperationem adigunt. Iuxta quem ſenſum & noſtra litera commodè ſic accipietur: Dominus transfiget ſpiculis æternæ mortis & damnationis illos, qui ſagittis inhumanitatis ſuæ corda pauperum confixerunt, vt par pari referat; & qua menſura menſi fuerint, remetiatur eis. D. Hieronymus in Malachiam teſtatur verbum Hebraicum hic & ibi poſitum lingua Syrorum & Chaldæorum ſignificare affigere, atq; ſe eam ſignificationem ſecutũ, quod faceret ad myſterium dominicæ paſſionis, in qua homines affixerunt & confixerunt Deũ. Vnde & Beda hunc locũ peculiariter ad Chriſtum in cruce confixum vult pertinere. Melius, inquit, hic locus de illo intelligitur, qui cũ diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt, & nõ ſolum pauper, vt nos ditaret, ſed & vt nos redimeret, crucifigi dignatus eſt. Prohibet ergo ſapientia ſuos auditores, domino in carne prædicanti violentiam mortémque inferre, quia nimirum certus reſtat interitus ei qui in authorem vitæ manum mittere non timuerunt. Hæc ille.

Noli

25 Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo.
26 Ne forte diſcas ſemitas eius & ſumas ſcandalum animæ tuæ.

VARIIS modis conſultum eſt non inire amicitiam & familiaritatem cum iracũdis & furioſis. Primum quia cum talibus non poteſt conſiſtere amicitia, vt qui leuiſsimis cauſis offendantur. Deinde quia cum talibus
Eccle.2. conuerſari non caret periculo. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur Cum iracundo non facias rixam, & cum audace nõ eas in deſertum, quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, & vbi nõ eſt adiutoriũ, elidet ret. At hic Sapiens dehortatur à cõſortio & amicitia iracũdi, ob periculum imitationis, tum quod in iracũdo ſit frequẽs iraſcendi exemplum, tum quod iracundus, nõ ſolum ſuo exemplo pertrahat ad imitationem ſed & exhibitione occaſionis, vt qui facilè offenſus, & frequẽter iniuſtè aut non ſatis iuſtè, occaſionem frequentem præbeat iraſcendi ei qui cum ipſo degit, tũ quod hoc vitio contracto planè ineptus quis reddi tur ad amicitiam cum aliis ineundam & res magnas gerendas, vt omittã vitium illud ſemel contractum nõ facilè tolli poſſe & cum alia quidem vitia tẽpore curentur, iſtud ſemper magis creſcere & inualeſcere. Vnde bene dicit, ne forte diſcas ſemitas eius & ſumas ſcandalũ animæ tuę hoc eſt, anima tua, atque tu ipſe hinc occaſionẽ habeas frequenter impingendi, cadendi atque peccandi. Pro quo Hebræa habent, & ſumas laqueum animæ tuæ Illaqueatur enim anima peccãdi conſuetudine & malarum affectionũ pondere, ita vt ſe his explicare cũ vult nequeat, quemadmodũ aues laqueis captæ euadere non valẽt. Superius enim annotatũ eſt noſtrum interpretem vertere ſcandalum vel ruinam, pro quo alii vertunt laqueum. Cæterum ex ſubiuncta ratione patet non omnibus ſemper declinandam ſocietatẽ iracundorũ. Generaliter enim viri perfecti peruerſos fugere non debẽt, ſed cũ illis nonnunquã conuerſari, vt ad rectitudinem illos pertrahãt, a quorũ peruerſitate, & vitiis non facilè vincuntur. Vnde ad infirmiores hoc præceptũ potiſsimũ pertinet, quibus à conſpectis exemplis plus eſt periculi, vt & Beda annotauit.

27 Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis.
28 Si enim non habes vnde reſtituas, quid cauſæ eſt vt tollat operimentum de cubili tuo.

CVM vetat ne ſimus cum his qui defigũt manus ſuas, vult vt ne ſimus inter eos, & de numero eorum qui defigunt manus ſuas, hoc eſt qui ſtipulantur, & fideiubent pro aliis. Hoc enim vocat ſæpius defigere manus, vt patet cap. 6. Non vetat autem iſtud quaſi ſemper malum, ſed rãquam periculoſum. Ac quam ſit periculoſum experientia quotidiana docet, & ſapiens ipſe cum hoc loco tum aliis locis, ſatis oſtẽdit. Indicat enim fideiuſſori omnino cogitandũ eſſe de ſoluẽdo debito adeo vt etiam ſi non poſsit ſine ſuo magno incommodo ſoluere (hoc enim eſt quod dicit Ianſ. in Prouerb. Si enim non habes vnde reſtituas) expectare debeat vt creditor tollat operimentum cubjllis, vel vt habent hebræa, lectum qui eſt ſub ipſo, hoc eſt, vel vt maxime neceſſaria re debitum perſoluatur, vel pro eo ſupellex neceſſaria pignoretur; & extremam miſeriam ſponſor patiatur. Illud quid cauſæ eſt ſic debet accipi, cur eo te loco ſtatuis. cur hoc efficis; & in verbo tollat ſubintelligẽdum eſt creditor. Quidam libri habent. Vnde reſtituat, vt hæc verba referantur ad debitorem, pro quo quis ſpondet: Nã & Beda ſic legit, & interpretatur verbum tollat etiam referens ad debitorem quem intelligit tollere veſtimentum quia eius nomine tollitur. Aut legendum, Si enim nõ habes vnde reſtituas, per verba ſecundæ perſonæ ſicut habent codices emendatiores, patet ex hebræis. Cæterum non prohibetur hac ſententia omnis fideiuſsio, ſed ne quis ad fide iubendum ſit facilis, ac ne temere faciat propter imminens periculũ, quod vt timendum eſt in fideiuſsionibus temporalibus, ita multo magis in ſpiritualibus. Proinde ſecũdũ ſublimiorem intelligentiam monemur, ne faciles ſimus ad ſuſcipiendum munus alios regendi, in quo ſpondemus ac nos obſtringimus pro aliis, reddituri Deo pro eis rationem. Si enim non poſſumus ſponſioni ſatisfacere, ornatus virtutũ ſi quis nobis ſit in quo quieſcimus fouemur ac vitia noſtra tegũtur, auferentur à nobis, nudiquee, gentes ac ſaqualidi, coram Deo deprehendemur.

29 Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui.

PRO tranſgrediaris hebræis eſt transferas idem ſcilicet verbum quod eſt Deutero 19. Vbi nos legimus non aſſumes & transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in poſſeſsione tua. Idem ergo quod illo loco, hic ſapiens ad literã docet, quod & repetit capite ſequenti, videlicet ne quis exauaritia limites ſuæ poſſeſsionis & hereditatis, ad dilatandum transferat ad alium locum quã ab antiquo conſtitutum ſit, ne proximo ſuo noceat, ſed contentus ſit ſua ſorte & hæreditate quæ à patribus obuenit Vnde quod nos habemus, ne tranſgrediatis terminos, intelligendum eſt trauſferendo. Sub hoc autem literali ſenſu parabolicè intelligendum eſt ſapientẽ ſimul ſignificare voluiſſe cauendũ ne quis vel fidei dogmata ab antiquis determinata vel rectæ vitæ præſcripta a patribus laudabiliter conſtituta pro concordia & ordine ac polipia inter homines cõſeruanda, violare ac immutuare noua doctrina ac impio contẽptu præſumat. Quòd vtinam hoc noſtro ſeculo obſeruatum fuiſſet, non incidiſſemus in tantum malorum quantum patimur.

30 Vidiſti velocem in opere ſuo coram regibus ſtabit nec erit ante ignobiles.

COMMENDAT hæc ſententia diligentiam ac ſtrenuitatem in rebus geredis impleturque & apud homines per diligentiã in rebus tẽporalibus, & apud Deũ per diligẽtiam in rebus diuinis. Qui enim ſunt ſtrenui

& diligentes in negotiis ſuis temporalibus, digni ſunt qui ſtent coram regibus ipſiſque interuiant, taléſque ferè principes prudentes requirunt, atque in honore habent, nec tales decet barbaris & ignobilibus famulari. Qui etiam diuinis legibus gnauiter obſecuti ſunt, & ſumma cum diligentia munus ſibi concreditum obierunt, in die iudicij coram ſummo & æquiſſimo rege ac ſanctis Apoſtolis eius qui cum ipſo orbem iudicabunt, ſtabunt & ad dexterã collocabuntur, nec conſtituentur cum ignobilibus damnatis ad ſiniſtram iudicis.

CAPVT XXIII.

1 *QVando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam.*
2 *Et ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.*
3 *Ne deſideres de cibis eius in quo eſt panis mendacij.*

HIS tribus verſibus docet Sapiens filium ſuum quid ſit ei faciendum in conuiuiis potentum. Dupliciter autem potiſſimum hic locus intelligitur. Sunt enim qui primis duabus ſententiis intelligunt ſapientem monere, vt inuitati ad principum conuiuium circunſpecti ſint in loquendo ac reſpondendo principibus, ne quid temere dicendo incidant in ignominiam, aut in periculũ aliquod ac perniciem. Itaq; quod dicitur diligenter attende quę poſita ſunt ante faciem tuã, ſic intelligunt, Diligenter conſidera quæ tibi à principe proponuntur, quæ à te quæruntur, vt eis nõ temerè reſpondeas, ſed prudenter & circunſpectè. Quod ſequitur & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſic accipiũt veluti cultro gutturi infixo, cohibete à verborum petulantia, & imprudentia, ita vt & parcus ſis in loquendo, & prudens. Et quia id præſtari non poteſt, niſi quis ſibiipſi imperare poſſit, & ſe continere, ſubiicitur ſi tamen habes in poteſtate animam tuam. Alij melius intelligunt hic ſignificãri cauendum in conuiuiis principum maximè ab intemperantia & crapula, quod in eis ob ciborum lautitias, & copiam omnium rerum maximè ſit periculum intemperantiæ, quodque in eis per intemperantiam non ſolum in dedecus ſummum, ſed & in perniciem homo incidere poſſet, ſi ſcilicet vel dicto vel facto aliquid cõmittat principe indignum, ob quod grauiter ſit puniendus. Quod ergo dicitur diligẽter attende quę poſita ſunt ante faciem tuam, ſignificat, habendam rationem eorum quæ in menſa ſunt propoſita, ac naturam eſculentorum & vini puriſſimi conſiderandam, videndum ſcilicet quam multa & quam delicata ſint appoſita, vt ne delitiis ac multitudine appoſitorũ quis ſeductus exorbitet à rectitudine & probitate vitæ, ſicque & in dedecus & in periculum aliquod incidat. Ad quod magis perſuadẽdum ſubditur. Et ſtatue cultrum in gutture tuo, quo parabolicè ſignificatur cohibendum appetitum, & veluti cultro gutturi immiſſo refrenandam immodicam appetentiam rerum appoſitarum, nec cultro abutendum ad quæuis edulia diſcindenda & manducãda, ſed potius gutturi infigendum. Ad hęc ſignificanda iſta dici oſtendit tertia ſententia quæ ſequitur, Ne deſideres, immodicè ſcilicet & intemperãter de cibis eius in quo eſt panis mẽdacij. Pro quo Hebræa habent, & ipſe eſt panis mendacij, vel, hoc eſt enim panis mendacij, vel cibus mendacij, vel mendax & fallax. Redditur enim cauſa quare eius cibi, vel vt habent Hebræa delitiæ eius, magnopere deſiderari non debeant, nempe quia cibus ille fallax eſt, & facilè imponit gulоſis vt plus ſumant quàm honori, & ſaluti conueniat, cum dedecore & ſalutis periculo ſeſe grauantes. Proinde apud nos illud, in quo debet accipi pro in cuius cibis, hoc eſt, cuius cibi ſunt panis mẽdacij, hoc eſt, cibi fallaces hominum ad intemperãtiam pertrahentes. Non enim in homine eſt panis mendacij, Pro illo, ſi habes in poteſtate animam tuam. Hebræa habent בעל נפש Baal nephes, quod dupliciter accipi poteſt. Aut vt ſignificet dominus animæ hoc eſt deſiderij. quod ſecutus eſt interpres noſter, Aut vt ſignificet eũ qui habet deſideria eiſq; tenetur, & obnoxius eſt, quomodo c. ſuperiori, pro homine iracundo. Hebræa habent בעל אף Baal Aph, hoc eſt, vir qui iræ eſt obnoxius atq; ab ira tenetur. Itaque vertũt pleriq;, ſi ribi eſt appetẽtia, aut ſi concupiſcentię es deditus, vt ſit ſenſus, ſi appetitu immoderato feraris ad cibũ & potum in cõuiuiis principum ſplendidioribus, cohibe illum vel cultro gutturi immiſſo. Sunt qui ſecundum hanc partis iſtius acceptionem vertunt non, Et pone, Sed & pones cultrum in gutture tuo, & intelligunt ſignificari illum exponere ſe graui periculo, & veluti cultrũ gutturi ſuo infigere qui deditus eſt cõcupiſcentiæ, & dum auide cibum potúmq; ingurgitat, non tam cibum in gutture accipere quàm cultrum qui illud ſtrangulet & ſuffocet propter morbos ſcilicet, qui ex crapula oriuntur. Aut etiam quia per ebrietatem aliquando principibus quædam detegantur in cõuiuiis quæ pernicię deinde conuiuiis adferant, vnde principium menſam quidam intelligunt hic dici panem mẽdacij, quod ea principes aliquando abutantur ad expiſcandum ex cõuiuiis quædam eóſq; fallendum. Et hæc quidem quod attinet ad literalem ſenſum dicta ſint. Quib. eſt ſimile quod eſt in Eccleſiaſtico: Super menſam magnam ſediſti, ne aperias ſuper illam faucẽ tuam prior. Non dicas multa ſunt, quæ ſuper illam ſunt. vt ſcilicet te ob epularum copiã ingurgites. Iuxta ſenſum myſticum ſedet cum principe comeſturus panem, qui ad mẽſam dominicam, variis ſcripturarũ epulis, & ſacramentorũ dapibus, præſertim pane corporis dominici & poculo ſanguinis Ieſu Chriſti accedit. Ad quam mẽſam quicunque accedit, iterum atque iterum expẽdere debet quid ei appoſitum fuerit, vt ne indignè tractet quæ ſunt appoſita, nec plus ſumatquam conuenit. Sunt enim, vt experię tia docet pleriq; è vulgo maximè qui de ſcripturis vberiorem ſibi vendicant intelligentiam & plus noſſe deſiderant quam eis vel cõuenit vel expedit, nõ ſeruantes illud Pauli Dico vobis nõn plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem & vnicuique ſicut Eccl. 13.

ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. His ergo dicitur vt ſibi imperent ac appetitum immodicum cohibeant, quod ſignificatur, cum dicitur, Statue cultrum in gutture tuo. Quod Beda ſubtilius accipit, vt ſignificetur quãta cum diſcretione diuina ſint tractãda eloquia, Guttur namque, inquit pro loquela poſuit, quia vox in gutture eſt: cultrum pro diſcretione quia cibo cum reficimur cultro ſecante præparamus. Et ſedens vt comedat, cultrũ in gutture ſuo ſtatuit, quando is qui diuina ſedulus meditatur eloquia, diſcreta ex ore verba depromit. Hæc ille. Similiter ſunt qui menſæ corporis domini indignè ſe ingerunt, non diiudicantes corpus domini, quibus ne perniciem ſibi aſciſcant & iudicium ſibi manducent, præcipitur vt ſeipſos probent ac cibum propoſitum diſcernant, & potius abſtineant quàm indignè manducent. Iam quæ ſequitur tertia ſententia ſeorſum accipi debet, vt poſtquam dictum eſt quomodo ſacra menſa tractanda ſit, moneatur cauenda doctrina hęreticorum, quicum videantur opiparum ac delicatum parare conuiuium, ex ſcripturarum epulis multa loquentes, mendacij & erroris doctrinam apponunt. Non ergo, inquit, cõcupiſcas quicquã ex cibis eorum, quãlibet opipare verborum lenociniis cõditis, cum inter eos ſit panis mendacij, hoc eſt, doctrina quã non agnoſcit Eccleſia columna veritatis, doctrina ſcilicet falſa, quæque dulcedine ſua fallere auditores ſuos conſueuit. Interpretes 70. hunc locum multo aliter verterunt; Habent enim ſic, Si ſederis cœnare ad menſam potentis, conſiderans intellige quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam ſciens quia te talia oportet præparare, &c. Quibus verbis ad literam docemur, non ſectandas menſas magnatum quòd viciſſim ſimilibus ſumptibus ſint excipiendi, cum magno rei familiaris detrimento & inopiæ periculo. Vnde in Eccleſ. Sapiens docet. Pondus ſuper ſe tollit, qui honeſtiori ſe communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris. Et poſt pauca: Confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat bis & ter, & in nouiſſimo deridebit te, &c. Rectè ergo cecinit Horat. Dulcis inexpertis cultura potẽtis amici. Expertus metuit D. Ambroſ. hunc ex Prouerbiis locum ſecundum translationem 70. adducit in commendationem referendæ gratiæ & beneficij accepti. D. Auguſt. hanc verſ. 70. ſecutus myſticè eã tractat ſuper Ioan. trac. 47. & trac. 84. vbi ediſſerẽdo locum illum, Maiorem hac dilectionẽ nemo habet &c. ſic habet: Quæ menſa eſt potentis, niſi vnde ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eã ſedere niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum ſciens quia talia te oportet præparare, niſi quod iam dixi, quia pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere. &c.

Eccl. 30.

Ambr. li. 1. offic. c. 13.

Auguſt.

4 *Noli laborare vt diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum.*

HAc ſententia & ſequenti dehortatur ab immodico diuitiarum appetitu. Itaque dicit, Noli laborare vt diteris, vbi notandum quod laborem non prohibeat omnẽ, ſed eum qui fiat intentione diuitiarum comparandarum. Laborandum enim eſt ob neceſſaria & commoda vitæ, iuxta illud Pauli. Qui non vult operari, non manducet. Quamquam quod hic dicitur, noli laborare non de labore corporali potiſſimum ſit accipiendum, ſed de induſtria, diligentia ac ſolicitudine, vt ſit ſenſus, Noli anxius & ſolicitus eſſe, vt diuitias conſequaris, ne labora diteſcere. Secundam partem ſententiæ Hebræa ad verbum ſic habent; ab intelligentia tua deſine vel ceſſa. Et eſt ſenſus., Ceſſa ab hac tua intelligentia, ac prudentia, diuitias comparandi. Proinde quod noſter vertit, ſed prudantiæ tuę pone modum, etiam accipiendum de prudentia & induſtria qua vtuntur homines in conquirendis opibus. De qua Saluator: Filij huius ſeculi, inquit, prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. 1. Theſſ. 5. Luc. 17.

5 *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non poteſ habere, quia facient ſibi pennas ſicut aquilæ, & volabunt in cœlum.*

HEBRAEA ad verbum habent. Num volare facies oculos tuos in illud & non erit, quia faciendo faciet ſibi alas vt aquila & volabit in cœlum. In hebræo ergo non ſatis conſtat de qua re loquatur, tamen quoniam ſuperiori verſiculo de diuitiis locutus eſt ſapiens, & hic verſus veluti cauſa ſuperioris ſubiectus videtur, etiam hunc omnes de diuitiis intelligũt interpretes, vt cum dicitur, in illud, ſit ſenſus nempe vt diteſcas. Et vt ſententiæ intelligentiam & vim aſſequamur, intelligendum eſt. Volandi verbum & oculis auari & ipſis diuitiis tribui, de quibus loquitur tanquam de rebus animatis per proſopopœiam. Et oculos quidem ſuos faciũt volare ad opes, qui inſatiabili habendi deſiderio flagrãt nihil aliud reſpicientes, omnẽm cogitationem dirigentes eo vt diuitias habeant quicquit videt concupiſcentes aſſequi. Quibus frequenter contingit quod his qui ſolo viſu velint aues capere, & viſu tantum aues volantes perſequuntur. Sieut enim illæ longius volando, elabũtur quam quis poſſit etiam oculis aſſequi, ita & opes veluti aſſumptis alis aquilinis frequenter fugiunt eos qui illas ſectantur, potiſſimũ qui ſolo deſiderio eas ſectantur, interim ignaui nec vllan honeſtam artem exercentes per quàm diteſcere queant. Sicut enim arte opus eſt vt aues capiãtur, ita & in acquirẽdis opibus multũ valet induſtria, quamquam & hæ temere pleriſque videantur accedere atq; ab aliis vel de induſtria & ſua ſpõte recedere, quantumuis ad eas obtinendas laborent. Ex his patet interpretem noſtrum bene ſenſum reddidiſſe, cum vertit, Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere. Facere enim volare oculos ad opes, non eſt aliud quam erigere oculos ſuos ad eas. Cum ergo variæ ſint cauſæ per quas in ſcripturis homines auocantur ab auaritia & concupiſcentia oculorũ, Sapiens hic eam cauſam adfert, quod frequẽter

fugiunt diuitiæ ab eis qui eas summè desiderant,auium instar, & diuinitus cõtingunt his qui eam non admodum sectãtur,vt vanus sit labor eorum qui anxiè eas concupiscunt. Docet ergo quémq; sua sorte contentum esse debere, nec concupiscentiam quæ in oculis est ad opes quas Deus non concedit,excitandã, quia sicut dicit Propheta,Nisi Dominus ædificauerit domum,frustra laborauerunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere scilicet nisi Deus aspiret & faueat. Ad eluPsal.126. cidationem huius loci facit, quod est Eccles. 11.vbi etiam à diuitiarum studio dehortatur Eccl.11. Sapiens,dicens: Si enim secutus fueris non apprehendes,& non effugies si præcurreris, significans diuitias nõ contingere sectantibus eas,& contingere non sectantibus sed fugientibus,quod in sequentibus declarat subiiciẽs: Est homo laborans & festinans & dolens impius & tanto magis non abundabit. Ex prædictis patet quod dicitur, Facient sibi pennas, non referendum ad oculos, vt quidam interpretantur,sed ad opes. Secundum mysticum sensum Beda his duobus versibus intelligit prohiberi immodicum scientiæ desiderium quo hodie plerique tenentur, vt cum dicitur, noli laborare vt diteris significetur prohiberi ne diuitias scientiæ vltra mensuram nostræ capacitatis quæramus. Et similiter secundo versu intelligatur, ne erigamus mẽtem nostram ad perscrutãda diuinitatis archana quæ penetrare non possumus,cum hęc cœlestibus solũEccle. 3. ciuibus pateant,iuxta illud: Altiora te ne quæsieris,& fortiora te ne scrutatus fueris.

6 Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius.

7 Quoniam in similitudinem arioli & coniectoris æstimat quod ignorat, Comede & bibe dicet tibi, & mens eius non est tecum.

8 Cibus quos comederis euomes, & perdes pulchros sermones tuos.

PRO homine inuido, Hebræis est malus oculus oculo, vel malus oculus sed vt dictũ est cap.superiori,bonus oculo Hebræis dicitur homo liberalis, malus oculo homo parcus & inuidus,quomodo & in Euangelio dici
Mart. 18. tur. An oculus tuus nequam est,hoc est,inuidus,séque crucians alterius fœlicitate. Vnde non malè vertit interpres,cũ homine inuido. Quæ tamen versio ansam dedit quibusdã hũc locum malè intelligendi. Nam sunt qui intelligunt sapientem hic monere, ne quis comedat cum homine inuido,hoc est,cum eo qui felicitati alterius inuidet, etsi amicitiã vultu & cõuiuio simulet, quod periculum sit ne in conuiuio tali ab inuido homine lædatur cibo intoxicato, aut potu obruatur in dedecus & perniciem suam. At hæc sententia est aliena à mente sapientis, qui potius vult declinanda conuiuia auarorũ & parcorum, qui quamuis verbis simulent se suis conuiuiis fauere apposítum cibum ac potum, animo tamen cruciãtur cum vident illos edentes & bibentes. Huiusmodi quoque dicuntur esse mali oculi,aut habere malum oculum,quod torqueantur videntes alios ex suis bonis refici,& ideo inuidi etiã dici possunt,quod non faueant conuiuiis suis refectionem & gaudium. De huiusmodi etiam dicitur in Ecclesiast. Postquã enim etiã ibi Sapiens docuit quomodo quis se gerere Eccle.32. debeat in mensis magnatum,quod & hic dictum est, subiicitur quomodo apud inuidos, sordidos & parcos se in conuiuiis eorũ gerere debeat,dicens: Memento quoniã malus oculus, nequam. Nequius oculo quid creatũ est? Ideo ab omni facie lachrymabitur. Cum videris ne extendas manum tuam prior,& inuidia contaminatus erubescas. Qua vltima parte,significatur in mensa parci non extendendam manum,eò quòd ille respicit,vt apertius est in Græcis,ne in inuidiam parci quis incidat. De huiusmodi ergo sordidis hominibus intelligendus est hic loqui Salomon, cum dicit: Ne comedas cum homine inuido,& ne desideres cibos eius. Quod autem sequitur,quoniam in similitudinẽ arioli & cõiectoris æstimat quod ignorat,& per se obscurum est,& non videtur facilè quomodo cum Hebræis aut Græcis aliquid habeat simile. Sed & Hebræa hoc loco valde sunt obscuta. Ponitur enim hic verbũ שער Schaar,quod variè accipitur à diuersis, sunt enim qui mensurare interpretãtur, quia nomen Schear mensuram significat, vt significetur hic sordidũ apud se præscribere mensuram exiguam, quàm si quis bibendo aut edendo excedit, ægre fert, etiamsi dicat, edo & bibe. Aut quod mẽsuret ac numeret,quod editur ac bibitur. Alij sordes animi ipsius auari putant significari. Plures tamen interpretantur æstimare & cogitare, vnde ad verbum hebræa habẽt. Quoniam sicut æstimauit (vel coniectauit) in animo suo sic est. Quod interpres noster sic videtur intellexisse, quasi significatum sit auarum sibi persuadere omnino ita esse,sicut in animo suo æstimat & cogitat,vnde explicandi gratia de suo quædam adiiciens, vertit: Quoniam in similitudinem coniectoris & arioli æstimat quod ignorat. Quemadmodũ enim illi frequenter sibi persuadent quod non est & quod ignorant:ita & auarus. Putat enim alios eiusdem esse ingenij, cuius est ipse,cũ ex se alios metiatur,vt quemadmodum ipse nõ ex animo fauet conuiuiis mensam, etiamsi verbis contrarium simulet: Ita etiam conuiuas putat non ex animo loqui iucunda & amica verba quæ cum eo proferunt. Vnde subditur, Comede & bibe dicet tibi, & mens eius non est tecũ,hoc est,animo tibi non fauet quod offert. Et sequitur, cibos quos comederas euomes & perdes pulchros sermones tuos, hoc est, insuaues tibi erunt apud sordidũ epulæ,ac vbi illius sordes aduerteris,displicebit tibi illius mensa,adeo vt velis te euomere posse cibos comestos. Et peribit tibi omnis sermonis & confabulationis elegãtia quæ solet in cõuiuiis adhiberi,quæ nõ cõmouet auarum ad animi iucunditatem. Nihil proderit tibi quicquid pulchrum in conuiuio apud eum locutus es vel laudãdo eius dapes vel agendo ei gratias, aut denique quicquid pro more in mensa locutus es. De inuido &
Eccle.14. parco quædam dicuntur Ecclesiastici 14. quæ faciunt ad præsentẽ locũ, Qui sibi nequã est, cui alij bonus erit? Et nõ iucũdabitur in bonis suis. Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hęc

& hæc est redditio malitiæ illius,& si bene fecerit non volens facit, & in nouissimo manifestat malitiam suam. Et post pauca, Et in tristitia erit super mensam suã. Cæterum quod noster vertit cibos quos comederis euomes, & perdes,&c. quidam vertunt ex Hebræo per imperatiuos. Euome & perde, & putant esse verba inuidi & sordidi hominis, ita cogitãris in corde suo,quod non responderis eius exterioribus verbis, Vtinam euomeres quæ de cibis meis voras sicut perdidisti suauia tua verba quæ locutus es,quia cor meum nõ aduertit ad ea. Alij putant esse verba Sapientis iubẽtis hyperbolico sermone euomere quod è mensa sordidi comestum est,hoc est,pœnitere quod comederit. Iuxta mysticum sensum qui literali iam dicto sensui conueniat, rectè per inuidum istum & parcũ diabolum intelle xerimus nostræ saluti inuidentem,qui etsi fauere nobis videatur,dum ad mundi voluptates nos inuitat, animo tamen est à nostra fœlicitate alieno proinde monetur non desiderare ex cibis eius,hoc est,ex voluptatibus huius mundi,ad quas pertrahit, quod si fecerimus,euomendum aliquando erit quod sumpsimus, siue nunc per pœnitentiã, siue postea per pœnã. quando tantũ dabit quisque pẽnarũ quantũ se delitiis intemperatè immerserit. Beda de hæreticis intelligit qui doctrinam suam aliis impertiunt, & ad eam inuitãt non quod eis bene velint, sed quod humanã laudem quærant. Horum doctrina qui delectatus fuerit, & ipse cogetur euomere quod ab eis sumpsit,& perdet pulchra verba confessionis fidei catholicæ, aut sermones quibus eis prædicantibus fauit,applaudendo eis.

9 In auribus insipientum ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui.

HOc est quod dominus in Euangelio pa-
Matt7. rabolicè, incũdius dicit, Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,ne forte conculcent eas pedibus suis,& conuersi dirumpant vos. Despiciunt autem doctrinam sapientum insipientes,tum quod contraria sit eorum affectibus tum quod eam non intelligant. Ferè enim contemnuntur quæ non intelliguntur.

10 Ne attingas paruulorum terminos, & agros pupillorum ne introeas.

11 Propinquus enim illorum fortis est, Et ipse contra te iudicabit causam illorum.

PRIMA pars prioris sententiæ apud hebræos planè eadem est cum eo quod est apud hebræos capite præcedenti vbi nos habemus,ne transgrediaris terminos antiquos, vtrobique enim est. Ne transferas terminum seculi, hoc est terminũ antiqui temporis. At noster interpres hic videtur legisse nõ עולם Olam quod significat seculum,vel æternum, sed עול Vlim, vel Olim ab עול Vl, quod puerum significat. Itaque secundum Hebræorũ lectionem docetur,quod quemadmodũ non licet trãsferre terminos antiquos, ita nec introire in agrum pupillorũ ad iniuriam inferendam. Secundum nostram lectionem prohibetur ne attingantur termini paruulorum, orphanorum scilicet ad transferendum eos, & dilatandum proprios, agros, Aut ne attingantur limites,hoc est,agri paruulorum, nec pupillorum agros quis ingrediatur ad inuadendum scilicet eos & occupandum, aut ad metendum & colligendum fructum eorum. Id cum generaliter sit de omnium agris prohibitum, tamen in specie de agris paruulorũ & orphanorum potissimum prohibet, quod hi violentiæ & iniuriæ magis sint expositi, sicut supra speciatim prohibuit ne fieret violẽtia pauperi subiiciens etiam hic simílem causam. Propinquus enim illorum fortis est. Vbi pro propinquus, hebræis est dictio גאל Goel quæ proprie redemptorem significat & vindicem,quemadmodũ hic omnes vertunt quomodo & Ieremiæ 50. noster interpres in eadem sententia de Deo vertit, redemptor eorũ, vt & aliis multis locis. Frequenter tamen hæc dictio pro propinquo accipitur & vertitur,idque ideo quia vt præcipitur Leuitici 25. cum quis attenuatus apud Israelitas vẽdiderat possessionem suam, is qui ei erat propinquior, poterat redimere quod venditũ erat. Vnde factum est vt propinquior ille qui ius habebat redemptionis, diceretur גאל Goel, hoc est,redemptor, pro quo noster interpres & illo loco Leuitici,& in lib. Ruth. cap. 3. & 4. sæpe vertit propinquus. Nã quum dicit Ruth ad Booz: Expande pallium tuum super ancillam tuam,quia propinquus es, Et cum Booz dicit, Nec abnuo me propinquum, Et capite sequenti,cumque vidisset propinquum præterire,semper est dictio גאל Goel quę recte proprie significat. Itaque quia hic de agris est sermo qui pupillis eripiuntur ab impiis,& cõtra illos à Deo defenduntur, bene Deum vocat interpres propinquum pupillorũ, talem scilicet qui eorum agros tueatur,vindicet ac redimat è manibus vendicantium illos iniustè. Non ergo hic dominus dicitur propinquus pupillorũ, quia prope illis adest, iuxta illud: Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt Psal.33.
corde,sed quomodo consanguineus alicuius ac frater dicitur illius propinquus. Quoniam ergo mundus iudicat pupillos carere, vt patre ita defensore & vindice, atque ob id etiã eos per se ad defensionẽ infirmos audacter inuadit,sapientia vt ab iniuria hac deterreat, Propinquus,inquit, eorum ac redemptor & vindex fortis est,nec derelinquet eos,sed ipse iudicabit causam illorum. In mystico sensu rectè intelligitur hic locus de paruulis illis, de
quibus Dominus in Euangelio: Abscondisti Matt.11.
hæc à sapientibus & reuelasti ea paruulis. Et de quibus Paulus. Malitia paruuli estote. Item de pupillis qui non vocant sibi iuxta Christi 1.Cor.14.
præceptum patrẽ in terris,nec sectantur consolationem huius mundi,deserti ab eo. Quorum terminos & agros qui ingrediuntur & inuadũt,à domino illorum vindice iudicabũtur. Sunt autem eorum termini atque hæreditas,Ecclesia,scriptura,& ecclesiastica sacramenta, quæ impiè hęretici inuadunt aliena sibi vendicantes.

12 Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.

HEBRAEA non habent ingrediatur,sed adhuc,hoc est,adhibe doctrinę cor tuũ, hoc est,mentem tuam,quanquam eodem redit sensus. Si enim adducitur & adhibetur cor doctrinæ & eruditioni,ingreditur vtique & accedit cor ad eam,quod nõ est aliud quã cor suscipere doctrinam, ac verba scientiæ quærenda & sectanda ex animo. Item quod quisque regimen habeat & dominium cordis sui,quodque expectare non debeat vt ad doctrinam suscipiendam cogatur, sed vt vltro eam amplectatur & quærat. Repetit hanc monitionem frequenter Sapiens post quædam Sapientiæ præcepta,vt intelligamus, ea aliter præstari non posse,nisi quis & cor & aures accommodauerit.

13 *Noli subtrahere à puero disciplinam,si enim percusseris eum virga,non morietur.*
14 *Tu virgo percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.*

POSTQVAM superiori sententia monuit iuniores vt suscipiant auribus & corde doctrinam sapientiæ, tunc monet præceptores & parentes sui officij,sciens rarissimos esse iuniores qui sese vltro sapientiæ addicunt, quoniam vt dixit capite superiori,stultitia colligata est in corde pueri. Noli,inquit,subtrahere à puero disciplinam, hoc est, noli sic diligere filium vt eum castigari, aut castigare nolis. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Quod dupliciter accipi potest. Aut vt significetur puerum non ideo moriturum, aut gratia quędam passurum si castigatus fuerit,moderatè nempe virga flexili,quæ pueris conuenit,nec facilè corpori nocere potest. Aut potius vt significetur per moderatã castigationẽ puerum euasurum mortẽ,nempe quia per illã melior factus non merebitur postea mortem, siue temporalem, ad quam per flagitia sua nonnunquam deueniunt,qui prius à parentibus virga dignè correcti non sunt, siue æternam quam incidunt postea,dum ex paruis malis à quibus nõ corrigũtur, perueniũt ad maiora flagitia. Hunc posteriorem sensum esse conuenientiorem indicat sequens sentẽtia. Tu virga percuties eum, & animã eius de inferno liberabis. Cui sensui conuenit quod de quodam fertur adolescẽte,materna, vt fit indulgentia corrupto, qui cum duceretur ad supplicium,exclamauit, Non prætor,sed mater me mea ducit ad supplicium.

15 *Fili mi si sapiens fuerit animus tuus,gaudebit te cum cor meum.*
16 *Et exultabunt renes mei cum locuta fuerint rectum labia tua.*

POST sermonem de correptione filij Sapiens his verbis ostendit quanto filium suum prosequatur amore, quodq; castigationem eius non alia de causa imperet,quam in bonum ipsius,nempe vt sapiẽs fiat,seque sua oblectet sapientia: Et videri potest hæc verba Salomonem dicere in persona patris filium suum castigantis,indicantis his verbis se filiũ castigare ex dilectione, ex imitatione patris cœlestis,qui quem diligit castigat & flagellat, omnem filium quem recipit. Pro animus, in priori sententia Hebræis est cor,eadem scilicet dictio quę in secundo membro, vt sit ad verbum,Si sapiens fuerit cor tuum,gaudebit cor meũ, quãquam id ad gratiã magis faciat quã ad sensum. Nec est gaudebit tecum cor meũ, sed gaudebit cor meũ etiã ego. In quo explicãdo quidã mirè philosophãtur. At simplicius videtur esse phrasis hebraica qua significetur cor meũ iniquũ & nõ tantũ tuum, vt repetitio sit confirmãdi causa,vt capite superiori. Hebræa habent,ostẽdi tibi hodie etiã tu,pro eo,quod est tibi sane ostendi, tibi, inquã,ad maiorẽ emphasim. Proinde bene noster vertit gaudebit tecũ cor meũ. Duo autẽ à filio pater requirit. Primum vt sit cor eius sapiens, asserens hoc sibi allaturum cordis gaudium. Secundo vt labia eius loquantur,quod rectum, æquum & bonum est asserens hic renes eius exultaturos,hoc est, magno se gaudio perfundendum,ita vt interiora sint gaudio commouenda. Multum enim est si non solũ sit corde sapiens filius, sed & ore nouerit eloqui quæ recta sunt, hoc est si bene, & bona loqui didicerit, si alios quæ recta sunt docere possit. Mystícé sapiens corde est filius qui corde rectè credit, labia eius loquũtur rectum cum & ore fidẽ cordis rectè cõfitetur. Corde enim, inquit Paulus creditur ad iustitiam,ore autem fit confessio ad salutem. Quod si confitearis in ore tuo dominum Iesum & in corde tuo credideris, saluus eris, gaudebitque super te mater Ecclesia. Rom.10.

17 *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore domini esto tota die. Quia habebis spem in nouissimo & præsolatio tua non auferetur.*

VERBVM æmulari, significat nonnunquam imitari,vt cum dicit Paulus,bonũ æmulamini in bono semper. Vnde iuxta hãc significationem quidam intelligunt priorem versum, vt sit sensus,cor tuum non imiretur peccatores. Verum non puto verbũ Hebraicum קנא Cana correspondens verbo æmulari,facilè in hac significatione reperiri,vt significet imitari,sed potius inuidere,aut vt generalius dicatur odio,inuidia, vel magno amore alteri affici,aut in illum concitari & commoueri. Vnde sensus huius loci est: Ne inuideas peccatoribus suam fœlicitatem,nec cõtra eos concitetur cor tuum,ita vt vel ob eorum prosperitatem cõtra Deum murmures, vel ad imitandum eos viamque veritatis deferendum commouearis,sed contra etiamsi videas eorum temporalẽ fœlicitatem, tu tamẽ tota die,hoc est, semper & assiduè persiste in timore domini. Hæc monitio valde necessaria est iustis,maximè infirmis, vt quibus prosperitas stultorum semper magno fuit scãdalo, ita vt in eorũ persona dicat Propheta: Mei autem pene moti sunt pedes, pacem peccatorum videns. Ideoque hanc monitionem prolixè prosequitur idem Propheta dicens Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatẽ. Et noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua,in homine faciente iniustitias. Desine ab ira & derelinque furorẽ,Noli æmulari vt maligneris,&c. Subiũgitur autem Galat.4. Psal.72. Psal.36.

autem hic & causa,quę in eo Psalmo prolixè tractatur, Quia habebis spem in nouissimo, Pro quo Hebręa habent ad verbum, Quia vtrè est nouissimum. Vocatur autem nouissimum Hebraica phrasi merces operis, & id quod tandem homo consequitur fructus & commodi: vnde cum Psalmo prædicto nos legimus,Custodi innocentiam & vide æquitatẽ,quoniam sunt reliquiæ homini pacifico Iniusti autem disperibunt simul reliquiæ impiorum peribunt,vtrobique pro reliquiæ est dictio hoc loco posita significans nouissimũ אחרית Acharith,& significatur neminem iustum habiturum post hanc vitam aliquid reliqui & mercedis,iniusto nihil reliquum fore, nihil super futurum bonorum. Ita & hic dicitur,Reuera tibi persistenti in timore domini est nouissimum quoddam,hoc est, spes quædam certa mercedis tibi in futurũ repositæ aut merces ipsa tibi in nouissimo danda. Vnde nõ malè sensum reddidit noster interpres Quia habebis spem in nouissimo,hoc est,perperseuerãtiam in timore Dei erit & crescet inte spes in illud quod tãdem assequeris. Aut habebis in nouissimo,hoc est, tãdem in exitu tuo id quod modo speras,vt spes pro re sperata accipiatur. Aut cum iam tibi erit discedendum,habebis bonam spem,decedẽs cum spe bona & id quod es præstolatus non auferetur à te non frustraberis tua expectatione, sicut frustrabuntur impij.

19 *Audi fili mi, & esto sapiens & dirige in via animum tuum.*

NOVA mãdata superioribus appositurus rursum ad audiendum sapientiam inuitat. Est autem in hac sententia rectus ordo obseruatus. Primum enim est vt quis audiat recta & salutaria monita. Secundum vt per audita fiat sapiens, ac postremum vt sapientiam sequatur opus. Vnde tertio dicit,Dirige in via animum tuum,vel,Cor tuum, hoc est, fac vt rectè incedat. Fac vt in conuersatione tua rectè ambules.

20 *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in concessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.*
21 *Quia vacantes potibus & dantes symbola cõsumẽtur, & vestietur pannis dormitatio.*

SALVBRIS admodum monitio, & iuuenibus potissimum necessaria, qui ex ipsa eorum natura, maximè ad luxum & otium proni sunt, seséque mutuo ad ebrietatem & comessationes inuitare solent, magnum sibi ad percipiendam sapientiam per hoc obstaculum præbentes, ac dedecus simul & inopiam conciliantes. Est autem hæc monitio lõgè & breuior & elegãtior apud Hebræos, qui habẽt ad verbum,Ne sis inter potatores vini, inter helluões carnis,Quia potator & helluo depauperabitur, & laceris vestiet sopor. Eadẽ ergo est dictio quam interpres in priori versu vertit,qui carnes ad vescendum cõferunt. & in posteriori dantes symbola. Proinde per dantes symbola non significat eos qui in cõuiuiis exsoluunt quod quisque debet, pro portione expensarũ,sed quos in priori versu dixit conferre carnes ad vescendum Symbolum enim dictio Græca collatio dicitur,vnde dare symbola hic dicit qui simul ad vnum conuiuium carnes conferunt,qui scilicet nõ contenti sunt simplici apparatu, sed ad copiam conuiualem instruendam singuli suam portionem adferunt,vt variis epulis inexplebilem suam gulam nutriant. Tales dicit consumendos,paupertate scilicet & inopia, quæ luxum consequi solet. Et quoniam curam vêtris, & ebrietatem & crapulam sequitur otiũ acsomnus multus. paupertatem etiam hinc tribuit,subdens: Et vestietur pannis dormitatio,hoc est,homo qui dormitationi,quæ crapulam sequitur,deditus est, vestietur pannis, laceris scilicet ac vilibus. Sic enim hic pannis vestiri positum est, sicut Latinè dicimus hominem pannosum. D. Gregor. lib. 14. Moral. c. 25. locum hunc mysticè accommodat ad detractores. exponens enim illud Iob. Et carnibus meis saturamini sic habet: Sciẽdum quoque est quod hi qui alienæ vitæ detractione pascuntur,alienis proculdubio carnibus saturantur. Vnde per Salomonem dicitur: Noli esse in conuiuiis potatorum, neque comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt. Carnes quippe ad vescendum conferre est in colloquutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere,de quorum illic pœna mox subditur. Quia vacantes potibus & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Potibus vacant qui de opprobrio alienæ vitæ se inebriant. Symbolum verò dare est sicut vnusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus & dantes symbolum consumentur, quia descriptum est, omnis detractor eradicabitur. Vestietur autem pannis dormitatio quia despectum & inopem ab omnibus bonis operibus mors sua inuenit quem hic ad alienæ vitæ exquirenda crimina,detractionis suæ languor præoccupauit: Hæc ille, quæ & Beda hinc mutuatus est in suis commentariis. Gregor

22 *Audi patrem tuum qui genuit te & ne contemnas cum senuerit mater tua.*

QVONIAM à consortio ebriosorum facilè sẽparabunt ur iuuenes si parentes suos audire velint quibus filiorum ebrietas & luxus maxime displicere solet, bene subiicit. Audi patrem tuum & quo id magis persuaderet,addit qui genuit te, vt eius beneficij consideratione filius intelligat sibi patrem audiendum,vt à quo habet quod sit, quique nõ potest non ipsi bene velle. Et quoniam iuuenes matrum salutaria monita contemnere solent maxime cum senuerint, quasi per sexum & ætatem non sapiant,nec videant quæ sunt commoda,subiicit. Et cum senuerit mater tua ne contemnas eam, scilicet te admonẽ tẽ. Tantũ enim abest vt ob sexũ & ætatem eius monita negligere debeas, vt ea potius tũ quia mater tũ quia senex sit audienda. Iuxta mysticum sensum monet hæc sententia vt audiamus

audiamus & obediamus patri cœlesti, qui nos & creauit & suo spiritu regenerauit, nec interim contemnamus matrem nostram ecclesiã etiam cum senuerit, & iam progressu temporis exciderit ab ea pulchritudine virtutum, quam habuit in initio, quasi in sua iuuentute primitiua ecclesia.

2

3 *Veritatem eme & noli vendere sapientiam & doctrinam & intelligentiam.*

SIc ordinanda est hæc sententia vt post vebum vendere sit distinctio, deinde accusatiui sequentes, appositiue iungantur cum dictione veritatem, vt per eos explicetur quã dicat veritatem. Sunt qui hac sententia significari putant conducendum præceptorem à quo veritatem discas nec parcendum vllis sumptibus vt sapientia comparetur, at sapiẽtiã gratis impartiẽdũ aliis, iuxta illud euãgeli cum, gratis accepistis, gratis date. Verũ hæc
Matt. 10. explicatio parum sibi constat. Nam quomodo sapientiã emere licet ita & vendere, & quo modo non licet eam vendere, ita nec emere Simpliciter ergo accipi posset in hoc sensu. Eme veritatem, hoc est, eam tibi compara & acquire, acquisitam autem noli vendere, hoc est, alienare à te & abiicere. Quem sensum secuti sunt Septuaginta, qui habent ἀλήθειαν κτῆσαι καὶ μὴ ἀπὸδου, hoc est, veritatẽ acquire vel posside, & ne repudies vel abiicias. Rectè tamen plus videri potest Sapiens significasse, nempe nihil nobis carius habendum quam veritatem, eámque vel omnium aliarum rerum dispendio comparandam, studiisque, labore indefessis vigiliis & orationibus quærendam omnia potius danda, vt ad eam perueniatur, iuxta parabolam Euangelicam, qua
Matt. 13. simile dicitur regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, qui inuenta vna pretiosa dedit omnia sua & cõparauit eam. Omnes scientias, omnes opes contemsit præ illa. Nam quę emimus pluris facimus, quæ verò vendimus, vilius æstimamus, cupientes aliquid consequi quod nobis sit melius & commodius. Itaque vetat vendere eam, hoc est, ne quid ea carius habeamus, ne ob lucrum quodcunque eam alienemus. Nã vt suprà dixit, Melior est sapientia cũctis prætiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Et Sapientiæ 7. Præposui, inquit, sapientiam, regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatiõe illius arena est exigua, &c. Simila habentur Iob. 28. Sciendum tamen emere nonnunquam accipi simpliciter pro comparare & obtinere, vt cum dici
Esa. 55. tur in Esa. Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite, Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.

24 *Exultat gaudio pater iusti, & qui sapientem genuit, lætabitur in eo.*
25 *Gaudeat pater tuus & mater tua, & exultet, qui genuit te.*

DVo dicit in filio patrem afficere gaudio iustitiam scilicet & sapiẽtiam filij, quamquam ex multis locis obseruare liceat apud Salomonem parum vel nihil esse discriminis inter iustum & sapientem, sicut nec inter stultum & impium, vt tantum ornatus gratia & varietatẽ verborum, quem in priore parte sententiæ vocat iustum, eundem mox sapientem vocat. Merito autem pater de filio iusto & sapiente gaudet, tum quod ob naturalem amorem ipsius ad filium, illius bonum suum ducat, tũ quod filij virtus & sapientia in commodum simul & honorem patris cedat. Liberatur enim pater à multis malis animique cruciatu, & simul honorem apud homines & mercedem apud Deum consequitur, si filium habeat frugi & probum. Præmissa hac sententia de gaudio patris ex probitate filij, subiungit appositè monitionem ad filium, vt sit causa gaudij in parentibus, dando scilicet operam, vt sit iustus sapiens, quo sic vterque parens in ipso lætari possit.

26 *Prœbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.*
27 *Fouea enim profunda est meretrix, & putens angustus aliena.*
28 *Insidiatur in via quasi latro, & quos incantos inueneri t, interficiet.*

SIcvt superius à crapula iuuentutem auocaturus sapiens, ita nunc & à libidine ac impudicitia, & rursum à crapula, præmittit monitionem qua ad audiẽdum inuitat, quod hæc vitia iuuenum animis penitus inhereãt, & ab eis sit ipsis maximum periculum. Petit ergo sibi cor dari filij, hoc est vt animum suũ accommodet ad audiendum & acceptandum quæ dicturus est, quod idem aliis verbis significat cum subiungit. Et oculi tui vias meas custodiãt, hoc est, oculi mentis tuæ sempe r obseruent vias quas tibi demonstro, præcepta scilicet mea & rationes viuendi secundum quas viuere debeas quemadmodum oculi corporales alicuius proficiscentis obseruant diligenter viam demonstratam per quam est ei ambulandum, ne à recta via aberret. Subdit autem causam cur studiosè moneat vt oculi vias eius custodiant, nempe propter pericula & insidias quæ iuuenibus immi nent in via huius vitæ. Fouea enim profunda est meretrix. Meretricem & alienam, hoc est, quæ non est vxor, comparat & profundæ foueæ & angusto puteo. Vtraque similitudine significans eum qui irretitus est consortio, & amori impudicæ mulieris, & in graue periculum tum corporis tum animæ incidisse, & ex eo non facilè extricari posse, quem admodum lapsus in profundam foueam non facile ascendere aut emergere potest. Tenaciter enim inhæret libidinis vis, efficacitérq; detinent viri animum blandimenta scorti, ac præterea in pleraque mala libido hominem præcipitat, è quibus se ægrè homo recipit vt dictum est capire superiori circa illud simile huic, Fouea profunda os alienæ. Addit & aliud meretricis malum ob quod merito oculi nostri vias sapientiæ semper obseruare debeant, nẽpe quia ab ea in via huius

ius vitæ insidię parantur. Insidiatur inquit in via quasi latro, Quemadmodum enim latro sui commodi causa insidias tendit ambulantibus in via, in quas incauti maxime incidunt quos non tantum bonis spoliat temporalib. sed & vita nonnunquam, ita & meretrices & impudicæ mulieres, tectis artibus seducere & ad se ob suum commodum trahere studeant homines in via vitæ huius ambulantes dum vbique se ingerunt & penetrant, & variis lenociniis pelliciunt instabiles, & potissimum incautos quos & temporalibus priuant bonis & vita ipsa, animæ potissimum, & nonnunquam etiam corporis cum certum sit mulierum impudicarum causa multa committi homicidia. Cæterum pro eo quod nos habemus & quos incautos inuenerit interficiet, hebræa habent, & præuaricatores in hominibus addet. Quo significatur quemadmodum latro suos solet habere comites, ita scortum homines præuaricatores sibi solet adiungere per quos potentius sit ad decipiendum & præualendum. Aut significatur meretricem in hominibus augere numerum præuaricatorum, quia per eam multi excidunt à virtute ad vitia & flagitia, Mysticus sensus iuxta quem per scortum hæretici intelliguntur satis intelligi potest ex his quæ dicta sunt capite superiori circa illud. Fouea profunda os alienæ.

29 *Cui væ? cuius patri væ? Cui rixæ? Cui foueæ? Cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum.*
39 *Nonne his qui commorantur in vino & student calicibus epotandis.*

POstqvam libidinis mala commemorauit, vt & à crapula quæ in libidinem frequẽter trahit deterreret, varia eius mala præter egestatis malum, quod supra indicauit, nunc adiungit, filium omnibus modis retrahens ab iis vitiis, quibus iuuentus est maximè obnoxia. Siquidem nunc monet eum vt amore parentum hoc faciat, quo illi gaudeãt de probitate filij, nunc indicat vitiorum turpitudinem, & mala quæ inde sequuntur, vt si non virtutis amore saltem timore pœnæ & criminum turpitudine declinet ab eis, Indicãtur in priori versu quinq; ebrietatis mala. Primum quod væ adferat ebriosis atque eorum parentibus, hoc est, dolorem animi simul & corporis, gemitus & angustiæ ob morbos, cruciatus, & confusionum quæ incurruntur ex ebrietate. Notandum autem D. Hieronymum dum vertit, cuius patri væ paulò aliter legisse quam habent modo Hebræa, atq; vnicam dictionẽ in duas resoluisse. Cum enim Hebræa habeãt אבוי Auoi, quæ dictio vox est dolentium, idem valens quod væ D. Hieronymus legit אצאוי ab oi, quod sonat patri væ. Secundum malum est quòd adfert rixas & contentiones, inter bibendum scilicet & post potum item, vt experientia docet. Tertium malũ est, fouea quod scilicet ebriosis frequenter contingit cadere in foueam, quia non possunt per ebrietatem rectè incedere, ac mala imminentia præcauere. Hebræa habent dictionẽm שיח Sirch, in qua si litera schin in dextro cornu pũctum habeat, vt pro feratur Schiach, foueã significat, atq; hoc modo legit D. Hieronymus, si verò in sinistro cornu ita vt dicatur Siach, quomodo hodie omnes legũt, significatur gemitus vel sermocinatio, vt verbositas & loquacitas ebriorum designetur. Quartum malum est vulnera sine causa, tum quia ebrij cadendo frequenter leduntur, tum quia rixando cum aliis sepè etiã in pugna vulnerantur, Hæc vulnera dicuntur vulnera sine causa, quia sine aliqua vtilitate suscipiuntur, non scilicet in defensione patriæ, in bello ob bonum publicum, siue quia ob rem nihili temerè nonunquam inferuntur. Illa quæ cadendo incidunt ebrij, etiam sunt vulnera sine causa, quia non inferuntur ferro aut alia re quæ solet lædere. Pro sine causa Hebræum etiam verti potest impune, vt significetur impotentia ebrii non valentis se defendere. Quintum est suffusio oculorum pro quo malè quidã legunt, suffossio oculorũ Prior lectio magis accedit Hebræis, quæ habent, rubor oculorum. Significatur ebrietatem adferre oculis caliginem, eósque suffundi multis humoribus visum obtenebrãtibus Possunt hæc mala etiam mysticè accipi, quia per ebrietatem incurrit homo væ æternum damnationem scilicet æternam, incidit in foueam multorum vitiorum, vulnerantur secundum animam, hebetudinem & cæcitatẽ mentis, ac visus interioris contrahit. Non ascribit autem hæc mala statim ebriosis, sed quæstione proposita inquirit, vbi & in quo hæc mala reperiuntur, vt auditorem horum malorum congerie ad considerandum excitaret atq; sic efficacius ab ebrietate auocaret. cum, quæ mala esse nemo posset inficiari, nusquam magis quam in ebriosis inueniri posse vel experientia teste ostenderet. Vnde subdit Nònne his qui commorantur in vino, hoc est, qui moras in eo trahũt diu multúmq; bibentes, & vini & temporis simul facientes iacturam.

30 *Ne intuaris vinum quãdo flaueſcit, dum splenduerit in vitro color eius,*
31 *Ingreditur blande sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

PRo ne intuearis vinum 70. habẽt μὴ μεθύσκεσθαι τὸν οἶνον, id est, ne inebriemini vino, quod hemistichium etiã est apud Paulum ad Ephesios 5. essdem verbis hinc mutuatum. Nostra electio cum Hebræa consentit, nisi quod Ephes. 5
pro flaueſcit, est rubescit, & pro color eius, est oculus eius. Sed hæc parum faciunt ad sensum. Sunt enim vina in quibus placeat rubedo, sunt in quibus flauedo. Monet ergo, vt ne tum pulchritudine vini, tum gratia saporis quam significat dicens, ingreditur blandè, nos seduci sinamus, vt in ebrietatem pertrahamur. Sic enim prohibet, ne intueamur vinum, non quod intueri sit malum, sed quod via sit & medium ad ebrietatem deducens. Notandum autem quod cum dicitur de vino, ingreditur blandè, verbum, ingreditur, non accipitur pro intrat, vt significetur bibi cum amœnitate, sed pro incedit & vadit quemadmodũ patet ex Hebræis, quæ habẽt, vadit vel incedit rectè, hoc est, placet videnti & gustanti

& gustanti & bene se habet in primis. Sic Cãti. 7. vbi nos legimus, Sicut vinum optimum dilecto meo ad potandum, pro, dignum dilecto meo ad potandum, Hebræa habent sicut hic, vadés dilecto meo rectè, hoc est, gratum illi ac bene se habés. Cæterũ ne gratia vini imponat oculis ac gustui, cõmonefacit nos exitus eius amarissimi, comparans vini efficaciã serpentibus mordentibus, & venena sua per totum corpus diffundentibus. Quo significat vinum immodicè sumptum tandem grauiter afficere hominem ac doloribus implere ac totum corpus malis implere humoribus veluti veneno, ita vt & mortem tandem adferat. Aut significat vinum immodice sumptũ hominem penitus turbare, dum & rationis integritatem euertit & corporis comtemperaturam, atque sibi planè dissimilem reddit, imò ad insaniam transfert, non minus quam si quis à colubro aut regulo fuerit morsus. Porrò quod speciatim hic de vino dicitur, generaliter etiam obseruãdum est in reliquis omnium sensuum illecebris, quæ & ipsæ veluti vinum quoddam sunt euertentes rectum rationis vsum, in his qui immodicè eas admittunt, pungentes in nouissimo illos graui conscientiæ dolore. Itaque sub speciali hac monitione de non intuendo vino, generaliter rectè intellexerimus initia voluptatum quarũ libet quæ blanda sunt, sed amarum habent exitum diligenter cauenda, & externos omnes cohibendos sensus, per quos voluptates ingrediuntur suauiter ad animam, ne si eas admiserimus, p steà aculeos ipsarum mortiferos sentiamus.

33 *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.*

34 *Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.*

QVIDAM codices habent extraneos, sed malè, quidam habent extranea, alij extraneas, atque vtraque hæc lectio consentire potest cum Hebræis quæ vtroque modo verti possunt, & si quidem legatur extranea, significat hæc sententia per ebrietatem nec oculos, nec cor, hoc est nec sensus exteriores nec interiores suo rectè fungi posse officio. Oculos enim ebriorum videre extranea, hoc est, alia quam re vera sunt, cor autem eorum loqui apud se, hoc est, cogitare peruersa, veritati & æquitati contraria. Si verò legatur extraneas, quomodo magis verisimile est Hieronymum vertisse, quomodo & Beda legit, significatur ebrios impudice oculos suos conuertere ad extraneas mulieres, videntes eas lubrice, & cum viderint eas, cor eorum loqui apud se peruersa, cum earum consortium peruersè & contra legem Dei desiderant, & cogitant in quibus modis desiderium suum perficere possint. Pergit pulchra comparatione ebrietatis malum & periculum ostendere. Et eris, inquit, dormiens in medio mari. Sicut enim qui dormit in profundo maris, agitatur variis fluctibus sursum & deorsum idque inscius & ignorans, atque sæpè in periculo est submersionis, ita qui potu multo ebrius thuc illúcque titubando incedit potu agitatus, animo item ad varia cogitanda & desideranda impellitur, eum interim id in se non satis animaduertat, nec careat periculo ne fortè ab humorum multitudine sit suffocandus. Magis autem malum ebrietatis auget, cum subiicit, Et sicut sopitus gubernator amisso clauo. Sicut enim gubernator nauis sopore pressus, & per hoc clauo suis manib. amisso, non potest nauem dirigere, vnde fit vt non sibi tantum periculum immineat, sed naui toti, & omnibus qui in ea sunt, ita & is qui vino sepultus est, nauem suam, corpus simul & mentem non potest in cursu huius vitæ rectè gubernare. Quia enim iam clauum amisit, hoc est, rationis, quæ cunctas potẽtias animę dirigit, vsum sibi eripi passus est, in summo omnium rerum suarum degit periculo, nec quicquam valẽt reliqui nautæ, hoc est, reliquæ potentiæ. Secundam hanc partem aliter ex Hebræo fere vertunt. Et sicut dormiẽs in vertice mali nauis. Est enim hic dictio חֹבֵל Hibbel, quam volunt significare malum nauis, sicut satis etiam apparet, quia additur in capite, vel vertice. At quoniam verbum חָבַל Habal, significat etiam gubernare nauem, D. Hieronymus intellexit hanc dictionem hic significare gubernatorem, nec aliud significatur si fiat comparatio cum dormiente in vertice mali nauis. Is enim cum summo & suo & aliorum periculo dormit, cum ad hoc constitutus sit vt aduentum piratarum significet, aut portum & terram à lõge speculetur. Potest tamen Hebræa lectio simpliciter accipi, vt significet ebrium non posse satis quiete dormire quemadmodum quî dormire volũt in medio aut in summitate mali, vt sit sensus Et si dormire voles, eris sicut dormiens in mari, agitatus scilicet vehementer & inquietus.

35 *Et dices verberauerunt me, sed non dolui; traxerunt me & ego non sensi: quando euigilabo & rursum vina reperiam?*

VERBA illa & dices, interpres de suo addidit, quia verba sequentia non dicuntur à sapiẽte nisi in persona ebrij. Apparet autem ex hoc versu comparationem præcedentem pertinere ad ebrium dormientem, quia sequitur quãdo euigilabo. Et ebrij dormiẽtes maximè, non sentiunt quãdo verberantur, & trahũtur, quanquã & in vigilantes hæc cõpetunt ebrios, qui etiam non videntur sentire iniurias quæ illis inferũtur, & sobrij facti eorum non recordantur, & euigilare dicuntur, cum digesto vino quo erant obruti, & dormiẽtibus similes, sibi per sobrietatem sunt reddit. Itaque cum multis modis ebriosorum miseriam ostendisset, hoc iam versu dupliciter magis adhuc miserrimam eorum conditionem subindicat. Primum quod sensu careant suaque mala minimè omnino sentiant, ita vt iniuriis, opprobriis, ac verberibus etiam acceptis dicere possint & nonnunquam etiam verè dicant sobrii facti, verberauerũt me sed non dolui. Secundo quod omnium est absurdissimum, quod cum sentire debeant, & non nunquam satis aduertant, se omnium esse miserrimos, obnoxios tot malis, & aliorum iniuriis,

riis, tamen pocula semper repetere desiderant, & ad se à priore ebrietate reuersi, rursum animum apponunt ad potationes. Quod significat cum inducit eos, dicentes. Quando euigilabo & rursum vina reperiam? Caietanus intelligit his omnibus verbis quæ in persona ebrii dicuntur ebrium gloriari se per ebrietatem factum impassibilem, atque ob id velle perseuerare in potationib. per quas consequatur, quòd mala non sentiat. Cæterũ quemadmodum iuxta mysticum sensum, quod suprá dictum est de non contemplando vino, generaliter ad alias etiam sensuum illecebras, quæ vini instar mentem hominis obruunt accommodari potest, ita & diuus Gregor. Gregorius, & hunc versum & præcedentem generaliter accommodat, ad quosuis peccatores delitiis huius mundi obrutos, nec sua mala sentientes. Id quoniam non inepte fecit, visum est hic adscribere. Sic enim habet in tertia parte Pastoralis curæ, admonitione 33. Vnde & Beda hic suum commentarium est mutuatus. Admonendi, inquit, sunt qui repẽtina concupiscentia superantur, vt curare nimis terrena desuescant, quia intentionem suam dum rebus transitoriis immoderatius implicant, quibus culparum iaculis transfigantur ignorant. Vnde per Salomonem vox percussi & dormientis exprimitur, qui ait, verberauerunt me & non dolui, traxerunt me & ego non sensi. Quando euigilabo & iterum vina reperiam? Mens quippe à cura suæ solicitudinis dormiens, verberatur & non dolet, quia sicut imminentia mala non prospicit, sic neque quæ perpetrauerit agnoscit. Trahitur, nequaquam sentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Quæ quidem euigilare optat, vt rursum vina reperiat, quia quãuis somno corporis à sui custodia prematur, vigilare tamen ad seculi curas nititur, vt semper voluptatibus inebrietur, & cum ad illud dormiat, ad quod solerter euigilare debuerat, ad id vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuisset. Hinc superius scriptum est. Et eris quasi dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. In medio enim mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus præuidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos, negligit. Et quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis studium solicitudinis perdit, &c.

CAPVT XXIIII.

1 *Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis*

2 *Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.*

QVOD superius vetuit, & hic mox posteá repetit, quia frequenter dicendum est, quod valdè cauendum est, & multis imponit. Patet autem ex superiori capite quomodo sit accipiendũ verbum æmulari, nempe aut pro inuidere, vt duo hic prohibeantur, nempe inuidia prospe-ritatis malorum, & societas cum eis: aut generaliter pro concitari contra malos, siue ira, siue inuidia, siue alia quapiam passione, sic vt inde sequatur, vel murmuratio contra Deũ, vel desiderium communis cum ipsis fœlicitatis, vnde sequitur, Nec desideres esse cum eis, quemadmodum Psal. 36. Noli æmulari vt maligneris. Non prohibet autem esse cum eis, quia id vitari non potest facilè in hac vita, sed ne quis desideret esse cum eis, hoc est, ne ambiat eorum societatem & fœlicitatem. Causam subiicit aliam quam superius, nempe quia eorum fœlicitas malis paratur artibus, rapinis scilicet, quas assiduè corde meditantur, & fraudibus, quas ore loquuntur, imponentes proximis suis contra legem Dei, contra quam quod fit stabile esse non potest, nec inultum diu manebit.

3 *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur*

4 *In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa substantia preciosa & pulcherrima.*

SVPERIORI sententia dehortatus est Sapiens à mala ratione parãdæ fœlicitatis quam sectantur impij. Hic iam indicat verum consequendæ fœlicitatis modum, qui scilicet consistit in sapientia per quam fœlicitas & bene & stabiliter acquiritur. Est autem hic in commendanda sapientia pulchra gradatio. Primum enim ei tribuitur ędificare domum, secundo eandem roborare & firmare, & tertio eius cellaria implere omni substantia, tum preciosa, tum pulchra, vt hinc intelligamus sapientia rem familiarem & primum bene institui, & deinde institutam confirmari, ac postremum perfici omni plenitudine & abundantia. Per ædificationem domus non simpliciter intelligenda est materialis tãtum ædificatio domus, sed quemadmodum dictũ est circa primum versum cap. 14. tropo Hebraico significatur rei familiaris recta institutio, quæ vt rectè fit per sapientiam, ita per eãdem & ciuitas rectè instituitur, roboratur, & perficitur omni ornatu & abundantia. Misticè per sapientiam ædificatur domus, roboratur & repletur omnimoda supellectile, cum per intelligẽtiam diuinæ legis quis cor suum construit in habitaculum Dei, idemque assiduè in virtute roborat, omnibusq; charismatibus ac donis spiritus replet ac perficit. Illud obiter in litera annotandum in secundo versu dictionem vniuersa non coniungendam cum cellaria, sed cum sequenti dictione substantia, vt patet ex hebræis,

5 *Vir sapiens fortis est & vir doctus, robustus & validus.*

6 *Quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia.*

PERGIT magis adhuc sapientiæ encomium prosequi ostendens eam non tantũ domi atque in priuatis rebus in pacifica reipub. administratione præclare se habere, sed & foris, atque in bello gerendo. Ob id ergo virum sapientem fortem esse prædicat, quod etiamsi viribus corporis sit nonnũquã infirmior

infirmor, tamen per ſapientiam plura & fortiora aliis præſtat, & potiſſimum in bello vbi ad ſuperandum hoſtes plus valet ſapientia ducis, quam militum fortitudo & multitudo. Vt experientia ſepè docuit. Vnde ſubditur. Quia cum diſpoſitione, hoc eſt, prudẽti ordinatione, initur, hoc eſt iniri debet bellum. Et erit ſaluus in bello, hoc eſt, victoria non tam vbi robur fuerit & multitudo militum, quam vbi ſunt multa ducũ ſapiẽtum conſilia. Quod de bello corporali dicitur idẽ & de prælio ſpirituali dicẽdũ, quod ſcilicet nobis gerendũ eſt contra hoſtes ſalutis noſtræ viſibiles & inuiſibiles, Nam & illud non noſtris agendum eſt viribus, ſed ſapientia & conſiliis quę ſuggerit ſpiritus. Cæterum poteſt vir ſapiẽs & ideo intelligi dici fortis vir, quod ſit magno fortique animo ita vt nõ facilè cedat aduerſis, quódq; ſuis paſſionibus fortiter imperet, iuxta illud Fortior eſt qui ſe quam qui fortiſſima vincit Oppida. At aliò hic ſpectaſſe ſapientem nempe ad opera fortitudinis quæ vir ſapiens extra ſe præſtat, patet ex ſubiuncta ratione.

7 Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum.

REVERA etiam ſapientum iudicio ſapientia eſt excelſa, vt quæ cœleſtis ſit & veluti ex alto deſpiciens diuitias & voluptates mundi. Vnde ſupra cap. 8. dixit, ſapientia clamitat in ſummis excelciſque verticibus, Sed ſtulto dicitur peculiariter excelſa, vel quod totus ſit terrenus, & curis & voluptatibus carnalibus grauatus ad eam pertingere non poteſt, vel quod reputet ſibi inacceſſibilem tanquam valde eleuatam ſupra ſe atque ob id non ſtudeat eam aſſequi, ſed perpeſus laboris perſiſtat in ſua ſtultitia. Et quia ſic ei ſapientia eſt excelſa, ideo ob defectum ſapientię non aperiet os ſuum in porta, hoc eſt, in locis publicis & in loco iudicij, quod in portis exerceri ſolitũ fuit. Vult ergo ſignificare tales non peruenturos ad eum honoris gradum, vt in iudicio cum ſapientibus ſedeant, & de rebus magnis decernant, aut ſi eo perue nerint, rubore ſuffundendos, vt qui non habeant quod dicant, rogati ſuam ſententiam. Poteſt etiam intelligi ſtultum in iudicio non aperire os ſuum ad ſeipſum defendendum cum tanquam reus ibi ſiſtitur, quemadmodum contra dicitur de ſapiente, Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta. Pſal.35. Sic ſecundum myſticum ſenſum ſtultus non aperiet os ſuum in tremendo Dei iudicio in quo non poterit vnum reſpondere pro mille. Et quia obmuteſcet cum eo qui intrauit ad nuptias ſine veſte nuptiali, proiicietur foras in tenebras exteriores.

8 Qui cogitat malafacere ſtultus vocabitur.

PRo ſtultus, Hebræis eſt בעל מזמות Baal Mezimmoth, hoc eſt, vir cogitationum, vel is qui habet cogitationes. Accipitur autẽ dictio Mezimmoth, quamquam ambigua ſit, & frequenter etiam bonas cogitationes ſignificat, ſtrequentius pro malis cogitationibus imò pro ſcelere & abominatióne, vt Leuit. 18. & 19. dictio zimma, vnde Baal mezimmoth ſignificat virum ſcelerum, hoc eſt, hominem ſceleratum & flagitioſum, vt bene quidam vertit hoc loco, & cap. 12. verſu 2. vbi nos habemus, qui autem confidit in cogitationibus ſuis. Nã & ibi eſt hęc oratio Baal mezimmoth Significare ergo vult Sapiens venia quidem dignum eſſe eum qui ex infirmitate & ignorãtia labitur & peccat, At eum qui ſtudet mala facere & cogitationes ſuas in hoc inſumit ita vt ſit ex his de quibus dicit Propheta: Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: quíque nouas ſemper malefaciendi & nocendi rationes excogitat, infamiam magnam conſecuturum apud homines. Id enim ſignificatur cum dicitur ipſum vocãdum ſceleratum, vel vt noſter vertit, ſtultum. Quamquam meritò ſtultus vocandus ſit talis, quod ſalutis ſuę nullam habeat rationem, nec timore iudicij diuini à malo propoſito, ac cogitatione malefaciendi auocetur, aut quia vanitas cogitationum eius aliquando tandem innoteſcet. Pſal.116.

9 Cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum, detractor.

HEBRÆA ad verbum habent, Cogitatio ſtultitiæ peccatum & abominatio *homini* deriſor. Pergit Sapiens auocare à ſtultitia, primum, quidem dicens quod omnis cogitatio, quam ſtultitia homini ſuggerit, hoc eſt, omnis cogitatio ſtulti quatenus eſt ſtultus eſt mala & peccatum, atque ad peccatum tendit, quod non manebit impunitum. Secundũ ſubiungens cum qui non tantum malè cogitat, ſed etiam irridet bene monẽtes & conſulẽtes, hominib. eſſe abominabilem, vt de quo nulla ſit ſpes. Idem rectè dicitur & de detractore, qui quum de omnibus malè loquatur nuſquam bene audit, ſed merito omnibus eſt ingratus quamquam ſingulariter illud intelligi poteſt de detractore, qui detrahit bene monentibus & docentibus ipſum. Sic enim idem erit detractor & irriſor. Significat ergo ſtultitiam fugiendam, vt cuius omnis cogitatio ſit mala: quæ ſi eo progrediatur, vt etiam ore irrideat bene cõſulentes ac aliis detrahat abominabilem ſe faciet omnib. hominibus.

10 Si deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.

HEBRAICE paulo aliter & iucundius. Eſt enim alluſio inter duas voces quam ſic reddere licet. Si defeceris in die anguſtiæ anguſta fortitudo tua. Talis enim eſt alluſio inter voces hebræas qualis eſt apud nos inter anguſtiæ & anguſta. Poteſt autem hebraicæ lectionis duplex eſſe ſenſus. Prior hic, Si cum aduerſũ quid accederit, animo defeceris per impatientiam, id ex eo prouenit quod fortitudo animi tui ſit anguſta, & exigua. Quaſi dicat id non tam imputandum eſt aduerſitati occurrenti quam animi tui vitio. Alter iſte, Si in die anguſtiæ fractus fueris animo per deſperationem, fortitudo animi tui fiet magis anguſta, hoc eſt, per eam deſperationem magis fiet infirmus ad euadendum incidentem anguſtiam. Vt hac ſententia monere velit vt cum

cum premunt anguſtiæ, animum non deſpõdeamus, ſed animi magnitudine aduerſa ſuperare contendamus. Iuxta illud Poẽtæ, Tu ne cede malis ſed cõtra audentior ito. Atque hunc ſenſum ſecutus eſt noſter interpres dũ vertit imminuetur fortitudo tua. Sunt libri qui pro lapſus habent laſſus, quam lectionem tanquam originali magis conuenientem & ſenſui, præferendam puto. Valet autem hæc ſententia ad erigendum animum non tantum cum aduerſitatum externarum procellę ingruunt, ſed etiam cum conſcientia angitur ob criminum admiſſorum grauitatem. Tunc enim nõ deiiciendus animus nec de Dei miſericordia deſperandum, ſed per fiduciam in Dei miſericordia erigenda mens, ne penitus pereat robur animi. Sunt qui intelligunt ſapientem hic prouocare ad opera charitatis proximis impendenda, de quibus mox agit in ſequentibus, vt ſit ſenſus. Si remiſſus fueris in iuuandis aliis tempore anguſtię eorum, peribit tibi fortitudo tua à Deo data, quod ea nõ rectè vſus fueris. Aut cũ & tu incideris poſtea in anguſtias, carebis viribus ad ſuccurrendum tibi, non poteris cum opus erit teipſum iuuare. Sic enim hic verſus cohærebit cum ſequenti. Verum non eſt laborandum in paraboli carum harum ſententiarum connexione. Nam dum hoc conamur, à vera & ſimplici earum intelligentia ſæpe excidimus.

11 Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes.

12 Si dixeris vires non ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddit quehominiiuxta opera ſua.

PROVOCAT ad opem his impendendã qui in maximo ſunt periculo nempe mortis per iniuriam inferendæ. Nam de his potiſſimum eſt hæc ſententia intelligenda, non autem de his qui ob ſua facinora digni ſunt, qui in aliorum exemplum morte afficiantur. Vt Pſal.81. cõcordet cum illo Pſalmi. Eripite pauperem & egenũ de manu peccatoris liberate. Quod ſicut potiſſimum dictum eſt ad iudices, quibus illud ex officio incumbit, ita & iſtud pertinet ad eos qui potentes ſunt ad liberãdum innocẽter oppreſſos. Et quoniam pleriq; ſunt qui ſe à defenſione innocentum excuſare ſolent dicentes non ſuppetere ipſis vires ad liberandũ, aut, vt eſt apud Hebræos ſe non noſſe eum qui opprimitur, vel ſe ignorare cauſam aut oppreſſionem eius, ne huiuſmodi excuſationi nimis fidant, qua frequenter ſatisfaciunt hominibus, Deum ob oculos eis proponit, ſuggerens illum & omnia ſic ſcire vt falli non poſſit ſicut homo, & omnia remuneratum iuxta meritum, vt hac duplici ratione, metum diuini incutiat iudicij. Aduerte autẽ quam aptè, vt oſtẽdat Deum cor hominis intelligere, quod homo ſcrutari nõ poteſt, eundémque falli non poſſe, vocet eum inſpectorẽ cordis, vel vt eſt Hebræis ponderatorẽ cordis, quomodo item Deum vocauit cap. 16. & 21. verſu. 21. Itẽ ſeruatorem animæ, hoc eſt, obſeruatorem qui diligenter attendit hominis cogitationes & intentiones. Quamquã intelligi poſſit dici ſeruator animæ, quod eam cuſtodiat & præſeruet à multis malis, vt hoc titulo & huius beneficij cõmemoratione magis excitet ad viciſſim præſeruandum alios à morte & malis variis. Porro hæc monitio de his qui trahuntur ad mortem non tantum intelligenda eſt de his qui aliorum iniuria trahuntur ad mortem corporalem, ſed generaliter etiam de his qui quauis miſeria enecantur, vt morbo vel fame. Item & de his qui de morte ſpirituali periclitãtur, vt quos videm⁹ vel ſuis vitiis vel aliorum prauis exẽplis, vel hæreticorum doctrina erronea, adduci ad mortem ęternam, vt intelligamus omnes hic moneri, vt vel ſana admonitione vel bonis exemplis, vel precibus ad Deum fuſis vel quacunque demum alia ratione conentur periclitantibus adeſſe. Qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſeruabit animam eius à morte. Iacob.5.

13 Comede fili mi mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſſimum gutturi tuo.

14 Sic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ, quam cum inueneris, habebis in nouiſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit.

PRIORI verſu ad mellis eſum inuitat, non quod hoc magnopere curaret, ſed vt ex eſu mellis, per exemplum inuitaret ad percipiendam ſapientiam, indicarétque hoc eſſe ſapientiam animæ, quod eſt mel gutturi. Eam ſcilicet non eſſe vt plerique exiſtimant, aſperam & inamœnam, ſed reuera ſummam adferre animæ voluptatem, ac proinde ſicuti rectè quis mel auidè ſumit, ob voluptatẽ momentaneam, ita merito doctrinam ſapientiæ à ſapientibus diſcendo percipiẽdam, quæ nõ gutturi corporalem & tranſitoriam adfert voluptatem, ſed animæ ſpiritualem & ob id ſoliditatem. Ad quod quo magis prouocaret, oſtẽdit deinde ſapientiam non tantum præſentẽ voluptatem adferre animę, ſed etiam vtilitatẽ futuram, cum ſubiicit, quam cum inueneris habebis ſpem, &c. Indicans ſimul ſapientiam labore parandam eſſe & arduam eſſe rem, inuentúque difficiſem, cum dicit, cum inueneris. Porrò pro eo quod noſter hic rurſum vertit, habebis in nouiſſimo ſpem, Hebræis eſt erit nouiſſimũ, de quo dictũ eſt ſuprà cap. precedenti verſu 18. Beda doctrinã ſapiẽtię melli & fauo comparari hic intelligit, quia ſicut mel cibis, ita illa cæteris doctrinis dulcedine præſtat, vt ſcilicet doctrina ſapiẽtiæ hic diſtinguatur á cæteris diſciplinis, cum ſimpliciter doctrina ſapientiæ, potius pro ipſa ſapientia quæ docetur à ſapientibus, ſit accipienda.

15 Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius.

16 Septies enim cadet iuſtus & reſurget: impij autem corruent in malum.

PRIOR verſus. Sic ferè ab aliis vertitur ex hebræo, vt ſermo dirigatur ad impiũ. Ne inſidieris ô impie domui iuſti, iuxta quam lectionem ſignificat ſapiens fruſtra impios inſidiari iuſto, ad perdendum eum & quietem eius vaſtandam, eo quod ex omnibus periculis facile Dei gratia ſubleuetur, & etiáſi ſæpè cadat in aliqua mala, tũ inde mox emergat

&

& erigatur, liberatus è manu impij: cũ cõtra impij ſic corruãt vt malè eis ſit, vt quod de caſu iuſti hic dicitur nõ de lapſu in peccata, ſed de lapſu in ttibulationes intelligatur. Quẽad
Auguſt. modũ & Augu. exponit li. 11. de ciuitate Dei c. 31. Septenarius numerus, inquit, pro vniuerſo ſæpe ponitur, ſicuti eſt, ſepties cadet iuſtus & reſurget, id eſt, quotieſcunq; ceciderit non peribit, Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatẽ perducẽtibus in-
Iob. 5. telligi voluit, hæc ille. Sic & in Iob dicitur. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum. Iuxta noſtrã verſionẽ monet Sapiens, ne quis curioſa obſeruatione ſtudeat in iuſto qui pacifice viuere conatur inuenire quod carpat, dolis ad hoc ſtructis Nam etiamſi leuia quædam in eo deprehendi poſſunt errata, ſine quibus hæc vita nõ ducitur, imò in quæ etiam ſæpè iuſtus labitur, non facilè tamen in eo aut eius domo, hoc
Pſal. 118. eſt, familia eius aut domicilio pectoris inuenietur impietas aliqua. Cum enim dicitur, Septies cadit iuſtus, per Septenarium numerũ ſignificatur ipſum ſæpius labi, ſicut cum dicit Prophetа: Septies in die laudem dixi tibi, hoc eſt, ſæpius, ſed cum dicitur, & reſurget ſignificatur lapſus facilis, vt à quo facilè reſurgitur. Videmus enim in corporalib. quod cũ aliquis ſic cadit, vt per ſe & ſtatim ſurgat, leuis ſit caſus, & paruum aut nullum incurratur nocumentum. Ita & iuſtis accidit, quibus quotidiani lapſus adeo non nocent, vt multũ p ſint, tum vt ſint circunſpectiores, tũ vt inde humilientur, & aliorum errata leuius ferant. Contrà velò impij non tantum cadunt, ſed quod grauius eſt, corruunt idque in malum aliquod grande, vnde ſe eximere nõ poſſunt Obiter illud circa literam notandum, quod quidam libri noſtri habent verba futuri cadet & reſurget. Nam ſic habent & emendatores noſtri & Græci, & Ipſe Auguſtinus, quemadmodum ſupra patuit.

17 *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina eius ne exultet cor tuum.*
18 *Ne forte videat dominus & diſpliceat ei & auferat ab eo iram ſuam.*

SVPERIORI ſententia docuit quomodo quis ſe habere debeat erga lapſum iuſti, h s iam docet quomodo ſe habere debeat in lapſu inimici ſui. Quamquam autẽ præceptum hoc etiam intelligi poſſit, de lapſu in peccata & vitia, quia de huiuſmodi lapſu omni no gaudendum non eſt, vt qui ſit contra Dei gloriam & volũtatem, tamen ex ſubiuncta ratione potius dictum videtur de lapſu in infortunia, & aduerſitates de quibus gaudere Chriſtiano homini non magis licet quam inuidere bonis inimici ſui. Cõtra tamẽ præceptum videntur feciſſe plerique ſanctorũ. Nã & Moyſes cecinit, ac canere docuit cãticum lætitiæ ob demerſum in mare rubrum Pharaonem cũ exercitu ſuo, & Prophetа Dauid ſæpè precari videtur vltionem inimicorum
Pſal. 108. ſuorũ ac de ea gaudere. Qui inſurgũt, inquit, in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur. At hi non tam in malo impiorum ſunt gauiſi, quam vel in gloria Dei, quæ in impiorum punitione declaratur, vel in ſua ac piorum liberatione, quę impiorum ſequitur punitionẽ. Atq; his duobus modis iuſti gaudere poſſunt, cum viderint impios puniri, affligi & perdi, nemo autem poteſt gaudere de eorum caſu & ruina tãquã eis, noxia ac tãquam quibus ex odio & propter nocumentũ ab eis ſibi iſlatum, malè velit. Ideoq; ad ſignificandũ hic prohiberi priuatum hunc odij affectum, non dicit Sapiens, Ne gaudeas cum ceciderit impius, inimicus Dei, ſed inimicus tuus. Et ne exultet inquit, cor tuum in ruinã eius, non ve tans gaudere in bono quod ruinam eius ſequitur, ſed in ipſa ruina, hoc eſt, aduerſitate quauis & pernicie. Cæterũ maior videtur difficultas in ſubiuncta ratione, ne forte videat dominus & auferat ab eo iram ſuam. Non eſt enim pium ideo abſtinere à gaudio in malo inimici, ne Deus auferat ab eo irã ſuam, ſed id contra charitatem proximi eſt, per quã deſiderare quis debet vt Deus auferat iram ſuã etiam ab inimico. Ad quod reſpondet Caietanus ſapientem dirigere hunc ſermonem ad imperfectos, quos vt inducat ad continendã ſeſe à gaudio de malo inimici, proponit eis periculum proprij mali, vt ſi non amore virtutis ſaltem timore mali proprij & amore proprij boni abſtineant à tali peccato. Significat enim eis huiuſmodi lætitiam videri à Deo ac diſplicere ei, vtpote quæ ſit pecccatũ, quodq; forte Deus ob hoc peccatum deſinet punire inimicum tuum cum duplici tuo malo, nempe cum confuſione tua, quia ceſſante ira diuina confunderis de lætitia tua, & cum reparatione viriũ inimici, qui ceſſante ira Dei, rurſũ in te inſurget. Itelligit ergo Caietanus reuocationem iræ diuinæ ab inimico proponi imperfectis, non quatenus eſt bona inimico, ſed quatenus conſecutiue mala eſt gaudenti de malo inimici. Facilior erit ſolutio ſi pars illa intelligatur ſic, Et auferat iram ſuam ab eo in te. Nam pro auferat. Hebręis eſt reuerti vel redire faciat, ad te ſcilicet. Ita autẽ ſæpe accidit vt qui in malo inimici ſui gauiſus eſt, ipſe idẽ malũ, aut ſimile patiatur altero liberato. Vnde precatur Propheta: Memor eſto domine filiorum Edom in die Hieruſalem. Pſal. 136.

19 *Ne contendas cum peſſimis, nec æmuleris impios*
20 *Quoniam non habent ſuturorum ſpem mali, & lucerna impiorum extinguetur.*

QVOD hic in priori verſu noſter vertit, Ne contendas cum peſſimis, Pſal. 36. vertit, Noli emulari in malignãtibus. Nam vtrobique idem eſt apud Hebræos, ſicut & Hemiſtichio ſequenti, Nec emuleris impios, idẽ eſt vtrobique verbum quod ibi noſter vertit, neque zelaueris, ita vt verſus hic mutatus ſit ex illo Pſalmo, quem proinde D Hieronymus etiam ſic vertit in Pſalmis ex Hebręo, ſicut hic vertit. Significat autem prius verbum vtrobique potius indignari, iraſci & excandeſcere, ita vt moneamur, nõ indignari cum videmus impiorum impunitatem & fœlicitatem Poſterius verbum, vt ſupra dictum eſt, ſignificat inuidere. Itaque cum nos legimus ne contendas cum peſſimis, de ea contentione accipiẽdum eſt qua quis in animo ſuo ſecum

ſecum contendit & diſceptat, videns impiorum proſperitatem, qualem contentionem & diſceptationem Propheta in ſe exprimit Pſal. 72. Nam omnino extra intentionem ſapientis eſt de ea contentione loqui, de qua quidam accipiunt, intelligentes hic prohiberi, ne verbo correctionis quis contendat cum induratis & iis qui videntur incorrigibiles. Neque enim Hebræis eſt peſſimis, ſed tantum malignis vel malis. Pro eo quod in ſequenti verſu ſequitur, quoniam non habent futurorum ſpem mali. Rurſum Hebræis eſt, Quia non erit nouiſſimũ malo, hoc eſt, etſi iam multa habeant & abundent: tamen poſteà nihil erit eis reliquum, quum iuxta Prophetam nihil inuenient omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Pro quo
Pſal. 75. in prædicto Pſal. 36. dicitur: Simul reliquiæ impiorum interibũt. Proinde quod nos legimus, Non habẽt futurorum ſpem mali, iuxta illum ſenſum eſt accipiẽdum de ſpe ſolida & certa, quæ ſcilicet ſperantem nõ deſtituat. Nam plerique mali ſperant quidem ſe etiam futura bona conſecuturos, ſed non eſt ſolida eorum ſpes. Fallentur enim & iam ſperando ſeſe fallunt. Hemiſtichium ſequens Lucerna impiorum extinguetur, ſupra habitum eſt cap. 13. verſu 9. Quo ſignificatur impiorum fœlicitatem qua hic ad tempus fulgent & clari ſunt, breui extinguendam, cum vita ſcilicet hac momentanea, vt patuit in diuite epulone. Pluribus iſtud exprimitur in Iob: Nonne lux impij
Iob. 18. extinguetur, nec ſplẽdebit flamma ignis eius? Lux obtenebreſcet in tabernaculo eius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Sunt qui per lucernam impiorum hic intelligunt eorum poſteritatem & genus. Nam & ſic nonnunquam in ſcripturis nomen lucernæ ponitur, quemadmodum ſuprà annotatum eſt in cap. 20. verſu 20. vt ſignificetur eorum genus interiturum, ſicut in Pſal. 36. dicitur, Iniuſti punientur & ſemen impiorum peribit.

21 *Time dominum fili mi & regem, & cum detractoribus non commiſcearis.*
22 *Quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?*

HORTATVR Sapiens filium ſuum, hoc eſt, omnem ſapientiæ ſtudioſum ad timorem eorum quorum potentia magna eſt & proinde formidanda. Et primum quidem ad timorem domini qui ante omnia metuendus eſt, vt qui poteſt & animam & corpus ſubito perdere: & deinde ad timorem regis, hoc eſt cuiuſuis principis, vt qui in terris Dei eſt vicarius, nec ſine cauſa, vt habet Paulus, gladium portat, ſed Dei miniſter eſt vindex in iram ei qui male agit. Docet ergo hac ſententia & Dei in primis, & deinde principum edicta ſeruanda eſſe, quemadmodum & domi
Rom. 13. nus hæc duo ſimul docuit, dicens: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei
Matt. 22. Deo. Et Petrus: Deum timete, regem honori-
1. Pet. 2. ficate. Cæterum in eo quod ſequitur. Et cum detractoribus ne cemmiſcearis, pro detractoribus, Hebræis eſt participiũ שוגים Schonim à verbo שגה Schana, quod iterare ſignificat & mutare, deductum à שגי Schani, quod ſignificat ſecundum. Vnde quidam vertunt cum Ianſin Prouerb. iterantibus, ſcilicet iniquitates, alij cũ tumultuantibus, alij cum inconſtantibus. Alij ſimplicius & rectius cum mutantibus, vt ſubaudiatur decreta ac præcepta Dei ac regis, aut cum his qui diuerſum faciunt, hoc eſt, qui non timent dominum & regem, vt qui participium שוגים Schonim ſit poſitum, ſicut Eſther 3. vbi cum nos legimus, nouis vtens legibus, Hebræis eſt, Et leges eorum שונות Schonoth, hoc eſt, aliæ vel diuerſæ ſunt ab omni propoſito. Aut ſicut idem verbum poſitum, eſt Iob 29. vbi pro eo quod nos legimus, Verbis meis nihil addere audebant, Hebræa habent & poſt verba mea non iterabant, vel mutabant. Itaque in noſtra litera per detractores intelligere oportet eos, qui Dei regiſque mandatis detrahunt, malè de iis loquentes ac vilipendentes, & ad contemptum eorum alios inducentes, à quorum conſortio monet Sapiens vt abſtineamus, ſubiiciens rationem. Quoniam repente conſurget perditio eorum, vbi relatiuum eorum non eſt referendum ad detractores, ſed ad Deum & regem, vt patet ex ſubiuncta parte. Et ruinã vtriuſque ſcilicet Dei & regis, hoc eſt punitionem ab vtroque illorũ prouenturam. Monet ergo timendum & Deum & regem atque abſtinendum ab his qui aliud faciunt, & illis detrahunt, quoniam ab illis duobus perditio prouenit, idque ſubito & inexpectato, ita vt non facilè poſſet quis præſentire & cognoſcere ruinam ab vtroque illorum immi nentem. Maior enim eſt & celerior eius punitio quam fere homines putant.

23 *Hæc quoque ſapientibus, Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum.*

VERBA illa, hæc quoque ſapientibus, non ſunt referenda, ad ſuperiora, vt quidam volunt, ſed vt patet ex Hebræis ad ſequentia, nam vno verſu apud eos leguntur, cũ ſequentibus. Et ſignificatur hæc etiam quæ ſequuntur poſt alia multa iam dicta, à ſapiente dici ſapientibus. Nam inſipientibus nihil profuerit dicere. Aut hæc quoque ſapientibus aſſcribi & attribui, hoc eſt, ſapientum eſſe dicta & à ſapientibus profecta eſſe, vt iam finis ſit parabolarum Salomonis, & iam quædam ſubiuncta ſint aliorum ſapientum dicta. Inter hęc primum eſt cognoſcere perſonam in iudicio, hoc eſt, attendere perſonam in danda ſententia & in ea re habere rationem perſonarum, non eſt bonum, hoc eſt, res eſt valde mala & noxia. Minus enim dicit quam ſignificat, ſicut & ſupra cap. 20. Statera doloſa, non eſt bona. Et capite ſequenti, Qui mel multum comedit, non eſt ei bonum. Et ſuprà 18. ſimiliter dicitur, Accipere perſonam impij non eſt bonum.

25 *Qui dicunt impio, iuſtus es, maledicent eis populi, & deteſtabuntur eos tribus.*
26 *Qui arguunt eum, laudabuntur, & ſuper ipſos veniet benedictio.*

AD iudices hæc potiſſimum pertinent ſicuti & quod præcedit de cognitione perſonarum in iudicio. Qui enim ſic in iudicio attendunt non tam cauſæ merita, quam perſonæ qualitatem, vt dicant ſiue verbo ſiue facto.

facto,ad impium, iustus es,hoc est, vt eum iustificent cum iniquam tamen habeat causam, tales non tantum subiacebunt maledictioni diuinæ, sed & populi & tribus variæ eis malè precabuntur,eosque execrabuntur vt qui sint pestilentissimi & reip.maximè noxij, cum qui sunt iustitiæ ministri & defensores,eandem ip
Isa.5. simet peruertant.Vnde Esaiæ 5.Væ inquit, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiã iusti aufertis ab eo. Contra qui pro officio suo arguunt impium vt meretur, siue verbo siue facto eius impietatem coercentes, & iniusti tiam,consequentur apud homines bonum no men, & benedictio non tantum diuina sed etiam hominum veniet super eos, hoc est, eis bene precabuntur,& optabunt homines, vt qui & bene & vtiliter suo fungantur officio. Potest & generaliter ad priuatorum adulationes & correptiones totus hic locus referri; Nã vt pessime audiunt merito qui laudant impiũ in impietate sua,fomentum illi præbentes impietatis suæ, ita magna laude digni sunt qui impios redarguunt,& corripiunt,& quãquam non laudentur ab his,quos arguunt, plerique tamen in populis collaudabunt, & eis bene precabuntur,certissime vero à domino laudabuntur, à quo & benedictionem, multaque bona consequentur.

26 *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.*

AVT subintelligenda est hic particula similitudinis, vt sit.Qui recta verba respondet veluti deosculabitur labia aliorum, hoc est, labiis suis tam facit gratum hominibus quam si illis obsculetur eorum labia. Aut sine huiusmodi subauditione, sic accipienda est hæc sententia,Qui recta verba respondet,oscu labitur labia aliorum, hoc est, admittetur ab aliis ad osculum, non tãtum manus sed etiam oris,quod amoris maximum est argumentum. Quo rursum aliud non significatur parabolicè quam quod omnibus erit gratus, quodque amabitur. Recta autem verba respondet inprimis iudex qui sine cõsideratione personarum pronunciat quod æquum est, Deinde & omnis qui rogatus sane & sapienter respondet. Talis enim velut osculum porrigit interroganti,veritatis cupido, quia ei consolationem adfert nõ paruam,& vicissim ad osculum eius facile admittetur, tanquam gratus ei & reuerendus.Osculum enim facile impenditur ei qui gratus est, quemque veneramur, cum sit amoris & reuerentiæ signum.

27 *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum,& postea ædifices domum tuam.*

PRVDENTIAM quandam domesticam docet hoc prouerbium & ordinem in rebus domesticis seruandum,nempe prius curanda esse quæ sunt ad victum necessaria,quæ potissimum ex agricultura petenda sunt, ac deinde cogitandum de ædificandis ædibus. Aut prius ex agricultura, alique iusto labore opes colligendas vt deinde suppetant sumptus ad
Luc. 14. ædificandum ædes necessarias, ne iuxta Euangelij parabolam dicatur,hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare. Aut si per ædificare domum vt sæpe alias,phrasi hebraica significetur hic instituere familiam, docet hoc prouerbio sapiens prius curanda esse quæ ad alendam familiam sunt necessaria, ac postea cogitandum de ducenda vxore, ac familia instituenda, contra quam plerique hodie faciunt qui coniugio se implicant, priusquam didicerunt rationem parandorum necessariorum. Quod autem dicit, Præpara foris opus tuum, id explicat, cum subiungit, & diligenter exerce agrum tuum.Id enim non est distinctum à præcedenti sed explicatio præcedentis, vt patet ex hebræis quæ habent & dispone illud,scilicet opus,in agro tuo.Agriculturæ autem singulariter meminit,sub ea omnem iustũ comprehendens laborem, quod ea & simplicissima & iustissima, & maximè necessaria ratio sit parandi necessaria & opes. Potest & sic accipi, vt significet quælibet suo tempore esse facienda,& quoniam opera rustica suo tempore fieri debent(est enim certum tempus seminandi,est & metendi) tempus hoc non esse ob alia negotia prætermittendũ, sed illis operibus suo tempore peractis, tum demum etiã alia negotia quæ quouis tẽpore fieri possunt, quale est ædificare domum, peragenda.Vtut est, prouerbium hoc, vno proposito exemplo docet ordinem in rebus & negotiis omnibus seruandum esse, & inprimis ea curanda quæ sunt magis necessaria. Iuxta tropologiam docemur prius vacandum esse vitæ actiuæ, atq; in operatione virtutum erga alios, & in excolendo agro corporis nostri gnauiter insistendum,quam quietem vitæ contemplatiuæ,quę per domum significatur in qua quiescitur,quis sibi expectare debeat. Item prius viuendum bene quam securam quis sibi conscientiam parare possit, in qua tanquam domo quiescat. Aut in agro huius mundi laboriosam pœnitentiæ & virtutis vitam subeundam, vt sic ædificare & parare nobis domum possimus in cœlis, in qua perpetuo maneamus. Paulò aliter Beda ex Gregorio libr.10.Moralium cap.16.& lib.13. cap.28.

28 *Ne sis testis frustra contra proximum tuum,nec lactes quenquam labiis tuis.*
29 *Ne dicas,quomodo fecit mihi,sic faciam ei,reddam vnicuique iuxta opus suum.*

DVOBVS his versibus tria linguæ & oris peccata vetat Sapiens. Primo ne quis sit frustrà testis contra proximum suum. Frustrà contra aliquẽ testis est qui contra cũ testimonium perhibet præter causæ eius meritũ, hoc est,qui iniustè & falsò cõtra eum testatur.Vnde sunt qui vertunt,ne sis testis iniurius in alterum. Atque hoc quidem apertæ est iniustitiæ. Quod autẽ sequitur rectioris est malitiæ. Nec lactes quẽquam labiis tuis,hoc est neminẽ vel bis tuis blandis seducas & fallas promittendõ ei amicitiam quam corde non geris,aut laudãdo cũ quo magis decipias.Et quoniam ad hæc aliaque in proximũ mala frequenter homines impellũtur cupiditate vindictæ ob acceptam prius ab altero iniuriã,subiicit tertio,ne dicas, quomodo fecit mihi sic faciam ei, vetans ne quis glorietur,se imitaturũ alterius malitiã,ac significans

significans non illam habendum præ oculis, sed legem Dei, vt non quid alij mereantur à nobis,sed quid lex Dei requirat à nobis,spectemus & faciamus semper.

30 *Per agrum hominis pigri transiui & per vineam viri stulti.Et ecce totum repleuerãt vrticæ, operuerũt superficiem eius spinæ,& maceria lapidum pessima erat.*
31 *Quod cum vidissem,posui in corde meo & exemplo didici disciplinam, vsquequo piger dormies? vsquequo de somno consurges?*
32 *Parum,inquam,dormiet & modicum dormitabis, pauxillum manus conseres vt quiescas.*
33 *Et veniet tibi quasi cursor egestas tua,& mendicitas quasi vir armatus.*

CVM frequenter hoc libro à pigritia & otio sit dehortatus, nunc idem prolixius agit,idque dupliciter. Primo quia ob oculos ponit quod per experientiam didicit,bona scilicet pigri per ipsius negligentiam & socordiam pessum iri,vt qui viderit illius agrum repletum vrticis, quod ab eo relinqueretur incultus,vel illi neglexerit semen bonum immittere vel post iniectum semen à vizaniis repurgare. Viderit etiam vineam eius omnium incursui & direptioni fuisse expositam,destructa scilicet maceria lapidum ad custodiam vineæ prius congesta,ita vt quæ fructus adferre poterant bonos, nihil nisi malos protulerint aut nullos.Secundo quia ex his quæ vidit prudenter apud se collegit & pigris prædicit imminẽtem eis egestatem.Cum vidissem, inquit, posui in corde meo & illius exemplo didici disciplinam, hanc scilicet quæ sequitur.Vbi sciendum versum illum, Vsquequo piger dormies, huc translatum esse ab aliquo ex cap.6. huius libri,vbi ante duos versus, qui & ibi & hic sequuntur præmittitur. Nam Hebræa hic non habent, nec pleraque exemplaria Latina vetera.Et interpretem hic non addidisse satis ex eo patet,quod verbum, inquam, addiderit in sequenti sententia, parum inquam dormies, cũ illud potius addere debuisset in hoc versu & dicere, vsquequo inquam piger dormies.Cæterum versus qui sequuntur,duplicem habent intelligentiam. Quidam enim intelligunt hic Sapientem docere quid facere quis debeat,vt egestatem effugiat, videlicet quod parum ei sit dormiendum,hoc est, quod pauco somno & quiete parua debeat esse cõtentus. Id enim si fecerit,etiamsi egestas & inopia aliqua accedat non adhærebit tamen ei,sed veluti cursor, & vir armatus, qui festinat procedere ad aciẽ belli,cito pertransiet eamque sua diligentia facilè superabit.Alij rectius intelligunt hic indicare sapiẽtem, per quid fiat vt quis egestatem incidat quam effugere ac superare nõ valeat, nempè per hoc quod quis nunc parum somno indulget & rursum modicum ac iterum modicum.Modicum scilicet ibi, & modicum ibi,sicque multis vicibus dormitando parum, dormiat multum, tamen si parum se dormire dicat, hoc est, vbique & semper ociosus sit,& moras nectat,varias sui otij causas prætexens. Nam somno,dormitatione, & complexu manuum, pigrorum ocium designat, Hac ergo cessatione & ocio fit,vt & de improuiso egestas adueniat,quemadmodum cursor aliquis subi to & inexpectato adest,& eadem tanquam vir armatus opprimat sic hominem, vt eam non possit effugere, sed ab ea penitus consumatur.Fames enim, inquit Hesiodus est, indiuiduus comes hominis ignaui. Iuxta spiritualẽ sensum qui agrum cordis sui negligit excolere, deprehenditur à sapientibus non tantum vacuus virtutibus & fructu bonorum operum sed repletus malis fructibus & dæmonum incursibus expositus, quòd sit destitutus per suam negligentiam Dei gratia & protectione tanquam destructa vineæ maceria. Ideoque tandem post hanc vitam inexpectata & ineuitabiliter opprimet eum grauissima omnis boni inopia, quando cum diuite epulone nec desideratam aquæ guttam obtinere poterit. Vide autem ex hoc loco quomodo sapiens sit,aliorum facta & fines animaduertere, atq; ex aliorum insipientia sapientiam sibi comparare. Vidi inquit, & posui in corde meo, & ex exemplo didici disciplinam. Rectè enim Cato senior stultos dixit multum sapientibus prodesse, quòd ab iis cautiores ac meliores fierent,prudentes verò nihil conferre stultis, qui illorum rectè facta non animaduerterent. Notandum autem totum hunc locum longe aliter se habere apud 70 interpretes, ita vt versu 31. sit apud eos. Postea ego egi pœnitentiam, & aspexi ad eligendam disciplinam. Quod D. Hieronymus citat super Ezechielis 43.ad ostendendum Salomonem post peccata egisse pœnitentiam, qui idem super Ecclesiasten testatur hebræos asserere librum Ecclesiastes esse Salomonis pœnitentiam agentis.

HAE QVOQVE PARABOLAE SALAMONIS, QVAS

Transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.

CAPVT XXV.

CERTVM est hæc nõ esse verba Salomonis, sed addita ab aliquo in dieb.Ezechiæ Regis, videlicet à Sobna, qui in diebus illis scriba fuisse dicitur, aut ab alio quopiã. Esse tñ quæ sequũt ipsius Salomonis,nec aliũ eorum esse authorem, patet quia dicitur Hæ quoque parabolæ Salomonis, quo significatur etiam eas quæ sequuntur esse Salomonis, sicut, quæ præcedunt parabolæ. Quod autem sequitur, Quas transtulerunt, nullo modo videtur accipiendum, de translatione ex vna lingua in aliam, quia sicut has parabolas Hebraicè vel dixit, vel scripsit Salomon, ita eas viri isti Hebraicè transtulerunt. Sed omnium penè sententia accipiendum est de translatione ex diuersis scedulis, & membranis in quibus sparsim, inuentæ sunt in hunc vnum locum collectæ, & superioribus additæ. Vnde apparet, aut librum parabolarum à Salomone descriptum in diebus Ezechiæ fuisse mutilum, & ex fragmentis collectis fuisse per viros istos Ezechiæ suæ restitutum integritati,aut parabolas istas,quæ sequũ

tur ab ipso Salomone non fuisse scriptas, sed ex ore eius fuisse exceptas ab assistentibus ei ministris, quæ deinde ad Ezechiæ Regis vsque tempora dispersæ sint habitæ à pluribus, & à viris istis collectæ in vnum, in huius libri corpus sunt insertæ, vt annotat Venerabilis Beda. Ad quem modum etiam quidam, ex hoc loco argumentum sumentes, putant quæ hactenus præcesserunt, parabolas non fuisse ab ipso conscriptas Salomone atque ab eo in eum quem legimus, redactas ordinem, sed à variis auditoribus exceptas, posteà à studioso aliquo in vnum sub certo redactas ordine. Non enim hic prouerbiorum liber continet Reg.4. omnes Salomonis parabolas, quas vsque ad tria milia eum locutum scribitur, cum nec mille habeamus in hoc toto libro, vt hinc constet eum vel non scripsisse, quæ locutus est, sed ex ore eius diuersos diuersa excepisse, quorum quædam in hunc librum sunt collecta vel si quædam scripserit, hæc postrema saltem ab eo non fuisse scripta, sed ab aliis excepta, & in diebus Ezechiæ Regis fuisse addita scriptis ab ipso, aut si etiam ab eo fuerunt scripta, tunc demum fuisse restituta, & addita libro eius iam lacero & mutilo per hominum negligentiam. Vnde patet quam frustra laborent quidam ostendere certam harum omnium sententiarum inter se cohærentiam, cum sine tali obseruatione ordinis, digestæ sint & coniunctæ Sunt tamen qui totum hunc prouerbiorum librum volentes defendere scriptum esse à Salomone, ita vt eum habemus, per hoc quod hic dicitur de translatione intelligunt viros istos Ezechiæ has sequentes parabolas vertisse ex lingua Hebraica in aliam aliquam linguam, in gratiam aliquarum gentium cupientium eas in suam transferri linguam. Ita enim dicendum existimat Dionysius Carthusianus si quis defendere velit hoc opus à Salomone esse descriptum. Sciendum tamē, quod dictio Hebraica, pro qua nos habemus, transtulerunt verti etiam potest, roborauerunt, aut fortificauerunt, quemadmodum & Liranus annotauit, vt simpliciter significetur parabolas istas, à viris sapientibus, qui fuerunt sub Ezechia, robur & authoritatem accepisse, vt pro veris Salomonis parabolis haberentur, cum prius sparsæ haberētur in diuersis schedulis apud diuersos. Septuaginta verterunt φίλοι ἐζεχίȣ, hoc est, scripserunt, quomodo & Chaldæus paraphrastes vertit. Porrò, quod hæc translatio vel scriptio facta dicitur à viris Ezechiæ, omnino videtur intelligendum, ipsius regis iussu, & cura factum, qui sicut collapsam ante se religionem studiosissime restituere curauit, quemadmodum de eo prolixe scribitur 2. Paralip. 29.30. & 31. capitibus, ita etiam studium legis, & scripturarum promouere laborauit. Vnde de eo dicitur cap. 31. quod præceperit populo vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi domini, vel vt habent Hebræa, vt fortificarent se, hoc est, fortiter se gererent in lege domini. Vnde pro eo quod nos habemus, viri Ezechiæ, Septuaginta verterunt φίλοι ἐζεχίου, hoc est, amici Ezechiæ, & omnino videtur viros Ezechiæ dici famulos eius, sicut viri Dauid, vel Salomonis famuli eius dicuntur.

1 *Gloria Dei est celare verbum, & gloria regum inuestigare sermonem.*

VARIE admodum singularis hęc sententia à diuersis explicatur. Consistit autem varietas hæc potissimum in duobus. Plerique enim priori parte significari intelligunt, quid homines facere conueniat, pro gloria & honore Dei, & quare homines Deum gloria afficiant, nempe si celent eius verba & mysteria quædam, non facilè omnibus propalanda, ne sanctum detur canibus, nec margaritæ proiiciantur porcis. Qui enim secretiora diuinarum rerum mysteria occultant rudibus, & indignis, gloria Deum afficiunt, cuius res se magnifacere declarant, dum studiosè curant, ne quæ in Dei rebus sunt honoranda, ab indignis rideantur, contemnantur, & dedecorentur. Iuxta hanc intelligentiam docent ex hac sententia Rabbini exordia Genesis, & Ezechielis celanda esse infidelibus, & rudioribus. Iuxta hunc sensum, in sequenti parte non est intelligendum significari, quid reges conueniat pro sua gloria facere, quemadmodum quidam prædictū sensum amplexi faciunt, qui in sequenti parte intelligunt significari gloriam regum in eo sitam esse, si ipsi studiose inquirant sermonem sapientiæ, quo quæ Dei sunt, & quæ ad regni gubernationem maximè faciunt, plenius cognoscant. Nam duæ huius sententiæ partes, per comparationem, & similitudinem accipiendæ sunt in hunc modum. Sicut gloria Dei est celare verbum, ita contra, gloria regum est inuestigare sermonem. Proinde si prędictus prioris partis sensus placeat, posterior consequenter sic erit pars intelligenda, vt significetur id cedere terrenis regibus, in gloriam, & honorem ipsorum, si ipsorum dicta factaque diligenter exquirantur, ac inuestigentur, & per scrutata inueniantur recta. Nam verbum & sermo Hebraica phrasi pro quauis re hic accipitur. Verum magis apparet in secunda parte significari, quid faciendo reges sibi gloriam, & honorem comparent, & proinde & in priori parte intelligendum significari, qua re Deus gloriam suam promoueat vel ostendat. Itaque Caietanus intelligit hic significari disparitatē inter Deum & reges consistere in hoc, quòd ad honorem Dei pertineat abscondere rationes iudiciorum, & factorum suorum, quia per hoc patet ipsum non habere superiorem, aut parem cui rationem reddere cogatur, sed dominium eius & iustitiam tantum pendere à sola eius voluntate, & non ab homine aliquo aut quauis creatura. Sic autem facere non pertinet ad honorem regum & quorumuis iudicum humanorum, sed ad illorum spectat ignominiam si non sint parati declarare rationes suorum iudiciorum, & factorum, nempe quare sic, vel sic iudicent aut faciant. Facit autē ad illorum gloriam, si quærant aut inuestigēt, siue sacrorum verborum, siue quarumuis rerum notitiam, ac veritatem, quod Deo tribuere non faceret ad illius honorem, cum inquirere propriè sit nescientis, Deus autem omnia sciat ab æterno. Significatur ergo id quod Deo est gloriosum, non vicissim etiam esse regibus, & contra, simplicius fuerit intelligere

hoc

hoc pertinere ad Dei gloriam, quod nihil debeat inquirere cum omnia sciat, & quod cum omnia sciat, non tamen omnia se mox scire declaret, sed cuncta quæ aguntur modo, & dicuntur homines celet ac dissimulet suo tempore omnia reuelaturus, cum omnia adducet in iudicium. Hoc enim mirificè commendat eius patiētiam & lenitatem, quod qui omnia nouit, tanto tamen tempore omnia tegat ac patienter ferat. Ne autem hoc exemplum in Deo imitari velint reges, qui in eius locū hic sunt constituti, ex opposito subiicitur, ad gloriam regum pertinere, inuestigare sermonem hoc est, diligenter inquirere de statu regni sui déque his quæ à subditis in regno ipsorum aguntur, vt quæ sunt corrigenda ac punienda corrigāt, ac puniant. Neque enim ignominiosum sibi ducere debent inquirere de rebus, quamuis hoc sit nescientium, nec instar Dei se gerere debēt, quasi omnia sciētes: nec quæ nouērūnt corrigenda instar Dei debent celare, sed detegere ac punire. Sensus ergo est, Sicut ad gloriam Dei facit, quod non debeat inquirere de aliqua re, sed quod cū omnia sciat celet tamen ea: ita ad gloriam regum è contrario facit, quod cum fateri debeant se pleráque vt homines nescire, diligenter scrutentur res scitu necessarias, vt inuestigatas detegant. Venerabilis Beda mysticè sententiam hanc Christo accommodat, & Apostolis omnibusq; eius discipulis, ac fidelibus tanquam regibus sub ipso constitutis, intelligens gloriam Dei, in carne apparentis, in eo demōstratam, quod verbum, hoc est diuinitatem suam celauerit, infirmitatem humanitatis suę magis quam diuinitatis suæ maiestatem mortaliū oculis exhibēs, & se potius operū miraculis, ac mysticis locutionib. quā apertis locutionibus verbum Dei ac filium Dei insinuans. Fidelium autem discipulorum eius gloriam esse diligenter inuestigare sermonem eius, atque in eo intelligere etiam tectam eius diuinitatem. Ex præmissis intelligere satis licet, quomodo huic sētentiæ non contrarietur quod quasi cōtrariū Tob.12. in specie dicitur Tob. 12. Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare ac cōfiteri honorificum est. Nam secūdum posteriorem sentētiæ huius tractationē, qua celare verbum, Deo, & inuestigare sermonem regibus tribuitur, apertè nulla est cōtrarietas. Secūdum priorē verò tractationē, qua absconsio, & inuestigatio hominib. tribuitur, etiam non est contrarietas. Nā per id quod est apud Tobiam tantum significatur bonum esse, vt quis abscondat secreta regum, quæ illi euulgari nolunt. Cui non contrariatur, quod ad eorum pertinet gloriā si eorū facta inquirātur, vt laudentur. Itē honorificū esse, si quis opera Dei reuelet sed nō omnia apud quosuis, & oī in loco sed apud fideles & pios maximè, & apud vnū quéq; pro eius captu & affectione.

2 *Cœlum sursum & terra deorsum & cor regum inscrutabile.*

HEBRAEA significantius sic verti possunt Cœlorum altitudini, & terræ profunditati, & cordi regū est pescrutatio vel inquisitio. Itaque tria significat inscrutabilia, cœlū quantum attinet ad eius altitudinem, & terra quātum attinet ad eius profunditatem, & cor regum. Et sunt per comparationem hæc intelligenda hoc modo: Sicut altitudo cœli, & profunditas terræ, ita & cor regum est inscrutabile. Altitudinem autem cęli, & profunditatem terræ inscrutabilia dicit, sicut & Ecclesiastici 1. Altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Nā quāquam sint, qui se assecutos rationibus naturalibus putant, quanta sit cœli à terris altitudo, & terrę profunditas: difficile tamē est hęc perscrutari nec satis firmis astruitur rationibus quod de illis affirmatur. Deinde quod dicitur in Hebræo, horum trium non esse inquisitionem accipi potest vt significetur illa non esse inquirenda anxiè, vt inscrutabile apud nos accipiatur non pro eo quod perscrutari & inuestigari non possit, sed pro eo quod nō debeat inquiri, & inuestigari, quia vt habet Augustinus, Augusti. noxiæ cuiusdam, & vanæ est curiositatis potius quā alicuius solidæ vtilitatis, velle scrutari cœli altitudinem, aut terræ profunditatē. Significatur ergo aut non debere quenquam cor regum eorumque cōsilia ac cogitationes anxiè perquirere, quod hoc sæpe noxium sit & vanum, aut nō posse quemquam facilè cor regum perscrutari, quia si verè regium habeant animum (de veris enim loquitur regib. & quales veros reges esse oporteat, indicare vult) tam sublimia habebunt consilia, & tam profundæ sapientiæ, eademque adeò secreta in cordis sui penetralib. vt non facilè ea possit assequi homo. Bene enim cœlo, eiusque altitudini, & terræ, eiusque profunditati cor regum comparat, vt ostendat quam sublimia atque profunda eorum consilia sint aut esse debeāt. Proinde generalior & verior erit hæc sententia, si de regibus spiritualibus accipiatur, quales fuerunt Apostoli, & sunt omnes verè sapiētes, quorum sublimem profundámque de rebus diuinis intelligētiam, in ipsorum cordib. recōditam difficilè est assequi, & plenè cognoscere. Spiritualis enim iudicat omnia, & ipse à 1.Cor. 2. nemine iudicatur. Cæterum quod dicitur cœlum sursum, & terra deorsum esse inscrutabilia, potest ad literam intelligi, non de illius altitudine, & huius profunditate, sed de his, quæ in cœlo sursū sunt, & de his quæ in terra sunt deorsum. Sicut enim illa sunt inscrutabilia, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, ita & quæ latent in corde regum & sapientū. Possunt enim etiam Hebræa & melius sic verti. Cœlo superius, & terræ inferius, & cordi regum non est inquisitio. Quod magis cōcordat cum nostra versione. Sunt qui intelligūt, ideo dici cor regum inscrutabile, quia cognosci non potest, quam mira ratione Deus illorum corda morderetur, siue in bonum, siue in malum Reipu. Quod cum eo conuenit, quod est superius, Cor regis in manu domini.

3 *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.*
4 *Aufer impietatem de vultu Regis, firmabitur iustitia thronus eius.*

SVNT hi duo versus per comparationem coniungendi, vt sit sensus, Sicut cum

prouerbiorum c.20. n° 26. dissipat impios Rex sapiēs, et incuruat sup eos fornicem

aufertur rubigo de argento, egreditur vas purum: Ita ſi auferatur impietas è regno, firmabitur per iuſtitiam thronus Regis. Cæterum non eſt hebræis rubigo, ſed סיגים Sigim, quod ſcoriam ſignificat. In noſtra lectione videtur eſſe comparatio argentei alicuius vaſis, quod rubiginem ſitu contraxit, à qua vas illud purgatur ſi in ignem mittatur, vnde deinde egrediatur puriſſimum, cum potius iuxta hebræā lectionem ſit comparatio argenti adhuc informis, & à ſcoria ſua necdum per ignem purgati, quæ ſi per ignem depurata, & ſegregata fuerit, poterit argentarius conflator ex argento vas producere, & dare commodum & gratum, vnde hebræa habent, Et egredietur conflatori vas. Egredietur inquit, non ex igne, ſed ex manu conflatoris vel ex argento. Et ſanè pulchra eſt hæc ſimilitudo, ſcripturiſque familiaris qua impij, ſcoriæ comparantur. Sicut enim Scoria argēto commiſta eius decorem tollit: ita impij in aliqua communitate iuſtis permiſti eorum pulchritudinem nonnihil obſcurant, & vitiant. Et ſicut ſcoria ab argento igne eſt ſeparanda, & excoquenda: ita igne tribulationis ac vindicta iuſtitiæ impij ſunt à iuſtis ſeparandi, vt quietam vitam agere pij poſſint. Et ſicut argentum quidem in igne tantū purgatur, nec conſumitur, ſcoria autem conſumitur: ita etiamſi tribulatio bonos ſimul ac malos inuoluat, malos quidem perdit, bonos
Sap.3. vero nitidiores facit ac clariores. Tanquam e-
Eſa.1. nim aurum in fornace, probauit electos dominus. Vnde hac metaphora vtitur dominus Eſa. 1. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Et poſtea Conuertam manum meam ad te & excoquam ad purum, ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, ſignificans à ſe impios puniendos & ſeparandos a piis. Vnde ſequitur Poſt hæc vocaberis, ciuitas iuſti, vrbs fidelis.
Ezech.1. Et in Ezechiele. Verſa eſt mihi (inquit dominus) domus Iſrael in ſcoriam, omnes iſti æs, & ſtannum & ferrum & plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt. Propterea hæc dicit dominus: eo quod verſi eſtis omnes in ſcoriam, propterea ecce ego congregabo vos in media Hieruſalem congregatione argenti, & æris, & ſtanni & ferri, & plūbi, in medio fornacis vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum, &c. Significat ergo Sapiens, id faciēdum regi in regno, quod facit conflator in argento vt quemadmodum ille contractam rubiginē, aut ſcoriam argento permiſtam tollit igne, ac excoquendo perdit, vt habeat argentum nitidum & purum: ita & rex è conſpectu ſuo tollere debeat impios, iuſtitiæ ſuæ ſeueritate eos puniendo, & perdendo, & ſeparando. Sic enim futurum, vt thronus eius & regnum ſtabiliatur, per iuſtitiam quam contra impios exercet, & quam iuſti & omnes ſubditi lubentius & tutius deinceps ſeruabunt, per quam & tutius regnabit deinde. Sicut enim ſcoria impedimento eſt aurifabro, vt non poſſit edere vaſa argētea, pura & nitida: ita impij regi ſunt obſtaculo, quod minus poſſit & glorioſè & ſecure regnare, Pro impietatem, enim vt nos legimus in ſecundo verſu, Hebræa habent, impium. Nam noſter legit רשע Reſca, quod impietatem ſonat, vt opponatur iuſtitiæ in ſecunda parte poſitæ, cum ſub aliis punctis legatur רשע Raſca, quod impium ſignificat, quomodo & ſeptuaginta verterunt, qui habent ἀσεβεῖς, id eſt, impios. Verum vtraque lectio in idem redit, impietas enim tollitur, cum tolluntur impij. Proinde non eſt hic locus illi alteri intelligentiæ quam hoc loco reddit Beda, vt intelligatur de impietate ipſius regis, quæ in eius vultu reluceat, & ſignificetur ipſum regē de vultu ſuo debere ſemouere impietatem nimiæ ſeueritatis, & inclementiæ, & exhibēdum ab eo vultum hilaritatis & gratiæ plenum, ne per arrogantiam rigidior effectus, in muſſitationem incidat plebis, ſicque periclitetur ſoliditas regni eius. Hic enim ſenſus etſi pius ſit, propoſito tamen ſapientis non conuenit. Vtinam autem qui præſunt rationem diligētem haberent doctrinæ huius ſapientis, & non cōtra potius ſinerent reges, non ſolum impios pleroſque eſſe in regno ſuo, quos tollere deberēt pro quiete iuſtorum, ſed eoſdem etiam primas tenere, & rerum potiri, quorum conſilio pleraque nimis agunt. Vnde etiam duplici nomine fit vt periclitentur, dum & metuēdum eis ſit ab impiis qui dominantur, & ſubditos oppreſſos, minus habeant fideles, ac dicto minus voluntariè audientes.

5 *Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris.*

6 *Melius eſt enim vt dicatur tibi, Aſcende huc, quam vt humilieris coram principe.*

DOCTRINA hæc valde ſimilis eſt parabolæ euangelicæ, quam dixit dominus in conuiuio ad inuitatos, intendens quomodo primos accubitus eligerent: Cum inuitatus Luc. 14.
fueris ad nuptias, vade & recumbe in nouiſſimo loco. Et eadem ratio ibi datur quæ hic, ſed in hoc eſt differentia, quod ibi agatur de locis conuiuarum, hic verò, de locis coram rege. Reuocat ergo ab ambitione, & faſtuoſa oſtentatione ſuiipſius, maximè apud principes & reges, apud quos periculoſior eſt ſui oſtentatio Et monet ne quis ſe temere ingerat, vt apud magnates eximium aliquem locum obtineat, ſeipſum glorioſum exhibendo apud eos, oſtētatione diuitiarum, aut ſapiētiæ, aut alia quaſpiam re, ambitioſè ſe eis commendando. Fieri enim ſæpè ſolet, vt talis, non ſolum non aſſequatur, quem ambit honoris gradum, quod indignus reperiatur, vel ob ipſam vanā oſtentationē etiā hominibus ingratā, ſed & à principe rideatur, ac humilietur ignominia aliqua affectus, ſicque ex conuerſatione cū magnatibus, nihil niſi dedecus reportet, idque ſummū. Dedecus enim ſummū eſt apud magnates pudore affici, & ex ſpe magna temerè ac ſtultè tentata, turpiter excidere. Contra verò ſi quis ſe gerat ſubmiſſè etiamſi dona quædā habeat, talis plerunque eo magis ad honores euehitur, quo minus eos ambit, quod præter dona quæ latere non poſſunt, ſed facilè à ſapiētibus regib. animaduertūtur, ipſa etiā modeſtia, hominib. etiā magnis, gratiſſima, talē commēdet. Omnis enim qui ſe humiliat, exaltabitur: & omnis qui ſe exaltat, humiliabitur. Luc.18. & 14.
Quod ſi corā rege terreno, cum magna animi deiectione vertādū eſt, & ab omni ambitione alienos

alienos eſſe oportet, qui gratiam eius inire
Pſal. 111. volunt, quanto magis apud regum regem, & cœleſtem principem (qui cum ſit excelſus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit) oportet nos meminiſſe conditionis noſtræ, & fragilitatis, nec eximium ſanctitatis, aut ſapientiæ locum, nobis apud illum vendicare, nec in Eccleſia ipſius, eminentem aliquē honoris gradum ambire, ne cogamur aut hic aut poſtea coram Deo, angelis & iuſtis hominibus pudefieri, dum vel non aſſequimur deſideratum in Eccleſia honorem, vel aſſecuti deprehendimur inferiores eſſe munere ſuſcepto vt aliis cedendum ſit dignioribus. Poteſt & aliter accipi, quod monet, ne quis glorioſus appareat coram rege, videlicet ne quis oſtentatione diuitiarum ſtudeat imitari gloriam principum. Ita enim ferè fit, vt quis obnoxius fiat inuidiæ principū, qui ferre æquales non poſſunt, & ob id tales deprimere ſtudent, gloriáque exutos in ordinem redigere, quemadmodum ſæpè videmus accidere nimiis oſtentatoribus diuitiarum & gloriæ.

7 *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito ne poſtea emendare non poſſis, cum dehoneſtaueris amicum tuum.*

VERBA illa, Quæ viderunt oculi tui, Hebræa cōiungunt cum præcedenti verſu, vt cohæreant cum principe, & vertendum ſit Corā principe quem viderunt oculi tui, vt ſignificetur, quid reportet ambitioſus, ex conſpecto principe in cuius oculis ſe oſtentando ingerit, nempe ignominiam & humiliationē. Noſter ſeparauit hæc verba à ſuperioribus, & fecit principium noui verſus, quemadmodum & Septuaginta, qui tamen hæc verba non iū xerunt ſequentibus, quemadmodum noſter. ſed addito verbo abſolutam reddiderunt ſententiam, hoc modo ἃ εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, λέγε id eſt, quæ viderunt oculi tui dic, hoc eſt, noli teſtificari de aliquo, niſi quæ oculis tuis vidiſti. Deinde ſubiungunt, quod Cum Hebraica veritate magis conuenit, Ne incidas in pugnam cito, ne peniteat te in extremis, cū exprobrauerit tibi amicus. Hebræa enim habent, Ne exeas in litem celeriter, nam quid facies in nouiſſimo illius, cum ignominia te affecerit amicus tuus vel proximus tuus? Quo monemur non facilè aut temere aggrediendā contra aliquem litem, aut cum aliquo contendendum, ſed ſi modo id ſit faciendum, diſcutiendum bene, an cauſa bona ſit, & mature cum prudentia incipiendum, ne forte contingat aliquid non præuiſum ab aduerſario obiici, quod ſpectat ad ignominiam, quo ſic homo inuoluatur, vt neſciat quomodo ſe extricare & ab ignominia liberare valeat. Noſtra lectio monet, ne quis per iurgium & contentionem publicum facile faciat alicuius crimen, etiamſi oculis ſuis illud conſpexerit, multo minus ſi vano tantum audierit rumore, ſed ſecūdum
Matt.18. Chriſti præceptum, cum peccauerit frater aliquis, ſecreto moneatur, idque non per contentionem, ſed in ſpiritu lenitatis, contra quorundam morem, qui ſtatim vbi aliqua viderint in proximo, quæ ſint reprehēdendá, mox cum iurgio & ſtomacho proferunt ac palam faciunt. Itaque notanda tria quæ hic dicuntur, Ne proferas, & In iurgio, & cito. Neque enim crimina maximè ſecreta ſunt proferenda, & publicanda, nec cum iurgio ſunt reprehendenda, nec cito, aut præcipitanter, ſed tempore & loco opportuno. Quamquam illud In iurgio, aliter accipi poſſit, videlicet non pro cum iurgio, aut per iurgium, ſed pro inter iurgandum, vt ſignificetur, ſi litem aut contentionem aliquam habere cum aliquo contingat, cauendum vt ne per impatientiā animi, ac ſe vindicandi cauſa quis quid etiam earum rerum quæ vidit effutiat contra alium ne cum proximum ſuum infamia aliqua aſperſerit, non poſſit id poſtea corrigere, & famam ereptam reſtituere, ſicque ſe & coram Deo obnoxium faciat magno peccato, & apud læſum magno ſe exponat periculo.

8 *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum alieno non reueles.*

9 *Ne forte inſultet tibi cum audierit, & exprobrare non ceſſet.*

SENSVS noſtræ lectionis facilis eſt, & apertus. Significatur enim non debere quemquam nimis fidere ſibi in dirigendis ſuis negotiis & cauſis, ſed ſi quod habeat negocium maxime ſingulare & arduum, tractandum illud cum alio, non tamen cum quouis, ſed cum amico quopiam de cuius fide non dubitetur, qui & bene conſulere velit, & ſecretum ſeruare. Cauendum enim ne quis ſecretum ſuum, homini extraneo cuius integritas non ſit ſatis explorata reuelet, ne forte quod audiuit ſecretum publicè obiiciat, & ſine ceſſatione improperet. At Hebræa quæ aliter habet difficiliora ſunt. Poſſunt autem ſic verti: Litem tuam litiga cum amico vel cum proximo tuo, & ſecretum alterius non reueles, Ne forte probro afficiat te qui audierit, & infamia tua non auertatur. Cum enim ſuperiori ſententia Sapiens monuerit, ne quis facilis ſit ad ſuſcipiēdum litem contra aliquem, hic monet, vt ſi contra alium ſit litigādum alicui tantum ſuam cauſam cū eo tractet, nec inter litigandum & contendendum ex animi impotentia vt fit, ſecretum aduerſarij ſui reuelet, ne forte alij audientes, & conſiderantes illius impatientiam & vindicandi cupiditatem, cum alioqui exiſtimare potuiſſent eum bonam habere cauſam contra aduerſarium, nunc eum vituperent, & de eo malè loquantur, ita vt non facilè vnquam infamia illa poſſit auerti.

10 *Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias.*

HVNC verſum Hebræa non habent, Habent tamen Græca, ſuperaddita adhuc vna parte, Sic enim habent χάρις καὶ φιλία ἐλευθεροῖ ἃς τήρησον σεαυτῷ, ἵνα μὴ ἐπονείδιστος γένῃ, ἀλλὰ φύλαξον τὰς ὁδούς σου εὐσυναλλάκτως, hoc eſt, Gratia & amicitia liberum faciunt, quas confirma tibiipſi, vt ne exprobrabilis fias, ſed cuſtodi vias tuas conciliabiliter. Quibus ſignificatur fauorem Dei & hominum, & beneuolentiam liberum & ingenuum reddere hominem, ita

vt ne seruili semper timore sibi male metuat, sed per gratiã, ac amicitiam Dei hominumq; securus sit, ac libero viuat animo, atque sæpè à multis malis per illa liberetur, proinde merito curam illorum habendam, vt custodiantus, & firmentur, ne qui prius bene munitus erat aliorũ gratia, & amicitia, illis amissis fiat exprobrabilis. Sic etiam cuique custodiendas vias & actiones omnes, vt facilè cum ipso trãsigi possit, nec durus sit ac præfractus, sed semper facilem se præbeat ac pacificum, ita vt etiamsi quid controuersiæ incidat, facilè conciliationẽ admittat, ne scissa amicitia, posteà non facilè resarciri possit. Id enim significare videtur quod Græcis est aduerbium ἐυσυναλλάκτως. Et ex Græcis verbũ liberare, apud nos videtur magis accipiendum pro liberum reddere, & ingenuum, quam pro eximere à malis. Est enim ἐλευθεροῦ.

11 *Mala aurea in lectis argentis, qui loquitur verbum in tempore suo.*

HEBRAEA non habent, qui loquitur verbum, sed verbum locutum vel dictum, ita vt non qui loquitur, vel verbum ipsum cõparetur malis aureis. Nam & hæc sententia per comparationem est intelligenda, vt sit sensus Sicut se habent poma aurea in lectis argẽteis ita qui loquitur verbum, vel ita se habet verbum dictum in tẽpore suo. Pro lectis hebræa habent משכיות Masciioth, quod à verbo שכה Sacha, quod videre, & contemplari significat, deriuatur, vnde significare dicitur opera ingeniosa quę hominem ad intuendum inuitant. Alij celaturas vertunt & incisiones aut cãcellaturas, vt significetur poma aurea superducta quibusdam incisionibus & cancellis argenteis per eas videri cum intuentium voluptate ob varietatem aptam. Interpres videtur legisse mutata vna litera Mischaboth quod lectos significat Septuaginta verterunt ἐν ὁρμίσκῳ σαρδίου, id est, in monili Sardij. Vtvt est, nihil aliud significatur, quam ornatus, varietate, preciositate delectans & recreans. Itaque sensus nostræ lectionis est. Quemadmodum mala aurea affixa lectis argenteis, aut ab eis dependentia exornant multũ lectos, recreant atque delectant, & propter varietatem, & propter preciositatem, & propter artis elegantiam: ita verbum opportuno tẽpore dictum, multum afficit audientes, & ipsum proferentem mire exornat. Verbum enim prudens si non dicatur suo tempore, est quidem quasi pomum aureum ac in se multi precij, sed si iungatur tempori suo, quo commodè dicatur, & opportunè, veluti aureum pomum est, argenteis lectulis insertum, valde scilicet recreans hominésque afficiens. Antiquitus enim ditissimi, & potẽtissimi reges lectos habebant aureos, & argenteos, eosque mira varietate exornatos vt habetur Hester primo. Hebræa habent, verbum dictum in rotis suis, hoc est dictum debitis quibusdam modis ac coloribus rhetoricis exornatum, quibus veluti rotis vehatur in audientium aures ad persuadẽdum. Venerabilis Beda doctè & sublimius ostendit, quomodo verba sapientum opportune dicta non tantum comparentur aureis malis in lectis argenteis, sed sint metaphoricẽ mala aurea in lectis argenteis. Mala quidem, quia de arbore vitæ, hoc est, de Dei sapientia sunt orta. Aurea, quia charitatem mẽti infundunt: Lectis etiam comparantur, quia requiẽ præstant animabus audientium, Argenteis, quia splendore fulgent veritatis. Mala ergo aurea superaddit ornatui lectorum argenteorum, quisquis diuina eloquia, spiritualibus plena sensibus, atque mysteriis quibus suauiter animus pascitur, & accenditur, opportuno tẽpore superaddit rudioribus ac simplicioribus doctrinis, per quarum custodiam, & hic præstatur animæ requies & ad quietem peruenitur æternam.

12 *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.*

HEBRAEA habent, Inauris aurea, & ornamentum vel monile obrizi auri. Sapiens corripiens ad aurem audientem. Quod dupliciter accipi potest. Aut simpliciter, vt is qui prudenter alium admonet, & corripit, comparetur duabus illis preciosis rebus scilicet inauri aureæ, & monili aureo vel margarito fulgenti, & significetur illum magnifaciendum esse & preciosis rebus æquiparandum, vt qui re bona, nempe sapienti correptione bene, & vtiliter vtatur, nempe apud eũ in quo faciet fructum. Quomodo & nostra lectio accipi potest & exponitur à Lyrano. Aut sublimius, & magis ex intentione Sapientis, vt sicut duo ponuntur in priori membro, nempe inauris aurea, & ornamentum, vel monile aureum, aut margaritum fulgidum, duo item in secundo membro nempe Sapiens qui arguit, & auris audiens, vel obediens: ita vnum vni, & alterum alteri comparari intelligatur, inauris scilicet aurea auri audienti, & obedienti, & monile aureum, vel margaritum fulgens, sapienti arguenti alium, vt sit sensus: Sicut se habet margaritum fulgens vel monile aureum additũ inauri aureæ, ita se habet sapiens correptor aliquis non ad quemuis, sed ad aurem obedientem. Vterque enim plurimi est faciendus, vterque alteri plurimum decoris adfert, & vnus quidem velut inaurem habet auream, qui aurem habet obedientia, humilitate, & discendi desiderio ornatã, alter velut monili aut margarito precioso ornatus est, quia & sapientia & eius prudenti vsu pollet. Indicant hunc sensum apertius Græca, quæ habent, εἰς ἐνώτιον χρυσοῦν σάρδιον πολυτελὲς δέδεται, λόγος σοφὸς εἰς εὐήκοον οὖς, id est, ad inaurem auream, Sardius preciosus ligatus est, sermo sapiens ad obedientem aurẽ. Intellexit & Beda in hunc modum, sic scribẽs Rectè humilis auditor inauri comparatur aureæ, quia dum libenter increpanti ac docenti aurem accommodat, iam sese ad recipiẽdum claritatem sapientiæ cœlestis præparat, iam supernæ lucis visioni appropiat. Rectè magister eruditus margarito fulgenti assimilatur, quia dum emẽdationem morum, dum supernorum scientiam desiderantibus ac pie quærentibus animis ostendit, quasi aureo ornatui maiorem insuper grauiorémque fulgorem gẽmæ ardentis annectit. Hęc ille, qui videri potest legisse, non, Qui arguit sapientem & aurẽ obedientem,

obedientem, sed, Qui arguit sapiens ad aurem obedientem. Non facit enim mentionem sapientis auditoris, sed magistri sapiẽtis, nisi fortè illum intelligat designari in eo qui arguit.

13 *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam illius requiescere facit.*

PVLCHRA similitudo, qua & is qui misit aliquem pro re aliqua seria peragẽda, rectè comparatur hominibus tempore messis, hoc est, tempore ardentis æstus, ardore anhelantibus & refrigerium expectantibus, aut potius ipsis messoribus, qui in messe occupati, magnis laboribus & caloribus pressi, refocillationem expectant, & is qui missus est legatus si fideliter commissum ei negotium exequatur, comparatur frigori niuis, hoc est, frigori multum refrigeranti, quale est frigus niuis, quod tempore valde calido obuenit hominibus æstu grauatis, aut messoribus ardore anhelantibus. Sicut enim tale frigus valde desideratum, & expectatum recreat, & reparat æstuantium ac laborantium animos simul & corpora, ita & nuncius talis post negotium fideliter peractum, reuersus, suo bono nuncio, mittentis animam laborantem, & anhelantem præ desiderio, reficit, tranquillamque ac pacatam reddit, vel vt habent Hebræa, Animam eius restituet, quasi scilicet collapsam & more impatientia languidam factam. Monet ergo hæc sententia legatos sui muneris, vt cogitent quã to desiderio suspensi maneant, qui miserunt eos tantisper, donec perficiant iniunctum officium, & quantum refrigerium ac solatiũ eis adferat fideliter ab eis obita legatio. Quod & in spirituali legatione compleri intelligẽdum est. Christus enim à patre in hunc mundum missus, fideliter exequens delegatum ei munus, diuinum patris animum requiescere fecit ab ira contra humanum genus, ob peccatum concepta, eumque valde auidum humanæ salutis non aliter recreauit quam solet frigus niueum reficere æstu laborantes, Similiter & Christus totáque Trinitas, cũ valde semper desideret hominum salutem, & ob eam emittat quotidie legatos, suos scilicet prædicares, lætatur plurimum (vt de Deo humano more loquamur) ac veluti completo suo desiderio reficitur, cum illi fideliter obeunt suam legationem. Quod satis indicat Euangelica parabola, cum cuidam dicitur: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituã, intra in gaudium domini tui: Matt. 15.

14 *Nubes & ventus & pluuiæ non sequentes vir gloriosus & promissa non complens.*

SICVT superior sententia, pulchra similitudine ostendit cui similis sit, qui quod faciendum suscepit, fideliter adimplet satisfaciens alterius desiderio: ita iam è cõtrario non minus pulchra similitudine ostenditur, cui similis sit, qui quod promittit non præstat. Vir (inquit) gloriosus, hoc est, qui gloriatur se quędam facturum, & promissa non complens, est velut nubes & ventus quos pluuiæ non sequuntur, quia nubes & ventus promittere ferè pluuiam solent, eisque visis pluuiam expectare solent homines. Sicut ergo nubes & ventus spe de se data fallunt homines, cum non sequitur pluuia, maximè cum auide desideratur, ad æstus refrigerium, & terræ fertilitatem sicque homines maiori afficiunt posteà tristitia ac molestia: ita & qui multa promittit, quæ deinde non præstat cum expectatione sua homines frustretur, molestiam duplicem eis ingerit, cum & expectare eos fecerit, & datæ expectationi non satisfaciat. Et bene quidem vir gloriosus in verbis & promissis suis comparatur nubibus & vento, quod nubes res sint altæ & ventus res videatur maximè inanis, & nihili ac instabilis, vt significetur illius superbia, & ventosa inanitas, atque inconstantia. Ad hæc enim insinuanda res illæ, maximè conueniunt. Cæterum iuxta mysticum sensum competit hæc sententia in eos qui magnam sanctimoniam præ se ferunt exterius, cum nihil minus præstent, vtpote in hypocritas. Item in concionatores, qui cum bene multa loquantur, malè viuunt, de quibus Apostolus. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. 2. Tim. 3.

15 *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiem.*

IVXTA nostram lectionem prior pars significare videtur principis iram mitigandam, per patientem tolerantiam malorum, quæ ab eo irrogantur, quemadmodum exponunt Lyra & Beda. Patientia lenietur princeps, inquit Lyra, sicut rex Nabuchodonosor fuit lenitus patientia trium puerorum proiectorum in caminum ignis ardentis. Et Beda; Quamuis, inquit dominum peccando offendisti, potes tamen eius mereri clementiam, si aduersa, quæ pro peccatis irrogantur, patienter pertuleris. Verum sciendum hic rursus Hebræis non esse patientiam, vt accipitur pro tolerantia malorum sed longitudinem ad iram, quemadmodum & Græca habent μακροθυμία, hoc est, lõganimitate, Et põt referri hoc ad lõganimitatẽ principis vt significetur principis irã leniẽdam per suam lõganimitatẽ, hoc est, si nõ mox præceps sit ad vltionẽ, sed tardus sit ad eam. Dũ enim irã protrahit, & nõ statim punit, frequẽter per ipsam dilationẽ sedatur furor. Vnde cũ Theodosius Imperator nimis festinus ad vindictam, in ciuitatem Thessalonicã grauiter sęuisset, accepit ab Ambrosio legẽ huic sententiæ conuenientem, nempe vt non nisi post aliquot dies sententia principis lata executioni mandaretur, vt videre est Histor. Tripart. lib. 7. cap. 30. & apud Theodoretum lib. 5. cap. 8. Secundum hunc intellectum (quem & nostra lectio recipit, siquidem sæpe patientia in Bibliis accipitur pro longanimitate, & patiens pro longanimo, vt supra dictum est) hac sententia Sapiens, & principes monet, & subditos. Et priori quidẽ parte principes monet ne prosiliant ad vltiones, subditos verò, vt verbis dulcibus, & benignis principum frangant furorem ac rigiditatem. Quod si vtramque partem ad eosdem referre placeat, vt magis faciendum videtur, prior pars intelligenda est significare, principis iram leniendam

patientia, & longanimitate, vel manſuetudine ſubditorum, nimirum ſi ipſum ſeuerè obiurgantem, & corripientem ſilentio ferāt, nec contra muſitent, iracundiam aliquam aut indignationem oſtendendo, vt duo indicētur hac ſententia, quibus ira principi ſit mitigāda, patientia ſcilicet, vel longanimitas, & ſermo blandus, qui per linguam mollem ſignificatur. Vbi aduertenda iucunda alluſio inter molle, & durum, cum lingua mollis, & quę nihil habet duritici dicitur confractura duritiē aut vt iucundius habent hebræa oſſa, per quæ tamen nihil aliud ſignificatur, quam vt vertit noſter, durities. Sed pulchrè lingua mollis quæ non habet oſſa contra naturæ ordinem dicitur fractura oſſa. Verum eſſe quod hic dicitur de lingua molli, patet in Abigail, quæ dulci ſermone ſedauit ac fregit furorem Da-
1.Reg.2. uidis, quantumuis firmo animo decreuiſſet, imò iuraſſet perdere domum Nabal. Vt autē hęc ſententia locum habet in principibus terrenis, ita multò magis in cœleſti principe, cuius ira lenitur, non tantum patienti aduerſorū tolerantia, quæ peccatis debentur, ſed etiam longanimi gratiæ & benignitatis eius expectatione ſine murmuratione. Item humili ſupplicatione, & blāda oratione qua veniā quis deprecetur. Duriſſima enim eſt ſententia lata in
Matt. 18. peccatores, iuxta parabolam Euangelicam, de ſeruo qui cum deberet decē millia talentorū, iuſſus eſt vænundari cum vxore & filiis. Sed hanc ſentētiam mitigauit lingua mollis, quæ dicit: Patientiam habe in me, & omnia reddā tibi. Sequitur enim. Miſertus autem dominus omne debitum dimiſit ei.

15 *Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud.*

GENERALI hac ſententia parabolica, quæ ad varia applicari poteſt, ſignificatur in genere, quod quemadmodū mel, quod admodum dulce eſt, mediocriter ſumēdum eſt, vt ſit ſalubre, quia ſi quis nimium ex eo comedat, in nauſeam vertitur, ventriculum ſoluit, & vomitum prouocat, quo perit mel comeſtum, & pœna incurritur: ita quæcunque delectabilia ſiue corporis ſiue animi bona moderate ſumenda ſunt, quia niſi modus adhibeatur, quæ per ſe bona ſunt, non ſolum bona eſſe deſinent, ſed & noxia efficientur. Id primum obſeruare licet, in voluptatibus corporis, quibus cui frui datum fuerit, ſi vltra modum indulſerit, non contentus eo quod naturæ ſatis eſt, & percepta perdet voluptatem, & nocumentum ac læſionem ex intemperantia & immodico voluptatum vſu ſentiet. Itidē in ſapientiæ perceptione, quæ animę non modicam affert voluptatem, vnde ad eam ſuperius ſub ſimilitudine mellis Sapiens inuitauit dicēs comede fili mi mel, quia bonum eſt, ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ. Et mox poſtea ſimili comparatione ad modum in cognitione ſeruandum adhortans. Sicut qui mel, inquit, comedit multum, nō eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria, vt videri poſſit hac ſententia peculiariter exigere voluiſſe, modum in percipiēda ſapiētia ſeruandum. Iucunda enim eſt, & ſuauis hominibus diuinorum eloquiorum lectio, & meditatio, iis potiſſimum qui' contemptis huius mundi bonis ad alteram vitam anhelāt, ita vt dixerit Propheta, Quā dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Et tamen qui ex ſcripturarum dulcedine plus præſumunt qtā valent concoquere, volentes ſapere plus quam oportet, & nolentes ſapere ad ſocietatem, frequenter etiam quæ bene intellexerūt amittunt, excidentes à recta fide ſeſéque variis malis animi, & corporis inuoluentes, vt experientia multa docet. Rectè enim cecinit Martialis. Quiſquis plus iuſto nō ſapit, ille ſapit Et Cicero li. 2. Tuſc. Neoptolemū apud Enniū ait dicere neceſſe ſibi eſſe philoſophari, ſed paucis. Nā omnino haud placere. Pulchrè autem Beda inſinuat ſingulariter per mel deſignari dulcedinem cœleſtis ſapientiæ, quod hæc ſpiritualium patrum officio quaſi prudētiſſimarum apum labore, hominibus miniſtretur. Deprehenditur tamen & tertio veritas huius generalis ſententiæ in dulcedine amicitiæ & conſuetudinis amicorum, in qua ſi modus non teneatur peribit dulcedo, & in amaritudinem vertetur, quemadmodum ſequēti ſignificatur verſu, ob quem peculiariter quidam hanc ſententiam dictam volunt coniungentes eam cum ſequenti, quaſi in ea ſit huius parabolæ explicatio.

Pſal.18.

17 *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te.*

PRO ſubtrahe Hebraica dictio חקר Hocar propriè ſignificat pretioſum fac, hoc eſt, rarum. Nam Hebraica phraſi pretioſum, ponitur pro raro, vt patet 1.Reg.3. vbi dicitur quod ſermo domini erat pretioſus in diebus illis. Omne enim rarum, carum, & contra quę quotidiana ſunt: facile vileſcunt. Vnde Septuaginta habent σπάνιον ἐποίησον τοῦτο, id eſt, raro induc pedem tuum ad amicum tuum. Non ergo monet vt quis omnino ſubtrahat pedem ſuum à domo proximi ſui, hoc eſt, vt eam non ingrediatūr, ſed ſic vt ne nimis frequenter eā adeat, ne conuerſationis frequentia ingerat amico ſatietatem, & ſatietas faſtidium, vt, ferè Eccl.15.
in omnibus rebus. Vnde in Eccleſiaſtico monet Sapiens: Aduocatus à potentiore, diſcede, ex hoc enim magis te aduocabit. Pulchrè autem hac ſententia ſicut & ſuperiori inſinuat, quam ſit omnium rerum exceſſus iniucundus, & noxius, iuxta illud: Amarum eſt quicquid nimium eſt, mel quoque ſi nimium eſt. Cum enim nihil ſit iucundius amicitia ipſa, & in ea ipſe amicorum congreſſus, & fida colloquia ſint dulciſſima, tamen etiam harum rerum contingit eſſe ſatietatem, quæ faſtidium, parit, & tandem etiam odium rerum amiciſſimarum. Bene ergo monuit Martialis, coincidens cum hac ſententia: Nulli te facias nimis ſodalē. Gaudebis minus, & minus dolebis. Cæterum ſub frequentatione domus, parabolicè oportet eam intelligere omnem nimiam familiaritatem, quia vt habet prouerbium vulgare, Nimia familiaritas parit contemptum. Item quamuis importunam apud amicos audaciam, ne ſcilicet amicitiæ prætextu amicorum rebus abutamur, eorumque opera, ne ex amicis nobis inimicos conſtituamus. Myſticè domus amici noſtri, eſt Eccleſia Chriſti qui dixit: Vos amici mei eſtis
Ioan.15. Ad hanc importunus accedit, qui ſacram Domini menſam in Eccleſia cum nimia frequentat fiducia, illotis pedibus, hoc eſt, purgatis parum affectibus animi. Item qui ad quamcunque functionem eccleſiaſticam properant, non pretioſis pedibus iuxta Hebraiſmum, hoc eſt, non puris affectibus. Quales omnes à Domino faſtiditi, ex amicis facilè fient inimici.

18 *Iaculum & gladius, & ſagita acuta homo, qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.*

VT inſinuet magnitudinem criminis falſi teſtis, comparat eum his rebus, quibus mors homini infertur. Et apud Hebræos quidem tres diuerſæ res explicantur. Nam pro iaculo, illis eſt מפיץ Mepits, quod malleum ſignificat, p quo Septuaginta verterunt ῥόπαλον, hoc eſt claua vel fuſtis. Itaque tria vtrobique ponuntur, quorum vno caput hominis ſolet contundi ac frangi. Secundo iugulum peti ſolet, & tertio cor transfigi, vt ſignificetur eum qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium perinde facere, ac ſi caput hominis malleo vel claua contunderet, gladio eum iugularet, aut denique ſagitta cor transfigeret. Tria autem hæc diuerſos, & omnes penè modos comprehendunt, quibus homo lomini nocet, vt annotat Caietanus. Malleus enim tundendo, gladius ſcindendo, ſagitta acuta penetrando nocet, & occidit. Vnde ſignificatur multiplex nocumentum quod excipitur à falſo teſtimonio. Nocet enim & perſonæ & famæ & rebus. Vtut eſt ſiue tria diuerſa exprimantur, ſiue tantum duo, vt apud nos, diuerſa, ſignificatur hac parabola & comparatiue (nam & hic, vt & alibi ſæpè, particula ſimilitudinis eſt intelligenda, vt ſit ſenſus, Falſus teſtis eſt velut iaculum & gladius) teſtem falſum grauiter nocere, & nonnunquam lethaliter. Præterquam enim quod graui doloris vulnere animam hominis ferit, in extremis ſæpè rebus ac fama ipſa damnum infert, imò & vitam nonnunquam extinguit, dum in iudicio per perhibitum à ſe falſum teſtimonium auctor eſt mortis à iudice illatæ. Iuxta myſticum ſenſum accommodari poteſt hæc ſententia contra eos qui ad peruertendum alios, teſtimoniis ſcripturarum & ſanctorum patrum veriſſimis in ſe, per falſum intellectum abutūtur, qui non minus ſceleſti ſunt habendi, quam qui mortiferis inſtrumentis alium impetunt, vt qui vitam animæ, immiſſis veluti iaculis menti, eripiunt, non in vno tantùm homine, ſed in tota ſæpè aliqua communitate & regione.

19 *Dens putridus & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ & amittit pallium in die frigoris.*

HEBRÆA habent, Dens cōfractus, & pes labens, fiducia prætaricatoris in die angustiæ. Et tertia pars apud Hebræos ſequenti iungitur ſententiæ. Porrò fiducia prætaricatoris dupliciter accipi poteſt. Aut pro ſpe quam habet peccator, qui legem Dei prætaricatur, quæ in tempore angustiæ inuenitur ſimilis eſſe denti quo quis ad manducandum vti nō poteſt, & pedi qui ineptus eſt ad ambulandum, quia ſua eum tunc ſpes deſtituit, & fruſtratur, ac deprehenditur vane ipſum illi nixum fuiſſe. Aut accipi poteſt pro ſpe quam quis habet in aliquo prætaricatore, hoc eſt, infido homine, qui promiſſa fallit, & prætaricatur, quomodo noſter accepit interpres, & omnes ferè interpretes intelligūt. Elegantius autē ipſa fiducia quæ habetur in infideli, hoc eſt, infido homine, comparatur denti putrido vel confracto, & pedi laſſo, quam is qui ſuper illo ſperat, cum ſignificādum ſit fiduciam talem, & ipſum in quo quis fiſus eſt, in tempore neceſſario hominem deſtituere, ſicut dens talis & pes hominem in re neceſſaria deſtituit, nempe in manducatione & ambulatione. Bene tamen etiam iuxta noſtram literam, is qui ſperat ſuper infideli comparatur denti putrido, & pedi laſſo, quia talis per ſuam fiduciam non poteſt ſibi in die angustiæ prodeſſe, ſicut dens putridus & pes laſſus ſuum non poſſunt facere, cum neceſſe eſt, officium. Vnde Beda eum qui in homine ſperat denti, putrido, & pedi laſſo comparari intelligit, quia qui in homine & non potius in Deo ſpē ſuam collocat, nec vitæ percipere cibum, nec ad hę reditarem cœleſtem poterit peruenire. Cum enim omnis homo ſit mendax, & proinde in fidelis aut infidus cui parum fidendum ſit, in telligit Beda hic, fiduciam in homine generaliter prohiberi, omnémque in homine fidentem inopinatè, comparari denti putrido, & Hieri.2.
pedi laſſo, vt idem hic dicatur, quod apud Hie 17.
remiam: Maledictus qui ponit in homine ſpē ſuam, & ponit carnem brachium ſuum. Peculiariter tamen prohibetur hic fiducia in eum qui fallere ſolet, & prætaricari pacta. In quem qui ſperat comparatur, iuxta noſtram lectionē, ei qui amittit pallium in die frigoris, quia ſicut is tunc veſte deſtituitur, cum maximè opus eſt, ita ille ſe auxilio, & protectione ſentit deſtitutum cum maximè illis indiget, nempe in tempore angustiæ. Iuxta Bedam myſtice amittit pallium in die frigoris, qui non in Deo ſperat, ſed in homine, quia etſi nunc in ſerenitate vitæ præſentis, habitu religionis videtur indutus, vbi tamen diſtrictio iuſti iudicij ingruerit, nudus ab omni ornatu iuſtitiæ patebit.

20 *Acetum in nitro, qui cātat carmina cordi peſſimo.*

HEBRAEA, quæ vltimam partē verſus præcedentis huic annectunt, ſic habent, Qui aufert veſtem in die frigoris, acetum ſuper nitrum, qui cantat carminibus ſuper cor malum. Non enim Hebræis eſt per ſuperlatiuum, cor peſſimum, ſed tantum cor malum Quod dupliciter accipi poteſt, aut ſcilicet pro corde afflicto, & miſero, quomodo malitia accipitur pro miſeria, cum dicit Dominus Sufficit diei malitia ſua. Aut pro corde vitioſo, ac ſcelerato, de quo noſter interpres intellexiſſe videtur. Cæterum ſolidus huius verſus intellectus,

intellectus, pendet ex intelligẽtia illius quod dicitur, Acetum in nitro, vel ſuper nitrum. Notandum itaque ex Plinio lib. 31. cap. 18. nitrum non multum à ſale diſtare, eodemque modo fieri quo ſal, niſi quod ſal conficiatur ex marinis aquis, ſole eas in littore exſiccanto, & in petram durante, nitrum verò ex aquis pluuialibus, aut fluuialibus exſiccatis ſole in paludibus, quæ nitrariæ dicuntur. Id quod maximè prouenire dicit in AEgypto. vnde & regio quædam AEgypti Nitria dicitur, à qua Beda Nitrũ nomen accepiſſe putat, cum ſit vocabulum Hebraicum, vt magis ab ipſo regio nomen acceperit videatur. Hoc autem lauandis purgandiſque veſtibus conueniens eſſe videtur ex Hierem. cap. cum dicitur: Si ablueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me. Itaque Pagninus ex ſententia Rabbi Dauid putat nitrũ eſſe alumen, quo lana dealbatur, aut ſaponem quo veſtes mundantur. Nam & Græci putant νίτρον dic. ἀπὸ τοῦ νίπτειν, quod eſt abluere & tergere, eo quod abuendi, purgandique habeat facultatem, cum potius ſit dictio Hebraica. Nã Hebræi נתר Nether dicunt. Caietanus saponem ſignificari intelligit, experientiaque ſe dicit edoctum, veſtes ſapone non mundari, ſi acetum ei addatur, ſed magis maculari. Hæc ſi vera ſunt, & per malũ cor intelligatur cor afflictum, ſignificat parabola, quod quemadmodum ineptè & importune facit qui aufert aut ſibi aut aliis veſtes in die frigoris, cũ id ſit contra temporis exigentiam, & malum ea ratione conduplicet, & quemadmodum ineptè facit, & inconuenienter, qui nitro quod aſſumitur ad lauandum & purgãdum veſtes, acetum addit, cum aqua addenda ſit, non acetum: quod ſi addatur, non ſolum non mundabit veſtes, ſed etiam magis maculabit: ita incommodè facit, qui afflicto cordi accinit carmina lætitiæ. Non enim ea ratione tollit mœrore, ſed etiam augẽt, mitigaturus illum, ſi cum mœrente etiam mœreret. Muſica enim in luctu importuna narratio, vt dicitur in Eccleſiaſt. Vnde Paulus monet gaudere cũ gaudentibus, & flere cũ flentibus. Similis erit ſenſus, ſi per cor malũ intelligatur cor vitioſum & ſceleratum: Secundum quem ſenſum, per cantantem carmina intelligitur, qui ſcripturæ ſacræ ſuauia dicta homini proponit, & ſanctæ prædicationis dulcedine ſuadet ſalutaria, Quod qui facit apud hominem peruerſum & obſtinati cordis, perinde facit ac ſi acetum nitro ſuperfunderet, quia malitiam eius non tollit, ſed auget. Beda indicat acetũ nitro ſuperfuſum efficere vt nitrum protinus ebulliat, nitrumque aceto perfuſum crepitare & fumare ſicut calx viua aqua perfuſa. Itaque ſic explicat hanc parabolam, Acetum in nitro, qui cãtat carmina, &c. Acetũ quippe ſi mittatur in nitrum, protinus ebuſit, & peruerſa mẽs, quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona ſuadẽtur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem ſuccẽditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci. Hæc ille. Verum an nitrũ aceto accedente prædictas habeat conditiones nullo certo authore aut teſtimonio probari poteſt, imò contra ex Plinio ſatis conſtat acetum nitro ſuperadditum, non tollere eius vim & acrimoniam, ſed augere. Is enim author eſt, in pleriſque acribus remediis acetum addi nitro. Proinde ſimplicius fuerit in telligere, hic ſignificatum cor malum, carmine exacerbari, ſicut nitrum aceto redditur aſperius & acrius, Quia enim videbatur dulcedine carminum cor malum leniri debere & ſanari, contra oſtenditur pulchra comparatione potius ea re peius fieri. Quod quomodo verum ſit, ſiue de corde afflicto, ſiue de ſcelerato accipiatur ex ſuperioribus patet. Itaque non fit hic mentio nitri, quatenus eius ad lotiones vſus eſt, vt apud Hieremiam, ſed quatenus eius vſus eſt ad medicinas.

Hierem. 2.

21 *Sicut tinea veſtimento & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.*

SENTENTIA hæc cum non ſit in Hebræo, deſumpta eſt ex Græcis, vbi eodem modo reperitur, quo eam legimus. Et pulchre in ea, triſtitia tineæ & vermi comparatur. Quemadmodum enim tinea veſtimẽtum, & vermis lignum ſenſim arrodit, & tandem penitus conſumit, ita ſimiliter triſtitia cor hominis ſenſim rodendo & torquendo, perdit tandem cor ipſum, ac vitam hominis in corde ſitam. Nam vt ſupra dictum eſt, Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Et quemadmodum tinea in ipſa veſte, ac ex ipſa generatur ſimiliter vermis in ligno, & ex ipſo, ita triſtitia nõ niſi in corde hominis generatur ibique nutritur ac ſuum fomentum recipit. D. Auguſtin. lib. 21. de ciui. Dei cap. 9. ſic citat hanc ſententiam. Sicut tinea veſtimentum & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri, oſtendens ex hac ſententia cum dicitur de damnatis, quod vermis eorum non moritur, rectè per vermem intelligi dolorem animam damnatorum cruciantem.

22 *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere.*

23 *Prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi.*

EVANGELICA planè eſt doctrina hæc, quæ non ſolum diligendus, ſed & iuuandus inimicus docetur, iuxta illud Chriſti, Benefacite iis qui vos oderunt, & illud veteris legis. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. Ita enim & hic præcipitur, vt inimicis egentibus cibum, & potum conferamus, quemadmodum Helizeus præcipit regi Iſrael, vt faceret hoſtibus ſuis Syriis, Pone (inquit) panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad dominum ſuum. Vbi ſicut nomine panis & aquæ, omnis cibus & potus hebraica phraſi deſignatur, ita & hic nequis quia hic dicitur ciba illum pane (nam pane, additur hebræis) & da ei aquã bibere, ſimplicem panem & aquam tantum, in cibum & potum inimico tantum dandum putet. Vnde Septuaginta nomen panis & aquæ omiſerunt tantum habentes ciba illum, & pota illum. Quos & ſecutus eſt per omnia D. Paulus citans hoc teſtimonium Rom. 12. Nam & habet ſicut

4. Reg. 6.

ſicut hic Septuaginta τοῦτο γὰρ ποιῶν, ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις id eſt, Hoc enim faciens carbones ignis congeres vel coacernabis, cum hebræis tantum ſit. Quia prunas tu accipis vel incendis. Nam apud hebræos verbum eſt quod raro occurrit in ſcripturis, vt de eius ſignificatione, non poſſit ſatis conſtare. Diuus Cyprianus libr. 3. ad Quirinum citat, carbones viuos ſuperfundes in caput eius. Cæterùm quo ſubiuncta hic ratio probe intelligatur, notandum parum eſſe probabile, quemadmodum & Beda annotauit, ſapientem hic loqui de prunis pœnarum, & incendij infernalis, vt indicetur hic ratio, qua quis ſe vlciſci poſſit de inimico ſuo, nempe quia per præſtita illi beneficia, illum obſtinatè perſiſtentem in inimicitia grauiori ſupplicio obnoxium faciet apud Deum, quemadmodum quidam intelligũt. Sic enim Paulum hæc verba non intellexiſſe ſatis patet ex eo quod ſequitur: noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, Vt omittamus parum conuenire ſcripturæ diuinæ, vt ſuggerat ideo benefaciendum inimico, vt per exhibita beneficia perditionis ei materia ſubminiſtretur. Quod & ipſe ſapiens ſatis inſinuat id ſe noluiſſe ſignificare, cum ſubdit, Et dominus reddet tibi. Vnde patet, per congregare prunas ſuper caput inimici ſignificari collationem alicuius beneficij, quod dominus ſit remuneraturus. Quo autem hæc locutio rectè intelligatur, notandum quod non dicat, hoc faciendo, prunas appones capiti eius, ſed prunas congeres, vel vt habent ſignificantius græca, coaceruabis ſuper caput eius, quo ſignificari videtur, prunas ſic in aceruum magnum congerendas, vt earum vis caput hominis excedat & ſignificetur homo totus calefaciendus à pedibus vſque ad caput. Si enim prunæ tantum in imo ponantur, non mox totus homo calefcit, ſed ſi congerantur in altitudine mox totus calefit. Significari ergo videtur hoc tropo loquendi, ſi quis inimico in ſua neceſſitate ſubuenerit, maximè ſi non contentus ſit vnicum impendiſſe beneficium, ſed & eſurienti cibum & ſitienti inſuper potum dederit, futurum hac ratione, vt veluti prunis ſic aceruatim appoſitis, vt earum vis caput excedat, inimicus omni inimicitia depoſita, & velut beneficiorum igne conſumpta, totus accendatur in amorem eius quem prius oderat. Duplicem ergo ſapiens affert rationem, qua perſuadeat benefacere inimico, quod hoc difficile videatur hominibus. Prima, quia benefaciendo inimico, pio quodam modo ſe vindicat de inimico ſuo, vt quem totum comburat, & omnino alium eſſe faciat, eum ſic igne quodam amoris accendens, vt agnoſcere cogatur ſe iniuſte hoſtilem gerere animum cogaturque facti ſui pœnitere, ac omnino velle infectum eſſe, quod iniquè à ſe commiſſum eſt in benefactorem ſuum. Quam enim pœnam videri poſſet quis maiorem inſtigere inimico ſuo, quam igne illum ſuccendere? Quæ maior vindicta, quam efficere, vt qui odit mutet voluntatem, iniuſtitiam agnoſcat, factique ex animo pœniteat? Demonſtratum eſt iſtud in Saule, cum ſemel & iterum incidiſſet in manus Dauidis, & ab eo non occideretur ſicut potuiſſet. Hanc vincendi rationem etiam Valerius in Cicerone collaudauit, ſubiiciens. Speciosius aliquanto iniuriæ beneficiis vincuntur quàm mutui odij pertinacia penſantur, Lib. 4. cap. 2. Secunda ratio eſt, quia hoc ipſum quod inimico per piam quandam vltionem impendis, ipſe dominus remunerabitur abundè, vt beneficium illud nos ſis ſine lucro tuo perditurus, etiamſi non remuneret inimicus vel is agnoſcere nolit. Tria ergo bona reportabis, victoriam de hoſte tuo, lucrum proximi tui, præmium à domino tuo. Sic & Saul poſtquam ex beneficio Dauid agnouit culpam ſuam, & dicens: Iuſtior tu es, quam ego, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala, ſubiecit: Sed dominus reddat tibi viciſſitudinem hanc pro eo quod operatus es in me.

Cyprianus.

1. Reg. 24

24 *Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.*

APVD hebræos duplex eſſe poteſt huius ſententiæ ſenſus propter æquiuocationem verbi hebraici, pro quo noſter vertit, diſſipat, quod & Lyra indicat, & Caietanus. Nam teſte Pagnino etiam hebræi quidam hoc loco accipiunt illud poſitum pro fugare, & prohibere, quod ſignificatũ ſequutus noſter interpres vertit diſſipat pluuias, pro eo quod eſt prohibet pluuias diſſipando nubes. Id autem experientia docet quod ventus aquilonaris apud nos diſſipat nubes, & proinde prohibet pluuias, quemadmodum & experiẽtia docet, qui inter detractiones, triſti vultu oſtendit ſibi eas non placere, ceſſare eas facit, quia vt quidam vir Dei, quemadmodum meminit Beda, rectè dixit: diſcit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Vnde eccleſiaſtes. Per triſtitiã inquit vultus animus corrigitur delinquentis. Proinde indicat hæc ſententia, qua ratione quis modeſte & ſine feuera increpatione detractionibus finem imponere poſſit. Et bene quidem facies triſtis vento comparatur aquilonali, quod is hortifer ſit aſper, inamœnus & ſiccus, quemadmodum contra auſter iucundus eſt, gratus & humidus cui ſimilis eſt vultus ſerenus & iucundus, quẽ ſi quis detrahenti exhibet, detractiones fouebit, magiſque excitabit, cum contra profluuium detractionis vultus aſper & triſtis exſiccet & ſiſtat. Pluuiæ enim ſimilis eſt libera verborum detrahentis profuſio. Alij verbum Hebraicum חולל Cholel, hic poſitum accipiunt pro creare & formare, in quo ſignificatu frequenter ponitur in ſcripturis. Vnde Rabbi Dauid teſte Pagnino contrarium ſenſum hic vertit, nempe Ventus aquilo creabit vel formabit pluuias, quam verſionem Lyra etiam aſcribit ſuo Rabbi Salomoni. Et cum obiicitur, quod huic ſenſui videtur eſſe contraria experientia, reſpondet quod quemadmodum ventus Auſtralis generat pluuias, verſus partes aquilonares, ita Aquilonaris verſus partes meridionales, vt habet Ariſtoteles 2. Meteoro: quia verſus eas propellit, nubes. Verſus meridiem autem vergit Iudæa, vt ſi illud verum eſt, non mirum ſit ſapientem in Iudæa dixiſſe, ventum Aquilonarem generare pluuias. Iuxta hunc ſenſum, ſequentem partem ſic vertunt, & faciem

ciem triſtem lingua detrahens, ſcilicet generat in homine videlicet pio & ſapiente. Et bene ſanè conſtat comparatio inter ventum aquilonarem & linguam detrahentem, ac rurſum inter pluuias & faciem triſtem, quod ſicut aquilo, ita & detractio horrida ſit & inamœna per ſeſe. Et ſicut pluuiæ per ſeſe triſtes ſunt,& non ſerenum cœlum præbent:ita & facies triſtis nubiloſa dicitur necſerena. Secuti ſunt hanc verbi ſignificationem Septuaginta qui habent ἄνεμος βορέας νέφη, πρόσωπον δὲ ἀναιδὲς, γλῶσσαν ἐρεθίζει, hoc eſt, Ventus Boreas excitat nubes, facies autem inuerecunda linguam irritat,hoc eſt,homo perfrictæ frontis prouocat hominum linguas contra ſe.

25 *Melius eſt ſedere in angulo domatis,quam cum muliere litigioſa & in domo communi.*

SVPERIVS habita eſt, & expoſita hæc ſententia cap.21.proinde non eſt quod hic peculiariter annotetur.

26 *Aqua frigida animæ ſitienti & nuncius bonus de terra longinqua.*

HEBRÆIS eſt,auditus bonus, ſicut & Græcis ἀγγελία ἀγαθή, hoc eſt, annunciatio bona, ſed ſenſus eodem recidit. Eſt autem comparatio inter aquam frigidam reſpectu animæ, hoc eſt,hominis ſitientis, vel laſſi, vt habent Hebræa, & nuncium bonum venientem de terra longinqua, quæ proinde per ſubauditionem particulæ ſimilitudinis eſt explicanda.Sicut eſt aqua frigida animæ ſitienti, ita eſt nuncius bonus veniens de terra longinqua, quam comparationem expreſſerunt Græca, quæ habent. Sicut aqua frigida animæ ſitienti grata eſt vel amica, ſic annunciatio bona ex terra longinqua. Sicut enim aqua frigida hominem præ laſſitudine, & ſiti valde anhelantem ad aquam & propemodum deficientem refrigerat,recreat & reſtituit,vireſque reparat: ita nuncius bonus ex terra longinqua rediens eum qui diu ipſum expectauit, & præ expectatione iam delaſſatus eſt, ac præ timore deficiens propemodum,mirè delectat, ac veluti præbito potu, eius deſiderio cum voluptate ſatisfacit collapſas animi vires reſtituẽs.Quod non omni nuncio bono hic tribuitur ſed ei potiſſimum,qui aduenit ex terra longinqua,quia vt talis & diutius & cum maiori anxietate expectatus eſt: ita reuerſus cum maiori lætitia & auiditate auditur & recipitur. Non diſſimilis eſt hæc parabola ei quam ſupra habuimus hoc capite. Sicut frigus niuis &c. Cæterum conuenienter hæc Chriſto adaptari poteſt, qui tanquam nuncius, à patre in hunc modum miſſus, è ſommo cœlorum è regione illa longinqua, in quam iam rurſus profectus eſt peregre, bona illa ſua euangelij prædicatione inaudita eatenus, ſed diu deſiderata, mentes piorum per vniuerſum orbem mirificè reficit & oblectauit omnem ipſorum ſitim reſtinguens,eorum,ſcilicet, qui cum Propheta dixerunt:Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Quod & vſque infinem ſeculi,angelus quiſque bonus à Deo ad conſolationem & confortationem è cœlo ad pios miſſus, præſtare non deſinit,cum vel in tentationibus pij ab angelis confortantur,vel ab iis ex hoc ſeculo educti in requiem ſupernæ felicitatis poſt longa deſideria deducuntur, vt de iis rectè dici poſſit, quod tales boni nuncij de terra longinqua ad nos venientes, ſint piis veluti aqua frigida animæ ſitienti.

Pſal. 41.

26 *Fons turbatus pede,& vena corrupta, iuſtus cadens coram impio.*

PER fontem, & venam idem ſignificat, Non enim de vena corporis humani, ſed magis de vena aquarum ſermo eſt, ſicut & ſupra, cũ dicitur cap.10. Vena vitæ os iuſti.Fons natura ſua lympidiſſimus, iucundiſſimus, & vtiliſſimus lympiditatem ſuam, gratiam, & vtilitatem perdit dum conculcatur, & turbatur pede, ita vt puluis & lutum excitetur aut dum alias corrumpitur,iniectione ſeu admixtione aliquarum ſordium, aut obturatione venæ,ita vt aut non reddat aquam,aut non copioſam nec lympidam. Huic comparatur iuſtus cadens coram impio. Quod varie intelligi poteſt. Primum de lapſu iuſti in peccatum in conſpectu impij, quemadmodum intelligit Lyranus.Cum enim vidente impio,in peccatum aliquod prolabitur, mox impius ex illo lapſu famam iuſti denigrat, peccatum exaggerando, efficiturque iuſtus velut fons turbatus,quia gratiam ſuam perdit, & commoditatem. Aliter melius intelligitur de lapſu pij, qui fit per ipſum impium.Quod rurſus dupliciter accipi poteſt. Aut ſcilicet de lapſu miſeriæ quem propter virtutem ſuam, iuſtus patitur ab impio ipſum perſequente,& in malum aliquod miſeriæ deiiciente, vt iuſtus cadens coram impio, ſit iuſtus ab impio deiectus in aliquam calamitatem, quemadmodum fuit Ioannes Baptiſta captus ab Herode,& in carcerem coniectus. Talis enim iuſtus cum impeditur à curſu ſuæ virtutis & doctrinæ,veluti fons eſt alterius impietate turbatus & corruptus, qui non poteſt aquis ſalutaris doctrinæ,bonorumque exemplorum populum potare: Aut potius de lapſu vitioſo,peccati,ad quod iuſtus inclinatur, vel in quod cadit ex terrore impij aut propter gratiam impij, dum propter impium ceſſat à doctrinæ puritate, aut virtutis integritate, ei adblandiendo,aut non damnãdo ſicut deberet eius impietatem,aut quomodolibet ei cedendo. Talis enim efficitur velut fons turbatus ſuo & impij vitio,vt iam nõ reddat lympidam illam doctrinę & virtutis aquã, quam prius de ſe diffuderat. Quod ſanè malum hodie frequenter accidere videmus,cum videre eſt pleroſque,qui prius rectè docebant, & viuebant poſteà ab impiis vel perterritos vel perſuaſos tacere,& à virtute ceſſare,aut etiam bonam & ſalubrem doctrinam in errores, virtutem in impietatem cõmutare,fonte conculcato pedibus lutoſis, hoc eſt, terrenis affectibus.Generaliter iuſtus cadit corã impio,quando diaboli ſuggeſtionibus cedit,& ab illo ſe ſuperari permittit, qui hoc vnicè ſemper petit, vt iuſtus coram ſe cadat,ac ſe adoret,quemadmodum oſtendit, cũ dominum tentans dixit: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadẽs adoraueris me. Matth.4

28 Sicut

28 *Sicut qui mel multum comedit,non eſt ei bonum,ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.*

IN Hebræis ſecunda pars valde obſcura eſt, nec prima facie videtur habere poſſe conuenientem aliquem ſenſum. Nam ad verbum eſt, Et inueſtigatio gloriæ ipſorum, gloria ſcilicet eſt, quod non ſolum videtur cõuenire cum noſtra verſione, ſed neque cum priori parte nec ſenſum aliquem habere, cum relatiuum ipſorum nõ habeat ad quod referatur. Proinde pro כבודם Cebodam, quod ſonat gloriam ipſorum, videtur legendum mutato puncto Cebodim,vt ſit ſenſus,ſcrutari glorias gloria. Et repetendam aliqui volunt negationem ex priori parte, quemadmodum fit aliquando apud Hebræos, vt ſit ſenſus: Scrutari glorias, non eſt gloria, ſicut non eſt bonum comedere mel multum. Alij comparationem intelligunt conſiſtere inter diſſimilia.Rurſum quidam non gloriam ſignificari putant per dictionem כבוד Cabod,ſed grauitatem. Nam & hoc dictio ſignificat, vt ſit ſenſus: Scrutari grauia, hoc eſt,res graues & intellectu difficiles, vel glorioſas, grauitas eſt, vel graue eſt, hoc eſt, res ea deprimit hominem & obruit.Et ſic idem erit ſenſus cum eo quem noſter reddidit interpres, qui ad vtrumque nominis ſignificatum videtur reſpexiſſe, dum vertit,opprimetur à gloria, Quæ verſio claram & vtiliſſimam continet ſententiam, docens, quod quemadmodum mel rem per ſe optimam & ſuauiſſimam ſumere bonum eſt, ſi autem in ſumendo modus non ſeruetur,perniciem adfert cruciatum, ſcilicet, rupturam & mortem (mel enim celerrimè vertitur in rubram bilẽ, quare qui auidius vſi ſunt melle, ſæpè periculoſe inflammatur) ita quamuis per ſe bonum ſit, & iucundum maieſtatem ipſam diuinam, & cuiuſuis rei præclariſſimæ ſiue in ſcripturis ſiue alibi cognitionem deguſtare: tamen eam ſupra modum naturæ aut intellectui conuenientem perſcrutari, ſua claritate hominẽ opprimit & grauat,in ſtultitiam, amentiam & errores ipſum præcipitando, non ſecus quam ſolis claritas, directè ipſam inſpicientem hominem excæcat, quæ alioqui reficit & illuminat. Vnde bene monet Sapiens alius: Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Plurima enim ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt tibi. Multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum,& in vanitate detinuit ſenſus illorum.

Eccleſ.3.

29 *Sicut vrbs patens & abſque murorum ambitu, ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.*

HEBRÆA habent breuius & plenius, Vrbs dirupta eſt ſine muro, vir cui nõ eſt prohibitio ſpiritui eius. Non enim fit mentio de loquendo, ſed comparatur vrbi diruptæ, vel, quod idem eſt patenti, homo cuius ſpiritus, hoc eſt animus, vel affectus nullo retinaculo cohibetur. Quod de quouis affectu vel appetitu intelligi poteſt, tam eo qui eſt ad quiduis faciendum quam eo qui eſt ad loquendum vt ſignificetur homo qui laxat animo ſuo habenas, nec eum a prauis ſuis concupiſcentiis cohibet, muro timoris vel amoris Dei. Talis enim rectè ciuitati diruptæ, patenti, ac muro deſtitutæ comparatur,quia ſicut ex huiuſmodi ciuitate multa nimis libere prodeunt, cum ſua nonnunquam pernicie, imò & ipſius aliquando totius ciuitatis,quam quãdoque prod

unt, & ſicut huiuſmodi ciuitas facile patet hoſtium incurſui, ita ab huiuſmodi homine multa prodeunt,multa committuntur,& fiunt per nimiam libertatem, quam ſibi indulget, quæ ipſi ſunt noxia.Eſtque talis expoſitus ſuis hoſtibus,dæmonibus ſcilicet & impiis quibuſue, qui ea ratione eum facilè ſibi ſubiugare,& ad ſuam ipſum trahere voluntatem poſſunt. Sicut contra,qui veluti vallo timoris Dei, & retinaculo rectæ rationis ſuos affectus cohibet, veluti ciuitas eſt bene murata, vt ex qua non liberè progrediantur actiones,nec in quam facilè pateat hoſtium incurſus. Sunt tamen qui per ſpiritum, iram potiſſimum quæ difficilè cohibetur ſignificatam intelligunt,ſicut & illa præcipuè ſignificatur cum dicitur cap.16.Qui dominatur animo ſuo,melior eſt expugnatore vrbium:quia præcedit, Melior eſt patiens,hoc eſt,longanimis & manſuetus viro forti.Ira autem ſi non cohibeatur erumpit ſæpè in multa noxia,ac inimicorum infeſtationi quam maximè reddit hominem opportunum. Interpres noſter peculiariter accipit ſpiritum,pro loquẽdi libidine & intemperantia à qua difficillimũ omnino eſt abſtinere, proinde adiecit in loquendo. Dicitur enim poſteà cap.29. Totum ſpiritũ ſuum profert ſtultus. Et certè qui adeo eſt intemperantis linguæ vel animi,vt ſine retinaculo rationis quiduis vbique dicat, bene ſingulariter ciuitati diruptæ,patenti, & muris carenti aſſimilatur, quod in eo nullum lateat ſecretum, ſed quæuis nimia libertate è cordis ciuitate profundantur,cum maximo ſæpè hominis detrimento, quodque talis eorum qui nocere volunt, iniuriæ facilè pateat, & obnoxius ſit, vt qui ſuis ipſius verbis capiatur & inuoluatur. Monet ergo prouerbium vnumquemque debere ſe reputare, velut ciuitatem quandam, cui multi inſidiantur, ac proinde quibuſdam retinaculis ac veluti muris, omnes animi motus & affectiones, ac potiſſimum linguam cohibenda, tum ne ex homine prodeant quæ non debent tum vt ne egrediantur qui admitti non debent, & quos non conuenit nobis dominari.

CAPVT XXVI.

1 *QVomodo nix æſtate,& pluuia in meſſe,ſic indecens eſt ſtulto gloria.*

MONET prouerbium,gloriam & honorem,qui ſolũ debetur ſapientibus & iuſtis, vt qui ſit præmiũ ſapientiæ,& virtutis,nõ eſſe tribuendum ſtultis,ſub quibus mali oẽs & improbi cõprehenduntur, eo quod id ſit indecens non aliter quã nix æſtati, & pluuia meſſi. Indecens aũt eſt, primum quia eſt præter decorum rerum ordinem, qui requirit vt in æſtate ſit calor,& in meſſe ſit ſiccitas.Ita & præter natu-

ter naturæ ordinem,& præter decorum eſt,vt ſtulto, cui propriè debetur ignominia, id tribuatur quod ſapientibus proprium eſt.Secundo illud indecens eſt, quia etiam noxium eſt. Sicut enim niuis frigiditas,nocet maturandis frugibus,quibus ſeruit calor æſtatis,& pluuia colligendis in meſſe frugibus quibus ſeruit ſiccitas meſſis: ita reipublicæ bono multum obeſt ſi honor ſtultis deferatur. Nam per hoc & illis occaſio datur in ſtultitia permanendi & aliis eos imitandi,quia vt bene ſcripſit Cicero:Honos alit artes. Tũc autem maxime iſtud nocet cum dignitates & præfecturæ,ſiue ſeculares ſiue eccleſiaſticæ eis committũtur. Nam ex eo quantum mali proueniat in mundo experientia docet, vt omne pene malum huic rei ſit tribuendum, quod digni non præficiantur, nec honor eis tribuatur quibus competit. Hinc enim fit vt nec fruges matureſcant, nec maturæ colligi bene poſſint,hoc eſt,vt ad perfectam frugem virtutis vel ſapientiæ non perueniant, qui alioqui bonam de ſe præbent ſpem, aut vt qui iam ad magnum profectum peruenerunt,non colligantur,nec fructum in aliis faciant,quem erant facturi.Cauendum tamen ne huius ſententiæ occaſione ſubditi reuerentiam & honorem negent ſuis ſuperioribus, dignitate qua funguntur indignis. Non enim tunc honor ſtulto vel ſtultitiæ eius defertur,ſed gradui,in quo honoratur Deus, cuius authoritate fungitur, etſi indignus. Venerabilis Beda niuem in æſtate, & pluuiam in meſſe myſticè intelligit deſignare perſecutiones infidelium tempore prædicationis euangelicæ, quæ dum grauiores inſiſtunt,& calorem dilectionis in multis impediũt,& fruges bonæ operationis fœdant. Quibus intelligit comparari gloriam quæ ſtulto confertur, quia ſi indocto cathedra docendi in Eccleſia, conceditur, æquè ſimiliter per hoc eccleſia,vt perſecutione infidelium,læditur,quod veriſſimum eſſe Arianæ(inquit)tempeſtatis calamitas probauit.

2 *Sicut auis ad alia tranſuolans, & paſſer quolibet vadens, ſic maledictum fruſtrà prolatum in quempiam ſuperueniet.*

OMITTENDA eſt particula,Nam quæ in quibuſdam libris legitur ſic, Nam ſicut auis. Et legendum eſt non alta, ſed vt habent codices emendatiores, alia quomodo interpretem vertiſſe magis eſt veriſimile ex particula quæ ſequitur,Paſſer quolibet vadens. Cæterum Hebræa ſecundam partem habent negatiue hoc modo. Sicut paſſer ad vagandum, ſicut hirundo ad volandum,ſic maledictio fruſtra non veniet. Qua ſententia omnino videtur ſignificari, maledictionem quæ ſine iuſta ratione in aliquem profertur,non eſſe metuẽdam ei cui maledicitur, ſed tantum reputandam, veluti auem aliquam quæ auolat, nec amplius videtur.Ita enim & huiuſmodi maledictio tantum leuem aerem verberat,ac in aere vagatur,& inſtar auis volantis & aerem verberantis euaneſcit. Aliud eſt de maledictione quæ zelo iuſtitiæ in impios emittitur ab habẽtibus authoritatem,qualis fuit maledictio Helizei in pueros prolata, & à Petro prolata in Simonem Magum. Talis enim non ſe habet inſtar auis auolantis, ſed inſtar gladij verberantis & vulnerantis. Sic & Græca negatiue habent in hunc modum. Sicut aues volant & paſſeres, ſic maledictio vana non ſuperueniet alicui.Poteſt & in hunc ſenſum noſtra lectio accipi quanquã omiſſa ſit negatio. Nam dicere,maledictum fruſtra, hoc eſt,ſine iuſta cauſa prolatum in quempiam,ſuperueniet ſicut auis rectè ſignificat non ſuperuenturum ei ſtabiliter, ſed ſtatium diſceſſurum ab eo,& vt vagam auem huc illucque inſtabiliter volantem euaniturum,nec figendum in illum contra quem prolatum eſt, & in quem directum eſt,vnde bene comparatur aui ad alia tranſuolanti & quolibet vadenti. Hac ſententia ergo confirmantur imbecilles contra blaſphemos, nec non & contra eos qui ipſos mendaciis onerant & famam denigrare conantur. Nam & hi contemnendi hac ſententia inſinuantur, iuxta illud: Conſcia mens recti famæ mendacia ridet. Educit enim tandem quaſi lumen dominus iuſtitiam piorum & iudicium eorum tanquam meridiem, vt eſt Pſal.36.Vnde rectè Titus Veſpaſiani filius, audiens ſibi quoſdam maledixiſſe, dixit: Ego cum nihil faciam dignum,propter quod contumelia afficiar,mendacia nihil curo. Communiter tamen aliter à noſtris hæc ſententia intelligitur affirmatiue in hunc ſenſum. Sicut auis vt paſſer vel hirundo è nido ſuo ad alia & alia volat, redit tamen in nidum ſuum vnde auolauit: ita maledictio quæ fruſtrà in aliquem profertur ſuperueniet in illum, à quo progreſſa eſt, ita vt ea maledictio ſit ei contra quem dicta eſt velut auis in aere vagans, ei verò à quo emiſſa eſt veluti auis in nidum ſuum reuerſa,quia redundabit in caput eius,& propter eam à ſe in alium prolatam, maledictioni ipſemet ſubiacebit. Hunc ſenſum etiam Hebræi plerique hic intelligunt, accipientes particulam לֹא Lo,quæ cũ Aleph, ſignificat ferè non,poſitam vt alicubi ſit, pro לוֹ Lo cum Vau, quæ ſignificat pronomen ei, vt vertendum ſit ſic, maledictio fruſtrà ei veniet, qui ſcilicet eam protulit. Atque hoc ſecutus videri poteſt noſter interpres qui vertit in quempiam ſuperueniet,nempe in eum qui maledicit alteri.

3 *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium.*

HOc eſt,ſicut flagellum equo cõuenit vel debetur, & camus vel frenum aſino,ita conuenit & debetur virga dorſo imprudentiũ. pulchra comparatio, qua innuitur quod quẽadmodum equus & aſinus domeſtica ſcilicet animalia, quorum vſus nobis eſt neceſſarius, quoniam ratione carent, flagello & freno opus habent, quibus ad opera ſua impellantur,aut ab indomita ſua petulantia cohibeantur: Ita & imprudentes,quoniam prudentia & ratione non reguntur, virga opus habent & caſtigatione,qua & adigantur ad ea,quæ officij eorum ſunt, & contineantur à ſuis inſolentiis ac prauis deſideriorum impulſibus.Hinc ſatis intelligere licet,& quam rectè inſipientes cõparẽtur equo & aſino,& quare eis virga & caſtigatione opus eſt, ſicut equo & aſino opus eſt flagello & camo.Flagello enim his animalibus opus

opus eſt,vt ad opus ſuum progrediantur, ac feſtinent camo vt cohibeantur,& ne à recta via declinent.Vtrunque iſtorum ſtultis virga præſtat.Quod autem flagellum equo, & camus aſino tribuatur, non ſic accipiendum, quaſi vnum vni,& alterum alteri appropriatur,cum flagellum potius tardo aſino, & camus petulanti equo videatur tribuẽdum,ſed cum vtrunque vtrique conueniat,tamen elegãtiæ cauſa vnum vni,& alterum alteri tribuitur diuiſim,phraſi Hebraica,quæ in ſcripturis ſæpè occurrit, quanquam nihil vetat dicere quod Salomon, vtriuſque animalis naturam aſpiciẽs, equo quo ad feſtinandum vtimur flagellum tribuit vt ad curſum incitetur, aſino quo ad onera ferenda lento gradu vtimur camum tribuit,quo in ſuo lento gradu bene deducatur, vt ſic per diuerſa hæc animalia & diuerſas eorum proprietates intelligamus etiam inſinuari quoſdam non niſi ſuo malo, & quaſi flagello impelli ad ſapientiam & virtutis curſum,alios admonitionibus & correptionibus veluti camo & freno moderatius cohibẽdos ac deducendos. Beda ſimili modo in his animalibus & diuerſis quæ eis tribuuntur Philoſophatus,per equum,cuius natura indomita eſt & ſuperba,ſuperbos,per aſinos luxurioſos ac lubricos deſignari intelligit.Et illis quidem, ob ſuperbiæ repreſſionem neceſſarium eſſe diuinum aliquod flagellum,iſtis verò vtilem eſſe infirmitatem carnis,qua cohibeãtur, vt qui ſponte conuerti nolunt,coacti flagellis conuertantur à vitiis. Prior ſenſus ſimplicior eſt.Conuenit cum hac ſentẽtia quod Prophe ta Regius cum monuiſſet ne ſimiles eſſemus equo & mulo,quibus non eſt intellectus,mox ſubiungit ad Deum conuerſus. In camo & freno maxilas eorum conſtringe qui non approximant ad te.Et ſupra c.10.dicitur:Virga in dorſo eius qui indiget ſapientia.Conuenit illud & vulgaris prouerbij. Phryx plagis emendatur. Contra verò generoſus animus,vt ait Seneca, rectius ducitur quam trahatur.

Pſal.31.

4 *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne efficiaris ei ſimilis.*
5 *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne ſibi ſapiẽs eſſe videatur.*

DIfficultas hic quædam eſt,quomodo contraria duabus his ſententiis præcipiat.Nã contraria ſunt,Non reſpondeas ſtulto,&, Reſponde ſtulto maxime cum vtrobique addatur iuxta ſtultitiam ſuam. Et poteſt hæc difficultas duobus modis tolli. Primo enim iuxta Bedam intelligi poteſt ſapiẽtẽ voluiſſe ſignificare ſtulto ſtulte loquenti,quandoque reſpõdẽdũ quãdoque nõ.Vtrunque enim faciendũ eſt pro tẽporũ & perſonarũ diuerſitate. Nã & quandoque ſtulti ſtultus ſermo contemnendus eſt,nec habẽdus dignus reſponſione, ne ſi quis ſemper omnia dicta ſtulti reprehendere & cõfutare vẽluerit,etiam in ſtultitiam aut ſtultitiæ notã incidat,dum facit quæ ſtultitiæ ſunt reſpondendo ad ea quæ contemnenda erant,& reſpondendo illi in quo nullus proferetur fructus.Vnde ſuprà dixit.Noli arguere deriſorẽ ne oderit te.Quãdoque vero ſtulto inepta loquenti,reſpõdendum eſt, vt cum periculum eſt,ne aliis ſua ſtultitia nocet, ſibique nimis placeat dum nullum audit ſibi contradicentem,ac ob id ſibi ſapere videatur audeatque frequẽtius,& liberius ſuam profundere ſtultitiam in aliorum detrimentum.- Itaque rationes diuerſæ,quæ in diuerſis indicantur ſententiis,oſtendunt quando ſit ſtultis reſpondendum,& quando non.Aliter dici poteſt,quod cum dicit ſapiẽs, ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, vult ſtulto ſtulta proferenti non eſſe etiam ſtulte reſpondendum,ſic ſcilicet, vt ſapiens eius imitetur ſtultitiam,vt ſi ſtultus maledictis aliquem inceſſat,& probris impetat,aut ſi carnalia proferat alius viciſſim ſimilia regerat & reſpõdeat.Sic enim ſimilis ſtulto efficietur,ſtulta & ipſe cõmittens.Cum vero dicit,Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,vult pro exigentia ſtultitię ſtulti reſpondendum eſſe ei, ſed rationibus & verbis quæ ſapientem decẽt,vt ſcilicet prudenti reſponſione oſtendatur ei ſtultitia ſua nec ſibi ſapiens eſſe videatur.Itaque in diuerſis ſententiis iuxta hunc intellectum quem tradit Lyranus præpoſitio,iuxta, accipitur aliter.Nam in priori ſententia ſignificat imitationem, in ſecunda exigentiam.iuxta priorẽ intelligentiam poteſt vtrobique ſignificare exigentiam,vt ſignificetur aliquando reſpondendum ſtulto pro exigentia,aut merito ſtultitiæ eius, aliquando non reſpondendum ei vt miretur. Beda vtrobique intelligit ſignificari imitationem,vt ſignificetur quandoque non imitandum in reſponſione ſtulti ſermonem,ſed tacendum,& contemnendum, aliquando imitandum,& alterius ſtultã ſuperbiam alia decutiendam ſtultitia, quod nonnunquam prudenter fit,quomodo Paulus dicit factus ſum inſipiens,vos me coegiſtis.Septuaginta ſenſum ſecundo loco poſitum videntur ſecuti.Habent enim ſic:ne reſpõdeas ſtulto,ſecundum ſtultitiam eius, vt ne ſimilis illi fias.Sed reſponde ſtulto ad ſtultitiam eius vt ne ſapiẽs videatur apud ſeſe.Cõuenit cum hac doctrina illud quod Cicero in Apologia ſua Saluſtio oppoſuit,Mihi,inquit, ratio habẽda eſt non quid Saluſtius meritò debeat audire,ſed vt ea dicã quæ ego honeſte effari poſſum.

Sup.c.9.

Ianſ.in Prouerb.

6 *Claudus pedibus,& iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuncium ſtultum,*

MVLTAE ſententiæ hic congeruntur concernentes ſtultos, & imprudentes. In quibus omnibus ſemper occurrit apud hebræos dictio כסיל Ceſil,& apud Græcos ἄφρων pro quo noſter vertit ſtultus,imprudens, inſipiens.Hac ſententia deſignatur quam ineptè & pernicioſe facit, qui negocia aliqua ſeria apud aliquem peragenda, aut verba quædam alicui referenda,committit imprudenti. Talis comparatur claudo pedibus,quia perinde ſe habet ac ſi ipſe non poſſet ambulare, quod tam inutili vtatur miniſtro,cum potius deberet ipſe ire. Comparatur etiam iniquitatem bibenti,aut potius ipſe dicitur bibere iniquitatem,quia ſtulti ſui legati iniquitatem,multum & abũde ſentire & proferre cogitur,dũ

damna multiplicia percipit ex imprudenti & iniqua ſtulti legati actione & verborum relatione. Itaque bibere iniquitatem, vel vt alij melius vertunt, bibere damnum (Nam vtrunque dictio Hebraica ſignificat, & eodem recidit) eſt ſatiari ac repleri malo, quomodo Iob 21. dicitur de furore omnipotentis bibet. Et c. 34. dicitur bibit ſubſannationẽ quaſi aquã pro eo quod eſt ab omnib. malè audit & ſubſannatur. Qui ergo mittit verba ad aliquem deferenda per imprudentem & ignominia ſe afficit, quaſi eſſet claudus pedibus, & damno ſe afficit, ac quaſi iniquitate alterius, & damno plurimo repletur. Aut qui vtitur legatione imprudẽtis dicitur claudus pedibus, quia impedit negotiorum ſuorũ progreſſum, & perinde ſe habet ac ſi ſe faceret claudum, & ineptum ad eundum, quia quod per illum male geſtum eſt, & peccatum ipſe poſtea corrigere per ſeſe non poterit. Itaque quaſi ſeipſum priuat poteſtate eundi ad tractandum ſuũ negotium. Hebræa enim habent pro claudo pedibus, Succidit pedes, ſibi ſcilicet, hoc eſt, perinde ſe habet, ac ſi ſibi pedes ſuccideret, quia ſe magno damno afficit ſuáque negotia perplexa reddit & ſe priuat poteſtate eũdi per ſeſe, ad corrigendum quod male tranſactum eſt. Ita enim frequenter imprudentes legati negotiũ inuoluunt, vt reſtitui non poſſit. Monet ergo prouerbium videndũ diligenter cui res ſerias committas. Quod ſi in quauis alia re curandum eſt, maximè ſeruandum eſt iis, qui verba Euangelicæ prædicationis mittũt diſſeminãda in populum, & negocia aliqua eccleſiaſtica, per legatos peragere coguntur. Nam ſi hæc imprudẽtibus, & potiſſimum hæreticis commiſerint, tanquam claudis non facilè poterunt impoſterum per ſeſe corrigere quod peccatum eſt, & de iniquitate eorum bibent, pœnas cum eis daturi quos miſerunt.

7 *Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.*

CVM variè hæc ſententia vertatur, & intelligatur in Hebræis, ſatis tamẽ conſtat ſic potiſſimum verti poſſe. Tollite tibias a claudo & parabolam in ore ſtultorum, per imperatiuum ſcilicet, quomodo & Septuaginta verterunt, vt ſit ſenſus: Quemadmodum tibiæ non conueniunt claudo, ita nec parabola ſtulto, quẽ ſenſum ſecutus eſt noſter interpres, qui verbis quibuſdam additis, ſenſum potius expreſſit quàm verba. Et ſignificatur, quod quẽadmodum claudus, etiamſi tibias habeat, eáſque pulchras, non poteſt tamen eis bene vti, ideóque ex hac parte fruſtra habet pulchritudinem tibiarum, cum ea potiſſimum cõſiſtat in illarum pulchro & decenti vſu: ita prouerbialis aliquis ſermo, ac ſententia quæuis, ſapientiæ plena, nõ conuenit nec decẽs eſt in ore ſtultorum, quia quamuis per ſeſe pulchra ſit & bona, non poſſunt tamen illi ea rectè vti. Deinde quemadmodum pulchræ tibiæ, non adferunt ornamentum claudo, eo quod eis bene vti non poteſt: ita nec parœmia & doctrina adferunt honorem ſtulto, qui inconcinnè & ineptè eis vtitur non bene & opportunè applicando. Poſtremò quemadmodum claudus etiamſi pulchras habeat tibias, tamen inęqualiter ambulat, quod vna tibia alteri in longitudine non reſpõdeat: ita etiamſi in ore ſtultorum ſit prudens aliquis ſermo, tamen cum aliis eorum verbis ac factis non conſentit, ſed velut inæqualibus tibiis ambulant, dum quædam rectè, quædam ineptè dicunt. Dici poteſt hæc ſententia cõtra eos in quorum ore ſemper eſt Euangelium, quique illud ex officio aliis prædicant, cum improbæ ſint vitæ, quales omnes, Sapiẽs ſtultos vocat. Sancta enim hęc prædicatio illis indecens eſt, vt qui ea nec ornentur, nec eandem ornent, ſed inæqualitate dictorum & factorum dehoneſtent, quãtum in ſe eſt, omnino claudis ſimiles, qui pulchras quidem habent tibias, ſed eis non pulchrẽ incedunt. Claudicãt enim & illi in duas partes dum ore Deum, vita mundum prædicant.

8 *Sicut qui lapidem mittit in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.*

PRo eo quod noſter vertit, aceruum Mercurij, Hebręis vnica dictio eſt במרגמה Margema, quæ propriè ſignificat congregationẽ vel aceruum lapidum à verbo רגם Ragã, quod lapidare, vel lapidibus obruere ſignificat. Secundum hanc ſignificationem, quidam hũc locum ſic intelligunt, Sicut qui proiicit lapidem aliquem precioſum in aceruum aliquẽ communium lapidum: ita facit qui tribuit inſipienti honorem, quia ſicut ille facit contra decorum, ita & iſte, cum honor ſolis debeatur ſapientibus, vt ſupra dictum eſt in primo verſu. Et ſicut in aceruo lapidum communium perit precium, & bonitas lapidis precioſi, ita perit inter vitia ſtulto attributus honor. Alij dictionem Hebraicam intelligunt ſignificare fundã. Sic enim accepit Chaldęus Paraphraſtes, & Septuaginta qui habent σφενδόνη, id eſt, funda, vt ſit ſenſus. Sicut qui ligat lapidem in funda: cuius verſionis etiam Lyranus meminit. Et tunc ſignificatur quod ſicut, qui ligat lapidem in funda vt proficiatur, & pereat, ita qui ſtulto honorem tribuit rem facit mox perituram in eo, nec diu in eo permanſurã. Rurſum ſunt inter Hebræos qui dictionem Margema putent hic ſignificare purpuram, vt ſit poſita pro ארגמן Argaman, quod purpuram ſignificat, & erit ſenſus rurſus de communi lapide ligato in veſte precioſa qualis eſt purpura, vt ſignificetur inepte facere qui honorem ſtulto tribuit & ei iungit quod ei non competit, ſicut inepte facit qui lapidem aliquem vilẽ, & abiiciendũ ligat in purpura. Atque alterum horum duorũ ſenſuum poſteriorum videtur deſiderare verbum Hebraicum, ligare, quod Hebræis eſt pro eo quod nos habemus qui mittit. Quæ noſtra lectio optimè accipi poteſt in ſenſu primo poſito, vt de lapide precioſo intelligatur, & per aceruũ Mercurij, intelligatur aceruus cõmuniũ lapidum qui poni ſolet ad diſcrimẽ viarũ, qui Mercurij dicebatur, ꝙ dux ille viæ haberetur, & Deus mercaturæ. Nã quod per aceruum Mercurij Lyranus putat intelligi poſſe nũmos illos proiectiles, quibus in computis vtimur, & intellectus

quem iuxta illam acceptionem tradit, ridicula nimis videntur. Simplicius tractauit hũc locum Beda, intelligens per miſſionem lapidis in aceruum Mercurij deſignari cultum idolorum & gentilium deorum, inter quos potiſſimum à pleriſque colebatur Mercurius, vt mittere lapidem in eius aceruum ſit aliquid contribuere materiæ ex qua ei templum extruatur, ſicut explicuit Lyra. Itaque ſignificabitur eum qui ſtulto confert honorem ſimiliter delinquere atque is qui gentium deos honorat, quia vterque honorat eum cui non debetur honor. D. Ambroſius lib. 2. exemplo 7. legit iuxta 70. Qui deligat lapidem in fundibulo, ſimilis eſt ei qui dat imprudẽti honorem. Et interpretatur, quia ſeipſum vulnerat, atque ſibi potius, dum interquet iaculum, affert periculũ.

9 *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum.*

PARABOLA in ore ſtulti recte comparatur ſpinæ in manu ebrij. Primum quia ſicut ebrius, eo quod ſit deſtitutus per ebrietatem, iudicio, vſuque rationis, non poteſt ſpina, quam manu gerit bene vti, ſed contra ea abutitur ſeipſum & alios lædens: ita doctis prudentibuſque ſententiis, ſtulti ob defectum ſapientiæ & rationis non ſolum non vtuntur bene, ſed cum & ſuo & aliorum detrimento, quemadmodum patet in indoctis hominib. qui ſcripturas ſacras legentes & aliis prædicantes, eas deprauant ad ſuam ipſorum & aliorum perditionem, vt habet Petrus. Vnde intelligere licet quam rectè & ſtultus tumulento, & parabola in eius ore, ſpinæ comparetur in manu ebrij. Secundo quia ſicut ebrius per ebrietatẽ ſuam ita decipitur, vt cum putat ſe florem vel fructum aliquem decerpturum in horto, aut commune aliquod lignum manu tractaturũ, incidat inopinato in ſpinam, à qua læditur cũ multorum irriſione: ita & inopinatum eſt, vt in ore ſtultorum inueniatur aliqua prudentia, & cum inuenitur, nocet eis magis quam prodeſt, & riſum potius prouocat in aliis, quam venerationem, ita vt dicatur de eis illud veteris prouerbij, Num & Saul inter prophetas? Et hæc quidem ſufficere poſſent videri pro ſententiæ explicatione, ſi dictum fuiſſet, Quomodo ſi ſpina ſit in manu temulẽti, ſed aliud quid inſinuare videtur verbum, Naſcatur, quomodo, ſi ſpina naſcatur, pro quo Hebræa habent, Aſcendit, & Græcis ἄκανθαι φύονται, hoc eſt, ſpinæ naſcuntur vel germinant, niſi dicamus ſpinam naſci in manu temulenti nihil eſſe aliud, quam eam ibi fortuito inueniri & obuenire. D. Ambroſius loco prædicto ſecutus 70. legit. Spinæ naſcũtur in manu ebrioſi, ſeruitus autem in manu imprudentis. Et intelligit, quia ſicut ille ſuis vulneratur poculis ita inſipiens ſuis factis: ille bibendo ſe peccato inficit, iſte operando ſe culpæ adiudicat, & factis ſuis trahitur in ſeruitutem.

10 *Iudicium determinat cauſas, & qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.*

ADMIRARI quis merito poſſet hanc verſionem quod cum Hebraica veritate, vt iam legitur, nullam omnino videatur habere correſpondentiam vel ſimilitudinem. Sic enim Hebræa iuxta ſimpliciſſimam & probabiliſſimam intelligentiam (nam & ipſa ſunt valde ambigua, & variè accipiuntur) habent ad verbum: Magnus creat omnia, & mercedem dat ſtulto & mercedem dat tranſgreſſoribus. Qua ſententia ſignificatur quod magnus dominus deus qui omnia creauit & gubernat, non ſolum ſapientes, ſed & ſtultos & tranſgreſſores legis ſuæ tanquam ſuos mercenarios paſcit. Quod vocat dare mercedem, quia ipſe alit eos, ac ſi deberet eis eſcam, tanquam eorum dominus, quemadmodum quiſpiam tenetur dare mercedẽ ſuis mercenariis. Aut loquitur de mercede, quam impiis reddit, tanquam omnium dominus & creator, iuxta eorum merita irrogando ſcilicet, & eis qui per ſtultitiam peccant aut ignorantiam, & eis qui per malitiam voluntariè tranſgrediũtur, commerita ſupplicia, ſiue hic, ſiue in futura vita. Cęterum cum ſint hebræa admodum obſcura, & quæ ad varios ſenſus trahi poſſunt, noſter interpres punctis tantum, & literis quibuſdam mutatis, longè alium ſenſum hic intellexit, ſicut & Septuaginta ſimiliter diuerſum, quod quomodo factũ ſit, quo minus miremur ſciendum eſt, noſtrum pro prima dictione רב Rab, quæ magnum ſignificat, puncto tantum variato legiſſe רב Rib, quod iudicium ſignificat & litem. Secunda dictio, quæ ſignificat nonnunquam formare vel creare, ſignificat etiam fugare, prohibere & vincere, quomodo teſte Pagnino etiam hic quidam hebræi accipiunt. Eſt enim ea dictio de qua & ſuperiori capite dictum eſt in illud, Ventus aquilonaris diſſipat pluuias. Itaque noſter intellexit hunc ſenſum, Iudiciũ diſſipat omnia, hoc eſt, determinat omnia negotia & cauſas. In ſequẽti parte pro participio שכר Socher, quod bis poſitum ſignificat reddere mercedem, legit bis, quemadmodum & Septuaginta videntur ſemel legiſſe שבר Schober. quod conterere ſignificat & confringere, Beth ſcilicet legẽs pro Caph, inter quas literas eſt maxima ſimilitudo, vnde vertit imponere ſilentium, & mitigare, quod non eſt aliud quam confringere. Et pro עברים Oberim vertit iras quia dictio עברה Aebrach, ab eadem radice ſignificat irã. Septuaginta qui & ab Hebraica veritate, & à noſtra lectione diuerſum tradiderunt ſenſum, quid ſecuti ſint, ſimiliter diuinare poteſt qui Hebræa norit, & eorum ambiguitatem. Habent enim ſic, πολλὰ χειμάζεται πᾶσα σὰρξ ἀφρόνων, συνθριβήσεται γὰρ ἡ ἔκστασις αὐτῶν id eſt, frequenter, vel multum tempeſtate iactatur omnis caro inſipientium, conteretur enim exceſſus eorum. Quæ ideo dicta ſunt, ne quis noſtram lectionem, quaſi nihil habentem commune cum Hebræis planè reiiciat, cum ſententiam contineat conuenientiſſimam. Significat enim quod ſicut iudicium iuſtitiæ determinat & definit omnes cauſas controuerſas inter homines, & per hoc diſſidia eorum diſſoluit: ita & vir prudens, qui ſua prudenti æquitate, & iudicio imponit ſtulto ſilentium, mitigat iras quas ſuà imprudentia ſtultus excitauit, & excitaturus erat. Vt hinc intelligamus bonitatem & vtilitatem iuſtitiæ &

prudentiæ ad ſuperandum malitiam imprudentiæ, & qua re improbitas hominum & ſtultitia ſuperari poſſit, vt in pace homines viuant cum ſtultis imprudentibus ac improbis. Et poteſt ſententia accipi, aut per partium comparitionem ad inuicem hoc modo: Sicut iudicũ determinat cauſas, ita qui ſtulto imponit ſilentium iras mitigat. Vel ſine comparatione, hoc modo: Iudicium determinat cauſas, & qui per iudicium illud imponit ſtulto ſilentium, mitigat iras, quaſi diceret, Rem valde bonam facit.

11 *Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam.*

PVLCHRA ſimilitudine imprudens iterans ſuam ſtultitiam, hoc eſt, improbus repetens nequitiam ſuam comparatur cani reuertenti ad id quod euomuit reſumendum, 2. Petr. 2. quam ſimilitudinem ex hoc loco, etiam D. Petrus in ſecunda ſua epiſtola deſumpſit contra quoſdam qui ab agnita veritate relapſi ſunt in errores & impietatem. Contigit (inquit) eis illud veri prouerbij, Canis reuerſus ad vomitum ſuum. Primum enim dum canis, animali impudico, inuerecundo, & ad nihil fere aliud vtili, quam ad vane oblectandum, peccatorem comparat, ſignificat quam ſit in ſeſe abiectus, & vilis homo peccator, in multis conditionibus cani ſimilis propter quod & alias canibus peccatores aſſimilatur, vt cum dicit dominus: Matth. 7. Marc. 15. Nolite ſanctum dare canibus, Et, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Secundo dum cani reuertenti ad vomitum comparatur peccator, iterans ſuam impietatem, ſignificetur, quam ſit res fœda & abominanda iterare impietatem ſemel relictam, quam ſcilicet fœdum eſt, canem fœditatem quam ſemel eiecit reſumere, quod cum quilibet videt, nauſeam ſentit & abominatur. Pſalm. 52 Vnde bene de peccatoribus dicit propheta: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus ſuis. Nec tantum peccator cani ſimilis eſt, in repetendo fœditatem ſuam ſed etiã in vomitu canis. Sicut enim canis id quo grauatur eiicit & tamen hoc ipſum, quod tanquam noxium abiecit, reuocat, & pro cibo aſſumit: ita & peccator ſæpe conſcientia arguente compunctus, quo grauatum ſe ſentit, peccatum deteſtatur, abiicit, & per confeſſionem euomit, conſcientiam ſuam ea ratione alleuans, ſed per ſtultam ſuam inſtabilitatem, quod tanquam malum deteſtatus eſt, rurſum tanquam ſibi bonum, & tanquam quod ipſum paſcere valeat in cibum concupiſcentiæ ſuæ repetit. Sic ferè hanc parabolã tractat. D. Gregorius tertia parte curæ admo. 31. Gregor. Canis quippe (inquit) cum vomit profecto cibum qui pectus deprimebat, proiicit, ſed cum ad vomitum reuertitur, vnde leuigarus fuerat rurſus oneratur. Et qui admiſſa plangunt profecto nequitiam de qua male ſatiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebant, confitendo proiiciunt, quam poſt confeſſionem dum repetũt, reſumunt. Proinde hinc intelligere licet, quã apta ſit ſimilitudo à ſapiente indicata, quam ſi peccator quiſque preſſe conſideraret & ex ea intelligeret, quam fœdum ſit redire ad peccata relicta, & quam hoc planè caninum ſit, retrahi facile poſſet, & cohiberi à peccatorum reiteratione, nolens in ſe admittere quod etiã in canibus deteſtatur. Eodem tendit & altera ſimilis parabola à D. Petro ſuperaddita: Sus lota in volutabro luti, pro ad volutabrum luti ſcilicet reuerſa. Et quod eſt in Eccleſiaſtico. Qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet? Eccle. 34.

12 *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.*

CVM multis iam ſententiis multa in ſtultos dixerit, hoc iam verſu ineptiſſimum ſtultorum genus indicat, cui præferendi ſint hi, qui pro inſipientibus vulgo habentur. Sunt autem hi qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, hoc eſt, vt bene vertit noſter interpres hebraicam phraſim explicans, qui ſapientes ſibi videntur, de qualibus dicit Paulus Romanis: Roma. 1. Eſa. 5. Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Et Eſaias: Væ vobis qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Tales qui ſic ſibi videntur ſapientes, vt de ſua ſibi placeant ſapientia, alios præ ſe contemnentes, aut ſunt frequenter omnium penè rerum imperitiſſimi ac indoctiſſimi, putantes ſe intelligere, quæ non intelligunt, aut etiamſi pleraque bene ſciant, tamen agnoſcere nolunt ſe pleraque neſcire quæ ab aliis diſcere debeant. Itaque cum ab aliis ſapientiam diſcere nolint, nulla ſpes eſt vt aliquando ſapientes fiant, ſed inſipiens magis illo ſpem habebit, hoc eſt, magis ſperandum eſt de inſipientis alicuius, qui talis vulgo habetur, ſalute & ſapientia adipiſcenda, quam de illius. Non enim cum dicitur inſipiens magis illo ſpem habebit, ſignificatur quod ipſe inſipiens maiorem ſpem habebit quam ille, aut quod magis ſperabit quam ille. Neuter enim ſpem talem habet, ſed intelligendum eſt de ſpe quam homines de inſipiente habere poſſunt, vt ſit ſenſus: Inſipiens habebit ſpem apud homines, vel in cordibus hominum, hoc eſt, homines magis de eo ſperabunt. Vnde Hebræa verti poſſunt, Spes eſt de ſtulto magis, quam de illo. Demonſtrat huius ſententiæ veritatem, quod de Scribis & Phariſæis, ac plebe Iudaica legitur in Euangelijs. Illi enim quoniam ſibi placebant de ſapientia & cognitione legis, nec à Chriſto, nec à quouis alio ſe doceri patiebantur, ita vt cæco dicerẽt: In peccatis natus es totus, & tu doces nos. Proinde nulla ſpes fuit conuerſionis eorum & fidei in qua vera eſt ſapientia, cum interim vulgus indoctum quod ſuã inſipientiam agnoſcebat, & auide Dei ſapientiam ex ore Chriſti audiret, & ex eo plerique in ipſum crederent, ita vt ſicut Chriſtus de ſe dixit, factum ſit, vt qui non videbant, viderent, & qui videbant cæci fierent. Demonſtrat ſententiæ veritatem, & quod in hæreticis quotidie experientia docet. Videmus enim in eis, non ſolum eos qui iuxta ſeculi æſtimationem docti videntur, ſed etiam indoctiſſimos quoſq; de plebe, quoniam Ioan. 6. Ioan. 9.

quoniam ſibi perſuadent ſe intelligere ſcripturas, & Spiritu ſancto afflatos eſſe, nullam quã tumuis doctiorum inſtitutionem admittere, ita vt ob id vel nunquam vel raro tales conuerti contingat, proinde nõ caret efficacia quod per interrogationem vnumquemque ſapiens compellat dicens: Vidiſti hominem ſapiẽtem ſibi videri: quaſi diceret, Si ex diligenti animaduerſione obſeruaſti aliquem eſſe qui ſibi videatur eſſe ſapiens, non eſt quod multum labores in illo docendo, ſed ſcito deſperatam eſſe propemodum eius reſipiſcẽtiam & ſalutem, magiſque tibi ſperandum de eo qui planè imprudens & indoctus habetur. Conuenit cum hac ſententia quod præclare ſcripſit Fabius lib. 1. Nihil, inquit, peius eſt iis, qui paulũ vltra primas literas progreſſi, falſam ſcientiæ perſuaſionem induerunt. Nam & credere præcipiendi peritis indignãtur, & velut iure quodam poteſtatis, quo ferè hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi atque interim ſæuiẽtes ſtultitiam ſuam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus.

13 *Dicit piger. Leo eſt in via, & lœna in itineribus.*

POST pleraſque ſententias concernentes ſtultitiam & inſipientiam, ſubiunguntur iam aliquot ad pigritiam pertinẽtes, quarum prima hæc ſupra habita eſt & expoſita ca. 22. verſu 14. vnde patet hac ſententia nihil aliud ſignificari quam pigrum, cũ ad opera aliqua foris agenda vocatur ſe per pigritiam excuſare, prætexendo magna pericula quæ tamen non ſunt. Tantum hoc monendum hic, itineribus poſitum pro viis vel plateis.

14 *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo.*

SVPERIORI ſententia indicat quid pigrum domi contineat, hac vero quid domi agat, nempe quod ſicut foras non egreditur ad opera debita, ita nec domi vacat rebus honeſtis, vſque adeò deditus otio, vt ne otium quidem otioſè & quiete ferre poſſit. Sicut, inquit oſtium vertitur in cardine ſuo, ita vt moueatur nunc in vnam, nunc in aliam partem fixè tamen cardini ſuo ſemper adhærens: ita piger etiam cum non dormit, nec lecto ei amplius opus eſt, vertitur in lectulo ſuo, nunc in hoc, nunc in illud latus, adfixus pertinaciter lecto, ſed in eo inquietus, qui quieti tãtum & ſomno deſtinatus eſt. Pulchrè ergo pigritiei abſurditatem depingit, ſignificando pigrum etiam quietè vti inquietè, & nec tunc quietẽ relinquere poſſe cum incipit eſſe moleſta. Poteſt & aliter accipi hæc ſentẽtia, nempe vt hic ſit ſenſus: Sicut oſtiũ vertitur in cardine ſuo, nunc ad aperiendum illud, nunc ad claudendum, nunc vt egrediantur homines, nunc vt ingrediantur ita piger voluitur in lecto ſuo, nunc proponens ſurgere & egredi ad opus, nunc ſeſe trahens & lecto includens. Quem ſenſum indicat Beda, ſcribens: Sicut oſtium in cardine, vertuntur, modo exire ad opus, modo ad quieſcendum redire proponentes. Ex quo etiam patet myſticè hanc ſententiam accipiendam de lecto prauæ conſuetudinis & vitiorũ, in quibus quidã cum voluptate quieſcunt volutantes ſeſe de vno vitio in aliud, & nunc quidem proponentes vitia relinquere, nunc verò in eadem relabentes, præ pigritia, virtutis viam & labores arripere recuſantes.

Ianſ. in prouerb.

15 *Abſcondit piger manus ſub aſcella ſua, & laborat ſi ad os ſuum eas conuerterit.*

SVPERIOR ſententia monſtrat, quid præ pigritia faciat in lecto piger, hæc qd iã relicto lecto, ſignificãs etiam adeo ipſum ſe tradere quieti, & otio, vt etiam quæ ſibi ſunt neceſſaria, & paruo conſtant labore, pigeat ſibiipſi impendere. Abſcondit (inquit) piger manus, quas ad operandum extendere deberet, ſub aſcella ſua, & laborat, hoc eſt, moleſtum eſt ei ac fatigatur ſi ad os ſuum eas capiendi cibi gratia conuerterit. Cætera vide ſuperius in cap. 19. vbi verſu 24. ſimilis habetur ſententia. Nec mirari quis debet, quod in variis locis eiuſdem ſententiæ ſit in hoc libro repetitio. Id enim vel ex eo accidit quod à diuerſis collectio facta ſit, vel ex eo quod eadem diuerſis quadrent locis.

16 *Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.*

CVM multa vitia recitauerit pigri, tandem quod eſt maximum infert, nempe quod ſe ſapientiorem reputet ſeptem viris, hoc eſt, pleriſque ſapientibus, non qualibuſcunque, ſed etiam talibus, à quibus homines petere ſolent ſana conſilia, bona iudicia & doctas ſententias. Hos enim deſignat per eos qui loquũtur ſententias. Nam pro loquentibus ſententias, hebraice eſt, reddentibus vel reſpondentibus ſentẽtiam. Cæterum hæc arrogantia ſapientiæ quam hic pigro ſapiens tribuit, dupliciter intelligi poteſt. Primum quod ex nimia pigritia, non libeat illi doctos adire, & audire & interrogare, prætexátque propterea ſe doctiorem eſſe, etiã doctiſſimis. Secũdo quod in diligendo otio, & quiete ſapientius ſe agere exiſtimet his qui multo labore ad ſapientiam perueniunt, quique docendo alios, & reſpondendo prudenter, in magnis verſantur laboribus & occupationibus, vt ſignificetur pigrũ ſibi perſuadere, ſapientius & melius ſe vitam inſtituiſſe ſuam, quam faciunt plerique ſapiẽtes, qui occupantur in reſpondendo cunctis prudenter. Et ſane vtrunque horum accidere videmus, & quod pigri dũ nolũt accedere loca publica, vbi traditur vera ſapientia, in excuſationẽ ſuæ pigritiæ fingũt ſe ſcire quæ ibi docenda ſunt, ac melius ſcire quam ipſi concionatores, & quod otioſum ſuæ vitæ genus præferãt laborioſo, & moleſto generi vitæ ſapiẽtũ qui in docẽdis aliis occupãtur, reputãtes, eos præ ſe ſtultiores. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas dicẽs: Melior eſt pugillus cum requie, quã plena vtraq; manus cũ labore, & afflictione animi. Proinde parabola indicat pigros deploratos eſſe, nec magnã eſſe ſpẽ, vt aliquãdo ſapiãt, ſicut ſupra dixit de eis, qui ſapiẽtes ſunt in oculis ſuis. Poteſt etiam intelligi hac Eccl. 4.

sententia significari,pigros cũ ipsi nihil agãt & aliorum factorum sint curiosi scrutatores facilè etiam sapientum dicta factáque redarguere,& carpere quasi illis sapiẽtiores.Quod experientia docet esse verissimum.

17 *Sicut qui apprehendit auribus canem,sic qui transit impatiens & commiscetur rixæ alterius.*

APta comparatione is qui transeundo per viam,cum videns quosdam inter se rixantes,impatienter fert iniuriam quam putat alterum alteri inferre,& ob id immiscet se alterius liti insurgẽdo in eum, quem putat iniquam habere causam, aut obiurgando eos qui inter se litigant,assimilatur ei, qui canem auribus apprehendit. Canis enim animal est maximè irritabile, nec alia re magis irritatur quam si auribus apprehendatur,parte scilicet minimè tractabili in canib. Quod qui faciunt temerè contra se canem prouocant ad ablatrandum,insurgendum & mordendum, cum id facilè vitare possent,canem intactum relinquendo.Ita qui aliis inter se contendentibus se immiscet in causa ad se non pertinente,dũ vel vni parti studet fauere, vel vtráque vult reprehendere,animos iam per contentionem irritatos & accensos,vel alterum ipsorum facilè contra se adeò prouocat, vt iam vel ambo, vel alter cum ipso contendere incipiat,& in ipsum insurgat nonnunquam & lædat, cũ transeundo,& causam eorum intactam relinquendo,omne incommodum effugere facilè posset.Monet ergo prouerbiũ non facilè quẽquam ingerere seipsum debere aliorum causæ,ne temerè prouocet aliorum in se inimicitias & odia.Videtur contra fecisse Moses, qui Exod. 2.
vt est in Exodo,cum vidisset duos Hebræos rixãtes inter sese,dixit ei qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? Quem statim sensit in se insurgentem & mordentem. Dicebat enim. Quis constituit te principem & iudicẽ super nos?Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Atque huius obiocutione coactus est exulare relicta Ægypto.Sed Moyses id fecit laudabiliter, ac spiritu accensus diuino,à quo iam destinatus erat dux & rector populi Israelitici. Sapiens verò vult,vt ne temere nos ingeramus aliorum cõtentionibus,nec ex impatientia,ac contentioso more.Et maximè locũ habet in his, qui sic se aliorum immiscent contentionibus, vt eas fauore alterius partis foueant & accendant. Qui autem cum Christiana modestia studet ex charitate litigantes inter se conciliare,non est similis apprehendenti canem auribus,sed potius ablandienti canibus,& irritatos canes, ostensis fragmentis panis, quiescere facienti. Similiter qui pro authoritate, qua fungitur ex zelo iustitiæ,inter collitigantes sese immiscet,iniuriam facienti silentium imponens,nõ est similis apprehendenti canem auribus,sed percutiẽti canẽ,baculo,& abigẽti ne noceat.

18 *Sicut noxius est qui mittit sagittas & lanceas in mortem.*

19 *Sic vir qui fraudulenter nocet amico,& cum deprehensus fuerit,dicit ludens feci.*

VERba illa cum deprehensus fuerit, nõ sunt in Hebræo, sed à nostro interprete, imitante hac in parte Septuaginta, explicandi causa sunt addita.Nec est.Sicut noxius est sed,Sicut abscondit se,quamuis alij aliter accipiant dictionem Hebraicam,cuius significatio non potest esse satis certa,quod tantũ hoc loco in scripturis occurrat, in ea forma qua hic ponitur. Sensus ergo est. Sicut qui mittit in aliquem sagittas,& lanceas ad occidendũ, noxius est,nõ simpliciter nec vno modo, sed valde noxius est, eo quod talis occultè hoc faciat volens latere,vt post mortem inflictam possit inficiari quodque hoc repente faciat & præter expectationẽ, vt duplici hoc nomine eius malum vitari nequeat: (Sagittarũ enim eiaculatio,& absconditè fieri solet,& adeò repẽtè, vt præuideri nequeat) talis est qui amico suo nihil mali ab ipso metuẽti per occultam & tectam fraudem nocet, eumque decipit,studens omnibus modis latere, & si deprehensus fuerit,dicit se non ex malo fecisse animo aut ferio,sed fecisse per iocum,quasi diceret: Eo peior est ille aliis qui damnum inferunt,quòd & dum nocet, & post illatum damnum vult haberi pro amico. Comparantur ergo ficti amici,qui clanculum nocent, & suã malitiam dissimulant,his hominibus qui omnium pessimi & pernicios issimi habentur quales sunt qui sagittis ex occulto hominem impetunt,aut faces ardentes alienis tectis iniiciunt,Nam pro sagittas & lãceas.Hebræa habent faces & sagittas.Tales enim longè pernicios iores sunt his qui gladiis coram & cominus hominem ad occidendum aggrediuntur qui videri possunt & vitari fuga, aut resistẽdo superari.Non sic autẽ alij.Itaque significatur, illos esse maximos inimicos ac pernicios iores apertis hostibus,qui cum pro amicis se gerũt, & haberi volunt,nocere secrete studẽt.Perditissimi, inquit Cicero hominis est simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum qui læsus non esset nisi credidisset.

20 *Cum defecerint ligna,extinguitur ignis, & susurrone subtracto,iurgia conquiescunt.*

APerta est parabola, qua significatur quod lites & nascuntur & fouentur communiter à malis linguis,sicut ignis fouetur à lignis,& proinde si quis iurgia velit conquiescere,prouidendum esse,vt susurrones,qui sua maledica lingua ea suggerunt,vnde lites oriũtur & nutriuntur,amoueantur & subtrahãtur Deficiente enim causa, deficiet & effectus. Notandum autem bene,iurgia,lites,& discordiam igni comparari,& susurronem lignis.Sicut enim ignis omnia deuorat & perdit,sic & discordia omnia vastat. Concordia enim, vt ille dixit,paruæ res crescunt, discordia ma- Matt. 12.
ximæ dilabuntur.Et:Omne regnum in se diuisum desolabitur. Hoc ergo tantum malum è nulla re alia magis habet formentũ,quam à susurronibus,qui omnia celanda defecerũt,in peiorem partem dicta factáque exaggerantes,ac de suo pleráque affingentes, vnde non immerito dixit Propheta Regius: Detrahentem secreto proximo suo,hunc persequebar

Et:

Et Leuitici 19. speciatim præcepit Dominus Nõ eris criminator & susurro in populo. Hinc
Psal.100. enim videmus in omni communitate siue priuata,siue publica,esse eas quæ sunt vsque cõtentiones.Hinc in Ecclesia ipsa tot iam videmus iurgia,& de dogmatibus fidei, atque Ecclesiæ statutis concertationes, quod omnia plena sint susurronibus,qui omnibus piis ordinationibus detrahunt, in populo spargẽtes varias calumnias,quibus simplices accẽdunt contra ecclesiastica dogmata, quibus & accensum iam ignem illum omnia pia deuorantem fouent. Secutus est sapientis consilium hic insinuatũ Titius imperator, qui delatores cæsos flagellis ac fustibus,deportari iussit.

21 *Sicut carbones ad prunas,& ligna ad ignem,sic homo iracundus suscitat rixas.*

SImilis est hęc sententia superiori in hoc differens, quod hic iam altera indicatur causa litium & contentionum, quæ & ipsa se habet ad lites,vt ligna ad ignem, homo scilicet iracundus,vel vt habent Hebræa,vir contentionum,hoc est,homo contentiosus, quales ferè sunt homines iracundi, qui ob leuissimam causam contendunt. Sicut ergo carbones se habent ad prunas,eas scilicet augentes cum apponuntur, & sicut ligna se habent ad ignem quẽ fouẽt & augẽt,sic homo iracũdus & litigiosus suscitat rixas, efficiens scilicet, vt lis aliqua parua aut sopita, excitetur in magnum ignem, qui graue damnum inferat.

22 *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniũt ad intima cordis.*

EThæc sententia indicat malum quod adfert susurro,quæ etiam supra posita est & exposita in capite 18.versu 9.

23 *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.*

HEbraea paucioribus verbis sic habẽt, sed quæ difficilem habent sensum,Argẽtum scoriatum tectum super testam labia ardentia (vel vt alij vertunt) succedentia,scilicet lites & cor malum. Per argentum scoriatum intelligunt quidam rectè, ipsam scoriam argenti, quam non conuenit superaddere vasis alicuius pretiosæ materiæ ad ornandum ea sed tantum conuenit vilibus vasculis,vt fictilibus & testaceis quibus si superaddatur ad tegendum ea,videbitur quidem ornamenti aliquid addere, & sub ea vilitas testacea latere poterit,verum reuera parum decoris,& pretij illi adfert,manet semper vile vasculum: ita similiter labia ardentia odio, vel succendentia lites,vel vt noster vertit,labia tumentia accensa scilicet igne superbiæ, quæ loquuntur superba,non conueniunt nisi cordi pessimo, quidem tegere possunt, & apparenti aliquo verborum splendore ornare,cum reuera semper maneat pessimum.Ex qua explicatione nõ solum patet quam rectè additis quibusdam verbis obscuritatem breuitatis Hebraicæ noster interpres verterit,& elucidauerit, sed etiã quam apta sit comparatio in sententia à Salo-

Iansi.in Prouerb.

mone insinuata.Comparatur enim scoria argenti (quam rectè etiam intellexerimus apud nos vocari argentum sordidum, hoc est, nullius & sordidi pretij & quod tantum est sordes argenti) superducta testæ cum labiis ardentibus & tumẽtibus superadditis cordi nequam. Qua comparatione primum quidem significatur, quòd sicut illud quod accedit testæ, bene ei conuenit, & omnino est iuxta adagium, Dignum patella operculum, ita & hic labia talia cordi respondent & conueniunt Deinde quod sicut illud testam quidem tegit sed non reddit multo meliorem,ita & hic labia superborum cordis malitiam tegere possunt, sed non reddunt cor melius, quod rectè vasi comparatur, vt in quo contineantur omnes cogitationes, & vasi fictili,quod nihil nisi terrena cogitet, confringendum aliquando ab Psal.2.
eo cui dictum est: Tanquam vas figuli cõfringes eos: Quod si sequentes versus cõsiderentur, in quibus videri potest hic versus explicari per labia ardentia, vt habent Hebræa, videntur significari labia hominum ardentium odio, quæ latens in corde odium tegunt verbis speciosis, quo magis decipiant. Sequitur enim.

24 *Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos.*

25 *Quando submiserit vocem,ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius.*

PRo intelligitur, verbum Hebraicum Innacer, ambiguum est, quia & significat cognoscere, & significat alienum esse, vel alienum se exhibere & dissimulare. Vnde quidam vertunt vt noster,Labiis suis cognoscitur vel intelligitur inimicus. Alij, Labiis suis alienum se exhibet, vel dissimulat inimicus, quasi scilicet nõ odiat,nec sit inimicus,quem sensum magis conuenire putant ei quod sequitur Quando submiserit vocem, ne credideris ei. Cui tamen etiam altera versio bene conuenit. Nam sensus est, Cum inimicus quispiam in corde suo secrete apud se versat dolos, & cogitat varias decipiendi rationes,etsi malitiam cordis & odiũ tegere verbis studeat, tamẽ ex verbis suis facilè intelligi & agnosci poterit. Nã etiã si blandè loquatur, aut eum prædicet quẽ odit:tamen facilè aduertere licet rem esse fictam,nec ex animo syncero proficisci quæ dicit.Solent enim qui odiũ suũ tegere studẽt,nimis exquisita vti verborũ blanditie: aut nimis incõstantes esse in verbis suis, & omnino sic loqui,quomodo nõ est verisimile, locuturum, qui pridẽ pro inimico se gessit. Itaque non est necesse intelligere, cum dicitur labiis suis intelligitur inimicus,de verbis iniuriosis & contumeliosis quæ ex latenti in corde odio erumpentia,pondat inimicitiã,sed potest etiam intelligi de inepta blanditie verborum quæ suspectum reddit hominem. Cui bene conuenit quod sequitur:Quando submiserit vocẽ, hoc est, quando demisse & humiliter loquitur se tibi subiiciens,suam gratiã se petere ostẽdens, ne credideris mox ei,quia septẽ nequitiæ sunt in corde eius,hoc est,multa mala tũc versat cõtra te in corde suo,coq; magis cogitare debes

illum tibi malè velle,quo blandius loquitur,& ſubmiſſius, maximè quãdo nuper ſe inimicũ
Eccl.12. exhibuit.Docet quæ ad hunc ſenſum faciunt multa Eccleſiaſticus: Non credas inimico tuo (inquit) in æternum. Sicut enim æramentum eruginat nequitia illius, etſi humiliatus vadat curuus,adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo.Et poſt multa: In labiis ſuis indulcat inimi
Cap.17. cus,& in corde ſuo inſidiatur,vt ſubuertat te in foueam.In oculis ſuis lachrimatur inimicus & ſi inuenerit tempus nõ ſatiabitur ſanguine &c.Item alibi:Annuens oculo fabricat iniqua In conſpectu oculorum tuorum conculcabit os ſuum,& ſuper ſermones tuos admirabitur. Nouiſſimè autem peruertet os ſuum,& in verbis tuis dabit ſcandalum.

26 Qui operit odium fraudulenter,reuelabitur malitia eius in concilio.

DICTVM eſt in ſuperioribus ſententiis, de odio & fraude tectis in corde, nunc dicit duabus ſententiis,quid ei qui ſic odium & fraudem tegit,ſit euenturum. Et primum quidem dicit malitiam eius qui ſic operit odium adfraudandum & decipiendum,& ſi ad tempus lateat,tamẽ ex quibuſdam indiciis & factis vel dictis agnitam tandem,reuelandam in concilio & cõfeſſu iudicum,aut in cœtu totius alicuius communitatis,ibique redarguẽdam & puniendam.Nullum enim ſimulatum, diuturnum. Id frequẽter quidem etiam apud homines euenit cum tectum diu odium & diſſimulatum, per ſigna quędam manifeſtum à concilio deprehenditur,publicatur, atque punitur. Sed quamquam homines latere poſſit, ſemper tamen reuelabitur malitia huiuſmodi hominis in concilio ſanctæ Trinitatis,& ſanctorum cæleſtium, vel angelis eam apud Deũ & ſanctos deferentibus. Quod ipſum manifeſtius fiet in nouiſſimo iudicij die, quando in cõcilio omnium ſanctorum, & coram angelis Dei,iudex Chriſtus illuminabit abſcondita tenebrarũ,& manifeſtabit conſilia cordium,quãdo & perfectè implebitur Illud:Nihil occultũ quod non ſciatur, & nihil abſconditum quod
1.Cor.4. Luc.12. non reueletur.Tunc reuelata tecta iam malitia fraudis,& odij pœnas dabit in interitum ęternas.Patet ex dictis dictionem Concilio per c literam ſcribendam,non perſ,quod & manifeſtum eſt ex dictione Græca *συνέδριον*,& dictione Hebræa Cahal,quæ congregationem & cœtum ſignificat.

27 Qui fodit foueam,incidet in eam: & qui volvit lapidem,reuertetur ad eum.

DIXERAT malitiam fraudulenti reuelãdam in cœtu, ſignificat nunc ſecundo quid reuelata eius malitia paſſurus ſit, nẽpe idem malum,vel tale quale alteri parauit.Id enim duabus illis parœmiis & adagiis in vna ſententia comprehenſis ſignificat,ad quod ſignificãdum locutiones illæ & aliæ ſimiles in ſcripturis ſæpe occurrunt. Vtraque enim & Dauid vſus eſt: Lacum, inquit, aperuit & effodit
Pſal.7. eum,& incidit in foueam quam fecit.Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet,Quo ſecundo verſu eadem parabola videtur eſſe, quæ eſt hic in ſecundo membro, Qui voluit lapidem reuertetur ad eum.Eo enim ſignificatur is qui grandem aliquem lapidem voluit, vt ex alto in caput alicuius deiiciat & caput eius confringat,qui eodem poſtea lapide in caput ſuum ex
Eccl.10. cepto pereat, Eccleſiaſtici 10. prior parabola repetitur,alter adiuncta eiuſdem ſignificationis,Qui fodit foueam,incidet in eam,& qui diſ
Eccl.27. ſipat ſepem, mordebit eum coluber.Eadem ponitur & Eccleſiaſtici 27.cum aliis eiuſdem ſignificationis, idque etiam poſtquam de eo dixerat,qui odium & paratas fraudes tegit linguæ blandiloqua.Multa, inquit,audiui & non coæquaui ei, & dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidem,ſuper caput eius cadet, & plaga doloſi diuidet vulnera.Et qui foueam fodit,incidet in eam,& qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequiſſimum conſilium deuoluetur ſuper ipſum, & non agnoſcet vnde aduenient illi. Quibus omnibus ſignificatur, quod qui alteri malum fraudulẽter parat, propter ipſam eius malitiam eidem malo aut ſimili, inuoluetur etiam inopinato, & præter eius expectationem,quemadmodũ alium inopinatum opprimere ſtuduit. Quod & frequenter in hoc mundo accidere videmus, vt in Saule,Aman,& aliis,& generaliter ac perfectiſſimè apud Deum complebitur in ipſius iudicio, quo fraudulenti præter expectationem miſere inuoluentur.

28 Lingua mendax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.

QVO verus huius ſententiæ habeatur ſenſus, ſciendum eſt hebræa habere lingua mendacij odiet contritionem ſui,vel conteret eum ſe,& os blandum faciet impulſionem.Porrò contritio linguæ mendacis, eſt maxime ipſa veritas,qua reprehẽditur, confutatur,& refellitur mendacium,proinde non male vertit noſter interpres ſecutus Septuaginta, qui etiã habent *ἀληθείαν*,hoc eſt veritatem. Ex hebræo autem patet os lubricum non intelligendum id quod non ſeruat ſilentium, ſed temerè ſecreta concredita effundit,quomodo Lyranus & alij accipiunt,quamuis etiam de tali ore ſententia vera ſit, operatur enim & illud multas ſtrages, & multorum perditionem.Sed os lubricum eſt hoc loco,os lene,& blandum, q̃ ſua blanditie cordis malitiam tegit, de qualibus ſuperius ſermo fuit. Quod enim lene eſt,& molle, eſt lubricum, ſicut contra aſperum, facile tenetur.Vnde blandities illa verborum rectè lubricitas quædam dicitur,& os blandum dicitur lubricum, quod ſit lubricæ fidei,cui fidendum non eſt.Huiuſmodi os dicitur operari impulſionem, hoc eſt, impellere ad caſum, quod idem eſt cum eo quod noſter vertit, operari ruinas.Quod poteſt intelligi; vel de ruina aliorum, quos ſcilicet os blandum decipere ſtudet, & decipiendo perdere,aut de ruina ſuiipſius. Priori modo ſenſus erit,Lingua mendax non amat veritatem ipſam conuincentem, & redarguentem, ſed non obſtante veritatis reprehenſione, os quod

quod blanditiis verborum decipere conatur, pergit homines impellere in perditionem ac in mala deiicere.Poſteriori modo ſenſus erit. Lingua mendax,vel homo qui delectatur lingua mendaci,non amat veritatem, quæ mendacium detegit & reprehendit,ideoq; os tale fallax operatur ſibiipſi perditionem,& in multa mala præcipitationem:qui ſenſus præcedẽtibus magis cõuenit,vt hactenus per aliquot verſus ſemper ſermo fuerit, de linguæ fallacis,& ad decipiendũ cõpoſitæ vitiis ac pœna.

CAPVT XXVII.

NE glorieris in craſtinum,ignorans quid ſuperuentura pariat dies,

PRAECEDENTI ſententia prohibuit gloriari in craſtinum,hac prohibet gloriari in ſeipſo,laudando ſcilicet ſe.Si enim laudare ſtultorum eſt,& ignominiam, & falſitatis ſuſpicionem adfert,iuxta illud; Laus propria ſordet.Vnde & Paulus cum ſeipſum commẽdare Corinthiis cogeretur, inſipientem ſe factum dicit:Factus ſum,inquit,inſipiẽs,vos me coegiſtis.Ego enim à vobis debui commẽdari.Et domino dictũ eſt à Phariſæis:Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuũ non eſt verum.Ex facto ergo Pauli Chriſti, & multorum ſanctorum,patet quod aliquando quis poteſt ſeipſum laudare,cum ita aliorum vtilitas,aut propriæ innocentiæ defenſio poſtulat.Sed vult Sapiens id non temerè eſſe faciendum.Nec cum dicit,Laudet te alienus,docere vult cupiditatem alienę laudis.Nã &hoc eſt ambitionis & ſuperbiæ,ſed tantum vult ſignificare, Sinas vt te alienis laudet, non autem temere committas,vt teipſum laudes.Interim tamen ſignificans ita viuendum eſſe vt nec propria laude ſit opus & aliorum laudes ſequi poſſint.Vt enim vmbram corpus,ita virtutem gloria ſequitur. 2.Cor.12. Ioan. 8.

2 Graue eſt ſaxum & onerosa arena,ſed ira ſtulti vtroque grauior.

HAC comparatione ſignificat,iram ſtulti & imprudentis hominis planè eſſe intolerabilem, vt quæ grauior ſit grauiſſimis rebus. Sapiens in Eccleſiaſtico ſimili comparatione vtitur de ſtulto loquens: Super plumbum,inquit,quid grauabitur. Et quod illi aliud nomen, quam fatuus? Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre,quam hominem imprudẽtem.Sed ibi ſtultus grauiſſimis grauior eſſe dicitur,hic verò peculiariter ira ſtulti, quæ rectè rebus illis corporalibus grauior dicitur,quod illę corpus potiſſimum moleſtant ſi ferri debeant, hæc verò potiſſimum mentem, cuius moleſtia grauior eſt corporali.Moleſta autem admodum & intolerabilis eſt ira ſtulti,tũ quod irrationabilis ſit. Iraſcitur enim ſine ratione & cauſa,tum quod immodica ſit,& impetuoſa nullo temperata moderamine,tum quod nulla ratione ſedari poſſit.Nec enim ſtultus facilè placari poteſt,nullam admittens rationem aut ſatisfactionem. Sapientis verò ira & iuſta eſt & temperata & facilè ſedatur.Vnde bene cecinit quidã: Quo quiſque eſt maior,magis eſt placabilis iræ.Et faciles motus mens generoſa capit. Lyranus intelligit iram ſtulti grauiorem dici ſaxis & arena,quòd hęc portari poſſint etiam à ſtultis validis,illa verò tãtum à ſapientibus ferri poſſit,& tolerari cum ſeſe ſtulti non ferant. Sed prior intelligentia ſimplicior eſt,iuxta quam ira ſtulti,non tantum ipſis ſapientibus & omnibus hominibus grauis eſt, moleſta & intolerabilis ob dictas tres cauſas,ſed etiam ipſimet ſtulto,qui iram ſuam ferre nõ poteſt,nec moderari,cuius exemplum eſt in Nabal qui ſtulta indignatione mortuus eſt. Eccl.12. 2.Re.25.

2 Laudet te alienus,& non os tuum,extraneus, & non labia tua.

4 Qui non habet misericordiam nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?

iuxta

IVXTA nostram lectionem hic versus videtur declarare sententiam præcedentem, vt de ira stulti hic sit sermo, vt vult Beda. Nam ira sapientis nō caret misericordia, sed ira stulti eiusque furor erumpens in vltionem, nō habet misericordiam. Ideòque impetum stulti sic ira & furore cōcitati, difficile est ferre, quia moderamine caret, nec sedari potest, vt dictū est. At hebræa longe alium habent sensum. Habent enim sic: Crudelitas iræ & inundatio furoris, & quis stabit ante inuidiam? Hoc est, crudelitas est in ira, & inundatio vel vehemēs impetus est in furore, sed quis ferre poterit inuidiam? Itaque vitia vitiis comparantur. Et crudelitas quidem iræ tribuitur, furori vero peius quid videlicet inundatio, hoc est impetus & fœuitia, instar aquarum inundātium omnia suo impetu obruentium. Ita enim & homines furore acti omnia obuia destruunt: His autem peiorem, & intolerabiliorem subiicitur esse inuidiam, quia ira & furor breui tempore transeunt & quiescunt, Inuidia vero quiescere nescit, sed semper magis magisque crescit. Deinde ira & furor cum se aperte ostendant, declinari possunt, inuidia vero cum in animo lateat vitari non potest, nec beneficiis extinguitur sed accenditur, vt quæ impatiens sit alieni boni & virtutis, semper excogitans qua ratione aliū pdere possit, & obscurare, ita vt nec morte satietur, sed & post mortē frequenter hominis famā persequatur. Hūc sēsū & Græca habēt. Sic enim est. Immisericors est furor & præceps est ira, sed nihil sustinet inuidia. Proinde si nostrā lectionē velimus habere verū scriptoris sensū per concitatum, intelligemus peculiariter inuidum, qui contra alium concitatus est inuidiæ passione, vt sit sensus. Ira quidē potissimū stulti vt iam dictum est, intolerabilis est, quia non habet misericordiam. sed quis ferre poterit impetum inuidi, contra se concitati? quasi diceret, Adhuc magis talis impetus est intolerabilis quam impetus iræ & furoris, idque ob causas dictas nec tantum aliis molestissima est & grauissima inuidia, sed & ipsi inuido. Nā vt rectè cecinit quidam.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis
Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Ecclı. 4. Et supra dixit sapiēs cap. 14. Putredo ossium
Eccle. 31. inuidia. Inuidum malum indicat Ecclesiastes, Contemplatus (inquit) sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi, Et in Ecclesiastico. Memēto quoniam malus est oculus nequam, Nequius oculo quid creatum est? Vbi Græca habent, Memē to quoniam mala res est oculus nequam.

5 *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.*

BENE postquam dixit de ira stulti mala, ne quis putet omnem iram esse malā, hoc versu, & sequenti fit mētio iræ bonæ, quā iusti & sapientes aliquando ostendunt. Et hoc quidem versu præfertur manifesta correptio quæ iræ videtur esse opus, & indignationis, amori abscondito, hoc est latenti, nec sese cum opus est ostendēti. Quod verum esse de correptione, quæ ab amico proficiscitur animo manifestū est: quia talis correptio declarat maiorem & veriorem amorem in corripiente, quam sit in eo qui sic amat vt talem nolit delinquentē amicum corripere, quamuis id aliquādo omittat ex amore, sed nimis indulgenti. Et preterea talis correptio vtilior est amico, quam sit ei amor absconditus. Ob quam secundam rationem, etiam correptio, quæ ab inimico procedit, melior est, quia vtilior quam sit amor absconditus, & ad amici vitia dissimulans. Vnde monet Saluator, vt frater fratrē corripiat, quo Eccl. 19.
possit illum lucrari. Ecclesiastici Sapiens ostendit quare aliquando correptio amici sit necessaria. Corripe, inquit, amicum ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe amicum, ne fortè nō dixerit, aut si dixerit, ne forte iteret. Beda per amorem absconditum intelligit illicitum, & libidinosum amorem qui tegi studet, & ob sui turpitudinem latere conatur, quali amore correptionem manifestam meliorē esse certum est, quia inquit, absque vlla cōtradictione melius est quempiam desiderio corrigendi palā corripere, quam studio simul peccandi clanculo diligere. Dicitur autē manifesta correptio ad distinctionem occultæ, quæ in animo fit aut à tergo.

6 *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

SVPERIORI sententia duo inter se comparantur valde dissimilia, nempe correptio & amor, sed quorum vnum est manifestum, alterum absconditum, quorum vnum quod prima facie videri posset inferius alteri, præfertur in bonitate & vtilitate. Hic item duo inter se comparantur valde dissimilia, sed ambo manifesta, & ex occultis contrariis prodeūtia, videlicet vulnera ex amore in corde latente, & oscula ex odio latente in corde profecta, quorum item alterum, quod primo aspectu videri posset peius, præfertur alteri, quod melius videri poterat insipientioribus. Meliora inquit, sunt vulnera, ab amante inflicta, quā oscula ab odiente data, quia illa infliguntur ab amante ad correptionem, hæc dantur ab odiente ad deceptionem, vnde fraudulenta vocat, quasi dicat. Non tam sunt attendenda, quæ tibi impenduntur quàm à quo tibi impendantur, & à quo animo proficiscantur. Per vulnera, non vera intelligit vulnera, sed seueram correptionem, quæ animum percellit & castigationem etiam seriam, qua cum opus est corpus verberetur. Ita & per oscula, non vera tantum intelligit oscula, sed & omnem exteriorem blanditiem, siue in verbis, siue in factis existentem. Fraudulentum fuit osculum Iudæ, qui osculo tradidit filium hominis. Fraudulentum item osculum Ioab qui dixit 3. Reg. 2.
ad Amasam, Salue mi frater. Et tenens manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum, percussit eum in inguine, & effusa sunt intestina eius in terram. His fraudulentis osculis, meliora

meliora erant vulnera Pauli incestuosum Corinthium tradentis Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus esset in die domini: Docere debet hæc sententia pueros suorum parentum ac præceptorū castigationes præferre blādis illectamentis seducere eos volentium. Docere & omnes fideles, mala quæ à Deo ex dilectione suis immittuntur ad eorum vel correctionem vel probationem anteponenda esse illecebris & suauibus diaboli suggestionibus, quibus fauere se nobis, & diligere ostēdit, suggerens quasi leue malum sit quod agimus, & supra modum peccatorum nostrorū sit quod patimur. Fraudulentum fuit osculum, quo Eua ferpens osculatus est, cum diceret. Ne- Gen. 3.
quaquam moriemini, sed eritis sicut dij, Peculiariter ergo de Deo & diabolo dicere licet Meliora sunt vulnera diligentis Dei, hoc est mala quæque in bonum nostrum ab eo immissa, quam fraudulenta oscula odientis diaboli, hoc est, grata quæque ab eo nobis proposita, quia cum sit inimicus salutis, ad decipiēdum tantum ea proponit. D. Augustinus secutus Septuaginta, legit pro fraudulenta oscula voluntaria oscula. Habent enim Septuaginta ἑκούσια. Et vtitur epistola 48. quæ est ad Vincentium hac sententia, ad ostendendum bene in Ecclesia pœnis cogi hæreticos ad fidem. Et exponit eā sic, Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere.

7 *Anima saturata calcabit fauum, & anima esurienti amarum pro dulci sumet.*

CALCABIT hyperbolycè dixit, pro reliciet, despiciet, & fastidiet. Sub nomine fauī, dulcissima quæque & suauia inter quæ fauus obtinet principatum, significat. Veram autem esse hanc sententiam ad literam, quisque in se experitur, Qui enim satur est cibo & potu fastidit mox omnem cibum quantumuis delicatum, qui verò esurit cibum etiam parum suauem, imò amarum tanquam dulcem auidè, & cum voluptate sumit. Nam vt habet commune prouerbium: Optimum condimentum fames. Quod inter apophthegmata Socratis celebratur. De quo & illud refertur quod cum in multam vesperam sæpius ambularet ante fores, & rogaretur quid ageret Paro, inquit, condimentum in cœnam. Manet vsque hodie tritum prouerbium, famem efficere, vt crudæ fabæ saccarum sapiant. Cui conuenit illud cuiusdam Poetæ Græci. Præter seipsam cætera edulcat fames. At cū prouerbialis sit hæc sententia, certum est plus aliquid per eam significari. Itaque in primis rectè intellexerimus sapientem per hanc voluisse insinuare differentiam inter diuites & pauperes, & quid incommodi omnium rerum abundantia, quid verò cōmodi inopia hominibus adferat. Diuites enim cum in omnibus abundent, sempérque sint saturi, etiam delicatissimos cibos fastidiūt semper aliquid quærentes quod appetitum excitet, & palato sapiat. Pauperes verò, qui multam sæpè esuriem patiuntur, raróque plenum habent ventrem; etiam siccum panem, & purā aquam auidissimè & cum voluptate sumunt, quæque alii insipida sunt & insuauia, illis optimè sapiunt. Sic dicitur in Iob: quæ prius tange Iob. 6.
re nolebat anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt. Patuit istud in Dario qui in fuga aquam turbidam bibens, dicebat se nunquam bibisse iucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat: Nec esuriens Ptolomæus, Cui cum peregranti Aegyptum comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Deinde per animam saturatam, & animam esurientem significatur generaliter hic saturitas cuiuslibet rei, insinuatúrque omnium rerum satietatem adferre fastidium, desiderium verò omnia facere dulcia, & proinde ea quæ sunt in hac vita, magis æstimari ab hominibus pro appetitu & desiderio ipsorum quam ex rebus ipsis. Patet istud in omnibus corporalibus rebus & non tā tum in cibo & potu. Frequenter enim quod multum desiderauimus, vbi illud adepti sum⁹ fastidire incipimus & paruifacere, & cum quid valde appetimus, quiduis expediens, quantūuis difficile lubētes aggredimur. Videri idem licet in cognitione multarum rerum adipiscēda quæ præcepta sæpe fastidium aut vilipensionem, desiderata quemuis laborem dulcem facit, Indicat & hoc sententia omnibus moderate vtendum, quia voluptates commendat rarior vsus. In rebus autem diuinis, ita hanc sententiam accommodare licet iuxta Bedam. Homo qui voluptatibus & diuitiis huius seculi immersus est, eisque saturatur, & animum suum explet, contemni fauum ac dulcedinem cælestis mensæ omniúmque spiritualium rerū, quæ illi planè desipiunt. Contra qui esuriunt & sitiūt iustitiam, etiam amara quæq;, quæ pro domino sunt ferenda, etiam mortem ipsam, dulcia reputant, ob spem repromissæ gloriæ Aut potius è contrario, vt saturitas in bono, esuries in malo accipiatur. Qui iam amplius nō esurit temporalia bona, sed animo rebus diuinis planè addicto, satur est de illis, contentus victu, & amictu, & per illa iudicans cum Paulo se habere omnia, fastidit hæc omnia terrena quæ alij dulcissima ducunt. Contra verò qui insatiabili tenentur, vel bonorum vel voluptatū huius vitæ cupiditate, res istas caducas, & voluptates huius vitæ) quæ reuera sunt amaræ iis qui cœlesti sapientia sunt imbuti, & palatum non habent infectum) dulces iudicant, virtuti animæ & cœlestibus rebus eas anteponentes, quod verè est amarum pro dulci sumere. Iuxta hāc enim accommodationem fastidium est in eisdem rebus in quibus est saturitas, item esuries earundem rerum, quæ tanquam dulces sumūtur, cum in priori accommodatione, non ita fit, quod tamen vera parabolæ intelligētia videtur requirere: Potest & ad studia hæc sententia accommodari, quæ quo magis desiderantur, eo sunt dulciora.

8 *Sicut auis transmigrans de nido suo sic vir qui derelinquit locum suum.*

HEBRAEA habent, sicut auis migrans, vel vagans de nido suo, sic vir migrans, vel vagans de loco suo, ita vt vtrobique idem sit verbum. Sensum tamen bene reddidit interpres. Est autem sensus iste, Sicut auis dum migrat de nido suo, huc illucque vagatur quærens

rens requiem multis expoſita periculis,à quibus libera eſt cum manet in nido ſuo, ita vir qui migrat à loco ſuo, hoc eſt,qui derelinquit locum ſuum,hoc eſt, ſtatum ſuum,ac vocationem ſuam, vel habitationem incertis vagatur 1.Cor.7. ſedibus,multis ſubiectus damnis & malis. Eo ergo tendit hæc parabola, vt iuxta Pauli monitionem vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permanet, & vt homo maneat in gradu ſuo, maneat in officio ac ſtatu ſuo, nec temere de mutando cogitet, ſed contentus viuat ſua ſorte,ne contingat ipſum vagari animo,inquirendo gradum, officium, vel ſtatum quietum, cum magno rerum temporalium & ſpiritualium damno. Aliter intelligitur & ſic hæc ſententia.Sicut auis quę migrat è nido ſuo malè relinquit oua & pullos ſuos, quos rapinæ aliorum animalium dimittit: ita male facit qui relinquit locum ſuum,hoc eſt, domum ſuam & familiam, neglecta ſcilicet eius cura & cuſtodia.Iuxta quem intellectum rectè etiam accommodabitur hæc parabola contra ignauos quouſque, qui optimum virtutis ſtatum in quo cæperant proficere,neglecta cura domus animæ ſuæ, deſerunt vacuam relinquentes conſcientiæ domum diabolo, qui omnia bona prius parta diripiat.Item contra prælatos & paſtores, qui derelicto grege ſibi commiſſo commigrant alio, oues luporum rapacitati relinquentes. Qui omnes ſimilis crudelitatis notandi ſunt,cuius notaretur auis,quæ migrando è nido ſuo pullos ſuos relinqueret. Proinde ſeruandum quod dicitur in Eccleſiaſte.Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te,locum tuum ne dimiſeris

9 *Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici conſiliis animo dulcoratur.*

HEBRÆA ſecundam partem obſcurè habent ſic ad verbum,Et dulcedo amici ſui ex conſilio animæ, pro quo ſic quidam vertunt, Dulcis eſt amicus cuiuſq; ex animo cōſulēs.Alij dulcis eſt amicus cuiuſque ꝓpter conſilium animæ, hoc eſt, quod datur ex animo,vel quod datur iuxta deſiderium hominis.Noſter, hebræa ſic ordinauit. Et dulcedo animæ eſt ex conſilio amici ſui. Senſus tamen idem eſt. Comparātur enim conſilia ab amico profecta cum vnguento & variis odoribus quod ſicut hæc mirè oblectant corporaliter hominem:ita & illa mentem grauatam prius & anxiam reficiunt, tum propter vtilitatem quam ea conſilia indicant, tum propter beneuolentiam quam teſtantur. Ea enim conſilia, quæ à nobis ipſis ſumimus parum grata ſunt, quod ſuſpecta ſint, quia in propriis rebus noſtris ferè cæcutimus, nimiſque nobis ferè tribuimus.Similiter conſilia extraneorum quibus non certo fidere poſſumus, quique res noſtras animoſq; perſpectos non habent parum exhilarant mentem hominis,quam adhuc ſuſpenſam relinquunt & trepidam. At ea conſilia quæ ab illo prodeunt, quem non dubitamus nobis bene velle cui res noſtræ cordi ſunt,& cognitæ,quem ſperamus in iudicando non duci affectibus, ſicut nos in propria cauſa, illa demum oblectant animam, ſua quadam quaſi gratia ab amico in cor hominis diffuſa, ſicut vnguentum & odorifera quæque gratiam quandam diffundunt in hominem qua illum oblectant.Indicat ergo ſententia amicos comparandos, quorum conſiliis cū opus eſt iuuemur. Pretioſiſſimus enim inquit Herodotus, theſaurus eſt & omnibus opibus antecellit amicus prudens & beneuolus.Et Cicero:Amicitia, inquit, eſt optima & pulcherrima vitæ ſupellex.

10 *Amicum tuum,& amicum patris tui ne dimiſeris & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.*

QVONIAM dixit tam grata eſſe amici conſilia, bene ſubiicitur hæc ſententia de non deſerendo amico,& maximè amico patris, cuius fides iamdudum probata eſt,& ſpectata,quòd is cui amicia iuncti ſumus ſæpè inueniatur fidelior & vtilior,ſitque paratior,maximè neceſſitatis tempore, quam cui arctiſſimo naturæ vinculo iungimur, qualis eſt frater, qui aliquando & frigidè amat, iuxta illud: Fratrum quoque gratia rara eſt, & ſæpe longè abeſt,vt adiri cito non poſſit. Vnde ſupra dictum eſt, Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit quam frater. Porrò illud, amicum tuum,& amicum patris tui, poteſt aut ſeorſim accipi,vt ſit ſenſus:Amicum tuum, & etiam amicum patris tui,vt duo amici ſeruādi doceantur,& quem nobis aſſumpſimus,& quē patris fuiſſe cognoſcimus. Decet enim inquit Iſocrates ad Demonicum,liberos hæredes eſſe non modo facultatum,ſed etiam amicitiarum paternarum.Aut coniunctim,vt ſit ſenſus: Amicum tuum,qui etiam fuit amicus patris tui, vt ſignificetur amicus antiquus,non deſerendus,quemadmodum & Eccleſiaſtici 9.præcipitur:Ne derelinquas amicum antiquum,nouus enim non erit ſimilis illi.Quod autem ſubiicitur,& domum fratris tui non ingrediaris, &c. ſic eſt intelligendum, ſeruando amicos antiquos, cura vt non ſit tibi neceſſe ingredi domum fratris tui,in die neceſſitatis tuæ pro conſolatione, & ope obtinenda, ſed potius quam fratres adeas, accede amicum tuum antiquū inuenturus apud eum melius conſilium,maioremque conſolationem & ſubſidium.Aliquando enim vel nimis longè petendi ſunt fratres, vt cum longè à nobis habitant,vel parua eſt eorum beneuolentia, longèque inferior eorum qui veri ſunt amici. Docet ergo magis fidendum amicitiæ veræ quam conſanguinitati arctiſſimæ. Vnde & ſubditur in eodem verſu apud Hebræos.

11 *Melior eſt vicinus iuxta,quam frater procul.*

PRO aduerbiis, iuxta, & procul Hebræis ſunt adiectiua nomina propinquus & longinquus,ſed ſenſus idem eſt.Sgnificatur enim meliorem,hoc eſt, vtiliorem eſſe vicinum qui iuxta eſt, quam fratrem qui procul eſt, quia cum opus eſt, magis prodeſſe & iuuare poteſt Ideóque ſignificat non minus colenda eſſe iura amicitiæ,quæ inter vicinos eſſe ſolet,quam iura conſanguinitatis,quę eſt inter fratres, & magis fidendum eſſe vicinis amicis, quam fratribus

ribus longinquis, maximè cum neceſſitas occurrens aliquando non patiatur moram,vt ad fratrem longe habitantem excurratur.

12 *Stude ſapientiæ fili mi,& lætifica cor meum,vt poſſim exprobranti reſpondere verbum.*

LEGENDVM eſſe poſſim,non poſſis,vt quidā libri habent,patet tū ex Grecis tum ex Hebræis. Sapiēs ergo in perſona cuiuſlibet patris alloquitur quemuis filium, adhortans eum,vt & alias ſæpe ad ſapientiæ ſtudium, ſignificans inde patri duplicem acceſſurum fructum. Primum lætitiam cordis. Nam vt ſuprà dixit: Filius ſapiens lætificat patrem.Secundo à calum- Sap.c.10 niis defenſionem. Nam ſi filius ſapientiam ſectatus fuerit, habebit pater facilè, quo ſe ſuumque filium defendat contra eos qui calumniari volent vel patrem, vel filium. Non enim ei obiici poterit in veritate ignauia & mala vita filij, aut quod filium malè inſtituerit, & ſi quis obiecerit facilè ipſa veritate confutabitur.Contra cum ſapientiam filius negligit,pater & mœrore afficitur, & rubore, dum cogitur ſæpe vitia filij audire ſibi obiecta, quaſi filium malè educauerit & inſtruxerit.

13 *Aſtutus videns malum, abſconditus eſt, paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.*

SENTENTIA hæc eiſdem omnino verbis apud Hebræos poſita eſt ſupra cap.22.verſu 3.vbi nos legimus. Callidus vidit malum & abſcondit ſe, innocens pertranſiit, & afflictus eſt damno.Sicut ergo ibi dictio,Innocens,poſita eſt in malam partem, vt ibi annotatum eſt:ita & hic dictio, Paruuli pro ſimplicibus, & imperitis accipi debet.

14 *Tolle veſtimentum eius qui ſpopondit pro extraneo & pro alienis aufer ei pignus.*

ET hæc ſententia eiſdem apud hebræos verbis ſuprapoſita eſt cap.20.Proinde illinc petendus ſenſus.

15 *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens,maledicenti ſimilis erit.*

IN adulatores hæc ſententia eſt dicta, qui & immodici ſunt & importuni in laudando, nec debitum ſeruantes modum nec tempus. Indebitus modus ſignificatur cum dicitur, Voce grandi:Indebitum tempus cum dicitur, de nocte, vel vt habent hebræa & Græca Mane conſurgens.Nam hæc pars cum præcedentibus iungenda eſt,non cum ſequentibus.Qui ergo magnis clamoribus, & immodicè,atque tempore importuno quempiam laudibus effert, aut ei bene precatur, à prudentibus reputabitur ſimilis maledicenti, hoc eſt,vituperanti,& malè de quopiam loquenti,aut ei qui malè precatur alicui. Qui enim ſic hominem laudat, vituperio eum afficit, quaſi ſectatorem laudum humanarum, & quaſi indigum alieno præconio, ob defectum virtutis propriæ. Itaque & ob id maledicenti ſimilis eſt, quia non minori eum afficit contumelia, quā maledicus. Item qui per adulationem alicui bene precatur,dira imprecanti ſimilis eſt,quia cum non ex animo faciat ſed fictè, non multum differt ab eo qui malè precatur, nec minus nocet,ſed ſępe magis.Dupliciter enim accipi poſſunt,Benedicere, & maledicere, nempe aut pro laudare & vituperare, aut pro bene & male precari. Nam quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur, exacerbauit dominum peccator. Poteſt & aliter accipi ſimpliciter,quod benedicens per adulationem ſit ſimilis in crimine maledicenti,hoc eſt,quod non minus peccet, ſed ſæpè magis, vt qui per adulationem eum cui benedicit & laudat in ſuperbiam erigat, & fomentum malitiæ ſuæ præbeat. Hebræa habent, Maledictio reputabitur ei.Græca, qui Pſalm.9. benedicit amico mane voce magna, nihil differre à maledicente videbitur, Conuenit huic illud Eurepidis in Oreſte, βάρος ἐστιν, αἰνεῖσθαι λίαν, Onus eſt laudare valde.

16 *Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur.*

17 *Qui retinet eam,quaſi qui ventum teneat & oleum dexteræ ſuæ vocet.*

PRIOR verſus ſupra eſt habitus in verſu 13.cap.19. Nam & ibi dicitur;Tecta perſtillantia, litigioſa mulier. Vt autem ſecundus verſus benè intelligatur,ſciendum eſt Hebræa ſic habere.Qui abſcondit eam,abſcondit ventum & oleum dexteræ ſuæ vocabit: vnde patet primum non eſſe apud nos legendum euacuet,vel euocet, vt habent multi libri, ſed vocet, vt habent correctiores. Deinde patet noſtræ lectionis hunc eſſe ſenſum. Qui cohibere nititur mulierem litigioſam, & eam domi concluſam retinere & abſcondere vt eius clamores à vicinia non exaudiantur, perinde facit, ac ſi quis retinere & cohibere vellet ventum,hoc eſt,conatur rem impoſſibilem.Erumpent enim illius clamores & iurgia quicquid feceris, non aliter quam ventus quantumuis coneris retineri nequit.Secunda pars quæ obſcurior eſt, ſic poteſt intelligi. Is qui retinere conatur mulierem rixoſam, eſt quaſi oleum dexteræ ſuæ vocet, hoc eſt,reuocet ac retinere ſtudeat oleum quod habet in manu ſua, & effluit atque elabitur, quantumuis quis conetur retinere.Ita & mulieris rixæ cohiberi non poſſunt nec retineri.Tanta eſt earum lubricitas quanta olei, ſunt enim qui Hebræa vertūt, & ſicut qui oleum manu ſua retinere velit verbum vocandi manifeſtè accipientes, pro reuocare & retinere. Alij tamen intelligunt mulierem rixoſam cōparare, non cuiuis oleo, ſed vnguento odorifero, quod etiamſi quis abſcondere velit in manu ſua, de manu hominis clamat,hoc eſt,ſuam fragrantiam latè ſpargit, vt latere non poſſit, vt metaphoricè clamor oleo tribuatur, quo ſic ſimilitudo magis indicaretur inter mulierem rixoſam,& oleum cuius odor non poteſt non ſentiri,etiamſi quis occultare velit. Non diſſimilis erit ſenſus in noſtra lectione, ſi ſic accipiamus, Qui retinet eam eſt quaſi oleum dexteræ ſuæ vocet, hoc eſt,ei accidit idem,quod ſi oleum odoriferum è manu ſua dextera in qua illud occultare conaretur,alte clamaret, hoc eſt, ſuum odorem late-

ſate diffunderet. Sic enim & illa, nec vi, nec ratione reprimi poteſt quin ſe ſæpe prodat. Duabus his ergo ſimilitudinibus oſtẽdit Sapiens, contra mulierem rixoſam vix vllũm poſſe inueniri remedium. Septuaginta verterunt hoc loco, Aquilo durus ventus, nomine autem, dexter vocatur. Quod citat aliquoties D. Hieronymus.

18 *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici ſui.*

DVPLICEM ſenſum habet hæc parabola. Quidam enim intelligunt hic ſignificari, quod quemadmodum ferrum ferro acuitur, ita homo acuit faciem amici vel proximi ſui, accendendo ſcilicet illum ad iram ſua duritie & verborum aſperitate, quaſi diceret, Si ferream duritiem homo aſſumat in verbis & conuerſatione ſua, non aliter prouocabit, irritabit, & ad iram acuet proximum ſuum cum quo eſt illi conuerſatio, quam ferrum ferro acuitur. Ira enim rectè acutiei comparatur, vt quæ omnia ſcindit, perdit, & penetrat. Secundum hunc ſenſum concordat hæc parabola cũ eo quod ſuprà planè dixit: Sermo durus ſuſcitat furorem. Alij intelligunt quod dicitur de acuendo in bonam partem, vt ſit ſenſus, Sicut ferrum cum ſit natura obtuſum acuitur ferro vt cum enſis, aut quoduis inſtrumentum ferreum alio ferro acuitur, aut cum ferrum malleo ferreo emollitur & acuitur ita vnus homo alterum acuit per mutuam cõſuetudinem & exercitationem, quia ex mutua cõuerſatione & collatione homines acutioris fiunt ingenij & iudicij, cũ interim ſolitarij maneant ferè in naturali quadã ſua hebetudine. Rectè enim dixit Euripides, ὁμιλία ἔτεκε τέχνας, hoc eſt, collatio peperit artes, Collatio inquã ſententiarum & colloquium hominũ atque congreſſus. Acuuntur item homines ex mutuo inter ſe cõuictu, & congreſſu in virtutibus ad quas exẽpla multum hominem promouent. Docet ergo prouerbium opus nobis eſſe aliorũ conuerſatione, à quibus moneamur, doceamur, obiurgemur cõſolationem accipiamus & confirmemur. Ideo, Eccleſ. 11. inquit Eccleſiaſtes melius eſt duos eſſe ſimul quã vnum. Habent enim emolumentũ ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia cum ceciderit non habebit ſubleuantẽ ſe. Conuenit cum adagio. Vnus vir, nullus vir. Atque hæc ſecunda intelligentia, melior eſſe videtur, priorem tamen Septuaginta ſecuti videntur. Habẽt enim σίδηρος σίδηρον ὀξύνει ἀνὴρ δὲ παροξύνει πρόσωπον ἑταίρου hoc eſt, ferrum acuit ferrum, vir autem irritat faciem amici.

19 *Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius, & qui cuſtos eſt domini ſui glorificabitur.*

SICVT qui cuſtodit ficum & præſeruat eã à nocumentis, meretur ſubinde veſci de dulcibus fructibus eius: ita qui diligenter cuſtodit dominum ſuum, ſiue præſeruando eum à malis & periculis, ſiue ſolicitè obſeruando quid præcipiat, & adimplendo quod præcipit, talis gloriam magnam apud dominum, & homines conſequetur, nõ carebit ſuo fructu, ſed percipiet & guſtabit fructum iucundiſſimum. Bene vt annotauit Rodulphus, ficui contulit dominum ſerui alicuius, potiuſquam aliis arboribus partim ob ſuauitatem fructus, partim ob nouitatem & viciſſitudinem fructuum. Nõ enim vt aliarum arborum fructus, vnà maturescunt fici, ſed maturis decerptis renaſcuntur aliæ recentiores, vnde contingit ſæpe percipere dulcedinem earum illi qui ficum cuſtodit. Sic qui cuſtos eſt domini ſui iuxta intelligentiam prædictam, ſubinde nouos honores abeo conſequetur. Quod maximè locum habet in ſupremo omnium domino, quem qui obſeruat ſolicitus vt ſciat, & adimpleat voluntatem eius eique placeat, æternam & immortalem ab eo percipiet gloriam poſt varia dona, quibus etiam hic ab eo honorabitur. Hũc qui obſeruat, bene aſſimilatur cuſtodienti ficum, quia lex Dei velut ficus eſt, quam qui cuſtodit, comedet dulciſſimos eius fructus & hic, & in futuro.

20 *Quemadmodum in aquis reſpondent vultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.*

HEBRÆA habent pauciſſimis verbis hãc ſententiam, & eleganter, ſed ſic vt propter breuitatem, magna ſit obſcuritas, & ob eam varia intelligentia. Sic enim eſt ad verbũ Sicut aquarum facies ad facies, ita cor hominis ad hominem. Quod quidam ſic intelligũt, Sicut facies quæ in aquis apparent, vario ſe habent modo ad facies: ita & cor vnius hominis ſe habet aliter & aliter, ad alium hominem comparatè, hoc eſt, ſicut vertit Chaldæus interpres, ſicut vultus qui in aquis relucent non ſunt ſimiles vnius alteri: ita cor vnius hominis, non eſt ſimile alteri. Quem ſenſum & Septuaginta ſecuti ſunt qui habent, Sicut non ſunt ſimiles facies faciebus: ſic neque corda hominum ſunt ſimilia, vt concordet cum eo quod dici ſolet, Quot capita tot ſenſus. Alij aliter & variis modis intelligunt, vt mirum non ſit, ſi & noſter interpres, hunc ex variis intellexerit quem noſtra habeat lectio. Quæ dupliciter intelligi poteſt. Primum, vt ſignificetur, quod quemadmodum in aquis relucent vultus hominum proſpicientium, ita vt vultus hominum ibi videre liceat, etiamſi non videat quis eos directè: ita & corda hominum videntur à prudentibus, in ipſorum verbis & operationibus ex quibus prudentes agnoſcũt affectus & diſpoſitiones internas hominum. Quod quia non omnibus ita competit, interpres de ſuo adiecit dictionem prudentibus. Secundo intelligi poteſt hæc ſententia & melius non de ea cognitione vel manifeſtatione cordium, qua prudentes aliorum corda, ſed qua ſua ipſorũ cognoſcũt, & ſit ſenſus: Quemadmodum in aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic vt vnuſquiſque ſuum ibi vultum tanquam in ſpeculo contemplari poſſit, quem alioqui non videt: ita ipſi prudentes ſeipſos & ſua cognoſcunt corda dum ad ea redeunt, & exacta conſideratione aduertunt qualia ſint ſua corda, expendendo ſcilicet ad quæ inclinantur, in quibus potiſſimum occupentur & hæreant, vt ipſummet cor hominis, maximè apud prudentes, ſit homini & ipſi cordi

cordi pro ſpeculo, ſiue pro aqua lympida in qua homo ſeipſum & cor intuetur, iuxta illud Pauli: Quis enim ſcit hominum quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Atque hic eſt præcipuus ſenſus quẽ præ aliis omnibus Hebræa recipiunt, quæ omnium optimè ſic redduntur. Sicut aqua vultum vultui, ita mens hominem homini, vt ſubaudias vtrobique, exhibet, vel refert, aut oſtendit, & cor aquæ comparetur, quod ſic hominem ſibi ipſi oſtendit ſicut aqua vultum exhibet correſpondentem vero vultui. Sicut ergo neceſſe eſt homini, ſi proprium vultum videre velit illum in ſpeculo videat, vt in aqua aut alio ſimili: ita ſi quis qualis ſit cognoſcere velit, nõ poteſt id alibi melius cognoſcere quam in propria ſua mente.

21 *Infernus & perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.*

SVPERIVS capite 15. dictum eſt, quid per infernũ & perditionem in ſcripturis ſignificetur, nempe mors ipſa vel ſtatus mortuorum, qui quantumuis multos ex hoc mundo in ſe ſuſcipiat, nunquam tamen expletur, imó nec eo plenior eſt aut minus capax plurium quòd multos hauſerit. Huic ergo bene comparat in inſatiabilitate oculos hominum, qui tamen dupliciter accipi poſſunt. Aut ſcilicet pro cupiditate videndi vel cognoſcendi aliqua, quæ cupiditas nunquam expletur, cum ſemper anhelet homo ad videndum, ſiue interius ſiue exterius oculis noua quædam. Sic enim intelligit Caietanus vt conueniat cum illo quod eſt in Eccleſiaſte: Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Aut, vt alij accipiunt melius pro cupiditate habendi iſta terrena, vt conueniat cum illo Eccleſiaſtici. Inſatiabilis oculus cupidi, non ſatiabitur donec conſumat areſaciens animam ſuam. Huiuſmodi autem cupiditas ad oculos transfertur, eo quòd oculi potiſſimum ad ſenſum internum rerum ſimulachra tranſportent vnde oritur appetitus. Vnde vocat Ioannes concupiſcentiam oculorum. Hæc ergo inſtar mortis & inferni, etiamſi multa acceperit, tamen ac ſi nihil acceperit, ſemper æquè parata eſt ad accipiendum, nunquàm contenta, ſemper plus habere deſiderans, iuxta illud Poetæ: Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Et, Vnus Pellæo inueni non ſufficit orbis. Videri itaque poteſt hac comparatione ſapientem indicare voluiſſe quàm debeat hæc inexplebilis cupiditas merito hominibus eſſe odioſa, nempe non minus quam mors ipſa & perditio.

22 *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: ſic homo probatur ore laudantis.*

SENTENTIA hæc, quæ in hunc ferè ſenſum ab omnibus vertitur ex Hebræis, quamuis illa aliud quid videantur innuere, dupliciter intelligitur. Poteſt enim hic eſſe ſenſus, Sicut in conflatorio, hoc eſt, in vaſe in quo argentum funditur, & purgatur ipſum argentum, fit probatum, cum ab eo ſcoria depuratur, & quomodo aurum in fornace purgatur, & fit probum: ſic homo fit probabilis ac cõmendatus aliis per ora laudantium ipſum, qui ſuis laudibus ipſum ab omni crimine purgant, aut purum declarant. Secundum quem ſenſum verbum, Probari, accipiendum eſt, non pro, Explorari, ſed pro, Probum fieri, & declarari, vt ſit contrarium verbi reprobari, vt ſit idem quòd approbari. Iuxta quem ſenſum ſententia indicat officium laudantis, & proinde videndum à quo quis laudetur. Laudantis enim officium in eo conſiſtit, vt velut omni ſcoria vitiorum à laudando reiecta, declaret ipſum velut aurum eſſe ac argentum purum ac precioſum, quemadmodum fornacis eſt aurum purgare & probum purumque dare. Aliter, ſi verbum, Probare, accipiatur, pro explorare, ſenſus erit, Sicut in conflatorio argentum, & in fornace aurum exploratur an ſit purum vel impurum, vel adulterinum: ita probatur homo ore laudantis, an ſcilicet ſit vere laudandus, & quaſi verum aurũ, an non ſit verè laudandus, & omnino ſimilis argento impuro, aut auro adulterino & tantum apparenti. Si enim encomiis inſoleſcat & efferatur, declaratur dignus non eſſe laude vt qui ſit ſuperbus & ambitioſus. Si verò nõ inſoleſcat, ſed vel reſpuat laudes in ſe accumulatas, aut eis non moueatur admodum, manifeſtum omnibus fit, ipſum verè eſſe laudandum, tanquam humilem, & modeſtum Nihil enim magis declarat hominem laude dignum, quam ſi laudem ipſe non ſectetur, nec per eam in ſuperbiam aut inanem gloriã erigatur.

23 *Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit ſcientiam.*

SENTENTIA hæc non eſt in Hebræis eſt tamen in Græcis, vnde in noſtris ſeruata eſt ex antiqua verſione. Et eſt ſententia clara, quæ non eget expoſitione.

24 *Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.*

PILA hoc loco ſignificat vas concauum, in quo grana teruntur, quod mortarium etiam, vel mortariolum dicitur, à pinſendo ſic dictum, quod antiqui ſiccata frumenta in pilas immiſſa pinſebant, hoc eſt, terebant, & hoc erat vnum genus molendi. Vnde & pilum dicitur inſtrumentum, quo quippiam in mortariolo teritur. Ptiſana autem dicitur hordeum decorticatum quod in mortariis ſiue ad eſum, ſiue ad medicorum vſum teritur. Significatur ergo hac parabola ſtultum non corrigi, etiam ſi ſeueriſſimis ſapientum monitionibus & correctionibus obtundatur, aut etiam graui caſtigatione ab hominibus prematur, vel diuinis etiam flagellis grauiter vrgeatur. Hæc enim ſignificantur per contuſionem ſtulti in pila, feriente deſuper quaſi ptiſanas pilo. Qua comparatione indicatur & grauitas correptionis vel caſtigationis quæ adhibetur ſtulto, & magnitudo laboris, quem pro eius correctione ſapientes ſubeunt, quemadmodum magnis laboribus frumenta in pila teruntur frequenti pili contuſione. Et rurſum indicatur

indicatur durities ſtulti, vt qui durior inueniatur omnibus frumẽtis quorum omnium grana, etſi ex ſeſe duriſſima, comminuuntur & frãguntur in pila, cũ ſtulti durities & in malo abſtinatio, non frangatur nec auferatur ab eo, quantum libet contundatur verbis, & flagellis. Conqueritur id ſæpè dominus apud prophetas ſibi accidiſſe. Populus, inquit, non
Eſa.9. eſt reuerſus ad percutientem ſe. Et, Eruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Septuaginta ſenſum tantum verterunt, omiſſa comparatione. Habent enim: Si verberaueris ſtultum in medio concilij inhonorans, non tolles ſtultitiam eius.

25 *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.*
26 *Non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generatione & generationem.*

QVINQVE verſibus ſequentibus Sapiens iuxta ſenſum literalem agit de cura pecorũ adhortãs ad eã, eiuſq; vtilitatẽ oſtendens. De hac autem pecorum cura magis agit, quã de quauis alia domeſtica prouidentia, tum quod Hebræi tunc maxime incumberent paſcendis pecoribus iuxta exemplum antiquorum patriarcharum ab ipſo Abel incipiens, tum quod hoc exemplo etiam præ aliarum rerum cura, maximè commendetur pecorum cura, tanquam ſimpliciſſima, naturæ accommodatiſſima & innocentiſſima. Vnde huic hominum generi Deus filium ſuum hominem factum primo per angelos nunciari voluit. Nam aulas principum ſectari, plenum faſtu eſt: negociationi & mercaturæ vacare, auaritiæ eſt. Inprimis ergo eos qui greges habent alendos, monet vt diligentem eorum habeant curam, frequenter & attentè pecora ſua contemplãdo, quo ſint habitu, quo numero, nec ſatis ſit curam illam alij alicui vicario paſtori commiſiſſe, ſed vt ipſimet curã agant. quod & in Eccleſiaſtico præcipitur: Pecora, inquit, tibi ſunt, attende illis & ſi ſint vtilia, perſeuerent apud te. Congruit huic vulgatum prouerbium: Oculus domini paſcit equum. Quod autem ſequitur, Non enim habebis iugiter poteſtatem, &c. Aliter multo habent Hebræa ſic, Non enim in perpetuum diuitiæ & ſi corona in generatione & generationem, hoc eſt, nec ipſa corona vel regia dignitas in perpetuum durat. Qua ſententia rectè intelligitur ſignificare, nec diuitias huius mundi, nec gloriam regalem ſtudioſè ſectandam (quẽ admodum multi faciunt, qui ſtudio illarum rerum faſtidiunt ſimplicitatem vitæ paſtoralis) quod hæc omnia ſint fluxa, & mox peritura, proinde ei potius generi vitæ inſiſtendum & operam dandam, vnde ea parantur quæ ſunt huic vitæ neceſſaria. Eo enim tendunt quæ ſequuntur. Sed & Septuaginta negatiuè habent, vtraſque huius ſententiæ partes. Sic enim eſt Græcis, Quia non in ſeculum eſt viro robur, vel imperium & fortitudo, neque tradet ex generatione in generationem Hunc ſenſum habebit & noſtra lectio, ſi interrogatiuè legatur ſecunda pars, ſed corona tribuetur in generatione & generationem? quẽ admodum legitur interrogatiuè apud Hebræos, ſi corona in generatione & generationem? vt ſit ſenſus, Sat ſit tibi curare pecora tua, quæ ſuppeditant vitæ neceſſaria. Nam cur vis ambire hic magnam aliquam dignitatem aut præeminentiam? non enim habebis ſemper poteſtatem in hac vita etiam ſi contingat aliqua poteſtas, & an putas quod hic tibi obtingere poteſt regnum perpetuum? Si verò affirmatiuè legatur, non video ſatis conuenientem intellectum, qui congruat literali ſenſui, niſi hic intelligas. Diligenter cura pecora, cum adſunt vires, & facultas, quia non habebis ſemper poteſtatem hoc faciendi, obrepente ſcilicet ſenectute, vel etiamſi habeas diuitias alias, & poteſtatem viuendi, ſine cura illa pecuali, non habebis tamen fortè eam poteſtatem ſemper, eripi enim multis modis, & infortuniis poteſt, & ſi in curando pecore diligens fueris, gloria & laus immortalis hinc tibi accedet. Certè hic ſecundus verſus affirmatiue lectus, magis conuenit ſenſui ſpirituali, ad quem interpres in hac verſione videtur reſpexiſſe. Iuxta ſpiritualem enim intelligentiam, hæc doctrina pertinet ad rectores populorum tum eccleſiaſticos, tum ſeculares, quos ſcriptura ſæpius paſtores vocat monentúrque omnes diligentem habere curam gregis ſibi commiſſi, ita vt diligenter ſtudeant, & ſuas oues cognoſcere, & earum qualitatem, mores atque vitam, idque per ſeſe ipſos præſtent, non per mercenarios, vt vnicuique pro eius neceſſitate & exigentia prouideant. Ad quod faciendum duplici eos accendit ratione, primum quia non habebunt ſemper poteſtatem eam, qua in populo Dei funguntur, quæ per mortem eis eripietur, vel non ſemper habebunt poteſtatem curandi oues Chriſti ſibi commiſſas, & proinde id faciendum eſt dum tempus habent operandi bonum: Secundo quia ſi bene gregem Chriſti curauerunt, gloriæ corona tribuetur illis in æternum, iuxta illud Petri ad paſtores: Cum apparuerit 1.Pet. 5.
princeps paſtorum percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.

27 *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus.*
28 *Agni ad veſtimentum tuum, & hœdi ad pretium agri.*
29 *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & inteceſſaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.*

HIS verſibus tribus inſinuatur commoditas, & fructus vitæ paſtoralis, vt ad eum magis accenderentur homines. Primo enim verſu indicatur, quam facile parentur ea quæ ad pecorum nutritionem, & ſuſtentationem ſunt neceſſaria, ac deinde duobus aliis verſibus, indicatur quomodo ex pecoribus homini proueniant, quæ ad veſtitum, & victum ſunt neceſſaria, præter quæ nihil eſſe debet quod magnopere homo requirat. Aperta (inquit) ſunt prata, hoc eſt, late patent prata quæ vbique obuia ſunt, in quibus pecora tua paſcas. Aut aperta dicit prata, quoniam germinauerunt, & gramina emittere cœperunt. Aperitur enim terra cum germinare incipit, vnde
Eſaiæ 5. eſt illud. Aperiatur terra, & germinet ſaluatorem. Vnde ſequitur, Et apparuerunt herbæ virentes,

rentes, in cibum ſcilicet pecorum, pro tempore æſtiuo, & in tempus hybernum colligun tur fœna de montibus. Præterita enim, aperta ſunt, apparuerunt, & collecta ſunt, pro præſen tibus aut pro omni tempore accipienda vide tur. Significat ergo pabulum pecorum parabi le eſſe vt quod terra ipſa vbique vltro ſuppeditat, idque pro vtroque tempore, æſtiuo, & hyberno. Ex his deinde quæ tam facilè aluntur, ecce quanto tibi compendio omnia tibi proueniunt neceſſaria. Agni tui ſunt tibi ad veſtimentum tuum quia ex lana agnorum, ſub quibus oues omnes comprehenduntur texuntur veſtimenta, fiuntque ex pellibus eorum, & hœdi ſunt tibi ad pretium agri, hoc eſt, quibus venditis perſoluere poteris pretium agri à te locati, aut ſumptus agri colendi, aut quibus emere poteris fructus agrorum, vt triticum familiæ tuæ neceſſarium: quaſi diceret. Si diligẽter gregem paueris, non erit neceſſe agros colere. Nam pretio hædorum poteris agrorum fructus comparare. Deinde ſufficiat tibi, hoc eſt, ſufficere poterit tibi lac caprarum in cibos tuos, & totius familiæ tuæ. Vbi nomine lactis butyrum & caſeus comprehenduntur, quæ ex lacte fiunt. Itaque vt pro ouibus & hœdis ſua neceſſaria præbent: ita ſignificat homini pecora ſuppeditatura quibus illi ſiue ad amictum ſiue ad victum erit opus. Notandum autem, quod inter pecora tantum oues numerat ac hœdos, minora ſcilicet animalia qualia paſcebat Abel, ouium paſtor primus, & Iacob ſub Laban, non autem boues, aliáque maiora pecora nominantur. Item non tribuit in eſum ipſos agnos, ac capras, ſed tantum lac caprarũ ſub quibus & lac ouium cõprehenditur. Proponere enim voluit præ oculis ſimpliciſſimũ illud vitæ genus, quod Abel aliiq́ue illi ſimiles ante diluuium ſecuti ſunt, contenti minoribus illis, & minus noxiis animalibus quorum carnibus nõ veſcebantur, vt eſt communis multorum ſententia, ſed tantum lacte eorum, & quæ ex lacte fieri poterant, pro veſtitu ſuo nõ quærentes ſericum, ſed tantum pelles ouium aut caprarum, vel ſaltem ex lana & pilis textas
Heb.11. veſtes. Vnde dicit Paulus, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Itaque ſignificare voluit ſapiens, quam paucis natura hominum contenta eſſe poſſit, quanque ſimplicibus, vt
1.Tim.6. inexplebilem arguat hominum in cibo, & veſtitu luxum doceátque quod habet Paulus. Habentes victum & quibus tegamur, his contenti ſimus. Ex hac literali tractatione facilè patere poteſt, quomodo hæc myſticè tractanda ſint. Prata enim diuinarum ſcripturarum, quæ tempore hyemis concluſa erant, & arcta, iam pro paſcendis ouibus Chriſti late patent & germinant, exhibendo ſuis documentis cõuenientem paſtum tam in proſperitatis, quam in aduerſitatis tempore vt tanto lubentius paſcendis Chriſti ouibus incumbere debeant paſtores. Pro quibus paſcendis, non eſt quod à longè cibum petant, cum obuia ſint, & ſacrarum ſcripturarum, & ſanctorum patrum monumenta, quæ partim ſunt veluti herbæ virentes ſemper atque gratiſſimæ, vt ſcripturæ ſacræ, partim velut fœna collecta de montibus, vt patrum ſcripta quæ ex ſcripturis collecta ſunt. Qui ex ouibus & hœdis quos paſcũt, hic
Ianſ. in Prouerb.

CAPVT XXVIII.

1 *FVgit impius nemine perſequente, iuſtus autem quaſi leo confidens abſque errore erit.*

DOCET prouerbium, quod & pleraq́; aliæ ſcripturæ, videlicet quod impietas, impiis timorem, iuſtis verò iuſtitia confidentiam addat. Licet enim nonnunquam audaciæ ſtimulis impij concitati & potiſſimum cum eorum mens eſt obtenebrata, in obuios, quoſque deſæuiant ac ſeſe in pericula temerè præcipitent: tamen cum ad ſe redeunt, & furoris incendium extinctum eſt, ita merito peccatorum ſuorum terrore concutiuntur vt omnis eorum audacia frãgatur, & antequam eos quiſquam perſequatur, in fugam vertantur. Id autem fit ſæpe vel ex ſolo mentis malè ſibi conſciæ, ac ob id pœnas debitas timentis, emorſu, quemadmodum maxime patet in furibus & homicidis, qui peracto maleficio pauitant ſemper fugiúntque, vnde natum adagium: Fures clamorem, ſubaudi, timent, quadrans in eos qui ſibi conſcij metuunt ne deprehendãtur. Ita enim natura comparatum eſt, vt conſcientiæ magnis, & horrendis criminibus obnoxiæ, nuſquam poſſint ſecuræ conſiſtere. Hinc dicitur Iob.15.
in Iob de impio. Sonitus terroris, ſemper in auribus eius, & cum pax ſit ille inſidias ſuſpicatur. Non credit quod reuerti poſſit de tenebris, circunſpectans vndique gladium. Et Sap.17.
in ſapientia: Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnata. Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia. Aut ſit iſtud etiam ſæpe ex vltione diuina, qua impiis huiuſmodi terror incutitur, cuius exemplum habemus in Syris qui ſurrexerunt & fugerunt in 4.Reg.7.
tenebris derelictis tentoriis ſuis cum nemo eos perſequeretur. Vnde dominus huiuſmodi terrorem populo peccanti ſe immiſſurum minatur in Leuit. dicens: qui de vobis remanſerint, dabo pauorem in cordibus eorum in Leuit.26.
regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium, cadent nullo perſequente, & cadent ſinguli ſupra fratres ſuos quaſi fugientes, nemo veſtrum audebit inimicis reſiſtere. Simile eſt in Deu- Deut.28.
tero. Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte ac die & non credes vitæ tuæ &c. Contra, iuſtus tum quod ſibi bene ſit conſcius, & ob id nullum malũ timeat, & de Dei

protectione bene confidat, tum quod à Deo non solum protegatur,sed etiam singulariter confortetur & roboretur, etiamsi multa mala ingruant, etiamsi persecutores insistant sine terrore persistit immotus,similis leoni fortissimo & audacissimo,de quo mox posteà dicitur:Leo fortissimus ad nullius pauebit occursum.Sicut enim impium,timidum facit,& malum conscientiæ testimonium & Dei vltio: ita contra iustum confidentem facit,& bona suæ conscientiæ testificatio, & Dei cófortans gra-
Psal. 26. tia.Vnde gloriatur Propheta.Dominus illumi natio mea & salus mea, quem timebo? Domi-
Psal. 45. nus protector vitæ meæ,à quo trepidabo?Et alio loco:Deus noster refugium & virtus,adiutor in tribulationibus,quæ inuenerunt nos nimis.Propterea non timebimus dum turbabitur terra.Cæterùm hæc sententia , non solum habet locum in temporalibus malis, sed & in spirituali contra vitia certamine. Frequéter enim impij cum nulla eos inuadit acris tẽtatio fugiunt à virtutis tramite vitiis succumbentes timentes se non posse virtutis labores perferre.Peccatum enim molles & effœminatos reddit homines eósque diuino destituit præsidio. Contra iusti de Dei protectione securi,indutique armaturam Dei,imperterriti vt leo cõtra principes & rectores tenebrarum harum forti
Esa.12. ter decertant dicentes cum Propheta : Ecce Deus saluator meus,fiducialiter agam, & non timebo.

2 *Propter peccata terræ multi principes eius, & propter hominis sapientiam & horum scientiam quæ dicuntur,vita ducis longior erit.*

Iob 34. SICVT apud Iob dicitur quòd Deus regnare facit hypocritam propter peccata populi , ita hic dicitur quod propter peccata populi multi sint principes eius. Quod & de multitudine principum simul regnantium accipi potest , qui scilicet in eadem terra simul regnant cum magno populi grauamine , aut vnius terræ dominium diuiduntin plura dominia, quemadmodũ ob peccata diuisum est, regnum Israheliticum sub Roboam. Huiusmodi enim multitudo principum sicut frequenter euenit propter peccata populi:ita multum populum grauat,dum quisque suis studet cõmodis,& bella sæpè inter multos exsurgunt.Et potest intelligi de multitudine principum sibi mox ac breui tempore succedentium, quæ & ipsa reipublicæ frequenter est pernicioſa, quæ hinc grauatur impensis,nouis statutis,turbationibus,& bellorum motibus.De qua principum multitudine potissimum intelligendũ quod hic dicitur,satis patet ex parte secunda oppositi,quæ tamẽ clarior est in Hebræis,quæ habent, Et propter hominem intelligentem scientem,sic,hoc est similiter prolongabitur scilicet imperium vel vita principis. Vel propter hominem intelligẽtem scientem rectum prolongabitur , Vbi singulare quidam exponunt per plurale,vt sit,Propter homines intelligentes,& doctos prolongabitur. Dum enim in regno principibus adsunt viri docti & prudentes,quorum consilio omnia aguntur,fit vt in regno peccata populi cohibeantur , & virtus locum habeat,& in populo,& in principe. Vnde sicut ob peccata populi,quorum causa sæpè est negligentia vel malum exemplũ principis,diuina vltione sunt in populo frequẽtes principes , ita contra propter iustitiam boni principes in bonum populi diu in vita conseruantur.Potest tamen quod Hebræis in singulari dicitur numero referri ad ipsum principem qui si prudens fuerit,& intelligens sua prudentia obuiabit peccatis populi, quibus non dominantibus,sed iustitia & pietate vbique præualente,vita eius prolongabitur à Deo,quemadmodum patuit in Ezechia.Sic ergo & nostra lectio est accipienda de sapiẽtia & scientia hominis regnãtis in populo.Propter huius enim sapientiam,& scientiam eorum quæ dicuntur & aguntur in regno,hoc est , quia diligenter scire omnem populi statum studet, ac prudenter prospicit,vt in officio populus contineatur & in religione,ideò eius vita lõgior erit. Supra enim dixit:auferimpietatem de vultu regis,& Sup.c.15.
firmabitur in iustitia thronus eius. Potest & sic intelligi nostra litera. Sicut ob peccata terræ multos contingit esse eius principes: ita ob sapientiã alicuius,cuius opera vtitur princeps & scientiam eorum,quæ,in sententiis ferendis dicenda sunt,vita ducis Dei munere prolongabitur.Aut propter scientiam eorum quę dicũtur à Deo,hoc est,propter scientiam mandatorum Dei.Ob hanc enim in Deut.promittitur Deut.17
regni diuturnitas.

Vir pauper calumnians pauperes similis est imbri vehementi,in quo paratur fames.

CVM à natura nobis inditum sit , vt eorum doleamus vices, qui eisdem nobiscum miseriis sunt obnoxij , illos vehementer inhumanos esse oportet & crudeles, qui mala augent aliena , quæ & ipsimet sentiunt & patiuntur. Itaque cum pauper qui paupertatis miseriam in se experitur , aliorum pauperum vices saltem dolere debeat,quando eorum nec cessitati non potest subuenire,si omnino contra faciat,ita vt pauperes calumnietur,hoc est, per iniuriam opprimat (sic enim vt supra est annotatum calumniari hic sæpè accipitur) rapiendo quæ eius sunt & spoliando, naturæ ordinem planè euertit. Proinde talis comparatur pluuiæ,quæ cum vehementia magna inũdat terram,cámque obruit,quæ & semina denudat,& segetes natas prosternit,sicque sterilitas sequitur,inopia & fames.Quę similitudo consistit in duobus. Primo in eo quod sicut huiusmodi pluuia sua quadam vi , & oppressione terræ inopiam inducit & famẽ:ita vir talis opprimens pauperem,inopiam ei adfert & famé sua oppressione & iniuria. Secũdo quod cum pluuia in hoc à natura sit data,vt terram ex sese inopem & indigam fœcundet, & fertilitatem rerumque adferat abundantiam,contra naturam huiusmodi vehemens & inundans pluuia sterilitatis causa est,ita & cum ex naturali quadam condolentia pauper pauperi cõsolationem,& opem debeat, naturæ ordine inuerso sua crudelitate desolationé & inopiam adfert,Secundum sensum mysticũ sententia hæc dici potest in eos,qui cum sint pæcatores & infirmi, seueri tamen nimis sunt in aliorum infirmitatibus & peccatis castigãdis,
corripiendis

corripiendis, vel vindicandis. Tunc enim vir pauper opprimit pauperes , & pro consolatione quam ex propriæ infirmitatis cõsideratione eis debet,sterilitatem animæ eorum adducit,similis omnino vehementi imbri , hoc est, grauissimæ tentationi immissæ à dæmone, ad
Galat. 6. obruendum terram cordis ne quem fructum proferat.Vnde monet Paulus: Si præoccupatus,inquit,fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis , considerans teipsum ne & tu tenteris.

4 *Qui derelinquunt legem laudant impium,qui custodiunt succenduntur contra eum.*

SENTENTIA clara est docens quam differenter se habeant legis contemptores & obseruatores legis ad ipsam impietatem & impios,& ex consequenti insinuãs,quam sint illi Reipu.pernicioſi,hi verò vtiles.Qui,inquit, derelinquunt legem,hoc est,qui domini legẽ omnino negligunt,laudant impium in sua impietate, tum quod eis placeat impietas, quam & ipsi sectantur,tum quod gaudeant se habere multos sibi similes. Vnusquisque enim delectatur suo simili.Contra qui custodiunt legẽ hoc est,quibus summa cura est Dei legem adimplere,hi non solum non laudant impium, sed succenduntur contra eum zelo iustitiæ. Et animo quidem semper succenduntur contra eum,quia ex impietate impij dolore commouentur & indignatione contra eum.Sæpe verò etiam verbo,& facto excitantur & accenduntur contra eum,dum ex zelo iustitiæ eum seuere arguunt,cohibent, ac si in authoritate sunt,etiam puniũt in aliorum exemplum.Declarat hæc sententia quam noxij illi sint impij laudatores,vt qui suis laudibus impietati fomentum præbeant, quam vtiles legis diuinæ custodes,vt qui impietatem cohibere conentur,quę respublicas perdit.Hinc intelligẽdum relinquitur non verè illos custodire legem Dei, qui impiis adulantur , & placere volunt qui illos arguere nolunt,quique illorũ impietatibus non commouentur,& quasi ad se non pertineret aliorum improbitas,nulla eius cura tanguntur,quales multos videre est, qui sibi tamen de iustitia, & legis diuinæ custodia placent.

5 *Viri mali non cogitant Iudicium: qui autem inquirũt dominum,animaduertunt omnia.*

PRO verbis,cogitant.& animaduertunt, idem Hebræis verbum est significans magis intelligunt. Altera ergo hic ponitur differentia inter impios & iustos,quia viri mali, eo quod in malitia,occupantur,& per eam excæcantur , non intelligunt & proinde hæc cogitant,hoc est , non comprehendunt animo iudiciũ;hoc est,quod æquum & iustũ est , etiam si audiant illud ab aliis doceri. Qui autẽ inquirunt dominum,hoc est,quibus curæ est illum agnoscere,illique placere,eo quod mẽs illorũ sit attenta,& à Deo illuminata , facilè intelligunt animaduertunt omnia , necessaria scilicet,non tantum quæ nunc sunt agenda, sed & futura pleráq; præuidentes. Itẽ viri mali nõ intelligunt nec cogitant futurũ Dei iudicium quo à malo reuocari possent si illud verè intelligerent & fixè cogitarẽt. Qui verò dominum inquirunt,non tantum illud Dei iudicium intelligunt , sed & omnia alia necessaria intelligunt,& animaduertunt, præ oculis etiam habentes præmia iustorum,& quibus rationibus ac viis ad ea perueniendum sit. Duabus enim his rationibus sentẽtia hæc, quę generalis est, explicari & accommodari potest . Similis est
1.Cor. 2. apud Paulum 1.Corinth.2.antithesis hominis animalis & spiritualis. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Spiritualis autem iudicat omnia.

6 *Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quã dines in prauis itineribus.*

SIMILIS est sententia ca. 19. versu primo, & in Hebræis maior est similitudo huius loci cũ illo,nec est alia differentia,quàm quod ibi Hebræa habeant in secunda parte. Quam peruertens labia sua,& ipse insipiens. Hic verò,Quam peruertens vias & ipse dives Melior ergo dicitur, pauper ambulans in simplicitate sua,hoc est viuens in integritate sua, quam dines ambulans in prauis viis , hoc est , moribus , quia quantumuis diuitiæ apud homines laudentur & præferantur , talis tamen pauper & reuera præstantior est tali diuite , vtpote Deo ac prudentibus commendatior & proinde verè fœlicior, & vtilior est reipub.Rectè ergo dixit Themistocles,qui vt refert Cicero libro 2. offic.cum consuleretur, vtrum bono viro pauperi, aut minus probato diuiti filiam collocaret: Ego, inquit,malo virum qui pecunia egeat quàm pecuniam quæ viro.

7 *Qui custodit legem filius sapiens est : qui autem comessatores pascit,confundit patrem suum.*

IVVENTVS fere dedita esse solet comessationibus , vnde huius vitij peculiariter meminit,quod& parentes in filiis peculiariter cohibere, & impedire deberent vt præcipitur Deut. 21. Pascit autem comessatores, qui ita delectatur comessationibus , vt helluones & potatores sibi adiungat & frequenter ad cõuiuia sua vocet , bona sua paterna conuiuiis profundendo, sicq; multis peccat nominibus, quia & contra Dei legem vacat potationibus & facultates suas prodige expendit,& fomentum vitij aliis præbet.Sicut ergo sapiens est ille filius qui custodit legem Dei,quæ inter cætera vetat omnem luxum præcipuè in iuuenibus, & proinde talis honore & lætitia afficit patrem , quia filius sapiens lætificat patrem suum:ita qui alit comessatores, contra legem Dei faciens,ignominia afficit patrem suum, quia in patris ignominiam cedunt filij vitia, tanquam qui non bene instituerit filium.

8 *Qui coacervat diuitias vsuris & fenore liberali , in pauperes congregat eas.*

BENE vertit hunc versum interpres, sed malè communiter distinguitur lectio. Nam dictio , liberali coniungitur cum ablatiuo fœnore. Vndè coacte hic versus exponitur à Lyrano , & aliis ipsum sequentibus,

qui intelligunt, fœnus liberale dici lucrum quod vltra ſortem recipitur, non ex pacto, ſed liberali, vel vltronea mutuatarij donatione, quod etiam prohibitum eſt ſicut vſuras accipere ex pacto, quando illud lucrum intentũ eſt, & deſideratum à mutuante. Huiuſmodi diuitiarum coaceruatorem, intelligunt congregare in pauperes, quia congregat contra pauperes & in detrimentum pauperum, qui illius vſuris vexantur, & opprimuntur. At hic ſenſus penitus eſt alienus ab intentione ſapientis & interpretis. Dictio enim, Liberali datiuus eſt coniungendus cum ſequẽtibus, vt patet tum ex hebræis tum ex Græcis, & eſt ſenſus. Qui coaceruat diuitias viis illicitis, nempe vſuris & fœnore, talis non ſibi eas congregat, ſed homini liberali & munifico in pauperes. Quo ſignificat futurum, vt talis nec animum ſit, nec poteſtatem habiturus bene vtendi partis male diuitiis, ſed Dei diſpoſitione eas peruenturas ad eum qui liberalis ſit in pauperes, vt in eos diſtribuantur à quibus cum illorum magno grauamine acceptæ ſunt. Græca enim & hebræa habent: Qui multiplicat diuitias cum vſuris & multiplicatione, ei qui miſeretur pauperum congregat eas. Itaque ſuperiori verſu locutus eſt de eo, qui diuitias malè profundit, hoc verſu de eo qui eas colligit male. Et docet hic locus vt & aliæ multæ ſcripturæ vſuras eſſe illicitas & iniuſtas. Quod & Ethnici ſatis intellexerunt. Ariſtoteles enim in 1. de repub. Iuſte inquit in odio eſt fœneratoria, quia nummo vtitur tanquam merce, & ex eo quod non fructificat natura, fructum capit. At commutationis cauſa factus eſt nummus. Maximè igitur præter naturam eſt nummum fieri mercẽ. Et Cato interrogatus quid eſſet fœnerari, reſpondit, quod hominem occidere.

9 *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis,*

DECLINAT aures ſuas ne audiat legem qui ſtudio non vult audire legem cum docetur, aut ſi audiat non vult obedire, hac re declarans contemptum legis, & impœnitentiam cordis in ſuis peccatis, quales ſunt de quibus Iob: Qui dicunt Deo, Recede à nobis, ſciẽtiam viarum tuarum nolumus, huiuſmodi cõgruam tribuit punitionem ſapiens ſignificans par pari referendum, cum ſubditur. Oratio eius erit execrabilis, quaſi dicat, Quemadmodum ipſe non vult audire Deum loquentem per legem, ita nec Deus viciſſim ipſum audiet ſibi in oratione loquentem Nec tantum non audiet, ſed & orationem eius execrabitur, tan-
Pſal. 108. quam peccatũ, iuxta illud: Et oratio eius fiat in peccatũ. Et ſanè grauis eſt hæc punitio, quãdo hoc ipſum, quo Dei gratiam obtinere nitimur, Dei iram magis prouocat. Vnde non fruſtra apud hebreos additur dictio augmentatiua. Oratio eius erit abominatio, hoc eſt, non ſolum eius vitia, ſed etiam oratio eius.

10 *Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſſidebunt.*

HEBRAEA habent, Qui errare fecit rectos in via mala, in foueam ſuam ipſe cadet, & integri hæreditabunt Bonum. Itaque is decipit iuſtos in via mala, qui fraudibus, & dolo pellicit eos in viam malam, & quantum in ſe eſt, facit vt ſint in via mala, per quam ſcilicet eos deducat in foueam aliquam, & interitum eis paratum. Id autem facit non tantum qui eos corporaliter errare facit, ſed & omnis qui à recta fide rectáque viuendi ratione homines abducit in errores & malam vitam. Item quicunque iuſtos aliquo dolo pertrahere ſtudet, in aliquid ipſis pernicioſum, & noxium. Sub ſimilitudine enim eius qui hominem corporaliter abducit à recta via in malam, metaphoricè deſignatur omnis qui fallere ſtudet ad aliquod malum. De tali ergo dicitur, quod corruet in interitu ſuo, hoc eſt, in illud malũ quod aliis parauit, vt ſit idem cum illo quod ſupra dictum eſt. Qui fodit foueam incidet in eam. Sup. c. 61.
Conuenit cum illo, malum conſilium conſultori peſſimnm. Contra, ſimplices, hoc eſt, integri dolo carentes, quos illi doloſi fallere ſtuduerunt, non ſolùm eorum dolis non capientur, ſed diuina benignitate etiam poſſidebunt hoc eſt, ſtabiliter obtinebũt, bona eis à Deo parata. Aut poſſidebunt etiam bona ipſorum doloſorum hominum, quæ ab eis erepta dominus iuſtis largietur. Multi enim libri habent poſſidebunt bona eius, vt ſignificetur, non ſolum impios caſuros in ea mala quæ piis parauerunt, ſed ipſos etiam priuandos ſuis bonis eáque tradenda piis. Sed pronomen eius vt non eſt in Hebræis; ita nec in correctioribus libris Latinis.

11 *Sapiens ſibi videtur vir diues, pauper autem prudens ſcrutabitur eum.*

DIVITIAE ferè adferunt homini prudentiæ arrogantiam cum aliorum contẽptu, ita vt diuites ſuæ prudentiæ tribuãt quod præ cæteris ſint locupletes & fortunati, aliorũ imprudentiæ quod pauperes ſint & infœlices Item aduertunt authoritatem & honorem ſibi apud homines deferri ſuáque tum dicta tũ facta per adulationem approbari velut ſapienter dicta aut facta. Vnde in Eccleſiaſtico dici- Eccl. 13
tur: Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicũt, quis eſt hic? Itaque vir diues videtur ſibi ſapiens tum quod per ſuam prudentiam putet ſibi obueniſſe diuitias, tum quod homines eius dictis & factis multũ deferant. Pauper autẽ prudens, non ſtatim cũ vulgo admirabitur eum tanquam ſapientem, ſed ſcrutabitur eũ, hoc eſt, explorabit eius dicta factaque, nec propter diuitias ei nimis tribuet, nec felicem iudicabit. Per quod vult ſignificat quod poterit eum per ſuam prudentiam confutare & redarguere. Vnde Septuaginta verterunt, καθαγγώσεθαι ἀυτοῦ, hoc eſt, condemnabit eum Similis eſt locus ſupra ca. 18. verſu 19. vbi nos habemus. Iuſtus prior eſt accuſator ſui, venit amicus eius, & inueſtigauit eum. Sed & Hebræi teſte Rodulpho intelligunt hic non de ſimplici ſcrutatione, ſed tali quam ſequitur reprehenſio & confutatio, vt ſit ſenſus: Diues

quidem ſibi ſapere videtur præ aliis, at pauper prudens facta diligenti rerum diſcuſſione & examinatione, aliter eſſe deprehendit, nempe quod diuitias non ſua ſapientia comparauerit, ſed Dei dono, quódque ob diuitias non magnifaciendus ſit, præferendum diuitiis ſapientiæ donum, etiamſi cum paupertate coniunctum ſit.

12 *In exultatione iuſtorum multa gloria eſt, regnantibus impiis ruinæ hominum.*

APPARET ex commentario Lyranum legiſſe non exultatione, ſed exaltatione ſic enim habet, Quia per hoc boni honorantur & exaltantur, ſicut patet de regno Dauid, Ezechiæ, & Ioſiæ. Et eum ſecutus Arboreus hunc verſum exponens, habet: Quod ſapientes & iuſti ad ſummos magiſtratus, præclara officia, & inſignes præfecturas ſubuehantur, eſt maximè iucundum & glorioſum. Et videri poſſet ex ſecunda particula legendum eſſe Exaltatione, quia per oppoſitum ſequitur, Regnantibus impiis. Sed veram lectionem eſſe, In exultatione quomodo & codices omnes ferè habent, patet ex Hebraica dictione, quæ exultationem & lætitiam ſignificat, non exaltationem. Cæterum per exultationem iuſtorum à poſteriori inſinuat eorum proſperitatem cauſam ſcilicet ex effectu. Et eſt ſenſus, Cum iuſti exultant, hoc eſt, cum eorum res ſecundę ſunt, quando ipſis in republica, ſuppreſſis impiis, exultare & triumphare contigerit, tunc eſt in republica multa gloria, tunc accedit ipſi reipublicæ multum gloriæ & decoris, quia vt ſupra dictum eſt cap. 11. Benedictione iuſtorũ exaltabitur ciuitas. Illis enim gaudentibus & fœliciter ſe habentibus quod non poteſt fieri, ſi impij eis dominentur, ciuitas bene inſtituitur & regitur in pace & multorum bono. Contra cum impij regnant ſunt ruinæ hominum, hoc eſt, tũc homines multi, maximè boni, perduntur & deiiciuntur illorũ iniuria & oppreſſione, quẽadmodũ & vltimo verſu poſtea repetitur. Poteſt prior pars etiã ſic intelligi, vt in exultatione iuſtorum dicatur eſſe multa gloria, non quia gloria illorum exultationem ſequitur, ſed quia ipſa exultatio ſit glorioſa, hoc eſt vt quidam vertit, quia glorioſum eſt, honeſtũ & decẽs iuſtos exultare, hoc eſt, fœlices eſſe ac fortunatos. Et notãdum dictionem, Gloria hoc loco non accipiẽdã pro gloriatione aut lætitia, ſed pro claritate, excellentia & decore, vt patet ex dictione Hebraica.

13 *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autẽ confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.*

CONTINGIT ſine vitio abſcondere aliquem delicta ſua, vt ſi hoc faciat, ſiue ne ſcandalizet, ſiue pro famæ ſuę conſeruatione. Sed hoc loco, abſcondere ſcelera ſua, eſt ea nolle agnoſcere, ſed ea, etiam cũ de eis admonetur aut negare, aut excuſare vel defendere Quod qui facit, cum non ſimpliciter peccet, ſed peccatum adiiciat ſuper peccatum, merito non dirigetur, hoc eſt, vt habent hebręa nõ proſperabitur, quo plus etiam ſignificatur ni mirum quod malè habebit, & quod pœnas dabit ſceleribus ſuis dignas. Contra, qui confeſſus fuerit ſcelera ſua, eadémque reliquerit conſequetur miſericordiam, quia non ſolum ei non infligetur pœna, quam commeruerat, ſed & remiſſionem obtinebit peccatorũ ſuorum, & apud homines ſæpè, & ſemper apud Deum. Vnde Propheta: Dixi (inquit) confite- Pſal. 31.
bor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Oſtendit hæc ſententia quandoquidem ſine vitiis viuere non licet, vnicum & optimum remedium ad delenda peccata eſſe confeſſionẽ modo ei iungatur peccatorum admiſſorum derelictio, Quæ quidem confeſſio cum propter humilitatem etiam apud homines ſæpè veniam obtineat, multo magis apud Deum, quem humilitas illa & reſipiſcentia non poteſt non ad miſericordiam flectere. Nõ vrget quidem hæc ſententia per ſe accepta confeſſionem ſacramentalem, quæ ſacerdoti fieri debet, ſed per ſe tantum exigit confeſſionem quouis modo factam. Verum cum in Euãge- Ioa. 20.
lio iam ſatis Chriſtus indicauerit, etiam ſacerdoti faciendam confeſſionem, quæ ad obtinẽdam remiſſionem valere debeat, cum dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittũtur eis: non ineptè hæc ſententia iam vſurpatur ad inculcandam & exigendã etiam confeſſionẽ ſacramentalem ſacerdoti faciendam. Si enim confeſſio medium eſt ad obtinendam remiſſionem & miſericordiam, vt hæc docet ſentẽtia, cum remiſſio peccatorum à ſacerdote peti poſſit & debeat, neceſſe eſt eidem peccatorum fiat confeſſio, qua remiſſio impetratur, cui qui abſcondit ſua peccata, is certè non dirigetur. Cæterum quoniam ſatis non eſt peccata confiteri, niſi quis eadem & voluntate & actu reliquerit, contra quorundam errorẽ qui etſi confiteantur, perſeuerant in peccatis ſuis, bene additur & reliquerit ea.

13 *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, qui vero mentis eſt duræ, corruet in malum.*

POTEST hæc ſententia dupliciter accipi. Primum de timore diuino, vt is intelligatur hic dici beatus, qui ſemper pauet & timet Deum, metuens illum offendere, & à ſeueritate iudiciorum Dei timens, quæ aliquando contra impios proferentur, atque ob id ſolicitè cauens, ne qua in re peccet, ac diuinæ vltioni ſubiectus fiat, aut ab eius gratia excidat. Talis certè beatus eſt, tum quod hoc fœlix & rarum Dei donum ſit conſecutus. Beatus enim homo dicitur in eccleſiaſtico, cui donatum eſt habere timorem Dei: tum quod ta- Eccl. 25.
lis beatitudinem conſequetur ęternam. Contra, qui mentis eſt duræ, vt nullo Dei timore cõmoueatur, nec cedat quibuſcũque monitis aut minis, corruet in malum quod timere & pręcauere noluit, idque in hac vita frequẽter, Eccl. 3.
ſemper autem in futura. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: Cor durum male habebit in nouiſſimo. Docet hæc ſententia quam errent hodie plerique, qui non ſolum ſine timore Dei viuunt, libertatem ſibi vitiorum indulgentes, ſed etiam docent omnẽ timorem reiiciendũ

& absque vlla hæsitatione & metu quemque credere debere,se esse filium Dei ac futurum heredé regni cœlorũ, manifestè contrariantes Paulo,qui concinens huic loco monet Philippenses. Cum metu & tremore vestram salutẽ operamini.Nec obstat quod Paulus dicat non accepisse nos spiritum timoris,sed dilectionis Et Ioannes,Timor nõ est in charitate ,sed perfecta charitas foras mittit timorem.His enim locis agitur de timore seruili,quo scilicet sine amore virtutis,tantum pœnæ timentur,& vitia tantum propter pœnas vitantur. Nã & pœnas ipsas horrere,ac ob id etiam à vitiis declinare,etiam sanctorũ est,sed non sine dilectione Dei coniuncta,& fiducia bonitatis Dei hominem erigente.Vnde Iob dicebat: Verebar omnia opera mea,sciens quia nõ parceres delinquenti. Etc. 31.Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.Et Dauid: Confige,inquit,timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.Potest secundo intelligi de timore in omnibus rebus agẽdis,qui temeritati opponitur,vt is dicatur hic beatus,hoc est,fœlix,qui sic in omnibus rebus est timidus,vt ne quid temerè aggrediatur, nec absque debita deliberatione & consilio aliorum solicitè cauens ne quid omittat eorum quæ requiruntur. Talis enim in negociis suis prosperari solet,cum contra qui mentis est duræ, hoc est, obstinato animo sine aliquo metu res suas aggreditur,nihil curans quicquid suggeritur & consulitur,ruit sæpe in multa mala, & damna multa perferre cogitur.

Philip.2 2.Tim.1, 1.Ioan.4

Iob.9.

Psal.113.

15 *Leo rugiens,& vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.*

HORRENDA quidem impiis principibus & tyrannis,sed tamen vera comparatio,qua hi qui deberẽt se erga subditos suos gerere vt pastores erga oues,quærẽdo in omnibus eorum bonum & defensionem, contra assimilantur immanissimis & crudelissimis bestiis idque iam famelicis,quæ propter famẽ & naturalem feritatem ac potentiã nulli parcunt,à nullo vincuntur,nec facilè satiãtur.Per leonem enim rugiẽtem etiam intelligi potest leo esuriens.Nam rugitus illius, famis est iudicium.Itaque per leonem rugiẽtem & vrsum esurientem insinuatur inexplebilis auaritia impij principis,& crudelitas , per quam non cessat populum sibi subditum (qui tanquam imbelles feræ & imbecilles in comparatione principis,quemadmodum imbecillia sunt reliqua animantia in comparatione leonis & vrsi,non valent principi resistere)expilare bonisque exuere,innocentum etiam sanguinẽ effundere,quorũ punitionibus non facilè satiatur.Aut per leonem rugientem insinuat metum,quem suis impijs edictis, & terrifica sua voce incutit subditis,sicut leo suo rugitu timorem audientibus infert,vt per leonem rugientem,& vrsum esurientem, duo mala insinuet populum pauperem,hoc est,qui obsistere non valet,patià tyrãnis,scilicet metum & direptionem atque oppressionem.

16 *Dux indigens prudentia,multos opprimet per calumniam,qui autem odit auaritiam,longi fient dies eius.*

DEMONSTRAT hæc fẽtia,qui sint principes illi impij,qui se gerunt vt leones,& vrsi,nempe qui indigent prudentia,qua intelligere deberent quod sit eorũ in subditos officium,& qua in re sit propria sita prosperitas, nempe si subditos habeant sibi bene affectos, & amantes potius quam metuentes.Qui ergo huiusmodi caret prudentia,multos opprimet per calumniam,hoc est, per quamuis iniuriã ideòq; multos sibi faciet inimicos,vnde à suis desertus, facilè & ipse ab hostibus suis opprimetur,vel quod tyrannis solet euenire, à suis trucidabitur.Hoc enim in hac prima parte relinquitur intelligendũ ex secunda parte. Qui autem odit auaritiam,& ideo non premit populum suum exactionibus longi fient dies eius,siue quod Deus illius vitam propter pietatem prolongabit,siue quia talis à suis stipatus & dilectus,non solum tutus erit à suorum insidiis,sed & ab hostium incursu.Indicat sentẽtia errare principes,qui ad sui tuitionem & cõseruationem vitæ suæ,putant vndiquaque cõparandas diuitias & opes,ideóque multos expilant nunquam satiati.

17 *Hominem qui calumniatur animæ sanguinem, si vsque ad lacum fugerit,nemo sustinet.*

DOCET sententia,quam odiosus sit omnibus homicida. Hic enim dicitur homo qui calumniatur sanguinẽ animæ,hoc est, qui iniustè effundit sanguinem in quo est anima, hoc est sanguinem vitalem,& sanguiné in quo vita consistit:talis etiamsi fugerit vsque ad lacum.hoc est,etiamsi occultare se studeat, vel in profundo aliquo lacu,vel in secretis sepulchris,nemo sustinet eum,hoc est, nemo eum sustentat,nec opem illi fert:quasi dicat,homicidæ,debetur mors,merito semper fugit, & latere studet,nec vlla ei debetur ab hominibus commiseratio,quia naturaliter homines oderunt humani generis hostem. Vnde dixit dominus:Omnes qui gladiũ acceperint, gladio peribunt Qua sententia,sicut & hac, nõ quid semper fiat,sed quid vt in plurimum, & quid mereantur tales,designatur. Lyranus nouum hic intelligit sensum , vt significetur homicidam si vsque ad lacũ, hoc est, vsque ad foueã vel sepulturam,hoc est, vsque ad finẽ vitæ suæ fugerit,hoc est,distulerit agere pœnitentiam, nemo post mortem poterit eum iuuare, quia non est locus pœnitentiæ post mortem. Sed hæc explicatio coacta est.Potest & sic intelligi Si homicida vel vsque ad lacum desperationis atque in barathrum fugerit,nemo eum sustinet,hoc est,retinet & remoratur. Nõ quod docere velit talem non esse retinendum , sed vt ostendat quid ex se mereatur,& quam nulla ex se sit miseratione dignus.Patet huius sententiæ veritas in Iuda proditore.

Mat. 24.

Qui ambulant simpliciter,saluus erit,qui peruersis graditur viis concidet semel.

SENTENTIA clara est, nec quicquam magnopere annotandum est,nisi quod sepe dictum est,quod,Simpliciter, hic positum est pro integrè,innocẽter&perfectè,& Quod in secũda parte dicitur,Cõcidet semel,significat etsi etsi ad tempus floreat, & sua expleat desideria,simul tamen corruet , vel hic prolapsus in aliqua mala,vel in æternas tandem præcipitatus miserias. Ita & qui viuit integrè, & inculpate , & hic saluus erit à malis huius vitæ, & æternam deinde assequetur salutem.

29 *Qui operatur terram suam,satiabitur panibus,qui autem sectatur ocium replebitur egestate.*

SVPRA hæc sententia habita est cap. 12. versu 11.nec alia est differentia quam quod ibi in secunda parte dicitur , stultissimus est, hic verò,Replebitur egestate , quo significatur quod multum esuriet.

20 *Vir fidelis multum laudabitur,qui autem festinat ditari,non erit innocens.*

SICVT superior sententia docet, non sectandum otium , ita hæc non sectandam auaritiam. Duplicem autem sensum possunt habere Hebræa,quæ habent , Vir fidelitatum multis benedictionibus. Nam vel potest intelligi de benedictione diuina vt significetur virum fidelem,hoc est,qui in factis & verbis suis fidus est non quærens aliquem fallere , sed fideliter & integrè cum omnibus agens,consecuturum largiter diuinã benedictionem, hoc est,Dei beneficio opes eius multiplicandas.In cuius contrarium sequitur. Qui autẽ festinat ditari quo significat eum qui vt ditetur , etiã malis vtitur artibus cum iniuria proximi, talis,inquit,non erit innocens,hoc est , non erit impunitus à Deo. Sic enim supra annotatum est aliquoties phrasi Hebraica accipi hãc orationem.Non erit innocens. Similiter dictum est supra cap.20.Hæreditas ad quã festinatur in principio in nouissimo benedictione carebit.Et capite 13.Substantia festinata minuetur quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur, Hunc sensum Septuaginta secuti sunt,qui habent,Vir fide dignus multum benedicetur,malus autem non impunitus erit Vel potest intelligi de benedictione hominũ atque sic intellexisse videtur noster interpres qui vertit.Vir fidelis multum laudabitur,hoc est, multi eum commendabunt, multi ei precabuntur bene. Contra qui quo iure , quaque iniuria ditescere festinat , non erit innocens, id est,non carebit nota reprehensionis,etiam apud homines , quia subito colligere diuitias, nemo facilè potest sine aliorũ iniuria,ac proinde non sine peccato. Potest tamen etiam nostra litera intelligi de laude à Deo consequẽda,vt sit sensus: Vir fidelis multum laudabitur à Deo,qui & hic & postea fidelitatem eius remunerabitur abũdè,vt coincidat cum priori intelligentia primæ & secundæ partis.Ex dictis,patet,quem hic vocet fidelem virum, nẽpe,vt apponatur illi qui festinat ditari,qui scilicet non mentitur , nec fallit proximum ob parandas diuitias , sed verax est in verbis suis, & in factis ac mercibus suis integer.

21 *Qui cognoscit in iudicio faciem , non benefacit:iste & pro buccella panis deserit veritatem.*

PRIOREM partẽ sic habent Hebræa.Cognoscere facies non est bonum,idem sci- Iansin Prouerb. licet,quod supra habitum est cap.24, vbi nos legimus,Cognoscere personam in iudicio nõ est bonum.Nam in his locutionibus siue personam dicas,siue faciem,eodem recidit,& est Græcis & Hebræis eadem dictio, vt dictum est in cap.18.Cæterum & hic & cap. 28. additur,in iudicio , cum non sit in Hebræis, quia potissimum in iudicio forensi fit & nocet acceptio personarum.Quamuis & ea quæ fit extra iudicium forense , in aliis rebus in quibus iustitia & causæ merita attendi debent, non fit sine peruerso iudicio, quo quis in gratiam alicuius male iudicat apud se.Porrò quã male faciat acceptor personarum, ostendit cum subiicitur:Iste & pro buccella panis deserit veritatem. Per buccellam panis phrasi Hebraica significans rem minimi vel nullius precij, qualis est etiam munus alioqui in se non paruum in comparatione veritatis & iustitiæ,quę longè deberet esse nobis charior & preciosior Grauiter ergo peccat,qui pro re/quauis temporali , & pro re aliquando minimi momenti deserit veritatem & iustitiam rem præclarissimam , quam omnibus præferre deberet, & pro officio suo tueri siue testis sit , siue iudex Significat autem sententia , quam potens sit auaritiæ malum in multis iudicibus , vt qui cum ferè potentes sint & diuites,nec multum egeant, tamen aliquando ob minimum aliquod commodum peruertunt iudicium.

22 *Vir qui festinat ditari,& aliis inuidet,ignorat quod egestas superueniet ei.*

AVARI conditiones duas hic pulchrè depingit. Altera est quam & mox prius posuit,quod præ nimia diuitiarum auiditate festinat ditari , quo & iniustitia eiusdẽ tectè insinuatur,quod cito ditari sine iniustitia non facilè contingat.Altera est quod quia festinat ditari,ideo talis inuidet, quia nõ patitur alios secum lucrũ facere,aliorumq; lucrũ suum dã num reputat,& ideo studet aliorum lucra anteuertere & præripere. De tali aptè dicitur quod egestas superueniet ei.Quia enim cum aliorum sæpe egestate diuitias sibi congregat & quia aliis inuidet diuitias, vellet autem potius alios egere,vt ipse solus diues esse posset, meretur sanè vt egestas ei inexpectata superueniat & iuste ei subtrahatur , quod iniustè & auidè nimis collegit,idẽq; ipse patiatur, quod aliis optauit.Et accidit quidẽ id etiã temporaliter in hac vita frequẽter,semper autẽ talis meretur,vt ita ei eueniat & si quod meretur hic ei non retribuatur,in futura vita copiosius,& perfectius sentiet, quãdo omnibus bonis suis exutus,egestatem summam pati cogetur.Huiusmodi egestatẽ siue temporalem siue æternam,rectè dicit eum ignorare, nẽpe quia excæcat cor eius auaritia & inuidia, atque hinc etiã in coaceruandis diuitiis finem non facit.

23 *Qui corripit hominem , gratiam postea inueniet apud eum magis,quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.*

MONET hæc sententia, non abstinendum à correptione, etiam si ea non mox grata sit correpto,quia frequenter accidit,vt quę

prius displicet, postea corripienté magis commendet, quam blandus sermo adulanté, potissimum apud sapientes, aut nõ planè stupidos, aut impios. Hi enim cum ad cor redeunt, aduertunt, & ex meliore affectu prodire correptionem, quã blandã approbationem, & illam sibi vtilem esse, hanc vero noxiam & pernicioſam. Maximè verò beneficium corripientis agnoscitur, cum per mali experientiam deprehenditur ipsum bene monuisse, adulanté vero decepisse, atque id videtur voluisse significare cum dicit. Postea inueniet gratiam, cum scilicet senserit ille, se per linguæ blandimenta deceptum.

24 *Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.*

VTILIS sententia contra vitium pueris & iuuenibus nimis familiare, qui putant se non peccare, dum surripiunt parentum bona, quasi illa ipsorum essent, quòd post mortẽ sint ipsorum futura. Durè tamẽ interpres hoc vitium exaggerauit dum vertit, Particeps homicidæ est. Nam pro dictione, homicidæ eadem est quæ supra cap. 18. versu 11. vbi noster vertit. Bona sua dissipantis. Qui moliis est, inquit, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Quomodo & hic verti conueniebat, vt hic dicatur socius dissipatoris sicut ibi frater dissipatoris. Qui enim parentũ bona suffuratur, idque sine delicti agnitione, socius est dissipatoris, quia tali se coniungit, & cum tali etiam ipse dissipat paterna bona. Solent enim iuuenes ad hoc parentum bona suffurari, vt dilapident, & dissipatoribus se coniungant. Et ferè tales fiunt postea egregij dissipatores, & homines perditi: & cum furantur, etiam si non coniungant se dissipatoribus non minus tamen eos peccare sapiens significat, quam dissipatores, cum vtriq; bonis paternis abutantur. Sic & Septuaginta tantum habent. Socius est ἀνδρὸς ἀσεβοῦς, id est, viri impij. Potest etiam dictio hebræa accipi simpliciter pro homine perdito, vt significetur suffuratores paternorum bonorum sine conscientiæ scrupulo, esse socios perditorum, de quorum respiscentia parua est spes. Nostra lectio quę asperius sonat nõ de quibuslibet paternorum bonorum suffuratoribus est intelligenda sed de his qui ita spoliant parentes, vt ad inopiam eos redigant, quæ non minus quã mors affligit & enecat, vnde recte tales homicidarum, imo & parricidarum socij esse dicuntur. Hebræa enim non habent simpliciter: Qui subtrahit aliquid, Sed, qui spoliat & deprædatur patrem suum aut matrem. Aut intelligi potest talem, dici socium homicidæ, quòd grauiſsimè peccet, dignusque sit qui se respiscere nolit & agnoscere peccatum, iuxta præceptũ domini, Deuter. 21. cum dissipatoribus paternorum bonorum, lapidibus obruatur à populo. Aut quòd tales ferè ex huiusmodi furtis ad maiora perueniat furta & homicidia, vt experientia frequens demonstrat, Nec miran dum est D. Hieronymum vertisse, Homicidæ. Dictio enim Hebręa propriè significat corrũpentem & perdentem. Vnde eandem vertit. Interfectorem. Esaiæ 54. Ego creaui interfectorem ad disperdendum. Nomen autem particeps, posuit pro socio, quemadmodum & ibi: Particeps ego sum omnium timentium te, hoc est, socius sum illorum & illorum consortio gaudeo. Psal. 118

25 *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat: qui verò sperat in domino sanabitur.*

HEBRÆA habent, Latus animo excitabit litem, & sperans super dominum, impinguabitur. Et potest latus animo intelligi vir multum auarus, quique multis desideriis ęstuat nec facilè expletur. Vnde Septuaginta verterunt ἅπληστος νηφ, hoc est, vir inexplebilis. Talis ob summam cupiditatẽ sæpe multa concitat iurgia, idque eo magis, quia cum multos afficiat iniuria, multos etiam contra se prouocat. Qui vero non in diuitiis, sed in domino spem suam collocat, huic honestus victus nõ deerit facilè, imò impinguabitur, & abũdãtia perfruetur, si non corporali, saltem spirituali, pinguetudine scilicet ea de qua dicit Psalm. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. Potest tamen secundum alios latus animo etiam intelligi superbus. Nam per superbiam animus hominis dilatatur & extenditur supra se ad honores huius mundi Quod secutus noster interpres vertit, Qui se iactat & dilatat se, hoc est, qui immodicus est sui laudator, animum suum expandens ad honores, talis iurgia concitat, quia non patitur aliquem sibi præferri, aut æquari, indignatur & commouetur, cum non afficitur deside rato honore, aliósque contra se excitat, qui indignantur, quod tantopere se extollat. Qui vero non extollitur in seipso, sed humiliter se Deo subiicit spem omnem suam collocans in ipsum talis impinguabitur, hoc est, prosperabitur in omnibus Deo ipsi fauente, tranquillitate mentis perfruetur, & vt nos legimus, saluabitur ab omnibus malis, aut vt potius legendũ est, quemadmodum habent codices emendatiores sanabitur. Et videri posset legendum, sanabitur vel saginabitur, si sic aliqui libri haberent, quia id conueniret cum verbo impinguabitur. Verum est verisimile nostrum interpretem, hic vt & alias secutum Græca, quæ habẽt ἐν ἐπιμελείᾳ ἔσται hoc est, in cura erit vel curabitur. Itaque vertit sanabitur, significans eum Deo curante sanum fore, & liberum ab omnibus perturbationibus. Non multum dissimilis huic, est sententia quæ sequitur. Pſal. 62.

26 *Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter ipse saluabitur.*

MALE habent plerique libri, Laudabitur cum legendum sit, vt habent alij libri, Saluabitur. Nam hæc lectio consentit cum Hebraica dictione & Græca σωθήσεται, id est, saluabitur. Sensus ergo est, Qui confidit in cõ siliis & cogitationibus cordis sui, ita vt ea sequatur in omnibus actionibus suis nullius quærens iudicij, sed suo innixus iudicio, talis stultus est, & per suam stultitiam in multa incidet pericula & mala, Qui autem graditur sapienter, ita vt non suum cor, sed sapientiam habeat

habeat ducem suarum actionum, talis saluabitur, ita vt vel non incidat in mala, vel si incidat liberetur ab eis per suam sapientiam & Dei gratiam.

27 *Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

SENSVM pulchrè expressit interpres cũ Hebræa habeant: Ei qui dat pauperi non erit defectus, & abscõdenti oculos suos multitudo erit maledictionum. Is enim abscondit oculos suos à paupere, qui eum aspicere non vult aut dedignatur: quod est deprecantem. Alioqui sententia clara est cõmẽdans nobis in pauperes beneficentiam, & ab inhumanitate deterrens, quòd per illam fiat diuino munere, vt quis non facilè inopiam patiatur, per hanc verò fiat diuino iudicio, vt quis inopiam quam in alio noluit subleuare, patiaturin seipso, idque frequenter, etiam in hoc seculo, semper autem in futuro, vt patuit in diuite epulone. D. Cyprianus libro tertio ad Quirinum citat hanc sententiam, hoc modo, secundum Septuaginta scilicet, Qui dat pauperi, nunquam indiget, qui autem auertit oculum suum, in multa penuria erit. Cypria.

28 *Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.*

SVRGVNT impij cum dominium obtinent, & in sublimitatis aliquem gradum subleuantur. Tunc sanè absconduntur homines, maximè iusti, tum quia in carcerem coniiciuntur ab impiis regnantibus, tum quia vltro se dant in exilium, solúmque patrium vertunt, vt impiorum furorem & persecutionem declinent, tum quia etiam in patria manẽtes se continent in silentio se suámque sententiã nequaquam temerè prodentes, nec sese in cõspectum & notitiam principum ingerentes. Contra cum impij perierint & in eorum locũ pij surrexerint, iusti multiplicantur, tum quia qui prius iusti erant & latebant, palam & vbique se non verentur exhibere, tum quia eorum exemplo & doctrina, multi ad iustitiam amplexandam excitantur. Docet hæc sententia, quantum interſit qui præsint. Cuius veritatem demonstrant & veteris testamenti exẽpla & noui. Nã in veteri testamento regnante Achab cum sua Iezabel, abscondiri sunt prophetæ Domini in speluncis, ipsis verò perditis tẽpore Iehu multiplicati sunt iusti. Et in hoc gratiæ tempore persecutione tyrannorum sẽuiente in Christianos latibula quæsierũt Christiani, qui sublatis tyrannis multiplicati sunt. Sed & cõtra tempora demõstrant, quomodo do silere, latere & fugere piis necesse sit vbi regnant hæretici.

CAPVT XXIX.

1 *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas nõn sequetur.*

SENSVM non verba, vt & alias ferè, reddit interpres: Nam Hebręa etiam hic sunt breuiora: Vir correptionum indurans ceruicem, subito frãgetur sine sanitate, hoc est, Vir qui correptiones meretur si obduret ceruicem, subito confringetur insanabiliter. Vbi vis & elegãtia cõsistit in illa opposita, indurare ceruicem & frangi, vt significetur, quia hic frangere seipsum noluit, sed ceruicem suam obdurauit, subito à Deo confringetur. Hoc tamen quod est subito confringi, non est aliud quam repẽtinum superuẽnire interitum, per quẽ, duri ties hominis frangitur, vt tunc cogatur agnoscere quod prius confiteri recusabat. Cæterũ per duram ceruicem & hoc loco & aliis multis significatur metaphoricè obstinatus in malo animus, quod qui eo sunt animo præditi, ceruicem erectam & inflexam exhibere solent, sicut contra qui admoniti se humiliant, ceruicem flectunt. Docet ergo sententia, quãtum malum sit nolle correptionibus, siue humanis, siue diuinis acquiescere, vt quod puniendum sit, & inexpectato atque repentino & immedicabili atque incurabili interitu: Viro (inquit) qui siue hominem siue Deum, tũ verbis, tum flagellis corripientem, obstinato animo contemnit, superueniet interitus obstinatum eius animum conterens, & repentinus, & talis quem nõ sequitur sanitas, hoc est, qui nunquam curabitur. Accidit id & in hoc mundo frequenter homini obstinato, cum diuina vltione inuoluitur alicui malo, vnde nulla se ratione extricare potest, dumque subito & præter opinionem à morte corporali præoccupatur, à qua non est recuperatio: Sed terribilius & perfectius id impletur, cum æternæ damnationis interitus ei inexpectatus adest, à quo nulla se ratione eximere vnquam poterit. Et merito illum excipit interitus, quem sanitas non sequitur. Ad hoc enim correptus est, vt interitum imminentem præuideret, sicque eum effugeret, & à suo malo curaretur. Quia ergo præuidere noluit & effugere interitum, merito ei inexpectatus superuenit: & quia cũ sanari posset, medicinam salutarem non recepit, cum sanari volet, sanitatem non consequetur. Cæterum qui adhuc medicinam admittit & moneri se patitur, quoniam de eo adhuc multum est spei, Dei benignitate expectatur ad pœnitentiam, nec ei interitus superueniet repentinus. Notãdum autem quod cum nos habemus, & eum sanitas non sequetur relatiuum eum, potest referri vel ad interitum vt significetur interitum illum esse insanabilem, vt supra expositum est, vel ad hominem obstinatum, vt significetur hominem illum esse insanabilem. Quod dupliciter accipi potest, videlicet vt vel significetur eum non sanãdum à suo interitu, vel significetur eum qui contẽnit correptiones, nunquam facilè sanandum secundum animum à suis vitiis, vt qui nõ admittat medicinam, & peccet in Spiritum sanctum in quem qui peccat non consequetur remissionem nec in hoc seculo, nec in futuro iuxta verbum Domini. Matt. 12

2 *In multiplicatione iustorum lætabitur populus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus.*

similis

SIMILIS est sententia cum aliquot præcedentibus, maximè in præcedenti capite. Docens item quanti referat, qui in republica præsint. Siquidem in multiplicatione iustorũ, hoc est, cum iusti multiplicantur (quod iuxta præcedentes sententias non fit nisi piis regnãtibus) tunc lætabitur populus, quòd per iustitiam & pietatem regnantium in multa viuat pace & securitate, liber ab iniustis oneribus. Contra cum impij sumpserint principatum, gemet populus, nimirum quod opprimatur iniquis legibus, exactionibus grauibus, multitudine iniquorum vbique impune lædẽtium. Et bene dicit gemet quasi insinuet, eum nec audere contra mutire & palam murmurare, nec habere ad quem possit confugere & suas querimonias deponere, aut opem implorare. Ex his tamen quæ his nostris temporibus experimur fieri in multis locis, videri posset hęc Sapientis sententia non esse vera. Videmus enim in multis locis Respublicas ex magna parte gaudere in principibus suis impiis, qui catholicam fidem impugnant, & auitas, patrum traditiones abolent, catholicos pios persequẽtes, & dolẽt quòd Catholici præsint, per quos iusti multiplicantur. Sed hæc sententia, non tam quid semper fiat, quam quid meritò fieri deberet, semper ostendit. Deinde loquitur Sapiens de populo bene instituto, & rationis ducẽtum sequente, nec erroribus à veritate abducto, & qui necdum sensu ita destitutus est, vt malum suum non sentiat. Nam qui gaudent cũ impij regnant, ita sunt excæcati, vt quæ pia sunt, impia ducant, & contra vocent impietatem, pietatem, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Esai.5.

3 *Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.*

MVLTI libri habent, scortum, sed præferenda est lectio pluralis, quæ est in correctioribus, quòd consentiat ea cum Græcis & Hebræis, Quo numero bene significatur libidinem vagam esse & inexplebilẽ. Pro (nutrit) etiam verti potest qui amicus est scortorum. Nam dictio Hebraica & amicum significat & pastorem. Et est elegantior & clarior oppositio inter amantem sapientiam & amantem scorta. Duo enim insinuantur amores, alter spiritualis, quo quis sapientiam sibi velut in sponsam deligit, iuxta illud quod supra dixit capite 7. Dic sapiẽtiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, &c. Alter carnalis quo quis scortis adhæret. Dicit ergo: Vir qui pro amica sua habet sapientiam, quoniam per eam non nisi quæ sunt honesta amabit & faciet, non tãtum sibi bene facit, sed lætitia etiam afficit patrem suum, qui gaudet se nõ frustra laborasse & habere cui labores suos & bona bene dispensanda relinquat. Contra qui alit scorta, ea amans, eis addictus, perdet substantiam suam & bona quæ à patre accepit. Non enim mediocri sumptu aluntur scorta, sed oportet multum habere Thaydem, vnde de filio prodigo dictum est in Euangelio, quod consumpsit omnem substantiam suam, viuendo cum meretricibus luxuriose. Luc. 15.

4 *Rex iustus erigit terram, vir auarus destruit eam.*

MVLTIS sententiis Reges & Principes commonefacit iustitiæ exercendæ & auaritiæ cauendæ, quòd ab his pendeat salus Reipublicæ. Rex iustus, inquit erigit, per iustitiam scilicet terram, hoc est ditionem suam & regionẽ, etiamsi prius collapsa fuerit in bonum ac firmum constituet statum, constituendo scilicet bonas leges, iuste iudicando, & iustitiam exercendo contra malos ad defensionem iustorum. Contra vir auarus qui munera diligit & opes quærit, regionem etiam optimè constitutam & florentem destruit, dum propter munera peruersè iudicat, iniquas leges condit, bonos opprimit & opprimi sinit. Est enim Hebręis pro, vir auarus, vir munerum, hoc est, qui munera diligit, & in iudicio peruersè iudicat. Perfectè autem hæc generalis sententia, Christo eiusque aduersario Sathanæ accõmodabitur. Ille enim rex regum iustissimus vniuersam terram peccato Adæ cæterorumque hominum mirè desolatam & collapsam egregiè erexit, regnum suum in iustitia; stabiliendo in terra, quam auarus ille leo qui semper circumit quærens quem deuoret & nunquam satiatur, destruxit, & semper destruere conatur corrumpendo homines & iustitiæ regnum, quantum in se est.

5 *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.*

QVIDAM libri habent, gressibus suis quidam gressibus eius, & vtrumque verti potest ex Hebræo. Et si quidem legatur gressibus suis, significatur hominẽ qui alium blãditiis capere conatur, sibimet rete quo inuoluatur parare, iuxta illud: Incidet in foueã quam fecit. Quem sensum secuti sunt Septuaginta, sicut & Beda meminit. Sic enim est Græcis, Qui parat in faciem amici sui rete, circundat illud pedibus suis. Si verò legatur gressibus eius, vt magis legendum est, quomodo & alij omnes vertunt, significatur hominem qui blandis sermonibus ficto animo loquitur amico vel proximo suo, perinde facere ac si rete expanderet gressibus eius, quia scilicet studet illis verbis eum decipere, deceptumque perdere. Deinde insinuatur quam noxij sint tales homines, & quam sit à talibus vnicuique cauendum, vt qui tales se præbeant erga amicos suos & proximos, quales se præbent aucupes erga aues ac venatores erga feras. Quasi dicat: Cum te blandè quis aggreditur, ne statim ei credas, time subesse fraudem ac quasi rete expansum esse gressibus tuis, hoc est, id agi vt decipiaris, cadas & in potestatem alterius incidas. Accommodari hoc potest Sathanæ, qui cum blandis suis suggestionibus homini loquitur tanquam amico suo, nihil aliud facit quam quod rete expandit gressibus eius, cupiens impedire progressum eius in virtutibus, & in suam redactum potestatem, pertrahere secum in damnationem. Idem omnes adulatores ministros diaboli Psalm.7.

boli competit, qui dum laudant hominem in vitiis suis, non secus quam si reti, inuoluerent eius pedes, sicque impedirent gressus eius, ita & ipsi impediunt quominus progrediatur & ambulet in via virtutis. Et de hæreticis dicit Paulus: Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Rom.16.

6 *Pecantem virum iniquum in voluet laqueus, & iustus laudabit & gaudebit.*

MVLTI libri male habent laudabitur, cum certum sit legendum esse laudabit. Sic enim Hebræa habent, & correctiores libri, & sic legisse Bedã constat ex commentario: Gaudentibus, inquit, iustis & rectum conditoris iudicium laudantibus. Priorem partẽ eleganter vertit interpres cum ad verbum habeant Hebræa, In peccato viri est malus laqueus, hoc est, per peccatum viri iniqui incidit ipse in laquũ, pro quo bene versum est, Peccãtem virum iniquum inuoluet laqueus. Quod potest intelligi vel de laqueo quem vir iniquus parauit alteri cui posuit insidias studens illum decipere, vt cum superiori versu cohæreat, & significetur eum qui rete expandit alterius gressibus inuoluẽdũ laqueo quem alteri struxit, iuxtà illud Psalm. In laqueo isto quem abscõderunt, comprehensus est pes eorum. Iuxta quem sensum quod sequitur & iustus laudabit & gaudebit, sic consequenter intelligitur. Iustus videns se Dei gratia liberatum à malo sibi parato, in quod impius inuolutus est, laudabit Deum & gaudebit duplici nomine, nempe & propter suam liberationem, & propter iustam impij vltionem. Iuxta illud: Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Potest & aliter intelligi generaliter de laqueo, quem iniquus suis sibi struit peccatis, iuxta illud supra cap. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, vt per laqueum significentur mala quæ obueniunt impio eúmque sic inuoluunt, vt se eximere non valeat, tum hic, tum post hanc vitam. Iam quod sequitur de laude & gaudio iusti, accipiendum est illum laudaturum Deum & gauisurum, tum quod Dei gratia non inciderit in ea mala quæ meretur impius, tum quod econtra per Dei gratiam multa consecutus sit bona. Itaque quod dicere vult tale est. Peccatorem ob peccata sua inuenient mala, & ideo gemet, iustus autem à malis liber & Dei beneficiis donatus laudabit Deum & gaudebit. Pfal.9. Psal.57.

7 *Nouit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam.*

NON de quauis causa vel de quouis negocio pauperum hic est sermo, sed de causa controuersa quam habent in iudicio contra oppressores pauperum, vt patet ex dictione Hebræa, quæ litem & iudicium vel cõtrouersiam significat. Horum causam conqueritur dominus negligi à quibusdam iudicibus, dicens: Pupillo non iudicant & causa viduæ non ingreditur ad eos. Vnde in Psalmo præcipit: Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Quamuis enim præcipiat in Leuitico, vt in iudicando non consideretur persona pauperis, hoc est, vt ne intuitu pupertatis aliter iudicetur quam res postulat, vult tamen, vt ne quoniam munera dare non possunt, eorum causa negligatur, postponatur indiscussa, & post discussionem non iudicata remaneat, sed propter eorum paupertatẽ diligens habeatur cura causæ eorum, vt scilicet ea bene intelligatur, eaque intellecta, iusta pro eis proferatur sententia, atque ab iniuria liberentur. In horum enim causa solicitum esse declarat iudicis æquitatem, cum in diuitum causa esse solicitum suspitionem præbere possit expectati lucri & muneris. Dicit ergo iustum sic nosse causam pauperum curam scilicet eius habendo. Quod non solũ ad iustum pertinet iudicẽ, sed & ad quemuis alium iustum cui curæ est nosse causam pauperum, vt eam vel suo consilio vel patrocinio promoueat & adiuuet. Sic se feciſſe Iob testatur: Pater, inquit, eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabã. Impius autem qui munera tantum sectatur, quique nulla erga pauperes pietate mouetur ignorat hanc scientiam causæ pauperum, hoc est, non curat habere cognitionem causæ eorum, nihil pensi habet, quo in statu sit & quomodo se habeat causa pauperum, magis occupatur in causa diuitum promouenda. Leuit.19. Iob.19.

8 *Homines pestilentes dissipant ciuitatem, Sapientes verò auertunt furorem.*

PRO pestilentes hic rursum Hebræis est eadictio, quæ propriè significat derisores, sed quam interpres nonnunquam vertit pestilentes, Et pro dissipant, verbum Hebraicum vertunt alij, illaqueabunt, vt significetur homines derisores, hoc est, qui pietatem ac salutaria monita rident & contemnunt, ciuitatem sæpè inuoluere multis malis. Interpres alteram verbi significationem est secutus, qua significat, flare, & sensus eodem redit: Sunt enim omnes derisores homines pestilentes omnesque pernicioli. Hi ergo dissipant ciuitatem, quia euertunt & dissoluunt bonum reipublicæ statum, pacem & religionem, faciuntque vt vel principum suorum vel Dei vltione grauiter puniantur, idque vel suis prauis consiliis quæ suggerunt ciuitati, vel seditionibus quas in ea excitant, vel noxiis suis exemplis, quibus multos corrumpunt, vel denique praua & pestilenti sua doctrina quam in illa disseminant. Contra, Sapientes auertunt à ciuitate furorem, tum Dei, tum principum, qua sua sapientia & bonis exemplis sic instituunt ciuitatem, vt non sit cur Deus aut principes illam grauiter puniant, suaque prudenti satisfactione & precibus offensum Deũ aut principem placant. Docet ergo & hac sententia Sapiens, quantum incommodi nequitia, quantum commodi sapientia ciuitatibus adferat. Exempla habet vetus testamentum plurima. Nam Seba filius Bochri sua seditione suaque superbia subiecit ciuitatem Abela magno subuersionis periculo quam mulier quædam sapiens liberauit ab obsidione compescendo furorem Ioab volentis ciuitatem Esaiæ.1. 2. Reg 20.

té demoliri. Moyses item & Aarõ sæpe auerterũt iram Dei à populo. Sic & Phinees auertit furorem Domini à filiis Israel, cõtra quos homines quidam pestilentes Deum ad iram pro
Num.25 uocauerunt.

9 Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur siue rideat, non inueniet requiem.

PRo si cum stulto contenderit, Hebræis est, iudicatus cum viro stulto, hoc est, qui in iudicio cum illo litigat, quamquam & qui extra iudicium forense de aliqua re cum alio disceptat, etiam cum illo iudicatur, proinde bene vertit interpres generaliter, Si contenderit cum stulto. Si ergo sapientem, siue in iudicio, siue extra iudicium disceptare contigerit cum viro stulto, hoc est, homine improbo siue irascatur, siue rideat, hoc est, siue serio agat, siue ioco, siue seriis verbis iustam suam indignationem ostendat siue ridendo declaret se contemnere illius improbitatem, siue durè cum illo agat, siue blandè & benignè, non inueniet requiem, id est, non facilè ab illo liberabitur, non facilè illis satisfaciet, vt ab illius impetitione sit habiturus quieté. Prouerbiũ docet stultũ & improbũ esse implacabilé & incorrigibilé. Proinde insinuat sapiẽtibus cautè declinandum esse à contentionibus cum stultis. Declaratum est istud in Pharisæis cum quibus Dominus contendens, nunquam potuit quietem ab eis obtinere, cum nunc durè eos incesseret, nunc blandè eis satisfacere studeret. Sunt qui verba, Irascatur & rideat referunt ad stultum, vt significetur eum vel ira commouendum vel derisurum sapientem, proinde hunc non habiturum finem, nec placaturum stultum. At prior sensus Hebræis magis conuenit.

10 Viri sanguinum oderunt simplicem, iusti autem quærunt animam eius.

VIri sanguinum hebraica phrasi sunt homines sanguinarij qui parui faciunt hominis sanguinem effundere, ac delectantur perditissima vita. Tales sic oderunt simplicem hoc est integrum & perfectum tanquam ipsorum moribus contrarium & illorum in uriæ expositum, vt eius vitæ insidientur. At contra iusti quærunt animam eius, hoc est, student vitæ eius conseruandæ. Sic enim hebraica phrasi accipitur quærere animam alicuius vt in Psalmo. Non est qui requirat animam
Psal. 141. meam. Aliquando tamen contrario modo accipitur pro studere aliquem perdere vt in psal. alio. Synagoga potentium quæsierunt animã
Psal.53. meam, scilicet ad perdendum. Docet sententia quam contrarium sit studium iustorum studio sceleratorum, quódque impiis eorum in simplices conatibus semper studeant obsistere. Sunt qui intelligunt quærere animam simplicis positum pro studere vlcisci effusum sanguinem innocentis, quod est iusti iudicis officium, sicut in scripturis accipitur sæpe requirere sanguinem alicuius.

11 Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt & reseruat imposterum.

SECVNDAM partem sic habent hebræa, sapiens in posterum quiescere facit eum scilicet spiritum, quod non est aliud quam reseruare & differre spiritum suum in posterum, hoc est, in futurum tempus. Porro proferre spiritum suum quod stulto tribuitur duobus modis contingit. Primum verbo & sermone. Sic totum spiritum profert stultus, quia quicquid animo concipit, omniaque secreta animi sui statim prodit & eloquitur, quod magnum stultitiæ est argumentum. Contra sapiens non statim, quod nouit & concipit, profert in lucem eloquendo, sed reseruat dicendum suo tempore opportuno. Sic dicitur Eccl.20
in Ecclesiastico. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, lasciuus autem & imprudens nõ seruabit tempus. Secundo contingit spiritum suum proferre, ipso opere, dum scilicet quis affectus animi sui ipso opere perficit ac manifestat. Sic quoque totum spiritum suum profert stultus, quia mox quicquid desiderat & appetit opere adimplet, non perpendens nũ honestum sit & conueniens an non, nec refrenãs suas affectiões & desideria sed ea mox opere ostentans: Contra iustus spiritum suum prohibet, reprimit & quiescere facit affectiones suas, sic vt non statim eas opere proferat sed cum præuia deliberatione suo tempore. De altero horum modorum vel de vtroque simul hæc sententia accipi potest, quamuis propter illud quod in secundo membro dicitur, in posterum, magis conueniat accipere de priori modo proferendi. Nisi dicere velimus singulariter istud dictum de spiritu iræ quam statim verbis & factis stultus declarat, cum sapiens eam refrenet vt suo eam tempore proferat, vt conueniat hæc sententia cum illa cap.12. Fatuus statim indicat iram suã, qui auté dissimulat iniuriam callidus est. Certe in hunc sensum intelligit Beda citans etiam antiquam translationem quæ est. 70. & habet, totam iram suam profert stultus, sapiens auté dispẽsat per partes. Græcis enim est θύμον quod tamen non solum significat iram sed & animum. At hebræa dictio nõ significat iram, sed tantum spiritum.

12 Princeps qui lubenter audit verba mendacis omnes ministros habet impios.

PROVERBIVM insinuat à principe pendere quales habeat ministros iuxta illud Ecclesiastici 10. Secundum iudicem populi sic & ministri eius. Cæterum verba mendacij quibus quidam principes lubenter auscultãt sunt adulationes, quibus falso laudantur quædam in principibus. Item detractiones quibus detrahitur falso innoxijs & piis, deinde praua consilia quæ tanquam salutaria suggeruntur. Præterea praua & falsa in religione doctrina & si quæ sint similia. Huiusmodi qui lubenter audit princeps, habebit omnes ministros impios, tum quia ministri studentes suo principi placere, talia auribus eius adferent qualibus illum delectari sciũt, & etiamsi prius tales non erant, efficientur impij ex ipsius ministerio

nisterio dum se illi accommodant. Docet ipsa experientia quotidiana nimium verum esse quod hic dicitur, quamquam nonnunquam fiat, vt inter ministros impij principis pius quispiam inueniatur, vt quod dicitur omnes ministros intelligendum sit, vt multa similia, omnes ferè.

13 Pauper & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Dominus.

QVIDAM pro creditore vertunt ex Hebræo virum fractum, hoc est, qui passus est multa damna, intelliguntque dominum illuminare vtrumque, scilicet & eum qui paupertatem fert, & eum qui contritus est & afflictus, quod vtrumque sua gratia & consolatione recreet. Verum cum hæc sententia similis sit illi quæ est supra cap.22. Diues & pauper obuiauerũt sibi, vtriusque operator est dominus, magis est verisimile cum paupere hic cõiungi alium qui diuersæ sit conditionis à paupere. Itaque cum Hebraica dictio significet vsuras aut fraudes, bene vertit interpres pauper & creditor. Pauper scilicet qui debitor est & in ære eius est à quo accepit mutuum, aut qui quærit aliquem à quo mutuet, Et creditor qui pauperi dedit sub vsuris & fœnore mutuum, vel qui paratus est mutuare. Vnde Septuaginta vertũt δανειστοῦ καὶ χρεωφειλέτου ἀλλήλοις συνελθόντων hoc est, fæneratore & debitore inter se conuenientibus. Significat ergo hæc parabola si ad illam superiorem conferatur, pauperem debitorem & creditorem eius diuersæ conditionis homines, vbique reperiri, vbique sibi mutuo occurrere, plenum esse mũdũ hominibus diuersæ fortunæ, aut vnum alterũ quærere, vnum vt mutuum accipiat alterum vt mutuum det. Verum quantumuis conditione sint dissimiles isti, vtriusque tamen æquè illuminator est dominus, hoc est, vtriusque similiter donat huius lucis aura frui, vtrisque vitam impertit vnus & idem dominus Quo tectè significat, occulto domini vniuersorum iudicio, diuersas illas fortunas hominibus obtingere, eumque qui vtrumque illuminat, vtrumque etiam videre, & obseruare, & proinde secundũ merita remuneraturum, vnius quidem patientiam, alterius verò crudelitatem & inclementiam. Vt enim sic putẽ intelligendum quod hic dicitur vtriusque illuminator, vel vt habent Hebrea, oculos vtriusque illuminans est dominus, multum mouet quod pro isto in altera simili sententia dicitur vtriusque operator est dominus, vel vt habent Hebræa creator. Septuaginta non dissimilem habent sensum. Sic enim habent: Fœneratore & debitore inter se conueniẽtibus, inspectionem vtriusque faciet dominus. Vbi notandũ quid Septuaginta intellexerint pauperem & creditorem obuiare sibi, nempe illos inter se conuenire, vnum quidem vt mutuo accipiat, alterum vt mutuum det, atque ex illius inopia lucrum faciat. Potest illud, vtriusque illuminator est dominus etiam accipi, vt significetur Deum vtrumque recreare & sui voti compotem efficere, illum mutuum accipiendo, istũ dando mutuum.

14 Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.

IVDICARE in veritate, est iudicare in æquitate. Nam veritas in scripturis sæpe ponitur pro æquitate. Iudicare pauperes est iudicium ferre pro pauperibus, hoc est, afflictis & humilibus, qui nec sese defendere satis possunt, nec facilè patronos inueniunt. Tale iudicium à regibus exigit potissimum, quamuis & illorum sit pro diuitibus in æquitate iudicium ferre, quod pauperes maximè iniuriã patiantur, ob quam regum opem implorare debeant, quodque magis periculum sit ne eorum causa negligatur aut inuertatur. Regi autem tale iudicium tribuit quod iudicare præcipuum sit regum officium, quod & per se olim magis quam nunc obire consueuerunt. Ei ergo regi qui pro officio iudicat in æquitate pauperes promittitur, quod solium eius regium firmabitur in æternum hoc est, in longum tempus. Sic enim æternum sæpe accipi debet in scripturis, quia dictio Hebraica non semper æternitatem, sed diuturnitatem sæpe significat. Regis ergo iusti thronus in æternum firmatur, quia & ipse meretur longam in regno vitã, & meretur vt in filiis suis diu perseueret. Contra verò, vt inquit Demosthenes. Potentia, perfidia, & iniuriis parta non potest esse diuturna. Iuxta mysticum sensum Rex iste peculiariter Christus est, qui quoniam iudicauit pro pauperibus iusto iudicio, humiliando calumniatorem humani generis diabolum, regnum meruit sempiternum, iuxta illud: Se Psal. 44.
des tua Deus in seculum seculi, dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus.

15 Virga atque correctio tribuit sapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.

SENTENTIA docet quid boni correctio, quid mali neglectus correctionis adferat pueris & iuuenibus, & conuenit prior pars cum eo quod supra habitum est cap.22. Stultitia colligata est in corde pueri & virga disciplinæ fugabit eam. Virga enim & correctio tribuunt sapientiam, quia incutiunt timorem, qui & expellit stultitiam & pro ea sensim inducit sapientiam, efficiens vt placeant recta quæ prius displicuerũt, & displiceant mala & vana quæ prius placuerunt: Duo autem dicit, virgam scilicet & correctionem, vel vt habent Hebræa increpationem, quorum vnum in verberibus, alterum in verbis consistit, significans nunc verbis, nunc verberibus pueros cohibendos. Quæ duo non tãtum pueris, de quibus hic potissimum sermo est, sed & viris maxime pueriliter viuentibus, sunt necessaria, vt scilicet & flagellis diuinæ iustitiæ, & castigatione prædicationis ac doctrinæ sapientium ad virtutem adigantur, Puer autem qui sine castigatione dimittitur, vt quælibet ei in omnibus faciat, per insipientiam suam & vitia in quæ prolabetur, aliquando magno pudore afficiet matrem suam. Matris autem potissimum meminit, tum quod
ad eam

ad eam præcipuè pertinet recta educatio liberorum in pueritia,tum quòd matres maximè proclives soleant indulgere, vt quarum vitia nec ipsæ volunt sæpè punirenec patribus significare. Itaque hoc duplici nomine etiam confusio adeas maxim è pertinet.

16 In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera,& iusti ruinas eorum videbunt.

PROVERBIVM indicat vim impietatis, sed adiuncta iustorum consolatione. In multiplicatione, inquit,impiorum,hoc est, cum multiplicantur impij, vel per multiplicationem impiorum, magis semper ac magis multiplicabuntur scelera, qua se impij ad scelera prouocant,& quo sunt plures eo fiunt audaciores & fortiores, vt nec erubescant de suis sceleribus,nec coerceri facilè possint, oppressis scilicet iustis & latentibus. Verum ne hæc videntes iusti nimis turbentur aut animum despondeant:Nam cum ita multiplicata fuerint eorum mala vt impleta sit mensura peccatorum, iusti eorum ruinas & perditiones videbunt,hoc est,non ita multiplicabuntur scelera, vt omnem iustitiam & iustum tollant,nec multiplicatione sua robur & diutur nitatem obtinebunt. Manebunt superstites iusti atque iidem illi qui cum dolore viderũt impios dominari & impune peccare,suis oculis videbunt cum gaudio illos deiici & iustas luere pœnas.Cum enim dicitur, videbũt ruinas eorum non simplicem innuit visionẽ sed talem cui voluptates quædam coniuncta sit quam sancti habent ex contemplatione diuinæ iustitiæ,quemadmodum & in aliis similibus scripturæ locis,vt in Psalmis. Cum perierint peccatores videbis.Et alibi:Despexit(pro quo hebræis est, videbit)oculus meus inimicos meos.Et Esaiæ vltimo dicitur de iustis: Egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me.Vident autem iusti ruinas impiorum & frequenter in hoc mundo, & perfectius post hanc vitam in futura impiorum damnatione.

Psal.36. & 91. Esa.66.

17 Erudi filium tuum & refrigerabit te,& dabit delitias animæ tuæ.

MVLTIS sententiis parentes inuitat Sapiens,tum ad rectam institutionem & eruditionem,tum ad castigationem prolium, quòd res sit magni momenti à qua & proliũ & parẽtum pendet fœlicitas. Erudi(inquit)filium tuum, & instituendo eum bonis doctrinis & castigando eum cum opus est. Vtrunq; enim significat dictio Hebraica יסר Iasser & Græca παιδεύω instituere scilicet & castigare, nec vnum sine altero bene constat. Et quamuis vtrumque horum cum labore fiat ac molestia, postea tamen,inquit, senties istinc refrigerium & voluptatem.Qui in erudiendo causa tibi fuit laboris & tædij,posteà Sapiens effectus refrigerabit te, aut vt habent Græca & Hebræa quiescere te faciet, hoc est, securum te faciet & quietum,vt pro eo nõ sis deinceps anxie solicitus,nec tantum quietem aut refrigerium laborum,sed etiam dabit delicias animæ tuæ,hoc est,voluptatem,quæ non tam cor pus quam mentem exhilarabit.Nam vt iam sæpe dictum est, Filius sapiens lætificat patrem.

18 Cum Profetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.

PRO prophetia,Hebræis est visio,Sic enim antiquitus prophetia solet vocari & propheta videns, vt est 2.Regum 9.eo quod in visionibus prophetæ diuinas exciperent reuelationes & oracula. Illis enim temporibus suam volũtatem Deus per prophetas, quos subinde ad hoc excitauit, quosq; per visiones & reuelationes instruxit,populo Iudaico insinuauit. Nihilominus cessantibus illis visionib. & priè dictis prophetiis sub nomine prophetiæ simul oportet intelligere eũ doctrinæ modũ, quo nõ sine Dei gratia ex traditionibus patrũ & scripturis sacris populũ docent qui ad hoc vocantur,& ex officio coguntur, quemadmodum & Paulus loquitur de prophetis qui scripturas sacras iuxta Dei spiritum,& ex Dei spiritu enarrant.Quibus præmissis sciendũ priorem huius prouerbij partem duobus modis intelligi posse,Primum vt sit sensus,populum dissipandum cum prophetiam, hoc est, prophetarũ oracula & in illorum locum cõcionatorũ sacram doctrinã recipere recusabunt, vt deficere prophetiã sit eam amplius nõ admitti nec recipi.Cum enim hoc fit,tum necesse est vt populus dissipetur, hoc est, dispergatur in varios errores & sectas, ac separetur à vera religione & pietate.Sic intellexisse Lyranum patet ex commentario qui sic habet. Sicut patet de populo Iudæorum qui dissipatus est per orbem terrarum, eo quod abiecerit à se doctrinam Christi,Apostolorum, & aliorum doctorum. Cui intelligentiæ bene conuenit, quod sequitur:Qui verò custodit legem populus scilicet,beatus est,Quasi dicat, infœlix ille populus qui prophetię & doctrinę diuinæ non vult attendere. Dissipabitur enim, beatus verò & fœlix ille populus qui legis Dei rationem, habere eamque obseruare studet.Secundo intelligi potest, vt sit hic sensus, cum demerentibus hominum peccatis, ita per diuinam vltionem fieri contigerit vt prophetia & sacra doctrina deficiat & hominibus subtrahatur, certè tunc male erit illi populo, dissipabitur & distrahetur in varios errores, sectas, vitia, & dissensiones. Est enim hæc vel maxima Dei vltio & multorum malorum in republica seminarium, quod subtrahat sinceram suæ voluntatis annunciationem. Quod demonstrat illud Esaiæ: Obstupescite & admiramini, fluctuamini & vacillate, inebriamini & non à vino, mouemini & non ab ebrietate, quia miscuit vobis Dominus spiritum soporis, Claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros qui vident visiones operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas,dicent:Lege istũ, & respondebit,non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, lege, & respondebit, nescio literas.Et post pauca:Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Et apud Amos minatur Dominus se missurum Esa.29

missurum famem in terram,non panis,sed audiendi verbum Domini. Sunt qui intelligunt propheticè hanc sententiam, vt per eam sit significatum populum Iudaicum dissipandũ per vniuersum orbem terrarum,cum oracula prophetarum,quæ de Christo sunt,essent adimpleta, quemadmodum iam euenisse videmus,Sed alienum videtur istud ab intentione scriptoris,qui non tam prædicere ventura quàm instruere voluit lectorem.

19 Seruus verbis non potest erudiri,quia quod dicis intelligit,& respondere contemnit.

LOQVITVR de seruo qui non habet nisi seruilem animum,hoc est, qui inuitus suum facit officium, de quali in Ecclesiastico Cibaria & disciplina,& onus asino,panis & disciplina,& labor seruo. Seruo maleuolo tortura & compedes.Talis ergo seruus non potest erudiri verbis,scilicet tantum,sed opus etiam sæpè est verberibus.Causamq; subiũgit nempe quod non desit ei intellectus, ob quem ingerendum verbis multis opus esset,sed tantũ voluntas quæ tantum flagris extorquenda est Quia, inquit, quod dicis ei & præcipis intelligit,& contemnit respondere,hoc est, ita se gerit quasi nõ audiuisset nèc intellexisset quod ei dicitur, nec dignatur respondere se facturum quod præcipitur. Aut quod dicis & præcipis intelligit esse sui officij,& tamen contẽnit respondere facto,hoc est,obedire. Hebræa non habent(quod dicis)sed tantum quia intelliget & non est responsio,hoc est,obedientia,pro quo Græcis est ὑπακούσεται,exaudiet.Vnde Augustinus legit. Verbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit non obediet.Epist.48.& 50.quibus locis hac sententia vtitur contra eorum sententiam, qui verbis tantum agendum putant contra hæreticos,non etiam pœnarum metu. Sic enim habet epistola 50,Proponunt nobis quidem sententiam secularis authoris, qui dixit. Pudore & liberalitate liberos retinere, satius esse credo quam metu.Hoc quidem verum est,sed sicut meliores sunt quos dirigit amorita plures sunt quos corrigit timor. Nam vt de ipso authore istis respondeatur, apud illum etiam legunt.Tu nisi malo coactus,rectè facere nescis. Porro autem diuina scriptura & propter illos meliores dixit, Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorẽ. Et propter hos inferiores,qui plures sunt, ait: Verbis non emendabitur seruus durus. Si enim & intellexerit, non obediet.Cum dixit, Verbis eum non emendari,non eum iussit deseri, sed tacitè admonuit vnde debuit emendari.Alioqui non diceret,Verbis non emendabitur,sed tantummodo diceret.Non emendabitur.Hæc ille. Iuxta mysticum sensum accõmodari potest hæc sententia seruis peccati, hoc est, qui se dediderunt ab obsequendum suis cupiditatibus. Talibus frequenter non deest intelligentia faciendorum, intelligunt quod eis dicitur à concionatoribus, sed contemnunt dictis respondere facto.Vnde verba sola illis plerunque non sufficiunt vt erudiantur,sed opus est diuinis flagellis, quia sola vexatio dabit intellectum auditui.

Eccl. 33.

Augusti.

Teret in Edelph.

Esa.28.

20 Vidi hominem velocem ad loquendum:stultitia magis speranda est quam illius correctio.

SECVNDAM partem hebræa sic habent, spes est de stulto magis quam de illo, eodem scilicet modo quo supra in simili sententia quæ est cap.26.vbi nos habemus. Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Quomodo & Græca habẽt hoc loco: Cæterum quod dicitur de homine veloce ad loquendum,intelligi potest dictum in genere de hominibus futilibus, vaniloquis & garrulis, qui nimis præcipites sunt ad effutiendum quicquid venit in buccam, priusquã bene expendant quid dicant & quo loco vel quo tempore, quique respondent, priusquam bene quod eis dicitur intellexerint, de qualibus rectè dicitur quod maior sit spes de stulto quam de eis,vel quod stultitia sit magis speranda hoc est,expectanda ab illis quam illorũ correctio, quia loquaces & garruli non facile corriguntur, & pleráque dicunt, per quæ eorum stultitia magis ac magis semper prodatur,quia etiam cum admonentur interrumpunt sermonem, respondentes antequam ꝙ dicitur intelligant. Vnde Iacobus diligenter monet, vt sit omnis homo velox ad audiendum,tardus autem ad loquendum,& in Ecclesiast.dicitur,Noli esse citatus in lingua tua, & alibi.Est tacens qui inuenitur sapiens,& est odibilis qui procax est ad loquendum. Homo sapiens tacebit ad tempus, lasciuus autem & imprudens non seruabit tempus.Singulariter tamen videtur, hanc sententiam dictam contra eos qui quia sibi sapere videntur,præcipites sunt ad dicendum in quauis causa proposita suum iudicium, non expectata aliorum sententia, nec causa prius bene discussa, vt quadret in sensu cum sententia illa superiori huic simili. Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens vel magis est de stulto spes quam de illo: Qui enim sapiens est in oculis suis, sententiam suã proferre festinat quasi cæteris præferendam, nec putat sibi diu pro responsione deliberandum,aut aliorum audiendum iudicium.A tali nihil magis expectandum quam vt stultitiam suam magis manifestet. Beda nostræ lectionis alium indicat sensum qui cum hebræa & Græca lectione consentiat magis,vt stultitia intelligatur speranda quia ipsa de se spem præbet, & sit sensus,stultitia ipsa in stultis hominibus maiorem de se spem præbeat quod corrigi poterit, quam præbeat spem illius correctio. Sic enim habet: Graue quidem vitium stultitiæ, sed non leuius est verbositatis.Nam sæpe contingit vt idiota aliquis & ipsarum quoque nescius literarum citius verba salutiferæ correctionis accipiat, quam is qui affluẽtia præditus sermonis,magis suaq; nouit vel quæ se nosse autumat, iactãter proferre quam dicta sapientium audire contendit.Ex quo commentario videndum num Beda legerit stultitiæ magis speranda est quam illius correctio, vt sit sensus magis speranda est correctio stultitiæ quam correctio illius hoc enim commentarius indicat, & cum Hebræis Græcisque omnino conuenit. Alioqui iuxta sensum dictũ coactius intelligendũ est

Iacob.1. Eccle.10 Eccle.4

21 *Qui delicate à pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem.*

PRO postea sentiet eum cõtumacem, hebræis est postea erit filius, quo non aliud significatur, quam insolescet, superbiet & pro filio se gerere volet, proinde bene vertit sensum reddens non verba interpres noster, postea sentiet eum contumacem. Docet autem quotidiana experientia verum esse quod dicit prouerbiũ iuxta sensum historicum. Eum scilicet qui seruo suo nimis est familiaris nimisque indulget, delitiis ciborum eum nutriens & vestitus splendore ornans, ac otium ei permittens, postea pro præstitis beneficiis experiri illum sibi magis rebellem, proinde subindicat prouerbium patresfamilias diligenter circũspicere debere, vt sic à principio agant cum seruis suis, vt sibi quam maximè vtiles & morigeros habeant. Indicat prouerbium eos qui ignobilis sunt cõditionis & animi, prosperam fortunam ferre non posse eaque abuti ad insolentiam & superbiam. Videre est istud in populo Iudaico qui cum seruilis esset conditionis de seruitute AEgyptiaca liberatus, post multa ac magna beneficia, quibus ab exitu de Aegypto fuit affectus, factus est cõtumax & rebellis iuxta vaticinium Moysis in suo cantico. Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Conuenit cum isto illud Poetæ. Sæpe patrum segnes facit indulgentia natos. Iuxta mysticum autem sensum significatur eum qui corpori suo, quod spiritui seruire debet, nimis indulget, postea illud experiri in se rebelle spiritui lasciuosum & indomabile, & ob id diligenter curandum ne delicate à pueritia nutriatur, & secundum Pauli præceptum, carnis curam nõ faciamus in desideriis, sed timitemur eum dicentem, castigo corpus meum & in seruitutem redigo.

Deut. 32.
Rom. 13
1. Cor. 9.

22 *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata procliuior.*

PRIOR pars etiam supra est habita cap. 15. posterior pars hebræis breuior est. Habent enim, & vir furoris multus transgressione, hoc est, frequenter peccat qui iræ obnoxius est. Atque hoc est quod noster vertit. Qui facilis est ad indignandum, erit procliuior ad peccata, hoc est, facilius ruet in varia peccata, nẽpe in murmurationes, vindictæ cogitationes vociferationes indecoras, iurgia, manuum iniectiones, vltionem & his similia. Proinde prouerbium hoc dum indicat iracundiæ malum monet studendum esse vt hoc malum cohibeatur, quod si dominetur, seminarium est vitiorum multorum. Ira enim viri, inquit Iacobus, iustitiam Dei non operatur.

Iacob. 1.
Luc. 15. & 8.

23 *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.*

CONVENIT hæc sententia cum illo Euangelico: Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur, Prior pars conuenit cum illo quod habitum est supra cap. 16. Cõtritionem præcedit superbia & ante ruinam exaltabitur spiritus. Posterior pars cum illo Iob: Qui humiliauerit se, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos suos, saluabitur. Vtrũque complexus est & supra cap. 18. Antequam conteratur exaltatur cor, & antequam glorificetur humiliatur. Habent tamen Hebræa priorem partem cum maiori significatione. Sic enim est, Superbia hominis humiliabit eum, vt significetur ipsam superbiam causam esse sequentis humilitatis, hoc est, humiliationis & depressionis. Sic enim nomen humilitatis accipi debet in priori parte, non vt virtutẽ significet sicut significat in secunda parte, quia adiicitur spiritus. Humilitas enim opponitur gloriæ, sed humilitas spiritui superbiæ. Hæc autem humiliatio & gloria obtingit superbis & humilibus spiritu, frequenter etiã in hac vita, semper autem & perfectissimè in futura.

Iob. 22.

24 *Qui cum fure partitur, odit animam suam, adiurantem audit & non indicat.*

PROPRIE loquendo is partitur cum fure qui cum eo partem accipit rei alienæ, atq; id significat tum Hebræa, tum Græca dictio. Talis particeps furti odit animam suam, quòd lucrum temporale adeò amet, vt ob id non dubitet animam suam & seipsum infamiæ, & damnationi reddere obnoxium. Generaliter tamẽ partiri cum fure dicitur qui quouis modo illi cooperatur, quod decem modis hic à Lyrano positis fieri potest, qui his versibus comprehenduntur. Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus. Participans, mutus, nõ obstans, non manifestans. Qui & illa sententia Psal. manifestius includuntur. Si videbas furem, currebas cum eo. Cæterum quod ad secundã partem attinet, in qua quidam vertũt pro adiurantem, maledictionem aut execrationem, alij periurium, rectissimè nostrum interpretem vertisse adiurantem, atque hunc esse verum sensum, omnino apparet ex simili loco qui est Leuitici 5. vbi nos legimus: Si peccauerit anima & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suã Vbi iurãtis positũ est pro adiurantis. Est enim eadem dictio quæ hoc loco. Et est sensus, Si quis adiuratus & per iusiurandum vocatus, vt sit testis eorum quæ vidit & cognouit, non indicauerit, portabit iniquitatẽ suam: Ita & hic dicitur quod particeps furti etiamsi audiat eũ qui adiurat, & iureiurãdo exigit pro officio, vt furtum prodatur, non tamen indicat, ne cogatur restituere. Hebræa enim non habent præsentis temporis verba, sed futuri. Adiurantem vel adiurationem audiet & non indicabit. Significatur ergo ipsum non tantum peccare in proximum cuius rem detinet, sed in Deum, cui, adiuratus ab eo qui ex officio adiurare potest, non dat gloriam. Item in seipsum quẽ interminatæ maledictioni obnoxium facit. Græca quæ eundem habent sensum, hanc partem coniungunt cum sequenti versu. Habent enim sic: Qui participat cum fure, odit animam suam, si autem iuramento propositio qui audierunt non annuntiauerunt, timentes

Psal. 49.
Leuit. 5.

tes & verentes ipsos homines, supplantabuntur. Est autem adiurare hoc & aliis multis scripturæ locis, metu religionis & pietatis temerandæ aut vltionis vel maledictionis diuinæ incurrendæ adigere aliquem ad faciendum aliquid vel dicendum. Vnde patet adiuratum si non indicet quod nouit, & in Deum peccare & in suam animam. Quare Tobias dicit Raphaeli, Vides quomodo adiurauit me Raguel cuius adiuramentum spernere non possum.

Tob. 9.

25 *Qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in Domino subleuabitur.*

HEBRÆA in prima parte habent, Timor hominis dabit laqueum vel offendiculum, pro quo noster sæpè vertit ruinam. Et posset timor hominis generalius accipi pro metu qui est in homine, & quem homo habet, Nam talis timor multorum malorum in homine est causa cum est inordinatus, tamẽ quia homo videtur opponi domino in secundo mẽbro, sicut in sequenti sententia, magis apparet timorem hominis accipi pro eo quod homo timetur, quomodo & Septuaginta intellexerunt & noster interpres. Est autem sermo de timore hominis inordinato, quo sic scilicet timetur offensio hominis, vt ob id deseratur vitæ rectitudo. Qui enim sic timet hominem, vt eum magis metuat quam Deum, cito corruet in vitia varia, & per illa in multa & corporis & animæ mala, quibus inuoluetur eo magis, quo studuit magis placendo hominibus euitare Cum autem consequentia sermonis exigeret vt ex oppositio diceret. Qui verò timet dominum, maluit dicere. Qui sperat in domino, quòd Deo magis grata sit spes in illum, erigens hominem, quam timor deprimens. Qui ergo per spem se erigit in dominum, subleuabitur ab illo, & quasi in alto munito & tuto loco constituetur, liber ab omnibus malis in quibus ipsum aliquandiu esse contigerit, & ab illo protectus & munitus contra omnia mala. Est enim in verbo sublcuabitur metaphora sumpta à munitionibus locorum excelsorum, ad quas milites confugiunt, & recepti defenduntur.

26 *Multi requirunt faciem principis, & iudicium à domino egreditur singulorum.*

SICVT superiori sententia à timore hominum auocauit, ita hic taxat præposterum studium hominum, qui ex magna parte magis quærunt placere principibus, eisque se commendare, quam Deo à quo tamẽ omnes sunt iudicandi. Est enim phrasi Hebraica requirere faciem, ambire fauorem qui per seueritatem vultus agnoscitur, vt in Psalm. Faciem tuam domine requiram. Igitur sensus est, multi studeant placere principibus, qui tantum sunt iudices quorundam & in quibusdam causis, at multo magis quærendus esset fauor domini, vt à quo omnes & singuli sunt iudicandi. Potest & hic esse sensus, multi quærũt adire principem & in conspectum eius admitti, vt in causis suis controuersis ab illo æquum accipiant iudicium, verum omnibus sciendum est iudicium viri à Deo proficisci, qui cor regis habet in manu sua, & quocumque voluerit inclinat illud, quo etiam male iudicante, Deus tamen iudicabit pro oppressis, vt in omni negotio magis à Deo pendere debeamus, eique causas nostras omnes commendare. Hunc sensum sequuti sunt Septuaginta qui habent. Multi quærunt faciem principum, à domino autem fit viro quod iustum est. Et notant quidam hic iudicium positum pro fortuna & cõditione quæ occulto Dei iudicio cuique obtingit. Atque hunc puto verum esse huius loci sensum.

Psal. 26.
Supr. cap. 21.

27 *Abominantur iusti ulrum impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via.*

SICVT nihil est quod tam alliciat homines ad mutuam amicitiam quam morum similitudo, ita nihil est quod magis pariat odiũ quam morum dissimilitudo. Itaque & iusti impios, & hi pios abominantur. Sed hoc est differentiæ quod illi iure & merito abominantur non tam eos quam impietatem quæ est in eis isti verò sine iusta causa abominantur eos ob virtutem, ob quam potius erant diligendi. Docet sententia & pios consortia declinare impiorum, & hos illorũ, & proinde ex his à quibus diligitur & quos diligit quemque in se cognoscere posse de quorum sit numero, piorumne an impiorum.

28 *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.*

NON est hic versus apud Hebræos, nec apud Græcos, sed nec Lyranus eum attigit, nec habent eum vetera exemplaria. Est tamen pulchra coronis omnium hactenus dictorum à Salomone. Et habent aliqui libri verbum patris, At nomen patris explicandi causa additum est ab aliquo. Legit autem hunc versum D. Augustinus, sed pluribus verbis & aliter. Sic enim habet lib. de mendacio ad Cõsentium cap. 18. Verbum excipiẽs filius à perditione longè aberit, excipiens autem excipit illud sibi, & nihil falsi de ore ipsius procedit Quam sententiam eo capite prolixè prosequitur & exponit. Inuenitur autem hæc sententia simul cum iis quæ adduntur apud Augustinũ in versione Septuaginta in fine capitis 24. vbi & aliæ subiunguntur sententiæ, quæ apud Hebræos non sunt.

August.

CAPVT XXX.

1 *Verba congregantis, filij vomentis. Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui cum Deo secum morante confortatus ait.*

2 *Stultissimus sum virorũ, & sapientia hominum non est mecum.*

3 *Non didici sapientiam, & noui scientiam sanctorum.*



WALDE dissimilia sunt, quæ hoc & sequenti capite continẽtur ab his quę hactenus sunt habita, ita vt merito hæc quarta huius libri pars dici possit. Nam prima sectio ad decimum caput exte ditur secunda ad 25. proprium habens titulum Tertia & ipsa suum habet titulũ vsque ad hoc

caput, quod & ipſum peculiarem ſuam habet præfationem, de qua duplex eſt ſentētia. Nam quidam ea nomina, quæ noſter interpres vertit tanquam appellatiua, putant in Hebræis nomina eſſe propria, vertentes proinde hoc modo. Verba Agur filij Iache. Prophetiam dixit vir ad Ithiel, & Vcal. Iuxta quam lectionem dicendum totum hoc caput non eſſe Salomonis, ſed cuiuſdam viri ſapientis, cui nomen Agur filij Iache, qui hanc prophetiam & doctrinā expoſuerit filiis ſuis vel diſcipulis duobus Ithiel & Vcal, quam poſteà vel Salomon ipſe, vel alius quiſpiam adiunxerit parabolis præſcriptis. Quæ ſententia veriſimilior eſt, tum quod tam accurate hic expreſſa ſint nomina patris, filij, & diſcipulorum, quæ non niſi cōtortè appellatiuè accipi poſſunt, tum quod tam diſſimilis ſit qui ſcribitur ſermo à reliquo ſermone prouerbiorum Salomonis, quodque prophetia dicatur & viſio, cum Salomon non tanquam prophetam ſe hoc loco exhibuerit, ſed tanquam iuuenum inſtructorem. Itaque ſi hanc ſententiam ſequi libet in noſtra lectione nomina congregantis & vomentis, quorum illud reſpōdet nomini Agur, iſtud nomini Iache, accipientur tanquam nomina propria tranſlata. Veriſimile tamen eſt noſtrum interpretem hæc vertiſſe, quòd exiſtimaret etiam hoc caput eſſe Salomonis, & proinde hæc nomina ei conuenire propter eorum ſignificationem, quemadmodum communiter à noſtris intelligitur. Itaque Salomonem intelligunt vocari congregantem, quomodo dicitur Eccleſiaſtes. Nam Eccleſia congregationem ſignificat, nimirum quod à vitiis ad virtutes congreget homines aut quod in ſe congregauerit multam ſapientiam, filium vomentis, quod per eum Spiritus ſanctus ſalutaria dogmata abunde mundo, profundat. Porrò quod ſequitur, Viſio vel prophetia, &c. ſignificat quæ ſequuntur ex ſingulari quadam Dei reuelatione eſſe dicta ab habēte ſpiritum propheticum, tum quod vocetur viſio, eo ſcilicet nomine, quo prophetę ſua ſcripta nominant. (Eſt enim hic dictio Maſſa, quæ proprie onus ſignificat, & pro omni ponitur prophetia) tum quod dicatur in noſtra lectione vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus, ait: Ithiel enim ſignificat mecum Deus, & Vcal ſignificat poſſe, ad quę noſter Interpres reſpiciens vertit eo modo quo legimus. Septuaginta diſſimulantes omnia hæc nomina tantum verterunt, τὰ λέγει ἀνὴρ τοῖς πιστεύουσι θεῷ hoc eſt hæc dicit vir credentibus Deo. Quæ autem ſequuntur in ſecundo & tertio verſu dure quadrant in Salomonem. Quomodo enim his dicet ſe ſtultiſſimum virorum, qui præ omnibus ſe nouit à Deo ſapientia donatum, ita vt per eam prę ſumpſerit tam multa, tum dicere, tum ſcribere. Intelligunt quidam eum hæc dicere poſt quam in idololatriam lapſus fuiſſet, & ab ea iam reſipuiſſet, vt ſint verba agnoſcētis ſuam in quam prius inciderat ſtultitiam. Sed vt ſunt hæc incerta, ita parum cum verbis ipſis conueniunt, quibus dicitur, Sapientia hominum non eſt mecum. &c. Proinde melius alij dicunt Salomonem hæc dicere ex humilitate, per quam agnoſcit quid ſit ex ſeipſo, & qualis ſit eius ſapientia in comparatione ad Dei ſapientiam, ad quam collata hominis ſapientia velut ſtultitia eſt, iuxta illud Hieremiæ, iuxta quorundam intellectum: Stultus factus eſt omnis homo à ſciē- Hiere.10. tia, ſcilicet Dei. Sed magis probabile eſt quod dicunt hi qui hæc non eſſe Salomonis, ſed cuiuſdam Agur aſſerunt, intelligentes Agur rogatum à duobus ſeu ſapientibus, ſeu diſcipulis ſuis, vt aliquid diceret vel doceret quod ad ſapientiam pertineret, profiteri ſuam inſipientiam, non multum diſſimiliter à Socrate dicē te: Hoc vnum ſcio quod nihil ſcio, quaſi dicat: Quid me rogatis? quid ex me ſapientiam audire quæritis, qui me omnibus in ſapientia inferiorem eſſe agnoſco. Non eſt enim in me ſapiē tia hominum non ſum edoctus ab hominibus & non noui ſcientiam ſanctorum, angelorum ſcilicet vel prophetarū. Videtur enim ex priore parte negatio repetenda, quemadmodum aliquoties ſit apud Hebræos: Quanquam poſſit & affirmatiuè intelligi hoc modo. Quanquā ab hominibus non didicerim ſapientiam, noui tamē per diuinam reuelationem ſcientiam ſanctorum vel angelorum vel hominum, hoc eſt, ſcientiam diuinarum rerum. Sed prior intelligentia præferenda videtur. Itaque docet ſuo exordio ſapiens iſte ſuos & in illis nos, ſubmiſſe debere nos ſentire de nobis, & alios nobis præferre, nec ſapientiam aliquam nobis arrogare, maximè cum attendimus quantula ſapientiæ pars nobis adſit & quāta deſit, quamque paruam de Deo eiuſque creaturis cognitionem, quamque ex nobis ipſis nullam habeamus. Nam vt eſt apud Iob: Cum vix paruam ſcintillam ſermonis eius audierimus, quis po- Iob.26. terit tonitrum magnitudinis illius intueri? Ad quam ſubmiſſionem in nobis efficiendū ſpectant, quæ ſequuntur. D. Auguſtinus ſecutus Septuaginta in epiſtola 49. in ſolutione quæ- Auguſt. ſtionis quintæ: legit: Deus docuit me ſapientiā, & ſcientiam ſanctorum cognoui, vbi & videre licet eius expoſitionem & eorum quæ ſequuntur.

4 *Quis aſcendit in cœlum & deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligauit equas quaſi in veſtimento? Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius ſi noſti?*

His verbis ſtudet Sapiens vnumquemque inducere, & ad depreſſionem ſui ex conſideratione propriæ inſipientiæ ac infirmitatis, & in admirationem Dei qui ſolus vere ſapiens eſt & potens. Similia ſunt aliquot in ſcripturis loca, quæ ad elucidationem huius non Eſa.40. parum faciunt. Eſaias enim ſimiliter quærit: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera? Quis adiuuit ſpiritum domini? aut quis conſiliarius eius fuit & oſtendit illi? Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt ei, Sic in Eccleſiaſtici principio quæritur: Are- Eccleſ.1. nam maris & pluuiæ guttas & dies ſeculi, quis dinumerauit? Altitudinem cęli & latitudinem terræ & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtiga-

inueſtigauit? Radix ſapientiæ cui reuelata eſt & aſtutias eius quis cognouit? Quæ ſcripturæ ad hoc tendunt, vt homo Dei comparatione agnoſcat ſuam & inſipientiam, & infirmitatē, Deóque ſoli qui omnia ſolus poteſt & nouit perfectè omnem tribuat ſapientiam. Sic & Iob 28. poſt multa quæ ad hunc finem dicuntur. Vnde ergo, inquit, venit ſapientia? & quis eſt locus intelligentiæ? Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cœli latet. Perditio & mors dixerunt. Auribus noſtris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam eius, & ipſe nouit locum illius. Ipſe enim fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in ſtateta, &c. Iuxta has ſcripturas facilius fuerit quod hic quæritur intelligere, omiſſis multorum interpretationibus quæ propoſito non conueniunt. Nam ſunt Hebræi qui hæc omnia in Moyſem competere intelligunt, ſed vanè nimis. Quod ergo dicit tale eſt. Cur quiſquam ſibi aliquam vendicabit ſapientiam? An eſt quiſquam hominum qui in cœlum aſcendit, vt ibi omnia luſtratus ſit, & deinde deſcenderit in terras docens homines ſapientiam? An eſt quiſquam qui continuit, id eſt, cohibuit ſpiritum, hoc eſt ventum manibus ſuis? An eſt quiſpiam qui ligauit aquas quaſi in veſtimenro. Ita vt cohibuerit fluxum eius? an eſt qui ſuſcitauit, hoc eſt erexit & conſtituit omnes terminos terræ, hoc eſt, totum orbem? Nónne ſolus Deus eſt qui hæc omnia poteſt & fecit? Ipſe enim cœlos aſcendit, omnia ſuper greſſus, omnia luſtratus quantumuis alta, ſicut dicit Amos. Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam. Et Pſalmiſta: Qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Ipſe eſt qui deſcendit, quia ſicut dicit Iob: Ipſe fines mundi intuetur & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit. Ipſe eſt qui ventum continet in manibus ſuis & cuius curſum & impetum nullus quantumuis potens aut ingenioſus cohibere poteſt vllis machinis & obſtaculis, ipſe cohibet & tenet in manu omnipotentiæ ſuæ, emittens cum vult ventos de theſauris ſuis, qui vt habet Iob fecit ventis pondus. Ipſe eſt qui ligauit aquas velut in veſtimento quia ſicut dicit Pſalmiſta: Congregat ſicut in vtre
Pſal.32. aquas maris, Quia nimirum eas congregauit in vnum locum vt appareret arida, terminum illis ponens ne tranſirent illum, neque
Pſal.130. conuerteretur operire terram. Vnde & dominus ſuam ſapientiam & potentiam commendans, ad deprimendum Iob inter cætera dicit: Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens. Cum ponerem
Iob.38. nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem. Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia. Et dixi hucuſque venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Ipſe etiam ligat aquas nubium deſuper: iuxta illud Iob: Qui ligat aquas in nubibus ſuis,
Iob.26. vt non erumpant pariter deorſum. Vt de vtriſque aquis & inferioribus & ſuperioribus locus hic intelligi poſſit. Ipſe eſt qui ſolus erexit & ſtabiliuit orbem terræ & omnes terminos eius, Verbo enim domini cœli firmati, & ſpiri-
Pſal.32. tu oris eius omnis virtus eorum, Poſtquam ergo his quatuor interrogationibus indicauit ſolum Deum eſſe qui & cœlorum & ventorum, & aquarum, & terrę, hoc eſt, omnium creaturarum, Dominus, autor eſt & gubernator, ſubiicit: Quod eſt nomen eius & nomen filij eius ſi noſti? Hoc eſt, an noſti nomen eius & nomen filij eius, qui hoc ſolus poteſt? Quo ſignificat hominem non tantum parum poſſe in creaturis, ſed nec naturā Dei qui ſolus in eas obtinet imperium, & perfectam earum notitiam, cuique perfectè cognitam eſſe, Iuxta illud. Deum nemo vidit vnquam. Nomen enim naturam rei manifeſtat. Ad quod deſignan- Ioan. dum nomen illud, quod Deo quaſi proprium erat, ac naturam eius, vtcunq; explicat, & antiquis patribus incognitum fuit, iuxta illud Exo. 6. Nomen meum Adonai non indicaui eis & poſt reuelationem eius Iudæis fuit ineffabile. Aut ſignificatur neminem creatoris & filij eius notitiam ex ſeſe ſuaque rationali tantum cognitione conſequi poſſe. Et eſt quaſi dicat: Quid tibi vendicas aliquid homo, qui neque in creaturis ipſis obtines imperium, neque earum perfectam cognitionem aſſequeris, multo minus potes cognoſcere ex te, vel perfectè eum qui ſolus omnia creauit, regit & cognoſcit. Eſt autem hic apertus contra Iudæos locus & quidem ſingularis, oſtendens in diuinitate eſſe perſonarū diuerſitatem cum fiat mentio de nomine filij Dei.

Quanquam & hunc locum ſtudeant ſuis abſurdis deprauare expoſitionibus intelligentes hic interrogari, an quis nouerit aliquem qui hæc omnia fecit, & quia dici poſſet mortuum eſſe eum qui hæc fecit, ſubinferri an ſciatur nomen filij eius qui hæc fecit, hoc eſt, an ſuperſit aliquis ex progenie illius, ſed hanc expoſitionē eſſe coactam patet ex collatione prædictarum quæſtionum cum ſimilibus in aliis ſcripturarum locis, quibus ſignificatur neminem quidem inter homines eſſe vel angelos qui illa præſtiterit: eſſe tamen aliquem nempe Deum, Quæ ſicuti Deo propriè competunt, ita & filio eius etiam quatenus homini, ſingulari conueniunt ratione multo magis quam Moyſi, cui hæc ab hæbreis pleriſque tribuuntur. Eſt enim vt habet titulus, prophetia, vel viſio, vt præter literalem ſenſum quo hæc Deo tribuuntur, mirum non ſit ſi etiam ex intenſione ſpiritus filio Dei, de quo etiam in titulo fit mentio competant. Ipſe eſt enim de quo Paulus illud Pſalmi explanans. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, Qui de- Pſa.67. ſcendit (inquit) ipſe eſt qui aſcendit ſuper Ephef.4. omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Et domi- Ioan.3. nus ipſe, Nemo aſcēdit in cœlum niſi qui deſcēdit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo Ipſe & ventum continuit in manibus ſuis & aquas colligauit quaſi in veſtimento, quia imperauit vento & mari & facta eſt tranquillitas magna, & ſiccis pedibus calcauit fluctus maris. Ipſe ſuſcitauit omnes terminos terræ quia collapſum per peccatum totū mundum mire reſtituit, ſuam gratiam vſque in fines or- Mat.8. bis terræ diſpergendo omneſque per Euange- Mat.14. gelium excitando, vt ab errore ac vitiis ad verum Deum conuerterētur. Hæc ſicut in creatione ſolus Deus præſtare potuit, ita pro redēptione hominis ſolus Dei filius facere potuit

Proinde ſicut à creatore, ita & à redemptore omnis petenda eſt vera ſapientia. Diuus Auguſtinus loco prædicto hæc Chriſto paulo aliter applicat vt licet ibi videre. Cæterum quod ad literam attinet notandum quod illud, ſi noſti quod in noſtris codicibus ſic ferè diſtinguitur, vt ſub vna interrogatione legatur cum toto illo, Quod eſt nomen eius aut quod eſt nomen filij eius, poteſt etiam ſeparatim accipi vt præcedant ſex interrogationes, & deinde quæratur, an eſt aliquis qui illa ſex nouerit, vel cum omnibus præcedentibus cõiungi vt ſub vna interrogatione quæratur. An noſti quis aſcendit in cœlũ, quis continuit ſpiritum, quis ligauit aquas, quis ſuſcitauit terminos terræ, quod nomen eius & filij eius: Sic enim vult Caietanus hunc locum diſtingui.

¶ *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperãtibus in ſe*
6 *Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris mendaxque inueniaris.*

IN ſuperiori ſententia indicauit ſoli Deo propriam ex natura ſua eſſe ſapientiam, his verò ſententiis inſinuat homini etiam ab illo datam & communicatam ſapientiam per verbum ipſius, in quo ſolo inſinuat veram ſapientiam petendam. Sic & Eccleſiaſtici primo vbi oſtẽditur ſimilibus quæſtionibus Deo propriã eſſe ſapientiam, mox ſubiicitur eam hominibus pijs communicatam. Ipſe (inquit) creauit eam in ſpiritu ſancto, & effudit eam ſuper omnia opera ſua & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. Sic & apud Iob poſt verba ſuperius cita ta quibus Deo ſapientia appropriatur. Quando (inquit) ponebat pluuiis legem & viam
Iob. 23. procellis ſonantibus. Tunc vidit illam & enarrauit, & præparauit & inueſtigauit. Et dixit homini: Ecce timor domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia. Sic & hoc loco monſtratur, vnde homini ſit quærenda ſapientia, nempe in verbo ipſius, cuius excellentia & reuerentia quæ ei debetur his duobus verſibus inſinuatur. Omnis (inquit) ſermo Dei ignitus. Eſt autem hic prior verſus deſumptus ex Pſalm. 17. vbi illum hebræa eodem modo habent quo habent hoc loco, niſi quod ibi ſit nomen tetragrammaton, quod vertitur domini, hic verò nomen Eloim quod vertitur Dei, Nos autem ibi legimus. Eloquia domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe. Vnde primum patet ſermonem Dei hic nõ intelligendum dici ignitum quod ſit igneus igne charitatis homines accendens, ſed quod ſit inſtar argẽti vel auri igne examinati & purgati, purus ab omni vitio falſitatis & corruptionis vel vanitatis ſecularis quomodo dicitur Pſalmo 11. Eloquia domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptuplum. Sic & intelligendum eſt, quod dicitur in Pſalmis: Ignitum eloquium tuũ
Pſalm. 11. vehementer, hoc eſt, eloquium tuum eſt admodum purũ inſtar purgati argenti. His enim
Eſai. 1. 18. locis ſemper eſt Hebræis dictio צרופה tſerupha quæ ſignificat purificare vel fundere ad purificandum per ignem. Et Græcis ſemper eſt dictio πεπυρωμένον, quę ſicut annotauit Beda, ſi ſignificat etiam id quod igne eſt accẽſum vel igneum, ſignific at tamen etiam igne purificatum vel examinatum. Secũdo patet quod cum in ſecun do membro dicitur, clypeus eſt ſperantibus in ſe, clypeus non ad ſermonem Dei debet referri, ſed ad ipſum Deum. Quod non ſolum ex eo patet, quia in Pſalmo dicitur. Protector eſt omnium ſperantium in ſe, Deus ſcilicet, non eloquia de quibus præmittitur, ſed etiam quia in Hebræo, nomen quod vertitur ſermo eſt fœminini generis, cum pronomen quod vertitur in ſecundo membro, eſt, ſit maſculinum vt ad Deum referatur. Ipſe ergo cuius ſermo puriſſimus eſt, clypeus eſt, hoc eſt vt vertitur in Pſalmo, protector eſt inſtar clypei protegens, omnibus qui verbis eius firmiter credentes per illa ſpem ſuam in illum collocant. Significat ergo hac ſententia Dei verba eſſe puriſſima, & proinde omnibus modis ea amplexanda & credenda, credentibúſque ea admodum fore vtilia, quòd Deus clypei inſtar tales ſit protecturus, qui per verbum ſuum in ſe credunt & confidunt, non permiſſurus eos ſua fruſtrari ſpe. Alioqui enim verbum eius nõ eſſet à falſitate purum, nec quaſi argentum igne examinatum. Eſt autem verbum Dei non tantum ſcriptura ſacra ſed quicquid etiam Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines vel etiamnum loquuntur, vt ſit in conciliis: ne quis tantum ad ſcripturam ſacram hoc elogium verbi Dei trahat, nec ſequens in ſecundo verſu. In quo inſinuatur qua reuerentia haberi debeat verbum Dei, & quod malum maneat eos, qui illud ea qua decet non habent reuerentia. Ne, inquit, addas quicquam verbis illius. Quo autem bene intelligatur, quid ſit addere verbis illius, quandoquidem & illud male quidam intelligunt, ſicut malè ſentiunt de verbo Dei, obſeruandus eſt ſimilis locus Deute. 4. vbi dicit Moyſes, Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo & cap. 12. Quod præcipio tibi hoc tantum facito domino, nec addas quicquam nec minuas. Si enim his verbis Moyſes prohibere voluit ſimpliciter, ne quid omnino illius verbis adderetur, malè ergo fecerunt omnes Prophetæ omnéſque ſacri ſcriptores, qui verbis Moyſi ſua verba & ſcripta addiderunt, nec quicquam præter Pentateuchum cum Samaritanis recipiendum erit. Certum eſt ergo Moyſi verba commodè intelligenda eſſe, iuxta exigentiam præcedentium, videlicet nihil addendum eſt in cultu Dei ex cultura falſorum deorum, de qua cap. 12. præcedit ante verba prædicta, hoc eſt, nihil addendum quod ſit ipſius dictis contrarium aut omnino non conforme. Sicut & illud Pauli accipiendum eſt: Si quis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Sic & quod hic dicitur, Ne addas quicquam verbis illius, intelligendum eſt nihil aliunde, & ex aliena doctrina addendum verbis Dei, quod cum illis non conueniat, aut diſſentiat ſicut addiderunt verbis Dei Samaritani qui legi & cultui Dei addiderunt cultum idolorum. Aut eſt intelligendum nihil addendũ verbis Dei, ſic vt pro Dei verbo habeatur & præter verba Dei aliquid ab homine requiratur, quaſi ſine eo ſaluari non poſſimus, vt ſicut ſuperiori ſententia ſignificatũ eſt verbo

verbo Dei merito credendum eſſe & fidendũ propter ipſius puritatem & ſinceritatem, ita hac ſententia ſignificetur præter verbum Dei nihil quærendum ad ſapientiam veram & ſalutem obtinendam, quaſi illud homini non ſufficeret, & Deus non omni tempore pro exigentia temporis ſuo populo reuelaret ea quę ſunt eis neceſſaria ad cognoſcendum & faciẽdum pro obtinenda ſalute. Cum ergo à poſterioribus Prophetis, ab apoſtolis, atque ab Eccleſia quædam Dei populo dicta, ſcripta & prædicata ſunt, quæ prioribus Dei verbis non fuerunt expreſſa, nihil additum eſt verbis Dei, quia & illa quæ acceſſerunt, verba Dei ſunt. Cum Interpretes explanãt verba Dei, nihil addunt verbis Dei, cum ſuas explanationes nolint recipi pro uerbo Dei, niſi quatenus cum verbo Dei conſonant atq; cõueniunt: Nec ſua addunt quaſi verba Dei non ſufficiant, ſed quia non ab omnibus intelliguntur. Addiderunt autem verbo Dei Phariſei & Scribæ, qui ſuas vel inutiles, vel Dei legi contrarias traditiones, pro diuinis, & ad iuſtitiam promouentibus haberi & ſeruari voluerunt. Addiderunt
Actor. 15. verbo Dei, qui dixerunt, Niſi circuncidamini Chriſtus vobis nihil proderit. Addunt hæretici, qui ſuas opiniones verbo Dei contrarias pro verbo Dei haberi exigunt. Hoc eſt ergo quod prohibet Sapiens, Ne vel ex Philoſophorum doctrina, vel aliunde quicquam petamus præter verbum Dei quod nos vere reddat ſapientes aut iuſtos. Ne, inquit, arguaris, ab eo ſcilicet, inueniariſq; ab eo mẽdax. Quo ſignificat eum grauiter à Deo arguendum, qui eius verbis quicquam ſuum addiderit, tanquam qui mendax & falſarius ſit deprehenſus. Sicut enim falſarius deprehenditur qui principis monetę ſuam adulteratam admiſcet & coniungit, & ob id grauiſſime punitur tamquam reus læſæ maieſtatis & noxius reipublicæ: Ità qui pro uerbo Dei ſuam obtrudit doctrinam, tanquam falſarius numiſmatis regii grauiſſimè vindicabitur, vt qui puritatem verbi Dei inficere conarus ſit & veritatem eius ſuis mendaciis commaculare. Eſt enim omnis doctrina verè humana etiamſi in ſe vera ſit, in comparatione verbi Dei impura, & necdum inſtar argẽti igne examinati ab omni ſorde terrena repurgata, ſed multum terreſtreitatis habens admixtum. Qualis aurẽ vitio mancat eum qui Dei verbis ad-
Apoc. 22. diderit, oſtenditur Apocalipſis vltimo cum dicitur: Si quis appoſuerit ad hæc apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro iſto.

7 *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar.*
8 *Vanitatem & verba mendacij longè fac à me, mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria.*
9 *Ne forte ſaciatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt dominus, aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei.*

OSTENDIT duabus ſententiis ſuperioribus veram ſapientiam à verbo Dei petendam, in quo & pura ſimplexq́ue eſt veritas, & ſufficientia eorum quæ ſcire oportet. Nunc domonſtrat quę ſapientiã aſſecuto ſint et in plurimum petenda, potiſſimum ad vitã

Ianſ. in Prouerb.

rectè peragendam, ob quam veritas quæritur, & ad quam verbum Dei traditum eſt. Demonſtrat id ſuo exemplo dicens. Duo rogaui te ne deneges mihi antequam moriar, quod non ſic eſt intelligendum quaſi tandem aliquando ſemel cupiat ante mortem exaudiri & impetrare illa duo, ſed ſenſus eſt ne deneges mihi donec viuam, & quamdiu ſum in hac vita, ſignificans, hæc quæ petiturus eſt ſemper, in hac vita ſibi eſſe neceſſaria, & ſine Dei dono ea aſſequi non poſſe. Hebtaicè enim eſt, Ne prohibeas à me antequam moriar. Quæ autem ſint hæc duo aperitur in ſequenti verſu. Circa quem tamen dubium oritur, quia nõ ſatis apparet quæ ſint illa duo, cum in eo verſu quatuor vide antur poni, vanitas ſcilicet & verba mendacij, mendicitas (vel vt habent Hebræa paupertas) & diuitiæ, duo ſcilicet paria, quæ ambo deprecatur. Itaque plerique primum poſtulatũ intelligũt illud. Vanitatẽ & verba mẽdacij longè fac à me, ſecundum, Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: vt priori poſtulato peratur liberari ab erroribus, prauis opinionibus & falſa doctrina, poſteriori vero petatur quod ad vitam temporalem non incommode tranſigendã eſt maximè expediẽs Prius enim requiritur vt mens non ſit infecta prauis de Deo diuiniſque ac humanis rebus iudiciis & opinionibus. quod commode precatur poſtquã de puritate & veritate verbi diuini eſt locutus, ac deinde vt etiã in tẽporalibus reb. bene ſe habeat vita, vt nec copia nec inopia rerũ temporaliũ, nec proſperitate, nec aduerſitate excidat à Deo. Vtrumque enim requiritur, & vt de Deo rectè ſentiamus quod ante omnia neceſſe eſt, & vt in vſu rerum tẽporalium ſic agamus, vt ne Deum offendamur. Secundum hunc intellectum quod dicitur in priori poſtulato, vanitatem & verba mẽdacij, ad idem referri poteſt vt inter illa duo nulla ponatur diſtinctio, vel poteſt vanitatis nomen referri ad vanitates ſeculi, & mendacium ad errores & falſas opiniones. Verum ſi penitius inſpiciamus totum hunc locum, videbitur meritò longè aliud ſignificare voluiſſe ſapientem quam quod modo dictum eſt. Nam duo illa, vanitatem & mendacij verba inueniuntur poſtea in declaratione & redditione cauſæ, ob quam nec diuitias nec mendicitatem ſibi poſtulat, ita vt ſignificari videatur diuitias ipſum deprecari ne incidat in vanitatem negando dominum & dicendo Quis eſt dominus, mendicitatem verò, ne incidat in verba mendacij periurando nomen domini. Itaque duo illa quæ optat ſibi, continentur in vtroque prædicto membro. Duo illa ſunt, Vanitatem & verba mendacij longe fac à me, & duo illa ſunt, mendicitatem & diuitias nec dederis mihi, ſed diuias vult ſibi non dari propter vanitatem quam per eas timet incidere, mendicitatem vult ſibi non dari propter verba mendacij ne incidat in ea. Eſt ergo ſenſus, Vanitatem & verba mẽdacij longe fac ſę me, & vt hęc longè ſint à me, paupertatem & diuitias ne dederis mihi. Ad quem ſenſum deſignandũ in Hebræo, vbi verſus ferè diſtinguuntur duobus principalibus membris, duę illæ partes ſimul pro vno ponuntur membro, & deinde pro ſecundo membro ſubiungitur,

tribue tantum victui meo necessaria, vel vt habent Hebræa, ciba me pane statuti mei vel dimensi mei, quasi hoc secundum membrum exp licet totum primum membrum. Cuius totius versus secundi rario redditur, deinde in tertio versu quo ad vtramque petitionem, & quoad vnam petitionem dicitur, Ne forte iatiatus illiciar ad negandum dominum, scilicet dicendo: Quis est dominus, hoc est, deseram Deum & deiiciam ad idola. Hæc enim sũt
Psal.30. vanitas, iuxta illud Psalmi: Beatus vir cuius est nomẽ domini spes, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Diuitiæ autem & rerum abundantia atque prosperitas faciunt, vt quis deum deserat nec illum velit agnoscere, sed eo relicto confugiat ad idola, iuxta illud Sedit populus manducare & bibere & surrexerũt lude
Exo.32. re, Et illud: Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Prouocauerunt Deum in diis alienis. Quod ipsi accidit Salomoni. Diuitiæ etiam sæpè sunt causa, vt in multiplicem vanitatem homo pertrahatur, in voluptatem scilicet carnis aut nimium diuitiarum amorẽm & superbiam, ita vt vẽter sit deus eorum & gloria, aurum item & argentum, quæ inordinate amare iuxta Paulum est idolorum
Philip.1. Ephes.5. seruitus. Quod ad alteram petitionem dicitur, Aut egestate compulsus furer & periurem nomen Dei mei, negando scilicet furtum cum adiuratus fuero. Hoc autem est incidere in pernicioſa verba mendacij. Ad mentiendum enim sæpè inducit paupertas. Indicat hunc sensum Lyranus, qui habet, duo rogaui te domine, Vanitatem, quæ est annexa prosperę fortunæ, Et verba mendacij, quæ frequenter annectuntur aduersæ, longe fac à me. Et idem repetit per alia verba, Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. Itaque sub exẽplo diuitiarum & paupertatis Sapiens hic precatur & precandum docet, vt nec per prosperitatem extollamur & inducamur ad vanitatem huius vitæ, vanitatem superbię ac Dei neglectum cum idolorum cultura, nec per aduersitatem deprimamur adinhonesta & mendacia, inter quæ maximum est peierare nomen Dei, hoc est, falso iurare per nomen Dei. Ita enim hic ea oratio est exponẽda cum alioqui impropria sit locutio. Cæterum ex hac oratione non leue sumi potest argumentum pro eorum sententia qui putant hoc caput non esse Salomonis, sed alicuius sapientis dicti Agur, cum Salomon filius regis Rex ditissimus, nec paupertatem timuisse, nec magnas & ingentes diuitias deprecatum esse videri possit. Nisi fortè dicamus Salomonẽ hæc pro se non petiisse, sed alios modum postulandi docuisse qui conueniat maiori parti hominũ. Nam vel diuitias vel paupertatem metuere non est perfectorum, qui cum Paulo dicere
Philip.4. possunt. Scio & humiliari: scio & abundare. Vbique & in omnibus instructus sum, & esurire & satiari, & abundare & penuriam pati. Proinde non potest etiam ex hac oratione argumentum sumi contra mendicitatem & paupertatem religiosorum, qui se ad eam voto astringunt. Loquitur enim oratio de paupertate inuoluntaria, quæ multorum malorũ & potissimum mendaciorum causa est, cum paupertas voluntaria libertatem spiritus promoueat, nec egestatem adferat, sed faciat cum Paulo nihil habentes & omnia possidentes. Potest etiam iuxta Hebræos hæc sapientis 2.Cor.6. oratio intelligi iuxta mysticum sensum, vt in diuitiis & paupertate sapientiæ excessum, & defectũ intelligamus. Nam sicut sunt qui minus sapiũt quam oportet, ita sunt qui plus volũt sapere quàm oportet, arrogantes sibi quam nõ habent sapientiam. Hi frequenter sic extollũtur & ad eam recidunt vanitatem vt Deum agnoscere nolint aut illi se submittere, nouoſq; sibi forment deos & idola quę veneran-
tur, sua scilicet figmenta & opiniones. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Sic Rom.1. & illi qui in sapientia deficiunt, ne illa quidem scientes quę omnes scire tenentur, per hanc egestatem coguntur furari & aliorum prauis opinionibus frui, quibus à vero abducuntur in mendacia.

30 *Ne accuses seruum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi & corruas.*

POSTQVAM indicauit, & vnde Sapientia petenda, quod ad intellectum pertinet, & quid à Deo optandum, quod ad affectum & voluntatem pertinet: tradit quædam alia præcepta quibus docetur, quomodo ad alios se homo habere debeat, inter quæ hoc vel ex maximis est, vt ne quis lædat inferiores & aſflictos, qui etsi se vlcisci non valeant, Deum tamen habent vindicem. Ne accuses, inquit, seruum ad dominum suum, temere scilicet & ex crudelitate quadam atque immisericordia. Vult enim significare condolendum esse his qui seruilis sunt conditionis, & ad eorum, quędã errata sæpe conniuendum, tanquã qui ipsa satis grauantur & puniuntur conditione, nec spernendos eos, etiamsi videãtur se vindicare non posse. Futurum enim vt illi exacerbati, ac sentientes accusatione sui dominum alienatum, aut etiam grauiter offensum plagas inferre, male tibi saltem precentur, & dominus omnium qui pauperum & afflictorum preces audit, vindicet tuam crudelitatem, & eo vindicante corruas in aliquod malum & calamitatem, vel corruas, hoc est, perdaris & frangaris amissa tua fœlicitate. Significat ergo abstinendum ab accusatione serui apud dominum eius, ne & seruus vicissim accusatorem accuset apud communem dominum, et ab illo accusator puniatur, sicut accusatus seruus à domino suo, timendamque esse maledictionem pauperis & in potentis non minus quam opes & vires diuitum, quòd Deum vltorem habeant impotentes, & qui humana destitũntur ope, præsertim si ad Deum confugiant. Sub exemplo enim non accusandi seruii insinuatur cauẽdum à crudelitate in quoſuis inopes & afflictos. Vnde similiter dicitur
Eccle.4. in Ecclesiastico: Cor inopis ne afflixeris, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Male dicẽtis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum qui fecit illum. Et Ecclesiastes docet aliquid seruis cõdonandum consideratione pro
Eccle.7. priæ infirmitatis. Cunctis, inquit sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne forte

ne forte audias seruum maledicentem tibi, scit enim conscientia tua quia & tu crebro maledixisti aliis. Beda & in contextu, & in commentario legit, ne tradas seruum, sed mendosa est lectio quam verisimile est eum sumpsisse ex Deuteron. 23. vbi legimus. Nõ trades seruum domino suo, qui ad te confugerit, &c. Nã commentarius eius mysticus, ei loco conuenit secundum mysticũ sensum. Aut potius hanc lectionem retinuit ex antiqua lectione, quæ est iuxta Septuaginta. Nam Græca hic habent, ne tradas seruum in manus domini.

11 *Generatio quæ patri suo maledicit & matri suæ nõ benedicit.*

12 *Generatio quæ sibi munda videtur & tamen nõ est lota à sordibus suis.*

13 *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ.*

14 *Generatio quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

SVBIVNGIT & alia vitia inprimis cauẽda, multa docens & philosophans per quaternaria potissimum sex. Et primum quidem ponit quatuor generationes, hoc est, genera hominum, quæ insinuat maxime detestanda esse, ob vitia singulariter mala. Primum genus est eorum qui per summam ingratitudinem peccant in eos quibus maxima debetur gratia. Generatio (inquit) subaudi, est, hoc est, quoddam est genus hominum, & sunt quidã, qui suo patri etiam male precantur aut de eo malè loquuntur, & similiter matri non benedicunt sicut deberent, sed contra maledicũt. Secundum genus est eorum qui falso sibi vẽdicant sanctimoniam: Generatio (inquit) quæ munda sibi videtur cum non sit lota à sordibus suis, hoc est, sunt qui se mundos esse putant cum tamen immundicias suas nõ abluerint, quod fit vel quia ignorant suas immundicias & vitia, vel quia eas non curant. Tertiũ genus est eorum qui tanta inflati sunt superbia, vt ipso etiam vultu gestuque interiori, illam planè præ se ferant, nec eam in animo occultare valeant. Generatio (inquit) cuius excelsi sunt oculi & palpebræ eius in altum surrectæ, ipso oculorum habitu declarantes, se alta petere, omneſque præ se contemnere. Quartum genus eorum est qui tantæ sunt crudelitatis vt feras imitentur, & quasi humanam carnem dentibus suis edant. Quos exprimit dicens, generatio quæ pro dentibus gladios habet, hoc est cuius dẽtes sunt quasi gladij, quo nihil aliud significatur quam quosdam adeo crudeliter in alios sęuire ad perdendum eos siue facto siue verbo: aut ad diripiendum, eorum bona & excoriandum eos, vt videantur ferarum more eos dentibus suis dissecare, & commandere atque confringere molaribus suis. Et sane quatuor hæc vitia, nempe ingratitudo, vindicata sanctimonia, superbia & crudelis oppressio, præcipua sunt vitia quæ totum mundum turbant & commouent, Deoque vel maxime displicent vt mirum non sit quod hæc quatuor genera tanquam singulariter cauenda proposuerit. In quibus & subtilius Philosophari licebit designata hæc qua-

Lanf. in prouerb.

tuor perdẽdorum hominum genera, Infidelium, Iudæorum, Hæreticorum, iniquorum Christianorum: Infideles enim maledicunt cœlesti omnium Patri, quem cum sua Ecclesia agnoscere nolunt, Iudęi, iustitiam & mundiciem sibi vendicant, cum Christi baptismo Luc. 16. loti non sint à sordibus suis. Quibus & dixit dominus, Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Deus autem nouit corda vestra, quæ plena sunt rapina & iniquitate. Hæretici per superbiam se erigunt contra Ecclesiam Dei, eiusque simplicem doctrinã. Iniqui Christiani, crudeliter opprimunt pauperes, de quabus dicitur in Euangelio. Si dixerit malus seruus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis veniet dominus serui illius & diuidet eũ partemque eius ponet cum hypocritis.

15 *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, Affer, Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit sufficit.*

16 *Infernus, & os vuluæ, & terra quæ non saturatur aqua, ignis verò nunquam dicit sufficit.*

PARTEM illam primam, sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer, affer, ferè omnes accipiunt seorsum, tanquam à sequentibus seperatam & sententiam per se absoluat, & intelligunt duas filias sanguisugæ dici vitia duo, quæ conditionem & naturam sanguisugæ immitantur. Est autem sanguisuga, vermis aqueus, qui & hirudo dicitur ab hærendo, cuius conditionem exprimit Horatius dicens: Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo. Hanc ergo bestiolam sistentem mirum in modum sanguinem, duo vitia imitantur libido & auaritia. Nam qui his vitiis dediti sunt, non facilè satiantur, sed semper clamant affer affer, vel vt habent Hebræa, da, da. Beda per sanguisugã intelligit significari hic diabolũ qui siti peccandi & peccata suadendi incessanter accenditur, quique humanum sanguinẽ, hoc est vitam hominum, auide desiderat tollere. Cuius duæ filiæ rectè dicuntur duo illa prædicta vitia, quod ab eo prognatæ sint præcipuæ illæ humani generis illecebræ. Verum si in textu hebræo diligenter eorum quæ hic dicuntur ordo obseruetur, deprehendetur aliud longe sapientem hic voluisse. Obseruandum enim primum, hanc partẽ non esse in Hebræo sententiam per se absolutam, sed eodem versu comperehendi quod de tribus & quatuor vel quarto dicitur. Deinde cum in hoc versu dicatur tria sunt insaturabilia, in sequenti vbi versus iste explicatur, tertio tantum applicatur, non saturari, Et terra, Inquit, quæ non saturatur aqua. Sic & cum in priori versu dicatur, & quatuor nunquam dicunt, sufficit (sic enim habent Hebræa, non autẽ quartum) in sequẽti, verbum sufficit tantum quarto nempe igni tribuitur, non quod terræ vel igni hæc solum sint tribuenda, sed quod hæc omnibus quatuor sint tribuenda indiscriminatimm, quam quã elegantiæ causa vnum vni & alterũ alteri tribuitur. Itaque omnino apparet quatuor illa quæ in secundo versu ponuntur esse quæ in præcedenti, primum numero binario, deinde

ternario & demon quaternario designantur vt sit sensus : Duo sunt insaturabilia & quæ nũ quam dicunt sufficit,sed dicunt, Affer, affer,, imò tria sunt insaturabilia,imò quatuor. Est enim hic & in sequentibus quaternariis talis modus loquendi, qualis est apud Amos, qui & ipse multis vsus est quaternariis in describendis multarum nationum vitiis, cum dicit Super tribus sceleribus & super quatuor, pro eo quod est, Tria sunt scelera, imò quatuor, vel tria sunt scelera quatuórve, propter quæ non conuertam vel non parcam. Sic & Prouerb.6, vbi nos habemus, sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius. Hebræis non est septimum,sed septem. Et est sensus,sex sunt imò septem quæ odit dominus & detestatur anima eius. Non enim solum septimum detestatur, cum & inter sex quæ præcedunt sint quædam septimo peiora, vt pedes veloces ad effundendum sanguinem. Duæ ergo filiæ,quæ sunt ipsi sanguisugæ. Nam (sanguisugæ) est datiui casus,vt patet ex Hebræis quæ habent לעלוקה Laalucha,& Græcis quæ habent τοῖς βδέλλαις,& dicunt affer, affer, vel quarum nomina sunt da, da, (non enim Hebræa habent, dicentes) sunt infernus & os vuluæ. Quæ duo dicuntur filiæ sanguisugæ, eo quod assimilantur illi, in eo quod sicut sanguisuga duo habet ora, quæ sanguine satiari nequeunt (id enim experientia patere dicitur) ita & illa duo sint quasi ora duo quæ non saturantur. Et infernus quidem, hoc est, mors, perditio aut status mortuorum, vt supra expositum est,veluti os est omnia deuorans,nec vnquam satiatur, ita vt semper ipsa redicat, affer,& eius nomen rectè dici possit, Hab, vt est Hebræis,hoc est da,vel affer. Similiter & os vuluæ quia concupiscentia maximè muliebris semper semen desiderat virile, ita vt ipsa redicat affer, & dici etiã possit nomen eius Hab,da vel affer, Insatiabilis enim est muliebris concupiscentia,ita vt cecinerit Poeta: Delassata quidem, sed non satiata recessit. Hebræa tamen non habent os vuluæ.sed,clausio vuluæ,sed vteri,hoc est, matrix impedita,contracta & sterilis, vt significetur insatiabile desiderium mulieris sterilis,cuius dominus conclusit vterum ne pariat. Hæc enim concubitus magis est auida quam cæteræ,tum propter desiderium habendę prolis, tum quod secundę & grauidę naturaliter non appetant concubitum cum sint quasi stomacho pleno, vt tradunt physici, sterilium verò matrix non dilatetur per conceptum. Duę ergo prędictę filię hirudinis, sunt ex numero quatuor insaturabilium. Tertium est terra quę non facilè saturatur aqua, quã semper imbibit,maximè fabulosa. Quartum est ignis qui appositione lignorum non extinguitur, sed magis magisque semper accenditur, semperque amplius & amplius consumit & vorat. Cęterum omnino verisimile est sapientem non tantum id significare voluisse quod pro explicatione literali modo dictum est, sed horum quatuor insaturabilium propositione voluisse aliquid mysticum intelligendum esse quod philosophando sit assequendum. In his ergo quatuor insaturabilibus intelligi potest designari qua druplex cupiditas, quę radix est omnium vitiorum. Prima est vindictę & nocendi cupiditas quę est ira & inuidia,quę cupiditas per infernum horridum & tenebrosum significatur,quod mortem desideret, nec morte ipsa satiari potest,sed semper in alterius malum & perniciem concitatur, omnia arrodens, omnia destruens. Secunda est concupiscentia carnis per os vulue rectè designata, quod in ea maximè vigeat, vt dictum est. Libido enim in vtroque sexu non extinguitur nec satiatur ipso vsu sed eius desiderium vsu magis excitatur. Tertia est concupiscentia oculorum, vt vocat Ioannes, vt Paulus φιλαργυρία, auaritia scilicet,quę terræ rectè comparatur, quòd omnino terrena sit terrenis tantum inhęrens rebus, ad cuius etiam similitudinem nunquam satiatur diuitiis, sicut illa, maximè arenosa, quamuis multa aqua in se suscepta, parata est semper amplius suscipere. Vnde & hydropico auarus comparatur eique accõmodatur. Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ. Quarta est cupiditas glorię, quæ superbiæ est, rectęq; igni assimilatur, quod sicut ignis semper alta petit, ita & superbia, & sicut ignis omnia deuorat, ita superbia omnia sibi subijcere cupit, nec satiatur omnibus etiam sibi subiectis semper vlteriora petens, sicut patuit in Alexãdro, qui cum subiecto à se orbe audisset philosophos de aliis mundis disputantes ingemuisse dicitur quasi dolens vnum tantum sibi subiectum esse. Licet in his quatuor simplicius etiam sit philosophari, vt per infernum, vel vt habent Hebræa proprie sepulchrum, & os vuluę intelligatur iuxta quorundam Hebræorum intelligentiam corruptio & generatio rerum, quæ vsque ad finem mundi durant, nec vnquam explentur. Deinde per duo reliqua elementa terram & ignem, designetur per quę fiat generatio & corruptio rerum, nępe per terram, aquam continue in se suscipiẽtem, & ignem omnia calefacientem, semper agentem suaque actione omnia in terra immutantem. Nec fortasse male dixerit qui hæc quatuor insaturabilia ad hoc proposita asseruerit, vt per ea ostendatur auarorum & iniquorum hominũ conditio, de quibus in quarta generatione facta est mentio. Et in sequentibus sapientem prosequi de his quæ pertinẽt ad tres alias generationes hoc est, tria alia hominum genera. Nam quæ sequuntur ad ea facile reduci possunt. Sequitur enim mox quod pertinet ad genus eorum qui maledicunt patri aut matri.

1.Ioan.2. Colos.3.

17 *Oculum qui subsannat patrem,& qui despicit partum matris suæ suffodiant cum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

SVPERIVS proposuit generationẽ maledicenem parentibus, hic describit pœnã ei generationi debitam, insinuans pulchra circum locutione tales dignos esse qui in crucẽ tollantur & suspendantur sub dio, fiantque esca auibus tanquam indigni qui cum reliquis hominibus, spulturę tradantur, quod est perditissimorum hominum supplicium. Quo autem hoc pulchrius & efficacius insinuet, oculi qui primum in suspensis impetitur ab auibus, meminit dicens: Oculum qui subsannat patrem

patrem suũ, & despicit partum, hoc est, parturitionem & laborem matris suæ, quem in pariendo eius nomine pertulit, cuius scilicet intuitu matré reuereri deberet. Oculo tribuit subsannationem & despectum, siue quod aliquando nutu oculorum filij declarent se ridere & despicere parentes suos, vt hoc minori contemptu insinuet quantum mereantur illi, qui etiam voce & manifesto opere rident & despiciunt parentes suos, siue quod despectus & irrisio parentum ferè nascitur in filiis ex eo quod obseruent quædam in parentibus quæ ridenda & despicienda putant, & propter quæ eos minoris faciunt, vt sunt paupertas, senectus aliáve eius generis. Vnde diligẽter monet Sapiens in Ecclesiastic. Ne glorieEccl.3. ris in contumelia patris tui, non est enim tibi gloria sed confusio : Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eũ in vita tua. Sicut ergo ob alterum harum causarum oculo tribuit despectum, ita eidem tribuit quod aues in cruce illum eruent & comedent. Et rectè, quod sicut hinc oritur in filio despectus parentum, ita hinc aues auspicantur esum suspensi in cruce hominis. Corui autem & aquilæ meminit inter reliquas aues, tum quod hæ aues cadaueribus gaudeãt maximè, ad quæ à longè aduolant, ad quod Luc.17. respiciens dominus dixit : Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ, tum quod hæ aues longissimę sunt vitæ. Vnde eis bene tribuitur vindicta eorum filiorum qui non habent in honore parentum senectã quique propter inhonorationem parentum non sunt digni qui sint longæui super terram, iuxta legis præceptum. Meminit autem coruorũ de torrentibus quod circa torrẽtes & fluuios nidificare & manere soleant. Vnde legimus 3.Reg. 17. de Elia præceptum fuisse coruis vt pascerent eum in torrente Carith. Filij aquilæ Hebraica phrasi pśitum est pro ipsis aquilis, Quod autem coruis effossio oculorum, Aquilis esus eorundem tribuitur pro elegantia Hebraica, indiscriminatim, intelligi debet, corui & aquilę eruent oculum & comedent. Cæterum quanquam non semper ita fiat, vt habet hæc sentẽtia, nihil tamen obstat hoc eius veritati, Non enim quid fiat, sed quid mereantur significare voluit. Vnde bene vertit noster interpres effodiant & comedant, non autem quomodo etiam Hebræa verti possunt, effodient & comedent, vt significetur eorum meritum & grauitas delicti ipsorum, quod vel hoc supplicij genere vel alio simili hic frequenter punitur. Post hanc autem vitam plenius & certius quãdo diaboli coruis & aquilis nigredine similes nec minus carnibus humanis inhiantes grauiter tales filios torquent, oculos eis eruentes, vt solem iustitiæ nunquam cernere possint. Ex præmissis patet sententiam hanc paraphrasticè sic explicari posse. Is qui propter quædam quę videt in patre vel matre, eos despicit & ridet, non solum non est dignus qui sit longæuus super terram, quemadmodum promissum est honorantibus parentes, sed omnino meretur vt cum sceleratissimis hominibus ignominiosissimo supplicij genere pereat atque in patibulum suspendatur ibique eius oculos aues eruant & comedant, qui causam dederunt primum despiciendi parentes. Quã quam & sic possit intelligi. Qui oculorum nutu parentes irridet dignus est, vt eius etiam adhuc viuentis oculi ab auibus eruantur & comedantur, cæcúsque fiat qui oculis in parentes peccauit, ne amplius oculis in eos peccet, nec videat in eis quæ ad despiciendum ipsum possent inducere. Pleræq; enim auium è manibus hominum viuentium oculos potissimum appetunt, quod ob id fieri putant, quòd effigiem suam in eis veluti in speculo cernentes, velut ad cognata desiderio suo tẽdant. Venerabilis Beda sententiam in mystico sensu tractat in meliorem partem, vt per coruos & filios aquilæ intelligantur doctores sancti, qui prauam intensionem quasi oculum eorum qui Deum patrem in suis iudiciis & factis irrident & despiciunt sanam Ecclesiæ doctrinam, sua prædicatione eruunt & reuincũt Corui etenim (inquit) vocantur doctores sancti, quia per humilitatis gratiam, peccati in se nigredinem confitentur. Filij autem aquilæ, quia per gratiam eius sint renati, qui in habitu assumptę humanitatis, ad cœlestia transuo Matth.3. lauit. Vnde alibi & filij sponsi appellantur.

18 *Tria sunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro*

19 *Viam aquilæ in celo, viam colubri supra petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula.*

20 *Talis est via mulieris adulteræ quæ comedit & tergit os suum, & dicit non sum operata malum.*

PRO verò horum intellectu assequendo, inprimis hic rursum annotandum sicut & supra dictum est, hebræa non habere quartum, sed quatuor. Nec est, penitus sed tantum quatuor ignoro ea, vt sit sensus tria quatuorue, vel tria imo quatuor sunt mihi difficilia vel (vt habent hebræa ad mirabilia) hoc est: supra captum meum & ignota mihi, Septuaginta verterunt ἀδύνατα, hoc est, impossibilia. Noster tamen interpres sic vertit quasi quartum solum penitus ignoretur, reliqua verò tria difficulter intelligant. Quamquam possit nostra litera vt habeat verum hebraicæ lectionis sẽsum sic accipi, Tria mihi sunt difficilia ad intelligendum vel inueniendum, imò & quartum cum illis tribus penitus ignoro. Notandum secundo in versu sequenti duplicé esse lectionem. Beda enim & multi libri habent viam viri in adolescentia, quæ lectio concordat cũ Græcis quæ habent ἀδύνατα, hoc est, iuuentute vel adolescentia, verisimile sit eam lectionem ex antiqua versione remansisse apud Bedam. Iuxta quam lectionem facilius erit intelligere quod dicit de quarta via, viam scilicet viri in adolescentia. Sicut enim reliquæ tres viæ obliquæ sunt & tortuosæ atque difficulter inueniuntur, quia nullum remanet vestigium earum, ita & via, hoc est vitæ ratio, quam quis in adolescentia sua sequitur, difficulter intelligitur. Adeo enim instabilis est via hominis in adolescentia, ita se adolescés per omnino horas in diuersa torquet, & nunc huc, nũc illuc rapitur, vt difficile sit id comprehendere & animaduertere quo tendat, & in quibus

versatus sit. Proinde rectè hæc via coniungitur & comparatur aliis tribus viis, nempe viæ auium(inter quas primatū tenet aquila, quæ omnium altissime volat,cuius ob id specialiter fit mentio)qnæ in cœlo vagantur instabiles, viæ colubri tortuosæ super petram nunc huc, nunc illuc incedentis non relicto vestigio,viæ nauis nullo recto ordine in mari motæ sine vestigij indicio.Quarum trium viarum vna est incœlo,vna super terram,vna in aquis. Quibus tribus rectè comparatur via mentis instabilis,que nunc vagatur in cupiditate gloriæ mundanæ, nunc in cupiditate rerum terrenarum, nunc in cupiditate libidinum & rerum Venerearum, in quibus velut in aquis homines volutantur & immerguntur. Plausibiliter hæc sic dici possent. Verum alia lectio probabilior videtur,quæ habet viam viri in adolescentula. Sic enim quidam etiam habent libri. Et sic legendum ex Hebræis monet Lyranus. Est enim hic Hebræis dictio illa
Esa.7. עלמה Alma, quæ est apud Esaiam, cum dicit: Ecce virgo concipiet, quæ propriè significat adolescentulam aut puellam occultam viro, & proinde virginem. Itaque etiam Septuagin ta verterunt apud Esaiam παρθενος. Apparet autem ad literam per viam viri in adolescentula vel virgine significari congressum viri cum puella,vt significetur eius non relinqui vestigium, sicut non relinquitur vestigium vel auis in cœlo volantis,vel colubri super petram se mouentis, vel nauis inmari. De tali enim congressu literam loqui apparet ex sequenti sententia. Talis est via mulieris adulteræ. Sed obstare videtur, quod congressus viri cum puella virgine, qualem significat Alma vestigium post se relinquat vnde facilè cognosci possit. Ablatum est enim virginitatis signaculum vnde congressus ille cognosci possit. Vnde Caietanus quod hanc effugiat difficultatem, putat hic dictionem Alma positam pro puella, sed prius corrupta. Nam incorrupta si postea cognoscatur, non relinquitur congressus indicium, sicut nec in adultera de qua fit mentio. Verum istud plenè est contra dictionis illius rationem quæ omnium iudicio puellam significat incognitam viro, vtpote absconditam illi. Proinde ex sequenti sententia intelligēdum est quomodo dicatur via viri in adolescētula esse incognita, nempe quod eam vir & puella studeant omnibus modis occultare, negare, & quasi omnino nulla fuisset sese gerere,quemadmodum de adultera subiicitur. Ad quod præcedit similitudo trium viarum, vt sicut ibi via nulla apparet, sed post vias illas nulla ibi fuisse videtur, ita &hic sese gerant quasi nullus fuisset congressus. Quem sensum humanum satis in specie,si sequamur dicendum omnino apparet hæc dicta ad demonstrandam secundā illam generationem,de qua superius dictum est,quę munda sibi videtur, & tamen non est lota a sordibus suis,vt hoc scilicet Sapienshic ostenderit sub exemplo corruptæ virginis & adulteræ,quæ suas sordes solicitè tegunt nec eas sicut coniugatæ & fornicariæ agnoscere volunt,insinuās harum exemplo esse plerosque qui quod peccauerunt confiteri recusent pro mundis sese gerentes. In hac autem literali intelligentia obseruandum, non esse sermonem de via pro tempore quo aquila volat, serpēs graditur & nauis transit,sed de via post volatum,post gressum colubri,post transitum nauis & similiter post concubitum.Nam cum actu aquila volat videtur via per quam volet, & similiter de aliis.Atque hoc est quod supra dictum est,non relinquitur harum viarum vestigium vnde demōstrari possint. Lyranus attendens forte prædictum sensum esse humili orem,& non omnino verum esse sapienti incognitam esse viam viri in adolescentula, intelligit piè, Christi in virgine matre conceptum & ex ea natiuitatem.Hæc enim via omnino omnibus est ignorata nec plene cognosci potest,iuxta illud Esa. Generationem eius quis enarrabit. De hac via prophetauit Hiere.Nouum inquit creauit dominus super terram,fœmina circundabit virum, vbi etiā pro virum eadem est dictio quæ hoc loco cum dicitur, Via viri nempe dictio גבר Gaber,quæ à fortitudine dicitur, & Christo etiam in verum virginis iam concepto bene conuenit, tum ob diuinitatis suę fortitudinē, tum quod ab instanti suæ conceptionis secundum animam omnino fuerit perfectus.Nec enim mysterio videtur carere,quòd non sit dictum via adolescentis siue iuuenis in adolescentula, quemadmodum iuxta illū priorē literalē sensum videbatur dicendum,sed via viri. Certe in nullum alium istud verius competere potest quam in Christum eiusque matrem virginem.Iuxta quem sensum reliquæ tres viæ rectè intelliguntur adductę,vt per earum exemplum,quarta illa via & præ aliis magis mirabilis melius intelligeretur& aduerteretur,quod quemadmodum auis in aere volat,serpens super pettam repit,nauis transit in mari,sine aliqua aeris vel petræ vel aquæ corruptione vel diuisionis alicuius signo relicto, ita & via illa viri contingit sine virginis læsione & corruptione.Lyranus tamen tres illas vias tractat sublimius, per viam aquilæ in cœlo intelligens significatam Christi in cœlos ascentionem, per viam colubri super petram eius resurrectionem qui cum tanquam serpens pependerit in cruce, in resurrectione è sepulcro surrexit clauso,ita vt in signato saxo desuper posito nullum appareret resurrectionis vestigiū Per viam nauis in medio mari ipsius conuersationem in hoc mundo procelloso & turbulento, in quo expositus fuit apud Iudæos vatis tempestatibus, de vno loco in alium instabiliter semper vagatus. Hæ enim omnes viæ sicut & via conceptionis ac natiuitatis eius excedunt hominis captum. Nec mirū est sic Lyranum exposuisse,cum& Hebræus quidam sic hoc de Messia sit interpretatus, vt patet ex Galatino lib. 7. vbi hanc interpretationem Galat.
tribuit Rabbenu haccados. Iam quod sequitur,talis est via mulieris adulteræ, vt cum præ dicto sensu cōueniat intelligit Lyranus dictū de Synagoga Iudæorū,quę cum Deū pro suo acceperit maritoab illo desciuit declinando, in idololatriā & alia pleraque vitia,quæ tamē agnoscere nonvult,sed tanquam incorrupta virrgo vult haberi,& cum fornicata sit cum amatoribus multis,vt dicitur apud Hiere.dicit tamē non sum polluta,& non peccaui, vt est Hierem.

Esai.53. Hiere. 31.

Hierem.2. Maculata (inquit) es in iniquitate tua,dicit dominus Deus. Quomodo dicis non sum polluta, & non peccaui. Et posteà: Ecce ego iudicio contendā tecum,eo quod dicteris non peccaui,Sensus ergo esset: Quemadmodū incorruptæ sunt viæ prædictæ & incognitæ,sic & meretrix suā viam vult esse incorruptam & ignotam. Nec videtur absurdum dicere Spiritum sanctum vtrunque sensum hoc loco intendisse, & illum literalem humiliorem,& hunc spiritualem sublimiorem, maximè cū sit,vt dicitur in principio,visio siue prophetia. Porro prosequendo literalem sensum tertia illa sententia de muliere adultera significat, quod sicut via viri in adolescentula est abscondita,ita & via mulieris adulteræ, quod declarat subiungendo: quę comedit & tergit os suum & dicit,Nō sum operata malum,quo metaphoricè significat eam cōcubuisse seque purgasse instar eius, qui postquam comedit, abstergit os suum,negans se comedisse. Sic enim & illa negat se stupratam. Quod si in secundo versu secundum priorem lectionem legatur via viri in adolescentia, sensus hic esset, mulieris adulterę mentem similiter esse instabilem,vagam & incertam,eamque variis perturbationum motibus fluctuare. Potest tamen etiam hæc de muliere adultera sententia accipi non vt cohærens cum superiori,sed ab ea separata, vt dictio talis non ad superiora referatur,sed ad sequētia,& sit sēsus: Huiusmodi est modus agendi mulieris adulteræ, nempe comedit & tergit os suum &c. Non est enim Hebræis quæ comedit,sed tātum comedit. Et sic optime cōsistit mysterium natiuitatis Christi in versu præcedenti, ad quod intelligendū multum inuitat dictio Alma.

21 *Per tria mouetur terra,& quartum non potest sustinere.*

22 *Per seruum cum regnauerit, per stultum cum saturatus fuerit cibo.*

23 *Et per odiosam mulierem cum in matrimonium fuerit assumpta: Et per ancillā cum fuerit hæres dominæ suæ.*

QVARTVS iste est quaternarius,qui videri potest propositus ad declarandum tertiam illam execrandam generationē, de qua supra est dictū,cuius excelsi sunt oculi & palpebræ eius in alta surrectæ. Nam in quatuor istis notatur insignis & intolerandæ superbiæ vitium.Sunt autem ista quatuor talia quæ in sese absona sunt & indigna quæ eueniant, quorum duo priora in viris inueniuntur,alterum in seruili conditione,alterum in libera, proinde apud Hebræos hæc duo vno versu copulantur, posteriora duo in mulieribus,alterum in libera conditione, alterum in seruili, quæ & ipsa apud Hebræos, vno versu comprehenduntur. De his dicitur per tria mouetur,hoc est,commouetur vel concutitur terra, imò & quartum est quod simul cum illis terra nō potest sustinere, hoc est,sufferre & tolerare.Hoc est, quatuor sunt,per quæ & propter quæ commouetur terra,& quę ferre non potest. Nam & hic non est quartum Hebræis, sed quatuor.Nec minus tria sunt intoleranda quam quartū.Per hæc moueri dicit terram,siue ad designādum hæc quatuor res esse adeo indignas, vt ād eas terra alioqui inter omnia elementa immobilis, contremiscat & commoueatur,quasi indignata quod eas ferre in se debeat,siue quod per hæc magna oriatur turbatio & commotio in terra inter homines, qui hæc ægrè ferre possunt,ita vt terra dicatur moueri quia hinc homines in terra viuentes commouentur & conturbantur. Sicut enim per quatuor elementorum bonam temperaturam optimè constitutus est mūdus, ita per horum discrasiam & indignam constitutionem terra turbatur,inquietatur, & tumultuatur.Quorū primum est seruus regnans.Absona enim hęc res est & seruili conditione nequaquam digna,imò cum illa pugnans. Non enim serui est regnare,sed seruire.Nec solum res est in se absona, sed vt in plurimū hinc in terra magna oritur turbatio. Nam cū seruum regnare contigerit, ferè non potest rectè vti prosperitate fortunæ cui prius non assueuit, sed insolescit & plus nimio extollitur, vnde in zelum contra eum concitantur qui illum sibi prælatum vident,sicque & ipse concitatur contra eos qui ipsum reputant illo honore indignum.Exemplum est in Ieroboam seruo prius Salomonis, sed posteà in regem prefecto super decem tribus Israel, qui per animi elationē immemor diuini beneficij induxit populum ad idolatriā.Vnde benedictū est à quodam,Asperius nihil est misero: cum surgit in altum.Secundū est stultus satiatus cibo. Nam & is multas excitat turbationes, petulāter multa insolenter & sine ratione agit,audax nimium & procax, iurgia excitans & iniurias ingerens. Nec tamen per satietatem cibi tantum ventris saturitas debet intelligi,sed generaliter opulentia & diuitiæ quas in se absonum est stultum habere, vt quę non deceant eum, qui eis rectè vti non potest, sed debeantur sapienti qui earū rectū nouit vsum. Nam vt supra dictum est,Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiā emere non possit? Nec est tantū hæc res in se absona, sed hinc in terra magna prouenit turbatio, quod stulti diuitiis abutentes multa insolenter committant, alios despicientes & iniuria afficientes, ac per hæc alios ad indignationem ac zelum concitantes. Exemplum est in Nabal marito Abigail, cuius nomen hoc loco ponitur pro stulto. Nam Nabal stultum significat.Tertium est mulier odiosa, hoc est, quę multas habet cōditiones ob quas est odibilis,vel fuit odio habita cum in matrimonium fuerit assumpta.Absonum enim mulierem odiosam fieri coniugem, cum coniux debeat esse amabilis. Illam si contingat fieri coniugem, ferè & ipsa non agnoscens beneficium, insolenter se gerere incipit in maritum ac totam familiam,quę eius imperium & insolentiā eo ægrius fert, quo magis est odibilis. Vnde in familia nihil potest esse pacis aut boni, sed omnia plena sunt turbationibus. Quartum est ancilla facta heres dominæ suę Pugnāt enim inter se esse ancillam & esse hæredē eius cuius est ancilla.Istud autem esse heredem dupliciter fieri potest. Aut vt succedat post mortem dominę suę in eius bona & locū, fiatque coniunx mariti dominæ suæ, aut vt expulsa domina, ancilla in eius locum assumatur.Vtrunque intolerabile est, sed magis postremum. Vtrumuis accidat excitantur in terra tumultus multi, cum & ancilla fortuna

sua

sua vti nesciat nisi insolenter & alij illinc ad indignationem prouocentur. Exemplum aliquale in Agar ancilla Saræ quæ videns se coniugem factam Abraæ, seque ex eo concepisse, contempsit dominam suam, quòd illa non ferens expulit eam. Duo ergo priora faciunt turbationem in republica, duo posteriora quæ
Galat.4. fœminarum sunt faciunt turbationem in familia. Parabola docet hinc omnia turbari in mundo, quòd his qui subesse & regi, quique inopia premi & contemni deberent, imperium obtingit, dominium rerum, abundantia & honor. Quod & in nobisipsis vsuenit. Commouetur enim ob id terra cordis nostri, quòd carnalis affectus qui spiritui deberet seruire imperet rationi, quòd stultæ & brutę portioni nimis indulgetur saturitatis, quod odiosa caro in nimio habetur honore, & quæ ancilla esse deberet dominari vult.

24 *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus.*
25 *Formicæ populus infirmus qui præparat in messe cibum suum.*
26 *Lepusculus plebs inualida, quæ collocat in petra cubile suum.*
27 *Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.*
28 *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.*

POST quatuor quaternarios, qui videntur pertinere ad quatuor generationes malas, & vitia designant, duos subiicit quaternarios pertinentes ad significationem bonarum generationum & virtutum. Et primus quidé proponit quatuor animalia minora in quibus nos ad exercitium virtutis vult philosophari, secundus verò animalia maiora. Quatuor (inquit) sunt minima terræ, hoc est, ex minoribus terræ animalibus, quæ tamen sunt sapientiora sapientibus, hoc est, quæ ex instinctu naturæ exercent quædam sapientiæ opera, magis quam hi qui nomen sapientis profitentur, aut quam homines qui verè sapientiæ sunt capaces. Non enim verè hęc animalia sunt sapientia, sed hoc eis tribuit propter singularem quandam eorum actionem quam ex instinctu habent naturæ, qua ita sibi prospiciunt quasi ex sapientia aliqua operarentur, & qua nos sapientiam docent. Vnde & ideo possunt dici sapientiora sapientibus, quòd sua actione singulari docent sapientes sapientiã, & ab eis non docentur. Primum horum est, Formicæ populus infirmus. Vbi formicæ, est pluralis numeri, cui oppositiuè iungitur populus infirmus, hoc est, genus infirmum vel congregatio, quæ licet sit corpore imbecilli & minus robusto, tamen præparat in messe, vel vt habent Hebræa, in æstate, cibum suum quo alatur in hieme, labore scilicet assiduo superans naturæ infirmitatem. Huius exemplum primo proponitur, vt ex hoc quæ sit prima pars sapientiæ discamus. Ex his enim quatuor animalibus quatuor discere licet sapientiæ partes, quæ in vnum collectæ, & in tota republica, & in quouis homine absolutam reddent sapientiam vitæque institutionem. Huius prima pars est, eorum quæ necessaria sunt ad vitam, siue corporis, siue animi inprimis curam habere. Id quod nullum animal facit neque tempestiuius neque sagacius neque diligentius quam formica. Vnde ad huius animalis genus tanquam maximè sedulum & laboriosum pigros supramisit Salomon, dicens: Vade ad formicam ô piger Hic autem præter sedulitatem meminit etiam imbecillitatis in hoc animali dicens, populus Sup.c.6. infirmus, vt ne quis temere prætexat corporis infirmitatem, quasi per eam non possit curare quæ sunt vitæ necessaria, significans labórem improbum omnia vincere, maximè si in tempore sit susceptus, cuius temporis etiam signi ficat habendam rationem cum dicit, parat in messe vel in æstate cibum suum. Significat itẽ huius animalis exemplo, mentis magis industria quam corporis viribus, necessaria colligi posse, sicut formicæ non fortitudine, sed naturali prudentia sibi prospiciunt. Secunda sapientiæ pars, vt nobis de commoda habitatione in qua securè possimus degere, prouideamus. Docet id secundum animalculum, Lepusculus plebs inualida, pro lepusculo alij vertunt cuniculum, omnino cuniculi de genere videntur esse leporum, vt non malè diminutiuum lepusculus positum videatur pro cuniculis, quãuis conueniebat pluraliter dicere lepusculi vel cuniculi. Sicut supra dixit formicæ, quia sequitur oppositiuè plebs inualida. Hebræa certè habent numerum pluralem. Septuaginta verterunt χοιρογρύλλαι, choirogrylli, quomodo & noster interpres dictionem hic positam vertit, Leuit.11. & Deuter.14. secutus Septuaginta. Est autem choirogrillus animal non maius Ericio, habens similitudinem muris & vrsi, frequens in Palestina, semperque in cauernis petrarum & terræ foueis habitare solet. Eandem tamen dictionem hic positam Psal.103. vertit Erinaciis. Septuaginta λαγωοῖς, hoc est, leporibus, alij cuniculis. Nam & ibi dicitur quod his animalibus sit petra refugium. Vtut est significatur hoc nomine animalculum quod in petra vel cauernis petrosis loco scilicet tutiore minusque accesso, sibi cubile & mansionem deligit, vt quod suis viribus fidere non potest eo loci securum sit, quod bene conuenit cuniculis. Post curam annonæ & securę habitationis danda est opera vt in pace & concordia viuamus cum hominibus, atq; cum eis charitatis & amicitiæ vinculo colligamur, naturę magis ductu & rationis quã principum coactione. Docet id tertium animal locusta, animal exiguũ quod naturæ ductu gregatim de agro in agrum cum summa concordia egreditur, & cum ducem non habeat, tamen proficiscendi tempus, incedendi ordinem, quiescendi stationes, & castra mouendi opportunitatem, non minus seruat, quam si ducem signo dato sequeretur. Animal hoc si separatum incedat, sine negotio interficitur, cum verò gregatim volat nullis viribus nullo ingenio aut arte superari potest, latissimos agros tegit, & tanta prouenit multitudine, vt nemo conetur expellere aut aggredi. Quo exemplo docet natura, quam nos muniat & insuperabiles faciat concordia & amicitia mutua, qua paruæ res crescunt, sicut cõtra etiam magnæ dilabũtur discordia.

Quarum

Quarum animal quod & ipsum singularem docet sapientiam, noster interpres vertit Stellionem. Stellio, inquit, manibus nititur, quia in parte secutus est Septuaginte, qui habent καθαβώτης, hoc est, lacerta. Est enim stellio serpens lacertæ similis circulis quibusdam & velut lucentibus guttis in modum stellarum depictus, de quo dicit Plinius libr.31. naturalis historiæ cap.10. nullum animal fraudulentius inuidere homini. Vnde Stellionum nomen aiunt tractum in maledictum, hinc & stellionatus vitium dicitur. Alij ferè vertendum putant areneam. Nam eius industria in texenda tela optimè quadrat nostro exemplo, eique bene conuenit quod pro eo quod nos legimus manibus nititur, habent Hebræa, manibus capi, quia quasi manibus quibusdam videtur texere telam suam. Magis tamen hoc conuenit Simiæ, quam hic plerique Hebræi significatam potant, cum cuius nomine & Latino & magis Germanico dictio Hebræa, hoc solum loco in scripturis posita satis conuenit. Est enim Hebræis שמברית Schemamith, cui non dissimile est nomen simia, & Germani cum Simme. Nam aranea apud Hebræos habent nomen עכביש Accabis, Iob 8. Esa. 59. Et stellio quidem & aranea versantur etiam in ædibus regum, sed frequentius in domibus pauperum, verum simia ob ingenij sui dexteritatem & humanæ prudentiæ imitationem in principum aulis habetur in delitiis, cum aulicis versans velut de numero, & laute viuens. Tale enim animal omnino intelligendum videtur quod sua industria cõspicuum est, & in precio in aulis regum, quod maximè Simiæ conuenit, quæ quia & forma & manuum similitudine ac imitatione hominem inter omnia animalia maximè refert, in delitiis est etiam apud principes. De hac optime dicitur quod capit manibus. Vt vt est tale animal proponere voluit, quod nos doceat cõtendendum ad honores & principum fauorem obtinendum, idque per industriam & singularis gratiæ ostensionem, sicut stellio singularis fraudulentiæ & veluti manibus quibusdam rependo suisque stellulis lucendo conspicuus est & admirandus regibus, vt & aranea subtilitate sui operis, & simia dexteritate actionum suarum. Atque hæc est postrema sapientiæ pars. Vnde & supra dictum est cap.22. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Cæterum quod hæc animalia nos docent, sicut accommodari potest ad vitam corporalem & ciuilem iuxta præscriptum modum, ita & ad vitam spiritualem & Ecclesiasticam. Docemur enim hinc inprimis etiam curare quæ ad vitam animæ pertinent, idq; dum tempus est parandi cibum & bene operandi. Deinde vt domum nobis paremus in qua tute degamus, quæque sit supra firmam petram constituta, nec possit facilè deiici. Post hæc vt per concordiam & communionem sanctorum tuti simus & muniti contra omnes hostium insultus. Et postremum vt nostra industria gratiam & fauorem summi regis obtineamus, quod aliquando in aula eius cœlesti recipi & versari possimus. Rursum notandum non tantum ad particulares homines accommodandum, quod hæc docent animalia sed etiam ad ipsas respublicas. Ideo enim proponitur formicarum, cuniculorum & locustarũ agmen, instar populi vel gentis, non autem singulare animal. Docetur ergo Respublica, curandum esse sibi vt omnes in ciuitate sint seduli & laborioſi, deinde vt commodum sibi locum deligat eumque muniat vt secura possit habitare. Tum vt concordiam inter ciues retineat, qua contra omnes hostes sit fortis & munita. Postremò vt cum capite suo & principe ipsi bene conueniat, vt vicissim princeps sedulus sit & vigilans, quod bene docet aranea telam texens, quę ideo intelligi potest dici in domibus regum esse vt doceat reges sedulitatem.

29 *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter.*
30 *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.*
31 *Gallus succinctus lumbos suos, & aries, nec est Rex qui resistat ei.*

ALTERVM animalium, sed maiorum quaternarium Sapiẽs proponit quibus vnam eandémque conditionem ascribit, nẽpe quod bene fœliciterque incedunt vel gradiuntur, hoc est, quod magnifico incedunt gressu. Nam idem esse quod dicitur de tribus nẽpe quod bene gradiũtur, & quod de quarto nempe quod incedit fœliciter, patet manifestè ex Hebræis, ex quibus etiã patet primam sententiam sic esse intelligendam, vt superius de similibus dictum est, Tria sunt quæ bene gradiuntur imò & quartum est cum illis tribus quod incedit fœliciter. Verum duplex circa hunc quaternarium oritur difficultas Primo enim dubium est iuxta nostram maximè lectionẽ, quæ sint hæc quatuor bene gradientia. Secundo quorsum hæc proponantur, & quid per ea significare nosque intelligere voluerit sapiens. Quod ergo attinet ad priorẽ difficultatem, certum est primum animal leonem esse, fortissimum animalium quod ad nullius pauet occursum. Pro quo Sptuaginta habent, catulus leonis fortior iumentis, Secũdum vero, quod noster sicut & Septuaginta vertit gallum, Et gallum succinctum lumbos suos, alij vertendum putant leporarium lumborum, ideſt, canem venaticum, alij pardum. Dictio enim Hebraica cum hoc loco tantum occurrat in scripturis quod animal significet non facilè sciri potest, idque eo magis quod nominum propriorum notitia apud Hebræos periit magna ex parte. Quod si quis vim spectet vocabulorum hic positorum, inueniet ea significare animal accinctos habens lumbos, & cuius robur est in lumbis. Vnde quidam intelligunt canem venaticum, quod is in lumbis sit tenuis quasi accinctos habens lumbos. Aliis pardum quod & is in lumbis tenuis sit & fortis. Alij gallum gallinaceum qui e lumbis nõ est, hoc est, nequaquam castratus. Cuicertè sicut & pardo magis conuenit magnificus incessus quam cani venatico, quanquam, & huic rectè conuenit bene incedere ob velocẽ eius cursum. Ideo autem de lumbis videri potest facta mentio, ad distinctionem

caponis

caponis qui non incedit magnificè. Gallus verò non elumbis quem gallinaceum dicimus, qui hic dicitur succinctus lumbos suos & Græcis vno nomine dicitur ἀλεκτρὸς, quod hic habent Septuaginta hic incedit alta ceruice & erectis cristis. Certat cum gallis gloriæ studio, canit in victoria, principem se ostendens, victus verò occultatur, lucemque & aspectum hominum fugit. Excitat suo cantu homines è lecto, lucemque adesse nunciat, Gallinis maritali adest affectu eas defendens. Dicitur autem gallus gallinaceus succinctos lumbos, non quo modo succinctio lumborum referatur quandoque ad continentiam, sed quomodo succincti lumbos dicuntur parati ad ingressum & pugnam, quòd scilicet per lumborum fortitudinem promptus sit ad pugnam & procreationem & magnificum incessum. Tertium animal noster vertit aries, alij hircum, sicut & Septuaginta qui habent τράγον ἡγούμενον ἀπολὶς hoc est, hircus dux gregis. Nihil autem refert ad rem aries dicatur, siue hircus cum vterque magnificè incedat, gregem præiens tanquam dux. De quarto autem animali dubium ingerit nostra lectio. Nam cum legimus. Nec est rex qui resistat ei, quartum Beda post Gregorium putauit petendum ex sequenti versu, vt quartum sit qui stultus apparuerit postquam in sublime eleuatus est, cumque per leonem Christum per gallum, prædicatores sanctos, per arietē ordinem sacerdotalem significari mysticè interpretetur, per stultum hunc in sublime eleuatum, Antichristum intelligit, differentiam faciens inter fœliciter incedere & bene incedere. Antichristum quidem dicens fœliciter incedere ob prosperitatem fortunæ, non autem bene ob virtutis defectum. Tres verò priores bene quidem incedere, quia cum virtute, non autem fœliciter, propter aduersitates in hoc seculo eis occurentes. Mutuatus est hunc suum commentarium de verbo ad verbum Beda ex diuo Gregorio libr. 30. Moral. cap. 5. vbi prolixè hic locus explicatur. At hæc nullo modo
Gregor. conueniunt cum scriptoris intentione, cum vt supra dictum est idem sit fœliciter incedere & bene. Proinde necesse omnino est fateri lectionem esse vitiatam, siue culpa interpretis, siue scriptoris, & legendum esse quemadmodum & Lyra annotauit Aries, & Rex, nec est qui resistat ei, vt quartum sit, Rex inuictus & insuperabilis, quomodo & Dionysius legit & intelligit. Atque sic verisse nostrum interpretem, sed scriptorum vitio aliam lectionem irrepsisse omnino videri potest, quod Hebræa sic apertè habent itidem & Græca. Quomodo enim his linguis habentibus, & Rex, affirmatiuè, noster verteret, nec est rex. Et etiamsi sic vertisset omnino locus est restituendus, quòd alioqui nullus sit commodus sensus. Codex Bessarionis qui asseruatur in nostro collegio habet, Et aries, nec est qui resistat ei, omissa regis mentione, quomodo & multi alij libri habent. Et hæc quidem pro prioris difficultatis solutione. Quod ad secundam attinet quandoquidem Sapiens sic hos quaternarios proponit, vt rara quædam sapientiæ secreta in eis latere videantur, sed quæ tamen nec per ipsum nec per alias scripturas aperte explicantur, Integrum est vnicuique pro talento sibi à Deo dato in eis philosophari. Itaque sunt qui per hæc quatuor intelligunt insinuata quatuor regna & imperia, sicut per similes ex parte bestias apud Danielem designã Daniel. 7
tur. Alij verisimilius volunt quatuor virtutes, cardinales indicatas, per quas sit vt homo rectè incedat, In Leone enim rectè fortitudinem indicatam quis dixerit, quę omnia huius mundi, siue prospera, siue aduersa facilè contemnit nihil timens, neque ab instituto cursu deflectens quicquid euenerit. In accincto lumbos animali, quodcunque sit illud, continentiam qua carnales restringimus affectiones, quæ peculiariter in gallo designatur rectè, quòd à somno excitet ad vigilantiam per quam libido pellitur. In ariete vero siue hirco gregis duce, qui reliquum vulgus videtur gubernare, non absurde prudentia intelligitur, quæ virtus cum rectè omnia dispenset, rectè etiam incedere facit & spiritualem cursum plurimum promouet. In rege cui nemo resistere potest, iustitia rectè accipitur virtutum omnium regina, & quæ regibus inprimis competit, quæ sic æquitate omnia disponit, vt nemo quantumuis alienus à virtute illam accusare possit aut condemnare. Alij aliter hic philosophantur. At probabilissimum est tria priora animalia bruta regi coniungi, vt ex eorum cognitionibus indicaretur quæ competant regibus, nempe vt sicut rex magnificè cum illis dicitur incedere, ita in illis imitetur quod in eis est eximium. In leone ergo ei proponitur imitanda fortitudo, qua tamen sic vtatur cum opus est vt non abutatur. Leo enim non sæuit, nisi irritatus, subiectis sciens parcere, sic & principes non debent ostendere suam potestatem, nisi cum opus est, subiectis facilè indulgentes,
neminem tamen pauide verentes iuxta illud Eccles. 7.
Ecclesiastici: Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis. In gallo proponitur imitanda vigilantia ad quam & suos semper excitare debet. In ariete vel hirco monetur, quòd subiectos sibi debet bonis legibus ad ea quæ recta sunt ducere, & ad eorum defensionem se hostibus obiicere. Competunt hæc omnia in regem illum omnium regum dominum, in quem verè quadrat quod nemo ei resistere potest, de quo dictum est, Vicit Leo de tribu Iuda, de quo etiam Augustinus lib. 12. Apoc. 5.
contra Faustum ca. 42. intelligit, legens secun Auguſt.
dum Septuaginta, catulus leonis fortior iumẽtis, hoc est, inquit, etiam paruulus fortior maioribus, Qui tanquam gallus clamat. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, Ipse est, & per
arietem illum significatus qui inter vepres hæ Gen. 22.
rebat cornibus suis, & pro Isaac oblatus est. Ioan. 10.
Ipse est qui ante oues suas vadit & ponit animam suam pro ouibus suis.

32 *Et qui stultus apparuerit post quam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.*

33 *Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butirum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem, & qui prouocat iras, producit discordias.*

Sicut

SICVT in superiori sententia ostendimus communem lectionem esse restituendam aut corrigendam, ita consequenter faciendum in priori harum duarum sententiarum quæ alioqui nullum habebit sensum commodum. Omittenda enim coniunctio, &, posita in principio. Neque enim vlla est huius sententiæ cum præcedenti cognatio, sed planè separata, vt patet ex Hebræis, & à Lyrano diligenter est annotatum. Omittenda item coniunctio (enim) in secunda parte quæ etiam sensum tollit, & est legendum, Qui stultus apparuerit postquam eleuatus est in sublime, si intellexisset &c. quomodo & Arboreus exponit Aut potius pro, & est legendum verbum, est. Sic enim bene conuenit coniunctio enim, & postea coniunctio autem. Et in sequente sententia legendum verbum apparuit, quomodo habent aliqui libri, non autem apparuerit. Vt autem huius sententiæ verus habeatur sensus, sciendum est Hebræa habere. Si stulte egisti te eleuando, vel cum eleuatus es, si cogitasti (scilicet malum) manum ad os (scilicet admoue) hoc est, tace, nemini dicito, nec quod male cogitasti ore proferas. Qua sententia monet Sapiẽs, vt aut homo propria delicta quæ se per superbiam admisisse nouit, tegat, aut vt quod malè quis cogitauit, ore non proferat, sed malè cogitata in seipso contineat &
Pſal. 4. reprimat iuxta illud: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Sensus ergo nostræ lectionis est. Frequenter accidit vt quis postquam eleuatus est in sublime, hoc est, postquã ad magnos honores peruenit, aut postquam seipsum in suis cogitationibus extulit, stultus appareat, hoc est, stultitiam suam declaret, multa scilicet vt fieri solet superbè iactando & iracunde effutiẽdo. Talis enim si intellexisset, hoc est, si prudens fuisset si intelligentia recta præditus fuisset, imposuisset ori suo manum, hoc est, tacuisset & linguã suam continuisset, nec alios ad iracundiam aut derisionem prouocasset. Solemus enim impositione manus super os, indicare alicui seruandum silẽtium, & cum tentauimus quid proferre & cogitamus id tacendum, imponimus ori manum. Vult significare per imprudẽtem illius & futilem loquacitatem, multum mali & ipsi loquaci & aliis prouenire, quod per sequentia declarat. Neque enim Hebræis est, Qui autem, sed qui enim. Habent autem Hebræa hoc loco & breuiorem & elegantiorem sententiam quæ sic reddi potest. Quia expressor lactis educit butyrum, & expressor naris educit sanguinem, & expressor irarum educit contentionem. Est enim in tribus istis partibus idem semper nomen & verbum. Vnde eleganter sic latinè verti potest, Qui exprimit lac, profert butyrum, qui nares, sanguinem, & qui iras, contentionem. Hic tamen difficultas est quomodo dicat expressionem lactis proferre butyrum. Non enim butyrum fit per emulsionem lactis ex vberibus. Maior difficultas est in nostra lectione quæ habet, Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, quasi butyrum fiat per fortem pressionem vberum ad eliciendum lac. Exponit Lyranus & post eum alij, exprimit butyrum, hoc est, materiam lacte solidiorem, quæ non erat extrahenda, sed dimittenda. Sed videtur nimis friuola expositio. Plerique Hebræa secuti putant non de emulsione lactis ex vberibus istud dictum esse, sed de pressione & tunsione lactis in vtre ex qua prouenit butyrum. Nam de vberibus non fit mentio in Hebræo. Vnde non vertunt, Qui exprimit vel emulget lac, sed qui premit lac, hoc est, qui illud crebrius in vtre tundit, is profert butyrum. Sed de emulsione intelligendum potius videtur exigere quod sequitur de emunctione narium. Et Septuaginta verterunt, Emulge lac & erit butyrum, Intelligendum ergo eum qui emulget lac exprimere butyrum vel vt habent Hebræa, educere butyrum, quòd simul cum lacte butyrum educatur, licet adhuc lacti permixtum à quo postea per concussionẽ seperatur. Quomodo intellexisse Bedam satis apparet cum diligenter legitur eius commentarius. Qui tamen in eo errauit quod in secunda parte (emungit) exponit per emulget, referens id etiã ad vbera, & intelligens eum, qui vehementer emulget vbera elicere sanguinem ex vberibus. Intelligendum est enim qui vehementer emungit nares, vt patet ex Hebræis & Græcis, quæ nares, apertè exprimunt. Bedæ commentarius, ad verbum desumptus est ex diuo Gregorio lib. 27. Moral. cap. 1. Loquitur ergo sapiens
de duplici vehementi emulsione, altera lactis- Gregor.
ex vberibus, altera muci ex naribus. Et his cõparat tertiam, qua expressio irarum producit discordias. Et est sensus: Sicut per emulsionem lactis, simul educitur butyrum, & sicut per emunctionem narium si vehemens sit educitur sæpè simul & sanguis, ita si quis non cohibeat cogitationes suas & conceptam iracundiam, sed per stultitiam suam emulgeat eam & exprimat eam verbis iracundis & minabundis, volens semper ius suum prosequi, aut potius qui verbis importunis prouocat aliorum iras, simul producet & excitabit sibi discordias & contentiones contra alios. Monet ergo hac parabola comprimendam iracundiam, & ori manum imponendam cum quis exagitatur malis vel superbis cogitationibus Subtilius tamen ad similitudines duas attendendo videri potest alteram pertinere ad virtutẽ, alteram ad vitium, quamuis vna tantum explicetur, vt per emulsionem lactis quæ adfert secum butyrum significetur tacitè prolatio modestorum, humilium & sapientum verborum quæ secum adfert pacem, dulcedinem & pinguedinem quandam mentis, sicut per emunctionem narium quæ sanguinem educit significatur quod exprimitur prolatio iracundorum sermonum quæ discordiam parit, vt sit sensus: Qui emulget lac, simul & educit butyrum, sic qui ex corde suo profert suauia verba modestiæ & gratiæ plena, simul etiam adfert in audientibus mentis pinguedinem qua nutriatur & reficiatur. Qui verò nares emungit sæpè & sanguinem elicit, ita qui ex corde suo sordes verborum profert superbe & iracunde loquens, adfert simul & discordias quas sæpe sequitur sanguinis effusio. Sic intellexisse Septuaginta apparet ex eorum versione, quæ sic habet. Emulge lac & erit butyrum, Si autẽ expresseris nares, exibit sanguis, satis significantes has duas similitudines nõ pertinere ad
idem.

idem. Significatur ergo hic quod alibi dicitur Responsio mollis frangit iram, & sermo durus
Sup. cap. 5. suscitat furorem. Gregorius Nazianzenus ora
Nazian. tione 31. verba illa, Emulge lac & erit butyrum, refert ad pressam sacrarum scripturarum consideration em, quæ affert intelligentias pingue dine plenas. Citans enim ea verba sic explanat. Verum dictis aliquid elaboratius addemus: Emulge lac & habebis butyrum. Inquire, & inuenies forsitan quod magis te nutriat.

CAPVT XXXI.

1 *Verba Lamuelis Regis, Visio qua erudiuit eũ mater sua.*
2 *Quid dilecte mi, Quid dilecti uteri mei, Quid dilecti votorum meorum?*
3 *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, & vias tuas ad delendos Reges.*

ADMODVM singulare est postremũ istud libri huius caput. Continet enim & singularem titulum & singularem materiam. Nam vt titulus indicat, primum continet singularia quædam documenta quæ à matre Sapiens accepit, & deinde ex matre occasione accepta carmine describitur excellentia sedulæ mulieris. Titulus autem, & nouum tribuit Salomoni nomen, & describendam materiam nouo etiam nomine appellat, quia eam vocat sicut & superiori capite, visionem, hoc est, prophetiam. Sola enim hæc duo capita in hoc libro istam habent appellationem. Nomen autem Lamuel omnium consensu hic Salomonem significat. Cuius vocis etymologia est, ipsi Deus, scilicet est, vel cum ipso est Deus, & constat duabus literis nominis Salomonis. Omissa est enim prima litera S. & additum est nomen Dei El. Et videri potest hoc nomen matrem ei tribuisse postquam videret Deum esse cum eo, quoniam in verbis matris nomen hoc ponitur, vt quæ prius eum vocauit Salomonem nunc omissis quibusdam, & quibusdam additis vocauerit eum Lamuel. Dicuntur autem verba subiuncta esse verba Lamuelis, cum mox dicat esse verba matris suæ, siue quod sint ab ipso descripta, siue quod ad ipsum pertineant, tanquam ad ipsum peculiariter à matre dicta. Vocat visionem vel prophetiam sequentem matris doctrinam, non quòd sit de futuris vaticinatio, sed quod sit diuina doctrina, quam vel ipsa mater per se vel per Nathan prophetam ex diuina reuelatione accepit. Visio, inquit, hoc est, oraculum diuinum quo erudiuit eum mater sua. Vnde constat hanc matrem singulariter piam fuisse & ex pietate erga Deum peculiarem filij gessisse curam, quo illum in his quæ Dei sunt rectè institueret pro legitima suscepti regni administratione. Nec puduit regem licet sapientissimum tradita sibi à matre documenta & recipere & ore proponere, vt suo exemplo doceret non patris tantum monita filiis amplectenda, sed & matris, iuxta illud quod prius dixerat: Audi fili disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Nam suprà capite 4. testatus est quæ à patre acceperit monita, nunc verò quæ à matre. Cæterum verisimile est matrem hæc salutaria monita filio dedisse iam in iuuentute suscepto in regem post mortem patris Dauidis. Quæ monita mater traditura, in sermonis exordio Rhethorum more beneuolentiam captat, blandiuscule filium compellans & titulis amoris gratiam apud illum captans, maternum hac ratione declarans affectum, & regis dignitatem omnino conferuans. Primum ergo dilectum suum tantum vocat, aut vt habent Hebræa filium suum: Nam ter pro dilecto Hebræis semper est nomẽ filius quod apud nos semper est subaudiendum. Secundo, augendo quod prius dixerat vocat eum dilectum scilicet filium vteri sui, insinuans dolores & pericula partus, naturęque consortium, atque ob id & pro naturæ & Dei legibus magis esse obtemperandum matri. Tertio magis adhuc augendo vocat dilectum votorum suorum, hoc est, in quẽ tendũt omnia vota & desideria ipsius, hoc est filium vnicè dilectum & exoptatissimum, cui regnum à patre Dauide magno desiderio & summis precibus obtinuit, pro cuius salute vnice solicita fuit, in quo omnia eius desideria quiescebant. Quod autem dicit, Quid dilecte mi, &c. aut est oratio imperfecta suppleda hoc vel simili modo, Quid petam à te, aut quid potissimum tibi dicam. Aut dictio quid tantum posita est, vt sit excitantis ad attentionem dicendorum, vt sit quasi dicas, Hem vel heus dilecte mi. Subiiciuntur autẽ quatuor seu quinque monita matris. Quorum primum est, Ne dederis mulieribus, &c. vbi notandum inprimis male legi in secunda parte diuitias tuas, quomodo tamẽ etiam Beda legit, cum legendum sit vias tuas, vt habent libri correctiores. Nam id concordat cum Hebręis. Verum quia præcedit substantiam aliquis vias mutauit in diuitias, quod sic videretur esse sensus apertior. Porro pro (substantiam) potest etiam verti & melius robur vel fortitudinem, quamuis dictio Hebraica etiam substantiam & opes hominis significet, quòd hæ sint hominis robur Vnde Septuaginta verterunt τὸν πλοῦτον id est, tuas opes & diuitias. Iuxta quam vocis acceptionem instruit mater filium, ne det opes suas mulieribus, hoc est, ne tanto ardeat mulierum amore, vt det eis aut pro eis consumat suas opes. Sed quoniam timendum non est ne rex consumat suas opes in mulieribus, rectius intelligitur significatum robur & fortitudinem non dandam. Robur, inquam, tum mentis, tum corporis. Metuendum enim etiam regi est ne frequenti mulierum abusu, corporis vires perdat & animi, cum nihil magis animum reddat effœminatum, nihil magis eius intentionem eneruet & frangat. Atque hæ tum corporis, tum animi vires, præcipuè sunt hominis diuitiæ, vt etiam de eis nostra lectio possit accipi cum dicitur, Ne dederis mulieribus substantiam tuam, hoc est, opes tuas, inter quas primæ sunt animi & corporis vires & bona constitutio. Quod sequitur, Et vias tuas ad delendos reges, sic debet accipi, Ne dederis actiones & cogitationes tuas ad id quod delet & perdit reges, nempe ad amorem inordinatum mulierũ qui maximè perdit reges, alienans eos à Deo & intentione negociorum regiorum. Neque enim conuenit intelligere

Prouerb. 4.

intelligere matrẽ monuisse ne animũ suũ adiiceret ad perdendum reges vicinos, quẽadmodum quidam intelligunt. Nam bellum ad uersus infideles non solum erat licitum illi populo, sed etiã laudabile ad tollẽdũ idololatriam & cętera nefanda crimina. Et ferè in sententiis secunda clausula respondet priori.

4 *Noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat obrietas.*
5 *Ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum & mutent causam filiorum pauperis.*

SECVNDVM istud est matris præceptũ, quo iam regibus & principib. monet cauendum ab immoderato vini vsu ipsáque ebreitate, sicut superiori præcepto monuit cauendum à libidine. Vtrumque enim æquè peruertit mentem & negligentes facit homines in suo officio. Vnde in Oseæ dicitur: Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor, Habent autem hoc præceptum rectius Hebręa, hoc modo, Non est regum Lamuel, non est regum bibere vinum, & principum non sicera, vel & principum non est quærere vbi est sicera. Non enim mater monere vult quid filiũ non cõueniat aliis facere, sed quid ipsummet nõ conueniat in se admittere, videlicet quod non eõueniat ei vinum bibere, immoderate scilicet vt qui rex sit. Proinde nostra lectio sic est accipienda, O Lamuel noli tibi ipsi tan quam regi, noli (inquam) tibi, nec his qui tecum præsunt & iudicare populum debent, dare vinum intemperate. Nam hoc vitium in aulis regum familiare esse soler. Cæterum quod apud nos est, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas, Hebræa non habent, sed tantum & principum non est sicera, vt mirum sit nostrum sic vertisse interpretem, nisi quod & alibi diuus Hieronymus dictionẽ Hebræã hic positam רזנבם Rozenim, quæ propriè significat principes, vertit secretorum scrutatores, vt Esaiæ 40. Et omnino verisimile est nostrum interpretum pro Lamed deseruiente legisse לא Lo, quod significat non, ita vt putauerit sensum esse, Nõ sunt secretarij, vbi sicera vel ebrietas scilicet est, vel regnat. Nec malè conuenit hæc ratio prohibitioni ebrietatis & intemperantiæ vini in regibus. Cum enim rex & regij negocia regni quam maximè secreta habere debeãt, necesse est eos maximè abstinere ab ebrietate, per quam efficitur homo facilis ad effutiendum quod gestat corde Subditur tamẽ in sequenti versu alia ratio cauendæ intemperantiæ in regibus & omnib. iudicibus. Ne fortè, inquit, vbi benè biberint, obliuiscantur iudiciorum, quæ proferre debent, & male pronuntient in causa filiorum pauperis, hoc est, pauperum, pro quibus maximè debent ex officio esse soliciti. Vnde Ecclesiastes dicit, Væ terræ cuius principes mane comedunt, & beate terra cuius principes vescuntur in tẽpore suo ad reficiendum, & nõ adluxuriam. Simili ratione & sacerdotius in suo occupatis officio vinũ dominus prohibet dicẽs, vt est in Leuit. Vinũ & omne quod inebriare potest non biberis tu & fili tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est

Oseæ. 4.
Eccl. 10.
Leui. 10.

Ianſ. in Prouerb.

in generationes vestras. Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanũ, inter pollutum & mundum, docetque filios Israel omnia legitima mea quæ locutus sum ad eos. Vtinam hoc præceptum & à iudicibus & à sacerdotibus hodie rite obseruaretur, quibus cum vini intemperies omnino minime conueniat, maximè tamen frequens est impletúrque in eis etiamnum quod de suis Esaias conqueritur. Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie sic & cras & multo amplius. Quin & Carthaginenses simili lege interdixerunt magistratibus vsum vini. Quod in ipsis laudat Plato lib. 2. de legibus.

Esa. 26.

6 *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo.*
7 *Bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris, sui non recordentur amplius.*

DIXERAT quibus non sit dãdum vinũ, nunc pro tertio præcepto demonstrat quibus sit dandum, quamuis istud potius videatur obiter introductum, & non peculiariter pertinere ad officium regis. Vnde non dicit da, sed date, quasi ad omnes pertineat. Cũ autem Hebræa habeant, Date siceram pereũti, ne per pereuntem intelligi putarentur dãnati ad mortem (quidam intelligunt sed non satis rectè. Nam illis sanè non ita multum vini debetur, si velimus eos pie mori) sed per pereuntes intelligerentur omnes qui affligũtur, qui penuriam vel amissionem rerum suarum patiuntur, bene vertit interpres mœrentibus. Quibus sic vult dare vinum quomodo regibus dari noluit, nempe in ea largitate vt egestatis & afflictionis suæ ad tempus obliuiscantur, Regibus vero non ita largitate vt obliuiscantur iudiciorũ ab illis proferẽdorũ. Bibant, inquit, & obliuiscantur, hoc est, sic bibant vt obliuiscantur. Indicat hic locus largiorem potationẽ indulgendam his qui quotidianis fatigantur laboribus. Cæterum loci huius sublimior quidam sensus iucundus admodum est à Beda explicatus, nempe mœrentibus siue ob exilium huius mundi, siue ob prioris vitæ maculas dandum esse vinũ quod verè lætificat cor hominis, quod dominus in nuptiis fecit ex aqua, consolationem scilicet scripturarum & cœlestis sapientiæ, ac poculũ sanguinis Christi, vt sic inebriati peregrinationem huius vitæ leuius ferant, ac condemnationi metum quem lex Mosaica incutit animo excutiant, nec acsorbeantur abundãtiõri tristitia, pusillanimitate aut desperatione. Quod si & priorem sententiam mysticè placet accipere qua vinum regibus prohibetur, de alio vini genere accipiẽda erit, nempe de carnis & mũdi voluptatibus, quæ his qui per Christum reges facti sunt vt vitiis dominentur, non conueniunt, quia in eis qui illis dedi ti sunt, nullum est studium inquirendi secreta rerum cœlestium, sed per illas fit vt obliuiscãtur iudiciorum Dei, & pauperum Christi. Nõ est ergo bibendum vinum, quod obliuiscifacit iudiciorum Dei, bibendum autem quod facit obliuisci mala huius vitæ.

8 *Aperi os tuum muto,& cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt.*
9 *Aperi os tuum,decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem.*

POSTQVAM docuit filium ſuum à quibus debeat abſtinere,nunc docet quib. vacare reges potiſſimum debeant nempe iudiciis inter mortales exercendis & defenſioni pauperũ per iuſtitię exercitium.Quod primũ dicit obſcurius,ſic inquiens: Aperi os tuũ muto,hoc eſt, ei qui pro ſe aut neſcit loqui per imperitiam,aut non audet loqui per inopiam & verecundiam.Pro tali tu ipſe loquere patronum te illi exhibens & æquum iudicem.Cum autem ſequitur,& cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt:per filios qui tranſeunt,intelligunt quidam generaliter omnes homines qui continue pertranſeũt & excidũtur & moriuntur iuxta illud: Mane ſicut herba tranſeat mane floreat & tranſeat , veſpere
Pſal. 89. decidat,induret & arefcat,Nam illo Pſalmi loco idẽ eſt verbũ quod hoc loco. Itaque quod dicitur omnium filiorum qui pertrãſeunt,perinde eſſet ac ſi dixiſſet omnium mortalium, vt intelligatur ſignificari regẽ omnib. debere impertiri iuſtitiam,& diuitibus,& pauperibus.Magis tamen apparet ſignificari peculiariter homines quoſdam ope indigẽtes. Vnde ſunt qui peregrinos intelligunt ſignificatos q tranſire coguntur,& tanquam ignoti non facilè inueniunt qui pro eis loquantur. Poteſt & ſic accipi,vt filij qui pertranſeunt , ſint qui iniuria ſic afficiuntur & premuntur,vt morti ſint proximi,& trãſeant ex hac vita.Huic con
Gregori. uenit quod Hebræa habent, filij tranſitus vel excifionis.Diuus Gregorius myſticè hanc ſententiam prædicatoribus adaptans , intelligit filios pertranſeuntes eos qui in hoc mũdo viuunt tanquã peregrini,futuram patriam inquirẽtes.Sic autem habet li. 15.Mora.c.27.explicãs hãc ſententiã,muti dicuntur qui prędicatorum verbis contradicendo minimè reſiſtunt.Qui ẽt pertrãſeuntes ſunt,quia intẽtionem mẽtis in amore vitæ preſentis figere dedignantur.Quod obſcurius dictum eſt,ſequẽtibus verbis apertius inculcatur.Nec enim ſatis habuit ſemel dixiſſe, ſed q̃ omnino sẽperq̃ tegibus faciendum eſt,repetit : Aperi os tuũ,decerne quod iuſtum eſt,& iudica inopẽ & pauperem,liberando ſcilicet eos ab opprimentibus eos.De diuitibus verò non opus erat dicere.Nam illi,vt rarò afficiuntur iniuria ita & ſe facilè defendunt , & facile patronos inueniunt.Et hactenus quidẽ monita matris. Quæ ſequũtur,occaſione matris , in laudem ſtrenuæ dicuntur mulieris.Eſt autem carmen viginti & duobus conſtans verſibus,iuxta ordinem & numerum literarum Hebraicarum, à quibus ex ordine verſus incipiũt,quomodo & Pſalmi aliquot contexti ſunt,& Threni Hieremiæ.Quod vt ad literam facta & laudes cõtinet probæ mulieris,ita in myſtico ſenſu piè accommodatur,& cuique animæ fideli & ipſi Eccleſiæ quemadmodum prolixè proſequitur Venerabilis Beda,rectius ſanè quam Lyranus qui ſecutus ſuum Rabbi Salomonem, putat carmẽ iſtud etiã ſecũdũ literalem ſenſum dictum de ſacra ſcriptura,quam per mulierem fortem putat ſignificatam. Caiẽtanus etiam carmen quod ſequitur putat eſſe matris Salomonis verba quibus deſcripſerit officia probæ mulieris,vt filius diſceret quærere talem vxorem quæ huiuſmodi haberet conditiones.Sed prior ſententia eſt probabilior.Sic ergo incipit hoc carmen.

Mulierem fortem quis inueniet procul & de vltimis finibus pretium eius. *Aleph.*

LOQVITVR de muliere maritata, vt ex ſequentibus patet,ita vt verti etiam poſſet, Vxorẽ fortem.Fortem mulierem vocat non tam ad fortitudinem corporis quam ad fortitudinem animi reſpiciens, hoc eſt, quæ non ſit animi deiecti,nec pro ingenio muliebri timida ac parum animoſa ad res gerendas ſed ſtrenua,ſedula & planè virilis animi, & inferẽdo,& in agendo.Vnde Græcis eſt γυναῖκα ἀνδρεῖαν,mulierem,vel vxorem virilem vel fortẽ. De huiuſmodi cum quærit,quis inueniet, ſignificat raram eſſe,& fœlicem eum eſſe cui talis obtigerit,vel vxor,vel mater,vel domeſtica,iuxta enim proprietatem linguæ Hebrææ huiuſmodi quæſtiones raritatem ſignificant rei de qua quæritur,vt cum dicitur : Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum?Si homo peccauerit in Deum,quis orabit pro eo?Ita & hic ſignificatur paucos eſſe qui talem inuenire,aut quibus talis obtingere poſſit vxor,idque propter talium mulierum raritatem.Et quoniam rara talis eſt mulier,Ideo & eſt magni æſtimãda.Vnde ſubditur,Procul & de vltimis finib⁹ precium eius.Pro quo Hebræa habẽt clarius, Longinquum ab vnionib.precium eius, hoc eſt,pluris eſt æſtimãda quam margaritæ quãlibet magni precij.Vnde Septuaginta habent ὑπεραίρουσα ἐστὶ λίθων πολυτελῶν , precioſior eſt lapidibus magni precij. Proinde & noſtra lectio ſic eſt accipienda , precium eius mulieris eſt procul petendum,& de vltimis finibus terrę petẽdum,hoc eſt,precium eius magnum eſt, carum & rarum,vt ea quæ à longe afferuntur A longe petendum eſt quod ei debeat comparari & æquiparari,hoc eſt res eſt precioſiſſima,cuius pretium vix inuentri poteſt. Non enim relatiuum eius eſt maſculinum referẽdum ad quis , ſed fœmininũ referendum ad mulierem,vt patet ex Hebræis & Græcis.Iuxta myſticum ſenſum fortis hæc mulier vel vxor,eſt fidelis quęque anima,& ipſa tota Eccleſia,quę Chriſtum habet ſponſum,fortiter ſeſe gerens,& in aduerſis quibuſque toleran
Pſal.14. Sup.c. 2. 2.Reg.2. dis, & in virtutibus quibuſque perficiendis, ita vt ſanguinem ſuum pro Chriſto effundere ſit parata & reſiſtere poſſit principatibus & poteſtatibus cum quibus ei continuum in hac vita eſt bellum. De hac muliere forti merito quęritur quis eam ſit inuenturus.Solus enim Chriſtus inuenire ſibi potuit talem vxorem,qui ſolus eam talem facere potuit, quo eam faciente talem euaſit illa admodũ precioſa , ita vt precium eius à longe petendum ſit, nempè è cœlis , ſuperans longè omnium gemmarum valorem. Beatitudo enim cœleſtis quę precium eſt & merces huius mulieris

mulieris fortis,longe excedit omnium creaturarum æſtimationẽ. Vnde in Eccleſiaſtico
Eccle.26. vbi nõnulla ſimilia huic loco habẽtur de muliere forti & bona,ſic dicitur:Gratia ſuper gratiam,mulier ſancta & pudorata.Omnis autẽ ponderatio non eſt continentis animæ. Cum autem myſticè hoc carmen cuiuis fideli animæ accommodari poſſit,eximio modo quadrat,in eam, quæ inter omnes excelluit fideles animas , quæque Eccleſiæ fundamentum eſt & typus,in virginem ſcilicet Dei parã,quæ
Gen.3. vere rara eſt mulier,vt quæ parẽ non habuit vnquam nec habitura eſt. Verè mulier fortis, de qua dictum eſt,Ipſa conteret caput tuum.

Confidit in ea cor viri ſui,& ſpoliis non indigebit. *Beth,Gimel*
Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ.

ANTE omnia deſcribitur quid boni mulier fortis adferat viro ſuo,quia id eſt primum quod in vxore deſideratur, vt per eam bene ſit viro.Cõfidit(inquit)in ea cor viri ſui, hoc eſt,quoniam fortiter ſe illa gerit, vir eius non metuit de eius incontinẽtia, non metuit ne prodigat rem familiarem , aut eam otio & negligentia perire ſinat,ſed cõſpecta eius , tũ probitate,tum diligentia bene confidit in ea cor viri,quod alioqui ob mulierem parũ probã aut ſedulam æſtuare ſolet & torqueri multiplici metu.Et quod hæc viri confidentia eũ non fruſtrabitur,docet pars ſequẽs, Et ſpoliis non indigebit.Quod non eſt ſic accipiendum quaſi vir per mulierem ſit habiturus ſatis ſpoliorum,ſed quod per diligentiam vxoris abũdabit domeſticis operibus,vt non ſit ei neceſſe deſiderare ſpolia hoſtilia, atque ob ea conquirenda ad bellum procedere.Sunt qui ſpolia putant phraſi Hebraica ſignificare quæcũque neceſſaria ad rem domeſticam. Oſtendit ergo hæc pars bene cor viri in ea confidere,q̃ ſequẽs verſus magis adhuc comprobat. Reddit ei,vel reddet ei bonum & nõ malum. Hoc eſt,iuxta confidentiam quam vir de ea habet, reddet hæc mulier viro bonum,idque ſine alicuius mali permixtione, nec id ad breue tẽpus,ſed omnibus diebus vitæ ſuæ,ergo & poſt mortem mariti,ſi ipſam ſupereſſe contingat non obliuiſcetur eius, ſed piè ſemper erga illum affecta perſiſtet. Bonum autẽ quod mulier viro reddit,eſt animi ſecuritas , & per illã cordis lætitia,vitæ longæuitas,rerum domeſticarum procuratio & conſeruatio, & id genus
Eccl. 26. ſimilia.Simile eſt in Eccleſiaſtico: Mulieris bonæ beatus vir,numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virũ ſuũ,& annos vitę illius in pace,implebit.Et poſtea.Gratia mulieris ſedulę delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit diſciplina illius. Myſticè benè confidit deſponſa ſua, quam iam gratia ſua fortem reddidit Chriſtus,quod ab integritate fidei in ipſum non deficiet,quantũuis multi ſint qui eius integritatem corrumpere moliantur,ſiue prauis doctrinis,ſiue carnalibus illecebris.Bene confidit quod pro honore ſuo promouendo ſedula ſemper laborabit,ita vt ea laborante non indigebit vnquã ſpoliis,quia aſſiduè de manu & poteſtate diaboli ſpolia accipiet, direpta per ſponſæ ſuæ predicationes & bonæ conuerſationis exempla.Hæc enim memor expectationis quam de ſe habet ſponſus ſuus , memor beneficiorum quæ ab illo accepit, reddet ei non niſi bonũ, ſtudens illi in omnibus gratificari & gratias agere, agnoſcens etiam omne bonum quod habet & quod facit,illius eſſe,ab illo ſe accepiſſe,& proinde illi reddendum. Malum verò quod habet non eſſe illius,& ideo nõ illi reddendum aut aſcribendum.Facit autem id nõ ad breue tempus, ſed perſeueranter omnib. diebus vitæ ſuæ,iuxta illud:In ſanctitate & iuſtitia ſeruiamus coram ipſo,omnibus diebus noſtris.

Quæſiuit lanam & linum,& operata eſt conſilio manuum ſuarum. *Dalet*
Facta eſt quaſi nauis inſitoris de longe portans panẽ ſuum. *He*

HIC iam incipit oſtendere quomodo fiat vt vir ſpoliis nõ indigeat,ſed bene cõfidere poſſit in vxoris ſuæ ſedulitate.Quæſiuit. inquit,lanã,& linũ,hoc eſt,non expectauit vt ei lana & linum obtruderentur& ad operãdũ cogeretur ſed ipſamet quęſiuit lanam & linũ cupiens illa ſibi cõparare, vt honeſtis artibus & labore ſexui muliebri conuenientẽ domũ repleret rebus neceſſariis,atque ob id cõparatis lana & lino operata eſt in eis conſilio manuum ſuarũ,hoc eſt , per induſtriã manuum ſuarum,& non tantum manuum alienarum. Conſiliũ enim manuum poſitum eſt pro induſtria,quia propriè manibus non conuenit cõſilium.Hebræa clarius ſic verti poſſunt. Operata eſt in voluntate manibus ſuis, hoc eſt, operata eſt libenter & non coactè. Sic autem operando facta eſt ſimilis nauibus inſitorũ, ideſt,mercatorum,quia ſicut illæ naues quædã in lõginquas orbis partes deferunt, pro q̃bus ex eiſdẽ locis referũt alias merces vnde mercatores ſibi victũ & neceſſaria cõparant. ita & illa à longe ſibi parat panem ſuum, hoc eſt,Victum familiæ neceſſarium, quia pro his quæ manibus ſuis operata eſt, comparat ſibi etiam quæ ex longinquo adferuntur,dánſque exteris pannum à ſe cõfectum,accepit ab eis frumentum in cibum.Ipſa ergo cum domini maneat,nec cum mercatorib. extremos currat ad Indos,tamen velut nauis quædam neceſſaria à longè aduehens,etiam ipſa,ſua exteris communicando, portat de longe panẽ ſuum.Illud enim de lõge portans panem ſuũ, non ad nauem referendum eſt apud nos, ſed ad mulierem quæ ea in re naui aſſimilatur, quemadmodum patet manifeſtè in Hebræo, vbi naues pluraliter ponuntur.In eo ergo conſtituitur mulieris laus,quod manuali opera etiam peregrinas opes,& non ſolum quæ domini naſcuntur,inferat in domum mariti, nõ tamẽ ad luxum,ſed ad neceſſitatẽ,quæ nomine panis deſignatur. Myſticè hæc item præſtat Chriſti ſponſa,quæ quod ſibi, ſuiſque paret,quibus tegantur & ornentur,vndique ſibi comparat aptos ad hoc Dei ſermones, in quibus aptè diſponendis diligenter laborat , velut fila texens. Ex quo labore nõ tantum ſibi ſuiſque veſtes ex diuerſis virtutibus cõtextas conficit,ſed & exteris vſque in fines terræ vtilis eſt,& ab illis quoque vndiquaque colligit

quæ ſuis ſint vtilia,& panem precioſum & à longe petitum adferat ſibi ſuiſque,panem ſcilicet qui mentem nutriat,qui non è terra,ſed
Ioan.6. è cœlo peti debet, iuxta illud Euangelicum: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi.

Vau. Et de nocte ſurrexit,dedit quæ prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis,

PRAETER diligẽtiam in laborando,ſuperiorib. verſibus duobus ſignificatam, hic iam eius vigilãtia,prouidẽtia,& ſolicitudo erga domeſticos indicatur,quorum operæ ei eſt neceſſaria in operibus ſuis. De nocte,inquit, ſurrexit,hoc eſt,ante lucem,& vt habent Hebræa cũ adhuc nox eſt, tunc incipit cogitare de operib,diurnis promouẽdis,ideóq; domeſticis ſuis ſingulis mox deputat cibũ diurnũ ipſis neceſſariũ etiã ante lucẽ,quo ſic partem diei lucri faciat.Nec tantũ ſolicita eſt pro ſuo victu,nec tãtũ cogitat de labore ſuorũ domeſticorũ,ac fructu quẽ inde eſt perceptura, etiã de victu eorũ eſt ſolicita, deputans eis illum etiam ante labores,vt ad labores alacrius accedant.Neque enim expectãdũ eis, vt tũ primũ victum accipiãt cum eum lucrati fuerint ſuo labore,etiam priuſquã operari incipiãt ſummo mane ſingulis ſuus cibus eſt deputatus ab ea,vt quæ ſibi iam abundè prius prouidit de eſculentis familiæ neceſſariis.Nec deputat ad luxum ſed ad neceſſitatem,ita vt nihil eis deſit,nec abundantia foueat vitia.Hæc enim omnia verſus iſte inſinuat.Nec eſt ocioſa coniunctio(&)in principio,quæ tamẽ in multis libris deeſt,ſed addendam patet ex Hebræo.Conſtat enim hunc verſum cum ſuperiori, in quo dicitur hæc mulier ſibi panem comparaſſe ſignificátque pane comparato ſtatim cogitare de eo diſtribuendo ſuis domeſticis.Quod autem noſter vertit,dedit prædã:verum quidem eſt dictionẽ Hebraicam טרף Tereph,propriè ſignificare prædam,rapinã,& id quod captũ eſt à feris in cibum illorum. Verum generaliter ſignificat aliquãdo quẽuis cibũ,quẽadmodum hic ferè alij vertunt.Vnde & 70. hic habent βρώματα,hoc eſt eſcas,& eandẽ dictionem noſter in Pſ.110.vertit eſcã,vbi legimus,dedit eſcã timentibus ſe.Itaque nomen prædæ accipi debet hic ſimpliciter pro cibo.Aut nomine prędę ſignificatur cibus quẽ nõ per otium ex dono alicuius accepit,ſed quem ſua fortitudine indefeſſo ſcilicet manuum labore è manibus fortunæ veluti vi accepit, inſtar ferarum raptum,viuentium ex ſua fortitudine.Cui bene conuenit quod mox dixerat,de longe ſibi panem comparaſſe veluti prædam aliquã.Procibaria Hebræis eſt,dictio חק Choc,quæ ſignificat ſtatutum & ſignificatur ea dictione ſæpè portio cibi quæ alicui pro conditione naturæ & perſonæ debetur,in qua ſignificatione ponitur capite ſuperiore,vbi legitur,tribue tãtum victui meo neceſſaria.Nam ibi vt diximus,Hebræa habẽt,nutri me pane ſtatuti vel dimenſi mei.Hãc ergo ſignificationẽ & hoc loco ſecutus eſt interpres vertẽs cibaria.Poteſt tamẽ etiã aliter accipi pro penſo operũ,quod diligẽs vxor ſingulis manè, cum diſpenſatione cibi deputet peragẽdum ea die.Vnde Septuaginta verterunt, & operam ancillis. Et hæc quidem ad literam.Cæterum quod facit diligens & prouida matrona temporaliter, facit idem ſpiritualiter etiã Chriſti ſponſa.Poſtquã enim cœpit in lana & in lino laborare vnde veſtes texuntur,hoc eſt,meditari in ſcripturis ſacris ſurgit de nocte corporis, ante lucem ſæpe ſe occupat in lege Dei,cogitátque quomodo ex ſcripturis citum diſtribuat domeſticis ſuis,ſibi ſcilicet commiſſis fidelibus vnicuique pro captu & neceſſitate ſua,vt refecti ad operandum cũ ipſa roborẽtur,dãs iuxta Chriſti præceptum familiæ eius in tempore tritici mẽſurã,vt eſt apud Lucã,pro quo Græcè eſt σιτομέτριον, Luc.12. hoc eſt dimenſum,quod hic dicitur ſtatutum,præſcribens itẽ ſingulis ſuarum operarũ penſum,quid ſcilicet cuique pro ſua ſit vocatione peragẽdum.Peculiariter autem dat, ſeu tantum domeſticis ſuis, cibum illum eximiũ corporis domini,qui cibus rectè nomine prædę ſignificatur,ſicut & illo loco Pſalmi,qui ſupra eſt deſignatus,vbi legimus,Eſcam dedit timentibus ſe,Eo quòd corpus dominicum velut captum fuit à beſtiis & dilaceratum dum ab impiis Iudæis & inſtar ferarum ſanguinem eius ſitientibus,crudeliter & captũ eſt,& flagellis,coronæ ſpinis & clauis diſcerptum.

Conſideravit agrum,& emit eum,de fructu manuum Zayn. ſuarum plantavit vineam.

PERGIT vlterius inſinuare bonæ matronæ officia,oſtendendo eam non ſolum diligenter curare domeſtica & quæ domi ſunt agenda,ſed in hac cura adeò proficere,vt poſſit etiam animum adiicere ad agros comparandos.Poſt curam,inquit,domeſticam, quæ prima eſſe debet, cogitauit de agro emendo,tantum fuit eius lucrum ex labore domeſtico.Cumque inter agrum & agrũ ſit maxima differentia , quod attinet ad fertilitatem, conſideravit diligenter agrum quendam fertilem venalem ſibi oblatum, & emit eum atque in eo plantauit vineam de fructu manuũ ſuarum, hoc eſt ex lucro quod manibus & opera ſua & domeſticorum parauit, quo lucro conduxit operarios ad plantandum vineam, vt ex ſuo labore non tantum haberet panem, ſed & potum qui ſe ſuumque maritũ recrearet.Fecit idem & ſponſa Chriſti Eccleſia maximè ſi primitiuã reſpicias,quæ nõ ſatis habuit in Iudæa velut domi,vbi natа erat laborare, ibique paſcere ſuos domeſticos Iudæos,ſed cõſiderãs agrũ totius mũdi & gẽtiũ populũ incultum & neglectum, qui cultura poſſet bonorum operum fieri fertilis,emit eum ſuumque eſſe fecit miſſis in vniuerſum orbem prædicatoribus,per quos fidei ſubiectus eſt mundus,in quo etiã ſuo ſuorumque labore,& quaſi fructu manuũ,ſuarũ,hoc eſt,bonarũ operationũ,plãtauit vineam,ſeipſam ſcilicet,multiplicãdo per orbem Eccleſias,ex quarum profectu ſponſus & ſpõſa veluti lætitiæ vino inebriantur,quod vinũ ſuo ſponſo ſpõſa promittit in Can.dicens Dabo tibi poculum ex vino Cantic.8.
cõdito & muſtum granatorum meorũ. Quod fecit Eccleſia primitiua fecit deinceps ſemper ſponſa Chriſti,& etiamnum facit ſtudens ſemper fidem dilatare ad loca Chriſtum ignorantia ſẽque ipſam in illis plantare.

Accinxit

Beth. Accinxit fortitudine lumbos ſuos,& roborauit brachium ſuum.

BENE hic verſus ſuperiori ſubiectus eſt. Cum enim mulier hæc non tantum domeſticis ſed etiam ruſticis operibus ſe dediſſet,opus erat omnino magna animi corporiſque fortitudine vt vtraque ritè præſtare poſſet.Accinxit ergo,inquit,fortitudine lumbos ſuos,hoceſt,induit & aſſumpſit omnino virilem animum & fortitudinem, quæ in lumbis & brachiis maximè apparet,ſẽque ad operandum alacriter parauit: Accingere enim ſe in
Pſal.19. ſcripturis,eſt ſe ad alacriter opus aggrediendum diſponere.Vnde in Pſalmo dicitur: Indutus eſt dominus fortitudinẽ & præcinxit ſe. Sic & Chriſti ſponſa,quo plus vidit ſibi ſupereſſe laboris in conuertendis gentibus non eſt fracta animo , ſed vtiliter ſe ad opus cõpoſuit & quo expeditior eſſe poſſet, reſtrinxit in ſe carnalium deſideriorum illecebras,& ad peragendum fortiter virtutis opera brachium
Luc. 12. ſuum manúſque exeruit , iuxta præceptum ſui ſponſi:Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris.

Thed Guſtauit & vidit quoniam bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius.

Iod. Manum ſuam miſit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fuſum.

QVID ſecutum ſit prædictã mulieris negotiationẽ,his oſtendit.Guſtauit,inquit, hoc eſt,ipſa experientia probauit & percepit, viditque ac animaduertit,quòd negotiatio eius,illa ſcilicet & qua ex lana & lino parauit familiæ cibum,& qua mercata fuit agrum, eſſet bona,vtilis,& frugifera,ideóque magis accenſa eſt ad diligentiam,adeò vt in nocte nolit lucernam ſuam extinguere, vt etiam tunc aliquot oris operibus incumbere poſſit domeſticis,quando ruſticis vacare non poteſt. Itaque tunc manum ſuam accommodat ad nẽdum,parans ſcilicet materiam diurno texturæ operi , omninòque rem grandem & quæ nõ niſi fortium eſt aggreditur,dum non ſatis habet interdiu laborare & domi & foris, ſed etiam noctis partem in opere conſumit.Secũdo enim verſu nihil aliud ſignificatur quam nendi opus,quia pro fortia,dictio Hebraica ſignificat verticulum,vel vt alij volunt colum. Myſticè Chriſti vel Salomonis ſponſa & vxor, vbi ſenſit profectum ſuorum laborum & prędicationis per orbem diffuſæ,miram inde voluptatem cõcepit, atque hinc ardentior ad operandum eſt effecta,adeò vt nec in nocte tribulationum & perſecutionum claritas fidei & virtutis eius qua luxit in orbe extingui poterit,adeóque vt cum à publicis actionibus vacare debet etiam in nocte aliis dormientibus ipſóque tempore quietis & contemplationis, vigilet,cogitétque de profectu aliquo faciendo,in ſcripturis ſe exercens atque ex eis colligens certa loca,ac ſententias veluti fila, quibus ad inuicẽ debite contextis veſtes cõficiãtur ad operiendum hominum nuditatem.

Caph Manum ſuam aperuit inopi:& palmas ſuas extendit ad pauperem.

HACTENVS quam ſit vtilis mulier fortis ſuæ familiæ oſtendit,hoc verò verſu declarat eam non ſuis tantum laborare, ſed etiã egentibus quod proprium eſt fidelis mulieris,quam non tantum dare pauperibus ex his quæ lucrata eſt, ſed etiam liberaliter & hilariter dare ſignificat, dum dicit: Aperuit manũ ſuam,vel vt habent Hebræa,expandit: & palmas ſuas extendit,vel vt habent Hebręa,miſit. His enim verbis ſignificatur liberalis & vltronea eius oblatio,ipſámque velut obtrudere egenis ſua.Ad quod etiam ſignificandum facit ipſa geminatio,manum ſuã aperuit & palmas ſuas extendit,quamuis etiam dici poſſit ſimpliciter ipſum pro more ſententiam geminaſſe diuerſis verbis,vt in aliis verſibus.Facit idẽ ſponſa Chriſti,in operibus miſericordiæ erga pauperes maximè occupata,vt non ſit neceſſe hic myſticum requirere alium ſenſum,quamuis iuxta Bedam rectè etiam intellexerimus myſticè ſignificari Chriſti ſpõſam nõ tantum curã gerere ſuorum domeſticorum,ſed etiam pro exteris & infidelibus ſolicitam ſemper cupientem etiam illis opem ferre ſuis manibus, ad quos mittit ſuos operarios qui illis ſuccurrant docendo, &veritatis ac ſalutis viam aperiendo Sunt enim illi verè pauperes , quia ignorantia veritatis laborant, & per eam omni bono ſunt deſtituti. Quibus manus aperitur, cum eis ſuccurritur,ne pereant inopia.

Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis , omnes Lamed. enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.

EX prædicta mulieris diligentia declarat hic verſus quis fructus ipſam ſequatur, nempe quod non timebit domui ſuæ,hoc eſt domeſticis ſuis, etiamſi irruant frigora niuis, à quibus multi ſibi ſuiſq; metuunt,tum quod frigore illo obtinẽte torpeſcere cogãtur, nec lucrũ facere poſſunt, cũ vel maximè opus eſt ſumptibus.Illa verò non metuit,quia eius diligẽtia & prouidentia factum eſt,vt omnes domeſtici eius ſint veſtiti duplicibus veſtibus,& proinde bene contra frigus muniti, ob quod etiã nõ erũt à ſuo opere multũ impediti. Pro duplicibus tamẽ ſciendũ eſt nõ eſſe Hebræis שנים Schemanaiim,quod duo ſignificat,quẽadmodũ legiſſe videtur noſter interpres , ſed שנים Schanim,quod coccũ vel coccinũ ſignificat volũt,& punctis tantũ ab altero differt. Vnde vertũt veſtiti ſunt cocco,hoc eſt,coccineis veſtibus,intelligẽtes per hoc ſignificatũ, quòd cũ familia ſit veſtita coccino,multo magis munitã eſſe cõtra frigora niuis. Verum cũ coccus non conueniat toti familiæ, nec contra frigus muniat,rectius videtur noſter vertiſſe, quomodo teſte Pagnino etiã R.Ioſeph exponit etiãſi legat Sachanim,& 70.ſimiliter verterunt διπλᾶς χλαίνας, i.duplices lanas vel chlamides.Myſticè ſponſa Chriſti quæ iã diligẽter laborauit ad prouidendum ſuis de his quæ ſunt eis neceſſaria non timebit ſuis cum frigus perſecutionum ingruerit, quod qui bene veſtiti non ſunt ferre non poſſunt,eóſque à bene operando ceſſare facit.Illius enim diligentia & prouidẽtia factum eſt, vt qui verè ſunt eius domeſtici , electi ſcilicet, qui certò ad eam pertinent,ita ſint & fide & charitate muniti,atque amicti, vt frigus illud facile ſuperare poſſint nec ob id omittant virtutum

exercitium,non tantum Deo famulãtes eſtatis,hoc eſt,proſperitatis tempore, ſed & hyeme hoc eſt,tempore aduerſitatum.

Mem. *Stragulatam veſtem fecit ſibi,Byſſus & purpura indumentum eius.*

Nun. *Nobilis in portis vir eius,quando ſederit cum ſenatoribus terræ.*

HACTENVS proſecutus eſt ea mulieris opera,quæ ad neceſſitatem familiæ pertinent,nunc verò ea quæ ad decorem & ornatum ſui,maritique faciunt.Stragulatã, inquit veſtem fecit ſibi,quaſi dicat, Non tantum eas veſtes parat, quæ frigus arceant & pudorem, ſed etiam quæ decorem adferant. Eſt autem ſtragula vel ſtragulata veſtis,Varrone teſte, à ſternendo dicta,vnde quicquid inſternebant ſtragulũ appellabant.Itaque & veſtis exterior quæ reliquis iniicitur, quale eſt Græcorum palliũ,nomine hoc vocabatur.Itẽ quod lectis inſternitur,item aulæa &tapetia,quod & iis lectis atque menſæ inſternuntur, Vnde dictionem Hebraicam hoc loco poſitam noſter vertit ſuperius c.7.tapetibus pictis.Et hoc loco oportet ſic accipere ſtragulatam veſtem pro tapetibus pictis lectos ornantibus vel parietes cubiculorum. Significat ergo tantam huius mulieris eſſe diligentiam& ſapientiam.vt etiã ſuis ſuorumque manibus comparet ſibi regiã ſupellectilem & ornamenta ſumptuoſa.tapetia quidem & aulæa pro ornatu domus,byſſinas verò & purpureas veſtes pro ornatu proprij corporis, ita vt hoc ornatu ſe magis ſuo commendet marito dum in decentiſſimo habitu ſe ſuámque domum illius exhibet cõſpectui,nec laboribuss mœchanicis aut ruſticis, quibus aliquando occupatur,ſordidatur.Quo ornatu non tantum ipſa cohoneſtatur,ſed & vir eius,in cuius honorem non parum cedit virtus & ſplendor vxoris,qui & ipſe ab ea ſimiles accipit veſtes.Per quæ nobilis eſt, inſignis & præaliis cõſpicuus in portis,hoc eſt, in publicis conſeſſibus & iudicij loco qui in portis eſſe ſolet, locis ſcilicet per quæ omnes egrediuntur & ingrediuntur.Significat ergo virũ vxoris virtute ſic ornari,vt inter regionis ſenatores aſcribatur,atque inter eos ſit vel ex præcipuis.Item virum vxoris diligentia ſic liberũ eſſe à curis domeſticis,vt cum ingenti honore publica obire poſſit munera. Inueniuntur hæc inſigniter etiam in Chriſti ſponſa ac ſpõſo Chriſto.Neque enim ſatis habet hæc ſponſa parare ſibi & ſuis ea quæ ſunt ad vitam æternam neceſſaria,rectam ſcilicet doctrinam & mandatorum Dei obſeruationem,ſed & ſingularia quædam ac varia virtutum ornamenta per adimpletionem Euangelicorum conſiliorum acquirit,vnde de ea canitur. Aſtitit regina à dexteris tuis,in veſtitu deaurato, circũdata varietate. Et domum quidẽ ſuam ornat veſte ſtragula, dum ad decorem domus Dei cœremoniis variis ſibique conſentaneis diuinum cultum exornat.Induitur autẽ ipſa byſſo & purpura dum & virginitatis candore & martyrum ſanguine decoratur.in byſſo enim quæ candidi eſt coloris,virginitas,in purpura quæ ſanguinei eſt coloris,martyrium deſignatur,quæ duo præcipua ſunt Eccleſiæ ornamẽta. Vnde pulchrè dictum eſt à patribus, quod ſancta Eccleſia electorum floribus vernans in pace habet lilia.in bello roſas. Et in ſermone quodã de feſto omnium ſanctorum ſub titulo diui Auguſtini ſic legitur.O vere beata mater Eccleſia, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat,quam vincentium glorioſus martyrum ſanguis exornat,quam inuiolatæ confeſſionis candida induit virginitas.Floribus eius, nec lilia nec roſæ deſunt.Certent nunc chariſſimi ſinguli ad vtróſq; honores ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas,vel de paſſione purpureas. Ex hoc eccleſiæ ornatu non parum nobilitatur & ſponſus eius,qui erſi ignobilis videretur cũ in hoc mundo conuerſaretur, & maximè cũ ante tribunal iudicis ſtaret iudicandus, tamẽ nunc nobilis agnoſcitur & eximius.in Eccleſiis fidelium,quæ ſunt tanquam portę p quas acceditur ad Chriſtum,& in quibus fidelium iudicia exercentur, vbi ſedet Chriſtus in medio eorum qui ab ipſo conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram & tanquam ſenatores terræ de quibus dixit dominus: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.Qui magis adhuc apparebit conſpicuus & inſignis, quando ad iudicãdum omnes venerit in nouiſſimo die,quãdo cũ illo ſedebunt Apoſtoli ſuper ſedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Iſrael.

Auguſt.

Matt. 18.

Sindonem fecit & vendidit,& cingulum tradidit Cananæo. Samech

AVGET hic verſus induſtriam mulieris vt quæ adeò ſit potẽs & diligẽs, vt lanæ & lini operibus non tantum comparet quæ ſuis ſunt neceſſaria, ſed etiam quæ aliis vendat a ſe ſuiſque ingenioſe elaborata. ideoque dicit eam & ſindonem & cingulum feciſſe & vendidiſſe. Eſt autem Sindon linteum ex precioſo ac ſubtili lino contextum, quo ad ornatum capitis vtuntur mulieres, putaturque à Sidone ciuitate Phœniciæ nomen accepiſſe, vbi primum inuẽtum ſit. Certè Hebraicè hic eſt, Sidon idem nomẽ quod eſt ciuitatis ſecundũ ſonum,ſed ciuitatis nomen per Tſade,hoc verò per Samech ſcribitur.In cingulis etiam ingenioſe elaboratis, ſiue per texturã, ſiue per acus picturam,ſolẽt mulieres ornamẽtum ſingulare conſtituere, quemadmodum declarat locus ille Eſaiæ:Et erit pro zona funiculus. Et alioqui duo hæc peculiariter mulieribus debentur,capitis tegmen,& veſtium iuxta lumbos præcinctio, vt mirum non ſit quod horum duorum peculiariter meminerit,Sindonis ſcilicet & cinguli vt ſignificetur ipſam nõ ſibi tantum parare muliebria ornamenta, ſed & aliis, ſimulque indicetur quales merces potiſſimum vendere conueniat, nempe eas quæ ad neceſſarium corporis ornamentum ſpectant.Cæterum nomen Cananæi hoc loco ab hominibus ferè accipitur appellatiuè, vt idem ſit quod mercator quomodo hic omnes ferè vertunt, quomodo & noſter vertit idem nomen Eſa.23.vbi nos legimus inſtitores eius inclyti terræ:Quod ſi quis velit accipere vt ſit gentis nõmen,quomodo & Septuaginta acceperunt & Chaldæus interpres, dicẽdũ Cananæi fieri mentionem p Cananæi cũ Iudæis habitarent in terra Paleſtina, quorum miniſterio

Pſal. 44.

Eſaiæ,23.

miniſterio vtebãtur. Tradidit ergo Chananæo tanquam ſeruo ſuo ad vendendum, vel tradidit ei pro precio,vt cuius vxor nõ eſſet tã ſedula quæ ſua opera paret ſibi neceſſaria.Et hæc quidem ad literam.Iuxta myſticum ſenſum,Sponſa Chriſti Eccleſia non Iudæis tantum ſuis(quorũ prima illi cura fuit)& neceſſaria,& quæ ad ornatum faceret prouidit, ſed etiam gentili populo tradidit ſingulariter ſindonem & cingulum.Sindonem quia innocentiam quam ei tradit in baptiſmo etiã ſub ſymbolo ſindonis mundæ, quæ capiti imponitur his verbis,Accipe veſtem candidam,ſanctam & immaculatam. Hanc autem innocentiam rectè ei vendere dicitur,quia ab eo recipit abrenũciationem Sathanæ & profeſſionẽ fidei ſanctæque conuerſationis.Cingulum verò ei tradidit,quia illum docuit fluxa gentilitatis opera aſtringere,& peculiariter libidinẽ frenare,quam ſibi gentilis populus nimis liberã eſſe permiſit,exiſtimans fornicationem & immunditias pleráſque non eſſe peccatum.Nomine autem Chananæi rectè populus gentilis ſignificatur,tum quod Chanaam populũ gentilẽ procreauit,qui cum ipſo maledictioni diu ſubiacuit,tum quod nomen ei cõuenit Interpretatur enim humiliatus vel contritus & confractus.Et certè humiliatus fuit populus gentilis quamdiu ſub diaboli poteſtate in erroribus & vitiis detinebatur.Explicat hunc locum D.Grægor.lib.33.Moral.c.22.

Auth. Gregor

Fortitudo & decor indumentum eius & ridebit in die nouiſſimo.

DVPLICITER poteſt intelligi quod dicit fortitudinem & decorem eſſe indumẽtum eius .Primum ſimpliciter vt ſignificetur eam inſigniter & honeſte veſtitam eſſe,& ſit ſenſus indumẽtum eius præclarum eſt & decorum.Et quod ſequitur,ridebit in die nouiſſimo. Conſequenter hunc habet ſenſum, poſtero tempore, cum alij ob frigus & veſtitus inopiam affligentur,ipſa ridebit, hoc eſt, gaudebit.Aliter hoc verſu ſignificatur præcipuum ornamentum huius mulieris ſitum eſſe,non in precioſis veſtibus corporalibus, de quib.ſuperius dixit,ſed in dotibus animi,fortitudine ſcilicet,& decore.Fortitudine quidẽ ad res conſtanter & gnauiter gerendas, decore vero ac honeſtate,moderationem,grauitatem ac decorum in omnibus ſeruando: Hoc enim commodè & neceſſario ſubiiciendum erat poſt prædicta,ne more multarum mulierum putaretur nimium ſtudere & tribuere pulchritudini & ſplendori corporali.Sic & Petrus:Quarum,inquit,non ſit extrinſecus capillatura aut circundatio auri aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptilitate quieti & modeſti ſpiritus,qui eſt in cõſpectu Dei locuples.Itaque fortitudo & decor indumentum eius eſſe dicitur,quia his virtutib. veluti veſtibus,quibuſdam ornatur & conſpicua eſt, quo modo de domino dicitur in Pſalm. Dominus regnauit decorem indutus eſt,indutus eſt dominus fortitudinem.Et alio loco: Confeſſionem & decorem induiſti amictus lumine ſicut veſtimento, Quod ſequitur & ridebit in Ianſ.in Prouerb.

1.Pet.3.

Pſal.92.

Pſa.103.

Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius. Phe.

HACTENVS proſecutus eſt quid operãdo hæc mulier perfecerit,inſinuans quæ ſint bonæ matronæ officia, nunc vero etiam ſermone ſe bene gerere oſtendit, eamque liberam eſſe à vitio loquacitatis & ſtultitię quo ferè muliebris ſexus laborat.Os ſuum,inquit aperuit non vanitati,ſed ſapientiæ,hoc eſt,ad proferendum & docendum ſapientiã, docẽs ſuos ſcilicet domeſticos timorem Dei,qui eſt ipſa ſapientia, vt eſt Iob.28. & in lingua eius aſſidue verſatur lex clementiæ, hoc eſt, pietatis & miſericordiæ proximis exhibendæ. Docet ergo ſuos & rectè ſapientẽrque ſe gerere erga Deũ, & clementer atque benigne erga proximos. Inſignis eſt hæc matronarum dos ſine qua ſuperiora parũ profuerint. Sũt enim quæ in operando & ſtrenuę ſunt & ſuos ſtrenuos eſſe cogunt,ſed vel loquaces nimis ſunt & vanæ,vel ad pietatem ſuos non adhortãtur, Eximiè autẽ iſtud quadrat in ſponſam Chriſti,quæ os ſuum aperit ad docendam ſapientiam cæleſtem & perfectam quam à ſuo ſponſo didicit,quæ in fide Chriſti cõſiſtit abſcõdita prius tot ſeculis,In eius lingua verſatur nõ potiſſimum lex illa rigoris & ſæueritatis, qua ſecũdum Moeſis præceptũ ſæueriſſimè mox peccata puniuntur,ſed magis lex euangelica quæ prædicat per Chriſtum remiſſionẽ peccatorũ,docetque diligendũ proximum, ſicut Chriſtus dilexit nos.

Conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa nõ comedit. Tſade.

ALIVD bonæ matronæ officium hic verſus depingit, nempe quod, familiæ

suæ diligentem curam habet circunſpiciens vias actiones & mores domeſticorum ſuorũ, quid ſcilicet agant an ne torpeſcant otio, aut vitiis ſint dediti, ſic tamen huic rei intendit vt interim ipſa non comedat panem otioſa, ſed ſimul cum aliis laboret, non admonens illos verbo tantum, ſed & facto ſuo prouocãs ad opus. Non facit vt pleræque quæ à ſuis regide opus exigunt, cum interim ipſæ vacent otio & panem manducent aliorum partum manibus. Quadrat iſtud excellenter in Chriſti ſponſam, quia & fidelis quęque anima cunctas ſuæ cõſcientiæ cogitationes diligenter inueſtigat, & Eccleſia ſubditarum ſibi ouium mores perluſtrat, torpentes excitans, peccantes corrigens, afflictos conſolans, nec comedit panem otioſa quia & pro pane corporali nouit ſibi alicui bonæ occupationi vacandum. Iuxta illud Pau-
2. The. 3. li: Qui non laborat non manducet, & ſolicitè cauet ne panem cœleſtem quem in ſacris eloquiis atque in ſacramento percipit aut aliis proponit ſine virtutum exercitio comedat, ſtudeus opere adimplere quod ex ſacris ſcripturis intelligendo percipit, ac dominicæ paſ-
ſionis veſtigiis inſiſtere, in cuius commemo-
Gregor. rationem ſacrum panem ſuſcipit. Nec tantum alios verbo ad bene viuendum excitat, ſed etiam facto & conuerſatione inuitat. Tractat hunc locum D. Gregorius libr. moralium in caput 42. & caput 25. vbi legit, cõſiderat quod magis conuenit originalibus, & ſenſum habet commodiorem.

Coph. Reſch. *Surrexerunt filij eius & beatiſſimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.*

Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.

POST explicata varia bonæ matronę officia erga maritum, erga domeſticos, erga pauperes, in prudentia & diligentia rerum agendarum, in acquiſitione omnium neceſſariorũ, eorũmque quæ ad decentem pertinent ornatum, ité in ſermonis vtilitate, ſubiicit iam quæ laus talem ſequatur matronam, & primũ quidem quomodo talis laudetur à filiis ſuis ac marito, quos ſurgere dicit ad eam laudandũ ſignificans in publico publiciſq; confeſſibus magis quam in priuatis ædib illos ſe exhibere ad eam deprædicandam. His autem potius quam alienis laudem tribuit matronæ, quod pudica mulier, quæ rem domeſticam tractat non publicam, ſuis potiſsimum innotuit non alienis, in qua ſi quid vitij aut quid morositatis aut negligentiæ fuiſſet, à nullis magis deprehendi potuiſſet nullis magis moleſtum fuiſſet quam qui cum ea fuerunt aſſidui & indiuidui. Hi ergo perſpectis eius virtutibus percepṫóque multiplici commodo ab illa hoc dicunt quod ſequitur, multæ filiæ congregauerunt diuitias, vel vt eſt Hebraicè fecerunt fortitudinem, hoc eſt fortiter operatæ ſunt vel fecerunt fortitudinem, hoc eſt, fortia vt habent 70. Vnde noſtra lectio accipi poteſt non tantum de diuitiis corporalibus ſed etiam virtutum & laudis. Tu vero ſupergreſſa es vniuerſas, Hoc eſt efferunt eam etiam ſuper eas filias, hoc eſt mulieres quæ alioqui ſe ſtrenuè geſſerunt & laudibus dignæ ſunt. Completur iſtud in Chriſti ſponſa Eccleſia cuius ſponſus in canticis inter cętera vocat eam pulcherrimam mulierum atque de ea dicit. Vna Canti. 6.
eſt columba, perfecta mea, vna eſt matri ſuę, electa genitrici ſuæ. Et mox ſubdirur de filiis eius. Viderunt eam filiæ, & beatiſsimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ & laudauerunt eam. Certe eam non alij magis laudare poſſunt, quam maritus qui eam intime nouit & filij eius qui ab ea pleraque perceperunt beneficia. Hi agnoſcunt eam longe excellere pleraſque alias filias, hoc eſt congregationes quæ tamen multas congregaſſe diuitias videtur, vt pote ſcholas Philoſophorũ & Sinagogas Iudæorum, quæ multos quidem habuerunt ſectatores, multamque veritatis ac quarumdam virtutum collegerunt ſupellectilem, at nihil in comparatione ſponſæ Chriſti, cuius diuitiæ ſunt & Theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ Dei abſconditi in Chriſto, & multitudo fidelium per vniuerſum orbem credentium, & congeries omnium virtutum quas ſancti Dei homines operati ſunt. Tantas diuitias nulla vnquam habuit ſecta, nulla religio.

Fallax gratia & vana eſt pulchritudo, mulier timens Schim. Thau.
Dominum ipſa laudabitur.

Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.

VIDENTVR hi duo verſus qui etiam pertinęt, ad laudem mulieris eſſe verba non mariti aut filiorum, ſed ipſius Salomonis approbantis illorum laudem. Cæterum quo rectè prior verſus intelligatur notandum Hebræa ſic habere. Mendacium eſt gratia, & vanitas eſt pulchritudo. Itaque noſtra litera ſic eſt ordinanda. Gratia hoc eſt venuſtas à qua mulieres dicuntur vulgo gratioſæ, eſt res fallax, & pulchritudo faciei atque corporis eſt res vana, vt quæ non ſit res ſtabilis atque diuturna, nec vere commendet mulieres. Nam vt quidam ait. Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos, Fit minor, & ſpacio carpitur ipſa ſuo. Itaque quo oſtendat mulierem quæ prædicto modo ſeſe gerit vere eſſe laudandam & merito laudari à ſuis, comparat eam cum illis quas vulgus multum laudare ſolet, nempe cum venuſtis & gratioſis mulieribus, inſinuatq; cur illis merito prę-
ferri debeat, imò quod huius cõparatione illæ ne laudari quidem debent, quòd pulchritudo ſit res vana, timor vero Dei ſolus ſit ob quem merito quis laudari debeat. Simulq; tacitæ occurrit obiectioni, nempe cur inter laudes præſcriptæ mulieris non meminerit pulchritudinis eius corporalis, quæ commendare ſolet mulieres vel maximè apud homines. Reſpondet enim laudem mulieris non conſiſtere in veritate in huiuſmodi re, ſed tantum in his quæ declarant eam timere Deum, qualia ſunt officia prius illi attributa. Bene ergo concludendo, ſubiungit: Date ei de fructu manuum ſuarum, hoc eſt, laudate eam quotquot eſtis, ſicuti ſuis operibus laudari meruit. Laus enim & honor fructus eſt bonarum actionum. Nec tam voces hominum eam laudent in portis, & in publicis confeſsibus, quã
eius

eius opera, hoc eſt, narrentur in eius laudem & aliorum exemplum in publicis locis opera eius, quod ſi fiat ipſa opera laudabunt eam magis quam hominum voces. Non eſt enim ei opus emendicatis ab humana eloquentia laudibus, ſi vel facta eius tantum publicentur & publicè narrentur ſatis illa eam deprædicabunt. Conueniunt hæc maximè Chriſti ſponſæ, quæ non ab externo cõmendanda eſt ſplę-
Pſal. 44. dore quemadmodum ſynagoga Iudaica. Omnis enim gloria eius filiæ regis ab intus, ſed hinc commendãda venit, quod tota Deo addicta his vacet operibus quibus Deo placere deſiderat. Vnde omnibus dicitur vt pro merito eam laudent eiuſque facta per quæ fidem longe lateque propagauit & hærelibus atque tyrannis fortiter reſiſtit, vbique euulgent atque in Eccleſiis & fideliũ congregationibus enarrẽt. Sic enim futurum vt dignam aſſequatur laudem, quam plenius ab ipſo ſuo ſponſo cõſecutura eſt in pleniſſimo illo ſupremi iudicij cõfeſſu, quando omnium facta publicabũtur, & laus erit vnicuique à Deo pro meritorum exigentia. Et hactenus quidem myſticã carminis huius intelligentiam ſic ſimpliciter ſumus proſequuti, quomodo literali ſenſui, qui ſemper fundamentum eſt myſtici ſenſus, maxime conuenit. Quod ſi quis exactiorem requirat, inueniet apud Bedam qui prolixè & ſublimiter eſt proſecutus allegoricam tractationẽ, quæ tamen dum nimis & exacte fit, frigida ſæpe euadit & ſibi non ſemper cõſentiẽs.

FINIS.

Hæc in prouerbia interpretatio eſt ſolida, vtilis, ne dicam neceſſaria interpretandis ſcripturis, nihil habens quod impedire poſſet ne typis excudi debeat, quod atteſtor ego qui librum à capite ad vmbilicum diligenter perlegi.

F. Ioannes Henrenius, S.T. Profeſſor.

EIVSDEM D. CORNELII IANSENII ANNOTATIONES IN LIBRVM SAPIENTIÆ SALOMONIS: IN QVIBVS BREVITER, ET GENVINVS literæ sensus, & Germana lectio, ex diligenti collatione Græci exemplaris, & manu scriptorum codicum, Theologorumque veterum auctoritate ostenditur.

CAPVT PRIMVM.

DILIGITE *iustitiã*:) Quoniã fons sapientiæ est iustitia: ac ea demum est sapientia vera, viuere iustè: ideo sapientiam docturus hic auctor à iustitia diligẽtia orditur: quę cum omnibus sit diligenda maximè tamẽ iudicibus terræ: ad quos præcipuè scribit hunc librum vt patet cap. 6. Porrò *qui iudicatis terram* positum est pro iudices terræ: & per iudices terræ designantur rectores populi, à præcipuò illorum officio, quod est iudicare, & iustitiam administrare.

Sentite de Domino in bonitate:) Bene post dilectionem iustitiæ Sapiens inprimis duo hæc Deum concernentia congruo ordine requirit. Ante omnia enim opus est vt quis rectam de Deo obtineat sentẽtiam, tum vt quis eum rectè quærat: *in bonitate sentite de Deo*, Hebraica phrasi dictum est pro bene sentite de eo. Sic *in simplicitate cordis*, dictum est pro simplici corde. Non sentiunt autem de Domino in bonitate, qui vel de eius potentia vel benignitate non rectè sentiunt, existimantes eum vel nõ satis potentem vel non satis benignum. Vnde subiicit. *In simplicitate cordis quærite illum*. Porro *quærere Deum* dupliciter accipi potest. Quæritur enim dum precibus inuocatur eius auxilium quod simplici corde fieri debet, mirum firma fiducia de Dei potentia & bonitate: quomodo qui Deum non orat Iacobus duplicem animo dicit, quòd partim fidat, partim diffidat. Quæritur item operibus, dum per ea illi placere volumus: quod rursum simplici corde fieri debet: hoc est sine omni fictione & hypocrisi. Prior autem intelligentia magis conuenit sequentibus. Sequitur enim. *Inuenitur autem ab his qui non tentant eum*. Tentant enim Deum qui diffidentes de Dei potentia & bonitate petunt earum declarationem & ostensionem.

Apparet autem his qui fidem habent in illum:) Græcè est ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ, id est, & apparet his qui non diffidunt illi. Sic enim melius respondet illi quod præcedit, *his qui non tentant illum*. Non autem bene conuenit præsenti loco cõiunctio, *autem*: quoniam nulla est sententiarum inter se diuersitas: vnde tantum coniunctiuè accipi debet.

Probata autem virtus corripit insipientes:) Non est hic ἀρετὴ id est virtus, quę opponitur vitio. sed δύναμις hoc est fortitudo, potentia. Est ergo sensus, virtus Dei bene probata, & spectata multis potentiæ suæ factis corripit insipientes: quia eos punit & vindicat aut arguit insipientes, hoc est, declarat eorum insipientiam, qua de ipso Deo eiusque potentia male sentiunt: quia experiri coguntur eius potentiam: Vtrumque enim significare potest verbum hic positum ἐλέγχει, id est, corripit vel arguit.

In malevolam animam:) εἰς κακότεχνον ψυχὴν vel quod magis est, in maleficam aut malitiosam animam; quæque mala, callida arte, machinatur & fabricat.

Subdito peccatis:) ὑπάρχοντι ἁμαρτίαις, id est, obnoxio peccato. Singulariter non pluraliter, vt possit intelligi de fomite: quem Paulus peccatum sæpe vocat, cui se debitorem, ac corpus suum obnoxium reddit omnis peccator.

Effugiet fictum:) pro *fictum* Græcè est δόλον, id est: dolum quod magis conuenit sequenti, *& auferet se à cogitationibus*: & respondet illi quod prius dixit, *In simplicitate cordis quærite illum*. Vnde apud nos *fictum* debet accipi substantiuè pro fictione.

Auferet se á cogitationibus quæ sunt sine intellectu:) ἀπαναχήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, id est, migrabit à cogitationibus imprudentibus, aut prudentia destitutis.

Et corripietur à superueniẽte iniquitate:) καὶ ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀνομίας. Non est ergo præpositio à apud Græcos sed genitiui absolutè positi. Verbum autem ἐλεγχθήσεται cum referendum sit non *ad fictum*, vt communiter intelligitur, sed ad spiritum sanctum, qui propriè non potest dici corripi, rectius verteretur, confutabitur, hoc est veluti victus & improperio affectus cum mœrore decedet. Vnde præcipit Paulus ad Ephes. 4. Nolite contristare spiritum sanctum Dei.

Benignus est enim spiritus sapientiæ:) Græcis est Nominatiuus σοφία, id est, Sapientia est benignus spiritus: quod conuenit illi, *In malevolam animam non introibit sapientia*. Magis tamen puto legendum quemadmodum videtur legisse interpres σοφίας *sapientiæ*, pro, *Benignus*, autem est φιλάνθρωπον, quod amatorem hominũ propriè significat vt significetur, sapientiam vel spiritum sapientiæ cupere seipsum impertiri hominibus. Augustinus lib. de mendacio ad Cõsen. legit *humanus*, vbi locum hunc prolixè citat & exponit. Deinde sequitur, *& non liberabit*, quasi dicat. Et si sit benignus non tamen liberabit, &c. aut sic, Quia benignus est, ideò nõ sinet maledicos & detractores impunitos. Benignitas enim Dei non fert eos qui alios maledicunt & detrahunt.

Et non liberabit maledictum:) Non est legendũ

male

maledictum, vt quidam libri habent, sed, *maledicum*: quomodo habẽt nunc libri correctiores. Est enim Græcè βλάσφημον, pro *liberabit*, autem Græcè est ἀθωώσει hoc est non reputabit eum innocentem, vel non finet eum impunitum & immunem propter ea quæ labiis suis iniquè locutus est. Similis locutio est Exodi 20. *Non enim habebit Dominus insontem, qui assumpserit nomen Dei sui in vanum*, Et Iob, 9. pro eo quod legimus *sciens quòd non parceres delinquenti*. 70. habẽt οἶδα ὅτι οὐκ ἀθῷόν με ἐάσεις, id est, noui quod non insontem me sines.

Scrutator est verus:) pro *scrutator* Græcè est ἐπίσκοπος hoc est conspector vel inspector.

Hoc quod continet omnia: τὸ συνέχον τὰ πάντα. Refertur istud ad spiritum: nec mirum quod in neutro genere ponatur, cum, etiam πνεῦμα, id est spiritus Græcis sit neutri generis. Continet autem omnia spiritus: quia omnia in suo esse conseruat. Vnde & omnia dicuntur per appropriationẽ esse in eo: sicut omnia ex patre, & omnia per filium. Augustinus in speculo legit *hic qui continet omnia*. Porro pro, *scientiam*, magis quadrat cognitionem. Est enim γνῶσιν: & significatur. Spiritum qui est vbique & omnia conseruat non posse ignorare verba quæ loquimur quamuis occulta. Accommodata est autem hæc sententia ab Ecclesia in alio sensu ad miraculum diei Pentecostes, quãdo spiritus sanctus dedit Apostolis variis loqui liguis, & per eos cœpit replere orbem terrarum Euangelica prædicatione.

Nec præteriet illum corripiens iudicium. οὐδὲ μὴ παρελεύσεται αὐτὸν ἐλέγχουσα ἡ δίκη. Vnde patet, *Iudiciũ* hic non esse accusatiui casus sed nominatiui, & adiectiuum eius esse participium *corripiens*, vt sit hic sensus. Neque iudicium Dei corripiẽs peccatores præteribit eum qui loquitur iniqua hoc est, non sinet eum impunitum.

Interrogatio erit:(pro *interrogatio* est ἐξέτασις, id est inquisitio & examinatio. Verum interpres in hoc libro frequenter nomen *interrogatio* sic vsurpat, quemadmodum & in Psal. verb. *interrogare. Dominus interrogat iustum & impium*.

Auris zeli: οὖς ζηλώσεως auris emulationis, hoc est auris Dei zelosa. nam & hic est Hebraica phrasis.

Sermonum autem illius auditio. λόγων δὲ αὐτοῦ ἀκοή. Magis hic quadrat. Verborum autem eius fama, nam quomodo auditio venit ad Deum? Porro ἀκοή etiam in Euangeliis aliquoties famam & rumorem significat.

Non abscondetur:) Græcis est præsens ἀποκρύπτεσθαι, id est absconditur, quomodo est apud Augustinum libro de essentia diuinitatis. Tomo quarto.

Sermo obscurus in vacuũ non ibit:) φθέγμα λαθραῖον κενὸν οὐ πορεύσεται, id est sermo occultus non ibit vacuus, id est, non erit liber à Dei punitione. Pro *sermo obscurus*. Augustinus legit *responsum obscurum* lib. de mendacio.

Nolite zelare mortem:(Zelamur id quod cupide sectamur. Cupidè autem sectari mortem videntur qui ea cupidè faciunt quæ certo mortem afferunt. Proinde dehortamur sapiens ne sic viuamus quasi sectãtes mortem. Et notandum quod cum supra á peccatis cordis & linguæ dehortatus fuerit, nunc etiã dehortamur à peccatis operis, nõ est autem Græcè *Neq acquiratis perditionem*: sed μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον, id est, neq; attrahatis perniciẽ, quo explicat quod dixit *Nolite zelare mortem*, quod autẽ dicitur, *in operibus & in errore*, Hebraicè dictum est per opera, & per errorem.

Creauit enim vt essent omnia.) ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, hoc est creauit, s. omnia ad esse, id est, ad hoc vt essent. Quod autem sequitur *& sanablies fecit nationes orbis terrarum*, Græcè est καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, id est, & salutares sunt generationes mũdi, hoc est quæcunq; in mundo sunt creata à Deo ea sunt salutaria. Generationes enim mundi hic dictum est, sicut in Genesi. *Istæ sunt Generationes cœli & terræ. Sanabiles* autem interpres hic posuit pro salutares: quẽadmodum aliquoties verbũ *sanare* pro saluare

Medicamentum exterminij:) pro *medicamentum* Græcè est φάρμακον. quæ dictio cum & in bonã & in malam partem accipiatur pro medicina scilicet & veneno hic in malam accipitur partem. Est enim sensus, non est in generationibus mundi creatum à Deo venenum aliquod exterminãs & perdens. Hunc enim sensum & præcedentia & sequentia exigunt. Patet ergo & apud nos *medicamentum* in malam accipi partem. Nam & illud habet vtranq; significationem sicut Græcis φάρμακον. Ponitur autem *exterminium* hic pro perditione, sicut in hoc libro frequenter &, *exterminare* pro perdere. Por ro *medicamentum exterminij*, vel venenum perditionis, rectè exposuerimus: perditionem venenosam, aut corrumpentẽ: vt sit sensus. Non est inter creaturas à Deo creatas, creata perditio corrũpẽs. aut corruptio, vel malũ perditionis. Itaq; extra intẽtionem authoris est cõmunis huius loci intellectus, quo per illud. *Et sanabiles, &c.* intelligitur significari Deum ita cõstituisse hominem vt sanari possit si vel malum aliquod corporis vel animę inciderit. Et Illud *Non est medicamentum exterminij*: sic accipitur, nõ est medicina aliqua, qua à morte nos in perpetuum præseruemus. Rectius glossa interlinearis per *medicamentum exterminij* intelligit per antiphrasim peccatum quod Exterminat à Deo. Verũ nostri instituti non est prosequi & insectari aliorum interpretationes, sed tantũ genuinũ ostẽdere sensum & germanã lectionẽ.

Nec inferorum regnum in terra:) Græca iucundius habẽt: οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς, id est, neq; orci vel potius inferni regia, id est palatiũ est super terram. Non est βασιλεία sed βασίλειον quam uis sensus eodem recidat.

Iustitia enim perpetua est & immortalis:) Græcis non est *perpetua*: sed tantum δικαιοσύνη δὲ ἀθάνατός ἐστιν, id est, iustitia aũt immortalis est. Quod autem sequitur. *Iustitia autem mortis acquisitio*, in Græcis omnino non est. & omissum aptiorẽ facit sententiarum cohærentiam, sequitur enim. *Impij autem, &c.* cum dicendum alioqui fuisset, *Impij enim*. scripti codices plerique & vetusti non habent illam partem: proinde expungenda est.

Defluxerunt:) ἐτάκησαν, hoc est contabuerunt Quod autem dicit, *illos æstimasse mortem amicam*: sic oportet accipere quomodo prius significauit, quosdam zelare mortem eamque attrahere.

Sponsiones posuerunt ad illam:) συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτόν, id est, fœdus vel pactum constituerunt

cum

cum ea. Eadem dictio est & Esaiæ 28. in simili loco. quo dicitur ex persona impiorum, *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*, quamquam non eodem sensu hoc dicãt impij quo hic sapiens. Nam impij illud dicebãt per ironiã. significare volẽtes, nihil se eorum malorum timere quæ prædicebant Prophetæ. Hic vero sapiens significare vult, eos amicitiam iniisse cum morte, cum ea ament quæ morti sunt coniuncta

Quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius:) Græcis longè aliter est ὅτι ἄξιοί εἰσι τῆς ἐκείνου μερίδος εἶναι, id est, digni sunt esse partis illius. Id enim optimè conuenit cum eo *fœdus inierunt cũ ea*. Antiqua scripta pleraque non habent, *morte*: vnde verisimile est interpretem sic vertisse. *Quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius*: sic enim pulchrè Græca verti possunt.

CAPVT II.

Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ:) ὀλίγος καὶ λυπηρός ἐστιν ὁ βίος ἡμῶν, id est breuis & molesta est vita nostra. Duo mala vitæ commemorat, nimirum breuitatem & tristitiam vel molestiam, quam in breui vita pati semper oportet. Tertium malum est quod subiungitur: *Et non est refrigerium in fine hominis*. Vbi notandum pro *refrigerium* Græcè esse ἴασις, quod propriè significat curationem & medelam. vt sit, *& non est medela in fine hominis*. hoc est, cum aduenerit finis & mors hominis, nullam licet inuenire medicinam qua quis morti subtrahatur. Quartum malum significatur cum dicitur, *Et non est qui agnitus sit reuersus ab inferis*. pro quo Græcè est καὶ οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ᾅδου, id est, & non est agnitus qui reuersus sit ab inferno. Ex quo colligere volunt non esse vitam post hanc vitam.

Quoniam ex nihilo nati sumus:) pro *ex nihilo* Græcè est pulchra dictio αὐτοσχεδίως, hoc est, vltro, temerè, fortuito, & à casu ac sine Dei cura & prouidẽtia. Hæc enim erat Epicureorum sententia quæ hic explicatur.

Tanquam non fuerimus:) Magis quadrat: *Tanquam non fuissemus*.

Quoniam fumus afflatus est in naribus nostris & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum, & extinctus cinis erit corpus nostrum) Totus hic locus obscurus & corruptus apud nos, clarus est & elegãs apud Græcos qui sic habent: ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν, καὶ ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν οὗ σβεσθέντος τέφρα ἀποβήσεται τὸ σῶμα, id est, Quoniã flatus vel spiratio in naribus nostris est fumus, & sermo est scintilla in motu cordis nostri, qua extincta cinis euadet corpus. Significant his verbis impij vitam nostram non esse aliud, quam viuacem ignem in corde existentem: quod cum mouetur emittit de se scintillas, nempe verba quæ loquimur & fumum nempe spirationem. quemadmodum ignis motus scintillas euomit & fumũ. Proinde quẽ admodũ cũ ignis scintillæ deficiunt, redigitur ignis in cineres, ita vbi desierit in nobis sermo & cordis motus, corpus etiam nostrum redigi in cinerem. Apud nos ergo dictio *afflatus* accipi debet non vt participium, sed vt nomen substantiuum. Multi scripti codices habent sicut & glossa ordinaria, *fumus & flatus*. Quomodo est verisimile vertisse interpretem Facile enim *& flatus* mutatũ est in *afflatus*. Deinde quidam scriptorum habent extincta nõ *extinctus*, vt verisimile sit interpretẽ vertisse *qua extincta*: & in margine quidam libri habent *scintilla*, &, pro *quia*, habent *qua*, vt cum originalibus Græcis penè per omnia consentiant: vt vera lectio sit. *Quoniam fumus & flatus est in naribus nostris & sermo, scintilla, ad commouendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum*.

Et nomen nostrum obliuionem accipiet, &c. Hæc sententia apud Græcos ponitur ante illud, *Et transibit vita nostra*.

Et non est reuersio finis nostri:) pro *reuersio* Græcis est ἀναποδισμός quæ dictio significat etiam impedimentum, vt hic possit esse sensus. Nemo est qui finem & mortem nobis præstitutam impedire & auertere possit. Magis tamen hanc dictionem hic puto significare retrogressionem, ab ἀναποδίζω quod significat etiam retrocedere & retrogredi. vt sit hic sensus. Non est retrogressio finis nostri, hoc est finis noster non retrograditur: sed fixus manet, in eo tempore quo constitutus est. Hic enim sensus optimè conuenit sequenti.

Quoniam consignata est:) quod magis vertendum erat, *Quoniam consignatus est*, vt ad finem referatur. quod magis est generis masculini quam fœminini. Est autem Græcè κατεσφραγίσθη, quod à σφραγὶς dicitur. hoc est à sigillo, vt sit sensus veluti sigillo quodam appenso finis noster est consignatus.

Bonis quæ sunt:) τῶν ὄντων ἀγαθῶν, id est existentibus & præsentibus bonis, ad distinctionem bonorum futurorum nondum existentium: quorum expectatione, præsentium fruitionem negligunt iusti, cum contrà mundani dicant. *De presentibus gaudet Ecclesia*.

Tanquam in iuuentute celeriter:) pro celeriter Græcè est σπουδαίως id est, studiosè, vel alacriter, aut gnauiter. Verum obscurum est quid sit illud. *Tanquam in iuuentute*, pro quo Græcè est ὡς ἐν νεότητι. Sciendum autem illud ὡς teste Budæo varias habere significationes, & vsus multiplices, ac inter varia etiam significare, duntaxat, & vtique. quæ significatio huic loco bene conuenit. Vtamur creatura vtique cum nos sumus in iuuentute, & libet voluptatibus vti. aut cum creatura adhuc est in iuuentute & adhuc viget ac recreare nos potest: qui sensus bene conuenit sequentibus: vnde quidam vertit *dum est iuuenta*.

Flos temporis:) Græcè est ἄνθος ἀέρος id est, flos aeris, quanquam idem sit sensus.

Coronemus nos rosis:) Grecè non est simpliciter *rosis* sed στεψώμεθα ῥόδων κάλυξι. hoc est, coronemur rosarum baccam. κάλυξ enim significat baccam rosæ, hoc est rosam clausam, quæ posteaquam aperta est mox marcescit, Vnde subditur *antequam marcescant*.

Nullum pratum sit:) hanc sententiam Greca nunc non habent, habent tamen antiquissima scripta.

Nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ:) Greca quędam non habent *nostræ*, & pro *vestrum* habent *nostrum*. quomodo habebant tria scripta.

pta , & glosa ordinaria in margine habebat aliàs *nostrum*. Pro *luxuriæ* autem est ἀγερωχίας, hoc est, insolentiæ & petulantiæ.

Nec veterano nec reuereamur canos multi temporis : Legendum est *nec veterani reuereamur, &c.* quo modo habebant multa scripta , sed & glosa ordinaria in contextu. Hæc enim lectio concordat cum Græcis μηδὲ πρεσβύτων ἐντραπῶμεν πολιὰς πολυχρονίους, id est, neque senis vereamur canos annosos. Vnde patet apud nos illud, *multi temporis*, construendũ cum *canos*

Sit autem fortitudo nostra lex iniustitiæ:) Legendum non *iniustitiæ* sed *iustitiæ*: quomodo habebant quædam scripta & glosa item ordinaria in textu. Hoc enim consentit Græcis, quæ habent τῆς δικαιοσύνης, id est iustitiæ. Est ergo sẽsus Reputemus fortitudinem nostram esse nobis pro lege iustitiæ, vt scilicet legitimum, iustum & licitum ducamus, quicquid viribus nostris præstare possumus. Porro quoniam indignum videbatur, impiis tribuere legem iustitiæ, aliquis offensus, *iustitiæ*, vertit in *iniustitiæ*.

Circumueniamus ergo iustum:) ἐνεδρεύσωμεν δὲ δίκαιον, id est, insidiemur autem iusto.

Inutilis est nobis:) pro *inutilis* Græcè est δύσχρηστος: quod nomen non solum significat inutilem, sed etiam difficilem, incommodum, & intractabilem hominem: quæ significatio hic magis conuenit, vt conquerantur impij iustum sibi esse incommodum, nec adduci posse vt illis condescendat, & conniueat ad illorum impietates. Vnde sequitur, & *contrarius est operibus nostris*. Diuus Cyprianus libro secundo contra Iudæos capite decimotertio legit *insuauis*. similiter & Augustinus lib. 17. ca. 20. de ciuitate Dei.

Diffamat in nos:) *Diffamare*, hic non accipitur in malum pro infamare & denigrare alicuius famam: sed simpliciter pro longè & latè diuulgare. quæ propria est verbi significatio. Est enim Græcè ἐπιφημίζει ἡμῖν, id est, celebrat contra nos.

Scientiam Dei:) Rursum *scientiam*, sicut & sæpius in sequentibus pro cognitionem posuit, cùm sit γνῶσιν.

Filium Dei se nominat:) Non est hoc loco υἱὸν θεοῦ, sed παῖδα κυρίου quod etiam verti potest *seruum Domini*. Non enim hic locus solum de Christo est intelligendus, quamquam in illum peculiariter quadret, sed etiam de aliis iustis & Prophetis, qui solebant se seruos Domini Dei vocare. & nomini, *Domini*, correlatiuè respondet *seruus*, non *filius*.

In traductionem:) εἰς ἔλεγχον. quod etiam potest verti *in redargutionem*: quamuis rectè verterit interpres: cum *traducere* significet pulchrè, in publicum proferre. Frequenter autem in hoc libro interpres nomẽ ἔλεγχος per traductionem vertit & ἐλέγχειν per traducere: nec semper satis aptè quod ad sensum attinet cum ἐλέγχειν etiam sit arguere & corripere.

Tanquam nugaces:) εἰς κίβδηλον, id est, in spuriũ, vel, velut res quædam adulterina, Quod bene conuenit illi dicto saluatoris, *Vos ex patre diabolo estis*.

Præfert nouissima iustorum:) μακαρίζει ἔσχατα, id est, beata dicit extrema iustorum.

Tentemus quæ ventura sunt illi:) πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ, id est, *Tentemus quæ erunt in exitu ipsius* id est, qualia erunt nouissima ipsius. neque enim additur tum apud Græcos, *& sciemus quæ erunt nouissima ipsius*: quæ videntur assumpta ex alia versione alicuius, Certè apud Cyprianum lib. 2. contra Iudæos cap. 13. vbi locus hic prolixè citatur, non sunt illa verba.

Si enim est verus filius Dei;) pro *verus* est δίκαιος, hoc est *iustus*, & accipitur substantiuè quemad modum indicat præpositus articulus ὁ δίκαιος. vt sit sit sensus, Si enim iustus est filius Dei. *Iustus* legit etiam Augustinus lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. pro *suscipiet* autem est ἀντιλήψεται id est succurret ei; quamuis bene verterit interpres, qui *suscipere* sæpè ponit pro protegere & defendere, & *susceptor* pro defensor.

Interrogemus eum:) ἐξετάσωμεν, id est, exploremus & probemus: sicut superius *interrogatio* pro probatione.

Reuerentia eius:) pro *reuerentiam* Græcè est ἐπιείκειαν, hoc est mansuetudinem. quod proposito magis conuenit. Nec est *morte turpissima*, sed ἀσχήμονι, id est turpi. Verum frequenter interpres positiuos quosdam exponit per superlatiuos.

Erit enim ei respectus ex sermonibus illius:) ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ, id est, erit enim eius obseruatio & inspectio ex verbis eius, hoc est, dum affligetur à nobis, considerabimus & cõspiciemus ex verbis eius qualis sit.

Sacramenta Dei, μυστήρια θεοῦ, id est mysteria vel secreta Dei. verum Latinus interpres ferè nomen *Sacramenti* vsurpat pro mysteriis & secretis rebus sanctioribus.

Honorem animarum sanctarum) pro *honorem* γέρας quod hic etiam, & quidem rectius, verti potest præmium pro *sanctarum* autem est ἀμώμων, id est, irreprehensibilium.

Creauit hominem inexterminabilem:) pro *inexterminabilẽ* est ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id est in incorruptione, & in integritate, nec est *ad imaginem similitudinis suæ*, sed sine præpositione *ad*, καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, id est, & imaginem proprietatis fecit illum.

Imitantur autem eum, &c. Græcè est πειράζουσι δὲ αὐτον, & videtur relatiuum αὐτὸν referri ad θάνατον, id est mortem, vt sit sensus: Experiuntur autem illam mortem quam diabolus inuexit, hi qui sunt partis illius, nempe diaboli, cui sensui optimè conuenit quod mox ex contrario subiicitur, *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis*: quamquam genitiuus *mortis* illic Græcis non addatur. Interpres autem vertít, *imitantur*, referens pronomen αὐτὸν ad diabolum quia πειράζω, etiam tentare significat: qui imitatur autem, tentat eam rem, quam vult imitari.

Iustorum autem animæ in manu Dei sunt:) Hanc scripturam profert D. Chrysostomus Homil. 29. in Matthæum contra vetularum opinionem existimãtium animas hominum mortuorum hic errare super terram.

CAPVT TERTIVM.

E*t æstimata est afflictio exitus illorum.*) pro *afflictio*, Græcis est κάκωσις. Vnde Augustinus legit in lib. Quæstionum. *æstimata est malitia exitus illorum*: sed *malitiam* docet accipi pro pœna & afflictione. Melius tamen legitur *afflictio* quam *malitia*: tum ad vitandum amphibologiam, tum quod hic non sit κακία, sed κάκωσις quod propriè significat afflictionem, à verbo κακόω.

Et ab itinere iusto abierunt in exterminium. Hæc pars apud Græcos nõ est, & sensui obest: quodque sequitur. *Et quod à nobis est iter exterminij*: Græcis secus est καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα, id est, & iter à nobis contritio, supple æstimata est. Illud enim est repetendum ex superioribus; & est sensus. Abitus eorum quo à nobis hinc sunt profecti, æstimatus est ab hominib. esse contritio, cum re vera sit pacis ingressus. Vnde nostra litera sic est intelligenda, vt illud *iter* veluti bis positum accipiatur, hoc modo & quod à nobis est iter exterminij, Iter æstimatum est.

Et si coram hominibus. &c. Græcè est καὶ γὰρ ἐὰν κολασθῶσιν, id est, etenim quamquàm tormenta passi sunt.

In paucis vexati in multis bene disponentur Græcè est elegantius, ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται, id est, paucis correpti vel castigati, multis beneficiis afficientur.

Quasi holocausti hostiam.) ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας, id est quasi holocaustum hostiæ. quædam scripta habebant *quasi holocausta hostiæ*, quod Græcis magis conuenit: atque sic citatur à Cypriano libro de exhortatione martyrij. quamquam Epistola 1. lib. 4. legatur *holocausti hostiam*,

Et in tempore erit respectus eorum. Fulgebunt iusti.) Græca alium habent sensum & aliam distinctionem. Non enim habent, *erit*, nec, *iusti*, nec à verbo *fulgebunt* incipit noua sententia sed sic habent. καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι id est, & in tempore visitationis eorum refulgebunt. Loquitur autem de die iudicij, quem etiam Petrus vocat *diem visitationis*.

In arundineto discurrent:) potius vertendũ. *In stipula percurrent*. est enim ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται.

Acquiescent illi: προσμενοῦσιν αὐτῷ, id est expectabunt eum vel potius assidue adhærebunt ei, quod potest intelligi de iustis vel in hac vita, in qua non discedunt ab eo etiamsi multa propter eum mala pati cogantur, vel in futura, quando indiuulsè Deo adhærebunt.

Donum & pax electis eius:) Græca plus habent & aliter χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, id est, gratia & misericordia in sanctis eius & inspectio vel visitatio in electis ipsius. videri tamen potest in Græcis codicibus aliquid additum ex capite sequenti, vbi hæc sententia sic legitur.

Qui neglexerunt iustum:) οἱ ἀμελήσαντες τοῦ δικαίου id est, qui negligentes fuerunt iusti, & qui nullam habuerunt curam iustitiæ, videtur enim *iustum* hic substantiuè positum pro iustitia.

Labores sine fructu:) κόποι ἀνόνητοι, id est, labores futiles, nullo scilicet precio aut prœmio digni.

Mulieres eorum insensatæ:) pro mulieres verti posset *vxores* cum sit γυναῖκες, nisi ex sequentibus constaret eum loqui de adulteris: Nec est *nequissimi filij*, sed πονηρὰ τέκνα idest, malę sunt proles eorum. pro *creatura* autẽ est γένεσις idest generatio & progenies eorum.

Felix est sterilis & in coinquinata:) Gręcis nõ est cõiunctio *&*, sed μακαρία στεῖρα ἡ ἀμίαντος, id est, beata est sterilis talis quę est incoinquinata nõ enim omnem sterilem beatificat, sed non inquinatam. sicut nec postea omnem spadonem, sed eum qui nec operatus est iniquitatẽ, nec cogitauit praua contra Deum.

In respectione animarum sanctarum:) Rursum pro *respectione* est ἐπισκοπῇ id est, visitatione & inspectione. nec est *sanctarum* sed tantum *in visitatione animarum*, hoc est cum singulorum merita visitabuntur. Et cum dicitur. *nec cogitauit aduersus Deum nequissima*, rursum superlatiuus positus est pro positiuo, est enim rursum πονηρά,

Fidei donum electum:) πίστεως χάρις ἐκλεκτή, id est fidei gratia electa: quanquam bene vertit interpres, Loquitur autem non de dono fidei quo credimus Deo, sed de prę mio fidelitatis vt *fides* hic accipiatur pro fidelitate quã Deo seruamus; iuxta ꝙ supra dixit *fideles in dilectione adhærebunt illi*. Sic enim intelligẽdum sequẽtia docent satis, cum subditur. *Et sors in templo Dei acceptissima*. vbi pro superlatiuo *acceptissima*, est comparatiuus θυμηρέστερος, id est acceptior & desiderabilior: vt hic locus consentiat cum illo Esaię 56. ad quem omnino hic allusum videtur, *Hæc dicit Dominus eunuchis. Qui custodierint sabbatha mea & elegerint quæ ego volui & tenuerint fœdus meum dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus*. Circa quem Isaię locũ D. Hier hũc locũ citãs sic legit *Beata sterilis immaculata quæ non cognouit stratum in delicto, habebit fructum in visitatione animarum, & eunuchus qui non est operatus manu iniquitatem, neque cogitauit contra Dominum mala: dabitur enim fidei eius electa gratia, & pars in templo Domini delectabilis*.

Et quæ non concidit radix sapientiæ:) Gręca habent καὶ ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως, id est, & non cõcidit, vel stabilis & firma est radix prudentiæ: Vnde apud nos vel debet tolli relatiuum *quæ*, aut oportet sic intelligere, quasi *radix*, bis poneretur in hũc modum, *Et radix quæ non concidit est radix sapientiæ*.

Filij autem adulterorum in consummatione erunt.) Græca contrarium videntur habere sensum. Habent enim sic, τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται, id est, proles autem adulterorum inconsummati erunt, id est peruenient ad consummationem, & perfectionem. Vnde videri possit interpretem vertisse *in inconsummatione erunt*. Sed tamen Ambrosius sermo. 65. & alibi legit sicut nos habemus *in consummatione erunt*. Vnde *consummatio* hic debet accipi non pro perfectione, sed cõtra pro cõsumptione & sicut *consummatum*, ponit interpres nunc pro perfecto, nunc cõtra pro consumpto. Potest & hic esse Græcè lectionis sensus. Filij adulterorum nõ erũt initiati, hoc est nõ erũt particepes & consortes sacrorum. sic enim vertuntur Græca in æditione Complutensi. Verum prior sensus conuenit sequenti. *Et ab iniquo thoro semen exterminabitur: & si longæ vitæ fuerint, &c.*

Sine honore erit nouissima senectus illorum:) καὶ ἄτιμον ἐπ' ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν, id est, & inhonorata erit in nouissimis senectus eorum.

Nec in die agnitionis allocutionem :) οὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμύθιον, id est, neque in die discretionis

discretionis vel iudicij consolationem, Sed etiam aliàs *allocutionem* pro consolatione posuit interpres. Fulgentius epistola 2. pro *agnitionis*, legit, *magnitudinis*, sed malè.

Nationis enim iniquæ, diræ sunt consummationes:) Sic hanc sententiam legendam esse vt modo habent libri correctiores, & non vt quidam libri habēt: *Nationes enim iniquæ diræ sunt consummationis* patet ex Græcis quæ habent γενεᾶς γὰρ ἀδίκου χαλεπὰ τὰ τέλη, id est, generationis enim iniquæ duri sunt fines.

CAPVT IIII.

O *Quam pulchra est casta generatio cum claritate:*) Græcè non est ista exclamatio: sed κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς, id est, melior est sterilitas, & carentia filiorum, cum virtute. Fit autē comparatio ad præcedentia vbi dicitur de filiis adulterorum, & sterili atque spadone. Diuus Cyprianus lib. de singulari cleri: Hunc locum prolixè citans, legit conformiter cum Græcis: melius est esse sine filiis cum claritate.

Immortalis est enim memoria eius:) ἀθανασία γὰρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, id est, immortalitas enim est in memoria illius: nempe virtutis: bene tamen redditus est sensus ab interprete.

Desiderant eam cum se eduxerit:) ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν, id est, desiderant eam cum abierit. Cyprianus legit, *cum se subduxerit.*

In coinquinatorum certaminum præmium vincens:) Græcè non est præmium certaminum sed contra certamen præmiorum. Sic enim legitur ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα, id est impollutorum præmiorum certamen superans: & certamine superato: vocat autem certamen præmiorum impollutorum, cui deputata sunt præmia incoinquinata, hoc est quæ nullo mærore polluntur Porro ex Cypriani citatione patet literam nostram vitiatā à scriptoribus. & legēdū esse nō *præmium sed prælium*. Quomodo enim interpres ἀγῶνα *præmium* verterūt? Sed quoniam videbatur sensus ineptus, si quis diceret prælium certaminum, quidam mutauerunt prelium in præmium. Quod autem ἄθλων interpres verterit certaminum cum vertendum potius sit præmiorum ex genitiui huius ambiguitate prouenit, Si enim sit ab ἆθλος significat certamen: si vero à τὸ ἆθλον significat præmium certaminis.

Et spuria vitulamina non dabunt radices altas.) Nō est Græcè dabunt, & collocabunt, sed verba singularis numeri. Δώσει καὶ ἑδράσει quæ referuntur ad *multigena impiorum multitudo* sicut & verba sequentia. Nec enī *spuria vitulamina*, sed ἐκ νόθων μοσχευμάτων, id est, ex adulterinis plantationibus, siue stolonibus. Quoniam autem μόσχευμα Græca dictio videtur deriuari μόσχος quod vitulū significat, ideo interpres etiā fingēs nomen à dictione vitulus vitulamina posuit, cùm nomē illud sit inauditū Latinis. Dicuntur autem Græcis μοσχεύματα teneræ plantæ, malleolique vitium & viuiradices: à verbo Græco μοσχεύω quod est stolones emitto, & viui radices efficio: proinde melius habēt libri correctiores. *Et adulterinæ plantationes*: quomodo locum hunc corrigendum Augustinus diligenter adotauit libr. 2. de Doctri. Christ. cap. 12. sic scribens. Quoniam μόσχος Græcè vitulus dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt esse plantationes, & vitulamina interpretati sunt. Qui error tam multos codices præoccupauit, vt vix inueniatur aliter scriptum: & tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequētibus verbis. Namque adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, conuenientius dicitur quam vitulamina, quæ velut pedibus per terram gradiuntur, & non hærent radicibus, translationem etiam cætera contexta in eo loco custodiunt. Hæc ille.

Etsi in ramis: κἂν γὰρ, id est, & si enim, & pro *in tempore* Græcis est, πρὸς καιρὸν, id est ad tempus.

Ex iniquis enim omnes filij qui nascuntur:) Græcè est ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων, id est, ex iniquis enim somnis, vel sōniis, filii qui nascūtur, nec est magna differentia apud nos inter, omnes, somnis vel somniis, vt verisimile sit, scriptorem aliquem asurditate locutionis commotum, mutasse somnis, in omnes. Porro ne absurdum videatur dicere, homines ex somnis generatos: etiam capitulo 7. Sapiens dicit se natum ex delectamento somni conueniente. Per iniquos ergo somnos, iniquos intelligit concubitus: vnde pulchre dicit filios genitos esse testes nequitiæ aduersus parentes, eius scilicet nequitiæ, ex qua sunt geniti. Illud autem *in interrogatione sua*. Hunc habet sensum: inquisitione vel exploratione sua vel impiorum: hoc est dum explorantur, & inquisitio fit de illis. Rursum enim hic *interrogatio* pro exploratione ponitur & inquisitione.

In refrigerio erit:) pro refrigerio est ἀναπαύσει: id est requie.

Senectus enim venerabilis est non diuturna:) Græca quia articulum habent οὐ τὸ πολυχρόνιον hunc habent sensum, Senectus enim honorabilis est non ea quæ est diuturna, aut potius, quæ est multi temporis. Et quod sequitur, neque numero annorum computata: Græcè dicitur per verbum; neque numero annorum cōputatur, vel potius mensurata est. nam est μεμέτρηται vt sit sensus. Senectus non est mēsurata numero annorum: vt nō possit dici senectus esse, nisi vbi est magnus annorum numerus.

Cani autem sunt sensus hominis: πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις: id est, canities autem est prudentia hominibus. Quamuis enim possit πολιὰ esse etiam adiectiuum à πολιὸς sensus tamen aptior est; si accipiatur vt sit substantiuum, tum propter dictionem hominibus: tum quia sequitur, & *ætas senectutis vita immaculata.* Vult enim vitam immaculatam esse ætatem senilē, & sapientiā esse hominibus loco canitiei.

Placens Deo factus dilectus:) Subaudiendum in participio *dilectus* verbum, est, & distinctiuncula facienda est post *factus*, vt *factus* cohereat cum *placens*, non cum *dilectus*, sic enim est Græcè εὐάρεστος τῷ θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη id est, qui fuit Deo acceptus, dilectus est, ab eo scilicet. Loquitur autē de Enoch: de quo primū scribitur quod ambulauit cū Deo. De Enoch enim singulariter hæc esse dicta, intelligit etiā D. Ambrosius in oratione de obitu fratris, & rursū in cōmētariis in Psal. 40. & in Psal. 45. Et alioqui authorem

authorem huius libri, allusisse ad locum Genesis c. 5. de Enoch, sicut legitur apud 70. satis patet, ex verbis quibus hic vsus est, Nam illo loco pro eo quod nos legimus: Ambulauit cū Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. 70. habēt, εὐηρέστησεν τῷ θεῷ, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, μετέθηκεν ὅτι αὐτὸν ὁ θεός, id est, placuit Deo, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus. Hic autem dicitur: Placens Deo factus, translatus est, vnde & ex hoc loco, & ex textu 70. colligi potest Enoch trāslatum in paradisum, sicut hinc intelligit D. Ambrosius in Psal. 45.

Mutaret intellectum eius: pro *intellectum* est σύνεσιν, id est, prudentiā: Ambrosius legit cor eius.

Fascinatio enim nugacitatis:) Βασκανία γὰρ φαυλότητος, idest, fascinū enim malitiæ. Significatur enim malitiam & iniustitiam specie honesti oculos mentis frequenter perstringere, vt quæ verè bona sunt non videat, & contra bona putet quæ verè mala sunt. Porro pro *inconstantia* Græcis est pulchra dictio plus quid significās nempe ῥεμβασμὸς: quæ deriuatur à ῥέμβων, id est funda, vt sit circunrotatio, & perpetua mutatio cōcupiscentiæ, quæ semper alia & alia desiderat, nunquam vni rei satis inhærens.

Sensum sine malitia:(ἄκακον, id est, mentem sinceram ac malitiæ expertem.

Consūmatus in breui: τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ, quod hic vertendum videtur per causam, quoniam breui tempore perfectus sanctus fuit. Sic enim rectè sequitur *expleuit tempora multa*. Quoniam enim breui tempore perfectionem vitæ est assecutus, censetur multa tempora impleuisse iuxta id quod prius dixit *ætas senectutis vita immaculata.*

Propter hoc properauit illum educere de medio: Grecè non sunt illa duo verba, *illum educere*, sed tantum, *properauit de medio iniquitatis*, vt referatur non ad Deum, sed ad eum cuius anima placita fuit Deo.

Nec ponentes in præcordiis talia:) Græcè est τοιοῦτον, id est, tale nempe quod sequitur, quod gratia Dei est in sanctos eius. accipitur ergo *quoniam* pro quod: Et in participiis *videntes & intelligentes* subintelligendum verbum substantiuū fuerunt, quo oratio fiat perfecta. In eo autem quod sequitur, *Cōdemnat autem iustus*, in editione Complutensi abfuit coniunctio, *autem*, fuit tamen in æditione Aldina.

Quid cogitauerit de illo Deus:) Græcis non additur hic, *Deus*, & in æditione Complutensi est ἐβουλεύσαντο, id est cogitauerūt vel potius decreuerūt, sed mēdū est & legēdū sicut habet editio Aldina, id est, deliberauerit, vel decreuerit

Et quare munierit illum Dominus legendum esse *munierit* & non *minuerit*: vt habent quidam, patet ex dictione Græca correspondente ἠσφαλίσατο, id est, securum fecerit. Hic autem rursum Aldina editio correctior est Complutensi. Nā hæc habet ἠσφαλίσατο ἑαυτὸν, id est, quare muniérit, id est securum fecerit seipsum Dominus: Aldina vero nobiscum melius habet αὐτὸν, id est, ipsum, nempe raptum. Citat autem hunc locum Diuus Augustinus lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 14. vbi vide quanti faciēdam doceat authoritatem huius libri.

Contemnent eum:) Eum delendum est: quia sicut non est in Græcis ita nec inscriptis pluribus.

Post hæc decidentes sine honore:) μετὰ τοῦτο εἰς πτῶμα ἄτιμον, id est post hoc in ruinam in gloriam quamuis dictio πτῶμα, videatur magis posita pro cadauere vt sit, erunt in vile cadauer.

Inflatos sine voce) ἀφώνους πρηνεῖς: id est mutos, & pronos: id est vultum in terram demittentes Significàt enim præ rubore & timore, nec loqui eos posse, & vultum in terram demissuros. Interpres autem propter verbum rumpet, magis putauit πρήνεις, significare inflatos, à verbo πρήθω: quod significat inflare. Quidam libri habent inflammatos, quomodo si legeretur, intelligi posset sensus Græcæ lectionis, inflammatos præ verecundia, quamuis antiquiora scripta habebant inflatos, quomodo etiam puto vertisse interpretem.

Venient in cogitatione:) non est simpliciter *cogitatione*, sed συλλογισμῷ. i. supputatione. significatur enim eos veluti rationem inituros peccatorum suorum: *& traducent* rursum hic positū est, pro redarguent. Est enim ἐλέγξει.

CAPVT V.

T *Vnc stabunt iusti:*) Apud Græcos totus iste sermo de iustis singulari numero effertur. *Tunc stabit iustus &c.* Interpres autem intelligens sub singulari numero sermonem esse de iustis omnibus, mutauit singularem numerū in pluralem, quomodo etiam frequēter citatur à Diuo Cypriano, & item ab Augustino, vt Epistola 50. & alibi.

In Magna constantia: ἐν παρρησίᾳ πολλῇ. id est, in vel cum multa confidentia, & loquēdi libertatte. Opponitur enim illi quod prius est dictum impios *fore timidos ac mutos.*

Qui abstulerunt labores:) τῶν ἀθετούντων τοὺς πόνους. Id est qui spernunt, & cōtemnunt labores. Quod conuenit illi quod sequitur. *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, &c.* Diuus Cyprianus lib. 3. ad Quirinum: legit *diripuerunt*. alibi tamen *abstulerunt.*

Videntes:) præteritum est, Græcis ἰδόντες, id est postquam viderint mirabuntur. Græca dictio plus significat ἐκστήσονται, id est stupebūt & extra se rapientur. Et pro *in subitatione insperatæ salutis*, est ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, id est in inopinatione salutis hoc est propter inopinatam salutem.

Pœnitentiam agentes.) μετανοοῦντες, id est tandem, & post factum nimis sero sapientes. Sic enim hoc quidem loco rectè accipitur.

In similitudinem improperij: εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ: id est in parabolam improperij. sicut illud Psalmi: *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.*

Ecce quomodo Latinorum libri quidam habēt *ecce quomodo*, alij *Quomodo ergo.* cum Græci nec *ecce* habeant, *nec ergo* sed tantum *Quomodo*: Atque sic habebant scripti libri quidam. In Cypriano legitur *Quomodo ergo.*

Sol intelligentiæ non est ortus nobis: In æditione Complutensi, pro *intelligentiæ* ponitur secundo δικαιοσύνης, id est iustitiæ, In Aldina vero nec *intelligentiæ* nec *iustitiæ* sed tantum *Sol non est ortus nobis* atque sic citatur à D. Gregorio lib. 34. moralium capit. 6. & ab Ambrosio item sermo. 3. & 16. & à diuo Cypriano in variis

locis.Vnde apparet illud *intelligentiæ* ab aliquo explanationis gratia in margine asscriptum, postea redactum in contextum.

Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis & ambulauimus vias difficiles: ἀνομίας ἐνεπλήσθημεν τρίβοις καὶ ἀπωλείας, καὶ διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους, id est, impleti sumus viis iniquitatis & perditionis, & perambulauimus deserta imperuia. D.Cyprianus tractatu & lib.de exhortat.martyr.& rursum lib.3.ad Quirinum legit *Ambulauimus solitudines difficiles.*

Diuitiarum iactantia, Græcè est *Diuitiæ cum iactantia* πλοῦτος μετὰ ἀλαζονείας.

Nuncius percurrens. Non est *nuncius*, sed ἀγγελία παρατρέχουσα, id est, *nuncium vel fama prætercurrens.* Conuenit enim vt vmbræ componatur nuncium, vel annunciatio alicuius rei.

Semitam carinæ τεκμήριον τρόπιος, id est semitam itineris.

Aut auis quæ transuolat in aere, cuius nullum, &c. ἢ ὡς ὀρνέου διαπτάντος ἀέρα οὐδὲν εὑρίσκεται, id est, aut sicut cum auis trãsuolauit aerem, nullum inuenitur indicium itineris, nam genitiuus ὀρνέου διαπτάντος est genitiuus absolutè positus: sicut & is qui sequitur βέλους βληθέντος ἐπὶ σκοπόν.

Sed tantum sonitus alarum: Grecè clarius est hoc modo πληγῇ δὲ ταρσῶν μαστιζόμενον πνεῦμα κοῦφον, καὶ σχιζόμενον βίᾳ ῥοίζου κινουμένων πτερύγων διωδεύθη, id est sed percussio pennarum verberatum leuẽ ventum & scissum vi stridoris motis alis pertrãsiit. Itaque apud nos *sonitus* est suppositum verbi *transuolauit*: ac proinde male ibi incipiunt quidam nouam sententiam. *Commotis alis, &c.* Videntum tamen num mutato accentu pro πληγὴ sit legendum πληγῇ: vt sit datiuus causę & suppositum verbi διωδεύθη sit auis.

Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt: Hæc verba non sunt apud Græcos.

Tanquam lanugo, pro *lanugo* est χνοῦς: quę dictio magis puluerem significat. vt in Psa.1.vbi dicitur de impio quod *erit tanquam puluis quẽ proiicit vẽtus à facie terræ*, quod est simile huic loco.

Tanquam fumus qui à vento diffusus est:) Græce nõ est *qui*, sed tantum *sicut fumus à vento diffusus est*. sic & pro participio sequenti *prætereuntis* Græcis est verbum παρώδευσε, id est pertransiuit. Itaque apud Grecos duo ista membra sunt imperfecta, perficienda additione alterius partis hoc vel simili modo, sic etiam se habet spes impij. Interpres bene subterfugit incommoditatem Græcę lectionis.

Apud Dominum est merces eorum: Græcè est ἐν κυρίῳ id est in Domino est merces eorum. Nec est *cogitatio eorum*. sed ἡ φροντὶς, id est cura eorũ quod potest accipi vel actiuè pro cura qua ipsi sunt hic soliciti vt placeant Deo, vel potius passiuè pro cura qua curantur à Deo.

Brachio sancto suo defendet: sancto nec Græca habent, nec multa antiqua scripta.

Diadema speciei. Species hic quemadmodum sæpè in hoc libro ponitur pro pulchritudine: Græcè enim est τοῦ κάλλους.

Accipiet armaturam zelus illius. λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ. Idem accipiet vniuersam armaturam zelum suum: hoc est pro vniuersa armatura sua, accipiet suum zelum, quo se armabit ad vltionem, sicut postea dicitur. *Induet pro thorace iustitiam.* pro quo Græcè est. Induet thoracem iustitiam. Cuius sensum cum pulchrè in eo versu interpres reddiderit. Debuisset & id quod sequitur: *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem*, sic vertisse similiter. Sumet pro scuto inexpugnabili æquitatem.

Iudicium certum., κρίσιν ἀνυπόκριτον, id est iudiciũ sincerum, aut non simulatum & nescium simulandi, vel quod magis conueniret, dissimulandi. Est autem in his duabus dictionibus allusio vocum quæ Latinè non potest reddi. Vnus scriptorum habuit, pro *certum rectum*. Quẽadmodum & habebatur in margine glosæ ordinariæ.

In lanceam. pro *lanceam* est ῥομφαίαν, id est gladium.

Ibunt directè emissiones fulgurum, Quamuis dictio *directè* apud nos conuenientius accipitur vt sit aduerbium, quam vt sit participium, Greca tamen dictio ei correspondens est nomen adiectiuum: εὔστοχοι quod significat eum qui iaculandi peritus est, & ita collimare potest, vt à scopo nõ aberret, & id quod à iaculante rectà tendit in scopum. Et pro *emissiones* Græcè est βολίδες. Est autem, βολὶς hasta missilis vel iaculum. Quare sensus est: iacula fulgurum ibũt missa à Deo, ac recta tendent in eos contra quos emissa fuerint.

A bene curuato arcu nubium exterminabuntur. & ad certum locum insilient, Græcè non sunt illæ duę dictiones *exterminabuntur &*, quæ sensum faciunt obscurum Pro illo autem *ad certum locum* est ἐπὶ σκοπὸν, id est, in scopum, quod prius vertit *in locum destinatum.*

Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines; pro *petrosa* est πετροβόλου, idest petras iaciẽte. Et dictio *plenæ* non est modo aduerbium, cum sit πλήρεις χάλαζαι, id est perfectæ grandines.

Excandescet:) ἀγανακτήσει, id est indignabitur: Male ergo legitur, vel *& scandescet*, vel *& candescet*. Similiter male legitur postea *iniquitatis*, pro iniquitas, cum sit ἀνομία, *Diuidet* ἐκλικμήσει, id est euentilabit.

CAPVT VI.

M*Elior est sapientia quam vires & vir prudens quam fortis.* Hũc versum Græca nõ habẽt

Præbete aures vos qui continetis multitudinem. ἐνωτίσασθε οἱ κρατοῦντες πλήθους, id est auribus percipite, qui regitis multitudinem, aut qui dominamini. Sed frequenter verbũ κρατεῖν, quod tenere quidem etiam significat interpres hic vertit per *continere*, cum sensus requirat vt per imperare vel regere vertatur. Nam id etiam significat κρατεῖν cum genitiuo. Iam quod Græca habent *auribus percipite* potest referri ad sequentia, vt sit sensus: auribus percipite, hoc q̃d dicam, nempe. Quoniam (pro quod) *data est à domino potestas vobis, & virtus ab altissimo.* vbi pro *virtus* non est δύναμις, sed δυναστεία, id est potentatus. Et *interrogabit* rursum positum est pro inquirere & scrutari. Nam est ἐξετάσει.

Cogitationes scrutabitur pro *cogitationes*, est βουλὰς quod magis est consilia. Eandem dictionem mox vertit interpres. voluntatem cum sequitur: *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis.*

Nec custodistis legem iustitiæ) genitiuus iustitię in neutra erat æditione. Videtur additus explicationis

explicationis gratia.

Apparebit vobis:) ἐπιστήσεται ὑμῖν, id est, instabit vobis vel adueniet vobis. nec est superlatiuus *durissimum* sed κρίσις ἀπότομος, id est indicium durum. Contra positiuus *exiguo* pro superlatiuo positus est cum Græcè sit ἐλάχιστος συγγνωστός ἐστιν ἐλέους, id est minimus enim dignus est misericordia.

Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus qui est omnium dominator, οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, hoc est. Nõ enim formidabit personam vel vultum is qui omniũ est Dominus. est autem ὑποστέλλομαι, propriè sese demittere ob metũ personæ, eique cedere. Duo scripta similiter & codex Mechli. & Thronẽsis tãtum habebant. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus.*

Et æqualiter est illi cura: ὁμοίως τε προνοεῖται: id est, & similiter curam gerit, prospicit vel prouidentiam habet.

Cruciatio: ἔρευνα, id est scrutatio Sed & supra vertit *tormenta patientur*, cum sit Græcè ἐτασθήσονται, id est examinabuntur. Nec malé vertit, sensum potius quam verba reddere solicitus.

Et ne excidatis: καὶ μὴ παραπέσητε, id est & nõ delinquatis vel peccetis. παραπίπτω, enim etiam derelinquere significat & peccare vnde παράπτωμα lapsus, delictum, peccatum.

Qui enim custodierint iustitiam iuste iudicabuntur. οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται, id est, qui enim custodierint iust e iusta, iustificabuntur. Multa scripta pro *Iudicabuntur*, habent *iustificabuntur*. Et citatur quomodo ex Græco vertimus à D.Cypriano libr.de singulari clerico. & notatur ab eo quosdam sancta non sanctè seruare. Sic enim habet. Nõ bene succedit quidquid agitur passim, & sanctum non est quod geritur sanctum, nisi sanctè quod sanctum est peragatur sicut Salomon asserit dicens. *Qui enim custoderint iustè iusta, iustificabuntur.* Scriptor aliquis putans aduerbium *iustè* cum sequenti verbo esse construendũ, quia superfluè putabat dici. *Qui custodierint iusta iustè iustificabuntur*, Vertit in *iudicabuntur.* quia ineptum erat dicere, *iustè iustificabuntur* D. Augustinus in speculo etiam habet, *iustificabuntur.*

Inuenient quid respondeant. εὑρήσουσι ἀπολογίαν, id est inuenient defensionem: qua se scilicet defendant in iudicio Dei, quando impij non habebunt, quo se defendant permanentes muti

Clara est & quæ nunquam marcessit. pro *quæ nunquam marcessit* vna est dictio ἀμάραντος, id est immarcessibilis. vnde omitti debuisset relatiuũ *quæ* sed sic supra cap.3.vertit vnam dictionem *quæ non concidit*: vnde intelligendum clara est, & talis quæ nunquam marcessit.

Cogitare ergo de illa. Græcis non est *ergo*, sed γὰρ, id est *enim*. Nec est *sensus consummatus* sed φρονήσεως τελειότης, id est prudentiæ perfectio est.

Et in viis suis ostendet se illis hilariter. Nõ est Græcè *in viis suis*, sed tantum *in viis* vt significetur sapientiam sese ostendere in omnibus viis hominum, hoc est quocunque se diuerterint. vnde sequitur *& in omni prouidentia occurret illis.* vbi pro *prouidentia* est ἐπινοίᾳ, id est adinuentione & consilio, quod homo secum tractat. Nec sunt Græcis futura *ostendet & occurret*, sed præsentis temporis, verba, φαντάζεται, & ἀπαντᾷ, id est apparet, & occurrit. Itaque apud Gregorium Iansẽ.in lib.Sapien. libro 26. Moralium capit. 8. & abest pronomen *suis*, & legitur *ostendit & occurrit.* In vno scriptorum non erat pronomen, *suis*, in altero erat. *ostendit & occurrit.* similiter & in codice Thronensi.

Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. adiectiuum ἡ ἀληθεστάτη, id est verissima, sic positum est Græcis, vt possit vel referri ad substantiuum præcedens ἀρχὴ, vel ad sequens, ἐπιθυμία: magisque ad præcedens referendum esse sensus postulat, & articulus indicat: vt sit sensus. Initium sapientiæ verissimum est, disciplinæ concupiscentia:

Cura ergo disciplinæ. Non est Græcis *ergo* sed δὲ, id est *autem* quod magis conuenit gradationi, quæ cœpit in superiori sententia.

Consummatio incorruptionis βεβαίωσις, id est confirmatio incorruptionis.

Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis Hæc sententia non est in Græcis.

CAPVT VII.

E*x genere terreno illius qui prior factus est.* γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου, id est terrigenæ filius protoplasti. Nam hæc dictio satis est latinis vsitata. Liber Thronensis habebat *terreni*, quomodò & glosa habuit in margine: quare cum ea lectio Græcis consentiat, non dubitandum quin ea sit vera lectio.

Figuratus sum. Non est Græcis simpliciter *figuratus sum.* sed ἐγλύφην, id est sculptus sum. vt significetur artificium Dei in figuranda carne sensim. vnde quod sequitur. *Decem mensium tempore* cum *figuratus* coniungi debet non cum *coagulatus.*

Ex semine hominis: pro *hominis* est ἀνδρός, id est viri. sed frequenter hominem pro viro ponit.

Et delectamento somni conueniente. καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης, id est, & voluptate somno conueniente, id est quę decet somnum: apud Ambrosium sermo 8. in Psal.118. vbi hic locus prolixe citatur. legitur *somni conuenientis*, Et quædã scripta habẽt *somnij conuenientis*, sed rectius legitur somni conueniente. quamuis genitiuus *somni* pro datiuo *somno*. accipi debeat.

Accepi communem aerem. pro *accepi*, ἔσπασα, id est attraxi vel hausi, quomodo legitur in Ambrosio loco prædicto.

Et in similiter factam decidi terram. Male legitur in quibusdam libris, & *similiter decidi in factam terram.* Nam pro *similiter factam*, Græcis est vna dictio ὁμοιοπαθῆ, id est similiter affectam, vel similibus passionibus obnoxiã, vt significet se eisdem miseriis cum aliis hominibus fuisse obnoxium, corruptionis, frigoris, &c.

Propter hoc optaui: propter hoc scilicet quia commune omnibus est initium natiuitatis, & & quia vidi me natum in ignorantia, sicut reliquos homines, porro pro optaui est ηὐξάμην, id est precatus sum, & oraui. Rursum autem pro *sensus* est φρόνησις, id est prudentia.

Nihil esse duxi οὐδὲν ἡγησάμην, id est nihil æstimaui. Vnde constat quosdam male legere *nihil esse dixi.*

Super salutem & speciem: ὑπὲρ ὑγίειαν καὶ εὐμορφίαν:

ideſt plus quam ſanitatem & bonam formã vel pulchritudinem.

Inextinguibile ἀνέσπερον, quod propriè eſt peruigil, & inſomne atq; irrequietum, quod optimè conuenit luci, quæ in continuo eſt motu & actione.

Honeſtas: πλοῦτος, id eſt diuitiæ. Sed aliquoties in hoc libro *Honeſtas* poſitum eſt pro diuitiis, & *honeſtare*: pro diuitem facere.

Honorum omnium mater eſt. Rectius legitur *Horum omnium mater eſt*. Græcè autem tantum eſt *horum mater eſt*.

Dedit Deus dicere ex ſententia. D. Gregorius aliter legit hunc locum lib. mortalium 23. c. 17. vbi pulchrè philoſophatur in eo quid ſit dicere ex ſententia, ſic ſcribens. Fit plerumque vt fortiter dicant, ſe tamen iuxta ea quæ dicunt viuere neſciant. Vnde bene quidam ſapiens dixit, Mihi autem Deus det hęc dicere ex ſententia. Sententia quippe à ſenſu vocata eſt. Et recta quæ intelligit, non ex ſola ſcientia, ſed ex ſententia dicere appetit, qui nequaquam tantummodo ſciendo dicere, ſed ſentiendo deſiderat experiri quod dicit. Porro pro *ex ſententia*, Græcè eſt κατὰ γνώμην, quod ſecundum Budæum eſt propria ſponte vt ſit ſenſus Deus dedit mihi loqui liberè, & lubenter *& præſumere*, id eſt, cogitare, Grȩcè enim eſt ἐνθυμηθῆναι. Quæ autẽ loqui & cogitare ei ſit datum, explicatur, cum ſubditur. *Digna horum quæ mihi dantur*. pro quo Græcè eſt ἀξίως τῶν διδομένων, id eſt ſicut dignum eſt donis meis, vel, quemadmodum decet dona mea.

Operum ſcientiæ diſciplina.) ἐργατιῶν ἐπιστήμη, id eſt opificiorum ſcientia Ambroſ. lib. 1. de vocatione gentium cap. 9. legit. *Et omnis ſapientiæ & operum ſcientia & diſciplinæ*.

Viciſſitudinem, permutationes, & conſummationes temporum, & morum mutationes, diuiſiones temporum.) Pro his quatuor membris, (pro quorum ſecundo quidam libri habẽt *& mutationem omnium*. Græca tantum duo habẽt, nempe τροπῶν ἀλλαγὰς, καὶ μεταβολὰς καιρῶν, id eſt, morum mutationes, & permutationes temporum. Duo ſcripti tantum habent *Viciſcitudinum permutationes & conſummationes temporum*. Vnde veriſimile eſt duo illa alia membra, ex altera verſione vel alicuius interpretatione in margine prius aſſcripta, poſtea relata in contextum. D. Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 7. pro illis quatuor tantum habet, *& diuiſiones temporum*. Libr. de Salomone cap. 1. habet *diuiſiones & mutationes temporum*.

Anni curſus) pro *curſus* eſt κύκλους, id eſt circuitus vel circulos pro *virgultorum* autem φυτῶν, id eſt plantarum. Ambroſ. lib. de Abraham legit *herbarum* libro vero de Salomone *arborum*: atque ſic habebant duo noſtra ſcripta. Li. de fide reſurrect. habet. *Et ſciret diſpoſitiones orbis terrarum, & virtutem elementorum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones*.

Quæcunque ſunt abſconſa & improuiſa:) pro *improuiſa*. Græcè eſt ἐμφανῆ, id eſt perſpicua, & manifeſta, vt ſignificetur eum noſſe, & quæ ſunt occulta, & quæ ſunt manifeſta.

Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ:) Hic locus ſic legitur in Ambroſio libro de incarnatio. Dominicæ myſterio in fine. *Eſt enim in ea ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, bonus, mobilis, diſertus, immaculatus, manifeſtus, inuiolabilis, bonum amans, acutus, prouidens, poſſibilis, munificus, benignus, ſtabilis, integer, ſine ſolicitudine, qui omnia poteſt, omnia ſpectat, & per omnia penetrans ſpirituum intelligibilium*. Qua lectione melius explicantur Græca quam noſtra lectione: niſi quod in hac, quæ eſt apud Ambroſium, lectione vnum putem eſſe mendum pro duobus enim illis *bonus mobilis*, legendum puto, *bene mobilis*. quomodo legitur in eodem Ambroſio lib. 3. de ſſ. c. 19. Correſpondent enim illæ duæ dictiones illi Græcæ dictioni εὐκίνητον, quæ non mobilem tãtum ſignificat ſed bene mobilem, Itaque pro adiectiuo *certus*, primo loco apud nos poſito, Ambroſius legit manifeſtus quod & Græca dictio σαφὲς ſignificat propriè, pro *certus* ſecundo loco apud nos poſito, Ambroſius habet integer, Græca ἀσφαλὲς, quod ſignificat eum qui non errat, pro *ſuauis* Ambroſius habet inuiolabilis Græca ἀπήμαντον, quod illæſum ſignificat, cui nocumentum inferri non poteſt. pro eo quod nos habemus, *qui nihil vetat benefacere*, Græcè eſt ἀκώλυτον quod ſignificat eum qui non poteſt prohiberi, vt rectè verti poſſit expeditus: Huic reſpondent in Ambroſio duo illa adiectiua prouidens, poſſibilis, quamuis videatur Ambroſius aliud quid apud Græcos legiſſe. Pro *humanus*. Ambroſius habet munificus. Quod Græcæ dictioni magis conuenit: eſt enim εὐεργετικὸν, id eſt beneficus, pro *ſecurus* Ambroſ. habet ſine ſolicitudine Græcè enim eſt ἀμέριμνον pro *omnem habens virtutem*, aut vt habet Ambroſius, qui omnia poteſt, Græcis eſt vna dictio παντοδύναμον, quæ vna dictione reddi poteſt, omnipotens, vt annotauit idem Ambroſius libro tertio, de ſſ. capit. 23. pro illo, *& qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles* Ambroſius habet & per omnia penetrans ſpirituum intelligibilium: Græca vero καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων νοερῶν, quod vel poteſt verti: vt legit Ambroſius, vel potius ſic, & per omnes procedens ſpiritus intelligibiles. *Intelligibiles* habẽt etiam quidã ſcripti, quidam etiam impreſſi habent in margine *mundos, ſubtiles*, atque ſic legendum eſſe Græca docent, καθαρῶν, λεπτοτάτων, id eſt, mundos ſubtiliſſimos.

Omnibus enim mobilibus:) Græcè eſt πάσης γὰρ κινήσεως, id eſt, omni enim motu. Diuus Auguſtinus lib. 4. ſuper Geneſ. c. 12. citat, dictum hic eſſe, quod motus ſapiẽtiæ ſit agilior celeriórque omnibus motibus,

Attingit autem vbique:) διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, id eſt pertingit autem & procedit per omnia. Auguſt. lib. de natura boni capit. 29. legit *attingit autem omnia*.

Vapor eſt enim lucis æternæ, &c.) Hunc locum ſic legit Diuus Auguſtinus lib. 1. de incarnatione verbi cap. 13. in quo & capitibus ſequentibus hunc locum tractat prolixè. *Quia vapor eſt quidam virtutis Dei*, ἀπόῤῥοια, *id eſt emanatio omnipotentis gloriæ puriſſima, & ſplendor lucis æternæ. & ſpeculum immaculatum in operationis vel virtutis Dei, & imago bonitatis eius*. Itaque pro, *claritatis*, habet gloriæ, eſt enim Græcè δόξης, pro *candor*, habet ſplendor, nam Græcè eſt ἀπαύγασμα quod ſplendorem ſignificat. pro *maieſtatis Dei*. habet in operationis voluit enim explicare vim Grȩcę dictionis ἐνεργείας, quæ ſignificat operationẽ quæ fit in aliquo, & poteſt verti, efficaciæ. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 4. habet *ſplendor* ſed tamen nobiſcum legit *mageſtatis Dei*.

Pernationes:) κατὰ γενεὰς ideſt per ſingulas nationes. nec eſt *transfert*, ſed participium μεταβαίνουσα, id eſt tranſiens. vt hic ſit parua diſtinctio deinde adiungatur *amicos Dei conſtituit*.

Qui cum ſapientia inhabitat τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα, id eſt, eum qui ſapientiæ cohabitat, tanquam vxori ſuæ. ſcilicet. Id enim ſignificat elegãter συνοικεῖν, inde συνοικῶν, cõiunx. Vnde poſt capite ſequenti dicitur. *Quæſiui mihi ſponſam aſſumere*. pro quo Ambroſius li. de viduis legit. Propoſui ergo hanc adducere ego mihi in coniugium.

Sapientiam antem non vincit malitia:) ita legendum eſſe, & non, vt multi legunt, *Sapientia vincit malitiam* patet ex originalibus & ſcriptis vetuſtioribus. Eſtque Grȩcis futurum κατισχύσει hoc eſt vincet. vt ſignificetur, quod nũquam ſuperabit.

CAPVT VIII.

ATtingit ergo:) διατείνει δὲ, id eſt protendit autem vel extendit ſe aut potius δὲ accipitur aduerſatiuè, vt ſit ſenſus. Sapientiam non vincet malitia, ſed protendit ſapientia à fine vſque ad finem. In Aug. li. de mira. ſacrę ſcrip. legitur pertendit. pro *ſuauiter* autem Græcis eſt χρηστῶς, quod hoc loco conuenit magis verti, vtiliter vel benignè.

Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei:) pro *generoſitatem* eſt εὐγένειαν, id eſt, nobilitatẽ. nec eſt apud Græcos genitiuus *illius*. qui etiam abfuit in quibuſdam ſcriptis. pro *glorificat* eſt δοξάζει, verbum ambiguum ſignificat enim glorificare, & exiſtimare. ſicut δόξα gloriam & opinionem. Porro participium *habens* ex Græcis conſtat eſſe fœminini generis, vt ad ipſam ſapiẽtiam referri debeat. Græca enim habẽt εὐγένειαν δοξάζει συμβίωσιν θεοῦ ἔχουσα. Participium autem ἔχουσα, hic conſtructum cum verbo ſignificãte affectionem animi ponitur Græco more, pro infinitiuo, Itaque hic eſt ſẽſus. Sapientia putat eſſe nobilitatem habere conuictum cum Deo. Quare & noſtra litera ſic eſt accipienda, omiſſa pro nomine *illius*, Ipſa ſapientia habens contubernium Dei, id eſt, conuerſationem cum Deo, celebrat eam rem tanquam veram generoſitatem hoc eſt, nobilitatem.

Sed & omnium Dominus:) *Sed* non eſt apud Græcos & videtur addita, quia ſuperior ſentẽtia ſic ſolet intelligi. Is homo qui habet contubernium Dei, glorificat & celebrat nobilitatem ſapientiæ. Iam enim rectẽ dicitur. *Non ſolum homo eam laudat, ſed & omnium Dominus dilexit eam*.

Doctrix.) Græcè eſt μύστις, id eſt myſtica & arcanorũ Dei perita pro *electrix* autẽ eſt Græcè αἱρετίς. Quare fruſtra quidã in margine habent *inuentrix* cum id Græca dictio non ſignificet, ſed electricem.

Si autem ſenſus operatur: (Rurſus pro *ſenſus* eſt φρόνησις, id eſt prudentia. Loquitur autem de prudentia artificum & operariorum, cũ qua comparat ſapiẽtiam Dei: docens eam magis eſſe induſtriam quam prudentiam artis.

Labores huius magnas habent virtutes:) πόνοι ταύτης εἰσὶν ἀρεταί, id eſt labores huius ſunt virtutes Et accipitur hic *virtus*, vt opponatur vitio. ſequitur. *Sobrietatem enim & prudentiam docet & iuſtitiam, & virtutem*. Vbi iam *virtus* aliter accipitur nẽpe pro fortitudine. Eſt enim Græcè ἀνδρείαν. pro *ſobrietatem* hic eſt σωφροσύνην, id eſt temperantiam. Hic ergo nominãtur quatuor virtutes quæ dicuntur cardinales, etiam philoſophis notę. Vnde *iuſtitia* hic accipitur pro ſpeciali virtute. Cum mox poſt generaliter accipiatur vt omnem virtutem ſignificet cum dicitur. *Si iuſtitiam quis diligit, labores huius ſunt virtutes*.

Multitudinem ſcientiæ:) Græcè vna dictio πολυπειρίαν, id eſt multã experientiam. Cum quatuor enim rebus quæ homines maximè appetunt comparat ſapientiam Dei, diuitiis, prudentia, iuſtitia, & rerum experiẽtia multarũ.

De futuris æſtimat:) τὰ μέλλοντα εἰκάζει, id eſt futura imaginatur vel coniectat ex præteritis ſcilicet quæ nouit.

Argumentorum:) Græcè eſt αἰνιγμάτων, id eſt ænigmatum, hoc eſt quæſtionum obſcurarum & difficilium explicatu.

Ad conuiuandum: legendum eſt *ad conuiuẽdum* quomodo habent libri correctiores. Nam eſt εἰς συμβίωσιν, id eſt, ad conuictum. D. Ambroſius lib. de viduis locum hunc ſic citat, *Propoſui ergo hanc adducere ego mihi in coniugium*.

Sciens quoniam mecum communicabit de bonis:) εἰδὼς ὅτι ἔσται μοι σύμβουλος ἀγαθῶν, id eſt ſc ẽs quod erit mihi conſultrix bonarum rerum.

Et erit allo cutio cogitationis & tædij mei:) καὶ παραίνεσις φροντίδων καὶ λύπης. id eſt, & admonitio curarum & mœroris, hoc eſt, quæ admonitura eſt me in curis & mœrore.

Honorem apud ſeniores, iuuenis & acutus inueniar:) illud *iuuenis* cum præcedentibus eſſe iungẽdum Græca docent: quæ non habent coniũctionem, *& iuuenis & acutus*. ſed ab *acutus* incipit noua ſententia. Quidam ſcripti habent *honorem apud ſeniores & iuuenes. Acutus inueniar*.

Tacentem me ſuſtinebunt pro *ſuſtinebunt* eſt περιμενοῦσι, id eſt expectabũt, vt ſcilicet, loquar & cum ſequitur *loquentem me aſpicient*, Græca habent. φθεγγομένῳ προσέξουσι, id eſt loquenti attendent.

Præterea habebo. pro *præterea* omnes ſcripti habent *propterea* neutrum tamen habent Grȩca, ſed tantum: habebo per hanc, immortalitatem.

Hæc cogitans & commemorans,) Grȩcè ſunt aoriſti λογισάμενος & φροντίσας, id eſt cũ reputaſſem, & ſolicite cogitaſſem.

Immortalis eſt in cogitatione ſapientiæ:) Lectio plane deprauata: eſt enim Græcè ἀθανασία ἐστὶν ἐν συγγενείᾳ σοφίας, id eſt, immortalitas eſt in cognatione ſapientiæ: quomodo habet vnus ſcriptorum, & biblia nunc impreſſa,

Honeſtas ſine defectione:) Rurſus *honeſtas* pro diuitiis. πλοῦτος ἀνεκλιπής, id eſt diuitiæ indeficientes.

In certamine loquelæ illius:) ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς, id eſt in coexercitamento colloquij, vel

vel cõuersationis illius,hoc est,per hoc quod quis exercetur simul cum ea colloquendo,& conuersando acquiritur sapientia.

Puer autem eram ingeniosus &c.) De hoc loco prolixè disputat D.Augustl.lib. 10. de Genesi ad literam.cap.17.& 18.eo quod videatur patrocinari quibusdam hæresibus,vt illi,qui asserit animas ab initio creatas pro diuersis meritis mitti ad diuersa corpora, contra claram Pauli ad Romanos doctrinã.Itaque ad Christum sententiam hanc obscuram magis accõmodandam putare videtur.Verum quod dicit,*se fortitum animam bonam*, significare voluit se Dei munere,non suis meritis accepisse animam ingenio & præclaris dotibus præditam pro eo autem quod legimus.

Et cum essem magis bonus, Græcè est μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν, vbi μᾶλλον videtur positum quomodo sæpè,pro,vel potius; vt sit quodammodo corrigentis,quod dixerat.& sit sensus.Aut potius cum essem bonus,veni, id est deueni ad corpus incoinquinatũ dixerat.*Puer eram ingeniosus,& sortitus sum animam bonã*.Ex quib.verbis cũ intelligi posset eum significasse, se suo ingenio consecutum animã bonam veluti corrigit illum sermonẽ,dicens, aut potius cum essem bonus,vel quia eram bonus, perueni ad corpus incoinquinatũ.Significans animæ bonitatem quam ex Dei Munere habuit,fuisse causam munditiæ corporis, non contrà, corporis dotibus animæ bonitatem esse paratam,& animæ bonitatem præcessisse, non secutam esse.Secundũquẽ intellectũ,non est iam locus illi errori quorundam opinantium animas pro varietate meritorum mitti in diuersa corpora.

Quoniam aliter non possem esse continens:)pro *continens* est ἐγκρατὴς, quæ dictio hic non videtur accipienda.vt significet castum tantum, aut continentem ab omni concubitu.saltem illicito:cum de castitate & continentia tali non fiat aliqua mentio in sequẽti oratione: sed accipienda est,vt significet temperatum, & eũ qui in omnibus modũ tenet: quod dictio Græca pulchrè significat.Huiusmodi autẽ moderatio est vera sapientia,quã sequenti petit oratione.Vnde dicit de sapientia *deducet me in operibus meis sobrie* σωφρόνως, id est temperate & moderate,ita scilicet,vt in omnibus modum teneã.Itaque Lyra bene exponit,non posse esse continens à vitiis:& Augustlib.10.confess.c.24.Locum hunc tractans *continentiam* interpretatur abstinentiã ab omnibus vitiis. Per continentiã,inquit,colligimur, & redigimur in vnum,à quo in multa defluximus: & subiicit c.sequenti.Iubes certe vt contineam à cõcupiscẽtia carnis,& concupiscentia oculorũ, & ambitione seculi.Verus autem huius loci sensus est:vt dictio *continens* accipiatur nõ pro abstinente & temperato,sed pro , compote, quemadmodum annotatum est in c.6.Ecclesiastici,circa illum locum. *Et continens factus, ne derelinquas eam*.Itaque sensus est Cum scirem me non aliter posse fieri compotem voti mei & obtinere desideratam sapiẽtiã.Sic enim iã rectè subiũgitur oratio pro obtinẽda sapiẽtia

Et hoc ipsum erat summa sapientia:) Græcè non est *summa sapientia* sed tantum, *erat sapientia*. & sic citat Diuus Augustinus loco prædicto & lib.de gratia & libero arbit.c.4.Item Ambro. lib.1.de vocatione gentium.Quædam scripta habebant *erat sapientia* sine *summa*. Vnum vero nostrorum habebat,*erat sapienti*..

CAPVT IX.

DEus patrum meorum, & Domine misericordiæ tuæ:)Pronomen *meorum*,Græca non habent & *tuæ* non est in Cõplutensi ædítione, nec in scriptis plurimis:Est tamen in Aldina.

Creaturæ quæ à te facta est:) τῶν ὑπὸ σοῦ γενομένων κτισμάτων, id est creaturarum quæ à te sunt factę & pro *disponat*,rectius vertisset,gubernaret sed ferè sic ponitur in hoc libro *disponere*.

In directione cordis,)ἐν εὐθύτητι ψυχῆς,id est in rectitudine animæ,idest,in recta anima, & recto corde.Simile est in Psal.118. *Confitebor tibi in* directione cordis.

Apueris tuis:)*pueris* hic positum est pro seruis sequitur *enim,Quia ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ*.

Et si quis.) κἂν γάρ τις. Etsi enim quis. Codex Thronensis habet,*Nam & si quis*. porro,*consummatus* pro perfectus positum est. Est enim τέλειος.

Tu autem me eligisti:)*autem* non est in Græcis & sensui obest.& in vno nostrorum scriptorũ non erat,nisi recenti manu asscriptum.Proinde bene omissum est in Bibliis correctioribus iam impressis.

Dixisti me ædificare:)*Me* non est in Græcis,nec in quatuor scriptis : quamuis parum ad rem faciat,siue addatur,siue non.Est autem Græca locutio *dixisti ædificare* pro vt ædificarem.

Et tecum sapientia tua:)*Tua* non est in Græcis, nec in duobus nostris scriptis,nec in Meclin. codice,& omissum facit sententiam absolutiorem,Est autem repetendum, *& sapientia tecum præparat tabernaculum,& altare.*

Et sciebat.)Græcè est præsens καὶ ἐπίσταται,id est,&scit.Non enim vult tũc solum sciuisse, quid placitum esset Deo cum mũdum Deus crearet, sed nunc hoc scire. Vnde eam sibi precatur dari:*vt*,inquit,*sciam*, per eam scilicet *quid placitum sit tibi*.

In sua potentia. ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ,id est, in gloria sua,hoc est per suam maiestatem,& claritatẽ.

Dignus sedium patris mei:)Græca locutio *dignus sedium* pro dignus sedibus,Et pro,*sedibus* magis conueniret soliis,vel thronis.

Prouidentiæ nostræ ἐπίνοιαι ἡμῶν,id est adinuentiones vel cõsilia nostra,quamquam non male verterit interpres.

Corpus enim quod Corrumpitur:)φθαρτὸν γὰρ σῶμα, id est,corruptibile enim corpus.atque sic legitur apud D.Augustin.lib.13.de Ciuitat.Dei. capit.16.

Et terrenainhabitatio:)γεώδες σκῆνος,id est,terreum tabernaculum.Sic enim & Paulus & Petrus vocant corpus.pro illo *Sensum multa cogitãtẽ*,Græcè est νοῦν πολυφροντίδα,id est mentẽ multarum curarum , vel multis curis detentam. D.Augu.habet *sensum multa curantem* lib.2.contra Pelagia.

Difficile æstimamus:) Rursum *æstimamus* vertit, cum magis conueniat coniectandi verbum μόλις ἐπιλογιζόμεθα , id est vix coniectamus, pro *quæ in conspectu sint* , Græcè est elegantius τὰ

τὰ ἐν χερσίν, id est,ea quæ in manibus sunt.

Sensum autem tuum.)Varie interpres vtitur in hoc libro nomine *sensus*.Aliquando pro mente,aliquando pro prudentia,Hic verò pro cõsilio & voluntate.Est enim βουλὴν δὲ σοῦ.

Etsi correctæ,&c.)Contrarium hic accidit ei quod in Euangelio Ioannis vitio scriptorum legitur,*sic* pro *si*.*Sic eum volo manere*. cũ sit legẽdum,*Si eum volo manere*. Et in Psalmis.*Sic memor fui tui super stratum*,cum legendum sit.*si memor fui*.Hic enim pro,*si*,legendum est,*sic*.Nã Græcè est ὅτως.vt sit sensus.Nisi tu dederis sapientiam, & sic correctè per eam sint semitæ hominum,nemo poterit scire tuum consilium & mentem.Duo ex nostris scriptis habent nõ *si* sed *sic*.

Nam per sapientiam sanati sunt,quicunque placuerunt tibi à principio:)Græcè non sunt illa verba *quicunque placuerunt,&c.* sed tantum ᾧ τῇ σοφίᾳ, ἐσώθησαν,idest,& per sapientiam saluati fuerũt vel fuerũt.apud Cyprianum. lib.de singulari clericorum tantum legitur. *Et per sapientiam sanati sunt*.Ita & habet vnus nostrorum scriptorum , sed tamen additur illa particula *quicunque placuerunt &c*.Potest autem Græcæ lectionis duplex esse distinctio aut vt interrogatio cœpta in eo loco. *Sensum autem tuum quis sciet*, protendatur vsque ad finem capitis, & tunc illa verba διωρθώθησαν,ἐδιδάχθησαν ἐσώθησαν exponenda sunt per coniunctiua, *correctæ sint, didicerint,saluati sint*,licut apud nos libri multi habent,*correctæ sint & didicerint*: aut interrogatio intelligenda est finiri ante,*& sic correctæ*,& tũc legendum est *correctæ sunt, didicerunt*: *& saluati sunt*, quomodo etiam multi libri habent. Atque sic magis est verisimile vertisse interpretem, vt sit sensus, Et sic hoc est, quia misisti spiritum tuum de cœlis,didicerunt homines quæ tibi placita sunt, & per sapientiam sunt saluati. Prior autem distinctio magis placet, sed sic vt omnes Aoristi vertantur per plusquam perfectum coniunctiui.

CAPVT X.

HAEc illum qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum:) Hic rursum pro illo, *qui primus formatus est*, Græcis vna est dictio satis visitata,πρωτοπλάστον,nec est *à Deo*. sed tantum ἀπὸ πρωτοπλάστου πατρὸς κόσμου, id est hæc protoplastum patrem mundi. Illud *à Deo*, vnus trium nostrorum scriptorum non habebat in contextu,sed tantum in margine recentiore manu asscriptũ, nec est apud Augustin. qui hunc locum sic legit.Epistola 99.*Hæc illum,qui primus factus est patrem orbis terrarũ,cum solus esset creatus custodiuit,& eduxit illum à delicto suo,& dedit ei virtutem continendi omnia*:

Et eduxit illum à delicto suo:pro *eduxit* æditio cõplutensis habuit ἐξέλατο,id est exemit: Aldina vera ἐξήγαγε hoc est produxit & eduxit.Quamuis vtroque idem significetur.Dominus ergo dicit Sapiẽtiam præstitisse Adæ,nempe quod ipsum cum solus esset custodiuit ne peccaret, & quod cum peccasset ex suggestione vxoris,à peccato ipsum exemit,& eripuit.

Eduxit illum de limo terræ: Hæc pars sicut hoc loco cõmode ponitur, ita omnino non est in Græcis , nec in duobus nostris scriptis, nisi quod in altera erat asscripta in margine manu recentiore, nec est in Augustin. loco prælegato.

Continendi omnia:)Rursum hic *continere* positũ est pro imperare & dominari: Græcè est ἰσχὺν κρατῆσαι ἁπάντων,id est virtutem dominandi omnibus , Ad hoc enim alludit quod dictum est Adæ *dominamini piscibus maris*, &c.

Ab hac vt recessit iniustus in ira sua:) ἀποστὰς δὲ ἀπ' αὐτῆς ἀδικῶν ἐν ὀργῇ ὠτοῦ, id est postquam autem defecit ab ea iniustus(nempe Caim)per iram suam. Nam illud, *in ira*, Hebraicè positum est pro per iram, & coniungitur cum verbo *recessit*, vel *defecit*.

Per iram homicidij fraternitas deperiit:) Libri correctiores iam impressi habent *fraternitatis*: quomodo habuit vnus nostrorum scriptorum atque sic legendum esse patet ex Græcis, quæ hic longè sunt clariora. ἀδελφοκτόνους σταγόνας ὠλέσατο θυμοῦ,id est,per fratricidalem simul periit furorem:ipse scilicet Caim , simul periit cum Abel.

Propter quod,cum aqua deleret terram , sanauit iterum:) δι' ὃν κατακλυσμῷ γῆν πάλιν ἔσωσε, id est, propter quem,inundatam terram iterum saluauit. *Quem* , & non *quod* habebant duo nostra scripta. tertium habuit *Qua*. Significatur ergo terram diluuio fuisse perditam propter Caim : quia scilicet eius impietatem posteri eius imitabantur. Conuenitque istud cum eo, quod Genesis 4. plerique intelligunt Dominum punitionem Caim distulisse, vsque in septimam generationem , cum dixit. *septuplum punietur*. Quod autem sequitur , *per contemptibile lignum iustum gubernans* , vt explicetur tempus preteritum quod est in Græcis melius sic potest verti. Per vile lignum iusto gubernato, Græcè enim est δι' οὐ τελὸς ξύλου τὸν δίκαιον κυβερνήσασα.

Hæc & in consensu superbiæ cum se nationes extulissent:) Græcè paulo aliter & longe clarius αὐτή καὶ ἐν ὁμονοίᾳ πονηρᾶς ἐθνῶν συγχυθέντων, id est, hæc etiam cum in concordia malitiæ gentes commixtæ fuissent, vel congregatæ. aut , hæc etiam gentibus confusis per consensum malitiæ, vt significetur confusio linguarum , qua punitæ sunt gentes , quòd in malitia conspirassent. Duo nostra scripta habebant pro *superbiæ* , *nequitiæ*: quorum alterum pro *extulissent* habebat *contulissent* , hoc est congregassent: quod bene conuenit cum eo quod Græci habent συγχυθέντων , vt dubium non sit , quin sic verterit interpres, quomodo etiam postea deprehendi in aliis scriptis.

Scieuit iustum:) pro *sciuit* Complutensis æditio habuit ἔγνω cognouit: Aldina verò εὗρε inuenit Loquitur autem proculdubio de Abraham.

Conseruauit sine querela:)Illud *sine querela* passiuè debet exponi,vt frequenter in nouo testamento, pro eo,de quo nemo queri iuste potest, Est enim & hic Græcis vna dictio , quæ in nouo Testamento illis locis , quibus vertit interpres *sine querela* ἀμεμπτον. Itaque sic verti possunt Græca : conseruauit illum Deo inculparum.

Et in filiis misericordiam fortem custodiuit:) His verbis intelligitur significari sapientiam custodisse fortem & constantem misericordiam

erga posteros Abrahæ. Verū Græcè longe alius est sensus: quæ hic habent. καὶ ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις ἰσχυρὸν ἐφύλαξε, hoc est ad verbum, & in filij visceribus fortem custodiuit. Significatur ergo sapientiam effecisse, vt Abraham nō obstante paterna pietate, filium suum offerre paratus fuerit. Vnde non dubito interpretem vertisse, *Et in filij misericordia*. Quod confirmat vnus liber nostrorum scriptorum, qui habuit *filij non filiis* & vt notant Biblia Louaniensia quædam exemplaria habent *misericordia*.

Hæc iustum a parentibus impijs liberauit fugientem descendente igne in pentapolim Libri impressi qui correctiores habentur, habent ablatiuos *descendente igne*: cum Græcè sint accusatiui descēdentem ignem, qui construuntur cum participio *fugientē* quomodo & habuit vnus scriptorum nostrorum. In codice antiquissimo quē suppeditauit nobis bibliotheca D. Petri Gandauensis erat *descendentem ignem*, Nec est Græcis *à pareuntibus impijs*, sed ἐξ ἀπολλυμένων ἀσεβῶν, id est pereuntibus impiis, sine præpositione, a vt sint ablatiui absolute positi, interpres videtur legisse pro ἐξαπολλυμένων duas dictiones ἐκ ἀπολλυμένων.

Quibus in testimonium nequitiæ:) ἧς ἔτι μαρτύριον τῆς πονηρίας, id est, cuius adhuc testimonium malitiæ, vt *cuius* referatur ad pentapolim. Duo Biblia scripta ex nostris habebant, *cuius* non *quibus*, sic & codex D. Petri. Pentapolis autem dicebatur regio, quæ tempore Lot incendio periit, à quinis ciuitatibus, quæ erant in illa nempe Sodoma. Gomorrha, Adama. Seboin & Balæ, quæ & Segor. porro pro illo *fumigabunda constat deserta terra*, Græca est καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, id est, fumigans constituta est terra vel deserta terra. Nam χέρσος propriè significat desertā terram & incultam. Quamquam vnus scriptorum nostrorum librorum tātum habuit, *terra*, & non, *deserta terra*. κατέστηκε autem Græcis dicitur, quod statutum est & moribus receptum est. Vnde καθεστηκὸς dicitur constitutum, & institutum aliquod.

Et incerto tempore fructus habentes arbores:) Græcè καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, id est, & imperfecta vel incōsūmata pulchritudine & maturitate fructificantes arbores. Non enim hic ὥρα tempus significat, sed pulchritudinem & maturitatem. Vnde ὡραῖος pulcher vel maturus. Ex Græcis patet illud *incerto*, legendum apud nos per vnam dictionem vt habent etiā libri correctiores. Porrò quo intelligātur quæ hic dicuntur de fumigatione huius terræ, & immaturis arborum fructibus, præstat hic ascribere quæ de hac re scripsit Iosephus lib. 5. de bello Iudaico, cap. 5. Vbi post descriptam naturam lacus Asphaltitis, in quem pro magna parte redacta est terra illa combusta, sic subiicit. Huic sodomitica terra vicina est: olim quidem tam fructibus, quàm diuitiis ciuitatum fortunata: nunc autem omnis exusta, vt quæ habitatorum impietate fulminibus conflagrasse memoratur. Denique adhuc in ea diuini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus cineres, qui colore quidē sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissoluuntur & cinerem. Hæc ille.

Incredibilis animæ:) ἀπιστούσης ψυχῆς, id est, incredulæ animæ, Nam incredibile dicitur cui nō facile creditur. pro *memoria* Græcè est μνημεῖον, id est memoriale. & pro *figmentum* est στήλη, id est colomna imago.

Non tantum in hoc lapsi sunt vt ignorarent bona:) οὐ μόνον ἐβλάβησαν τοῦ μὴ γνῶναι τὰ καλά, hoc est non solum læsi sunt ignoratione bonorum.

Hominibus memoriam:) Græcè est τῷ βίῳ μνημόσυνον, id est reliquerunt vitæ memoriale. Rursum enim hic interpres *memoriam* posuit pro memoriali.

Nec latere potuissent:) rectius verteretur, *Nec latere possent.*

Hos qui se obseruant:) τοὺς θεραπεύοντας αὐτήν, id est eos qui colunt & venerantur ipsam aut vt participium nomine reddatur, cultores suos Bene tamen vertit interpres, si rectè intelligatur, siquidem Latinis eleganter id significat *obseruare* quod Græcis θεραπεύειν, hoc est, admirari & venerari aliquem.

Hec profugum iræ:) *Profugus iræ* nouè positum est, pro eo qui fugit, & declinauit iram fratris. Loquitur autem de Iacob: cui sapientia ostendit regnum Dei, quando in Bethel videre dedit Dominum innixum scalæ, & angelos Dei ascendentes & descendentes. Tunc etiam *dedit ei scientiam* vel potius cognitionem (Nam Græcè est γνῶσιν) *sanctorum*, hoc est sanctarum rerum. Nam substantiuè hic positum videtur in neutro genere.

Honestauit eum in laboribus:) Sicut interpres in hoc libro frequenter *honestatem* posuit pro diuitiis, ita hic *honestauit* posuit pro locupletauit est enim Græcè εὐπόρισεν. Sic & postea, *honestum fecit*: pro, ditauit, est positū. Est enim ἐπλούτισεν.

Compleuit labores:) pro *compleuit* est ἐπλήθυνε quod potius est multiplicauit. Significatur enim sapientiam Dei multiplicasse labores Iacob in fœtibus ouium.

In fraude circumuenientium eum:) Græcè apertius ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων, id est, in auaritia opprimentium eum, vel præualentium ei.

A seductoribus:) ἀπὸ ἐνεδρευόντων, id est, ab insidiatoribus.

Dedit ei vt vinceret:) pro *dedit vt vinceret*, Græcè vnicum est verbum ἐβράβευσεν αὐτῷ, est autem βραβεύω proponere, instituere certamen, & certaminis præmia. Vnde verti potest, certamen forte proposuit illi: quamquam in æditione Complutensi exponatur etiam verbum illud per *dedit vincere*. Cum autem sequitur, *& sciret* Græcè est ἵνα γνῷ. vt scilicet. atque sic habebat vnus trium nostrorum scriptorum emendatior.

A peccatoribus liberauit eum.) Non est Græcis *à peccatoribus* sed ἐξ ἁμαρτίας, id est, à peccato, ne scilicet illud committeret, ad quod sollicitabatur ab vxore Phutipharis.

In foueam:) εἰς λάκκον. In laccum significat autem carcerem Ioseph. *Et potentiam aduersus eos qui eum deprimebant:)* καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, id est, potestatem in eos, qui tyrannicè ipsum opprimebant.

Qui maculauerunt:) τοὺς μωμησαμένους, id est, qui vituperauerunt, & reprehenderunt.

Sine querela:) Rursum hic est ἄμεμπτον, id est, inculpatum.

A nationibus quæ illum deprimebant:) Græcè non est *à nationibus* sed *à natione*, ἐξ ἔθνους θλιβόντων, id est,

id est, ex gente affligentium, ipsum scilicet.

Mercedem laborum suorum:) Complutensis æditio habet μισθὸν ὁσιότητος κόπων id est, mercedē pietatis, vel iustitiæ laborum. In Aldina tamen æditione non erat genitiuus ὁσιότητος.

In velamento diei:) *Diei*, hic Græco more positum est pro ablatiuo *die*, hoc est per diem, quē admodum etiam in Psa. *Deduxit eos in nube diei* hoc est, per diem. Nec est hic Græcis *in velamento & in luce*, sed εἰς σκέπην & εἰς φλόγα, id est, in velamentum, & in lucem, hoc est, pro velamento, & pro luce.

Aquam nimiam:) *Nimium* pro multam positū est, sicut frequenter *nimis* pro valde, Græcè est διὰ ὕδατος πολλοῦ, id est, per aquam multam.

Ab altitudine inferorum eduxit illos:) ἐκ βάθους ἀβύσσου ἀνέβρασεν αὐτούς, id est: ex profūditate abissi, hoc est maris, ebullire eos fecit, hoc est, ascendere eos fecit. Significare enim vult, demersos Ægyptios, in spolium eiectos fuisse à mari, veluti bulliente, & spumas suas eiiciente.

Pariter:) Græce est, ὁμοθυμαδόν, id est, vnanimiter.

CAPVT XI.

IN *manibus Prophetæ:)* Græcè est ἐν χειρὶ in manu. Hebraica autem phrasi dictum est *in manu vel manibus Prophetæ* pro per prophetam

Iter fecerunt per deserta quæ non habitabantur:) διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον, id est pertransierūt desertum inhabitabile.

Et in locis desertis fecerūt casas:) καὶ ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς, id est, Et in imperuiis (locis scilicet) fixerunt tabernacula. *Fixerunt* habent duo nostra scripta, & glosa ordinaria, & plerique impressi in margine habēt, *alias fixerunt*. Proinde sic iam habent libri nuper impressi: quandoquidem certum est, eam esse veram lectionem.

De petra altissima:) ἐκ πέτρας ἀκροτόμου, id est de petra abrupta, hoc est, rupe. vel de petra dura. Nam de petra alta, vnde aqua fluxerit, non fit mentio in scripturis. porrò illud, ἐκ πέτρας ἀκροτόμου est etiam apud 70. Deut. 8. pro quo nos legimus *de petra durissima*. Interpres hic respexit ad hoc, quod ἄκρος significat altum, & forte legit ἀκροτάτου.

Requies sitis:) ἴαμα δίψης, Id est curatio sitis.

A defectione potus sui in eis cum abundarent filij Israel, lætati sunt:) Omnia hæc verba non sunt in Græcis: sed sequens pars, *per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est*, coniungitur cum superiori, & habet hæc pars Græcè lōgè clarius sic, διὰ τούτων αὐτοὶ ἀποροῦντες εὐηργετήθησαν, id est, per hæc ipsi cum indigerēt, beneficio affecti sunt. Est ergo totius orationis iste sensus. Per quæ enim pœnas passi sunt (vel potius puniti aut cruciati sunt, nam Græcè est ἐκολάσθησαν) inimici illorum (nimirum per aquas quæ Ægyptiis conuersæ sunt in sanguinem) per hæc ipsi (Israelitæ) cum indigerent, beneficio affecti sunt: cum scilicet sunt illis aquæ datæ è petra. Nostra lectio poterit habere commodum sensum, imò eundem cum prædicto, si legamus, addita coniunctione, *&*, & cum distinctione tali vt perfectus punctus non sit ante *per hæc*, sed post illa verba *bene cum illis actum est*, in hunc modum, *Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum à defectione potus sui, & in eis, cum abundarent filij Israel letati sunt: per hæc cum illis deessent, bene cum illis actum est.* Hanc distinctionem habet vnus nostrorum scriptorum ac duo habent *& in eis*. Itaque hic erit sensus. Per quæ inimici Israelitarum Aegyptij sunt cruciati, cum defecerit illis potus, & in quibus Israelitæ tunc siti cruciatis Aegyptiis, lætabantur, ob abundantiam aquæ, quæ fuit apud eos, per hæc (inquam) eadem quæ olim Aegyptiis egentibus cruciatum, & Israelitis abundantibus lætitiam adferebant, postea cum etiam ipsis Israelitis deessent aquæ, bene cum ipsis actum est, cum aquæ illis sunt abundè datæ è petra.

Nam pro fonte quidem &c.) Totus iste locus, vsque ad illud, *Cum enim tentati sunt &c.)* apud nos obscurissimus, imò vix commodum aliquem sensum admittens, apud Græcos longè aliter se habet: quamuis nec eorum lectio careat scrupulo. Habent autē Græca in hunc modum, ἀντὶ μὲν πηγῆς ἀεννάου ποταμοῦ αἵματι λυθρώδει ταραχθέντες εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, ἔδωκας αὐτοῖς δαψιλὲς ὕδωρ ἀνελπίστως, δείξας διὰ τοῦ τότε δίψους πῶς τοὺς ὑπεναντίους ἐκόλασας. Quæ ad verbum sic habent. Pro fonte quidem semper fluentis fluminis sanguine cruentō turbati, in redargutionem præcepti infanticidalis, dedisti ipsis largam aquam insperatè, demonstrans per sitim, quæ tunc fuit, quomodo aduersarios puniuisses. Hic Græca obscura sunt, quod non appareat cum quo construendum sit participium ταραχθέντες, id est turbati quod ad Aegyptios referēdū est, non ad Israelitas. Vel ergo dicendum nominatiuū hunc hic poni absolutè, quemadmodū aliquoties apud Paulum vt sit hic sensus. Cum quidem Aegyptij turbati fuissent, propter sanguinem cruētum datum illis pro fonte fluminis ipsorum semper ab initio fluentis, & datum propter correptionem illius præcepti, quo statutum erat vt infantes Hebræorum in flumen proiecti occiderentur: tu Domine contra dedisti ipsis Hebræis, cum sitirent in deserto, largam aquam è petra: idque præter eorum expectationem, ostendens per sitim, quàm ad tempus tuos permisisti pati, quàm grauiter olim punijueris aduersarios eorum. Vel potius pro ταραχθέντες, legendum est ταραχθέντος: vt referatur ad ποταμοῦ, vt sit sensus. Pro fonte quidem fluminis, quod turbatum fuit sanguine cruento, in redargutionem, &c. dedisti illis aquam largam, &c. vt significētur Deum pœnam illam Aegyptiorum Hebræis sitientibus in deserto commutasse in magnū beneficium. qui sensus & præcedentibus cōuenit & sequentibus. Porro illud μὲν videtur referri ad δὲ quod post multa interposita sequitur ἀντὶ δὲ λογισμῶν. *pro cogitationibus autem, &c.* Quamquam interpres videatur legisse μὲν γὰρ, id est *si quidem*. In hac autem Græcorum lectione quę lateant mysteria, quę in nostra lectione nemo facile suspicari potest, facile quiuis apud se intelligere potest. Primum enim significatur, cui peccato respondeat plaga cruoris. Deinde, quare dominus ad tempus permiserit suos in deserto affligi siti nimirum vt experti grauitatem pœnę sitientes re-

cordarētur sitis Ægyptiacæ,& cogitarēt,quāta illa pęna Deus propter suos affecerit.Postremo, quomodo aliū se Deus in simili negocio & inopia exhibet impiis,& iustis. Vt autem & nostra litera sensū habeat predicto sensui maximè conuenientem,sic est intelligenda.*Nam pro fonte quidem fluminis sempiterni*,hoc est,semper fluentis, *humanum sanguinem dedisti iniustis Aegyptiis.Qui* Aegyptij *cum minuerētur*,hoc est per plagam sitis,& alias plagas occisi pauciores fierent,idque *propter traductionem* id est correptionem (nam frequenter in hoc libro interpres ἔλεγχον vertit *traductionem* pro redargutione & correptione)*infantium occisorum,tu Domine contra dedisti ipsis Israelitis ne siti minuerentur* & perirent *aquam è petra abundantem*. Itaque significatur quod cum Aegyptios Dominus permiserit perire siti,suos tamen perire noluit siti.

Cum enim tentati sunt & quidem cum misericordia disciplinam accipientes,&c.) pro *disciplinam accipientes* Græcè est παιδευόμενοι,id est corripi.nec est *cum misericordia & cum ira sed* ἐν ἐλέῳ & ἐν ὀργῇ,id est in misericordia & in ira sicut Dauid dicit. *Ne in ira tua corripias me*. Declarat ergo hac sententia,quod dixit:Quomodo Deus ostēderit suis qualis fuerit pœna sitis in Aegyptiis.

Hos quidem:τούτους μὲν γὰρ, id est, hos quidem nam alioqui cruda est cohærentia.

Interrogans condēnasti:)καταδικάζων ἐζήτησας,id est condemnans examinasti.Rursum ergo hic *interrogare* posuit interpres pro examinare quod hic positum videtur pro torquere:sicut apud Latinos,quæstio pro tortura.

Absentes enim:)Non est Grecis,*enim*,sed δὲ,autem, & sic habuit vnus scriptorū nostrorum Hic enim nouum incipit caput, & noua materia:& significatur Aegyptios tormento affectos,& cum presentes fuissent Hebræis,& rursum, cum ab eis essent separati:quando, scilicet,audierunt Dei beneficia populo Hebraico in deserto præstita,& peculiariter,quod aquam è petra illis eduxerit, cum ipsis aquam in sanguinem conuerterit,hic enim sensus sequentibus conuenit.Proinde in hoc loco explicando, sicut & in aliis huius libri,Nicolaus & alij mire sunt hallucinati: quorum expositiones,prosequi & excutere superuacaneum puto: cum quidam eorum potius sint dolendi,quam ridendi.

Tædium & gemitus cum memoria præteritorum:) λύπη καὶ στεναγμὸς μνημῶν τῶν παρελθόντων id est, dolor ,& gemitus memoriarum præteritorū. Qui genitiui sic videntur exponendi, gemitus è memoriis,vel memoria rerum præteritarum.Nam alioqui dura est locutio,gemitus memoriarum.Aldina æditio habet μνημῶν τῶν παρελθουσῶν,id est memoriarum præteritarum, sed prior lectio rectior est propter articulum τῶν præpositum adiectiuo.In qua lectione videndum, num pro μνημῶν mutato accentu legendum potius sit μνήμων,id est memor, vt sit sensus gemitus memor præteritorum. Significatur autem Aegyptios dupliciter fuisse afflictos,sum audirent Israel in deserto aquam è petra fluxisse:videlicet tum quod recordarentur suæ sitis, & plagarum, quas propter illos passi erant.

Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi:) pro *bene secum agi*, Græcè est εὐεργετουμένους αὐτοὺς hoc est,beneficio affectos illos,vt sit sensus.Cum Aegyptij audirent Israelitas ea in re à Deo affectos beneficio,in qua re ipsi afflicti puniti fuerant,nempe in aqua sitim Israeliterum sed ante.

Commemorati sunt Dominum:) ᾔσθοντο τοῦ κυρίου,id est, senserunt vel cognouerunt Dominum, tunc,scilicet,cœperunt eum agnoscere,cuius virtute prius noluerūt satis agnoscere. Quod autem sequitur *admirantes in fine exitus*. Græca omnino non habent,& repetitum omnino videtur ex sententia sequente.

Quem enim in expositione praua proiectum deriserūt in finem euentus mirati sunt:) Græca sic habent, ὃν γὰρ ἐν ἐκθέσει, πάλαι ῥιφέντα ἀπεῖπον χλευάζοντες ἐπὶ τέλει τῶν ἐκβάσεων ἐθαύμασαν,hoc,est, quem enim in expositione olim abiectum repudiauerūt subsannantes, in fine euentuū admirati sunt. Loquitur autem de Deo,quem agnoscere noluerunt Aegyptij,cum iuberent Hæbreorum infantes exponi, quem postea coacti sunt agnoscere,videntes & audientes mirabilia,quę pro suis dominus est operatus. Non enim de Mose istud dictum esse,quem postea admirati sunt Hebræi,cum prius eum reiicerent,patet,quia hęc sententia subiuncta est ad declarationem eius, quod præcedit, *senserunt dominum*.

Non similiter iustitis faciens:)sic (inquit Nicolaus habent libri correcti. Ex quibus verbis constat,quosdam libros,quos ille incorrectiores putat,aliter habuisse:quāuis omnes, quos vidi, habeant hoc modo. Verisimile autem quosdam libros habuisse pro *faciens*, *facientes*. Nam eam lectionem quidan suis commentariis satis innuit. Porro nec *faciens* nec *facientes*:est vera lectio:sed omnino verisimile est interpretē Aertisse *sitienes*, cū Græcè sit διψήσαντες,id est sitiētes.vt sit.Nō *similiter iustis sitiētes*.Eā locutionē cū quidā non intelligerent: primū quidē *sitientes* versum est in *facientes*,ac deinde *facientes* in *faciens*.Itaq; Gręcè est οὐχ ὁμοίως δικαίοις διψήσαντες,id est,cum non simili modo cum iustis sitiissent.Cohæret enim hæc pars cum superiori *admirati sunt Dominum, eo quod non similiter cum iustis sitiissent*.Quia iusti Hebræi sitientes in deserto diuinitus aquam acceperunt, non sic Aegyptij in sua siti.

Pro cogitationibus autem insensatis iniquitates illorū:)ἀντὶ δὲ λογισμῶν ἀσυνέτων ἀδικίας αὐτῶν Hic ἀδικίας quamuis secundum sonum & per se possit esse accusatiui casus, tamen propter exigētiam sensus debet hic esse genitiui casus. vt sit sensus.Pro cogitationibus autem stultis iniquitatis ipsorum. Et iungenda est hæc pars cum sequentibus.*Quoniam quidam errātes*,pro quo Græcè est ἐν οἷς πλανηθέντες ἐθρήσκευον,id est, per quas decepti coluerunt. Itaque sensus nostræ literæ est. Pro cogitationibus autem stultis iniquitatis eorum nempe quod quidam errantes colebant serpentes, immisisti eis animalia in vindictam.Sicut enim prius sanguine afflictos dixit Aegyptios,ob occisos infantes, ita iam animalibus,propter animalium impium cultum.Siquidem omnibus constat, Aegyptios bestias,pro diis,coluisse.

Mutos serpentes:) pro *mutos* est ἄλογα,quod potius significat irrationabilia. à λόγος, ratio. Quamuis λόγος etiam sermonem significat: quo

quod sequutus interpres vertit *mutos*:vnde patet quosdam libros male habere *multos*.

Bestias superuacuas:)κνώδαλα εὐτελῆ, id est, bestias viles,est autem κνώδαλον vox generalis omnibus feris terrestribus, aeris, & aquaticis.vt significetur cuiusuis generis feras Ægyptios coluisse.

Mutorum animalium:)Rursum pro *mutorum* est ἀλόγων,hoc est,irrationabilium.

Impossibiliserat:)Vna est dictio Græcis ἠπόρει, id est,impotens erat,aut in promptu non habebat.

Ex materia inuisa:)ἐξ ἀμόρφου ὕλης,id est,ex informi materia quomodo quædam exemplaria habere testatur D.August. lib. de fide & symbolo cap.2.Vnde apud nos *inuisa* accipi debet pro ea quæ necdum videbatur, cum nullam haberet formam.Nec est quod quisquam miretur,hic dici,Deum creasse mundum ex materia, cum fide teneamus mundum creatum ex nihilo. In principio enim Deus ex nihilo creauit omnem materiam,quæ cum esset, vt nos legimus,*inanis & vacua*, aut vt habent 70. ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος,id est inuisibilis & incondita,Deus ei per septem dies induxit omnes corporum formas & distinctiones quas videmus modo.

Aut noui generis ira plenas,& ignotas bestias:) νεοκτίστου θυμοῦ πλήρεις θῆρας ἀγνώστους, hoc est,aut feras ignotas plenas furore nouiter creato. Itaque secundum hanc lectionem quę est æditionis Complutensis,illud *noui generis* coniungendū est cum ira.Æditio Aldina non habet νεοκτίστου, sed νεοκτίστους,quamuis vitium sit deficiente sigma:cum scribendum fuerit, νεοκτίστους, id est nouiter creatas.vt ad bestias referatur, ad quod & apud nos illud *noui generis* potest referri.

Aut vaporem ignem spirantes:) ἤτοι πυρπνοον φυσῶντας ἆσθμα, id est,aut igniuomum spirantes halitum.

Aut fumi odorem proferentes.:) ἢ βρόμον λικμωμένους καπνοῦ.Sic habet Complutensis editio,hoc est, aut strepitum ventilati fumi. Aldina habet, ἢ βρόμον λικμωμένου καπνοῦ, id est,aut sonitus vētilatos fumi.In vtraque æditione videtur aliquid corrigendum,& in Aldina quidem, auferendum in λικμωμένους sigma.in Complutensi vero ὀμικρόν medium mutandum in ω.vt sit λικμώμενος à λικμάω Non enim dicitur λίκμονας.

Emittentes:) Non est Græcè *emittentes* simpliciter:sed ἀστράπτοντας,id est,efulgurantes, & more fulgurum emittentes.

Nam & sine his:)Græcè est ἀλλὰ καὶ,id est, sed & atque sic habent duo nostra scripta,ac nūc impressa.

Persecutionem passi ab his factis: ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες,id est,à iudicio(scilicet tuo)propulsati,vel impulsi.

Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti:)Græcè nō est præpositio *in*nec in vno nostrorum scriptorum & absolutior est sententia præpositione omissa. Significatur autem, Deum omnia disponere, & ordinare debito ordine,& modo & quadam proportione:vt sicut omnes creaturę suum acceperunt à Deo numerum,pōdus & mensuram,ita etiam pœnæ peccatorum suam habeāt proportionem, nec sine causa aliquid in eis insolitum,& nouum fiat.De hac sententia prolixe satis D.August.lib.4.de Genesi ad literam,cap.3.4.& 5.& aliis locis.

Multum enim valere tibi soli superat semper:) τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν σοι πάρεστι πάντοτε, id est, Nam multum posse, vel,nam magnifice fortem esse tibi adest semper,hoc est,magnifica fortitudo tibi adest semper.Non ergo apud nos legēdum *superat*, sed *supererat*, sicut habent omnia scripta & impressa emendatiora.

Et virtuti:(κράτει id est fortitudini.

Antelucani qui descendit:)Græcè ὀρθρινὴ κατελθοῦσα, id est, matutina, quæ descendit, vt referatur ad *guttam*.Vnus scriptorum nostrorum habuit,*quæ*,similiter & codex Mechli. Cōparat autem totum mundum *momento stateræ*, quòd omnes creaturæ nutui diuino mox & facile pareant,nunc huc, nunc illuc propendentes. *Guttæ* item,quæ descendit in terram, quæque ab exorto sole consumitur, quod in potentia Dei sit situm, mox perdere quæcunque voluerit.Sic dicitur & Isaiæ 40.*Ecce gentes quasi stilla situlæ,& quasi momentum stateræ reputatæ sunt.Ecce insulæ quasi puluis exiguus.*

Et misereris omnium:)Legendum est,*sed misereris*. Quomodo habent pleraque scripta & impressa castigatiora.Sensus autem est.Quamquam mūdus omnis coram te sit velut gutta & res nihili, tamen misereris omnium, quia omnia potes.

Dissimulas peccata:) Græcè est παρορᾷς, id est, negligis. Quamquam pulchre verterit sensum interpres.Porro pro *propter penitentiā*,Græca habent εἰς μετάνοιαν,id est, ad pœnitentiam, hoc est,vt pœentientiam agant. Nam alioqui litera nostra intelligi posset, propter pœnitentiam ab hominibus peractam.cum intelligendum sit,propter pœnitentiam agendam.secūdum illud Pauli. *Benignitas Dei ad penitentiam te adducit*.

Nec enim odiens aliquid constituisti,aut fecisti.) οὐδὲ γὰρ ἂν μισῶν τι κατεσκεύασας. Quod potius sic est vertendum. Neque enim si odiuisses aliquid constituisses,vel construxisses potius. Illud enim *aut fecisti* non habent Græca, nec erat in vno scriptorum,nisi recentiore manu additū intra linea. Videtur prius à quodam in margine positum,pro explanatione verbi *constituisti*.Certe Augustinus legit li.1.de diuersis quæstionibus ad Simplicianum.*Neque enim odio habens aliquid constituisses*.

Domine qui amas animas:)δέσποτα φιλόψυχε,id est ô animarum amator Domine.

CAPVT XII.

O *Quam bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus*:) Sicut in cap.4.initio non est apud Græcos ea exclamatio, quæ est apud nos ita nec hoc loco,Græca enim habēt hoc modo. τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμα ἐστιν ἐν πᾶσιν, hoc est, Nam incorruptibilis tuus spiritus est in omnibus: etiam in impiis,scilicet, quamuis hinc non polluatur,quia incorruptibilis. Vnde patet,male quosdam libros,pro *omnibus*,habere,*nobis*.

Hos qui errāt partibus corripis:(τοὺς παραπίπτοντας κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις,hoc est,delinquentes, paulatim vel sensim corripis. In hoc enim libro παραπίπτω frequenter pro delinquere & peccare

care positum est. Vnde παράπτωμα delictum. In nostra ergo litera illud *partibus* exponi debet pro per partes. & coniungendum est nó cum *exerrant*, vt fere fit, sed cum *corripis*.

Et de quibus peccant admonens & alloqueris:) καὶ ἐν οἷς ἁμαρτάνουσιν ὑπομιμνήσκων νουθετεῖς: id est, & in memoriam illis reuocando, admones in quibus peccent. & cum sequitur, *vt relicta malitia*, Græcè est ἵνα ἀπαλλαγέντες τῆς κακίας, id est, vt mutati à malitia. Quamquam pulchrè verterit interpres.

Quos exhorruisti:) Græcè est participium μισήσας. Quod per causam hic est exponendum *quia odisti*.

Odibilia opera:) ἔχθιστα ἔργα, id est, maximè exosa opera. Et cum sequitur, *per medicamina*, Græcè est φαρμακειῶν, hoc est, veneficiorum, opera, scilicet. Nam cum illo cōstruitur apud Græcos. & accipitur hic in malam partem proculdubio, sicut cap. 1. φάρμακον pro veneno.

Necatores sine misericordia:) φονέας ἀνελεήμονας, id est, occisores immisericordes.. Verū interpres fere semper, nomina ex α priuatiua particula composita, vertit per præpositionem, *sine*, circumlocutiuè.

Et comestores viscerum humanorum. & deuoratores sanguinis:) Variant hic Græca. siquidem Aldina æditio habet, καὶ σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοῖναν, καὶ αἵματος. Cuius lectionis non video quis possit esse sensus, propter duo adiectiua addita substantiuo σαρκῶν. nisi pro σπλαγχνοφάγων sit legendum σπλαγχνοφάγον in accusatiuo: vt sit adiectiuum substantiui θοῖναν. & sit sensus. Et viscerarium conuiuium humanarum carniū. Sic enim legendum potius voluit D. Nānius, qui proinde & in eo quod præcedit φονέας, legendum potius putat φονάς, id est cædes. vt sermo eadem habitudine decurrat per scelerū species. Complutensis vero æditio, quæ fere semper correctior est, sic habet. καὶ σπλαγχνοφάγους ἀνθρωπίνων σαρκῶν, καὶ θοίναν αἵματος. hoc est, & comestores humanarum carnium, & deuoratorem sanguinis. Sic enim illud θοίναν versum est in æditione Complutēsi. Sed ea sola dictio facit, vt nec hæc lectio videatur plane recta nisi forte θοίνας in plurali accusatiuo sit legendum. Quāquam nec θοίνας, ου, ὁ, pro deuoratore si reperiatur alicubi certum sit. Certe interpres noster videtur legisse dictionē pluralem, significantem deuoratores.

A medio Sacramento:) Hæc verba iam in libris impressis ponuntur post *perdere voluisti*. & per *Sacramentum* intelligitur terra illa sancta promissionis. In antiquis autem scriptis ponuntur post verba præcedentia *deuoratores sanguinis*. Quemadmodum habebant duo nostra scripta, & Biblia Mechli. Atque hoc loco interpretem hæc verba posuisse patet, quod per præcedentia ponuntur in Græcis ea verba, quæ correspondent istis *à medio Sacramento tuo*. Porro Græca his verbis respondentia, & variant in diuersis exemplaribus, & vtrouis modo legantur nullum planum sensum habent: Complutēsis enim æditio habet post αἵματος, θέας ἐκμέσου μύστας σου. Quæ sic in ea exponuntur *De medio Sacramenti diuini tui*. Verum quomodo μύστας potest esse genitiui casus, quomodo itē Sacramentum, vel mysterium significare potest? sicut præsupponit hæc interpretatio, Aldina vero æditio, quam hac quidem in parte correctiorem existimo, sic habet, ἐκμύσου μύστας τεθέας σου. Vbi illud τε coniungit μύστας, cum sequenti, καὶ αὐθέντας, sicut superius coniungebatur φονέας cum καὶ σπλαγχνοφάγους. Sed quid est illud ἐκμύσου? quid denique μύστας θέας? Non video, quomodo modus, qui est in hoc loco, dissolui possit, nisi primum illud ἐκμύσου per vnā legatur dictionem compositam ex præpositione ἐκ & nomine μύσος. Quod significat scelus & μίασμα abominationē, & coinquinationem. Vnde ἔκμυσος abominandus, scelestus. Nam istud ἐκμύσου sic est impressum in Aldina æditione: vt constare non possit an pro vna dictione haberi voluerit, an duabus. eo quod ἐκ finis sit versus, & μύσου principium alterius versus: quamquam in æditione Argentoratensi, quæ proculdubio Aldinum exemplar per omnia est secuta. duæ dictiones sint impressæ. Iā illud μύστας τεθέας σου, hunc forte potest habere sensum: occultatores aut suppressores cultus tui. Nam θέα, vt habet Varinus in suo dictionario, est ἡ λατρεία, ἡ διὰ τῶν ἔργων θεραπεία, id est, cultus, & obsequium per opera. μύστης autem, qua dictione propriè significatur sacerdos arcanorum peritus, omnium consensu dicitur à verbo μύω, quod est abscōdo, occulto. Vnde μύστης dictus, quod arcana sibi concredita debet occludere, & abscondere, nec cuiquam prophano explicare. Quare videri potest etiā illos habitatores antiquos terræ sanctæ hic dictos μύστας θέας, quod Dei ocultum, quē à patribus acceperant, occultarent & supprimerent. Quod si placet: iam illud ἐκμύσου construēdum erit cum αἵματος. vt sit sensus. Deuoratores sanguinis abominandi vel scelesti. Quod si illud ἐκμύσου velimus coniungere cum seqnēti, sicut Aldina æditio illud separat ab αἵματος interposita distinctiuncula, & illud μύστας accipere velimus in ea significatione quam habet in vsu, pro θέας σου, legendum puto, θιάσου. vt sit sensus μύστας ἐκμύσου θιάσου, id est, sacerdotes abominandi conuiuij, aut scelestæ epulationis & diuinationis. Varinus enim episcopus, in suo illo insigni dictionario, explicaturus quis sit θιασμός ponit hanc dictionem in genitiuo, nimirum quod eam alicubi sic legerit: & forte in hoc loco. Sic autē habet. θιασμοῦ εὐωχίας, ἐν θιασμοῦ. Est autem εὐωχία teste Polluce potissimum, conuiuiū publicum: quale scilicet erat quod in Deorum sacrificiis & illorū in cultu agebatur. Hæc sanè lectio & hic sensus optime, conuenit pręcedentibus, & sequētibus: in quibus dicūtur isti. de quibus est sermo, comestores humanarum carnium, & occisores filiorum quos dæmoniis immolabant Cum autem Chananæi, qui ante Israelitas inhabitauerunt terram sanctam, non legantur vsquam comedisse carnem humanam: videtur quod hic dicitur metaphoricè intelligendum, vt propter eorum in filios, quos diis offerebant, crudelitatem dicantur fuisse comestores humanarum carnium: maximè quia in filiorum oblatione conuiuia celebrabant, in quibus de idolothytis comedebant cùm gaudio & lætitia.

Auctores parentes animarum inauxiliatarum:)

Non

Non est interpres assecutus significationem, quam habet hoc loco dictio Græca correspondens ei quam vertit *auctores*. Est enim αὐθέντας: quæ dictio etsi nonnunquam significet auctorem, hoc tamen loco sensus exigit, vt significet eum qui propria manu se vel alios occidit: quæ propria est vocabuli significatio Gaza enim ait hoc vocabulum olim tantum significasse τὸν αὐτόχειρα, hoc est, eum qui sibi manus infert: postea vero & supra mille annos significare cœpisse quod apud latinos auctor significat. Itaque sensus Græcè lectionis quæ habet, καὶ αὐθέντας γονεῖς ψυχῶν ἀβοηθήτων, est iste. Et parentes qui sua manu occiderant animas auxilio destitutas. Dicit autem animas auxilio destitutas, quod à parentibus filij immolarentur, à quibus vel maxime defendi ab occisoribus debuissent.

Vt indignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior est terra:) Græca hic apertum & commodum habent sensum. ἵνα ἀξίαν ἀποικίαν δέξηται θεοῦ παίδων, ἡ παρὰ σοὶ πασῶν τιμιωτάτη γῆ, id est, vt terra quæ apud te omnium maximè erat honorata, (vel omnium erat preciosissima) acciperet coloniam dignam pueris Dei; vel coloniam puerorum Dei, dignam scilicet se. Vnde verisimile est interpretem vertisse *perciperet*, vt eius suppositum sit *terra*.

Sed & his tanquam hominibus, &c.) *His*, refertur ad Chananæos, quibus propter humanæ naturę fragillitatem eatenus pepercit, vt non statim eos perderet, sed paulatim. Quod autem hic dicitur de vespis præmissis, cōuenit cum eo quod Exodi 23. & Deutero 7. legimus: Dominum promisisse se missurum, crabrones qui fugarent inhabitatores: quod & factum esse Iosue moriturus in sua concione ad populum testatur, dicens. *Misique ante vos crabrones & eieci eos de locis suis*. Quibus locis in versione 70. est, τὰς σφηκίας, vel τὴν σφηκιάν, id est, vespas vel crabrones, sicut & hoc loco est σφῆκας: à nominatiuo σφήξ. Ponitur autem illis locis in Hebræo צלעה qua dictione Hebræi dicunt significari, speciem reptilis alati habentis venenatum aculeum. & per illud occidentis, non dissimilis api: atque hanc speciem in multitudine dicunt infestissimam fuisse inhabitatoribus terræ illius, vt cogerentur cedere. Quod ob id adnotandum duxi, quòd quidam per vespas, de quibus alibi non fit mentio, putauerunt intelligendum timorem habitatoribus à Deo incusum.

Verbo duro:) Pelicanus putat *verbum* hic positum, pro pestilentia, eo quod dictio Hebræa דבר significat pro punctorum varietate ac diuersitate, & verbum, & pestem. Sed rectius simpliciter hic *verbum* acceperimus pro iussu diuino: quia prius dixit cap. superiori. *Etiam sine bestiis vno spiritu occidi poterant*.

Partibus iudicans:) Rursus *partibus* hic positum est, pro, per partes & paulatim, cum Græcè sit κατὰ βραχύ: quam dictionem mox superius vertit paulatim, cum dicitur *vt illos paulatim exterminarent*.

Naturalis malitia:) ἔμφυτος ἡ κακία αὐτῶν, id est, innata, vel natiua malitia: quam scilicet à parentibus suis imbiberunt. & consuetudine longa veluti in naturam verterunt. Vt ne quis naturam à Deo creatam, tāquam per se malam calumnietur cum Manichæis.

Non poterat mutari:) οὐ μὴ ἀλλαγῇ, id est, nequaquam mutaretur. Vt non hinc quis colligat argumentum contra libertatem arbitrij.

Nec timens aliquem veniam dabas peccatis eorum:) οὐδὲ εὐλαβούμενός τινα ἐφ' οἷς ἡμάρτανον ἄδειαν ἐδίδους, id est. Neque quod verereris aliquē veniam dabas in quibus peccauerunt, hoc est, *peccatis eorum*, vt bene vertit interpres. Potest autem hæc sententia duplicem habere sensum. Primo vt significetur, Deum dedisse quidē ad tēpus veniam & securitatem in peccatis eorum non tamen ob id quod aliquem vereretur. Secundo vt significetur, Deum nullius timore commoueri potuisse, vt peccatis illorum daret veniam, nec ea aliquando puniret. In sequentibus autem ostenditur neminem esse quem Deus timere debeat.

Aut quis in conspectu tuo veniet &c.) Græcè est ἢ τίς εἰς κατάστασιν σοι ἐλεύσεται, ἔκδικος κατὰ ἀδίκων ἀνθρώπων. Vbi quid significetur per κατάστασιν, vel vt habet Aldina æditio, κατάστασιν, non satis intelligo: nisi accipiatur, pro resistentia & oppositione. vt sit sensus. Quis venit tibi in oppositionem? id est. Quis contraponet & opponet se tibi? Nam hic sensus optime proposito conuenit. Porro illud, *vindex iniquorum hominum*, cum possit accipi pro eo qui vindictam infert iniquis. Græca indicant debere accipi pro eo qui vindictam sumit de iniuria hominibus illata, vt sit sensus. Quis stabit contra te, vt vindictam sumat de te, pro his quę intulisti impiis mala? Porro hæc sententia apud Græcos ponitur post sequentem. *Aut quis tibi imputabit &c.* Quam sic habent Græca τίς δὲ ἐγκαλέσει κατὰ ἐθνῶν ἀπολωλότων, ἃ ἐποίησας? id est, Quis autem accusabit te gentibus perditis (à te pro scilicet) quas tu fecisti? quasi dicat. Quia tu eas fecisti, ac Dominus earum es, potuisti vtique iuste etiam eas perdere, cum ita mererentur eorum opera. Hic enim sensus proposito maximè conuenit.

Non iniustè iudicas iudicium:) Non est Græcè *iudicas*, sed ἔκρινας, id est, iudicasti, nec est *iudicium* sed tantum *non iniuste iudicasti*: Declarat autem neminem esse qui propter impios perditos possit Deum culpare & vindicare: primum, quia nullus est Deus præter ipsum. Ergo neminem habet vel superiorem, vel æqualem, qui vindicare possit vltionem impiorum. Secundo, quia Deo cura est de omnium salute. quia omnibus offert salutis occasiones. per quod ostendit se iuste impios condemnare, & punire cum punit.

In conspectu tuo inquirent de his quos perdidisti:) ἀντοφθαλμῆσαι δυνήσεταί σοι περὶ ὧν ἐκόλασας, id est, ex aduerso obtueri in te poterit, pro his quos puniuisti; quamquam sensum interptes pulchre reddidit. Nam per illud *ex aduerso obtueri in Deum*, significatur nihil aliud quam inquirere causam perditionis, & punitionis & de iniustitia Deum in ius vocare, Metaphora desumpta à contendentibus in iudicio qui facie in sese mutuò versa sese aspiciunt.

Cum ergo sit iustus:) δίκαιος δὲ ὤν:) id est, cum

autem

autem sis iustus. Praecedenti enim sententia dixit:neminem eius esse potentiæ, qui audiat cum Deo contendere:hic vero declarat nemi nem esse qui iuste possit aliquid diuinorum iudi ciorum culpare.

Ipsum quoque qui non debet puniri condemnas, & ex terum æstimas à tua virtute:) Locus multum corruptus verisimiliter à scriptoribus, & per se impietatem sonās, nec satis cohærens cum eo, quòd mox dictum est de Dei iustitia, Quē Lyra. sic explicat, vt significetur Deum iustos aliquando condemnare, id est, punire & affligere propter patientiæ probationem. vt Iob. & Tobiam, D. quoque Gregorius lib. 3. moral, ca. 11. legit *condemnas*. & interpretatur de Christo. Verum *condemnationis* verbum non conuenit nisi vbi est peccatum, & per consequens debitum pœnæ. Ideoque alij sic intelligunt. Ipsum frequenter qui non debet puniri secūdum iudicium hominum, hoc est, qui iudicio hominum pius & iustus, cōdemnas, quia tuo iudicio, qui occulta cognoscis, malus est & impius. Sed frustra hæ quæruntur euasiones, cum Græca apertū habeant sensum. Sic enim habēt. αὐτὸν τὸν μὴ ὀφείλοντα κολασθῆναι, καταδικάσαι, ἀλλότριον ἡγούμενον τῆς σῆς δυνάμεως, id est, ipsum, qui non debet puniri, condemnare, alienū existimans à tua potentia. Omnino ergo verisimile verbum *condemnare* scriptorem aliquem vertisse in *condemnas*, & maximè cum antiqui illud & scribere solent quasi esset & scribētes z. nec *virtute* apud nos accipitur, vt opponatur vitio, cum sit δυνάμεως, id est, potentia. Sic & cum sequitur. *Virtus enim tua iustitiæ initium*, pro *virtus* Græcè est ἰσχὺς, id est, fortitudo. quasi dicat. In aliis fortitudo est iniustitiæ initium, in te tua fortitudo est initium iustitię. quod declarat sententia sequenti.

Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis:) Quod Græcè clarius sic habetur. καὶ τὸ πάντων σε δεσπόζειν πάντων φείδεσθαί σε ποιεῖ, id est, & hoc ipsum quod omnibus dominaris, omnibus te parcere facit, hoc est, tua, in omnes potestas non te impellit ad sæuiendum in omnes, sed parcendum omnibus: vt quo es maior, eo sis clementior: quæ est conditio boni principis.

Virtutem enim ostendis tu qui non crederis esse in virtute confirmatus:) Male habent quidam libri, *confirmatus*, cum legendum sit, vt habent correctiores conformiter, cum Græcis, *consummatus*. Sic autem est Græcè, ἰσχὺν γὰρ ἐνδείκνυσαι ἀπιστούμενος ἐπὶ δυνάμεως τελειότητι. i. Fortitudinem enim ostēdis, quia non crederis, (vel dum non crederis) esse in consummatione vel perfectione potentiæ, hoc est perfectæ esse potentiæ.

Et hos qui te nesciunt in audacia traducis:) Varia huius sententiæ lectio est in Latinis codicibus, nec aliqua cum Græcis consentit. Quidā enim modo prædicto habent, alij vt impressi nuper. *Et horum qui te nesciunt audaciam traducis*. Duo nostri scripti habent, *Et hos qui nesciunt audaciam traducis*, Græca habent, καὶ ἐν τοῖς εἰδόσι τὸ θάρσος ἐξελέγχεις, id est, & in scientibus audaciam arguis. Sic August. legit lib. 83. quest. questione 53. *Sed in his qui sciunt audaciam traducis*. Vbi incertum an θάρσος construendum sit cum participio εἰδόσι, an cum verbo ἐξελέγχεις, nisi quod magis coniungendum videtur cum verbo ἐξελέγχεις. vt sit sensus. Ostendis potentiam tuam, dum non credunt quidam potentiam tuam. quod si sint quidam qui tuam potentiam experti sunt, & tamen insolenter & superbè sese contra illam efferunt, vt fecit Pharao, in his tu redarguis, & corripis illorum superba in audaciam.

Tu aūt Dominator virtutis:) σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος. id est, tu autem dominans fortitudini, vel tu qui dominaris fortitudini. Augustin. legit. *Dominus virtutum*.

Cum tranquillitate:) ἐν ἐπιεικείᾳ:) id est, in mansuetudine vel æquitate.

Cum magna reuerentia disponis nos: μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς, id est, cum multa misericordia, vel indulgentia gubernas nos.

Subest:) πάρεστι, id est, adest. quod superius vertit interpres *supererat*. Et est infinitiuus *posse* loco suppositi, verbi subest. vt sit sensus. Ipsum posse, hoc est potentia adest tibi cum volueris.

Oportet iustum esse & humanum:(In Græcis non est cōiunctio & sed δεῖ τὸν δίκαιον εἶναι φιλάνθρωπον, id est, oportet eum qui iustus est, esse humanum, vel benignum. Vnde apud nos coniunctio &, non est accipienda, vt copulet duo adiectiua, *iustum & humanum* sed pro etiam debet accipi. vt sit sensus. Oportet iustum virum esse etiam humanum. Hoc enim docuit Deus per clementiam & benignitatem, quam exhibuit Chananæis impiis.

Bonæ spei fecisti: εὐέλπιδας ἐποίησας, Bene sperantes fecisti. nempe ideo *quod das locum pœnitentiæ* Vbi quidam libri habent *iudicans das locum pœnitentiæ in peccatis*. cum *iudicans* nec Græca habeāt, nec codices castigatiores Latini. nec est Græcè *das locum pœnitentiæ*. sed tantum. δίδως μετάνοιαν, hoc est, das pœnitentiam, vel concedis pœnitentiam. Quamquam interpres bene reddidit sensum.

Cum tanta cruciasti attentione:) pro *cruciasti* est ἐτιμωρήσω, id est, puniuisti potius. & pro *attentione* est προσοχῆς. quod planius hic verti potest, prouida ratione. quod autem sequitur, *& liberasti:* sicut sensui obest, ita non est in Græcis.

Cum quanta diligentia:) ἀκριβείας, planius verti hic potest. cum quanta cautione & circumspectione legendum autem, *iudicasti*, & non *iudicas*(vt habent aliqui) præter vetera scripta docent etiam Græca quæ habent ἔκρινας.

Conuentiones: (συνθήκας, id est, pacta. male ergo quidam legunt *conuersationes*.

Cum ergo das nobis disciplinam:) ἡμᾶς οὖν παιδεύων, id est, nos ergo castigans, vel, cum ergo nos castiges. Potius ergo vertendum erat *des quā das*. Non enim *cum* hic est aduerbium temporis, sed cōiunctio subiunctiuum postulans. Est autem παιδεύω erudire, est & castigare, & corripere, sed eo modo quo pater filios, & magister discipulos, non quomodo iratus iudex maleficos.

Vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes.) pro cogitemus est μεριμνῶμεν. Quod non simpliciter est *cogitare*, sed solicitum esse, & anxie de re aliqua cogitare. Quod tamen & alibi per *cogitare* vertit interpres. vt in illo Euang. *Quis vestrum cogitans potest adiicere cubitum vnum?* Accusatiuus autem *bonitatem tuam* construendus est Græcis non cum μεριμνῶμεν sed cum participio κρίνοντες vt sit sensus. Vt nos iudicantes & expendentes tuam bonitatem, simus soliciti, ne scilicet ab ea excidamus.

Et cum de bonis iudicatur: Nobis legendum est quemadmodum habent libri emendati. *& iudicatur* ponitur impersonaliter, Græcè enim est κρινόμενοι δὲ id est, iudicati autem, hoc est, à te iusto iudicio correpti. Sicut apud Paulum *Dum iudicamur autem, à Domino corripimur.*

Speremus misericordiam tuam: προσδοκῶμεν ἔλεος id est, expectemus misericordiam *tuam* non habebat etiam vnus nostrorum scriptorum. & absolutior est sententia illo omisso.

Illis qui in vita sua insensate & iniuste vixerunt:) τοὺς ἐν ἀφροσύνῃ ζωῆς βιώσαντες ἀδίκως, hoc est, eos qui in stultitia vitæ (vel in insipienti vita vixerunt iniuste. Et quod sequitur, *per ea quæ incoluerunt. &c.* Græcè est elegantius & breuius διὰ τῶν ἰδίων ἐβασάνισας βδελυγμάτων, hoc est per proprias cruciasti abominationes.

In erroris via diutius errauerunt: Non video quo modo Græca hunc sensum habere possint: quæ habent, τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν. quæ hunc videntur habere sensum. Longius errauerunt quā erant erroris vię, hoc est, etiam vias erroris egressi sunt, longius errantes quàm videbatur fieri posse vt homo erraret. vt sit locutio hyperbolica, ad significandā erroris magnitudinem, quæ sequentibus declaratur.

Hæc quæ in animalibus sunt superuacua:) τὰ καὶ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα id est, etiam vilia vel inhonorata animalia inimicorum: Rursus interpres *superuacua* posuit pro vilia, vt supra aliquoties. Ex Græcis patet male quosdam legere pro *in animalibus: in manibus*, additur autem *inimicorum* ad stultitiæ apertiorem declarationem.

Viuentes:) ψευσθέντες, id est, decepti aut ludificati. quia scilicet puerorum more villissima quæque admirarentur: vnde sequitur.

Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. vbi pro *in derisum dedisti*. Græcè est εἰς ἐμπαιγμὸν ἔπεμψας, id est, misisti in ludibriū. Est que apud Græcos iucūda allusio inter παισὶν & ἐμπαιγμόν. Sensus autem est. Quoniam puerorum instar peccauerunt gentes, tam friuolas res, Deos facientes, ideo tanquā imprudentibus pueris, ridiculosis pœnis & plane puerilibus rebus illusisti: grauiter eos puniendo, pro res leuiculas, ad eorū derisionē & ludibrium.

Ludibriis & increpationibus:) Græcè est παιγνίοις ἐπιτιμήσεως, id est ludibriis increpatiōis: quomodo iam habent libri correctiores. Quamquam omnia scripta mea habebant aliter. Vocat autē *ludibria increpationis*, pœnas illas ridiculas, quibus Deus cum Ægyptiis tanquam pueris ludere videbatur, increpādo illos. Pro *non sunt correcti* Græcè, est μὴ νουθετηθέντες, id est, non sunt admoniti, quamquam sensum bene verterit interpres. Pro *experti sunt* Gręcè est futurum, πειράσουσι. experientur. Et tamen magis quadrat tempus præteritum, vt videri possit legendum πεπειράκασιν, aut Hebraico more futurum positum, pro præterito. Loquitur enim de Ægyptiis, qui leuioribus malis non correcti postea demersi sunt in mari rubro. D. Augustinus in Psal. 9. legit *experturi sunt*, vt patet ex verbis præcedētibus & subiectis. quāquā libri impressi habent *experti sunt*.

In his enim quæ patiebantur, &c.) Locus iste multum est deprauatus. Omittenda enim illa verba *quæ patiebantur molestè ferebant*. quæ in libris correctis nuper impressis in margine indicātur esse eradenda, & videntur esse verba alterius alicuius versionis, correspondentia sequentibus verbis, *in quibus patientes indignabātur*. Est autem hic sensus, & ordo nostræ literæ. *Videntes in his rebus*, hoc est per eas res, *in quibus* id est per quas, *ipsi patientes*, hoc est, afflicti *indignabantur, per ea*, scilicet animalia quos putabāt esse Deos, *cum in ipsis*, id est, per ipsa, *exterminarentur*, videntes inquam eum *quem olim negabant se nosse, agnouerunt verum Deum* experti scilicet eius potentiam, & ipsorum Deos esse ridiculos. Apud nos enim illa in his & per hæc quę idem significant debent coniungi cum participio videntes. Possunt autem Græca clarius sic verti. Nam cum in his in quibus patientes indignabantur in his scilicet quos putabant esse Deos quando per ea puniebantur, sensissent eum quem olim negabant se nosse, tunc verum agnouerunt Deum. Significare vult Pharaonem cum suis: qui prius dicebat *Nescio Dominum & Israël non dimittam*, priusquam ranis & muscis quas pro diis colebant, eos Deus afflixisset, non sine magna illorum indignatione qui ægre ferebant, se à suis diis affligi, & à rebus tam leuibus, tum demum agnouisse Dominum ita vt diceret. *Peccaui, Dominus iustus: & ego & populus meus impij. Orate Dominum, &c.*

Propter quod & finis condemnationis eorum veniet super illos:) Non est Græcè *veniet* futurum, sed præteritum ἐπῆλθε, id est venit. Loquitur enim de cōdemnatione illa extrema, qua Aegyptij submersi sunt in mari rubro. Quamquam futurum *veniet* bene cōueniret, si superius legeretur futurum vt habent Græci *experientur*. vt & hic & ille locus de condemnatione æterna quæ veniet super impios in die iudicij accipiatur. Dicit autem *propter quod* videlicet quia Deo etiam agnito satis restiterunt superbe.

CAPVT XIII.

V*Ani sunt autem:* Græcè non est *autem* sed μὲν γὰρ, id est, siquidem & vnus scriptorum nostrorum habuit *enim* pro *autem*. Reddidit enim causam quare in ea peccata, de quibus supra dixit. inciderint Aegyptij & Cananæi ac illorum occasione incipit in genere tractare de idolorū superstitione: quæ triplex erat. Quædam enim animalia viua colebant pro diis: alia creaturas, vt elementa & corpora cęlestia: alia vero etiam tantum imagines verarum rerum, ac de his singulis pertractat. Pro illo *in quibus non subest scientia Dei:* Græcè est affirmatiua enunciatio, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, id est, quibus aderat Dei ignorantia. Rursum enim hic *subest* pro adest est positum. Cum autem Græcè non sit adest, sed aderat, tota oratio sic erat vertenda. Vani siquidem erant omnes homines natura: (nam Græcè additur φύσει)quibus aderat Dei ignorantia. Vnde subditur

ditur *non poterunt intelligere.*

De his quæ videntur bona : ἐν τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν, hoc eſt,ex bonis quæ videtur aut, ex viſibilibus bonis.Non enim ſignificare voluit,ex his quæ videntur bona,cum non ſint.

Intelligere eum qui eſt:(pro *intelligere* eſt quod magis quadrat, cognoſcere. & pro,*eum qui eſt*,Græca habent εἰδέναι, participium ſcilicet correſpondens & explicans illud celebre nomen Dei Tertragrāmaton ; quod & Plato edoctus,in ſua illa longa Apud Aſſyrios peregrinatione,ad Græcos tandem duabus literis tranſtulit:vocando omnium primum principium τὸν ὄντα ac illo nomine diſtinguens creatorem à mundo.nam in Timæo ſic ait,Eſt igitur ſecundum meam opinionem primo diſtinguendum,quid ſit Ον id eſt ens,quod ſemper eſt ortum vero non habet,& quid, quod ortu m habet.Eſt autem nunquam,&c.Platonem ſecuta eſt copia doctiſſimorum virorũ. præter id tantũ quod aliqui neutrum genus in maſculinum genus mutauerunt.Plato enim excellentiſſimum vniuerſi authorem nominat τὸ Ονι.quod eſt,at plurimi ſequaces eius appellant eum,ὁ ὤν, id eſt, is qui eſt , ſequuti ſcilicet 70.qui pro nomine tetragrammaton,Exod.3. ponunt ὁ ὤν. Nam pro eo quod legimus,*Ego ſum qui ſum*,70. habent ἐγὼ εἰμι ὁ ὤν, & rurſum cum legimus, *qui eſt,miſit me*,70.habent.ὁ ὢν ἀπέςαλκε με.

Aut ignem,& ſpiritum,& citatum aerem:) Plerique enim Philoſophi , in myſtica ſua Theologia ignem, dicebant Vulcanum ſpiritum puriorem & magis æthereum, Iouem aerem, Iunonem aquam, Tethim , Solem & Lunam Phœbum & Dianam. ſed & pleriſque ſtellis, ſiue fixis ſiue erraticis,deorum nomina tributa ſunt ab eis. ac mundi dominum deputatum. Porro pro *citatum* , Græcè eſt ταχινὸν, id eſt,celerem,& pro *nimiam* eſt βιαῖον,id eſt, vehementem aut violentam.

Quorum etſi ſpecie:)Nō. n. eſt Græcè *etſi* ſed ἃ μέν,id eſt ſi quidem,& omnia ſcripta quibus vſus ſum,non habent coniunctionem &,ſed tātum *ſi*. Porro dictio *ſpecies* hic & in ſequentibus ſemper poſita eſt pro pulchritudine.cum ſit, κάλλ𝛔 Pro *ſpecioſior* tamen Græcè eſt βελτίων,id eſt, melior Quamquam id non ad virtutem ſed ad pulchritudinem ſit referendũ: quomodo dicimus aliquam eſſe bona forma.Porro Cyprianus lib 3. ad Quirinum. pro *ſpecioſior* habet precioſior:quod magis Græcæ conuenit dictioni.

Speciei enim generator : ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης, eſt, nam pulchritudinis primus generator, vel auctor.

A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ:)Æditio Complutenſis habet ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆ καὶ κτισμάτων, id eſt , ex magnitudine enim & pulchritudine & creaturis. Sed Aldina æditio noſtræ lectioni conſentit. vt ſit ſenſus.Ex magnitudine enim pulchritudinis , & creaturarum. Veram tamen lectionem eſſe puto.ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων,id eſt,à magnitudine,& ſpecie creaturarum.Vnde hanc ſententiam ſic citat D.Gregorius lib. 26.moral. cap. 8.Per magnitudinem enim creaturæ, & ſpeciem,poteſt intelligibiliter creator videri.Sic Chryſoſt.Homil.4.in Geneſim.

*Cogno ſcibiliter:*Græcis pulchra eſt dictio ἀναλόγως,id eſt,Proportionaliter,vt ſic dicam.aut per quandam proportionem. Quod enim Græcè dicitur ἀναλογία:Latinè dicitur proportio.Ex creaturis ergo Deus cognoſci poteſt: ſed nō niſi per proportionē,qualis eſt illa quę præcedit.*Si ſpecie creaturarum delectati ſunt, ſciant quanto Dominator earum ſpecioſior ſit*.Porro pro *poteri tvideri*,Gręcè eſt θεωρεῖται, id eſt,conſpicitur contemplatur.quod plus eſt quam videri , ac magis ad animum ſpectat.

Sed tamen adhuc in his minor eſt querela :) Dictio *adhuc* nō eſt in Græcis,& pro *querela* eſt μέμψις. pro quo, hic magis quadrat reprehenſio. nec eſt *mino r* ſed ὀλίγη,id eſt,parua.

Et hi enim: καὶ γὰρ αὐτοὶ, id eſt etenim illi.cū autē ſequitur *Fortaſſis errant*, nō dubitat quin errēt:ſed vult illos erraſſe fortaſſis illa de cauſa, nēpe qđ quærebant Deum & vellent inuenire quæ cauſa eorum errorē facit tolerabiliorē, cum pium eorum ſtudium & conatum ſignificet: ad participia enim magis referri debet illud *fortaſſis*.vt ſit ſenſus.Errant fortaſſis quod quærebant , aut dum quærerent ,&c. Dubitatiue autem hoc dicit , quia quamuis videri poſſunt Deum quæſiſſe , non tamen ex animo illum , nec modo debito quærebant. Pellicanus purat *fortaſſis* hic poſitum pro temere. Nam eam ſignificationem aliquando habet. Sed præſenti loco non conuenit.

Perſuaſum habent:) Græcè additur τῇ ὄψει , id eſt,aſpectui.& pro *perſuaſum habent* eſt πείθονται. vt ſit ſenſus.Credunt aſpectui.

Iterum autem:)Rectius. Rurſum tamen. Corrigit enim eorum excuſationem.

Poſſent ſcire:)Magis , potuerunt cognoſcere & valuerũt cognoſcere ἴσχυσαν εἰδέναι:*potuerūt* habēt & ſcripta & impreſſa caſtigatiora. Auguſtin.legit *potuerūt valere*.lib.5.de Geneſ. cap.16.

Eſtimare ſeculum:) ςοχάσασθαι τὸν αἰῶνα,id eſt,obſeruare ſeculum , aut contemplatione aſſequi naturam huius mundi.

Inter mortuos ſpes illorum eſt:)hoc eſt,plane ſũt deſperati.

Aut ſi quis artifex faber :) εἰ δὲ καί τις ὑλοτόμ𝛔 τέκτων,id eſt , ſi autem etiam quis lignarius.

Lignũ rectum:) Græcè eſt ἔντικτον φυτὸν , id eſt putridam vel putribilem arborem.Hoc enim additum eſt, ad deſignandam materiæ vilitatem.Aldina autem ęditio pro ἔντικτον,habet ἐκκίνηται , quod eſſet, emoueret vel emoueat.

In conuerſationem vitæ:)εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς , id eſt in miniſterium vitæ.

Reliquis autem operis:)τὰ δὲ ἀπολήματα τῆς ἐργασίας, id eſt , reiectamenta autem operationis. Sic & poſtea *reliquum horum* , Græcè eſt ἀπόβλημα,id eſt reiectamentum. Sic enim exaggerat materiæ idolorum ſummam vilitatem , quod ſit nouiſſimum reiectamentorum.

Verticibus plenum:)ὄζοις συμπεφυκὸς , cum nodis natum,vel natura nodoſum.Vocat autem interpres nodos *vertices*. propterea quod in ſe vertantur & contorqueantur , ſicut vertices vel vortices aquarum.

Diligenter per vacuitatem ſuam: ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, id eſt , per diligentiam otij ſui , hoc eſt per diligentiam , cui vacare poteſt, cum eſt otioſus. Sic enim etiam exaggerat idolorum vanitatem:

vanitatem:vt quæ tantum per.

Et per ſcientiam artis ſuæ:)καὶ ἐμπειρίᾳ συνέσεως, id eſt,& per experientiam ſcientiæ.

Et de ſubſtantia ſua:) Propoſitio *de* hic accipitur pro coniunctione pro περὶ δὲ κτημάτων, id eſt,pro poſſeſſionibus autem. & *pro illo votum faciens inquirit*, Græcè tantum eſt προσευχόμεν𝛔, hoc eſt,orans.

Inutile :) τὸ ἀπειρότατον , hoc eſt inexpertiſſimum,& ignauiſſimum.Et ponuntur hęc omnia Gręcis in neutro genere,*infirmum,mortuum, inutilem , qui ambulare non poteſt,&c.* quod maiorem ſonat contemptum.

Et de acquirendo.)περὶ δὲ πορισμοῦ καὶ ἐργασίας καὶ χειρῶν ἐπιτυχίας τὸν ἀδρανέςατον ταῖς χερσὶν εὐδρανέστατον αἰτεῖται,id eſt,pro lucro autem.&operatione,& manuum optato euentu,impotentiſſimũ manibus orat potētiam.Pro ἐπιτυχίας.Aldina æditio habet ἐπιτυχίας.ſed male,vt exiſtimo,quemadmodum in multis parum eſt emendata.

CAPVT XIIII.

Ligno portante ſe:) Eſt ablatiuus comparationis.vt ſit ſenſus. Inducat lignum fragilius quàm ſit lignum quo vehitur,pro *ligno autem* Græcè eſt πλοίου, id eſt, naui, In ſequentibus, comparat nauis vtilitatem , cum idolorum inutilitate & maledictione.

Artifex ſapientia fabricauit ſua:) *Sua* non eſt in Græcis & *ſapientia*,eſt nominatiui caſus. cuius adiectiuũ eſt *artifex*.vt ſit ſenſus.Illud nēpè lignũ,quo quis vehitur,nauim, cupiditas acquirēdi(vel vt habent Gręca πορισμῶν,id eſt,lucrorum)excogitauit,ipſa autem artifex ſapientia fabricauit.Quibus duobus mēbris iam ſubditur tertium,*Tua autem pater proui* dentia *gubernat nauem* ſcilicet iam fabricatam.Non ſunt enim in Græco,ſed nec in omnibus ſcriptis, que erant ad manum;tres illæ dictiones ſenſum verum tollentes,*ab initio cuncta*: quæ nec ſunt in gloſa ordinaria,niſi in margine.Habet autem gloſa ordinaria *gubernas* , ſicut & ſcripta quædam,cum legendum ſit *gubernat*.

Semitam firmiſſimam:)τρίβον ἀσφαλῆ,id eſt,ſemitam ſecuram.&*ſanare* rurſum poſitum eſt pro ſaluare.vt ſupra:cum Græcè ſit σώζων.

Etiamſi ſine rate:)pro *rate* Græcè eſt τέχνης, id eſt arte.& facilis potuit eſſe mutatio *arte* in *rate* per tranſpoſitionem primarum literarum. cum nō videretur commodus ſenſus, vt quis diceretur *aſcendere mare ſine arte*. Quamquam idem ſit ſenſus,ſiue arte legatur ſiue rate.

Sed vt nō eſſent vacua:)θέλεις δὲ μὴ ἀργὰ εἶναι,id eſt vis autem non ocioſa eſſe,τὰ τῆς σοφίας σου ἔργα. i.ſapientiæ tuæ opera. iucumda alluſio inter ἀργὰ & ἔργα, Dicit autem,naues Dei voluntate inuentas,vt non eſſent ocioſa vel inutilia opera ſapientiæ diuinę,quia multa ſunt in inſulis quæ ſola nauigatione obtineri potuerũt , quæ alioqui fuiſſent inutilia.

Remiſit ſeculo ſemē natiuitatis:) ἀπέλιπεν αἰῶνι σπέρμα γενέσεως , id eſt, reliquit ſeculo ſemen generationis per *ſpē orbis terrarũ*,intelligit Noe in quo ſpes mundi erat conſtituta , Cum autem ſequitur *quæ manu tua erat gubernata*. Relatiuum *quæ* refertur non ad *natiuitatem* , ſed ad *ſpem* , vt paret ex Græcis.

*Benedictum eſt enim lignũ per quod ſit iuſtitia:*Quāquam in myſtico ſenſu , hæc ſententia accipi poſsit de ligno crucis Chriſti: per quod deleto Chirographo delicti , & ſuperato diabolo facta eſt nobis iuſtitia : tamen in proprio ſenſu,qui propoſito cōuenit, intelligenda eſt vel de arca Noe,per quam facta eſt iuſtitia , ſiue quia per eam mundus iuſte eſt condemnatus,ſiue quia per eam Noe eſt ſeruatus,ſicuti iuſtum erat. vel ingenere de naui eſt intelligēda,vt ſit ſenſus.Non improbo nauis vſum, quia benedictum lignum eſt , per quod iuſtũ eſt & rectum. Vnde comparans iam arcam, vel lignum nauis,cum ligno idoli ex oppoſito dicit,*Per manus autem quod fit idolum maledictum eſt*.vbi Græcè pro illo. *per manus autem quod fit idolum* tantum eſt τὸ χειροποίητον , id eſt , illud vero manufactum.Sic enim per contemptũ vocat idolum,Ambroſius octonar.8.Pſal.118.*Benedictum lignum quod fit per iuſtitiam,maledictum autem lignum quod fit per manum hominum*.ſed ex commentario apparet eum magis legiſſe *per quod fit iuſtitia*. Sunt qui intelligunt de ligno patibuli,in quo fit iuſtitia,dum in eo rei puniuntur.

Illud autem cum eſſet fragile Deus cognominatus eſt τὸ δὲ φθαρτὸν θεὸς ὠνομάσθη id eſt , Illud autem cũ ſit corruptibile,nominatum eſt Deus.

Tormenta patietur:)κολασθήσεται,eſt , punietur, quod ideo dicit,vel quia diabolus,qui in idolis colebatur,puniendus eſt ſimiliter cum idolorum auctoribus,vel quia ipſa idola erāt deſtruenda ; ſicut iam penè ſunt deſtructa per fidem Chriſti.

In idolis nationum non erat reſpectus :)Græca affirmatiuam habēt ſentētiam ſuperiori ſemtentiæ maximè conuenientem.In idolis gentium erit reſpectus.& pro *reſpectus*,hic rurſum eſt ἐπισκοπή,id eſt, viſitatio, vt ſit ſenſus. Idola ſuo tempore viſitabuntur à Deo,vt deleantur ſcilicet è terra.Noſtrę lectionis hic intelligitur ſenſus,cum prædicto coincidens. Idola gentium amplius non reſpiciētur, nec venerationi erunt apud homines.

Quoniā creaturæ Dei in odiū factæ ſunt. aliter Græca , ὅτι ἐν κτίσματι θεοῦ εἰς βδέλυγμα ἐγενήθησαν , id eſt,Quoniam in creatura Dei, in abominationem facta ſunt:idola ſcilicet: quæ inter creaturas Dei bonas,facta ſunt in abominationem Dei & iuſtorum. Noſtræ autem lectionis hic poteſt conuenienter intelligi ſenſus Creaturę Dei bonæ,aurum,argentum, lapides , & ligna factæ ſunt Deo in odium poſtquam ex eis arte humana idola ſunt facta.Cum autē ſequitur *& in tentationem animæ hominum*. pro *tentationem* eſt σκάνδαλα. Nec eſt *animæ* ſed ψυχαῖς, id eſt animis.& pro *muſcipulam* eſt, παγίδα id eſt, laqueum.Quædam ſcripta habebāt *in tentationes animabus*.

Superuacuitas enim hominũ hæc adinuenit in orbē terrarũ:)Sic habēt omnia ſcripta:niſi quod quędā pro hęc habēt *hoc*:& pro *in orbem, in orbe* : quod magis conuenit. Biblia iam impreſſa pro *hæc adinuenit*, habent *aduenit*. Græca autem ſic habent, κενοδοξία γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον Vbi ſi κενοδοξία ſit nominatiui caſus : ſenſus eſt.Vana gloria enim hominum ingreſſa eſt in mundum. Quod conuenit cum ea lectione, quæ eſt in bibliis noſtro ſeculo impreſsis quę habēt *aduenit*. Verum κενοδοξίᾳ potius videtur accipiendum vt ſit datiui caſus

quamuis in vtroque exemplari *α* non ſit diphthongatum nam iota ſubſcribendum frequenter in vtroque omittitur. Erit ergo hic ſenſus. Per inanem enim gloriam hominum intrauerunt idola ſcilicet, in mundum. Cui ſenſui bene conuenit altera lectio quæ habet *hæc adinuenit in orbe terrarum.*

Eſt inuentus: ἐπενοήθη, id eſt, eſt cogitatus, à Deo ſcilicet.

Acerbo enim luctu: ἀώρῳ γὰρ πένθει, hoc eſt, intempeſtiuo enim luctu. Videtur aũt iſtud cõtrariũ ei, quòd ab omnibus ſcribitur initium idololatriã ſumpſiſſe à Nino: qui patri ſuo Belo mortuo fecerit imaginẽ, & aſylũ reis conſtituerit. Sed dicendum authorem hunc tãtum voluiſſe ſignificare initium idololatriæ ſumptũ eſſe ab inordinato pietatis affectu: quod apud varias gentes diuerſimode factum eſt, apud quoſdã patre extruente imaginem filii, apud alios contra.

Antiqua conſuetudine:) Legendum eſt: *iniqua conſuetudine.* conſentientibus, cum Græcis, antiquis noſtris ſcriptis, & iam impreſſis nec eſt *inualeſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cuſtoditus eſt.* ſed. *cũ inualuiſſet iniqua cõſuetudo tãquã lex obſeruata eſt.* pro *figmenta* autem, eſt γλυπτὰ, id eſt, ſculptilia.

Colerent ſua ſolicitudine:) κολακεύσωσι διὰ τῆς σπουδῆς id eſt, aſſentarentur ſtudioſe.

Prouexit autem ad horum culturam:) Græcè eſt, εἰς ἐπίτασιν δὲ θρησκείας, καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας ἡ τοῦ τεχνίτου προετρέψατο φιλοτιμία. hoc eſt, Ad intẽtionem, autem religionis, etiam prouocauit ignorantes artificis ambitio. quanquam ſenſum pulchre reddidit interpres.

Illi qui ſe aſſũpſit:) τῷ κρατοῦντι, id eſt, dominãti.

Elaborauit.) Græca plus ſignificant, ἐξεβιάσατο, id eſt, Vi quadam per artem effecit.

Abducta:) Sic habent multi libri: ſed rectius legitur, *adducta,* quomodo habent multa ſcripta, Græcè enim eſt ἐφελκόμενα, id eſt, attracta.

Per ſpeciẽ operis.) διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας id eſt, per gratiam aut venuſtatem operationis.

Aut affectui, & regibus:) ἢ συμφορᾷ ἢ τυραννίδι, id eſt, aut calamitati, aut tyrannidi.

Inſcientiæ bello:) *Inſcientiæ*, poſitum eſt ab interprete, pro inſcitiæ & ignorantiæ, quod autẽ vocet *bellum ignorantiæ* patet ex ſequẽtibus: nimirum quo præterita pietate naturali & iuſtitia impiis ſe cædibus maculauerunt.

Inſaniæ plenas vigilias habentes:) ἐμμανεῖς δὲ ἐξ ἄλλων θεσμῶν κώμους ἄγοντες, id eſt, inſanas ex aliis legibus comeſſationes agentes. Notat autem Bacchanaliorum ceremonias: ſicut per obſcura ſacrificia, & vt habent Græca, myſteria, notat ſacra Veneris, & Priapi, & Cybeles, &c. quæ in occultis, & ſubterraneis locis agebantur.

Sed & alius:) Coniunctio *&* ſupereſt, & ſenſui obeſt. nec erat in omnibus ſcriptis.

Tumultus bonorum Dei immemoratio:) θόρυβος ἀγαθῶν, χάριτος ἀμνηστία, id eſt, tumultus bonorum, gratiæ obliuio. Vnde patet illud *bonorum* debere conſtrui cum *tumultus*. Intelligit autem per *tumultum, bonorum*, bonarum rerũ perturbationem, & confuſionem.

Natiuitatis immutatio:) Rurſum pro *natiuitatis* eſt γενέσεως, id eſt, generationis. quod hic magis conuenit. Notatur enim vitium cõtra naturã, & mulierum abuſus.

Nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ:) γάμων ἀταξία μοιχεία καὶ ἀσέλγεια, id eſt, Nuptiarum inordinatio, mœchia, & laſciuia. Vnum exemplar ſcriptum habebat *nuptiarum inconſtantia, mœchia, & impudicitia.* Additum autem poſtea fuit in margine *inordinatio* & *mœchiæ* mutatum in *mœchiæ*. Vnde ſatis patet illud, *inordinatio*, irrepſiſſe ex marginali annotatione in contextum.

Noceri ſe non ſperant:) ἀδικηθῆναι οὐ προσδέχονται, hoc eſt, non expectant, hoc eſt, non putant ſe lædendos, aut cõdemnandos. Vnde apud nos *ſperare* prometuere debet accipi, quemadmodum apud Poetam. At ſperate Deo memores fandi atque nefandi.

Vtraque ergo illis euenient digne:) Græca ſic habent, ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια quæ ſic intelligo. Vtraque autẽ ipſos puniẽt iuſte: vt, τὰ δίκαια ponatur pro aduerbio, δικαίως, ſicut etiam interpres accepit, & μετελεύσεται pro punire, & vindicare accipiatur. Varinus enim μετελθεῖν, inquit, τὸ μετέρχεσθαι, & μετέρχομαι τὸ τιμωροῦμαι καὶ κολάζω. Vnde Lyra, hunc ſenſum hic ſignificari intelligens, ſic exponit. Iuſtum eſt vt puniantur pro vtroque vitio, nempe idololatria, & periurio: cum eum ſenſum noſtra lectio non ſatis ſignificet. Quæ autem ſint illa vtraque, quæ eos punient, ſubiungit; nempe *quod male ſenſerunt de Deo attendentes idolis, & quod iniuſte iurauerunt in dolo.* Sic enim legendum eſt, & non vt quidam libri male habent, *in idolo:* cũ Græcè ſit, ἐν δόλῳ.

Non enim iurantium eſt virtus:) Nullum cõmodum ſenſum ſententia hæc ſignificat. Nam quod communiter intelligitur, per illud, *non enim iurantium eſt virtus,* ſignificari non eſſe laudi, & virtuti tribuendum quod quis iurat: cum *omne iurantium ſit à malo*, teſte Domino, præter intentionem authoris eſt: cum hic *virtus* non poſſit accipi, vt opponatur vitio: ſed imbecillitati. Eſt enim δύναμις. Porro conſultis Græcis, & iucundus, & commodus eſt ſenſus, grauem ſententiam nobis exhibens. Habent autẽ ſic. οὐ γὰρ ἡ τῶν ὀμνυομένων δύναμις, ἀλλ' ἡ τῶν ἁμαρτανόντων δίκη ἐπεξέρχεται ἀεὶ τὴν τῶν ἀδίκων παράβασιν. Quę ſic intelligo. Non enim potentia earũ rerũ per quas iuratur, ſed iudiciũ peccantiũ vindicabit ſemper tranſgreſſionem iniuſtorum. Verbum enim ἐπεξέρχομαι quod idẽ eſt cũ ἐπεξελεύθω, videtur idẽ hic ſignificare, quod ſupra μετελεύσεται hoc eſt vindicare & vlciſci. Nã etiã hæc verba hanc habent ſignificationẽ, teſtibus lexicis. vnde ἐπέξελευσις vindictam ſignificat & vltionẽ. vel ſenſus eſt. Iudiciũ peccantiũ veniet ſemper ſuper tranſgreſſionẽ iniquorum: qui ſenſus in idẽ recidit cũ ſuperiori. Dixerat autẽ ſuperius, quoſdã in idolis iurãtes in dolo, putare ſe non puniendos, propter idolorum impotentiam. Itaque contra horum perſuaſionem dicit, nõ potentiã rerũ, per quas quis iurat, punire peccata: ſed iudicium Dei, peccatoribus debitũ, ſemper vindicaturum impietatem iniquorũ, & tranſgreſſionem iuramenti. Ex dictione autem Græca, ἀεὶ, cõſtat male iam in libris nuper impreſſis haberi *ſuper* pro *ſemper* cum ſcripta habeant *ſemper*. Rurſum conſtat multos libros male habere per duas dictiones *in iuſtorum.* vt ſit ſenſus, quemadmodum vult Lyra, in tranſgreſſionem iuſtorum mandatorum Dei.

CAPVT

CAPVT XV.

Suauis & verus es:) pro *ſuauis*, eſt χρηστὸς quod. in propoſito magis debet exponi, benignus: ſed frequenter interpres etiam alibi, cum Deo tribuitur, *ſuauem* vertit. Et ſuauis dicitur Deus, propter ſuam benignitatem.

Si peccauerimus tui ſumus ſcientes magnitudinem tuam:) pro *magnitudinem*, Græcè eſt τὸ κράτος, hoc eſt, potentiam, quomodo legit D. Auguſt. lib. de fide & operi. cap. 22. eſt autem ſenſus. Nos ſi peccauerimus, ſumus in tua poteſtate, qua potes peccata noſtra punire, eo quod ſciamus te non eſſe impotentem, ſicut ſciunt eſſe ſua idola gentes, libere ob id peccantes. quamquam Auguſt. eo loco paulo diuerſum ſenſum reddit.

Et ſi non peccauerimus ſcimus quoniam apud te ſumus computati:) Græca aliter habent, οὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ, εἰδότες ὅτι σοὶ λελογίσμεθα, id eſt, non peccabimus autem, ſcientes quod apud te ſumus reputati, hoc eſt quod ſciamus, nos apud te eſſe in precio, & tibi charos eſſe Hoc enim maxime nos à peccando auocare debet merito. Auguſtin. loco prædicto magis accedens Græcis, quam noſtra lectio, habet. *Non peccauimus autem, ſcientes quoniam tui ſumus deputati* quamquam Auguſtin. putem legiſſe futurum *peccabimus*, & non præteritum *peccauimus* quia exponẽs ſubiungit. Quis enim dignè cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædeſtinatione ſunt deputati, qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt ſancti non enitatur ita viuere, vt tali habitationi congruat?

Scire iuſtitiã & virtutem tuam:) Nõ ſunt Græcis duæ illæ dictiones *iuſtitiã & virtutẽ:* & *virtus* pro potentia accipitur: cũ ſit rurſum κράτος eſt aũt ſenſus. Notitia enim vera tui affert conſummatã, hoc eſt, integram & perfectã iuſtitiã & non iuſtitiam illam imperfectam, quæ erat in gentium Philoſophis. & cognitio potentiæ tuæ facit nos ab omni peccato, quod corruptionis eſt radix, abſtinere: & origo eſt omnium virtutum, ac proinde radix immortalitatis.

Malæ artis excogitatio:) κακότεχνος ἐπίνοια, id eſt maligna adinuentio, vel excogitatio.

Effigies ſculpta:) εἶδος σπιλωθὲν, id eſt, imago maculata variis coloribus.

Et diligit.) Græcè eſt, ποθεῖ τε, id eſt, & deſiderat. & pro, *effigiem ſine anima* eſt, εἴδος ἄπνοον, id eſt, ſpeciem ſpiritu, vel ſpiratione carentem.

Digni ſunt morte qui ſpem habent in talibus:) Delẽda ſunt illa verba duo *ſunt morte*: quę nõ erant in duobus noſtris ſcriptis, nec in codice Mechli. Græca enim habent, ἄξιοι τοιούτων ἐλπίδων, id eſt, digni tali ſpe: aut digni qui ſpem habeãt in talibus. Eſt autem ſenſus veræ lectionis iſte. Et qui faciunt illos, & qui diligunt (vel vt eſt Græcè, qui deſiderant) & qui colunt, ſunt amatores malorum, & digni tali ſpe.

Sed & figulus: Græcè eſt, καὶ γὰρ, id eſt, etenim figulus.

Cum labore vano Deum fingit:) κακόμοχθος θεὸν μάταιον πλάσσει, id eſt, iniquus operarius, Deum vanum fingit.

Reducit ſe vnde acceptus eſt:) Impreſſi libri habent *reducit ſe* vel tantum *reducit.* Scripti omnes habebãt vel *ſeducit ſe*, vel tantum *ſeducit* Suſpicor interpretem ſcripſiſſe *ſeducit* vel *ſeducit.* Nam & ſupra c. 4. vertit & *cum ſe eduxerit*, pro, & cũ abierit. Græca habent πορεύσεται ἐξ ἧς ἐλήφθη, id eſt, abibit in eam, ex qua ſumptus eſt.

Repetitus animæ debitum quam habebat:) Græcis tantum eſt, τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος, id eſt, poſtulatus debitum animæ. Nam illud *quam habebat*, explicationis cauſa tantum eſt additum. Porro quod dicit figulum è luto factum, atque in terram reuerſurum, & repetendum ab eo debitum animæ, eo ſpectant: vt ſignificent eius ingratitudinem, & ſtultitiam, ac improuidentiam: eo quod non agnoſcat ſe à verò Deo è luto factum: ſed ex eo ſibi Deum fingit, vnde ipſe à Deo formatus eſt: nec cogitat breui rationem exigendam ab eo, qui ei eſt mutuatus animam. Ad hæc enim hęc eſſe dicta patet ex ſequentibus.

Non quia laboraturus eſt:) οὐχ ὅτι μέλλει κάμνειν, id eſt, non quia affligendus eſt. quod & *laborare* apud nos ſignificat. ſicut *labor* pro afflictione loquitur autem de affectione quam ſubibit, à Deo poſt repetitum animę debitum. Poteſt & ſic verti. Non quia moriturus eſt, Nam κάμνειν etiam mori ſignificat. & ſequitur, *Nec quoniam breuis illa vita eſt.*

Concertatur:) Deponentaliter poſitũ eſt, pro, concertat.

Gloriam præfert quoniam res ſuperuacuas fingit:) δόξαν ἡγεῖται ὅτι κίβδηλα πλάσσει, id eſt, gloriã putat, quod fingat adulterina. ea ſcilicet, quæ ſpeciẽ habẽt eorum, quæ faciunt aurarij, & argẽtarij,

Cinis enim cor eius: enim non habent Græca. ſed tantum. Cinis eſt cor eius. quomodo habebant duo ſcripta. Non enim hic redditur cauſa prædictorum: ſed incipit eum increpare, & vanitatem eius manifeſtare.

Terra ſuperuacua ſpes illius:) γῆς εὐτελεστέρα ἡ ἐλπὶς αὐτοῦ, id eſt, vilior quã terra ſit, eſt ſpes illius, vt *terra* ſit apud nos ablatiui caſus & *ſuperuacua* cõparatiuè ſit poſitum.

Sed & æſtimauerunt:) Coniunctio & non eſt in Græcis, & ſenſui obeſt. nec erat in duobus noſtris ſcriptis, nec in lib. Mechli. Non enim hic aliud eorum vitium vult deſcribere: ſed cauſam reddere, quare non vereantur argentarij & figuli opera ſua pro diis exhibere: nimirum quod putent vitam noſtram non eſſe rem aliquam ſeriam, cuius poſtea ſit reddenda ratio: ſed eſſe rem ludicram, ac veluti ludũ puerilem. Græcè enim eſt, παίγνιον quod puerilem ſignificat ludum: vt quando ludunt imaginibus.

Et conuerſationem vitæ compoſitam ad lucrũ:) Græca elegantius ſic habent: καὶ τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ, id eſt, & vitam eſſe nundinationem quæſtuoſam.

Et oportere:) δεῖν γάρ φησιν, id eſt oportere enim inquiũt, & pro *acquirere* verteretur rectius, quęſtũ facere. Eſt enim πορίζειν ἀπὸ τοῦ πόρου, id eſt, quæſtus, & lucrum.

Omnes enim inſipientes:) Græcis non eſt *enim*, ſed δὲ, autem. Non enim declarantur præcedẽtia ſed poſtquam in ſpecie quorundam inſipientiam & infelicitatem explicauit, lignarij ſcilicet argentarij & figuli: iam in genere differit de inſipientia & infelicitate omnium hoſtium populi Dei, qui cuncta idola gentium Deos eſſe putauerunt. Porrò illud *ſupra*

modum animæ ſuperbi Græca ſic habent, ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων id eſt, ſupra animas infantium, hoc eſt, magis, quã infantes, ſunt infelices & inſipientes. Ex Græcis patet quoſdã male habere *animæ ſuæ*. Rurſum male in quibuſdam eſſe *improperantes ei*, cũ legẽdũ ſit imperẽtes ei. Eſt enim καταδυναστεύοντες αὐτὸν, id eſt, opprimentes eum Rursũ ex Græcis patet in omnibus libris hanc ſententiam perperam diſtingui, & nominatiuũ *inimici populi* debere conſtrui cum verbo *ſunt* à parte anteriori, hoc modo. Omnes inimici populi tui ſunt inſipientes & infelices.

Oculorum viſus eſt ad videndum:) pro *viſus* legendum eſt *vſus*. quamuis *viſus* habeat omnia ſcripta, quæ vidi. Nam Græca habent χρῆσις. & *vſus* legitur in D. Cypriano lib. 3. ad Quirinum ca. 59. & lib. de exhortat. martyrij ca. 1. Vbi hic locus prolixe ſatis citatur. ſicut & alia multa ex hoc libro citat D. Cyprianus, vocans eum ſemper Sapientiam Salomonis.

Qui ſpiritum mutuatus eſt:) τὸ πνεῦμα δεδανεισμένος, id eſt, qui ſpiritum mutuo accepit, redditurus ſcilicet, cum poſtulatus fuerit. vnde prius dixit *repetitus animæ debitum.*

Nemo enim ſibi ſimilem:) Hæc ſententia corrupte habetur in æditione Complutenſi. quę ſic habet, οὐδεὶς γὰρ αὐτῶν ὅμοιον ἄνθρωπος ἰσχύς πλάσαι θεόν. Aldina vero æditio ſincera eſt, quæ pro αὐτῶν habet αὐτῷ, & pro ἰσχύς habet ἰσχύει.

Sed & alia miſerrima colunt:) pro *miſerrima* eſt ἔχθιστα, id eſt, inimiciſſima, vel maximè odibilia Vnde patet male quoſdam legere *miſerrimi*: quam lectionem exponit Nicolaus.

Inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora:) Hæc ſententia ſimul cum ſequentibus vſque ad finem capitis valde eſt obſcura, non ſolum apud nos, ſed etiam apud Græcos. Noſtra autem lectio ſic intelligitur a quibuſdam. *Inſenſata*, nempe lapidea & lignea idola: *cõparata his* nempe animalibus *ſunt ipſis deteriora*. A Nicolao autem, qui legit *miſerrimi*, ſic intelligitur. *Inſenſata*, hoc eſt irrationalia *comparata his* ſcilicet hominibus *ſunt ipſis* hominibus *deteriora*. vt iam reddatur ratio, quare dixerit miſerrimos, qui colunt animalia. Verum neuter ſenſus conuenit Græcis: quæ habent, ἄνοια γὰρ συγκρινόμενα τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα In quibus verbis, ἄνοια non poteſt verti *inſenſata*, cum non dicatur ἄνοιος, α, ον, ſed ἀνοίᾳ vel debet eſſe datiuus. vt ſit, per inſaniam, & dementiam, vel aduerbium. vt ſit: inſanè enim comparata, aliis ſunt peiora. vt veriſimile ſit interpretem vertiſſe non *inſenſata*, ſed aduerbium *inſenſatè*. quomodo duo habebant libri ſcripti, in quorum altero recentiore manu mutatũ erat in *a*. Qui duo libri ſimul cum alio tertio habebant non *illis* ſed *aliis* quomodo habent Græca. Intelligo autem in Græcis reddi rationem, quare dixerit, quoſdam colere animalia miſerrima, vel maximè odibilia in hunc ſenſum, Hæc enim animalia quæ colunt, nempe crocodili & alij ſerpẽtes, quæ colebãt AEgyptij (de quibus eum loqui ſequentia declarãt) inſanè & inſipienter comparata cum aliis animalibus, inueniuntur aliis eſſe peiora, & ob id minus colenda. Dicit autem *inſanè comparata*, quia dementia fuit huiuſmodi animalia comparata cum aliis animalibus, ob hoc pro diis eligere, peiora & magis humanæ naturæ inimica: aut quod magis placet, συγκρινόμενα, hic ſignificat cõmixta & coniuncta. quemadmodum σύγκρισις ſignificat mixtionẽ. vt ſit ſenſus. Hęc mala animalia, cõmixta aliis animalibus quæ colebant, bobus ſcilicet & ouibus, quæ etiam colebant AEgyptij, ſunt illis deteriora & peiora.

Sed neque aſpectu aliquis ex his animalibus poteſt bona conſpicere:) Græca ſic habent, οὐδ' ὅσον ἐπιποθῆσαι ὡς ἐν ζώων ὄψει καλὰ τυγχάνει, id eſt, Neque eatenus vt deſiderentur, vtique in conſpectu animalium bona ſunt, quæ hunc videtur habere ſenſum, ſi quidẽ animalia vel tantum aſpiciantur, illa animalia odibilia, nõ ſunt bona, vel eatenus vt deſiderentur, multo minus vt colantur.

Effugerunt autem Dei laudem & benedictionẽ eius:) Suppoſitum verbi *effugerunt* intelligunt cõmuniter *ipſi cultores animalium*: vt ſignificetur illos laudem Dei neglexiſſe. Verum hunc ſenſum non admittunt Græca. quandoquidem Græcis eſt verbum ſingularis numeri, ἐκπέφευγε quod non ad *cultores* referri poteſt, ſed bene ad *animalia*. quia neutrum plurale eleganter cõſtruitur cum verbo ſingularis numeri. Itaque hic eſt ſenſus. Animalia autem hęc effugerunt etiã Dei laudem, & benedictionem. Græca enim non tantum habent, *effugerunt autem Dei laudem*. ſed ἐκπέφευγε δὲ καὶ τὸν τοῦ θεοῦ ἔπαινον, id eſt effugerunt autem etiam Dei laudem, hoc eſt, non ſolum huiuſmodi animalia non ſunt bona, in conſpectu animalium: ſed etiam aliena ſunt à Dei laude, & benedictione. Loquitur enim de ſerpentibus, quibus ab initio Deus maledixit, ob primum parentum noſtrorum peccatum, per ſerpentem perpetratum.

CAPVT XVI.

P*Ropter hæc & his ſimilia paſſi ſunt digne tormenta:*) διὰ τοῦτο δι' ὁμοίων ἐκολάσθησαν ἀξίως, id eſt, propter hoc, per ſimilia puniti ſunt dignè, hoc eſt, quia animalia ſunt venerati, per ea puniti ſunt AEgyptij. Vnde in noſtra lectione dictio *ſimilia* non eſt conſtruenda cum *propter*, ſed cũ *tormenta*: & coniunctio &, pro etiam, eſt accipienda, vt ſit ſenſus. Propter hæc, etiam paſſi ſunt tormenta ſimilia his, hoc eſt, reſpõdentia his. Duo ſcriptorum habebãt, *Propter hoc per hæc ſimilia, &c.* quę lectio Gręcis magis accedit Aldina æditio, pro δι' ὁμοίων, habet δι' ὁμοίως. vt ſit ſenſus. Propter hoc autem ſimiliter puniti ſunt digne. Eodem autem ſenſus recidit.

Exterminati ſunt:) ἐβασανίσθησαν, id eſt, cruciati ſunt, ſed frequenter in hoc libro *exterminare* pro cruciare, & perdere poſitum eſt. & quod ſequitur *bene diſpoſuiſti*. Rurſum poſitum eſt ſicut aliquoties ſupra, pro beneficio affeciſti. Eſt enim rurſum εὐεργέτησας nec eſt *pro quibus tormentis*, ſed *pro quo tormento*. Loquitur enim de punitione per immiſſas beſtias, cui comparat è contrario beneficium Iſraeli per immiſſa animalia præſtitum in ipſius fame.

Quibus dediſti concupiſcentiam delectamenti ſui nouum ſaporem eſcam parans eis ortigometram:) Græcè paulo aliter, οἷς εἰς ἐπιθυμίαν ὀρέξεως, ξένην γεῦσιν, τροφὴν ἡτοίμασας ὀρτυγομήτραν, hoc eſt, quibus, in concupiſcentiam appetitus, peregrinum ſaporem in cibum paraſti, nẽpe ortygometram .Nam

Nam εἰς ἐπιθυμίαν poſitũ videtur pro ἐν ἐπιθυμίᾳ ſicut frequenter εἰς pro ἐν ponitur in Euangeliis. Porro *ortygometra*, Græca eſt dictio compoſita ex ὄρτυξ, γος. quod coturnicẽ ſignificat & μέτρον, id eſt, menſura, mutato breui in longam η. Significat ergo coturnicum ducem ac regem maiorem aliquanto & nigriorem reliquis: ſic dictum, quod moderatrix ſit omniũ. Siquidem teſte Plinio lib. 10. cap. 23. hac duce coturnices volant, dum loca mutant. Hãc autem dictionem 70. ſemper poſuerunt vbi Hæbræa habent ſiue ſingulariter שלו vt Exod. 17. & Pſal. 104. vel Pluraliter שלוים vt Numeri 11. qua ſignificare voluerũt coturnicũ exercitum, qui ſemper eſt, vbi eſt coturnicũ ille dux

Vt illi quidem concupiſcentes eſcam propter ea quæ illis, &c.) Hæc pars procul dubio de AEgyptiis eſt accipiẽda: quibus cõponit poſtea Hebręos cũ dicit, *Hi autem, &c.* Porro illud. *propter ea quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt*: ſic habetur Græcè διὰ τὴν δειχθεῖσαν ἐπαπεσταλμένων. Vbi in τὴν δειχθεῖσαν, ſubaudiendum ex præcedenti videtur, τροφὴν vt ſit ſenſus. propter oſtenſam eſcam rerũ immiſſarum. Quod bene vertit interpres *propter oſtenſa illis & miſſa*, animalia ſcilicet, quæ veluti in eſcã, videri illis poterant à Deo irato data. Comparat enim animalia Aegyptiis immiſſa. cũ his quæ miſſa fuerunt Hebræis, quaſi vtriſque in cibum miſſa. & his quidẽ dicit animalia miſſa poſt inopiam breuem, nouum participaſſe guſtum: illis vero faſtidiũ attuliſſe neceſſariorum, cum ſcilicet recordarentur animalium per quæ puniti eſſent, & cum cibos ederent per ranas & muſcas vitiatos, & venenatos. Quod nos habemus *etiam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur*, Græcè eſt καὶ τὴν ἀναγκαίαν ὄρεξιν ἀποστρέφωνται, id eſt, etiam neceſſarium appetitum auerſarentur, vel faſtidirent.

Hi autem in breui inopes facti nouam guſtauerunt eſcam:) *In breui*, hic ſicut & mox poſtea, poſitum eſt pro, breui tempore. Illud vero *nouam guſtauerunt eſcam*, Græca ſic habent, καὶ ξένης μετάσχωσι γεύσεως, id eſt, etiam peregrinum participarent ſaporem, vel guſtum: ponitur enim verbũ, nõ indicatiuum, ſed ſubiunctiuum: & pendet adhuc cum præcedenti ἵνα, vt.

Sine excuſatione ſuperuenire interitum:) ἀπαραίτητον ἔνδειαν ἐπελθεῖν, id eſt, ineuitabilem ſuperuenire indigentiã. Sicut enim παραιτεῖν ſignificat & deuitare, & excuſare: ita ἀπαραίτητος ſignificat, inexcuſabilem & ineuitabilem. ſed altera tantum ſignificatio præſenti loco conuenit.

Morſibus peruerſorum colubrorum exterminabãtur:) δήγμασί τε σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων, id eſt, morſibuſque tortuoſorũ ſerpentum corrumpebantur. Non habent enim Græci tantum *morſibus*, ſed morſibuſque. neque additur in ſequentibus, *Sed*, quod etiam aberat in vno ſcripto. niſi quod recentiore manu aſſcriptum erat. vt ſit hic ſenſus. Cum Hebræis ſuperueniſſet ira beſtiarum, cumque morſibus ſerpentum exterminarentur, non diu ira tua permanſit in eis.

Ad correptionem:) aliqui ſed peius legunt ad *correctionem*. Græcè eſt εἰς νουθεσίαν, id eſt, ad admonitionem.

Signum habentes ſalutis ad commemorationem:) Notandum quod dicat ſerpentem æneum non fuiſſe ipſam ſalutem, ſed ſignum, vel, vt habent Græci, ſymbolum ſalutis. *Datum, inquit, in commemorationem mandati legis*, id eſt, vt poſtea memores ſemper eſſent mandatorum legis, ad implendum ea, atque vt diſcerent quam ſalutare ſit Dei præceptis obedire, cum ratione obedientiæ, aſpiciẽtes in ſerpentẽ æneum ſint ſanati, qui per ſe ſanare non potuit.

Illos enim:) Vtraque æditio habet ὃς, quos ſed legendum puto ſicut legit interpres, τοὺς, vt reſpondeat alteri τοὺς quod ſequitur.

In memoria enim ſermonum tuorum exterminabantur:) Male quidam libri habent per vnam dictionem *immemoria*. Rurſum male quidam habent *ſeruorũ* pro *ſermonũ*. *pro exterminabantur* multi antiqui ſcripti habent *examinabantur*, quod Græcæ dictioni magis conuenit ac proinde ea putenda eſt verior lectio. Græcis autem ſic eſt. εἰς γὰρ ὑπόμνησιν τῶν λογίων σου ἐνεκεντρίζοντο, id eſt, ad memoriam enim oraculorum tuorum exſtimulabantur.

Non poſſunt vti tuo adiutorio:) ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας, quæ ſic exponũtur in editione Complutenſi. *Immobiles fierent tui beneficij.* Quorum verborum nullum video ſenſum videntur ergo Græca ſic potius vertenda. Fierent tales, qui non poſſent ad ſe trahere tuum beneficium. vt genitiuus τῆς σῆς εὐεργεσίας ab ἀπερίσπαστοι regatur, ratione α particulæ priuatiuæ. Interpres forte legit, ἀνυπεράσπιστοι, id eſt, indefenſi.

Malagma:) Græcam dictionem reliquit interpres. quæ ſignificat fomentum, à μαλάττω, id eſt, mollio.

Homo occidit per maliciam animam ſuam:) Non eſt Græcis *animam* ſed tantum *occidit per malitiam ſuam*. ſeipſum, ſcilicet, vel alium, nam de morte corporis eſt ſermo, & quod ſequitur, *Et cum exierit ſpiritus non reuertetur*: pro quo Græcè eſt, ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀναστρέψει. ſic magis videtur vertendum. Egreſſum autem ſpiritum, non faciet redire. vt verbum ἀναστρέψει accipiatur tranſitiue, & eius ſuppoſitum ſit *homo*: ſicut ſequens verbum ἀναλύει tranſitiue accipi debet, & eius ſuppoſitum debet eſſe *homo*. Videtur enim inter Deum, quem dixit habere mortis & vitæ poteſtatem, & hominem hanc voluiſſe differentiam, quod etſi etiam homo occidat, non tamen occidit, niſi per malitiam, nec viuificare occiſum poteſt: vnde duplici hac de cauſa conſtat eum non eſſe Dominum vitæ & mortis.

Nec reuocabit animam quæ recepta eſt:) οὐδὲ ἀναλύει ψυχὴν παραλημφθεῖσαν id eſt, non facit redire animam aſſumptam, à Deo, ſcilicet, extra corpus. interpres videtur legiſſe vtrunque verbum per futurum ἀναστρέψει, ἀναλύσει. in Complutenſi æditione prius in futuro, poſterius in præſenti ponitur. In Aldina vero vtrunque in præſenti ponitur, ἀναστρέφει, ἀναλύει quod magis conuenit: vt coniunctio copulet modos ſimiles.

Perſecutionem paſſi:) Additur hic apud Græcos, ἀπαραιτήτως, quod in æditione Complutenſi exponitur *inexcuſabiliter*. cum vertendum ſit, ineuitabiliter. *Porro conſummati* pro conſumpti poſitum eſt, vt & alias. ſed & multi libri habẽt *conſumpti* non *conſummati*.

Quod enim mirabile erat:) τὸ γὰρ παραδοξότατον, id eſt, quod enim mirabiliſſimum, & maximè inopinatum erat.

Vindex:) ὑπέρμαχος, qui pro alio pugnat propugnator.

Quodam enim tempore mansuetabatur ignis:) Exponunt quidam hunc locum de ignitis serpentibus immissis in deserto Israelitis; qui serpentes quantumuis igniti nihil nocebant his, qui in serpentẽ æneum respiciebant. Sed, de ægyptiis potius esse hæc dicta, contextus satis declarat. Neque enim in hoc libro *impios* vocat Hebræos: sed eos collatione facta ad Aegyptios fere *iustos* vocat & *Dei filios.* propter Dei electionem, & Dei veri cultũ. Significare ergo voluit, ranas & muscas aliaq; animalia in vltionẽ AEgyptiis immissa, non potuisse igne consumi: nec ignẽ in illa quidquam valuisse, quãdiu Deus voluit. Id etsi scriptum non legatur in Exodo, tamẽ per manus verisimile est hũc authorem accepisse, sicut quod sequitur de Manna habente omnis saporis suauitatem. Porro cum sequitur *exardescebat vndiq;* scripta pro *exardescebat* habebant *ardebat* vel *exardebat* Illud autẽ *vndique* non erat in duobus scriptis nostris, sicut nec est in Græcis.

Vt iniquam terræ nationẽ exterminaret:) ἵνα ἄδικον γῆς γεννήματα διαφθάρῃ, id est, vt iniquæ terræ germina perderet. Grãdo enim cum igne ad disperdendum germina terræ immittebatur. Iã autẽ bene sequitur: *pro quibus Angelorum esca, &c,* videlicet quod pro disperditis cœlesti grãdine fructibus terræ Aegypti, dederit Hebreis cœlitus nouam escam. Semper enim diuersas Aegyptiorum pœnas comparat, cum diuersis beneficiis Hebræis à Deo præstitis. Duo scripta habebant, *iniquæ,* & glos. ordin. in margine habet *alias iniquæ.*

Substantiam enim tuam & dulcedinem, &c.) Male legitur in accusatiuo *substantiam tuam* & *ostendebas.* cum legendum sit. Substãtia enim tua dulcedinem tuam ostendebat: vt habent Biblia correctiora iam impressa, quomodo & habebat vnus scriptorum: nisi quod recenti manu *& substantia tua* mutatũ erat in accusatiuos appositis titulis addita coniunctione *&* Græcè enim est, ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου, Vocat autẽ *substantiam.* Dei panem illum, quem Deus nouo miraculo subsistere fecit.

Deseruiens vniuscuiusque voluntati:) τῇ δὲ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν, id est, subseruiens autem desiderio eius qui offerebatur, hoc est, vt bene vertit interpres, *cuiuscunque.* Nec est simpliciter *conuertebatur,* sed μετεκιρνᾶτο, id est, transtemperabatur.

Nix autem & glacies, &c.) Redit ad ea quæ cõtigerunt Aegyptiis. quomodo Deus pluit illis grandinem cum igne: quando & *niuem & glaciem* dicit *ignem non contabuisse,* id est, non liquefacta: siue quia nix simul cum grandine decidit, siue quia grandinem, niuem vocet & glaciem.

Hoc autẽ iterum, &c.) τοῦτο δὲ πάλιν. Relatiuum τοῦτο apud Græcos refertur ad *ignem.* Nam πῦρ apud eos est neutri generis. Non enim repetitur postea ignis, sicut apud nos legitur, *ignis etiam suæ virtutis oblitus est.* Nec erat *ignis* in omnibus pene scriptis: quorum vnus liber etiam habuit *hic* non *hoc.*

Propter hoc & tunc omnia transfigurata:) διὰ τοῦτο, καὶ τότε εἰς πάντα μεταλλευομένη, id est propter hoc etiam tunc in omnia trãsmutata, scilicet creatura, est enim singularis numeri. Vnde legendum apud nos *in omnia* quomodo habebant tria scripta, & impressa quoque recẽtiora. Legẽdum item *deseruiebat* quomodo vnum scriptum habuit: nisi quod quis recenti manu adiecit apicem.

Ad voluntatem eorum qui a te sunt desiderati:) πρὸς τὴν τῶν δεομένων θέλησιν, id est, ad voluntatem egentium.

Natiuitates fructus:) γενέσεις τῶν καρπῶν, id est generationes fructuum.

Ad benedictionem tuã:) ἐπ' εὐχαριστίαν σου, hoc est, ad gratiarum actionẽ tui, vel ad agendum gratias tibi. Quanquam εὐχαριστία etiã nonnunquam accipiatur pro gratia Dei. vt possit etiã accipi, ad gratiam tuã, supple, percipiẽdã: sicut quod nos legimus *ad benedictionem tuam,* dupliciter accipi potest: aut passiuè, vt benedictio Dei qua ipse benedicitur, hoc est laudatur à nobis: aut actiue, vt sit ea qua ipse nos benedicit. Sed priori modo debere accipi Eucharistiam hoc loco & *benedictionem* patet, quia sequitur. *Despe vana ingrati.*

Et ad ortum lucis te adorare:) Illud *ad ortum lucis* non significat hic locum, versus quem Deus est adorandus. Nã Hebræi post acceptũ Mãna non versus orientem, sed contrà versus occidentem iussi fuerunt Dominum adorare. Significatur ergo hic tẽpus, quo Deus est adorandus. vt *ad ortum lucis* sit idem, quod oriente luce. Siquidẽ πρὸς aliquando tempus designat quemadmodum *ad* apud Latinos. vt πρὸς τὸ παρόν, id est, in præsenti. Proinde male quidam libri aduerbium *ibi* addunt. vt legatur *te ibi adorare.* cum *ibi* sensui obsit, nec sit in antiquis scriptis, aut impressis. Græca habent hic, πρὸς ἀνατολὴν φωτός, id est, ad oriẽtem lucis. quomodo habent etiam Latini quidam scripti, sed illud *ad ortũ lucis* melius sensum explicat. Porro pro *te adorare* Græcè est ἐντυγχάνειν σοι, id est, ad verbum, occurrere tibi, vel potius colloqui tecũ aut, orare te. Quoniam enim qui orat, loquitur illi quem orat, & illi quodã modo occurrit, ἐντυγχάνειν etiam orare significat, & interpellare. Itaque quoniam Deus Israelitis in deserto mane dedit Manna colligendum, quod post ortum solis liquescebat, docuit suam gratiam mane petendam, ac illum pro sua gratia mane laudandũ, nec in multũ diem sterdendũ esse.

CAPVT XVII.

VErba tua:) Duas has dictiones Græca nõ habent, & ad sensum sunt impertinentia

In disciplinatæ animæ:) ἀπαίδευτοι ψυχαί. id est, indoctæ, vel ineruditæ animæ.

Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ:) ὑπειληφότες γὰρ καταδυναστεύειν ἔθνος ἅγιον ἄνομοι, id est, Cum enim putassent, vel quia enim putauerunt iniqui opprimere gentem sanctam. Magis enim placet per causam exponi participium, vt intelligatur hic reddi ratio immissarum tenebrarum: sicut superius fere aliarum plagarum propria ratio est assignata.

Vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, &c. Pro *vinculis* Græcè est δέσμιοι, hoc est, vincti, aut potius vinctitij. si quidem non participium est sed nomen, vnde regitur genitiuus σκότους, id est, *tenebrarum.* Sic etiam pro *compediti* est nomen πεδῆται vnde regitur genitiuus μακρᾶς νυκτός. *longæ noctis.* Quoniam autem desũt nobis nomina his Græcorũ nominib. respõdentia, bene interpres reddidit per participiũ *cõpediti vinculis, &c.* Porro genitiuus *ꝑpetuæ prouidẽtiæ* cũ

nomine

nomine *fugitiui* cõstrui debet. Est enim grecè φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας, quod apertius sic verti potest exules à perpetua prouidentia Dei. Quãdoquidẽ significare vult Aegyptios, quoniam erant in tenebris, veluti destitutos fuisse à perpetua Dei prouidentia, quæ scilicet singulis diebus visitat homines luce solis.

Dũ putant se latere:) λανθάνειν γὰρ νομίζοντες. Rursum magis conuenit participium per causam exponere. Quia enim putabant se latere in occultis peccatis. vt hic etiam alia causa immissarum tenebrarum reddi intelligatur, Pro illo aũt *in occultis* Grecè est vna dictio ἐπικρύφοις Interpres autẽ per duas legit dictiones, ἐπὶ κρυφίοις, sed nihil variat sensum.

Tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt.) dicũtur *dispersi tenebroso, etc.* vel quia tenebræ illæ eos ad inuicem separabãt, ita vt vnus alterius curam gerere nõ posset, sed quisque alterius quasi oblitus esset, vel potius quia reiecti erãt à cura Dei, qui veluti eorum oblitus, non visitabat eos lumine cœlesti, sicut reliquos homines. vt tenebræ illæ dicantur *velamentum obliuionis diuinæ* sicut supra dixit eos *iacuisse exules à diuina prouidentia.*

Cum admiratione nimia perturbati:) ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι id est, phantasmatibus vel spectris perturbati.

Quoniã sonitus descendens perturbabat illos:) ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιεκόμπουν, sed soni cũ impetu decidentes strepebant circum eos.

Et personæ tristes illis apparentes pauorem illis præstabant) καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο, id est, & apparitiones tristes mœstis vultibus apparebant.

Illuminare poterant:) καταυγάζειν ὑπέμενον, Illuminare audebant, quia scilicet Deus prohibuerat.

Apparebat autem illis subitaneus ignis:) Græca addunt μόνον tantum. vt sit *apparebat autem illis tantũ.* & pro: *subitaneus ignis,* est αὐτομάτη πυρά. id est, vltronea, spontanea, vel casualis pyra. Videtur significare voluisse in tenebris illis, apparuisse illis quãdoq; obiter ignem, vel flammam, non ad illorum consolationem, sed ad maiorem terrorem.

Et timore percussi illius quæ non videbatur faciei.) Græca habent ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως. Vbi genitiui illi non videntur regi à participio. sed absolute poni, vt sit sensus Perterrefacti autem cum illa apparitio nõ cõspiceretur, putabant deteriora esse quæ videbantur, quã scilicet reuera erant. Quia enim quædam in tenebris videbantur videre, quæ non potuerunt conspicere, & perfectè videre, putabant peiora esse, quæ eis apparebant quã verè erant.

Et magicæ artis appositi erant derisus:) His verbis intelligitur significari à Deo, *appositos esse derisus magicæ artis.* Hoc est, Deum irrisisse, & illusisse maleficiis illis Aegyptiorum: quando, per timorem illis incussum, ostendit eos nihil eorum posse quæ promiserãt. Græca vero sic habent, μαγικῆς δὲ κατέκειτο ἐμπαίγματα τέχνης quæ hũc magis vidẽtur habere sensum. Magicæ autẽ artis ludibria iacebãt, hoc est, Illusiones illæ magicorũ, quibus soliti erãt illudere Pharaoni, & Aegyptiis, iam erant inefficaces, nec quicquam poterãt. Sic enim pulchrè accipitur iacere. κατέκειντο autem non video quomodo significet *apponere:* iacere vero & positum esse, eius est propria significatio. Iam quod sequitur. *Et sapientiæ gloria correptio cum contumelia* sic habent Græca apertius. καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος, id est, & iactantiæ de prudentia correptio contumeliosa. In quibus verbis, si sequi placet sensum præcedentis partis iam indicatum, non repetetur verbum κατέκειτο, sed subintelligetur verbum substantiuum, quod Græci frequenter subticent. vt sit sensus, & fuit contumeliosa correptio iactantiæ maleficorum, qua golriabãtur de sapientia. Corripuit enim eorum iactantiam Deus, & redarguit nec simpliciter redarguit sed cum insigni eorum contumelia, & vituperio. Ex Græcis autem patet, apud nos pro *gloria* legendum genitiuum *gloriæ.* quomodo habuit etiam vnus scriptorum. *Gloriæ* enim regitur à *correptio & sapientiæ* à *gloriæ.* vt, correptio gloriæ sapientiæ, sit redargutio gloriationis de sapiẽntia.

Cum dertsi pleni timore languebant:) καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν, id est, ridiculum timorem lãguebant. *ridiculum,* dicit quia timebant ea quæ nõ erant.

Commoti:) Græca dictio ἐκπεπτοημένοι plus significat: nempe animo consternatos.

Frequenter enim præoccupant pessima redarguente conscientia:) Hic versus non est in Græcis, nec erat in tribus scriptis: & videtur omnino fuisse vel explicatio. vel altera versio alicuius, respondens versui sequenti. *Semper enim præsumit sæua, &c* Cumque fuisset in margine ascriptũ, deinde in contextum est redactum.

Dat testimonium condemnatæ:) Sic habebat scriptum vnum magnæ antiquitatis; sic habent & correctiora impressa. Proinde male quidã habent *data est in omnium condemnationem* D. Gregorius lib. 27. moral. cap. 18. citans hanc sententiam, habet, *dat testimonium condemnationi.* Codex Thronen. habebat ascriptum, *dat testimonium in condemnationem.* aliqui libri habent, *condemnationis.* Græca habent, δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη, id est, Timida enim res est malitia, proprio teste condemnata, teste, scilicet, consciẽtia. quam proprium vel priuatum vocat testem. Hunc enim esse sensum sequentia docebunt. Aldina editio habet δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία μαρτυρεῖ καταδικαζομένη. sed corrupta videtur lectio, vt & in aliis frequenter.

Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia:) In Græcis *conscientia* non est nominatiui casus, sed datiui, ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει, id est, semper autem suspicatur grauia coarctata vel compressa per cõscientiam. vt suppositum verbi *suspicatur* vel *præsumit* & substantiuum adiectiui *coarctata* vel *perturbata* sit *malitia, & consciẽtia* sit ablatiuus causæ apud nos. Itaque significatur: malitiam coarctatam per conscientiam, tanquam testem, promeritæ condemnationis, semper grauia & peiora suspicari.

Nihil enim est timor nisi præsumptionis adiutoriũ:) Quod dicitur *timor esse adiutorium præsumptionis,* sic bene intelligit Nicolaus, quia scilicet timor est augmentum suspicionis mali alicuius imminentis, facitque vt quis magis suspicetur malum imminere. Sciendum tamen duas has dictiones, *præsumptionis adiutorium,* non esse in Græcis: quæ tantum habent *Nihil enim est*

timor

timor niſi proditio, &c. Porro illud *proditio cogitationis auxiliorum*, ſic communiter intelligitur, id eſt, declaratio & oſtenſio per pallorem, ſcilicet, qui eſt in timentibus, quod quis cogitet de auxiliis. Verùm ex Græcis patet genitiuum *cogitationis* non regi à *proditio*, nec regere genitiuum *auxiliorum* ſicut illa intelligentia præſupponit, ſed contra genitiuum *auxiliorum* regi à nominatiuo *proditio*, & regere genitiuum *cogitationis*. Sic enim habent Græca προδοσία τῶν ὑπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων, id eſt, proditio auxiliorum quæ ſunt à cogitatione. Et accipitur hic προδοσία, id eſt, proditio, ſicut & poſtea, pro deſertione. vt ſit ſenſus ſuperioribus & ſequentibus optime côueniens. Nihil aliud eſt timere quam deſerere, & abiicere côſilia: quæ cogitatio poſſet ſuppeditare. Nam qui timet, ideo timet, quia non occurrant rationes euadendi mali.

Et dum ab intro minor eſt expectatio, maiorem putat potentiam eius cauſæ:) Sententia multum obſcura, & cuius variæ admodum ſunt lectiones Quidam enim libri habent *potentiam*, impreſſi hoc tempore, quique pro correctioribus habentur, *ſententiam* habent quidam libri habēt in margine *alias audaciam* Duo ſcripti, quos reperi fere correctiores, habent *ſcientiam*, quidam habent *conſcientiam*. Græca habent ἄγνοιαν, id eſt, ignorantiā. Suſpicor interpretē vertiſſe *inſcientiam*, ſicuti eam dictionem vertit ca. 14 ac poſtea reiecta præpoſitione *in* cum non intelligeretur: à pleriſque ſententia hæc quoſdā *ſcientiam* mutaſſe in *ſententiam*, alios in *potentiam*, alios in *audaciam* quamquā, quomodocunque legatur, nullus ſatis cômodus ſenſus ſeſe offerat. Gręca habēt ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἥττων ἡ προσδοκία, πλείονα λογίζεται ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας. Vbi ſi genitiuus αἰτίας regatur ab ἄγνοιαν: ſenſus eſt. Intus autem exiſtens minor expectatio, æſtimat maiorem eſſe ignorātiam cauſæ, quę præbet tormentum. ſed magis videtur genitiuus ille regi à comparatiuo πλείονα vt ſit ſenſus. Expectatio minor exiſtēs, æſtimat ignorantiā eſſe maiorem quam ſit cauſa quæ prębet tormētum, hoc eſt, magis & plus torquet eū ignorantia, quam cauſa tormenti & pœnæ Quod autē dicitur de expectatione, quamuis alij intelligāt de expectatione auxiliorum, videtur côueniētius intelligi poſſe, de expectatione mali euentus, quæ dicitur intus minor eſſe, hoc eſt, inferior: quia ſcilicet victa eſt, eo quod cogitatio nullas ſuggerat rationes euaſionis. Expectatio enim mali euenturi, cum quis in timore eſt conſtitutus, reputat ignorantiam mali euenturi & exitus, maiorem eſſe quam ea res & cauſa quæ timentem torquet. Videtur enim hic ſenſus ſequentibus & præcedentibus bene congruere.

Qui in potentem venere noctē:) Corrupta valde lectio. Legendum enim. *Qui impotentē vere noctē.* quomodo habebāt quatuor ſcripta, & correcta biblia iam impreſſa. Verum quoniam non apparebat vnde accuſatiuus iſte regeretur, ſuſpicatus eſt quidam hanc lectionē deprauatā, & aduerbium *vere* mutauit in verbum *venere*, & *impotentem* diuiſit in duas dictiones, *in potentem*. Eſt autē accuſatiuus temporis, qui, pro ambiguitate tollenda, poteſt verti in ablatiuū *qui impotēti vere nocte*. Quidā ſcriptus habuit ablatiuos, ſed illud *impotenti* diuidebatur in duas dictiones: *Impotens* autē hic accipitur quemadmodum eleganter accipitur Latinis, pro intolerabili, & immoderato. quomodo Cicero dixit. principatum quorundam impotentiſſimum.

Et ab infimis & ab altiſſimis ſuperuenientem:) Addendū eſt *inferis*. quēadmodū habebant multa ſcripta: vt ſit, *ab altiſſimis inferis*, id eſt, profundiſſimis inferis, Græcè eſt, καὶ ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσαν, id eſt, & ex impotētis inferni ſpeluncis ſuperuenientē, ſcilicet noctē. Non poſſe enim adiectiuum *ſuperueniētem* conſtrui cum *ſomnum*, patet ex Græcis. quia ὕπνος *ſomnus* eſt maſculini generis: participium vero fœminini. Dicit autē eos dormiiſſe ſomnum, idque eundem. quia, velut dormientes, in tenebris perpetuo agebant, ab omni operatione vacātes: ac vanis ſpectris conturbati, quemadmodum in ſomno fieri ſolet.

Aliquando monſtrorum exagitabātur timore:) pro *aliquando*, &, *aliquando* Græcis eſt. τὰ μὲν, τὰ δὲ, id eſt, partim & partim. vt ſignificetur vtrūque perpeſſos etiam ſimul, & eodem tempore. Pro *monſtrorum timore*, eſt, τέρασιν φαντασμάτων, id eſt, monſtris Phantaſmatum, vel apparitionum.

Animæ deficiebant traductione:) Græcè, ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ id eſt, diſſoluebantur per proditionē ipſius animæ: id eſt, per hoc quod anima ſeipſam prodidit, & deſeruit nullam mali euadendi rationē ſuppeditans: vt prius eſt dictum. Vnde conſtat *animæ* apud nos non eſſe nominatiui caſus, ſed genitiui & *traductionem* hic accipi, ſicut prius *proditionem*. cum hic rurſum ſit προδοσία Significat ergo duo ſimul mala perpeſſos, nēpe quod exterius apparentibus monſtris terrerentur, & quod paterentur deliquium animi. Nam præſtat *animi* vertere quam *animæ*.

Inſperatus timor:) *Inſperatus*, poſitum eſt pro, inexpectatus, ſicut & capite ſequenti & ſupra *ſperare* pro expectare. Quis enim proprie ſperat timorem? Græcè eſt ἀπροσδόκητος.

Deinde ſi quiſquā ex illis decidiſſet:) εἶθ᾽, οὕτως ὃς δήποτ᾽ οὖν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων, id eſt, poſtea quicunque ſic illi cadebat, hoc eſt, poſtquam quis timore inexpectato, præoccupatus cecidiſſet, vbi cecidit, ibi veluti in carcere detinebatur concluſus.

Siue enim ruſticus quis erat, & paſtor, & agri laborū operarius præoccupatus eſſet, &c. Pro *agri laborū operarius*. Græcè eſt τῶν κατ᾽ ἐρημίαν ἐργάτης μόχθων, id eſt operarius laborum, qui in deſerto fiunt Verbum autem eſſet omittendum fuerat, vt *præoccupatus* hæreret cum *ſuſtinebat*.

Mugientium valida beſtiarum vox:) ὠρυομένων ἀπηνεστάτων θηρίων φωνή, id eſt, vlulātium ſæuiſſimarum ferarum vox Proprie enim ὠρύεσθαι luporum eſt, cum *mugientium* ſit bouum.

Reſonans de altiſſimis montibus:) ἀντανακλωμένη ἐκ κοιλότητος ὀρέων, id eſt, repercuſſa ex concauitate montium.

Omnis enim orbis terrarum:) Extra ſcilicet locum, in quo erāt AEgyptij, vt communiter intelligitur. Videndum tamen num etiam dicere voluerit locum AEgyptiorum vere fuiſſe illuminatum, ſed ſic, vt AEgyptij lumen nô perciperēt: quia iſtud videtur dixiſſe in declarationem eius, quod prius dixit, de auium concentu, & ferarum vlulatu.

Ipſi ergo ſibi erant grauiores tenebris:) Ex Græcis

cis patet, male quoſdam habere, *tenebræ*, & legendum eſſe *tenebris*. quemadmodum etiam habebant tria ſcripta. Non eſt autem Græcis *ergo*, ſed δὲ, id eſt autem. Non enim infertur iſtud ex præcedentibus: ſed poſtquam dixit noctem grauem illis ſuperpoſitam, addit ipſos etiam ſibi fuiſſe grauiores tenebris, per malam ſcilicet criminum conſcientiam.

CAPVT XVIII.

HOrum quidem vocē inimici audiebant.) Dictio *inimici* delenda eſt. Nam vt non eſt in Græcis, ita nec erat in multis ſcriptis: nec in contextu gloſę ordinariæ. Nec eſt ſenſus inimicos Hebræorum audiſſe vocem hebræorum, ſed contra Hebræos, audiſſe vocem inimicorum Aegyptiorum: eiulātium ſcilicet in tenebris, quia pro *audiebant* & *videbant* Græcis ſunt participia quæ ſunt ſuppoſita ſequentium verborum *magnificabant* & *gratias agebant*, quamuis relatiuum ὧν dure videatur referri ad Aegyptios.

Et quia non & ipſi eadem paſſi erant, &c) Scripta omnia habebant *per eadem*. quamuis ad id ſenſum parum referat. Porro Gręca exemplaria hic variant. Complutenſis enim æditio nobiſcum habet negatiuam lectionem ὅτι μὲν οὐ κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν, ἐμακάριζον id eſt, quia quidem non & illi paterentur, beatificabant: te ſcilicet, vel potius ſe beatos & felices prædicabant. Aldina vero habet affirmatiuam lectionem ὅτι μὲν οὖν κἀκεῖνοι πεπόνθασιν &c. id eſt, quia quidem igitur (quamuis *igitur* hic ſuperſit ad ſenſum) etiam illi paſſi eſſent beatificabant tuam ſcilicet iuſtitiam. Quæ lectio ob id videtur conuenientior, quod ἐκεῖνοι magis ad Aegyptios, quam ad Hebræos videatur referri debere: vt ſignificetur: eos beatificaſſe Dei iuſtitiam, quod etiam Aegyptij iam affligerentur, ſicut ipſi aliquando ab eis fuiſſent. afflicti. Dicendum enim fuiſſet alioqui αὐτοὶ non ἐκεῖνοι Deinde ἐκεῖνοι ſuppoſitum etiam eſt verbi ſequentis βλάπτουσι quod omnino videtur ad Ægyptios referendum. Non enim habent Græca. *Et qui ante læſi erant quia non lædebātur, gratias agebant tibi*, ſed ὅτι δὲ οὐ βλάπτουσι προηδικημένοι εὐχαριστοῦσι, id eſt, quoniam autem non nocent ante iniuria affecti: gratias agebant, Vbi *nocent* videtur ad Aegyptos referendum, vt προηδικημένοι referatur non ad βλάπτουσι, ſed ad ſequens verbum *gratias agebant*. Apud nos enim idem ſignificatur hac parte, quod pręcedenti parte: quod non admittit μὲν & δὲ, quę ſunt apud Gręcos. Itaque ſenſus erit. Hebręos beatificaſſe Deum, quoniam Ægyptij etiam affligerentur: gratias vero illi egiſſe, quod illi iam ipſis non poſſent nocere impediti per tenebras. Quod & in noſtra lectione ſic poteſt intelligi. *Qui ante læſi erant ab Aegyptiis, quia non lædebantur ab eis modo gratias agebant.*

Et vt eſſet differentia te Deum petebāt.:) Tres ſcripti habebant pro *te Deum*, vel vt quidam habent, *te Dominum donum*. Vnus etiā illorum non *differentia* ſed *differentiæ* habuit: *et vt eſſet differentiæ donum petebant*. Codex Thron. etiam habuit *donum*, & in ſuperiori oratione, non habuit, *te* nec *tibi*, quæ nô ſunt in Græcis. Certe interpretem vertiſſe *donum* ſatis Græca docent, quę habent χάριν: quam dictionem fere in hoc libro *donum* vertit: vt ſemel & iterum cap. 3. Eſt enim Græce, καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο. Dictionem ergo χάριν interpres accepit, vt ſit accuſatiuus à χάρις, cum magis videatur debere accipi vt ſit aduerbium, ſignificans ἕνεκα. vt regat pręcedentem infinitiuum, et ſit ſenſus. Orabant te propter differentiam, id eſt, vt eſſet differētia ſemper inter AEgyptios, & populum tuum. Videndum tamen num διενεχθῆναι hic aliam magis debeat habere ſignificationem.

Propter quod:) ἀνθ᾽ ὧν, id eſt, pro quibus, ſicut ſupra *pro quibus Angelorum eſca nutriuiſti*. Opponit enim beneficium Iſraelitico populo pręſtitum, reſpondens plagæ AEgyptiorum prædictæ: nempe tenebris.

Ducem habuerunt ignotæ viæ:) Habuerunt ſupereſt. nam accuſatiuus *columnam* conſtruitur cum ſequenti verbo, *præſtitiſti*.

Solem ſine læſura boni hoſpitij:) Rurſum interpres ſuo more dictionem ex à priuatiua particula côpoſitam, per, *ſine*, reddit. Eſt enim Græcè ἥλιον δὲ ἀβλαβῆ φιλοτίμου ξενιτείας, id eſt, Solē autem non lædentem honorificum hoſpitium: & hærent appoſitiue accuſatiui *ſolem et ducem* cum *columnam*. *Hoſpitium* autem vocat, deſertū, in quo agebant Iſraelitæ.

Per quos incipiebat dari:) Non eſt *incipiebat dari* ſed ἤμελλε δίδοσθαι, id eſt, dandum erat.

Cū cogitarent iuſtorū occidere infantes:) βουλευσαμένους δὲ αὐτοὺς. Accuſatiui iſti apud Græcos regūtur à verbo ſequenti ἀφείλου, quod duos regit plerunque accuſatiuos. Itaque vertendum eſt. Ab his autem qui cogitauerant, &c. Incipit autem hic de nouiſſima Aegyptiorum plaga, occiſione ſcilicet primogenitorum.

In traductionem:) Rurſum pro *traductionem* eſt ἔλεγχον, id eſt reprehenſionem aut correptionem: magiſque iungendum videtur cum præcedenti, *liberato*, quam cum ſequentibus. Certe *illorum* non poteſt conſtrui cum *traductione*, ſed cum *filiorum*: vt patet ex Græcis.

Illa enim nox:) *Enim* non habent Græca, nec conuenit huic loco.

Sic nos prouocans:) Vtraque æditio, pro *ſic*, habet. τούτῳ. Sed vera lectio videtur eſſe οὕτως vt reſpondeat præcedenti ὡς. Non eſt autem Græce προκαλεσάμενος, ſed προσκαλεσάμενος, id eſt aduocans vel potius; non aduocatos & aſciſtos tibi

Iuſtitiæ legē in côcordia diſpoſuerūt: ſimiliter bona et mala recepturos iuſtos: patrum iam decantantes laudes:) Pro *iuſtitiæ*, Gręca habēt τῆς θειότητος id eſt; diuinitatis. Porro pro *patrum iam*, plerique libri habēt; *patri omniū*, alij; *patrias*: vtrāq; lectionē eſſe vitiatam, & legendum eſſe *patrum iam*, vt habent impreſſa modo biblia recentiora; Gręca aperte teſtantur. Eſt autem magna obſcuritas apud nos orationis huius, eo quod non appareat; vnde regantur illi accuſatiui *recepturos iuſtos*: Nec multo minor eſt obſcuritas Gręcæ lectionis, quę habet: τὸν τῆς θειότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο, τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι τοὺς ἁγίους πατέρων ἤδη προαναμέλποντες αἴνους. Dubium enim; cum quo conſtruatur infinitiuus μεταλήψεσθαι, cum ſuo accuſatiuo ἁγίους. Itaque primum locus hic ſic poterit intelligi. Diſpoſuerunt côcorditer legē diuinitatis ſeruare; nempe iuſtos participaturos eadem ſimiliter & bona & pericula. Vtintelli: gatur ſignificari; legem diuinitatis eam eſſe quod

quod iusti eorundem bonorum & periculorũ debeant esse participes; quam ostendebant se disponere seruare, cum, edentes agnum paschalem, omnes concorditer se ad exeundum ex Aegypto præpararent. Apertior vero erit sensus, si in accusatiuo τὸν νομὸν intelligatur subintelligi præpositio κατὰ. & τοὺς ἁγίους cõiungatur ἀινοῦς. Sic enim hic erit sensus. Secundum diuinitatis legem, concorditer constituerũt, eorundẽ similiter & bonorum & periculorum participes fore, præcinentes iam sanctas patrum laudes hoc est, quemadmodum diuinitas statuerat, ita & ipsi etiam statuerunt, bona & mala simul habere communia: quod est, quemadmodum nos solemus dicere de his qui inter se sunt arctissime confœderati, statuerunt simul viuere & mori. Quod autem dicit de laudibus patrum, opponitur ei quod subdit, de voce inimicorum. Itaque optime conuenit vt ἁγίους αἴνους intelligamus opponi illi quod sequitur ἀσύμφωνος βοὴ Dicit autẽ *præcinentes* quia Hebræi vocem laudum incœperint, ante flebilem Aegyptiorum vocem. Porro *laudes patrum* intelligi possunt, vel quibus patres suos laudabũt, quibus promissio liberationis huius erat facta, se animantes eorum exemplo ad concorditer egrediendũ; aut Dei laudes, quas à patribus didicerant: quas inter edendum agnum pascalem, & postea cantauerint. Ex his etiam intelligi potest, quomodo nostra lectio poterit intelligi.

Resonabat:) ἀντήχει, id est, ex altera parte vicissim sonabat. Duos enim choros facit, vnũ Hebreorum precinentium laudes, alterum Aegyptiorum subsequẽtium flebili clamore & voce. Porro pro *inconueniens*, est, ἀσύμφωνος id est, inconcinna: qualis est eiulantium, & flentiũ. Et pro *audiebatur*, est. διεφέρετο, id est, iactabatur in diuersas partes.

Ploratorum infantium.) Cum *ploratus* participium non sit vsitatum, dicendum potius fuerat, deploratorum, vel defletorum. & pro *infantium* est, παίδων. i. puerorum vel filiorum. Significantur enim primogeniti qui non erant omnes infantes. Porro nouè dictũ est *planctus puerorum* vel filiorum pro planctu, qui erat de filiis. Opponitur autem *planctus filiorum*, *laudibus patrum* nisi forte illud θρηνουμένων παίδων, sit genitiuus absolute positus, vt vertendum sit: cum filij deflerentur. Sed iam periret gratia oppositionis.

Similiter ergo.) ὁμοθυμαδὸν, id est, pariter autem. Et additur Græcis præpositio *in vno nomine mortis*: id est, per vnum genus mortis nẽpe, quo occidebantur primogenita.

De omnibus enim nõ credẽtes propter beneficia:) Manifestum est ex græcis legẽdum esse, *veneficia*. Hẽnt enim πάντα γὰρ ἀπιστοῦντες διὰ τὰς φαρμακείας, id est: qui enim omnia credebant propter veneficia. Significare vult Aegyptios, qui prioribus plagis noluerunt agnoscere Dei potentiam, propterea quod pleraque illorum etiam magi suis præstigiis facerent, cum viderent interitum primogenitorum suorum, cõfessi sunt populum Israeliticum esse filiũ Dei. Sic enim habẽt Greca pro eo quod legimus.

Tunc cum primum fuit exterminium primogenitorum spopõderunt populum Dei se esse. ἐπὶ τῷ τῶν πρωτοτόκων ὀλέθρῳ ὡμολόγησαν θεοῦ υἱὸν λαὸν εἶναι, id est, in interitu primogenitorum: confessi sunt populum esse filium Dei. Vnde apud nos relatiuũ *se* debet accipi pro *illos* sicut & supra positum fuit.

Sermo tuus domine exiliens:) Hæ duæ dictiones *Domine exiliens*, non sunt apud Græcos, *Domine*, nõ erat in duobus scriptis nostris, in quorum altero etiam nõ erat *exiliens*. Nec apte satis dicitur, *exiliens prosiliuit*. Videntur duæ illæ dictiones insertę ex antiphona quadam hinc desumpta: quæ canitur circa natalem Domini, hoc modo. *Omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cælo à regalibus sedibus venit.*

In mediam exterminij terram:) εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς, id est in medium perniciosę terræ prosiliit.

Gladius acutus:) quidam scripti habent, *gladium acutum*, & Græca sunt ambigua cum ξίφος ὀξὺ sit neutri generis. Sed magis cõuenit accipere in nominatiuo casu, vt sermonem Dei dicat esse gladium acutum. sicut dixit *durum debellatorem:* quomodo & Paulus comparauit, *sermonem Dei gladio ancipiti*. Porro pro *insimulatum* Græcè est, ἀνυπόκριτον, id est, non fictum, nesciũ fingendi. Itaque interpres imitari voluit compositionem Græcæ dictionis, cum cap. 4. verterit certum, *Iudicium certum.*

Vsque ad cœlum attingebat stans interra:) Græca habent, & cœlum quidem tangebat, descẽderat vero in terram. quo significatur Dei sermonem, & imperium omnia impleuisse, quæ Deus vellet, tum in cœlo tum in terra.

Causam demonstrabat mortis:) *Mortis* non est in Græcis, nec erat in duobus nostris scriptis. Significat primogenitos quosdam semiuiuos adhuc aperuisse suis causam mortis, quam diuinitus in somniis erant edocti. Porro quę hic dicit de somniis, hinc habuit hic author, vnde & præcedentia quædam, quæ alibi non habentur in scripturis, nimirum ex traditione maiorum certa, aut spiritus illuminatiõe.

Tetigit autem tunc & iustos:) Interpres legisse videtur τότε cum sit ποτε, id est, aliquando quod melius conuenit. In Aldina æditione nec τότε erat nec πότε sed tantum. *Tetigit autem etiam iustos.*

Properans enim homo sine querela deprecari, pro populis:) pro *homo sine querela*, est, ἀνὴρ ἄμεμπτος, id est, vir inculpatus, vel irreprehensibilis. & pro *deprecari pro populis*, Græcè est προεμάχησε, id est. propugnauit, cui conuenit quod sequitur de armis orationis, *Propugnauit* habuit vnus scriptorum nostrorum: nisi quod illo deleto, in margine asscriptum fuit manu recentiore *deprecari pro populis* Porro cum dicitur *commotio in eremo facta est*. Grecè pro commotio, est θραῦσις, id est, fractio vel quassatio: eadem scilicet dictio, qua & 70. vsi sunt Numeri. 16. cum hanc plagam describunt & rursum. qua alteram plagam nominant Psal. 104. vbi legimus, *Et cessauit quassatio*, ne quis miretur hanc dictionem hic positam.

Proferens seruitutis suæ scutum orationem & per incẽsum deprecationem alligans.) τὸ τῆς ἰδίας λειτουργίας ὅπλον προσευχὴν, καὶ θυμιάματος ἐξιλασμὸν κομίσας, id est, sui ministerij arma, nempe orationem, & incensi placationem ferens. Vnde patet rectius legi apud nos *allegans* quam *alligans*: cum *allegans* magis conueniat cum significatione participij κομίσας. nam *allegare* est, adducere nõ nunquam, & mittere.

Vicit

Vicit aũt turbas:) Pro *turbas*, est τὸν ὀλεθρεύοντα, id est, deuastatorẽ, vel eum qui extermina bat. quo modo eandem dictionẽ vertit interpres in fine huius capitis. Proinde in nostra litera *turbas* accipi poterit pro turbationibus illis, quæ erant in populo ob plagam deuastãtem, aut pro ipsa plaga turbante populum.

Nec armatura potentiæ) οὐχ ὅπλων ἐνέργεια, id est, non armorum efficacia vel vi.

Illum qui se vexebat:) τὸν κολάζοντα, id est, torquentem, scilicet ipsum populum. Vnde rursum apud nos *se* positum est, pro *illos*.

Dimisit illam quæ ad viuos ducebat viam:) Græcè tantum est *dimisit viam quæ erat ad viuentes* quã-uis bene verterit interpres. Significatur autẽ eum suo transitu impediuisse trãsitum ignis ad viuentes, & adhuc superstites.

In veste enim poderis:) *Poderis* Græca dictio vestem significat talarem, & ad pedes vsque demissam, à ποῦς ποδὸς. quod pedẽ significat. Itaq; ea dictione nominabat duplex indumentũ summi sacerdotis, alterum lineum, quod erat illi commune cum reliquis sacerdotibus, alterum Hiacynthinum sibi proprium: in cuius fine erãt tintinnabula, & malogranata. de quo hic potissimum loquitur. Quomodo autem vestitus sacerdotis summi significauerit totũ orbem, vide apud Ioseph. lib. 3. antiquit. cap. 11.

Erat enim sola tentatio iræ sufficiens:) pro *tentatio* est πεῖρα. quod etiam verti potest experientia. vt sit sensus. Satis erat eos expertos esse iram tuam ad illorum correctionem.

CAPVT XIX.

Cvm ipsi permisissent vt se educerent:) αὐτοὶ ἐπιτρέψαντες τοῦ ἀπιέναι, id est, Postquam permisissent (Ægyptij scilicet) abire, scilicet, Hebræos. Vnde nostra litera sic est accipiẽda: cũ ipsi Ægyptij permisissent, vt Hebræi educerẽt se id est, abirent. Nã & alias in hoc libro *educere se* posuit, pro abire & recedere.

Et cum magna solicitudine præmisissent illos:) καὶ μετὰ σπουδῆς προπέμψαντες αὐτοὺς, id est, & studiose deduxissent illos. Nam προπέμπω nõ solum est *præmitto*, sed etiam honoris gratia abeuntem comitor, & deduco cum pompa. Quæ significatio hic magis conuenit. Non enim præmiserunt eos, cum tunc non intenderent sequi: sed verisimile est plerosque eos deduxisse honorifice, ad spatiũ aliquod. Et quod sequitur. *Consequebantur illos pœnitentiæ actus.* vtendum erat *cõsequerentur illos pœnitentiæ actus* Hęret enim hæc sententia cum *præsciebat*. vt sit sensus. Sciebat quod post dimissionem, insequerentur illos Est autẽ Græcè διώξουσι μεταμεληθέντες, id est, persequerentur pœnitentia ducti. Accipitur autem hic *pœnitentia* in malam partem, pro dispiscentia eius, quod alioqui bene erat factũ.

Ducebat enim illos:) Nõ est Græcis *ducebat* sed quod est efficacius εἷλκε, id est, traxit. *Necessitas* autem de qua loquitur, est necessitas ordinationis diuinæ, & iudicij eius iusti.

Commemorationem amittebant:) ἀμνηστίαν ἐνέβαλεν, id est, obliuionem immisit. scilicet necessitas illa. Eodem redit sensus.

Omnis enim creatura ad suũ genus ab initio refigurabatur: ὅλη γὰρ ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο. hoc est, tota enim creatura in suo genere rursum de super (vel ab initio) refingebatur. Significare vult, vniuersam creaturam, in gratiam Israelitarum, ita trãsmutatam, vt rursum à Deo videri possit reformata, à quo semel facta fuerat.

Et ex aqua quæ ante erat, terra arida apparuit:) ἐκ προϋφεστῶτος ὕδατος ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη, id est, ex aqua quæ prius stabat super terram, aridæ terræ emersio apparuit vel conspecta est.

Campus germinans de profundo nimio:) χλοηφόρον πεδίον ἐκ κλύδωνος βιαίου, est Cãpus viridẽ herbam proferens, ex fluctu, vel tẽpestate vehementi. Quod autem dicitur de campo germinante, & proferente viridem herbam, intelligendũ per hyperbolem dictum: nimirum quod via illa in mari fuerit illis loco campi germinantis, eo quod cum summa alacritate & lætitia per eam transierint Hebræi.

Mirabilia, *& mõstra* θαυμαστὰ τέρατα, id, est admiranda prodigia, sine coniunctione. *&*.

Depauerunt escam) ἐνεμήθησαν, id est, pasti sunt. Significat eos, in vasta solitudine, optimè enutritos à Deo, instar equorum & agnorum, qui in pinguissimis & amœnissi. pascuis pascuntur

Nouissime autem viderunt:) pro *nouissime* est ἐφ' ὑστέρῳ id est deinde, postea, & pro *creaturã*, rursũ sicut in cap. 3. est γένεσιν, id est, generationẽ. pro *escas epulationis*, est ἐδέσματα τρυφῆς, id est, escas delitiarum.

In allocutione enim desiderij:) εἰς γὰρ παραμυθίαν, hoc est, ad consolationem enim. Sed etiam supra *allocutionem*, posuit, pro consolatione.

Ex vexationibus peccatoribus superuenerũt:) Nouę sententiæ initium hic deberet punctatio indicare. Post enim exẽpla varia, beneficia Israeli præstita, cum mutatione naturæ, rursum incipit de Ægyptiorum vltione disserere. Pro *vexationes* autẽ, est τιμωρίαι id est supplicia. Loquitur autem de extrema vltione Aegyptiorum, quam didit factam, non sine *argumentis*, id est, indiciis præcedentibus, *per vim fulminum. Fulminum* enim esse legendum, & nõ vt quidam habent *fluminum* Græca docẽt: quæ habent κεραυνῶν, id est, fulgurum. Loquitur autem de fulminibus, quæ processerunt mox secutam Aegyptiorum submersionem

Et enim detestabiliorem, inhospitalitatem instituerunt Pro *instituerunt* est ἐπετήδευσαν, id est, exercuerũt. & pro *detestabiliorem*, est χαλεπωτέραν, id est, grauiorem & minus ferendam. Cum autem per comparatiuum hic dicatur inhospitalitatem Aegyptiorum grauiorem fuisse: videndum, cũ quorum hospitalitate, cõparare voluerit Aegyptiorum inhospitalitatem. Et ex sequentibus satis patet, authorem Aegyptios comparare voluisse, cum Sodomitis: qui & ipsi perierunt ob inhospitalitatem suam, aut sæuitiam in hospites. Nam pro *inhospitalitatem* hic Græcè est, μισοξενίαν, id est, odium hospitalitatis. Itaque quod præcedit de *indicijs præcedentibus per vim fulminũ*, puto magis intelligẽdũ de fulminibus, quibus perierunt Sodomitę: ex qua vltione vult Aegyptios merito debuisse agnouisse diuini iudicij seueritatem in peccatores, & singulariter in hospitales. Comparat enim & vltionem Aegyptiorum, cum vltione Sodomitarũ: quorum hi igne illi aqua similiter periẽrũt, ob vtrorumque inhospitalitatem. Quod non aduertens interpres, quoniam obscurè satis dicitur, sequentia non est assecutus, cum vertit.

Alij quidem ignotos non recipiebant aduenas. Alij autem bonos hospites in seruitutẽ redigebant. quæ Greci sic

ci sic, habent *οἱ μὲν γὰρ τὸν ἀγνοῦντας οὐκ ἐδέχοντο, παρόντας οὗτοι, δὲ εὑρεγέτας ξένους ἐδουλοῦντο*, hoc est Siquidem illi (nempe Sodomitæ, ignorantes hoc est qui secum non habebant familiaritatem) non admittebant esse præsentes: isti vero nẽpè Aegiptij, benefactores hospites in seruitutẽ redigebãt. Sic ergo declarat horũ inhospitalitatẽ grauiorẽ fuisse inhospitalitate Sodomitarũ. Dicit autẽ Hebræos *hospites benefi.cos* propter Ioseph qui fuit saluator Aegyptiorũ.

Et non solum hæc sed & alius quidem respectus illiorum erat:) Græca sic, *καὶ οὐ μόνον ἀλλ' ἦτις ἐπισκοπὴ ἕτερα ἀυτῶν*, hoc est, ad verbum. Et non solum, sed aliqua inspectio erit eorum, quæ sic intelligo. Non solũ prædicto modo obseruari potest inhospitalitatis Aegyptiorũ sæuities: sed etiam obseruanda est ex eo quod dicam, &c. Tria scripta non habebant, *erat* sed futurum *erit*, quemadmodum habent Græca. Duo habebant non, *quidem*, sed *quis*, id est, aliquis. nisi quod in vno erasa litera *s* recenti manu additum fuit *dem* Vnde patet satis interpretem nõ *quidem* vertisse sed *quidam*, vel *quis*. Porro: quid sit quod in eis est obseruandum, aperit cum subiicit *quoniã inuiti* (vel vt habent Græca *ἀπεχθῶς*, id est, odiose & molestè (*recipiebant extraneos* (nẽpe non Sodomitæ, sed Aegiptij) & quod peius est, quum prius cum lętitia & festiuis gaudiis recepissent Hebræos, eosdem postea, etiam cum iam eisdem secum legibus fuissent vsi gratiter afflixerunt. Hic est enim sensus huius sentẽtię. *Qui autẽ cũ lætitia, &c.* quã Græca clarius habent, hoc modo, *οἱ δὲ μετὰ ἑορτασμάτων ἐσπεδεγμένοι, τὸς πάλαι τῶν αὐτῶν μετοχήτους φιλανθρώπως, οἷσπερ ἐκάκωσαν πόνοις*, id est, Cumautẽ suscepissent solennibus gaudiis, eos qui iam earundem legum secum facti fuerant participes, grauibus afflixerũt laboribus. Significat Hebręos prius festiuiter susceptos ab Aegyptiis, quũ Iacob cum suis ingrederetur Aegyptum: & postea vero, & quidẽ cum iam in ipsorum transissent Rempublicam, & eodem vterentur iure: ab eis fuisse laboribus iniustis subiectos, contra ęquitatem omnem, & reip. iura. In nostra lectione pro *institutis* (vt habent multi libri) tria scripta habebant *iustitiis*, quomodo verisimile est interpretem vertisse: eo quod Grecè sit *δικαίων* quod hic in neutro genere, accipi debet, pro iuribus & legibus. Vnde etiam rectè legitur *institutis*. quamuis non putem illam esse versionem interpretis Quod si *iustitiis* legatur, pro iuribus & legibus est accipiendum.

Percussi sunt autẽ cæcitate:) Græcis additur coniuncto *καὶ*, vt sit. Percussi sunt autem etiam cæcitate, sicut illi, scilicet, Sodomitæ. Vnde patet eum etiam prius comparare voluisse Aegyptios cum Sodomitis Quando autẽ Aegyptij cæcitate sunt percussi, explicat cũ subiungit: *Cum subitaneis essent cooperti tenebris vnusquisque transitum ostij sui quærebat.* Non enim illud De Sodomitis est accipiendum vt vult Lyra, intelligẽs de ostio Loth dictum, sed de Aegyptiis; quoniam Græcè est: quoniam vnusquisque transitum portarum suarum quærebat. Supereſt autem in nostra lectione verbum *essent*. quod in Græcis non est, & quo omisso, cum sequenti hæreret illud, *subitaneis cooperti tenebris* pro quo Græcè est, *ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει*, id est, immensis circundati tenebris.

In se enim elementa, &c. vsque ad, *vnde æstimari:*) Locus hic obscurus est etiam apud Græcos. qui sic habẽt, *δὲ ἑαυτῶν γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα, ὥσπερ ὀν ψαλτηρίω φθόγγοι τοῦ ῥυθμὸς τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι, πάντοτε μενοντα ἤχω* vbi illud *ἤχω*. puto esse datiuum, vt desit punctus, & scribendum sit *ἤχῳ*. vt sic verti possit. Dum enim elemẽta per sese conglutinata transmutantur (supple sic se habent) quemadmodum in Psalterio soni, modulationis nomen permutant semper permanentia in sono. Oportet enim subintelligere, sic se habent ad aliud simile, eo quod oratio sit imperfecta, nec altera similitudinis pars absoluatur; quod etiam Nicolaus in nostra lectione aduertit. Significatur autẽ, quod quemadmodũ in musico instrumento, sonus, ex variatione modulationis, aliud & aliud nomen sortitur, ita etiam elementa, ad Dei volũtatem, aliam & aliam habere naturam & conditionẽ, ex diuersa ipsorum inter se coniunctione, quemadmodũ in sequẽtibus declarat.

Vnde æstimari ex ipso visu certo potest. ὅπερ ἐστὶν ἐνδύσαι ἐκ τῆς τῶν γενομένων ὄψεως ἀκριβῶς, id est, quod est æstimare exacte ex rerum factarum visione. Duo scripta pro *æstimari potest* habebant *est æstimare*, quamuis idem sit sensus. Ex Græcis constat melius legi apud nos, *Ex ipso visu certo*, vt certo sit aduerbium, quam *ex ipso certo visu*. quomodo plerique libri habent.

Agrestia enim:) pro *agrestia* est *χερσαῖα*, id est, *terrestria in aquatica transmutabantur*: quomodo sci licet homines & pecora transibant per mare rubrum, locum piscibus deputatum.

Quæcunque erant natantia:) Non est Græcis *quæcunque*: sed tãtum *νηκτά*, id est, natatilia. Loquitur autem de ranis, quę egressę fluuium, intrabant Aegyptiorum domos.

Non vexauerunt carnes coambulãtium:) *οὐκ ἐμόχθησαν σαρκὸς ἐμπεριπατούντων*, id est, Non fecerunt marcescere carnes ambulantium in eis, hoc est, quod prius dixit cap. 16. *Quodam tempore mansuetabatur ignis ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia.*

Neque dissoluebant:) Græca hic videntur corrupta. Vtraque enim editio habebat *οὐδὲ τηκτὸν προσαλλοφθεῖες ἐυτηκτον γένῳ*, Male enim cum substantiuo *γένῳ* hęrent duo illa adiectiua *τηκτον*, & *ἐυτηκτον*, legẽdum videtur quomodo interpres se legisse declarat: *οὐδὲ ἐτηκον*, id est, neque liquefaciebant. Porro pro *bonam escam* est *ἀμβροσίας τροφῆς*, id est, diuinã escam. Loquitur enim de Manna, qui dicitur panis Angelorum, & panis cœlestis.

FINIS.

Commentarius R. Domini Ianseny, Episcopi Ganduensis in librum Sapientiæ Salomonis, nihil continet quod non seruiat ad promotionem fidei Catholicæ.

Arnold. Massius

IN ECCLESIASTI-
CVM COMMENTARIA
ACCVRATISSIMA
CORNELII IANSENII, EPISCOPI GANDAVENSIS:

In quibus hoc præstatur, vt, quamplurimis locis suæ integritati restitutis, vera lectio retineatur, & vt ex collatione facta cum originalibus Græcis, Sententiarum sensus habeatur, qui illis consentiat, aut quam proximè accedat.

ILLVSTRISSIMO AC RE-
VERENDISSIMO D. DOMINO ANTONIO PERENOTO GRANVELLANO, S.R.E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO MECHLIniensi, &c. Cornelius Ianſenius.

LAVDANTVR non immeritò Illuſtriſſime & Reuerēdiſſime Domine, qui bonis authoribus (quorum ſcripta poſteritati relicta, temporis iniuria aut librariorum inſcitia vel negligentia corrupta erant) reſtituendis operam diligentem impēderunt, eóſque ſuo natiuo ſplendori reddiderūt. Id qui præſtiterūt in Plauto, Terentio, Virgilio, aliiſque ſimilibus ſcriptoribus reſtituendis, ſi ſua laude non fruſtrantur, quantò magis qui ſimilia conantur in ſcriptis tantò vtilioribus, quāto diuinioribus, his ſcilicet quæ à diuino illo ſpiritu nobis profecta ſunt, ad Dei voluntatem diuinaque opera cognoſcenda, non ſolùm non ſunt vituperandi, ſed ſumma laude proſequendi. Imò verò ſtudium quorūdam authoribus prophanis exornandis impenſum, eorum qui ſacris literis incūbunt, nō paruam coarguit oſcitantiam ac negligētiam, quod pro eiſdem non talem ſubeant laborem, qualem illi pro ſuis ſuſcipere non ſunt grauati: Nam & in ſacris ſcripturis multæ irrepſerunt quorūdam ſcriptorum vitio mendæ, & pleraque ſic verſa ſunt, vt commodus ac verus ſenſus hinc non facilè percipi queat, ſed pro cuiuſque capite longè alio rapiantur, quàm authoris patitur intentio. Id cùm obſeruare liceat in pleriſque Sacrorum Bibliorum partibus, tum maximè omnium accidit in eo, qui dicitur Eccleſiaſticus, libro. Qui cùm ſit omnium iudicio vtiliſſimus, adeo vt Græcis dicatur παντόφελος, quòd omnem hinc virtutem haurire liceat, tamen præ cæteris ſacræ ſcripturæ libris, & infœlicius apud nos verſus eſt, & corruptiſſimus eſt in pleriſque locis. Quanquam enim certum ſatis ſit pleraque veteris teſtaméti nos legere ex verſione D. Hieronymi, nullo tamen modo veriſimile eſt nos retinere in Eccleſiaſtico eius verſionem, ſicut nec in eo qui dicitur, Sapientia Salomonis, quos duos etiam non conſtat an aliquando D. Hieronymus verterit vel reſtituerit. Adeo enim obſoleta quædam & dura in his libris occurrūt verba, adeo incommodè quædam tranſlata ſunt, vt illius eſſe noſtram qua vtimur lectionem, nēmo facilè in animum duxerit. Has ob cauſas nō inutiliter quidam hoc noſtro ſæculo nouam ex Græcis fontibus verſionem huius noſtri Eccleſiaſtici mundo ædiderunt, quæ cū originalibus magis conueniret, & clarior eſſet atque elegantior. Verùm cùm & Græca inter ſe in hoc libro maximè varient, vt nuſquam magis, & vulgatæ noſtræ verſioni ob ſuam antiquitatem, & iuſtiſſimam Conſilij Tridentini approbationem ſuus ſit honor, quatenus fieri poteſt, ſeruandus: ſanè vulgata huius libri lectio non temerè reiicienda eſt, ſed ea retenta omnibus modis iuuanda eſt, & exornanda. Itaque cùm poſt publicam Parabolarum Salomonis explanationem, quam ante annos penè duos iam emiſimus, à ſtudioſis rogaremur, vt etiam Eccleſiaſticum aggrederemur publicis explicare lectionibus, quòd is liber vt ſimiles, ita non inferioris mométi ſententias cōtinere videretur, & pauciſſimos, vt non dicam nullos haberet commentatores magni ponderis, facilè paſſus ſum me adduci vt illorum acquieſcerem petitioni, idque eō magis, quòd amore veritatis & integritatis à multis prius annis conatus fuerim reſtitutioni huius libri manus apponere, eò quòd viderem illum in ſeſe vtiliſſimum incommodum factum vſui, ob verſionis aſperitatem, & multorum locorum deprauationem, librariorum inſcitia, & multa eorum qui vigilare debebāt incuria inductam. Collectis ergo vndequaque aliquot antiquis exemplaribus manu deſcriptis, & correctiſſimis Bibliis impreſſis, ſimul & collatione diligēti habita cum Græcis codicibus, iuxta morem à nobis in aliis noſtris Commentariis ſuper Prouerbia & Pſalmos obſeruatum, aggreſſi ſumus abſoluere quod petebatur, & diu in votis nobis fuit. Et quanquam deprehenderimus opus hoc difficillimum eſſe & admodum laborioſum, tamen laborem & difficultatem ſolabatur non parùm, quod ex collatione prædicta reperiremus innumera penè loca per nos reſtituta iri, & facilè oſtenſuros, pleraſque ſentētias longè alio ſenſu eſſe

ſu eſſe accipiendas,quam à quibuſdam intelligerentur.Inter deſcripta autem manu exemplaria, quibus vſi & adiuti ſumus, fuerunt potiſſimùm duodecim, quæ nobis præbuit eximius D. ac M. N. AVGVSTINVS HVNAEVS Regius apud Louanienſes Profeſſor, qui nullis parcens ſumptibus huiuſmodi ſibi exemplaria comparauerit, & ex librariorum manibus,quibus ad diſtrahendum pro librorum cõpactione erant tradita, pretio redemit. Item codex Beſſarionis Cardinalis,qui diligenter in Collegio Theologorũ,vbi tum præſidentem egimus,aſſeruatur.Codex item inſignis & elegans,quem nobis ſuppeditauit Collegium Atrebatenſe. Necnon & duo codices parua litera eleganter deſcripti, quos ſibi ex tuæ Illuſtriſs. Celſit. præclara Bibliotheca miſſos cõmunicauit eximius D. ac M. N. THOMAS GOZEVS. Quid autem hoc noſtro labore præſtitum ſit in reſtituendo & dilucidando hoc libro vtiliſſimo,malo ab æquis iudicibus legẽdo, & cõferendo cum his qui aliquid in hunc librũ ſcripſerunt,intelligi & iudicari,quàm multis meis verbis proſequi,quãdoquidem vel in prologo ſolo decem vt minimùm locacuique deprehẽdere licebit reſtituta,vt omittam dilucidationem quæ interpretãdo acceſſit,cùm prius intelligi à nemine poſſet.Cùm enim mihi in otio Louanienſis profeſſionis collegiſſem Commẽtarium, imò verius Annotationes quaſdam in hunc librum, antequam ad Epiſcopalem functionem mitterer, atque ſtudioſi poſt Commentarios noſtros in Prouerbia,& Paraphraſes in Pſalmos cum Annotationibus,vehementer expoſcerent,vt & ea quæ collegimus in Eccleſiaſticum,quæq; ex parte iam publicè docendo cœperamus auditoribus communicare,in lucem æderemus ad omnium vtilitatẽ, paſſi ſumus nobis perſuaderi,vt ſequeremur exẽplum authoris huius libri, qui de ſe in illo aliquoties dicit:Videte quoniã nõ mihi ſoli laboraui,ſed & omnibus exquirentibus veritatem.Quemadmodum & alius dixit de comparata ſibi ſapientia:Quam ſine fictione didici,& ſine inuidia communico,& honeſtatem illius non abſcõdo. Et ponam in lucem ſcientiam illius,& non præteribo veritatem,neque quidem cum inuidia tabeſcente iter habebo,quoniã talis homo non erit particeps ſapientiæ.Idque eo lubentius feci,quòd experirer hunc librum rectè intellectum hoc nomine etiam vtiliorem eſſe Prouerbiis Salomonis, quòd in pleriſque locis continuæ quædam eſſent vtiliſſimæ conciones de vna eadẽmque re, cùm in Prouerbiis ſingulæ ſententiæ,maximè à capite decimo,nouum contineant argumentum ſine aliqua cohærentia. Scio quidem quàm ſit periculoſum & inuidiæ obnoxium hoc noſtro ſeculo tale quippiam conari,quale in hoc libro conati ſumus,habet enim hoc noſtrum ſæculum & pleroſque doctiſſimos viros,qui fortè abſolutiora requirent quàm hic præſtiterimus.& multos æmulos,qui paratiores ſunt ad bonos conatus reprehẽdendum,quàm approbãdum,aut meliora exhibendum. At vt horum morſus,veritatis ſtudioſo ſunt contemnendi,ita pios & doctos precamur,vt apud ipſos nos excuſent occupationes paſtorales,quę operi vixdum abſoluto ſuperuenerũt,& adeo totos ſibi in noua functione, & Epiſcopalis ſedis noua erectione deuinxerunt, vt non liceret opus à nobis ſcriptum,ad incudem reuocare,& relegere diligentius,nec impreſſoribus ipſis adeſſe,ita vt ea in re aliena opera vti fuerimus coacti, quam nobis diligenter ſatis & aſſiduè, quãtùm mihi videtur,ſicut & in Paraphraſibus Pſalmorum,præſtitit inter alios Sacræ Theologiæ ſtudioſos,potiſſimùm nepos meus ex ſorore chariſſimus M. Ioannes Dalenus, Sacræ Theologiæ Bacchalaureus. Hic autem noſter labor multis ſanè nominibus tuæ Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ excellentiæ à nobis nuncupandus videbatur. Primùm,quòd noſtræ prouinciæ Archiepiſcopatus illi cõmiſſus eſſet, cuius proinde defenſioni & approbationi noſtra meritò dicanda erant.Deinde,quòd illud mererentur & præclarę eius virtutes,mihi à quo tẽpore ſimul Louanij ætate iuuenili ſtuduimus in celebri Caſtrenſi Gymnaſio,ſatis obſeruatæ, & beneficia in me ſummè declarata. Poſtremùm, quòd intelligerem T.Celſitudinem ſummopere delectari reſtitutione & correctione ſacrorum Bibliorum, adeo vt doctis quibuſdam negotium dederit incumbendi huic negotio,& operã ſuam impendendi,vt quàm emendatiſſimè correcta prodirẽt Biblia ſacra. Quod vt in Eccleſiaſtico hoc noſtro præſtare ſtuduimus, ita & in eo, qui dicitur Liber Sapientiæ, (in quo item habemus annotata plurima loca,reſtituenda à ſua corruptione) conati fuiſſemus efficere,niſi officium paſtorale,quod nos totos vendicat aſſiduè ſibi,nos deſiſtere coẽgiſſet. Accipe ergo Ampliſſime ſimul & Illuſtriſſime Vir, etſi Tuæ Celſitudini impar,tamen tuis votis reſpondens munuſculum,illúdque ſi pro tua prudentia probandum duxeris, tua authoritate etiã defendendum ſuſcipe:& ſi negotia patiãtur Romana,te diu expectatum ab omnibus bonis,iam tandem nobis redde. Deſiderant enim omnes vehementer vt aliquando paſtor reddaris tuis ouibus,quas hic in altiſſima tibi ſubiecta prouincia habes quamplurimas,vt tuo conſilio,prudentia & authoritate,collapſa reſtituantur apud nos,confuſa ordinentur,& quæ ſuperſunt adhuc bona conſeruentur,cum conſolatione & recreatione piorum: quod vt quàm citiſſimè fiat, Deum aſſiduè precamur,vt T.Celſitudinem nobis incolumem & ſeruet & reddat, cui nos ex animo commendamus. Gandaui 29. Iunij, 1569.

In Eccleſiaſt

In Eccleſiaſticum Proœmium.

IRCA libri huius authorẽ grauiter à pleriſque etiam vetuſtioribus erratum eſt. Omnino enim fatendum eſt hunc librum conſcriptum à Ieſu filio Sirach Ieroſolymita, quia id apertè aſſeritur in penultimo huius libri capite, poſt quod vltimũ caput titulum habet:Oratio Ieſu filij Sirach. Et totus liber apud Græcos titulum habet: Sapientia Ieſu filij Sirach.At circa hunc Ieſum filium Sirach multi errauerunt.Plerique enim exiſtimãt eum fuiſſe,cuius eſt prologus huic libro præmiſſus,qui in eo prologo dicit ſe auum habuiſſe nomine Ieſum, cuius diligẽtia excitatus ſit ad ſcribendum. Hanc ſententiam alter quidam prologus, qui eſt apud Græcos incerti authoris fusè explicat:in qua Ieſus ille auus,cuius prologus meminit,dicitur quędam à ſe conſcripta reliquiſſe filio ſuo Sirach, qui eadem filio ſuo eiuſdem cum auo ſuo nominis reliquerit,atque hunc relicta ab auo redegiſſe in volumen vnum,additis quibuſdam de ſuo,vel ab aliis, vt quidam volunt, deſumptis, & ideo hunc librum de ſuo appellaſſe nomine,& item aui ſui. Secutus eſt hanc ſententiam & Damaſcenus, grauis alioqui author, qui lib. 4. de orthodoxa fide cap. 18. ſcribit hunc librum, qui ſapientia Ieſu dicitur,patrem Sirach dictum Ieſus Hebraicè ſcripſiſſe, Græcè autem interpretatum nepotem Ieſu, filium Sirach. Similiter & Iſidorus,qui lib.1. de eccleſiaſticis officiis, cap.12.ſcribit,librum Eccleſiaſticum compoſuiſſe Ieſum filium Sirach Hieroſolymitam, nepotem Ieſu. Quidam recentiorum hanc ſententiam eò magis ſecuti ſunt, quod corruptè in prologo legerint:Volui & ipſe ſcribere aliquid horum:quaſi ipſe qui in prologo loquitur,hunc librum non tantum verterit,ſed etiam compoſuerit,cùm certum ſit legendum eſſe:Voluit & ipſe aliquid ſcribere:vt ad auum referatur, cuius librum Hebraicè ſcriptũ ipſe nepos apertè ſignificat ſe in Græcam vertiſſe linguam, quemadmodum in ea parte rectè aſſerit Damaſcenus. At quod iſte nepos libri interpres,non ſit ille qui capite penultimo dicitur Ieſus filius Sirach, & conſcripſiſſe hunc librum,nullo modo veriſimile eſt,ſed is potius eſt ille auus,cuius meminit prologus,& vocatur Ieſus.Primùm enim ineptè alioqui iſte nepos qui in prologo loquitur,ſibi hunc librum tribueret,vt de ſe diceret: Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Ieroſolymita:cùm huius libri, teſte nõ ſolũ Damaſceno,ſed etiam ipſomet prologi authore,non ipſe author fuerit,ſed tantùm interpres. Deinde in quibuſdam Græcis codicibus habetur illo capite, illum Ieſum filium Sirach fuiſſe filium Eleazari. Non ergo Ieſus filius Sirach ille eſt qui in prologo loquitur, & dicit ſuum auum fuiſſe Ieſum, cùm Ieſus filius Sirach auum habuerit Eleazarum,quem veriſimile eſt fuiſſe fratrem Simonis filij Oniæ, quem eo capite tantopere extollit, cui & teſte Ioſepho ſucceſſit in pontificatu, ſub quo Eleazaro, teſte eodem, facta eſt tranſlatio Septuaginta ad requiſitionem Ptolomæi Philadelphi. Itaque omnino certum videtur Ieſum filium Sirach eſſe non eum qui in prologo loquitur, ſed eum de quo prologus loquitur, auum eius qui librum ab auo ſuo conſcriptum Hebraicè,verterit Græcè,qui interpres quo nomine dictus ſit, ex Bibliis conſtare non poteſt. Quanquam fieri poteſt vt etiam ipſe dictus ſit Ieſus, & patrem habuerit Sirach, ſicut & auus ipſius, vt auus & nepos eiuſdem fuerint nominis, & ſimiliter vtriuſque pater,Sirach dictus ſit,vt & qui hunc librum ſcripſit Hebraicè,dictus ſit Ieſus filius Sirach,& huius nepos qui eum vertit Græcè,etiam dictus ſit Ieſus filius Sirach, vt vera ſit ſententia Damaſceni, quæ tamen ex Bibliis probari non poteſt. Certè eum qui prologum in hunc librum ſcripſit,non eſſe authorem huius libri, ſed tantùm interpretem, vel ex eo etiam probari poteſt, quòd hic prologus in quibuſdam Bibliis ſcriptis omittatur, nimirum quòd non pertineat ad libri authorem,ſed tantùm ad interpretem eius,ſicut prologi D.Hieronymi libris à ſe verſis præmiſſi, in quibuſdam libris omittuntur, tanquam non pertinentes ad ſcripturam canonicam. Vnde & commentatores quidam hunc prologum non attingunt, nominatim Rabanus & Dionyſius Carthuſienſis. Ex his manifeſtè intelligi etiam poteſt & alius minus tolerabilis error, qui eſt de illo Ieſu cuius in prologo fit mẽtio. Nam ſunt qui ex ſententia Iſidori putant illum Ieſum fuiſſe ſummum ſacerdotem filium Ioſedech,cuius cum Zorobabel fit mentio apud Aggæum,Zachariam & Eſdram.Id autem verum non eſſe, præterquam quod ſuperiora conuincunt, quibus oſtenditur Ieſum illum fuiſſe filium Sirach, etiam temporis ratio ſatis demonſtrat.Nam nepos illius Ieſu, cuius fit mẽtio in prologo,dicit ſe vixiſſe tẽpore Ptolomæi Euergetis,qui ſucceſſit in regno Ægypti fratri ſuo Ptolomæo Philadelpho, ſub quo præfuit in Pontificatu apud Iudæos Eleazarus, vt dictum eſt.A Ieſu autem filio Ioſedec vſque ad Eleazarum pontificem fuit ſucceſſio nouem pontificum, & anni plus quàm 250.Nullo ergo modo veriſimile eſſe poteſt interpretem huius libri,nepotem fuiſſe Ieſu filij Ioſedec,cùm etiam poſt tempora Eleazari pontificis verterit hunc librum, trigeſimo octauo ſcilicet anno regni Euergetis,vt videtur ex prologo.Ex eadem tẽporis ratione bene obſeruata,nõ eſt multùm probabile etiam illud quod quidam putant Ieſum illum,cuius in prologo fit mentio,fuiſſe vnum ex Septuaginta interpretibus, maximè ſi verum ſit Eleazarum pontificem fuiſſe auum illius, vt ex Græcis libris quidam intelligunt.Cùm enim Eleazarus pontifex is fuerit,vt ex Ioſepho patet, qui Ptolomæo regi miſit 70.viros ſeniores,qui illi ſacros libros Græcè interpretarentur,non eſt veriſimile ipſum miſiſſe nepotẽ ſuum Ieſum,qui tunc ſenior eſſe non potuit,ſed iuuenis. Alioqui ſi auus huius Ieſu nõ fuerit Eleazarus ille pontifex, ſed alius quiſpiã vel alio vel eodem

nomine dictus,optimè cõuenit cum temporis ratione,vt fuerit vnus ex Septuaginta interpretibus, qui fuerit ſenior tempore Ptolomæi Philadelphi, cuius nepos ſub Euergete ſucceſſore Philadelphi hunc ſuum librum verterit. Vtut eſt, conſtat Ieſum illum,qui hunc librum Hebraicè ſcripſit,fuiſſe circa ea tempora quibus vixerũt Septuaginta interpretes ,at que huius libri interpretem fuiſſe circa tempora Machabæorum, aut paulò ante. His præmiſſis,prologus qui partim ob duram verſionem,partim ob noſtrę lectionis corruptionem obſcurus eſt,ſicut & totus liber,facilius intelligi poterit,cuius inſcriptio talis eſt.[Prologus in Eccleſiaſticum Ieſu filij Sirach.] Quæ ipſamet inſcriptio apertè oſtendit aliũ eſſe authorem huius prologi, alium authorem ipſius libri. Non enim ſi author prologi eſſet ipſemet Ieſus filius Sirach,vocaret hanc præfationem,prologum in Eccleſiaſticum Ieſu filij Sirach, ſed prologum Ieſu filij Sirach in ſuum Eccleſiaſticum. Eccleſiaſticus autẽ hic liber dictus eſt à Latinis, ad imitationem & ſimul diſtinctionem libri Salomonis, qui Eccleſiaſtes dicitur,quòd eccleſiæ ædificandę plurimùm vtilis ſit:ſicut & Grȩcis dictus eſt πανάρετος,quòd omnium virtutum & morum doctrinam contineat. Apud quos & Sapiẽtiæ Ieſu filij Sirach titulum habet,ad diſtinctioné eius qui Sapientia Salomonis dicitur.Apud Hebræos autem D.Hieronymus teſtatur hunc ſe reperiſſe prænotatum titulo Miſle, eodem ſcilicet quo parabolæ Salomonis prænotatæ ſunt,quarum hic omnimoda eſt imitatio.

IN ECCLESIASTICVM IESV FILII SIRACH PROLOGVS.

MVltorum nobis & magnorum per legem & prophetas alióſque qui ſecuti ſunt illos, ſapientia demonſtrata eſt, in quibus oportet laudare Iſrael doctrinæ & ſapientiæ cauſa, quia non ſolùm ipſos loquentes neceſſe eſt eſſe peritos,ſed etiam extraneos poſſe & diſcentes & ſcribẽtes, doctiſsimos fieri. Auus meus Ieſus, poſtquam ſe amplius dedit ad diligentiam lectionis legis,& prophetarum,& aliorum librorum qui nobis à parentibus noſtris traditi ſunt, uoluit & ipſe ſcribere aliquid horum quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent,ut deſiderantes diſcerent,& illorum periti facti,magis magiſque attendant animo,& confirmentur ad legitimam uitam.Hortor itaque uenire uos cum beneuolentia & attentiore ſtudio lectionem facere, & ueniam habere in illis,in quibus uidemur ſequẽtes imaginem ſapientiæ,& deficere in uerborum compoſitione. Nam deficiunt & uerba Hebraica quãdo fuerint tranſlata ad alteram linguam. Non autem ſolùm hæc,ſed & ipſa lex & prophetæ, cæteráque aliorum librorum non paruam habent differentiam quando inter ſe dicuntur. Nam in octauo & triceſimo anno tẽporibus Ptolemæi Euergetis regis,poſtquam perueni in Aegyptum, & cùm multum tẽporis ibi fuiſſem, inueni ibi libros relictos non paruæ neque cõtemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & neceſſarium putaui & ipſe aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum iſtum: & multa uigilia attuli doctrinam in ſpatio temporis ad illa quæ ad finem ducunt librum,dare & illis qui uolunt animum intẽdere & diſcere,quemadmodum oporteat inſtituere mores,qui ſecundùm legem Domini propoſuerint uitam agere.

M*Vltorum nobis & magnorum per legem & prophetas, &c.*] Apud Græcos hoc principium,vt & ſequentia,longè eſt clarius,& cõmodiorẽ habet ſenſum,qui hoc modo reddi poteſt: Cũ multa nobis & magna per legẽ & prophetas alióſq; qui illos ſecuti ſunt, tradita ſint propter quę laudãdi ſunt Iſraelitæ,doctrinæ & ſapientiæ nomine, & quia non ſolùm ipſi hinc poſſint legẽdo docti euadere, ſed etiã ſi ſint ſtudioſi, poſſint exteris vtiles eſſe & dicẽdo & ſcribendo, auus meus Ieſus cũ ſe multum dediſſet lectioni legis & prophetarum, &c. Itaque non eſt perfecta ſententia ante: Auus meus Ieſus: ſed eouſque pendet, & indicatur cur auus ſuus animum ad ſcribendum impulerit, nempe exemplo præcedentium,qui æditis libris, Iſraelitis ſapientiæ occaſionem reliquerint, non vt ipſi tantum legẽdos libros Hebraicos docti poſſent euadere,ſed vt etiam ipſi extraneis,hoc eſt gentibus, poſſent & dicẽdo & ſcribendo vtiles eſſe. Eandem penè ſentẽtiam habebit noſtra lectio, ſi cũ dicitur, ſapientia demonſtrata eſt,omittitur verbum,eſt,ſicuti in vno codice antiquo manu ſcripto inueni omiſſum, vt dictiones illæ, ſapientia demonſtrata,ſint ablatiui abſolutè poſiti, quomodo veriſimile eſt noſtrum interpretem trãſtuliſſe, quia in Græcis ſunt genitiui abſolutè poſiti. Certè noſtram lectionem propter longum hyperbaton vitiatã vel ex eo veriſimile eſt, quòd in quibuſdã libris, teſte Hugone Cardinale, pro, ſapientia demonſtrata eſt, legatur, ſapientiam demonſtratam eſſe. In vno manu ſcripto vidi ſcriptum, ſcimus ſapientiam demonſtratam. Sunt & aliæ in principio hoc corruptiones. Nam pro loquentes, puto legẽdum,legentes. Sic enim veriſimile eſt interpretem vertiſſe, cum ſit Græcè, ἀναγινώσκοντας, quod nullo modo loquentes ſignificat, ſed legentes, quamuis loquentes, habeant omnes libri quos vidi. Iam pro diſcentes, vt habent multi libri, certum eſt legendum eſſe, dicẽtes, quia ſic habent etiam multi libri,& concordat ea lectio cum Græcis, quæ habent, λέγοντας. Itaque noſtræ lectionis correctæ ſenſus eſt: Cùm nobis ſit multorum & magnorum virorum, vel multarum & magnarum rerũ per legem & prophetas ſapientia demonſtrata, propter quos vel propter quę oportet laudare Iſraelem ſapientiæ & doctinæ cauſa,nimirum quia non ſolùm ipſos qui legunt tales libros, aut qui loquũtur ea lingua qua illi libri ſcripti ſunt, neceſſe eſt eſſe peritos,ſed etiam per eorum inſtructionem qui hos legere poſſunt extranei & linguæ Hebraicæ rudes, poſſunt & dicendo & ſcribẽdo doctiſſimi fieri; cùm hæc, inquam,ſic ſe habeãt,auus meus Ieſus poſtquam ſe amplius, hoc eſt, multùm ad diligentiam lectionis, hoc eſt, diligẽtem lectionem legis & prophetarum dediſſet,voluit & ipſe

ipſe

ipſe aliquid ſcriberè, &c. Ibi enim primùm incipit compleri ſentẽtia, & legendum eſſe, voluit,& non,volui,quod quibuſdam impoſuit, patet ex originalibus quæ habent,προήχθη, adductus eſt, vnde & correctiora tum impreſſa tum ſcripta habent,voluit.

Vt deſiderantes diſcere.] Paulò aliter Græca, vt ſtudioſi (hoc eſt, deſiderantes diſcere) & his dediti,vel horum participes facti, multò amplius addant per legitimam vitam, hoc eſt, eam quæ ſecundùm legem Dei peragitur. Græcè enim eſt, ἔνοχοι τουτῶν, quod quidam iam vertunt,his dediti,quia, ἔνοχος, obnoxium ſignificat.Verùm, quia cum genitiuo conſtruitur, cum alioqui, quando obnoxium ſignificat,cum datiuo conſtruatur,alij poſitum putant pro, μέτοχοι, vt ſit participes horum, ad quod videtur reſpexiſſe noſter interpres cùm vertit, deſiderantes horum periti fieri.

In quibus uidemur ſequentes imaginem ſapientiæ, & deficere in uerborum compoſitione.] Supereſt coniunctio,&, quæ ſenſui obeſt. Et pro,ſequentes imaginem ſapientiæ, &c. Græcis eſt, τῶν κατὰ τὴν ἑρμηνείαν πεφιλοπονημένων τισὶ τῶν λέξεων ἀδυναμεῖν. Itaque ſenſus eſt: In quibus videmur deficere ab elaboratis in interpretatione dictionibus, hoc eſt, ſi minus aſſecuti eſſe videamur vim quarundam dictionum, quas interpretando exprimere conati fuerimus. Sequi ergo imaginem ſapientiæ dicit: conari exprimere eam ſapientiam, quæ ſeſe clarius exhibet in originalibus. Si autem placet legere: Et deficere,participium, ſequentes,pro infinitiuo poſitum accipi debet, vt, videmur ſequentes, ſit dictum, pro, videmur ſequi, & ſit ſenſus: In quibus videmur tantum ſequi imaginem ſapientiæ,non autem aſſequi.

Nam deficiunt & uerba Hebraica, &c.] Deficiunt legendum eſt, non deficient. Et ſuperflua eſt atque expungenda coniunctio, &, quæ non ſolùm non eſt in Græcis, ſed nec in multis antiquis ſcriptis. Habent autem Græca hanc ſententiam clarius ſic: οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς ἑβραϊστὶ λεγόμενα, καὶ ὅταν μεταχθῇ εἰς ἑτέραν γλῶσσαν, hoc eſt, Non enim hæc ipſa eandem vim habent,cùm in ſeipſis Hebraicè dicuntur, & cùm tranſlata fuerint in alteram linguam. Itaque cùm dicuntur apud nos verba Hebraica tranſlata deficere, ſenſus eſt:ea iam tranſlata non habere in ea lingua in quam transfuſa ſunt, eam vim quam habent in ſeipſis. Hæc ſanè ſententia cum ſequenti inſinuat ſatis,quàm ſit cognitio linguæ ſacræ neceſſaria ei qui exactè vetus teſtamentum vult intelligere, eiúſque medullam aſſequi. Nam vt ſequitur: Non ſolùm hæc,quæ ſcilicet ab auo meo Hebraicè ſcripta, vertenda ſuſcepi, ſed & ipſa lex & prophetæ, & cætera librorum (nam, aliorum, vt non habent Græca, ita nec multi manu ſcripti) quando inter ſe dicuntur, hoc eſt, quando ſua lingua, Hebraica ſcilicet dicuntur, non paruam habent differentiam, ab alia ſcilicet lingua, in quam transfuſa ſunt.

Nam in octauo & triceſimo anno temporibus Ptolomæi Euergetis.] Dubium eſt an de anno ſuæ vitæ iſtud dixerit,vt quidam intelligunt,an de anno vitæ vel regni ipſius Ptolomæi, vt alij. Prius veriſimile eſt, quia additur, temporibus Ptolomæi, vel, vt eſt Græcè, ἐπὶ τοῦ εὐεργέτου βασιλέως, hoc eſt, ſub Euergete rege. Nam, Ptolomæi, non eſt Græcis. Cùm autem reges Ægypti, qui regnauerunt poſt Alexãdrum,omnes à primo rege Ptolomæo Lagi filio dicti ſint Ptolomæi, cognomen aliquod ſinguli ſibi ad diſtinctionem aſſumſperunt. Itaque ſecundus dictus eſt Philadelphus, quaſi amator fratris, ſub quo facta eſt ſacrorum librorum verſio: Huius frater ſucceſſor eius,dictus eſt Euergetes, quaſi benefactor. Huius tempore, ſecuti & fratris, Iudæi ſatis fœliciter habitauerunt in magna multitudine in Ægypto, vt patet ex Ioſepho, vt mirum non ſit hunc interpretem in Ægyptum ſeceſſiſſe, ac multò ibi tempore moratum: id enim ſignificat, cùm dicit, συγχρονίσας, hoc eſt,ibi aliquandiu commoratus,pro quo vertit noſter,cùm multum ibi temporis fuiſſem, vel,vt habent alij libri, feciſſem.

Inueni ibi libros relictos non paruæ neque contemnendæ doctrinæ.] Græcis eſt, εὗρον οὐ μικρᾶς παιδείας ἀφόμοιον, hoc eſt, vt quidam vertunt, inueni non paruæ eruditionis exemplar. Alij libri non habent, ἀφόμοιον, ſed, ἐφόδιον, quod ſignificat ſubſidium,vt ſit: Inueni non paruæ eruditionis ſubſidium. Quod rectè intelligitur de ſubſidio librorum celeberrimæ illius bibliothecæ quæ in Ægypto à Philadelpho fratre Euergetis extructa fuit. Ad quod & noſter interpres videtur reſpexiſſe, dum vertit, libros relictos, à Septuaginta ſcilicet interpretibus, quorum verſiones, & alia fortè ab eis ſcripta, vſui eſſe potuerunt & adiumento ad verſionem huius libri in linguam Græcam perficiendam. Nam in hac verſione ſæpe ſequitur interpres Græcam Bibliorum verſionem, quæ extat nomine Septuaginta interpretum.

Addere diligentiam & laborem.] Vnum ſcriptum habebat, adhibere, quod magis conuenit cum Græca dictione, προσενέγκασθαι, hoc eſt, adferre

In ſpatio temporis.] ἐν τῷ διαστήματι τοῦ χρόνου, hoc eſt,in eo ſpatio temporis, quo ſcilicet ibi fui, & tantam opportunitatem nactus eram.

Ad illa quæ ad finem ducunt, &c.] Græca clarius ſic, πρὸς τὸ ἐπὶ πέρας ἄγοντα τὸ βιβλίον ἐκδόσθαι καὶ τοῖς ἐν τῇ παροικίᾳ βουλομένοις φιλομαθεῖν, hoc eſt, Ad hoc vt ad finem perducẽs hunc librum, ederem eum etiam his qui in vicinia (vel in exilio) volunt diſcere. παροικία enim verti poteſt vicinia, vt ſignificet interpres ſe ideo vertiſſe hunc librum, vt etiam vicini Græci, qui hunc librum Hebraicè intelligere non potuerunt,ex eo iam verſo vtilitatem perciperent, quia ſuperius dixit Iſraelitas etiam poſſe extraneis prodeſſe. Poteſt & verti, exilio, vt ſignificet ſe voluiſſe prodeſſe Iudæis in Ægypto aut alibi extra Iudæam agentibus,& Grȩcæ iã linguæ magis aſſuetis quàm Hebraicæ. Itaque apud nos verbum, dare, coniungendum eſt cum, & illis,& ſit ſenſus:

Attuli

Attuli doctrinam ad illa quæ ad finem ducunt librum istum, dare & illis, hoc est, ad hoc vt darem illum etiam illis qui cum Hebraicè legere non possunt, cupiunt tamen discere. Vnde & quidam libri habent, & dare illis, quomodo & legit commentator in Glossa Ordinaria. Alij libri omnino non habent, &.

Quemadmodum oporteat instituere mores.] Græca Latinis obscuriora sunt. Habent enim, πρὸς κατασκευαζομένους τὰ ἤθη ὁ νόμῳ βιοτευειν, qui infinitiuus cum suo accusatiuo durè cohæret præcedentibus, proinde quidam putant subaudiendum, ἢ, vel ὡς, vt sit sensus: ad hoc vt præparati moribus viuant in lege, hoc est, secundùm legem. Videtur tamen infinitiuus posse referri ad verbum, φιλόμαθῆν, vt sit, volentibus discere viuere in lege se præparatos moribus. Ita sanè interpres nostræ lectionis videtur intellexisse. In qua quidam libri habent, instituere mores, alij instruere, verum id ad rem parum pertinet.

CAPVT



COMMENTARII IN ECCLESIASTICVM,

CAPVT PRIMVM.

***

1 *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & ante æuum,*

AGNA est in hoc authore imitatio parabolarum Salomonis, vnde sicut Salomon incepit à commendatione sapientiæ, docens vnde illa in homine sit, nempe à Deo, idq; per timorem Domini, ita & hic. Et quomodo ille ferè duobus membris singulas absoluit sententias, ita & iste maximè in originalibus Græcis, quæ in multis locis pauciora habent verba quàm nostra lectio, in qua partim ab interprete, partim ab aliis ex aliorum versionibus, videntur addita non solum verba, sed etiam integræ sententiæ, explicationis gratia. Sicut in hac prima sententia, Græca tantum habent, πάντα σοφία κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν τὸν αἰῶνα, hoc est, Omnis sapientia a Domino, scilicet est, & cum illo est in sæculum, vel in perpetuum. Addita ergo est dictio, Deo, in prima parte, & secunda pars duplici versione explicatur. Cum illo fuit semper, & est ante æuum, hoc est, seculum & temporis durationem. Est autem sermo de sapientia vera in genere, quatenus scilicet & Deo competit & homini, hoc est, qua & Deus cuncta sapiéter disponit, gubernat atq; cognoscit, & qua homo de Deo & creaturis eius rectè sentit, & sapienter suas actiones nouit disponere, vt finem ad quem creatus est, tandem possit consequi.

2 *Arenam maris & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?*

3 *Altitudinem cœli, & latitudinẽ terræ, & profundũ abyßi quis dimensus est?*

4 *Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit?*

PRo tribus his interrogationibus in Græcis tantum sunt duæ, quia sapientia in secunda interrogatione cõiungitur tribus, hoc modo: Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & abyssum, & sapientiam quis inuestigabit? Itaq; sapiens, sapientiam comparat tribus quæ numerari non possunt ab homine, & tribus quę mensurari non possunt, significans quod sicut illa nec numerari possunt ab homine, nec mensurari, sed tantum à solo Deo, ita nec sapientiam perfectè comprehendere quisquam potest præter Deum.

5 *Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo.*

DIcẽdum erat, Prima omnium, vel Prior omnibus. Porrò quemadmodum prolixè satis dictum est circa 8. ca. Prouerbiorum, creata dicitur sapiẽtia ante omnia, quia ante omnia subsitit, quemadmodũ secũdę huius sententiæ pars satis indicat. Si enim fuit ab æuo, nũquam ergo propriè creata fuit. Quod autem Sapiens tantum significare voluerit sapientiam ante omnia subsitisse, patet ex scopo eius. Ideo enim dicit eam ante omnia creatã, vt intelligamus per eam omnia creata, ad quod non requiritur aliud quàm eam ante omnia subsitisse. Deinde ne cum stultis philosophis crederetur mundus fortuitò & temerè incepisse esse, dicit ante omnia creatam sapientiam, volens significare Deũ ante omnem creaturam in mente sua concepisse rationes, secundùm quas mundum erat creaturus & gubernaturus, nẽmine eas rationes ei suggerente, aut consilium præbante.

6 *Fons sapientiæ uerbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.*

SEntentia hæc accipi potest vel de eo verbo Dei quo omnia creata sunt, & erit sensus: Verbum Dei quod in excelsis locutus est, eius scilicet ordinatio & iussio quo omnia subsistere fecit, est fons & origo eius sapientiæ quæ in creaturis relucet & ostenditur: & ingressus, vel, vt habent Græca, πορεῖαι αὐτοῦ, hoc est, viæ ipsius sapientiæ, sunt mandata æterna, hoc est rationes & modi, iuxta quos sapientia in creaturis gubernandis procedit, sunt fixæ & perpetuæ Dei constitutiones, iuxta illud: Ordinatione tua perseuerat dies. &: Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit. Vel potest accipi de eo verbo quo Deus quæ hominibus agenda sunt & credẽ-

da demonſtrauit,vt cùm ſuperiori ſententia ſit ſignificatum ſapientiam omnium creaturarum eſſe principium, hac iam inſinuetur vnde homini ſapientia ſit petenda,nempe à verbo Dei, cœleſti, & ab omni impuritate terreſtri immuni, quod continet mandata æterna fixa & immobilia,quæ ſunt ingreſſus & vię ſapiētię,hoc eſt rationes & modi iuxta quos ſapientia ingrediendum & viuendum exigit. Priori modo magis accipiēdum præcedentia & ſequentia requirunt, vt cùm ſuperiori ſentētia dictum ſit ſapientiam ante omnia ſubſtitiſſe, nunc ſignificetur quomodo ad creaturas producta ſit,& veluti profluxerit.

7 *Radix ſapientiæ, cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit?*

INterpres huius libri Græcus iis lubenter vſus eſt vocabulis, quibus interpretes Salominis. Itaque ſimul cum illis πανουργεύματα, & πανουργίαν, peculiari quodam vſu in laude poſuit, pro peritia, exercitatione & cautione, cùm ea vocabula magis malitiam notēt. Quærit cui reuelata eſt radix ſapientiæ, ſignificās nulli eam creaturarū reuelatam, quia nullus ſapientię originem,ciúſque vim perfectè cognoſcit. Radix enim ſapientiæ, eſt ipſemet Deus,cuius naturam nemo perfectè comprehendit,etſi quoſdam ramos ſapientiæ,homo vtcunq; ex Dei dono cognoſcat.Aſtutias ſapientiæ dicit, prudentes illas rationes, ſecundum quas omnia per Dei ſapientiam valde circumſpectè fiunt & gubernantur.

8 *Diſciplina ſapientiæ, cui reuelata eſt & manifeſtata? & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit?*

HVnc verſum & nulla habent Græca,ita nec quędam Latina ſcripta,nominatim Codex Atrebatenſis.Videri poteſt ad explicationem verſus pręcedentis ab aliquo fuiſſe margini aſſcriptus, ac deinde in textum relatus,quemadmodum veriſimile eſt factū in pleriſq; huius libri ſententiis,quę cùm legantur apud nos., non habentur apud Græcos.Diſciplina ſapientiæ, videtur poſita pro ea ratione quam ſapientia Dei ſequitur in omnium rerum diſpoſitione.Multiplicationem ingreſſus illius vocat, multiplicem & variam eius viam quam ſeruat.

9 *Vnus eſt altiſsimus creator omnium,omnipotens & rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius,& dominans Deus.*

GRæca & aliter habent quædam & pauciora, ſic: Vnus eſt ſapiens metuendus valde, ſedens ſuper thronum ſuum, Dominus. Et poteſt hæc ſententia ſeparatim accipi, vt ſignificetur vnum tantum eſſe verè & perfectè ſapientem atq; potentem, nempe Dominum. Aut refertur ad ſuperiora, vt ſignificetur ſolum Deum eſſe qui ea poſſit, de quibus ſuperius interrogatum eſt, Quis inueſtigauit? &, Cui reuelata eſt? Deum enim ſolum eſſe qui hæc poſſit,declarant ſequentia.Porrò in noſtra lectione relatiuum, illius accipi debet poſitum pro reciproco. ſuum. Non enim referendum eſt ad ſapientiam, cùm Græcis ſit maſculinum, αὐτοῦ. Frequens autem eſt àpud hunc interpretem,vt relatiuum reciprocum pro non reciproco ponatur,& contrà.

10 *Ipſe creauit eam in Spiritu ſancto, & uidit, & dinumerauit,& menſus eſt.*

GRæca non habent,in Spiritu ſancto,nec & menſus eſt, ſed tantùm, Ipſe creauit eam, & vidit, & dinumerauit eam. Et multi noſtri libri ſcripti nō habent,in, ſed tantùm, Spiritu ſancto.Creaſſe Deum ſapientiam dicit, quia ab æterno, nullo ei ſuggerente, in mente ſua concepit rationes,ſecūdùm quas mundum erat creaturus,& rationali creaturæ viuendi modum præſcripturus, vt ne putaretur ſapientiam alterius alicuius dono apud Deum fuiſſe.Rectè proinde dicitur Spiritu ſancto, ſcilicet ſuo eam creaſſe, hoc eſt ſua diuinitate & natura,quæ ab omni impuritate & vitio immunis eſt, vt intelligamus eam rationem qua Deus omnia facere diſpoſuit, omni carere vitio, & ob id omnia opera quæ inde prodierunt eſſe perfecta & irreprehenſibilia. Cæterùm tria illa,vidit,& dinumerat, & menſus eſt, reſpondent ſuperioribus interrogationibus. Nam ei quod quæſitum eſt, quis inueſtigauit, & cui reuelata eſt,reſpondet verbum,vidit. Illi,quis dinumerauit, reſpōdet dinumerauit.Ibi,quod ſuperius additum eſt ab interprete Latino, quis dimenſus eſt, reſpondet, quod hic ab eodem eſt additum,& menſus eſt. Quibus tribus ſignificatur Deum perſpectam & perfectam habere ſapientiæ cognitionē, quódque & numeratas & menſuratas habeat omnes eius rationes, ſecundum quas operatura erat,item & omnia eius opera,ita vt ſciret & quot ea eſſent futura, & quanta, iuxta illud:Omnia in menſura,& numero, & pondere diſpoſuiſti. Loquitur autem de ſapientia Dei qua omnia creata ſunt, tanquam de idæa architecti, quam ante opus neceſſe eſt eſſe in mente ipſius, & ab eo perſpectam & cognitam eſſe, ita vt in ea videat omnium faciendorum,& numerum, & menſuram. Videtur autem Sapiens in hoc loco omnino imitatus ea quæ ſunt Iob 28. vbi ſimilia dicuntur de ſapientia,quòd ea ſoli Deo ſit cognita. Sap. 11.

11 *Et effudit illam ſuper omnia opera ſua,& ſuper omnem carnem ſecundùm datum ſuum,& præbuit illam diligentibus ſe.*

HOrum trium membrorū primum apud Græcos iungitur cum præcedenti ſententia, vt ſit ea bimembris, ſicut omnes pene huius libri ſententiæ. Et primum membrum ſit, Ipſe creauit eam, & vidit, & dinumerauit: ſecundum, Et effudit eam ſuper omnia opera ſua. Deinde rurſum apud eos ſubiungitur bimēbris ſententia, quæ ſic habet:Cùm omni carne,ſcilicet eſt,ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ipſum.Vnde patet male quoſdā libros illud,

ſecundùm datum ſuum,cōiungere ſequentibus, hoc modo: Secundùm datum ſuum præbet illam diligentibus ſe. Poſtquam ergo oſtendit ſapientiam, qua omnia condita ſunt, fuiſſe ab æuo reconditam in mente diuina,(nec mirum cùm illa ſit ipſemet Deus) iā explicat,quomodo ea ad creaturas à Deo defluxerit,tribus membris pulchrè indicās, quàm variis modis ea in creatis reb9 diffuſa ſit. Primò enim dicit eam Deum generaliter effudiſſe ſuper omnia opera ſua, quia in illis omnibus Dei ſapientia mirabiliter relucet. Secundò,dicit eam diffuſam ſingulari quodam Dei dono ſuper omnem carnem, hoc eſt,omne animal,vel peculiariter omnē hominem,qui in ſcripturis ſæpe nomine carnis deſignatur,vt ibi Omnis caro fœnum. In omni enim animali magis quàm in inanimatis rebus Dei ſapientia relucet, vt quæ ſint opera perfectiora,in quibus Dei ſapientia ſe magis admirandam exhibet.In hominem vero peculiarius ſapientia Dei diffuſa eſt, quia homini data eſt intelligentia, qua quiſque pro ſuo modo,& dono à Deo accepto Dei ſapientiam comprehendere poſſit. Omnium verò ſingulariſſima eſt ſapientiæ communicatio,quæ Dei dono obtingit diligentibus ipſum,quia illi ſapientiæ cognitionem percipiunt, idque eam qua fœliciter Deum & ea quæ Dei ſunt cognoſcant, ita vt per eam Deum quandoque clarè viſuri ſint. Proinde tertio loco dicit, & præbuit illam diligentibus ſe.Itaque quoniam illis Dei ſapientia propria eſt, multa ſubiicit in commendationem timoris Dei, quòd ille ſicut eſt principiū dilectionis Dei, aut idem cum ea,ſit etiam principium ſapientiæ, imitatus hac in parte Salomonem, qui & ipſe incepit hoc exordio:Timor domini,principium ſapientiæ.

12 *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.*

DVm de timore domini tam præclarè loquitur, non de eo timore loquitur, quem perfecta charitas foras mittit, ſed ſecundùm phraſim ſcripturæ timor Domini eſt reuerentia Dei, eiúſque cultus, vt plenius dictum eſt in Prouerbiis.Talis ergo Dei timor, gloria eſt homini, quia magnum ei addit decorem & honorem. Gloriatio eſt, quia inde gloriari poteſt homo, ſed in Domino. Beatus enim homo dicitur infra cap. 25.cui donatum eſt habere timorem Domini.Sic & lætitia eſt,quia dat occaſionem gaudendi,& eſt veluti corona exultationis,quia eſt inſtar coronæ,decus & exultationem adferentis. Hunc ergo verſum explicat ſequēs ſententia:

13 *Timor Domini delectabit cor,& dabit lætitiam,& gaudium,& longitudinem dierum.*

SIc enim legendum eſt, & non, vt habent quidam libri in longitudinem dierum,vt patet ex originalibus. Dat autem hæc timor Dei partim quidem in præſenti vita,ſed perfectius in futura.Vnde ſubditur:

14 *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur.*

BEne dicit fore metuenti Deum in extremis, ſcilicet diebus,quia tunc nunc torquebitur conſciētiæ verme, cùm ſolent maximè homines timere: deinde quia tunc recepturus eſt iuſtitiæ ſuæ & pietatis mercedem. Vnde ſequitur: Et in die defunctionis ſuæ,hoc eſt,finis & mortis ſuæ,Gręcis enim eſt τελευτῆς: benedicetur,à Deo ſcilicet, hoc eſt, bene illi fiet à Deo, atque ab illo laudabitur. Quædam Græca habent εὑρήσει χάριν, hoc eſt,inueniet gratiam: at alia habent εὐλογηθήσεται, quod vt interpres legit, ita etiam magis placet.

15 *Dilectio Dei honorabilis ſapientia. Quibus autem apparuerit in uiſu diligunt eam in uiſione, & in agnitione magnalium ſuorum.*

HÆc omnia ſicut non ſunt ſimilia aliis ſententiis quę fere bimembres ſunt,ita Græca non habent, nec Latina hæc ſimiliter habent. Multi enim libri ea verba, Dilectio Dei honorabilis ſapientia, poſtponunt ſequenti ſententiæ. Rectius tamen habent qui præponunt, quia alioqui verbum, apparuerit,& relatiuum,eam,non habēt ad quòd commodè referantur. Videntur hæc addita ad declarationem illius quod dictum eſt, Deum præbere illam diligentibus ſe. Et eſt ſenſus: In dilectione Dei conſiſtit ſapientia quæ verè honoranda eſt & laudanda. Nam quæ ſine Dei dilectione eſt ſapientia, vera ſapientia non eſt,nec laudem meretur.Non eſt enim verè ſapiens, qui ſummum bonum non prę omnibus diligit.Quibus autem ipſa ſapientia ſeſe videndam exhibuerit, ſicque eis apparuerit per viſum, hoc eſt, cognitionem ſui, mox eandem ipſi per illam viſionē & per agnitionem magnificorum operum eius quæ ab ipſa agnoſcit mirabiliter peracta,diligunt,quaſi dicat: Adeò per ſeſe grata eſt, vt mox in his quibus apparet, ad ſolū conſpectum dilectionem ſui generet, nec eam deſpiciāt niſi qui eius ſunt ignari,iuxta illud Prouerb. 1. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.

16 *Initium ſapientiæ timor Domini,& cum fidelibus in uulua concreatus eſt,& cum electis fœminis graditur,& cū iuſtis & fidelibus agnoſcitur.* Pſal. 110 Prouerb. 1.& 9.

HVius ſententiæ quadrimembris, duo tātum priora membra ſunt in Græcis, pro reliquis duobus Græca habent ſententiam bimembrem quam Latina non habēt, hanc ſcilicet: μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται, hoc eſt, ad verbum: Cum hominibus fundamentum ſæculi nidificauit, & cum ſemine ipſorum fidelis erit,vel fideliter, hoc eſt firmiter perſiſtet. Verbum enim νεοσσεύω, quod deriuatur à νεοσσός, hoc eſt pullus, vnde νεοσσεύειν, Septuaginta aliquoties ponunt pro nidificare, vt Pſal. 103. Illic paſſeres nidificabunt. & Ierem. 48. vbi nos legimus, columba nidificās. Epiphanius verò in hæreſi con- Hæreſi 9.

tra Arriomanitas idem verbum exponit per pullos excludere, putátque illud potius vertendum pro eo quod Prouerb. 8. legitur, אֲדֹנָי קָנָנִי, Adonai Canani, quod D. Hieronymus post Aquilam vertit: Dominus possedit me, vt sit, Dominus veluti pullum exclusit me, hoc est generauit. Sed errat, quia Hebræis non est verbum קָנַן Canan, quod nidificare significat, & ei respondet Græcum νεοττεύω, sed verbum קָנָה Canah: quod est acquirere vel possidere. Primum hemistichium desumptum est ex Psal. 110. & Prouerb. 1. & 9. nisi quod hic Græcis sit per infinitum, Initium sapientiæ, timere Dominum. Quod quomodo sit intelligendũ, satis dictũ est in Prouerbiis. In secundo membro, cùm dicitur, & cum fidelibus in vulua concreatus est, posset etiam sic verti vt ad sapientiam referatur, concreata est, quomodo magis vertendum videtur, quia Græcis est verbum συνεκτίσθη, quod non tam commodè referri potest ad infinitiuum φοβεῖσθαι, quàm ad sapientiam, quamuis sensus eodem recidat. Quod autem dicitur sapiẽtia vel timor Dei concreatus in vtero matris simul cum creatione fidelium, potest primò sic accipi, quo-
Iob 31. modo Iob de se dicit: Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris egressa est mecum, quia scilicet plerique etiam in vtero accipiunt à Deo donum quoddam quo ad pietatem procliues sunt præ aliis, aut quia sic illis adhæret & infixus est timor Dei postquàm fideles facti sunt, vt videatur illis inesse ex naturali complexione. In cuius
Psal. 75. contrarium de quibusdam dicitur: Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero. Qui significantur adeo dediti esse malitiæ, vt præ aliis eis innata esse videatur & naturalis. Potest & aliter accipi, timorem Dei concreatum fidelibus in vulua, secundum Dei prædestinationem, qua ab initio in ipsorum creatione in vtero materno Deus illis destinat suo tempore dare timorem sui & sapientiam, quomodo & Paulus dicit se se-
Galat. 1. gregatum ab vtero matris suæ, quomodo & plerique intelligunt illud quod dictum est à
Iere. 1. Ieremia: Antequam exires de ventre, sanctificaui te. Itaque concreatum dicit timorem Domini fidelibus, vt intelligatur illos eum non habere ex sua virtute & studio, sed ex singulari Dei dono, ipsos antequam aliquid boni fecerunt præueniente. Quod etiam significatur, cum apud nos additur, & cum electis fœminis graditur. Quod iam vlterius significatur, Dei dono & electione datum semel hominibus timorem & sapientiam nõ eos deserere, nec sibi relinquere, sed assiduè eos comitari, deducendo eos in via recta. Fœminarum autem peculiariter fit mentio, quòd in eis ferè Dei metus & religio sese magis prodere soleat. Quia tamen illis sapientia & religio propria nõ est, rectè subiicitur, & cum iustis & fidelibus agnoscitur, scilicet esse, per opera quæ in eis operatur. Ea verò, quam Græci habent, sententia, significat Dei sapientiam veluti in nidum & mansionem suam cum hominibus delegisse ipsum fundamentum sæculi, hoc est, ab exordio mundi in hoc mundo habitare cepisse cum hominibus illis primis authoribus humani generis, eámque nunquam homines deserturam. Id enim significatur dum subiicitur, & cum semine eorum scilicet hominũ cum quibus cœpit esse, fidelis erit, host est, fixa & permanens. Simile est ei quod dicit Prouer. 8. sapientia de se: Delitiæ meæ esse cum filiis hominum. & quæ habentur postea Ecclesiastici 24.

16 *Timor Domini scientiæ religiositas: Religiositas custodiet & iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit.*

17 *Timenti Dominum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur.*

HÆc omnia non sunt in Græcis, & sunt eadem, pàucis tantum verbis mutatis cum his quæ mox dicta sunt, vt vel ex alia cuiuspiam versione, vel commentario alicuius margini asscripto deinde in contextum sint relata, quemadmodum de multis huius libri sententiis apud nos factum apparet. Illud enim; Timor Domini, scientiæ religiositas; additum videtur ad declarãdum quid hoc loco per timorem Domini, qui hic tantopere commẽdatur, accipiendum sit, nempe id quod Græci dicunt εὐσέβειαν vel θεοσέβειαν, qua voce etiã hic author vtitur postea in hoc capite, vbi nos habemus, cultura Dei. Dicitur ergo timor Dei esse non ipsa scientia & cognitio Dei, sed illius scientiæ religiositas, hoc est, pietas quæ ex ipsa Dei cognitione sequitur, quæque scientiæ connexa est. Nam est quædam religiositas imprudentiæ, qualis est idololatrarum religio, & est quædam Dei cognitio destituta religione vera. In sequentibus quidam libri pro iustificabit, habent viuificabit. sic enim legit Dionysius. Item pro consummationis, quidam habent consolationis sed malè. Significatur enim dies qui prius dictus est defunctionis, hoc est mortis.

18 *Plenitudo sapientiæ est, timere Deum, & plenitudo à fructibus illius.*

DIxit timorem Dei esse principiũ sapientiæ, nunc verò amplius dicit, eũ sapientiæ esse plenitudinẽ, hoc est, perfectionem, siue quia si qualisqualis sapientia sine timore Dei esse possit, eadem imperfecta sit & manca: siue quia timor Dei sic introducit sapiẽtiam, vt quò magis Deum quis reueretur, eò magis in sapientia proficiat, vt nihil aliud sit verè sapere quàm Deum revereri & piè colere, quod per timorem Dei hic significatur. Secundam partem Græca habent: Et inebriat eos à fructibus suis; plenitudo scilicet sapientiæ inebriat eos qui habent timorem Domini, hoc est, sicut timor Domini affert ipsi sapientiæ plenitudinem, ita vicissim plenitudo sapientiæ replet timentes Deum à fructibus suis. Vnde nostra litera sic est accipienda, & vicissim à fructibus ipsius sapiẽtiæ accedit plenitudo in timentibus Dominum, nec aliunde vera plenitudo expectari potest: quod sequens declarat sententia.

20 *Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius.*

GRæcis in priori membro non est, illius, sed illorum, nempe timentium Deum: & in posteriori membro, illius, vertendum erat reciprocum, suis, quomodo & in priori vertendum est iuxta quorundam lectionem. Nam sunt qui & ibi habent αὐτῆς, vt ad sapientiæ domum pertineat, sed Complutensis æditio habet αὐτῶν in priori membro, vnde apud nos prior genitiuus, illius, referri debet ad timentem Dominum: posterior ad sapientiam. Generationes vocat fructus sapientiæ quos profert in timente Deum, bona scilicet & temporalia & spiritualia quæ adfert secum, quæ & thesauros vocat sapientiæ, à quibus implentur receptacula non solùm corporalia, sed multo magis spiritualia, vires scilicet animæ, intellectus atque voluntas.

21 *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem & salutis fructum:*

GRæca habent in Complutensi ęditione, Corona sapientiæ timere Dominum, germinans pacem & sanitatem incolumitatis, hoc est, incolumitatem salutarem. Vnde patet apud nos participium, replens, non referendum ad timorem sed ad coronam. & est sensus: Timor Domini ornat hominem tanquam quadam corona sapientię, hoc est, eo ornamento quo instar coronæ suos ornat sapientia, quę suos veluti reges facit, & apud omnes splendidos reddit. Quæ sapiẽtiæ corona plenam affert & perfectam mentis pacem & fructum salutis, hoc est, sanitatis etiã corporalis. Potest enim pax referri ad mentem, & salus, vel vt habent Græca, ὑγιεία, hoc est, sanitas, ad corpus: aut vtrunque ad vitam futuram, in qua sola est pax plena, & salus atque sanitas perfecta. Germanica tamen ędítio non habet φοβεῖ, hoc est, timere, sed φόβος κυρίου, hoc est, timor Domini, vt ad timorem referri possit participium, replens. Non ergo timor Domini dicitur corona sapientię, quia sapientiam coronat & ornat, sed quia suos donat & ornat corona sapientiæ, hoc est, donat eos ipsamet sapientia, quæ suos instar coronæ ornat atque nobilitat.

22 *Et vidit & dinumerauit eam, utraque autem sunt dona Dei.*

VTramque huius sentẽtiæ partem quædam Græca non habent. Nam priorem partem Hispanica æditio non habet, habet tamen posteriorem, non hoc tamen loco, sed ante præcedentem sententiam: vnde intelligunt vtraq; illa quæ Dei dona dicit esse duo illa, implebit à generationibus & à thesauris suis, vt vnum referatur ad bona spiritualia, alterum ad temporalia. Æditio autem Germanica habet quidem priorem partem, posteriorem verò nec hic, nec eo loco vbi eam habet Hispanica. Et rursum Hispanica pro eo quod Germanica habet; Et vidit & dinumerauit eam; habet quod nec Germanica habet æditio, nec nostra versio, πλατύνει δὲ καύχησιν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν hoc est, dilatat autẽ gloriatio diligẽtibus ipsum. Vbi, dilatat, positum est pro latitudinem fecit, sicut in illo Psalmo; In tribulationę dilatasti mihi. Ioachi Psalm. 4.
mus Camerarius legit καύχησιν, vt sit: Dilatat autem gloriationem diligentibus ipsum, hoc est timor diligentibus Deum latam & magnam adfert gloriationem tanta est codicum etiam Græcorum hodie varietas. Cæterùm quod in nostra lectione dicitur: Et vidit & dinumerauit eam, commodè refertur ad timorem Domini, vt postquam superius dixit neminem dinumerasse aut vidisse sapientiam præter vnum Deum, nunc dicat ex Dei beneficio etiam timorem Dei videre & dinumerare sapientiam, hoc est, sapientiæ rationes & opera saltem ex parte. Sicuti 1. Cor. 2.
Paulus, cùm dixisset quæ Dei sunt neminem cognoscere nisi spiritum Dei, mox subiungit: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quod additur; Vtraque autem sunt dona Dei; nostri referunt ad sapientiam & timorem Dei, quæ ambo Dei sunt dona. Potest etiam referri ad duo illa, replens pacem & salutis fructum, vt significetur & pacem mentis & corporis incolumitatem, Dei donum esse, quod per sapientiam & Dei metum cõsequimur.

23 *Scientiam & intellectum prudentiæ sapientia compartietur, & gloriam tenentium se exaltat.*

PRo compartietur, Græca dictio ἐξώμβρησεν plus significat, nempe quasi imbrem diffundere. Nec habet Germanicą æditio nomen, sapientia, vt hic versus etiam timori Domini tribui possit, sicut & quod præcedit, quamuis eodem redeat siue sapiẽtia hæc dicatur præbere, siue timor Domini. Porrò scientia rectè refertur ad credenda, intellectus, hoc est, intelligentia prudẽtiæ, ad agenda: quæ vtraque docet sapientia, & per hæc gloriam tenentium se, hoc est, possidentium ipsam (est enim Græcis κρατούντων αὐτῆς) exaltat, hoc est, altam & sublimem reddit.

24 *Radix sapientiæ est timere Dominum, & rami eius longæui.*

ITa rectius legitur, quàm vt habent multi libri: Rami enim eius: cum Græcis sit καὶ οἱ κλάδοι. Nec est illis, longæui, sed μακροημερεύσεως, hoc est, longæuitas vel longitudo dierum. Elegans & apta translatio est, in qua ex radice sapientiæ vitam longinquam & diuturnam tanquam ramos quosdam efflore scere facit. Est autem timor Dei radix sapientiæ, sicut est eiusdem initium.

25 *In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas, execratio autem peccatoribus sapientia.*

HIc versus non est in Græcis, sed ei similis mox sequitur. Dicũtur autem intellectus, hoc est, intelligentia & religiositas

ſcientiæ eſſe in ſapientiæ theſauris, quia illa ſapientia veluti ex diuite ſuo penu ſuis largitur.

26 *Timor Domini expellit peccatum, nam qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio eius eſt.*

GRæca pro his duas habent in Complutenſi æditione ſententias bimembres, hoc modo: Timor Domini depellit peccata, permanens autem (vel perſeuerãs aut aſſiſtens) auertit iram. Non poterit iracundus vir iuſtificari, inclinatio enim iræ eius, ruina illi, ſcilicet eſt. Editio tamẽ Germanica priorem ſententiam non habet, Itaque quamuis in genere de omnibus peccatis verum ſit quòd ea timor Dei depellat (nam & contracta peccata curat per pœnitentiam, & cõtra futura hominem præmunit) tamẽ hic potiſſimum ſignificare voluit Sapiens, reuerentiam erga Deum, & pium in illum affectum (quem hic ſemper Dei metum appellat) efficere, vt quis etiam in aduerſis non murmuret contra Deum, nec iraſcatur contra Deũ, à quo malo non facile immunis eſſe poteſt qui Dei timore eſt deſtitutus. Hic enim mox vt quid acciderit cõtra animi votum, offendetur, indignabitur, atque ex impatientia in quæuis vitia retinaculo timoris Dei deſtitutus prolabetur: vnde de eo rectè dicitur, quòd non poterit iuſtificari, hoc eſt, iuſtè viuere, quia inclinatio iræ eius, hoc eſt, procliuitas eius ad iram, (pro quo nos legimus, iracũdia animoſitatis eius, hoc eſt, audacis eius animi qua Deo audet reſiſtere) eſt illius ſubuerſio, hoc eſt, cauſa vt in multa vitia & damna cadat. Hunc eſſe verum ſenſum patet ex ſententiis duabus quæ ſequuntur, quæ eodem tẽdunt. ad quem ſenſum etiam pertinent quæ dicuntur capite ſequenti.

27 *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis.*

GRæcè eſt, ἕως καιροῦ ἀνέξεται μακρόθυμος, καὶ ὕστερον αὐτῷ ἀναδώσει εὐφροσύνη, hoc eſt, Ad tempus ſuſtinebit longanimis, & poſtea pullulabit ei lætitia. Interpres noſter videtur legiſſe ἀνάδοσις εὐφροσύνης, hoc eſt, redditio lætitiæ. Significatur ergo eum qui patienter & cum longanimitate fert quę Deus ei immittit, ad tempus quidem ſuſtinere & tolerare male, ſed poſtea reddi ei à Deo pro malis toleratis lætitiam & gaudium, Ponitur autem hoc loco apud Gręcos verbũ ἀναδίδωμι, non pro rependere, ſed pro ἀναβλαστάνω, pullulo, germénque emitto vt herba aut planta quæ mortua videbatur, & mox germen emittit. Eſtq; tranſlatio verbi valde apta, ad fructum hominis afflicti ac patientis declarandum, in quo afflictionis exitus eſt iucundus.

28 *Bonus ſenſus uſque in tempus abſcondet uerba illius & labia multorum enarrabunt ſenſum illius.*

GRæcis non ſunt illa duo verba, Bonus ſenſus, ſed eſt repetendum nomen, patiens, ex præcedenti ſententia. Relatiuum, illius, priori loco rurſum poſitum eſt pro reciproco, ſua. Significatur enim, hominem patientem atque eum qui boni ſenſus eſt & prudens, ad tempus in ſilentio ferre mala immiſſa, neque conqueri, aut Deo obloqui, ſed poſtea etiam ipſo tacente multos prædicaturos eius ſenſum, hoc eſt, prudentiam. Græcis enim eſt σύνεσιν. Hoc ergo hic docetur quod Threnorũ 3. cùm dicetur; Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.

29 *In theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ, execratio autem peccatori cultura Dei.*

PRo, ſignificatio diſciplinæ, eſt παραβολαὶ ἐπιστήμης, hoc eſt, parabolæ ſcientiæ. Et eſt ſenſus: Sententiæ graues & abditæ quæ magnam continent ſcientiam, continentur in theſauris ſapientiæ, hoc eſt, eas in ſe veluti in ſecreto, & res precioſiſſimas ſapientia complectitur, ita vt non eas quibuſlibet communicet, ſed tantum delectis & dignis: nec mirum, cùm cultura Dei, vel, vt eſt Græcis, θεοσέβεια, hoc eſt, pietas & religio quã ſapientia docet, ſit peccatori execratio, hoc eſt, execrabilis. Itaque noſtra lectio ſic eſt accipienda. In theſauris ſapientiæ continetur non aperta & omnibus obuia diſciplina & ſcientia, ſed occulta ſignificatio diſciplinæ, per parabolas ſcilicet & graues ſententias, quibus ſignificat ſuis quam diſciplinam & vitæ rationem ſequi debeant: at hanc ſignificationem impij & reprobi non aſſequuntur, quia cultus Dei quem ſapientia vnicè docet, eis eſt execrabilis, inuiſus & ingratus.

30 *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.*

SEntentia eſt manifeſta, & bene obſeruanda, idem docens quod illud Sapientiæ 1. In maleuolam animam non introibit ſapiẽtia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Additum eſt autem ab interprete nomen, fili, cùm non ſit Græcis. Pro iuſtitiam, eis eſt ἐντολάς, hoc eſt, mandata quomodo legit & Diuus Auguſtinus lib. 22. cap. 53. cõtra Fauſtum, vbi & legit; Concupiſti ſapientiam; nec additur fili, planè ſcilicet cũ Græcis cõſentiens. Adducit autem Auguſtinus hanc ſententiam, ad oſtendẽdum quid myſticè ſignificatũ ſit in illo quod Iacob prius nubere debuit Liæ ſeniori quàm Racheli. Prior eſt, inquit, in recta hominis eruditione labor operandi quæ iuſta ſunt, quàm voluptas intelligendi quæ vera ſunt. Ad hoc valet quod ſcriptum eſt; Concupiſti ſapientiam, ſerua mandata, & Dominus præbebit illam tibi.

31 *Sapientia enim & diſciplina timor Domini, & quod beneplacitum eſt illi, fides & manſuetudo, & adimplebit theſauros illius.*

COnſeruando, inquit, Dei mandata & iuſtitiam, quod fit per timorem Dei, præbebit tibi Deus ſapientiam, quia ipſemet timor Dei eſt coram Deo ſapientia & diſciplina,

iuxta illud Iob; Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, & recedere à malo intelligentia, quia ſcilicet in timore Dei conſiſtit vera ſapientia, & per illum declaratur quis verè ſapiens, Prouerb. 15. Septuaginta habẽt hanc partem, vbi nos habemus; Timor Domini diſciplina ſapientię. Secũdam partem Græca breuius habent & clarius, καὶ εὐδοκία αὐτοῦ πίστις καὶ πραότης. Et beneplacitum ipſius eſt fides & manſuetudo. Vnde noſtra litera ſic eſt ordinanda: fides & manſuetudo eſt id, quod beneplacitum eſt illi. Rectè autem duo hæc coniunxit, tanquam in quibus mandata Dei potiſſimum cõſiſtunt, quorum alterum conſiſtit in his quę nobis fideliter & veraciter Deo & proximis ſunt exhibẽda: alterum in his, quæ ab aliis ſunt nobis patienter perferenda & condonanda. Aut fides, hoc eſt. fidelitas, pertinet ad iuſtitiam exhibendam, manſuetudo autẽ ad miſericordiam miſeris & calamitoſis pręſtandam, vt manſuetudo accipiatur pro clementia. Quod apud nos additur; & adimplebit theſauros illius; vt durè cohęret & gratiam ſententiæ tollit, ita nulla Græca habẽt. Significat autem Deum impleturum theſauros illius qui iam dicta præſtat, vt ſcilicet declaret ea ſibi eſſe grata.

32 *Ne ſis incredibilis timori Dei, & ne acceſſeris ad eum duplici corde.*

SIc rectius legitur quomodo etiam multa ſcripta habent, quàm, vt alij legunt: Contumax non ſis & incredibilis: cùm Græcis tantùm ſit, μὴ ἀπειθήσῃς, hoc eſt, non ſis incredulus, aut, non diffidas. Itaque vel ex verſione altera aut alicuius explanatione additum eſt, cõtumax, Quod autem dicitur, non ſis incredibilis, aut, vt etiam quidam libri habent, non ſis incredulus (nam & Lyra ſic legit) timori Domini, dupliciter accipi poteſt. Primo vt ſit ſenſus: Non ſis inobediẽs timori Domini, hoc eſt, ne contumaciter reiicias ea quæ timor Dei ſuggerit facienda. Quem ſenſum ſequutus eſt qui vertit: ne ſis contumax. Altero modo vt ſit ſenſus: Ne diffidas timori Domini. hoc eſt, cùm in difficultatem aliquã incidiſti, non diffidas te per timorem Domini protegendum, ſed bene ſpera te à Deo ſeruandum, ſicut Dei timor ſperãdum eſſe monet. Cui ſenſui cõuenit quod in æditione Complutenſi additur, ἐνδεὴς ὤν, indigus exiſtens, vt ſit: Non diffidas timori Domini indigus exiſtens, niſi hoc intelligatur de indigentia ſapientię, vt ſit ſenſus; Si indiges ſapiẽtia, obtempera timori Domini in his quæ facienda ſuggerit. Cęterùm quoniam plerique ſunt qui timori Domini obtemperant non ex animo, ſed tantum ſecundum exteriorem apparentiam, rectè ſubiungitur, & ne duplici corde acceſſeris ad illum, nempe Dominum, aut timorem Domini. hoc eſt, ne ſic te geras erga Dominũ vel timorem eius, vt videaris ei velle obedire, id tamen non ex animo facias. Id eſt enim duplici corde accedere, velle ſcilicet duobus dominis ſeruire. Vnde & ſubiungitur:

33 *Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis.*

34 *Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem.*

35 *Et reuelet Deus abſconſa tua, & in medio ſynagogæ elidat te.*

GRęca habent: Ne ſis ſimulator ad ora hominum, & in labiis tuis non attendas. Deinde ſequitur noua ſententia; Non extollas teipſum vt ne cadas, &c. Cuius intelligentia hęc eſſe videtur; Ne ſimulatione religionis te commendes ori hominum, ita vt ſatis habeas laudari ab eis tanquam ſanctus & religioſus; & non confidas in labiis tuis vt te ſanctum putes, quia ſancta apud alios eloqui noſti, aut ſecurus ſis quia te tuis labiis, & tuarum virtutum falſa prædicatione aliis commendaſti, vitia tua tegendo: aut quia labiis tuis Deum precatus es, cùm cor tuum longè ſit ab eo. Itaque noſtræ lectionis conuenienter hic ſenſus reddi poteſt; Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, ſic ſcilicet vt tua ſimulatione id agas, vt hominibus videaris timens Deum & religioſus, & ne per labia tua tibi ſcandali & ruinæ cauſa fias, teipſum extollendo & prædicando, aut precando ſolis labiis, mente interim & voluntate à Deo auerſa. Id ne fiat, attende ad labia tua; vide quid dicas, quidve preceris, ne fortè Deo vindicante tuam hypocriſim cadas in multa mala, excidáſque ab ea altitudine quam tibi vendicaſti, atque ab ea exiſtimatione, quam tibi ſimulatione apud homines peperiſti, & pro appetita gloria adducas animæ tuæ, hoc eſt, tibi ignominiam, humiliationem, & dedecus. Et Deus qui ſolus nouit corda, reuelet omnibus vitia tua, quæ ſtudioſa ſimulatione occultaſti, & in medio ſynagogæ & congregationis, hoc eſt, in maxima eccleſia frequentia, in qua honoratus eras & honorari captaſti te elidat, hoc eſt, deiiciat. Eſt enim Græcis καταβαλεῖ σε. Ita autem ſuperbos & hypocritas punire ſolet Deus, vt in maxima aliqua multitudine & Republica, in qua volebant magni & ſancti haberi, eos deiiciat, & omni dedecore afficiat, quod & frequenter etiam in hac vita facit, & maximè in futuro ſæculo facturus eſt, quando illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, quãdo hypocritas potiſſimum puniẽdos ſignificat in euangelio, cùm quorundam partem ponendam teſtatur cum hypocritis, quorum punitionis cauſa iuſta hic ſubiicitur. 1. Cor. 4. Mat. 24.

36 *Quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.*

GRæcis eſt; Quoniam non acceſſiſti in veritate timori domini, & cor tuum plenum dolo. Vnde noſtra lectio rectius poteſt intelligi. Idem enim eſt accedere ad Dominum, & ad timorem eius. Idem etiam eſt accedere malignè, & non accedere in veritate, niſi quod iſtud magis conuenit hypocriſi.

Caput II.

1 *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

ET in huius quoque capitis ſententiis pleriſque quædam ſunt addita in noſtra lectione quæ in Græcis non ſunt, vbi & pauciores ſunt ſententiæ & breuiores, duobus ſemper conſtantes membris. Hic ergo Græcis tantum eſt, τέκνον εἰ προσέρχῃ δουλεύειν κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν, Fili, ſi acceſſeris ad ſeruiendum Deo, para animam tuam ad tentationem. Quo ſignificatur cultum Dei cum tentationibus coniunctum eſſe, nec fieri poſſe quin eum qui Deo ſeruire ſtatuit, non mox variæ excipiant tentationes, tum quod diabolus talem mox oppugnet, tum quod Deus eum probare velit. Quod autem apud nos eſt; ſta in iuſtitia & timore; additũ videtur ad inſinuandum quomodo animus hominis ſit ad tentationem præparandus, nempe confirmando ſeipſum ad retinendum iuſtitiam & timorem Dei, vt ab eis non recedat etiam ingruente tentatione. Et poteſt iuſtitia & timor pertinere ad idem. Aut iuſtitiæ additur timor, ne quis ſibi nimis fidat, iuxta illud; Qui ſe exiſtimat ſtare videat ne cadat, &; Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.

2 *Deprime cor tuum & ſuſtine, & inclina aurẽ tuam, & ſuſcipe verba intellectus, & ne feſtines in tempore obductionis.*

BReuius Græca ſic: εὔθυνον τὴν καρδίαν σου καὶ καρτέρησον, καὶ μὴ σπεύσῃς ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς. hoc eſt; Dirige cor tuum ac tolera, & ne feſtines in tempore incurſionis. Vnde primum patet legendum apud nos, in tempore, quomodo etiam multi libri habent, non autem, in tempus, ſicut alij habent. Pro dictione, ἐπαγωγή, interpres in hoc libro aliquoties vertit obductionem. Significat autem dictio Græca quoduis malum alicui illatũ, & quamuis calamitatem, quam noſter vertit obductionem, fortè quòd calamitas mentem veluti nebula quadam obducat, eiúſque ſerenitatem tollat. Monet ergo ſeruitio diuino addictum, vt rectum faciat cor ſuum, ac deinde toleret quæuis incurrentia mala. Aut iuxta noſtram lectionem, vt cor ſuum deprimat ſub potentia manu Dei, ſic vt ne per impatientiæ motus exurgat in murmurationem contra Deum. Quod apud nos interponitur, inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus, hoc eſt, verba intelligẽtiæ & verba prudentiæ, indicat qua maximè re fieri poteſt vt quis patienter aduerſa toleret, nempe ſi admittat verba ad patientiam adhortantia, & ſinat ſe inſtrui, & cõſolationem ſibi adhiberi. Quod dicitur, nõ feſtines ſimile eſt ei quod dicitur in Iſaia 28. Qui crediderit nõ feſtinet. Sicut enim ibi ſignificatur quod promiſſum eſt, hoc eſt, velit illud mox ſibi exhiberi, ſed vt patienter expectet, iuxta illud Abacuc 2. Si moram fecerit expecta illum. ita & hic ſignificatur in tempore alicuius ingruentis calamitatis, non per impatiẽtiam feſtinandum ad liberationem, vt faciunt qui illicitis modis liberari quærũt; ſed patienter eam à Deo expectandam, qui non patietur fidentẽ ſibi tẽtari ſupra vires ipſius, quíque nouit tempus quo eum liberari conuenit. Sunt, qui, ne feſtines; exponũt pro non trepides aut metuas, quia verbũ Hebræum חָפַז Hapaz, quod propriè feſtinare ſignificat, ſæpe ponitur pro pauere & timore concuti, quia qui timent, feſtinare ſolent ad fugiendum. Vnde Pſal. 103 Septuaginta verterunt; A voce tonitrui tui formidabunt, cum Hebræis ſit verbum prædictum quod feſtinare ſignificat. Et in Iſaia 52. vbi Hieronym. vertit: Non in tumultu exibitis, Hebræis eſt בְּחִפָּזוֹן Behippazon, hoc eſt in feſtinatione: ſicut & Deuter. 16. vbi vertit D. Hieronym. in pauore egreſſus es de Ægypto. Noſtri ferè intelligũt, ne feſtines, hoc eſt, ne fractus impatientia deſideres adeſſe tempus mortis. quam per obductionem intelligunt ſignificari, idcóque magis legũt, in tempus, quàm in tempore.

4 *Suſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo & ſuſtine, vt creſcat in nouiſsimo vita tua.*

PRimam partẽ, ſuſtine ſuſtentationes Dei; Græca nunc non habent, & ſequentia ſic habent: κολλήθητι αὐτῷ, καὶ μὴ ἀποστῇς, ἵνα αὐξηθῇς ἐπ' ἐσχάτων σου. hoc eſt, conglutinare illi, & ne diſcedas, vt augearis in nouiſſimis tuis. Itaque plus ſignificatur quàm, noſtra lectione, quæ habet, cõiungere Deo, nempe Deo firmiter quaſi glutino quodam adhærendum, per amorem ſcilicet & longanimitatẽ, ita vt nulla tentatione ab eo diſcedatur: vnde cũ ſubditur apud nos, & ſuſtine, verbum, ſuſtine, iam nõ vt prius per tolerare aduerſa eſt exponẽdũ, ſed per expectare, vt ſubaudiatur, Deũ, iuxta illud; Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Sic enim ſuſtinere Dominum, eſt non diſcedere ab eo. Quod additur, vt augearis in nouiſſimis tuis, aut, vt nos legimus, creſcat in nouiſſimo vita tua, ſignificat cum multo ſalutis & fœlicitatis incremento Deum in tribulationibus patienter expectari, quia is ſolet tandem in exitu tribulationum & malorum, commutato rerum ſtatu, ſuos omnibus bonis locupletare, iuxta illud: Eripiam eum, & glorificabo eum, lõgitudine dierum replebo eum. Quod etiã ſubinde in hac vita ex parte præſtat, ſemper autẽ & perfectiſſimè in huius vitæ fine, cùm re vera creſcit vita hominis, quando pro momentanea & miſera ſuccedit æterna atque beata. Ceterùm illud, ſuſtine ſuſtentationes Dei, rectiſſimè ſic intelligetur, vt ſuſtentationes Dei exponantur tolerationes & expectationes quibus Deus expectatur & eius liberatio, vt ſuſtinere ſuſtẽtationes Dei, ſit perſiſtere & patiẽter expect-

Pſal. 26.

Pſal. 90.

expectando Deum Camerarius teſtatur quoſdam Græcorum codices habere μεῖνον ἀναμονήν hoc eſt, ſuſtine ſuſtentationem.

4 *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe.*

GRæcis non eſt illa pars, & in dolore ſuſtine, ſed tantum πᾶν ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ σοι, δέξαι εὐμενῶς, καὶ ἐν ἀλλάγμασι ταπεινώσεώς σου μακροθύμησον. hoc eſt; Omne quod inductum fuerit tibi, ſuſcipe lubenter, & in commutatione humiliationis tuæ longanimis eſto, hoc eſt, cum ſuccedente afflictione ſtatus prior commutatur. Eſt autem hic pro, applicitum fuerit, verbum vnde deriuatur ἐπαγωγή dictio, quam noſter vertit obductionem. Ex Græcis patet humilitatem apud nos pro humiliatione & afflictione accipiendam. Illud autem, in dolore ſuſtine, ſic rectè accipitur, Cùm es in dolore, patienter fer aduerſa, aut ſuſtine & expecta Deum,

5 *Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis.*

ET argentum, non eſt Grẹcis, ſed tantum, aurum. Homines receptibiles, vel, vt melius habent quidam libri, acceptabiles, vocat homines Deo acceptos, & electos ad vitam æternam, quos omnes per tentationes probari oportet, iuxta illud Tobiæ, quoniam acceptus eras Deo, neceſſe erat vt tentatio probaret te. Græcis eſt ἄνθρωποι δεκτοί, hoc eſt, homines acceptabiles, hoc eſt, qui accipiendi ſunt à Deo, aut qui ei grati ſunt. Cæterum hæc ſimilitudo auri in igne ſuam puritatem declarantis, conſeruantíſque, & hominis pij in afflictionibus ſuam fidem ac pietatem oſtendentis conſtanter, frequens eſt in ſcripturis & admodum apposita.

6 *Crede Deo, & recuperabit te & dirige viam tuam, & ſpera in illum.*

PRo recuperabit, eſt ἀντιλήψεται, hoc eſt, ſuſcipiet, hoc eſt, ſubueniet tibi ac defendet te. Noſtra lectio ſignificat collapſum in fœlicitatis ſtatum reſtituẽdum. Requirit autem imprimis fidem qua credatur Deo promittenti, ac deinde ſpem quæ ex ea fide ſtatim naſcitur: at quoniam promiſsiones Dei pertinent ad rectos corde, vt ſpes certa eſſe poſsit, petit & rectitudinem vitæ: Dirige, inquit, viam tuam, hoc eſt, rectam fac eam, & ſic demum ſpera in illum.

7 *Serua timorem illius, & in illo veteraſce.*

HAnc ſententiã Græca omnino non habent, & habet ſenſum facilem

8 *Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius, & non deflectatis ab eo ne cadatis.*

9 *Qui timetis dominum credite illi, & non euacuabitur merces veſtra.*

10 *Qui timetis Dominum ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.*

11 *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.*

SEquuntur ſententiæ, quibus iam vniuerſos timẽtes Deum alloquitur, adhortans eoſdem ad id de quo ſuperius egit, nempe ad fidendum & credendum, Deo, tempore aduerſitatis. In harum ſententiarum tertia, Græca aliter habent, οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον ἐλπίσατε εἰς ἀγαθὰ, καὶ εἰς εὐφροσύνην αἰῶνος καὶ ἔλεος, hoc eſt, Qui timetis Dominũ ſperate in bona, & in lætitiam ſæculi & miſericordiæ. Quibus verbis ſignificatur pios in rebus aſperis & acerbis ſpem meliorum ſuſcipere debere, & animo præſumere illud ſolatiũ & gaudium quod à miſericordia Domini profectum nullum vnquã finem eſt habiturum. Noſter interpres paulo aliter legiſſe videtur & habet noſtra lectio maiorem gratiam, vt quæ conſtat apertius duobus membris, more aliarum ſententiarum. Veniet, inquit, vobis in oblationem miſericordia quam expectatis, cùm eam experti fueritis, & per eam fueritis deſideratam cõſecuti ſalutem. Quæ ſequitur quarta ſententia; Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra, nuſquam eſt in Græcis. Videtur autem ab aliquo adiecta, vt ſententiis de fide & ſpe adderetur ſententia de tertia virtute theologica, nempe dilectione. Porro rectè intelligitur de lumine recreationis, vt ſit ſenſus: Qui timetis Dominum, ſic diligite illum, vt etiam in tribulationibus non relinquatis enim, & certe aliquando corda veſtra conſolationis lumine illuſtrabuntur, quamuis ſententia etiam vera ſit de lumine ignorãtias pallente: ſed in eo ſenſu non conuenit propoſito.

12 *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quis nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.*

GRęcè eſt, ἐμβλέψατε εἰς ἀρχαίας γενεὰς, καὶ ἴδετε τίς ἐνεπίστευσε κυρίῳ, καὶ κατῃσχύνθη. Reſpicite in priſcas generationes, & videte, quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Vnde patet apud nos, nationes, eſſe accuſatiui caſus, & ſignificari nationes hominum prẹcedentes incipiẽdas, ſi quiſquam ex eis ſua in Deum ſpe fruſtratus ſit. Conuenit cum illo Pauli, Spes non confundit. Rom. 5.

13 *Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum?*

DOcet hæc ſententia qualem oporteat eſſe eum qui rectè ſperat in Domino, nempe vt permaneat in mandatis eius, vel, vt habent Grẹca, in timore eius, & inuocet eum ita vt dignum eſt.

14 *Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.*

GRæca quędam minus habent, & quędam amplius, hoc modo; Quia clemẽs & miſericors Dominus, longanimis & multę miſericordię, & remittit peccata, & ſaluat in tempore tribulationis. Quanquam illud per

per μακρόθυμος καὶ πολυέλεος non habeat æditio Germanica, & videri omnino patet huc transcriptum in quibusdã Grecis ex Ionæ 2. capite, vbi quatuor illa ponuntur.

15 *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terrã ingredienti duabus uijs.*

APud Græcos non est mentio labiorum scelestorum, nec terræ, præter diuersitatem quæ est in aliis. Sic enim habent, οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς, καὶ χερσὶ παρειμέναις, καὶ ἁμαρτωλῷ ἐπιβαίνοντι δύο τρίβους. hoc est, væ cordibus timidis & manibus remissis, & peccatori ingredienti duas vias. Dicuntur enim hæc contra diffidentes Deo, sicut superioribus sentẽtiis adhortatus est ad fidendum illi, & sicut id egit tribus sentẽtiis, ita illis tres opponit de diffidẽtibus Deo. Hos dicit timidis esse cordibus, sicut & in Apocal. 21. timidi & cõiunguntur incredulis eorúmque pars dicitur futura in stagno ardenti. Vbi sicut & hoc loco timidi dicuntur qui Deo non firmiter credunt, sed cùm periculum alicuius imminet mali, Deum deserunt vt hominibus placeant: aut ad illicita aliqua remedia confugiunt vt à malis liberentur, non penitus à Deo pendẽtes, nec in illius liberatione confidentes. Cæterùm pro eo quod Græca habent, καρδίαις δειλαῖς, cordibus timidis, Camerarius testatur quosdã libros habere καρδίαις διπλαῖς, hoc est, duplicibus cordibus, quomodo legit noster interpres. Sunt autem duplici corde hoc loco, idem qui & timidi, qui scilicet non toto corde & firmiter Deo adhærẽt, sed cum hæsitatione & trepidationẽ, sicut & Iacobus 1. virum duplicẽ animo vocat, qui non sine hæsitatione & firma fide postulat quippiam à Deo, quia partim ad Deum respicit, partim ad humana præsidia, Deo fidens quandiu nihil mali ingruit, Deo diffidens cúm mala incidunt, hoc est, vt dicit Saluator, ad tempus credens, & in tempore tentationis recedens. De manibus remissis etiam est Isaiæ 35. vbi legimus; Confortate manus dissolutas; vbi Græcis est ἀνειμένας, sicut hic παρειμένας, hoc est remissas, sicut & apud Paulum ad Hebræos alludẽtem ad locum Isaiæ: Remissas manus & soluta genua erigite, Remissæ enim manus sunt hominum diffidentium Deo in aduersitatibus & tentationibus, quia talibus non libet quæ virtutis sunt fortiter, prosequi, sed mox à benefaciendo cessant, & ad malum agendum plerunque conuertuntur, vnde non male vertit interpres noster, manibus malefacientibus, sed intelligendum est de manibus ex diffidentia ad malum inclinatis. Peccator ingrediẽs duas vias, aut terram ingrediens duabus viis, is est, qui duobus dominis seruire studet, quique, vt ait Elias, claudicat in duas partes, nec rectè & constanter cum Deo ambulat, propter quod & Paulus monet loco prædicto; Gressus rectos facite pedibus vestris, vt ne claudicans quis erret. Quod apud nos est; & labiis scelestis: additum videtur, vt peccatis cordis & manuum atque pedum, hoc ést, peccato cogitationis & operum adderẽtur etiam peccata linguæ.

Luca 8.

3. Reg. 18.

16 *Væ dissolutis corde qui non credunt Deo, & ideò non protegentur ab eo,*

GRæcis est, οὐαὶ καρδίᾳ παρειμένῃ, ὅτι οὐ πιστεύει, διὰ τοῦτο οὐ σκεπασθήσεται, hoc est: Væ cordi remisso. quoniam non credit, propter hoc non protegetur. Et multi scripti habebant, quoniam non credunt, vnde hęc est vera lectio. Itaque dissoluti corde hic dicuntur, qui tepidè & remissè Deo adhærẽt, non forti & firma fide ei coniuncti, & ideò ab eo deficientes, cùm in mala & aduersa incidunt.

17 *Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt uias rectas, & diuerterunt in uias prauas. Et quid facient, cum inspicere ceperit Dominus?*

GRæcis tantum est: οὐαὶ ὑμῖν τοῖς ἀπολωλεκόσι τὴν ὑπομονήν, καὶ τί ποιήσετε, ὅτι ἐπισκέπτηται κύριος; Væ vobis qui perdidistis patientiam, & quid facietis, cum inspexerit (aut visitauerit) Dominus? Itaque quod apud nos est, qui dereliquerunt, &c. additum est ad exponendum qui perdiderunt sustinentiam, scilicet qui non persistunt in fiducia erga Deum, & ceptam virtutis viam nõ longanimiter prosequuntur spe securæ liberationis diuinę & futuræ retributionis, sed fracti animo, vel ob mala incidentia vel ob illecebras voluptatum, derelicta via recta diuertunt in vias prauas. Et sunt libri qui conformiter cum Græcis habent; & quid facietis? quanquam alij habeant? Et quid facient? & rectius, quia ceptum est à tertia persona apud nos. Per inspectionis tempus significat iudicij diem, quando Deus qui nunc videtur dissimulare ad facta hominũ, & suorum non habere rationem, singulorũ facta discutiet, singulis iuxta merita reddẽs & quantam suorum habeat rationem declarans. Est autem verbum, ἐπισκέπτω ἐπιφέρω idẽ quod ἐπισκοπέω, & significat inspicere & inuisere ac visitare; vnde est ἐπισκοπή, quod significat inspectionem vel visitationem, quo nomine, aliquoties in scripturis dies iudicij significatur, vt cùm postea hoc capite dicitur: Patiẽtiam habebunt vsque ad inspectionem Dei. Eadem voce in eodem significatu vsus est Petrus, cum dixit: Glorificent Deum in die visitationis, &, Vt vos exaltat in die visitationis.

18 *Qui timẽt Dominum, non erunt incredibiles uerbo illius, & qui diligunt illum, conseruabunt uiam illius.*
19 *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei, & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.*
20 *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.*

POst væ tribus sententiis interminatum diffidentibus tribus vel quatuor sententiis asseritur metuentes Dominum, omnino id facturos quod prius tribus quatuor ve sententiis ab eis exegit. In prima harum interpres incredibiles rursum posuit pro incredulis & diffidentibus. In secunda cùm dicitur, qui diligunt eum replebuntur lege ipsius, potest intelligi, plenam legi nauabũt operã, eique se penitus addicent, vt studium diligen-

diligentium Deum significetur. Aut potest intelligi significari fructus amoris in Deum nempè quod copiosa legis doctrina & cognitione donabuntur. Sic enim solet Dominus pietatem hominũ erga se remunerare, iuxta illud Psalmi 24. Testamentum ipsius vt manifestetur illis. In tertia pro sanctificabunt, Græcè est, ταπεινώσουσι, hoc est, humiliabunt. Est autem præparare cor suum, illud componere ad seruiendum & placendum Domino, sicut 2. Par. 12. dicitur de Roboam quod non præparauit cor suum, vt quæreret Dominum.

22 *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patiẽtiam habebũt vsque ad inspectionem illius.*
23 *Dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.*
24 *Secundum enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.*

TOtum illud, Qui timent Dominũ, &c. vsque ad verbum incidemus, Græcis non est apud quos verbum illud cum sequentibus coniũgitur mox præcedenti sententiæ, vt qui in aduersitatibus constituti humiliant animas suas coram Deo, his verbis testentur se malle in manus Domini incidere, & ab eo castigari, quàm in manus hominum, quòd sicut est magna eius maiestas & potentia, ita etiam sit magna ipsius misericordia. Videtur enim omnino allusum hic ad illud Dauidis: 2. Reg. 24. Melius est vt incidam in manus Domini, (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum. Noster interpres accepit hęc verba, quasi pertineant non ad spem in Dei misericordiam erigendam, sed ad timorem incutiendum, quasi grauius sit & peius incidere in manus Domini, quàm in manus hominum, quia ille nõ tantùm temporale malum inferre potest, sed etiam æternum, vt quòd hic dicitur, simile sit ei quod Susanna dicit apud Danielem: 13. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Quia, vt habet Paulus ad Hebræos, 10. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. in manus scilicet punitiuas & vltrices. Itaque adiecit de suo dicens: Si pœnitentiam non egerimus: sed huic sensui non ita conuenit quod sequitur. Secundum enim magnitudinem eius, sic & misericordia eius cum ipso est. Pro quo Græcis eleganter est, ὡς γὰρ ἡ μεγαλοσύνη αὐτοῦ οὕτως καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ, hoc est, Sicut enim maiestas eius, sic & misericordia eius: hoc est, quanta est eius maiestas ob quam meritò metuendus est & colendus, tanta est & eius misericordia, ob quam bene de eo sperandum est. Secundum nostram ergo lectionem hæc sententia non est subiuncta ad declarationem illius, Incidemus in manus Dei sed ad reddendum causam cur timentes Deum student sanctificare animas suas, & sese ad agendam pœnitentiam prouocant, videlicet quia non solum considerant metuendam magnitudinẽ maiestatis & potestatis ipsius, sed etiam amabilem magnitudinẽ misericordiæ eius, quæ duo ad pœnitentiam merito impellere debent. Coniunxit hæc duo etiam Dauid, dicens; Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.

Psal. 19.

Caput tertium.

1 *Filij sapientiæ, ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia & dilectio.*

HANC sentẽtiam Græca nunc non habent & non videtur vel præcedentibus vel sequẽtibus congruere, nisi fortè addita sit tanquam procemium dicendorum de obedientia & dilectione parentibus exhibenda. Postquam enim superioribus capitibus egit de timore Dei, illum eximiè commẽdans, & quid is efficiat aut requirat dẽmonstrans, in principio huius capitis rectè post ea quæ pertinent ad præceptum de diligendo Deo, subiicit pleraque ad pręceptum de honorandis parẽtibus pertinentia, quod inter omnia præcepta ad homines spectantia primum est post pręcepta Deum concernentia. Sensus autem huius sentẽtiæ est: Filij sapiẽtiæ, hoc est, qui à sapiẽtia rectè sunt instituti, sunt cõgregatio iustorũ, & natio, hoc est, genus eorum, est obedientia & dilectio, hoc est, tales penitus sunt dediti obedientiæ & dilectioni, habẽntque has virtutes sibi proprias & familiares, vt quæ dicenda sunt de obedientia & dilectione, tales facilè sint præstituri.

2 *Iudicium patris audite filij, & sic facite ut salui sitis.*

HIspanicum exemplar habet, ἐμοῦ τοῦ πατρὸς Me patrem audite filij, vt author libri personam patris in se suscipiat. At altera lectio habet, κρίμα τοῦ πατρὸς Iudicium patris. quod magis placet. Vocat autem iudicium patris sententiam patris, hoc est, id quod pater filio præscribit faciendum, & ex lege Dei illum docet. Sic, inquit, facite, sicut pater iudicat faciendum vt salui sitis. Multi libri habent, filij dilecti, at Græca tantum habent, filij.

3 *Deus enim honorauit patrem in filijs, & iudicium matris exquirens firmauit in filijs.*

DEum dicit honorasse patrem in filiis, quia in honore & authoritate affecit patrem, dum filiis pręcepit honorem illi deferre, dicens: Honora patrem tuum & matrem. Iudicium matris firmauit in filios Dominus quia præcepta & iussa matris ipse suo ino præcepto rata facit, diuinam eis authoritatem dando. Vnde addidit explicandi causa interpres, exquirẽs, hoc est, dũ requirit vt iudiciũ & sentẽtia matris fiat à filiis, ipse illud iudicium firmum reddidit super ipsos filios.

4 *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierũ exaudietur.*
5 *Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.*

GRæca aliter quędam habent, & pauciora. Sic enim pro his duabus sententiis vnicam habent, ὁ τιμῶν πατέρα, ἐξιλάσεται ἁμαρτίας, καὶ ὡς ἀποθησαυρίζων ὁ δοξάζων μητέρα αὐτοῦ. Qui hono

honorat patrem, expiat peccata, (vel veniam impetrat peccatorum,) & qui honorat matrem suam, est velut qui thesaurizat. Duo ergo bona significat filios assequi per honorem parentum, nempe malorum admissorum condonationem, & bonorum siue temporalium siue spiritualium comparationem. Per quæ significat quàm sit honor parentibus delatus Deo gratus, vtpote propter quem & facilius exaudit deprecantes pro peccatis, & copiosius bona sua eis communicat. Vt ergo nostra lectio proposito conueniat, cùm dicitur; qui diligit Deum, intelligẽdum est; Qui diligit Deum, adimplendo præceptum honorandi parentes, de quo hic agitur; is exorabit pro peccatis, hoc est, facilè impetrabit veniam admissorum peccatorum: insuper & Dei dono cõtinebit se ab illis, ne rursum in ea incidat, & in oratione dierum suorum; hoc est, in oratione quotidiana qua omnibus diebus vitæ suæ orat, exaudietur.

6 *Qui honorat patrem iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur.*

7 *Qui honorat patrem, vita uiuet longiore: & qui obedit patri refrigerabit matrem.*

EXplicatius iam aperit bona quæ consequuntur filij honorando parentes. Et primum quidem dicit; quod iucundabitur in filijs, quia cum omnes naturaliter posteritatem desiderent, Dei beneficio talis desideratum semẽ obtinebit, idque tale quod non merorem, sed voluptatẽ afferet. Deinde quod omnium votorum suorum à Deo compos fiet. Et peculiater quod vita viuet longiore iuxta legis promissionem, vt sis longeuus super terram. Præterea quod refrigerabit matrem, hoc est, eam recreabit & reficiet, pro doloribus ipsius, & sollicitudine, gaudio & quiete animi eam afficiens. Est enim hic verbum ἀναπάνσει, vt & apud Matth. 11. Venite ad me omnes, & ego reficiã vos, vnde est ἀνάπαυσις, quod interpres ibi vertit requiem: Et inuenietis requiẽ animabus vestris. Ierem. 6. vertit. Et inuenietis refrigerium animabus vestris. Pro obedit patri, Græcis est, qui obedit Domino.

Exo. 20. Deut. 5. Mat. 15. Mar. 7. Ephes. 6. Gen. 27.

8 *Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt.*

9 *In opere & sermone & patientia honora patrem tuum.*

10 *Vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouißimo maneat.*

11 *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

DOcet ad timorem Domini pertinere honorem parentum, & in quo hic honor consistat, nempe vt filij non tantum externam eis reuerentiam deferant, sed pro beneficio generationis seruiant eis tãquam dominis suis, non gerendo se erga eos tanquam sibi pares, sed tanquam superiores suos, quorum iussis sit obediendum, & quorum commodis sit studendum. Modum honoris debiti magis explicat, cum subiicit: Honora patrem tuum in opere & sermone, promptè scilicet illi obediendo, seruiendo, & subueniendo, ac benignè & humiliter ei loquendo. Noster addidit tertium, quod non est Græcis. Et omni patientia, vt videlicet patienter toleret filius parentum defectus si qui sint, & præceptorum rigorem nõ detrectet. In eo quod sequitur, & superueniat tibi benedictio à Deo: Græcis pro à Deo, est, ab hominibus. Nec est eis illud quod adiicitur, & benedictio illius in nouissimo maneat. Deinde per causalem sequitur; Benedictio enim patris, &c. Quæ sententia significat quãti Deus faciat vel benedictionem vel maledictionem filiorum à parentibus profectam, cùm Deo faciente fiat vt ad benedictionem parentum domus filiorum hoc eo, eorũ familiæ & res stabiliantur: contrá ad eorum maledictionem etiam fundamenta domorum eradicentur, hoc est penitus subuertantur eorum domus, familiæ atque progenies, quemadmodum patuit in benedictione & maledictione Noë & aliorum patriacharum. Lege & Augu. lib. 21. de ciuitate Dei, ca. 8. quid maledictio matris in decem filiis operata sit. Ad Noë maledicentem suo filio Cham respexisse etiã videtur Sapiens hic, cùm subiecit:

12 *Ne glorieris in contumelia patris tui, non est enim tibi gloria sed confusio.*

13 *Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filij pater sine honore.*

INsinuat ergo non imitandum Cham, qui nudatum patrem ridendum fratribus exposuit. Sunt enim quidam adeo peruersi & impij, vt ex parentum ignominia sibi gloriam quærant, volentes eis videri & sapientiores & meliores, gloriantésque quòd eos superẽt, & ob id eorum vitia & ignominiam quam celare debuerant prædicantes. Cuius exemplum etiam est in Absalone, qui causabatur nõ fuisse constitutum à rege quenquam qui audiret quærentes iudicium. (2. Re. 15) Porrò, contumelia, hic ponitur pro ignominia & infamia. Græcè enim est ἀτιμία, sicut & mox postea, vbi habemus: Non est enim tibi gloria, sed confusio. Vbi Græcis est, οὐ γάρ ἐστί σοι δόξα, πατρὸς ἀτιμία, hoc est, non est enim tibi gloria patris infamia.

14 *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius.*

15 *Et si defecerit sensu ueniam da, & ne spernas eum in virtute tua.*

HIc iam docet ad honorem parentum peculiariter pertinere, vt filij parẽtum inopiæ succurrant, eos non contristent, eorúmque defectus tolerent, nec ob id illos cõtemnant. Pro, suscipe senectam patris tui, Græcis est, ἀντιλαβοῦ ἐν γήρᾳ πατρός σου, hoc est, subleua vel suscipe in senectute patrẽ tuum. Vnde & nostra lectio sic est accipienda, vt suscipere senectam, sit eam subleuare, succurrendo inopiæ eius, & consolatione eam erigendo, cùm sibi ferè senes sufficere non possunt. Et quoniam non solum egestas senibus obtingere solet, sed & sapientiæ atque prudentiæ defectus, rectè subiungit: si defecerit sensu, hoc est prudentia, est enim Græcis σύνεσιν, veniam da: nec spernas eum in virtute tua, hoc est, propter vires tuas, videlicet quia illum iuuenis superas acumine mentis & fortitudine corporis.

16 *Eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi.*

Eleemosynam patris vocat beneficẽtiam patri exhibitam, siue cùm subuenitur necessitati, siue dum ignoscitur eius deficientiæ. Cæterum dubium est quid sit quod sequitur, pro peccato matris restituetur tibi bonum. Et quidam sunt libri qui habent, pro bono facto matris. Sic enim quidam corrigendum putauerunt, quòd absurditas alioqui in sermone videretur, cùm tamen Græcis sit, ἀντὶ ἁμαρτιῶν, hoc est, pro peccatis, quamuis illis non addatur, matris. Lyranus exponit pro peccato matris, hoc est, pro eleemosyna ad remissionem peccati eius facta, vt sit sensus: Restituetur tibi bonum pro eo quod fecisti pro peccato matris delendo. Vrbanus peccatum hic accipit pro hostia pro peccato, sicut accipitur 2. Cor. 5, cùm dicitur Christus factus pro nobis peccatum; vt significetur eleemosyna & sacrificium pro matris peccato oblatũ. Sunt qui simplicius & melius intelligunt pro peccato matris tollerato à te patienter. Grecis pro duobus illis membris quæ nos legimus: Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, tantum est, καὶ ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσανοικοδομηθήσεταί σοι, hoc est, & pro peccatis reædificabitur tibi. Quo significatur compensatio, qua in peccatis eius qui benefacit parentibus habetur ratio vt cum propter peccata sua mereatur pœnam, remissis peccatis, & liberetur à debita pœna, & Dei beneficio reparetur atque erigatur, quomodo quidam intelligunt illud, Isaiæ 40. Suscepit de manu Domini duplícia pro omnibus peccatis suis. Ad hunc sensum vt nostra lectio accedat, illud; pro peccato matris, intelligi potest significare peccata quæ filij frequenter, in iuuentute maxime, committunt contra parentes, quorum punitionem euadunt per beneficẽtiam postea eis præstitam, Itaque sensus erit: Beneficentia patri exhibita non erit in obliuione coram Deo, sed illius Deus semper recordabitur. Nam pro peccatis à te subinde prius in matrem commissis, cum grauis debeatur tibi punitio, restituetur tibi bonum à Deo, & per iustitiam quam operaris erga parentes, fiet tibi ædificatio, hoc est, recuperatio & restitutio eorum bonorum, quæ per peccata tua amisisti, aut vt amitteres meruisti. Aut genitiuus, matris, construi potest cum bonum, vt sit sensus: pro peccatis tuis restituetur tibi bonum matris, hoc est beneficium quod matri contulisti, sicut eleemosynã patris vocat, eam, quę patri est impensa, benignitatem. Quod obscurius his verbis est dictum, clarius explicatur sequenti sententia.

17 *Et in die tribulationis commemorabitur tui, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.*

IN verbo commemorabitur, intelligitur ipsa patris eleemosyna, significatúrque quòd ea in die tribulationis pro te causam tuam aget apud Deum, ita vt aliis afflictis tu sis liber, aut in tribulationem aliquam merito tuorum peccatorum prolapsus, ab ea merito beneficentiæ patri exhibitæ libereris, ita vt sicut glacies soluitur per auræ serenitatem, solis scilicet ardore tunc glaciem dissoluente: sic etiam tunc soluantur peccata tua, & pro tristibus læta succedant. Apta comparatione peccata glaciei, eleemosynam verò serenitati ac solis splendori comparat, quòd sicut glacies frigoris rigore concrescit, ac tristitiam temporis inducit: ita & peccata ex charitatis defectu contrahuntur, ac calamitatum mœrorem afferunt. Sicut autem per solis splendorem & ardorem glacies soluitur, eáque soluta, succedit auræ fauor & gratia: ita & per eleemosynam, mentis frigiditate sublata, redit Dei benignitas & beneficentia. Notandum autem quantam emphasim habeat quòd in die tribulationis dicat peccata soluenda, sicut in sereno glacies, significans diem tribulationis vertendam in diem serenam, ac cum aliis erit dies nubilus, misericordi fore serenum.

18 *Quàm malæ famæ est qui dereliquit patrem, & est maledictus à Deo qui exasperat matrem.*

PRo, malæ famæ, Græcis est, βλάσφημος, quę dictio significat & maledicum & execrabilem, hoc est, eum qui apud omnes malè audit. In quo secũdo significatu accipitur à quibusdam hoc loco, vt bene verterit interpres; quàm malæ famæ est is qui derelinquit patrem; non succurrendo scilicet ei in necessitatibus ipsius. Potest tamen quo Græcis est, ὡς βλάσφημος, iuxta primam significationem verti etiam sic veluti blasphemus, hoc est, maledicus, vt alludatur ad legem quæ est Exod. 21. & Leuit. 20. Qui maledixerit patri suo ac matri, morte moriatur: & significetur eum qui patrem in necessitate deserit, morte dignum esse, non secus quàm is qui patri suo maledicit. Cui sensui magis conuenit quod sequitur; & est maledictus à Deo qui exasperat matrem; hoc est, qui eam, vel sua rebellione vel sua desertione ad iram prouocat & exacerbat.

19 *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.*

POst doctrinam eam qua specialiter hortatus est ad humanitatem & beneficentiam parentibus exhibendam, progreditur ad docendum generalem tum humanitatem tum beneficentiam: primum quidem humanitatem & modestiã erga omnes exhibendam requirẽs, deinde & beneficẽtiam egenis omnibus præstandam. Fili, inquit, cum mansuetudine opera tua perfice atque exequere, Mansuetudo enim valde com

commendat hominis opera, eáque vtiliora aliis reddit: vnde sequitur; & super hominum gloriam diligeris; pro quo Græcis est, καὶ ὑπ᾽ ἀνθρώπου δεκτοῦ ἀγαπηθήσῃ, hoc est, ab homine probato diligeris, vel pro homine probato, accepto vel grato diligeris. Nam præpositio ὑπὸ nonunquam ponitur ἀντὶ τοῦ πρό. Nostra lectio sic rectè accipitur, propter mansuetudinem diligeris magis quàm ob gloriam hominum, hoc est, splendorem aliquem & excellentiam humanam. Quo significatur, mansuetudinem homini magis conciliare dilectionem aliorum, quàm gloriam & sublimen aliquem apud homines statum, qui metum potius incutit quam amorem. Aut est sensus: præter gloriã quàm apud homines obtinebis, etiam consequeris hoc vt ab eis diligaris.

Philip. 2. b

20 *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

QVoniam mansuetudo subsistere nequit, nisi per humilitatem, rectè post mansuetudinem hortatur ad humilitatem & modestiam, quam etiam Christus cũ mãsuetudine coniunxit, dicens; Discite à me quia mitis sum & humilis corde. (Matt. 11.) Græcis autem est; Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus: pro eo quod est; quanto maior es, tanto magis humilia te. Cuius sententiæ vtilissimæ rationem duplicem reddere licet, alteram ad homines alteram ad Deum pertinentem. Nam quod ad homines attinet, quo quis in sublimiori gradu est constitutus, sicut magis subiectus est multorum inuidiæ, & cum multis negotia communia habere debet: ita magis adniti debet, vt modestia ac demissione sui & inuidiam declinet ac superet, & facta sua commendet; vtilioráque reddat. Quod verò ad Deum pertinet, quo quis maior est, hoc demissius agnoscere debet se plura à Deo accepisse, itémque se ad ampliorem rationem illi reddendam astrictum esse, iuxta illud Gregorij homil. 9. in euang. Cùm augétur dona, rationes etiam crescũt donorum. Tantum ergo humilior, atque ad seruiendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Diuus Augustinus citat hãc sententiam libr. de sancta virginitate cap. 31. vbi legit tanto humilia. Ei indicat tertiam rationem huius sententiæ, nempe propter maius superbiæ periculum. Mensura, inquit, humilitatis, cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Post hanc sentẽtiam sequitur apud Græcos in complutensi æditione sententia quæ in nostris deest, & similiter in Germanico exẽplari, qua declaratur quod dictum est; coram Deo inuenies gratiam. Multi excelsi & gloriosi, sed mansuetis reuelantur secreta. (Psal. 24.) Cui conuenit illud Psalmi: Docebit mites vias suas. Sed quod sequitur magis cohæret cum nostra lectione.

21 *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

IDeo, inquit, inuenies gratiam coram Deo per humilitatem quia solus Deus est cui competit magna potentia, quia solus omnia quæ vult facit: & ab humilibus honoratur, quia illi eius potentiam agnoscere se declarant, dum humiliant se sub potenti manu Dei, cùm contrà superbi qui Deo obedire recusant, nec eum metuunt, Dei honori quantum in ipsis est, detrahunt. Vnde & Iacobus secutus Salomonem dicit; Deus superbis resistit, humilibus autẽ dat gratiam. (Iaco. 4.)

22 *Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris.*

POsth umilitatem & modestiam in agendo & conueniendo aliis, requirit & humilitatem in appetẽda scientia & rerum cognitione. (Prou. 25. d) Addunt Græca in Complutensi æditione in vtroque membro aduerbium aliquod; Altiora te ne quæsieris ἀνανοήτως. hoc est, imprudenter vel inconsideratè: & fortiora te ne scrutatus fueris ἀφροσύνῃ, hoc est, stultè, quasi non prohibeatur omnis horum inquisitio, sed tãtum immodica & stulta. Sed germanica æditio hæc aduerbia non habet. Altiora & fortiora vocat maiora & difficiliora, quàm vt quis ea assequi intelligendo possit quæque superant intelligentiæ vires. Hoc ergo hic monet Sapiens quod Paulus: Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. (Rom. 12.) Periculũ quod est in hoc vitio curiositatis & temeritatis, indicat Sapiens in Prouerbiis: Qui scrutator est, inquit, maiestatis, opprimetur à gloria. (Prou. 25.)

23 *Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.*

24 *Non est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis.*

25 *In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus.*

GRæcis non est illa pars, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, sicut nec in sequenti sentẽtia, vbi idem apud nos repetitur. Videtur appositum vt operibus nostris Dei opera opponantur, quasi dicat, cogita assiduè opera quæ tibi incumbunt facienda, Dei verò pleraque opera noli curiosè inquirere. (Prou. 25.) Cuius causa prima subiungitur: Non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, hoc est, quæ captum tuum excedunt, quæque Deus hominibus non voluit manifestare, videre oculis tuis; quasi dicat necessariis rebus cognoscendis tãtum vacandum est. Vnde subdit, In superuacuis rebus, hoc est, in superfluis, quæque ad vitæ institutionem & necessariam vel vtilem cognitionem non pertinent, noli scrutari multipliciter.

26 *Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.*

27 *Multos enim supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.*

PRiori sententia secunda redditur ratio cauendæ curiositatis. Plurima enim, intelli

quit, super sensum, hoc est, supra intelligentiam, & captum hominum ostensa sunt tibi: Græcè enim est, πλείονα γὰρ τῆς συνέσεως ἀνθρώπων ὑπεδείχθη σοι; hoc est, plura enim quàm sensus hominum capiat, ostensa sunt tibi. Quo significat non omnia quæ ostensa sunt curiosè inquirenda, quod pleraque captum nostrum excedant; Aut inter ea quæ nobis ostensa sunt, & quæ vel scire vel facere nos oportet, esse multa quæ vires nostræ intelligentiæ superant, vt satis sit in illis ingenium occupari, nec debeat etiam ad alia transcendere. Tertia deinde subiicitur ratio, a curiositate scientiæ dehortans, cùm dicit: Multos enim supplantauit, &c. Quod Græcè est, Multos enim decepit opinio eorum vana: & cogitatio mala labefecit mentem, vel mentes eorum. Est enim pro supplantauit, ἐπλάνησεν, decepit, quod etiam Latinis significat nonnunquam supplantare. Et pro sensus, est διάνοιαν, vel διανοίας, hoc est, mentem vel mentes. Sed interpres sæpe sensum pro mente ponit & pro intelligentia. Significatur ergo multos deceptos & vanos effectos, quòd suspicarentur & opinarentur se intelligere quæ non intelligebant, nec intelligere poterant, quemadmodum patuit in philosophis plerisque & hæreticis, qui dicentes se esse sapientes: stulti facti sunt. (Roma. 1.) Sequitur post hæc in æditione Complutensi sententia, quam nec nos nec Germanicum exemplar habet: Pupillas non habens carebis luce intelligentiæ autem expers, ne profitearis. Quo significatur, cognitionem in professione debere esse quasi pupillam in oculo, qui lucem percipere non potest, nec toti corpori eam communicare, si careat pupilla, hoc est, visu qui in pupilla residet. Ita cognitionis expers non potest aliis lucem communicare, vnde à professione & doctrina abstinere debet.

28 *Cor durum habebit malè in nouißimo, & qui amat periculum in illo peribit.*

COr durum, vocat cor pertinax & obstinatum in malo, & in sua præconcepta opinione, quodque non cedit aliorum monitis: id etsi aliquandiu toleretur à Deo propter pœnitentiam, tamen in nouissimo, hoc est, tandem malè habebit, quia affligetur malo, ídque eo grauius, quia iuxta Paulum secundum duritiam suam & impœnitens cor suum thesaurizauit sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Talis etiam rectè dicitur amare periculum, quia sic se gerit ac si amaret, dum monitus de periculo vitare illud non vult, proinde dignus est qui in illo quod amauit pereat. Generaliter tamen amat periculum omnis peccator qui id amat in quo subest periculum. Et videtur hæc generalis sententia subiuncta occasione curiositatis à qua dehortatus est, monstrato periculo quod illi subest, vt significet merito curiosos illos perituros, si periculo demonstrato pergant in sua curiositate. Bene etiam post præcepta humilitatis subiicit quædam contra superbos, qui duro corde salutaria monita non recipiunt.

29 *Cor ingrediens duas vias non habebit successus, & prauum Cor in illis scandalizabitur.*

HAnc sententiam Græca nunc habent, conuenientem tamen habet sensum. Quod autem cor ingrediatur duas vias, ex superiori capite intelligitur, nempe quod non syncerè Deum quærit, sed duobus dominis vult seruire. Huiusmodi dicit scandalizandum in illis duabus viis, hoc est, scandalum & offendiculum passurum atque ruinam, per hoc quod nõ syncerè rectam viam ambulat sed duas vias sectatur, partim Deo, patim mundo seruiens. Legitur autem hic versus variè. Nam pro; successus; quidam libri habebant, requiem: alij, successus vel requiem: pro prauum cor, quidam habent prauicors, alij prauicordius, alij prauus corde, alij praui cor. Tanta est codicum varietas.

30 *Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adijciet ad pecandum.*

GRæca pro, cor nequam, rursum habent vt prius καρδία σκληρὰ, Cor durũ, quod vere dicitur cor nequam, vt quod sit deploratæ malitiæ. Hoc dicit grauandum in doloribus, quia sibi semper maiores & grauiores parat dolores & mala, thesaurizãs sibi iram, quia peccator, hoc est, qui peccatis totus est deditus, nullius monitionibus reuocatur à peccatis, sed præcedentibus peccatis semper adiiciet ad amplius peccandum, pro quo Græcis est; Peccator addet peccata super peccata.

31 *Synagogæ superborum non erit sanitas, frutex enim peccati eradicabitur in illis, & nõ intelligetur.*

PRo synagogæ, Græcis est, ἐν ἐπαγωγῇ, aut ἐπαγωγή. Hac autem dictione capite superiori & aliis locis vtitur interpres pro punitione & malo quod alicui inducitur atq; infertur, vnde sensus est; In punitione superbi non est sanitas, hoc est, superbi qui noluerũt audire salutaria monita, sed ea duro corde reiecerunt, perseuerantes in peccatis, cùm tempus punitionis illis aduenerit, puniẽtur sine reparatione & curatione. Noster legisse se declarat συναγωγή. Quod sequitur, aliter Græca sic habent; Viæ eius eradicabuntur, planta enim malitiæ radices misit in eo, hoc est, quoniam malitia ita in ipso hæsit & fixa fuit vt radices firmas in eo miserit, nec vllis monitionibus ab ea diuelli se passus est, ideo suo tempore viæ eius penitus eradicabũtur, vt restitui non possit. Vnde facilè intelligi potest quomodo nostra lectio sit accipiẽda, nempe; Congregationem superborum, qui nunc nullam volunt admittere curationem suo tẽpore etiam sine curatione perdẽdam, quia frutex peccati, hoc est, omnis eorũ ad peccandũ potestas, in qua iam bene radicati videntur & firmati, eradicabitur pœnitus & tolletur ab eis, ita vt amplius nõ intelligatur nec agnoscatur esse vel fuisse, hoc est, tolletur sic vt non supersint reliquiæ, iuxta illud; Vidi impiũ superexaltatum & eleuatũ sicut cedròs libani: Et transiui, ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. (Psal. 36.)

32 Cor

32 *Cor sapientis intelligitat in sapientia, & auris Bona audiet cum concupiscentia sapientiam.*

GRæca habent; Cor hominis intelligentis cogitabit parabolã, & auris auditoris desiderium sapientis. hoc est; Cor hominis intelligentis meditatur sermones reconditos, eius cogitatio est in grauibus & abditis scripturæ sacræ sententiis & misteriis, & aurem attentam desiderat sapiens, vel auris attenta desiderat sapientem, hoc est, non diuellitur ab eo, sed eũ audire cupit. Vnde nostra lectio sic commode accipitur; Cor sapientis agnoscitur per hoc quod sapiẽtiam lubenter audit, atque de ea meditatur. Hoc enim conuenit cum eo quod sequitur, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Quidam libri habent, intelligetur, alij intelligitur, futurum tempus magis conuenit cum Græcis.

33 *Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis & in operibus iustitiæ successus habebit.*

¶Hanc sententiam Græca non habent, & per sese facilis est.

34 *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.*

POst doctrinam humilitatis & modestiæ digreditur ad doctrinam beneficentiæ omnibus egentibus exhibendæ, quam multis prosequitur capite sequenti. Pro resistit peccatis, Græcis est, ἐξιλάσεται ἁμαρτίας, hoc est, expiat peccata. Debet autem per cõparationẽ intelligi, vt sit sensus. Sicut ignẽ extinguit aqua, &c. quomodo citat Diuus Cyprianus in sermone de eleemosyna, & lib. 3. ad Quirinum, vbi & pro, resistit peccatis, legit, extinguit peccatum. Sic citatur etiam in libr. de rect. Catho. conuer. in operibus Augustini. Est autem apta hæc comparatio, consistens in hoc, quod sicut ignem ardentem & lædentem aqua sic extinguit vt non lædat, imo ne sit quidem: ita eleemosyna sic peccata extinguit & expiat, vt quæ instar ignis hominem læderẽt & perderent, atque in ignem inextinguibilem mitterent, amittant perdendi vim, & omnino esse desinant, quia intuitu eleemosynæ remittuntur. vnde Daniel, Peccata, inquit, tua eleemosynis redime. Noster ergo rectè dixit eleemosynam resistere peccatis, quia cum peccata vrgeãt & exigant vltionem, eleemosyna placando Deum illam impedit, & vt remittatur impetrat, ludicium enim sine misericordia ei qui non facit misericordiã. Super exultat autem misericordiam iudiciũ. D. Cyprianus in sermone de eleemosyna, per aquã mysticè intelligit baptismum, & per ignem, gehẽnam. Hic, inquit, ostẽditur & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris, gehennę ignis extinguitur, ita eleemosynis atque operationibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remissa peccatorum datur, assidua & iugis operatio, baptismi instar imitata. Dei rursus indulgentiam largitur.

Dani. 4.

Iacob. 2.

35 *Et Deus prospector eius qui reddit gratiã, meminit in posterum, & in tẽpore casus sui inueniet firmamentum.*

PErperam hic versus legitur in multis libris qui habent; Et Deus prospector est eius qui reddit gratiam; vt deinde noua sequatur sententia, Meminit in posterum, & intelligunt relatiuum, qui, referri ad pronomen, eius, vt significetur Deum prospicere eum qui alteri gratiam facit & miseretur, cùm ad Deum debeat referri. Nam Græca habent, ὁ κύριος ἀνταποδιδοὺς χαρίτας μεμνηται, Et Deus reddens gratias meminit. Illud enim, prospector eius, non est Græcis. Legendum est ergo apud nos sine verbo, est, Et Deus prospector eius qui reddit gratiã, meminit in posterum; quomodo multos libros manuscriptos habere deprehẽdi. Et est sensus: Deus cõspector vel prospector ipsius eleemosynæ, Deus, inquam, qui retribuit gratias pro gratia alteri præstita, is meminit eius eleemosynæ in futuro tempore cum mala incidunt, vt tunc intuitu eleemosynæ à malis præseruet, aut liberet eum qui fecit eleemosynam, & ille in tempore casus sui, hoc est, cum inciderit in peccata, vel potius in calamitates aliquas, inueniet firmamentum in quo scilicet consistat, vt non penitus pereat sed sustentetur & conseruetur hoc est, consequetur sustentationem & subleuationem intuitu misericordiæ præstitæ. Eleemosyna enim, inquit Tobias, ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

Tob. 4.

Caput quartum.

1 *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos non transuertas a paupere.*

RO, eleemosynam, Græcis est ζωὴν, hoc est, vitam. Dicitur autem non defraudes vitam pauperis, pro non defraudes pauperem eo quod ad vitam ei est necessariũ, hoc est, victu. Nam sicut *Vita* Græcis & vitam significat & victum, ita & ζωὴ. Et apud nos ergo, nõ defraudes eleemosynam pauperis, politũ est, pro non defraudes pauperem eleemosina; quanquam non est Græcis propriè defraudes, sed ἀποστερήσῃς, hoc est, priues, vt significetur pauperi subtrahi quod eius est, & ei debetur. Est enim eleemosyna pauperis, ea quæ ei debetur, aut quam ille petit. Secunda pars Græcis est καὶ μὴ παρελκύσῃς ὀφθαλμοὺς ἐπιδεεῖς, & ne protrahas oculos indigentes, hoc est, non sinas pauperes diu in te respicere dum petunt eleemosynam, nec protrahas eorum desiderium, sed da citò quod dandum est. Nostra lectio idem significat, oculos scilicet non transuertendos à paupere, vt cùm ille intentè respexerit petens eleemosynam, non in diuersam partem oculos nostros vertamus, dissimulando nos videre quod ille in nos respiciat. Simile habetur Tob. 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, sic enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Ab hoc inclemẽtiæ vitio magis adhuc reuocat sequenti sententia.

Tob. 4.

2 *Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua.*

DEspicimus animam esurientem, cùm non dignamur ad eius inopiam attendere, ac declaramus nos ea non moueri ad misericordiam: quod quia non fit, malum inopis augetur, & pauper magis exacerbatur, bene subiicitur, & non exasperes pauperem in inopia sua, tua scilicet dissimulatione eius malum duplicãdo, eúmque ad iram atque tristitiam prouocando, vtriam duobus malis affligatur, inopia scilicet & tristitia, vel ira & neglectu suiconcepta. Græca pro despexeris, habent ἀνάπαυσον, hoc est contristes, & pro, non exasperes pauperem, habent καὶ παροργίσῃς ἄνδρα, non protrahas virum. Itaque significatur idem quod sequẽti sententia, benignitatem scilicet non protrahendam, ne dilatione pauper torqueatur.

3 *Cor inopis ne affligeris, & non protrahas datum angustiati.*

4 *Rogationem contribulati ne abijcias, & ne auertas faciem tuam ab egeno.*

GRæca priorem partem primę sententiæ paulò habent efficaciorem, Contristatum ne conturbes. Significat offensionem hominis inopis ex miseria commotam, non esse augendam cunctatione ac despectione, multo verò minus acerba verborum repulsione. Secunda pars docet etiã citò dandum, iuxta illud Prouerb. 3. Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. His sententiis multis quibus ab inclementiæ vitio reuocat idem sæpius inculcando, indicat & quàm malum hoc inhæreat fixè corruptæ hominum naturæ, & quàm multa mala hoc in se complectatur. Primùm, quia per hoc subtrahitur pauperi quod ei debetur, imò vita ipsa. Deinde, quia per hoc additur afflicto afflictio. Et ne putẽtur hæc ab immisericorde impunè fieri, subiicit inopi neglecto dari occasionem maledicendi, vt si non moueamur ad misericordiam alieno malo, saltem nostri mali metu moueamur. Et cuius non metuamus vim atque potentiam, saltem metuamus malam imprecationem. Dicit ergo.

5 *Ab inope nõ auertas oculos tuos propter iram, & ne relinquas quærentibus tibi retro maledicere.*

6 *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit illum.*

NE enim quis contemnendam putet huiusmodi maledictionem pauperum, dicit eius imprecationẽ Deum exauditurum, vtpote qui eum creauit, & proinde eius curam gerit, & sibi imputat factam iniuriam pauperi creaturæ suæ irrogatam. Ad insinuandam enim iustam maledictionẽ quam Deus exaudiat, additur, in amaritudine animæ, hoc est, eius qui tibi male precatur non ex vanitate, non ex iniquitate, sed ex amaritudine animæ, quã tu iniquè in eo prouocasti. Notandum autem illud, propter iram, in quinta sententia, non esse Græcis. Et potest intelligi vel de ira Dei, vel potius de ira pauperum. Quod nos habemus, non relinquas quærentibus tibi retro maledicere; clarius Græca habent, Et ne des locum homini maledicendi tibi, vnde nostra lectio sic est ordinanda: quærentibus, hoc est, postulantibus à te eleemosynam, non relinquas tibi retro maledicere, hoc est, non des occasionem vt malè precentur tibi, idque retro, hoc est, secretò & post tergũ; quia scilicet tibi ob pauperiem non audent coram maledicere, quasi dicat, Nos sis securus etiamsi non audias eos tibi malè præcantes, time etiam eorum occultam imprecationem, quam tanquam iustam iustus Deus & pauperum protector exaudiat.

7 *Congregationi pauperum affabilem te facito, & presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum.*

GRæcis non est dictio, pauperum, quam interpres de suo addidit, quia & prius & postea de pauperibus agitur. Nec est, affabilem, sed προσφιλῆ, hoc est, amabilem. Nec est, presbytero humilia animam tuam, sed tantum quod sequitur, Et magnato (pro magnati) humilia caput tuum, ita vt sit sententia bimembris, qua præcipitur moderatio ad dignitatem & conditionem personarum accommodanda, vt scilicet cum multitudine comiter atque æquabiliter viuamus, sicque nos amabiles præbeamus; aduersùs verò principem reuerentiam exhibeamus, eúmque eo nos modestè & submissè geramus. Nam apud populum cum quo viuendum est æquo iure, superbia hominis se supra cõmunem conditionem efferentis importuna est & odiosa, comitas verò grata: apud principem verò nimia familiaritas & fiducia, cõtemptum adfert.

8 *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacificè in mansuetudine.*

ET hic Græcis non est illud, & redde debitum tuum, vt sit etiam bimembris sententia, qua duo præcipiuntur, videlicet vt & pauperum preces benignè audiantur, & eisdem benignè atq; amicè respondeatur. Nam est illis, responde illi pacificè, sed ἐραστικὰ, hoc est, pacifica, atque sic habebant scripta plæraque quæ erant ad manum antiqua, & Dionysius. Pacifica autem respondere, est ea dicere quæ animo eius pacem & tranquillitatem sunt allatura. Reddit debitũ suum pauperi, qui lubẽter eum audit, & benignè ei respondet, & pro facultate sua ei subcurret.

9 *Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi, & non acide feras in anima tua.*

POsteriorem partem sic habent Græca, μὴ ἀλιγοψυχήσῃς ἐν τῷ κρίνειν σε, hoc est, non sis pusillanimis in iudicando, vel vindicãdo. Nam hoc loco iudicare pro vindicare posita videtur, vt hoc præceptum pertineat potissimùm ad iudicem vel magistratum, quẽ monet Sapiẽs, vt eum qui se defendere

non poteſt, liberet de manu potentioris, atque in ea re non ſit paruo animo, vt ſcilicet ob metum aut gratiam potẽtis, omittat ſuccurrere pauperi pro officio. Itaque dum noſter vertit, non acidè feras; dictio, acidè, non deriuatur ab acidus, ſed à dictione Græca, acedia, pro quo vulgò dicitur accidia: vnde & hic multi libri ſcripti habent accidè, quo modo interpretem vertiſſe veriſimile eſt, ſicut & cap. 6. vertit; non accedieris in vinculis eius, proinde dictio acidè vel accidè hic pronuncianda eſt penultima longa. Senſus ergo noſtræ lectionis eſt; hanc quam dixi præſtandam liberationem non feras in animo tuo accidè, hoc eſt, cum tedio & triſtitia; hoc eſt, non ſit tibi tædipſum eam præſtare, libenter & volenti animo eam impẽde. Sunt qui pro, in anima tua, habent, in manu tua, ſed corruptam eſſe hanc lectionẽ ſatis Græca indicant.

10 *In iudicando esto pupillis misericors ut pater, & pro uiro matri illorum.*

11 *Et eris tu uelut filius altißimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.*

IN his duabus ſententiis addita ſunt ab interprete duo illa adiectiua, miſericors & obediens, quæ Græcis non ſunt. Præceptum hoc præſtitit Iob 21. qui de ſe dicit; Liberaui pauperem vociferantem, & pupillum cui non eſſet adiutor, & cor viduæ conſolatus ſum. Pater eram pauperum. Cúmque ſederem quaſi Rex circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Notandum autem quàm apertè in ſecundo verſu reſpondeat merces ipſi miſericordiæ quæ in priori verſu præcipitur; Si, inquit, orphanis non habentibus patrem te exhibueris vt patrem, & matri eorum non habenti virum te pro viro & marito exhibueris, Deus viciſſim ſe geret erga te tanquam patrem erga filium ſuum, imo re vera tu eris illi tanquam filius vnicè charus, quòd fueris obediẽs præceptis eius, & plus quàm mater tua miſerebitur tui, vel, vt habent Græca, diligit te. Pro mercede ergo intelligi debet illud, Et eris tu velut filius altiſſimi, quomodo & Lucæ 7. Date mutuum, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filij altiſſimi.

12 *Sapientia filijs suis uitam inspirat, & suscipit exquirentes se, & præibit in uia iustitiæ.*

SEcunda hæc eſt pars huius capitis, in qua iam nouã materiam auſpicatur, pulchrè pertractans ſententiis duodecim ſapientiæ officia & actiones, in electis & fidelibus, ſed quæ non cum tanta gratia & efficacia exprimuntur in noſtra verſione, quàm in originalibus, quæ hic magnam lectori afferre poſſunt voluptatem & vtilitatem. Bene autem ſuperioribus iſtud ſubiicit, vt poſtquam dixit Deum miſerturum ſuorum, iam mutato nomine Dei in nomen ſapientiæ, oſtendat quę bona Deus per ſuam ſapientiam eis largiatur, & quomodo cum ſuis agere ſoleat. Pro, filiis ſuis vitam inſpirat; Græcè eſt, υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσεν, filios ſuos exaltauit ac euexit. Interpres videtur legiſſe, ἐψύχωσεν. Sapientiã eandem dicit ſuſcipere exquirẽtes ſe, quòd eos veluti manu porrecta in ſuam diſciplinam, fidem atq; tutelam recipiat. Vnde pro eius explicatione additum eſt ab interprete, veluti pro commentario; & præibit in via iuſtitiæ; viam ſcilicet cõmonſtrans, & in ea deducens. nam ea pars Græcis non eſt.

13 *Et qui illam diligit: diligit uitam: & qui uigilauerint ad illam, complectentur placorem eius.*

PRimum, &; Græcis non eſt, ſed ſine connexione abſolutè dicitur; ὁ ἀγαπῶν αὐτὴν, diligens eam. Pro, complectentur placorem illius, eſt ἐμπλησθήσονται εὐφροσύνης, replebuntur lætitia. vnde certum eſt non eſſe legendum, placatorem, ſicut habent multa ſcripta, ſed placorem, hoc eſt, ſuauitatem eius. Significat eos percepturos ſuauitatem & dulcedinem ipſius, qui manè eam ſtudioſè quæſierint, cupientes ab ea inſtrui, & ſoliciti tunc vt eam inueniant.

14 *Qui tenuerint illam, uitam hæreditabunt, & quo introibit, benedicet Deus.*

GRæcis in primo membro nõ eſt, vitam, ſed δόξαν, hoc eſt, gloriam, & eſt ſingulari numero: Qui tenuerit illam, hæreditabit gloriam. Quod cõuenit ſequenti; & quo introibit, hoc eſt, quocunque introibit talis qui illam tenuerit, Deus illum benedicet. Non eſt enim ſenſus; Quò introibit ſapientia, vt quidam intelligunt, ſed ſignificatur eum qui poſſidet, & firmiter retinet ſapientiam, in omnibus actibus & conatibus ſuis benedicendum à Deo, qui omnia eius ſtudia fortunabit & proſperabit, iuxta illud Pſalmi primi: Omnia quæcunque faciet proſperabuntur. Et Deuteronomij vigeſimoöctauo: Benedictus eris ingrediens & egrediens. Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum, benedicétque cunctis operibus manuum tuarum. Debuiſſet ergo interpres in vtroque membro aut ſemper vertiſſe ſingularem numerum, aut ſemper pluralem. Certè codex Atrebatenſis collegij habebat: & quò introibunt.

15 *Qui seruiunt ei, obsequentes erunt sancto, & eos qui diligunt eam diligit Deus.*

PRior huius ſententiæ pars longè aliud Græcis ſignificat, quàm ex noſtra lectione ſola concipi poſſet. Notandum enim illis pro, qui ſeruiunt, eſſe οἱ λατρεύοντες, participiũ ſcilicet eius verbi vnde deriuatur λατρεία, quę à δουλεία ferè diſtinguitur, & diuinis ferè rebus appropriatur. Pro, obſequentes erũt, eſt λειτουργήσουσιν, verbum ſcilicet quod deriuatur à nomine λειτουργία, quod ſacrificiũ ſignificat, & miniſterium ſacrũ ac publicum quo Deus colitur: vnde Septuaginta ferè vtũtur verbo λειτουργεῖν, quando fit mẽtio de miniſterio Aaron & Leuitarum, in Leuitico & numeri. Itaque Sapiẽs hic ſignificat eos, qui ſapiẽtiæ ſe

addicũt, eámq; colunt, eſſe velut ſacrorũ miniſtros, & Dei ſacerdotes, vt intelligatur eorum apud Deũ excellẽtia. Et poteſt datiuus, ſancto, accipi vel pro Deo, vel in neutro genere pro ſanctuario, quod eo magis videtur, quia nõ additur Græcis articulus τῷ ſed tãtum dicitur λειτουργήσουσιν ἁγίῳ. Apud nos ergo illud, obſequentes erunt ſancto, accipi debet pro, miniſtri erũt Dei vel ſanctuarij. Et videri poteſt authorẽ huius libri reſpexiſſe ad illud Iſa. 61. Vos autẽ ſacerdotes Domini vocabimini: Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis; vbi Septuaginta habent pro miniſtris λειτουργοί.

16 *Qui audit illam, iudicabit gentes, & qui intuetur illam, permanebit confidens.*

PRo, qui intuetur illam, eſt ὁ προσέχων αὐτῇ, hoc eſt, qui attẽdit illi. Solent autem qui cuipiam auſcultant, intentè in illum reſpicere, vnde intueri illam, poſuit interpres pro, auſcultare illi, & ad eius monita & præcepta attendere, eíque obedire. Pro, permanebit, eſt κατασκηνώσει, hoc eſt, habitabit, vnde veriſimile eſt interpretem vertiſſe manebit pro habitabit. Itaque hoc verſu Sapiens duplicem ſapientiæ fructum promittit, gubernationem populorum, & ſecuritatem vitę: quorum vtrunque in hac vita, & multò magis in futura ſuis confert ſapientia. nam & in hac vita per ſapientiam fiunt idonei qui populis regendis præficiantur in politia ſeculari atque Eccleſiaſtica, & per eandem in futura vita impletur in eis illud Sapientiæ 3. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. Cùm ergo in ſuperiori verſu ſapientiæ ſtudioſos indicauerit fore Dei ſacerdotes, hic indicat etiam reges futuros, quẽadmodum & prædicto loco Iſaiæ vtrunque inſinuatur in fidelibus implendum.

17 *Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illorum.*

PRo, crediderit ei, Græcis eſt, ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, quod, cum ſequentia reſpicimus, magis vertendum erat, ſi fidelis fuerit, hoc eſt, ſi ſe illi fidum exhibuerit, & firmiter atque conſtanter ei adhæſerit. Talis enim hæreditabit illam, quia ipſa hic nunquam illum deſeret, & poſt hanc vitam perpetuò poſſidebitur ab eo. Poſteriorem partem ſic habent Græca, καὶ ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτῶν, hoc eſt, in detentione (vel poſſeſſione) erũt generationes eorum. Quo ſignificatur etiam liberos eorum qui ſapientiæ adhærẽt, poſſeſſionem ſapientiæ retenturos. Itaque per creaturas eorum oportet intelligere eorum filios, & ſemen ſiue carnale ſiue magis ſpirituale, eos ſcilicet quos ipſi genuerũt, qui dicuntur fore in confirmatione, quia confirmabuntur, & ſtabilientur in terra, iuxta illud; Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Eſt autem in relatiuo, eorum, mutatio numeri frequens in ſcripturis, quãuis æditio Germanica habeat αὐτῆς, ſicut & codex Atrebatenſis habebat, illius.

18 *Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis elegit eum.*

GRæcè ὅτι διεστραμμένως πορεύεται μετ' αὐτοῦ ἐν πρώτοις. Quoniam peruersè (vel obliquè aut contortè) ambulat cum illo imprimis. Quod vt rectè cum ſequentibus intelligatur aduertere oportet duplicem hic viam ac rationem proponi, quam ſapiẽtia ſequitur erga ſuos. Vnam obliquã, indirectam, toruam ac triſtem, qua ſuos in principio ducit per multas tribulationes, multíſq; moleſtiis afficit: quæ via tentandi & probandi cauſa eſt inſtituta, vt cùm probati fuerint, ac digni reperti per perſeuerantiam; deinde altera via, cum eis agat, quæ recta eſt, plana, expedita, & læta, qua ſcilicet eis faciẽ benignam & hilarem exhibet, voluptate animi eos afficiens, & variis beneficiis ac ſolatiis eos donans, & hic & multò magis poſtea. Itaque in noſtra lectione, tentatione, pro probatione accipi debet, vt ſit ſenſus: ſic in primis agit cũ eo, vt illius per multas tribulationes conſtantiam probet, tentet & exploret. Et imprimis, hoc eſt, in principio elegit eum, hoc eſt, delectum eius facit, probat & diſquirit, neque temerè eum mox ſuſcipit. Sic enim ſequentia exigunt vt exponatur illud, imprimis elegit eum, pro quo multi malè habent, elegit eum. Quæ enim eligimus, ea probamus & exploramus qualia ſint. Quomodo autem ſapientia delectum faciat, & in tentatione ambulat cum eo qui incipit ei ſe addicere, explicat cum ſequitur:

19 *Timorem & metum, & probationem adducet super illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ.*

20 *Donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius.*

ILlud, & probationem, additum eſt ab interprete, ad explicandum quare inducet timorem & metum, nẽpe ad probationem. Pro, in tribulatione doctrinæ ſuæ, eſt ἐν παιδείᾳ αὐτῆς, hoc eſt, in diſciplina vel caſtigatione ſua. Tribulationem ergo doctrinæ vocat afflictionem qua illum vult erudire & docere vt ſeipſum agnoſcat: Donec, inquit, tentet eum in cogitationibus illius. Sic enim habebant omnia quæ vidi ſcripta, & magis ſenſui conueniret, ſed Græca habent, ἐν δικαιώμασιν αὐτῆς, in iuſtificationibus ſuis, vnde magis legendum videtur, in cogitationibus ſuis, nempe ſapientiæ. Significatur ergo ſapientiam moleſtiis & metu afficere ſuos imprimis, donec probauerit quàm ſint eorum cogitationes firmæ, & explorauerit an ei placeant cogitationes ſapientiæ: & ſic demum credere poſſit de illis quòd ſint futuræ ſtabiles, quódque ex animo virtutem ament. Loquitur enim per proſopopœiam de ſapientia, veluti de præceptore aliquo, qui cùm ſuſcepit diſcipulos erudiendos, prius eorum explorat animos & ingenia: quæ vbi probè cognita habet, & ſuis inſtitutis videt accommoda, tum demum eos peculiari fauore proſequitur, eíſque amorem ſuum declarat. Dum autem hæc ſic per fictionem, ſapientiæ tribuuntur, intelligendum eſt nihil aliud ſignificari quam Deum

ipſum hæc per ſuam ſapientiam agere in ſtudioſis ſapientiæ, atque hos ſapienti Dei diſpoſitione in ſuæ conuerſionis principio aſpera multa ſentire, ac variis premi tentationibus: eoſdem tamen ſi aliquãdiu perſeuerauerint, omnia poſtea experturos leuiora, ac multa replendos conſolatione: contrà quam accidit his qui vitiis ſunt dediti, quibus vita carnalis imprimis læta videtur, ſed poſtea eius ſentiunt incommoditatem, ita vt dicant Sapientiæ 5. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles. Et de eiſdem dicitur: Viam pacis non cognouerunt, ſed contritio & infœlicitas in viis eorum. Ideaque ſequitur:

21 *Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum & lætificabit illum.*

22 *Et denudabit abſconſa ſua illi, & theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum iuſtitiæ.*

PRima illa verba, & firmabit illũ, non ſunt in Græcis, ſicut nec illa vltima, & theſaurizabit ſuper illum, &c. quæ addita videntur, ad explicandum illa verba, denudabit abſconſa ſua illi. Pro, & iter adducet directum ad illum, eſt καὶ πάλιν ἐπανάγει κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτόν. Et rurſum reuertetur rectà ad ipſum. Dixerat enim ſuperius, ſapientiam imprimis ambulare cum ſui ſtudioſo obliquè; quia in tẽtatione & probatione. Itaque ad illum qui iam probatus eſt dicit, eam recta via redire: rectã viam vocans eam, quæ gratior & commodior eſt, quæque diuinæ naturę magis eſt propria, viam ſcilicet cõſolationis & lætitiæ, qua probatos Deus poſtea afficit. Noſtræ ergo lectionis ſenſus eſt: Probatum, qui prius variis agitabatur tempeſtatibus & tentationibus, ſapientia firmabit, ſua illum conſolatione erigens & confirmãs, atque in firmum ſecuritatis ſtatum collocans, ſicq; iter ſuum directum adducet ad illum, hoc eſt, recta ad illum veniet, quæ prius in tentatione ambulauit cum eo: & quæ prius timorem & metum induxit ſuper eum, iam lætificabit eum quantum ad affectum, & quod attinet ad intellectum, denudabit illi abſcondita ſua myſteria, pleniori eum cognitione donans, & abundanter illum perfundens ſcientia & intellectu iuſtitiæ.

23 *Si autem oberrauerit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici ſui.*

PRo, in manus inimici ſui, Græcè eſt, in manus πτώσεως ἀυτῆς, hoc eſt, in manus caſus ſui hoc eſt, linet eũ cadere in mala ad quæ propendet. Hæc eſt autem iuſta pœna deſertorum, qui à ſapientia, cui ſe ſemel addixerũt, deſciſcunt atq; deflectunt, vt & ipſi à ſapientia deſerantur, deſertique miſerrimè pereãt, eíque tradantur qui eos malè tractabit. Et pertinet iſtud maximè ad eos, qui iamdiu probati, & poſtea experti ſapientiæ dulcedinem, poſtea ab ea deficiunt, iuxta id quod Paulus de talibus ſcribit ad Hebræos 6.

24 *Fili conſerua tempus, & deuita à malo, pro anima tua ne confundaris dicere uerum.*

POſt ſapientiæ commendationem, rectè iam ſubiungit, quid ſapientiæ adepto ſit faciendum. Conſerua, inquit, tempus, pro quo alij melius vertũt, obſerua tempus. quod dupliciter accipi poteſt. Vno modo, vt moneatur obſeruanda opportunitas temporis ad docendum alios, quia vt eſt Eccleſiaſtes 3. Omnia tempus habent. Tempus tacẽdi, & tempus loquendi. Altero modo, vt moneatur obſeruanda malitia temporis & ſæculi, ne quis per eam à recto declinet, ſed adhibita diligenti ſollicitudine & cautela ab illa ſit liber, iuxta illud Pauli, Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Eſt enim Græcis συντηρήσον verbũ, vnde deriuatur nomen ſynteresis, pro quo quidam malè dicunt ſyndereſis; & ſignificat attentionem, eámque partem animæ quæ vitiis opponitur, ſéque ſemper immaculatam ſeruare ſtudet. Huic ſenſui magis conuenit quod ſequitur, & deuita à malo, pro quo Græcis eſt, καὶ φύλαξαι ἀπὸ πονηροῦ, hoc eſt, caue à malo, à quo ſcilicet propter temporis malitiam tibi eſt periculum, ne fortè quid committas quod ſit contra conſcientiam. Et quoniam ob temporis huius malitiam ſolet ferè periculum eſſe à pudore quodam inutili & pernitioſo, dum quæ æquitas poſtulat, pudet vel dicere vel facere quia aliorum offenſa metuitur, bene ſubiungit; Pro anima tua ne cõfundaris dicere verum. In qua oratione addita ſunt ab interprete duo illa verba, dicere verum, cum Græcis ſit tantum, pro anima tua ne confundaris. Non enim tantum ſignificare voluit Sapiens per pudorem non abſtinendum à veritate dicenda, ſed in genere non abſtinendum ab his quæ vel facienda ſunt vel dicenda. Addidit tamen non malè interpres. dicere verum quia in ſequentibus de veritate dicenda & defendenda eſt ſermo. Quod autem dicitur pro anima tua, dupliciter intelligi poteſt. Sunt enim qui intelligunt animam poni pro vita, vt ſit ſenſus: Non confundaris dicere verum, pro conſeruanda vita tua, & effugiendo vitæ periculo, hoc eſt, non ſit tibi charior vita tua quàm veritas, imò hanc cum opus eſt, depoſito pudore liberè confitere, etiamſi ſit periculum vitæ. At cùm ſequentia obſeruamus, rectius intelligitur pro anima tua hoc eſt, pro conſcientiæ tuæ ſalute, ne ſcilicet conſcientiam tuam lædas, & in animam tuam pecces, vt ſignificetur cauſa ob quam non eſt erubeſcẽda veritas, nempe ſalus animæ propriæ, quæ per pudorem confitendæ veritatis amittitur. Qui enim, inquit Chriſtus erubuerit me & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet quum venerit in maieſtate ſua. Confundimur autem, hoc eſt, erubeſcimus dicere verum in perniciem animę noſtræ, non ſolùm cùm præ pudore omittimus confiteri veritatem de Deo, ſed etiam cum mendacia quæ ſunt contra honorem vel noſtrum vel proximi, non redarguimus, aut cum pro officio peccantem fratrem arguere ceſſamus: Denique cum propriũ peccatũm confiteri, vbi & quãdo oporteret erubeſcimus. De quibus omnibus in ſequẽtibus particulariter fit mentio.

Iacob. 5.

Pſa. 125

25 Eſt

25 *Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.*

NOmen, confuſio, hic non ponitur pro ignominia, ſicut capite 3. ſed quemadmodum ſæpe in ſcripturis, pro pudore. Non eſt enim hic ἀτιμία, ſed ἀχαίων. Duplicé ergo ponit pudorem, alterum nõ ſolùm inutilem, ſed etiam noxium, nempe qui ſecum adfert peccatum, quo ſcilicet à dicendo & faciendo quod æquitas requirit retrahimur, qualis eſt de quo iam dictum eſt. Alterum vtilem & honeſtum, qui homini gloriam & gratiam apud Deum & homines conciliat, vt eſt is quo nos pudet turpe aliquid committere, is etiam quo quis de malè acta conuerſatione confunditur, ita vt pœniteat & emẽdet. Nam & per eam ſimul gratiam meretur & gloriã. Hũc in peccatore deſiderat Dominus, Hierem. 3. dicens; Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. De duplici iſto pudore, altero noxio, altero vtili & bono, multa hic author habet poſtea in fine capitis 41. & & in principio capitis 42.

26 *Non accipias faciem aduerſus faciem tuam, nec aduerſus animam tuam mendacium.*

PRo duabus huius ſentẽtiæ partibus, Græcis vna tantùm eſt pars quam noſter in duas ſecuit. Sic enim eſt, μὴ λάβῃ πρόσωπον κατὰ ψυχήν σου, Ne accipias perſonam (vel faciem) aduerſus animam tuam. Deinde pro ſecundo membro additur; Et ne reuerearis in caſum tuum, pro quo noſter in ſequẽti ſententia habet: Ne reuerearis proximum tuum in caſu ſuo. Et eſt ſenſus: Ne contra ſalutem animæ tuæ perſonæ cuiuſquã habeas rationem ita vt conſideratione dignitatis aut potentiæ eius in iuſta cauſa ei præ pudore cedas. Nec alterum ita vereatis, vt ea res tibi ruinæ cauſa ſit, & detrimentum adferat. Itaque noſtræ lectionis ſenſus eſt: Cùm aliquis tibi falsò ignominiam irrogat, noli cõtra faciem tuam alterius facie vel perſona ita commoueri, vt non depoſito inutili & noxio pudore, cum fiducia teipſum defendas, nec in perniciem animæ tuæ admittas te vel etiam alium grauari mendacio, ita vt præ verecundia illud depellere ceſſes. Indicat ergo hæc ſententia vnam ſpeciem vitioſæ verecundiæ, qua ſcilicet quis ſe ſinit alieno mendacio grauari, ignominiam timul & animæ ſuæ diſpẽdium ſibi attrahens. Ignominia enim ſignificatur cùm dicitur, aduerſus faciem tuam, in qua confuſionis locus eſt: animę vero diſpẽdium cùm dicitur, aduerſus animam tuam. Peccat enim, & conſcientiam ſuam vt in plurimum lædit qui propriam famam negligit.

27 *Ne reuereariſ proximum tuum in caſu ſuo, nec retineas uerbum in tempore ſalutis. Non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo.*

HÆc tria rectè accipiuntur ſecundùm noſtram lectionem, vt pertineant ad prohibendam alteram vitioſi pudoris ſpeciem, cum ſcilicet quis præ pudore prætermittit peccantem fratrem corripere, aut docere indoctum, cum ſpes eſt promouendæ ſalutis eius. Hoc enim eſt quod dicit, in tempore ſalutis. Pro illo autem, in docere ſuo, vel potius, eius, vt habent multi libri: Græcis eſt, εἰς καλλονήν, hoc eſt, ad pulchritudinem vel decorem, pro quo aliqui vertunt, cum illuſtranda eſt. Itaque & noſtræ lectionis ſenſus eſt: Non abſcondas ſapientiam tuam in decore eius, hoc eſt, cùm eſt decoranda & ornanda. Id autem eſt cùm pro Dei gloria, aut cum fructu audientium proferri poteſt. Nam olioqui tempus eſt vt ſapientia abſcondatur, ne margaritæ ſpargantur ante porcos eaſque porci conculcent.

28 *In lingua enim ſapientia dignoſcitur, & ſenſus & ſapientia, & doctrina in uerbo ſenſati, & firmamentum in operibus iuſtitiæ.*

GRæcis tamen eſt, In ſermone enim cognoſcetur ſapientia, & doctrina in verbis linguæ. Præter alia ergo, addita eſt illa pars, & firmamentum in operibus iuſtitiæ: quo rectè ſecundum Lyram intelligi poteſt ſignificatum doctrinam veritatis confirmari per bona opera, vt ſit ſenſus? Et firmamentũ doctrinę vel veritas doctrinę eſt per opera iuſtitiæ facta à docente. Qui enim fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Poteſt & in hac parte repeti verbum, dignoſcitur, vt ſit ſenſus: firmamentũ, hoc eſt, firmatus & fortitudo animi cognoſcitur per præſtita opera iuſtitiæ. Simplicius tamen fuerit intelligere hac parte addita explicari de qua doctrina ſit ſermo, nempe ea quæ ſit firmamentum in operibus iuſtitiæ, hoc eſt, qua homines firmantur in operibus bonis.

29 *Non contradicas uerbo ueritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.*

POſtquam monuit non ceſſandum præ pudore à corripiendo alium & docendo, rectè viciſſim monet non reſiſtendum verè corripienti & docenti, quod ipſum aliquoties præ pudore fieri ſolet. Sæpè enim qui de admiſſis corripiuntur, ſe conantur mendaciis tueri & defendere, veritati pertinaciter contradicentes, Itaque & iſtud præceptum pertinet ad certam vitioſi pudoris ſpeciem reſecandum, quamuis & generaliter poſſit intelligi, nec per pudorem, nec ob aliã quamuis cauſam veritati repugnandum, niſi quod ex parte ſatis detur intelligi priorẽ partẽ magis dici contra eos qui vt non confundantur, veritati contradicunt cum arguũtur ab aliquo de commiſſo peccato. Cuius ſecundæ partis ſenſus eſt? Si quod mandacium per imprudentiam & inſcitiam protuliſti, ne pergas illud imprudenter defendere aut negare, ſed potius illud verecundè fatere, & de illo ſic apud te confunde re, vt emendare proponas. Poteſt & hic eſſe ſenſus; Pudeat te depræhendi mendacem, dum per imprudentiam tuam & inſcitiam veritati contradicis, vt quod dicitur, confundere de mendacio, non accipiatur de men-

dacio commisso, sed de committendo. Sic enim hæc pars magis conuenit cum priori. Vtrouis modo intelligatur, hac sententia & quidam pudor adducens peccatum resecatur, & quidam pudor adducens gloriam ac gratiam imperatur, atque seruandus docetur. Ad idem pertinet quod sequitur.

30 *Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subijcias te omni homini pro peccato.*

31 *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluuij.*

GRæca longè aliter modò habent. Nam, vt alia omittam, quod in his duabus sententiis quarto loco ponitur, in Græcis iam ponitur secundo loco, vt sit secúdum membrum prioris sententiæ. Et quod secundo loco ponitur in Græcis, est principium secundæ sententiæ. Habent enim sic: Non confundaris confiteri peccata tua, & ne vi cohibeas fluxum fluminis. Ne te subijcias homini stulto; & ne accipias faciem (vel personam) potentis. Secundum quam lectionem prior sententia pertinet ad id quod superiori sententia agebatur. Prohibetur enim vitiosus ille pudor quo quis deprehensus non vult fateri delictum suum, sed pergit médaciis errorem suum & peccatum tegere & tergiuersari: quod cùm facit, similis est ei qui conatur fluxum fluminis retinere: quia sicut huius conatus à vi & impetu fluminis superatur, ita & ille à veritatis vi vincetur, quæ eius médacia denudabit, & magis eius impietatem prodet. Quod ergo dicitur, non coneris cótra cursum fluminis; significat non laborandum, vt qui peccauit, veritatem contra se currentem & impugnantem médaciis multis superet & opprimat. Posterior sententia pertinet ad ea quæ mox sequuntur. Significat enim in nullius quantumuis potentis gratiam cedendum esse à iustitia & veritate quod frequenter præ pudore fieri solet. In nostra lectione vtraque sententia referenda videtur ad prohibendum pudorem confessionis admissorum peccatorum, vt sit sensus: Non confundaris confiteri peccata tua, maximè cùm ob ea argueris à sapiente aliquo, & ne pro peccato à te admisso vlli homini te subijcias, hoc est, obnoxium facias maioris & nouæ reprehensionis atque vltionis, si scilicet mendax inueniaris dum vis excusare ac negare peccatum commissum. Non omni, enim hic positum videtur pro, nulli, sicut ibi; Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et correctiores plerique libri manu scripti non habent dictionem, omni, sed tantum, né te subijcias homini pro peccato. Quam puto veriorem esse lectionem, quomodo & Rabanus legit. Huic sensui conuenit quod sequitur: Noli resistere aduersum faciem potentis, pro peccato scilicet à te admisso: Hoc est, cum iudex aut alius quiuis qui potest vindicare, ac tua mendacia confutare, te de peccato arguit, noli mendaciis te contra eum defendere, nec contra potentiam eius qui te veritate oppugnat obnitere. Id enim perinde est, ac si coneris contra ictũ hoc est, vim fluminis, quasi dicat; humiliter potius confitere peccata tua Deo & homini, maximè si is habeat potestatem & sapiẽtiam qua te confutare poterit, vt per humilem cõfessionem & agnitionem peccati, veniam consequaris, & debitam vltionem euadas. Nã, vt est Prouerb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur: Lyranus illud, non te subijcias omni homini pro peccato, sic intelligit vt significetur delectum hominum habendum, & dispiciendum cui confitẽda sint peccata, tantum scilicet ei qui nouit & potest salutare adhibere aut ostendere remedium. Glossa interlinearis, quæ ex Rabano est desumpta, intelligit ea parte significari non esse consentiendum ei qui ad peccãdum perpetrãdum allicit, vt priori parte Sapiens hortetur ad confessionem peccati patrati: secunda dehortetur à consensu patrandi, quia dum quis allicienti ad peccãdum consentit, subijcit se illi à quo se superari permittit. Sed primo loco posita explicatio magis præcedentibus conuenit & sequentibus. Hic enim totus locus videtur consistere in inutili pudore pellendo, & ad vtilem inducendo.

32 *Pro iustitia agoniz.are pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

DOcuit per pudorem non omittendam confessionem peccatorum, nunc docet per pudorem etiam non omittendam confessionem veritatis, & defensionem iustitiæ, significans ob eam etiam potentibus esse resistendum, quibus propter confessionem peccatorum dixerat non esse resistendum. Cum enim vsque ad mortem certandum docet pro iustitia, indicat etiam principibus obsistendum esse cùm iniquum aliquid exigunt. Itaque illi quod dixit, pro peccato, opponitur, pro iustitia, significans non esse certandum & contendendum pro peccato defendendo. certandum autem pro iustitia defendenda. Et ne quis etiam hic putet locum habere, quod dixit; ne coneris contra ictum fluminis; adiecit hic; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos; pro quo Græca tantum habent, & Dominus Deus pugnabit pro te. Quæ etiam pro duobus primis membris, vnum tãtum habent, ἕως θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, Vsque ad mortẽ certa pro veritate. Itaque duplici versione nostra lectio constat, in quarum vna verbum Græcum, agonizare, relictum est, & ponitur deponentaliter in altera Latinum positum est, certa. In priori loco Rabanus legit: In iustitia agonizare; quomodo & scriptum vnum habebat. Agonizare pro anima, est iustitiæ defensionem susciperе pro conseruãda animæ salute, quæ perditur, si quis cùm opus est præ pudore omittit defensionem veritatis & iustitiæ: Ne enim quis existimaret ad se non pertinere defensionem iustitiæ, bene addit, pro anima tua, quasi dicat: dum pro iustitia decertas, pro anima tua certas. Itaq; hic vetatur quarta vitiosi pudoris species.

33 *Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis, & remissus in operibus tuis.*

SEquuntur aliquot valde vtilia præcepta prohibitiua. Et primum quidem damnat velocitatem ad loquendum, siue in iubendo siue in promittendo, maximè cum facta dictis non respondent. Sunt enim qui multa statim aliis imperant, cùm ipsi interim sint inutiles in operibus suis, & remissi in bonis agendis. Sunt & qui multa facilè pollicentur sed tardi sunt in præstãdis promissis. In quos quadrat illud: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Pro, citatus, Complutensis æditio habet, θράσυς, hoc est, audax & iactabundus: Germanica corruptè habet, τραχύς, cùm legendum esset τάχυς. hoc est, velox, quomodo legit noster interpres. Generaliter autem hac sententia prohibentur duo vitia, scilicet velocitas ad loquendum, & tarditas ad bene operandum.

34 *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.*

SEcũdò, damnat seueritatem maximè herorum & patrum. Herile enim imperium per se videtur esse satis acerbum. Ad eam autem potestatem atque acerbitatem si accedat in dominis morum importunitas, sæuitia atque insania, fit prorsus imperium tyrãnicum, aut feritate beluinum. Itaque requirit sapiens in dominis humanitatem atque æquitatem erga domesticos, sicut & Paulus vult dominos quod æquum & iustum præstare seruis, & eosdem minas remittere. Et patribus præcipit ne ad iracundiam prouocent filios, vt non pusillo animo fiant. Noli, inquit esse sicut leo in domo, hoc est, familia tua, ita scilicet vt curiosa omnium inuestigatione, clamoribus insanis, iussis onerosis, vltionibus grauibus crudeliter tuos perturbes, premas, & perdas, quos maximè fouere & humaniter tractare debes. Notãda certè sententia contra plerosque qui foris maximè se præbent humanos, domi crudeles, qui hic significãtur crudelis leonis magis digni esse nomine quàm hominis.

35 *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.*

TErtiò, damnat auaritiam, pulchrè notãs hoc vitium porrectione manus & contractione. Hæc est enim auarorum conditio, vt ad accipiendum manum habeant porrectam, hoc est, extẽsam: ad dandum verò collectam, hoc est, contractam & compressam. At, vt Christus dixit, beatius est dare quàm accipere. Et Aristoteles virtutis magis propriũ esse dicit εὐποιΐαν, quam ἀπάχειν, hoc est, beneficium dare quàm accipere. Duo ergo vitia hoc versu Sapiens prohibet, & ne nimis faciles simus ad accipiendum, & ne nimis tardi ad dandum.

Caput V.

1 *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: Est mihi sufficiẽs uita. Nihil enim proderit in tempore uindictæ & obductionis.*

COntinet hoc caput aliquot adhuc præcepta prohibitiua, continuando quod cœptum est in fine capitis præcedentis, sic tamen vt hic ferè addatur ad singulas prohibitiones peculiaris ratio. Cæterum primum istud præceptum Græca paulo aliter sic habent: μὴ ἔσπευδε ἐπὶ τοῖς χρήμασιν σου, καὶ μὴ ἔσπευδε, ἀντάρκη μοί ἐστι εἰς ζωήν. hoc est, Ne attendas ad diuitias tuas, & ne dixeris; Sufficientia mihi sunt ad vitam. Itaque non est hic sermo de diuitiis iniquis, de quibus hoc capite postea peculiaris est sententia, nec additur apud Græcos ea pars; Nihil enim proderit in tempore, &c. quæ ex inferiori loco huc assumpta videtur: Sed prohibetur ne quis ad eas quas siue iustè siue iniustè obtinet, diuitias nimis respiciat, ita vt in eis fiduciam collocet, earúmque intuitu, sibi promittat fœlicem, longam & securam vitam, quemadmodum fecit ille, de quo Lucæ 12. qui attẽdens bona sua, dixit animæ suæ, Anima habes bona multa posita in annos plurimos, &c. Dictio enim ἀντάρκη, hoc loco est neutrum plurale, contractum ab adiectiuo ἀντάρκης, cui Græco more additur verbum singularis numeri ἐστὶ, pro plurali. In nostra ergo lectione, possessiones iniquas, cõuenit hoc loco intelligere, quomodo Christus appellat mammona iniquitatis, diuitias quæ ferè cum aliqua iniquitate vel comparantur vel conseruantur, iuxta illud; Omnis dies iniquus, aut iniqui hæres; vt etiam in nostra lectione prohibeatur inordinatus amor, ac nimia possessarum diuitiarum fiducia, simul cum promissione longioris vitæ & vsus diuitiarum, iuxta illud Psal. 61. Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Superioris ergo capitis vltima sententia prohibuit inordinatum obtinendarũ diuitiarum studium. Hac verò inordinatum obtẽtarum amorem & fiduciam. Sequenti autem earundem ad arrogantiam & elationem abusum. Subditur enim:

2 *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui.*

3 *Et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subiciet? propter facta mea? Deus enim uindicãs uindicabit.*

GRæca paulò aliter totum hunc locum sic habent; Ne sequaris animum tuum & fortitudiem tuam, vt ambules in viis cordis tui. Ne dicas, Quis me subiiciet propter opera mea. Dominus enim vindicans vindicabit tuam iniuriam. Monet ergo ne quis per multitudinem diuitiarum potens effectus, aut alioqui viribus corporis aut dominij fretus obsecundet quibusuis cordis sui desideriis, vt quicquid libet, licere sibi putet. Néue per hanc obtentam fortitudinem, in huiusmodi petulantiæ & insolentiæ

verba prorumpat, vt dicat: Quomodo potui? hoc est, ó quàm potens effectus sum? Aut vt dicat: Quis me subiiciet propter opera mea, quæ secutus fortitudinem meam pro libito peregi? hoc est, neminem vereor, inseparabilis sum, hanc impiorum audaciam sine timore Dei quiduis sibi promittentium etiam Dauid expressit Psal. 11. Qui, inquit, dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt. Quis noster dominus est? Et Sapiétiæ 2. dicunt: Si autem fortitudo nostra, lex iniustitiæ. Sic in sua fortitudine petulanter gloriatus est Nabuchodonosor, dicens: Nónne hæc est Babylon quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ? Et impiissimus Senacherib: In fortitudine, ait, manus meæ ego feci, & abstuli terminos populorum. Quis est ex omnibus diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea, vt eruat Dominus Hierusalem de manu mea? Verum hanc linguæ petulantiam, vt in illis declarauit, Deus inultam nó sinet. vnde & hic subditur: Deus enim certissimè aliquando vindicando vindicabit iniuriam hanc superba ea iactatione sibi illatã, etsi ad tempus dissimulet. Et quoniã vindictæ dilatio, plerisque solet esse occasio liberius peccandi, & omnem vindictæ metum excutiendi, iuxta illud Ecclesiast. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, filij hominũ absque timore vllo perpetrant mala; ideo rectè prædictis subiungit Sapiens sequentem monitionem.

Dan. 4.

5. Reg. 18. 2. Paral. 32. Isaiæ 36.

5 *Ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.*

SIgnificare vult neminem ob vindictæ dilationem sibi debere polliceri peccatorum impunitaté, quia etsi Deus pro sua potentia mox inferre posset vltionem (id enim significat cùm altissimum vocat) tamen pro sua longanimitate non eam mox more hominum infert, dissimulãs peccata hominum aliquando propter pœnitentiam, aliquando vt diutius toleratos & induratos acrius puniat. Itaque etsi differat vltionem, nõ tamen aufert, sed tarditatem supplicij, vt habet Valerius, grauitate compensat: ideóque noster dicit eum esse patientem redditorem, pro quo Græca habent, μακρόθυμον, ὁ μὴ σε ἀνῇ, hoc est, Dominus est longanimis, non te dimittet, hoc est, quamuis sit longanimis, non tamen te dimittet impunitũ, iuxta illud Psal. Deus iudex iustus, fortis & patiens, &c. Quædam scripta habét; Altissimus enim est patiens redditor; quæ lectio cùm Græcis magis consentiat, mihi magis probatur. Germanicum tamen exemplar non habet adiectiuum, triste, nec eam partem, ὁ μὴ σε ἀνῇ, sed tantum, Dominus enim est longanimis.

6 *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum.*

7 *Et ne dicas, Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

GRæcè est, περὶ ἱλασμοῦ μὴ ἄφοβον γίνου οὐ πλεονασμῷ, προσθεὶναι ἁμαρτίας ἐπ' ἁμαρτίαις, hoc est, de propitiatione nõ sis securus multum, vt adiicias peccata peccatis. Vnde patet veriorem lectionem esse quæ in omnibus ferè scriptis inuenitur, atque in Glosa item Ordinaria; De propitiaru peccatorum. Quoniã enim dictio, propitiatu, quibusdam parum Latina & vlitata videbatur, illud, De propitiatu peccatorum, mutauerunt in, de propitiato peccato. Sed interpres propitiatũ posuit pro propitiatione: licut cap. 25. obductum in quarta declinatione posuit pro obductione. Quædam etiam scripta habebant, De propitiatione peccatorum. Porrò dupliciter intelligi potest, quod monet, ne simus sine metu de propitiatione peccatorũ. Nam accipi potest de propitiatione obtenta, vt significetur etiam obtenta remissione peccatorum non debere hominem nimis esse securum, sed adhuc metuere debere, siue propter periculum relapsus, siue quòd de remissione non sit omninò certus, quia nescit homo vtrum odio an amore dignus sit: siue etiã quòd remissione impetrata, digna pœnitentiæ opera sint in timore Dei peragenda, quo temporalem vltionem etiam remissis peccatis debitam effugiamus. Huic intelligentiæ conuenit recepta iam lectio; De propitiato peccato. Quam lectionem cõtra hæresim nostri temporis, qua docetur hominem certò credere debere sibi remissa esse peccata, plærique citant, ex ea contrarium ostendere conantes, sed argumento non satis firmo, tum quòd ea non sit lectio verior, tum quòd dici posset Sapientem securitatem prohibere propter recidiui periculum. Cui magis conuenit quod sequitur: Neque adiicias peccatum super peccatum. Secũdò, quod dicitur de propitiatione peccatorum noli esse sine metu, intelligi potest de propitiatione & venia obtinenda, vt significetur neminem nimis securum esse debere de remissione consequenda, quasi ea facillimè, & cum quis volet, etiamsi non pœniteat, obtineatur, cùm ea singulari Dei gratia donetur, & plærisque non contingat, nec nisi pœnitentibus. Cui intelligentiæ magis cõuenit quod sequitur; Neque adiicias peccatum super peccatum, aut, vt habent Græca, non sic sis sine metu, vt adiicias peccata peccatis. Item quod sequitur; Et ne dicas, Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Itaque postquam superiori sententia resecauit libertatem peccandi ex præsumptione impunitatis propter vindictæ dilationem, iam hac sententia eam libertatem resecat ex præsumptione facilis miserationis diuinę, quam quia plærique se facilè & statim consecuturos confidunt, liberè peccata peccatis adiiciunt. Duo enim hæc sunt quæ faciunt homines libere peccare, dilatio scilicet vindictæ diuinæ, & præsumptio de faciliter obtinenda Dei misericordia: quam quia hodie nostri hæretici nimis inculcant, docentes sola fide obtineri remissionem peccatorum, & ad eam obtinendam non esse opus nisi vt quis credat in crucifixi merita, nec de remissione metuendum esse, firmiter credendum eam mox obtineri per Christũ à quouis

uis credente, etiam in peccatis adhuc perseuerante: hinc fit vt plerique tam securè viuant, & liberè peccata peccatis adiiciant. Proinde hic locus etiam secũdum hunc posteriorem intellectum, qui probabilior est, multum facit erga hæreticos nostri temporis, qui non solùm de obtenta, sed etiam de obtinenda venia suos iubent esse securos, semper cõtra nostri Sapientis doctrinam illud prædicantes: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorũ nostrorum miserebitur. Quod cur dici vetet, & quo sensu, declarat addita ratio.

8 *Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.*

PRo, citò proximãt, Græcè est, ταχιῶ, hoc est, festinabit, aut citò veniet. Pro, respicit, est καταπάυσει, hoc est, requiescet. Sensus ergo est; Verum quidem est misericordiam Dei non difficilem se præbere hominibus, sed citò eam aduenire illis ab ipso: sed simul etiam verũ est iram ab illo festinare, eáque à Deo missa respicit ad peccatores, atque super eos quiescit, perficiens quod iussa est, ac proinde ad illos non pertinet misericordia, sed tantum ad iustitiæ studiosos. Peccatores enim hic vocat eos qui in peccatis suis animo sunt obfirmati, quos frustra significat de Dei misericordia præsumere, cùm ad tales non misericordia, sed grauissima Dei vindicta pertineat.

9 *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

10 *Subitò enim ueniet ira illius, & in tempore uindictæ disperdet te.*

POstquam monuit non sic presumendum de faciliter impetrãda remissione peccatorum, vt ob id liberius & sæpius peccetur, sed metuendam Dei iram, conuenienti iam ordine etiam monet ob eiusdem iræ metum non differendam cordis ad Deum à peccatis conuersionem, nec eam procrastinãdam. Cúmque huiusmodi procrastinatio frequẽter accidat in hominibus, ob speratam diuinæ vltionis longiorem dilationem, cõtrà affirmat & subitò venturam iram illius, quòd inopinatò ac citius opinione semper peccatoribus obueniat, & illam in tempore vltionis plane hominem perditurum, vt eã effugere aut superare nequeat.

11 *Noli anxius esse in diuitijs iniustis, non enim proderunt in die obductionis & uindictæ.*

PRo, noli anxius esse, idẽ Græcis est quod in principio capitis, μὴ ἀπεχε, hoc est, ne attendas, aut animum adiicias. Sed ibi prohibuit adiicere animum ad diuitias iam obtentas, hic ad diuitias per nefas acquirẽdas. vnde non malè vertit interpres; Noli anxius esse in diuitiis iniustis, hoc est, sollicitus protalibus acquirendis. Tales enim non proderunt in die obductionis, hoc est, vindictæ. Græcis enim tantum est ἐπαγωγῆς, de qua dictione suprà dictum est. Additũ est autem, vindictæ, explicationis gratia. Idem habet Salomon Prouerb. 10. cùm dicit; Nil proderunt thesauri impietatis, iustitia autem liberabit à morte.

12 *Non uentiles te in omnem uentum, & non eas in omnem uiam, sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.*

GRæcè est, μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ, καὶ μὴ πορεύου ἐν πάσῃ ὁδῷ, ὅτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ διγλωσσος. Non ventiles in omni vento, & non eas in omni via: sic peccator bilinguis. Itaque non est Græcis pronomen, te, quod etiam quædam Latina scripta non habent, sicut etiam multa habent, in omni vento & in omni via; non omnem ventum, & omnem viam. Durè enim dicitur homo ventilare seipsum, cùm hominis sit ventilare frumentum, aut aliud simile, quod vento agitandum exponit. Cùm autem prohibet ventilare in omni vento, ac ambulare in quauis via, pulchra metaphora prohibet inconstantiam & leuitatem, qua quis cuiuis occasioni oblatæ leuiter se accommodat, nunc vnum, nunc aliud sentiens, dicés, eligens, & amplectens. Sic & Teutones de infidis dicunt: Penulam eos incidenti vento obuertere. & : Quacunque aliquem sella sedere posse. Et Dominus quorundam inconstantiam notat per arundinem vento agitatam. Et Paulus ab huiusmodi inconstantia animi auocans, Vt iam, inquit, non simus paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ. Porrò si legatur; Non ventiles te in omnem ventum; sensus erit: Non sinas te agitari, aut ne agiteris ad omnem ventum, hoc est, non cuiusuis doctrina commouearis, aut quouis concupiscentiæ impulsu te sinas abduci, vt sit similis locutio Paulinæ. Quanquam altera lectio vt Græcis magis consentit, ita molliorem habeat sensum. Iam in eo quod sequitur, multi Latini libri non habent, omnis peccator, sed tantùm, peccator. quomodo & habet Glosa Ordinaria, & Lyra; Non enim omnis peccator probatur per duplicem linguam: sed verum est, quòd probetur aliquis esse peccator, ex eo quod deprehendatur loqui duplici lingua, hoc est, varia, pro diuersitate locorum & personarum diuersa proferens. Hoc ergo est ventilare omni vento, & ire in omni via. Cui contrarium affirmatiuo iam præcepto exigit, dicens;

Ephes. 4.

13 *Esto firmus in uia Domini, & in ueritate sensus tui & scientia, & prosequatur te uerbum pacis & iustitiæ.*

GRæca breuius duobus membris sic, ἴσθι ἐστηριγμένος ἐν συνέσει σου ἀσφαλεῖ, καὶ εἰς ἔστω ὁ λόγος σου, hoc est, Sis firmus in sententia tua certa, & vnus sit sermo tuus. Contra varietatem ac leuitatẽ & iudicij & sermonis, quam superiori sentẽtia reprehendit, requirit constãtiam firmitudinẽmque. primùm quidem mẽtis, deinde verò etiam orationis in rebus bonis ac certis. Ideo enim additur ἀσφαλεῖ, vt significet tum demum iudicium animi sui super re aliqua firmandum, cùm ea res certa habetur ac explorata. Atque hoc est quod nostra lectio habet; in veritate sensus tui; hoc est, in vera animi tui sententia. Germanicum tamen exemplar non habet adiectiuum ἀσφαλεῖ, sed tantum, ἐν συνέσει σου, hoc

est, in sententia tua. Nostra ergo lectio item sic accipienda est, vt primùm commendet nobis firmitatem mentis in veritate intellecta, & deinde constãtiam sermonis, qui vbique respondeat iudicio animi, nec vel metu vel ob gratiam cuiusquam alicubi ab animo dissentiat. Sensus ergo est: Esto firmus in via Domini, sic scilicet, vt primum quidem firmus sis in vera sententia tua atque scientia, quam de Deo, rebúsque diuinis consecutus es: Deinde verò etiam vbique te prosequatur verbum pacis & iustitiæ, ita vt illud tibi semper vniforme nũquam derelinquas, sed constanter illud profitearis, quod iustitiã homines docet, & pacem inter eos fouet. Verbum enim pacis & iustitiæ rectè opponitur sermonibus bilinguium; qui se omnibus accommodant, & falsa sæpe loquũtur, per quæ & discordias excitant in hominibus.

14 *Esto mansuetus ad audiendum uerbum* Dei, *ut intelligas, & cum sapientia profer responsum uerum.*

PRior huius sententiæ pars sic ferè intelligitur à nostris, vt moneat ad ritè audiendum verbum prædicationis mansuetum animum adferendum, quòd per animi mansuetudinem fiat, vt melius intelligatur verbum Dei, iuxta illud Psalmi: Docebit mites vias suas. Vt hic locus concordet cum illo Iacobi; In mansuetudine suscipite insitũ verbum quod potest saluare animas vestras. At Græca alium habent sensum; Habent enim sic, γίνȣ ταχυς ἐν ἀκροάσει σȣ ἀγαθῇ, καὶ ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν ὀρθήν, hoc est, Esto celer in auditione tua bona, & in longanimitate profer responsionem rectam. Quanquàm adiectiua, bona & rectam, non habeat exemplar Germanicum aut Aldinũ, Interpres noster pro ταχὺς, videtur legisse πρᾶος. Non est ergo hic tantùm sermo de audiendo verbo Dei, sed monet Sapiens vt nos exhibeamus propensos & attentos ad audiendum alios, nos de quapiam re rogantes & consulentes: tardi tamen simus ad respondendum, contra quorundam morem, qui quò sapientes videantur, priusquam satis intellexerunt quod rogantur, mox prorumpunt ad responsioné, interrumpunt præ impatientia narrantis & interrogantis orationem. Itaque hoc docetur isto loco, quòd similibus verbis monet Iacobus, dicens: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Quod etiam non tantum de audiendo vel loquendo verbo Dei esse intelligendum, sed eo significari quemadmodum hic vnumquemque paratũ esse debere ad audiédum alios non solum docentes, sed etiam quærentes & consulentes, satis significat adiecta illa pars; & tardus ad iram; quæ monet vt cum mansuetudine audiantur interrogantes, nec facilè contra eos per iram exurgatur. Et hoc loco apud Rabanum non est dictio, Dei, sed tantùm, ad audiédum verbum, vnde & in quibusdam scriptis dictio, Dei, minio expuncta erat. Et Lyranus non de audiendo docentes verbum Dei hunc locum intelligit, sed de audiendo interrogantes. Exponens enim illud, Esto mansuetus ad audiendum, &c. Dulciter, inquit, audiédo quæstionem de fide vel moribus tibi factam. Hic enim sensus sequentibus conuenit, vbi de respõdendo præscribitur. Est ergo nostræ lectionis iste sensus; Non te difficilem præbeas ac morosum, sed mansuetum & benignum ad audiendum alios, te rogare quicquam volentes, vt per animi mãsuetudinem melius quod ab ipsis dicitur intelligas, ac deinde vbi intellexeris quod petitur, non præcipitanter, sed cum longanimitate & tarditate quadam atque sapiẽtia profer verum & solidum responsum. Huic intelligentiæ conuenit quod subditur:

15 *Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in uerbo disciplinato, & confundaris.*

SI est tibi intellectus, responde proximo, te scilicet consulenti & rogãti: Sin autem sit manus tua super os tuum, hoc est, silentium tibi impone & tace, ne capiaris in verbo, indisciplinato, hoc est, in responsione inerudita & indocta deprehendaris, & sic confundaris. Hanc tamé partem; ne capiaris, &c. Græca non habent, sed eam suo more explicandi gratia adiecit noster interpres. Sequés autem sententia reddit rationem, cur intelligens respondere debeat, imprudens verò & indoctus tacere. Subditur enim:

16 *Honor & gloria in sermone sensati, lingua uerò imprudentis submersio est illius.*

HOnor & gloria in sermone sensati, hoc est, prudentis: lingua verò imprudentis subuersio est illius, hoc est, subuersionis eius causa. Græca autem non habent dictionem, sensati, & pro, imprudentis, est, hominis. Sic enim est: Honor & ignominia est in loquela, & lingua hominis ruina illi. Vnde patet interpretem pro ἀτιμία, vt habent iam omnes libri, legisse τιμὴ. Similes sententias frequentes habent parabolæ Salomonis de lingua.

16 *Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris.*

DIxit de pernicie hominis bilinguis, & de lingua hominis imprudentis, rectè ergo subiiciendo monet, vt quis ita se gerat ne in nomen & existimationem incidat susurronis, & detractoris. Tales enim sunt ferè bilingues, coram blandè loquentes, at post tergum clam mordentes, atque hac ratione multùm noxij, vt mirum non sit tales non solùm Deo esse abominabiles, sed etiam hominibus. Dicit ergo: Non appelleris susurro, hoc est, ita te geras in lingua, ne iustè de hoc vitio insimuleris, quo qui obnoxij sunt, pessimè apud omnes audiunt, & caue ne lingua tua inuoluaris malo nomini, & deprehendaris médax aut detractor, sicque confundaris Græcè auté est, καὶ τῇ γλώσσῃ σου μὴ ἐνέδρευε, hoc est, & lĩgua tua ne insidieris. Ceterũ vt ab hoc vitio

vitio magis deterreret, comparat illud furto quod omnes abominantur, & maximè abominabilem reddit hominem apud homines atque susurronem ac detractorem peiorem & detestabilem esse indicat, dicens:

18 *Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem, susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.*

ILlud, & pœnitentia, Græcis non est, sicut nec tertium illud totum membrum; susurratori autem, &c. Pro, denotatio, quidam libro habent deuotatio, alij deuoratio, sed interpretem vertisse denotatio, sicut plura scripta habebant, patet ex eo quòd capite 19. bis vsus est verbo denotabitur, quod ibi respondet verbo καταγνωσθήσεται, vnde deriuatur nomen hic positum κατάγνωσις. Sicut ergo ibi vertit, denotabitur, pro vituperabitur vel dãnabitur, ita hic vertit denotationé pro damnatione vel vituperatione. Id enim propriè verbum, illud, & nomen ab eo deductum significat. Et Lyranum legisse denotatio, quãuis contextus habeat deuoratio, patet ex eius commẽtario, qui sic habet; id est, ostensio confusibilis cum digito. Rectè autem bilinguis & susurro furi cõparatur, tum quòd sicut fur detrahit alterius substantiæ, ita ille famæ & nomini, tum quod vterque clam & occultè nocet. Sed fure bilinguis & susurrator peior esse indicatur, quia melius bonum & irreparabilius aufert. Melius est enim nomen bonum quàm diuitię multæ. Et concordia fratrum, quam suis sæpe detractor tollit susurris, seminando inter fratres discordias, bonis temporalibus longè præferenda est. Bene ergo dicit: Super furem est confusio, hoc est, furem sequitur confusio & pœnitentia, at vt in plurimum venia talis est dignus, quia vt est Prouerb. 6. Non grandis est culpæ cum quis furatus fuerit, furatur enim vt esurientem impleat animam. Verùm super bilinguem & susurronem est pessima denotatio, hoc est, ei competit grauis damnatio & vituperatio. quasi dicat; Venia talis nó est dignus, sed omnino dignus est qui sine misericordia damnetur ac perpetuã ignominiam ferat, quia non ex inopia peccat, & grauissimum damnũ infert, ídque sine proprio commodo.

Caput VI.

1 *Iustifica pusillum & magnum similiter. Noli fieri pro amico inimicus proximo.*

2 *Improperium enim & ignominiam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis.*

GRæca habẽt, ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει μηδὲ ἕν, hoc est, in magno & in paruo ne ignores ne vnum quidem: quamuis illud μηδὲ ἕν, non sit in Germanico exemplari. Noster interpres Græca sic videtur intellexisse, quasi significatum sit, in iudicando æquè habendam rationem causæ alicuius parui, atq; alicuius magni, & vtriusque causas similiter perpẽdẽdas, vt de vtroque rectum iudicium proferri possit, iuxta illud quod Deuter. 1. dictum est iudicibus: Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnũ, nec accipietis cuiusquam personam. Iuxta hunc intellectum interpres non malè sensum reddidit, vertendo; Iustifica pusillum & magnũ similiter. Verùm hic sensus nec ad pręcedentia, nec cum sequentibus aliquam habet conuenientiam, vt mirum sit eam hic interiectã esse. Itaque Græca hunc potius iuxta alios habent sensum: Cura vt non solùm non ignores ac negligas magna, sed nec ea quę parua sunt vel videntur, quasi dicat: Omnia Dei mãdata, siue sint maximarum, siue minimarum rerum, summa cura & diligentia sunt inquirenda, cognoscéda & obseruanda. Quod videri potest subiecisse superioribus, quia comparauit detractionem, quæ paruum videtur hominibus vitium, cum furto, à quo tanquam magno vitio satis abhorrent & abstinent plerique, vt etiam Græcæ lectionis hic possit esse sensus: Vidè vt ne ignores differentiam inter magnum & paruum vitium, atque cum vulgo quæ parua sunt magna ducas: & contrà, quæ magna sunt paruifacias. Cui sensui nostra lectio accedet, si adiectiua, pusillum & magnum, accipiantur in neutro genere, quomodo in Græcis accipienda videntur, vt sit; non sit tibi satis, iustè sentire & iudicare de magnis rebus, sed da operam vt etiam de iis quæ paruæ sunt vel vidétur, rectè pronuncies. Iam quoniam hæc sententia præter morem abruptè hic videtur in fine capitis posita, cùm alias ferè huius libri sententiæ duobus aut pluribus constent mẽbris: sciendum principium capitis sequentis, in Græcis incipi à coniunctione. Habent enim, καὶ ἀντὶ φίλου μὴ γίνου ἐχθρὸς; Et pro amico ne fias inimicus; vt merito hæc pars in vnam sententiã iungenda sit cum præcedenti, quemadmodum quidam coniungunt, vt principium noui capitis sit à sequenti sententia: Non te extollas. Nam quod dicitur, ne quis fiat pro amico inimicus, propter bilingues dicitur, de quibus mox dixit, vt adhuc hæreat incepta materia. Certè quædam scripta Latina auspicantur nouum caput ab illo, Iustifica pusillum & magnum: quædam ab illo quod postea sequitur: Verbum dulce multiplicat amicos; vnde & Rabanus incipit secundum cõmmẽtariorum librum, quædam boc loco nullam distinctioné capitis faciũt. Illud enim quod dicitur; noli fieri pro amico inimicus; non sic videtur accipiendum quasi moneat cauendum ne ex amico quis fiat inimicus, sed potius vt ne cùm quis se gerit pro amico, blandè coram loquendo, velut inimicus noceat, occultè ei detrahendo. Hoc enim est peccatoris inuidi & bilinguis, cui hoc ipsum tribuitur, quamuis de inuido non fiat mentio in Græcis, quæ tantùm habent, οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ δίγλωσσος, hoc est, sic peccator bilinguis, scilicet se habet, vt pro amico fiat inimicus, & ob id improperium & contumeliam hæreditet.

3 Non

3 *Non te extollas in cogitatione tua uelut taurus, & elidatur uirtus tua per stultitiam.*
4 *Et folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris uelut lignum aridum in eremo.*

APud Gręcos illud, velut taurus, in secũdo membro ponitur. Et habent sic: Ne extollas teipsum in consilio animæ tuæ, ne velut taurus diripiatur anima tua. Hortatur ad modestiam, ne qui plus cæteris sapere videtur, sese in sua prudentia & cogitatione extollat, alios pre se contemnendo, & superbè in se gloriando, instar tauri, superbissimi & indomiti animalis. Sic enim futurum vt animalis hominis trãsuersim rapiatur impetu superbiæ, sicut taurus indomitus & efferatus maxima vi impetúque rapitur quouis. Ex quo & illud sequetur quod habet nostra lectio, vt virtus hominis, hoc est, fortitudo ea, qua per accepta dona posset multa præclara præstare, confringatur & elanguescat, dum per superbiam animi pleraque stultè designat, aut opere aut lingua. Ita enim frequenter vsuuenire videmus, vt qui dona aliqua cõsequutus est, quibus multam sibi gloriam & fructum aliis adferre posset, si eis modestè & humiliter vteretur, dum eis superbè abutitur sese iactando, & temerè quiduis audendo, perdat per stultitiam suæ superbiæ omnem donorum suorum vigorem & efficaciam. Sicque fiat quod sequitur, vt ipsamet hominis fortitudo, quæ in donis eius consistit, comedat folia eius, & fructus eius perdat, hoc est, omnem eius ornatũ & fructum quem proferre poterat, consumat & auferat atque hoc ipsum quod illum ornare poterat spoliet eum omni & gloria & fructu, sicque spoliatus relinquatur in hoc mundo, velut lignum aridum in eremo, inglorius scilicet & infructuosus, ad nihilum valens vltra, nisi vt mittatur foras, & igni deputetur. Iuxta hanc explicationem suppositum verborum comedat & perdat, est, virtus tua, non autem vt quidam intelligunt, stultitia, nam Græcis non est, stultitia, sed apud eos manifestum est pro supposito repetendum ex pręcedenti sententia nomen, anima, pro quo noster vertit, virtus tua. Videtur autem quibusdam in hac secũda sentẽtia adhuc persisti in metaphora à tauro desumpta, vt significetur quẽadmodum in syluis & desertis tauri indomiti depascũtur arborum folia & fructus, ita & hominis animũ & virtutem ipsum depascere, & perdere. Cæterùm siue legatur, vt quidam libri habent; comedet, perdet, relinqueris; siue comedat, perdat, relinquaris, parum facit ad rem, nisi quòd posterior lectio præferenda videatur.

5 *Anima enim nequam disperdet qui se habet, & in gaudium inimicis dat illũ, & deducet in sortem impiorum.*

SEnsum sentẽtiæ præcedentis iam datum probat hæc sentẽtia. Anima enim, inquit nequam disperdet qui se habet, hoc est, possidentem se, & in gaudium inimicis dat illum, vel, vt habent Græca, & gaudium (vel derisum) hostium faciet eum. Vnus codex scriptus habuit, debet illum, per futurum scilicet, vt habent Gręca. Quod autem sequitur apud nos, & deducet in sortem impiorum. Græca non habent, proinde explicationis gratia additum est ab interprete. Est autem sors impiorum æterna miseria, in quam anima nequam suum possessorem deducit.

6 *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua gratiosa in bono homine abundat.*

AB hoc versu aliquot sententiis sequentibus agitur de parandis, probandis, & retinendis amicis bene probatis. Et hoc quidem versu indicat modum parãdorum amicorum, nempe per suauitatem orationis & blandiloquentiam, de qua rectè subinfert sermonem, postquam superiori sententia dixit contra superbam sui iactationem & gloriationem. Cæterùm interpres noster de suo addidit eam partẽ, & mitigat inimicos, cum apud Græcos sententia tantùm sit bimembris. Pro, gratiosa, multi libri habent, eucharis gratiosa. Nam cùm dictionem Græcam, eucharis, quidã in margine exposuisset per nomen gratiosa, postea, vt & alias factum est contextui idem nomen insertum est: deinde ab aliis dictio Græca, eucharis, quæ in omnibus ferè scriptis est, reiecta est, & retenta dictio Latina, gratiosa, cùm verisimile sit interpretem primùm posuisse nomen Græcum, eucharis, Græcam scilicet dictionem alia Græca reddendo. Neque enim Græcis hic est εὔχαρις, sed εὔλαλος, hoc est, bene loquẽs. Habent autem Græca secundam partem sic καὶ γλῶσσα εὔλαλος πληθύνει εὐπροσήγορα, hoc est, lingua bene loquens multiplicat sermones affabiles, scilicet aliorum. Itaque significatur comitatem & suauitatem orationis valere non tantum ad beneuolentiam hominum conciliandam, sed etiam ad alliciendam eorum affabilitatem, vt scilicet nostræ humanitati & comitati aliorum affabilitas respondeat, illíque nostra suauitate incitati, etiam erga nos humaniter atque suauiter sese gerant. Nam quod quidam dicit apud Terentium; Si malè dixeris, peius audies; illud in contrariam partem accidit, vt orationis nostræ suauitas & gratia, aliorum summa in nos & voluntate & sermonis comitate remuneretur. Itaque quod nostra lectio habet, abundat, vel, vt habent plures libri per futurum, abundabit, hunc rectè habet sensum: Lingua gratiosa in bono homine copiosum proferet fructum, efficiétque vt & alij similiter suauiter & blandè loquantur.

7 *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.*

GRæcis iucũdius & significantius sic est, οἱ εἰρηνεύοντές σοι ἔστωσαν πολλοί, οἱ δὲ σύμβουλοί σου εἷς ἀπὸ χιλίων, hoc est, Pacifici tibi sint multi, at consiliarij tui, vnus ex mille, hoc est, multos habeas qui pacem tecum habeant, & cum quibus pacificè viuas: at consiliarios, quibus secreta cordis tui detegas, habeas paucos & raros. Non est enim hic pro

pro pacifici, εἰρηνοποιοὶ quod est Matthęi 5. hoc est, pacem facientes inter discordes, sed εἰρηνεύοντες, hoc est, pacem seruantes, aut in pace degentes. Postquam ergo Sapiens docuit, qua ratione multos nobis parare possimus amicos, opportunè monet vt inter multos illos delectum faciamus, nec nisi paucos ex multis habeamus cum quibus cõsilia nostra communicemus, quòd inter multos pauci sint fidi, item prudentes.

8 *Si possides amicum, in tentatione posside eum, & non facilè credas ei teipsum.*

PRo, possides & posside, Gręcis κτᾶσαι, quod non tãtùm significat possidere, sed etiam comparare, quæ significatio hic magis quadrat. Nam vult Sapiens docere, quod & alij docuerunt qui de amicitia scripserunt, prius scilicet deligendos esse amicos quàm diligẽdos, proinde nostra litera sic commodè est accipienda: Si possidere paras amicum, para illum possidere per tẽtationem & probationem, hoc est, fac periculum fidelitatis & beneuolentiæ eius in rebus minoribus, priusquã ei credas maiora. In secunda parte Gręca non habent, teipsum, sed tantùm, καὶ μὴ ταχὺ ἐμπιστεύσῃς αὐτῷ, hoc est, & non facilè credas ei. Sed & Latina quædam scripta non habebant, teipsum, in quibusdam etiam erat expunctum; & plenior est sententia si omittatur. Significatur enim non facilè credẽdum alicui amicitiam verbis pollicenti, sed priusquam ei fides firmiter habeatur, probãdam eius fidem. Cuius causam subiicit.

9 *Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.*

POnit aliquot genera instabilium amicorum, quorum primum est eorum qui amicitiam seruant quamdiu eis est oportunum & commodum, qui proinde non persistunt in tempore tribulationis. Hos significat, dicens: Est amicus secundùm tempus suum, hoc est, sunt aliqui qui amicos se gerũt, cum est eis oportunum & commodum honori & vtilitati ipsorum.

10 *Et est amicus qui conuertitur ad inimicitiam, & est amicus qui odium & rixã & cõuitia denudabit.*

ALterum est eorum qui non solùm deserunt amicitiam, sed etiam ex amicis fiunt inimici, offensi scilicet re aliqua leuicula, vt sunt homines superbi & citò irritabiles. Inter quos sunt etiam qui non solùm fiunt inimici, sed etiam odium animo conceptum per rixam verborum denudant & detegunt atque inter rixandum etiam detegunt conuitia & opprobria, quæ tempore amicitiæ aduerterunt, & quæ eis tanquam amicis detecta fuerunt. Significat ergo hos amicos esse valdè pernitiosos; & proinde ne in tales incidamus amicos studiosè esse probandos. Græca secundam partem huius sententiæ sic habent, καὶ μάχην ὀνειδισμοῦ σου ἀποκαλύψει, hoc est, & pugnam opprobrij tui reuelabit; quo significatur eũ qui ad inimicitiam transpositus est, propositurum ad iurgium quo amici opprobriũ sit publicaturus. Non enim est Gręcis bis illud, est amicus, sed pertinet hæc secunda pars ad eum qui conuertitur ad inimicitiam. Et multa scripta Latina non habent secũdo loco nomen, amicus, sed tantùm, & est qui odium, &c. quod intelligi potest; & talis amicus, qui scilicet cõuertitur ad inimicitiam, est qui odium & rixam, &c. Vel; Est, inquam, qui odium & rixam, &c. vt secunda pars priorem exponat.

11 *Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.*

ILlius prioris generis amicorum, speciem hic ponit, eorum scilicet qui pro amicis se gerunt tantùm causa voluptatis & commoditatis quam ex amico percipiunt, ex societate mensæ quam sectantur: quales sunt parasiti, adulatores, & hi qui epulis delectãtur, quales non permanent in amicitia tempore necessitatis, hoc est, tribulationis, quæ sæpè in scripturis nomine necessitatis significatur. Est enim hic Gręcis, quemadmodum superius, dictio κλίσεως, hoc est, tribulationis.

12 *Amicus si permanserit firmus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget.*
13 *Si humiliauerit se contra te, & à facie tua abscondere se, unanimem habebis amicitiam bonam.*

LOngè aliter hos duos versus habet Græca, vt omnino videatur interpretem nostrũ aliter Græca legisse, quàm modò leguntur. Sic enim habent: καὶ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς σου ἔσται ὡς σύ, καὶ ἐπὶ τοὺς οἰκέτας σου παῤῥησιάσεται. ἐὰν ταπεινωθῇς, ἔσται κατά σου, καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου σου κρυβήσεται. hoc est, Et in bonis tuis erit vt tu, & super vel inter domesticos tuos fiducialiter aget. Si humiliatus fueris, erit contra te, & à facie tua abscondetur. Agitur autem adhuc de amico socio mensæ, de quo dicitur, quòd in bonis tuis, hoc est, in fœlicitate tua se præbebit velut alterum te, & liberè ac confidenter conuersabitur inter domesticos tuos velut vnus ex illis: aut quòd cũ magna libertate arguet domesticos tuos, velut causam tuam agens, & pro tuis commodis solicitus. Contrà, si excidas à priori fœlicitate, & afflictus fueris, senties eum tibi inimicum, atque se subtrahet à solita familiaritate. Nostra versio, ex qua videtur interpretem nostrum legisse nõ ταπεινωθῇς, sed ταπεινωθῇ, hoc est, humiliatus fuerit, sic rectè intelligi potest, Si amicus permanserit fixus, equè tibi adhærens in aduersis atque in prosperis, habeto eum tanquam tibi parem, etiamsi fortè maior illo sis, & sinito vt inter domesticos tuos liberè ac fiducialiter versetur tanquam vnus ex illis. (Non enim illud, in domesticis tuis, intelligi potest de priuatis domus negotiis, quẽadmodum accipit Liranus, sed malè, vt patet ex Græcis.) Quod si præ modestia ille non admodum liberè & confidenter se erga te gesserit, sed se humiliter ac demissè habuerit te, hoc est, coram te (quomodo dcitur in Psalmis: Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, pro coram

coram eo)& se nonnunquam à facia tua sub duxerit, nihilominus tamen semper bonam eius amicitiam habebis vnanimem, hoc est, tibi per omnia consentientem,idémq; quod tu volentem, vt de eo diffidere non debeas, etiamsi non tanta erga te vtatur semper libertate, quanta merito deberet iure veræ amicitiæ, imò hoc ipso nomine magis agnoscere debes bonam eius & vnanimem amicitam, quod te reuereatur, & debita sibi familiaritate non abutatur. Notandum tamen Rabanum multò aliter legere hunc locum, magísque accedere ad Græcam lectionem, vt eius lectionem meritò quis putet esse synceriorẽ hac nostra recepta. Secundum enim versum refert ad fictum amicum,& legit: Si humiliauerit se contra te, à facie tua abscõdet se. Quo modo etiam vnum scriptum habuit,nisi quòd habuit; & à facie sua abscondet se. Iam quod sequitur; Vnanimem habebis amicitiam bonam, apud Rabanum & in eo scripto, per se accipitur, vt per se sensum faciat, nec cohæreat cum præcedentibus. Quæ lectio mihi magis probata hunc rectè habet sensum: Si amicus permanserit fixus, ipse certè se geret erga te tanquam æqualis tibi,liberè te tuósque domesticos admonés, hoc enim est indicium & demonstratio veri amici. Si autem se non liberè erga te gesserit, sed per fictionem & hypocrisim se in perniciem tui apud te humiliauerit, demissè se gerens vt magis decipiat, certè scito quòd tempore aduerso à facie tua abscondet se, suámque operam & consolationem tibi subtrahet. Itaque habebis eam amicitiã bonam in qua est vnanimitas, idémque nolle ac velle. Hanc lectionem & intelligentiam magis probo, non solùm quòd Græcis magis accedat, sed & quod durè in bonum accipitur, humiliare se contra aliquem, & abscondere faciem suam ab illo.

14 *Ab inimicis tuis separat te, ab amicis tuis attende.*

VTilis sententia, qua prudenter monetur & vt ab his qui ex professo sunt hostes, nos separemus, eorúmq; consortia vitemus; & vt ab inimicis nostris, priusquam bene cogniti sint & explorati, nobis caueamus ne temerè & nimis omnibus qui amici vidẽtur confidendo, malum aliquod per imprudentiam nostram nobis accersamus. Sicut enim stultum est & periculosum apertos inimicos non vitare, ita etiam nimis confidere his qui amici videntur.

15 *Amicus fidelis, protectio fortis: qui inuenit illum, inuenit thesaurum.*

HÆ tres sequentes sententiæ continent commendationem veri fidelísque amici, quo nihil tutius, nihil optabilius, nihil salubrius in vita esse potest. Primùm ergo asserit amicum fidelem esse fortem protectionem, hoc est, fortiter protegere instar munitissimæ & tutissimæ arcis; quia per eius & patrocinium & operam sæpe amicus à multis iniuriis & malis inferẽdis defenditur,& propter eius protectionem plerique ab inferẽda iniuria deterrẽtur. Nec tantum similis est fidelis amicus arci defendenti à malis, sed & diuitiis, quas summè homines desiderant, quæque per se eos delectant, & omne voluptatis genus suppeditant, vnde subiicit: Qui inuenit illum, inuenit thesaurũ, hoc est, qui nactus est illum, nactus est immensas diuitias. Verbum enim inuenit, prẹteriti est temporis, cùm Græcis sit εὑρὼν, & εὗρε, & inuenire sẹpe in scripturis ponitur pro nancisci & cõsecutum esse, vt ibi: Inuenisti gratiam apud Deum. Itaque significat, fidelem amicũ rem esse admodum pretiosam, raram & charam, ex qua multũ non solùm vtilitatis, sed etiam voluptatis percipitur. Quod magis adhuc exaggerat, cùm subdit:

16 *Amico fideli nulla est comparatio, & non digna ponderatio auri & argenti contra bonitatẽ fidei illius.*

SIgnificat amicum fidelem nõ solùm rem esse pretiosam, sed omnium pretiosissimam, ac talem cui nihil eorũ quæ homines magni faciũt æquari possit. Pro, nulla est cõparatio, Græcè est οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα, hoc est, nõ est permutatio, aut non est aliquid quod tanquam æquale cum eo permutari possit, quemadmodum fit in emptionibus, vbi fit rerũ permutatio, dum pro re quapiam redditur æquale. Id enim propriè dictio Græca significat, quæ etiam est Matt. 16. vbi nos legimus: Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Bene sensum hic reddit interpres, si bene intelligatur, hoc modo: nulla est cõparatio, hoc est, nihil est quod ei comparari potest tanquã æquiualens. Secundam partem Græca breuius sic habent, καὶ οὐκ ἔστι σταθμὸς τῆς καλλονῆς αὐτοῦ, hoc est, non est pondus pulchritudinis eius, hoc est, pulchritudo vel bonitas eius non potest satis æstimari vllo pondere. Idem significat nostra lectio, ponderatio auri & argẽti non est digna, hoc est, non respondet, bonitati fidei, hoc est, fidelitatis illius, sed ab ea longè superarur. Respicitur enim ad hoc quod in stateræ libris vnũ alteri componitur, & adæquatur.

17 *Amicus fidelis medicamentum uitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inuenient illum.*

AMicus fidelis non tantùm instar arcis protegit à malis, inferendis, nec tantùm instar diuitiarum bona multa suppeditat, sed etiam à malis illatis instar medicinæ curat, vnde rectè prædictis additur, quòd sit medicamentũ vitæ & immortalitatis, hoc est, vitam imò & immortalitatem afferens, nimirum quia sua consolatione & ope mala incidentia vel tollit vel lenit, ita vt alias morituro vel defecturo vitã conferat, non hanc tantùm, sed etiam æternam. Item quia sua salubri monitione & redargutione à pestiferis malis & morte ẹterna amicũ prẹseruat Græcis tantũ est φάρμακον ζωῆς, hoc est, pharmacũ vel medicina vitæ, hoc est, quod vitæ huic miseræ medetur: verũ quia interpres noster addidit, & immortalitatis, ideo apud nos medicamen

dicamentum vitæ exponi debet, medicina vitam afferens. Postquam autem variis similitudinibus Sapiens ostendit quàm magna res sit fidelis amicus, docet item qua ratione tam rarum & magnũ bonum obtineri possit, nempe nõ nisi Dei singulari beneficio & dono, ne quis se suo marte illum sibi posse parare existimet. Qui, inquit, metuunt Dominum, inuenient illum, hoc est, Dei quem colunt munere sequentur illum, & Deus talem illis dabit tanquã mercedẽ sui cultus. Quòd magis declarat sequens sententia.

18 *Qui timet Dominum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundùm illum erit amicus illius.*

HOc est, Qui reueretur Dominum, eúmque piè colit, sicut ipse bene & fideliter sese gerit erga Deum, & propter Deũ etiam erga proximum suum, ita æquè, hoc est similiter, habebit bonam, fidelem & constantem amicitiam alterius erga se, aut æquè habebit, hoc est, iustè. Iustũ enim est, vt qui Deum reueretur, bonam Dei beneficio amicitiam aliorum erga se consequatur. Vtrique intelligentiæ conuenit quod sequitur; quoniam secundùm illum erit amicus illius; hoc est, qualis ipse est erga Deum & proximum, talis erit & amicus illius, hoc est, fidelis & syncerus ei obtiget amicus, sicut ipse fideli & recto est erga Deum & proximũ animo. Hunc sensum Græca ostendunt quæ habent, ὁ φοβούμενος κύριον εὐθυνεῖ τὴν φιλίαν αὐτοῦ, ὅτι κατ' αὐτὸν οὕτως καὶ ὁ πλησίον αὐτοῦ, hoc est, qui timet Dominum, diriget (vel rectam faciet) amicitiam eius (pro suam), quoniam secundùm illum, sic & proximi eius. Cẹterũ cùm rarus sit tam fidelis amicus, in quem perfectè competant omnes præscriptæ conditiones, (nam vt dicitur Prouerb. 20. Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?) in Christum hæc vnicè & perfectè quadrant: quem qui nactus est amicum, hic verè fidelem nactus est amicum, per quem, velut in arce quadam tutissimè ab omni malo protegetur, in quo diuitias possidebit incomparabiles, atque ab omni morbo animi certissimò curabitur.

18 *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & usque ad canos inuenies sapientiam.*

NOuum hic incipit Sapiens argumentũ, adhortando ad studium sapiẽtiæ, & demonstrando eius studij modum ac fructum, quod argumẽtum rectè subiungitur doctrinæ de amicitia, quod verã amicitia sine sapientia obtineri non possit. Imprimis itaque monet à iuuentute ac primis ætatis temporibus suscipiendam sapiẽtum doctrinam & institutionem: sic enim futurum vt vsque ad caniciem & extremam senectutem, quando homini maximè opus est sapientia, cum homine duratura sit, vtpote quæ sui studiosos nunquam deserit, nec deficiente hominis ætate, etiam ipsa deficit, quemadmodum voluptas, sed senio accedente magis etiam augescit. Docet ergo quod quidam ait: A teneris cõsuescere multum est. Et bonum est homini cùm portauerit iugum ab adolescẽtia sua. Pro, excipe, pleraque Græca habent, ἐπίλεξαι, hoc est, elige: Germanicũ tamen exemplar habet ἐπίδεξαι, hoc est, suscipe, quod secutus est noster interpres. Thren. 3

20 *Quasi is qui arat & qui seminat, accede ad illam, & sustine bonos fructus illius.*

DIxit quãdo sit sapiẽtia ambienda, nunc dicit quo modo, pulchra vsus similitudine, qua significat laborem pro ea obtinẽda subeundum, idque cum certa spe bonorum fructuum eius percipiendorum, quia, vt quidam cecinit, Non iacet in molli veneranda scientia lecto; Illa sed assiduo parta labore venit. Vult ergo, vt ad eam accedamus instar arantis & seminantis, hoc est, laboribus multis eam à nobis esse excolendam, veluti terram ex qua fructus desideramus. Deinde etiamsi non statim dulcedinem & multitudinem fructuum eius sentiamus, non tamen ob id cessandũ à laboribus, sed longanimiter expectandos fructus eius, quemadmodum Iacob. 5. agricola patienter & securè expectat pretiosum fructum terræ, hoc enim significat, dicens, sustine bonos fructus eius; hoc est, expecta, Græcis enim est ἀνάμενε.

21 *In opere enim illius paululum laborabis, & citò edes de generationibus illius.*

PRo, opere, Græcis est ἐργασίᾳ, quæ dictio latius patet, quàm nomen, opus. Accommodatur enim ad omnia opera, & operationem atque laborem. Sic autem dixit, ἐν ἐργασίᾳ αὐτῆς, sicut dicitur ἐργασία γῆς, pro cultura terræ, vnde rectè quidam hic vertit, In cultura illius. Perstatur enim adhuc in cœpta à colentibus terram similitudine, significaturque quod quemadmodum in colenda terra laboratur, postea verò mox percipiuntur ex terra fructus eius, qui ex ea alioqui non poterant expectari: ita si quis sapientiam excoluerit, & pro ea vel paululum laborauerit, mox gustabit fructus eius. Itaque quod nos habemus, in opere eius accipiẽdum est pro operatione & labore quem subimus pro obtinenda sapientia. Similis est hic locus illi loco Psalmistẹ: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: Venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos suos. Psal. 125

22 *Quàm aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors.*

CAusam indicat, cur in excolenda sapiẽtia plærique nolint perseuerantor laborare, & qui illi sint, nempe ineruditi & stulti, qui suis ducuntur cupiditatibus, & voluptatibus terrenis addicti sunt, ignorantes quantum periculum in eis lateat. Sicut enim his qui infecto sunt stomacho & palato, omnis cibus quãlibet delicatus ingratus est & amarus; ita vitiosis vera sapientia non sapit, sed valde eis aspera & inamœna videtur, ita vt aggressi eius studium, facilè ab ea resiliant, nec permaneant in ea excolenda. Sic & Pro. 24. dicitur: Excelsa stulto sapientia & ibi. 23. In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui.

23 *Quasi lapidis uirtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam.*

GRæca primam partem clarius habẽt sic, ὡς λίθος δοκιμασίας ἰσχυρὸς ἐν αὐτῇ, quasi lapis probationis validus erit in ipso. hoc est ipsa sapientia erit stulto velut magnus & grauis aliquis lapis quo probantur vires hominum. Sicut enim illum infirmi & segnes mox abiiciunt, eúmque portare recusant, ita & stulti sapientiæ studium velut nimis graue & intolerabile reiiciũt à se. Itaque nostra lectio sic rectè accipietur; Ipsa sapiẽtia erit in stultis hominibus probatio, hoc est probabit eos sicut virtus, hoc est, fortitudo vel grauitas lapidis probat vires & fortitudinẽ hominum. Ita enim & sapientia probat illos an velint vel possint ferre, & tentant quidam illi sapientiam nonnunquam attingere & ferre, sed mox præ ignauia & animi languore non differunt eam à se proijcere, velut nimis onerosam & molestam.

24 *Sapientia enim doctrinæ secundum nomen est eius, & non est multis manifesta.*

PRior pars obscura est etiam apud Græcos. Intelligit quidem Lyranus significari sapientiam habere nomen à re, quia, vt inquit, sapientia dicitur quasi sapida scientia. Verum etiam si sic esset, (quod etiam sic non est, non enim à scientia dicitur sapientia, sed à sapore) tamen hæc explicatio non conuenit huic loco, cùm Latinè hæc non sint primùm scripta. Qua ratione nec conuenit quòd quidam Græcam dictionẽ attẽdentes, putant authorem hic secutum eos qui σοφίαν putant dictam quasi ζοφίαν, à ζόφος, quod caliginem significat, eo quòd sit multis abscõdita & occulta, quia nec Græcè hæc primùm sunt scripta, sed Hebraicè, vt patet ex Prologo huius libri. Proinde non video sensum conuenientiorem quàm hunc; Sapientia est secundùm nomen eius; hoc est id quod dicitur & prædicatur, nempe arduas res & excelsa, & non quibusuis obuia. Simili ferè modo Rabanus intelligit, sic scribens: Sapiẽtia doctrinæ, sinceritas est legis diuinæ. Quæ secundùm nomen eius est, hoc est prudentia, veritas & virtus. Notãdum tamen quosdam Græcos Codices habere non ἐστὶν, eius, sed ἐστὸς, hoc est, ipsis, vt sit: Sapientia secundùm nomen illis est, hoc est, nomine solùm illis nota est, non re vera. Aut nomine solum eis competit, quia quidam nomine tenus sunt sapientes, quibus reuera sapientia non est manifesta.

25 *Quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.*

GRæca modo hunc versum non habent. Significat autem, sapientiam eos quibus per experientiam cognita est, non deserere, nec deseri ab eis: sed vt illi per amorem ei iugiter adhærent, & ipsam semper apud eos permanere, ac tandem deducere ad Dei contemplationem & eius claram visionem, in qua sola perfecta est sapientia. Veritatem autem habet hæc sententia in prædestinatis & electis. Nam alioqui etiam eos qui gustauerunt bonum Dei donum, contingit prolabi, & à vera sapientia excidere. Ipsa tamen semper apud omnes permanet quantum ad se pertinet. Nec enim deserit, nisi prius deserta.

26 *Audi fili, & accipe consilium intellectus, & ne abijcias consilium meum.*

POstquàm indicauit per quid fiat vt plerique se seriò non tradant studio sapientiæ, ad eam filium suum sapiens adhortatur, commodè hanc interiicit sententiam, qua illum ad auscultandum excitat. Consilium intellectus, hoc est, intelligentiæ, vocat consiliũ prudens, illud scilicet quod iamiam daturus est. vnde Græcis tantum est γνώμην μου, hoc est, sententiam meam.

27 *Injice pedes tuos in compedes illius, & in torques illius collum tuum.*

28 *Subijce humerum tuum, & portaillam, & ne accedieris uinculis illius.*

HIs duobus versibus, pulchris allegoriis idem vult significare, nempe sapientiæ candidatum se totum debere submittere ei ac lubẽter perferre vt ab ea cohibeatur, ducatur & gubernetur, & quicquid in eius studio molestum videtur & gratiæ, non detrectare. Cùm autem nomen, torques, propriè significet ornamentum colli ex auro, argento ue, & id genus aliis, hic impropriè accipi debet pro colli ligamine, quod Latinis propriè dicitur numella: quale est quo canes alligari solent, aut etiam serui fugitiui, & malefici. Id enim significat dictio Græca ἁλοίου hic posita. Meminit ergo quatuor, quibus variæ partes corporis grauari solent. Pedes enim constringuntur compedibus, collum numella, humeri oneribus impositis, manus & brachia vinculis. Et sub allegoria harum partium & grauaminum monet, vt quis se totum sinat à sapientia cohiberi & captiuari, omnésque sensus suos & affectus eius disciplina & præceptis constringi, vt quicquid ea faciendum decreuerit, id non detrectet exequi, etiamsi molestum carni videatur. Quod si distinctio aliqua inter has partes quæratur, prior versus rectè intelliget pertinere ad præcepta negatiua, quibus à faciendo quippiam cohibemur: secundus verò versus ad præcepta affirmatiua, quibus ad faciendum aliquid astringimur. Subiicimus enim humerum sapientiæ, & portamus eam, quando quicquid iniungit faciẽdum, & si graue sit, exequimur. Rursum pedes constringuntur, cùm affectus nostri cohibentur: Collum, cùm superbia curuatur. Manus, cũ à malis operibus Dei timore impedimur. Porrò pro, acedieris, verbo deriuato à nomine Græco acedia, hoc est, tristitia vel tædio, Græcis hic est ἀκηδιάσῃς, quod est, indignari & offendi. Idem satis significat nostra lectio; ne acedieris vinculis eius, hoc est, ne tristeris, vel tædio afficiaris ob vincula eius veluti manibus tuis iniecta. Pulchrè hic contra eos qui in defendenda euangelica libertate nimij sunt, indicatur verã sapiẽtiam

tiam quandam libertatem nobis eripere, & seruitutem quandam iniicere, carni quidem molestam & grauem, sed quam sponte susci pere debeamus.

29 *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni uirtute tua conserua uias eius.*

HAc sententia velut clarius exprimit, qđ superioribus allegoriis obscurius dixit. Dicitur autem, omni animo & omni virtute, pro tota anima & tota virtute & fortitudine, significans non frigido aut tepido animo, sed seriò & eam quærendam, & eius mãdata obseruanda, tum vt sciatur quæ illa sint tum vt cognita opere præstentur.

30 *Inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam.*

CVm dicit, inuestiga, significat eam non omnibus obuiam, labore obtinendam esse. Et ne laboris tædeat, manifestabitur, inquit, tibi: non enim subducet se ab his qui quærunt eam. Facilè enim, dicitur in Sapientia, videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt eam; iuxta illud Saluatoris: Quærite, & inuenietis. Quoniam autem non est satis eam & quærere & inuenire, nisi quis eam perseueranter retineat, addit; & continens factus; hoc est, compos effectus, & obtinens eam ne derelinquas eã. Est enim Græcis hic ἀνθεκτικὸς, quod non solùm significat abstinentem & temperatum, sed & compotem, & rem aliquam assecutũ, quomodo verisimile est eam dictionem etiã accipiendam Sapien. 8. vbi legimus: & vt sciui quoniam aliter non possem esse continẽs, nisi Deus det, adij Dominum, &c. vt sit sensus; cum scirem me non aliter posse compotem fieri voti mei, & obtinere desideratam sapientiam: quoniam in oratione quæ subiicitur ad Deum, non oratur pro continentia obtinenda, sed tantùm pro sapientia.

Sap. 8.

Matt. 7.

31 *In nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem.*

QVod quidam dixit radices virtutis esse amaras, fructus vero suauissimos, hoc idem significat hic Sapiens in studio sapientiæ, initia eius carni esse molesta, sed exitum esse iucundissimum. Simile est quod dicit Saluator: Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. In nouissimis, inquit, hoc est, postea cùm iam assueueris virtuti, pro fatigatione & labore inuenies requiem conscientiæ in ea, amaritudo eius cõuertetur tibi in oblectationem non solùm in futura vita, vbi istud perfectè implebitur, sed etiam in præsenti, quando carne ex parte per assuetudinem virtutis superata, virtus incipit esse incũdissima, tum propter naturalem suam honestatem quam in se habet, tum propter pacem mentis quam adfert.

Matt. 11

32 *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis & bases uirtutis, & torques illius in stolam gloriæ.*

NOn solùm, inquit, requiem inde consequeris & voluptatẽ, sed & protectiõem fortem & honorem præclarum. Compedes enim quæ infirmitatem adferre videbantur, conuertentur in protectionem fortitudinis, hoc est, fortem, & bases fortitudinis, hoc est; fortes, in quibus scilicet solidè possis consistere, & torques vel numellæ, quæ deformitatem habere videbãtur, & seruilitatem præ se ferre, vertentur in ornamenta pulcherrima, qualis est stola gloriæ, hoc est, stola gloriosa. Nã præcepta sapiẽtiæ, quibus sibi suos deuincit veluti compedibus & numellis, etsi imprimis carnem premant, & libertatẽ quãdam eripiant, tamen postea per obseruationem eorum, & fortiter illos protegunt contra omnia vitia ac iram Dei, & gloria magna atque libertate eos apud Deum & homines decorant & ornant. Illud, bases virtutis, addi tum est ab interprete, cùm non sit in Græcis.

33 *Decor enim uitæ est in ea, & uincula illius alligatura salutaris,*

PRo, decor vitæ, Græcis est κόσμος κρύσεος, ornatus auri, vel aureus. Pro, alligatura salutaris, est κλῶσμα ὑακινθινον, hoc est, nexus hyacinthinus, qui scilicet nõ grauat nec dehonestat, sed leuis est & ornat. Interpres maluit rem reddere quàm verba. Per ornatũ enim auri nihil significatur quàm decor & pulchritudo quam suis adfert sapientia in vita hac. Per nexum hyacinthinum, salutaris & vtilis alligatura. Fœnix enim necessitas quæ ad meliora cõpellit. Quidam codices scripti habebant; fila hyacinthina, alligatura saluta ris; vt verisimile sit interpretem vertisse vt habent Græca, & deinde commentarium adiectum, qui postea magis obtinuit.

34 *Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superponet tibi.*

REctius per accusatiuum legitur Stolam, vt habet Græca, & multa Latina scripta, & subauditur particula similitudinis: vt alias sæpe. Indues eam vt stolam gloriæ, hoc est, amictu glorioso, hoc est, per eam vndique conspicuus eris & ornatus, veluti veste præclara indutus, & corona gratulationis, vel, vt est Græcis, ἀγαλλιάματος, hoc est, exultationis & lætitiæ circũdatus. Simile est illi Prouer. 4. Arripe illã, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cũ eã fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta protegẽt te. Cæterum coronam superpositam opponit oneri cui humeros subiiciendos dixit, vt pulchrè quatuor illa quæ grauare videntur, ostendat in ornatum conuertenda.

35 *Fili, si attenderis mihi, disce: & si accommodaueris animum, sapiens eris.*

GRæca primam partem sic habent; ἐὰν θέλῃς τέκνον προσέχειν θήσομαι hoc est, si volueris fili

erudieris. Non ergo adhortatio est ad discēdum, sed indicatur qua ratione sapientia & eruditio obtineri possit. Et ordine conueniēti in sequentibus tria vel quatuor requirit, quorum primum est, vt quis sapientiæ bene sit affectus, & ad eam percipiendam habeat bonam voluntatem. Sic enim futurum vt facilius eruditur, & sapiētiam percipiat, à qua si alienam habeat mentem, non poterit eius esse capax. Hoc est ergo quod dicit, si voles erudieris; in quem sensum & nostra lectio accipi debet; Si attenderis mihi, faciendo sci licet quod dixi, iniice pedem tuum in cōpedes illius, & mentem tuam non auertendo à sapientia, sed eam iuxta meum consilium amando, tunc tu disces, tunc capax eris disciplinæ. Cui intelligentiæ conuenit quod sequitur; & si accōmodaueris animum tuum, ipsi scilicet sapientiæ, tunc facilè sapiens efficieris: iuxta illud Saluſtij: Vbi intenderis ingenium, ibi valet.

36 *Si inclinaueris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris.*

SEcundum quod requiritur est, vt qui sapientiæ bene est affectus, eiúsq; est cupidus, quando quidem alieno eget magisterio sese cōponat ad audiendū alios, & lubenter audiendum. Itaq; dicit; si inclinaueris aurem tuam ad audiendū, tunc excipies doctrinā, vel, vt est Græcis, σώσεται, intelligentiam, hoc est, doctus euades, vt doctrina passiuè potius accipiatur, qua scilicet quis doctus fit.

37 *In multitudine presbyterorum prudentium sta: & sapientiæ illorum ex corde coniungere.*

PRudentium, adiecit interpres de suo, nec malè. Nomen presbyteri hic potius ętatis est quàm dignitatis, significans idem quod seniores. Tertium ergo requisitum est, vt quandoquidem alieno magisterio opus est, senes & sapientes deligantur, à quibus vera sapientia percipiatur.

38 *Vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis non effugiant te.*

GRæcè est, πᾶσαν διήγησιν θείαν θέλε ἀκροᾶσθαι. Omnem narrationem diuinā velis audire. Narrationem ergo Dei intellige eā quæ de Deo est rebúsque diuinis. Pro, laudis, est συνέσεως, hoc est, intelligentiæ. at interpres legit αἰνέσεως, hoc est, laudis. Intellige ergo prouerbia laudis, parabolas & doctrinas laudabiles. Bene notanda hæc salutaris doctrina sapientis. Docet enim non, vt pleriq; hodie faciunt, de suo præsumere intellectu, confidentes se suo ingenio omnia assequi posse. Item non satis esse studio proprio adiicere orationes, sed opus esse audientia aliorum. ad hanc vbiq; scriptura sapiētię cupidos prouocat. Rursum docet nō vnum aliquem aut alterum deligendum in angulis doctorem, sed adeundam multitudinem, idq; non iuuenum, vt fecit Roboam, sed senum & sapientum, quemadmodum fit in Catholica Eccle

Reg. 12.

sia, vbi exponuntur veterum patrum sententiæ, nō priuatæ opiniones. Docet & hoc etiā ex prudentibus & senioribus non tam quærendum quid illi sentiant, aut inuenerint suo ingenio, quàm quid proferant ex narrationi bꝰ diuinis, hoc est, quod verbo Dei siue scripto siue nō scripto sit conforme. Nec vnum & aliud dogma sacrum discendum vult, sed omnem narrationē diuinam, omnemq; doctrinam grauem & laude dignā, prætermissis scilicet quæ ad pietatem non pertinent.

39 *Et si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.*

NOn satis est huic nostro Sapienti excitare ad prudentium audiendam doctrinam, sed vult idipsum fieri impigrè, & multo cum studio. Itaq; vult & vt summo diluculo id fiat, & vt fiat assiduè atq; frequenter. Si, inquit, videris sensatum, hoc est, prudentem, euigila ad eū, hoc est, summo diluculo adeas illum, nec sit tibi molestum somnium tuum rumpere quo illum audias, & gradus, quibus ascenditur ad ostia domus eius, exterat pes tuus, hoc est, frequenter eum adeas. Euigilare ad sapientem, Hebraica phrasi est tempestiue & festinanter illum adire, non tardè & ferò, quomodo solemus ad ea accurrere quæ nobis vehementer sunt cordi.

40 *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto.*

QVoniam non satis est multa etiam frequenter à doctioribus audire, nisi quis audita apud se frequenter & seriò expendat & ruminet, ideo rectè quarto loco post prædicta subiicit: Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & additur Græcis τελέως, hoc est, perfectè. Pro; maximè assiduus esto; illis est μελέτα διαπαντὸς, hoc est, meditare semper. Idem nostra lectio significat, si intelligatur, in mandatis eius recolendis assiduus esto, iuxta illud Psalm. 1. Beatus vir, cuius in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

41 *Et ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.*

PRædictis, si seruentur: adiicitur gratiæ diuinæ promissio, qua cōfirmatur, quod superius dixit, per requisita illa media sapientiam obtinendam, docens tamen præter illa adhuc opus esse Dei gratia, sine qua nihil prosint illa omnia. Si inquit, hæc præstes, ipse dabit tibi cor, hoc est, sapientiam, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi feruentior scilicet, plenior, qua iam omni tædio & molestia quæ in principio sentiebatur superatis, ac concupiscentia huius mundi plenius extincta, vnicè & ardentius sapientiam desideres, iuxta illud quod postea sequitur: Qui edunt me, adhuc esurient. & qui bibunt me, adhuc sitient. Potest & aliter accipi concupiscentia sapientiæ, pro sapientia concupita. Similis locus est Prouerb. 2. in principio, vbi

Sap. 24.

vbi etiam ex Dei dono promittitur sapientia amanti eam, & ex amore eam seriò ac diligenter quærenti. Si enim, inquit, sapiētiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.

Caput VII.

CAPVT hoc plenum est salutaribus præceptis ad communem vitam pertinētibus. Et primùm quidem continet pleraque cōmunia præcepta negatiua, quibus quæ mala sunt prohibentur; deinde traduntur præcepta ad familiam curādam pertinentia, ac postea talia quæ ad reuerentiam sacerdotum spectant: tum & ab his transitur ad commune præceptum beneficentię pauperibus & afflictis exhibendæ. Imprimis ergo in genere, vitiorum omnium fuga consulitur, dicendo:

1 *Noli facere mala, & non te apprehendent.*

MAla scilicet, quod Græcis etiam repetitur, quāuis in vtraq; parte dictio, mala, non pro eisdē malis accipi videatur. Cùm enim dicitur; Noli facere mala; de malis culpæ sermo est: cùm verò dicitur; non te apprehendent mala; sermo est de malis pœnæ. Dirigitur autem hæc sententia contra eos qui de suis queruntur calamitatibus, non agnoscentes se earum esse causas propter peccata sua. quasi dicat: Vis liber esse à malis? noli facere mala. iuxta vulgare prouerbium: Non essent plagæ si non essent peccata. Respondet huic quod & Saluator ait: Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Et quod dictum est Cain: Nónne si bene egeris recipies, si autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Et quod Psalmista dicit de Deo; cum peruerso peruerteris.

Gen. 4.

Psal. 17

2 *Discede ab iniquo, & discedent mala abs te.*

ABlatiuus, iniquo, accipi potest pro re iniqua, vt hæc sententia aliis verbis idem significet quod superior sententia. quam intelligentiam puto esse veriorem. Aut potest accipi pro homine iniquo, aut diabolo, & tunc per mala, intelligi possunt vitia. Qui enim consortium declinat iniqui hominis & diaboli, facilè à vitiis, & proinde etiam à vindicta liber erit. Cui intelligentiæ fauere multum videtur quòd Græca non habeant hic mala, sed ἁμαρτία, hoc est, peccatum. Sed rectè etiam intelligitur peccatum declinare ab homine, quia non inuoluit eum vindicta peccato debita.

3 *Fili non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.*

MAla, non est in Græcis, quæ absolutè habent, nō semines. Obscurum autem est quid per sulcos iniustitiæ sit intelligendum, in quibus, vel, vt est Græcis, super quos non vult seminari. Intelligit quidem Lyranus sulcos iniustitiæ, corda fragilium ad iniquitates prona, vt significetur talibus non esse ingerenda semina prauæ doctrinæ aut scandalosæ vitæ, qui sunt veluti sulci dispositi ad semen suscipiendum. At simplicius fuerit intelligere hoc significari quod est apud Paulum, cùm dicit: Qui seminat in carne, (vel, vt est Græcis, per accusatiuum sicut hic in carnem suam) de carne & metet corruptionem. Sicut enim ibi seminare in carne, est ea opera facere quæ caro desiderat, quæque caro in sese veluti recipit, fouet & nutrit, sicut terra sparsum in se semen: ita & hic seminare in sulcis iniustitiæ, est satisfacere desideriis carnis, eaq; facere vnde mala desideria foueantur: vt sulci iniustitiæ, intelligantur desideria carnis & mali affectus, quibus qui fomentū prębuerint per opera mala, metent inde in septuplum, hoc est, quemadmodum ager semen illi immissum reddit cum fœnore magno, ita & ipsi graue inde reportabunt malum atque vindictam. Septulum enim more scripturæ, positum est pro multipliciter. Potest etiam simpliciter accipi seminare in sulcis vel super sulcos iniustitiæ, pro serere malam sementem.

Galat. 6.

4 *Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris.*

SVbiicit quædā modestiæ præcepta, auocans ab ambitione & appetitu honorum qui in hominibus maximè dominatur, idq; cum summo periculo, & perspè etiam cum pernicie ipsorum. Pro, ab homine, Græcis est παρὰ κυρίου, à Domino. Et verisimile est interpretem vertisse, à Domino, idque à scriptore indocto mutatum in, ab homine. Dehortatur enim Sapiens vt neq; stultis præcibus à Domino, neq; à regibus petamus principatum aut sedem honorificam, tum quòd in publicis illis functionibus non tantùm honor spectandus sit, sed & onus molestiis & & periculis non carens, tum quod exacta ratio administrationis Deo & regi reddenda sit: proinde ab illis honorari, est illis grauius obstringi, & se eis subiicere quorum vltionē euitare non licet. Ducatum posuit interpres pro principatu, quia qui præest, alios ducere & gubernare debet. Græce est ἡγεμονίαν. Et quoniam sunt qui ob præsumptionem virtutis & sapientiæ audent siue à Deo, siue ab homine petere honoris locum, rectè subiicitur:

5 *Non te iustifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes reges noli uelle uideri sapiens.*

PArs illa; quoniam agnitor cordis ipse est; addita est ab interprete, vel alio quopiā, commentarij vice, cùm Græca etiam hic tātùm habeant bimembrem sententiam, qua dehortatur sapiens ab ostentatione iustitiæ coram Deo, & sapientię coram rege, vtrique enim huiusmodi ostentatio est odiosa propter superbiæ notam, quæ Deo & regibus summè displicet. Vterq; huiusmodi ostentationē facilè potest cōfutare. Nam & Deus facilè quemque potest conuincere peccati, qui agitor est cordis, & quem nullum latet secretum: & rex proponēdo grauissimarum rerum difficultates, facilè poterit ignorantiā

alicuius prodere,& ridendã exponere. Vnde & Salomon monet: Ne glorioſus appareas coram rege. Iuſtificant ſe ante Deum, qui ita coram Deo de ſua iuſtitia gloriantur, quaſi nullum habeãt peccatum, ob quod argui timeant ab eo. quomodo ſe iuſtificabat Phariſęus ille Euangelicus,de quo Lucę 18. Iuſtificant item ſe ante Deum, qui ſua facta apud eum excuſant, querentes excuſationes in peccatis, quaſi Deum penitus fallere poſſint,ſicut fallunt homines.

Prou.25.

6 *Noli querere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

PEculiariter dehortatur ab ambitione poteſtatis iudiciarię,indicans eam requirere quod paucis datũ eſt, quódque de ſe non temerè quis præſumere debet, videlicet vt valeat virtute, hoc eſt, viriliter & fortiter irrumpere iniquitates.Vbi irrumpere non eſt poſitum in communi eius ſignificatu pro vi ingredi, ſed in propria eius ſignificatione pro penitus frangere, quomodo accipit Lactantius lib. 6. Summum,inquit,inter ſe hominum vinculum, eſt humanitas: quod qui irruperit, nefarius & paricida exiſtimandus eſt. Græcis eſt; niſi valeas tollere iniuſtitias. Porro Rabanus hoc refert ad iudicis iniquitates, intelligens, eum qui iudex eſſe volet, ante omnia debere in ſeipſo ſeparare iniquitates: quia, inquit, qui grauatur põdere propriarum culparum, non debet velle fieri iudex alienarum. Magis tamen referẽdum eſt ad iniquitates alienas,vt ſignificetur,ad iudicem pertinere vt viriliter reſiſtat, impediat & frangat improborum conatus, & eorum violentias ſiue contra ſe ſiue cõtra innocentes alios reprimat & vindicet. Vt autem ſic valeat irrumpere iniquitates aliorum, multa in iudice requiruntur, & primùm quidem vitæ integritas, & in iudicando æquitas: deinde vero etiam potẽtia,diuitiæ ac fauor hominum, ſine quibus nõ ſuffecerit vitæ innocentia, vnde Iethro Moſi conſulit, vt prouideat ex omni plebe viros potentes & timentes Deum quos præficiat populo.

Exod. 18.

7 *Ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.*

INdicat & aliud periculum, ob quod non ſit ambienda iudicandi poteſtas, nempe quia frequenter fit, vt iudex timore potẽtiæ alicuius nõ auſit iuſtam proferre aut exequi ſententiam.Pro, in agilitate tua, Græcis eſt, ἐν ἀνθστητί σου,hoc eſt,in æquitate vel rectitudine tua.Et fortè interpres ſcripſerat,æquitate, cùm ſic ſoleat dictionem ἀνθστης vertere, ſed hoc ſcriptor aliquis mutauit in,agilitate, quòd abſurdũ videretur dici ſcandalũ poni in æquitate. Ponere autem ſcandalum in æquitate ſua, eſt offendiculum præbere ſuæ æquitati & integritati, hoc eſt,aliquid committere per quod æquitas ipſius impediatur vt non habeat quem ſolebat & debebat progreſſum.Quod fit,dum iudex timendo perſonam potentis, non audet debitam pronunciare aut exequi ſententiam.Itaque non tam hic eſt ſermo de ſcandalo aliis præſtito, quàm de ſcandalo quod quis ſibi præſtat, dum id facit per quod ad lapſum & ruinam inclinatur. In hunc ſenſum & noſtra lectio accipienda eſt hoc modo: Ne fortè extimeſcas faciem potentis,& hanc timendo ponas tibi ſcandalum in agilitate, hoc eſt,dexteritate tua,quia ſcilicet per timorem potentiæ alterius tibiipſi obſtaculum præbes, ne pro tua dexteritate & promptitudine pergas in iudicando & defendendo oppreſſos innocẽtes.Lyranus intelligit; ne ponas ſcandalum in agilitate tua; hoc eſt, ne alios ſcandalizes per leuitatem & inconſtantiam tuam. Verùm hæc explicatio nimis eſt aliena ab originali, & nomen agilitatis, magis laudis nomen eſt quàm vitij.

8 *Non pecces in multitudinem ciuitatis, nec te immittas in populum.*

MAgis legendum eſt per accuſatiuum, multitudinem,quomodo legitur apud Rabanum,cùm Græcè ſit ὡς τὸ πλῆθος. in multitudinẽ.Videtur autem hæc ſententia etiam pertinere ad doctrinam ſuperiorem,vt indicetur hic & alia ratio, ob quam non ſit ambienda poteſtas regendi & iudicandi alios, nempe quia per eam poteſtatẽ exponit quis ſeſe periculo apud promiſcuũ vulgus, quod vt facilè offenditur, ita difficilè placatur Dicit ergo; non pecces contra multitudinem ciuitatis; iniuria illam afficiendo:neq; te temerè immittas in populum; ſiue ad regendum illum, ſiue potius ad componẽdum rixas & contentiones in populo excitatas. Primum prohibet,nõ ſolùm quòd graue ſit delictum, peccare cõtra totam cõmunitatem, ſed etiam quòd difficile ſit eam placare, & effugere eius vltionem.Secũdum prohibet, quòd periculoſum ſit Reipublicæ rebus ſe immiſcere, maximè contentionis tempore, quòd multi ſemper parentur hoſtes in quãcunque partem quis inclinetur. Conſtat ex Actis de Paulo,quomodo cũ vellet in tumultu excitato Epheſi a Demetrio ſe dare in theatrũ,à ſuis admonitus ſeſe continuerit.

Act. 19

9 *Neque alliges duplicia peccata,nec enim in uno eris immunis.*

PRopter coniunctionem, neque,hæc ſententia ad ſuperiorem doctrinam ferè refertur,vt per hanc moneatur ne quis immittendo ſe in populum, aut iudicis officiũ ambiendo, ſe inuoluat duplicibus peccatis, & ſuis ſcilicet & populi, cui⁹ peccata ſæpè imputantur rectoribus,ſiue ob ſcandalũ ab eis datum, ſiue ob negligentiam correctionis. At Græca hanc ſententiam ſeorſum habẽt, & alium ſenſum requirũt. Habent enim ſic: μὴ καταδεσμεύσῃς δύο ἁμαρτίαν, Ne alliges bis peccatum.Quibus verbis prohibetur continuatio peccatorũ, vt ſi ſemel labi in aliquo contingat,mox ceſſetur, nec adiiciatur peccatũ peccato. Continuatio enim peccatorum ac multiplicatio, in ſcriptura dicitur eſſe quædam colligatio,vinculorúmq;cõnexio.vnde apud Iſaiam dicitur: Væ qui trahitis iniquitatem

tatem in funiculo vanitatis, & quaſi vinculũ plauſtri peccatum. In noſtra ergo lectione alligari duplicia peccata, eſt peccatũ ſemel commiſſum repetere, & priori coniungere, quod ne fiat, rationem reddit,nec enim,inquit,in vno immunis eris;hoc eſt,impunitus non eris de vno admiſſo,quanto magis ſi repetas.Satis daturum erit vnius vindictã perferre, quo magis cauendum ne duplicetur, vt ne duplicato peccato duplicetur &pœna.

10 *Noli eſſe puſillanimis in animo tuo,exorare & dare eleemoſynam ne deſpicias.*

PRo omnibus illis verbis;Noli eſſe puſillanimis in animo tuo, exorare; Græcis eſt breuius & elegantius, μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν προσευχῇ σου, ne ſis puſillanimis in oratione tua; vtveriſimile ſit infinitiuũ, exorare,apud nos magis referẽdum ad præcedentia, quàm ad ſequẽs verbum,deſpicias, vt aliqui libri ſcripti diſtinguũt. vt ſit ſenſus:non iis puſillanimis ad exorandum.Vtut eſt,poſtquàm monuit peccatum non iterandum,& nec vnum quidem fore impunitum,commodè ſubiungit quid admiſſo peccato ſit pro eius expiatione faciendum,orãdum ſcilicet cum confidentia,& orationi addendam eleemoſynã, quæ extinguit peccatum, ſicut aqua ignem. Dicit ergo:Si peccaſti, noli ob id eſſe omnino puſillanimis,quaſi deſperãs de venia,ſed ora Deum cum fiducia:at quoniã non oportet eſſe contentum oratione, ne deſpicias, nec negligas dare etiam eleemoſynam. Ita fit,vt qui benignus es in alios, etiam Dei benignitatem in te prouoces, & ſentias.Similis locus eſt infrà:Fili peccaſti, non adiicias iterum:ſed & de priſtinis deprecare Deum, vt tibi dimittantur.

Sup. 21.

11 *Ne dicas, In multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, & offerente me Deo altiſſimo, munera mea ſuſcipiet.*

DIxit per quę Deus propitiari poſſit,dicit nunc per quæ non propitietur, tollens fiduciam legalium ſacrificiorum, ſiue quòd illa per ſe Deo grata non eſſent, ſicut Iudæi putabant,ſiue potius quòd,neglecta pietate in Deum & proximum, de qua actũ eſt ſententia præcedente, vana eſſet fiducia impetrãdæ miſericordiæ Dei,per ſacrificia etiam nouæ legis. Dicit enim hanc ſententiam Sapiens contra impios, qui etiamſi perſeuerẽt in peccatis ſuis, per oblationem ſacrificiorũ ſibi promittunt impunitatem,ita vt hæc ſententia pertineat ad retundendam vanã præſumptionem ſicut precedens ad deſperationem tollendam.

12 *Ne irrideas hominẽ in amaritudine animæ ſuæ. Eſt enim qui humiliat & exaltat circumſpector Deus.*

GRæca habẽt, ἀνθρωπον ὄνησα, hominem exiſtentem in amaritudine. Nec habent duo illa verba;circumſpectator Deus. Monet non ridendum hominem miſeriis & calamitate grauatum,aut in cordis amaritudine conſtitutum, vt cui potius ſit condolendum,& conſolatio adhibẽda. Et cauſam addit quòd ſit qui humiliat & exaltat, nempe Deus, ſignificans eſſe viciſſitudinem rerum in manu Dei ſitam, vt ſumma faciat infima, & contrà infima extollat, vt ob id quiſq; ſibi alienam miſeriam metuere debeat, & huius metu ab irriſione cauere.Aut etiam amplius ſignificat,Deum ſolitum alienæ miſerię irriſores deiicere,exaltatis his qui prius deiecti erant: vt ſit ſenſus: hominem calamitoſum non irridendum, quòd Deus qui omnia circunſpicit, poteſt & illum deriſum extollere, & deriſorem deprimere, idq; facere cõſideratione ſummæ illius crudelitatis. Iuxta primam intelligentiam ſimilis eſt ſententia in Iſocrate ad Demonicum:Nemini, inquit,calamitatem exprobraueris,fortuna enim cõmunis eſt, & futurum non videtur, hoc eſt, cuique incertum eſt & incognitum.

13 *Noli arare mendacium aduerſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias.*

OMnes ſcripti quos vidi codices habent, amare mendacium, ſed mendũ eſſe,& legendum, arare, vt habent Biblia Roberti, patet ex Græcis,quæ habẽt,μὴ ἀροῦ ἔλαιον,ne ares. Quoniam autem ſcriptores non intellexerunt quid eſſet arare mendacium,arare verterunt in amare. Eſt autem phraſi Hebraica arare mendaciũ,machinari & moliri aliquid falſi,ſicut Oſeæ 10.dicitur: Araſtis impietatẽ.& Pſal. 129. vbi nos habemus; Super dorſum meum fabricauerunt peccatores; Hebræa habent,arauerũt aratores.Certè Rabanum legiſſe arare,non amare,quamuis contextus habeat amare, patet ſatis ex cõmentario, qui exponit de non molienda fraude amico.Si,inquit,nullum mendacium laudabile eſt, & cuiquam ſcandalum inferre perniciosum,quanto magis contra amicum aliquid moliri per fraudem,vituperabile eſt?Et inter alias ſcripturas adducit quod huic loco ſimile eſt,illud ſcilicet Prou. 3. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille habeat in te fiduciam.Quo loco etiam Hebræis verbum eſt qđ eſt Oſeæ 10.& ſignificat arare, vt certum ſit Sapientem hic imitatum eſſe illum locum Prouer. Sicut ergo ſuperiori ſentẽtia dehortatus eſt à ſumma illa inhumanitate, qua quis irridet calamitoſum,cùm nemo omnino irridẽdus ſit,ita & hic ab alterius ſpeciei etiã ſumma inhumanitate dehortatur, vt cùm contra neminem fraude & mendacio agẽdum ſit,maximè tamen caueatur,ne mendacium aliquod fabricetur contra eos qui vel conſanguinitate vel amicitia cõiuncti ſunt.Et ne videatur aliquod mendacium admittere,dum in ſpeciali prohibet mendacium contra fratrem vel amicum excogitatum,ideo rectè ſubiicit:

14 *Noli uelle mentiri omne mendacium, aſſiduitas enim illius non eſt bona.*

OMne,inquit, mendacium noli mentiri, hoc eſt,nullum omnino velis mẽtiri,ne illud quidẽ quod in nullius vergere diſpendium videatur, imò nec illud quod videtur

esse officiosum. Tractat hunc locum prolixè D. August. lib. de mendacio ad Consentium, cap. 16. & 17. indicans triplicem eius intellectum. Nam eos qui defendebant licitū quādoque esse mendacium, asserit hunc locum sic intelligere, vel vt tantum prohibeatur mendacium quod ex voluntate proficiscitur, non autē quod quis inuitus profert propter aliquod bonum, atq; ideo dictum non esse: Noli mentiri omne mēdacium; sed, noli velle mentiri. Vel vt dictum sit; noli omne mendacium mentiri; quasi aliquibus mendaciis exceptis quædam permittantur, quomodo si diceretur: Noli velle credere omni homini; nō significaretur nulli credendum, sed non omnibus, aliquibus tamen credendum. Eos verò qui omne mendacium prohibitum esse defendebant, hunc locum etiam pro se asserit protulisse, ex eo ostēdentes, vsque adeo generaliter omne mēdacium esse dētestandum, vt etiam si quis mentiri velit, etiamsi non mentiatur, iam voluntas ipsa damnanda sit, ideoq; non esse dictum: Noli mentiri omne mendacium; vt non solùm mentiri, sed nec velle mentiri quisquam audeat vllo mendacio. Magis tamen videtur dictum esse, noli velle, vel, vt est Græcis, ne velis, vt affectatū mendacium maximè prohiberet, nō quòd iuxta primum intellectum mendacium non affectatum, & ab inuito prolatum, defendendum sit esse licitum, sed quoniam per infirmitatem humanam vel omnino fieri non potest vel vix, vt quis nunquam mentiatur, (si quis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir) saltem caueat ne affectet mendacium, & studiosè mentiatur atq; ex proposito. Cui intelligentię bene conuenit quod sequitur: Assiduitas enim illius non est bona. Pro quo Græcis est, ϑκ ἀς ἀγαϑὸν, non ad bonum, supple tendit vel cedet. vnde Augustinus legit loco prædicto, non proficiet ad bonum. In nostra autem lectione cùm dicitur, non est bona, plus intelligendum est significari quàm dicitur, nempe quòd sit admodum noxia & mala, sicut cùm dicitur in prouerb. 24. Cognoscere personam in iudicio, non est bonum. Quàm sit malum assiduè mentiri, & quare, indicatur multis verbis postea cap. 20. cùm assiduus in mendaciis furi comparatur, imò præponitur, ob ignominiam quam vterque in Republica sibi conciliat. Cùm ergo assiduitas mēdaciorum valde sit mala, & noxia homini, vt cui summam adferat ignominiam, monet vt saltem ab affectatis qualibuscunq; mendaciis abstineatur: nam qui ea affectat, facilè ea repetet, & in eis assiduus fiet. vnde in illud dedecus incidet, vt ei nec vera dicenti credatur.

Iacob. 3.

15 *Noli uerbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres uerbum in oratione tua.*

MEndacio rectè adiungit garrulitatem, alterum scilicet linguæ vitium quod cùm vbique vitandum sit, maximè tamen & in cœtu seniorum atq; grauium virorum, & in oratione quæ ad Deum funditur. Vtrobique enim verecundia & modestia est adhibenda, ibi ob reuerentiam senum, hic ob reuerentiam Dei, ideóque bene hæc duo coniungit. Pro, verbosus esse, Græcis est μὴ ἀδολεσχεῖν. Est autem ἀδολεσχία, nugari, garrire, ac ineptè, nulla habita ratione temporis, loci ac personarum, ea loqui quæ ad rem non pertinent. Similem doctrinam postea habet cap. 32. In medio magnatorum loqui non presumas, & vbi sunt senes, non multum loquaris. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona. Quod prohibet in oratione iterari verbum, hoc est, sermonem repetere, sic est accipiendum quomodo illud in Euangelio: Orantes nolite multum loqui, videlicet ne ethnicorum more pręirreuerentia, inaduertentia, & infidelitate fiat sermonis repetitio, quasi inculcatio verborum apud Deū, vt nos audiat & intelligat, sit necessaria, sicut est apud homines, apud Similis est doctrina. Ecclesiastē 5. Ne temere, inquit, quid loquaris, neq; cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui. Non prohibetur ergo in oratione ad Deum eadem nonnūquam repetere ex feruore spiritus, vel ad feruorem spiritus excitandum, sed ne temerè id fiat, irreuerenter, & citra fidem inutiliter. Porrò orationem hic non accipi quomodo sermonem & concionem aliquam vocamus orationem, vt de oratione ad homines intelligatur, sicut quidam accipiunt, sed pro precatione, patet ex dictione Græca προσεύχη, D. Gregorius aliquoties hunc locum subtiliter interpretatur vt eo significetur vitia non iterāda, pro quibus sæpius sit orandum. Sic enim habet lib. 10. moral. cap. 17. Hoc dicto vir Sapiens nequaquam nos prohibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare; ac si apertè dicat: Cùm male gesta defleueris, nequaquam rursus facias quod in precibus iterum plangas. Sic & parte tertia curæ pasto. cap. 21. Rursum scriptum est: Ne iteres verbum in oratione tua. Verbum namq; in oratione iterare, est post fletum committere, quod rursum necesse sit flere.

Matt. 6.

16 *Non oderis Laboriosa opera, & rusticationē creatam ab altissimo.*

GRæcis nō est pluraliter, laboriosa opera, sed singulari numero, ἔργον ὀργασίας, laboriosum opus vel operationem, vt peculiariter accipi possit de eo opere quod explicatur secundo membro, nēpe de rusticatione, hoc est, agricultura. Est enim Græcè γεωργία. Rectè tamen etiam singulare accipitur positum pro plurali, vt prima parte intelligatur ab otio dehortari, & monere ne ob laborem quis detrectet operari, aut prę mollitie ea opera fugiat & odiat, quæ magis laborem cōiunctum habent. Secunda deinde parte moneat inter omnia opera minimè agriculturā odiendā, vel hoc nomine, quòd cùm reliqua opera curiositas aut voluntas humana adinuenerit & instituerit, hæc creata sit & instituta ab altissimo, qui & in paradiso primum hominem

hominem posuit vt hortum coleret, & postquam eum eiecit inde, mandauit vt terram peccato maledictam in sudore vultus sui laboraret & excoleret. Agriculturam etiam ethnici etsi hanc causam ignorarent, aliis omnibus artibus mœchanicis præferendam meritò cēsuerunt. Sic enim scribit de ea Cicero lib. 1. Offic. Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Qui & similia multa habet lib. de Senect. Porrò laboriosa opera dupliciter, quis odit, nempe aut quia ea subire detractat, aut quia propter ea contemnit illos qui ea exercent, vt iam mundus admodum corruptus facit, à cuius sententia & imitatione reuocat sententia sequenti.

17 *Non te reputes in multitudine indisciplinatorum. Memento iræ, quoniam non tardabit.*

PRo, reputes, est προσλογίζῃ, quod hic magis erat vertendum, computes. Sensus enim est; non te aggreges aut computari sinas in cœtu imprudentium hominum, aut, vt est Græcè, ἁμαρτωλῶν, host est, peccatorum, qui nullo Dei timore à malo deterrentur, nec didicerunt Deum timere, & mala imminentia præuidere: sed tu memento de ira & vltione diuina, quòd etsi aliter peccatoribus videatur, re vera tamen non tardabit, sed citiusopinione, & certissimò aduenier, nec diu ab erit. Coniunctio enim, quoniam, magis accipienda est pro quòd quàm causaliter, quia Græcis est; Memento quod ira non tardabit.

18 *Humilia ualde spiritum tuum, quoniā uindicta carnis impij ignis & uermis.*

NOn est Græcis, carnis impij, sed tātum, impij. Alluditur autem ad illud Isa. 66. quod & apud Marc. 9. citatur à Saluatore: Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ad quem locum etiam alluditur in Cantico Iudith, cap. 16. cùm dicitur: Dabit ignem & vermes in carnes eorum vt vrantur & sentiant vsq; in sempiternum. Non sunt autem hæc loca de verme corporali intelligenda, quomodo Haymo intellexisse videtur, sed per duo hæc duplex impiorum pœna designatur; per ignem pœna extrinsecus sæuiens, per vermem dolor intus accusans, & conscientia semper remordens & torquens. Cùm ergo superiori sententia dixerit iram nō tardaturam, hic explicat quæ sit illa ira, & quàm grauis, & huius cōsideratione monet spiritum humiliādum, & valde humiliandum, hoc est, per timorem potētiæ & seueræ iustitiæ diuinæ animū hominis ad superbiam pronum, admodum submittendum esse Deo, ita vt se valde paratum exhibeat ad obediendum illi: iuxta illud Petri; Humiliamini sub potenti manu Dei.

19 *Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem neque fratrem charissimum auro spreueris.*

PLeriq; scripti libri habent, pecunia differenti, alij etiam aliter. Videndum ergo ex collatione cum Græcis, quæ sit huius varietatis causa, & quę sit verior lectio. Habēt autem Græca sic, μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκεν ἀλλαφῆς, καὶ ἀδελφὸν γνήσιον χρυσίου ὀφϑέν, hoc est, ne permutes amicum propter rem aliquā eximiā, nec fratrem germanum in oro Ophir, Quo significatur amicum omnibus pretiosis & præstantibus rebus anteponendum. Nam, vt inquit Cicero, amicus est optima & pulcherrima supellex. Dictio enim Græca, ἀλλαφέρου, rem præstantem & excellentem significat. Quædam Græca exemplaria, & nominatim Germanicum habet ἀδιαφόρους, sed sensus eōdem recidit. ἀδιάφορα enim, hoc est, indifferētia, dicuntur secundum Stoicos media, quæ per sese ad fœlicitatem vel infœlicitatē non faciunt, sed vsu probantur aut improbantur; qualia sunt τὰ τυχηκὰ, id est, fortunæ bona, quib. amicus mutandus non est. Priorē Græcorum lectionem veriorē esse secunda pars comprobat, quæ meminit auri Ophir, excellentissimi scilicet & præstantissimi. Ex his satis licet intelligere, interpretem nostrū potius vertisse per ablatiuum, pecunia differenti, quomodo etiā longè plura scripta habent. Id cùm non satis intelligeretur, quidam scripserunt, pecuniam differenti, alij, pecuniam deferenti. Et cùm nec hæc intelligerentur, vt re vera sensum commodum non habent, tandem cœptum est scribi & retineri, pecuniam differentem, vt sit sensus: Nō esse rumpendam amicitiam, nec amicitiæ legē transgrediendam, propterea quòd amicus differat pecuniæ debitæ vel mutuatæ solutionē. At vt hic sensus longè abest ab originali sensu, ita altera lectio, si rectè intelligatur, cum illo maximè conuenit. Pecunia enim differens, accipienda est pecunia excellens, aut varia, diuersa & multa, vt sit sensus; Noli prēuaricari in amicum, rumpendo scilicet amicitiam cum eo initam, propter pecuniam etiam excellētem, aut variam & multam: nec fratrem charissimum spreueris propter aurum, quod vel eius nomine tibi esset persoluendum, aut remittendum. Sic & postea dicitur: Perde pecuniam propter fratrem & amicum Et in Prouerb. 12. dicitur: Qui negligit damnum propter amicum, iustus est. *Cap. 27.*

20 *Noli discedere à muliere sensata & bona, quam super titus es in timore Domini: gratia enim uerecundiæ eius super aurum.*

MVltis deinceps præceptis docetur, quo modo quis se gerere debeat erga certas personas. Cœpit in superiori sententia ab amici persona, hic agit de vxore, quam, sicut nec amicum etiā, non vult iuxta libertatem viris in lege veteri permissam, deseri, cùm & prudens est & bona, quòd gratiositas verecundiæ eius, per quam & erga virum suum demisse se gerit, & ab aliis se castam conseruat, pluris sit facienda quàm aurum. Porrò illam partem; quam fortitus es in timore Domini; sicut & genitiuum, verecundiæ, interpres addidit de suo, cùm Græcis tantum sit, gratia eius super aurum. Potest autem, in timore Domini, referri ad virum, vt sit sensus; quam fortitus es, & à Deo obtinuisti per hoc

quod eum timuisti. Nam vt postea dicitur: Mulier bona, pars bona, in parte bona timẽtium Deum dabitur viro pro factis suis. Aut potest referri ad mulierem, vt sit sensus; quâ consecutus es in timore Dei ambulantem. Quod autem à tali muliere prohibet discedere, non eo dicit quòd temerè ab ea quæ omnino talis non est, sit discedẽdum: sed significare voluit, à tali minimè discedendum ob temporale aliquod incommodũ, quodq; summæ sit imprudentiæ simul & inhumanitatis talem relinquere, sicut & versu sequẽti singularem crudelitatẽ in seruos prohibet.

21 *Non lædes seruum in ueritate operãtem, neque mercenarium dantem animam suam.*

IN veritate operatur seruus qui non ad oculum seruit, nec mendaciis domino suo imponit, sed quod iussum est, ex animo & fideliter exequitur. Mercenarius dat animam suam, qui se totum impendit operi, non pigritiam sibi nimis parcens, sed diligenter quod suscepit perficiens. Duo ergo in seruo & mercenario requirit, fidelitatem & diligentiam. Hos non vult lædi, hoc est, malo aliquo affici, ita scilicet vt vel durioribus verbis contristentur, aut plagis afficiantur, aut his quæ ad vitam necessaria sunt, & pro stipendio eis debentur, priuentur. Pro, lædas, enim Græcis est κακώσεις, hoc est, affligas aut malè tractes. Et lædere Latinis est iniuria quauis afficere. Parum quidem prohibet dũ tales non vult lædi, sed indicat maximam esse impietatem tales iniuria afficere, eámque impietatem, cùm in pleríque duris dominis reperiatur, imprimis cauendam. Deinde pro more suo parum dicens, plus vult significare, nempe tales non solum non lædendos, sed & præmio & honore prosequendos. vnde & sequitur:

22 *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.*

GRæcis tantum est, Seruum prudentem diligat anima tua, ne priues illum libertate. Duo ergo requirit seruo prudenti exhibenda, scilicet dilectionem, eámq; non vulgarem, sed quæ ex animo proficiscatur, aut qua quis seruum diligat vti animam suam, hoc est, seipsum, & libertatis concessionem. Quod si de seruo Hebræo accipiatur, intelligi potest Sapientem significasse prudentem seruum non inuitum detinendum vltra tempus à lege præscriptum. Præcipitur enim in Exod. 21. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber. Id etsi omnino seruo Hebræo præstandum erat, maximè tamen prudenti, fideli & diligenti, vt ne quid ei impedimenti fieret, sed cum honore & præmio dimitteretur. Ierem. 34. quæritur Dominus hoc præceptũ à pleríque Iudæis non seruatum, vt qui dimissos secundùm legem seruos vi reduxerint ad se, & subiugauerint in seruos. Si verò de quouis seruo cuiuscunq; nationis accipiatur dictum, intelligendum est ipsum requirere, vt ne cum seruus prudens se aliqua ratione potest redimere, dominus ob suum commodum illi neget libertatem: idcóque non dictum esse, dona illum libertate, sed non defraudes aut ne priues illũ libertate, hoc est, noli impedire, si queat esse liber. Aut si voluit significare eum donandũ libertate, non tam præcepti est hæc sententia quàm consilij, quo consulitur vt talis seruus aliquando pro fideli & diligẽti suo ministerio libertate doneturin præmium fidelitatis eius, quo & alij serui ad fidelitatem & diligẽtiam prouocari possint. Et notari potest, quod superiori versu dicatur de seruo fideli & diligenti, hic verò de seruo prudenti: & de illo quidem dici quòd non sit lædendus, de hoc quòd non solùm sit diligendus, sed etiam libertate donandus, quòd indignum sit prudentem diu seruire, qui etiam liberis dominari & imperare rectè nouit. Quod addidit de suo interpres, neq; inopem derelinquas eum, desumptum est ex Deuteron. 15. vbi dicitur: Quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire permittes, sed dabis viaticum, &c.

23 *Pecora tibi sunt? attende illis, & si sint utilia, perseuerent apud te.*

PRincipium huius sententiæ, sicut & duarum sequẽtium, per interrogationem est efferendum, & est sensus: Si ita tecum agitur vt pecora nutrias, attende bene ad illa. Vult ergo dominum pecuarium non contentum esse debere si pecora committat curanda suis seruis, sed eam curam & diligentiam adhibere, vt pecus suum ipse sæpius inspiciat & visitet, attendens num quid eis desit, & an ritè curentur. Est enim Græcis ἐπισκέπτου, hoc est, inspice & visita. Nam oculus domini, vt est in adagio, impinguat equum. Sic Salomó Diligenter, inquit, agnosce vultum pecoris tui, tuósq; greges considera. Secũdo monet, vt si vtilia sibi senserit quis esse sua pecora, non ea nox aliis diuendat quemadmodum quidam pro more habent, sed sibi seruet, vt ipse potius quotidianum commodum ab eis percipiat, quàm alij. Nec literalis hæc institutio est aspernanda. Non est enim honestior victus quàm ex animalibus & agricultura, quibus se patres veteris testamẽti honestè fœlicius & quietius nutrierunt. Similia indicat Salomon post verba iam citata. *Prou. 27.*

24 *Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos, à pueritia illorum.*

DVo vult filiis impendi. Quoniam enim rerum bonarum ex sese ignorantia laborant, vult eos à parentibus instituti, & quæ recta sunt doceri, quod ad intellectum formandum pertinet. Quoniam autem ex naturæ corruptione semper ad malum & inobedientiam magis sunt proni, quàm ad bonum, vult eos, vel, vt habent Græca, collum eorum, curuari, miníque & verberibus ad bonum flecti, idque à pueritia, quando sicut rami adhuc teneri, sunt magis flexibiles. Atque hoc quidem ad affectum formandum pertinet. Cæterum cùm plerique parentes

parentes istud parum obseruent, & in pueritia filios suos per indulgentiam suæ voluntati permittant sentiunt illos postea rigidos & inflexibiles. Sepè enim, inquit ille, patrum segnes facit indulgentia natos. Vnde rectè docet Salomon. Prou. 22. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.

25 *Filiæ tibi sunt? serua corpus earum, & ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas.*

DVo item filiabus vult impẽdi. Primum enim quoniam sexus ille lubricus est & simplex multorúmque insidiis expositus, & tamen pudicitia in eo sexu maximè requiritur, ita vt ea perdita, præcipua sua commendatione sit destitutus, bene monet, vt diligenter custodiat corpus illarum non permittendo scilicet eis nimiam libertatem euagandi aut vt publicis intersint spectaculis, vel etiam priuatis conuẽticulis parum honestis, ne periclitetur earum pudicitia, ad exemplum Dinæ, quam Dei prouidentia fædari permisit, vt cunctis fidelium filiabus duraret in exemplum. Aut ne etiam periclitetur fama pudoris illarum, & de lubricitate suspectæ habeantur. Secundò requirit, vt ne parentes, ac potissimum pater, suam quam corde erga illas gerit beneuolentiam, nimis illis declaret ostentione hilaritatis vultus sui erga illas: sed contra potius seruetiori & graniori se vultu, seruato tamen moderamine, illis exhibeat, tum vt ne ex beneuolentiæ significatione fiduciã peccandi vel audaciam arripiant, sed contrà potius patrem semper timeant, tum vt ne ex patris erga se blãditiis discant viris affici, & erga eos liberiores & inuerecundiores fieri.

26 *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.*

QVoniam sunt qui vel per amorem vel pigritiam; diutius apud se filias seruant, postquàm monuit de diligentia adhibenda in filiarum custodia per quam matrimonio fiant aptiores, rectè monet & de suo tempore elocanda filia, & cui elocanda sit; Trade, inquit, filiam nuptui, & grande opus feceris, tum quòd & tuæ filiæ hac ratione bene prospicis, quam à periculo impudicitiæ liberas, & tibi, qui ab eius custodia exoneraris, tum quòd matrimonium res sit sancta, potissimum in fideli populo, in quo ex matrimonio proles expectatur Deo religio sè educanda. Secundò monet, vt dũ elocanda est, detur homini prudenti, ita vt magis habeatur respectus ad mores & prudẽtiam sponsi, quàm ad opes vel genus. Huc pertinet responsio Themistoclis, qui quum à quodam esset interrogatus, cuinam ex duobus suam filiam daret, improbóne diuiti, an pauperi bono ac prudẽti viro; Malo inquit virũ qui pecunia egeat quam pecuniam quæ viro. Habet quidem hæc sententia doctrinam veteri testamento congruam. At Paulus noui testamenti minister non quidem contrariam, sed longè perfectiorem de hac re tradidit doctrinam, dum sic scribit 1. Corint 7. Qui matrimonio iungit virginem, suam benefacit: & qui non iungit, melius facit. Vt non habeant quod iustè gloriẽtur, qui hanc Sapientis sententiam iactant contra prædicationem & commendationem cœlibatus.

27 *Mulier si est tibi secundum animam tuam, ne proijcias eã, & odibili nõ credas te in toto corde tuo.*

RVrsum repetit præceptum de vxore, monens vt si quis vxorem nactus est quam desiderauit, aut quæ ipsius ingeniocõgruat, (vtroque enim modo accipi potest illud; secundum animam tuam) eam nequaquam eiiciat è domo sua, nec repudiet, sed contra retineat & diligat. Si autem nactus sit eam quæ odibilis sit ob morum improbitatem & loquacitatem, nõ tamen monet vt eam à se proiiciat, quamuis id lex permitteret, sed ne se illi nimium credat, sic vt totum suum cor ei aperiat, & secreta sua pandat, ne aliis ea prodat, & eueniat quod Sampsoni ex Dalida. Vnde & Michæas monet: Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. In Græcis postrema illa pars; in toto corde; connectitur cum sequenti sententia, vt tantum sit in secundo membro; odibili nõ credas te; vel, vt est Græcè μὴ ἐκκλῶς σεαυτὸν, hoc est, ne des vel non dedas teipsum, scilicet in maritum vt prima parte moneatur, diligendam vxorem quæ placeat, & gratis sit moribus, eamque retinendam: secunda parte moneatur non assumendam quæ sit odibilis & ob id difficulter retineri posset.

28 *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ non obliuiscaris.*

QVandoquidem hic tradit sigillatim præcepta ad familiam pertinentia, repetit præceptum de honorandis parẽtibus, patri præcipuè honorem tribuens, tanquam authori generationis, & ei qui caput est vxoris: matris verò gemitus, quos scilicet & ante partum in vteri gestatione, & in partu, & post partum in educatione pro filio sustinuit, non obliuiscendos, sed eorum memoria eam etiam honorandam, & semper cauendum ne qua re offendatur à filio, sicque eius gemitus augeantur, & noui gemitus prioribus addantur. Sic & Tobias 4. monuit. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit proter te in vtero suo. Quo autem filios ad officium suum prouocaret Sapiens, ob oculos eorum proponit præcipuum inter omnia beneficium quod per eos sunt assecuti, dicens.

29 *Memento quoniam nisi per eos natus nõ fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi.*

MVlta scripta non habent, natus, sed tantùm, nisi per eos non fuisses, quod amplius quid significat, sed ad rem parum facit. Vult enim filios meminisse se vitam & esse accepisse etsi à Deo, tamen per eorum ministerium & operam, & ob id nõ paruam gratiam eis referẽdam, sed summam, quemadmodum summam ab eis acceperunt. Græca sublimiorem habẽt sensum. Sic enim est; Memento quòd per eos natus es, & quid

reddes illis, ſicut illitibi? Quo ſignificatur parem gratiam à filiis non poſſe parentibus rependi, vt nunquam ſe ſatisfacere poſſe exiſtiment à quibus habent quod quicquá poſſint, iuxta illud: Diis, parentibus, atque magiſtris nunquam redditur æquiualens.

30 *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica.*

POſt præcepta familiam cõcernentia, tradit præcepta religionis, docens quomodo ſe quiſque gerere debeat erga Deum, & propter Deum, erga eius miniſtros, ſacerdotes. Coniungit autem in tribus ſententiis ſacerdotes cũ Deo, in ſingulis aliquid Deo tribuendum monens, & propter Deum aliquid ſacerdotibus, quod congruat ei quod Deo tribuendum eſt. In prima ergo monet vt in tota anima timeatur Deus, hoc eſt, in reuerẽtia & veneratione habeatur. Eſt enim Græcis ἐυλαβῦ, hoc eſt, reuerere. Et in ſcripturis ſæpe timor Dei ponitur pro reuerentia & veneratione ei debita. Huic congruit quod de ſacerdotibus adiungit: Et ſacerdotes eius ſanctifica; vel, vt eſt Græcis, θαύμαζε, admirare vel ſuſpice, Sicut enim Deus eſt ob excellentiam ſuam venerandus, ita & ſacerdotes eius propter miniſterium eius ſuſcipiendi ſunt, & in veneratione habendi idem noſtra lectio ſignificabit, ſi, ſanctifica, exponatur pro ſanctos habe & reputa, quomodo accipitur in oratione dominica, cùm dicitur: Sanctificetur nomen tuum hoc eſt, ſanctum habeatur & venerandum, quomodo enim alioqui ſacerdotes Dei, à ſubditis ſanctificarentur? Quod autem ſanctum habemus, id reueremur & in magno honore habemus.

31 *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros eius non derelinquas.*

POſt reuerentiam Dei ſecundo loco etiã dilectionem eius tanquam creatoris, & proinde authoris omnium bonorum requirit. Cui congruit, quòd ex dilectione Dei, miniſtri eius non ſint derelinquendi, hoc eſt, etiam ipſi ſint diligendi, ita vt de neceſſariis omnibus eis prouideatur & ſubueniatur. Alluditur enim ad id quod in lege toties præcipitur, vt Deut. 12. caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore quo verſaris in terra. Pro miniſtros, Græcè eſt λειτουργὸς, quod ſignificat non quoſuis miniſtros, ſed eos qui ſacris operantur.

32 *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & propugnato cum brachijs.*

TErtio loco requirit honorẽ Dei, & propter eum honorationem ſacerdotum, & loquitur non de honore reuerentiæ interioris, de quo dictum eſt in prima ſententia, ſed de honore externo per oblationem ſacrificiorum, primitiarum, & decimarum Deo debitarum, de quo dicitur Prouerb. 3. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum. Per hæc ſic vult Deum honorari, vt etiam honorificentur ſacerdotes. Nam honor in ſcripturis ſæpè pro ſubuentione ponitur, vt cùm dicit Paulus: Tim. 5. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur. Ne enim, quoniam dixit ſacerdotes non derelinquendos, ſed eis ſubueniendũ, exiſtimaretur ſubuentionem non eſſe eis debitam, ſed per miſericordiam eis exhibendam, rectè dicit eos honorandos, per ea per quæ Deus eſt honorandus. Notandum tamen Græca non habere, honora Deũ, ſed φοβῦ τὸν θεόν, hoc eſt, time Dominum, vt ſignificetur propter timorem Domini præcipientis, ſubueniẽdum eſſe ſacerdotibus; & ſubuentione honorandos, Quod in noſtris libris additur, & propurga te cum brachiis, Græca non habent, & variè in noſtris legitur. Ex ſcriptis enim quæ ad manum erant, quinque habebant; & propugnato cum brachiis; cuius lectionis etiam meminerunt antiquæ concordantiæ Biblicæ, quam & veriorem puto, & ipſius interpretis. Ea cùm nõ intelligeretur, cœptum eſt ſcribi pro purga te. Et cum etiam ea abſurda videretur, quid eſt enim, propurga te? alij ſcripſerunt, purga te. At, vt dixi, verior lectio eſt, propugnato cum brachiis, vt, propugnato, ſit imperatiuus futuri temporis. Quo ſignificatur, ſacerdotes totis viribus & pro, priis brachiis propugnãdos & defendendos Qui; legunt propurga vel purga te cum brachiis; intelligunt purgationem peccatorum procurandam, de laboribus manuum, per oblationes ſacerdotibus factas, & eleemoſynas pauperibus impendendas Aut potius iuxta legem Dei purgationem curandam per oblationem armorum dextrorum, qui etiam poſtea brachia vocantur.

33 *Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis, & de negligentia tua purga te cum paucis.*

34 *Datum brachiorum tuorum & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino & mitia ſanctorum.*

HIc iam declarat ſe in ſuperiori ſententia locutum de honore ſubuentionis. Habent autem Græca & breuius & elegantius pro duobus his verſibus ſic: Et da partem ei (ſcilicet ſacerdoti, nam præceſſit in ſingulari numero ἱερεα) ſicut præceptum eſt tibi, primitias & pro negligentia, & datum brachiorum, & hoſtiam ſanctificationis, & primitias ſanctorum. Quinque ergo exiguntur; primum primitiæ, quæ debebantur de omnibus fructibus, frumenti, olei, & vini, & arborum. Secundo ſacrificia pro negligentia, quę in Leuitico vocantur, pro peccato & pro delicto, quæ etiam noſter interpres nomine purgationis videtur ſignificaſſe, & nõ malè ab eo eſt additum. Nam ſacrificiorum quæ pro peccato vel delicto vocantur, quædam fiebant pro purgatione, vt quæ à puerperis fiebant aut leprosis: quædam fiebant pro negligentia & admiſſis peccatis. Huiuſmodi ſacrificia, excepto eo quod cremãdũ erat in altari, adipe ſcilicet & renibus, tota cedebant ſacerdotibus, qui ſoli eis veſci poterant. Tertiò datum brachiorum. Vbi nomen brachiorum. nõ accipitur pro brachiis humanis, vt quidam ineptè & ſatis accipiunt, intelligentes datum brachiorũ, oblationem quæ fit

quæ fit de acquiſitis proprio labore: ſed accipitur pro armis dextris, qui in ſacrificiis pacificorum cum pectuſculo cedebant ſacerdoti, cum reliquæ carnes ad offerentes redirent, qui eas coram Domino edebant In Leuitico enim vbicunque nos legimus de armo dextro, Græcis eſt βραχίον δεξιόν, hoc eſt, brachium dextrum. Non enim βραχίον apud illos, etiam armum ſignificat, ſicut & apud nos quandoque nomen brachij. Quartum eſt ſacrificium ſanctificationis, quo ſi ſignificatur illud ſacrificiũ quod à Nazareis flebat, non pro negligentia aliqua aut purgatione, ſed pro ſingulari aliqua obtinenda ſanctificatione, de quo eſt Numer. 6. Quintum eſt, primitię ſanctorum, pro quo noſter vertit, initia ſanctorum, cùm ſit etiam hic dictio ἀπαρχὴν, quam mox ſuperius vertit primitias. Credo autem per primitias vel initia ſanctorum, intelligendam eam decimarum portionem, quam ex omnibus decimis Leuitæ debebant perſoluere ſacerdotibus, decimam ſcilicet decimarum, quæ ante omnia & ex optimis erat reddenda, vt eſt Numeri 18. & dicitur primitiæ ſanctorum, quia decimæ erant ſanctæ, & Domino ſanctificata. Itaque ordine conuenienti poſt ea quæ à filiis Iſrael dabantur ſacerdotibus, etiam ſubiungitur quæ à Leuitis, quorum erant decimæ, eis debebantur, ſicque vniuerſa penè his quinque complexa ſunt quæ ſacerdotum erant. Quod nos legimus; de negligentia tua purga te cum paucis, exiſtimo ſic accipi poſſe, vt ſignificetur, ſi quis non poſſit ſacrificium diuitum offerre, ſaltem pauca illa & parua offerat quæ à pauperibus exiguntur.

35 *Et pauperi porrige manum tuam, & perficiatur propitiatio & benedictio tua.*

NOn vult ſatis eſſe vt ex bonis à Deo cõceſſis ſacerdotibus dentur quæ ſecundum legem eis debẽtur, ſed vult ex eiſdem bonis etiam Dei intuitu pauperibus ſubueniendum eſſe, vt præcipitur Deut. 15. vt, inquit, perficiatur benedictio tua, hoc eſt, vt perfecta ſit tua beneficentia, largitio & liberalitas, ſignificans imperfectam eam fore, ſi tantum conferantur debita ſacerdotibus. Prima enim beneficentia debetur ſacerdotibus ac miniſtris Eccleſiæ, quorum ſummis officiis ſpiritualibus, gratiam temporalem referre debemus. Poſt eam tamen non eſt negligenda illa quæ pauperibus eſt impendenda, quorum etſi nulla in nos extent merita, eos tamen à nobis Dominus vult beneficentia noſtra ſuſtentari. Ea hic ſignificatur nomine εὐλογίας, hoc eſt, benedictionis quẽadmodum & apud Paulum, dicentem: Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Addidit interpres nomen, propitiatio, nec malè. Per eleemoſynã enim obtinetur perfecta peccatorum propitiatio quæ incipitur per ſacrificia, iuxta illud Saluatoris; Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Poteſt quod dicitur de benedictione, etiam intelligi de diuina benedictione quæ per eleemoſynam perfecta obtinetur, iuxta illud Pauli: Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, &c. Sed prior intelligentia videtur ſolidior.

36 *Gratia datus in conſpectu omnis viuentis. & mortuo non prohibeas gratiam.*

DIctio, datus, genitiuus eſt quartæ inflexionis pro dono poſitus; pro quo quidam corruptè legunt, datur, vel, data, quidam etiam non malè habent genetiuum, dati, pro, doni. Eſt autem Græcis χάρις δόματος, vt certum ſit dictionem, gratiæ, eſſe nominatiui caſus non ablatiui, quomodo accepit Dionyſius coniungens hæc verba cum præcedentibus hoc modo; vt perficiatur benedictio tua tibi impendenda in cõſpectu omnis viuẽtis in die iudicij, gratia dati, hoc eſt, propter eleemoſynam pauperibus datam. Qui Græca obſeruant ſic intelligũt, Coram omni viuẽti eſt gratia doni, hoc eſt, donum habet gratiam apud omnes viuentes, & gratioſa eſt apud omnes viuos largitio. Quo ſignificatur imprimi & maximè viuis beneficiendum eſſe, qui beneficia ſibi impenſa videri & agnoſcere, & per ea iuuari poſſunt. Ne tamen propterea ſolis viuis putaretur gratia & beneficium impendendum, ſubiungit; & mortuo non prohibeas gratiam, hoc eſt, non deneges ei tuam beneficẽtiam. Eſt autem multiplex gratia & beneficium, quod mortuis impendi poteſt & debet. Et primum quidem beneficiũ ſepulturæ, quod in Tobia commendatur. Secundum beneficium orationis & oblationis pro eorum ſalute, exemplo Iudæ Machabæi nobis in ſcripturis commendatum, ad quod beneficium hic etiam Sapientem iſtum, qui circa tempora Machabeorum fuit reſpexiſſe ſatis intelligi poteſt ex eo, quòd gratiam mortuis exhibendam coniungat cum gratia pauperibus præſtanda, ſicut & Tobias cap. 4. poſt præceptum de facienda eleemoſyna ſubiicit: Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti, &c. ſignificas hoc faciendũ per eleemoſynæ collationem, viuis propter mortuos faciendam: non autem id faciendum ritu Gentilium, qui ſuperſtitioſè panem & vinum collocabãt ſuper ſuorum ſepulchra. Tertium beneficium eſt, vt ipſorum poſteri & relicti orphani defendantur, & conſolatione erigantur. Quartum, vt illorum fama defendatur, & eorum nomen pro meritis honoretur. Contra huius Sapientis piam monitionem faciunt hodie noſtri hæretici, qui quod eſt præcipuum beneficium defunctis vtile, eis non ſolum ipſi impendunt, ſed omnino prohibent impendi.

37 *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.*

ILlud, in conſolatione, additum eſt explicationis cauſa, nec malè. Pro ambula, Græcis eſt πένθησον, hoc eſt, luge, vt idem dicatur quod à D. Paulo: Rom. 12. Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Duo ergo exigun

exiguntur,vt scilicet & verbis consolatoriis, & luctus communione adsimus plorãtibus. Nam mœroris alleuatio non solum est in sermone, sed etiam in doloris communicatione,cuius lachrimę sunt testes.Sic Iob.30. se fecisse testatur, dicens:Flebam quondam super eo qui afflictus erat,& compatiebatur anima mea pauperi. Accedet nostra lectio Græcis,si intelligatur; ambula cum lugentibus;hoc est,coniunge te illis, cósque imitare. Porrò sicut rectè post officium mortuis impendendum,subiicit de beneficentia plorantibus præstanda , quia mortui causam præbent,suis plorandi , ita rectè etiam iungit præceptum de eo quod ęgrotis est exhibendum,qui mortuis vicini sunt.

38 *Non te pigeat visitare ægrotum.Ex his enim in dilectione firmaberis.*

REctè dicit , non te pigeat , quia à visitatione ægrorum,tãquam re parum læta, multi pigritia quadam retardantur & retrahuntur.Nec amplius requirit quàm visitare ægrotum , tum quòd ex superioribus sentẽtiis satis intelligatur quid ægrotis sit cùm visitantur impendendum , consolatio scilicet,& subuentio si pauperes sint:tum quòd ipsa per se visitatio magnum eis subleuamen adferat,cùm scilicet intelligunt se non negligi.vnde inter opera misericordiæ Christus recenset : Infirmus fui , & visitastis me. Quod sequitur ; ex his enim in dilectione firmaberis;ad omnia prædicta charitatis officia pertinet , quæ pauperibus mortuis , sanis & languentibus sunt impendenda. Est autem Græcis,pro in dilectione firmaberis, ἀγαπηθήσῃ,hoc est , diligeris , à Deo scilicet & ab hominibus, apud quos hunc fructum impensæ charitatis consequimur , vt vicissim summam apud eos beneuolentiam & gratiam obtineamus. Proinde quod nos habemus.in dilectione firmaberis, quamuis ferè intelligatur de dilectione actiua , vt sit sensus:Per hæc fiet vt dilectio tua in te crescat, & firmior fiat,quia charitas crescit ex operibus, sicut habitus ex iteratis sæpius actionibus : tamen vt habeatur sensus originalis, potius intelligendum est de dilectione passiua,vt sit sensus : Ex his fiet vt magis diligaris,& charior fias tum Deo tum hominibus.

39 *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

OCcasione habita de mortuis,rectè tandem monet, nunquam intermittẽdam memoriam nouissimorum hominis,quæ rectè quatuor numerantur,mors scilicet,iudicium Dei,infernus,& vita æterna ; quamuis ad duo priora crediderim Sapientem maximè respexisse ,in quibus & duo posteriora includuntur. Si quis enim in omnibus quæ vel cogitat,vel loquitur,vel facit , recogitet certò sibi imminere mortem, eiusque tempus esse maximè incertũ , vt in singulas horas incidere possit, cogitet , etiam post mortem mox iudicium Dei iustissimum subeundum esse , quod nulla quis ratione effugere possit facile se cohibebit ne quid saltem grauiter peccet. Vnde & Eccles.12. hac ratione monet peccata caueri , quem videri potest noster hic imitatus : Lætare, inquit , iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, & ambula in viis cordis tui , & scito quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium. Simile habet cap.12.in fine. Et Platonis quoque sententia est , teste D. Hieronymo in epistola ad Heliodorum ; Omnem sapientum vitam , meditationem esse mortis. Porrò sola mortis meditatio, sine iudicij secuturi respectu,magis incentiuum est ad vitia,vt patet in his qui dicunt: Manducemus & bibamus,cras enim moriemur. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vnde olim in diuitũ epulis apud Ægyptios vnus quispiam cadauer ligneum,quam proxime ad verum effictum ostendebat singulis, dicens: In hunc intuens pota, & oblecta re,talis post mortem futurus.Quanquam sit dubium quo animo id fecerint, vtrum vt moderatius fruerentur voluptatibus , conditionis suæ memores , an auidius , vtpotè mox abituris.Notandum autem Græca pleraque habere ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις,in omnibus sermonibus;sunt tamen etiam qui habent non λόγοις, sed ἔργοις , hoc est , operibus, quomodo legit noster interpres.

Caput VIII.

1 *Nõ litiges cũ homine potẽte,ne incidas in manus illius*

VM superiori capite docuerit Sapiens quid quisque diuersis sigillatim personis pręstare debeat,hoc capite & sequẽti multis præceptis negatiuis docet potissimum quid diuersis hominum generibus non debeat præstari. Itaque imprimis proponit certa hominum genera,quos dicit non esse irritandos , & ad pugnam vel contentionem prouocandos, inter quos primum monet abstinendum à potentibus. Pro litiges, Græcis est , διαμάχου , quæ dictio etsi etiam litigare significet , sicut accipitur in tertia sententia,proprie significat pugnare & dimicare ; quæ significatio hic magis conueniret, vt intelligatur cum potẽte non esse depugnandum , & viribus certandum, ne quis incidat in manus illius , & ab illo viribus superiore vincatur , & durè tractetur. Rectè tamen etiam intelligitur iuxta versionem interpretis , cum potentibus & magni nominis & authoritatis viris non esse temerè vel iurgandum , vel etiam in foro litigandum , ne fortè per potentiam suam vel suorum , aduersarium suum opprimant , seque vindicent & vlciscantur. Quanquam enim lege charitatis , quantum fieri potest , cum nemine sit litigandum, maximè tamen prudentia requirit , vt ne cum potentioribus lites suscipiantur , quòd ab illis plus sit periculi. Proinde hæ admonitiones sunt accipiendæ tanquam instituta moralia , ad tranquillam vitam vtilia , non autem sic vt contrarium

trarium agens mox peccet in Deum,sed magis in proprium commodum.

2 *Non contendas cum viro locuplete ; ne forte econtrà constituat litem tibi.*

GRæcis est μὴ ποτὲ ἀντιστήσῃ σοι τὴν δύναμιν, hoc est,ne fortè statuat cõtra te pondus , id est ne fortè suis diuitiis te prægrauet in iudicio,& etiam si iure non te vincat, sua tamen pecunia efficiat, vt meliorem causam apud iudicem habeat. Sumpta enim est similitudo à bilance , in qua altera pars oppositæ atque librata sua grauitate vincit , & alteri præponderat. Sic etiam accidit aduersariis partibus in iudicio, vt cùm vna opibus est infirmior,altera potentior , frequenter quæ plus potest , alteram vincat. Noster interpres per pondus intellexit litem ; quod ea à diuite intentata pauperem grauet. Significatur ergo,neque vulgari contentione , neque iudiciali lite temerè agendum contra virum diuitem , quòd periculum sit ne is pro vulgari contentione excitet econtra litem forensem,aut pro intentata contra se lite in iudicio, nouam instituat contra aduersarium litem , cuius prosequendæ ille impensas ferre non possit , aut in qua grauandus sit iniquitate testium , vel iudicis,pecunia diuitis illius corruptorum. A lite enim cum diuitibus periculum esse ob eorum diuitias,quibus illis facilè est vel testes vel iudices corrumpere , significat, cùm subiicit:

3 *Multos enim perdidit,aurum & argentum, & usque ad cor Regum extendit & conuertit.*

GRæca habent , Multos enim perdidit aurũ,& corda Regum inclinauit. Retinetur adhuc bilancis similitudo , & ostenditur diuitias & opes in huiusmodi contentionibus ac disceptationibus plus sæpe valere quàm iustitiam & æquitatem:itaque cauendum ne in eum incidatur aduersarium , qui non tam causa sit futurus superior quàm pecunia.Quod ergo nostra lectio habet,vsque ad cor regum extendit & conuertit;hũc habet sensum;Aurum extendit se non tantum ad inclinandum corda pauperum & insipiẽtium , sed etiam vsque ad inclinandum corda regum , quorum est iudiciũ ferre,& conuertit sæpe eorum corda, hoc est , peruertit ea ad ferendum iniquum iudicium , quasi dicat;Tam potẽs est & efficax auri fames,vt etiam corda regum qui & iustissimi esse debent,& auro non ita egent,à iustitia auertat, quantò magis corda inferiorum iudicum, iuxta illud:Regina pecunia rerum. &:Pecuniæ obediunt omnia.Porrò quod dicitur aurum multos perdidisse , variis modis declarari potest esse verum. Nam & de perditione corporali verum est , tum quod propter aurum plerique sibiipsis causa fuerunt exitij & mortis , iniicientes se in grauissima discrimina lucri causa: tũ quòd propter aurũ pleriq; aliis mortẽ intulerunt,spoliantes eos & occidentes.Et de perditione spirituali longè magis verum est,quia auri cupiditas multorum salutem spiritualem impedit & perdit , cùm eos ab æquitate ad impietatẽ pertrahit,iuxta illud Pau. Tim.6. Qui volunt diuites fieri, incidũt in desideria multa inutilia & nociua,quę mergunt homines in interitum & perditionem. Atq; de hac perditione hic potissimum Sapientem loqui secũda sententiæ pars satis indicet.Vult enim aurum perdere multos , quia eos à debito officio retrahit, vt iustitiam peruertant, iuxta illud: Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.

4 *Non litiges cum homine lingnato , & non strues in ignem illius ligna.*

SIcut ob potẽtiam & diuitias alicuius monuit abstinere à cõtentione cum illo, ita nũc tertiò monet similiter abstinere ob alicuius loquacitatem,quòd contẽdendo cum tali,non solùm quis illũ non sedabit,sed magis etiam accedet ad rixas , & iracundiæ ac loquacitatis eius materiam ampliorem subministrabit , quòd pulchrè dicit per allegoriam;struere ligna in ignem eius Cui simile est quod per prouerbium dicitur: Oleum flammæ addere.Sic monuit & Cato:Contra verbosos noli contendere verbis.

5 *Ne communices homini indocto,ne malè de progenie tua loquatur.*

GRæca habent ad verbum ; Ne colludas indocto , ne ignominia afficiantur progenitores tui ,quod interpres noster intellexit de ignominia verbis inferenda ab indocto.Alij intelligunt significari , declinandam familiaritatem cum stulto & imperito, ne quis talibus familiaris effectus , talis etiã efficiatur ficq; ignominia afficiat suos maiores.Nam vt filius sapiens, est gloria patris: sic indoctus & stultus,est ciusdẽ ignominia. Iuxta nostram lectionem docetur,à familiaritate & consortio imperiti,qui scilicet virtutem & honestatẽ necdum didicit,abstinendum,quòd periculum sit ne talis , quales ferè de seipsis bene sentiunt , & de omnibus aliis malè , nec suæ linguæ moderari nouerunt,aliquando inter garriendũ male de parentibus nostris loquatur , eos quibusdam de criminibus accusans , aut prosapiæ ignobilitatem obiiciens , ficq; ad rixas & pugnas prouocet.

6 *Non despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei. Memento quoniam omnes in corruptione sumus.*

GRæcè non sunt duo verba , despicias & improperes , sed tantùm ὀνείδιζε, ne ex probres homini pro corruptione , Græcis est στρέμματος,hoc est,in correptionibus.Proinde nihil dubitandum est quin legendum sit non,corruptione,sed correptione , quomodo habebat vnũ scriptorũ , & quędam item impressa Biblia. Sensus enim est omnes sumus obnoxij reprehẽsioni,nimirũ quia non est iustus quisquam qui faciat bonũ , & non peccet. In multis enim offendimus omnes, Cuius rei cõsideratio cùm nos mouere debeat,vt ne seueri simus etiam in eos qui adhuc peccare pergunt,multò magis exigit vt admissa peccata non exprobremus resipiscenti

ſcenti. Qui non ſolùm deſpiciendus nõ eſt, nec vituperandus, ſed etiam ſuſcipiendus laudandus,& fouẽdus exemplo Chriſti, qui Magdalenæ pœnitenti aſtitit contra Phariſæum, & in parabola filium prodigum docuit a patre cum gaudio receptum. Sapiens ergo id vetat quod maximè cauendum eſt, & ſuo more contrarium potius ſignificat eſſe faciendum, ſicut & in ſequenti ſententia.

Lucæ. 7. Lucæ. 15

7 *Ne ſpernas hominem in ſua ſenectute, etenim ex nobis ſeneſcunt.*

NOn enim ob ſenium homo ſpernendus eſt, ſed honorãdus, iuxta illud Leuit. 19. Coram cano capite cõſurge, & honora perſonam ſenis. Et tamen ſunt iuuenes qui ſua fortitudine elati, atque infirmitatem ſenum conſiderantes, aut vitia quędam per ætatem in eis obſeruantes, inſoleſcere audent contra eos, & irridere, atque ignominia afficere. Quos hic reprimit Sapiens, conſideratione ſecuturæ ſenectutis. Nam, inquit, ex nobis ſenes fiunt; itaque ſenectus etiam tibi expectanda eſt, nec putandum te ſemper in eo vigore, quo es iuuenis, permanſurum.

8 *Noli de mortuo inimico tuo gaudere, ſciens quoniam omnes morimur, & in gaudium uolumus uenire.*

SIcut duabus ſu perioribus ſententiis conſideratione com mn nis conditionis monuit nec reſipiſcentem nec ſenem ſpernendum, ita hic ſimili ratione monet de nullius morte etiam inimici gaudendum, quòd ea vnicuique certa ſit, & iuſto Dei iudicio ſæpe acceleretur in his qui de alterius morte lætantur. Vnde & Prouerb. 24. dicitur. Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuũ, ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei. Et Iob; 31. Si inquit, gauiſus ſum ad ruinam eius qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum. Omnes, inquit, morimur, hoc eſt, certò nobis moriendum eſt, mortíque appropinquamur: imo tota vita noſtra mors quædam eſt, ſicut & ſapiẽs illa mulier dixit ad Dauidem: Omnes morimur, & quaſi aquæ in terrã dilabimur quæ non reuertuntur. Morimur enim legendum eſt, & non futurum, moriemur, vt quidam libri habẽt, cum Gręcis hic ſit præſens, τελευτῶμεν, Altera pars, & in gaudium volumus venire; non eſt Græcis, & habet duplicem lectionem, vt notatur in Gloſa Ordinaria. Quidam enim libri habẽt, nolumus, quam lectionem ſequitur Rabanus, vt ſit ſenſus; nolumus venire in gaudium inimicorum noſtrorum, hoc eſt, nolumus alios etiam inimicos noſtros de morte noſtra gaudere ideóq; nec nos de eorum morte gaudere debemus, iuxta illud Tob. 4. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando feceris ei. Alij habẽt communius, volumus, vt de gaudio regni cœleſtis intelligatur, ob quod bonum & ſanctũ gaudium cõſequendum abſtinendum eſt à malo & impio gaudio de morte inimici, quod impedimentum præbet illius gaudij adipiſcẽdi. Priorem lectionem crediderim magis genuinam, tum ob Rabani authoritatem, tum quòd veriſimilius ſit interpretem de eo gaudio locutum quod in primo membro prohibetur, de quo & poſtea dicitur cap. 18. Si præſtes animæ tuæ cõcupiſcẽtias eius, faciet te in gaudiũ inimicis tuis: Deinde quia veriſimilius eſt verbũ, nolumus, mutatũ à non intelligentibus in verbum, volumus, quàm econtra.

9 *Non deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum, & in prouerbijs eorum conuerſare.*

ET hic etiã cùm dicit, Non deſpicias; pluſquàm dicit ſignificat, nempe ſenum & ſapientum doctrinam auidè ſuſcipiendam. vnde & dicit; in prouerbiis eorũ, hoc eſt, in eorum ſententiis, & ſcitè prudentérq; dictis conuerſare animo ſcilicet & cogitatione, hoc eſt aſſiduè ea medita. Duo autẽ indicat doctrinæ ſapientum genera, quorum vnum continuatum continet rerũ bonarum commemorationẽ, quod nominat narrationẽ: alterum ſententias certas & doctrinas de ratione vitæ ac moribus hominum pronunciatas, quod nominat prouerbia, vel, vt eſt Græcè, parœmias.

10 *Ab ipſis enim diſces ſapientiam & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela.*

MVlta ſcripta non habent, ſapientiã, ſed tantùm, doctrinam intellectus, ſicut Græca tantũ habẽt παιδείαν. Pro, ſine querela, eſt εὐμαρῶς hoc eſt, faciliter, dextrè & fœliciliter. Cui conſonat quod noſter vertit, ſine querela, hoc eſt, irreprehenſibiliter, vt ſcilicet de te verè nemo quæri poſſit. Inter cæteros fructus qui ex doctrina ſapientum percipiũtur, iſte eſt maximus, vt quis ſiue in aulis principum, ſiue in republica & eccleſiis fidelium, gratam & vtilem operam præſtare poſſit, & cum ſumma gratia eorum qui plurimum poſſunt, publica negotia eis cõmiſſa prudẽter & fœliciter adminiſtrare. Eſt enim principum offenſio facilis, & periculoſa eſt adminiſtratio publicarum rerum.

11 *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis.*

12 *Quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*

CVm dicitur; Non te prætereat; ſenſus eſt: Non prætermittas audire, aut non ſinas eam tibi eſſe ignoratam, vel in obliuionem venire. Quod additur, ipſi enim, vel, vt habent quidam libri, & ipſi enim, &c. Primùm ſignificat ſeniores imitandos iuuenibus, vt quemadmodum ipſi cùm iuuenes eſſent, audierunt ſeniores: ita & ipſi ſenes effecti, à iunioribus audientur. Deinde etiam ſignificat certitudinem & ſoliditatem doctrinæ ſapientum, vt quam non ipſi ex ſuo confinxerunt capite, ſed continua traditione velut per manus à parentibus ſuis acceperunt, ſicut & illi à ſuis. Fructum deinde auditæ ſapientiæ ſenum ſubiungit rurſum, docens ab ipſis veram & ſolidam intelligentiã percipiendam; nec hoc tantùm, ſed vt percepta intelligentia, etiã quis poſſit cùm neceſſe erit hoc oportunum, alios docere, & interrogantibus dare reſponſum, ac de prępoſitis aptè ſciteque reſpondere. Legendum autem potius, dare reſponſum, vt ſit ordo; diſces dare reſponſum; & non, vt quidam libri habent, dabis, declarant Græca, quæ habent δοῦναι, dare. Significat ergo ab illis non tantum diſcendam intelligentiam, ſed etiã quid & quomodo loquendum ſit, & pro loco, tempore atque perſonis reſpõdendum.

13 *Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incedaris flamma ignis peccatorum illorum.*

NOſter addidit explicandi cauſa; arguẽs eos. Sic enim velut accenduntur carbones peccatorum quaſi flabello adhibito, dum eorum malitia correpta irritatur, & ad nocendum magis prouocatur: quanquam non ſolùm redargutione id fiat, ſed & aliis modis, vt generalius ſit abſolutè dicere: Nõ accendas carbones peccatorũ, pro eo quod eſt, Noli his qui improbi ſunt occaſionem ſiue verbo ſiue facto præbere, vt eorum malitia cõmoueatur, & veluti in flammam excitata magis noceat. Cùm enim carbones non accenduntur, non nocent: at accenſi & in flammam excitati, grauiter vrunt. Atque hoc eſt quod ſequetur; ne incendaris flãma ignis illorum. Non enim græcis eſt coniunctio, &, quaſi quo prohiberentur hac ſententia, ſed tantum prohibẽtur accendi carbones peccatorum, idq́ue ad eum finem, vt ne per excitatam flammam pereat vel lædatur is qui eam excitauit. Itaque iucũdiſſima eſt allegoria, qua monemur non excitare ignem in alio, duo ipſi pereamus. Interpres intellexit quo prohiberi, proinde inſeruit coniunctionem, & Itaque ſecũdo membro rectè inielligitur nos moneri, ne & ipſi eorũ malitia & improbitate vehementius commoti, in eam iracundiæ intemperantiam delabamur, vt in aliquam eorũ ſimilitudinem deducamur, ardeamúſq; ſimili furore quo illi ardent, & ſeipſos perdunt. Poteſt tamen etiam noſtra lectio in priori intellectu accipi, vt ſit ſenſus: Non incendas carbones peccatorum, & hac ratione caue ne incendaris flamma eorum. Genitiuus, peccatorũ, in ſecundo membro additus ab interprete, non videtur eſſe à nomine, peccator, ſicut in primo mẽbro, ſed à nomine, peccatorum, vt exponat quid vocet ignem, nempe malitiam eorum, & peccata quibus ſe & alios lædunt.

14 *Ne contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo.*

SImile eſt ſuperiori ſententiæ. Præcipit enim ſimilem moderationem adhibendã in homine petulãte & maledico, in quem vult non vehementius eſſe inuehendũ, nec acerbius inſectandum, aut rixandum cum eo, ne ei detur occaſio omnia dicta inſidioſè obſeruãdi, quæ deinde rapiat in calumniam & in prægrauationem hominis.

15 *Noli fœnerari homini fortiori te; quod ſi fœneraueris, quaſi perditum habe.*

GRæcæ eſt, ὡς ἀπολωλεκὼς γίνου, eſto quaſi qui perdidit. Quod bene vertit noſter, quaſi perditum habe: Ponitur autem fœnerari po matuare, vt & alibi ſæpe. Et monet nè quis det temerè mutuum homini ſe fortiori quòd periculum ſit ne ille vltro non ſit mutuum redditurus, vt qui ſuæ confidat potentiæ, & præ arrogantia putet ſibi quoduis beneficium eſſe debitum, aut cogi non poſſe. Periculum item ne qui mutuum dedit non auſit illud metu potentiæ alienæ repetere: aut ſi auſit, id faciat magno ſuo malo, prouocando ſcilicet potentẽ ad indignationem & iniuriã pro accepto beneficio. Itaq; dicit, ſi fœneraueris, quaſi perditũ habe, quia periculum eſt ne ille non vltrò reddat. & vel vi extorquere non poſſis, vel vt vi extorqueas ferè non expedit, ſed vtilius tibi fuerit velut perditum reputare.

16 *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam; quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita.*

SVnt qui hanc ſententiam intelligunt de votis Deo factis, vt hic moneat Sapiens, ne quis voueat Deo quod ſit ſupra vires ſuas, & cum quippiã, quis vouit, cogitet de reddendis votis, quia diſplicet Deo & ſtulta promiſſio & infidelis, vt dicitur Eccleſ. 5. Verùm ex Græca dictione patet Sapiẽtem hic loqui non de votis Deo factis, ſed de fideiuſſionibus quæ homini pro alio fiunt. Eſt enim hic verbum ἐγγυάω, quod ſignificat fideiubere. Sicut enim ſuperiori ſententia docuit de dando mutuo, ita iam de præſtandis fideiuſſionibus, quamuis etiam rectè intelligatur in genere de promiſſionibus quibuſuis ab homine homini factis. Quod noſter vertit, quaſi reſtituẽs cogita, Græcè clarius eſt, ὡς ἀποτίσων, φρόντισον, tanquam perſoluturus, ſolicitus ſis. Itaque apud nos verbum, cogita, accipitur pro ſolicitum eſſe, ſicut & ibi: Quis autem veſtrum cogitãs poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Duo ergo monet, & ne quis ſupra vires ſuas quippiam alicui promittat, & ſi quippiam promiſerit, ſolicitus ſit tanquam qui reddere debeat quod promiſit. Nam ſi pro ſe promiſit, reddere tenetur, ſi pro alio, periculum eſt ne pro eo ſoluere cogatur. Similis eſt hic locus dũ ad fideiuſſiones aptatur, loco Prou. cap. 6. in principio.

Matth. 6.

17 *Non iudices contra iudicem, quoniam ſecundum quod iuſtum eſt, iudicat.*

GRæcè eſt, μὴ δικάζου μετὰ κριτοῦ, κατὰ γὰρ τὴν δόξαν αὐτοῦ κρινοῦσιν αὐτόν, Ne cauſam agas contra iudicem, quoniam ſecundum opinionem ipſius iudicabunt eum. Itaque ſimilis eſt hæc ſententia pleriſque ſuperioribus, quibus monemur videndum cum quibus aut contra quos nobis agendum ſit. Sic enim monet, ne litem ſuſcipiamus temerè contra iudicem aliquem, quoniã periculum eſt ne iudices illius cauſæ futuri, ſint ſentẽtiã pronuncia

nunciaturi iuxta iudicis opinionem, volentes ſcilicet illi placere, qui eiuſdem eſt cum ipſis ordinis. Noſter interpres verbum, *διακρίνεσθαι*, accepit pro iudicare, quod etiam nonnunquam ſignificat. Et ſignificatur non temerè boni alicuius iudicis ſententiam reprehendendam, vt fere faciunt homines qui cauſa ceciderunt: quoniam, inquit, qui verè iudicis officium facit non iudicat iuxta hominum affectus, vt quiſque ferè facit in propria cauſa, ſed ſecundum quod iuſtum eſt, aut, vt multi libri habent, ſecũdum quod dignum eſt, quod magis accedit ad Græcam dictionem *δόξα*. Merito hæc ſententia reprimere deberet audaciam multorum, qui temerè de ſententiis ſuorum iudicum ſiue eccleſiaſticorum ſiue laicorum iudicant, de quorum æquitate maximè deberent præſumere. Et maximè valet ad docendum neminem ſe Chriſto opponere debere, vt qui iudex conſtitutus eſt à Deo viuorum & mortuorum, iudicaturus omnes in æquitate.

18 *Cum audace non eas in uia, ne fortè grauet mala ſua in te.*

19 *Ipſe enim ſecundum uoluntatem ſuam uadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries.*

DOctrina hæc vt eſt facilis, ita & vtilis. Monet enim non eſſe temerè iter ingrediendum, ac proinde nec conuerſandum cum homine temerario & confidente, qui quiduis audet, quia periculum eſt ne ſocius eius grauetur malis quę ille ex audacia ſua & temeritate committet. Ipſe enim non ambulat ſecundum iudicium rationis, nec quenquam vult audire rectè monentem, ſed ſequitur impetum ſuarum paſſionum, & inſolentiam voluntatis ſuæ: vnde multa imprudenter aget, per quæ non ſibi tantùm perniciem adferet, ſed etiam ſocio, qui propter conſortium conſocius & cooperarius habebitur, aut etiam ex conſortio pertrahetur ad conſentiendum & conperandum. Græca pro, vadit, habent faciet. Et vltima pars etiam ſic verti poteſt; Et per ſtultitiam eius ſimul peribis; ſcilicet cum illo. Eſt enim, *καὶ τῇ ἀφροσύνῃ αὐτοῦ συναπολῇ*.

20 *Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum.*

21 *Quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, & non eſt adiutorium, elidet te.*

SIcut cum audace monuit non conuerſandum, ob periculum malorum in quæ per illius temeritatem facilè inciditur: ita iam monet cum eo qui leui de cauſa grauiter iraſcitur, qui etiam fere ſimul eſſe temerarius in multis agendis, nec litigandum, nec in deſertis locis eundum: quia cùm talis minima de cauſa ad iram prouocetur, nec à nocendo reprimatur ſceleris etiam maximi horrore, ſi nec etiã reprimatur alterius defenſione & præſidio, vt fit in ſolitudine, facilè ſuum aduerſariũ elidet, hoc eſt, deiiciet & perdet. Duo enim à nocendo alicui impedire ſolent, nempe ſceleris horror, & defenſio atque ſubſidium ab aliis periclitanti impẽſum. Quoniam, inquit, quaſi nihil eſt ante illum ſanguis, hoc eſt, nihil reputat ſanguinis effuſionem & homicidiũ. Hoc enim nomine ſanguis in ſcripturis aliquoties deſignatur, vt ibi: Libera me de ſanguinibus: *Pſal. 50.* Græcis non eſt in ſecundo membro, cum audace, ſed *μετ' αὐτοῦ*, hoc eſt, cum ipſo, nempe iracundo, ſed ferè iracundi ſunt & audaces temerariè paſſionum impetum ſequentes. Veritas huius doctrinæ patuit in Cain, qui fratrem ſuum eductum in agrum occidit, tum quod paruifaceret fratricidiũ, tum quod frater in agro deſtitutus eſſet omnium ſubſidio.

22 *Cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere niſi quæ eis placent.*

NOſtra lectio monet conſilia non eſſe capienda cum imprudentibus, quòd ab eis non poſſint expectari ſana & prudentia cõſilia, eo quod pro ſua affectione non poſſint diligere & approbare niſi quæ eis placent, hoc eſt, ſtulta & noxia. Græca habent, *οὐ γὰρ δυνήσεται λόγον στέξαι*, hoc eſt, non enim poteſt (ſtultus ſcilicet) verbum continere, vt ſignificetur cum fatuo non tractanda cõſilia, quod non poſſit rem ſecretam, qualia ſunt de quibus conſilia quæruntur, continere apud ſe. Eſt enim leuis ac futilis, plenuſq; rimarum, vt inquit ille, hac atque illac perfluens. Noſter videtur legiſſe non *στέξαι*, ſed *στέρξαι*, quod eſt diligere.

23 *Coram extraneo non facies conſilium, neſcis enim quid pariet.*

ID monet quod Sapiens in prouerb. 25. Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo non reueles. Græcis tamen non eſt, conſilium, ſed *κρυπτόν*, hoc eſt, occulum, vt ſit ſenſus: In oculis extranei tibique non ſatis cogniti non committes aliquid quod ſit occultandum. Neſcis enim, inquit, quid pariet, hoc eſt, quid ex viſis vel auditis à te tanquam ex concepto ſemine, apud ſe machinabitur, & tandem ſuo tempore edet in perniciem vel ignominiam tuam.

24 *Non omni homini cor tuum manifeſtes, ne fortè inferat tibi gratiã falſam, (& conuitietur tibi.)*

GRatiam falſam, vocat gratiam & beneuolentiam fictam, quã opponit integritati & ſimplicitati eius qui cor ſuũ bona fide alteri aperit. Non omni homini, inquit, cor tuũ manifeſtes, detegẽdo cuius cordis tui ſecreta, quæ tantũ amico bene probato ſunt aperienda, ne fortè cui fidis, & ſimplici animo tua reuelas, referat & rependat tibi fictam beneuolentiam, qua ſcilicet fingat ſe tibi amicum, quo magis deprehendat latentes defectus tuos, & ita tandem conuitietur tibi. Aut gratiam falſam, vocat gratiam malam, hoc eſt, malum pro expectato bono, vt quod addidit interpres de ſuo, & conuitietur, explicet quid ſit gratia falſa, nempe conuitium ab eo, à quo expectabatur fidelitas & amicitia.

Caput IX.

1 *Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.*

HOc capite pergit adhuc proſequi quid in pleriſq; perſonis ſit vitandũ. Itaq; in principio multis ſententiis docetur quid in muliebri ſexu ſit vitandum. Et primis quidem duabus ſententiis docetur quid in propriis vxoribus ſit cauendum. In priori enim docetur, amorem vxoris nõ debere eſſe nimium, vt per illum maritus laboret affectione illa vitioſa, quam Græci zelotypiam vocant, cùm ſcilicet maritus vel vxor ſuſpicatur alterum in cõiugio amare quempiam, & ſe minus amari quàm volet. Non zeles, inquit, mulierem ſinus tui, hoc eſt, ne cõthoralem tuam quieſcentem in ſinu tuo ames amore zelotypo, ita vt iugiter metuas te minus amari ab ea, & eam ab aliis amari. Ea enim res præterquam quòd ipſi marito ſit admodum moleſta, dum in animo ſuo variis torquetur ſuſpicionibus, & amoris ardore exagitatur, etiam moleſtiam magnam adfert vxori, quæ grauatur ſuſpicionibus, & de fide ſuſpectam ſe dolet, & à marito arctius quàm par eſt cuſtoditur: vnde non ſicut petit maritus, creſcit in ea erga maritum amor, ſed decreſcit, & periculum ab ea marito imminet. Quod intelligitur ſignificari per hoc quod additur, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. Id enim communiter intelligitur de ea doctrina, qua à vetulis, malis & improbis mulieribus vxores docentur zelotypos ſuos maritos tollere veneno de medio, aut alio modo eis nocere, vt ſit ſenſus; ne irrita exerceat contra te artificium muliebre nequam, edocta ab improbis. Sciendum tàmen Græca habere, *μηδὲ διδάξῃς ἐπὶ σεαυτὸν παιδείαν πονηράν*, hoc eſt, neque doceas in teipſum doctrinam malam. Quo ſignificatur, virum zelotypum ſuo exemplo malè docere vxorem ſuam, vt & ipſa viciſſim ſua zelotipia viro ſuo moleſta ſit. Quod idem rectè intelligitur in noſtra lectione ſignificari, vt ſit ſenſus; Ne ipſa viciſſim in te oſtendat malitiam peſſimę illius diſciplinę, quam edocta eſt ex tuo exemplo. Pulchrè contra zelotypos ex Theophraſto refert D. Hieronymus lib. primo contra Iouinianum. Quid, inquit prodeſt, etiam diligens cuſtodia, cùm vxor ſeruari impudica nõ poſſit, pudica non debeat? Infida enim cuſtos caſtitatis, eſt neceſſitas: & illa verè pudica eſt, cui licuit peccare ſi voluit.

2 *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in uirtute tua, & confundaris.*

BReuius Græca ſic; Non des mulieri animam tuam, vt aſcendat ipſa ſuper vires tuas (vel fortitudinem tuam.) Sicut ſuperiori ſententia monuit, eam moderationem in amanda vxore adhibendam, vt ne ex amoris magnitudine maritus in zelotypiã incidat: ita hic monet eundem, vt ne ex ſimili amore, aut etiam ex animi torpore ſinat vxorem ſibi dominari, & imperium obtinere. Vtrunque enim hoc vitium marito cauendum eſt erga vxorem. Non des, inquit, mulieri, hoc eſt, vxori animam tuam, aut poteſtatem in animam tuam, vt ſcilicet animam tuam, hoc eſt, te & tuam voluntatem illi ſubiicias, & eam tibi dominari permittas, ita vt aſcendat ſuper fortitudinem tuam, hoc eſt, fortior te ſit, & poteſtatem tuam excedat, & ingrediatur in virtute tua, hoc eſt, tecum conuerſetur vt domina, omnia faciens authoritate quæ tibi potius in illam competit, vſurpans ſibi quod eſt mariti, qui à Deo conſtitutus eſt caput mulieris, cui præceptum eſt vt ſit ſub viri poteſtate, ſicq; tu meritò confundaris apud homines tanquam effœminatus, & quia pateris naturæ ordinem inuerti & immutari. Diuus Hieronymus loco prædicto pulchrè ſcribit contrà inordinatum maritorum in ſuas vxores amorem, contra quẽ his duabus agitur ſententiis. Refert, inquit, Seneca, cognouiſſe ſe quendam ornatum hominem, qui exiturus in publicum, faſcia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præſentia eius carere poterat, potionémq; nullam niſi alterius tactam labris vir & vxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quæ improuida vis ardẽtis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, quàm ex honeſta cauſa quis inſaniat. Vnde & Xyſtus in ſentẽtiis: Adulter eſt, inquit, in ſuam vxorem amator ardentior. In aliena quippe vxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugẽ, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil eſt fędius quàm amare vxorem quaſi adulteram. Hæc ille. Faciũt ad declarationem poſterioris huius ſententiæ ea quæ ſacræ literæ narrant de Sampſonis erga Dalidam amore, & quæ poëtæ referunt de Hercule ſuperato à muliere Omphale.

3 *Ne reſpecias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos illius.*

GRæcis eſt, *μὴ ὑπάντα γυναικὶ ἑταιριζομένῃ*. hoc eſt, ne occurras mulieri meretrici. Hanc noſter vocat nõ malè multiuolam, quia non vno viro contenta varios appetit, quanquam noſter videatur legiſſe *ἑτεροζομένῃ*, ab *ἕτερος*, quod aliũ ſignificat, non ab *ἑταίρα*, quod ſcortum ſignificat. Dixit ſuperius quomodo amanda vxor, monet deinde quomodo ab aliarum mulierum amore ſit cauendum, ſigillatim in diuerſis commemorans, quæ ad illicitum amorem pertrahere poſſent. Et primùm monet ne quis ex propoſito & fixè reſpiciat in inſtabilem vagámque mulierem, quæ ſuis nutibus & illecebroſo aſpectu & ornatu ſtudet varios vndiq; in ſui amorem protrahere, ne fortè aſpiciendo illam capiatur nutu & illecebris oculorum eius, ſicque incidat in laqueos quos parat omnibus incautis. Cuius exemplum eſt Prouerb. 7. prolixè depictum.

4 *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia eius.*

OMnino crediderim interpretẽ scripsisse non, saltatrice, sed psaltrice, per ps. quia Græcè est μετὰ ψαλτῴσης, hoc, est, cũ psallente, aut psaltria, vel fidicina. Ei enim cõuenit quod addidit interpres; nec audias illam quâquam etiam saltatrices, hoc est, choreis assuetæ & gaudentes, soleant cantu delectare, & ad se animos hominum trahere. Certè codex vnus manu scriptus, & in multis locis diligenter correctus, habebat expunctam syllabam, ta; vt tãtum esset saltrice. Alterum ergo hic suggerit illectamentum libidinis diligenter cauendum, videlicet voluptatem, quam canendo, aut fidibus ludendo puellæ præbent, siue in choreis, siue extra eas, qua vàlde efficaciter in sui amorem viros attrahunt. vnde rectè dicitur; ne pereas in efficacia eius; hoc est, efficaci & admodum attractiua eius modulatione. Græcè est ἐστιπαιδεύμασιν, hoc est studiis, exercitiis vel artibus. Quidam habent ἐν ἐπιτηδεύμασιν, hoc est, conatibus. atque sic videtur legisse noster interpres. Patet autem ex his malè quosdam legere, effigie, pro efficacia.

5 *Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore eius.*

INdicat iam terrium quod ad libidinem incitare posset, naturalẽ scilicet puellarum pulchritudinem, quæ maximè viget in incorruptis adhuc virginibus, quæ & solent externo vestium cultu, quo magis commendentur, ornari. Has ergo monet non aspici, incautè scilicet & morosè, ne ex formæ pulchritudine & vestium ornatu quis offendatur, impingat, & cadat in illicitum amorem, exemplo Dauidis. Æmulãdum enim potius exemplum Iob 31. dicentis: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarẽ quidem de virgine. Cùm Pericli Sophocles de puero formoso prætereunte dixisset: O puerum pulchrum Pericle; decet, inquit ille, ô Sophocle, prætorem, non solùm manus, sed etiam oculos abstinẽtes habere. Quod & ad omnes pertinet, quos & animos, & manus, & oculos castos habere oportet. Præstitit id insigniter Alexander Magnus, qui quum inuitaretur vt Darij filias quas habebat captiuas inuiseret; prædicabantur enim puellæ esse admirabilis formæ; noluit ire, dicẽs: Sibi non committẽdum, vt quum viros vicisset, à mulieribus vinceretur.

6 *Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te & hereditatem tuam.*

QVartò, monet ne quis vlla ratione addicat animũ suum scortis, quòd hæc mirè sibi deuinciãt hominum animos, vt semel ab eis possessi alienari ægrè possint. vnde fit vt & seipsos perdant, & bona sua quæ possident. Seipsos quidẽ, quia & corpus eneruãt, multísq; periculis exponunt, & animam æternæ morti obnoxiam reddunt. Bona item sua, quia, vt habet Salomon; Qui nutrit scortum, perdet substantiam suam; exemplo filij prodigi, qui dissipauit substãtiam suam cum meretricibus, viuendo luxuriosè. Græca tamen hic tantum habent; ne perdas hæreditatem tuam; nec habent in vllo.

7 *Noli circumspicere in uicis ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius.*

PRo, plateis, est τοῖς ἐρήμοις, hoc est, desertis, vel infrequentibus locis illius. Indicat & aliud cauẽdum libidinis incitamentũ, quod est otiosa vagatio, & in omnes ciuitatis partes oculorum circumagitatio. Hinc enim fit, vt occurrentibus vbiq; variis oculorum illecebris, in multa desideria homo prolabatur, imò instabili oculorum iactatione declaret cordis impudicitiam: quia, vt inquit Augustꝰ. impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Ita etiam incustoditus oculus, incustoditi cordis est nuncius. Significat ergo neq; vagandum per vicos ciuitatis, neque oculos quoquouersum circumferendos, sed ocuis ante se directis properandum cò quo ob necessitates eundum est.

8 *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspici in speciem alienam.*

NOn solùm, inquit, non circumspicias in vicis ciuitatis, huc illucque oculos vertendo, sed etiam ab occurente vltrò muliere quauis compta, hoc est, siue naturali pulchritudine ornata, siue ascititia, (Græcè enim est εὐμορφῇ, hoc est, formosa) auerte faciem tuam, & ne circumspicias, hoc est, diligenter & curiosè animaduertas alienæ mulieris pulchritudiné. Quibus verbis non vult Sapiens nos omnino abhorrere ab aspectu pulcherrimarum creaturarum Dei, sed quatenus huiusmodi aspectus ex nostro vitio incitare solet ad impudicitiam saltem mentis, eatenus eum prohibet, concordans cum illo Saluatoris: Quicunq; viderit mulierem ad concupiscẽdum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Vnde & subiicit, indicans periculum huiusmodi aspectus: *Matth 5.*

9 *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

ILlud à doctissimis viris est dictum, & prouerbio celebratũ: Amorem nasci ex aspectu. Vt enim ignis lignorum strue excrescit, subtractionéque decrescit: ita & amor atque concupiscentia insita mentibus hominum exardescit ex hoc, id est, ex hac re, nempe specie mulieris dum conspicitur, exardescit hoc est, accenditur. vnde factum est vt multi perierint, vel, vt habent Græca, errauerint à recto: quemadmodum declaratum est in Amon, Dauide, Salomone, & aliis.

10 *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in uia ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.*

11 *Speciẽ mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt. colloquium enim illius quasi ignis exardescit.*

DVos hos versus Græca non habent, & omnino videntur vel ab interprete, vel ab illo commentarij vice additi ad explanationem præmissorum versuũ: vnde quidam libri

libri scripti non habent illa verba, quasi stercus in via, alij non habent illa, ab omnibus prætereuntibus, quidam habẽt vtraq;. Significat autem prior versus, aut quid mereatur fornicaria, videlicet quòd digna sit quam vlut rem vilissimam & immũdissimam omnes videntes horreant, abiiciant, & conculcent, tantùm abest vt cõueniat tali animam suam dare, & apponere animum. Aut etiam significat quàm viliter ea ab immundis hominibus tractetur, & turpiter cõstupretur omnibus expósita, vt meritò etiam ea consideratione ab eius amore quisque animum suum reuocare debeat, in quam bene competit illud Isaiæ: Posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam trãseuntibus. Et illud Ezechielis: Abominabilem fecisti decorem tuum, & diuisisti pedes tuos omni trãseunti. In secundo versu verbum, exardescit, actiuè positum est pro accendit, cùm prius positum sit neutraliter pro ardere vel accendi.

12 *Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in uino.*

13 *Ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo Labaris in perditionem.*

IN priori versu Græcis tantùm duo sunt membra. Non enim habent eam partem; nec accumbas cum ea super cubitum; quam interpres videtur addidisse, ad explicãdum de qua sessione dictum sit; non sedeas omnino; nempe ea potissimum quæ fit in mensis. vnde sensus illius est: Ne in conuiuio cum ea discumbas, innixus maiorũ more super cubitum. Pro, alterceris, Græcis est verbum ab authore effictũ συμβολοκοπήσῃς. quod si à σύμβολον deriuetur, significare potest symbola dare vel conferre ad conuiuium, vt moris esse solet, celebrandum, quomodo hic quidam accipiunt. Potest tamẽ etiam deriuari à συμβολὴ, quod congressionem significat, & conflictationẽ etiã militarem. Ad quod respexit noster interpres, vertẽs alterceris. Significatur autẽ non esse cum alienis vxoribus contendendum de ebibendis calicibus, vt fieri solet, aut iocosè cum eis rixandum & fabulandum in conuiuiis. Itaq; postquam superioribus sententiis hortatus est cauendum esse à fornicariis, psaltriis, virginibus, & pulchris quibusuis mulieribus, notans in singulis quid cauendum sit, postremùm diligenter monet cauendũ esse à familiaritate coniugatorum. Nam pro, aliena muliere, Græcis est ὑπάνδρου γυναικὸς, hoc est, à muliere quæ sub viro est, vt per alienam mulierem, hìc intelligenda sit alterius viri vxor. Huius consortium maximè in conuiuiis vitandum monet, quòd ibi & per confessum, cõtractus vel saltem vicinitas corporum, & longior confabulatio & vini efficacia, libidinis ac malæ concupiscentiæ fomitem subministrẽt. Tria enim hæc hic notantur, ob quæ olim mulieres cum viris in conuiuiis non accumbebãt, non solùm apud Græcos, sed nec apud Persas, vt patet ex conuiuio Assueri in libro Hester. Vnde & subdit: Ne fortè per hæc cor tuum primò declinet contra legem Dei ad illam concupiscendam, & sic demum sanguine tuo, hoc est, cum vitę tuę periculo, aut effusione tui sanguinis labaris in perditionẽ tuam, dum scilicet per concupiscentiam in adulterium pertractus, à marito vxoris, aut à lege occideris, aut etiam non perpetrato adulterio, maritus tua nimia offensus erga vxorem familiaritate, te persequetur. Pro, sanguine tuo, Græcis est, ἐν πνεύματί σου, spiritu tuo, hoc est, per affectum illum tuum vitiosum: sed interpres videtur legisse, ἐν ἀντάλλῃ σου. Sunt libri qui habent; ne fortè declines; sed legendum esse, declinet, vt plures habẽt, Græca docent, vt nomen, cor, sit nominatiui casus, non accusatiui.

14 *Ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit similis illi.*

VTilis admodum est hæc sententia & necessaria. Sunt enim plerique qui vel pro instabilitate ingenij humani, quod facilè rerum tædio capitur, & nouitate delectatur, vel leuibus quidem erratis in vetere amico offensi, veteribus amicis derelictis, nouas ambiunt amicitias, quasi non in eis sint inuenturi quæ non minus offendant, imò frequentius magis. Itaque significat id non solùm fieri cum leuitatis nota & reprehensione, sed idem etiam habere periculum & incommodum. quòd vt in plurimum sic fiat, vt nouus non sit similis veteri amico in fidelitate & vtilitate. Cicero lib. de Amicitia, pluribus verbis idem quod hic dicitur exponit. Existit autem, inquit, hoc loco quædã quæstio subdifficilis, num quando amici noui digni amicitia, veteribus sint anteponendi, vt equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum debent esse, sicut aliarum rerum, satietates: veterrimæ quæq; (vt ea vina quæ vetustatem ferunt) debent esse suauissimæ. verúmq; illud est quod vulgò dici solet; Multos modios salis simul edendos esse, vt munus amicitię expletum sit. Eodem simili etiã Sapiens hic vtitur, subiungens:

15 *Vinum nouum, amicus nouus, ueteraſcat, & cum suauitate bibes illud.*

MVlti libri habent veteraſcet, sed Rabanus & Dionysius legunt, veteraſcat, quomodo & Biblia quædam antiqua Romæ impressa habebant, & melius, vt moneat Sapiens expectandam vini noui vetustatem. Græca habent, Si inueterauerit, &c. Comparat amicum nouum vino nouo, quòd sicut vinum nouum, crudum adhuc est, fœculentum & ex se austerum, (quanquam apud nos mustum arte dulce fiat & delectabile) ideóque nec veteri bene maturo, & depurato præferendũ: ita & amicus nouus, crudus adhuc est & inexplorat⁹, propter quod nec de se solidam voluptatem præbere potest, nec explorato & bene probato amico anteponẽdus, ita vt hic etiam locum habere possit parabola illa huic similis, qua Christus vsus est: Nemo bibẽs vinũ vetus, statim vult nouum. Dicunt enim, vetus melius est. Potest & hoc *Luca 5.*

addi,quòd ſicut de nouo vino incertum eſt, quale futurum ſit tempore procedente, ita & de amico nouo. Et ſicut propter aſſuetudinem magis afficimur veteri vino, ita & amico veteri magis affici oportet. Sicut autẽ vinum nouum non eſt propterea reiiciendum, ſed expectandum eſt vt vetuſtatem contrahat, quia tunc omni auſteritate concocta, bibetur cum ſuauitate & lætitia animi: ita non omnis amicus nouus contemnẽdus eſt, ſed temporis proceſſu probandus, vt cùm ſic eſt probatus, ac veteraſcenti vino ſimilis effectus, tum liceat eius conſortio ac familiaritate cum ſolida animi voluptate frui, & veluti vino iucundè refici. Rabanus ſicut quæ de fornicaria ſuperius dicta ſunt, myſticè etiam intelligi de hæreſi vitanda, ita & hunc locum myſticè quoq; intelligi poſſe monet, vt ne ab authoritate ſanctorum patrum Catholicorum declinemus, qui veritatis & iuſtitiæ fidi ſunt ſeruatores: neque citò ad rudes & nouellos doctores prorumpamus, quia licet à vero non deuient, perfectionis tamen apicem non obtinent.

16 *Non zeles gloriam & opes peccatoris, non enim ſcis quæ futura ſit illius ſubuerſio.*

FOElicitas & gloria impiorum in hac vita ſolet multorum etiã piorum animos aut ad indignationem & inuidiam, aut etiam ad imitationem commouere. vnde in ſcripturis ſacris grauiter & ſæpe ſpiritus ſanctus nos munit contra hanc tentationem, vt Pſal. 36. & 72. Item frequenter in Prouerb. & aliis locis. Proponítque & lubricum ſtatum, & miſerum ac calamitoſum exitum impiorũ hominum. Neſcis, inquit, quæ ſit futura illius ſubuerſio. quaſi dicat; Omnino futura eſt illius ſubuerſio, non diu durabit ei ſua fœlicitas, ſed ea in infœlicitatem conuertetur: tu verò qui eius iam fœlicitatem contemplaris, neſcis & quanta & quàm ſubita ſit futura eius ſubuerſio: maior ſanè erit & velocior quàm ſuſpicari poſſis.

17 *Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, ſciens quoniam uſque ad inferos non placebit impius.*

QVoniam ex conſpecta fœlicitate iuſtorum, non ſolùm indignatio ſequi ſolet quam ſuperiori verſu potiſſimũ prohibuit, ſed etiam imitatio, rectè ſubiecit hunc verſum, quo ab imitatione dehortatur. Habent autem elegantius Græca ſic; μὴ ζήλωσῃς ἀνδρὸς ἀνόμου ἀσεβῶν, hoc eſt, ne probes quæ probãt impij. Et pro; nõ placebit impius; habent, μὴ δικαιωθῇ σοι, hoc eſt, non iuſtificabuntur. Sed, non iuſtificari, videtur hic poſitum pro nõ haberi aut cẽſeri iuſtum & innocẽtem, quòd non eſt diuerſum ab eo quod noſter vertit, non placebit impius. Verùm illinc patet huic loco non conuenire eam intelligẽtiam, quam hic Dionyſius poſt Lyranum ſecutus eſt, vt ſcilicet impius dicatur non placere vſque ad inferos, quia non placet Deo huius vitæ tempore: placebit autem ei & ſanctis eius, cùm erit in inferno, ob vindictæ æquitatẽ, vt qui non placuit in culpa, poſtea placeat in pœna, iuxta illud; Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam. Non enim ſimili modo intelligi poteſt impios non iuſtificari vſque ad inferos, ſed eo ſignificatur, adeo eos non probari Deo, vt eos tandem ad inferos vſq; ſit præcipitaturus, iuxta illud Pſal. 48. Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.

18 *Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis.*

19 *Et ſi acceſſeris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat uitam tuam.*

SVnt qui fœlicitatem magnã eſſe ducunt verſari in aulis principũ, & apud eos inſignem obtinere locũ. Id cùm non careat magno periculo, maximè apud impios principes, qui gloriantur in poteſtate occidendi, cáq, leuiter abutuntur, monet quenque declinare aulas principum, & maximè tyrãnorum, quo ſit liber non ſolùm à timore mortis, ſed etiã à ſuſpicione timoris eius, hoc eſt anxia imaginatione timẽdæ ſibi mortis. quæ imaginatio & ſuſpicio cõtinua crux & mors, tranquillitati mentis omnino contraria eſt. Quòd ſi vel ſors aliqua vel neceſſitas fecerit, vt quis talem accedat, ad colloquendum ei, aut officium aliquod apud eum adminiſtrandũ, monet ne ſit nimis ſecurus, ſed prouidè curet ne quid committat, hoc eſt, delinquat. Græcè enim eſt, μὴ πλημμελήσῃς, hoc eſt, ne delinquas. vnde committere hic poſitum eſt pro delinquere, (ſicut commiſſa, delicta vocamus) ne qui leuiter offenditur, & poteſtatem habet occidendi, tollat ſubitò vitam. Indicat ergo læuiſſimam eſſe principum offenſionem, eámque maximo vitæ periculo coniunctam eſſe. quod quàm verum ſit, hiſtoriæ multæ comprobant.

20 *Communionem mortis ſcito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambulabis.*

GRæcis non eſt, communionem mortis, ſed tantũ, ſcito quòd in medio laqueorum pertranſis. Et pendet adhuc ſententia cũ ſuperioribus, vt indicetur in quibus verſentur periculis, quibus res eſt & negotium cum principibus. Proinde quod additum eſt de communione mortis, non de ea communione eſt accipiendum, qua omnibus hominibus mors dicitur eſſe communis, ſed ea qua apud principes mors eſt communis, ita vt non vna tantùm ſit cauſa mortis inferendæ, ſed variæ communes, & multiplices. Itaque ſenſus eſt; Si cum principibus tibi viuendum eſt, ſcito apud eos eſſe mortem cõmunem, vulgarem, & multis de cauſis incurri facilè poſſe. Quod declarant ſequẽtia; Quoniam in medio laqueorum ingredieris; ſi ſcilicet cum eis vixeris; hoc eſt, in ſummo verſaberis periculo, veluti ſi in medio laqueorum ingrediaris. Idem ſignificatur per id quod ſequitur; & ſuper dolẽtium arma ambulabis; pro quo Græcis eſt, καὶ ἐπὶ ἐπάλξεων πόλεως περιπατῇς, hoc eſt, & ſuper pinnacula, (vel propugnacula) ciuitatis ambulas. quomodo & D. Chryſoſtomus hunc locum citat homil. 15. tomi 5. vbi ſuper ſententia huius loci prolixè philoſophatur, oſtendens quibus periculis vita hæc noſtra ſit expoſita. Interpres noſter videtur alias dictiones legiſſe, ſimiles tamen. Nam pro ἐπάλξεων, videtur legiſſe ἀλγδήσων. & pro πόλεως, πολεμικα. quod ſignificat arma bellica. Sicut autem per ambulare ſuper pinnacula vrbis, vt eſt Græcis, ſignificatur periculorũ magnitudo, quia qui ambulat ſuper pinnas vrbis, eſt in magno præcipitij & lapſus letalis periculo: ita idem rectè intellexerimus ſignificare per id quod nos legimus, vt ambulare ſuper arma dolentium, ſit ambulare ſuper vulneratos & proſtratos in prælio, iam dolentes, gementes, & mortem expectantes vicinam. Aut ambulare ſuper ea inſtrumenta & arma quibus tyranni iam multos effecerunt dolentes quod eſt verſari inter multa pericula, & mortem veluti imminentem ſemper præ oculis habere. Hæc autem omnia etſi propriè pertineant ad indicandum pericula vitæ aulicę, rectè tamen etiam accommodantur ad intelligendum pericula vitę noſtræ in genere, in qua nobis negotium eſt cum dæmonibus, potentiſſimis, callidiſſimis, crudeliſſimiſque principibus, qui vbique vitæ noſtrę inſidiantur, & laqueos ſtruunt, quærentes nos deuorare, & in æternam mortem pertrahere.

21 *Secundùm uirtutem tuam, caue te à proximo tuo, & cum ſapientibus & prudentibus tracta.*

PRo, caue te à proximo. Græcis eſt σχάσαι ἢ πλησίον. Eſt autem σκέψομαι, collimare, & intẽtè in aliquid reſpicere veluti in ſcopum. intẽtè in proximum reſpicimus, dum ab eo nobis metuẽtes diligẽter obſeruamus eum, ne quid ab illo mali patiamur. Ad quod reſpexiſſe videtur interpres, dum vertit; caue te à proximo tuo. Intentè etiã in proximum reſpicimus, cum diligẽter exploramus eius mores, vt ſciamus num ei nos committere debeamus, & cum eo de rebus noſtris conſulere, ac familiaritatem inire. vnde alij vertunt; explora proximum; quod magis propoſito conuenit, quia agitur hic de his cum quibus cõſilia & familiaritatem inire debemus. Idem in noſtra lectione ſignificabitur, ſi ſic intelligatur; Secũdum, virtutem tuam, hoc eſt, quantum potes, caue te à proximo tuo, vt ſcilicet non ſtatim ei te credas & tua, ſed prius explores qualis quiſque ſit: & quos inueneris ſapientes & prudentes, cum his tracta, cõſilia ſcilicet, quia Græcè eſt, βυλεύσῃ, hoc eſt, conſulta.

22 *Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, & in timore Dei ſit tibi gloriatio.*

SIcut cum prudentibus ſunt ineunda cõſilia, ſic cũ iuſtis agitanda conuiuia, cum quibus ea celebrare licet in timore Dei & gratiarum actione, cùm iniuſtorum ſocietas Dei timore deſtituta, in cõuiuiis promouere ſoleat iocos, ineptias, cachinnos, garrulitates, detractiones, præter comeſſationes & ebrietatem, neglectum Dei, & interdum etiam eius blaſphemiam. Itaq; Tobias cùm feciſſet in die feſto conuiuium bonum, dixit filio ſuo, Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timẽtes Deum, vt epulentur nobiſcum, vt eſt Tobiæ 2. Vnde & ſubiicitur, in timore Dei ſit tibi gloriatio, hoc eſt, non gloriaris in his quibus delectantur in conuiuiis impij, nec ſit tibi pœna ab his abſtinere per timorem Dei, ſed gloriare in hoc ipſo quod ſentis te Dei timore teneri, iuxta illud Pſal. 85. Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Et gloriare in his in quibus Dei timor & reuerentia conſiſtit. Vtroque enim modo poteſt explicari illud; ſit tibi gloriatio in timore Dei. Poteſt & ſic accipi vt ſignificetur, omnem gloriationem timori Dei coniũctam eſſe debere, ne ſit immoderata, qualis in cõuiuiis eſſe ſolet, vt, in timore Dei, ſit poſitum ero, cum timore.

23 *Et in ſenſu ſit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altiſſimi.*

DVo requirit. Primùm, vt in ſenſu, hoc eſt, in intellectu de Deo cogitemus: vel, vt in ſenſu, hoc eſt, cum prudentia & ſciẽtia de Deo cogitemus, iuxta illud Sapien. 1. Sẽtite de Domino in bonitate, ne ſcilicet erroneas aut impias de Deo habeamus cogitationes. Secundò, vt ea quæ ore fit narratio omnis, ſit in præceptis altiſſimi, hoc eſt, de præceptis altiſſimi loquamur ſemper, quatenus ſcilicet id tẽpori & loco opportunũ fuerit. Id cùm vbiq; ſit ſeruandum, maximè tamen in cõuiuiis ſeruari deberet, quamuis id mũdo non ſit receptum. Quod ſi id durum nimis videatur, ſaltẽ ſit omnis narratio ſic in præceptis altiſſimi, vt ſit regulata iuxta Dei præcepta, ne quid vel in conuiuiis, vel alibi referatur contra Dei præcepta, iuxta illud Pauli Epheſ. 4. Omnis ſermo malus ex ore veſtro nõ procedat, ſed qui bonus eſt ad ædificationem, vt det gratiam audienti. Notandum autem, Græca priorem huius ſententię partem ſic habere, μεῖζα σιωπῶν ἐγὼ ὁ διαλογισμὸς σου, hoc eſt, cum ſapientibus ſit diſputatio (vel collocutio) tua. Interpres videtur legiſſe συνέσεως, hoc eſt, cum ſenſu vel prudentia, vt nomen, ſenſu, apud nos potius ſit accipiendum pro intelligentia & prudentia, quàm pro mente & intellectu.

24 *In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in ſapientia ſermonis ſui, & in ſenſu ſeniorum uerbum.*

MVtat hic author modum ſentẽtiarum, quem iam aliquot capitibus ſeruauit. nam cum iam aliquot capitibus eum qui inſtruit ſit allocutus, docẽs quid facere, quíque cauere eũ oporteat, hic iam rurſum ſentẽtias proferre incipit ad nullum directas, & ab hac ſentẽtia incipit multis deinceps ſententiis in capite ſequenti oſtendere, vnde ſalus vel perditio ciuitatum & Rerumpublicarum pẽdeat, nẽpe à bono vel malo principe, quẽ ferè ſubditi ſequuntur, vt merito ab hac ſententia noui capitis exordium eſſe debuerit. In qua imprimis eloquẽtiam in principe commendat, & ſermonis ſapiẽtiam, qua populus

pulus aut afflictus excitatur & confirmatur, aut nimium elatus comprimitur, deniq; artificiosè, prudéterque ita tractatur, vt in officio contineatur. Est autem & hæc sententia Græcis bimembris. Nõ est enim illis tertium membrũ, quod noster addidit: nec est, in sapientia sermonis sui, sed est ἐν λόγῳ ἀυτῦ, in sermone suo. Comparat enim principem cum artificibus, & opponit sermonẽ manui: & significat, quòd quemadmodum opera artificum & ipsi artifices laudantur ex manu, hoc est, ex industria manuum qua opera illa fiũt, & ex qua suam habent commendationẽ; ita princeps alicuius populi laudatur ex sermone suo, hoc est, vt bene noster expressit, per sapientiam sermonis sui. Qua comparatione etiam innuitur, principẽ magnum esse artificem, si suo sermone prudenti populum docere, regere, & continere norit, sicut vocantur artifices, qui industria manus suæ insigne aliquod opus norunt producere. Quod apud nos additur; & in sensu seniorum verbum significat verbum seniorum laudari ex sensu, hoc est, ex prudentia & grauitate sententiarum quæ decent senes.

25 *Terribilis in ciuitate sua homo linguosus, & temerarius in uerbo suo odibilis erit.*

CVm superiori sententia ostenderit laudem quæ ex sapienti sermone principi obuenit, hic contrà ostendit odium quod ex sermonis & linguæ vitio homini prouenit, & pertinet etiam hęc potissimum ad principẽ, vt patet ex eo quod dicit, in ciuitate sua, quamuis etiam generaliter ad omnes pertineat ciues. Duo autem mala se consequentia tribuit homini linguoso, hoc est, qui multa imprudenter blaterat, quẽ & temerarium vocat in verbo suo, quia ad quiduis dicendũ sine iudicio prorumpit. Primùm enim talem dicit esse terribilem, quia omnes sibi ab effrenata eius lingua metuunt, & frequenter per talem in ciuitatibus discordiæ & seditiones excitantur. Et quia terribilis est, ideo etiam odibilis erit omnibus. Proinde rectè monet Ecclesiastes 5. ne temerè quid loquaris, neque cor tuum festinet ad sermonem.

Caput. X.

1 *Iudex sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.*

PRO, iudicabit, Græcis est παιδεύει, hoc est, docet & erudit: & pro, stabilis est, τέλεον μένει, hoc est, ordinatus. Ostendit duplicem fructum qui à iudice sapiente prouenit in Republica. Nam talis & docet populum suum, demonstrans tum legibus a se constitutis, tum sermonibus suis, quæ sint facienda, quæue vitanda: quæ iusta sint, quæue iniusta: & quia sic eum docet, ideo etiam principatus eius erit ordinatus, & nequaquam confusus ac pertubatus, sed omnia in eo erunt ritè disposita, per legum æquitatem, & doctrinæ rectitudinem, ita vt vnusquisque suum faciat officium, nec debitum ordinem turbet. In nostra lectione conueniet verbum, iudicare, exponere pro in iudicio & æquitate gubernare & regere, quomodo aliquoties accipitur in scripturis, vt ibi: Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus Israël. &: Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Quoniam enim optima & præcipua pars regendæ Reipublicę consistit in iudicio, ideo per synecdochen iudicare accipitur pro toto genere, hoc est, pro regere: & iudices dicuntur, qui rectores sunt & gubernatores populi. Primus ergo fructus prudentis rectoris est, quòd iustis legibus regit populum suum. Secundus ex illo consequens est, quòd principatus eius, quia bene erit ordinatus, erit etiam stabilis, vtpote bono fundaméto nempe iustitiæ innixus. Nam, vt dicitur in Prouerb. 29. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum fundabitur. Lyra legit non, stabilis, sed terribilis, quomodo & scripta quædam habebant vnde addit pro commentario, omnibus malis. Quia enim iudex sapiens bene regit & iudicat populum, ideo eius principatus terribilis est omnibus impiis, qui à iustis legibus sibi metuunt. Non sunt enim principes timori boni operis, sed mali. Et faciliè adducor vt credam interpretem potius vertisse, terribilis, vt respexerit ad illud quod est in Cantic. 6. Terribilis vt castrorum acies ordinata; vbi pro, castrorũ acies ordinata, etiam est quod hic τεταγμένη. Gen. 49. Sapien. 1. Rom. 13.

2 *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.*

TErtius hic fructus boni principis indicatur, quia principis exemplum ad bene maléue viuendum magnam habet primum in ministris eius, deinde & in reliquis ciuibus vim & authoritatem. Quod & Plato dixit: Quales sunt principes in republica, tales solere reliquos esse ciues. Et communi prouerbio dicitur: Regis ad exemplum totus componitur orbis. &: Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

3 *Rex insipiens perdet populum suum, & ciuitates habitabuntur per sensum prudentium.*

REx insipiens perdit populum suum, non solùm quia per praua exempla & verba stulta, item per negligentiam suam, multorum eis causa est peccatorum ac æternæ damnationis, sed etiam quia per defectum sapientiæ, causa est vt recta politia reipublicæ pereat, ac populus infœliciter sub eo viuens ab eo dilabatur. Contrà per sensum, hoc est, prudentiam prudentium, (vel, vt est Græcè, δυναστῶν, potentium vel principũ) ciuitates habitabuntur, hoc est, ciuium frequentia florebunt. Confirmant hæc præter experiẽtiam quotidianam historiæ veteres, siue sacræ, siue prophanæ, & multæ scriptu-

rarum sententiæ similes, vt: Rex iustus erigi terram, vir auarus destruit eam: & Rex sapiens, populi stabilimentum est. Prou. 29. Sapiẽ. 6.

4 *In manu Domini potestas terræ, & execrabilis omnis iniquitas gentium, & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.*

POstquam indicauit quantum bonum sit bonus princeps, & quantum malum malus, rectè hanc subiicit sententiam, vt intelligatur à quo bonum tãtum procedat, & petendum sit: non pendere illud scilicet ex electione populi, sed ex singulari Dei beneficio. Mirum autem quomodo hoc loco irrepserit secunda illa pars quę in nostris legitur libris; & execrabilis omnis iniquitas gẽtium; cùm & postea repetatur, & hic sit impertinens, perdátque gratiam sententię. Rabanus testatur quosdam legere, & exclamabilis. Certè non credo interpretem eam hoc loco inseruisse. Cæterùm potestas terræ dicitur esse in manu Domini, vel quia omnis potestas quam quis in terra obtinet, donetur à Deo, iuxta illud Pauli: Non est potestas nisi à Deo. Quæ autẽ sunt, à Deo ordinatæ sunt. Vel potius quia dominium totius terrę est apud Deum, qui solus plenam habet in terra tota potestatem, sicut dicitur in lib. Hester: In ditione tua cuncta sunt posita. & in Psalmis: In manu eius sunt omnes fines terræ. &: Domini est terra & plenitudo eius. Et quia est terræ potestas, ideo ipse est qui cùm vult singulari suo beneficio constituit super terram aliquẽ vtilem rectorem: & proinde ipse etiam est, qui iratus inutilem cõstituit, iuxta illud: Regnare facit hypocritam propter peccat populi. Quo autem minus inserta illa in nostris libris pars; & execrabilis omnis iniquitas gentium; perdat gratiam substantiæ, si modo retinenda est, conuenienter sic intelligetur, non vt subaudiatur verbum, est, quasi sit sensus: execrabilis est omnis iniquitas gentium, sed hoc modo: In manu Dei est potestas terræ, & in manu eius est etiam omnis iniquitas gentium quantumuis execrabilis, vt significetur, Dominum non tantùm habere potestatem in Iudæos & fideles, sed etiã in gentes idololatras, etsi ipsum pro Domino non agnoscerent, vt iniquitas gẽtium, hic positum sit pro iniquis gentibus. Aut iniquitas illarum intelligatur esse in manu Domini, quòd illam cùm vult vindicet, atque ab ea gentiũ corda cùm vult auertit: quemadmodum factum est per Christum, in quo perfectè impletum est quod hic dicitur: Vti lem rectorem suscitabit super ipsam terram vniuersam. Bene autem dicitur: In tempus constituet; quia nulli vnquam terræ datum est vt imperpetuum haberet vtilem rectorem, sed tantùm ad tempus, vt hic est omniũ rerum vicissitudo. Prou. 29. Hest. 13. Psal. 94. Psal. 29. Iob 34. Rom. 13.

5 *In manu Domini potestas hominis, & super faciem scribæ imponet honorem suum.*

PRo, super faciem, Græcis est προσωπῶ, quæ dictio & faciem significat & personam, quorum postremum hic magis conueniret, vt sit, in personam scribæ; hoc est, literati & docti hominis, qui alios erudit ad salutem. Pro, potestas, hic non est vt prius ἐξουσία, sed εὐοδία, hoc est, fœlicitas & prosperitas vel successus, significatúrq; à Deo prouenire, vt homini insignis aliqua potestas qua fœlix sit obueniat. Aut potius significat à Deo non solùm principes cõstitui, quod superiori sententia dictum est, sed etiam ab eo esse vt eorum actiones bonum habeant successum, & fœliciter res suas administrent. Itaq; & quod nos legimus; In manu Dei potestas hominis; significat à Deo esse, & vt potestatẽ aliquam super alios quis habeat, & vt in ea cõstitutus aliquid rectè possit perficere, ac cũcta bene administrare. Deus item est qui personæ scribæ imponit honorem quem habet in populo, quia ipse est qui & sapientiam tribuit per quam honorabilis est populo, & facit vt doctrina eius acceptetur à populo, atque in illo fructum faciat cum summa doctoris gloria. Et hæc quidem dicta sint secundum eam acceptionem qua in scripturis nomen, scribæ, sæpe accipitur, vt sit nomen sapientis & docentis, quomodo in Euangelio dicuntur scribę, quomodo & Esdras dicitur fuisse scriba velox in lege Domini. Potest tamẽ videri hoc loco esse potius nomẽ dignitatis, quo modo in libris Regum Saraias dicitur fuisse scriba regis Dauid, & Sobna scriba Ezechiæ. Siquidem nomẽ γραμματεύς, cui hoc loco & aliis respõdet nomen Scribæ, significat Græcis scribam publicum & cãcellarium, cuius officium erat publica scripta atque decreta seruare, eadémq; cùm opus erat proferre & recitare, quales proximi regibus esse solent 1. Esd. 7. 2. Reg. 8. 4. Reg. 18.

6 *Omnis iniuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.*

POstquam ostendit vnde contingant boni principes, per quos regna firmantur, ostẽsurus vnde subuersio regnorum proueniat, duas præmittit sentẽtias, quibus dehortatur à duobus potissimũ vitiis, quæ subuersionis regnorũ sunt præcipuæ causæ, superbia scilicet & iniustitia, vel auaritia, per quã iniustitiæ cõmittũtur, quę duo vitia maximè abesse debẽt à principibus, si velint regnum sibi esse stabile. Et in hac quidem priori sentẽtia duo prohibet quę ex superbia accidere solent. Primùm, vt ne iniuria à proximo nobis illata reminiscamur ad vindicandum eam, néve eam diu multúmque in animo reuoluamus, exaggerando eam. Secundò, vt ne ipsi alios iniuria afficiamus, maximè cum animi insolẽtia, petulatia, & proximi despectu. Pro genitiuo enim, iniuriæ, in secundo membro est nomen ὕβρεως, cũ in priori membro sit ἀδικήματα, quod iniustitiã vel delictum significat. At ὕβρις, non significat simpliciter quamuis iniuriã, sed eam quæ cum petulantia contumeliáque coniuncta est. Hæc ergo duo in superbis hominibus inueniuntur. Nã superbus vt facilè offenditur; ita de vindicta inferẽda mox multúmque apud se cogitat. Idem & ὑβριστὴς, est petulans ac contumelio-

ſus, ita vt ſi quem videat lapſum & afflictũ, libidine animi efferatur, nec vereatur inhumaniter ei inſultare: imo & audeat ipſe quoſuis contumeliis afficere & iniuriis, omnes maximè inferiores deſpiciens, atque in eos quiduis ſibi licitum putans. Rectè autem intelligitur hæc ſententia ab authore peculiariter dicta ad ipſos principes, vt moneantur & in vindicandis peccatis moderationem adhibere, & in ſubditos ſuos nihil committere per inſolentiam & iniuriam. Ad quos ſi peculiariter hæc ſententia referatur, poteſt illud quod dicitur; omnis iniuriæ non memineris; ſic accipi non vt moneantur nullam iniuriam vindicare, ſed non omnem. Multa enim principibus ſunt diſſimulanda. Porrò pro, memineris, Græcis eſt μηνίσῃς, hoc eſt, ne iraſcaris proximo. At interpres videtur legiſſe μεμνήσῃς, hoc eſt, memineris. Verùm ſenſus eodem redit. Cur autem hæc vitia ſint fugienda, docet ſequens ſententia.

7 *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia, & execrabilis omnis iniquitas gentium.*

SEcunda pars huius ſententię obſcura admodũ eſt in Gręcis, & variè legitur. Nam quidam libri habent, ἐξ ἀμφοτέρων πλημμελήσει ἄδικα, hoc eſt, ex vtriſque committet iniuſta. Alij habent, ἐξ ἀμφοτέρων πλημμέλεια ἀδικίας, hoc eſt, ex vtriſque delictum iniuſtitiæ; quam lectionem credo veriorem eſſe, & eſt ſenſus: vtriſque, nẽpe Deo & hominibus iniuſtitia, ſcilicet eſt odibilis. Atq; hoc modo videtur legiſſe interpres noſter, apud quem nomen, iniquitas, hic non eſt accipiendum pro quouis crimine, ſed pro eo quod peculiariter dicitur iniuſtitia, qua ſcilicet quis per auaritiã iniuſtè opprimitur, & ſuis ſpoliatur. Id enim propriè eſt Græcis ἀδικία. Duo enim vitia aſſerit hæc ſententia maximè diſplicere & Deo & hominibus, nempe ſuperbiam & iniuſtitiam, contra quæ duo vitia agit in ſequentibus. Secunda ergo pars in noſtra lectione vt originalibus conſentiat, & propoſito ſeruiat, ſic eſt accipiẽda; execrabilis eſt Deo, ſcilicet & hominibus omnis iniuſtitia, quam gentes Dei timore deſtitutę licẽter committere ſolent, vi aliena rapientes, exiſtimantes legem iniuſtitiæ, eſſe fortitudinem ſuam, vt poſſent ſibi vẽdicare licitè, quę ſua fortitudine obtinere valerent. Sic intellecta hæc tota ſententia bene ſeruit ſequẽtibus. Oſtenditur enim mox quàm hæc duo vitia Deo, hominibúſq; diſpliceant, cùm ſubditur:

8 *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*

PEccatum iniquę oppreſſionis ex auaritia notatur per illa duo, propter iniuſtitias, vbi iam rurſus Græcis eſt ἀδικίας, & diuerſos dolos, pro quo Grecis eſt, χρήματα δολία, hoc eſt, opes dolo partas. Peccatum ſuperbię notatur per illa duo, iniurias & cõtumelias, pro quibus Græcè tãtùm eſt ὕβρεις, de qua dictione ſuprà dictũ eſt. Adeò ergo hæc vitia Deo hominibúſq; diſciplicent, vt ob ea vindicanda, regnum ſæpe ab vna gente in aliam transferatur, hominibus alienum regnũ ſibi vſurpantibus, Deo ita volente, in vltionem ſuperbiæ & iniuſtitiæ. Deus enim, inquit Daniel, *Dan.4.* mutat tempora & ætates transfert regna, atque conſtituit. Et apud eundem dicitur Na- *Dan.2.* buchodonoſor: Regnum tuum tranſibit à te donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum, & cuicunque voluerit det illud. Contra prædicta ergo duo vitia proſequitur in ſequentibus, ea exaggerans, atque eorum grauitatem oſtendens.

9 *Auaro autem nihil eſt ſceleſtius, Quid ſuperbit terra & cinis?*

QVidam libri ſcripti non habent cõiunctionem, autem, quidã habent coniunctionẽ, enim, nominatim codex Beſſarionis; atque hæc lectio præferẽda eſt, cùm & Gręca habeãt, enim: Probatur enim cur ob iniuſtitias & ſuperbas iniurias regna transferantur, quia, inquit, nihil eſt ſceleſtius auaro, qui per auaritiam pleraq; iniuſtè committit; nihil intolerabilius ſuperbo, qui cùm multam habeat ſe humiliandi cauſam, vtpote terra & cinis, tamen quaſi ſuæ conditionis oblitus ſeſe effert, & pro Deo propemodum ſe haberi vult. Bene autem dicit, auaro nihil eſſe ſceleſtius; Primùm quòd auaritia in ſeipſa grauiſſimum ſit peccatum, ſi cõſideres bonum cui inordinatè afficitur. Illud enim inter omnia bona quę appetuntur eſt infimum, nẽpe pecunias; vnde indigniſſima res eſt hominem, rationale animal, tam vili rei ſeſe addicere, & totum tradere. Qua ratione non dubitauit D. Paulus auaritiam vocare idolorũ *Ephe.6.* cultum. Et Cicero rectè dixit lib. 1. Offic. Nihil eſt tam anguſti animi, tamq; praui, quàm amare pecuniam. Secundò, quia nullum eſt vitium quod in plura ſcelera hominem impellat, quódq; adeò ſit noxium proximis & reipublicę, quod & illud Pauli probat: Radix *1. Tim.6.* omnium malorum eſt cupiditas; vbi Græcis eſt φιλαργυρία, ſicut hic eſt φιλαργύρου. Et Cicero lib. 2. Rethoricorum nouorum: Auaritia, inquit, ad quoduis malum hominem perducit.

10 *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam uenalem habet, quoniam in uita ſua proiecit intima ſua.*

PRior pars quæ eſt repetitio, aut potius cõmentarius eius quod mox dictum eſt, non eſt Græci, quæ tantùm habent; Auaro enim nihil eſt iniquius. Quam ſententiam quidam Græci codices ſubiiciunt poſt illa verba, Quid ſuperbit terra & cinis? alij cũ interrogationẽ poſtea inſerunt ante ea verba; Cùm enim morietur homo, &c. quo loco magis eam collocari cõueniret. Quidam etiam omnino non habent has de auaritia ſententias, tanta eſt codicũ varietas. Quoniam autẽ noſter interpres poſt illam ſententiã; Auaro nihil eſt ſceleſtius; poſtpoſuit illam interrogationem; Quid ſuperbit terra & cinis; neceſſe fuit repetere quod ſemel fuit dictum de auaro, vt deinde addi poſſet; Hic enim etiam animam ſuam vænalem habet: quia cùm pro pecunia habenda fiant rerum venditiones,

ditiones, pro hac re licet per ſeſe viliſſima, etiam vitam ſuam & animam, rem pretioſiſſimam, ac nullo pretio æſtimabilem periculo exponit, & perdit; quoniã in vita ſua proiecit intima ſua, hoc eſt, etiam adhuc viuens perinde ſe habet, ac ſi omnia ſua viſcera eieciſſet, nimirum quia omnem humanitatis & commiſerationis affectũ exuit, nec ſibi bonus, nec aliis. Ad quod forte inſinuandum, cùm Iudas proditor ſuſpẽſus fuiſſet, crepuit medius & effuſa ſunt omnia viſcera eius. In quo clarè videre licet quomodo auaro nihil ſit ſceleſtius, & quomodo animã ſuam auarus vænalem habeat, qui pro argento, eóque exiguo, dum Chriſtum vendidit, ſuam magis animam & vitam tum temporalem tum æternam vendidit & amiſit.

11 *Omnis potentatus breuis uita, Languor prolixior grauat medicum.*

12 *Breuem languorem præcidit medicus, ſic & rex hodie eſt, & cras morietur.*

GRæca modo non habent hæc omnia, & quæ habẽt, ſunt his diſſimilia. Sic enim tantum habent, μακρὸν ἀρρώστημα κόπτει ἰατρὸς, καὶ βασιλεὺς σήμερον, καὶ αὔριον τελευτήσει, hoc eſt, Longum morbũ pręcidit medicus, & rex hodie (ſcilicet viuit vel eſt,) cras morietur. Comparat ergo Sapiens regẽ improbum & potentẽ morbo diuturno & iam cõfirmato, qui à medico tamẽ vi & efficacib[9] remediis profligatur & reſecatur, ſignificatúrque talem regẽ velut morbum quendã eſſe & peſtem reipublicæ, quæ illo non minus grauatur, quàm corpus morbo. Eũdémq;, etiamſi magnę ſint eius opes, & ob eas regnum eius videatur fore ſtabile & diuturnũ, à Deo tanquam reipublicæ curatore, ſubinde ſubitò tolli de medio, ſicq; rempublicam liberari à tyranno quo grauabatur. Ad hũc ſenſum vt noſtra lectio accedat, ſic accipiẽda videtur, vt quæ ſequuntur de medico poſt illud, Omnis potentatus breuis vita; declarent eã ſententiam. Videtur autem per potentatum ſignificari potiſſimùm tyrãnorum imperium, qui potentia ſua abutuntur, & impotenter præſunt, contra quos totus hic locus agit: quorũ ferè magis quàm aliorum imperium breue eſſe ſolet. Cuius cauſa redditur, quia cum morbus prolixior medicum ſoleat grauare, ita vt difficillime ab eo curari valeat, ideo ſolicitè curat morbũ breuem, hoc eſt adhuc recentẽ in principio reſecare & præſcindere. Quo rectè ſignificatur, Deũ ipſum & reſpublicas, dũ ſentiunt ſe grauari aliquo principe, & velut peſtem eſſe noxiũ ſibi, ne diu ſit ipſis grauamini, & ne nimias ſibi colligat vires, ſtatim tollere de medio, quia, vt habet Pſalmiſta: 124. Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortẽ iuſtorũ. Ita fit, vt qui hodie rex eſt, cras moriatur, hoc eſt, non diu viuat, Idem ergo hic ſignificatur quod apertius dicitur Prou. 28. Dux indigẽs prudẽtia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiã, longi fiẽt dies eius. Vbi innuitur tyrãnos, quorum ſunt propria hæc vitia contra quæ hic agitur, ſuperbia ſcilicet & auaritia, fere non diu viuere, vt & hiſtoriæ de multis teſtantur. Poſtquã ergo Sapiens oſtenderat quam graue ſit auaritiæ vitium, ad retundendam etiam regum ſuperbiam, docet per eam regnum ipſis non fore diuturnum: proinde ſi illud volent ſibi longum eſſe, non eſſe illis potenter, ſed moderatę vtendum accepta poteſtate.

13 *Cùm enim morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & uermes.*

REdditur & alia cauſa cur ſuperbire nemo debeat, quantumuis magnus, ita vt hic tacitè repeti debeat, quod prius poſitum eſt; Quid ſuperbit terra & cinis? quod quædam exemplaria Græca hoc loco ponunt, vt coniunctio, enim, habeat quod declaret, & hæc ſententia hæreat cum præcedentibus. Iudicauit nulli meritò ſuperbiendum, tum quòd terra ſit & cinis, tum ob breuitatem vitæ, maximè ſuperborum. Addit iam & aliam cauſam, ex conſideratione vilitatis humanæ poſt hanc vitam: nimirum quòd ratione ſui corporis fiat homo beſtiarum eſca & ſocius, eas hæreditario quodam iure ſortitus pro omni honorũ gloria & diuitiarũ copia quã in hoc mundo obtinuerat. Id cùm omnibus omnino hominibus cõmune ſit, etiam piis, (vnde & Iob de ſtatu quem habiturus erat poſt mortẽ dixi: Putredini dixit, pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus) tamen peculiariter dicitur de impiis, ſectantibus gloriam & opes huius ſeculi, quòd hi poſt mortem nullam inter verè viuẽtes partem habeant, quódque in eis omnis huius mundi fœlicitas quam ſectati ſunt, in eam vilitatem cõmutata ſit, cùm id quod pij ſectati ſunt, in vitam meliorem ſit commutatum. Vnde de ſuperbo Nabuchodonoſor dicitur: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Deinde impij non ſolùm ſecundum corpus hæreditant ſerpentes & vermes, ſed etiam ſecundum animam, quæ in perpetuum addicitur ſocietati dæmonum, vermem perpeſſura qui non morietur in æternum.

14 *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo quoniam ab eo qui fecit eum, receſſit cor eius.*

GRæcè eſt, ἀρχὴ ὑπερηφανίας ἀνθρώπου ἀφισταμένου ἀπὸ κυρίου, hoc eſt, principium ſuperbiæ hominis deficientis à Domino, ſcilicet fuit, hoc eſt, tunc cæpit ſuperbia, cùm homo deficeret à Domino, pro quo noſter vertit, ipſum apoſtatare à Domino hoc eſt, ipſam defectionẽ fuiſſe initiũ ſuperbiæ hominis, hoc eſt, fuiſſe primã in homine ſuperbiam quam deinde in ipſo multiplex & varia ſuperbia ſecuta eſt, fixè illi inhærens. Oſtendit ergo ex ſua origine quàm grãde peccatum ſit ſuperbia, vtpote quæ cæpit in ipſa prima defectione à Deo, quam fuiſſe ſuperbiã declarant verba ſequentia; quoniam ab eo qui fecit eum receſſit cor eius. Illud enim fuit grãdis ſuperbiæ, quòd primus parens ab eo qui eum recenter ex nihilo fecerat, quémq; totius humani generis & mundi principem cõſtituerat, ſic recederet corde ſuo, hoc eſt, propria ſua volũtate & electione, vt ſerpentis ſuggeſtionem præponeret Dei ſui voluntati,

tati recusarétque eius vnico mandato,quod obseruatu facile erat, obtemperare, In qua eius defectione etiam hoc fuit singularis superbiæ,quòd diuinam quandã excellẽtiam appetuerit iuxta suggestionem serpẽtis dicẽtis;Eritis sicut dij; nempe vt sibi sufficere posset,nec à Deo cogeretur pendere.Itaque prima illa parentum primorum defectio à Deo de qua hic Sapiens loquitur, fuit principium superbiæ hominis, hoc est, prima hominis superbia, & secundum generalem rationem superbiæ,quatenus scilicet in omni pecato concurrit,propter non præstitam quæ debetur Deo reuerentiam & obedientiam,& secundum specialem rationem, secundum quam superbia propriè dicitur appetitus propriæ excellentiæ inordinatus.Sicut autem in primis parentibus defectio à Deo fuit,sic initium superbiæ,vt esset prima superbia, & multiplicis deinceps superbiæ causa,ita & in aliis omnibus. Tunc enim in hominibus incipit superbia, cùm Deum incipiunt derelinquere, & suam voluntatem diuinæ præponere,tunc sic in eis incipit superbia, vt ex eo initio varia & multiplex in ipsis sequatur superbia contra Deum & homines.

15 *Quoniam initium omnis peccati, est superbia, qui tenuerit illam,adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.*

DIxit superiori sentẽtia quæ sit origo superbiæ,vt ex sua origine admodum vitiosa,superbiam odiosam redderet:nunc verò etiam amplius dicit,ostendens cuius ipsa sit origo,nẽpe omnis omnino peccati quòd in mundum inuectum est. Et respicit ad superbiam primorũ parentum,de qua dictum est superiori sententia,& ratione cuius dixit Tob.4.de superbia: In ipsa initium sumpsit omnis perditio. Dicitur ergo superbia, initium omnis peccati,quòd ipsa sic fuerit primum peccatum, vt ipsa omnium deinceps sit causa. Nec tamen de ea tantùm verum est quòd sit initium omnis peccati, sed etiã in quouis homine superbia est omnis peccati initium,quia omne peccatum ex eo incipit,quòd homo Dei volũtate relicta suam facere præeligat, quod ad superbiam pertinet.Bene autem probat superiorem sententiam per hãc.Ex eo enim quòd superbia sit omnis peccati initium,nec possit quis incipere peccare, nisi recedendo à Deo, quod est superbiæ, bene probatur quòd defectio à Deo,fuerit initium superbiæ, hoc est, prima hominis superbia. Cùm ergo tam vitiosam superbia habuerit originem, imò ipsamet tam vitiosa sit omnium vitiorum origo, merito adiicit: Qui tenuerit illam, hoc est, qui illam apud se seruat, & illam sibi dominari permittit,adimplebitur maledictis, vel vt est Græcis, ἐξομβρίσει βδέλυγμα,hoc est,inundabit obominationem. Quo rectè intelligitur significari eum abũdaturum abominandis sceleribus,& per superbiam multa execrabilia designaturum,quod & nostra lectio significabit, si per maledicta intelligantur scelera atque peccata. Quoniam etiam possit intelligi; adimplebitur maledictis vel abominatione,quia multum execrabilis est Deo, iuxta illud: Abominatio est Domino omnis arrogans.Et tãdem,inquit,ipsa superbia suum possessorẽ penitus subuertet,quia vt inquit Saluator:Omnis qui se exaltat,humiliabitur.Vnde monet Tobias;Superbiam in tuo sensu nunquam dominari permittas. Disputari autem solet, quomodo cum hac Sapientis sententia qua dicit:Initium omnis peccati superbia, concordet quod dicit Paulus.Radix omnium malorum est cupiditas, vel,vt legũt D.Aug.& Ambr.auaritia.Itaque D.Aug.lib.11.de Genesi ad lite.c.15. nomen auaritiæ hic vult positum non vt significet vitium speciale, quod in studio inordinato pecuniæ consistit, sed vt nomen speciei sit positum pro suo genere,hoc est,pro cupiditate,vt nos legimus.Sicut autẽ in omni peccato cõcurrit superbia,ita & alicuius rei indebita cupiditas,Proinde D. Thomas secutus D.Aug.doctè duas illas scripturas inter se conciliat 1.2.quæst. 84.art.2.docens quòd cùm in omni peccato sit & auersio à Deo,& conuersio ad aliquod cõmutabile bonum, superbia initium sit omnis peccati,ex parte auersionis à Deo: cupiditas verò ex parte cõuersionis inordinatæ, ad aliquod bonum Deo inferius.Verùm apud Paulũ est φιλαργυρία,quod nomen cùm apertè significat amorem pecuniæ,non nisi valde coactè dici poterit positum pro cuiuslibet rei cupiditate.Et manifestè D.Paulus 1.Tim.6.eo loco agit de vitioso studio pecuniæ,volẽs illud esse radicem omnium malorum;Nam,inquit,qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in interitum & perditionem.Dicendum ergo potius Apostolum auaritiam specialiter acceptam, asserere radicem omniũ malorum, nõ quod omnia mala ex ea fiant, sed quòd omnis generis mala ex ea fieri soleant.Nec solũ quod omnis generis vitia inde proficiscantur, sed etiam quòd omnis generis miseriæ & calamitates,tum temporales, tum æternæ hinc incurrantur.Ideo enim præmittit, auaros in multa incidere desideria, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.Et subiicit,illos se inseruisse doloribus multis.

16 *Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & destruxit eos vsque in finem.*

MVltis iam sententiis effert mala quæ propter superbiam terris sunt à Deo illata,ad comprobandum quoddixit; superbiam subuertere suos in finem.Pro, exhonorauit conuentus malorum,Græcis est,παρεδόξασε τὰς ἐπαγωγάς.Porrò dictio ἐπαγωγη, in hoc libro sæpè accipitur pro incursione calamitatum & vltione; quomodo sic hoc loco accipiatur,sensus erit;Propterea admirabiles fecit Dominus vltiones, nempe in diluuio,in subuersione Sodomæ & Gomorrhę, in submersione Phraonis cum exercitu suo. Hæ enim admirabiles vltiones in scripturis significantur ob superbiam accidisse. Nam de Sodomis dicitur apud Ezechielem: Hæc fuit,iniquitas Sodomæ sororis tuæ,superbia, saturitas panis, &c. De aliis notius est. Deriuatur

uatur autem verbum παραδοξάζω, à nomine παράδοξος, quod significat admirabile & inauditum. Interpres rursus videtur, sicut capite tertio,legisse pro ἐπαγώγας,συναγώγας, aut etiam illam dictionem putauit nónunquam significare congregationem, ideòq; vertit, exhonorauit, hoc est, dehonestauit Dominus conuentus,hoc est congregationes malorum,insigni scilicet aliqua vltione eos inuoluendo,qua eos penitus subuertit,quemadmodum factũ est in prædictis vltionibus. Sunt qui dictionẽ Græcam ἐπαγώγας,hoc loco significare putant elationes, & fastuosas animorum persuasiones atq;inductiones, à verbo ἐπάγω, quod inducere significat. Itaq; vertunt:Dehonestauit Dominus fastus, scilicet superborum. Verbum enim παραδοξάζω etiam significat dehonestare, quomodo & noster intellexit,Vtut est, prima hac de superbis perditis à Deo sententia notare videtur primas illas insignes vltiones, quibus magnæ hominum congregationes subuersę sunt penitus & subitò.

17 *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.*

SImile est ei quod in suo Cantico virgo Deipara cecinit; Deposuit potentes de sede,& exaltauit humiles, cum præmisisset; dissipsit superbos mente cordis sui.Quibus verbis prioribus magis hic Græca conueniunt,quæ habent,θρόνους ἀρχόντων καθείλετο κύριος, hoc est, thronos principum detraxit Dominus. Loquitur enim de thronis ac sedibus regalibus & gloriosis, in quibus manfuetos sedere fecit,detractis superbis ex eis. Impletum est istud non solùm in apostatis angelis, quibus ob superbiã è cœlo deiectis homines mansueti in eorum loca sublimati sunt,sed etiam in multis regibus & principibus terræ, vt in regibus Babyloniæ, quibus regno priuatis,successerũt in eorum locum Darius & Cyrus,reges Persarũ & Medorum qui se mites exhibuerũt populo Israel.Item & in aliis plerisque, de quibus sacra & prophana historia.Nam & Saule regno propter inobediẽtiam deiecto, in eius locum assumptus est Dauid à masuetudine cõmendatus.

18 *Radices gentium superbarum arefecit Deus & plantauit humiles ex ipsis gentibus.*

DIxit de principibus, nunc dicit de integris gentibus,,quarum ob superbiam Dicit Deũ radices arefeciſſe,vel vt est Græcis,extraxisse;hoc est, cùm in terris suis viderentur firmiter radicatæ, & insigniter vigere,vt non viderentur posse euelli, aut deficere,Deum tamen eas inde penitus sustulisse,& omnem earum vigorem subtraxisse, sicut cùm extracta radix è terra arefit, nec vllam spem fructus proferendi/amplius seruat.Impletum est istud in Chananæis gentibus,quos è terra sua Deus perdidit,& in eorum locum plantauit in terra eorum Israelitas,qui interomnes gentes humillimi habebãtur & abiectissimi.De quibus dictum est; Manus tua gẽtes disperdidit, & plãtasti eos.

19 *Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vsque ad fundamentum.*

DIxit de gentibus ob superbiam fuã eradicatis è terra,nũc de terris ipsis sic penitus euersis, vt nullum deinceps haberent habitatorem,Quod manifestè impletum est in Sodomitis,& quinque vrbium regnis, ad internecionem deletis, ad quos etiam videtur respicere in sequenti versu.

20 *A refecit Deus ex ipsis,& disperdidit eos,& cessare fecit memoriam eorum à terra,*

EX ipsis, inquit,terris, quas Deus euertit, exarescere fecit homines, ita & omnes interirent, nec superstit eorum memoria in aliena ipsorũ posteritate, nec post se reliquerint aliquam gloriosam memoriam, sed tantùm cum insigni dedecore vigeat eorum diffamia,

21 *Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.*

HVnc versum Græca non habent,Videtur additus ad declarationem superioris versus;Perdit Deus memoriam superborum iuxta illud Psal. 33. Vultus Domini super faciẽtes mala,vt perdat de terra memoriam eorum, quia etsi maneat eorũ memoria,nõ tamen ad laudem,cùm tamen ad hoc maximè aspirent,,vt celebre illis nomen supersit.Humilium autem sensu,hoc est, mente & spiritu, qui humana præconia non admodum quærunt, nec de se magnificè sentiunt, seque sub potenti manu Dei demisse gerunt, memoriam reliquit apud homines, & angelos, vt famosi sint & celebres & in hoc sæculo, & maximè in cœlis. Patet istud in Patriarchis,Prophetis, Apostolis & Martiribus,quorum celebris memoria perseuerat in sæculum, iuxta illud: Memoria insti cum laudibus,nomen impriorum putrescet &:In memoria æterna erit iustus.

22 *Non est creata hominibus superbia neque iracundia nationi mulierum.*

QVoniam superbia,quam hactenus magnopere reprobauit,valdè radicata est in mentibus hominum, vt videri posset eis esse naturalis, rectè adiecit hanc sentẽtiam, qua indicat superbiæ vitium non posse homines imputare Deo,qui illam non creauit in hominibus aut cũ hominibus, quia creauit hominem rectum,Indicat etiam superbiam non cõuenire homini, sed esse vitium naturæ,hominiq́ue non esse naturalem,sed contra naturam eius,cùm sint plerique qui ea se ornari putent, & ne omnes quidem esse,qui non se aliis præferunt,Addit de iracundia,vel, vt est Græcis, ὀργὴ θυμοῦ, hoc est, ira furoris,quod ea comes sit superbiæ,sicut mansuetudo humilitatis, vnde ea Christus coniunxit, dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde.Iracundiam negat nationi mulierũ, quia is sexus maximè ad irã propensus est, cùm ei omnino non conueniat, sed ei potissimũ cõpetat mansuetudo. Aut potius per nationem mulierum, hic intelligi debent omnes homines, qui sunt generatio

neratio mulierum, hoc eſt, nati ex mulieribus. Eſt enim Græcis, γεννήμασι γυναικῶν, hoc eſt, generationibus mulierum. Sic enim dicuntur homines γεννήματα γυναικῶν, ſicut in Euangelio quidam vocātur, genimina viperarum. Itaq; hac appellatione monet homines ſuæ cōditionis, ob quā minimè eis conueniat ſuperbia vel furor, vt qui ex mulieribus infirmis in ſumma infirmitate & vilitate prognati ſunt ſicut hanc conditionem ad ſuperbiæ repreſſionē regibus proponit Sapiens 7 cap. li. Sapientiæ. Indicat ergo hominem facilè intellecturum non conuenire ſibi faſtum, & ex faſtu furorem contra alios, ſi conditionem ſuā & natiuitatem conſideret, eàmque ſibi cum omnibus communem non omnibus hæc competere, ſed beſtiis quibuſdam & feris, quibus natura feroces indidit animos, & arma dedit quibus inſurgerent contra hoſtes, quas item ex raptu viuere voluit. Cùm enim dicit non creatā eſſe hominibus ſuperbiā, inſinuare videtur eam quibuſdam creatam, nempe feris: proinde quod dicit; non eſt creata hominibus ſuperbia; magis debet intelligi ſic: non eſt creata pro hominibus, quàm in, vel cū hominibus, vt ſignificetur eam nō hominibus conuenire, ſed beſtiis, vt qui eā ſectantur, intelligant ſe beluinos eſſe, & ab humana conditione recedere.

13 *Semē hominum honorabitur hoc quod timet Deum ſemen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.*

POſt ſuggilationem ſuperbiæ, ſubiungit commodè commendationē timoris Dei qui ſuperbiæ directè cōtrariatur, vt qui humilitatis fons eſt, initium ſapientię & omnis pietatis, ſicut ſuperbia initiū eſt omnis peccati. Duo ergo facit hominum genera, quorum alterum, nempe ſemen & genus, quod timet ac reueretur Deū, & ob id ſtudet ſeruare mandata Dei, dicit honorandū & apud homines & apud Deum: alterū verò genus, quod Dei timore deſtitutū, per ſuperbiam præterit & negligit mādata Domini, dehoneſtandum & hic, & multò magis in futuro. Si quis enim, inquit Dominus, mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus, &: Qui glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

24 *In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.*

REIatiuum, illius, Dyoniſius refert ad rectorem, vt ſignificetur rectorem fratrum magis curam habiturum eorum qui timent Dominum, At rectius refertur ad Dominum, vt ſit ſenſus: Sicut rector vel dux alicuius communitatis, in qua ciues inter ſe viuūt velut vnius familiæ & domus fratres, eſt inter illos multum honoratus, omnéſque in illum reſpiciunt: ita etiam qui timent Dominum, erunt in oculis Dei, hoc eſt, grati ſunt Domino & honorabiles. Vel erunt in oculis illius, ſubaudi, in honore vt id repetatur ex priori membro. Itaq; honorem timentium Deum ſignificat fore maiorem quouis honore eorum qui apud homines ob præfecturā magni fiunt, quia iſti honorantur ab his qui cum ipſis eiuſdem ſunt conditionis, vtpotè fratres ab eodem patre progeniti; at illi honorati ſunt apud communem omnium Dominum, atque apud eum velut magni principes habentur.

25 *Gloria diuitum, honoratorum & pauperum timor Dei eſt.*

GRęca habēt. Diues, & honoratus & pauper gloriatio eorū timor Domini. Non ergo adiectiuum, honoratorum, coniungendum cum genitiuo, diuitū: & gloria non accipitur pro honore, ſed pro gloriatione, cùm ſit Græcis καύχημα. Præclara ſanè ſententia, quæ ſignificat neque diuitem gloriari debere in ſuis diuitiis, neque honoratum in ſuis honoribus; ſed neque pauperem ſeſe animo deiicere debere ob tenuitatem ſuæ fortunæ & ſuam humilitatem, ſed omnibus in eo ſolo gloriandum eſſe, quòd ſentiant ſe Dei habere timorē: qui ſi adſit, nihil obfuerit paupertas: ſi deſit: nihil proderunt vel diuitiæ, vel honores huius ſæculi. Vnde Pſalmiſta: Lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Et capite ſuperiori dictum eſt; In timore Dei ſit gloriatio tua. Simile eſt illud Iere. cap. 9. Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & nō glorietur diues in diuitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me.

26 *Non deſpicere hominem iuſtum pauperem, & non magnificare hominem peccatorem diuitem.*

QVoniam infinitiui illi, deſpicere & magnificare non habent verba aliqua perſonalia quæ ſententiam abſoluant, quidam hunc verſum coniungunt cum verſu præcedenti ſub vna ſententia, vt hic iam explicetur in quo timor Dei conſiſtat, & ſit ſenſus; gloria hominum eſt timor Dei, nempe non deſpicere, &c. At Græca hic plenam habent ſententiam. Additur enim in prima parte, δίκαιον, & in ſecunda καθήκει, vt ſit plena ſententia; Non eſt æquum deſpicere hominem pauperem intelligentem, & non conuenit honorare virum peccatorem. Interpres illas dictiones non videtur legiſſe, ſed familiare eſt Græcis infinitiuos ponere pro imperatiuis, aut in illis ſubintelligere, oportet vel cōuènit, vt cùm Pau. ad Rom. 12. Gaudere cum gaudētibus, & flere cum flentibus. Ita ergo & hoc loco in infinitiuis illis ſubintelligendum eſt verbum, conuenit, aut pro imperatiuis ſunt accipiendi, vnde quidam libri ſcripti habebāt; Nō deſpicias, & noli magnificare. Eſt autem hæc ſententia vtilis admodum contra corrupta hominum iudicia, docétq; rebus externis non metiendam cuiuſq; dignitatem, vel inidignitatem vt ſicuti ferè fit ob paupertatē deſpiciatur aliquis, etiam ſi iuſtus ſit: & ob diuitias honoretur quiſpiam, etiam ſi peccator ſit inſignis, ſed vnūquenque vel ſolùm vel præcipuè honorandum propter virtutem & timorem Dei, in quo ſolo hominum gloriatio & ornamentū conſiſtit

ſiſtit, vt ſuperiori ſentētia dictum eſt, quam proinde hæc ſententia rectè ſequitur, vt quæ ex illa concluditur.

27 *Magnus eſt iudex, & potens eſt in honore, & non eſt maior illo qui timet Deum.*

GRæca habent, μεγιστᾶνες καὶ κριταὶ καὶ δυνάσται δοξασθήσονται, hoc eſt, magnates & iudices & dynaſtæ (hoc eſt, potentes principes) honorabuntur. Itaque tria hominum genera nominantur; qui apud homines ſunt in honore. Et deinde ſubiūgitur; & non eſt aliquis horum maior timente Dominum. Omnino ergo crediderim interpretem vertiſſe, Magnus & iudex & potens eſt in honore; vt adiectiua, magnus & potens, ſint ſubſtātiuè poſita pro excellēti homine & potenti principe: quod cùm plerique non intelligerent, variè hunc locū corruperūt. Quidam enim libri habent; Magnus eſt diues & iudex potens in honore, Alij; Magnus eſt iudex & potens eſt in honore. Quidam etiā; Magnus enim iudex & potens eſt in honore. Nec tamen hæc multum ad rem faciunt, niſi quòd vera lectio ſtudioſè ſit inueſtiganda & retinenda: alioqui ſemper ſignificatur idē, nempe etſi ſit aliquis ob quamuis authoritatem in honore magno apud homines, tamen is in veritate, & apud Deum non eſt maior & excellentior illo qui timet Deum. Nam vt poſtea dicitur: cap. 25. Timor Dei ſuper omnia ſe ſuperpoſuit.

28 *Seruo ſenſato liberi ſeruient, & vir prudens & diſciplinatus nō murmurabit correptus, & inſcius non honorabitur.*

TErtium mēbrū Græcis nō eſt, additum tamen eſt ab interprete explicationis gratia. Sicut enim in ſuperioribus ſententiis ita hac ſentētia indicat quem honorem mereatur ſapiens, & quod per ſuperbiam non conueniat negare ſapiēti debitum honorē. Seruo inquit, ſenſato, hoc eſt, prudēti liberi non dedignabūtur ſeruire & obſequi, & vir prudens à tali correptus non murmurabit: ſed illi eum deferet honorē, vt cum gratiarum actione eius correptionē recipiat. Iſtud quoniam ad hoc propoſitū dictum eſt, non malè adiecit interpres; & inſcius, hoc eſt, indoctus, non honorabitur, ſicut ſcilicet ſenſatus & prudens. Simul tamen hac ſententia reprimit quorundam ſuperbiam, contra quam totus hic locus agit. Docétque nec liberos per ſuperbiam debere reiicere conſilium & imperium ſeruorum prudentium, cùm ſcilicet per prudentiam ſuam euecti ſunt ad imperiū, aut alioqui bene quid monent: nec prudētes per ſimilē ſuperbiā murmurare debere cum à talibus corripiuntur. Non enim prudētiæ nomine detractare debent correptionem, ſed cōtrà potius eo nomine illam benignè ſuſcipere, cùm nemo ſit tam prudens qui non in quibuſdam peccet, & non poſſit fieri prudentior. Vnde in Prouerb. 9. dicitur: Argue ſapientem, & addetur ei ſapientia. Vbi etiam habetur quod cum prima parte huius ſententiæ conuenit: Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis.

29 *Noli extollere te in faciendo opere tuo, & noli cunctari in tempore anguſtiæ.*

VT hic locus & quæ ſequuntur in hoc capite, rectè intelligātur, diligenter cōſulēda ſunt originalia, ex quorū collatione deprehendetur longè alium hic eſſe ſenſum, quàm quē hic commētatores ferè reddunt. Sunt autem Græcis pro extollere & cunctari, quo infinitiui δεξάζε & σοφίζω, quāquam poſterius verbum apud eos in priori ponitur parte, & prius in poſteriori. Porro verbum σοφίζω non tantùm ſignificat ſapienter loqui, aut ſapientiam iactare, ſed etiam imponere ſermone, & captioſè agere causáſque nectere ac rationes, quibus ſe quis, excuſet, quomodo accipitur hoc loco. Significatur enim neminem cauſas rationéſque nectere debere, quibus cum operandum eſt, ſuam ignauiam ac verecundiam ambitioſè excuſet & occultet, nec tunc prætextu honoris aut nobilitatis detrectandum eſſe laborem. Proinde interpres pro σοφίζε, quod videtur legiſſe in ſecundo membro, optimè vertit, cunctari, hoc eſt, procraſtinare, differre & pigreſcere. & eſt ſenſus; Cùm neceſſitas tibi incumbit faciēdi opus tuum, noli te extollere, hoc eſt, exiſtimare te nimis eſſe magnum, nobilem aut honoratum, vt ob honorem quem obtines, aut tibi aſſcribis, indignum te putes operari & laborare, & in tempore anguſtiæ, hoc eſt, cùm premeris rerum inopia, & anguſtæ ſunt opes tuæ, noli pigreſcere, & detrectare laborem, afferēdo rationes quibus te excuſès, dicendo ſcilicet; Indignum eſt meis natalibus, meo loco, ac nomine: ſeruorum eſt, nō liberorū, operari & laborare, &c. Hunc enim eſſe huius loci ſenſum demonſtrat ſequens ſententia, quæ cum coniunctione cauſali apud Gręcos ſubiungitur; Melior eſt enim. Itaque hæc dicuntur contra radiculam quorundam ſuperbiam, qui cùm egeant, recuſant labores, quibus ſuæ inopiæ proſpicere poſſent, tanquam ſuo nomine indignos.

30 *Melior eſt qui operatur & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur & eget pane.*

GLoriari, hic poſitum eſt pro iactare ſe de honore ſuo aut nobilitate ſua, aut potius pro glorioſum eſſe & honoratum. Similis eſt ſententia in Prouerb. 12. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus & indigens pane. Continet vtraque ſententia egregiam comparationem hominis glorioſi, inutilitérque ambitioſi; cum eo qui ſine pudore ea in re laborat in qua dignitas ineſſe non videtur & dicitur hic illo eſſe melior, hoc eſt, præferendus illi, & magis laudandus.

31 *Filij in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum eius.*

PRo, ſerua, Gręcis eſt δόξασον, hoc eſt honora, quod verbū vel in actiuo, vel in paſſiuo vel in ſuo participio, eſt in præcedētibus

dua

duabus ſententiis, & omnibus ſequentibus vſque ad finem capitis. Videtur autem, ſi præcedentia & ſequentia ſpectemus, hac ſententia voluiſſe eos qui inopia agũtur, ad laborem patienti animo ſubeundam prouocare: quia qui hoc facere recuſant, iniuriam ſuæ animę inferunt, eiq; debitum honorem denegant, dum ei neceſſaria ſuæ ſubſtẽtationi per pigritiam & ſuperbiam ſubtrahunt, & fame atque mœrore confici ſinunt. Honor enim in ſcripturis ſæpè ponitur pro debitæ ſuſtentationis prouiſione, vt ſuprà dictum eſt. Itaque ſenſus eſt: Fili, ſi incidere te contingat in tempus anguſtiæ, & inopia præmeris, noli id impatienti animo ferre: ſed per manſuetudinem animi affice animam tuam honore, & conſerua eam, laborando pro ea, & labore manuum & induſtria tua ei proſpiciẽdo de neceſſariis, vt in hac vita & corpore permaneat, & hac ratione da illi honorẽ quem eius dignitas meretur, nec ſinas eam inedia contabeſcere, quod plane eſt eius dignitate indignum. Non enim hic locus accipiendus eſt de merito operum, ſed de dignitate ipſius animæ, quam habet ex ſua cõditione. Nam Græcis eſt, κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς; hoc eſt, ſecundum dignitatem eius; quod bene vertit interpres, ſecundum meritum, quia dignitas eius meretur honorari. Sic eſt poſtea cùm dicitur c. 38. Fac luctum ſecũdum meritum eius, Græcè eſt, κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ. Et vbicunque Latini dicunt aliquid fieri ſecundum meritum vel pro merito, Græci dicunt κατ' ἀξίαν. Vnde rectè vertit noſter interpres ad hebræos 10. Quãto magis deteriora putatis mereri ſupplicia; vbi pro, mereri, Græcis eſt, ἀξιωθήσεται, hoc eſt dignus erit. Vide autem efficaciam huius ſententiæ. Cùm enim plerique mortaliũ à laboribus abſtinendum ſibi putent, quaſi per illos dehoneſtentur, & ideo malint etiã egere quàm laborare, contrà Sapiens docet laborem pro neceſſariis parandis ſuſceptum eſſe honorem animæ, eóſq; qui pro ea laborare recuſant, nõ ſe cohoneſtare, ſed animã ſuam dedecorare, & priuare debito illi honore. Porro manſuetudinem opponit impatientiæ, quia præceſſit, de tempore anguſtiæ, quod impatientiæ & iræ contra Deum cauſa eſſe ſolet. Ad propoſitum ſententiæ ſic intellectæ pertinet quod ſequitur.

32 *Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? & honorabit exhonorantem animam ſuam?*

SIgnificat rem eſſe indigniſſimam peccare in animam propriam, eámq; dehoneſtare: & qui hoc facit, nulli⁹ nec defenſione vel excuſatione, nec honore vel ſubuentione dignũ eſſe. Iuſtificare enim hic poſitum eſt pro iuſtum aliquem pronuntiare, aut potius excuſare aliquem; quomodo reus vel patronus rei dicitur reum iuſtificare, dum eum excuſat, & à crimine alienũ eſſe oſtendit. Et cùm dicitur, qui honorabit, de honore ſubſidij potiſſimum loqui videtur, quia de eo agit qui peccat in animam ſuam, eámque dehoneſtat, recuſando laboribus eiſubuenire. Generaliter tamen hac ſententia etiam vti licet, contra eos qui quouis vitio contaminant animam ſuam. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam ſuã, & in eam peccat atque eandem dehoneſtat, cùm in ea pulchritudinem tollat imaginis Dei, ad quã creata eſt. Tales ergo meritò nec quiſquam excuſabit, nec honore dignos iudicabit. Sic & præcedens ſententia, generaliter accipi poteſt, vt ea moneamur per ſedationem paſſionum, & animi manſuetudinem honorare animam, & conſeruare eandem in tranquilitate ſine perturbationibus iræ potiſſimùm, ſicque dare ei honorem quem meretur.

33 *Pauper gloriatur per diſciplinã & timorem ſuum, & eſt homo qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam.*

PRo, gloriatur, & honorificatur, vtrobique Græcis idem verbũ eſt, δεξάζεται, hoc eſt, honoratur, proinde verbum, gloriatur, hic ſicut & in ſequenti ſententia, accipi debet non pro iactare ſe, ſed paſſiuè pro honorari. Ne enim pauper, qui pro neceſſariis vitæ cogitur laborare, & ratione paupertatis inglorius eſt mundo, queratur nullam ſibi relictam viam conſequendi honorem, quem facilè ſibi per diuitias acquirit apud mundum diues, duas eſſe rationes aſſerit aſſequendi honoris. Pauper, inquit, honoratur, & verè glorioſus eſt, ſi ſapientiam habeat & timorem Dei, & eſt qui honoratur propter opes ſuas diues ſcilicet, quę vel ſolo diuitiarum intuitu mundus magni facit, eique applaudit. Qua comparatione ſatis inſinuat vtrius gloria ſit verior & ſolidior, ea ſcilicet quæ cauſam habet ſolidiorem.

34 *Qui autem gloriatur in paupertate, quanto magis in ſubſtantia? & qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem uereatur.*

SEcundam partem Græca longè aliter habent correſpondentem cum priori; Et inglorius in diuitiis, quanto magis in paupertate? Et eſt ſenſus: Qui glorioſus eſt & in honore, cùm pauper eſt, nempe propter ſapientiam & religionem, multo magis honoraretur ſi etiam ei opes accederent, quandoquidẽ iam in eo ſimul ambæ illæ honoris rationes cõcurrerẽt. Et, vt dicitur in Eccl. 7. Vtilior eſt ſapientia cum diuitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit & pecunia. Contrà, qui cùm poſſideat diuitias quæ nonnihil faciunt ad honorem comparandum, tamen inglorius eſt ob vitæ improbitatem & inſipientiam, talis multo magis inglorius eſſet in paupertate conſtitutus, cùm vtraque honoris ratione deſtitutus eſſet. Noſtra lectio in ſecunda parte, vt ad dictum ſenſum accedat, ſic eſt accipienda; Qui in diuitiis conſtitutus hoc ſolo nomine honoratur, is meritè vereri debet paupertatem. Nam ea ſi accedat, omni iam prorſus honore deſtituetur. Et ſignificatur, honorem pauperis longè præferendum eſſe honori diuitis. Nam quem pauper ob ſapientiam & virtutem habet honorem, non ſolùm eripi non poteſt, ſed etiam facilè augeri, accedentibus ſcilicet diuitiis, quæ virtutem & prudentiam comitari ſolent. Quem verò dives obtinet à diuitiis, is inſtabilis eſt & non fixus, cum ob fortunæ volubilitatem paupertas variis modis metuenda ſit, & frequenter accedat.

Caput XI.

1 *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum conſedere illum faciet.*

HAec ſententia pertinet ad doctrinam ſuperioris capitis. Docet enim quod ibi dictum eſt; Pauper gloriatur per diſciplinam. Imo totum hoc pene caput proſequitur ceptam ſuperiori capite confutationem ſuperbiæ, docens nulla in re ſuperbiendum, tum conſideratione admirandæ diſpoſitionis diuinæ, cui omnia ſunt ſubdita: tum conſideratione mortis, quam effugere nõ licet. Pro humilitati, Græcis eſt ταπεινῷ, hoc eſt, humilis, & poteſt intelligi & de eo qui ſeipſum humiliat, non magnificè de ſe ſentiens, & de eo qui humilis eſt, aut abiectæ conditionis ex ſua origine, item de eo qui ab aliis humiliatur & deprimitur. Nam quoſuis iſtis modis humiles ſapientia exaltare ſolet, vt patet in Daniele, Ioſeph, Apoſtolis denique, qui per ſuam ſapiẽtiam meruerunt cõſtitui ſuper ſedes duodecim.

2 *Non laudes virum in ſpecie ſua, neque ſpernas hominem in viſu ſuo.*

3 *Breuis in uolatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.*

SIcut docuit quæ res maximè hominem glorioſum reddat, ita nũc per varias ſpecies docet ob quas res nec ſeipſum, nec aliũ quis glorioſum ducere debeat. Et primũ ob pulchritudinem corporis glorioſum neminem ducendum neq; ob eius defectum, in gloriam reputandum oſtendit, dicens: Non laudes virum in ſpcie ſua, hoc eſt, propter pulchritudinem eius (dictionem enim κάλλος, quæ hic ponitur, & pulchritudinẽ ſignifica, tinterpres ſæpe vertit ſpeciẽ pro decore) nec contrà ſpernas hominem in viſu vel aſpectu ſuo, hoc eſt, propter formam quæ in eo videtur. Quibus verbis non vult ſignifica re nihil commendationis homini accedere ex corporis pulchritudine, ſed non magnopere ab ea hominem commendãdum, cùm ab his quæ à natura inſunt, ſecundum Ariſtotelem, nec laudandi ſimus, nec vituperandi, præcipuam enim hominis commendationem vel vituperationem conſiſtere in his quæ noſtra virtute vel vitio commituntur vel comparantur. Affert autem pulcherrimum exemplum de ape, quam interpres breuem vocat inter volatilia, cùm Græcè ſit μικρὰ, hoc eſt, parua. Quoniã enim pulchritudo virilis in corporis proceritate maximè conſiſtit, & ob breuitatem ſtaturæ deſpici ſoleant homines, apem breuem vocaſſe videtur, quia hoc rei quam probare vult conueniebat. Pro initium dulcoris, Græcè eſt, ἀρχὴ γλυκασμάτων, quod rectius verti poteſt, principatus dulcedinum, quia ἀρχὴ non tantum ſignificat initium, ſed etiã principatũ. proinde noſtra lectio ſic eſt accipienda; fructus eius habet initium dulcoris, hoc eſt, obtinet primas partes in dulcedine, id eſt, inter omnia dulcia dulciſſimus eſt. Quid enim melle dulcius? Hoc ergo exemplo apis exigui animalculi, ſed inter animalia commendatiſſimi propter ſuam ſingularẽ induſtriam & vtilitatem quã inde percipiũt homines, docet homines non ſola dignitate vel dignitate corporũ æſtimandos, ſed magis ex induſtria ſua & vtilitate quã mundo afferũt, atq; hæc vt in plurimũ magis inueniri in paruis corporibus, natura ſic cõpenſante corporis defectum, & in admirationem homines rapiẽte, quemadmodum apis hominibus inſigne eſt naturæ miraculum. Nam, vt ait Cicero, valentiſſimo quiſq; corpore longiſſimè abeſt à ſapientia. Verum enim in multis eſt illud poetæ; Nulla in tam magno corpore mica ſalis, & contra: Maior in exiguo regnauit corpore virtus.

4 *In veſtitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris.*

5 *Quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius & glorioſa, & abſconſa & inuiſa opera illius.*

REſecat ſecundò ſuperbiam & inanem gloriam, quam plerique habent in ſplẽdore veſtitus; & in die quo eis ſingularis aliquis honor defertur. Et addit cauſam, quæ meritò ab hac vana gloria reprimere debeat. Eam interpres noſter intelexiſſe videtur duplicem. Primam, quod ſolius Dei opera ſunt admiranda & glorioſa, itaque nemo in ſuis operibus gloriari debet, ſed Deo omnem tribuere gloriam. Secũdam, quod opera Dei ſunt abſcondita & inuiſa, hoc eſt, incognita hominibus, ita vt præter hominum expectationem ſoleat mirabiliter Deus ſtatum vitæ commutare, & omnem vanam gloriam & magnificẽtiam obſcurare ac delere. Atque hanc ſecundam rationem ſolam habent Græca, quæ non habent illa verba, ſolius & glorioſa & inuiſa. Sicut enim interpres addidit adiectiuum, glorioſa, ad adiectiuum, mirabilia, ita inuiſa addidit ad, abſconſa. Quod iam dixit Sapiens, id clarius oſtendit exemplis infinitè poſitis, cùm ſubiicit.

6 *Multi tyranni ſederunt in thorno, & inſuſpicabilis portauit diadema.*

7 *Multi potentes oppreſſi ſunt valde, & glorioſi tradidi ſunt in manus alterorum.*

HAec ſunt abſcondita illa opera Dei quæ dixit, quæ cum admiratione & ſtupore hominum ſæpe eueniunt, & quorum ratio & euẽtus à ſecreto Dei pendet iudicio. Pro in throno Græcis eſt ἐπ' ἐδάφους, hoc eſt ſuper pauimentum vel humi. vt priori parte ſignificetur aliquid contrarium ſecundæ parti, nẽpe quòd qui prius glorioſè regnauerunt, amiſſo poſtea regno coacti ſunt ſedere humi: & contrà inſuſpicabilis, hoc eſt, de quo nulla

nulla erat regni suspicio, portauit diadema, & in regem sublimatus sit. Nostra lectio significat, occulto Dei iudicio frequenter factum esse & fieri, vt quibus regnum non debebatur, illud per vim obtineant. & in eo gloriosè aliquandiu regnẽt, vt duæ partes prioris sententiæ sint similes; quibus deinde in sequenti sententia duo opponuntur. Multi, inquit, potentes, vel, vt est Græcis, dynastæ oppressi sunt validè, vel potius valde, Nam Græcè est σφόδρα, & qui eranr gloriosi & honorati, traditi sunt in manus alterorum, hoc est, aliorũ, abducti scilicet in captiuitatem, & in aliorum potestatem redacti. Est autem Græcis ἑτέρων, vt ne quis exponat, alterorum hoc est aduersariorum.

8 *Priusquam interroges, ne uituperes quenquam: & cùm interrogaueris, corripe iuste.*

AD superbiam inter cætera pertinet facilè & temerè quemuis reprehendere & vituperare, proinde hoc præcepto ab ea re reuocat. Pro, interroges, Græcè est ἐξέτασις hoc est, exquisieris. Sensus ergo; priusquam de facto alicuius diligenter interrogaueris alios, & examinaueris veritatem & qualitatem facti vel dicti, ne vituperes quenquam: ac diligẽti examinatione facta, tum demum si æquum est, corripe delinquentem, sed corripe iustè, nempe pro qualitate facti, & ad lucrum delinquentis; vel aliorum ædificationem. Docet ex suspicionibus vel leuibus rumoribus ad accusationem vel vituperationem temerè non esse prosiliendum Id vt in communi vita præstandum est, ita multo magis in publicis iudiciis, vt ne quis ante studiosam inquisitionem ibi vel accusetur, vel condemnetur. Vnde præses Romanus in Actis 25. dixit: Non est Romanis consuetudo donare aliquem hominẽ, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendẽdi habeat. &c.

9 *Priusquam audias ne respondeas verbum, & in medio sermonum ne, adijcias loqui.*

EST & hoc superbiæ vitium, vt quis de re aliqua consultus aut interrogatus, antequã bene & plenè intellexerit quod proponitur, mox sine deliberatione respõdeat, volens ea ratione ostendere sui ingenij celeritatem & prudentiæ acumen. Item vt aliquo de re quadam narrante, priusquam is suam narrationem absoluerit, alius illius sermonem interrumpat, quasi plenè perceperit quod est dicendum, aut melius quod dicitur prosecuturus sit. Itaque rectè ne hæc fiant, ista sententia monet, quæ tamen non solùm ex superbia committuntur, sed etiam ex stultitia & Imprudentia. Vnde dicitur similiter in Prouerbiis 18. Qui prius respondet quàm audiat verbum, stultum se esse demonstrat & confusione dignum, & rursum: Vidisti virum velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est quàm illius correctio. Sicut autem hæ sententiæ, ita & hæc præsens dici etiam potest contra eos qui magistri esse volunt priusquam fuerint discipuli, & alios docere, priusquam alios docentes audiuerint. Porro perperam hic omnes pene scripti libri habent, seniorũ, quomodo & Dionysius legit, cùm manifestè legendum sit, sermonum. Est enim Græcis λόγων, Lyranus vtriusque meminit lectionis.

10 *De re quæ te non molestat, ne certaueris, & in iudicio peccatum ne constituas.*

ET hic prohibetur simile prædictis vitium, quod fere etiã ex superbia oritur. Sunt enim qui singula fere hominum facta sibi vel accusanda vel defendẽda assumunt, eam ob rem cum aliis contendentes & assiduè rixantes, quasi singula suo intellectu assequantur. Id prohibet Sapies priori parte. In qua non, certeris, legendum est; sed vt habent omnes pene scripti, certes, vel certaueris. Quid enim est certeris? Pro; de re quæ te non molestat; Græcè est, περὶ πράγματος ἃ οὐκ εἰς σοι χρεία, hoc est, de re (vel pro re) cuius non est tibi necessitas, vel cuius non interest tua, nec ad te pertinet. Id noster reddidit non malè, quę te non molestat. Molestat enim nos & ea res quæ nos lædit, & ea cuius curam gerere debemus ex officio. Nam illa molestat sua læsione, hæc solicitudine. Sicut autem priori parte prohibet contentionẽ pro re impertinenti vel defendenda vel accusanda, ita secunda parte monet abstinere à temeraria sententiæ pronunciatione & iudicio cum peccatoribus, qui quiduis iniquè iudicant dicẽtes bonum malum, & malum bonum. Vult ergo nec temerè contendendum esse pro alienis factis, nec ea temerè cum peccatoribus vel approbanda vel condemnanda.

11 *Fili, ne in multis sint actus tui, & si dines fueris, non eris immunis à delicto.*

VIderi posset Sapiẽs priori huius sententiæ parte retrahere à vitio illo quod Græci vocant πολυπραγμοσύνην, vitio sum scilicet illud animi studiũ, quo multarũ rerum cura simul assumitur, quasi vnus omnibus sufficere possit, cùm vix vni rei bene curandæ sufficiat, quod vitium etiam ex superbia oritur. Verùm ex sequenti parte & sequentibus sententiis manifestum satis est ipsum hic peculiariter prohibere voluisse nimiam solicitudinem acquirendi diuitias, & confidentiam tum in propriis laboribus, tum in partis diuitiis, quæ vitia etiam superbia gignere solet. Contra quæ vitia monet hominem totum debere à Deo pendere, cuius prouidentia diuitiæ & paupertas obtingunt, sicut & omnia alia. In quo argumẽto prosequendo perstitit fere vsque ad finem huius capitis. Quod ergo dicit; Ne in multis, vel, vt est Græcis, circa multa sint actus, hoc est actiones tuæ; hũc habet sensum; Ne in multis conquirendis sint actiones tuę, neque ad hoc labores vt multa habeas. Aut ne in multis negotiis occuperis ad hoc vt ditescas. Causam addit duplicem. Alteram, quia si dines fueris, & multa assequaris huiusmodi tuis immodicis laboribus, non eris immunis à delicto. Nam & peccatur in cupiendo & satagẽdo, & rursum in possidẽdo, asseruando, & animum diuitiis adiiciendo, vt omittatur, diuitias auiditate partas frequenter multam iniusti

iniustitiam habere cõiunctam. Ideo Paulus: Qui, inquit, volunt diuites fieri, incidunt in tẽtationem & laqueum diaboli, & desideria multa, &c. Græcis enim hic est coniunctio causalis; Si enim dines fueris; quam noster interpres in sequenti posuit sententia, proinde coniunctio, &, hic accipi poterit pro causali, quia, sicut nonnunquam accipitur.

12 *Si enim secutus fueris non apprehendes, & non effugies si præcucurreris.*

ALteram reddit rationem cur immoderatis laboribus diuitiæ non sint quærẽdæ, quia, inquit, si, pro etiamsi, secutus fueris, aut, vt habent Græca, διώκῃς, hod est, persecutus, diuitias scilicet, non apprehendes nec consequeris eas, nisi scilicet Dominus eas dederit, & fortunauerit tuos labores: & etiamsi præcucurreris ad effugiendum paupertatem, hoc est, paupertatem iam longè videaris post te reliquisse, non tamen effugies paupertatẽ, si scilicet Dominus te pauperem esse volet. Hunc esse huius sententiæ ob suam breuitatem obscuræ sensum, patet ex sequentibus quæ hanc declarant. Est autem pulchra in hac sententia allegoria, dum is qui sectatur diuitias, & studet superare paupertatem, comparatur ei qui alium insequitur, nec tamen comprehendere potest: & ei qui alium quem effugere conatur, præcurrit, & tamen insequentis se non potest manus effugere. Similis locus est Prouer. 23. Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modũ. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere, quia faciẽt sibi pennas sicut aquilæ, & volabunt in cœlum. Potest illud; nõ effugies si præcucurreris: etiam sic accipi, vt significetur etiam à fugiẽtibus diuitias obtineri, cùm Deus constituit aliquem ditare.

13 *Est homo laborans & festinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit.*

14 *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens uirtute, & abundans paupertate.*

15 *Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius.*

16 *Exaltauit caput, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.*

DVos proponit homines præ oculis, in quibus videre licet ex Dei dono pendere consecutionem diuitiarum, & non ex solis laboribus in quibus plerique nimis cõfidunt. Cõtingit enim, inquit, vt sit quispiam qui laborat & festinat ditari, & multis doloribus angitur, dum non vt vult omnia succedunt: & tamen non ideo magis abundat, sed semper in egestate manet, nimirum quia Deus eum non vult diuitem esse, nec eius labores fortunat. Id quoniam ferè accidit propter hominis impietatem, adiecit interpres, quod non habent Græca, impius, indicare volens cui id maximè accidat, cùm aliquando id etiam iustis eueniat, vel ad patiẽtiæ ipsorum probationem, vel quia Deus nouit diuitias eis non expedire ad salutem. Contrà contingit vt sit quispiam marcidus, hoc est, languidus, ad operandum tardus & piger, (id enim significat dictio Græca νωθρὸς) egens recuperatione, hoc est, subsidio ipsum reparante, plus, hoc est, multum deficiens fortitudine, & abundans paupertate. Quem tamen Dominus respiciens benigno suo aspectu ad benefaciẽdum, erexit ab humili eius conditione & statu, & sublimauit eum, ita vt mirarẽtur multi, quòd ea res præter expectationem omnium euenisset. His ergo exemplis idem docetur quod Dauid Psal. 126. dicens: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui mãducatis panẽ doloris. Cùm dederit dilectis suis somnum, &c. Et Ecclesiast. 9. Vidi nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam. Horum causam indicant sequentia.

17 *Bona & mala, uita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.*

NE admiranda illa diuersitas, quæ in hominibus cernitur, putaretur casu & fortuitò euenire, rectè subiecit hanc sententiã, qua falsam gẽtilium de fato & fortuna confutat opinionẽ, docétque in omnibus rebus quas admiramur, mentes nostras cõuertendas ad prouidentiam diuinam, & agnoscere eam esse causam omnium, Deúmque, à quo omnia proficiscuntur, inuocandum atque colendum, & eius dispositioni atque voluntati nosmet submittere debere. Porrò mala quæ à Deo esse dicit, sunt ea quæ hominum opinione mala sunt, aduersa scilicet, quæ mala pœnæ dicimus, nõ autem mala culpæ. vnde per exempla declarãs quod in genere dixit, mortem & paupertatem ponis inter mala: vitam & honestatẽ, hoc est diuitias inter bona. Interpres enim & hoc libro, & in libro Sapientiæ, sæpe honestatem ponit pro diuitiis, quòd illæ honoratum reddant habẽtem. Similem sentẽtiam Deus loquitur apud Isaiam 45. dicẽs: Ego Dominus, & non est alter Deus, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.

18 *Sapientia & disciplina & scientia legis apud Deũ: dilectio & uiæ bonorum apud ipsum.*

NE sola temporalia putarentur à Deo esse, superiori rectè hanc subiecit sententiam, qua & cœlestium ac spiritualium rerum Deum docet esse authorem, sed iam tantùm bonorum mentionem faciens, quæ duplicis sunt generis. Alia enim ad intellectum pertinent, vt sapientia & disciplina, & scientia vel cognitio legis. Alia ad affectum & voluntatem, vt dilectio Dei & proximi; & ex dilectione, viæ & extremæ operationes bonorum operum. Nam; operum, additur Græcis. Hæc apud ipsum dicuntur esse tanquum fontem à quo hominibus proueniũt, sicut in Psal. 129. dicitur: Apud Dominũ misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Græcis est, παρ' αὐτῷ, hoc est, ab ipso. De malis quæ his bonis opponuntur, subiicitur in sequenti sententia.

19 *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt, qui autem exultant in malis, conseneſcunt in malo.*

NOtandum hic imprimis, hanc ſententiam ſicut & ſuperiorem cui hæc opponitur, non eſſe in pluribus ſcriptis exemplaribus, aut in eis deletas eſſe, ſicut nec apud Græcos in exemplari Germanico & Aldino: vnde nec exponuntur à Rabano, Lyrano & Dionyſio, qui eas nō videntur legiſſe. Sunt tamen in exemplari Complutenſi, & in quibuſdam ſcriptis noſtris. Et omnino eſt veriſimile à quibuſdam ſtudio ſublatas eſſe, quòd hæc ſecunda ſententia videretur patrocinari errori Manichæorum, & aliorum quorundam hæreticorum, aſſerentium Deum authorem eſſe malorum animi, ęquè vt bonorum. Verùm notandum eſt Sapientem longè aliter loqui de his malis ſpiritualibus, quàm locutus eſt de bonis ſpiritualibus. Nō enim mala hæc eſſe dicit à Deo vel apud Deū, nec dicit ea hominibus quibuſdam concreta, ſed peccatoribus, ſignificans eorum malorum illos eſſe cauſam, qui ſunt cauſa vt ſint peccatores. Non creatur autem à Deo homo peccator, ſed talis fit à mala ſua vel primi parētis voluntate. Deus enim creauit hominem rectum, ſed ipſe ſe infinitis immiſcuit quæſtionibus. Non ergo error & tenebræ à Deo concreta ſunt peccatoribus, ſed ab his qui ſe peccatores faciunt. Mox enim vt fiunt peccatores, multis inuoluuntur & erroribus & ignorātiis. Iſtud authorem ſenſiſſe, etiam ſequens pars declarat: qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo, vel, vt elegantius habent Græca, συγγηρᾷ κακία, hoc eſt, malitia ſeneſcit cum eis. Quo manifeſtè ſignificatur, homines ſibiipſis cauſas eſſe vt malitia eis firmiter adhæreat, & conſeneſcat, nec ante mortem ab eis recedat, nēpe quia de malo quod commiſerunt non pœnitent, ſed etiam in malis quæ vel ipſi vel alij committunt, exultant, lætantur & gloriantur, innuens malitiam ab eis poſſe recedere & pelli, ſi de admiſſis vellent pœnitere & reſipiſcere. Qui ergo cauſa ſibi ſunt, vt firmiter malitia adhæreat, iidem cauſa ſibi ſunt vt in errore ſint & tenebris. Notādum autem quod dicit malitiā conſeneſcere cum his qui in malis exultant, ſignificans non cum omnibus cōſeneſcere peccatoribus, ſicut omnibus cōcreantur error & tenebræ, vt non his qui ex infirmitate peccant, ſed his qui in peccatis gloriantur, ſeſéque iactant, ex deſtinata malitia peccantes ſine magno conſcientiæ remorſu, quales rarò emendari contingit. Peccant enim in Spiritum ſanctum, ideoque eorum nec hic nec in futuro ſæculo remittitur peccatum.

20 *Datio Dei permanet iuſtis, & profectus illius ſucceſſus habebit in æternum.*

POſtquam dixit bona omnia à Deo eſſe, quoniam etiam bona temporalia impios habere contingit, oſtendit iam bona impiorum non eſſe ſtabilia & diuturna: quæ verò iuſtis conferuntur, à Deo etiam eis conſeruari, & fœliciter promoueri. Datio, inquit, Dei, hoc eſt, eius donum & beneficētia perdurat in iuſtis, qui à Deo ſe agnoſcunt habere quod habent, ſiue in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus. quaſi dicat; Si quid detur impiis, idipſum non permanet eis, ſed præter eorum expectationem & volūtatem eripitur eis, vt declarat in ſequentibus. In ſequenti parte pro; profectus illius; eſt εὐδοκία αὐτοῦ, hoc eſt, bene placitum eius proſperatur in æternum. Itaque noſtra lectio ſic videtur accipienda, vt profectus actiuè accipiatur pro promotione, & ſit ſenſus: id quod ipſe vult proficere & promouere, habebit ſucceſſus in æternum. Nemo enim illius beneplacito reſiſtere poterit, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Ita autem non eſſe de bonis impiorum, qui in Deo non confidunt, oſtendit in ſequentibus, dicens:

21 *Eſt qui locupletatur parcè agendo, & hæc eſt pars mercedis illius.*

22 *In eo quod dicit, inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus.*

23 *Et neſcit quod tempus pertranſeat illum, & mors appropinquat, & relinquet omnia alijs, & morietur.*

COntingit, inquam, nonnunquam vt ſit qui diues fiat viuendo parcè, & ſuum genium aliquandiu fraudando, & hanc ſolam habet partem, hoc eſt, portionem, quam pro mercede recipiat, quod ſpem habeat bonis parſimonia partis fruēdi futuro tempore, nempe quod dicit: Iam mea parcitate inueni mihi requiem, aſſecutus ſum bona in quibus iam quieſcere poſſum, & per quæ deinceps à labore & ſolicitudine liber eſſe potero, & nunc manducabo de bonis meis ſolus. At vana eſt eius ſpes, quod per mortē præter expectationem ſuperuenientem, cogatur omnia ſua aliis relinquere, ita vt præter illam ſpem qua ad tempus ſibi blāditur, nihil ex ſua moleſta parcitate, & bonis ſuis conſequatur, quæ tamen ipſa ſpes non tam in bonis cenſenda eſt quàm in malis, quòd miſerè habētem fruſtretur. Hoc enim ſignificat tertius verſus. In quo obſeruandum eſt dictionem, quod, non eſſe coniunctionem, vt communiter intelligitur. quaſi ſenſus ſit; neſcit tempus præterire, ſed eſſe nomen adiectiuum ſubſtantiui tempus, Eſt enim Græcis, ὅτι οὐκ οἶδε τίς καιρὸς παρελεύσεται αὐτὸν, non nouit quod vel quātum tempus præteribit ipſum, hoc eſt, quāto tempore viuet. Quanto enim tempore viuit homo, tantum tempus præterit ipſum, & ipſe præterit tantum tempus. Quoniam autem dictio, quod, putata eſt fuiſſe coniunctio, in multis libris ſublatum eſt pronomen, ipſum, quod tamen in multis ſcriptis eſt, ſicut in Gręcis, in quibus nō ſunt ea verba; & mors appropinquat vel appropinquet; ſicut nec in multis ſcriptis, nec apud Rabanum. Duo ergo dicit, quibus demonſtrat vanam ſpem eius de quo agit. Primùm, quòd non nouit tempus vitæ ſuæ, qui tamen pollicetur ſibi manducare de bonis ſuis, idque ſolus, vel, vt habent Græca, ἀσφαλεστῶς, hoc eſt, aſſiduè. Deinde quòd aliis per mortem relicturus ſit quod ſibi propriū eſſe voluit. Simile exemplum eſt quod Chriſtus adduxit de diuite quodam auaro, qui & ipſe bona aſſecutus ſimiliter dixit: Dicam animæ meæ; Anima habes multa bona repoſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. At eius vanitas ſimiliter vt hic oſtēſa eſt, cùm ei dictum eſt: Stultè, hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem paraſti cuius erunt? Sed is, de quo ibi agitur de bonis quæ ager ei protulit vberè, quietem & fœlicitatem ſibi promiſit. Iſte verò, de quo hic agitur, de bonis per attentionem & parcitatem collectis. Ideóque huic ſimilius eſt quod eſt apud Eccleſiaſten: vnus eſt, & ſecūdum non habet, non filium, non fratrem: & tamen laborare non ceſſat, nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? & rurſum: Vir cui dedit Deus diuitias & ſubſtātiam, nec dedit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud.

Luc. 12. *Eccl. 4* *Ibid. 6.*

24 *Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum ueteraſce.*

QVanquam dixerit impiorum fœlicitatem non eſſe ſtabilem, tamen, quia ea conſpecta ad eorum imitationem plerique inclinari ſolent, rectè hanc ſubiecit doctrinā, qua monet in ſuſcepta virtutis via vſque in finem perſiſtendum, nec ob conſpectam impiorū proſperitatem virtutem relinquendam. Pro, teſtamento, hic Græcis eſt, ſicut & alibi frequenter, διαθήκη, quæ non ſolùm ſignificat id quod propriè dicitur teſtamentum, ſed etiam omne pactum, quod in ſcripturis etiam dicitur ſæpè teſtamentum, quo modo & hic rectè accipitur, vt ſit ſenſus: Perſiſte in pacto illo tuo quod cum Deo iniuiſti, addicens te illius ſeruituti, & de illo apud te in animo tuo colloquere, recogitās ſemper quid illud à te requirat, & quomodo illud obſerues, & in operatione eorum quæ tibi ſunt mandata inceſſanter permane vſque in ſenectutem & vſque ad mortem. Sunt qui διαθήκην, hic accipiunt pro inſtituto vitæ, certóque genere & ſtatu, vt moneat Sapiens ſuſceptam vitæ conditionem retinendam, quomodo Paulus monet; vt vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat apud Deum. Nec multum diuerſa eſt hæc intelligentia à priori, quia quicunque ſibi aliquam bonam vitæ rationem deligit, is pactum aliquod cum Deo init, proponens ſcilicet in ea quam deligit conditione Deo ſeruire. Proinde valet hic locus & in genere contra virtutis ſemel amplexatæ deſertores, & in particulari contra eos qui temerè certam viuendi rationem per mentis inſtabilitatem relinquunt: vt qui coniugium violant, aut à monaſtica vita deficiunt. A quali deſertione magis adhuc reuocat, cùm ſubdit:

1. Cor. 7.

25 *Ne manſeris in operibus peccatorum. confide autem in Deo, & mane in loco tuo.*

26 *Facilè eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem.*

GRæcè eſt, μὴ θαύμαζε, ne mireris in operibus peccatorum. Et pro, loco, Græcè eſt τόνῳ, hoc eſt, labore tuo, quo ſcilicet Deo ſeruire cœpiſti. Interpres legiſſe ſe demonſtrat τόπῳ, hoc eſt, loco. Et ſenſus eōdē redit, quia per locum ſuſcepta vitæ conditio intelligitur, quomodo & in Prouerb. Sicut auis tranſmigrās de nido ſuo, ſic vir qui relinquit locum ſuum. Cauſa ergo hic demonſtratur, cur homines à propria vocatione ac vitæ ratione deſciſcunt, ex conſideratione ſcilicet & admiratione malorum operum, quibus in peccatoribus nonnunquā gloria & fœlicitas coniuncta eſt. Contra quam tentationē prolixè agit Pſal. 36. etiam inter alia dicēs quod hic: Spera in Deo, & fac bonitatem. Proinde quod nos habemus; ne mane manſeris in operibus peccatorum; vt cum originali conueniat, accipi poteſt. Ne manſeris animo in operibus peccatorum, hoc eſt, noli ea tantùm præ oculis habere, ſed etiam ſi videas ea mala eſſe, eíſque proſperitatem maiorem, quàm tu habeas, cōiunctam, reſpice tamen ad Deum, atque in eo confiſus, perſiſte in tua quam ſuſcepiſti bona vitæ inſtitutione, nec eā relinquas ob eam qua premeris paupertatem. Facilè enim eſt coram Deo, ſubitò ditare pauperem. Quo ſignificat, id quod ei facilè eſt etiam facturum in eis quos diligit, ſi id ita eis expediat: & ſi nō faciat, ideo non facere, quia non expedit: & contrà, facilè etiā eſſe Deo ſubitò depauperare diuitem, ídque eum in impiis ad tempus florentes aliquando effecturum. Honeſtare enim hic & alibi interpres poſuit pro ditare, ſicut honeſtatem ponit pro diuitiis. Græcè eſt πλουτίσαι. Poteſt illud; ne manſeris in operibus peccatorum; etiam ſic accipi, vt ſignificetur, etſi per infirmitatem fiat vt quis incidat in peccata, à quibus nemo liber eſt, tamen curandum vt ne in illis maneat.

Prou. 17.

27 *Benedictio Domini in mercedem iuſti feſtinat, & in honore ueloci proceſſus illius fructificat.*

PErtinet ad ſuperiorem doctrinam, docetúrque non tantùm facilè eſſe Deo ſubitò benefacere iuſto, ſed Deum etiam id ſubitò facturum. Habent autem Græca clarius ſic; Benedictio Domini in mercede pij, ſcilicet eſt, & in hora veloci germinat benedictionem ſuam. Itaque non videtur dubitandum quin interpres verterit non, in honore, ſed in hora, quamuis libri quos vidi omnes habeant, honore. Sed facilè fieri potuit, vt ab indocto aliquo; hora; mutaretur in; honore; quòd abſurdum videretur horam dici velocem, cùm vna hora non ſit altera velocior. Certè dictio Græca ὥρα nullo modo habet ſimilitudinem cum ea quæ honorem ſignificat, ſicut apud nos magna eſt affinitas inter hora & honore. Senſus ergo eſt: Beneficentia Domini non eſt tarda ad reddendum quod iuſto debetur, ſed feſtinat ad dandum mercedem iuſti, & in breui tempore procedit ad hoc, proceſſúſque Domini fructum facit. Feſtinare autem rectè dicitur, & ad benefaciendum velociter procedere, etiamſi humano iudicio tardare videatur, nec tam ſubitò quàm vult homo, benefaciat, tū quòd re vera mora quæ interuenit non à tarditate voluntatis diuinę proficiſcatur, quaſi parum homini faueret, ſed illa ipſa ſit in bonum iuſti, ita vt ipſamet mora ſit iuſto beneficium, tum quod quātalibet mora minima ſit, imò nulla, ſi mercedis quæ redditur magnitudo conferatur cum tempore laboris iuſti. Non *2. Pet. 2.*

tardat enim, inquit Petrus, Dominus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit propter
Rom. 8. vos. & Paulus: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Porrò illud, proceſſus illius, etiam ad hominem iuſtum referri poteſt, vt ſit ſenſus; Progreſſus iuſti de virtute in virtutem, per Dei benedictionem ſubitò fructum magnum profert, quia & hic temporaliter & in futuro æterno præmio remuneratur.

28 *Ne dicas: Quid eſt mihi opus: & quæ erunt mihi ex hoc bona?*

29 *Ne dicas: Sufficiens mihi ſum, & quid ex hoc peſſimabor?*

VTerque hic verſus communiter intelligitur cõtinere vocem ſuperborum, qui in ſuis confidunt diuitiis, nec aliquid vel boni poſt hãc vitam, vel mali in hac vita expectant. At notandum in priori verſu non eſſe Græcis, datiuum, mihi, in prima interrogatione, ſed genitiuum τίς ἐρί μοι χρέια? hoc eſt, quid eſt mei opus, vel quis eſt mei vſus vel neceſſitas? vt prior verſus contineat verba hominis de ſua fortuna cõquerentis, & meliorem planè deſperantis: vt multi ſolent tædio paupertatis dicere; Quid ago in hoc mundo, ſum planè inutilis mundo, præſtaret me hinc auferri. quomodo Elias tædio per-
3. Reg. 19. ſecutionũ ſuperatus dixit: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam. Quem ſenſum vt & noſtra lectio habeat, datiuus, mihi, per antiptoſim debet accipi pro, mei, vel ablatiuo me, vt non ad verbum, eſt, referatur, ſed ad adiectiuum, opus. Senſus ergo eſt: Ne dicas ex deſperatione; Quid eſt opus vel vſus mei in hoc mundo? quid oportet aut expedit me diutius hic viuere? & quæ ex hoc nunc, hoc eſt, ex iſto tempore & deinceps mihi bona ſunt expectanda, qui hactenus ſemper in paupertate vixi & miſeria, vel tribulationibus? Deinde ſimiliter prohibetur contraria oratio, & affectio hominis in ſuis diuitiis acquieſcentis & confidentis, & ideo nihil ſibi mali metuentis. Ne, inquit, rurſum dicas; Sufficiens mihi ſum, vel, vt eſt Græcis, αὐτάρκη μοί ἐρι, hoc eſt, ſufficientia mihi ſunt, & quid deinceps peſſimabor, hoc eſt, mali patiar? quaſi dicat; quis mihi nocere aut incommodare poterit? Interpres enim ſecutus Græcam dictionem κακωθήσομαι, finxit dictionem, peſſimabor, pro malum pati, ſicut poſt cap. 36. vtitur peſſimare pro affligere. Duabus ergo ſententiis his monet, neque pauperi calamitoſo deſperandam meliorem fortunam, neque diuiti fortunato non metuendum eſſe caſum & mala. Solent enim in alteram partẽ homines peccare, vt aut in aduerſis rebus diffidant, aut in proſperis nimium confidant. Quorum vtrũque qua ratione cauere poſſimus, docent ſequentia.

30 *In die bonorum ne immemor ſis malorum, & in die malorum ne immemor ſis bonorum.*

31 *Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.*

GRæcè ſic habet in omnibus exemplaribus prior verſus, ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθῷν ἀμνησίαν κακῶν, καὶ ἐν ἡμέρᾳ κακῶν ὐ μνησθήσεται ἀγαθῶν, hoc eſt, In die bonorum, obliuio erit malorum: & in die malorum, non erit memoria bonorum. Contrarium ſcilicet eius quod nos legimus. Verùm plerique exiſtimant locum eſſe deprauatum, atque in primo membro deeſſe μὴ ἔρῃ: in altero verò legẽdum, οὐ μνησθήσεται. Itaque vertunt omnes ſicut noſter interpres; ne ſis immemor. Poſſet tamen ea ſententia accipi ſicut Græcè habetur, vt pronunciet ac ſignificet non quid fieri debeat, ſed potius quid fieri ſoleat: atque ita aptè ſequitur quod ante dixerat ac prohibuerat, nempe aut deſperare homines in aduerſis, aut in ſecundis nimis confidere, vt hic indicetur cauſa cur id fiat, videlicet quòd qui bonis fruuntur, obliuiſcantur malorum quæ accidere poſſunt: & qui aduerſis premũtur, non recordentur bonorum, quæ ſuccedere ſolẽt malis. Verùm recepta lectio noſtri interpretis, quàm alij ferè ſequuntur, magis conuenit ſequenti ſententiæ, qua redditur ratio, cur nec malorum nec bonorum debeamus eſſe immemores. Ex qua ſubiecta ratione patet, cùm vult Sapiens non eſſe nos immemores bonorum vel malorum, ipſum potiſſimùm loqui de bonis maliſue futuris & futuri ſæculi, quorum reſpectu nec impiis meritò exultandum eſt in proſperis, quibus hic cum diuite epulone fruuntur: nec piis deſperandum, cùm paupertate, aliiſque calamitatibus hic cum Lazaro grauãtur. Quoniam, inquit, facilè eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecũdùm vias ſuas, hoc eſt, ſtudia & opera ſua, vt ſi bene vixeris, non dubitare debeas quin bona ſis recepturus, ſi malè, mala etiam ſis recepturus. D. Gregorius homil. 19. ſuper Ezech. quod dicitur; ne immemor ſis bonorum vel malorum! non ſolùm intelligit de bonis vel malis futuris, ſed etiã de præteritis, quæ vel a Deo accepimus, vel quæ ipſi cõmiſimus. Si enim, inquit, cùm bona habemus, malorum reminiſcimur, quæ aut iam paſſi ſumus, aut adhuc pati poſſumus, accepta bona mentem non eleuant, quia eorum gaudium timor memoriæ malorum præmit. Et ſi cùm mala habemus, bonorum reminiſcimur, quæ aut iam accepimus, aut adhuc nos poſſe accipere ſperamus, malorum pondus ad deſperationem non premit, quia hunc ad ſpem memoria bonorum leuat. Bene autem notandum quod dicit; In die obitus. Eo enim ſignificat, in hac vita non recipere homines ſecundum opera & merita ſua, ſed impios frequenter bonis frui, quibus indigni ſunt, & pios mala ferre quæ non meruerunt. Vnde
Eccl. 8. in Eccleſiaſte dicitur: Sunt iuſti quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum: & ſunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi facta iuſtorum habeãt. Rurſum ea pars confutat errorem & hæreſim eorum, qui ante generalem diem iudicij & omnium reſurrectionem aſſerunt neminem recipere mercedem quam promeruit, cùm hic apertè dicatur, Deum in die obitus & mortis vnicuique reddere quod meruit.

32 *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius.*

PRo, malitia, non eſt κακία, ſed κακῶσις, hoc eſt, afflictio & tribulatio. Pro, luxuriæ magnæ, eſt tantum τρυφῆς, hoc eſt, voluptatis & deliciarum. vnde luxuriæ nomen hic non libidinem ſignificat, ſed luxum, & voluptatis ac deliciarum abundantiam. Duo ergo hæc ſententia inſinuat, propter quæ meritò quis in die bonorum non debeat eſſe nimis ſecurus, ſed cogitare mala quæ ſuperuenire poſſunt. Primum, quia vel vna hora & breui tempore tanta poteſt ſuperuenire afflictio, quæ diuturnæ voluptatis præteritæ obliuionem inducat, ſic ſcilicet vt amplius nõ æſtimetur nec delectet, ſed potius dolorem inferat ſi in recordationem veniat. Sic de Babylone dicitur in Apocal: Væ, væ ciuitas illa
Apo. 18. magna Babylon, quia vna hora venit iudiciũ tuum. Id frequenter in præſenti etiam ſæculo fit, ſed omnium maximè in morte impiorum, quæ ſubitò irruens tollit omnem voluptatem quam hic ſecuti ſunt. Secundùm eſt, quòd cùm in hac vita neſciatur vtrum homo amore an odio dignus ſit, & frequenter ob fœlicitatem præſentem videãtur quidam grati Deo, qui non ſunt grati: & contrà ob aduerſitatem videantur diſplicere qui maximè grati ſunt; in fine hominis fiat denudatio, vel vt eſt Græcis, reuelatio operum eius, hoc eſt, Deus tunc reuelat vnicuique hominum qualia fuerint opera eorum, cum quia Deus tunc ſic vniuſcuiuſque illuminat conſcientiam, vt agnoſcant, & quid fecerint, &
1. Cor. 4. quo animo fecerint, quãdo implebitur quod Paulus dicit: Illuminabit Deus abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit conſilia cordium; tum quia ex remuneratione ſinguli intelligunt qualia fuerunt eorum opera, bona an mala. Et hæc ſententia valet contra errorem, de quo mox dictum eſt, docétque ante iudicium generale, eſſe in morte cuiuſque iudicium particulare. Valet item contra eos qui negant animas piorum in purgatorio exiſtentium, eſſe de ſuo ſtatu & ſalute ſtatim ſecuras.

33 *Ante mortem ne laudes hominem quenquam, quoniam in filijs ſuis agnoſcitur uir.*

PRo, laudes, eſt μακαρίζῃς, hoc eſt, beatifices, aut fœlicem & beatum prædices. Quod ergo nos habemus ſic accipiendum eſt, ne laudes tanquam fœlicem & beatum. Sequitur hæc ſententia ex præcedentibus. Quoniam enim, vt in præcedentibus inſinuatum eſt, & temporalis hominum fœlicitas inſtabilis ac incerta eſt, & opera item hominum qualia ſint, incertum eſt ante diem mortis, & tunc primùm eſt tempus retributionis, nemo meritò ante mortem prædicandus eſt beatus, quia tunc tantùm re vera homo fit beatus, quando ea conſequitur bona quæ verè beatum faciunt, & à quibus excidere non poteſt. Celebrata eſt hæc ſentẽtia etiam à multis ethnicis ex ſententia Solonis, de quo refertur, quòd à Crœſo interrogatus an quem vidiſſet beatiorem ipſo, Telum nominauit Atheniẽſium, priuatum hominem, ſed qui, relictis liberis ac nepotibus bene inſtitutis, fœliciter obiiſſet diem. Interrogatus deinde cui poſt illum tribueret elogium fœlicitatis, Cleotin & Bitum Argiuos fratres nominauit, qui cum ſumma pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex, nullo igitur, inquit, loco me ponis? Tum ille; Ego facilè confiteor te regem, opibus & imperio florentem: beatum autem non appellarim, priuſquam hanc vitam fœliciter abſolueris. Itaque cùm à Cyro rege captus, iuſſus eſſet ingenti pyræ imponi, vt viuus cremaretur, ter alta voce dicitur Solonẽ inuocaſſe: Tum Cyri iuſſu interrogatus quid ea vox ter repetita ſibi vellet, expoſuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veráque fœlicitate à Solone viro ſapientiſſimo audiuiſſet. Per quæ humanæ imbecillitatis Cyrus admonitus, iuſſit Crœſum ab igne ſeruari, fuítque deinceps ipſe apud Cyrum in ſummo honore. Ad hanc Solonis ſententiam alludit Ouidius, dicens: Sed ſcilicet vltima ſemper, Expectanda dies homini eſt, dicíque beatus. Ante obitum nemo, ſupremáque funera debet. Sed hi dicentes ante mottem neminem beatum dicendum, reſpexerunt tantùm ad inſtabilitatem terrenæ proſperitatis, & incertitudinem conſtantię in virtute, atque ad memoriam quæ apud homines relinquitur poſt mortem: ſcriptura verò ſacra nõ ad hæc tantùm reſpicit, ſed multò maximè ad retributionem & mercedem, quam homines nõ niſi poſt mortem apud Deum recipiunt, ſicut in præcedentibus dictum eſt. Addit autem Sapiens cauſam cur ante mortem nemo tanquam beatus prædicandus ſit: quoniam, inquit, in filiis ſuis, quos ſcilicet poſt ſe relinquit, agnoſcitur vir, qualis ſcilicet fuerit vita eius, ſignificans eius probitatem, vt in plurimum colligi poſſe ex filiis, ſi eos bene à ſe inſtitutos, & Deum timentes relinquat. Nam, iuxta adagium, Patrem ſequitur ſua proles. Vnde Sapient. 3. dicitur: Ex iniquis omnes qui naſcũtur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua. Et in Prouerb. dicitur gloria patris, filius ſapiẽs. Et Solon quoque ſuum Telum beatum non pronunciaſſet, niſi reliquiſſet liberos & nepotes bene inſtitutos. Nec tantùm ex filiorum vita agnoſcitur vita patris, ſed ſecundùm veteris Teſtamenti ſcripturas, etiam ex fœlicitate & benedictione diuina, qua parẽtes ſibi gratos fuiſſe Deus poſteris declarat. vnde Dauid beatum pronunciat virum qui Pſa. 111.
timet Dominum, quia potes in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Maximè autem vir agnoſcitur ex filiis ſpiritualibus, ſi ſcilicet multos poſt ſe relinquat, verbo & exemplo à ſe bene inſtitutos. Rabanus quo generalior ſit hæc ſententia, per filios myſticè intelligit opera hominis quæ ipſe profert de ſe tanquam filios, vt conueniat quod hic dicitur cum illo Saluatoris: A Matth. 7.
fructibus eorum cognoſcetis eos.

34 *Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim ſunt inſidiæ doloſi.*

NOuum hic incipit argumentum, tractãs de his quibus communicandum ſit, quod etiam in ſequentibus capitibus proſequitur. Primùm ergo vtiliter vetat ne quem-

uis hominem inducamus in domũ, hoc eſt, ne in intimam familiaritatem quemuis recipiamus, eíque noſtra oſtẽdamus, antequam eius probitas bene ſit perſpecta & exploratа: quia, inquit, multæ ſunt inſidiæ hominis doloſi, qui etſi ſimulet amicitiam, tamen ex omnibus quæ audit ab homine, & quæ videt in aliena domo, captat occaſionem ſui commodi, & læſionis alterius. Ob non ſeruatum hoc præceptum Ezechias rex correptus eſt à propheta, quod ſcilicet Babyloniorum legatos introduxerat ad domus ſuæ contemplationem nimis exactam, quæ reges Babylonios accendit ad ipſius ſpoliationem. Pythagoras quum vellet ſignificare ingratum & infidum hoſpitem in domum nõ eſſe recipiendum, hac allegoria vtebatur: Hirundinem ſub eodem tecto tecum ne habeas, propterea quòd ea auis, poſteaquam domum conſpurcauit, euolare ſolet, nullam adferens hoſpiti vtilitatem. Ita multi pro hoſpitio officióque præſtito, malam gratiam vel iniuriæ vel ignominiæ referre ſolent. Ab hoc Pythagoræ ſymbolo, hæc Sapientis ſententia non multum diſcrepat.

4. Reg. 20.

35 *Sicut enim eructat præcordia fœtentium, & ſicut perdix inducitur in caueam, & ut caprea in laqueum: ſic & cor ſuperborum, & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui.*

LOcus ſatis obſcurus, in quo primùm notandum, Græca vt iam habentur, longè eſſe breuiora. Tantùm enim habent; Perdix capta in cauea, ſic cor ſuperbi, & vt ſpeculator aſcẽdens ad caſum. Ita vt etiam hæc ſententia Græcis ſit bimembris tantùm. Et ſecundùm quoſdam ſignificatur, quòd quemadmodum perdix capta in cauea, ſua voce auiculas ſui generis ad laqueos adducit: ita & cor ſuperbi captat alios decipere. In noſtra lectione dubium eſt an ſit legendum, fœtentium an fœtantium. Nam vtriuſque lectionis meminit Gloſa Ordinaria, & fœtantium, habebãt multa exemplaria ſcripta. Vtra autem lectio ſit verior, non poteſt haberi ex Græcis, cùm hæc pars ibi nõ ſit. Qui legunt, fœtentium, vt communiter legitur, intelligunt cor ſuperborum comparari præcordiis fœtentium eructantibus: quia ſicut prauum & contagioſum fœtorem emittunt præcordia habentia anhelitum corruptum, ſic & cor ſuperborum exhalare ſolet verba fraudulenta & peſtifera. Quòd autem comparetur captę perdici vel capreæ, intelligunt ſignificari, ſuperbum dum aliis inſidiatur a ſathana decipi, & in laqueum induci. At hæc explicatio frigida videtur, quòd cor ſuperbi non ſimili aliqua ratione intelligitur comparari illis tribus, quibus tamen ſimiliter cõparatur. Sanè quo ſimplicius hic locus intelligatur, & conformius cum originalibus, omnino crediderim potius interpretem ſcripſiſſe fœtantium, atque intellexiſſe parturientes vel grauidas. Harum enim præcordia propter humorum quibus grauantur abundantiam & indigeſtionem, conſtat multùm eructare. Harum ergo præcordiis cor ſuperbi comparatur, quòd ſicut illa grauata ſeſe eructando alleuiant, ita & cor ſuperbi variis apud ſe grauatur cogitationibus, à quibus ſe alleuiare conatur nocendo. Ita & captis illis aſſimilatur animalibus, quòd & illa cõcluſa ac coarctata in omnem partem ſe vertunt quò ſe liberent, quemadmodum cor ſuperbi omnẽ venatur occaſionem perficiendi cogitationes quibus intra ſe coarctatur. Aſſimilatur item proſpectori, vel, vt quidam legunt, proſpectatori, hoc eſt ſpeculatori (eſt enim Græcis κατασκοπος) qui ex alto obſeruat caſum proximi ſui. Ita enim & cor ſuperbi ex omni parte diligenter obſeruat, num alicubi videre poſſit caſum & infortunium proximi ſui, aut ipſemet illum ſicut deſiderat præcipitare & perdere. De corde ſuperbi ingerit iam mentionem, cùm prius dixerit de doloſo. Nam ſuperbus potiſſimùm eſt doloſus ille, qui in domum non eſt inducendus. Superbus enim cùm ſit gloriæ appetẽtiſſimus, non ferẽs alterius ſplendorem quem in aliena videt domo, quãtum poteſt, alterius calamitate & ruina vult creſcere, omnes proinde cogitat apud ſe vias & rationes, quibus alter in grauem aliquem caſum & calamitatẽ delabatur. Huius animus & ingenium, ſtudiúmque maleuolum ſimilitudinibus ſic intellectis aptiſſimè deſignatur. Notandum enim Græca non habere; ſicut perdix inducitur in caueam; ſed ſicut perdix capta in cauea; vt ſimilitudo non cõſiſtat in capiendo, ſed in conditione perdicis in cauea captæ. Sic enim ſe habet cor ſuperbi, ſicut ſe habet perdix vel quæuis auis capta. Nam ſub ſpecie genus intelligitur, vt non ſit curiosè inquirendum, cur perdicem nominet. Huic intelligentiæ iam datæ bene conuenit quod in probationem huius ſententiæ ſubiungitur.

36 *Bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electo imponet maculam.*

OStendit hæc ratio iniquum animũ prauúmque ingenium ſuperbi, qui etiam bene facta in malam partem interpretatur, intentionem falsé damnando. ſi minus opus poſſit, totus intentus ad nocendum, cùm amorem fingat. Itaque etiam in electis, ſiue hominibus, ſiue operibus & factis, hoc eſt, præclaris & laudabilibus, imponet maculã, hoc eſt, vituperationem & reprehenſionem. Græcè enim eſt μῶμον, pro quo interpres ſæpius vertit, maculam. Significat ſuperbum etiam optimis ſiue hominibus ſiue factis (vtroq; enim modo accipi poteſt) ſiue clam ſiue palam detrahere, quòd non ferat alium ſibi præferri, & commoda ſua impediri: quomodo & Chriſtum Phariſæi criminabantur, dicentes inter alia: Non eiicit hic dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Porrò pro, electis, Græcè eſt, τοῖς ἀρετοῖς, hoc eſt, electis & laudibilibus, vt ne quis intelligat de electis Deo & prædeſtinatis. Quidam libri habent, τοῖς ἁγιοις, in hæreticis, hoc eſt his qui ſecum ſunt eiuſdem ſocietatis & ſectæ, vt ſignificetur perfidia cum malitia cõiuncta. Legendum autem per futurum, imponet, & non, imponit, vt quidã libri habent, patet, quia Græcis eſt, ἐπιθήσει.

37 *A ſcin*

37 *A ſcintilla una augetur ignis, & ab uno doloſo augetur ſanguis: homo enim peccator ſanguini inſidiatur.*

NOn eſt legendum; A ſcintilla enim vna; quia cõiunctio, enim, ſicut non eſt Græcis, ita nec in pleriſque noſtris ſcriptis, nec in Gloſa Ordinaria. Non enim hic probatur quod mox dictum eſt, ſed noua additur ratio, ob quam à doloſo cauendum ſit. Nec eſt Græcis ea pars; & ab vno doloſo augetur ſanguis; ſed tãtùm, & homo peccator in ſanguinem inſidiatur. Illam autem partem interpres addidiſſe videtur, vt eſſet expreſſior explicatio ad quid prior pars hic adducatur. Proinde in tertia parte quæ eſt apud nos, rectiùs legitur, homo enim peccator, quàm, homo verò peccator, vt quidam libri habẽt. Nulla enim eſt adũerſatio cum præcedenti parte, ſed eius explicatio. Senſus ergo eſt; ſtudioſè cauẽdos eſſe doloſos, quia ſicut ab vna ſcintilla, vel, vt eſt Græcis, à parua ſcintilla, quæ non videtur poſſe nocere, creſcit ignis, qui valde nocet, & omnia deuorat: ita nonnũquam ab vno doloſo multiplicantur homicidia, quæ nomine ſanguinis in ſcripturis ſæpe deſignantur. quaſi dicat, tã potẽs eſt malũ vel vnus doloſus, vt per eius detractiones, & excitatas ſeditiones ſæpe multa ſanguinis effuſio accidat. Homo enim qui ſe peccatis penitus dedidit, non ſatiatur paruis criminibus, nec ſufficit ei ſcintillas ſuæ malitiæ de ſe diffundere, ſed inſidias etiã ſtruit ad effundendum ſanguinem.

38 *Attende à peſtifero, fabricat enim mala. ne forte inducat ſuper te ſubſannationem imperpetuum.*

PRo, peſtifero, eſt, κακοῦργος, hoc eſt malefico vel malicioſo. ſignificat autem eum qui dedita malitia ſtudet nocere, qui re vera peſtifer eſt. Pro, ſubſannationem, eſt rurſum μῶμον, quod ſuperius vertit, maculam. Significat ſicut à doloſis, ſic & à malitioſis ſtudioſè cauendum, ne ab eis perpetua aliqua nota & infamia inuratur, qui ex corruptione naturæ per malitiæ conſuetudinem ſemper fabricant, hoc eſt, moliuntur mala inferre.

39 *Admitte ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & alienabit te à tuis propriis.*

MAlè omnes ferè libri habent, à viis propriis, cùm ſit Græcè, ἐκ τῶν ἰδίων σου, hoc eſt, à tuis propriis, quomodo & legitur apud Rabanum. Per ironiam autẽ dicitur; admitte ad te alienigenam, vel, vt eſt Græcis, ἀλλότριον, hoc eſt, alienum & peregrinum hominem, cuius mores & ingenium tibi non eſt exploratũ. quaſi dicat; Noli admittere in tuã familiaritatem alienum, niſi velis vt ſubuertat te in turbine, hoc eſt, cum turbatione & tumultu quem contra te excitabit, & quo te inuoluet, & alienum te faciat à tuis propriis bonis. In quibus verbis maxima vis eſt. Dicit enim; ſi alienum in tuum conſortium & domum tuam recipias, ille te abalienabit à bonis quæ tibi propria ſunt, ſibíq; propria reddet. Indigniſſimum enim eſt expelli, exturbaríque domo ac poſſeſſionibns propriis ab eo, quem, cùm eſſet alienus, in domũ tuam receperis. Indignũ item, te tuis priuato, alienum tua obtinere tanquam ſua. Itaque vis ſententiæ conſiſtit in oppoſitione. Alieni, &, Abalienauit: Item ad te, & à tuis. Declaratum eſt quod hic dicitur, in Iugurtha, qui à Maſiniſſa Numidiæ rege in regiam domum receptus, ſummíſque honoribus ornatus, eius liberos poſt mortem illius regno expulit atque occidit. Item in Herode, qui cum non eſſet genere Iſraelita, ſed Aſcalonites, aſcitus in familiam Hircani & Ariſtobuli, veris regni Iudaici hæredibus, illis ſublatis regnum ſibi vſurpauit.

Caput XII.

1 *Si beneſeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.*

DIxit capite ſuperiori à quibus cauẽdum, & qui in domum & familiaritatem non eſſent admittendi, nunc docet quibus benefaciẽdum, & quibus non. Et prima quidem hac ſententia monet, vt in beneficentia præſtanda delectũ habeamus, neque temerè in omnes beneficia profundamus, ſed cum iudicio ſic conferamus, vt gratiam inde ſaltem à Deo referamus, nec inde vel nos vel alij nocumentum reportemus. Alioqui enim vera erit illa Ennij: Benefacta malè locata, malefacta arbitror. Dubitari tamen hic poterit, & circa hanc primam ſententiam, & circa ſequentes, quibus prohibetur bene fieri & dari malis, quomodo conſentiat hęc doctrina cum Chriſti doctrina, qui dicit: Omni petenti te tribue; & monet vt diligamus etiam inimicos noſtros, eíſque benefaciamus. Deinde ſi curiosè inquirendum eſt qualis ſit cui eleemoſynæ ſint impendendæ, & peccatoribus illæ non ſint præſtandæ, tardiores erunt homines ad ſubueniendum pauperibus. Notãdum ergo imprimis, Sapiẽtem hic non agere potiſſimùm de collatione eleemoſynarum, quæ fiunt pauperibus ex miſericordia, ſed de beneficẽtia vel amicitiæ, vel iuſtitię diſtributiuæ. In qua magnus ſanè delectus habendus, vt ſingularia amicitiæ beneficia, vel quæ ex iuſtitia diſtributiua ſunt exhibẽda, non præſentur niſi dignis, & qui accepto beneficio & non abutantur in perniciem & conferentis, & reipublicæ, & bene vtantur in Dei honorem, & conferentis ac aliorum vtilitatem. Itaque contra hanc doctrinam faciunt, qui vel propria bona liberaliter conferũt impiis hominibus tãquam ſingularibus amicis: vel communia bona diſpenſant talibus, vt qui beneficia eccleſiaſtica conferunt indignis. Nonnũquam tamen beneficia quædam præſtanda ſunt impiis, nõ quidem vt eorum malitia foueatur, ad quod author hic reſpicit, ſed vt beneficiis victi amici fiant relicta malitia, vel certè vt nocere deſinant, eorúmque vexatio redimatur. In beneficentia autẽ miſericordiæ quæ eleemoſynis exhibetur, non eſt omnino talis delectus habendus; ſed obſeruanda eſt imprimis perſonarum miſeria, quæ commiſeratione & ſubſidio eſt digna,

Luc. 6. Matt. 5.

vbi vel certò vel probabiliter de ea conſtiterit. In huiuſmodi tamen beneficentiæ exhibitione, prima etiã ratio eſt habenda eorum qui iuſti ſunt, & pietati ſtudent, & inter eos illorum maximè qui propter iuſtitiam bonis ſuis ſpoliati ſunt, aut ſe ipſi bonis exuerunt, quo expeditius Chriſto & eius eccleſiæ ſeruirent: Deinde etiã in beneficentia quæ malis ob paupertatẽ præſtatur cauẽdum quantum fieri poteſt, ne per eã foueantur in inerti otio aut malitia, ſed quod eis datur, ſolo paupertatis intuitu propter Chriſtum detur, aut ne peiores fiant, vel ne noceant. Quibus ſeruatis, non fit cõtra huius loci doctrinam. Dicit ergo: Si ſtatuiſti aliquem beneficio afficere, diſpice apud te, & cognoſce cui id facias: & ſi ſic cum iudicio benefeceris, erit in bonis tuis, hoc eſt, benefactis tuis, multa gratia, hoc eſt, erunt valde grata & accepta. Aut recipient multam remunerationẽ vel ab homine, vel à Deo, vt ſequenti ſententia declaratur. Nomen enim, gratiæ, poteſt hic accipi vel pro gratioſitate, vel pro beneficio & mercede quæ rependitur bene merenti, quomodo accipitur, cùm dicimus alicui referre gratiam. Significatur ergo econtrariò: Si ſine iudicio beneficium impendatur, illud non habiturum ſuam gratiam, & nec gratum futurum, nec remunerandum.

2 *Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam, etſi non ab ipſo, certè à Domino.*

DIxit ſuperiori ſententia diſpiciendum cui ſit benefaciendum, hic iam explicat cui ſit benefaciẽdum. Benefac, inquit, iuſto, vel, quod eſt Græcis, & eódem recidit, ἐυσεβῆ, pio. Tale enim beneficium nõ carebit ſua mercede & fructu, quia ſi à iuſto referri gratia non poſſit vel ob paupertatẽ, vel ob mortem, certè à Domino referetur. Loquitur autẽ de beneficio quod iuſto impenditur, quia iuſtus eſt. de quali beneficio dicit Dominus:
Matt. 10 Qui ſuſcipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet: & qui vni ex his minimis dederit poculum aquæ frigidæ nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam.

3 *Non eſt enim bene ei qui aſsiduus eſt in malis, & eleemoſynam non danti, quoniam & altißimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus.*

COniunctio, enim, ſicut non eſt in Græcis, ita nec in multis ſcriptis. & obeſt intelligentiæ. Non enim hic probatur aliquid præcedens, ſed noua aſſeritur propoſitio, ad docendum impio non eſſe benefaciendum. Græca per futurum habẽt; ὐκ ἔςαι ἀγαθὰ, non erunt bona: Germanicum tamen exemplar habet, ὐκ ἐςι, non ſunt bona. Quomodocunque autem legatur, idem ſignificatur, nulla ſcilicet bona vel fore vel eſſe peccatori, nec ei bene eſſe etiã dum videtur fœliciſſimus, quia nihil ea bona ei proderunt, vt qui eis abutatur & in ſuam & in aliorum perniciem. Indicat ergo beneficia malè collocari in eũ, qui ſic eſt aſſiduus in malis, vt nunquam de eis ſeriò pœniteat, & per eleemoſynas peccata ſua redimere non eſt ſolicitus. Per illud enim; eleemoſynam non danti; ſignificatur hominis impœnitentia, qui poſt perpetrata multo tempore peccata, non cogitat de eis per eleemoſynas redimendis. Addidit interpres; quoniam & altiſſimus odio habet peccatores; & tamen non ſic eos odit; quin ſemper miſertus ſit pœnitentibus, & in remiſſionem peccatorum eleemoſynas largiẽtibus. Quo ſignificatur, ideo non eſſe bona impiis impœnitẽtibus, nec ab hominibus eſſe ipſis benefaciendum, maximè tanquam impiis, eo quòd Deus tales odiat, quo non fauente, nihil bonum eſſe poteſt homini.

4 *Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem: & impijs & peccatoribus reddet uindictam, reſeruans eos in diem uindictæ.*

MIrum eſt quomodo illa pars; Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem; ſit interpoſita inter illud quod præcedit; quoniã & altiſſimus odio habet, &c. & illud quod ſequitur; & impiis & peccatoribus reddet vindictam; cùm illæ partes hoc loco non ſint in Gręcis, ſed tantùm poſtea, vbi etiam apud nos repetuntur, & omnino coniungi debuiſſent: & illa pars interpoſita; Da miſericordi, &c. debuiſſet vel præponi vel poſtponi toti ſententiæ. Certè ea interpoſitio cauſam præbuit, vt multi legerent in ſequẽti parte non; reddet vindictam; ſed, redde vindictam; ſed ineptè, cùm ſequatur; reſeruans eos in diem vindictæ, quod ad Deum manifeſtè eſt referendum. Quia tamen paſſim ſic legitur pars illa interpoſita, neſcio an interpretis, an ſcriptorum vitio, vt ſit aliqua connexio partium huius ſententiæ & cohærentia cum præcedentibus, cùm dicitur: & impiis; coniunctio, & accipienda eſt cauſaliter pro, quia. Quoniam ergo dixit nõ bene fore peccatori impœnitẽti & eleemoſynam non danti, Deum verò miſereri pœnitenti, rectè ſubiungitur; Da miſericordi; qui ſcilicet etſi peccauerit, tamen per eleemoſynas ambit Dei miſericordiam: & ne ſuſcipias, hoc eſt, non adiuues peccatorem quem Deus odit, quia Deus vt odit peccatores, ita etiã reddet eis ſuo tempore vindictam quam merentur: qui etſi ad tempus eam differt, reſeruat tamen eos ad diem vindictæ à ſe præſtitutũ, tantò eos grauius vindicaturus, quantò diutius diſtulit, propter cuius dilationem maiorem peccandi occaſionem ſibi aſſumpſerunt. Pro, ſuſcipias, enim Græcè eſt ἀντιλάβη, quod nõ ſolùm ſignificat ſuſcipere, ſed etiam defendere & adiuuare. in qua ſignificatione ſæpe in Pſalmis ponitur ſuſcipere, & ſuſceptor, pro defenſore & adiutore.

5 *Da bono, & ne receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio.*

INculcatio eſt, dum aliis verbis idem toties repetitur. Pro, receperis, autem eſt idem verbum quod mox vertit, ſuſcipias. Per humilem etſi poſſit intelligi afflictus, magis videtur accipiendus humilis corde, quia opponitur peccatori & ſuperbo, de quo ſuperius egit.

6 *Prohibe panes illi dare, ne in ipſis potentior te ſit.*

7 *Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis quæcunque feceris ei.*

8 *Quoniam & altißimus odio habet peccatores, & impijs reddet uindictam.*

QVidam libri rectiùs habent, dari. Non ſolùm, inquit, non dederis impio, ſed etiam prohibe panes, hoc eſt, cibũ illi dari, & additur Græcis, tuos. Quibus verbis non tam eleemoſynam prohibet, quàm menſæ communionem & conuictum familiarem, quemadmodum ſatis patet ex fine propter quem prohibet panes dari: ne, inquit, per ipſos potentior te fiat, hoc eſt, per cõuictum tuum & familiaritatẽ. Nam alioqui rarò periculum eſt, ne quis ex eleemoſyna potẽtior fiat. Addit autem duplicem cauſam ſui præcepti. Primùm, quia ſi impius te fiat potentior, inuenies duplicia mala in omnibus bonis quæ feceris ei, nimirũ quia & perdes gratiam tuorum beneficiorum, & per ea nocumentum incurres, recipiens ab eo mala pro bonis, vt ſignificet quantò plus beneficij in eum collocaueris, eo magis is nocebit, aut bis tantùm nocebit, quãtùm ei benefeceris. Altera ratio ſumpta eſt à iudicio Dei, cui impij & ſcelerati homines ſunt odioſi, qui proinde ab hominibus non ſunt amicitiæ beneficiis fouendi aut honorandi.

9 *Non agnoſcetur in bonis amicus, & non abſcondetur in malis inimicus.*

DOcturus eſt in ſequentibus cauendum cuique à ſuo inimico, nec facilè ei credendum, ideóque præmittit duas ſententias, quibus indicat, quomodo inimicus & verus amicus dignoſci poſſunt. Verus, inquit, amicus non agnoſcetur ſatis in proſperis rebus, quia tunc ſolet homo habere multos fictos amicos, iuxta illud: Cùm fueris fœlix multos numerabis amicos. Contrà inimicus non poterit facilè abſcondi in aduerſis. Tunc enim prodet ſeſe ſua lætitia & exultatione. Pro, nõ agnoſcetur, Græcis eſt, ὐκ ἐκληθήσεται, hoc eſt, non eiicietur, ſed eiici, poſitum eſt pro, in apertum proferri & declarari. vnde bene vertit interpres, non agnoſcetur.

10 *In bonis uiri inimici illius in triſtitia, & in malitia illius inimicus agnitus eſt.*

AFfirmatiua hæc ſentẽtia, ſuperioris negatiuę eſt declaratio. Cùm enim dicitur inimicum non abſcondi in malis, ſignificatur eum abſcõdi in bonis, idque propterea, quia tunc inimici ſunt in triſtitia, ſed ſic vt ferè eam quantum poſſunt occultent. Cùm verò dicitur amicus non agnoſci in bonis, ſignificatur eum agnoſci in malitia, hoc eſt, afflictione hominis, ſi ſcilicet tunc perſiſtat in amicitia, & amico afflicto ſua ope conſolatione adſit. Nam, vt rectè inquit Ennius: Amicus certus in re incerta agnoſcitur.

11 *Non credas inimico tuo in æternum, ſicut enim æramentum æruginat nequitia illius,*

MOnet ab eo qui quondã inimicus fuit, & iam reconciliatus videtur, cauendũ, vt non temerè quis ſe vnquam ei credat, aut eius verbis, quibus amicitiam ſimulat, fidem habeat. Quod & Seneca monuit, dicens: Nũquam fidelem credas tibi quem ex inimico amicum habueris. Adfert autem Sapiẽs hic aptiſſimam ſimilitudinem, qua ſignificat, quod quemadmodum æramentum, hoc eſt, opus ex ære factũ, vel, vt eſt Græcis, χαλκὸς, æs, eius eſt naturæ, vt æruginem contrahat, ita vt etiam dum mundatum videtur à ſua ærugine, vel adhuc aliquid maculæ retineat, vel mox nouam æruginem concipiat: ita & malitia hominis inimici, etiãſi videatur abſterſa & depoſita per reconciliationẽ, tamen ſemper in animo aliquid veteris malitiæ remanet, eáque ſemper redibit ad ſuum ingenium, & inimicitiam atque maleuolentiam contra te concipiet. Vnde & ſubiicit:

12 *Et ſi humiliatus uadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo.*

ETiamſi, inquit, ſeſe humiliet, & humiliatione externa incedat curuus, nõ tamen mox credas, ſed diligẽter appone tuum animum, & caue tibi ab illo, quia ſi bene aduerteris, deprehendes facilè eius malitiã. Quod pulchrè in Græcis oſtenditur ſentẽtia apud nos prętermiſſa, quæ proſequitur ſimilitudinem æris prius poſitam. Habet autem ſic: Et eris in ipſo velut qui abſterſeris ſpeculum, & cognoſces quod non in finem (vt penitus) æruginauerit, hoc eſt, quòd deſierit æruginem habere, aut de nouo contrahere. Si, inquit, appoſueris animum tuum erga reconciliatum inimicum ſimulantem amicitiam, deprehendes in illo te ſimilem eſſe ei qui ęs ſpeculare abſterſit, qui mox inuenit vel reſediſſe aliquid æruginis, vel de nouo contractum. Ita enim & tu agnoſces veterem inimicitiam nõ eſſe penitus ſublatam, ſed vel aliquid eius in animo remanſiſſe, vel facilè redituram. Similis doctrina eſt in Prouerb. 26. Cùm ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quia ſeptẽ nequitiæ ſunt in corde ipſius. Docet idem & fabula Æſopica, quæ eſt de angue & vulpe. Quomodo autem quis ſe à tali ſimulato amico olim inimico cauere debet, explicat in ſequentibus.

13 *Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam.*

14 *Ne conuerſus ſtet in loco tuo, ne fortè conuerſus in locum tuum inquirat cathedram tuam.*

15 *Et in nouißimo cognoſcas uerba mea, & in ſermonibus meis ſtimuleris.*

GRæca priores duos verſus habent ordinatius, quia ſeparatim ea mala quę continet ſecundus verſus, tribuuntur duobus factis quæ continet primus verſus, hoc modo: Non conſtituas eum apud te, nequando te ſubuerſo ſtet in loco tuo. Nõ ſedere eum facias ad dexteram tuam, nequando quærat cathedram tuam accipere. Noſtra ergo lectio ſic eſt accipiẽda: Non ſtatuas illum, &c. ne quem ſtare feciſti apud te, conuerſus contra te, & te ſubuertens ſtet in loco tuo: & ne quem ſedere feciſti tecum, conuerſus ad locum quem obtines, quærat obtinere cathedram tuam, hoc eſt, quem participem feciſti & conſortem tuæ dignitatis,

is te subuerso aut deiecto, sibi vēdicet tuam dignitatem. Et postea tandem ipsa experientia edoctus cognoscas serò hæc verba mea, & compungaris in animo tuo propter hos sermones meos, quòd scilicet eos non seruaueris, idque præmonitus, eò magis dolendi causam habens, eóque minus dignus cō miseratione. Ideóque subditur:

16 *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropiant bestijs.*

17 *Sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis suis.*

LEgendum esse, miserebitur, & non, vt multi libri habent, medebitur, patet ex Græcis, quæ habēt: ἐλεήσει. Et est sensus: Sicut non est commiseratione dignus incantator, qui præscius periculi sibi imminētis, serpentem accedit, atque ab eo percutitur vel mordetur: similiter & omnes qui vltro appropiāt bestiis, hoc est feris, (Græcè enim est θηρίοις) non sunt digni misericordia dum ab eis læduntur, quòd se vltrò periculo exposuerint, quod meritò preuidere debuerant: ita & qui se iungit ac familiariter conuersatur cum viro iniquo, non est dignus commiseratione, dum obuolutus est in peccatis eius, hoc est, per peccata & malitiam eius multis malis est implicatus & obrutus, maximè quòd iam me monēte sibi à tali cauere debuerat, eique non coniungi. Apta autem est comparatio viri iniqui cū serpente & feris, maxime eius de quo suprà & infrà agitur, nempe eius qui amicitiam falsò simulat, idque propter eius & vafriciem & feritatem, quæ in sequētibus explicatur. Subdit enim adhuc, semper agens de ficto amico, & reconciliato inimico improbo homine:

18 *Vna hora permanebit tecum, si autem declinaueris, non supportabit.*

BReui, inquit, tempore manebit apud te, nempe tempore prosperitatis: at si declinare te contigerit à vetere tua bona fortuna, nō amplius tolerabit te, aut tuam fortunam, hoc est, mutata fortuna etiam ipse mutabitur. Falsus enim amicus, inquit Seneca, cum fortuna venit, & cum fortuna recedit. Est autem pro, supportabit, καρτερήσει, hoc est, tolerabit, vt ne quis interpretetur; non supportabit; non consolabitur aut succurret.

19 *In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subuertat te in foueam.*

EXprimit ficta amicitiæ signa coniuncta studio nocendi. Labiis, inquit, suis dulcia verba profert inimicus ille, & animo suo insidias latēter struit, vt subuertat te precipitando in foueā, hoc est, malis inuolutū perdat. Notandum quomodo indicet periculi magnitudinem. Nullæ enim sunt maiores, periculosioresq; insidiæ, quàm quæ sub nomine amicitiæ, ac officij simulatione occultantur.

20 *In oculis suis lachrymatur inimicus: & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine.*

MAlè quidā legūt, in oculis tuis, cùm sit Græce, ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, in oculis suis. Malè item quidam libri hanc partem hic legunt; In lachrymis tuis; & postea eandem repetunt legentes; In oculis suis; cùm non solùm Græca, sed & emendatiora exemplaria eam tantùm semèl habeant. Non solùm, inquit, labiis suis amicitiam simulat, & odium suum tegit inimicus, sed etiam oculis suis, lachrymas scilicet profundendo, dum vult ostentare se dolere quòd aliquando inimicitiam exercuerit, aut quòd videat alterius aliquod infortunium. Hæc sanè simulatio efficacissima est, quòd virorum sit non facilè in lachrymas erumpere, nisi re aliqua seriò & multum cor angēte. Cui simulationi potentissimæ addit econtrà studium nocendi pessimum. Et si inuenerit, inquit, opportunitatem, non satiabitur sanguine, hoc est, vtetur in te summa crudelitate, non satis habens si te lædat, & sanguinem effundat, nisi etiam totum effundat, & te occidat, imò nec morte contentus, sed etiam in occisi corpus & nomen sæuiens. vt ex multis historiis sæpius factum intelligere lice.

21 *Et si incurrerint tibi mala, inuenies eū illic priorem & quasi adiuuans suffodiet plantas tuas.*

GRæca habent, προτερόν σε, priorem te. Itaque sensus est; inuenies eum illic ante te, vt scilicet cum simulatione doloris de tuo infortunio loqui incipiat antequam tu illi narres, & cùm se præsentem exhibeat quasi paratum ad iuuandum, sub specie auxilij, ipsemet tibi ad casum inclinato suffodiet plantas tuas, hoc est, cadere faciet & deiiciet. Quid autem iam perdito amico deinde sit facturus, sequenti versu exprimit.

22 *Caput suum mouebit, & plaudet manu: & multa susurrans commutabit vultum suum.*

EXprimit his verbis signa lætitiæ, quæ inimicus defuncto eo quem fictè amare videbatur, est editurus. Præ lætitia, inquit, caput suū mouebit, & plaudet manu, quòd voti sui sit compos effectus, & multa apud se susurrans quæ non auderet palàm eloqui, commutabit faciem suam, exhibendo eam lætam, quam prius tristem exhibuit. Simile Iudæis contigisse Ieremias lamentatur. Plauserunt, inquit, super te manibus suis omnes transeuntes per viam, sibilauerunt & mouerunt caput super filiam Ierusalem. Et Christus in Psalmis: Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Ex hac pulchra descriptione ficti amici, qui re vera inimicus est, bene intelligere licet, quare antè præmiserit signa inimici, nempe quòd in bonis viri abscondatur, in malis verò non abscondatur, saltem non diu. Cæterùm quod hic longa narratione depinxit, in multis historiis tum sacris tum prophanis impletū videre licet. Narratur enim in libris Machabæorum, quomodo Triphon dolo occiderit Antiochū adolescēte, & strenuissimum Ionathan circūuenerit & interemerit. Itē quòd Ptolomæus Simonē, eiusque filios

Thren. 2.

Psal. 21.

1. Mach. 13.

filios interfecerit. Talis etiam fuit impius ille Ismahel, de quo narrat Ieremias, quòd ibat incedens & plorans, & suo ploratu seduxit octoginta viros calamitate confectos, occideritque eos.

Ierem. 41.

Caput XIII.

1 *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. & qui communicauerit superbo, induet superbiam.*

DOcuit in præcedentibus cauēdum à consortio dolosi, benefaciendum non peccatori, sed iusto, cauendum item à familiaritate inimici reconciliati: prosequitur hoc capite hanc de cauendis quorundam consortiis tanquam prauis & periculosis doctrinam, docens præterea declinanda consortia superborum, diuitum, magnatum, & quorumuis inæqualium. Imprimis ergo dehortatur à consortio cum superbis, tanquam pernicioso, comparatione vsus aptissima picis cum superbo, qua significat consuetudinem cum superbis contagiosam esse, & mox superbiam inducere, atque homini adhærere, quòd per eam consuetudinem homines natura sua inanis gloriæ appetentes, à modestia humilitatēque mox abducantur, ac superbiam contrahant. Sicut, inquit, qui tetigerit picem, mox ab ea adhærente inquinatur: ita & qui consortium init cum superbo, induet superbiam, eáque inquinabitur. Sicut enim pix & adhæret facilè, & adhærendo inquinat, hominémque dedecorat, ita & superbia.

2 *Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat & ditiori te ne socius fueris.*

GRæca habent; Pondus super te ne tollas in vita tua, & fortiori te ac ditiori te ne communices; Quoddam scriptum habebat similiter; & ditiori te & fortiori te ne socius fueris. Vnum tantùm habuit; & fortiori te. Quam lectionem veriorem puto, quòd nomine, honestiori, significetur more apud interpretem recepto, idem quod ditior. Prohibuit consortiū cum superbis, prohibet nunc consortium cum ditioribus & fortioribus, quia sicut qui cum superbis init cōsortium, ab eis coinquinatur: ita qui cum ditioribus & fortioribus communicat, pondus super se tollit, hoc est, grauamen magnum & onus sibi imponit, & vltrò assumit. Id quod in sequentibus per varia declaratur, in quibus tenuiores & infirmiores à ditioribus & potētioribus grauari solent. Vtilis sanè est hæc & sequens doctrina contra multorum opinionem, qui bene secum agi putant, & fœlices se existimant, si in diuitum & magnatum consuetudinem & amicitiam recepti fuerint, quorum consortio se honoratos putant, & commoda multa consecuturos. At quod sapiens quidam quærenti, quam vxorem duceret, respondit parem æqualémque ducendam esse, id latius patet in omni vitæ societate & ratione, maximè autem in amicitia. Vnde inter ea quæ vitam faciunt beatiorem, Martialis refert, pares amicos.

3 *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se collisi rint, confringetur.*

REctius Græca. Quid communicabit olla ad lebetem, hic impinget, illa confringetur. Quid, inquit, cōuenit communionem esse inter cacabum æneum & ollam testaceam. Cùm enim ea sese collisserint, nihil quidem inde mali patietur cacabus, sed olla confringetur. Significat ergo non conuenire vt cum potentiori societas ineatur, quòd à potentiori periculum esse possit socio infirmiori, non illi ab ipso. Extat ad idem significandum fabula Æsopica, coincidens cum hoc Sapientis loco, de duabus ollis, altera lutea, altera ærea: quarum vtramque cùm vis fluminis tulisset, luteæ collisionem metuenti respondit ærea, ne quid timeat, sese enim ne collidantur satis curaturam. Tum altera; seu me, inquit, tecum, seu te mecum flumen collixerit, cum meo vtrumque fiet periculo. quare certum est à te separari. Cuius morale & significationem sequentia hic optimè declarant.

4 *Dives iniustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.*

OStendit vnum modum quo olla à cacabo confringitur, hoc est, pauper à diuite læditur. Sæpe, inquit, contingit vt dives iniustè quippiam agat in pauperem, & insuper per iram indignè fremere & minari non obmittat, duplici eum incommodo onerās, lædendo scilicet & comminando. Quibus accedit & tertium, nempe quòd pauper læsus tacere cogitur, nec audet suam innocentiam defendere, aut alterius iniuriam ostendere, ne, si loquatur, iratum magis offendat, & ad nouam quam comminatur iniuriam inferendam prouocet. Græca quod est amplius, habent pro, tacebit, προσδεηθήσεται, hoc est, orabit. Ita enim etiam sæpe accidit, vt pauperi etiam læso blandè loquendum sit & supplicandum; quo iratus dives placetur, & eius amicitia retineatur, aut ne noua iniuria inferatur, iuxta illud Prouerb. 18. Pauper cum obsecrationibus loquitur, dives autem effabitur ridigè.

5 *Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te.*

6 *Si habes, conuiuet tecum & euacuabit te, & ipse non dolebis super te.*

ALiud inconueniens hic commemorat, significans pauperiorem à ditiore non consecuturum, vti sperabat, vtilitatem, sed contrà potius diuitem prę amicitia & superbia (vt ferè diuites & auari sunt & superbi, omnia sibi deberi existimantes) suam ex socio quæsiturum commoditatem, eúmque pauperiorem redditurū, quòd illius amicitia & muneribus & sumptuosis conuiuiis sit fouenda, & emenda. Si, inquit, largitus fueris munera assumet te in suam amicitiam: & si non habueris, non ipse tibi dabit, sed mox derelinquet te. Si habes, conuiuet tecum, hoc

hoc est, cõuiuabitur tecum, cogeris enim inuitatus etiã reinuitare, sicque pauperiorem te reddet, nec ob id aliqua tui commiseratione tangetur, nec dolebit super te, etiamsi eius nomine pauperior redditus sis.

7 *Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi?*

SImile est cum præcedenti, nisi quòd ibi significatur diuitem à pauperiore quærere & munera & conuiuia, hic verò etiam eius operam & laborem, pro quo tamen nihil nisi verba & vanã spem daturus sit operam suam præstanti. Si, inquit, necessarius illi fueris, & opera tua indiguerit, supplantabit te, hoc est, decipiet te, bonis scilicet promissis & blando aspectu extorquens id à te in quo tua opera indiguerit. Subridens enim, vel, vt est Græcis, arridens tibi, spem dabit tibi narrando & promittendo bona quæ ab eo in mercedem expectes, & dicet: Quid opus est tibi? An aliqua re indiges? Nihil dubita, ego te nulla re egere sinam. Libere dicas quo indigeas, ego paratus sum succurrere. quasi dicat; Sic quidem à te quod vult extorquebit, sed præter verba & vana promissa nihil reddet. Pro, supplantabit, Græcis est ἀποπλανήσει, hoc est, decipiet. Sed & aliàs, vt cap. 3. hoc verbũ reddidit interpres per supplantare, accipiens illud pro decipere. Multi libri habent; narrans tibi omnia bona; sed omnia, vt non est in Græcis, ita nec in multis scriptis, & obest sensui.

8 *Et confundet te in cibis suis donec exinaniat te bis & ter, & in nouißimo deridebit te,*

9 *Postea uidens derelinquet te, & caput suum mouebit ad te.*

SI, inquit, præter verba aliquid gratiæ & beneficij impartitus fuerit, id in conuiuiis situm erit, quibus quandoque te excipiet: at his ipsis cibis suis pudorem tibi adferet, ita vt ex pudore etiam tu vicissim illum splendidis conuiuiis cogaris excipere, donec sæpius facultates tuas euacuet & exhauriat, sic vt amplius sumptus ferre nõ possis: sícque tãdem deridebit te velut insipientem & stultum, quòd te illi socium exhibere præsumpseris. Deinde etiam cernẽs tuam inopiam derelinquet te, & tantùm abest vt condoleat aut succurrat, etiam caput suum mouebit contra te, vel deridendo te, vel renuendo petitioni ac precibus tuis acquiescere, qui prius omnia erat pollicitus. Pulchra certè narratio, ex communi vita desumpta, qua dum ob oculos ponit quod experientia sæpè vsuuenire testatur, efficaciter hortatur non temerè ditiorum amicitias ambiendas, nec honorem aut fructum ex illis expectandum, sed magis iniurias cum defensionis negatione, & depauperationem cum irrisione, & omnis præconceptæ spei frustratione.

10 *Humiliare Deo, & expecta manus eius. Attende ne seductus in stultitia humilieris.*

PRiorem partem Græca non habent, sicut nec Rabanus, posteriorem sic habent: πρόσεχε μὴ ἀποπλανηθῇς τῇ διανοίᾳ, καὶ ταπεινωθῇς ἐν ἀφροσύνῃ σου, hoc est, attende ne seducaris mẽte, & humilieris in lætitia tua. Interpres legit ἀφροσύνῃ, hoc est, stultitia, quomodo etiã quidam legendum putant. Pertinent autem hæc ad superiora. Quoniam enim ostẽdit eos qui se ditioribus coniungunt, sese illis cum magno detrimento suo debere demittere, nec aliud præter vanam spem ab eis recipere, monet Sapiens vt ne sinant se speciosis eorum promissis, & præsumpta vana commodi consequendi persuasione decipi, ne per stultitiam illam suam qua stultè confisi sunt in ditioribus, & sperabant se magnos futuros, humilientur, deiiciantur, vilésque & abiecti fiant, humiliandum potius esse Deo, animósq; nostros illi submittendos, vt illi placere & obedire studeamur, & expectanda manus potẽtiæ & benignitatis eius qui non deserit nec frustratur sperantes in se. Hoc ergo Sapiens hic vult insinuare quod apertius dicit Psalmista: Bonum est cõfidere in Domino quàm confidere in principibus. &: Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius. Nolite cõfidere in principibus, &c. Psal. 117. Psal. 145.

11 *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitia seducaris.*

HAnc sententiam etiam Græca non habent. Videri autem potest ab interprete addita ad declarationem superioris, vt nomen, sapientiæ, respondeat τῇ διανοίᾳ, hoc est; mente, sententia, vel intelligentia. Proinde hic potest reddi sensus huius versus conueniens proposito. Noli in eo quod te sapiẽter eligere & instituere putas, vilis esse & nimis demissus, vt scilicet putes te prudenter facere, eligendo ditiorum consortium, & ob id te illis nimis demittas & subiicias, ne sic humiliatus seducaris ab illis per stultitiam tuam. Hoc est, caue ne quam putas esse sapientiam, qua te demittendum putas ditioribus, seductus àgnoscas esse stultitiam. Rabanus sententiam hanc sic intelligit: Noli in eo quod rectè sapis & intelligis, sic esse humilis animi, vt cedas contrarium docentibus, & non ausis, cùm oportet, contradicentibus veritati resistere, ne sic humiliatus seducaris ab eis per eorum stultitiam, aut in eorum stultitiam. Nam per accusatiuum, legit; In stultitiam; quomodo & scripta quædam habebant.

12 *Aduocatus à potentiore, discede: ex hoc enim magis te aduocabit.*

DIxit de consortio ditiorum, subiicit nunc de consortio magnatum ac principum, variis sententiis docens qua moderatione cum illis agendum sit. Sunt enim principum amicitiæ & familiaritates periculosæ, vt qui vitæ ac necis potestatem habeant, & leui nonnunquam de causa offendantur, ac fauorem mutent. Et tamen sunt qui eorum amicitias imprudenter ambiunt, quasi per eas honorem & vtilitatem magnam consecuti. Monet ergo imprimis,

mis, vt qui à potentiore aliquo vocatur vel ad mensam, vel ad familiaritatem, vel ad dignitatem, non mox accurrat, sed ab initio ex reuerentia personæ, & animi sui modestia renitatur, excusando se honestè, & agnoscẽdo se indignum illius cõgressu & colloquio. Si enim ille ex animo vocauit, tantùm abest vt offendatur & reiiciat quem vocauit, quin potius animaduertens & reuerentiam quæ illi exhibetur, & inuitati humilitatem principibus gratissimã, his delectatus, propterea magis aduocabit. Indicat ergo duplicem fructum ex honesta in initio recusatione, nempe quia per eam intelligitur an vocatio fiat ex animo, an potius honoris tantum causa, ac ad tentandum, & qui vocatur, gratior fit vocanti. Huius rei aliquale exemplum habemus in Dauide, qui à Saule vocatus ad nuptias filiæ suæ, honestè aliquandiu recusauit, dicens: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiã gener regis? 1. Reg. 18.

13 *Ne improbus sis, ne impingaris, & ne longè sis ab eo, ne eas in obliuionem.*

SEcundum præceptum, quo docet eam in accessu ad principes moderationem tenẽdam, vt nec improbè aut importunè quis se ingerat eis, ne turpiter repellatur, nec aduocatus se omnino ab eis elonget, ne conceptus fauor pereat, qui quandoque vtilis esse possit & necessarius. Indicat ergo principum amicitias nec temerè ambiendas nec aspernendas. Ne, inquit, improbus sis, ingerendo scilicet te ad eos antequam voceris, ne impingaris, hoc est, turpiter repellaris tãquam indignus, & tamen ne etiam longè sis ab eo qui iam aliquem erga te fauorẽ concepit, ne venias apud eum in obliuionem, sícque omnem spẽ beneficij amittas. Rectè enim Alexander interrogatus quomodo quis conuersari debeat cum principibus, respondit, eos adeundos sicut ad ignem, vt neque valde quis vicinus sit ne comburatur, neque longè sit ab eo ne frigeat.

14 *Ne retineas ex æquo loqui cum illo, nec credas multis uerbis illius,*

Ex multa enim loquella tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis.

DIxit quę moderatio seruanda ante cõngressum, nunc docet quæ in ipso colloquio seruanda sint, duo requirens. Primùm, vt ne quis persistat diu loqui cum principe tanquam cum pari, & ea cum libertate qua ipse loquitur, sed vt paucis quod dicendum est absoluat, ne vel nimia confidentia, vel nimia loquacitate displiceat. Secundò, vt ne illi facilè & firmiter credatur, etiamsi blandè loquatur, & multa promittat, quòd illa familiaris principum collocutio nonnunquam fiat ad explorandum animum hominis, & expiscandum secreta eius. Pro; non retineas ex æquo loqui; Græcis est, μὴ ἐπέχε ἰσηγορεῖσθαι, hoc est, non dubites colloqui. Sed interpres legit, ἰσηγορεῖσθαι, vt sit ab ἴσος, æqualis. Quid sequatur principum collocutionem & eorum explorationem, deinde explicat, dicens:

15 *Immitis animus illius conseruabit uerba tua, & non parcet de malitia & de uinculis.*

QVi, inquit, blanditia verborum amicitiam simulauit, & animum tuum expiscatus est, is per sæuitiam animi sui tectam verborum blanditie, conseruabit in memoria sua tua verba quæ locutus es, reuelans ei tua secreta, & opportunum tempus nactus, non parcet te affligere etiam vsque ad incarcerationem & vincula, sine commiseratione tibi quamuis inferet afflictionem & vincula, qui prius aureos tibi videbatur promittere montes.

16 *Caue tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subuersione tua ambulas.*

17 *Audiens uerò uerba illa, quasi in somnis uide, & uigilabis.*

PErtinent hæc ad verba illa principum, de quibus prius dixit, ea scilicet quibus multo sermone tentant hominem, & explorant eius secreta. Diligenter, inquit, attende his quæ audis ab eo, & caue tibi ne quid reticendum ei dicas, quoniam tu conuersaris cũ eo non sine periculo vitæ tuæ, aut damni alicuius temporalis. Itaque audiens verba illa, quibus tua expiscatur secreta, diligenter attende & vide, & quemadmodum qui seriò de re aliqua cogitare & consultare volunt, in quiete nocturna circa eam attentissimè cogitant vigilando: ita & tu diligenter attende illis verbis, & vide quid respondeas, nec sis dormienti similis, sed vigila, & circumspectus sis. Hic sensus huius obscuræ vltimæ sententiæ maximè accedit Græcis, quæ habent: Audiens hæc, in somno tuo vigila. Non ergo illud, quasi in somnis, iungendum est cum præcedentibus, vt intelligatur, verba illa audienda quasi in somnis, hoc est, parum ad ea attẽdendum, & paruam fidem eis habendam, sicut quidam intelligunt, sed magis cum sequentibus. Nec habent multi libri; audiens verò verba illa; sed quidam, audiens verò illa, sine, verba: quidam, audiens verba illa, sine, verò, quomodo & Rabanus legit, qui etiam hanc partem iungit cum præcedenti, hoc modo: quoniam cum subuersione tua ambulas audiens verba illa: vt vna tantùm sit sententia. Quod & mihi satis placet.

18 *Omni uita tua dilige Deum, & inuoca eum in salute tua.*

REctè hanc superioribus subiecit sententiam, tanquam quæ rationem indicat, qua omnia pericula vitari possint. quasi dicat; Vt quæ dixi pericula, & alia effugere possis quæ varia in hac vita accidere possunt, tota vita tua dilige Deum, & insuper inuoca eum pro salute tua, & temporali & spirituali. Ita enim fiet, vt qui propè est omnibus se in veritate inuocantibus, te ab omni malo præseruet, qui diligentius se omnia in illo

in illorum bonum cõuertit. Bene autem duo hæc coniungit, dilectionem scilicet Dei & inuocationem illius, quia nec vitæ innocentia sufficit vt quis tutus sit, nisi assidua oratione se homo muniat contra periculorum varietates, & improborum conatus: nec inuocare prodest, si desit timor & dilectio Dei.
Isaiæ 1. Dicitur enim impiis: Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.

19 *Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi.*

20 *Omnis caro ad similem sibi coniungitur, & omnis homo simili sibi sociabitur.*

PRosequitur quam cepit doctrinam, docens cũ quibus familiaris societas ineunda sit, & cum quibus non, hoc est, cum similibus in vita & fortuna, non autem cum his qui dissimilis sunt vitæ aut fortunæ, vt pauperi non bene conueniat cum diuite, nec iusto cum peccatore. Id quo efficacius commonstret, adducit animalium exempla, quæ docent id maximè esse naturale, vt similia iungantur, non dissimilia. Omne, inquit, animal diligit animal sibi secundùm genus simile, ideóq; iungitur ei, & congregatur cum illo. Non enim monedula cum aquilino genere consociatur, sed cum suo genere: & vt dicitur, Aues concolores simul volant, &: Conueniunt pecudes, & iunctæ pabulæ carpunt. Ita ergo etiam conuenit vt quisque eis iungatur, & familiarius diligat, qui sibi sunt in vitæ genere & fortunæ conditione similiores. Vtitur hac ratione & Cicero libro de amicitia: Si, inquit, hoc apparet in bestiis, vt requirant atque appetant ad quas se applicent animantes, idque faciunt cum desiderio, & cum quadam similitudine amoris humani, quanto id magis in homine? Et in eodem libro: Dispares mores, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias: nec ob aliam causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorúmque distantia. Hæc ille. Illud enim veteribus celebratum in omni animantium genere vim habet, τὸ ὅμοιον τοῦ ὁμοίῳ φίλον, hoc est, Simile amicum simili: vel, Simile gaudet simili. Vnde est & illud: Similitudo mater amoris. Porrò circa lectionem notandum est, legẽdum potius per præsens, coniungitur, vt habent quidam libri, quàm per futurum, coniungetur, cùm Græcis sit συνάγεται, Non est tamen legendum per præsens, sociatur, sed sociabitur, cum Græcè sit προσκολληθήσεται, adhærebit. Ex eo enim quod fit in animalibus, vult ostendere quid in hominibus fieri conueniat. Quod autem in genere significauit, id iam in sequẽtibus expressius explicat, ostendens hæc eò pertinere, vt dissuadeat societatem aut iusti cum peccatoribus, aut pauperis cum diuitibus.

21 *Si communicabit lupus agno aliquando? sic peccator iusto?*

22 *Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars bona diuiti ad pauperem?*

QVod ad lectionem attinet, quidam libri habent, sicut communicabit, quia sequitur, sic, Alij melius habent: Si communicabit. Et potest legi interrogatiuè, vt sit sensus: An aliquando lupus inibit societatem cum agno quem hostiliter persequitur: sic & peccator an aliquando solidam communionem habebit cum iusto, cui tantopere contrarius est; Vel potest legi affirmatiuè, vt sit sensus. Si aliquando lupus societatem inibit cum agno, etiam videre licebit peccatorem communicare iusto. quasi dicat: sicut illud non fiet, ita nec istud. Aptè autem peccator lupo, ob suam rapacitatem & odium iustorum comparatur: iustus agno: ob suam innocentiam & vtilitatem quam de se mundo adfert. In altera sententia quidam libri habent tantùm, pars, non; pars bona. Quidam etiam etsi pauci habebant, pax, atque hæc proculdubio est vera lectio, cùm Græcè sit εἰρήνη, hoc est, pax. In altera parte pro, sancto homini, Græcis est ὑαίνῃ, hoc est, hyænæ. Est autem hyæna animal ferum & crudele, de quo inger multa mira quæ de eo narrantur, scribit Plinius libro 8. cap. 30. maximè sermonem humanum inter pastorum fabula assimilare, noménque alicuius addiscere, quem euocatum foris laceret. Item vomitionem hominis imitari ad solicitandos canes quos inuadat. Præterea vmbræ eius contactu canes obmutescere. Non ergo mirum est Sapientem hic insinuare nullam esse communicationem & pacem, sed potius inimicitiam inter hyænam & canem, atque his animalibus assimilare cõditionem diuitis & pauperis: quòd sicut hyæna callidè opprimat canem, ita & diues pauperẽ, quem sæpe vel solo timore sui obmutescere facit. Mirùm cur interpres verterit, sancto homini, quanquàm magis putem legendum, sancti. sic enim habebant multa scripta: Quæ cõmunicatio sancti ad canem; vt videri possit interpretem legisse, τῷ ἁγίῳ, vel ὑγιαίνῃ, pro ὑάνῃ. Et potest iuxta hanc lectionem dictio, sancti, accipi pro re sanctificata, quæ rectè opponitur cani, quia canis immundissimum fuit animal secũdum legem, vtpote nec findens vngulam, nec ruminans, cui nullo modo conuenit res sanctificata, vnde Dominus prohibet sanctum dare canibus. Et Isaiæ 66. canis opponitur sacrificiis, cùm dicitur: Qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem. Vnde etiamsi legatur, sancto homini, rectè canis accipi potest pro animali in propria sua significatione, vt significetur hominem sanctum nullam habere cõuenientiam cum cane, animali scilicet immundissimo, & à sacris adeò semoto, vt nec pretium eius offerri posset Deo, vt dicitur Deuter. 23. Communiter tamen canis hic accipitur metaphoricè pro peccatore immundo & prophano, quomodo & ibi: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus; vt quod hic dicitur conueniat cum illo Pauli: Quæ participatio iustitiæ ad iniquitatem? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Bélial? aut quæ pars fideli cum infideli?

Matt. 15.

2. Cor. 6.

23 Vena

23 *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua diuitum sunt pauperes.*

SIcut, inquit, leo venatur in deserto asinos syluestres, qui inferiores sunt viribus leonibita & diuites depascuntur pauperes, quia eorum bona diripiunt, eorúmque se pascũt, laboribus, qui ipsorum violentiæ nequeunt resistere. Ostendit ergo bene hac sententia, non posse pacem esse inter diuitem & pauperem, quod & alia ratione rursum ostẽdit, cùm subiicit:

24 *Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuiti pauper.*

NOn potest ergo bene conuenire inter diuitem & pauperem, quia sic diues pauperem execratur, sicut superbus abominatur humilitatem, hoc est, dedignatur admodum vilis haberi & abiectus. Consequentia quidem sermonis exigere videbatur, vt diceret; execratio diuiti paupertas; maluit tamen dicere, pauper, quo significaret propter paupertatem, quam odit diues auarus, nõ posse diuitem amare pauperem, & proinde non posse inter eos esse pacem & communicationem bonam.

25 *Diues commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cùm ceciderit, expellitur & à notis.*

ALiquot sententiis sequentibus, collatione facta inter diuites & pauperes, ostendit iniquam esse eorum conditionem, & valde dissimilem, vt mirum non sit quòd inter eos non conueniat. Conditionis autem dissimilitudinem ostendit pulchrè, & in mutatione fortunæ, & in sermone vtriusque. Si, inquit, diues aliquo infortunio obrutus fuerit, & conquassatus, mox confirmatur consilio & auxilio ab amicis suis, quos facilè multos habet propter diuitias suas: si verò humilis, hoc est, pauper, (Græcè enim hic est πτωχὸς) ceciderit in aliquot infortunium, tantùm abest vt à notis & amicis erigatur, vt etiam ab eis relinquatur, imò & expellatur ab eorũ cõsortio, quòd metuãt ne damnum aliquod pati cogantur propter eum. Vnde
Iob 9. Iob dicit: Noti mei quasi alieni recesserunt à
Prou. 19. me, dereliquerunt me proximi mei: & qui me nouerant, obliti sunt mei. Et in Prouerbiis: Frater pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserũt ab eis. Legendum autem potius, expellitur, per præsens, quomodo multi libri habent & Rabanus, & non per futurum, expelletur, docent Græca, quæ habent προσαπωθεῖται. Pulchrè autem diuiti tribuit esse commotum, pauperi cadere, quia diues ferè tantùm commouetur in sua infœlicitate. Nam antequam cadat mox cõfirmatur, pauper verò etiam cadit, & graue infortunium patitur, nemine ipsum confirmante.

26 *Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est superba, & iustificauerunt illum.*

27 *Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & non est datus ei locus.*

INtelligi posset per diuitem deceptum & humilem deceptum, is qui per alicuius fraudem iniuria affectus est. nam & sic vera erit sententia. Diuiti enim sic decepto multi sunt, qui recuperare studeant damnum illatum, at pauper ab alio deceptus etiam redarguitur, quòd se per ignauiã & stultitiam decipi permiserit, eiúsque deceptio nõ tam decipiẽti quàm decepto imputatur. At Græcis consideratis, magis intelligendum est diuitem vel pauperem dici deceptum, qui errat, & per errorem peccat siue opere, siue sermone, admittendo scilicet aliquid opere quod malum est, aut asserendo quod falsum est. Græcis enim est verbum σφάλλω, quod errare significat, & offendere. Itaq; sensus est; Cùm diues per errorem aliquid delinquit, siue facto, siue verbo, multi sunt qui illum defendant & excusent; imò etiamsi loquatur aliqua per superbiã, multi sæpe sunt qui bene eum loqui prædicent, aut saltem excusent. Contrà, si humilis & abiectus quispiam aliqua in re erret, & per errorem peccet siue facto, siue verbo, non solùm non habet qui eius errori compatiantur, eúmque instruant in spiritu lenitatis, sed etiam durè de suo errore redarguitur: quòd si verò prudẽter aliquid loquatur, nõ est datus ei locus, hoc est, non admittitur nec recipitur eius sermo, & negatur ei audientia. Cõtemnitur enim sermonis prudentia propter personæ inopiam. Quod inter cæteras huius sæculi vanitates miratur etiam Sapiens in Ecclesiaste: Quo- Eccl. 9.
modo, inquit, sapientia pauperis est contempta, & verba eius non sunt audita? Simile est quod sequitur:

28 *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum eius usque ad nubes perducent.*

29 *Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertunt illum.*

DIxit prius de his, quæ diuites malè loquuntur, nunc de his quæ videntur bene dicere, quibus significat duplicem honorẽ deferri, videlicet & quod in primis cum summo omnium silentio audiuntur, & quòd deinde oratione absoluta sermo illorũ valde extollitur & laudatur. Contrà, si pauper in aliqua communitate loqui incipiat, mox sermo eius ob personæ conditionem explodit, & dicitur: Quis est hic? quasi dicat, Indignus est qui inter nos loquatur, & docentis personã assumat, quemadmodum de Christo dixerunt: Nónne hic est filius fabri, &c. Matt. 13.
Et si in aliquo verbo offenderit, errauerit, & lapsus fuerit, mox hinc sumunt occasionem perdendi illum.

30 *Bona est substantia, cui nõ est peccatũ in conscientia, & nequissima paupertas in ore impij.*

QVoniam Sapiens hactenus multa dixit de iniquitate diuitum, & misera conditione pauperum, ne ea culpa rerum esse videatur, & diuitiæ aut paupertas in malis numerentur ac damnentur, ostendit hoc loco nec malas esse diuitias, imò bonas, si diues sit bonus: nec bonam esse paupertatem, imò malã, si pauper sit impius: quia si impius sit, ore suo propter paupertatẽ multa mala cõmittet, murmurãdo cõtra Deum peierando, & mẽdacia multa proferẽdo, vt in plerisque pauperibus experiẽtia accidere docet. Quidã apud Terẽtiũ diuitias neq; in bonis neq; in malis

in malis numerat, ſed tales dicit eſſe, quales ſunt illi qui illis vtuntur. Idem ſenſerunt qui eas inſtrumenta nominarunt, quibus ad virtutes aut ad vitia vti poſſunt homines. Spiritus ſanctus eas, ſicut & valetudinem & corporis vires, dicit eſſe dona Dei, maximè illis qui eis bene vtuntur, & ſine peccato obtinēt ac poſſident. Cæterùm quod ad literam attinet, notandum relatiuum, cui, in priori parte poſſe referri vel ad ſubſtantiam, vt ſit ſenſus: Bonæ ſunt diuitiæ quibus non adeſt peccatum: vel ad hominem, vt ſit ſenſus: Bonæ ſunt opes illi homini cui non eſt peccatum. Illud autem, in conſciētia, additum eſt nō malè ab interprete, vt intelligatur à conſcientiæ diſpoſitione pendere omnem externam fœlicitatem. In poſteriori parte non eſt ſuperlatiuus, nequiſſima, ſed πόνηρα, hoc eſt, praua eſt paupertas in ore impij, qui ſcilicet eam execratur, & propter eam blaſphemat, aliáque mala committit.

21 *Cor hominis immutat faciem illius ſiue in bona, ſiue in mala.*

Legendum eſt; in bona & in mala; & non, in bono, & in malo. quomodo quidam libri habent, cùm Græcis ſit, εἰς ἀγαθὰ, εἰς κακὰ. Rectè hæc ſententia ſubiungitur præcedenti, & ſequētibus præmittitur, quia hac oſtenditur fœlicitatem hominis non ſubſiſtere in externarum rerum opulentia, nec earūdem inopia fœlicitatem tolli, ſed eandem cōſiſtere potiſſimùm in interiori cordis bona diſpoſitione, adeo vt fœlix ſit & diues qui bono corde præditus eſt, etiamſi rerum externarum copia deſtitutus ſit: contrà ſit infœlix & miſer, qui corrupto & prauo eſt corde, etiamſi rerum externarum abūdantiam habeat, vt mox declarat in auaris, qui ſemper triſti ſunt corde, nec ſibi boni nec aliis. Cor, inquit, hominis pro ſua diuerſa diſpoſitione immutat faciem illius ſiue ad bona ſiue ad mala, vt ſcilicet vel læta ſit vel triſtis, & vel benè ſe habeat vel malè. Quanquam enim vultus volui poſſit, variéque fingi, tamē plerunque eſt iudex affecti animi, in quo expreſſa ſunt ſigna iracundiæ, clementiæ, hilaritatis, & triſtitiæ, item ſigna conſcientiæ, ac
Matt. 12 timoris & verecundiæ. Sicut enim ex abundantia cordis os loquitur, & bonus homo de bono theſauro cordis profert bona, malus mala: ita pro varia diſpoſitione cordis, varia eſt & vultus diſpoſitio, imò & totius corpo-
Prou. 17 ris. Spiritus enim triſtis, inquit Sapiens, exiccat oſſa: animus verò gaudens ætatem floridam facit. Duplici ergo ratione cor hominis immutat vultū eius, nempe & quia affectio cordis latentis ferè diffunditur in exteriorem vultum, vt talis ſit vultus hominis quale eſt cor, & quia ex cordis diſpoſitione pendet bona vel mala hominis valetudo & ſanitas, vel ægritudo.

22 *Veſtigium cordis boni, & faciem bonam, difficile inuenies, & cum labore.*

Græca ſic habent; Veſtigium cordis in bonis, eſt facies hilaris: & inuētio parabolarum, cogitatio cum labore; Quo declatur quod dictum eſt, ex motu affectúque animi vultum quoque variè affici, in eóque exſtare expreſſa ſigna animi læti, rebúſque ſecundis fruentis, aut graui aliqua ac difficili cogitatione occupati. meditatio enim & intētio animi cum labore coniuncta ipſo vultu ſignificatur. Quædam ſcripta habebant, poſt faciem bonam, & inuentionem parabolarum; vt veriſimile ſit interpretem aliquid vertiſſe quod Græcis reſpōdeat. Id quoniam nullum videbatur habere commodum ſenſum, reiectum eſt à multis, cùm poſſet hic ſenſus, quem non dubito fuiſſe interpretis: Inuenies difficilè ac cum labore, veſtigium cordis boni, hoc eſt, faciem bonam, & inuentionem parabolarum, hoc eſt, abſconditarum ſententiarum, quia vtrumque non niſi exercitio virtutis & ſtudij obtinetur, hoc eſt, nec virtus, quæ ſola ſolidè lætificat, nec ſapientia ſine labore paratur. Secundùm receptam lectionem, poſtquam dictum eſt cor hominis immutare faciem hominis, ita vt ex conſequenti facies hominis ſit veſtigium, hoc eſt, indicium cordis ſiue boni, hoc eſt, læti & bene affecti, ſiue mali, ſubiicitur difficulter inueniri veſtigium cordis boni, hoc eſt, faciem bonam, (videtur enim ſecūdum exponere primum, & coniunctionem, & expoſitiuè accipiēdam) aut quia eam rem non facilè quis in ſe aſſequitur, aut quia nec in aliis facilè inuenitur, quia pauci ſunt & rari qui diu & conſtanter ſunt læto corde & facie, cùm & iuſti pauci ſint qui omnia huius mundi mala fortiter perferāt, nec ob aliqua ſua peccata non aliquando triſtari debeant, & peccatores grauibus ſæpe curis etiam in rerum abūdantia torqueantur, ſicut de auaris ſubiicitur. Deinde ſunt etiam, qui etſi videantur bonam habere faciem, quæ cordis boni ſit teſtimonium, re vera tamen non habent talem, vt quæ per fictionem ſiue fraudulentam, ſiue neceſſariam & vtilem, non reſpondeat cordi. Nam & Ioab ſubdolè exhibuit lætam faciem Abner & Amaſæ. Et Heſter roſeo vultu colore perfuſa, gratis ac Heſt. 13.
nitentibus oculis, triſtem celabat animum, & nimio terrore contractum.

Caput XIIII.

1 *Beatus uir qui non eſt lapſus uerbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti.*

Hoc caput optimè cohærens cū fine præcedentis capitis, oſtendit quis verè fœlix & beatus dicendus ſit, damnās ſordes parſimonię, & liberalitatem ac ſtudium benefaciendi tum ſibi tum aliis commendans, cum ſanctitate vitæ & religionis, ac ſapientiæ ſtudio. Prima hæc ſententia ſicut & ſequens, indicat quis ſit in quo inuenire licet veſtigiū boni cordis, declarátque eam ſententiam; Bona eſt ſubſtantia cui non
Eccle. 13 eſt peccatum in conſcientia. Oſtendit enim eum eſſe beatum non qui diuitiis terrenis abūdat, ſed qui vitæ eſt integræ, quíque nec verbo alios offendit, nec ipſe in corde ſuo compungitur & ſtimulatur dolore admiſſi alicuius

alicuius peccati grauioris. Et videri poteſt cum dicit, qui non eſt lapſus ore ſuo; reſpexiſſe ad id quod dixit; mala eſt paupertas in ore impij; cùm verò dicit, & non eſt ſtimulatus vel compunctus triſtitia delicti; ad illud; cui non eſt peccatum in conſcientia, vt ſit ſenſus: Beatus ille vir, qui, etiam ſi ſit pauper, non eſt tamen lapſus verbo vt murmurauerit contra Deum: & etiamſi ſit diues, non tamen in conſcientia pungitur dolore admiſſorum peccatorum, vt nec iudicet ſe iniquas poſſidere diuitias, nec ſe eis malè affici aut vti. Dupliciter autem quis pungitur dolore delicti, vel, vt habent Græca pluraliter, delictorum. Aut enim de peccato dolet ratione offenſæ cōtra Deum, ita vt peccatum odiat, Deóq; ſe reconciliare ſtudeat. De quali triſtitia dicit Paulus, quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Atq; de hac peccati triſtitia hic nō loquitur Sapiens. Cùm enim nemo ſit qui ab omni peccato liber eſt, nemo etiam ab hac triſtitia liber eſſe poteſt, & proinde nemini ea conueniret fœlicitas quæ hic homini tribuitur. Nam non dolere de peccato admiſſo, ad ἀναλγησίαν, hoc eſt, indolētiam & inſenſibilitatem pertinet. Eſt tamen eo quiſq; fœlicior, &c. quo minus habet peccatorum de quibus ipſi dolēdum ſit, vnde quidam libri apud Græcos pro λύπῃ, hoc eſt, triſtitia, habent πλήθει, hoc eſt, multitudine peccatorum, vt ſignificetur eum fœlicem qui ſaltem multitudine peccatorum non pungitur in animo. Aut dolet quis de peccato ratione pœnæ imminentis, ſic tamen vt in peccato adhuc maneat propter ſuperantem peccati amorem, aut ad diuinam miſericordiam nō reſpiciat, vt ſpe remiſſionis eorum erigatur, & triſtitiam illam mitiget ac ſuperet. Et de tali triſtitia delicti hic potiſſimùm loquitur Sapiens, quæ ſcilicet deſtituta eſt ſolida ſpe remiſſionis peccatorum, & mentem tantùm cruciat & pungit, quemadmodum contingit in auaris diuitibus ſubiungit, qui etſi iniuſta obtineant bona, & ſe ſentiant eis nimis affici, & ob id intra ſe metu iudicij diuini ſæpe anguntur, non tamen curant immoderatum amorem diuitiarum deponere vt eis bene vtantur, miſeram ob id animi carnificinam intra ſe patientes.

2 *Fœlix qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua.*

Intelligitur ferè hæc ſentētia de inordinata & immoderata animi triſtitia, qua ſcilicet quis immoderatè dolet de dāno aliquo temporali, ſic vt deſperet, & excidat à ſpe ſua in Deum, ita vt ea pars; non excidit à ſpe ſua; explicet de quali triſtitia ſit ſermo, ea ſcilicet qua ceſſat homo in Deum ſperare, ſeque ſpe in illum erigere, At Græca alium poſtulant ſenſum. Habent enim, μακάριος ὃς οὐ κατέγνω ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, beatus quem nō condemnat anima ipſius. Itaque lectio noſtra accipienda eſt de triſtitia animi ſibi malè cōſcij, quam qui nō habet, ita vt cùm Pau. 2. Cor. 1 dicere poſſit; Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ; is demum verè fœlix eſt. Iuxta hanc intelligentiam ſecunda pars; & non excidit à ſpe ſua; continet effectum prioris partis. Qui enim nō habet animum ſibi malè conſcium, is non excidet à ſpe ſua, ſed in Deum ſpem ſuam collocabit, & bene de eo confidet, iuxta illud Ioan. 3. Si cor noſtrū non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Quo loco pro, reprehenderit, idem eſt verbum quod hoc loco, καταγινώσκῃ, hoc eſt, cōdemnauerit, ita vt idem his duobus locis ſignificetur, ſpem ſcilicet bonam in Deum augeri ex conſcientiæ bonæ teſtimonio, quam & ſuperior ſententia commendauit. Eſt autem animus ſibi bene conſcius, non ſolum ſi vel nulla vel pauca ſe agnoſcat admiſiſſe peccata, ſed etiam, ſi ſentiat ſe de admiſſis ritè dolere, paratúmque ad obſeruationem mandatorum Dei. Poteſt tamen etiam accipi poſterior huius ſententiæ pars, non vt effectum prioris partis includat, ſed vt iuxta priorem intelligentiam explicet de quali triſtitia ſit ſermo, hoc eſt, duobus modis hæc ſententia explicari poteſt. Altero ſic: Fœlix eſt qui non habuit animi ſibi malè conſcij triſtitiam, & ideo non excidit à ſpe ſua in Deum. Altero ſic: Fœlix eſt qui non ſic triſtatur animo, aut quem non ſic ſuus condemnat animus vt excidat à ſpe ſua in Deum, hoc eſt, vt deſinat ſperare in Deū. Nam, in Deum, additur Græcis. Vnde non eſt hic intelligendum illum excidere à ſpe ſua, qui re ſperata fruſtratur, ſed qui ſperare ceſſat, & ſpem abiicit.

3 *Viro cupido & tenaci, ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido ad quid aurum?*

Poſtquam oſtēdit fœlicem illum eſſe qui quieta eſt conſcientia, ſiue diues ſit, ſiue pauper, & ob id ſpem ſuā in Deum reponit, rectè ſubiicit ſermonem contra auaros, qui inquieto ſemper ſunt animo, eorum infœlicitatem & miſeriā pulchrè depingens, & ob oculos ponens. Pro; ſine ratione eſt ſubſtantia Græcis eſt, οὐ καλὸς ὁ πλοῦτος, hoc eſt, non bonæ ſunt diuitiæ, vel, non decent eum diuitiæ. Quod autem non decet, id dicitur eſſe ſine ratione. Quod tamen hic dicitur, ſine ratione eſſe homini auaro ſubſtantiam, hoc eſt, opes, non eſt referendum ad prouidentiam diuinā, quaſi illa ſine ratione opes, auaro conferat, (nihil enim illa ſine ratione facit, habétq; cauſas cur etiam auaris diuitias largiatur, nempe vt eis bene vtantur: aut ſi non bene vtantur, iuſtè puniantur) ſed referendum eſt ad auarum, qui, ſi in ſe conſideretur, ſine ratione habet opes, quia fruſtra eas habet, eo quòd non vtatur eis ad quod datæ ſunt. Idem intelligendum cùm ſubditur; & homini liuido ad quid aurum? Vbi per liuidum, intelligitur etiam auarus, qui vt in ſequentibus dicitur nec ſibi fauet bona quæ poſſidet, nec aliis. Huic ad quid aurum? hoc eſt, huic aurum eſt inutile. Non enim vtitur eo vt oportet, imò nec vtitur, nec verè poſſidet; ſed magis poſſidetur ab illo, aut etiam verè tam deeſt ei quod habet, quàm quod non habet. Pro, aurum, Græcis eſt

est χρήματα, hoc est pecuniæ, quæ ab vsu sic Græcis dicuntur, sicut Latinis opes à iuuando. Bene ergo dicit; ad quid homini liuido χρήματα, hoc est, ea quæ ab vsu nomen accipiunt, cum eis nó vtatur, sed apud se sine vsu & fructu asseruet?

4 *Qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.*

DIxit inutiliter opes esse auaris, hic verò amplius dicit, indicans iustissimam eorum pœnam, nempe quòd quæ summa cum molestia cõgregant sese defraudando, aliis, non sibi congregẽt, qui non minus effusè ac deliciosè ea sunt cõsumpturi, quã illi parcè & anxiè cumularũt. Pro; ex animo suo; Græcis est, ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, hoc est, ab anima sua, significatúrque auarum congregare defraudando animam suam & desideria eius. Itaq; & in nostra lectione intelligendus est aceruare ex animo suo, qui quæ colligit subtrahit animo suo & desiderio, quomodo Teutonicè dicimus: parcum trahere ex ventre suo; hoc est, subtrahere ventri suo. Pro, luxuriabitur, est τρυφησόμεν, hoc est, delitiabuntur, vnde luxuriari hic est posità pro voluptuosè & sumptuosè viuere. Duo ergo mala includit sententia quæ auaris irrogãtur. Primum, quòd quę aceruat, non, vt putat, sibi congregat, sed aliis. Secundum, quòd quæ sibi subtrahit anxiè parcendo, alij prodigè & iucundè consumpturi sunt.

5 *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit? & non iucundabitur in bonis suis.*

ET hic duo mala insinuat hominis auari, quem vocat, sibi nequã & malum, quòd in proprias necessitates suis vti vel nesciat vel nolit. Hic enim nec facilè aliis benignus erit, communicando eis sua, & ipse voluptatem non percipiet vnquam ex bonis suis, sed vel diu in eis animo cruciabitur, vel subitò à Deo eis priuabitur. Etsi enim, vt prius dixit, aliis sua cõgregat, qui inde voluptatem percipiunt, non tamen aliis bonus est, quia vti subiungitur, præter voluntatem suam id fit, nec potest ea fauere ex bona voluntate aliis, qui sibi ea non fauet, cùm naturale sit vt sibi prius quis bene velit quàm aliis.

6 *Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hoc est redditio malitiæ illius.*

MAgis adhuc exaggerat auaritiæ malũ, duo rursum mala ei tribuẽs. Primùm, quòd cùm auarus sibi inuideat, non fauendo sibi suorum bonorum debitum vsum, nihil est illo nequius. Quid enim peius est quã sibiipsi malè facere, & iniuriam inferre? Secundò, quòd hoc ipsum quod sibi inuideat & iniurius est, sit non solùm grandis culpa, sed & malitiæ & auaritiæ ipsius pœna, quàm Deus iusto suo iudicio reddit ei. Quoniam enim bonis terrenis nimis est addictus, iustè Deus immoderatum illum & vilẽ amorem punit propria inuidentia, subtrahendo ei voluntatem honestè & vtiliter suis vtendi. Sicut contrà in Ecclesiaste 5. dicitur donum Dei, si cui Deus dedit diuitias, etiã tribuat: potestatem vt cõmedat ex eis, & lætetur labore suo

7 *Et si bene fecerit, ignoranter & non volens facit, & in nouissimo manifestabit malitiam suam.*

DIxerat auarum, cùm non sit sibi bonus, nec alij cuiuis bonum fore, hic iam diluit quod obiici poterat, talem quandoque aliis benefacere. Si inquit, bene facere eum cuiquam contingat, facit id & imprudenter & non volens, quia nec bono fine facit, nec ex animo, sed ex timore & verecundia, & amaro cum animo: vnde etiam fit vt postea manifestet malitiam auaritiæ & inuidiæ suę, verbo vel signo aliquo ostendens se non liberaliter ac lubenter fecisse. Tam potenter enim obsidet mentẽ eius auaritia, vt etiamsi ad tempus sub beneficij prętexti tegmine lateat, tamen vel tandem aliquo se modo prodat. Pulchrè de talium beneficiis dixit Isocrates ad Demonicum: τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαρίζεσθαι, hoc est, gratias præstari sine gratia. Porro legendum potius per futurum, manifestabit, quàm per prętens, manifestat, ostendunt Græca quæ habent ἐμφανῆ, quamuis ad sensum pàrum faciat vtro modo legatur.

8 *Nequam est oculus liuidi, & auertens faciem, & despiciens animam suam.*

BEne notat naturam auari sub nomine inuidi, qui & apud Grẽcos à prauo aspectu dicitur βασκανὸς, & apud Latinos inuidus, quòd alterum non lubenter videat, & apud Hebræos dicitur málus oculo. Huius ergo oculum corporalem dicit esse prauũ, quod & alienam miseriam non lubenter nec cum commiseratione videat, vnde auertit faciem suam à paupere ne cogatur ei subuenire, cui inuidet bona sua, & cùm in cõuiuiis suis aliquem videt de suis cibis liberaliter edere, auertit faciem suam, quòd pœna sit ei ipsum videre. Imo & despicit animam suam, quia nõ sinit eam sumere quæ desiderat, sed subtrahit ei necessaria, & pœna est ei videre quòd ipsemet sua consumat. Græcis tamen non est animam suam, sed ψυχὰς, hoc est, animas, miserorum scilicet, quibus inuidet fruitionem suorum bonorum, vnde & apud nos intelligi potest despicere animã suam positum pro despicere & non moueri misericordia erga eum, quem tanquam animam suam deberet diligere, quíq; eiusdem animæ consors est, sicut apud Isaiam ca. 58. dicitur: Carnem tuam ne despexeris, pro eo quod est, proximũ tuum simili tecum carne constantem. Ostenditur ergo hac sententia, auarum, quem suprà dixit sibiipsi inuidere, etiam inuidum esse erga alios, quibus non fauet sua, nouáque ratione eum non solùm non lubẽter videre aliorum fœlicitatem, sed nec infœlicitatem, quòd ea extorqueat miserationem & subuentionem. Ex hac explicatione patet, quæ hic de oculo liuidi dicuntur, non de oculo interiori esse intelligenda, quomodo multi intelligunt, sed exteriori & corporali. Quòd si totus hic locus cõferatur cũ his quę dicuntur in fine capitis 30. & principio c. 31. omnia rectius vtrobiq; intelligẽtur.

9 *Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis. non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.*

GRæca breuius & clarius sic: Auari oculus non impletur parte, (hoc est, nulla expletur portione) & iniustitia mali arefacit animam suam. Notatur aliud malum in oculo auari, idq; duplex. Primùm quòd oculus eius sit insatiabilis, quia scilicet quicquid videt, idipsum concupiscit, nec tamen, quantumuis multis obtentis, cessat à cõcupiscendo. Concupiscere autẽ oculo tribuitur, quia per oculum concupiscentia homini ingeneratur, vnde D. Ioannes auaritiam vocat concupiscentiam oculorum. Alterum est, quòd insatiabilitas hæc cõsumat tandem animam propriam, arefaciendo eam & exiccando. Mira hæc voracitas, quæ non solùm non satiat, nec nutrit, aut pingue facit, sed consumit & exiccat animam hominis, quia scilicet anxiis curis, ac cupiditate inexplebili & animã hominis tabescere facit, ita vt spiritali gratię & sapientiæ humore destituatur, & corpus extenuat, suísque humoribus priuat, vt ante tẽpus vita abbreuietur, & abrumpatur. Non enim solùm dicitur consumere & arefacere animam hominis propter seipsam, sed etiam & multò magis propter corpus, cuius passiones sæpè etiam animæ tribuuntur propter vnionem. Ob has auari conditiones rectè auarus hydropico comparatur, qui bibendo sitim nõ extinguit, sed auget, donec tandem nimiis humoribus cor obruatur vnde sub huius typo dictum est de auaro: Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Illud; in parte iniquitatis, quod vel præcedentibus, vel melius sequentibus coniungi potest, rectè exponitur, vt sit sensus: In nulla parte vel portione, quã iniquitas eius appetit, auarum saturandum, quomodo & Dionysius exponit.

10 *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane, indigens & in tristitia erit super mensam suam.*

GRæcis breuius est & elegantius, ὀφθαλμὸς πονηρὸς φθόνῳ ἐπ' ἄρτῳ, καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῆς τραπέζης αὐτοῦ, hoc est, oculus malus, inuidus in pane, & indigus est super mensa sua. Et Rabanus tantùm habet, & indigens erit super mẽsam suam; nec habet, in tristitia, sicut nec codex Bessariõis, nisi in margine alia manu additum. Videtur ex diuersa lectione vtrunq; coniunctũ, indigens, & in tristitia. Nã ἐλλιπὴς, indigum significat. ἡ λύπη vel ἐλλυπὴς, in tristitia vel tristẽ. Vtut est, constat illud, indigens, non iungendum cum, satiabitur pane, sed cũ sequentibus, vt sit ordo; erit indigens & in tristitia super mensam suam. Et est: Oculus malus, de quo iam dixi, vt est oculus inuidi & auari, ad mala vergit, quia & concupiscit atq; habere studet aliena, & sua sibi, aliisque contra æquitatem subtrahit, studens ea semper asseruare & coaceruare, adeóq; etiã sibi malus est, vt nec pane satietur inter edendũ, etiam necessarium sibi cibum & panem, qui tantùm ad esum datus est, sibi subtrahẽs, nec famelico suo ventri satisfaciens vt minus consumat: itaq; in mensa sua, in qua cum lætitia cordis cibum sumere deberet quantùm satis est naturæ, erit & indigens, tũ quia parcè nimis mensuram instruit, tum quia semipleno ventre illinc surgit; & in tristitia, quia dolet à se aut ab aliis tantum consumi quantum consumitur. Oculo autem tribuitur nõ satiari pane, esse indigum & in tristitia, quia per concupiscẽtiam & inuidiam ex aspectu oculorum excitatam hæc sunt in auaro.

11 *Fili si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.*

POstquàm pulchrè descripsit & ostendit quomodo auari bonis suis non vtantur, monet contrà quomodo qui timet Deũ eis vti debeat, duo hoc versu requirens quæ ad rectum diuitiarum vsum pertinent, nempe fruitionem, & gratiarum actionem. Primùm ergo monet, vt ad sustentãdam recreãdámq; hanc vitam fruamur his bonis quæ suppetũt quia ad hoc primùm à Deo dantur. Deinde vt per oblationes & sacrificia Deum omniũ authorem & largitorem recognoscamus, qui vt habet Paulus, præstat nobis omnia abũdè ad fruendum. Monet autẽ Deo dignas oblationes offerri, hoc est, vt de melioribus bonis fiant oblationes, nec nimis parcè. In vtroque homines maximè auari Dei beneficiis abutuntur, nam & maligni in seipsos sunt, & in Deum ingrati. Qui etsi nullius egeat, vult tamen oblationibus nos testari gratitudinem, & suo nomine ministros suos sacerdotes de concessis bonis sustentari. Id sicut in veteri lege præstandum erat secundùm prescriptũ Moysis, ita in noua lege secundùm præscriptum Christi, qui ex creatura qua nutrimur docuit nos nouam Deo oblationem offerre, ne, vt habet Iræneus, & ipsi infructuosi essemus & ingrati. Itẽ secũdùm prescriptũ eccle siæ, ex decimis & alijs prouẽtib⁹ ministri eccleśię, Dei nomine àlendi sunt & sustentãdi.

12 *Memor esto quoniam mors non tardat & testamentum inferorum quod demonstratum est ibi. Testamentum enim huius mundi, morte morietur.*

VVlt nos memores esse, mortem nobis & certò imminere, & opinione citius adfuturam, vt horum consideratione nec nimis amemus hęc terrena, nec eorum vsum, quem suprà requisiuit, in longinquum tempus differamus: quemadmodum faciũt auari, qui quasi semper victuri, aut longinquam vitam sibi promittẽtes, partis & datis à Deo liberè vti non audent. Mortis quidem meditatio impijs pleriſq; causa est vt huius mundi bonis abuntantur, dicántq;: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Verũ rursum quibusdam vt huius mundi bonis non vt oportet vtantur, causa est quòd mortis & certitudinem, & incertam vicinitatem præ oculis non habeant, quemadmodum auaris contingit. Proinde rectè Sapiens, mortis per quam omnia hic relinquenda sunt considerationem, prouocat ad honestum bonorũ temporalium vsum, vt & quamdiu licet eis vti,

aliquem ex eis laborum noſtrorum hic percipiamus fructum, & bene eis in Dei honorem ac pauperum ſubleuamẽ vtendo, nobis præparemus mercedem, quam poſt hanc vitam percipiamus. Hoc eſt enim ad quod ſpectat potiſſimùm totus liber Eccleſiaſtes, in quo inter cętera dicitur: Cognoui quòd non eſſet melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui manducat & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donũ Dei eſt. Cæterùm quod ad lectionem attinet, notandum quòd quamuis multi libri habeant; teſtamentum inferorũ, quia vel quoniam demonſtratum eſt tibi; plures tamen ſcripti & antiquiores habent; quod demonſtratum eſt tibi; quomodo eſt apud Rabanũ, & Dionyſium, qui dictionem, quod, accipit relatiuè, vt repetatur, non tardabit, & ſit ſenſus; Mors non tardat, & teſtamentum inferiorum, quod eſt tibi demonſtratum, non tardat. Si autem legatur, quia vel quoniam, vel quòd, coniunctio, repetendum eſt illud, memor eſto, vt ſit ſenſus: Memor eſto, quoniam pro quòd, mors non tardat, & memor eſto, quia vel quòd teſtamentum inferorum demonſtratum eſt tibi. Vocat autem teſtamentum inferorum, diſpoſitionem de morte ab omnibus ſubeunda, quæ mors in veteris Teſtamenti libris ſæpè nomine inferni comprehenditur, quòd illo tempore omnibus deorſum deſcendendum eſſet, cœlo necdum aperto per mortem Chriſti. Hoc inferorum teſtamentum ſatis demonſtratum eſt vnicuique in ſcripturis in exordio mundi, ſicut mox ſubiicitur, & in quotidiana experientia. Vnde & Paulus de eo dicit: Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori. Notandum tamen Græca habere negatiuè; Et teſtamentum inferni non demõſtratum eſt tibi. Iuxta quam lectionem per teſtamentum inferni, intelligitur præfinitum & certò apud Deum conſtitutum tempus mortis. Cùm enim, vt dicit Iob, Deus conſtituerit vnicuique certos vitæ dies qui præteriri non poterunt, voluit tamen tempus mortis omnibus ſecundum communem regulam eſſe incognitum. Interpres videri poteſt negationem illam interrogatiuè accepiſſe, vt ſenſus fuerit, num teſtamentum inferni tibi demonſtratum eſt? Sic enim æquiualet affirmationi. Ideóque & ſubiecit hoc loco, ad declarandum quod ſit illud teſtamentum omnibus demõſtratum; Teſtamentum enim huius mũdi morte morietur. Quæ pars Græcis nõ eſt hoc loco, ſed poſtea, poſt illud; Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet; vbi Græcis habẽt, ἡ γὰρ διαθήκη ἡ ἀπ' αἰῶνος θανάτῳ ἀποθανῇ, hoc eſt, teſtamentum enim quod eſt à ſæculo, morte morieris vel morietur. Alluditur enim ad id quod in exordio mundi conſtitutum fuit Adæ pro ſe & tota ſua poſteritate. Quacunq; die comederis ex eo, morte morieris. Proinde cauẽdum ne in noſtra lectione, teſtamentum, intelligatur eſſe ſuppoſitum verbi, morietur, quaſi ſenſus ſit: teſtamẽtũ huius mũdi, hoc eſt, mũdana hæreditas ab vno derelicta alteri, morte morietur, hoc eſt, per mortem deficiet, vt aliqui perperam intelligũt. Verus enim ſenſus eſt: Teſtamentum & diſpoſitio, quæ pertinet ad mũdum hunc inferiorem, & omnia quæ in eo ſub ſole viuũt, eſt hæc, Morte morietur omnis ſcilicet homo, vel etiam omnis caro. Cęterùm illud etiam, etſi minutum ſit, notandum, potius legendum eſſe per futurum, tardabit, vt etiam multa ſcripta habent, quàm tardat, cùm Græcis ſit χρονιεῖ nõ χρονίζει.

13 *Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi,*

INdicat tertium diuitiarum vſum, vt ſcilicet non in nos eas tantùm expendamus, & in ſacrificia, aut miniſtrorum Dei neceſſitates, ſed etiam eis & amicis benefaciamus, & iuuemus pauperes. Bene autem notandũ, quòd ante mortem monet benefacere, quia poſt mortem non poteſt quis de ſuis alteri benefacere, quando iam amplius eius non ſunt. vnde vulgaris verſus monet: Da tua dii tua ſunt, poſt mortem tunc tua non ſunt. Nõ tamen ideo teſtamentarię legationes, modò legitimæ ſint, & non in fraudem legitimorum hæredum fiant, ſunt reprehẽdẽdæ, quia illæ non valent niſi propter diſpoſitionem ante mortem. Huiuſmodi ſanè diſpoſitiones aliquot locis commendat D. Chryſoſtomus, vt hom. 18. in epiſtolam ad Rom. Licet, inquit, vt & ab ipſo teſtamento commenderis, etſi non quemadmodum ſi dum viuis bene ageres, licet tamen. Quo pacto? Si Chriſtum in ipſo cum hæredibus tuis conſcripſeris, partémque illi totius ſortis tradideris. Non pauiſti Chriſtum cùm viueres? Si tamen abiturus hinc quando iam non ampliùs eorum quæ poſſidebas vſum ac poteſtatem habes, tua illi contribueris, non erit, quemadmodũ benignus eſt, curioſus aut difficilis ergate, &c. Notandum item quòd dicat: ſecundum vires tuas; ſignificans nec parcè dandum nec ita vt deficiamus & egeamus. Dicit enim Paulus: Si voluntas prompta eſt, ſecundum id quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet. Non enim vt alijs ſit remiſſio, vobis autem inopia, &c. Dum dicit, exporrigens, ſignificat lubenter dãdum, extendendo ſcilicet manum ad pauperem. Pauperis tamen hic non fit mẽtio apud Græcos, qui tantum habent, da illi, nempe amico. Sed amicus cuiq; debet eſſe pauper, maximè & Dei & Chriſti nomine, qui illum cõmuniter creauit & redemit. Tria ergo petit hæc ſentẽtia in benefaciendo amicis, vt ſcilicet ante mortem fiat, vt non parcè, & vt non illubenter & inuoluntariè.

14 *Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat.*

QVidam legunt, bonæ diei, vel boni diei, ſed plures ſcripti codices habebant, boni doni, & ea lectio magis accedit Græcis, quæ habent, μερὶς ἐπιθυμίας ἀγαθῆς, hoc eſt, pars vel portio boni deſiderij. Expreſſius proſequitur quod dixit: Benefac tecum. Cùm, inquit, dies bona, hoc eſt, tempus fœlix & proſperũ tibi contigit, non ſinas te fraudari fœlicitate oblata, ſed vtere, da moderatè, letoq; animo,

animo, & cùm gratiarum actione, & particula boni doni, hoc eſt, portio illa beneficij quã tibi Deus partitus eſt, non te prætereat ſine vſu eius, non ſinas eam tibi otioſam eſſe, vt ex ea fructum & permiſſam tibi à Deo voluptatem non percipias. Dicũt quidem etiam impij apud Sapientem ſimiliter: Venite, fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: Vino pretioſo & vnguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Sed illi hoc dicunt, ad prodigalitatem & luxum prouocantes ſine Dei timore. Iſta verò admonitio eſt contra auaritiã, qua fit vt plerique donis ſibi à Deo conceſſis, non, vt decet, honeſtẽ & cum lætitia vtantur. Altiori verò ſenſu monet, vt tempus gratiæ, & materiam benefaciẽdi aliis hic iam adepti non ſinamus illa ſine fructu bonorum operum præterire. Sed prior ſenſus magis conuenit ſequentibus. Sapient. 2

15 *Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in diuiſione ſortis.*

QVamuis ea pars; in diuiſione ſortis; ferè coniungatur ſequentibus, tamen ex originalibus patet magis præcedentibus iungendam eſſe, quæ habẽt, εἰς διαμερισμὸν κλήρου, hoc eſt, ad diuiſionem ſortis vel hæreditatis, relinques labores tuos & dolores, hoc eſt, bona tua, pro quibus laborauiſti, & anxiis curis & doloribus te macerauiſti, relinques hęredibus tuis vt ea inter ſe diuidant. Monet ergo vel hac ratione bonis à Deo conceſſis cum gaudio vtendum, quamdiu licet, quòd ea aliis ſint relinquenda, cùm ipſi inter ſe hæreditatem relictam diuident.

16 *Da & accipe, & iuſtifica animam tuam: ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.*

QVod dicitur; Da & accipe; variè accipi poteſt. Nam & poteſt eſſe ſenſus: Da aliis quod ipſorum eſt, & accipe ab aliis quod tuum eſt, &: Da pauperi eleemoſynam, & accipe à Deo beneficentię tuę meritum, & hic & in futura vita. Verùm attentis præcedentibus & ſequentibus, magis ſignificari videtur, vt & bona quę Deus largitus eſt, aliis impartiamur quibus oportet, & eadem etiam accipiamus à Deo eis ad noſtras neceſſitates liberè vtendo, & fructum ex eis accipiendo, vt ſit quaſi diceret: Communica & vtere. Nã qui non vtuntur, non accipiunt à Deo, quia non magis habent quod habent, quam quod non habent. Sunt autem qui accipiunt quidem, ſed non dant, vt qui in ſuos tãtùm vſus ſua conſumunt. Sunt & qui nec dant, nec accipiunt, vt auari. Monet ergo vnumquemq; vt & det & accipiat, ſicq; iuſtificet animam, ſuam vel, vt habent Græca, ſanctificet, hoc eſt, puram ſanctámque cuſtodiat: quod fit, dum non ſinit animam ſuam immoderato diuitiarum amore ita pollui & inquinari, vt nec ipſe eis fruatur, nec aliis frui concedat, quod magnæ eſt iniuſtitiæ & in ſe & in alios. Ideóq; & Paulus duplicem hunc bonorum temporalium vſum & fructum indicat, cùm in diuitum admonitione Deum dicit omnia dare abundè ad fruendum, & communicationem exigit. Quod ſequitur; Ante obitum tuum operare iuſtitiam; Græca non habent ſed additum eſt commentarij vice ad explicationem illius; Iuſtifica animã tuam. Proinde rectè intelligitur; Ante obitum tuum ex bonis tuis operare iuſtitiã, & tibi & aliis largiendo quod iuſtum eſt. Aut nomen iuſtitiæ accipitur pro liberalitate & eleemoſyna, quomodo & ibi: Attendite ne iuſtitiam veſtram facietis corã hominibus. Pro eo quod ſequitur, Quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum; Græca habent: quoniam non eſt in inferno quærere cibum, hoc eſt, poſt mortem, cum tranſlatus eris in ſtatum mortuorum (hic enim nomine inferni ſæpè deſignatur in ſcripturis veteris teſtamenti, vt dictũ eſt) nec poteris quærere, nec erit cur requiras cibum iſtum & alimentum, quod iam ex bonis tuis percipere potes. Ita & noſtra lectio accipienda; non eſt apud inferos inuenire cibum; hoc eſt, etiamſi quis vellet ibi petere frui his bonis, non poſſet ei contingere, non poſſet inuenire cibum iſtũ quo ibi alteretur. Significat ergo iam his bonis vtendum, dando & accipiendo, quia poſtea eis vti non licebit, nec neceſſe erit, nec quicquam ex eis nobiſcum efferre poſſumus. Idẽ ſignificat Eccleſiaſtes, etiam monẽs ad vſum bonorum à Deo conceſſorum, cùm dicit mortuos non habere partem in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur. Et ſubiicit: Quodcunq; facere poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. Itaq; extra propoſitum authoris quidam hunc locum ſic interpretantur, vt ſignificetur poſt mortem non eſſe bonorum operum, & meritorum colligendorum, quibus ſe homo tunc reficiat & paſcat, & ideo ante mortem operandam iuſtitiam. Quanquam enim is intellectus verus ſit, eſt tamen extra intentionem Sapientis, qui hanc cauſam non adducit in illius comprobationem; Ante mortem operare iuſtitiam; quia hoc nõ eſt Græcis, ſed in illius; Da & accipe. Magis hoc loco abutuntur qui eum aſſumunt in confutationem doctrinæ de purgatorio, quaſi mortuis prodeſſe non poſſint quæ hic pro eis fiunt, vt inde reficiantur & paſcãtur. Nam ſi quis verba vrgere volet, falſum eſt quod apud inferos non eſt inuenire cibum. Reficiebãtur enim in inferno patriarchæ & iuſti veteris teſtamenti & cõſcientiæ ſuæ teſtimonio, & ſpe aduentus Chriſti. Inueniunt & impij ibi cibum, quẽ pro meritis operum ſuorũ ibi edere coguntur. Et iuſti inueniunt iam poſt mortem cibum in regno cœleſti. Eccle. 9.

17 *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcit, & ſicut folium fructificans in arbore viridi alia generantur, & alia deijciuntur.*

18 *Sic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur.*

OCcaſione mortis, cuius iam fecit mentionem, infert doctrinam de moriendi neceſſitate, pulchris ad hoc vtens ſimilitudinibus. Pro fœnum, tamen Græcis eſt χιτῶν, hoc eſt, veſtimentũ. Alluditur enim ad illud Pſal. 101. Et omnes ſicut veſtimentum veteraſcẽt. Veteraſcere enim magis cõuenit veſti quã fœno: Noſter imitatus eſt illud Iſa. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ſi-

Eccle. 9.

cut flos agri,&c. Legendum est autem potius, veterascit, quomodo quædam scripta habebant, quàm per futurum, veterascet, quomodo plures habent. Est enim Græcis παλαιῦται. Et est sensus; omnis caro, hoc est, omne animal vel omnis homo, veterascit assiduè,& ad interitum tendit,sicut vestimentum vel fœnũ,hoc est,gramen viride.Quem admodum enim hæc non diu persistunt in sua pulchritudine & nouitate,sed assiduè & facilè mutãtur:ita & homo nunquam in eodẽ statu permanet,nũc viret,floret,& nouus est:mox arescit,& ad interitum declinat.Hic iam Græcis additur,vt dictum est;Testamẽtum enim quod est à sæculo(supple, sic se habet) morte morieris; Sicq; duobus membris absoluitur sentẽtia, & deinde noua subiicitur; Vt folium germinans in arbore,hæc quidem deiiciũtur, alia verò nascuntur,&c. Itaque & apud nos quod dicitur; & sicut folium fructificans in arbore viridi; coniungi debet cum sequentibus,vt sit sensus:Alia folia generantur,& alia folia deiiciũtur.Dicendum quidem erat, sicut folia in arbore alia generantur,vel sicut foliorum in arbore alia generantur:sed,vt & alibi, sermonis hic non est accurata ratio habita, quod causam præbuit multis hunc locum non bene intelligẽdi.Pulchrè ergo comparat instabilitatem hominum foliis arborum,quòd etsi illa in arbore suo tempore fructificent,hoc est,virescãt & germinent, tamen mox deiiciantur, & in locum illorum alia suo tempore ex arbore enascantur. Sic enim & generatio carnis & sanguinis, hoc est, hominum, se habet, quia semper quibusdam decedẽtibus, ex eodem trunco,hoc est,ex humana natura alij generantur.Pulchra sane similitudo, qua vanitas vitæ nostræ, & breuitas, & simul naturæ humanæ continuitas aptè ob oculos ponitur.

19 *Omne opus corruptibile in fine deficiet,& qui illud operatur,ibit cum illo.*

20 *Et omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud,honorabitur in illo.*

SEcundam hanc sententiam Græca nulla nunc habent, & videri potest ab aliquo addita,vt esset contraria quæ præcedenti respõderet,quæ tamen prior sententia non videtur potissimũ dicta de operationibus humanis malis,sicut posterior loquitur de operationibus bonis,sed de hominum operibus quæ ipsi in mundo parant & construunt, diuitias sibi parãtes domus & palatia construentes, & id genus opera sua arte & industria facientes. Postquam enim dixit,homines omnes corruptioni esse obnoxios, subiicit & de operibus quæ filij hominum hic summis cum laboribus construunt:quæ omnia cùm sint corruptibilia, & in seipsis putrescentia, quantumuis ad tempus florere videantur, tamẽ tandem defectura asserit cum suis authoribus, vt indicet illis rebus animum non addicendũ,nec nimis eis inhærendum,quia mundus transit, & concupiscentia eius cum omnibus amatoribus suis. Quia tamen sententia est generalis, sub operibus corruptibilibus etiam rectè hic intelliguntur malæ hominum operationes,quæ vt verè sunt putridę & corruptæ,ita simul cum eorum operatoribus sine fructu aliquo bono aliquando peribunt. Sicut contrà opus electum & bonum,iustum esse declarabitur suo tempore,& qui illud operatur,honorabitur aliquãdo à Deo per illud remuneratione æterna. Qui enim, inquit Paulus, seminat in carne, *Galat.6.* de carne & metet corruptionem: Et qui seminat in spiritu, de spiritu & metet vitam æternam.Et qui superędificauerit lignum,fœnum,stipulã,opus eius ardebit,& detrimen- *1.Cor.3.* tum accipiet: Qui autem superædificauerit aurum,argẽtum,lapides pretiosos,opus eius manebit,& ipse mercedem accipiet.

21 *Beatus uir,qui in sapientia morabitur,& in iustitia meditabitur,& in sensu suo cogitabit circunspectionem Dei.*

NOuum hic incipit argumentum, quo commendatur nobis studium amórque sapientiæ cum insinuatione fructuum eius, quod & in sequenti capite continuatur. Rectè autẽ superioribus hæc doctrina subiungitur, quòd non nisi per sapientiæ studium ea beatitudo obtineatur, quam supra dixit consistere in integritate vitę:& per solam sapientiam fit vt quis diuitias nec admodum quærat,& si adsint, bene vtatur, habita mox secuturæ mortis ratione.Habẽt autem Græca hanc sententiam breuius sic: Beatus vir qui in sapientia meditabitur bona, & qui in intelligentia sua differet bona. Quo significatur,beatum eum esse,qui & prius in sapiẽtia mediatur,& deinde intelligentiam atque prudentiam per meditationem assecutus ad aliorum instructionem proloquitur bona. Interpres de suo adiecit; & in iustitia meditabitur; ad insinuandum quòd vera sapientiæ meditatio,sit meditatio iustitię,quæ à sapientia vera non separatur. Patet autem ex græcis non esse legendum; in sapientia sua, & in iustitia sua; vt multi libri habent, sed sine pronomine, in sapientia & in iustitia, vt & Dionysius legit; legendum tamen esse cum pronomine, & in sensu suo quomodo etiam quidam libri habent. Et est sensus nostræ lectionis: Beatus ille vir qui per assiduam cogitationem morabitur in sapientia, meditando scilicet semper in ea & de ea, hoc est, qui in iustitia vel de iustitia & scienda & adimplenda meditabitur, quíque per huiusmodi meditationem assecutus intelligentiam & prudentiam, per hanc suam prudentiam cogitabit,quomodo Deus omnia circumspectè instituerit gerat & gubernet, nihil temerè agens, nihil quod prouidendum est prætermittẽs, æquissima præcipiens, propter quod & in omnibus se diuinę prouidentię & voluntati submittet. Cogitabit item quomodo Deus omnia perlustret ac videat ex omni parte, vt ob id in oculis eius semper in timore conuersetur, cuius oculis omnia sunt nuda & aperta, iuxta illud Ieremiæ: Cuius oculi aperti sunt super omnes filios Adam,vt reddat vnicuiq; iuxta vias suas.

22 *Qui excogitat uias illius in corde suo,& in absconsis suis intelligens.*

23 *Vadens post illam quasi inuestigator, & in uijs illius consistens.*

EXplicat in sequentibus præcedentẽ sententiam, declarãs primò quis meditetur in sapiẽtia, & deinde quomodo talis sit beatus. Vt meditantem in sapientia exprimat, pulcherrimis vtitur allegoriis, similitudine primùm desumpta ab aliquo qui inuenire quempiã sapientem magni nominis volens, in abscõdito & multis incognito loco habitantem, prius disquirit de viis domus illius, quibus inuentis ingreditur eas, inuestigãdo diligenter domũ illius & mansionẽ,quousq; tandem inueniat eam. Quam vbi repererit, delectat eum, quantum licet, intra domum prospicere,vt sapientem illum quem quærit videat, & eundem ibi docentem vel in ianuis audire.Quæ cùm admodum ei placeãt, non statuit ab ea domo discedere: sed iuxta eam domum sibi fixam erigere mansionem consecuturus propterea & multa bona, & à multis malis protegendus.Primùm ergo dicit,meditantem in sapiẽtia excogitare, hoc est,considerare in corde suo, vias sapientiæ, hoc est,rationes illas quas sapiẽtia sectatur, siue in operibus suis quæ facit, siue in præceptis suis quæ homini præscribit, vt his viis obseruatis ad sapientiæ pleniorem cognitionem perueniat.De quibus viis dum cogitat, easque pressè considerat, incipit intelligere abscondita eius, & mysteria quædam non omnibus obuia,incipit intelligere quam magna & astrusa sapientia lateat in operibus & verbis illius. Tum maiore sapientiæ amore raptus, sequitur eam instar inuestigatoris alicuius,semper persistens in viis eius, ambulãdo in eis,& eas semper ob oculos habendo, vt earum ductu ad sapientiam tandem & videndam & audiendam perueniat.

24 *Qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens.*

HIc significat sapientiæ sectatorem, vbi post longam inuestigationem & ambulationem in viis eius peruenerit ad sapientię domicilium,non quidem omnino eius adyta ingredi,vt ex vicino eam & videre & audire possit, sed tantum fenestras domus illius respicere eam ac secrata domus eius & In ianuis illius audire eam velut à lõge disserentem. Quo significatur, quãtumuis in hac vita quis in sapientia proficiat, quamdiu tamen sumus in hoc tabernaculo,corruptibili isto corpore grauati,non possumus eam clarè videre, sed, vt Paulus dicit, per speculum *1.Cor.13* & in ænygmate, & veluti per transennam & per fenestras, per quas res in domo existens obscurè videtur: nec licet eam coràm & ex vicino audire loquẽtem, sed veluti in ianuis domus eius consistentes, hoc est, tanquam illi propinqui facti,eóque prouecti,vt in domum sapientię,hoc est,cœlestem habitationem admittendi mox simus, vbi sapientiam Deum scilicet ipsum, & Christũ Dei sapientiam facie ad faciem contemplari dabitur. Per fenestras respicit in domum sapientiæ, qui per scripturas sacras, per opera denique Dei,& spiritales illuminationes contemplatur intimius quàm alij cœlestia.In ianuis audit sapientiam loquentem, qui in ecclesia sancta hic consistens quasi in atrio domus Dei,iã sapientię vicinus omnino est,audiens *Psal.84.* in tranquillitate mentis quid loquatur in ipso Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.

25 *Qui requiescit iuxta domum illius,& in parietibus illius figens palum.*

QVi eò profecit vt sapientiam inuentam in sua domo & clarius videat, & vicinius audiat, restat vt eò magis eius pulchritudinis & dulcedinis amore captus,se nõ patiatur ab ea diuelli,sed valedicẽs huius mundi desideriis & mundanis occupationibus, fixè ei adhæreat,& quoniam necdum cœlestem eius domum ingredi potest, saltem iuxta eius requiescat domum, suámq; habitationem deligat, quod faciũt qui verè & perfectè dicere possunt cum Pau. Col.3. Nostra conuersatio in cœlis est. Et qui in lege Domini meditantur die ac nocte, cõtemplationi diuinarum rerum,& lectioni sacrorum librorum semper intenti, & in actionibus sacris semper occupati: hi sunt qui in magna mentis tranquillitate requiescunt iuxta domum illius, quíq; figunt palũ iuxta parietes illius, ad erigẽdum sibi casam humilem vel tabernaculum, agnoscẽtes scilicet se in hoc mundo non habere manentem ciuitatem,& ob id non quasi in domibus hic habitantes, sed quasi in tabernaculis cũ patriarchis. Ad hæc enim significandũ pulchrè Sapiens studiosum sapientiæ iuxta domum sapiẽtiæ requiescere allegoricè dicit,& figere paxillum in vel iuxta parietes illius, quasi adhærẽtem cœlo & domui sapientiæ, & firma spe illi inhærentem. Scimus enim, inquit Paulus 2. Cor. 5. quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domũ non manufactam in cœlis. Non dissimilis allegoria est cum hoc loco Prou. 8. cùm dicit Sapientia: Beatus homo qui audit me,qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei.

26 *Statuet casulam suam ad manus illius,& requiescet in casula eius bona per æuum.*

PRo,casula,Græcis est,σκήνωμα,hoc est,tabernaculum, quod scilicet humilibus conuenit & peregrinantibus. Itaque hoc nomine rectè designatur habitatio iustorum,qui superba non querunt palatia, & agnoscunt se hic esse peregrinos,non habentes manentem ciuitatem.Hanc suam humilem habitationem statuit amator sapientiæ iuxta manus illius, vel quia statuit veluti ad latus illius, eo quòd ei mente & desiderio semper adhæreat. Græcis enim est singulariter, manum,vel quia se totum eius directioni & gubernationi committit, expectans ab eius liberalitate dona, ad rectè piéque viuendum necessaria,Ideoq; in casula eius requiescent omnis generis bona; hoc est, habebit pro se

& ſuis bona neceſſaria. Siquidem longitudo dierum in dextra eſt ſapientiæ, & in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Quod addidit interpres, per æuum ſignificat bonorum æternitatem. Lyranus tamen & Dionyſius legunt, per eũ, vt referatur vel ad Deum, vel ad eum qui ſtatuit caſam ſuam ad manus ſapientiæ: vt ſignificetur eius opera & diligentia fieri, vt in caſula ſua bona ſapientiæ requieſcant. Vnum ſcriptum habuit, eum, non æuum.

27 *Statuet filios ſuos ſub tegmine illius, & ſub ramis eius morabitur.*

28 *Protegetur ſub tegmine eius à feruore, & in gloria eius requieſcet.*

SIcut ſuperiori ſentẽtia inſinuauit fructus qui prouenium à ſapientia ſtudioſo eius, ita & iſtis, ſed hic iam noua vtitur allegoria. Comparat enim iam ſapientiam arbori pulcherrimæ, quæ ſuos ramos longè latéque extendit, & ſua obũbratione recreat & protegit à feruore ſolis ſedentes ſub ea. Qua allegoria & comparatione vtitur & ca. 24. Itaq; iam ſignificat ſapientiam & ſuos etiã defendere à malis, ſicut mox ſignificauit bona per ſapientiam prouenire in tabernaculis iuſtorum. Poſtquam, inquit, caſulam ſuam amator ſapientiæ iuxta domum ſapientiæ collocauerit, omnibúſq; bonis domus eius ditata fuerit, vt etiam ab omnibus malis & ipſa & familia eius tota immunis ſit ſtatuet filios ſuos corporales, ſiue quos docendo ſibi acquiſiuit, ſub tegmine illius, hoc eſt, protectione eius, ſuis ſcilicet precibus eos protectioni diuinæ ſapientiæ commendando, & eoſdem inſtruendo, vt ſub vmbra ipſius ſeſe collocent, eiúſque cuſtodiæ ſeſe committant. Sed & ipſe ſua ramis eius, hoc eſt, ſub protectione ei⁹ inſtar arboris ramiferę defendẽte morabitur, in tranquillitate mentis ſub illius cõſolatione & defenſione aſſiduè perſiſtens. Ideóq; ſicut ſperauit, ſub eius protectione & veluti vmbra obtegente protegetur à feruore ſolis, hoc eſt, à malis huius vitæ & omni tentatione, ne quid illi nocẽat & lædant, imò & in gloria eius & ſumma eius claritate requieſcet, pacem mentis conſecutus, ex eo quòd fruitur gloria ac claritate ſapientiæ, gaudens quòd eius gloriam cognoſcat, & in ſeſe ſentiat, & ob id facilè cõteminens omnia & bona & mala huius mundi. Requieſcet etiam in gloria ſapientiæ, hoc eſt, honore, quã à ſapientia conſecutus eſt. Quod vt ex parte hic impletur, ita in futura vita perfectiſſimè. Simile eſt quod eſt apud Iſaiam: 4. Erit tabernaculum in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & pluuia.

Caput. XV.

1 *Qui timet Deum faciet bona, & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet eam.*

PRoſequitur quod in fine ſuperioris capitis incepit, oſtendens pulcherrimo ordine fructus quos à ſapientia conſequitur qui eius verè eſt ſtudioſus. Porro pro, bona, multi libri antiquiores & maioris authoritatis habent, illud, quomodo & Rabanus legit, & conuenit cum editione Complutenſi, quæ habet ἀυτὴ, hoc eſt, illa, nẽpe quæ dicta ſunt ſuperiori capite. Dixit enim ſuperiori capite pleraq; quæ faciunt ſapientiæ ſtudioſi vt eam adipiſcantur, modò ſignificat qui ſint illi. Qui, inquit, timet & reuereturDeũ, ſemper ſolicitus vt faciat quæ ei placent, ille eſt qui faciet illud vel illa quæ iam dicta ſunt. Nẽ quis putet in ſola cõtemplatione & lectione ſcripturarum cõſiſtere verum ſapientiæ ſtudiũ, quod maximè conſiſtit in ſtudio placendi Deo. Germanicum tamen exẽplar poſt Venetum, ἀγαθὸν, habet, hoc eſt, bonum, vt mirum non ſit etiam Latina exemplaria variare. Altera tamẽ lectio magis placet, & genuina eſſe videtur. Pro, continens iuſtitiæ, eſt ὁ ἐγκρατὴς γνώσεως ἢ νόμου, hoc eſt, compos cognitionis legis, vel qui tenet cognitionem legis. Cognitio autẽ legis, nuda & ſpeculatiua non prodeſt, niſi ſit & practica, hoc eſt, niſi quis exerceat iuſtitiam quæ in lege præſcribitur, vnde non malè vertit interpres, qui continens eſt iuſtitiæ, hoc eſt qui compos factus eſt iuſtitiæ operum, eoque profecit vt iuſtè viuat, aut qui firmiter iuſtitiam tenet & conſeruat: is, inquit, apprehendet eam, nempe ſapientiam, eo modo quo ſupra dictũ, in ſua ſcilicet perfectiõe vt per eam iam ſecurus viuat bonis abundãs & à malis protectus. Idem ergo hic dicitur quod ſuperius cap. 1. Concupiſcens ſapientiam conſeruat iuſtitiam, & Deus præbebit eam tibi.

2 *Et obuiabit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet eum.*

QVæ ſequuntur ſatis clara ſunt, ſed obſeruandus eſt ordo bonorum quæ ſapientiæ ſtudioſus conſequitur, ſemper proficiens, perfectiora obtinens. Pro, mulier à virginitate, eſt Græcis γυνὴ παρθενίας, hoc eſt, mulier vel potius vxor virginitatis, hoc eſt, quę virgo ducta eſt. Idem intelligendũ apud nos per mulierem à virginitate, vxor ſcilicet quæ non à viduitate ducta eſt, ſed à virginitate, hoc eſt quæ virgo ducta eſt. Comparat ergo ſapientiam & matri honorabili, quæ dilecto filio ſuo lęta occurrit ad amplexãdum illum: & ſpõſæ virgini, quæ amiciſſimo complexu ſponſum excipit, atque amplectitur longè ſynceriori & ardentiori amore quàm vidua, aut corrupta ſuperinductũ maritum. Quibus cõparationibus ſignificat, eum qui iam apprehendit ſapientiam, ab ea & filij dilectiſſimi & ſpõſi chariſſimi loco habendum cúmque ſæpius illius ſuauiſſimos occurſus & amabiliſſimos complexus percepturum, dum ſentiet eam vbique ſibi præſentem, & replebitur ab vberibus conſolationis eius. His concordat quod dicitur in Sapientiæ libro de ſapiẽtia: Præoccupat hos qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Et in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis. Et iſtud quidem primum eſt quod inter fructus ſapientiæ recenſetur. Secundus fructus eſt, qui ordine conuenienti ſequenti verſu exprimitur, vtpote qui ex priori ſequitur.

8 *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.*

QVia enim tanquam matrem & vxorem ſe gerit illius, non tantùm illum cõplexabitur, ſed etiã cibabit eum atque potabit, hoc eſt, perfectè illum & nutriet & reficiet, ſed pane & aqua huiuſmodi quæ iuſtis ſunt propria, pane ſcilicet intelligẽtiæ, & aqua ſapientiæ, hoc eſt, nutriet & reficiet eum intelligentia & ſapientia tanquam cibo & potu. Animę enim idem eſt cibus & potus, ipſa ſcilicet diuina ſapientia, & Dei verbum, illud maximè quod interius ſonat in mẽte hominum, ipſum confirmans, in pietate nutriens, reficiens mentem, & omnem ſitim facilè extinguens. Interpres de ſuo addidit; vitæ & ſalutaris; cùm Græcis tantùm ſit, pane intelligentiæ, & aqua ſapientiæ. Nec malè addidit ad diſtinctionẽ non ſolùm corporalis panis, qui non confert vitam veram quæ mortem excludat, ſed omnis doctrinæ philoſophorũ & ſapientum huius mundi, qui etiam ſuis dogmatibus velut pane intelligentiæ cibãt ſuos diſcipulos, & potãt eos atque reficiunt aqua ſapientiæ, ſed nec eorum panis vitam confert veram, nec eorum ſapientia eſt ſalutaris. Cæterùm myſtica & ſubtili intelligentia panis vitæ & intellectus, eſt verbum Dei incarnatum, Chriſtus ſcilicet, qui de ſe dicit Ego ſum panis vitæ, cuius corpus in cibum *Ioan. 6.* ſapientia Dei ſuis in nouo teſtamento præbuit, ſed quod non cibat, niſi intelligentia & fide ſumatur; Atque ſapiẽtiæ ſalutaris, eſt ſpiritus ſanctus, de quo Dominus dicit: Aqua *Ibid. 4.* quam ego dabo ei, fiet in eo fons vitæ ſalientis in vitam æternam.

4 *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur.*

GRæcè non eſt, in illo, ſed ἐπ' αὐτῇ, ſuper eam, vt ad amatorem ſapiẽtiæ referatur verbum, firmabitur. Sic & pro, continebit illum, eſt ἐπ' αὐτὸν ἐρείδει. ſuper ea innitetur, Interpres legit αὐτὸν, ipſum, vt verba, firmabitur & continebit, referenda ſint ad ſapientiam: flectetur verò & confundetur, ad ſtudioſum ſapientiæ. Et ſenſus eodẽ redit. Dum enim quis firmatur ſuper ſapientiam, ipſa etiam ſapientia firmatur in illo: & dum quis ſapientiæ innititur, continet illum ſapientia, ac ſeruat ne cadat. Tertio ergo loco dicit ſuperioribus ſapientiam addituram ẽtiam ſtabilitatem & firmitatem in ſui ſtudioſo, ne ab ea quam amplexatus eſt ſemel pietate excidat, & ſpe ſua fruſtratus cõfundatur. Ipſa, inquit, ſapientia non ſolùm cibabit ſuum ad tempus, ſed firmabitur in ipſo, idque per cibum vitæ quo eum cibabit, fixè & firmiter in ipſo perſiſtet, firmum per hoc illum reddendo: vnde ille non flectetur à recto, non declinabit ad caſum. Ipſa ſperantem in ſe cõtinebit, ſeruando eũ ne cadat: vnde ille non confundetur, fruſtratus ſua ſpe, & prolapſus in malum. Non illi cõtinget quod ſperantibus in rebus mundanis, & inniteniibus eis, quos mundus continere non poteſt, quique ſua ſe ſpe poſtea ſentiunt fruſtratos, quos ob id verecundari neceſſe eſt.

5 *Et exaltabit illum apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os eius.*

QVarto loco rectè ſubiũgit, quòd ſapiẽtia ſuum filium pabulo doctrinæ prius à ſe enutritum, & in pietate firmatum, non ſolùm non ſinet confundi, ſed etiã exaltabit apud alios proximos ſuos, altiori eum inter alios loco conſtituens, & rectoris vel doctoris ei officium committens, quo ei officio cõmiſſo, ipſamet ſapientia aperiet os eius in medio congregationis, vt coram ea congregatione & aptè & confidenter loquatur, & ipſe à ſapientia prius edoctus, etiam alios rectè docere valeat. Vnde & Dauid dicit: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: Et Paulus petit pro *Pſal. 50.* ſe orari, vt Deus illi aperiat oſtium ſermonis *Coloſ 4.* ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtet illud prout oportet.

6 *Et adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & ſtolla gloriæ induet illum.*

HIc verſus in nullis iam eſt Græcis exemplaribus. nec ferè aliud continet quàm quod habet præcedens ſentẽtia, quanquam poteſt eius ad ſuperiora ordo & acceſſus ſic explicari; cùm aperuerit ſapientia os eius quem ſuperiori loco in eccleſia conſtituit, adimplebit illum ſemper magis ſpiritu ſapientiæ, maiori & abundantiori eum donãs in aliorum vtilitatem ſapientia, iuxta illud: *Pſal 80.* Aperi vel dilata os tuũ, & implebo illud. &: *Mat. 25.* Omni habenti dabitur. & abundabit. Sic autem abundãter ſpiritu ſapientiæ donatum, veluti ſtola gloriæ, hoc eſt, glorioſa ac præclara eum iuduet, quia eum in eccleſia ornatiorem reddet, vt ſit omnibus conſpicuus & gratus, tandem etiam indutura eum glorioſa immortalitatis ſtola.

7 *Iucunditatem & exaltationem theſaurizabit ſuper eum, & nomine æterno hæreditabit eum.*

NOn ſolùm donabit eũ gloria, ſed & voluptate tum ſpiritus tum corporis. Accumulabit, inquit, ei iucunditatem cordis & exultationẽ corporis Quod rectè poſtremo loco ponit, quia ſapientiæ amator, expertus in ſe prædicta ſapiẽtiæ dona, cernensq; aliorum per ſuam doctrinam profectũ, non poteſt non & corde gaudere, & gaudio cordis in exteriora perfuſo, corpore exultare, quẽadmodũ patet in Paulo, qui ſuos diſcipulos vocat gaudium ſuum & coronam ſuam. & *Phil. 4.* rurſum: Quæ eſt enim ſpes noſtra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in aduentu eius? Vos enim eſtis corona noſtra & gaudium. Nec his omnibus contẽtus, adiicit quod

quod eſt perpetuum;Et nomine æterno hæreditabit illum; hoc eſt, donabit ei nomen
Pſ. 111. æternum in perpetuam hæreditatem & poſſeſſionẽ, quia & hic famoſum ac celebrem reddet in Eccleſia, & in cœleſti domo nomen conſequetur quod non peribit.iuxta illud:In memoria æterna erit iuſtus.Et Iſa.56. Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit. Ex hac explicatione intelligere licet quàm conuenienti & efficaci ordine fructus & operationes ſapientiæ in ſuis filiis hic recenſeantur,vſque ad ſeptem vel octouumero.

8 *Homines ſtulti non apprehendent eam, & homines ſenſati obuiabunt illi.*
9 *Homines ſtulti non uidebunt eam,longè enim abeſt à ſuperbia & dolo.*

POſtquàm dixit qui ſapientiam conſequantur,& qua ratione, atque quo fructu,rectè per antitheſim ſubiungit qui eam non conſequantur, & quare. In Græcis autem hæcomnia paucioribus verbis dicũtur, & ordinatius. Non enim eſt ibi illa pars; & homihes ſenſati obuiabunt illi; ſed tantùm habent: Non apprehendent eam homines ſtulti, & viri peccatores non videbunt eam. Deinde ſequitur:Longè eſt à ſuperbia, & viri mẽdaces nõ erũnt memores illius.Nec addirur contraria de veracibus ſententia.Noſter interpres vt alias, addidit de ſuo contrarias de ſenſatis & veracibus ſententias, quòd eæ tacitè includantur in ſententiis de ſtultis & mendacibus, & eas magis declarent. Contraria enim iuxta ſe poſita magis eluceſcũt. Dicit ergo,homines ſtulti, qui ſcilicet quæ ſunt huius mundi toto corde ſectantur,non apprehendent ſapientiam, tum quod eam non quærãt,tum quod ita fugiãt ab eis, nec
Sapiẽ. 1. ſe ob eorum culpam illis ſatis ingerat.In malenolam enim animam non introibit ſapien-
Ioan. 14. tia.Et de ſpiritu ſancto dicit Saluator, quòd eum mundus non poteſt accipere,quia non videt eum,nec ſcit eum.Cõtra homines ſenſati,hoc eſt,prudentes, qui ſibi bene conſulunt, obuiabunt ſapientię,quærentes eam,& ipſam ſe eis ingerentem lubenter amplexantes.Homines, inquam, ſtulti non videbunt eam,non agnoſcẽt eius pulchritudinem atque decorem. Longè enim abeſt à ſuperbia & dolo,hoc eſt, non poteſt cum his vitiis cõiungi,quibus valdè eſt diſſimilis, quæ tamẽ vitia in hominibus mundanis ferè reperiuntur.Nam & per ſuperbiam Deo repugnant, & dolo atque mendacio proximos ſuos fallunt, cùm ſapientia humilitatem imprimis doceat Deo exhibẽdam, & fidelitatem proximis impendendam. Vnde de illis duobus vitiis pecculiariter dicit Sapientia:Arrogan-
Pro. 8. tiam & ſuperbiam & os bilingue deteſtor. De altero horum ſubditur:

10 *Viri mendaces non erunt illius memores, & uiri ueraces inuenientur in ea, & ſucceſſum habebunt uſque ad inſpectionem Dei.*

VIros mendaces,vocat fallaces,quiq; delectantur mendaciis & dolis.Hi nõ ſunt memores ſapientię,tum quòd de ea apud ſe non cogitent,tum quòd de ea non loquantur,nec mentionem faciant, vt quibus tantùm lubet vana & cogitare & loqui. Contrà viri veraces,qui veritatem ſcilicet amant, illi inuenientur in ſapientia,quia in ea lubenter & corde recogitanda,& ore prædicanda occupantur; qua in re Deo dirigente ſucceſſum habebunt ſemper, in ſcipſis proficientes, & alios vtiliter erudientes, quouſque eis ex hoc mundo ſublatis datum fuerit videre Deum facie ad faciem.In cuius inſpectione iam omnino ſic perfecta erit & ſatiata hominis ſapientia, vt amplius proficere non poſſit. Satiabor, inquit ille, cùm apparuerit gloria tua. Poteſt tamen illud; vſque ad inſpectionem Dei,& melius,ſicut ſecundo capite huius libri, accipi pro viſitatione Dei, cùm ſcilicet in iudicij ſiue particularis, ſiue vniuerſalis die viſitabit cuiuſq; opera, reddens vnicuique ſecundùm opera ſua, vt ſignificetur veraces ſucceſſum habituros quouſque Deus venerit ad inſpiciendum & remunerandum eorum opera. *Pſal. 16.*

11 *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quoniam non eſt à Domino miſſus, quoniam à Domino profecta eſt ſapientia.*

MIrum eſt in impreſſis iam Bibliis omitti illam partem;quoniam non eſt à Domino miſſus; cùm eam omnia penè ſcripta habeant, Rabanus item, & Dionyſius, & Gloſſa ordinaria, eíque reſpondeat quòd Græcis eſt, ὅτι, ὃ παρὰ κυρίου ἀπεστάλη αὐτῷ, quoniam non à Domino miſſa eſt illi, laus ſcilicet. Omittenda ergo potius erat pars ſequens; quoniam à Domino profecta eſt ſapientia; quæ quamuis ſit in omnibus Latinis,in Græcis non eſt, Et videri poteſt duas has partes ex diuerſis verſionibus vnius partis eſſe aſſutas. Sed ad rem. Dixerat peccatores non eſſe memores ipſius:itaque quoniam obiici poterat, peccatores & mẽdaces etiam aliquando de ſapiẽtia loqui, aliósque docere, iuxta illud: Peccatori dixit Deus, *Pſal. 49.* quare tu enarras iuſtitias meas?ſubiicit:Non eſt ſpecioſa laus, ſapientiæ ſcilicet vel Dei, in ore peccatoris, hoc eſt, etiamſi in ore eius inueniatur,non eſt tamen ibi ſpecioſa, nec decet eam ibi eſſe,quia dede coratur vel admixtione vanitatis & falſitatis, vel ſaltem vitæ improbitate. Denique quia non eſt ibi Deo grata, nec placet ei, vnde apud Pſalmiſtam Deus peccatorem bona docentem redarguit, vt dictum eſt. Nomine enim laudis ſapientiæ, in genere ſapientiæ prædicatio,celebratio & doctrina comprehenditur, Quæ cur non ſit ſpecioſa in peccatore, indicat cùm ſubiicit; Quoniam peccator non eſt à Domino miſſus; ad prædicandum ſcilicet, & commendandum aliis ſapientiam, ſed ipſe ſibi ſumit honorem & officium, etiamſi externa per homines vocatione miſſus videatur.Nec à Domino eſt edoctus verè & interno magiſterio ad prædicandã aliis

ſapientiam, quoniã vera ſapiẽtia à Domino proficiſcitur.Itaque cùm eam Deus non doceat,nec det peccatoribus,quoniam in maleuolam animã non introibit ſapientia:conſequens eſt peccatorem nõ eſſe à Deo eruditũ,& miſſum ad prędicandum ſapientiam & laudem Dei. Simile eſt quod habetur in Prouerb.cap.28. Indecẽs eſt in ore ſtultorũ Parabola.Et cap.17.Non decẽt ſtultum verba compoſita. De iuſtis autem contrà dicit Pſal.32,Rectos docet collaudario.

12 *Sapientiæ enim Dei aſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi.*

GEnitiuus,Dei,non eſt in Græcis,& abeſt etiã in quibuſdam ſcriptis, quamuis ad rem parum faciat ſi addatur,& referatur vel ad datiuum,ſapientiæ,vel ad nominatiuum, laus.Significatur autẽ conuenire vt laus iungatur ſapientiæ,hoc eſt, ab ea proficiſcatur, nec ab ea ſaparetur.Vnde Græca habent:In ſapientia dicetur laus. Et ſicut non eſt laus ſpecioſa in ore mẽdacis,vt dictum eſt, ita in ore fideli, hoc eſt, veraci abundabit,Domino dante ei ipſam laudem & ſapientiæ prædicationẽ.Relatiuum enim,eam, referẽdum eſſe ad laudem,& non ad ſapiẽtiam,ex Græcis ſatis patet,quæ habent:In ſapientia dicetur laus,& Dominus proſperabit eam,nempe laudem,dando ſcilicet orationi ſapientis ſucceſſum.Dominus enim dabit verbũ euãgelizantibus virtute multa,vt eſt Pſal.

13 *Non dixeris, Per deum abeſt: quæ enim odit ne feceris.*

QVoniam ſunt qui ſuã inſipiẽtiam, errores & peccata Deo imputãt,rectè poſtquam dixit ſtultos & peccatores non apprehendere ſapientiam, in ſequentibus docet Deum non eſſe malorum authorem,nec illi vel inſipientiam hominum, vel peccata tribuenda. Porrò pro verbo,abeſt, Græcis eſt, ἀφέξω,aoriſtus ſcilicet ſecundus à verbo ἀφίημι,ſignificãs defeci,vt ſit ſenſus:Per Deum factum eſt vt defecerim à recto & vero, hoc eſt,quòd reliquerim.Tuum enim eſt non facere quę ille odit.quaſi dicat: Cùm De⁹ peccata odiat atque prohibeat, tibi omnino cauendum eſt ne verbis tuis ea Deo tanquam authori tribuas,& tibi curandũ ne ea facias, qui ſolus illorũ tibi author es. Interpres pro ἀπέξω, legit ἀπέχει, quod ſignificat abeſt, & ſubaudiendũ eſt ex præcedentibus nomen, ſapientia,vt ſit ſenſus:Ne dixeris;Per Deum abeſt mihi ſapiẽtia.Non enim per illum ſtat quòd illa abſit,ſed per te. Si enim nõ feceris quæ ille odit,facilè ab eo ſapientiam conſequeris.Si verò ea feceris quę ille odit,mirari non debes,nec illi imputare quòd ſapientia careas,ſed tibi qui mereris vt ea tibi non detur,& impedimentum præbes dono Dei.D. Auguſt.conformiter cum Græcis legit; Ne
D. Aug. libro de gratia de lib. arbi. cap.2. dicas;propter Deum receſſi.

14 *Non dicas,ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.*

EOdem pertinet hæc ſententia quo ſuperior, vt ſcilicet errores ſuos Deo nemo
Iacobi 1. imputet,quaſi ipſe quenquam ſeducat.Cui-ſimile eſt quod habet Iacobus: Nemo cùm tẽtatur dicat,quia à Deo tẽtatur.Deus enim intentator malorum eſt.Ipſe autem neminẽ tentat,&c.Cõtrariæ tamẽ huic loco videtur quædam ſcripturæ,quæ errores & ſeductionem Deo tribuunt.Nam apud Ezechielẽ dicit Dominus: Propheta cùm errauerit, ego Dominus decepi prophetã illum. & Paulus
Rom.1. Tradidit,inquit,eos Deus in reprobum ſenſum,&c.Ad quæ loca & ſimilia multa primò dicẽdum eſt,ea quæ illis locis Deo tribuuntur,intelligẽda ſunt nõ effectiuè Deo tribui, quaſi ſit author peccatorum,ſed permiſſiuè quia ſcilicet iuſto ſuo iudicio vel non apponit vel ſubtrahit gratiã ſuã qua illa impedirẽtur.Vnde Chryſoſt.in illud; Tradidit illos Deus;Quod autẽ hic dicit,tradidit, nihil eſt aliud quam permiſit. Quemadmodũ enim ſi dux quidam exercitus bellici ingraueſcente bello ſeſe ſubduceret, quid quæſo aliud faceret quàm quòd milites hoſtibus traderet? non quòd ipſe illos in ſtragem impelleret,ſed q⁹ eos ſuo priuaret auxilio:ad eum ſanè modum & Deus eos qui quod ab ipſo offerebatur auxilium, amplecti nõ ſuſtinẽtes, priores reſilierũt,reliquit. Deinde illa in ſcripturis Deo nõ tribuuntur niſi tanquam vindicanti & punienti peccata præcedentia, vt illa Deo non tribuantur quatenus peccata ſunt, ſed quatenus ſunt pœna peccati. Hic verò cùm dicitur;ne dicas, ille me implanauit;vult ſignificare errores noſtros Deo non eſſe tribuendos tanquam primo authori,qui præter noſtram culpam erroris in nobis ſeminet,ſicut nobis præter noſtrum meritum gratiam ſuam infundit qua nos ad virtutem promouet.Vnde Auguſt.lib.de gratia & lib. arb.cap.21.Quando, inquit, legitis in literis veritatis à Deo ſeduci homines,aut obtundi vel obdurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſtè iſta paterẽtur, ne inccurratis in illud Prouerbiũ Salomonis: Inſipientia hominis violat vias *Sapien.1.* eius, Deum autẽ cauſatur in corde ſuo. Sic ſcriptura dicit Deum mortem nõ feciſſe, & tamen alibi dicitur, & vitam & mortem ẽſſe à Deo. Mortem enim non fecit, quaſi eius author fuerit & inſtitutor, cui mors imputãda ſit. Eadem tamen à Deo eſt, quòd tanquam iuſtus iudex eam inferat his qui meruerunt,ſicut facinoroſis iudex homo mortem infert,quæ tamen non iudici imputãda eſt,ſed ei qui illam ſuis criminibus promeritus eſt.Hũc eſſe præſentis loci ſenſum patet ex ſubiecta ratione;nõ enim neceſſarij ſunt ei homines impij,vel,vt habent Græca, non enim opus habet homine peccatore. Quo ſignificatur Deũ non deſiderare,nec proinde facere homines impios & peccatores, nec à Deo eos habere quòd peccatores ſint & impij,Quibus enim opus habemus,ea deſideramus.Alioqui Deus etiam hominibus piis & iuſtis opus non habet, qui ſibi ſolus ſufficit, ſed peculiariter dicitur non habere opus peccatoribus,quòd peccatores non deſideret, nec condiderit,aut eſſe voluerit. Quæ enim deſideramus, ea ſi valemus ipſi nobis paramus & facimus: & ideo facimus. quia his vti volumus tãquam nobis neceſſariis.

riis. Significatur ergo Deũ non esse similem impiis qui alios corrumpũt, vt eorum opera quod volunt faciãt. Vtitur tamen etiã variis modis Deus peccatoribus, qui se tales fecerunt, nõ quos ipse tales fecit, quia per eos & iustos exercet, & alios punit, & postea suam in eis gloriam iustitiæ, & contrà in iustis magis declarat suam misericordiã. Quod auté
Iere. 20. Ieremias de se dicit; Seduxisti me Domine, & seductus sum; huic loco contrariũ nõ est. Seductum enim se tantùm dicit, ideo quia præter spem incidit in populi contradictionem, vt bene exponit D. Hieronymus in Ieremiam. Vnde sequitur: Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. D. Augustinus loco superius citato legit; Ne dixeris, ille me induxit, non enim opus habet viro peccatore; vt certum sit D. Augustinum aliam in hoc libro secutũ versionem, quam optandum esset totam extare. nam videtur fuisse correctior nostra.

15 *Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.*

ERroris, non est Græcis, sicut & apud Augustinũ loco prædicto tantùm est, omne execramentum. Græcis est βδέλυγμα, hoc est, abominationem. Itaque per execramentum erroris non debet intelligi tantùm execrabilis & detestabilis error, sed omne abominabile quod ex errore procedit, quódq; error gignit. Omne, inquit, quod natura sua est abominabile & malum, odit Dominus, tãtùm abest vt vel erroris, vel eorum quę errori cõiuncta sunt author sit: & quia omne illud Deus odit, non erit etiã illud amabile & gratum timentibus eum, sed & ipsi illud odient & fugient. Insignis est, & bene notandus totus hic locus contra eos omnes qui Deum asserunt cum Manichæis causam & authorem malorum, & maximè cõtra eos qui hoc nostro sæculo ausi sunt asserere, Deũ æquè fuisse authorem traditionis Iudæ, atque fuit confessionis Petri.

16 *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.*

EXpressius iam docet vnde sit peccatum & malum quod à Deo non esse iam dixerat, videlicet quòd sit à voluntate humana, quã Deus in hominis creatione liberã esse voluit ad bonũ & malum, vt capax esset præmiorum. Hoc enim loco apertissimè demonstratur, quod tamẽ iam plerique negare non sunt veriti, liberũ hominis arbitrium, quemadmodum ex hoc loco concludit D. Augustinus, qui libro superius citato, posito hoc testimonio, subiungit: Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanę voluntatis arbitriũ. Id enim apertè significat eo quod hic dicitur, Deum hominẽ à se in principio mundi cõditum reliquisse in manu, hoc est, in potestate consilij sui, hoc est, sic eum sibi reliquisse, vt posset secũ cõsilium inire quid ex multis eligere vellet, & vt quod eligeret, exequi posset. Nõ enim sic Deus hominem conditũ reliquit, quasi sua eum gubernatione ac gratia destituerit, & ille per se sine Dei gratia & conseruatione sibi sufficiẽs fuerit: sed quòd eum non ad vnum aliquid, pecorũ more, determinauerit, nec ad sectãdum aliquid sua ipsum potestate adegerit, verùm potestatem ei fecerit & eligendi & faciendi quod vellet. Oritur tamẽ hic non parua difficultas, quomodo quę hic dicũtur de libertate & potestate hominis, cõueniũt homini iam ipso, qui iam in sua manu non habet vt bonum & eligat & faciat, saltem illud per quod vita æterna obtineatur, de quo bono in sequentibus agitur, cùm dicitur: Si volueris, madata conseruabunt te. Nẽm enim dici potest, quæ hic dicũtur tantùm pertinere ad hominem, in sua integritate in qua conditus fuit constitutum, quemadmodum aliqui volunt, qui illa: Si volueris, mandata seruare, conseruabunt te. &: Ad quod volueris extende manum tuam; intelligunt esse verba Domini ad Adam, ideóque legunt; Appositi tibi aquam & ignem; quasi à Domino hæc dicantur Adæ. Huc, inquam, confugere non licet. Legendum enim est, appositi tibi, vt habent omnia scripta, & Græcis est, προέθηκά σοι, appositi tibi. Itaque non dubium est hæc cuius hominum dici, sicut & Deuteron. 30. similia dicuntur, vnde verisimile est huius libri authorem hæc desumpsisse. Sic enim ibi dicitur: Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitã & bonum, & ecõtrariò mortẽ & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, &c. & rursum: Testes inuoco hodie cœlum & terram, quòd proposuerim vobis uitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, &c. Dicendum ergo, hominem quidem ante lapsum habuisse pleniorem potestatem ad bonum, quam post lapsum habeat: scripturã tamen sæpe de eius voluntate sic loqui, quasi in eo situm sit bene & velle, & facere, tũ quòd respiciat ad eã volũtatis potestatem quam in creatione accepit à Deo, dissimulando illud quod pecca to facta est: tum quòd ex creatione sua adhuc habeat vt bene velle & facere possit, etsi non per se, hoc est, ex his quæ in se habet, sicut tunc, tamẽ per adiutorium gratiæ Dei sicut nec tunc bene agere potuit, nisi per adiutorium gratiæ Dei: quod si nunc desit alicui, non Dei, sed voluntatis vitio deest, siue quia suo peccato illud demeruit, siue quia infirmitatẽ suã non satis agnoscens, non implorat sicut oportet, Dei gratiã. Meritò ergo etiam iam ei dicitur: Elige vitam, & quia hoc ei ex creatione suæ conditionis faciendum erat, & quia per Dei gratiam quam precãdo obtinere potest, id præstare potest. Sic & de eo rectè hic dicitur: Si volueris, mandata seruabis. &: Ad quod volueris extende manum tuam; quia voluntate hæc fiunt, etsi non nisi diuinitus adiuta per gratiam.

17 *Adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & imperpetuum fidem placitam facere.*

ILlam partem; Adiecit mandata & præcepta sua; Græca nõ habent, sicut nec Augustinus: rectè tamen addita est ab interprete, quia de mandatis seruandis subinfertur sermo. quam sequentẽ partem Græca aliter habent.

habẽt, hoc modo: ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι ἐντολάς, καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας. Si volueris, conseruabis mandata, & fidem facere beneplaciti; vbi infinitiuus, facere, vel est accipiendus pro futuro, faciens, vel est coniungendus cum verbo, conseruabis, vt sit sensus: conseruabis mandata, & conseruabis facere fidem, hoc est, præstare fidelitatem quę Deo sit beneplacita & grata. Augustinus legit loco prædicto sine, facere: Si volueris, conseruabis mandata, & fidem bonam placiti; vbi pro, bonam placiti, fortè legendum est, beneplaciti. In nostris libris hæc sententia variè legitur. Sunt enim plerique qui in prima parte pro, seruare, habent conseruare, ficque magis verisimile est interpretem vertisse, quia Græcis est verbum, conseruabis. vt sit alluſio: Si tu volueris mandata conseruare, ipsa mandata vicissim conseruabunt te. Et additur in multis libris coniunctio, & conseruabunt te, hoc est, etiam ipsa te conseruabunt. Sunt qui habent tantùm semel verbum conseruandi; Si volueris mandata conseruabunt te, quomodo & apud Augustinum legitur in speculo. In secunda parte perperam quidam libri pro facere, legunt rursum, seruare, cùm Græca monstrent legendum esse, facere, Est autem in secunda ea parte repetendum, si volueris, vt sit sensus: & si volueris facere imperpetuum fidem, hoc est, fidelitatem & obedientiam Deo placitam, tunc, inquam; mandata conseruabunt te. Vel potius coniunctio, &, in secunda parte ponitur expositiuè, vt exponat quid sit mandata conseruare, nempe imperpetuum præstare fidelitatem Deo placitam & gratam, quod fit perseueranti obseruatione mandatorum Dei. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Significat ergo Deum nobis fore fidelem in præstandis promissis, si nos ei fuerimus fideles in exequendis mandatis quæ ab eo accepimus. Bene autem postquam dixit; reliquit eum in manu consilij sui; subiicit de mandatorum obseruatione, & additur; Adiecit mandata & præcepta sua; vt intelligamus hominem non sic relictũ in manu consilij sui, vt pro libito suo quiduis posset impunè, sed eam quam accepit liberi arbitrij potestatem, præscriptis mandatis restrictam esse: quæ ne onerosa libero homini videri possent, docet non nuda esse adiecta mãdata, sed eisdem etiam apposita præmia: bona quidem pro seruantibus illa, mala pro non seruantibus. Hic enim ordo insinuatur inter hæc tria, libertatem arbitrij scilicet, mandata & præmia. Decreuit enim primùm Deus creare hominem ad imaginem sui in libertate arbitrij, sed ne illa abuteretur, adiecit mandata, quorum solum liberum arbitrium capax est. Illis, ne onerosa viderentur, aut pro libito impunè reiicerentur, adiecit Deus præmia. Porrò mandata quæ hic adiecta dicũtur, nõ ea tantùm intelligenda sunt, quę in scriptura Geneſis expresse primo homini data legũtur, de manducando vel non manducando fructu paradisi, sed mandata naturalis legis, quæ & Adamo & eius successoribus impressa est, & cordi inscripta. Quæ mandata exprimuntur mox cap. 17. cùm dicitur; Et dixit illis; Attẽdite ab omni iniquo. Et mãdauit illis vnicuique de proximo suo.

18 *Appositi tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.*

DVo inter se extremè contraria homini cum mandatis appositi dicit, quæ per aquam hominem refrigerantem, & ignem comburentem & perdentem rectè significauit, addens ex hominis voluntate pendere vtrum horũ assequatur & obtineat. Quæ autem sint hæc duo per aquam & ignem significata, exprimit, subiungens:

19 *Ante hominem vita & mors, bonũ & malum, quod placuerit ei dabitur illi.*

VItam ergo aquæ nomine significauit, quam & bonum vocat; morté, nomine ignis, quam & malum vocat. quorum vtrum que à Deo datur homini pro meritorum diuersitate.

20 *Quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, & videns omnes sine intermissione.*

REfertur hæc sentẽtia ad omnia superiora. Dicit enim multã esse Dei sapientiã, quia dixi Deum hominem reliquisse in sua libera voluntate, adpositis mandatis & præmiis. Id enim ita factũ est ex infinita Dei sapientia, vt homo libera sua actione mereretur vel bonum vel malum, sicq; Deus in qui busdam gloriã suæ bonitatis declararet, in quibusdam gloriã suæ iustitiæ & iustæ seueritatis. Quia verò dixit reddendum homini siue bonum siue malum, vtrũ scilicet elegerit, ad illius comprobationẽ dicit Deum fortem esse in potẽtia, ita videlicet vt nemo impedire possit quin præstet quod promisit, & reddat vnicuiq; secundùm opera eius. Et ne quis putet quibusdam eum redditurũ quod merẽtur, non propter defectum potẽtiæ, sed propter defectum cognitionis omniũ, quasi in tota hominum multitudine non possit omnes & omnia eorum facta cognoscere, addit; & videns omnes sine intermissione. Coniunctionem enim, &, sicut habent Græca, ita & scripta multa Latina. Hanc Dei de omnibus cognitionem prosequitur, adhuc versu sequenti.

21 *Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit omnem operam hominis.*

NOn solũ, inquit, agnoscit omnes homines, sed & omnem eorum operam, hoc est, opus, laborem, & operationem siue internam siue externam. Peculiariter autem oculos Domini dicit esse super vel erga timentes eum, ad consolationem iustorum, vt ne metuãt se suaq; opera apud Deum negligẽda, sicut negligũtur ab hominibus, sciántque se nihil bene agere, quod nõ ab illo animaduertatur, & ob id non sit carituru suã mercede. Dicit quidam, & Psalmista similites: Oculi Domini super metuentes eum, *Psal. 38.* & in eis qui sperant super misericordia eius; sed

fed ille hoc dicit ad ſignificandum ſingularem Dei prouidentiã erga iuſtos ad promouendum eos:hic verò idem dicitur, ad peculiarem cognitionem Dei deſignandam,qua magis attẽdit ad bona remuneranda, quam ad mala vindicãda.ſic & Iob 31.dicit:Nonne Deus conſiderat vias meas,& omnes greſſus meos dinumerat? Et in Prou. In omni loco oculi Domini,cõtẽplantes bonos & malos.

22 *Nemini mandauit impiè agere,& nemini dedit ſpatium peccandi,*

23 *Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.*

HIs iam ſentẽtiis abſoluitur ſuperior doctrina,qua docetur Deo vitia hominũ nõ eſſe tribuẽda.Reſtabat enim hoc,vt poſtquam oſtendit hominẽ nõ eſſe malum Deo faciẽte,etiam aſſereret nõ eſſe malum Deo mandante,aut licentiam præbente.Pro,ſpatiũ,enim Græcis eſt ἄνεσιν,quod magis ſignificat licentiam & relaxationem.vt ſenſus ſit: Deum neque mãdaſſe alicui impietatẽ, nec licentiã dediſſe peccãdi, & proinde illi non poſſe hominis impietatẽ attribui & imponi. Eadem tamen dictio etiam ſpatium & dilationem ſignificare dicitur,vt nõ malè verterit interpres,ſpatium peccãdi, quo intelligẽdum eſt nulli datam vitę dilationem & tẽporis ſpatium ad hoc vt peccaret, ſed potius vt de malo ſuo pœniteret,iuxta illud: Dedit illi Deus locũ pœnitentiæ,& ipſe abutitur eo in ſuperbiam.& Paulus: Ignoras quoniã benignitas Dei ad pœnitẽtiã te adducit? Si enim ad peccãdum tempus homini datum eſſet à Deo,licentia etiã peccandi ab eo data eſſet, proinde eodem recidit ſenſus. Sunt quidem pleræq; ſcripturæ,quibus videtur Deus quibuſdam impiis præcepiſſe impiè agere, aut ad malum eos inſtigaſſe,vt cùm dicit Dauid de Semei:Dominus præcepit ei vt malediceret mihi.Sed huiuſmodi ſcripturæ tãtùm ſignificãt Deũ impiorũ quorũdam voluntate vſum ad bonũ aliquod,nẽpe vel piorũ probationẽ,vel impiorũ aliorũ punitionẽ, vt eorũ volũtas,quatenus mala erat, nõ eſſet à Deo, ſed ab homine,qui in ſua actione prauã habuit intentionem: quatenus verò eadẽ vtilis erat,& bonũ habuit cõtra illorũ intentionẽ effectũ & fructũ, à Deo erat, & non ab homine.Vnde de rege Aſſyriorum dicitur:Væ Aſſur,virga furoris mei, & baculus ipſe eſt. Ipſe autẽ non ſic arbitrabitur,ſed ad conterẽdum erit cor ei⁹.Vnde Auguſt.lib.de gratia & libero arb.cap.20.tractans illa Dauidis verba;Non iubendo, inquit,dixit Deus, vbi obedientia laudaretur, ſed quòd eius voluntatẽ proprio vitio ſuo malam, in hoc peccatum iudicio ſuo iuſto & occulto inclinauit. Bene autẽ probatur in noſtra lectione, Deũ nemini mãdaſſe impiè agere,dum ſubditur: Non enim cõcupiſcit multitudinẽ filiorum infidelium & inutiliũ. Quo ſignificatur amplius quàm dicitur, nẽpe Deum tales odire & deteſtari. Hæc tamen pars melius apud Græcos coniungitur cum ſequentibus, vt principium noui capitis & noui argumẽti,& vertatur:Ne concupiſcas filiorum multitudinem inutilium, neque iucunderis in filiis impiis.Nam verbum ἐπιθύμει, poteſt eſſe tertia perſona indicatiui, vt ſit non cõcupiſcit; quod ſecutus eſt interpres:vel ſecunda perſona imperatiui,vt ſit;non cõcupiſcas,quod magis ſequendum erat.

Job. 24. Rom. 2. 2. Reg. 6. Iſaia. 10

Caput XVI.

1 *Ne iucũderis in filijs impijs ſi multiplicentur,nec oblecteris ſuper ipſos,ſi non eſt timor Dei in illis.*

POSTQVAM oſtendit Deum nõ eſſe authorẽ malorum, ſed ipſum impios & eorum opera odire, obiter rectè infert doctrinã ad parentes pertinentẽ de non gaudendo in filiorũ multitudine aut elegantia ſi impij ſint,proſequẽs poſtea quę ad vindicantem Dei pertinent iuſtitiam,aut remittẽntẽ miſericordiam.Item quę ad eius pertinent omnipotẽtiam incomprehenſibilem,& ſcientiã omnia perſcrutantem, Quoniam ergo parentes,maximè apud Iſraelitas gaudere ſolent in prolium multitudine tanquam ſingulari dono Dei, de quo dicitur in Pſal.126.Ecce hęreditas domini filij merces fructus ventris;monet non gaudendũ in eis ſi impij ſint,cùm potius de eis dolẽdum ſit, tum ob dedecus quod parẽtibus ab eis proueniet,tum ob vindictã Dei quę impios manet filios. Impios autem ſignificat eſſe, ſi non eſt timor Dei in illis.

2 *Non credas uitæ illorum,& ne reſpexeris in labores illorum.*

PRo,credas,eſt ἐμπιςεύσῃς, quod pro fidere aut fiduciam habere hic poſitũ videtur, Pro labores, exemplar Complutenſe habet πλῆθος.multitudinem.Germanicum τὸν τόπον, hoc eſt,locum.Noſter legit πόνον,laborẽ. Senſus ergo eſt;Etiam ſi videas eos fortes, valẽtes,& multos, ne tamen confidas quòd diu victuri ſint, quódque ſic per illos tibi bene futurum ſit, ne attẽdas ad labores eorũ, ſic vt,quia vides eos magna & egregia pręſtare, confidas in eis, nihilque eis aut tibi nocere poſſe exiſtimes,& per eos nomen tuum diu ſuperfuturum tibi perſuadeas.

3 *Melior eſt enim unus timens Deum, quàm mille filij impij:& utile eſt mori ſine filijs,quàm relinquere filios impios.*

GRæcis nõ eſt κρείττων,melior,ſed κρεῖττον, melius. Alioqui enim cui dubium eſt quin melior ſit vnus bonus,quàm mille impij?Sed,melior,apud nos exponi debet, pro pluris eſt faciendus & præferendus. Reddit ergo cauſam cur in multitudine impiorum filiorũ non ſit gaudendũ,quia,inquit, pluris eſt faciendus vnus filius Deum timẽs,quàm mille Deum non timẽtes:imò vtilius eſt mori ſine filiis, quam relinquere filios impios, quia etſi dedecus ſit, maximè apud Iſraelitas, nullum reliquiſſe hæredẽ ex ſe prognatum,qui nomen defuncti conſeruet: tamen & maius dedecus eſt apud homines poſt ſe relinquere filios impios, qui patris nomen dehoneſtent,& apud Deum parentes magis reddit

reddit vindictæ obnoxios. Probat hanc ſententiam ſequenti ſententia.

4 *Ab uno ſenſato inhabitabitur patria,& à tribus impijs deſeretur.*

LOcus hic proculdubio corruptus eſt,nõ interpretis,ſed ſcriptorum vitio & imperitia.Habent enim Græca in ſecunda parte φυλὴ δὲ ἀσεβῶν,hoc eſt,tribus autem impiorũ, vt,tribus, ſit quartæ inflexionis, ſignificans nationem & familiam. Id non intelligentes ſcriptores maluerunt ſcribere, à tribus impiis,per nomen numerale,quia præceſſit:ab vno ſenſato.Qui error ita obtinuit,vt in omnibus etiam ſcriptis reperiatur.Vnus tamen ſcriptorũ in margine litera prę vetuſtate vix legibili habuit, tribus impiorum deſeretur. Hæc ergo ſine cõtrouerſia vera eſt lectio,in qua verbũ,deſeretur,reſpondet Græco verbo ἐρημωθήσεται,hoc eſt, deſolabitur. Sicut enim nomini ἐρημὸς reſpõdet Latinis deſertũ, ita pro ἐρημωθήσεται vertit interpres,deſeretur Probat ergo hæc ſentẽtia id quod dictũ,eſt, vnum iuſtum filium præferendum mille impiis,quia,inquit,ab uno prudente,id eſt,per vnum prudentem patria,vel,vt habent Græca,πόλις,ciuitas inhabitabitur, hoc eſt,vnus prudens efficiet vt tota aliqua ciuitas & propria patria repleatur habitatoribus. Itaque plus proficiet ſuo conſilio & prudẽtia quàm mille alij.Contrà tribus & ampla familia impiorum breui ita deſeretur & deſerta fiet,vt nullus ex tota illa tribu ſuperſit.Deo ſcilicet impietatem vindicante.quod in ſequẽtibus probat quibuſdã ſeueritatis Dei exemplis.

5 *Multa talia uidit oculus meus, & fortiora his audiuit auris mea.*

VVlt dicere ſe & oculis ſuis vidiſſe multa exẽpla eius quod mox dixit,& longè grauiora atque efficaciora exẽpla, quàm vidit,ſe audiſſe auribus ſuis,ex narratione ſcilicet patrum ſuorũ,à quibus acceperat quæ ab exordio mundi geſta ſunt à Deo in punitione impiorum,quorum aliquot celeberrima exempla poſtea cõmemorat.Legendum autem eſſe,multa talia,& non,multa alia, vt multi legunt, patet ex Græcis, quæ habent τοιαῦτα,talia.

6 *In ſynagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira,*

HOc eſt, inquit, quod aſtruere volo, quódq; & experientia & auditu didici, Deum etiam multitudini non parciturũ,vbi eorum peccata vltionẽ meruerint,vt meritò dixerim, multitudini filiorũ non fidẽdum ſi impij ſint,& etiam amplas impiorũ familias breui deſolãdas, & excindẽdas. Quia etiam in magna aliqua congregatione peccãtium exardebit ignis,hoc eſt,excitabitur in ea ſubitò grauis vltio diuina, omnia perdens & conſumens,& in tota aliqua gente quæ Dei verbo fidem habere,& obedire eius mandatis recuſat,ira diuina ſubito exardeſcet. Nõ enim Deus eſt vt homo, qui multitudinem vereatur,eiúſque poteſtatem ac vires formidet.Quod ſequẽtibus comprobat exemplis aliquot,eíſque quę in ſcripturis ſunt pręclariora,quorum primum eſt de gigantibus diluuio abſorptis,de quibus dicit:

7 *Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ uirtuti.*

PRo,non exorauerunt,eſt οὐκ ἐξιλάσατο, hoc eſt,non eſt placatus,Deus ſcilicet.Significat Deum illis nõ fuiſſe placabilem,etiamſi & multi eſſent numero & fortes viribus.vnde & noſtra lectio ſic eſt accipienda;nõ exorauerunt Deum;hoc eſt, non ſibi ſuo numero & fortitudine Deum ſic reddidere placatum, vt eorum peccata non vindicaret, ſed omnes ad vnum deſtructi ſunt,etſi confiderent,vel quia confidebant viribus ſuis, exiſtimantes neminem ſibi poſſe nocere.

8 *Et non pepercit peregrinationi illorum,& execratus eſt eos præ ſuperbia verbi illorum.*

IVxta receptam apud nos lectionem hic verſus;ſicut & ſequens, refertur etiam ad eam vltionem quæ in diluuio facta eſt,& intelligitur:non pepercit peregrinationi illorum;hoc eſt, vitæ illorum, quia illa eſt peregrinatio ſuper terram.Verùm etiam hic noſtra lectio manifeſtè deprauata eſt ſcriptorum vitio,etſi id in omnibus quos vidi libris obtineat.Non enim legendum eſt peregrinationi illorũ,ſed peregrinationi Lot, cùm Græcis ſit τῆς παροικίας Λώτ. Non enim veriſimile eſſe poteſt interpretem pro Λὼτ legiſſe αὐτῶν, ſed ſcriptores potius ex imperitia,Lot,mutaſſe in,illorum, cum inter, Lot, & illorum,magna ſit vicinitas,maximè ſi nomen Lot ſcribatur, vt ſolent nomina propria,litera maiuſcula,& duplicato l.lLot.Itaque alterum hic exemplum ſeuerioris vltionis diuinę,quæ de tota aliqua gente ſumpta ſit,profertur, ea ſcilicet quæ in Sodoma & Gomorrha ciuitatibus facta eſt igne de cœlo miſſo. De qua dicit, Non perpercit Deus peregrinationi vel incolatui Lot; hoc eſt, ei loco in quo peregrinatus eſt, & tanquam aduena habitauit Lot nõ perpercit,nec propter ſanctitatem eius qui ibi habitauit, abſtinuit,aut impeditus fuit,vt nõ puniret peccata totius regionis, ſed execratus eſt eos, propter ſuperbiam verbi illorum, qua ſcilicet iactauerunt ſe neminem vereri, nec recipere voluerunt bonas ac ſalutares monitiones Lot.Et apud Ezechielem enim,ſuperbia primo loco ponitur inter vitia Sodomæ. Ecce,inquit hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius. Multi libri habent quædam interiecta verba in hac ſententia ante,& execratus, quæ tamen in quibuſdam non ſunt,vt non ſunt in Græcis,illa ſcilicet; ſed percuſſit eos; quæ facilè crediderim interpretem de ſuo addidiſſe,vt ſolet quædam addere. Ezec. 6.

9 Non

9 *Non misertus est illis gentem totam perdens extollentem se in peccatis suis.*

GRæcis est, Non misertus est genti perditionis, (hoc est, genti perditæ) extollentium se in peccatis suis. Vnde patet non legendum cum coniunctione; & extollentem? sed sine coniunctione, quæ etiam in scriptis quibusdam abest. Adhuc de Sodomitis loquitur, quorum dicit Deum non misertum, adeo vt totam gentem penitus perderet, eo quòd extolleret se in peccatis suis, quasi non esset Deus qui posset aut vellet peccata eorũ punire. Participium enim extollentem, exponendum est vt causam designet, sicut alias sæpe. Vnde & de eis dicit Dominus apud Ezechielem: Et eleuatæ sunt & fecerunt abominationem coram me.

10 *Et sicut sexcenta milia peditum qui congregati sunt in duritia cordis sui.*

VEr isimile est interpretẽ vertisse, Et sic, cùm Græcis non sit ὡς, sed ὅτως, sed ad sensum non ita multum refert. Cæterùm ad accusatiuos illos, sexcenta milia (nam accusatiuos esse patet ex Græcis) repetẽdum est ex superioris sententiæ participio, perdens verbum, perdidit. vt sit sensus: Sicut etiam perdidit sexcenta milia peditum. In Græcis referri debent ad verbum præcedentis sententiæ, ἐλεησεν, misertus est, quia hoc Græcis construitur cum accusatiuo. Tertium ergo hic exemplum affertur seuerioris Dei vindictæ quæ de magna aliqua multitudine sumpta est, ea scilicet quæ accidit populo Israelitico in deserto. Cùm enim Israelitæ de Ægypto ascenderint numero sexcenta ferè milia peditũ, absque paruulis & mulieribus, vt dicitur Exodi 12. tamen ob duritiam cordis sui, qua concorditer congregati contra Moysen, Iosue & Caleb non crediderunt se posse ingredi terrã eis promissam, omnes ita à Domino percussi sunt in deserto annis quadraginta, vt ne vnus quidem ex tãto numero promissam terram ingressus sit præter Iosue & Caleb, vt scribitur diffusè Numer. 14. In Græco exemplari Complutensi post verba iam posita, adduntur hæc; Flagellans, miserans, percutiens, sanans Dominus in miseratione & correptione conseruauit, vt accusatiui illi, sexcenta milia, construantur cum verbo, cõseruauit, & significetur Deum cum illis nunc misericorditer egisse, remittendo peccata: nunc seuerius, puniendo peccata. Sed hæc omnia verba non habet æditio Germanica & Veneta, sicut nec noster ea legit. Et sanè multis consideratis magis videntur adiectitia, & addita, vt accusatiui illi haberent verbum sententiam absoluens. Quomodo enim conseruauit eos, quos omnes perdidit tadem?

11 *Et si vnus ceruicatus fuisset, mirũ si fuisset et immunis*

CEruicatus, dictione parum Latina dixit pro, ceruicosus. Ea enim dictio Latinis significat quod Græcè pulchrè dicitur, σκληροτράχηλος, hoc est, homo duræ ceruicis, qui scilicet ceruicem suam non vult vel non potest flectere quò deberet, hoc est, qui obedire recusat. Et est sensus: Quandoquidẽ Deus tantę multitudini non perpecit, ob duritiam cordis eorum, an putãdum est, quòd sivnus tantum inter eos dura ceruice restitisset. De volũtati, is à Dei vltione immunis fuisset, & impunitus euasisset? Quod ad hoc dicitur, vt ex generalib. illis vltionib. intelligamus quẽ que sibi merito timere debere, sibique persuadere, Deũ qui multitudini nõ perpercit nec singulis parciturũ. quod Græca clarius significant, quæ sic potius erant vertenda: Et si vnus fuerit ceruicosus in populo, mirandum hoc si impunitus erit. Est enim nõ præteritum, sed futurum ἀθωωθήσεται.

12 *Misericordia enim & ira est cum illo, potens exoratio & effudens iram.*

13 *Secundùm misericordiã suam, sic & correptio illius hominem secundùm opera sua iudicat.*

HI duo versus in plerisque scriptis & impressis corruptam habent & distinctionem, vel lectionẽ, quia in plerisque illa pars secũdùm misericordiam suam; iungitur cũ, effundens iram. & legitur; si correptio illius hominis. Vt autẽ bene intelligatur quod nos habemus: Potens exoratio, & effundens irã, quod ab omnibus nostris ferè malè intelligi tur, sciendum pro illo, potens exoratio, Grẽcis esse δυνατὸς ἐξιλασμεῖσθαι, quod ad verbum est potens placationũ, quo significatur id quod est apud Isa. 55. multis ad ignoscẽdum. Quoniam enim dixit cũ Deo esse misericordiam & iram, subiungit Deum per misericordiam potentem esse & copiosum in placatione, ita vt faciliter placetur, nec eius benignitas vnquam exhauriatur: & tamẽ etiã cum merita hominum postulant, per iram quę etiã est cum illo, effundere in homines copiosè & abũdè vltionem. Itaque & apud nos, exoratio non debet referri ad hominẽ orantem, vt significetur orationẽ hominis esse apud Deũ potentem & efficacem: sed ad Deum referri debet, & passiuè accipi pro placatione qua Deus se finit placari & exorari, quemadmodum suprà dixit interpres; non exorauerũt, pro non placauerũt. Et est sensus: Cuiꝰ Deo vel apud Deum est potens exoratio, hoc est, placatio, quomodo Psal. 129. dicit: Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eũ redemptio, Et tamen idem ipse Deus est effundens iram. Vel ipsemet Deus est potens exoratio, & simul tamen effundens iram. Potẽs enim exoratio vel placatio rectè dicitur Deus, quia copiosus in exoratione vel placatione sicut dicitur sæpe ipsa misericordia. Hãc sententiã de misericordia & iustitia in Deo cõiunctis, explicat sequẽti; Secũdùm, inquit misericordiã suam, sic & correptio illius, &c. hoc est, sicut multa est misericordia eius qua & ignoscit pœnitẽtibus, & benefacit iustis. sic etiã correptio illius iudicat hominẽ secũdùm opera sua: vt ne quis ita fidat misericordiæ diuinæ, vt illius correptionem & punitionem non metuat. Ad hoc enim hæ sententiæ hic adducuntur in comprobationem superiorum quæ de seueritate diuina sunt dicta. Vnde & bene subiicitur:

14 Non

14 *Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis.*

DVplex hic est lectio & in Græcis & in Latinis. Nam Toletanum exemplar habet, ὑπομονὴ, sufferentia vel patientia. Germanicum, ὑπομονὴν, sufferẽtiam, quomodo etiam quædã scripta habent, vt subaudiatur, Deus, & sit sensus: Deus non retardabit (vel frustrabitur, vt Græcum verbum, καθυστερήσει, magis sonat) sufferẽtiam pij hominis. Nam pro, misericordiam facientis, vna dictio est, ἀνοικτίρτου, hoc est, pij. Prior lectio magis placet per nominatiuum. Et notandum interpretem bene verbo, effugiet, opposuisse verbũ, retardabit, sicut & peccatori in rapina opponit facientem misericordiam. Sensus itaque est: Non fiet apud Deum, quod sæpe apud homines contingit, vt cùm quis rapuerit aliquid, effugiet cum rapina manus hominis, & impunitus euadat. Non sic, inquam, peccator cum eo quod iniustè rapuit, siue à Deo, eripiẽdo ei debitũ honorem: siue ab homine, eripiendo ei bona terrena, effugiet iram Dei & iustam vltionem. Contrà verò sufferẽtia hominis pij, qui non solùm non rapit aliena, sed etiam sua liberaliter pauperibus impartitur, huius, inquam, sufferẽtiæ, qua longanimiter expectat Dei in se misericordia, nõ retardabit eum, à sua scilicet expectatione, sed citò eũ assequi faciet quod expectat Græca enim dictio, ὑπομονὴ, non tam tolerãtiam malorum significat, quàm longanimen bonorum expectationem. Potest & retardabit, accipi absolutè pro, tardabit, hoc est, morabitur & tarda erit in assecutione sui voti. Vnus scriptorum codicum habuit, tardabit.

15 *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum, & secundùm intellectum peregrinationis ipsius.*

GRæca paulò aliter sic; Omni eleemosynæ facies locũ (Deus scilicet) (aut, vt habet exemplar Cõplutense, ποίησον) fac locum) Vnusquisque enim secundùm opera sua inueniet. Sensus eódem redit, & declaratur secunda pars superioris sententiæ: Omnis, inquit, misericordia vel eleemosyna, quam homo homini impendet, faciet apud Deum locum homini, vt ab eo scilicet assequatur, & ad id perueniat quod expectat, vnicuiq; secundùm meritum operum suorum, quia, vt inquit Paul. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Quod addidit interpres, & secũdùm intellectum peregrinationis ipsius; sic intelligẽdum est, secũdùm prudentiam quam in huius vitæ peregrinatione exhibet opere. Vnũ scriptum habebat etiam hic nomen, meritũ, & secundùm meritum peregrinationis eius, quomodo sanè magis crediderim interpretem scripsisse. Quorsum enim hic intellectus mẽtionem ingessisset? Certè ex commentario apparet etiam Rabanũ legisse nõ intellectum, sed meritũ, quãuis impressi libri apud eum habeant, intellectum. Sic enim habet: Quod autem dicit misericordiam facere locũ vnicuique secũdùm intellectum peregrinationis ipsius, ostẽdit quòd quicunq; bonis operibus certat mãdata Dei custodire in huius peregrinationis tẽpore, & pio labore studet cum lachrymis & gemitu peccata sua emũdare, æterna quiete merebitur consolari. Quo commentario non explicatur quid sit intellectus peregrinationis, sed bene quod sit meritum peregrinationis. Et optimè conuenit vt post hanc vitam quisque dicatur inuenire apud Deum locum iuxta meritũ peregrinationis, quæ hic interim peragitur donec ad patriam reuocemur. Bene etiam cõuenit, vt misericordiæ & eleemosynę tribuatur peculiariter locus & præmium à Deo consequendum, quia & Christus ὁpera misericordiæ declarat in iudicio extremo potissimùm attendenda, vt patet Matthæi 25. Notandum autem hic apertè nomen meriti tribui operibus, & quãquam Græcis hoc loco non sit vocabulũ, meriti, rectè tamen vertit interpres secundùm meritum, quia quod Græcis toties dicitur in scripturis κατὰ τὰ ἔργα, secũdùm opera Deum redditurum cuique, idem est quod secundùm meritum hominis vel operum eius, quia, vt suprà dictum est, quod Latinis dicitur fieri secũdùm meritũ, id Græcis dicitur κατ' ἀξίαν. At quod dicitur homini dari secundùm opera eius, dicitur ei dari pro dignitate eius & operum ipsius, vt patet cũ in Apocal. 16. dicitur de impiis; Dedisti eis sanguinem bibere, digni enim sunt. Hoc enim æquiualet ei quod toties dicitur secundùm opera eorũ, & idem est quod Latini dicunt, meriti sunt vel meruerunt. Sic & bonis dicitur cap. 3. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Porrò post prædictam sententiam Græca in exẽplari Complutensi habent duas sententias has: Dominus indurauit Pharao ne cognosceret ipsum, vt nota fierent facta illius, ei quæ sub cœlo est (terræ scilicet) Omni creaturæ misericordia eius manifesta est, & lumen suum, & tenebras diuisit adamãte, hoc est, immobiliter. Sed hæc vt non sunt apud nos, ita nec in exemplari Germanico.

16 *Ne dicas, A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?*

17 *In populo magno non agnoscar, quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?*

DIxit de Dei seueritate, in numerosis gentibus & populis sæpius declarata, ex qua vnumquemque sibi timere voluit, sicut & bene sperare de eius misericordia: verùm quoniã vana plerique persuasione inducuntur, vt putent Deum licet curam habeat magnarũ gentium, cuiusque tamẽ priuati non ita habere rationẽ, & ob id Dei se posse euadere vltionem, cuius effugiũt cognitionem, rectè huic vanæ cogitationi occurrit, ostendens Deum nihil latere posse, etsi plurimæ eius nos lateant. Duo autem sunt ob quæ homines persuadent se Dei effugere notitiam. Primùm, distantia Dei à nobis, quòd scilicet Dei peculiaris habitatio sit in cœlis: hominũ verò in terris, quasi ex summo cœlorum

non possit nostri meminisse. Vnde de impiis dicitur apud Ezechielem 9. Dixerunt, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. Et apud Iob 22. dicitur ex persona impiorum: Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat. Secundum est immensa multitudo creaturarum & hominum, ob quam sibi persuadet quisque se vnicum apud Deum latere posse, sicut apud homines vnus aliquis in magna turba facilè latet. Vtrumque excludit Sapiēs, monētq; ne quis in corde suo dicat, & apud se cogitet se posse abscondi à facie Dei, aut propter altitudinem cœli à terra, aut propter multitudinem vel hominum vel creaturarum: ob quam posteriorem causam, etiam in parabola de nuptiis filij inducitur vnus tantùm qui inuentus est non habere vestem nuptialem.

18 *Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyssus & uniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur.*

19 *Montes simul & colles & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.*

EX effectu conspectus diuini ostendit Deum nihil omnino in creaturis latere posse, aut eius potentiam effugere, quātumuis altum, profundum, magnum & firmum fuerit. Pro; in conspectu illius; Græcè est, ἐν ἐπισκοπῇ αὐτοῦ, hoc est, in inspectione aut visitatione eius. Sic & pro; cùm conspexerit, Græcis est ἐν τῷ ἐπιβλέψαι, hoc est, cùm inspexerit. Alluditur enim ad illud Psal. 130. Qui respicit terrā, & facit eā tremere: qui tangit montes, & fumigant. Vbi pro respicit, etiam est ἐπιβλέπων, qui inspicit. Significat ergo, Deum cùm vult solo suo aspectu cōmouere & turbare totam machinam mundi, cœlestem simul & terrenam, eámque sua commotione veluti tremore concuti à præsentia vultus eius, vt ex eo necesse sit intelligere eius aspectum ad omnia & in omnia penetrare. Cùm autem hæc duo tribuuntur, respicitur ad id quod in mōte Sinai cōtigit in datione legis, de quo dixit Dauid Psal. 113. A facie Domini mota est terra. Item respicitur ad ea quæ aliis quoque tēporibus Deus mirabiliter est operatus, cùm præsentiam suam declarare statuit: & ad ea quoque quę in nouissimo die terribiliter fient cum totius creaturæ turbatione & mutatione. Nominat autem præcipuas orbis partes, per cœlum significans aëra: per cœlos cœlorum, orbes cœlestes: per abyssum, maria, quæ tria cū terra & his quæ in ipsis sunt vniuersum mundum complectuntur per fundamēta terræ, intelligit profundissima terræ, quibus terra velut fundamentis inniti videtur.

20 *Et in omnibus his insensatum est cor, & omne cor intelligitur ab illo.*

21 *Et uias illius quis intelligit, & procellam, quam nec oculus uidebit hominis?*

GRæca non habēt illam partem; & omne cor intelligitur ab illo; & priorem partem sic habent; καὶ ἀξίως οὐ διανοηθήσεται ἐπ' αὐτοῖς καρδία, hoc est, & dignè non cogitabit super ipsis cor. Sensus ergo est: Cor hominis est insensatū in his omnibus, hoc est, non prudenter nec satis dignè expendit hęc quæ dixi de Dei terribili potentia & cognitione omnia penetrante: quanquam autem cor hominis parum intelligat & aduertat diuina, omne tamē cor hominis intelligitur ab illo. Quis autē est qui intelligit vias Domini? hoc est, mirabilia eius opera & rationes, secūdum quas omnia agit, & potissimùm quis intelligit procellam illam & tempestatem grauissimam, quæ inuoluet omnes impios in nouissimo die, quam nullus homo vnquam vel vidit vel videbit oculis corporalibus, nec animo dignè percipiet priusquam mūdo exhibeatur? Procellam enim videtur hic significare seueritatem diuini iudicij, quæ & alias in scripturis sic nominatur, vt apud Psal. 10. Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorū. Et in Canonica Iudæ: Quibus procella tenebrarū reseruata est in æternum. De hac cur peculiariter dicat quòd eam homo non intelligat, declarat cùm subiicit:

22 *Nam plurima eius opera sunt in abscōsis, sed opera iustitiæ eius quis annūciabit, aut quis sustinebit?*

PLurima quidem opera eius, inquit, sunt in absconditis, hoc est, sunt abscondita & ignota hominibus, sed inter omnia eius opera, quis est qui dignè & clarè enunciabit seuerissima illa & durissima opera iustitiæ eius quæ contra impios exercebit? aut quis ea vt oportet expectabit, & præ oculis semper habebit? Est enim Græcis ὑπομενεῖ, quod magis significat expectare quàm tolerare. Quanquam & ille sensus esse potest; Quis eius seueritatem ferre poterit?

23 *Longe enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est.*

LEgēdum esse non, hominum, vt quidam libri habent, sed omnium, vt alij, patet ex Græcis quæ habēt ἁπάντων, Pro, interrogatio, est ἐξέτασις, hoc est, inquisitio. Pro testamentum, hic rursum est διαθήκη, quo nomine hic significari videtur dispositio diuina, qua Deus disposuit suo tempore dare singulis quod merentur, aut illud ipsum quod singulis veluti testamento post mortem constitutum est. Quod testamentū longè est ab oculis mētis multorum qui illud parum iam attendunt, nec intelligent nisi in consummatione, hoc est, in fine vitæ & in morte, quando omniū fit examinatio & inquisitio, vt recipiat vnusquisque secundùm opera sua.

24 *Qui minoratur, corde cogitat inania, & uir imprudens & errans cogitat stulta.*

HÆc sententia indicat causam, qua fit vt testamentum Dei, de quo dixit, longè sit à quibusdam, nempe quod pleriq; in cogitationibus suis occupentur circa inania & stulta, sectantes vanitates huius sæculi, & his toti immersi. Qui, inquit, minoratur corde, hoc est, qui deficit in prudentia, ille non cogitat

gitat ea quæ dixi, non attendit ad futurum Dei iudicium, sed cogitat inania & stulta huius mundi, vana huius mundi bona consequi studens, & in stultis hominum opinionibus sese oblectans. Vt ergo à vanis his cogitationibus suum quem instituit filium Sapiens auocaret, & ad considerationem seriam operum Dei excitaret, rursum in sequentibus monet eum ad diligentem dicendorum auditionem, ac tum prolixè Dei opera prosequitur, eius potētiam, cognitionem, iustitiam & misericordiā ob oculos ponens. Sic ergo orditur:

25 *Audi fili mi, & disce disciplinam sensus, & in uerbis meis attende in corde tuo.*

26 *Et dicā in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam.*

27 *Et in uerbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritus uirtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in ueritate enuncio scientiam eius.*

GRæcis non est hæc verborum congeries & repetitio, sed tantùm duæ sententiæ. Et omnino verisimile est quæ apud nos post duas sententias verbis quibusdam mutatis repetuntur, esse ex alia cuiusdam versione in textū nostrum assuta, vt & in aliis locis huius libri sæpius accidisse probabile est. Pro; & dicam in æquitate; Græcis est, ἐκφανῶ ἐν σταθμῷ, ostendam in pondere disciplinam. Ponderis autem nomine significat se non temerè quid dicturum, sed cum iudicio, & exacta verborum & sententiarum perpensione, vnde vertit interpres altero loco; In æquitate spiritus; hoc est, cum æqua & iusta animi expensione, quasi dicat: Animus meus prius apud se bene librabit & expendet quod dicturus sum. Pro scrutabor enarrare sapientiam; Græcè est, καὶ ἐν ἀκριβείᾳ ἀπαγγελῶ τὴν ἐπιστήμην αὐτοῦ, hoc est, & in diligentia (vel exquisita ratione) enunciabo scientiam eius. Idem secundò sic apud nos vertitur; Et in veritate enuncio scientiam eius. Inuitat ergo ad seriam dicendorum auscultationem, quia quę dicturus est, cum iusto animi libramine dicet, & exacta ratione, diligentem scilicet daturus operam ne quid falsi inspergatur. Orditur autem suam narrationem ab operibus Dei in exordio mūdi perfectis, vnde additū est à quodam, virtutes quas posuit Deus in opera sua ab initio. Sic ergo incipit:

28 *In iudicio Dei opera eius ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes eorum, & initia eorum in gentibus suis.*

OBscurus multum est locus hic totus vsque ad finem capitis, non solùm apud nos, sed & in Græcis ob breuitatem sententiarum, nec Græca inter se omnino consentiunt. Itaque obscuritas causam præbuit vt hic quædam ab interpretibus coactè exponerentur, & lectio etiam in multis libris corrumperetur. Nam quoniam illud; initia eorum in gentibus suis; de hominibus dictum videtur, vt relatiuum, eorum; haberet antecedens, multi perperàm legūt in præcedente parte; ab institutione hominum ipsorum. Vt autem vera intelligentia percipiatur, notandum pro illo; & initia eorum in gentibus suis; exemplar Complutense habere, καὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἀρχαὶ αὐτῶν εἰς γενεὰς τῶν γενεῶν, hoc est, & in manu eius sunt principia (vel principatus) eorum in generationes generationum. Germanicū verò exemplar, cui nostra versio hic magis accedit, vt & aliàs, sic habet, καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν εἰς γενεὰς αὐτῶν. Porrò dictio, ἀρχαὶ, vt & suprà indicatum est, non tantùm significat initia, sed etiam principatus & potestates, vnde & angelis tum bonis tum malis hoc nomen. Paulus tribuit. Quos & hoc loco designatos hoc nomine verisimile est, aut certè ipsos orbes cœlestes, qui ab angelis mouentur, & primæ præcipuæque sunt mūdi partes, quæ principatum quendam in inferiorem mundum obtinent. Cùm enim posteà dicat author; Post hæc Deus in terram respexit, significat se prius locutum de cœlis & cœlestibus corporibus, de quibus nulla erit facta aperta mentio, nisi per ἀρχὰς, vel ipsos angelos cœlorū motores, vel ipsos orbes cœlestes, aut denique solem & lunam & astra intelligamus. Itaque hos in nostra lectione per initia operū Dei puto intelligendos, quod primas partes inter opera Dei obtineant. Obstare videtur illud; in gentibus suis; sed Græcis non est nomen ἔθνος, sed nomen γενεὰ, hoc est, generatio vel genus, vt sensus esse possit: Distinxit primas illas mundi partes in genera sua, vt scilicet vnūquodque cœlum & astrum suum haberet genus, naturam & proprietatem. Proinde nomen, gentibus, apud nos exponēdum erit pro generibus. Præstat enim vocabula impropriè accipere, quàm impropriū habere sensum. Sēsus ergo huius loci erit: Opera Dei ab initio facta sunt & constituta cum iudicio Dei, hoc est, non temerè esse cœperunt, sed recto iudicio atque certa ratione, modo ac ordine facta sunt, iuxta illud Sapien. 11. Omnia in mensura & numero & pōdere disposuisti. Et statim vbi ea facta sunt & cōstituta, distinxit partes illorum, quia, vt habet liber Gen. 1. diuisit aquas ab aquis, interiecto firmamento in medio aquarum, & deinde aquas separauit & terra in locū vnum. Distinxit etiam τὰς ἀρχὰς mūdi, hoc est, potestates & partes illas primas quibus totus orbis inferior regitur, in suis generibus, quia orbes cœlestes varios constituit, qui singuli suos habent motus & proprietates, solémq; à luna & astris distinxit, diuersa eis officia attribuens.

29 *Ornauit in æternum opera illorum, nec esurierunt nec laborauerunt, & non destiterunt ab operibus suis.*

LEgendum esse non, ordinauit, sed ornauit, patet ex Græcis, quæ habēt, ἐκόσμησεν. Nec est illis, opera illorum, sed, τὰ ἔργα αὐτοῦ, opera sua, vt de ornatu illo intelligi posset qui post distinctionem factus est quarta die, cùm Deus cœlum ornauit sole, & luna, & stellis. De quo ornatu dicitur Iob 26. Spiritus

tus eius ornauit oculos. Secundùm noſtram lectionem ſignificatur, Deum cùm primas illas mundi partes cœleſtes conſtituiſſet & diſtinxiſſet, ornaſſe perpetuò ornatu earum operationes, quia eas & ſtabiles eſſe fecit, & indefatigabiles, & pulcherrimo ordine inter ſe conſentientes, quod in ſequentibus declarat, loquens de orbibus cœleſtibus aut eorum planetis & ſtellis, velut de hominibus, per proſopopeiam. Nec mirum cùm in ſcripturis ſacris ſæpe aſtra vocentur, militia Dei, exercitus eius, & virtus, vt cùm dicit Pſal. 38. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et Iob 25. Nunquid eſt numerus militum eius? De orbibus ergo cœleſtibus aut ſola, luna & aſtris, tanquam militibus Dei opus ſibi iniunctum aſſiduè perficientibus dicit, quòd nec patiantur aliquam egeſtatem, nec fatigationem, vt vel præ fame vel fatigatione vnquam deſiſtant ab operibus ſuis ex Dei tanquam ſummi imperatoris iuſſu peragendis. Quo nihil aliud ſignificatur, quàm illa nunquam vel defectum pati vel defatigari. Quàm ſanè rem etiam prædicat Dauid, dicens: In æternũ Domine verbum tuum permanet in cœlo. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Pro quo Hebræis eſt; Omnia ſunt ſerui tui. Dixit de perpetuitate cœleſtium operationum, ſubiicit etiam de concordia, dicens:

30 *Vnuſquiſque proximum ſuum non anguſtiauit, uſque in æternum.*

31 *Non ſis incredibilis uerbo illius.*

VIderi poſſet legendum anguſtiabit, vt quidam libri habent, quia ſequitur, vſque in æternũ, vel vſque in æuum, ſed Græcà habent præteritum, ἔθλιψε, hoc eſt, afflixit vel attriuit. Et in Græcis, vſque in æternum, coniungitur ſequentibus quæ non habent vt nos, non ſis incredibilis, ſed ἵνα μὴ ἀπειθήσασι τῷ λόγῳ αὐτοῦ, hoc eſt, non erunt inobedientes verbo illius. Senſus ergo eſt, quòd cùm ſit in orbibus cœleſtibus & ſtellis tãta multitudo, tantáque motuum & officiorum varietas, talium tamẽ militum Dei nullus alij vnquam moleſtus fuit, nullus alium attriuit aut preſſit, quemadmodum in magno militum exercitu fieri ſolet, ſed vnũquodque eorum conſtanter ſuum facit officium, ſine cuiuſquam perturbatione, nec vnquam ea corpora prætergredientur ordinationem à Deo eis factam, iuxta illud Pſalm. 148. Præceptum poſuit, & non præteribit. De concordia admirabili cœleſtium corporum etiam dicitur Iob 25. Poteſtas & terror apud eum eſt qui facit concordiam in ſublimibus ſuis. Proinde quod nos legimus; non ſis incredibilis verbo illius, vel debet accipi, vt ſint quaſi Dei verba, præcipientis cœleſtibus corporibus: aut quaſi verba cœleſtium corporum, quibus vnumquodque alterum ad obedientiam diuino mandato exhibendam hortatur, vt aliquid ſubaudiatur, hoc modo: Vnuſquiſque proximum ſuum non anguſtiauit, ſed vnuſquiſque alteri dicit, vſque in æternum non ſis incredibilis, hoc eſt, inobediens verbo Dei. Cœli enim enarrant gloriam Dei, & Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Vel intelligendum poſt inſinuatam cœleſtium corporum obedientiam, ſermonem conuerti ad quemque noſtrum, vt ex illorum obedientia intelligamus ad nos multò magis pertinere vt diuinę voluntati & mandatis non repugnemus.

32 *Poſt hæc Deus in terram reſpexit, & implauit eam bonis ſuis.*

POſt ea, inquit, quæ Deus fecit in cœleſtibus corporibus, ornando ea, & ſua illis officia deputando, in terram reſpexit, hoc eſt, eius quoque ſe rationem habere declarauit, cùm eam omnibus ſuis bonis replcuit, & omni animantium genere ornauit, quod factum eſt ſexta die, & ſignificatur verſu ſequenti.

33 *Anima omnis uitalis denunciauit ante faciem ipſius, & in ipſa iterum reuerſio illorum.*

SEntentia hæc valde apud nos obſcura, & ob id à commentatoribus mirè contorta, & à ſcriptoribus deprauata, clara eſt apud Græcos, qui habent; Anima omnis animantis operuit Deus (ſcilicet) faciem ipſius (terræ ſcilicet) & in ipſam reuerſio eorum. Quo ſignificatur Deum obtexiſſe & repleuiſſe ſuperficiem terræ omnium animantium genere, quæ tamen rurſum in terram redire debeant ex qua facta ſunt. Patet ergo ex Græcis melius legẽdum ſine autem, Anima omnis vitalis, quemadmodum multa ſcripta habent, non; Anima autem omnis vitalis. Patet item illud omnis vitalis eſſe genitiui caſus, vt ſit idem quod omnis animantis & viuentis, quia Græcis eſt, πάντος ζῴου. Patet rurſum per præteritum legendum eſſe, denunciauit, non per futurum, denunciabit: quanquam mirum ſit cur interpres verterit, denunciauit, cùm Græcis ſit, ἐπαλυψε, hoc eſt, operuit, obtexit, niſi fortè legerit, ἀπεκάλυψε, reuelauit. Rurſum patet relatiuũ, ipſius, cùm ſit fœmininum, non ad Deum referendum, ſed ad terram. Et legendum; in ipſa iterũ reuerſio; quomodo habent Biblia Complutenſia, & Lyra, quanquam omnia quæ vidi ſcripta habeant; & ipſa iterum, &c. Poteſt ergo lectio noſtra, vt accedat originalibus, ſic accipi: Anima aut vita omnis animantis denunciauit hoc ipſum quod dixi, Deum impleuiſſe terram bonis ſuis. Vel potius vt, anima, ſit ablatiui caſus; Deus per vitam omnium animantium denunciat hoc ipſum, ante faciem terræ, vel in conſpectu terræ, quia ipſo facto demonſtrauit quàm eam repleuerit bonis ſuis, eámque velut matrem omnium videre fecit quæ ex ipſa prognata ſunt, quę rurſum in eam ſunt reditura. Vt autem nomen, anima, magis putem eſſe ablatiui caſus, vt verbum, denunciauit, ad Deum referatur, mouent me Græca, quæ habent accuſatiuum, ψυχὴν, & videtur ſubintelligenda præpoſitio, κατὰ, vt ſit ſenſus: ſecundùm animam, vel per animam omnis animantis operuit ſuperficiem terræ.

CAPVT

Caput XVII.

1 *Deus creauit de terra hominem, & ſecundùm imaginem ſuam fecit illum.*

PRoſequitur cœptã de operibus Dei narrationẽ, diu perſiſtens in explicatione eorum quæ Deus homini præſtitit, ex quibus in reuerentiam Dei ipſum deducere ſtudet. Primùm ergo dicit Deum creaſſe, hoc eſt, formaſſe hominem de terra; ſecundùm corpus ſcilicet, eundémq; feciſſe ſecundùm imaginẽ ſuam, ſecundùm animam ſcilicet, quæ Dei refert imaginem propter rationalem virtutẽ, qua præ aliis animalibus prædita eſt, & eiuſdem immortalitatem ac ſpiritalem naturam. Simile eſt quod ſequitur:

2 *Et iterum conuertit illum in ipſam, & ſecundùm ſe ueſtiuit illum uirtute.*

SEcundùm corpus enim conuertit eum iterum in ipſam terram ex qua ſumptus erat, vt qui contra ſuam dignitatem terrena præelegerat diuinis, rurſum in terram conuerteretur ex qua formatus erat. Iuxta animam verò Deus ad ſimilitudinem ſui veſtiuit illũ virtute & fortitudine, vt ſicut de eo dicitur: Confeſſionem & decorem induiſti, *Pſal.103* & Dominus regnauit, decorem indutus eſt, *Pſal.92* indutus eſt Dominus fortitudinem; quia ſcilicet fortitudine & decore ornatus eſt, & veluti vndique circumamictus: ita & homo ad ſimilitudinem Dei, ſuo modo fortitudine indutus eſt & ornatus, quia præditus acumine intellectus, quo & omnia penetrare poteſt, & multa potẽter præſtare. Nomen enim, virtute, non poteſt hic accipi vt vitiis opponatur, ſed pro fortitudine, cùm Græcis ſit ἰσχύν. Sunt qui hic intelligũt ſignificari Adamum fuiſſe conditum in perfecto robore corporali, item in perfecta ſciẽtia & virtute ſecundùm animam: ſed magis eſt veriſimile Sapientem loqui de his quæ in Adam tori humanæ naturæ collata ſunt. Pro, ſecũdùm ſe, Græca habent pluraliter, κατὰ ἑαυτούς, ſecũdùm ſeipſos, vt ad homines referatur, nam pluraliter hic habent; Induit illos ſecundum ſeipſos fortitudinem, vt ſignificetur hominibus datam fortitudinem, ſecundùm quod eorum naturæ conueniebat. Alia enim animalia etiam habẽt ſingula vires ſuas, homo verò ſingulari excellẽtique virtute donatus fuit. Sed interpres legit, κατ' ἑαυτὸν, ſecundùm ſe, vt ad Deum referatur, atque ea lectio magis placet, quanquam noſtra lectio etiam alterum ſenſum admittere poteſt.

3 *Numerum dierum & tempus dedit illi, & dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram.*

RVrſum coniunguntur duo, quorum vnum homini competit ratione partis inferioris, corporis ſcilicet, alterũ ratione partis excellentioris, nempe animæ. Quoniam, inquit, ex terra hominem fecit, & in terram eum rurſum conuerti voluit, ideo dedit ei certum numerũ dierum, & certum tempus vitæ, certò illi præſcribens eum moriturum, cùm dixit: Terra es, & in terram reuerteris; *Geneſ. 3.* & certũ etiam vitæ tempus etiam vſque ad dierum numerum apud ſe vnicuique præfiniens, ſed quod incertum eſſe voluit omnibus, vt ſemper vigilarẽt. Rurſum tamen quià hominẽ ſecundùm ſimilitudinem ſuam formauit, atque virtute ſingulari ornare voluit, dedit ei poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram, ſicut ipſe poteſtatem habet generalem omnium quæ in cœlo ſunt & in terra.

4 *Poſuit illius terrorem ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & uolatilium.*

NOn ſolùm dedit ei poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram, dicẽs: Dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ ſunt ſuper terram; *Geneſ. 1.* ſed etiam effecit vt omnia animantia illum timerent tanquam ſuum præſidentem & ſuperiorem: atque ita factum eſt, vt ipſe dominatus ſit omnium beſtiarum terræ & volatilium cœli. Timor quidẽ iſte hominis & dominiũ ſuper animalia omnia perfectè competebat homini in prima rerũ inſtitutione, verùm per peccatũ hæc ex parte homini perierunt, Deo ita peccatum hominis iuſtè puniente, vt qui Deo debitam obedientiam negauit, ſentiret etiam animalia pleraque ſibi repugnare. Non tamen ſic perierunt hæc homini, quin ſuo iure poſſit & valeat quæuis animalia ſibi ſubiicere, & velut fugitiuos ſeruos ad debitã ſeruitutem cogere, & eos qui per mãſuetudinem adduci non poſſunt, per violentiam in obedientiam cogere, vt pulchrè declarat D. Baſilius in homilia 10. in hexameron.

6 *Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi: conſilium & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus implauit illos.*

PRimam partem; creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi; Græca non habent. Addidiſſe eã videtur interpres quòd in ſequentibus pluraliter loquẽdum eſſet, cùm hactenus de homine ſingulariter ſit locutus, ſub nomine ſcilicet Adæ. Præmittit ergo, ex ipſo Adam, hoc eſt, ex coſta eius Deum creaſſe, hoc eſt, formaſſe adiutoriũ ſimile ipſi, Euam ſcilicet, quæ in adiutorium generandæ & alendæ prolis, & reliquorum domeſticorum operũ data eſt viro. Iſtis ergo ſimul creatis, & in ipſis, omnibus hominibus præ aliis animalibus, peculiariter dedit Deus cõſilium, linguam, oculos, aures & cor excogitandi, hoc eſt, cor ad cogitandum. Nomine conſilij, ſignificatur ratio vim iudicandi & cõſultandi habens de agendis. Nomine linguæ, ſermonis poteſtas ſignificatur, per quẽ mentis ſenſa & conſilia diſtinctis vocibus exprimere ſoli homini datum eſt. Nomine oculorum & auriũ, omnes ſenſus ſignificat, quòd

inter omnes hi sint præcipui sensus, qui in hominibus longè sunt excellentiores, & ad plura se extẽdunt, quàm in aliis animalibus. Aut duos illos sensus nominat, quòd ab illis maximè rerum intelligẽtia & cognitio pendeat, vnde mox subditur de corde ad cogitandum dato, & additur; & disciplina intelligẽtiæ repleuit illos. Quod etsi maximè verum fuerit in homine integro, tamen etiam competit homini lapso, qui per lumen naturale multarum rerum intelligentia præditus fuit. Idem aliis verbis repetitur in nostra versione.

6 *Creauit in illis scientiam spiritus, & sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit eis.*

QVantùm ad omnes homines, creauit Deus in illis scientiam mentis & spiritus, quia per infusum lumen naturale, dedit eis cognitionem prudenter disponẽdi temporalia, & per impressam mẽti eorum legem naturalem, agnoscendi quid malum & quid bonum esset. Item quòd bona manerent eos qui bene viuerẽt, mala eos qui malè. Quantũ verò ad electos in hominibus, dedit hoc eis Deus per lumen gratiæ longè perfectius, vt cœlestia & spiritualia bona agnoscerent, & sensu, hoc est, prudentia implerentur corda illorum.

7 *Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, & gloriẽ in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum eius.*

PErperam hic multi legunt, oculum ipsorum, vel oculos ipsorum, nam legendum esse, oculum suum, quomodo etiam multi libri habent, vt ad Deum referatur, patet ex Græcis, quæ habent, τὴν ἐφθαλμὸν αὐτῦ, hoc est, oculum suum. Ponit autem oculum suum super cor hominum, quando Deus suo spiritu & suæ gratiæ fulgore cor hominum illuminat, & ad cognoscendum opportuna dirigit. Quomodo & in Psalmis dicitur ex persona Dei secundùm communem intelligentiam: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Quod ergo hic dicitur, potissimũ de electis est intelligendum, quibus dedit Deus peculiariter agnoscere magnifica eius opera, & quę ad creationẽ pertinẽt, & quę ad suorũ salutem diuersis tẽporibus operatus est, maximè verò in eductione populi Israëlitici ex Ægypto, in qua mirabilia pro illius populi salute designauit. Ad quę hic authorem respexisse sequentia indicãt, in quibus subiicitur de addita lege. Dicit ergo Deũ posuisse oculum suum instar magistri alicuius super corda illorum, ad hoc vt ostenderet eis magnalia, hoc est, magnificentias & claritatem operum suorum, sicque eis intellectis collaudarẽt nomen sanctificationis, hoc est, nomen eius sanctũ, & suos sanctificãs. Item ad hoc vt sui gloriarentur in mirabilibus illius quæ pro eorum salute operatus est, sicque aliis cum gaudio & lætitia enarrarent magnifica opera eius.

Psal. 31.

8 *Addidit illis disciplinam, & legem uitæ hæreditauit eos.*

9 *Testamentum æternum constituit cum illis, & iudicia sua ostendit eis.*

HÆc omnino de lege veteri dicta videntur, quam additã dicit, siue quia superaddita fuit legi naturali, siue quia data Israelitis post mirabilia illa quæ in illorũ eductione sunt designata. Hãc legem vocat disciplinam, quia scientiam agendorum præstat. Vocat legem vitæ, quod vitam promittit, & præstat obseruatoribus suis. Hanc velut in hæreditatem acceperũt, quia in perpetuum duraturã, non solùm ratione moralium præceptorũ, sed etiam ratione cæremonialium: quæ etsi ad literam iam non seruãtur, secundùm spiritualem tamen intelligentiam semper seruabuntur. Per testamentum cum illis constitutum, pactum significatur Dei cum Israelitis initum, quod æternum rectè dicitur, quia etsi mutatum sit & antiquatum secundum ea quæ ad literam significantur in lege, manet tamen secundùm ea quę secundum spiritum in illo pacto continentur. Hoc Dei singulare beneficium populo Israelitico impensum celebrat aliquoties Dauid, dicens: Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas. &: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Additur & de beneficiis populo illi in datione præstitis, cùm subditur:

Psal. 102

ibid. 147

10 *Et magnalia honoris eius uidit oculus illorum, & honorem uocis audierunt aures illorum.*

11 *Et dixit illis: Attendite ab omni iniquo, & mandauit illis unicuique de proximo suo.*

HOnorem interpres posuit pro gloria & claritate, quam scilicet in datione legis Israelitæ, & oculis viderunt, auribus perceperunt. Viderunt enim Deum magnificè apparentem in igne cum tonitruo & fulgure. Et audierũt cum sua voce ex igne loquẽtem, & decem præcepta promulgãtem. Quæ paucis Sapiens comprehendit. Primùm quidem dicẽs Deum dixisse, Attendite ab omni iniquo, quia omnia penè legis præcepta sunt negatiua, tantùm vetantia malum, sicut imperfectis illis conuenichat. Deinde peculiariter mandatum dicit vnicuique de proximo suo, quia maior eorum præceptorum pars complectitur ea quæ proximos concernunt, vt scilicet non faciamus eis quæ ab eis nollemus nobis fieri. Hoc est enim quod dicit, vnicuique Deum mandasse de proximo, ipsum præcepisse quomodo se erga proximum gerere debeat.

12 *Viæ eorum coram illo sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.*

SIcut peculiariter eis Deus legem dedit, sita peculiari ratione eorum vias & actiones obseruat, num secundùm ipsius legem sint institutæ. Non enim sic eis legem dedit, vt de

vt deinde eos pro suo arbitratu viuere sinerent, nec curæ ei esset seruarent an non, sed magis quam aliarum gentium obseruat eorum mores & vitam, excellẽtius eos præmio affecturus si rectè viuant: grauius eos puniturus & citius, si malè & cõtra legem viuant. Nam alias gentes permisit vnamquamque ingredi vias suas, & veluti ad se non ita pertinerent pro suo arbitratu viuere, Vnde & sequitur:

13 *In unamquamque gentem præposuit rectorem, & pars Dei Israel facta est manifesta.*

INdicat hæc sententia cur peculiariter de Israele dictum sit, quòd eorum viæ sunt corã Deo videlicet quia Deus qui omnium Dominus est, alias omnes gentes tradiderit gubernandas suis principibus & regibus, quos eis præfecit: populũ verò Israeliticum sic sibi assumpsit peculiariter in suam partem & portionem, vt in illo ipse regnaret solus. Vnde dicitur in Deut. 7. Te elegit Dominus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Et in Isaia 19. dicit Dominus: Hæreditas mea Israel. Et in Cantico Moysis: Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Itaq; quoniam Deus peculiariter sibi eius populi regimen & gubernationem vẽdicaret, Samuel ait ad eos: Grande malum feciſtis vobis, petẽtes super vos regem, cùm Dominus Deus vester regnaret super vos. Patet ex hac explicatione, nomen, Israel, esse in secundo membro nominatiui casus, & orationem sic ordinandam; & Israel, hoc est, populus Israeliticus est manifesta pars Dei facta. Clarior fuisset sensus si dictum fuisset, factus est. Adduntur & hic & alibi in hoc capite aliquot sententię in æditione Complutensi, sed quas non habet Germanicum exẽplar, quod simpliciores habet ferè & breuiores sententias, cum quo nostra versio frequenter magis cõuenit. Patet item impertinens esse proposito authoris, quòd quidam priori huius sententiæ parte intelligũt significari vnicuique gẽti angelum aliquem præpositum esse custodem & rectorem, cùm de regibus magis sit sermo, qui reliquis gentibus non sine Dei ordinatione fuerunt prefecti, quibus permisit illis leges quas vellent præscribere, nulla à se illis lege aut vitæ, ratione palam proposita.

Deut. 32

1. Reg. 12.

14 *Et omnia opera eorum uelut sol in conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in uijs eorum.*

CRediderim interpretem dictionem, manifesta, quam nos legimus in præcedenti versu, addidisse huic sententiæ, & vertisse; Manifesta omnia opera eorum velut sol, hoc est, tam patent Deo, quàm omnibus patet sol. Idẽ dicit quod suprà, vt intelligatur Deũ peculiarem habere rationem eorũ quę suus populus vel benè vel malè agit, nec ita dissimulare ad eorũ facta, sicut videtur aliarum gentium opera parum curare. Quod in genere dixit de operibus populi Dei, speciatim explicat primùm de malis operibus, postea de bonis. Valde enim inculcatum esse conuenit, Deum operum sui populi habere curam & diligentem respectum. Itaque de malis dicit:

15 *Non sunt absconsa testamenta super iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.*

QVidam libri habent, propter iniquitatem: alij, per iniquitatem. Et intelligitur Dei pacta cum hominibus non esse abrogata & sublata propter vel per iniquitates hominum, iuxta illud Pauli Roman. 3. Nunquid infidelitas hominum fidem Dei euacuauit? Græca tantùm habent: Non sunt absconditæ iniustitiæ illorum ab ipso. Cui sententiæ magis conuenit quod quidam libri nostri habent, super iniquitatem illorum, vt hic sit sensus: Dei testamenta, hoc est, leges, dispositiones & ordinationes, quas testatus est eis, non sunt absconsæ super iniquitates illorum, hoc est, non dissimulant ad eorum peccata, sed vigilant super ea, & illa obseruant, vt secundùm illas peccata puniantur. Aut manifesta sunt varia testimonia, quibus Deus testatum frequenter fecit se iniquitates illorum obseruare, dum tam grauiter ea sæpe vltus est. Talis enim aliquis sensus conuenit proposito authoris, qui quod de malis dixit, idem & de bonis operibus subiungit, inter quæ præcipuum locum quendam obtinet eleemosyna.

16 *Eleemosyna uiri quasi sacculus cũ ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

FEtè omnes habent corruptè, sacculus, cùm legẽdum sit, signaculum, quomodo quædam habent scripta, quomodo & Rabanus legit, & Augustinus in speculo. Est enim Græcè σφράγις, dictio, qua & Paul. Rom. 4. vsus est, cùm signum circuncisionis dicit esse signaculum iustitię fidei. Significat enim σφράγις, idem quod sigillum vel signaculum quo literæ aut aliæ res obsignantur, & clausæ custodiuntur. Quoniam ergo quæ custodire diligenter volumus, ea sigillo obsignamus, quemadmodum Darius ostium fossæ eius in quam coniectus fuit Daniel, 6. annulo suo signauit, & Iudæi Christi sepulchrum obsignauerunt, ideo eleemosynam hominis dicit esse apud Deum velut sigillum, significare volens Deum fidelem memoriam cõseruare eorum beneficiorum quæ in hac vita in indigentes conferuntur, eáque esse apud se veluti res sigillatas aut sigilla ipsa, quæ fideliter & diligenter custodiuntur ne pereant. Ita enim etiam Deus etsi non statim remuneret pietatis opera, tamẽ apud se veluti custodit, non sinens ea effluere suæ memoriæ, vt illa suo tempore proferet & remuneret. Hunc sensum cùm nõ intelligerẽt quidam, mutauerunt, signaculũ, in sacculum, vt congrueret hic locus cum illo Saluatoris: Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. Itaque intelligũt hic eleemosynam comparari sacculo, quòd per eam homo sibi cõparet vnde suo tempore reficiatur, & habeat veluti in sac-

Luc

culo pecuniam, vnde neceſſaria ſibi acquirat. Veram lectionem etiam ſecũda ſententiæ pars, alia explicat ſimilitudine; Et gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit. Vni ſuppoſitum verbi, conſeruabit, non eſt, eleemoſyna, vt aliqui malè intelligunt, ſed Deus, ad quem refertur relatiuum, ipſo. Et eſt ſenſus: Et Deus, coram quo eſt eleemoſyna, tanquam ſignaculum, cõſeruabit apud ſe gratiam hominis, hoc eſt, beneficiũ quod homo homini impẽdit, tanquam pupillam, hoc eſt, diligentiſſimè, & tanquam rem ſibi ſummè charam, quomodo homo pupillam oculi chariſſimam habet, & diligentiſſimè cuſtodit. Sic & ſuprà cap. 3. dictũ eſt de eleemoſyna; Deus qui reddit gratiam meminit in poſterum, &c.

17 *Et poſtea reſurget & retribuet illis retributionem unicuique in caput ipſorum, & conuertet in inferiores partes terræ.*

DEus, inquit, qui iam apud ſe conſeruat opera pietatis & miſericordiæ, etſi ea nõ ſtatim remuneret, ſed diſſimulare videatur, poſtea tamen ſuo tempore reſurget ad iudicandum omnes, & in lucẽ proferendum quę apud ſe aſſeruata habet, iuxta illud, Surge Deus, iudica terram. Et tunc retribuet hominibus mercedem quam meruerunt, ita vt vnuſquiſq; ſuam ipſe capiat & reportet portionem. Quod additur, & conuertet in inferiores partes terræ; vbi aliquid corruptè, vt puto, legunt, conteret, Græca nulla habent, vt ex collatione de veriori lectione & ſenſu iudicari nõ poſſit. Cùm autem variè ea pars à quibuſdam explicetur, videtur propoſito conueniẽtiſſimus ferè ſenſus, ſi intelligatur Deum cùm ad iudicandum ſurrexerit, conuerſurum eleemoſynam, vel retributionem quam vnicuique retribuet, in inferiores partes terræ, hoc eſt, in mortuos, quia ſcilicet efficiet vt ad eos perueniat, dum eos reſuſcitabit, & reſuſcitatis dabit quod meruerũt. Aut conuertet ſe in inferiores partes terræ, quia vſq; ad mortuos eius virtus perueniet, reſuſcitans eos. Per inferiores enim partes terræ, ſecundùm phraſim veteris Teſtamenti, non damnati ſolùm, ſed generaliter mortui deſignantur, vt & poſtea cap. 24. Sapientia dicit: Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Cùm autem Deus non tantùm in nouiſſimo generali iudicij die ſurgit ad retribuẽdum mercedem, ſed etiam in cuiuſq; hominis nouiſſimo die, etiam tunc intelligendum eſt Deum cõuertere eleemoſynã hominis in inferiores partes terræ: atque ob id non malè hic locus adduci poteſt ad probandum, eleemoſynam poſt mortem prodeſſe homini etiam ad pœnam eius, qua purgandus eſt, tollendam vel leniendam.

Pſal. 81.

18 *Pœnitentibus autem dedit uiam iuſtitiæ, & confirmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit eis ſortem ueritatis.*

NE, quoniã dixit Deum omnia hominum opera obſeruare, & quãdoque redditurum vnicuique ſecundùm opera ipſorum, deſperẽt de Dei gratia obtinenda qui in peccatum prolapſi ſunt, ſubiicit de fructu & efficacia pœnitẽtiæ, atque ad eandem deinde hortatur. Hæc, inquit, quæ dixi etſi vera ſint, tamen Deus non præcluſit pœnitentibus de peccatis ſuis viam iuſtitiæ obtinẽdæ, ſed dedit illis viam & rationem obtinẽdi iuſtitiam, deditque eis vt quam reliquerũt viam iuſtitiæ, rurſum amplecti poſſint. Pro quo Græcis eſt, ἐδίδουεν ἐπάνοδον, dedit eis reditum, ad ſe ſcilicet & ad iuſtitiam quam reliquerunt. Nec ſolùm illis dedit viam iuſtitię, ſed etiam eos qui in ſuſtinendo deficiunt, hoc eſt, qui non ſpe diuinorum bonorum perſiſtũt perſeueranter in bono, ſed per infirmitatem humanam excidũt à recta virtutis via, ipſemet confirmauit, partim per ſcripturas ſacras aut prædicãtium ora, partim per internam ſuam inſpirationem, erigẽdo illos ſpe veniæ, & ſua gratia eorum menti robur, infundendo. Eos item qui per ſe deficerent in tolerandis aduerſis, & perſeueranter expectandis bonis cœleſtibus, ipſe ita confirmat ſua gratia, vt non deficiãt. Alleuat enim Dominus, inquit Pſalmiſta, omnes qui coruuunt, & erigit omnes eliſos pro confirmauit, vel, vt aliqui libri habent, corroborauit, Græcè eſt παρεκάλεσεν, quod eſt aduocauit vel rogauit aut conſolatus eſt & hortatus. Hæc enim ſignificat illud verbum, non autem confirmare, quanquam res eõdem redeat. Et veriſimile eſt interpretem vertiſſe, conrogauit, quia ſic in quibuſdam libris inuenitur, & cum id non intelligeretur, mutatũ eſſe in corroborauit, & hoc in, confirmauit. Hortatur autẽ Dominus per prædicatores ſuos, imò & obſecrat homines ad pœnitentiam & conſtantiam. Vnde Paulus eodem verbo vſus, Obſecramus, inquit, pro Chriſto, recõciliamini Deo, & Pro Chriſto legatione fungimur, tãquam Deo exhortante per nos. Quod addidit interpres; Et deſtinauit eis ſortem veritatis. (nam id Græca non habent) ſignificat Deum deputaſſe pœnitentibus non eam partem quam prius meruerant, ſortẽ ſcilicet iniquitati debitam, ſed ſortem veritati & iuſtitię deſtinatam. His ergo præmiſſis, rectè ſubiicit adhortationem ad pœnitentiam, dicens:

2. Cor. 5.

19 *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua: precare ante faciem eius, & minue offendicula.*

EXemplar cõplutenſe habet coniunctionem illatiuam; Cõuertere igitur ad Dominum. Duas autem partes pœnitentiæ eſſe indicat, quæ ſeparari non debeant. Nam verè pœnitentem oportet conuerti ad Dominum à quo auerſus fuit, & vt id rectè fiat, relinquere debet peccata ſua. Quomodo autem hæc fieri debeant, altera pars inſinuat. Conuerti enim debet peccator ad Dominũ, ſic vt precetur ante faciem eius, orans & pro admiſſorum venia, & pro auxilio gratiæ eius, ſine qua nec malum relinquere, nec bonum amplecti & retinere valet. Relinquere peccata ſic debet, vt ſi nõ omnino ab omni peccato liber eſſe poſſit, tamen minuat offendicula, hoc eſt, quæ Deum offendunt, aut quæ occaſio

nem ſcandali & peccati præbent. Ea enim quiſque tum propter ſe, tum propter alios quantùm poteſt minuere debet & tollere. Idem aliis verbis inculcatur, cùm ſubditur:

20 *Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitia, & nimis odito execrationem.*

NImis pro valde poſitum eſt, vt aliàs ſæpe. Ad veram auerſionem ab iniuſtitia non ſufficit facto illam relinquere, ſed & animo ab ea alienari. vnde rectè additum eſt; valde odito quicquid Deus execratur & abominatur.

21 *Et cognoſce iuſtitias & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis & orationis altiſſimi Dei.*

HÆc ſentẽtia etſi iam in Græcis non habeatur, fieri tamẽ poteſt quòd eam interpres legerit in Græcis codicibus, ſicut & nunc Græca quædam habẽt quas interpres non legit. Certè cõuenienti ordine ſuperioribus addita eſt ad abſoluendum verę pœnitẽtiæ conditiones. Nam præter dicta ad perfectam pœnitẽtiam requiritur, vt cùm quis ad Deũ conuerſus eſt, & peccata relinquere incipit, inquirat & præ oculis ſemper habeat iuſtiſſima Dei mãdata, quorum obſeruationem Deus requirit: Tum vt in cœpta virtutis via perſiſtat & perſeueret, vnde dicitur: Et ſta in ſorte propoſitionis, hoc eſt, in ea cõditione quã tibi Deus propoſuit, & ad quam te võcauit, aut quam tuo tibi proposito delegiſti. Quæ eadẽ conditio & ſors exigit aſſiduam deprecationẽ Dei, ſine cuius auxilio hæc omnia fieri non poſſunt. His tamen omnibus adhuc addi debet quod ſequitur:

22 *In partes uade ſæculi ſancti, cum uiuis & dantibus confeſſionem Deo.*

Iſaiæ 9.

SÆculum ſanctum, eſt ſæculum illud de quo Iſaias loquitur, cùm dicit Chriſtum patrem futuri ſæculi: fœlix ſcilicet ſtatus futuræ vitæ, in quo omnis peccati immunditia aberit, per quã iſtud præſens ſæculum, rectè pollutum ſæculum dici poteſt. In ſæculo autem illo ſancto eſt perpetua confeſſio laudis Dei, gratiarũ actio, & prædicatio Dei, angelis clamãtibus: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth, &c. Monet ergo Sapiens, vt pœnitens iam per prædicta Dei miſericordiam & gratiam conſecutus, in partes & conditionem vadat ſæculi ſancti, & ſcilicet quod illi ſæculo proprium eſt & familiare, etiam ipſe hic accipiat, laudando ſcilicet Deum, & illi gratias agendo pro accepta peccatorũ remiſſione, & alia quoque eius opera & beneficia prædicando cum his, qui adhuc hic ſuperſtites exiſtẽtes dant Deo confeſſionem laudis, hoc eſt, laudant Deum & prædicant. Hunc eſſe genuinum loci huius ſenſum, ſequentia indicant.

23 *Non demoreris in errore impiorum: ante mortẽ confitere. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio.*

HÆc propriè non dicũtur de confeſſione peccati, ſed de confeſſione laudis, vt ſatis patet ex ſententia ſequenti, & ſimili loco, qui eſt in Cantico Ezechiæ, ad quem hic omnino alluſum videtur: Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, nõ expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuã. Viuens, viuẽs ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie, pater filiis notã faciet veritatem tuam. Sic & Dauid dicit, Non eſt in morte qui memor ſit tui, ſ. in inferno autẽ quis confitebitur tibi? &: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcẽdunt in infernum. Quibus locis ad literam nõ agitur tantùm de damnatis, nec tamẽ negatur cõfeſſio & laus Dei in ſanctis poſt mortem, ſed tantùm dicitur mortuos Deum hic apud viuos non deprædicare, nec eos ſua confeſſione viuos ædificare poſſe. Sic enim ſoli hic viuentes alios viuentes ædificãt, & ad laudem ac reuerentiã Dei prouocant. Quod qui hic viuentes modò non faciunt, nec poſtea eis facere dabitur, quando verè etiam non erũt inter viuos, vt nemo putet ſe poſt mortem poſſe incipere laudem Dei. Itaque rectè monet Sapiens, vt etiamſi quis aliquandiu hæſit aut detentus fuit in errore impiorum, eo in quã errore, quo quis virtutibus neglectis vitia ſectatur, non demoretur in illo diutius, vt ante morté veniam ſuorũ peccatorũ conſecutus Deum laudet, eíq; gratias agat, & beneficia eius aliis prædicet, quod dignè facere non poteſt peccator, quem non pœnitet ſuorũ peccatorũ. Nec eſt quod cõfeſſionem Dei ſibi putet quis differendam in tẽpus futurũ poſt mortẽ, quia ab eo qui mortuus eſt huic mũdo, tanquam qui omnino non eſt in mũdo, nec cum eo commercium habet, perit confeſſio Dei qua illum apud viuos prædicaret, & qua ſibi meritum apud Deum cõparare poſſet. Perit item omnino ab eo ſic, vt ſi hic eã non inceperit, ſed ſe ad eã ineptum reddiderit, & Deum potius vita aut lingua blaſphemauerit, eam ibi incipere non poſſit, vt qui nec tunc inter viuos reperietur. His ergo locis agitur de confeſſione Dei, quæ viuis ſit ædificatoria, & confitentibus ſit meritoria. Cùm autem eadem ſit ratio de confeſſione peccatorũ, nempe quòd & ipſa tantùm ante mortem ſit meritoria, ídque in his tantùm qui non perſiſtunt in veteri errore, non mirum ſi per accommodationem hæc à quibuſdam etiam tribuantur confeſſioni peccatorũ, maximè cùm in ſuperioribus de agenda pœnitentia ſermo ſit habitus. Itaque etiam Auguſtinus hunc locum citat aliquoties de cõfeſſione peccati, vt ſermone octauo de verbis Domini, & aliis locis, quibus ſemper legit: A mortuo quaſi qui non ſit, perit cõfeſſio. Cæterùm notãdum quoſdam libros nõ habere illam partem; Ante mortem confitere; ſicut nec Græca habent, includitur tamen ſatis in parte ſequenti; A mortuo quaſi nihil perit confeſſio; quam Græca habent clarius: A mortuo tanquam non exiſtente (aut eo qui non eſt) perit confeſſio, proinde ſimiliter noſtra lectio eſt accipienda, vt ſubaudiatur participium, A mortuo quaſi exiſtẽte nihil, apud viuos ſcilicet quoad conuerſationem huius mundi, perit confeſſio Dei. Vnde ſequitur:

Iſaiæ 38.

Pſalm. 6.

Pſal. 113

24 *Confiteberis uiuens, uiuus & sanus confiteberis: & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus eius.*

EX secũda parte hic cõstat de quali confessione hic sit sermo, nẽpe de confessione Dei, qua peccator Dei adeptus gratiam prædicat eius misericordiam. Dum autẽ docetur hanc misericordiã Dei in ista vita prædicandam esse, satis etiam innuitur illam ab his qui extra Dei gratiam hinc decedunt, non posse post hanc vitam obtineri, vt tunc illam incipere possint prædicare & laudare. Porrò futura indicatiui modi in hac sententia phrasi Hebraica posita sunt pro imperatiuis, confitere, lauda & gloriare. Dicit; viuus & sanus confiteberis; hoc est; quando per vitam licet, & per valetudinem libet. Complutense exemplar habet, ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ, hoc est, sanus corde. Quod aliqui intelligũt de sanitate animæ, à vitiis, quæ morbi sunt spirituales, purgatæ, vt significetur eũ qui viuit corpore, animo tamẽ languet, nõ esse idoneum ad confitendum & laudandum Deum.

25 *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.*

QVo ad pœnitẽtiam magis suos Sapiens inuitaret, in sequentibus prosequitur prædicationẽ misericordiæ diuinæ, eius magnitudinẽm extollens, & causam indicãs cur illa hominibus tam sit exposita, & tam facilis. Primùm ergo exclamãdo præ admiratione bonitatis diuinæ, asserit magnam esse misericordiam Dei, eiúsque propitiationẽ, sed erga eos qui conuertuntur ad se, pro ad ipsum. Id dum exclamãdo & admirãdo effert, significat se eius magnitudinem non posse verbis satis explicare.

26 *Non enim omnia possunt esse in hominibus, quoniã non est immortalis filius hominis, & in uanitate malitiæ placuerunt.*

INdicat hæc ratio imbecillitatem humanæ naturæ, eiúsque ad vitia ex sua natiuitate procliuitatẽ, causam esse cur erga homines tam sit Deus ad miserendum propensus, vt huius cõsideratione minus desperet peccator, sed spe veniæ citius ad pœnitẽtiæ remedium cõfugiat. Simile habet Psal. 102. dicẽs: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timẽtibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius, &c. Dicit ergo; Meritò Deus propitius est hominibus pœnitentibus, non enim omnia possunt esse in hominibus (hominibus, enim legendum est, & non, vt quidam legunt, omnibus) hoc est, homines non possunt in hac mortali vita habere summam perfectionem, sed pro suæ naturæ fragilitate necesse est eos aliquãdo labi & cadere, non possunt esse sine defectu, nec possunt eis esse omnia quæ iure inesse deberent, quæque ab eis desiderãtur: quoniam qui ex homine mortali natus est, non est immortalis, immutabilis, & à corruptione liber, sed eo ipso quo ex homine natus est mortem secũ trahit, & cum morte instabilitatẽ huius vitæ & corruptionem, atque ad vitia procliuitatem, & sic per vanitatem & naturę instabilitatem, in qua homo nascitur, malitiæ vitia & prauæ concupiscentiæ semper homini placuerunt ex sese, quia sensus & cogitatio humani cordis semper prona sunt ad malum ab adolescentia sua. *Genes. 8.*

27 *Quid lucidius sole? & hic deficit, aut quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? & hoc arguitur.*

GRæca non habent futurum, deficiet. sed præsens, ἐκλείπει, deficit, quemadmodum & scripta quædam & impressa habẽt, vt non ad defectum illum & mutationẽ quæ in fine mundi fiet, istud referendum sit, sed potius ad eclipsim, quam nobis sol nonnunquã patitur, & ab illo verbo nomen habet. Melius autem hic locus intelligetur si conferatur cum similibus locis quę sunt apud Iob, quorũ vnus est cap. 15. Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli nõ sunt mũdi in cõspectu eius. Quãtomagis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem? Alter est cap. 25. Nunquid iustificari potest homo cõparatus Deo, aut apparere mũdus natus de muliere? Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis? Sicut ergo illis locis ad depressionem humanæ superbiæ, ex imperfectione cœlestium creaturarũ, quę perfectissimæ inter omnes sunt, ostenditur imperfectio hominum: ita & hic hominis imperfectio cum sole comparatur, non tantùm ad confutationem humanæ præsumptionis, sed etiã ad cõsolationẽ humanæ infirmitatis, ne ob suam imperfectionẽ de Dei misericordia diffidat. Et est sensus; Inter omnes creaturas nihil est lucidius sole, & tamen etiam ipse in lumine deficit, siue cùm occidit nobis, siue cùm eclipsim patitur. Deficit item & deficiet, si cõferatur cum luce & claritate Dei, in cuius conspectu & comparatione luna non splendet, & stellæ non sunt in suo lumine omnino mundæ. Quantò minus de sua iustitia & puritate præsumere debet homo carnalis, qui ex carnali sua corruptione non cogitat nisi malum, quod in ipso meritò arguitur & reprehenditur? Notandum autem secundam partem huius sententiæ duplicem habere apud nos lectionem, quemadmodum & in Glossa Ordinaria notatum est. Nam quidam libri habent; Aut quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? Alij, Aut quid nequius excogitauit caro & sanguis? Græca habẽt, ἢ τοιοῦτον ἐνθυμηθήσεται σὰρξ καὶ αἷμα. Et malum cogitabit caro & sanguis, hoc est, corruptio carnalis quæ est in homine, aut homo carnalis in quo dominatur caro & sanguis, ex se non cogitabit nisi malum. Græcis ergo magis accedit posterior lectio, quã ob id puto verioré, & sic intelligendã: Cùm lucidissimus omniũ sol non sit sine defectu, quid caro & sanguis, hoc est, homo ex sese planè fragilis cogitabit nequius, quàm scilicet & nolit agnoscere

agnoscere suum defectũ, suam fragilitatẽ, & frequẽtes lapsus, sed superbè se efferat quasi sole superior? Id sanè si fecerit, graviter ipsum arguetur & vindicabitur. Nã etiã scripta quædã habent futurũ, excogitabit, vt habent Græca. Potest & hic esse sensus: Quid nequius, hoc est, quantũ malũ cogitabit caro & sanguis, vt comparatiuus, nequius, accipiatur pro positiuo, sicut positiuum Græca habent, &, quid accipiatur admiratiuè. Aut certè sensus est: Quid nequius cogitabit caro & sanguis, quàm scilicet assiduè cogitat? vt significetur corruptionẽ hominis omniũ malorũ causam esse, & pessima quæque excogitare. Quia autem hæc lectio videbatur continere falsitatem, aut incommodum habere sensum, nõ est mirum eam mutatam à quibusdã qui addiderunt, quàm quod. Nam id in quibusdam additũ vidimus, cùm prius tantùm esset: quid nequius cogitabit caro & sanguis. Nec tamẽ satis verum est quod hac interrogatione significatur: Quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? nã nequius est quod excogitauit dæmon: item quod excogitat nõ infirmitas carnis, sed mala voluntas hominis. Nisi intelligatur significari inter omnes defectus, qui in creatura visibili reperiuntur, nullum esse peiorẽ, quàm quem caro & sanguis excogitat. Æditio Cõplut. diuersam habet lectionẽ, hoc modo, καὶ ἀνὴρ ὃς σθυμεῖσθαι σάρκα καὶ αἷμα. Et vir qui cogitabit carnẽ & sanguinem, scilicet etiã deficiet. Pro, ποιητὴν, enim legi ἀνὴρ ὃς, inter quę est magna similitudo. Sed altera lectio, quam secutus est noster interpres, præferenda videtur.

28 *Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit, & omnes homines terra & cinis.*

RElatiuum, ipse, ferè ab omnibus ad Deũ refertur, vt significetur Deũ conspicere cœlestia omnia, eorúmq; virtutẽ, sicut de eo dicitur: Altitudines montiũ ipse cõspicit. At *Psal. 94.* rectius referẽdum est ad solem: adhuc enim perstitur in cõparatione hominis cum sole. Et de sole quidem ad eius excellẽtiam commẽdandã dicitur quòd ipse cõspiciat, vel, vt est Græcè, ἐπισκοπεῖται, hoc est, inspiciat, visitet & perlustret, totã virtutem, hoc est, militiam & exercitũ altitudinis cœli vel altissimi cœli, quia scilicet sol inter omnia astra velut Imperator constitutus est, qui omnia astra suo lumine perfundit, suóque motu assiduè visitat & percurrit. Vnde in Psalmis iuxta He- *Psal. 18.* braicã veritatẽ dicitur: Soli posuit Deus tabernaculũ in ipsis cœlis. De hominibus verò ad repressionẽ præsumptionis eorum dicitur quòd omnes sint terra & cinis, quemadmodum & superius dixit: Quid superbit terra & cinis? Significat ergo, quòd si sol, tãtæ excellentiæ creatura, coram Deo non est sine defectu, nec de perfectione gloriari potest, multo minus homo, in illius cõparatione vilis admodù iuxta corpus creatura. Aptè autem iam secũdo hominẽ vocat terram & cinerẽ. Terrã quidem ratione originis, quia ex terra sumptus est. Cinerem ratione finis, quia in cinerẽ per mortem cõuertitur. Cùm enim anima in homine sit velut ignis continuè moués & motus, corpus anima destituta veluti carbo est, qui in cinerem resolvitur. Vnde impij dicunt in lib. Sapien. cap. 2. Fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad cõmouendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer.

Caput XVIII.

1 *Qui uiuit in æternum, creauit omnia simul, Dominus solus iustificatur, & manet inuictus rex in æternum.*

PROSEQVITVR in huius capitis principio quod cœpit in fine alterius. Prædicat enim diuinam maiestatem, & econtrà ponit humani generis paruitatem, vt sic magis comprimat humanæ mẽtis superbiam, subiiciẽs deinde humanã imbecillitatem causam esse immensæ Dei misericordiæ erga humanũ genus. Quoniam ergo nec hominem mortalem, nec solem supra asseruit esse sine defectu, his opponit hac sententia Deum, qui & solẽ & hominẽ & alia omnia creauit, tribuens ei soli & immortalitatẽ, quam suprà negauit in homine, & perfectionem iustitiæ, quę nec in cœlestibus inuenitur creaturis. Porrò pro, simul, Græcis est κοινῇ, quod magis est pariter vel cõmuniter, ne quis ex hoc loco colligat omnia simul, cõdẽmq; tẽpore esse cõdita, quẽadmodũ ex hoc loco intellexit D. Aug. omnia opera creationis, quæ sex diebus c. 1. Gen. cõmemorantur facta, simul vnóque tẽpore facta esse: sex autem dies illos in angelorũ diuersa intelligẽtia esse accipiendos, vt videre est apud illud lib. 4. de Genesi ad literã cap. 33. Non enim, simul, hic tẽporis identitatẽ designat, sed vniuersa sine exceptione comprehendit, sicut apud Ioan. cap. 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factũ est nihil, quod factũ est. Dicit ergo; Is cui propriũ est viuere, & esse in ęternũ, sine principio scilicet & fine, is, inquã, creauit omnia pariter nec est aliquid quod nõ ab illo se factũ agnoscere debet. Is ergo etiam solus est, qui si ad alia à se creata cõparetur, inuenietur iustus, atq; sine omni defectu, in quo nihil desiderari possit. Reliqua verò omnia tantùm ab eius perfectione deficiũt, quãtum ab authore deficit opus ab ipso factũ. Is & manet inuictus rex in æternum, quia eius voluntas & potestas à nullo superari & impediri potest, sempérq; eodem statu permanet, nulli mutationi subiectus, cũ reliquis omnibus creatis à se. Addit hic quædam exemplar Complutense, quæ alij codices Græci non habẽt, sicut nec nos. Sic enim habet; Qui ædificat enim mundum palmo manus suæ, & omnia obediunt voluntati eius: Ipse enim Rex omnium in fortitudine sua diuidens in ipsis sancta à prophanis. Pro quibus nos tantùm habemus; manet inuictus Rex in æternũ; quod nec Germanicum exemplar habet.

2 *Quis sufficit enarrare opera illius? Quis enim inuestigabit magnalia eius?*

Vertendum

VErtendum potius vel legendū per præteritum, inuestigauit, cùm Græcis sit ἠρεύνησε, vt sit sensus: Quandoquidem nemo plenè magnifica eius opera, & omnes eius excellētias perscrutatus est, nemo etiam est qui sufficiens est ad plenè & perfectè enarrandum opera Dei. Emphasim habet quod cū interrogatione dicit; Quis sufficit, & quis inuestigabit; significans Dei opera tam esse imperscrutabilia, & ob id inenarrabilia, vt ad ea nemo sufficiat.

3 *Virtutem autē magnitudinis eius quis enunciabit? aut quis adijciet enarrare misericordiam eius?*

INter cætera quæ de Deo nunquam prædicari satis possunt, sunt præcipuè duo in Deo stupenda & admiranda: virtus scilicet, robur ac fortitudo magnificentiæ eius: & misericordia eius atque bonitas, quæ duo Deo tribuuntur, cùm dicitur, Optimus, maximus. Fortitudini eius non est adiuncta, vt ferè in hominibus, crudelitas, & misericordiæ eius non deest potētia succurrendi quibus miseretur. Fortitudo exigit vt eum suspiciamus & timeamus, misericordia, vt amemus & diligamus. In eo quod dicitur, quis adiiciet, videtur subaudiēdum cor suum. vt sit sensus: quis apponet cor suū, hoc est, quis conabitur enarrare. Aut est sensus: quis adiiciet, hoc est, quis aggredietur.

4 *Non est minuere neque adijcere, nec est inuenire magnalia Dei.*

SIgnificat opera Dei & esse perfectissima, & inscrutabilia. Per hoc enim quod dicit: non est minuere neque adiicere: significat ea adeò esse perfecta, vt nemo possit ostendere aliquid in eis esse superfluum, quod auferendum esset, (id enim est ea minuere) aut aliquid in eis desiderari quod addēdum esset, id enim est ad ea adiicere. Pro, inuenire, Græcis est, inuestigare, sed quia ideo dicitur magnalia Dei non posse inuestigari, quia inuestigando plenè inueniri nequeunt, bene vertit interpres.

5 *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet: & cùm quieuerit, operabitur.*

SIgnificat eum qui magnitudinem Dei & operum eius vestigare & enarrare conatus fuerit, cùm omne studium eò cōtulerit, nihil tamen effecturum. Cùm, inquit, quisquam absoluisse se putauerit inuestigationem & enarrationem de Deo, tum demum inueniet tantùm superesse, vt quasi de nouo incipiendum sit: & cùm post longū laborem quiescendum sibi putauerit, quasi instituto suo bene perfecto, tum videbit sibi adhuc laborādum esse & operandum, vt quod conatur perficiat. Significat ergo, si quis hoc tentet, frustra laboraturum. Pro, operabitur, Græcis est, ἀπορηθήσεται, hoc est, perplexus erit. Non malè tamen noster vertit, si intelligatur vt iam indicatum est. Sunt qui hanc sententiam accommodant ad significādum in virtutis via, quasi necdum obtenta perfectione, semper quasi incipiendum. vt sit sensus: cùm homo Dei præcepta perfectè impleuisse videtur, tunc si consultum sibi vult, nouo feruore virtutis viam quasi incipiet, & cùm se ab omnibus mūdanis curis quietum reddiderit, tunc incipiet opus Dei operari. Ita enim ferè Rabanus. Sed hic sensus propositio est impertinens. Simile ei quod hic dicitur, est apud Iob, post enarrationem aliquam operum Dei dicentem; Ecce hæc ex parte dicta sunt viarum eius, & cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? *Iob 26.*

6 *Quid est homo, & quæ est gratia ipsius, & quid est bonum, aut quid nequam illius?*

POstquàm indicauit imperscrutabilem & inexplicabilem esse Dei magnitudinem & excellentiam, ex opposito indicat quanta sit hominis in comparatione Dei vilitas & imperfectio, vt hac consideratione sese homo sub Deo magis semper humiliet. Itaque exclamando dicit: Quid est homo, hoc est, quàm vilis est si Deo cōponatur. Pro gratia, Græcis est χρήσις, hoc est, vsus, quo significatur Deum non indigere opera hominis, nec opus ei esse vt eo vtatur. Proinde quod nos habemus; quæ est gratia ipsius, sic est accipiendum, quæ est gratia ipsius apud Deum, qua scilicet Deus egeat, hoc est, quid habet præclari quo sibi Deum promereatur, & quo Deus indigeat, aut quo Deo benefaciat. Eōdem pertinet quod sequitur; & quid est bonum; aut quid nequam (pro malum) ipsius, apud Deum scilicet; hoc est, quod bonum Deo cōferre potest homo, aut quod malum Deo inferre. Alij intelligunt, quàm pauca sunt bona hominis, & quàm multa sunt mala eius. Sed alter sensus proposito magis cōuenit, cōsentiens cum illo Dauidis: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Et illo Iob: Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei cōfers, si immaculata fuerit via eius? *Psal. 15.* *Iob 15.*

7 *Numerus dierum hominum ut multùm centum anni, quasi guttæ aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui.*

OStendit iam & alia ratione, hominis, respectu Dei, imperfectionē, videlicet ob breuitatē vitæ eius, cuius diuturnitas etiam si centum fuerit annorum, quæ paucis contigit, tamē respectu æternitatis, quæ Deo est propria, non aliter se habet quàm singulæ guttæ aquæ marinæ respectu totius maris, aut calculus vnus respectu innumerabilis arenę. Pulchra sanè cōparatio, qua significatur nullam esse comparationem inter vitam istam humanam, & diuturnitatem Deo conuenientem, sicut finiti ad infinitum nulla est proportio. Quod etiam in Psalmis non dissimiliter expressum est, cùm dicitur: Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit. Apud Rabanum melius

melius legitur, quasi gutta aquæ maris deputatus est. Nam & Græca singulariter habent, σταγών, gutta.

8 *Propter quod patiens est in illis, & effundit super eos misericordiam suam.*

OStendit infirmitatē hominis, & breuitatē vitæ eius, sicut homini causam præbere debet humiliationis sub Deo: ita & Deo causam præbere vt hominum peccata patienter ferat, sic vt nōn statim pro merito ea puniat. Ita vt in pœnitentibus, & veniam rogātibus, copiosè diffundat misericordiam suam. Duo enim dicit, quorum alterum pertinet ad vindictæ dilationem, alterū ad peccatorum remissionem. Quidam libri habēt, effudit, alij effundit, sed rectius illi, qui habent, effundet, quomodo & Raban. legit, & Diony. quoniam Græcis est futurū, ἐλεήσει. Dicit ergo Deum & esse patiētem, vel, vt habent Græca, lōganimem in hominibus, quia & non statim punit, & ad pœnitentiam expectat: & si pœnitentiam egerint, effusurum super eos misericordiam suam.

9 *Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognouit subuersionem illorum, quoniam nequam est.*

10 *Ideo adimpleuit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis.*

VIdit, inquit, malam admodū esse temeritatem hominum, qua præsumunt se opponere voluntati ipsius: cognouit item quòd admodum mala & grauis erit subuersio illorum & perditio quam sua temeritate merētur. Ideóque ne tantam subuersionem incurreret, amplè & copiosè propitiatus sem per est hominibus, ipsius gratiam petit peccata implorantibus: insuper & ostendit eis viam æquitatis & iustitiæ, declarās omnibus modis se nolle mortē peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat. Dictio ergo, nequam; qua frequenter vtitur interpres, hic non significat malitiam morum, sed malitiam afflictionis. Pro, subuersionem; enim est καταφθορὰ, quod significat subuersionem & perditionem: item & exitum rei, vnde & fabulæ finis, catastrophe vocatur.

11 *Miseratio hominis circa proximum suum, misericordia autem Dei super omnem carnem.*

VT præter prædicta etiā alia ratione cōmendet excellentiam misericordiæ diuinæ, cōparat eam cum misericordia hominis, insinuans illam hanc longè præcellere, idque duplici nomine. Primùm, quòd misericordia hominis sit erga paucos, vnde dicitur singulariter, erga proximū suum, vnum scilicet aut alterū; misericordia autem Dei generalis sit & communis, vt quæ se extēdat super omnem carnem. Secūdò, quòd illa sit erga sibi æqualem, proximum scilicet: hæc verò erga tam inæquales, quàm caro distat à spiritu. Proximus ergo hic appellatur, certus aliquis homo, ratione amicitiæ aut propinquitatis, aut vicinitatis, aut alicuius alterius rei cōiunctus. Caro autē accipitur pro omni animātium genere, & maximè pro homine; in quo bonitas & misericordia Dei maximè cernitur.

12 *Qui misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum.*

RElatiuum, qui, ad Deum referēdum est, vt sit sensus: Qui Deus misericordiā habet erga homines, & ex misericordia qua erga eos mouetur, ne pereant docet eos & erudit: sicut pastor gregem suum dirigit, & curam gerit ne erret, & per errorem in mala & perniciem ruat.

13 *Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in iudicijs eius.*

HÆc est vera lectio Græcis concordans, quam & scripta quædā habent & Rabanus. Proinde malè multi legunt; Misereatur excipiens doctrinam; & est sensus: Deus qui ex misericordia homines docet, misericordiam suam potissimùm impendet ei qui auidè & voluntariè suscipit doctrinam suam ex miseratione profectam, quique ea suscepta festinat ad iudicia & præcepta ipsius implenda. Doctrina miserationis etiam intelligi potest doctrina de miseratione proximis impendenda, vt significetur Deum misericordem futurum his qui in alios misericordes fuerint, iuxta illud: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed dictio, miserationis, Græcis non est. Conueniens autem fuerit, vt præcedens versus huic cōiungatur, vt totum illud; Qui misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum; sit suppositū verbi, miseretur, & sit sensus: Is qui miseretur hominum, Deus scilicet, quique ob id docet & erudit eos, miseretur excipientis doctrinam suam. *Matth. 5.*

14 *Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam uerbi mali.*

POst doctrinā de pœnitentia & misericordia Dei, opportunè subiungit præcepta virtutum, & primùm redit ad doctrinam de eleemosyna, quam superiori capite commēdare cœperat, docens iam non tantùm aliis benefactiēdum esse, sed beneficiis etiam benignitatem verborum addendam esse, quæ munus collatum maximè commendat: & licet collatum beneficium subsequatur, ipsi tamen anteponitur. Contrà acerbitas verborum illiberalis & modesta, omnem beneficij gratiam tollit. In beneficiis enim conferēdis animus imprimis spectatur, cuius index est oratio. Pro, querelam, Græcè est μωμον, quod vituperium propriè significat, maculam & reprehensionem. Vnde sicut cùm interpres noster dictionem, ἄμωμος, quæ irreprehensibilem significat, vertit, sine querela, vt Lucæ 1. & alibi, illud, sine querela, passiuè accipi debet, pro eo de quo nemo conqueritur, ita & hic querela accipi debet, vt sit sensus: In bonis, hoc est, in beneficiis quæ in alterum confers, non des reprehensionē, nec sic ea conferas pro quibus gratia tibi debetur, vt de

vt de tè quis conqueri iure possit,& in omni dono quod alicui impendis,non misceas tristitiam verbi mali,hoc est,triste verbum,declarans scilicet te non dare ex animo & lubenter, sed coactum. Vnde monet Paulus
2. Cor.9. eleemosynam dari nõ ex tristitia & necessitate. Hilarem enim datorẽ diligit Deus. Aut non des tristitiam aliis ex duro & increpatorio verbo quod contra eum loqueris.

14 *Nónne ardorem refrigerabit ros,sic & uerbum melius quàm datum.*

PVlcherrima similitudine indicat quantũ comitas & benignitas orationis conferat indigentibus,& beneficium commẽdet,imò superet Dulcem enim sermonem comparat rori, quòd sicut ros è cœlo leniter demissus æstiuum calorem temperat,& in hominibus & in frugibus atque herbis terræ: ita dulcis sermo, ex ore hominis leniter profluens, inopiæ malum hominem instar ardoris vrẽs & torquens, temperet & extinguat. Durus autem sermo muneri collato additus rectè imbri vehementi comparatur,qui tollit quidem ardorem, sed sine gratia, & cum nocumento sæpius, ita enim & durus sermo perdit muneris gratiam & vtilitatem.

15 *Nónne ecce uerbum super datum bonum? & utraque cum homine iustificato.*

AN non,inquit,experientia discimus verbum bonum plus efficere, & maiorem habere gratiam quàm ipsum donũ bonum? Adeo enim verbum præstat dono, vt bonus sermo quandoque sine dono gratus sit: donum autem bonum,sine bono sermone gra-
Vide n. 17. tum non fit. Vnde & Salomon: Melior, inquit,buccella sicca cũ gaudio,quàm domus plena victimis cum iurgio. Ne tamen quis hinc occasionẽ sumat solis verbis suauibus satisfaciendi egentibus ope,subiicit, & vtraque, inquit, hæc scilicet sunt cũ homine qui vere iustus esse studet,& qui iustus habetur. Ille enim nec contentus est verba dare, nec satis habet dona conferre, sed bonis donis bona cõiungit verba. Tractat pulchrè hunc locum D. Gregor. lib. Moral. 2.cap.13. Pro, iustificato, Græcis est κεχαριτωμένῳ, hoc est, homine gratioso. Quo significatur ad gratiam obtinendam apud Deum & homines, vtrumque coniungendum.

16 *Stultus acriter improperabit,& datus indisciplinati tabescere facit oculos.*

STultus,inquit,etiamsi quid det,tamen acerbè improperat ei cui beneficium cõfert, obiiciendo ei paupertatem, inertiam, importunitatem, suúmque grauamen, aut aliud simile, & sic fit vt datus indisciplinati, hoc est, donum hominis non rectè instituti, tabescere faciat,hoc est,valde cõtristet oculos egeni, quos alioqui donum exhilarare sua natura solet, quia cùm detur cum tristitia vultus & verborum amarulẽtia, efficit vt pauper cõtristatus & pudibundus discedat. Bene autem hoc stulto tribuit, quia qui sic tribuit,stultum se & imprudentem declarat, vt qui & gratiam & munus perdat.

17 *Ante iudicium para iustitiam tibi,& antequam loquaris disce.*

SVbiicit quædam præcepta seruãdæ prouidentiæ, & vitandæ temeritatis. Quorum primum istud generaliter accipiẽdum est, & de iudicio hominum, & de iudicio Dei. Antè enim quàm quis prodeat ad iudicium magistratus, curandum est vt causam habeat iustam, eámque bene instructam. Et antequam quis loquatur de re quapiam siue in iudicio, siue alibi, prius bene inquirendum est de statu rei, discendum item quid & quomodo dicẽdum,& quid omittendum. Sic & ante iudicium Dei subeũdum in morte & nouissimo die, paranda est iustitia per opera bona & gratiæ Dei implorationem. Et antequã quis loquatur alios docendo,oportet discere alios audiendo. Significat ergo temerarium esse & ante comparatam iustitiam iudicio se inferre, & ioqui antequam quis bene edoctus sit.

18 *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum,& in conspectu Dei inuenies propitiationem.*

AD prouidentiam etiam pertinet vt ante morbum adhibeatur medicina, nõ curatiua, sed præseruatiua, qua impediatur morbus imminẽs,aut vt ante languorem inueteratum, medicina tempestiuè adhibeatur. iuxta illud Poëtæ, Principiis obsta, serò medicina paratur, Cùm mala per longas inualuere moras. Sub hac tamen admonitione intelligendum est parabolicè amplius significari, nempe ante languorem mentis qui peccando incurritur, mentem muniendam piis cogitationibus, & occasiones peccatorum resecandas. Et mox cùm quis inciderit in peccatum, priusquam inualescat malum, ad pœnitentiæ remedium confugiendum. De spirituali enim languore Sapientem potissimùm monuisse, indicat quod sequitur; Ante iudicium interroga teipsum. Nam illud de iudicio Dei dictum esse sequens pars satis indicat. Monet ergo vt ante tremendum illud iudicium Dei nosipsos interrogemus, hoc est, exploremus: & si quidem quod punitione dignum est in nobis deprehenderimus, vt facilè deprehẽdet quisque,nosipsos puniamus & iudicemus, Deique iustam vltionẽ auferri à nobis deprecemur. Sic enim futurum est,vt cùm ad conspectum Dei deducti fuerimus,& ille nos inspicere,visitaréque cœperit, inueniamus ab eo propitiationem & remissionem. nam vt habet Paulus: Si
1. Cor. 11 nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Porrò pro, in conspectu Dei, Græcè est, ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς, in hora inspectionis vel visitationis. Ita enim hic author sæpe nominat diem iudicij diuini. Proinde, in conspectu Dei,hoc loco non est idem quod coram Deo, sed sicut prius, cùm Deus conspicere

cere vel inspicere facta hominum cœperit. Potest tamen illud, Ante iudicium interroga teipsum; etiam hunc habere sensum: Antequam alios iudices, discute conscientiam tuam, ne fortè eisdẽ obnoxius sis malis quæ in aliis sis reprehensurus,& eadem agas quę iudices. Ita enim grauiter cõtra te Dei iram es prouocaturus,vt docet Paulus ad Rom.2. Contrà,inuenies tibi illum propitium,si tuæ infirmitatis conscius, clemens fueris in aliis iudicandis.

19 *Ante languorem humilia te,& in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.*

VErtendum potius erat, conuersionem, quia hoc potius sensus requirit & dictio Græca. Non est enim hic διατριβὴ, vel ἀναστροφὴ, sed ἐπιστροφὴ. Verùm etiam nomen conuersationis, apud doctos ponitur nonnunquam pro conuersione, vt apud Senecam epistola 75. Sciátque illa ipsa, quibus lædi videtur, ad conuersationem vniuersi pertinere, & ex iis esse quæ cursum mundi consummant. Pro, humilia te, Græcis est, ταπείνωθητι, hoc est, humiliare. Et additur in exemplari Complutensi ἀγκρατῶς, humiliare temperantia. Itaque significatur, per abstinẽtiam & subductionem cibi & potus affligendam esse carnem ante morbum,vt per illam carnis afflictionem morbus euitetur: sícque hic iam exponitur quod prius dixit; ante languorem adhibe medicinam. Idem sensus esse potest nostræ lectionis,vt, humilia te, sit positum pro afflige te, carnémque tuam castiga. Humilitas enim sæpe in scripturis accipitur pro afflictione, vt dictum est: quanquam & de virtute humilitatis accipi quoque possit, vt sit sensus: Cùm sanus es ne insolescas, sed antequam, Deo tuam superbiam & petulantiam vindicante, incidas in morbum, humilia te sub potenti manu Dei, téque coram eo submissè geras. Dixit quid ante morbum sit faciendum quo morbus euitetur,subiungit quid faciendum vbi infirmitas accesserit. In tempore, inquit, infirmitas ostende conuersionẽ tuam. Tunc enim maximè pœnitentia est agẽda, tum vt sublata morbi causa,etiam morbus citius cũ retur,tum ob periculum instãtis mortis. Nec tantùm pœnitentia est agenda coram Deo, sed etiam coram hominibus ostendenda ad ædificationem eorum qui fortè prius offensi fuerant,& ad exemplum omnium. Cæterùm quæ de morbo corporali dicuntur, eadem ad morbum animæ sunt transferenda, vt intelligamus nos hic etiam moneri,carnem timore Dei continendam esse ab illicitis,& castigãdam,ne in grauia delicta incidamus. Et rursum vt cùm lapsi sumus, delicta cõmissa pœnitentia emendemus. Pro, infirmitatis, enim Græca habent ἁμαρτημάτων, hoc est, in tempore peccatorum. Noster videtur legisse κρίσεως ἁμαρτίας, hoc est, infirmitatum. & magis quadrat priori membro. Qui,conuersationẽ, accipiunt in vulgari significato,sic exponũt: In tempore infirmitatis tuæ tunc maximè ostende consuetam tuam virtutem, patientiam tuam atque constantiam in qua conuersari solebas. Aut ostende cõuersationem tuam præteritam per synceram peccatorum confessionem.

20 *Non impediaris orare semper, & ne uereris usque ad mortem iustificari,quoniam merces Dei manet in æternum.*

GRæca aliter sic habent; Non impediaris reddere votum tempestiuè, & ne expectes vsque ad mortem iustificari. Dictionem enim εὐχὴν, etsi etiam orationem significet, quomodo accepit eam noster interpres, hic tamẽ pro voto positam indicat verbum ἀποδοῦναι, hoc est, reddere. Monet ergo & vota tẽpestiuè persoluere, & recõciliationem cum Deo non differre vsque ad mortis tempus, cõtra quæ duo à plerisq; grauiter peccatur. Nostra lectio monet vt nõ sinamus nos impediri ab assidua oratione, quia cùm illa sit semper necessaria,propter continua & varia pericula in quibus versamur,& perpetuã nostram infirmitatem,quę indiget semper gratia Dei, tamen variis modis ab ea auocamur & impedimur,nempe per curas seculares,amicorum frequentiam, crapulam, diffidentiam, somnolentiam, studium,lectionem, & id genus alia. Monet item vt nõ sinamus nos prohiberi quin semper vsque ad mortem iustitiæ operam demus, sempérque magis in
Apo. 22 iustitia proficiamus, iuxta illud; Qui iustus est,iustificetur adhuc. Hoc est,monet & semper orandum esse, & semper iustitiæ studendum,& vtriusque impediméta resecanda. Et additur apud nos causa; quoniã merces Dei manet in æternum. Quod conuenit cum illo
Galat. 6. Pauli: Bonũ facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficiẽtes. Prima huius sententiæ pars conuenit cum illo
Luc. 18. Saluatoris: Oportet semper orare,& non de-
1. Thes. 5. ficere. Et illo Pauli: Sine intermissione orate. Inter scriptos codices longè plures habẽt nõ verbum,veteris,sed vetearis. Et videri potest sic interpretẽ potius vertisse, quòd hoc magis accedat cũ Græca dictione μείνῃς, moreris vel expectes. Itaque sensus esset, Ne vnquã verecũdia aut metu alicuius retraharis à iustitia prosequenda. Certè patres in Cõcilio Tridentino legunt; Non verearis; vt patet in doctrina de iustific. cap. 10. sessione 6.

21 *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.*

ETiam hæc sentẽtia de voto accipi potest Græcis. Nam quod habent, πρὸς εὐχάς, verti potest, Priusquã voueris. Itaque sensus erit: ante votum,parãdum animum seriò ad præstãdum quod vouẽdum est. Cõtra quam plerique faciunt qui leuiter ad vouendum prosiliunt, de adimplendo quod vouent parum apud se cogitantes. Quales sunt similes his qui tẽtant Deum, quia & ipsi temerè studient explorare Dei potẽtiam aut bonitatẽ, à quo suo voto aliquid impetrare cupiunt. Rectè tamen accipi etiã possunt Græca de oratione, vt noster vertit, sícque monemur ante orationem

orationem pia cogitatione præparandam mentem, vt scilicet cogitemus cum quo nobis sit sermo habendus, atque ob id seponamus quàtum in nobis est alias cogitationes, vt attento & reuerēti animo ei supplicemus. Deinde vt cogitemus quæ ab ipso nobis petenda sint, ne indigna illo & inutilia nobis petamus: præterea vt omnem malam voluntatē deponamus. Hæc qui non facit, est quasi homo qui tētat Deum, hoc est, cum se gerat quasi is qui Deum sibi placare studeat, eum tamē magis imitatur qui Deum ad iracundiam prouocat. Simile est quod monet Sapiens in Eccl. 5. Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonē coram Deo. Deus enim est in cœlo, & tu sūper terram, idcirco sint pauci sermones tui. Porrò tentat etiam Deum in oratione, qui temerè Dei potentiam declarari petit, prætermissis iis quæ in hominis sunt potestate, de qua tentandi ratione si sententia accipiatur, iam duabus partibus duo diuersa exiguntur. Sed prior intelligentia videtur simplicior.

22 *Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersione faciei.*

SIc legēdum esse, & non, vt perperā multi legunt, in cōuersatione facies vel faciēs, Græca apertè docent, quæ habent, ἀποστρέψῃ πρόσωπόν, in auersione vultus, hoc est, cum Deus vultū suum auertet. Inter reliqua ergo prouidentiæ seruandæ præcepta monet vt semper meminerimus & præuideamus eam iram & vltionem, quæ futura est impiis in fine vitæ cuiusque, & in extremo nouissimi iudicij die, quando erit consummatio mundi, & tempus illud retributionis, quod futurum est quando suum vultum commutabit, asperum & toruum vultum exhibiturus his quos hic suo fauore prosequi visus est, fœlicitate terrena eos frui concedens, & suam illis voluptatem explere permittēs. Hęc nos meminisse vult, vt horum recordatione à peccatis, & omni insolentia in prosperis cohibeamur. Ad quod valet & quod sequitur:

23 *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum.*

CVm rerum fruimur abūdantia, vult nos memores esse paupertatis ac inopiæ, & eius quæ accidere potest in hac vita, & eius quæ post hanc vitam certò eueniet his qui diuitiis & rerum copia hic abutuntur, vt horum memoria nec securi nimis simus in fœlicitate præsenti, nec eius abusu mereamur illa priuari siue hic siue postea, vt videre est in diuite epulone. Necessitatem paupertatis vocat inopiam, quæ hominem constringit, & veluti in arcto cōstituit, vimque ei infert. Sic enim nomen necessitatis in scripturis, & maximè in Psalmis, sæpe accipitur, vt cùm dicitur: De necessitatibus meis erue me. *Psal. 24.*

24 *A mane usque ad uesperam mutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.*

SIgnificat hoc versu subitam omnium rerum huius mūdi & status hominum mutationem, vt hac ob oculos posita magis persuadeat, quod prius dixit infœlicitate metuēda tempore fœlici. A mane, inquit, vsque ad vesperam, hoc est, tam breui tēporis spatio, sæpe videmus temporis statum & qualitatem mutari, vt cùm mane fuerit serenum, vespera sit nubila. Item vt cùm matutino tēpore homo sit fœlix, & rectè valens, vesperi sit miser, ægrotus aut etiam mortuus: & talia omnia, qualia sunt paupertas & diuitiæ, sunt citata, hoc est, subitò mutantur apud Deum cùm ipse vult. Facilè est enim, vt supra dixit, in oculis Dei subitò honestare pauperem. Pro in oculis Dei, est Græcis, ἐνάντι κυρίου, coram Deo. Aliter intelligi potest, à mane vsque ad vesperam mutari tempus, quia nunquam tempus in eodem statu permanet: & omnia quæ in tēpore sunt, in oculis Dei esse citata, quia coram illo citò transeunt, nec diuturnam habent subsistentiam. Sed prior explicatio magis conuenit proposito, & ei quod sequitur.

25 *Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertia.*

QVi, inquit, sapit & prudens est, is consideratis quam dixi temporis mutabilitatem, & facilè esse Deo eum qui modo fœlix est statum infœlicem reddere, nunquam, etiamsi arrideat fortuna, securus erit: sed in omnibus suis negotiis metuet, & infortunū quod accidere potest, & Dei offensam, ne illam incurrat. Concordat cum illo Prou. 28. Beatus homo qui semper est pauidus. Porrò dies delictorū, vocat dies fœlices, qui multis præbent luxus & multorum delictorum occasiones. In his ergo diebus quibus occasionem habet delinquendi, cauebit sibi sapiens ab inertia & negligētia, diligenter scilicet prospiciens, ne fœlicitas, vt fertur, ipsum negligentem faciat sui officij & cultus Dei. Aut dies delictorum, appellat tempora moribus malis corrupta, & periculosa. Aut etiā tempus totum istius vitæ, delictis plenū, ob cuius malitiam quisque sibi cauere attentè merito debet, iuxta illud Pauli Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipiētes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes 5.*

26 *Omnis astutus agnoscit sapientiam, & inuenienti eam dabit confessionem.*

ASTutum vocat prudentem & intelligentem. Est enim Græcis συνετός. Quoniam quæ dixit sciebat parū placitura carnalibus hominibus, subiunxisse videtur hanc sententiam, qua significat prudentes cùm audiunt quæ sapienter ab aliis dicuntur, mox agnoscere in eorum verbis sapientiam, eámque recipere & amplecti, insuper & ei qui hanc inuenire & proferre aliis potest, dare confessionem laudis, hoc est, prædicare illum, laudare, & bonum testimonium ei dare.

27 *Sensati in uerbis & ipsi sapienter egerunt, & intellexerunt*

intellexerunt ueritatem & iustitiam, & implorauerunt prouerbia & iudicia.

PRo, sensati, Græcis est eadem dictio quā mox vertit, astutus. Quod si bene spectetur authoris scopus, illud, in verbis, non est iungendum cum, sensati, sed cum, sapienter egerunt, vt sit sensus: Prudentes non tantum vt dixi, aliorum sapientiam agnoscunt, & laudant eos qui eam proferunt, sed percepta ab aliis etiam sapientia etiam ipsi sapienter se gerunt in verbis, sapienter scilicet loquēdo, & alios docendo. Quod sequitur, & intellexerunt veritatem & iustitiam, Græcis non est. Et pro, imploruerunt, illis est ἀνωμβρίσαν, hoc est, iustillauerunt quomodo vidi vnum habere ex impressis bibliis Roberti Stephani. Verisimile est interpretē vertisse, impluerunt, quia à pluuia & imbre dictio Græca deriuata est, nullo modo autem potest signi ficare quod Latinis est implorare. Certè Rabanum non legisse, implorauerunt, sed aliud verbum aliquod, nēpe protulerunt vel impluuerunt, apparet ex eius commentario, quod sic habet: Non solùm intelligunt veritatem & iustitiam mandatorum Dei, sed & prouerbia doctrinarum ob auditorum suorum proferūt vtilitatem, & bonorum exemplorum non cessant exhibere immitationē. Quo commentario non explicatur quomodo sensati imploraueriūt prouerbia, sed quomodo exhibuerunt ea. Potest tamen sic intelligi: implorauerunt aliis prouerbia, vel, id assecuti sunt à Deo, vt aliis prouerbia, hoc est, selectas grauésque sententias proferre possent.

28 *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.*

SVbiungit quædam præcepta ad temperantiam pertinentia. Inter quæ rectè primo loco ponit generale mandatum, quod omnem inordinatam concupiscētiam resecat, dicens: Post concupiscētias tuas nō eas; nomine concupiscentiarum, more scripturę, vitiosa desideria notans, quæ non à spiritu, sed à carne originem habent. Huiusmodi concupiscentias non prohibet ne sint, nec præcipit vt eas omnino præeamus id enim in hac vita est impossibile. Sed hoc tantùm præcipit, vt post eas non eamus, hoc est, non sequamur, nec assentiamur eis. In secundo membro pro, voluntate, multi legunt, voluptate, sed nomen, voluntate, magis cōuenit, si modò tamen accipiatur pro appetitu sensitiuo, vt cùm dicitur, à voluntate tua; intelligatur hominis voluntas, ea quæ Dei voluntati non concordat. Græcis enim est, ἀπὸ τῶν ἐπιθυμιῶν σου, ab appetitibus tuis. Cùm dicitur, auertere, idem significat quod prius: eos appetitus non sequendos quo trahunt, sed ab eis ad contraria animum reuocandum, & inclinandum. Idem ergo hic author requirit quod Petrus, dicens: Obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.

29 *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

BOna ratio & efficax ad retrahendum à sectandis concupiscentiis, & continet iustam pœnam eorum qui suis obsequūtur desideriis. Est enim ac si dicat, Si tu præstiteris animæ tuæ eius quæ desiderat gaudia, ipsa vicissim te faciet gaudium inimicorum tuorum, quia scilicet in multa peccata, dāna & dedecus te inducet, per quæ de te gaudebunt inimici tui, siue dæmones, qui gaudēt hominum perditione: siue etiam homines, qui gaudent eorum quos odiunt dedecore & damnis, iuxta illud Dauidis: Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero. Exemplum huius insigne est Samson, qui ob libidines, quas sectatus erat, factus est ludibrium & gaudium Philisthæis, & sibiipsi exitium. *Iudic. 16.*

30 *Ne oblecteris in turbis, nec immodicis, assidua enim est commissio illorum.*

31 *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & non est tibi nihil in sacculo. eris enim inuidus uitæ tuæ.*

DVo hi versus valde sunt obscuri, & ob id mirum non est quòd sint & in lectione corrupti, & in expositione cōtorti. Quod ergo ad lectionem pertinet, imprimis notandum, legendum esse in priori versu immodicis, per vnam dictionem, non vt multi habēt, in modicis quia illud, immodicis, additum videtur ab interprete ad exponēdum quod dixit, turbis, & dictioni, immodicis, videtur ab eo opponi quod in sequenti versu dicitur, mediocris. Et verisimile est interpretem vertisse; Nec oblecteris in turbis, nec immodicis delecteris: repetendo verbum delecteris, vt habent multi libri, vt per illam partem; nec immodicis delecteris, a se additam exponeret, quod dixit, ne obliecteris in turbis. In secundo versu certum est legendum esse, non in sæculo, sed in sacculo, quomodo est apud Rabanum, & meminit etiam Glosa Ordinaria & Lyra. Nam Græcis est ἐν μαρσυπίῳ, in marsupio vel crumena. Min⁹ est quod legendum sit potius, vitæ tuæ, quàm animæ tuæ, cùm vtrumque libri scripti habeant, sed Græcè est ζωῆς σου, vitæ tuæ. Quod ad sensum attinet, Rabani explicationem hic afferemus, quæ inter aliorum nostrorum commētarios minus est coacta. Is ergo priori versu cum aliis intelligit moneri ne quis gaudeat turbarum frequentatione, & populari conuersationi se intermisceat, quia in ea plerunque peccare & commissa admittere contingat, vt nomen, commissio, sit positum pro peccatorum designatione. In secundo intelligit nos prouocari ad opera misericordiæ, vt non simus segnes in præstando proximis nostris beneficia terrena, quia non inde deerunt nobis solatia temporalia: imò si hoc facere neglexerimus animæ nostræ non prospiciemus prępparare bona futura. Itaque secundùm eum sensus est: Ne sis mediocris, piger & tardus, sed frequens & strennus in studio benefaciendi & mutuandi aliis: quia si id feceris, non erit tibi nihil in sacculo, hoc est, semper aliquid habebis, nec deerunt tibi solatia temporalia. Contrà verò eris inuidus animæ tuæ, quia ei non bene prospicies.

Sed vel alia similis explicatio vt in se satis cótorta est, ita si originalia inspiciantur, manifestè nimis est aliena ab authoris proposito. Habent autem illa sic, μὴ εὐφραίνου ἐν πολλῇ τρυφῇ, μηδὲ προσδεθῇς συμβολῆς αὐτῆς, μὴ γίνου πτωχὸς συμβολοκοπῶν ἐκ δανεισμοῦ, καὶ οὐδέν σοι ἐστιν ἐν μαρσυπίῳ. Quę etiã satis obscura iam quidã sic vertunt: Ne læteris in multis delitiis, neq; alligatus sis consortio earũ. Ne fias pauper symbola diuidens (hoc est, conuiuia faciens.) ex fœnore & nihil tibi sit in marsupio. In priori enim versu nomen συμβολὴ, videtur accipi pro sodalitate conuiuiorum, in qua singuli symbola conferebant. A qua dictione in secundo versu est verbum fictũ, συμβολοκοπῶν, à nomine σύμβολος, & verbo κόπτειν, quod est scindere & diuidere. In vniusscripti margine addita fuit horum duorum versuum altera lectio, quæ ex alia quapiam versione olim recepta videtur desumpta, & longè clarior est hac nostra, magísque Græcis respondens. habet autem sic: Noli iucundari in multa epulatione, ne egeas ex collatione. Ne fias pauper, collationem faciens ex mutuo. Vtut est, certum est Sapientem inter reliqua temperantiæ præcepta his verbis dehortari à sectãdis sumptuosis conuiuiis, ne inde quis cogatur sub vsuris pecuniam accipere, & crumena exhausta, ad inopiam redigatur. Huic intelligentiæ vt nostra lectio accedat, sic videtur accipienda: Ne oblecteris in turbis, hoc est, nõ delecteris immodicis rebus, sumptuosis & immoderatis cõuiuiis, vbi magna & superflua est ciborum turba & copia. Nam in illis immoderatis delitiis semper multa malè committuntur, multáq; assiduè ad eas cõferenda sunt, frequentes item in eis accidũt contentiones & rixæ, quibus homines inter se committuntur. Caue ne qui sectatus es immodica, fias mediocris & pauper, dum ex mutuo accepto pro alendis conuiuiis contentiones sustinere debes à fœneratoribus, & nihil tibi est in crumena, vtpotè per immodicum sumptum exhausta. Si enim ita tibi euenerit, declarabis te non bene prospexisse & fauisse vitę & animæ tuæ, dum cogeris & famere & erubescere apud omnes. Itaque quod habemus per duas negationes; nõ est tibi nihil; non valet affirmationem more Latino, sed more Gręco tantùm positum est ad fortius negandum. Nam Græcis hic tantùm vna est negatio. Nec absurdum quis putet turbam hic exponi pro multitudine ciborum. Nam Plinius lib. 16. cap. 13. turbam prunorum dixit pro variis generibus prunorum: & turbam vulnerum pro multitudine vulnerum lib. 11. capi. 37. Videtur autem interpres pro τρυφῇ, vt est Græcis, legisse τύρβῃ.

Caput. XIX.

1 *Operarius ebriosus non locupletabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet.*

PRosequitur adhuc aliquot sententiis doctrinam temperantię cœptam in fine superioris capitis, ostenditq; adhuc quę mala intemperantia homini adferat, paupertatem scilicet, excæcationem & nequitiam. Primò ergo dicit, quòd is cuius officium est labore manuum victum sibi cõparare, quique pro necessariis conquirendis magnum laborem impendit, si simul fuerit ebriosus, non ditabitur: quia perdet omnes labores suos, dum quæ magno labore parat, breui voluptate consumit, idémq; à labore sibi necessario per ebrietatis studium impedietur. Addit & generalem quandam sententiam, quæ ad multa aptari potest: sed hic adducitur, vt significet eum qui modica lucra negligit, quę ex labore assiduo vel parsimonia quotidiana prouenire possent, paulatim omnino casurum in summam egestatẽ, sicut modica ea lucra assiduè seruando paulatim ditescere potuisset. Habet ea sentẽtia, vt est generalis, etiam in aliis rebus locum. Nam & in rerum domesticarum, & in humanorum corporum curatione, parua incommoda initio accepta & neglecta, maximam postea afferunt calamitatem. Similiter in his quæ spectãt ad animæ salutem, si quis spernit minora vitia, nec illorum vllam habet rationem, paulatim ruet in maiora. Vnde diuus Gregorius hanc sententiam explicãs libro decimo Moralium capite decimoquarto sic habet: Si enim curare parua negligimus insensibiliter seducti, audenter etiam maiora perpetramus. Et rursum in tertia parte curę pastoralis, admonitione 34. Qui enim minima peccata flere ac deuitare negligit, à statu iustitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit.

2 *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos: & qui se iungit fornicariis, erit nequam.*

DVo alia mala quæ adfert intemperantia, siue quæ in potu est, siue quæ in libidine est, hic versus explicat. Alterum est, quòd per eam etiam sapientes recedunt & abducuntur à suo officio, à virtute & sapientia, imò & à Deo, sicq; etiam hi qui prudentes erant, redarguuntur, & reprehensibiles fiunt. Quod & experientia docet, & apertè demõstratum est in Salomone. Idem expressit & Osee, dicens: Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor. *Osee.4.* Alterum est, quòd qui se per illicitum concubitum iungit meretricibus, is per hoc efficitur nequam, & ad maiora facinora designãda audacior. Hunc enim esse sensum secundæ partis Gręca docent, quæ pro; qui se iungit fornicariis; habent, ὁ κολλώμενος πόρναις, hoc est, qui adhæret vel cõglutinatur meretricibus. Idẽ enim hic est, quod apud Paulũ dicẽtem: Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur; *1.Cor.6.* vbi etiam est, ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ. Itaque illius; qui se iungit fornicariis; sensus non est, qui socius est scortatorũ, vt hic significetur quod apud Paulum primo Corinthior. quinto. Ne commisceamini fornicariis, sed dictio fornicariis est fœminini generis, posita pro, meretricibus. Pro; nequam erit; Græcis est τολμηρὸς ἔσται, hoc est, audax erit. Significatur ergo, quòd exuto semel per vagam libidinem honestatis pudore, audax redditur homo ad

multa

multa facinora, à quibus pudor homines alioqui reuocare solet. Id quod experientia verum esse docet. Idem noster interpres significare voluit, vertens; nequam erit. Vocat enim nequam, eum qui nihil pensi habet, neminem veretur, & quiduis audet.

3 *Putredo & uermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.*

EXprimit pulchrè quàm conueniens pœna excipiat scortatores: quę quidem pœna etiã ex parte in hac vita eos excipit, quia scortationibus dediti, frequenter vitali succu exhausto, & corruptis corporibus coniuncti, variis corruptionibus in corpore replentur; vt eorum viscera veluti vermibus exedi videantur, fiántque omnibus hominibus spectaculum & exemplum insigne. Sed magis hac sententia significare voluit illos per scortationes vitam suam abbreuiaturos, & ante tempus morituros, quando eò quòd hic currruptionibus carnis addicti fuerunt, hæreditario quodam iure eos obtinebunt putredo & vermes, idque & in corpore, & in anima, in qua vermis conscientiæ semper eã arrodens nunquam morietur. Itaque qui talis est, in magnum aliorum exemplum prætura morte extolletur ex hac vita, & tolletur per mortem de numero viuentium anima eius, idq; non solùm de numero hic viuentium, sed etiam eorum qui verè viuunt post hanc vitam. Tertiam enim illam partem addidit interpres, ad explicandum quid sit, extolletur, pro quo Germanicum exemplar habet ἐξαρθήσεται, hoc est, extolletur vel sustolletur, Complutẽse verò ἐξηρανθήσεται, hoc est, arescet vel tabescet.

4 *Qui credit citò, leuis est corde & minorabitur: & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur.*

NOuam hic Sapiens auspicatur doctrinã contra vitium detractionis, quam multis hoc capita prosequitur, monens non temerè detractoribus fidem habendam, nec audita vel cognita aliorum vitia leuiter pandenda. Itaq; imprimis quò moneat non temerè credere delatoribus, generalem assumit sententiam; Qui credit citò, leuis est corde; quæ etsi ad varia accommodari potest, vtpote ad doctrinam fidei & morum, (quam qui sine iudicio recipit ad omnem doctrinæ ventum se conuertens, leuem se esse declarat & inconstantem) hic tamen adduci videtur, vt significetur eum qui cito credit vera esse quæ de alio mala referuntur, esse leuem corde, vt qui tam facilè aliorum verbis moueatur, nec prudenter apud se prius iudicet inquirendum esse de veritate eorum quæ narrantur. Ideóq; talis minorabitur corde, hoc est, defectum sapientiæ patietur: minorabitur item in fama & nomine, hoc est, minoris erit existimationis, & insuper habebitur ac reputabitur talis qui delinquit in animam suam, hoc est, qui citò credit vera esse mala quæ de alio narrantur, non solùm peccat in proximum suum, citò de illo malè sentiendo, sed etiam in seipsum peccat, sibique iniuriam facit, qui se leuitate commaculat, & se decipi leuiter permittit, & se multorum malorum periculo exponit. Vt autem secũdam illam partem, quæ ob obscuritatem suã torquet interpretes, & contorquetur ab eis, prædicto modo intelligendam putem, mouent me Gręca, quæ sic commodè verti possunt; & qui peccat, scilicet modo prædicto, in animam suam peccabit.

5 *Qui gaudet iniquitate denotabitur, & qui odit correptionem minuetur uita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.*

ET hæc sentẽtia, cuius secunda pars Græcis non est, eò pertinet, vt non facilè ac lubenter audiamus delatores, quia, inquit, qui delectatur & referre & audire aliorum vitia, vt faciunt illi qui gaudent iniquitate, is denotabitur, hoc est, vituperabitur & condemnabitur (id enim dictio Græca significat.) Cõtrà qui odit loquacitatem, ita vt nec ipse futilis sit ad dicendum quæuis, nec detractorum loquacitatẽ ferat, is & in se multam malitiam, multáque vitia extinguit & in aliis. Nam ex loquacitate multa mala nascuntur, odium scilicet, rixæ, contentiones, mendacia, & id genus alia, quę non solùm in se, sed & in aliis extinguit & reprimit qui odit loquacitatem. Sicut enim ventus aquilo dissipat pluuias, sic facies tristis linguam detrahentem. *Pro. 25.* Quod in medio insertum est; Qui odit correptionem minuetur vita; significat eum qui sic gaudet iniquitate vel audienda vel referenda, vt non patiatur se ab eo qui odit loquacitatem corripi & admoneri, Dei iusta vltione ante tempus moriturum, & priuandum vera vita. Qui enim gaudent iniquitate, hi non ferunt correptionem & reprehẽsionem loquacitatis & detractionis, de qua hic agitur. Crediderim tamen prius scriptum fuisse; minuet vitia; vt odiens correptionem, sit qui odit detractionẽ, qua aliorum mores corripiuntur, vt idem hac & sequenti parte significetur, & ex alia versione hæ duæ partes coniunctæ sint.

6 *Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui iucundatur in malitia, denotabitur,*

HÆc sententia cùm Græcis non sit, & repetitionem contineat duarum partium iam habitarum, videtur huc inserta ex alia versione, vt in hoc libro sæpius factum videtur. Dicitur ergo rursum, quòd qui peccat in animam suam leuiter credendo, is postea pœnitebit, hoc est, dolebit, cùm se deceptũ sua culpa, & in aliqua mala ob id prolapsum sentiet: & qui iucundatur in malitia, vt faciũt hi quibus volupe est audire & referre aliorum vitia, talis infamiæ nota aspergetur, & condemnabitur ab hominibus & à Deo.

7 *Ne iteres uerbum nequam & durum, & non minoraberis,*

GRæca tantùm habent; Nunquam iteraueris sermonem, & nihil tibi erit in im-

minutione. Cùm autem locus hic agat contra detractiones,omnino videtur,iterare sermonem, hic positum esse pro iterum referre aliis quod ab alio semel auditum est de vitiis proximi, vnde non malè addidit interpres,nequam & durum.& est sensus:non temerè quidem vel admittenda est detrahentium loquacitas,vel fides eis habenda: si tamen contingat tibi ab aliquo referri sermonem aliquem malum de aliis,& durum contra alios,qui scilicet eos grauat,tu ne iterum aliis eum referas, nihil inde patieris detrimenti aut diminutionis,passurus certè si referas,& in fama & in aliis rebus non paruum detrimentum. Alioqui huius sententiæ & hic potest esse sensus: Si tu contra aliquem malum protulisti sermonem, vel per detractionem, vel per contumeliam, ne iteres illum, sed declara te pœnitere: sic enim facilius elues tuam imprudentiam, & à damno liberaueris. Sed prior sensus propolito conuenit magis, sicut & sequentia.

8 *Amico & inimico noli narrare sensum tuum, & si est tibi delictum,noli denudare.*

GErmanicum exemplar in prima parte tantum habet; In amico & in inimico ne enarres,hoc est,nec apud amicum nec apud inimicum.Et videtur referendum ad superiora,ne enarres verbum auditum; vt hic exponatur quod dictum est,Non iteres verbum.Complutense habet additum,ne enarres βίβς ἀλλοτρίας, vitas alienas Noster addidit sensum tuum.& potest nostra lectio dupliciter accipi. Primò, de enarratione propriorum delictorum, vt cùm postea dicturus sit aliena vitia audita non esse retegenda, prius doceat ante omnia nec propria cuiquam temerè pandenda esse. Itaque sensus erit:Noli temerè,ne amico quidem, multò minus inimico, hoc est, nemini aperire mentem tuam: & si habes aliquod delictum,cuius tu tibi conscius es,noli illud cuiquam facilè denudare. Ei enim qui in alienis vitiis reticendis futurus est fidelis, necesse est vt sciat sui animi secreta & vitia reticere. Secundò,accipi potest de enarratione alienorum delictorum,de qua omnino Græca intelligenda videntur.& erit sensus:Nulli enarres quid in occulto animi tui sentias de aliis, aut scientiam tuam atque cognitionem quam in animo tuo habes de aliis ex aliquorum relatione:& si est tibi in tua cognitione & sensu delictũ alicuius,noli illud aliis denudare.Græca omnia habent negationem; & si non est tibi peccatum; vt significetur alterius delictum non esse retegendũ, quando sine peccato proprio taceri potest. Negationem autem noster non videtur legisse,nisi fortè verterit:Et si non est tibi delictum.

9 *Audiet enim te & custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te,& sic aderit tibi semper.*

GRæca tantùm habent:Audiuit enim te, & obseruabit te, & in tempore odiet te. Iuxta priorem intelligentiam sensus nostræ lectionis est; Si cuiquam tua secreta vitia enarrare incipias, audiet ille te patienter & lubenter, & attentè obseruabit te narrãtem, pendens ab ore tuo:cæterùm cùm se tibi exhibeat quasi defendẽs & excusans delictum tuum, vt te consolari velle videatur, sicq; ei magis confidas, ipse tamen in animo suo te odiet ob delicta tua quæ ei expositi, bonámq; quam de te prius habuit existimationem deponet. Iuxta alteram intelligentiam sensus est: Si cuiquam alterius vitia tibi cognita aperias, frequenter eueniet vt ille te lubenter audiat, & diligenter attendat tuæ narrationi:sed quanquam se gerat tanquam vitium tuæ detractionis defendens,dicendo te non peccare,aut arridendo tibi,tamen in animo suo odiet te tanquam detractorem infidum, qui nõ celaueris quod tibi concreditum erat secretum, aut quod reticendum erat.Cæterùm illud;& sic aderit tibi semper; sicut non est in Græcis,ita obscurũ est quorsum additum sit, & quid significet, sicut & quod in Rabano legitur; Et sic adhærebit tibi semper. Potest intelligi,eum qui te odiet, perpetuo odio te prosecuturum, aut cum odio tibi præparaturum dolum & insidias, vt aliquando odium prodat opportunitatem nactus.Posteriori intelligẽtiæ prædictæ sententiæ conuenit quod sequitur.

10 *Audisti uerbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.*

VTilissimum sanè præceptum contra cõmunem,omnibusq; ferè inditam iracundiam,qua pleni rimarũ hac & illac perfluunt, aliis mox communicantes quicquid de vitiis alienis didicerunt. Si,inquit,audisti verbum contra proximum tuum,simul vt illud audisti & excepisti in te, moriatur in te, sepeliatur,& in obliuionem veniat, ita vt non cogites referendo aliis. Nec enim est quod metuas ne noceat tibi illud apud te continuisse, sed bene confidere debes quod illud silentio pressum non te dirumpet. Non enim est veluti venenum,quod nisi euomatur,hominem dirumpit: sed veluti res mortua,inefficax & innoxia. Quod appositè dictum est à Sapiente, eo quod plerique audita non aliter cõtinere apud se nequeant, quàm si metuerent se dirumpendos nisi in aliorum aures effunderent. Ad quod significandum duas conuenientissimas subiicit similitudines,quarum prior est.

11 *A facie uerbi parturit fatuus, quasi gemitus partus infantis.*

CLarius Græca secundam partem habent; sicut à facie infantis ea quæ parit, supple parturit. Consistit ergo similitudo in eo, quòd sicut propter conceptum intra se infantem mulier parturit,& summo cum labore conatur infantem proferre, nec prius ab onere quo grauatur, & dolore quem patitur liberatur, quàm infantem enixa fuerit: ita fatuus & imprudens homo propter conceptum auditu sermonem, quamdiu illum intra se continere cogitur, torquetur tanquam graue gestans onus, omnémque occasionem captat vt in alios audita effundat, tum

tum primùm se onere leuatum existimans. Nostra lectio sic est accipienda:Fatuus à verbo concepto per auditum sic parturit, & sic laborat atq; solicitus est ad effundendum illud, sicut gemitus qui fit pro partu infantis, parturit ipsum conceptum infantem.Altera similitudo non minus appolita est.

12 *Sagitta infixa in fœmore carnis,sic uerbum in corde stulti.*

PErperàm plerique legunt,canis, pro carnis,cùm,vt multa scripta habebãt,legendum esse,carnis,Græca doceant, quæ habẽt κάρκαρ. Verùm quoniã indoctus aliquis scriptor putauit ineptè dici femur carnis, cùm omne femur carnis sit, expuncta vna litera scribendum putauit,canis.Sed femur carnis, hoc est, carneum, dictum est, vt notaretur cur femori sagitta profundè infigi soleat,nempe quia carneum est & molle.Aut,carnis positum est pro corpore, vt femur carnis, sit femur corporis.Aptè ergo dicit verbum auditum sic se habere in corde stulti, sicut se habet sagitta infixa in femore corporis,quia sicut sagitta illa grauiter hominem affligit, donec extrahatur:ita & verbum & auditum & receptum in corde stulti,torquet eum grauiter,donec datum fuerit ei illud in aliorum sinum effundere. Rectè quoque verbum sagittæ comparatur,quòd sicut sagitta emittitur ab arcu,vt alicui infigatur:ita ab ore narrantis emittitur sermo,& audientium cordibus infigitur.

13 *Corripe amicum ne fortè non intellexerit & dicat, non feci: aut si fecerit,ne iterum addat facere.*

DIxit hactenus,auditum alicuius crimen reticendum esse, ne autem hinc intelligeretur sic reticendum esse, vt ne quidem is ad quem pertinet de eo admonendus esset,necessario & opportunè nunc subiicit doctrinam de corripiẽdo amico, postquàm de eo auditum est aliquid sinistrè vel factũ vel dictum. Itaque postquàm docuit,quomodo & quibus aliena crimina sint reticẽda, nempe ad quos ea non pertinent: nunc docet quomodo & quibus non sint reticenda, his scilicet quos illa concernunt,planè concordans cum doctrina Saluatoris:Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe illum inter te & ipsum solum, &c. Matth.18.Diligenter autem hãc doctrinam prosequens, primùm docet de corripiendo facto amici.& est sensus: Cùm apud te factum alicuius improbũ delatum fuerit, si is tibi est amicus, corripe illum, sed tanquam amicum amicè, suggerendo ei famam quæ de ipso spargitur, ne fortè non intellexerit quid de se feratur,& à te admonitus dicat & ostendat tibi se non feciſſe illud quod ei imponitur, sicque & ille apud te liberetur à mali suspicione,& tu à mala de ipso opinione. Aut si fecerit quod de eo dicitur, ne iterum addat idem cõmittere,quod fortè malum esse non putauit,vel non ita aduertit. Duplicem ergo ostendit fructum amicæ admonitionis, vnum, inno centiæ amici cognoscendæ: alterum, vitæ eius post peccatum reprehensum emẽdandæ. Amicum peculiariter vt corripi, tum quòd amicus potissimùm amici curam habere debeat, tum quòd apud amicum spes sit admonitionem & correptionem valituram, nõ sic apud inimicum aut extraneum. Nec vult expectari dum crimẽ aliunde conuictum sit,sed maturè occurri,& matura correctione fieri examen.

14 *Corripe proximum ne fortè non dixerit, & si dixerit,ne fortè iteret.*

QVod dixit de facto corripiendo, idem nunc dicit faciendum, cùm delatum est amicum quippiam dixisse dignum reprehensione.Et subiungit sententiam,qua significat cur tempestiuè amicus sit admonendus, nempe vt de famæ veritate vel falsitate constet.

15 *Corripe amicum, sæpè enim fit commissio, ut non omni uerbo credas.*

PRo,commissio,Græcè est διαβολὴ,hoc est, calumnia.Et addit Complutensis æditio, ματαία,hoc est, calumnia vana. Proinde nostra lectio sic est accipienda; Sæpè enim cõmittitur & peccatur, ab his scilicet qui aliena crimina deferunt, & ideo non oportet omni verbo credere. Patet ergo quòd cùm amicum vult corripi, nomine correptionis admonitionem potius significet. Nam veri nominis increpatio non est adhibenda, nisi crimine conuicto & manifesto.

16 *Est qui labitur lingua,sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua.*

VIdetur hęc sententia subiecta vel ad insinuandum quàm facilè peccetur à delatoribus, vel ad indicandum quæ peccata amici facilè sint condonanda. Sunt, inquit, qui peccant lingua, sed non ex animo & destinata voluntate, vt qui ex ignorantia, aut inaduertentia aliquid non dicendum proferunt, non animo lædendi. Atque his quidem facilè,ignoscendum est sine acri aliqua obiurgatione. Quis est enim qui non deliquerit lingua sua, qua tam facilè variisque modis peccatur; Vnde Iacob. Apost. cap. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.

17 *Corripe amicum priusquam commineris, & da locum timori altissimi.*

INdicauit quibus lapsibus facilè sit ignoscendum, nunc indicat etiam in grauioribus non mox ad minas confugiendum,multò minus ad vindictam, vt faciunt plerique, qui læsi atque offensi, non expectata alterius purgatione,obliti iuris amicitiæ ac legis Dei, mox ad minas prosiliunt. Priusquam, inquit, ira inflammeris, & comminaris proximo, eique acriter inueharis, corripe illum benignè,vt vel se apud te purget, vel locum

deprecandi & satisfaciendi habeat, & da in te timori Dei locum, siue vt timor Dei te comprimat, & iram tuam cohibeat. Timor enim Dei iuxta legem eius requirit, vt benigni simus aliis si velimus Deum nobis esse propitium, & vt nos non vindicemus, sed ei omnem vindictam relinquamus, iuxta illud: Ro. 14. Mihi vindictam, & ego retribuam. Et Paulus Galat. 6. monet, vt si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, huiusmodi instruatur in spiritu lenitatis, considerans, inquit, teipsum ne & tu tenteris.

18 *Quoniam omnis sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni sapientia dispositio legis.*

CAusam reddit cur meritò timori Dei locus sit dandus, quia, inquit, timor Dei est omnis sapientia, hoc est, perfecta & summa sapientia, & in ipsa sapientia est timere Deum, quia maximè docet timere & reuereri Deum, & in omni vera sapientia est dispositio legis, quia omnis sapientia disponit de lege facienda, cogitátq; de his faciendis & exequẽdis quę lex diuina disponit & constituit. Aliter intelligitur dispositio legis facta in omni & perfecta sapientia, quia lex Dei sapientissimè constituta est, disposita & ordinata: sed prior intelligentia conuenientior est, quia Græcis est; In omni sapientia factio vel operatio legis, hoc est, omnis sapientia consistit in executione legis. Docet ergo hæc sententia amicum corripiendum cum timore Dei, quia sine illo nihil sapienter, nec bene fit, & quicquid sapienter fit, in timore Dei fieri necesse est. Et huius occasione pergit secernere veram sapientiam à falsa & ficta, sic subiiciens;

19 *Et non est sapientia, nequitiæ disciplina: & non est cogitatus peccatorum, prudentia.*

DIsciplina, inquit, nequitię, hoc est, scientia vel doctrina malè agendi, & nequitiam callidè perpetrandi, etsi mundo videatur sapientia, verè tamen non est sapientia, & cogitatus atq; consilium hominum impiorum, qui callidas rationes excogitant perficiendi quod cupiunt, non est prudentia. Ita enim secundam partem ordinandam & intelligendam, vt genitiuus, peccatorum, construatur cum, cogitatus, & non cum, prudentia, patet ex Græcis, quæ habent; & non est, vbi consilium peccatorum, prudentia. Et pro, peccatorum, est ἁμαρτωλῶν, hoc est, hominum peccatorum, vt pro peccatis accipi non possit. Itaque perperam aliqui legunt; Et non est cogitatus bonus peccatorum prudentia, quæ lectio tamen est apud Dionysium.

20 *Est nequitia, & ipsa execratio, & est insipiens qui minuitur sapientia.*

ET hic perperàm quidam codices habent Est nequitiæ prudentia, & in ea execratio; cùm altera lectio Gręcis consentiat, quę tantùm habent; Est nequitia. Ostendit cur dixerit, nequitiæ disciplina, & comparat adinuicem nequitiam cum nuda insipientia, significans illam præ hac longè esse intolerabiliorem, & eum qui insipiens est, ob sapientiæ defectum & raritatem præferẽdum ei qui nequitia instructus est, quantumuis callida. Dixi inquit, de nequitiæ disciplina, quia est in quibusdam nequitia & malitia, quæ per se execrabilis est & odiosa, tantum abest vt sapientia dici possit, & sunt qui ob diminutionem & defectum sapientiæ sunt insipientes, qui ita non sunt execrandi & odio habendi. Quod sequenti alia comparatione expressius explicatur.

21 *Melior est homo qui minuitur sapientia, & deficiẽs sensu in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem altißimi.*

NOmine sensus, vt & alibi, prudentia significatur. Pro, in timore, Græcis est vna dictio ἔμφοβος, hoc est, in timore existẽs, timore affectus. At quomodo homo in timore Dei existens minuitur sapientia, & qui transgreditur legem Dei, timoris scilicet expers, abundat prudentia, cùm suprà dixerit timorem Dei esse sapientiam; Sed Sapiens non loquitur hoc loco de vera prudentia, quæ timorem Dei adiunctum semper habet, & consistit non tantùm in recto intellectu, sed etiam in motu cordis & affectu ad colendum & venerandum Deum, sed loquitur de vi ac facultate ingenij, & scientia, studio atque vsu comparata, quæ animum hominis ad pietatis studium non magnopere commoueat. Sententia sanè pressè attendenda, quæ & factum quorundam sibi de sapientia etiam rerum diuinarum placentium, cùm timore Dei sint destituti, reprimit, & consolatur eos qui etsi non excellant in sapientia secũdùm mundi iudicium, quia non habent multarum rerum cognitionem, tamen timore Dei sunt præditi: Præstantior autem est homo indoctus timens Deum, docto peccatore: quia ille bonus dici meretur, iste malus: ille non solùm pœnam euadet, sed & gloriam obtinebit apud Deum: iste non solùm gloria carebit apud Deum, sed etiam maiorem pœnam incurret. Cui enim multum datum est, multum petetur ab eo. &: Seruus qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecerit, vapulabit plagis multis.

22 *Est solertia certa, & ipsa iniqua, & est qui emittit uerbum certum enarrans ueritatem.*

PRo, solertia certa, Gręcis est πανουργία ἀκριβής, astutia siue calliditas exacta vel exquisita. Idem significat solertia certa, ingeniosa scilicet inueniendi aliquid calliditas, quæ certis firmisque nititur rationibus. Duplex insinuat esse genus eorum qui prudentes dicuntur, & duplex genus prudentiæ. Quosdam enim esse, qui exacta quadã calliditate sunt præditi, sed quæ sit iniqua, vt qui prudentes sunt in malo perficiendo. Alios verò esse, qui nouerunt proferre sermonem certis nixum rationibus & firmum, enarrando aliis

do aliis veritatem, ac solidè docẽdo. De pru-Luc. 17. dentia prioris generis loquitur Saluator: Filij huius sæculi, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Indicat ergo delectũ prudentiæ habendum, & videndum qua in re prudentia quorũdam valeat. Et quoniam ex prudentia illa iniqua & mala, nasci solet quorundam astuta fictio & simulatio ad efficacius decipiendum composita, rectè & de ea subiicit.

23 *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo.*

24 *Et est iustus qui nimium se submittit multa humilitate: & est iustus qui inclinat faciem suam, & finxit se non uidere quod ignoratum est.*

GRæcis non est illud quod nos bis habemus; & est iustus; Nec est illa pars; qui nimium se submittit multa humilitate, quæ videtur addita ad explicationem illius; qui nequiter humiliat se. Quod sequitur; qui inclinat faciẽ suam, &c. explicat modum quo quis se humiliat nequiter, & se nimium submittit. Itaque hæc omnia ad eandem personam referenda sunt, & non ad diuersas, vt ferè nostri intelligunt. Et est sensus: Est aliquando qui malignè se demittit coram alio, cùm interiora eius plena sint dolo, nec alia ratione se demittat quàm vt minus suspectus magis nocere valeat. Est, inquam, qui iustus apparet, & talis haberi vult, qui ob id multa externa demissione submittit se valde apud aliquos. hoc est, contingit esse aliquem fictè iustum, qui inclinat faciem suam in terram, vultúque tristi incedit, & fingit se in alienis vitiis non videre, quod ignoratum est ab aliis: fingit se non curiosè obseruare quod alij ignorant, vel quod ignoratum homines esse cupiunt, cum interim obliquo oculo acutè obseruet omnia. Humilitas ergo hic non accipitur pro vera animi humilitate, sed pro ficta, hoc est, externa demissione. Et melius legitur sine præpositione, multa humilitate, vt multi scripti habent, quàm; à multa humilitate; vt alij legunt. Legẽdum autem cum negatione; fingit se non videre; potius quàm sine ea; fingit se videre; vt quidam libri habent, Græca magis exigunt, quæ habent ἐθελοκωφῶν, hoc est, voluntariè surdus, hoc est, simulans se surdum. Vnus scriptorum codicum adiectum habet post prædicta verba; & vbi non fuerit agnitus anticipabis te; quomodo & Grecum exemplar Germanicum habet, Complutense verò dissimiliter; Vbicunque fuerit agnitus, præueniet te vt malefaciat. Deinde sequitur.

25 *Et si ab imbecillitate uirium uetetur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet.*

QVod, inquit, tales hypocritæ non statim noceant, non est quia deest voluntas, sed quia desunt vires aut oportunitas: Mox enim cùm ea aderunt, malefaciet & nocebit. Loquitur enim potissimum de huiusmodi hypocritis, qui ad iniuriam inferendam, sanctitatem & humilitatem simulant. Quanquam etiam veritatem habeat hic locus de hypocritis, qui ad gratiam hominum & sanctitatis opinionem comparandam, tristitiam & humilitatẽ præ se ferunt, de quibus Christus dicit, quòd exterminant facies suas vt videantur hominibus ieiunantes. Nam & tales etsi impediantur à multis peccatis, cùm ea non possunt adimplere, aut non possunt sine publica infamia, tamen vbi oportunum tempus nacti fuerint, quod corde amant peccatum, opere implere conãtur, vt patuit in duobus illis presbyteris, qui Susannæ pudicitiæ insidiati sunt. Quoniã ergo, vt dixit, tam fraudulẽta est in quibusdam fictio, quæ & ipsa quò minus est manifesta, eò magis contra eam cautio adhibenda est, ideo in sequentibus indicat quibus indiciis latens hypocrisis deprehendi valeat.

26 *Ex uisu cognoscitur uir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.*

27 *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciat de illo.*

QVamuis homines fingant sępe vultum, & sic se gerant vt multa dissimulent & simulent, tamen tanta est vis ipsius naturæ, vt non obscura indicia sui proferat, ex quibus attentus & prudens obseruator facilè animaduertere poterit qualis quisque sit, prudens ne an fatuus, integer an fictus. Imprimis autem id agnoscitur, ex visu & aspectu hominis, atque ex occursu faciei, hoc est, ex occurrẽte & obiecto eius vultu. Oculi enim maximè sunt indices animi, atque testes non solùm lætitiæ, & tristitiæ, lenitatis, & iracundiæ, pudicitiæ & impudicitiæ, sed & simplicitatis atque fictionis, probitatis & improbitatis, quæ ex ipso aspiciendi modo colligi possunt. Vnde rectè D. Augustinus, impudicum oculum impudici cordis nuncium esse dixit. Eadem vis naturæ post oculos proximè est in vultu, vnde dictum est in Prouerbiis: In facie prudentis lucet sapien- Pro. 17. tia. &: Quomodo in aquis resplẽdent vultus Ibid. 27. prospiciẽtium, sic manifesta sunt corda hominum prudentibus. Post hæc etiam externo habitu, gestu, incessuque corporis declaratur qualis quisque sit. Nam vt quisque est animo affectus, externa corporis conformatione maximè ostendit. Et vulgare dictum habet: Per multum risum debes cognoscere stultum. Certè Gregorius Nazianzenus ex vultu & habitu se scribit deprehendisse latentem in Iuliano improbitatem, ita vt eum ante opera talem agnouerit, qualem eum postea in ipsis operibus vidit, & dixerit ante imperium: O quale malum Romanorum respublica alit; vt ipse de se & Iuliano scribit Inuestiua secunda.

28 *Est correptio mendax in ira contumeliosi, & est iudicium quod non probatur esse bonum: & est tacens & ipse prudens.*

DIxerat superius correptionem amici sine minis faciendam, idque propter timorem Dei, cuius occasione quędam inser-

uit de vera ſapientia & falſa, & fictione quæ ex falſa prudentia ſequitur, & demiſſionis cauſa eſt, non correptionis amicæ: redit nũc rurſum ad doctrinam correptionis, indicans correptionem aliquando malè adhiberi, & aliquando prudenter omitti. Habent autem hanc ſententiam Græca breuius ſic; Eſt correptio quæ non eſt decora (vel tempeſtiua, vtrumq; enim ſignificat dictio Greca ὡραῖος) & eſt tacens, ipſe prudens. Noſter expreſſit quæ ſit correptio indecora & inhoneſta, ea ſcilicet quæ per iram hominis ad contumelias irrogãdas prompti eſt mendax, hoc eſt, falſa, falſumque crimen imponens homini: aut quæ videtur eſſe correptio ſub ſpecie charitatis, cùm ex ira & indignatione animi procedat. Et addidit, eſſe etiam iudicium quoddam quod non probatur eſſe bonum, iudicium ſcilicet temerarium, quo ex leuibus ſignis alicuius factum iudicatur malum. Quibus opponitur is qui ex prudentia tacet, ita vt nec corripiat, niſi cùm id vtile eſſe putauerit, nec temerè cuiuſquam factum iudicet. Eſt, inquit, qui tacendo ceſſat, & à correptione mendaci quæ ex ira intempeſtiuè fieret, & à iudicio malo, atque hic certè prudens eſt. Aut eſt qui tacet prudenter, cùm non putat profuturam correptionem.

Caput. XX.

1 *Quàm bonum eſt arguere quàm iraſci, & confitentem in oratione non prohibere.*

PRoſequitur adhuc quæ pertinent ad correptionem faciendam. Quoniam enim dixit ſuperiori ſententia, quoſdam ineptè corripere, & quoſdam prudenter tacere, hac iam ſententia docet, melius eſſe eum qui offenſus eſt ob alterius delictum, ſiue in ſe, ſiue in alios commiſſum, mox delinquentem corripere, quàm apud ſe iraſci, & indignationem in animo fouere, ex qua odium generetur. Sic enim futurum eſt frequenter, vt is qui peccauit correptus & admonitus, peccatum ſuum agnoſcat, cõfiteatur, & veniam deprecetur: & qui admonuit, accepta ſatisfactione ab animi indignatione liberetur, reconciliatus proximo. Dicit ergo: O quam bonum eſt, omnino melius eſt (poſitiuus enim Græco more hic vt alibi pro comparatiuo ponitur) arguere delinquentem proximum, quàm tantùm iraſci ei & ſilere, (Græca enim quædam habent; iraſci occultè) ſicque arguendo efficere, vt qui peccauit non prohibeatur confiteri peccatum ſuum cum deprecatione veniæ. Qui enim in animo ſuo tantùm iraſcitur, & non arguit, is quantùm in ſe eſt prohibet ne qui peccauit fiat confitens cum oratione. Qui verò arguit, non prohibet quominus aliquis fiat confitens cum deprecatione veniæ, ſed dat ei occaſionem & confitendi ſuum delictum, & deprecandi veniam. Arguere ergo eſt non prohibere confitentem in oratione, hoc eſt, cum deprecatione. Poteſt & ſic accipi poſterior pars; Bonum eſt homini eum qui correptus confitetur peccatum ſuum, ſimul cum oratione veniæ, non prohibere à ſe vel à venia, ſed ſtatim ad reconciliationem & veniam admittere. Hæ intelligentiæ proximè accedunt ad id quod Græca nunc aliter habent ſic; Et qui viciſſim confitetur, à detrimento prohibebitur. Quo ſignificatur ideo bonam eſſe correptionem, quia per eam qui peccauit confitens peccatum ſuum, & pœnitentiam agens, ab imminente ſibi malo eximetur.

2 *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam, ſic qui facit per uim iudicium iniquum.*

VIdetur hæc ſententia pertinere ad id quod ſuperius dixit de correptione mẽdaci, & iudicio quod non probatur eſſe bonum. Eſt autem aptiſſima hæc ſimilitudo, plus in ſe continens quàm plerique intellexerunt. Primum enim per eam inſinuatur, iuſtitiam habendam quaſi quandam virginem, quam violare grande ſit piaculum. Veteres enim tum Poëtæ, tum Philoſophi, iuſtitiam quaſi virginem quandam eſſe dixerunt & finxerunt, quę caſtè atque integrè ſit colenda atque ſeruanda, & nunquam violanda. Itaque Cicero in quadam epiſtola ad Atticum, corruptum iudicium à Clodio, conſtupratum iudicium nominat. Secundò per hanc parabolam inſinuatur, iudicibus imò omnibus iuſtitiam ſic eſſe commiſſam, vt eam incorruptam & illibatã ſeruent, quomodo eunuchis committi ſolent virgines aſſeruandæ, ne à quoquam corrumperentur. Proinde quàm impiè faciunt ſpadones illi, ſi quæ eorum cuſtodiæ commiſſæ ſunt virgines, ipſi primi impura libidine, quæ per naturam eis vetita eſt, vi corrumpant & vitient: tam peccant hi qui cùm ſint ſeruandæ iuſtitiæ iudices conſtituti, ipſi ante alios magis iuſtitiam violant, exercentes iudicia per violentiam, iniuſtè innocentes corripientes, & pœnis afficientes. Sicut enim tantæ quidam ſpadones ſunt impudentiæ, & tam ardentis libidinis; vt quas ſeruare debuerant, quáſq; cum ſpe prolis contingere natura negauit, audeant etiam vi & reluctantes quo poſſunt modo conſtuprare, florémque virginitatis & integritatis eripere: ita ſunt qui quam conſeruare debuerant iuſtitiam, vt virginem caſtiſſimam & incorruptiſſimam, ipſimet veluti conſtuprant & corrumpũt, quos hac aptiſſima ſimilitudine operæ pretium eſſet intelligere, quàm grande piaculum admittant. Non tamen hæc ſententia ſolùm dicitur cõtra iudices ex officio, ſed etiam contra omnes iniuſtè & temerariè iudicantes aliorum facta, cùm omnibus commiſſa, ſit iuſtitiæ cuſtodia. Quod ergo dicitur; Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam; ſignificat tantam aliquando inueniri iuuenculam; ſignificat tantam aliquando inueniri in ſpadonibus, in quibus minimè eſſe deberet, libidinẽ prauam, vt per eam violentur virgines eis commiſſæ.

3 *Quàm bonum eſt receptum manifeſtare pœnitentiam ſic enim effugies uoluntarium peccatum.*

SIcut iam docuit quod ad corripientis pertinet perſonam, ita iam docet quod ſit correpti officium, nempe quòd eius ſit non tantùm correptionem lubenter admittere, & apud ſe de admiſſo peccato dolere, ſed etiam manifeſtè declarare ſuam pœnitẽtiam: ore ſcilicet illud humiliter & cũ veniæ precatione agnoſcẽdo, & ipſo facto vitam ſuam emendando, atque læſis ſatisfaciendo. Ita enim fit, vt qui peccauit, agnoſcatur non ex deſtinata voluntate atque malitia peccaſſe, ſed vel per errorem & ignorãtiam, vel inauertentiam & infirmitatem, ac proinde eius peccatum non fuiſſe omnino voluntarium, ſed aliqua ex parte inuoluntarium: quod tamen incipiet omnino eſſe voluntarium, ſi admonitus reſipiſcere nolit, illúdque defendere aut continuare pergat. Tunc enim declarat illud ſibi planè placere, & ſe approbare. Per pœnitentiam ergo effugit homo correptus voluntarium peccatum, quia & declaratur non omnino voluntariè peccaſſe, & cauetur ne incidat peccatum voluntarium: aliter ſimplicias per pœnitentiam effugitur peccatum voluntarium, quia quod propria voluntate admiſſum eſt peccatum, per pœnitentiam remittitur, vt à quo detentus fuit homo, ab eodem citius liberetur, priuſquàm iuſta eum peccati vltio inuoluat.

4 *Eſt tacens qui inuenitur ſapiens, & eſt odibilis qui procax eſt ad loquendum.*

DEclarat hac & ſequentibus aliquot ſententiis quod ſuprà dixit; Eſt tacens & ipſe prudens, docens ſilentium nonnunquã eſſe ſapientiæ, vt contrà imprudentiæ eſt loquacitas, nonnunquam autem ſilentium eſſe inſipientiæ. Huius autem differẽtiæ inter ſilentium & loquacitatem, ac inter ſilẽtium & ſilentium occaſione, in ſequentibus multas ſubiungit ſententias paradoxas, quibus oſtendit pleraque non eſſe talia, qualia eſſe videntur, & qualia ea eſſe homines opinantur, atque in vulgaribus opinionibus eos falli. Primùm ergo, quoniam vulgus eos ſapientes iudicare ſolet, qui multa facilè dicere poſſunt & audent: contrà verò inſipientes, qui ſunt taciturni. Eſt, inquit, tacens, qui ob ſuum ſilentium inuenitur eſſe ſapiens, & deprehenditur nonnunquam aliquis eo nomine odibilis eſſe hominibus, quia nimius eſt in verbis. Græcè enim eſt; Et eſt odibilis à multa loquela ſua. Idem & noſtra lectio ſignificat, eſſe ſcilicet aliquos, qui propterea quòd procaces ſunt, nimis faciles & temerarij ad loquendum, odioſi ſunt & ingrati.

5 *Eſt autem tacens non habens ſenſum loquelæ, & eſt tacens ſciens tempus apti ſermonis.*

NOn vna, inquit, eſt omnibus tacendi ratio. Eſt enim qui tacet, quia non habet ſenſum loquelæ, hoc eſt, prudentiam & peritiam loquendi: & eſt qui tacet, quia nouit opportunum tempus, quo aptus ſermo prorferendus eſt. Scit enim non ſatis eſſe apta dicere, niſi etiam oportuno tempore dicantur. Facit ergo hæc ſententia ad declarandum præcedentem; Eſt tacens qui inuenitur ſapiens. Et poteſt accipi, vt inſinuet duplex hominum genus, qui ob ſilentium ſuum laudandi ſunt, & ſapientes inueniuntur. Nam & laudandus eſt qui ideo tacet, & de quapiam cauſa non reſpondet ſiue cõſultus, ſiue nõ, quia non habet quod prudẽter reſpondeat; & laudãdus eſt, qui etiamſi habeat quod dicat, tacet tamen, quia nouit necdum eſſe tẽpus vel locum oportunum dicendi. Poteſt etiam accipi, vt ſignificetur ſilentium non ſemper ex ſapientia vel prudentia procedere, ſed quandoque ex imprudentia & inſcitia etiam vituperabili, vt cùm quis pro officio ſuo non nouit loqui, cùm tempus & locus poſtulãt, vt ſit ſenſus: Eſt qui malè tacet, quia nõ habet quã habere deberet peritiam loquendi: & eſt qui bene tacet, quoniã expectat aptũ loquendi tempus. Vnde ſequitur.

6 *Homo ſapiens tacebit uſque ad tempus. Laſcius autem & imprudens non ſeruabit tempus:*

SApientis eſt tacere vſque ad tempus oportunum, quia ſapientis eſt non loqui ad oſtentationem, nec ad vindictæ illationem, ſed loqui ad ædificationem; qui autem laſciuæ linguæ eſt & petulãs; item qui eſt imprudens, non obſeruat tempus oportunum; ſed eo non expectato mox proſilit ad dicendum quod in buccam venit.

7 *Qui multis utitur verbis, lædet animam ſuam: & qui poteſtatem ſibi ſumit iniuſte, odietur.*

DEclarat iam illam partem ſuperius poſitam; & eſt odibilis qui procax eſt ad loquendum. Et duo indicat vitia, quæ in vitæ conſuetudine admodũ ſunt ingrata & odioſa: alterum immoderatæ orationis, quæ loquacitas dicitur: qua qui laborat, lædit animam ſuam, hoc eſt, ſeipſum iniuria afficit, quia ſe abominabilem reddit. Græcè enim pro, lædet animam ſuam, eſt abominabilis erit. Alterum vitium eſt ambitioſæ arrogantiæ, qua homines in communi vita voluntarius & poteſtatem in alios ſibi arrogare. Hoc autem vitium maximè cernitur in ſermone in quo quidam ita ſe gerunt, vt aliorum magiſtri & domini eſſe videantur: vt faciunt qui ſe ingerunt ad docendum & arguendum alios, aut qui in colloquiis ſibi ſolis reſeruant locum dicendi, nec permittunt aliis vices ſermonis. Ratio autem & conſuetudo vitæ communis hunc dominatum & vſurpatam poteſtatem ſiue docendi alios, ſiue regendi, vehementer odit & reiicit. Docet ergo hæc ſententia quo omnis vitetur offenſio in communi vita, nec multis vtendis verbis, nec cõtra debitum ordinem, poteſtatem vel loquẽdi vel regendi aſſumendam. Nemo enim, inquit Paulus, ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo.

8 *Eſt proceſſio in malis viro indiſciplinato, & eſt inuentio: in detrimentum,*

PErgit alia paradoxa annectere de rebus in quibus aliter expectare vel opinari solet vulgus hominum. Cómuniter autem nostri hanc sententiam accipiunt, vt sit sensus: Viro insipienti est processio in malis, hoc est, talis quotidie proficit & procedit in malis, quia de malo in peius semper procedit, & tali homini est inuentio in detrimentum, quia quotidiè talis inuenit & excogitat noua mala in detrimentum sui & aliorum. At si originalia inspiciantur, & sequentia attendantur, sic potius erit intelligédum; Processio, hoc est, progressus fortunæ bonus, & fœlicitas qua omnia bona procedunt ex animi sententia, est homini insipienti in malis, hoc est, noxia est ei & damnosa. Aut potius sic: Contingit homini insipienti esse fœlicem progressum & prosperum successum in malis, hoc est, quædam est fœlicitas & prosperitas mala, quia prosperitas in malis non potest esse bona. Est enim Græcis εὐοδία, quod significat prosperum iter & bonam viam, ac successum ex animi sententia procedétem, pro quo interpres vertit, processio. Et similiter est inuentio aliqua quæ cedit in detrimentum & nocumentum hominis, hoc est, contingit ab aliquo fortuito inueniri res aliquas, vnde tamen homini fœlicitas non accedit, sed damnum & detrimentum. Significat ergo nó semper pro fœlicitate deputandum esse quod vulgò fœlix & fortunatum esse iudicatur. Quod primò declarat in rebus quæ fortuitò videntur hominibus contingere, vt in progressu negotiorum, & in rebus inuentis, mox etiam in his quæ gratuitò donantur, cùm subiicit:

9 *Est datum quod non est vtile, & est datum cuius retributio duplex.*

SIgnificat beneficentiam non semper habere æquè fœlicem exitum, nec omnem beneficentiam eiusdem esse generis, quia contingit fieri largitionem, quæ non sit vtilis danti, vt quæ fit malo animo & intentione praua, aut quæ fit homini ingrato. Nam ex eo beneficio nulla redit ad dantem vtilitas. Contrà verò contingit esse collatũ beneficium, vnde copiosa danti proueniat vtilitas, vt cuius retributio non sit tãtùm æqualis dato beneficio, sed duplex. Istud vt in tẽporalibus euenire experientia docet, dum videamus quandoque beneficia dãtibus infœliciter cedere, quandoque valdè fœliciter: ita apud Deum certius impletur, apud quem beneficia quæ malo animo cõferuntur, non sunt conferentibus vtilia: quæ verò animo recto fiunt, copiosam mercedẽ dantibus adferunt.

10 *Est propter gloriam minoratio, & est qui ab humilitate leuauit caput.*

SIcut duæ superiores sententiæ ostendũt varietatem, quæ præter opinionem hominum accidit in bono vtili: ita hæc cã quæ accidit in bono honesto, hoc est, in gloria & honoribus. Contingit, inquit, aliquando minorationem fieri, hoc est, incommodum incurrere famæ, bonorúmque ac vitæ diminutioné homini accedere propter gloriam quam adeptus est, ita vt ipsa gloria qua magnus est, causa illi sit incõmodi & deiectionis. Et rursum contingit vt à deiectione quis eleuet caput suum, & qui humilis fuit & abiectus, aut etiam in afflictione, insigniter supra alios exaltetur. Et istud in hoc mundo accidere videmus apud homines, sed apud Deum maximè, qui propter gloriam, quam impij per ambitionem inuaserunt, vel qua superbè & impiè abusi sunt, deponit superbos de sede, & contrà exaltat humiles, suscitans de puluere egenum, & de stercore eleuans pauperem, vt collocet eum cum principibus, quemadmodum temporaliter vidre est in Ioseph, Dauide, & aliis: sed maximè id impletur, cùm pios in hoc mundo afflictos exaltat Deus in regnum suum cœleste. Legendum autem potius per præteritum; leuauit; vt est apud Rabanum, quàm per futurum, leuabit, quia Græcis est præteritum ἦρε, sustulit.

11 *Est qui redimat multa modico pretio, & restituens ea in septulum.*

QVod dixit euenire in rebus inuentis fortuitò, vel datis gratuitò, atque in gloria huius mundi, idem etiam locum habere ostẽdit in cõtractibus humanis, videlicet in emptionibus, vt & ibi contingat quod primùm fœlix esse videbatur, infelicem habere exitum. Contingit, inquit, vt sit quispiã qui multa emat exiguo prætio, atque ob id sibi placet, fœlicémque se iudicat, sed tandem contra suam opinionem cogitur ea restituere & exoluere in septulum, vt maximo ei constet quæ prius paruo constare videbantur. Euenit istud auaris & iniustis frequenter hominibus, qui quoniam per auaritiam iniquè viliori pretio quædã emũt, vel ab imperitis rerum, vel ab his qui inopia premuntur, iusto Dei iudicio cogũtur nonnunquam reddere septulum etiam in præsenti tempore, dum eis propter eorum auaritiam & iustitiam subito accidunt damna rerum maxima, & quæ longo tempore collegerunt, amittunt cum magna clade. Quod si hic non euenit, certè in futuro implebitur, quando lucrum iniquè hic partum, maximo damno compensabitur. Cæterùm verbum, redimat; hic ponitur pro suo simplici, emat, cũ Græcis sit, ἀγοράζων hoc est, emẽs. Et pro restituens, est ἀποστρυνων, hoc est, exolues Rabanus & post eum Lyra verbum, redimat, propriè accipientes, de peccatorum redemptione hunc locum intelligunt: quæ etiamsi sint multa, eísque debeatur æterna pœna, modico pretio redimuntur, pœnitentia scilicet exigua, & eleemosynis, iuxta illud Danielis: Peccata tua eleemosynis redime. Ea restituuntur in septuplum, cùm in vitiorum locum, copiosior succedit virtutum numerus: & vbi abundauit delictum, superabundat septuplex gratia spiritus sancti: cũmque implẽtur illud Isaiæ 40. Suscepit de manu Domini duplicia prò omnibus peccatis suis Sed hic sensus etsi pius, alienus videtur ab authoris simplici & literali sensu.

12 *Sapiens*

12 *Sapiens in verbis seipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.*

EThæc sententia indicat, verborum gratiam non eundem in omnibus habere exitum & fructum. Nam sapiens per verba sua quæ profert vtilia prudenter & oportunè, seipsum facit hominibus amabilem, saltem prudentibus & beneuolis: gratiæ autem fatuorum, hoc est, eorum lepores & facetiæ, quas Diuus Paulus vocat εὐτραπελίας & μωρολογίας, instar aquæ quę sine fructu effunduntur, etiam effundentur, reiicientur, & in nihilum abibunt sine fructu. Possumus etiam intelligere per gratias impiorum, eorum beneficia, vt significetur sapientes etiam verbis tantùm sibi hominum beneuolentiam comparare, fatuos vero ne quidem etiam beneficiis, vt quæ non bene nec bono animo distribuunt, vt in sequentibus dicitur. Et omnino conuenit per gratias fatuorum generaliter intelligere, quæ & in verbis & in factis eorum gratiam habere videntur. De beneficiis eorum mox subiungitur, ostenditúrque ea nec aliis esse vtilia, nec ipsimet. Primùm ergo aliis illa nó esse vtilia, hic dicit: Eph. 5.

13 *Datus insipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt.*

14 *Exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est.*

DOcet donum insipientis hominis non esse vtile accipienti, tum quod nó recto animo detur ei, tum ob impropria quæ audire cogetur. Quod dicitur; oculi illius septemplices sunt, hoc est, multi, vt habent Græca, communiter intelligitur, vt significetur intentionem eius multipliciter esse dolosam, vt per oculos intentio intelligatur. At verior sensus est, vt intelligatur oculos auari (nam de auaro hæc dicuntur & illiberali homine) copiosam expectare remunerationẽ, & obseruare aliorum munus, vt ab eis multò plus accipiant quàm dederunt. Nam & suprà oculis auari tribuit cupiditatem alienorum bonorum, & inuidentiam propriorum. Ideo ergo non est vtile acipiẽti donum auari hominis, quia expectat longè plus recipere quám dat, nec dat nisi ad lucrum. Quod si non consequatur, cùm exigua dederit, multa tamen se dedisse improperabit, & accensus intra se ira, cùm aperuerit os suum, velut flammam ex ore suo profundet, quia ex accenso per iram corde proferet durissima verba & velut ignita, quæ hominem grauiter vrant & lædant, quæque eum vicissim ad iram & impatientiam accendant. Sic enim rectè intelligitur quod noster vertit; apertio oris illius, inflammatio est; quanquam etiam accipi possit, vt significetur, ipsum dum aperit os suũ velut flammam emittere, quia longè latéque spargit & prædicat beneficiorum suorum collationem, quomodo se flamma longè & latè profert. Is enim sensus cum Græcis coincidit, quæ habent; & aperit os suum velut preco. Docet ergo hæc sententia, videndum à quo quid accipiatur, nec tantùm attendendum ad munus, sed etiam ad donantem. Quod de dono dixit, id & de mutuo mox subiicit, dicens:

15 *Hodie fœneratur quis & eras repetit: & est odibilis homo huiusmodi.*

QVàm est illiberalis in donis suis homo auarus, tam est & in mutuo. Mox enim vt mutuatus est, repetit quod mutuauit, vt qui per auaritiam non patitur diu re sua carere, nec in mutuo attendit ad alterius necessitatẽ, proinde merito talis est & Deo & hominibus odiosus.

16 *Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius.*

17 *Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt: quoties & quanti irridebunt eum?*

OStendit superius quorundam dona nõ esse accipientibus vtilia, vtpotè dona auarorum, hic ostendit dona quorundam nec dãtibus esse vtilia vtpotè beneficia prodigorum, qui non dant quibus & quomodo oportet, sed in conuiuiis sua prodigè insumunt, in quibus tantum pascunt gnatones & assentatores suos. Tales ergo dicit se suis beneficiis quæ in alios conferunt, non paraturos sibi veros amicos, nec veram gratiam habere eius beneficia, quia quos ipse pascit & conuiuas ferè habet, homines sunt falsæ linguæ, mendaces scilicet, adulatores, qui coràm laudant, & à tergo benefactorẽ suum vituperant: vnde fit, vt & multoties & multi eum irrideant tanquam fatuum. Nam & ipsi cum sæpe rident qui ab eo pascuntur, quod assentationibus suis illi imponant, & alij videntes eum sic ab eis decipi. Itaque tantum abest vt gratiam aliorum sibi promereatur, vt ex beneficiis suis irrisionem aliorum tantùm reportet. Auarus enim de quo suprà dixit, odibilis est, prodigus vero derisibis est. Causam dictorum subiicit.

18 *Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit, similiter & quod non erat habendum.*

DVobus modis eum peccare in distribuendo, significat. Primum quod distribuat quod habendum erat, hoc est, quod pro futuris necessitatibus erat seruandum, prodigè scilicet nimis & inutiliter sua consumendo: quod dùm facit, non recto sensu & prudentia facit: ideóque dicit, non recto sensu distribuit, hoc est, imprudẽter & malè distribuit. Secundò, quòd etiã imprudenter distribuat in quod non erat sibi habendum asseruandum, quia quod iniustè possidet nõ restituit quibus oportet, & quod superfluũ ipsi est, nõ dat pauperibus, & iustis sicut deberet, sed gnatonibus & parasitis. Significat ergo talem malè distribuere & habenda & non habenda. Græca aliùm habent sensum: Sic enim est ad verbum; Neque enim ipsum habere in recto sensu accipit, & ipsum non habere similiter indifferẽs ei est. Quo significatur, prodigum non recto iudicio accipere id quod ipsum habere contingit, & bonorum suorum possessionem, quia non accipit ad eum vsum ad quem habẽt: & proinde nó habere est perinde illi atque habere, hoc est indif-

est, indifferens est illi siue habeat, siue non habeat, nec magis prodest illi quod habet quàm quod non habet. Iuxta quem sensum quod noster vertit; non recto sensu distribuit; videtur accipiendum non de distributione quæ aliis fit per bonorũ erogationem, sed de ea quæ animo fit & iudicio sensus discernente apud se quomodo habitis sit vtendum, vt, distribuere, positum sit pro discernere & diiudicare. Id enim fit recto sensu, aut, vt est Græcis, διορθῶσθαι, quæ dictio non prudẽtiam significat, sed vim illam sentiendi, qua de diuersis rebus aliter sentimus, vt visu discernimus colores & distribuimus. Itaque quod habendum erat non recto sensu distribuit, quia nõ discernit apud se, quomodo & vbi illud sit expendẽdum, aut quid habendum sit. Et similiter quod non erat habendum etiam non recto sensu distribuit quia nec rectè iudicat nec discernit quid non sit habendum, solicitus frequenter pro his quæ habere non oportet, negligens in his quæ habenda essent.

19 *Lapsus linguæ falsæ quasi qui in pauimento cadit, sic casus malorum festinanter uenient.*

VIdetur hæc sentẽtia obiter incerta contra adulatores, quos supra dixit esse falsæ linguæ, vt post malum quod prodigum manet, etiam ostẽdat quod malum maneat fallaces adulatores, & est sensus; Lapsus qui prouenit ex fallaci lingua, est quasi qui cadit in pauimento aliquo lapidibus strato. Sicut enim in tali pauimento quis præter expectationem cadit, vbi non sunt offendicula vlla, & sicut talis ob duritiem pauimenti grauiter se leditcita & fallaces homines & dum non putant, & grauiter cadent atque lædentur. Vnde sequitur; Sic casus malorum festinanter veniet; hoc est, sic continget malos subitò & præter eorum expectationem ruere in multa incommoda. Omnes ferè libri habent participium, cadens, vt subaudiatur verbum, est, sed Dionysius legit, cadit.

20 *Homo acharis quasi fabula uana, in ore indisciplinatorum assidua erit.*

INterpres reliquit dictionẽ Græcã, ἄχαρις, quæ significat eum qui est sine gratia, & minimè gratiosus, sed non potuit exprimere allusionem vocum quæ est Græcis inter ἄχαρις & ἀκαιρῶ, acharis & acairos Est enim Græcis ἀνθρωπῶ ἄχαρις, μυθῶ ἀκαιρῶ, homo inuenustus, fabula intẽpestiua. Proinde miranda lectio Rabani, quæ habet; Homo ingratus quasi acharis deinde sequitur, fabula vana in ore indisciplinatorum, &c. Cæterùm nostra lectio sic videtur intelligenda, Homo qui, quoniam prudentia est destitutus, non habet gratiam bene & vtiliter loquendi, est quasi vana & inepta fabulatio, quia cùm præter eam non sit quicquam magnopere ab eo expectandum, simul etiam vt illa molestus est omnibus, atque cum ea reiicitur. Quod sequens pars declarat & explicat. quia, inquit, vana & inutilis fabulatio erit assidua in ore eorum qui non sunt bene instituti, vt sciant quid & quando & quomodo dicendum sit, ideòque nõ nisi fabulis & inutilibus sermonibus referendis delectantur & ocupantur, ac proinde etiam cum illis contemnuntur & exploduntur. Sunt qui intelligunt hominem, qui parum gratus est in his quæ vel facit vel loquitur, dici fabulam vanam: vel ei comparari, quia aliis est fabula hoc est, alij de eo fabulantur, eiúsque facta vel dicta rident. Verùm non satis bene conuenit ei intelligentiæ quod sequitur, quia nõ solùm ineruditorum est fabula, qui eius facta dictáque sæpe laudant, sed magis eruditorum qui ea reprobant.

21 *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.*

SVperior sentẽtia asseruit, ineruditos homines & gratia dicendi carentes, fatua & vana ferè proferre: hæc verò asserit, etiã cum proferunt graues & doctas sententias, quæ parabolæ dicuntur, non tamen gratiam nec fructum relaturos, sed eorum dicta reprobanda: quod etsi bona dicant, non tamen dicant oportuno tempore, & eo quo dicenda erãt loco & tempore. Vnde & in Prouerbiis dicitur: Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stulto rum parabola. Pro. 26.

22 *Est qui vetatur peccare præ inopia, & in requie sua stimulabitur.*

PErgit adhuc, vt prius cœpit, referre quædam, & asserere quæ vulgari opinioni nõ assentiuntur, docétque hac sententia non semper esse à culpa liberos qui innocentes videntur. Sunt enim, inquit, qui per inopiam prohibentur & impediuntur à peccatis quibusdam committendis, & tamen in illa sua requie & à peccatis cessatione stimulantur, hoc est, ad peccandum incitantur, ac dolore compunguntur, quòd non possint quæ cupiunt adimplere. hoc est, sunt quibus inopia aufert potestatem opere peccandi, sed non aufert voluntatem & affectum, imò eũdem frequenter magis accendit. Sic dictum est veteri prouerbio: Improbitati nihil deesse præter occasionem. Et Plato duobus propositis improbis, quorum alter sit pauper, alter diues, dicit diuitem esse miserriorem, quod pauper voluntatem solùm ad malefaciendum habeat, diues verò etiam facultatem. Græca iam secundam partem habent negatiuè; non stimulabitur; & potest duplici ter intelligi. Nam potest esse sensus: Pauper etsi impediatur peccare, non tamen cessando à peccato stimulabitur conscientia desiderati maleficij, nec dolore commouebitur intra se, ob malam voluntatem qua detinetur. Potest etiam intelligi, pauperem talem dum quiescit ab externo opere, non passurum stimulos conscietiæ ob admissum peccatum, quemadmodum patiuntur diuites, vt significetur hac in parte pauperes diuitibus esse fœliciores, & vtilitatem alienam pauperibus adferre inopiam ipsam.

23 Est

23 *Est qui perdit animam suam præ confusione, & ab imprudenti personã perdet eam, personæ autem acceptione perdet se.*

DIxit quid inopia efficiat in homine, nũc verò duabus sententiis ostendit quid mali etiam verecũdia, quæ inopiæ ferè coniuncta est, operetur frequenter. Est autem & hæc sententia in Græcis tãtùm bimembris, pro duobus enim mẽbris posterioribus quæ sunt apud nos, tantùm vnum est membrũ. Et omnino est verisimile, alterum eorum membrorum, cùm prius in margine ad maiorem explicationem ex alia versione additum esset, postea insertum esse textui, vt & aliàs sæpius hoc libro factum putamus. Nam Complutensis æditio habet, ab acceptione personæ; ἀπὸ λήψεως προσώπου. Altera verò æditio habet, ἀπὸ ἄφρονος προσώπου, ab imprudenti persona. Vnde patet rectius sic legi, quàm ab imprudentia personæ. Dicitur autem quis se perdere ab imprudenti persona, hoc est, quia imprudens persona aliqua quippiam inhonestum vel iniquum petit. Significat ergo hæc sententia, esse quosdam qui præ confusione, hoc est, verecundia, animas suas séque perdunt, dum contra conscientiam suam reueriti potentium hominum authoritatem, ea agunt quæ agenda non sunt illorum dignitatẽ veritati & æquitati anteponentes. Id vitium in scripturis sæpe dicitur acceptio personarum, quo vitio peculiariter dicitur quis perdere animam suam, quia contra propriæ animæ & conscientiæ iudicium agit. Committitur istud vitium & in iudicio sæpe & extra illud, idque vel reticendo vel negando veritatem confitendam, vel in gratiam alicuius faciendo quod iniquum est.

24 *Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus eum inimicum gyati.*

DEmonstratur hac sententia aliud malum, quod in homine operatur vitiosa verecundia, videlicet quòd per eam quandoque contingit aliquem siue rogatum siue vltrò promittere quippiam amico, cuius præstandi deest vel potestas vel voluntas; vnde fit, vt cùm non seruatur fides, ex amico inimicum sibi efficiat, idque gratis hoc est, citra necessitatem, cùm potuisset sibi seruare amicum non pollicendo. Quod maximè cõtingit ijs, qui cum præ inopia non põssint præstare amico quod ab eis petitur, tamen præ verecundia pollicentur se præstituros, quòd vereantur amicũ offendere, aut suam inopiam profiteri præ superbia nolint. Sic sunt qui cũ nulla necessitate cogantur quædam vouere Deo, tamem vouent quod postea non præstant, sicque amicum Deum sibi inimicum reddunt. Displicet enim Deo stulta & infidelis promissio vt dicitur Eccle siastes 5. Et fiunt aliquando huiusmodi promissiones Deo præ verecundia, cùm scilicet filij aut filiæ verentur contradicere parentibus ad continentiæ statum impellentibus.

25 *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit.*

OCcasione violatæ promissionis; de qua superiori sententia demonstrat quam graue malum sit mendacium, & fallere fidem datam. Mendacium, inquit, ne putetur paruum esse vitium, affert homini malum, probrum, ignominiam, & infamiã grauem, quia efficit vt ei fides non habeatur etiam cùm verum dicit: & parum honestus habetur, qui veritatis curam non habet, cùm possit facilè eam ignominiam effugere tacendo. Et tamen, inquit, vitium hoc assiduum inuenitur in ore eorum qui non sunt bene instituti, nec attendunt quantum malum sit mendacium, & quantam homini ignominiã adferat. A cuius assiduitate vt abstrahat homines, subijcit efficacé comparationem:

16 *Potior fur quàm assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt.*

BEne mendacium furto comparat, tum quòd vtrumque vitium ferè coniunctũ sit, & similiter peculiaré in republica ignominiam adferat, in qua similiter tollit concordiam, & omnia confundit, tum quòd mẽdacium, furtum quoddam sit, veritatem hominibus eripiens, & famã bonam plerísque frequenter tollens. Assiduitatem autẽ mentiendi dicit in malitia superare furtum, tum quòd qui assiduus est in mentiendo, frequẽter plus noceat, eripiendo homini famam, quàm fur, eripiendo bona temporalia: tum quòd fur peccet fere ex inopia, vt esuriẽtem impleat animam, vt dicitur Prouerb. 6. assiduus verò in mẽdaciis, peccat ex petulantia & improbitate linguæ. Cæterùm cum ambo, fur scilicet & mẽdax, reipublicæ sint pertur batores, & alios ipsi perdant siue in bonis siue in fama, merito æternã & apud homines & apud Deum perditionẽ possidẽbũt, iuxta illud Apoca. Timidis & incredulis & exe- Apo 21.
cratis & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardẽti: & in psal. Perdes omnes Psal. 5.
qui loquuntur mendacium. Quæ scripturæ & illis similes de mendacio noxio & pernicioso intelligendæ, sunt quòd scriptura potissimùm vocat mendacium, vt quod fallat, & fallendo noccat.

27 *Mores hominum mendacium sine honore, & confusio eorum cum ipsis sine intermissione.*

IDem inculcatur quod prius, & significatur, mentiendi consuetudinẽ esse in mendacibus sine honore, hoc est, semper habere sibi coniunctam ignominiam, eámque ipsis adhærere perpetuò, quia ea nota non facilè eluitur, nec existimationem aliquam obtinere possunt qui de mentiendi consuetudine sunt infames. Est autem Græcis singulariter ἦθος ἀνθρώπου ψευδὲς, hoc est, Mos vel consuetudo hominis mendacis. Loqui tur enim de mentiendi consuetudine, vt ne putetur de omnibus actibus, qui mores hominum dicuntur, loqui: quanquam verum sit omnes actus hominis mendacis esse sine honore, quia propter mentiendi consuetudinem etiam boni eius mores suo carent honore.

28 Sapiens

28 *Sapiens in verbis producet seipsum, & homò prudens placebit magnatis.*

OPponit sapientem mendaci, quia cùm hic sibi apud omnes conciliet ignominiam & pudorem, contrà sapiens per verba sua & sermones sapientiæ, quos profert in tempore suo, prouehet seipsum, adeo vt per illos placiturus sit magis principibus, qui, quo sapientum potiantur consiliis, eos assumunt & euehunt, vt patuit in Ioseph & Daniele.

29 *Qui operatur terram suam, imaltabit acervum frugum: & qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur: qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.*

MEdia pars huius sententiæ non est in Græcis, & videtur ex alicuius annotatione marginali inserta textui, quia primum membrum non videbatur habere sibi correspondentem partem. Nec est Græcis; effugiet iniquitatem; sed ἐξιλάσεται ἁδικίαν, placabit iniustitiam. Itaque collatione terræ diligentissimè excultæ ostendit quantam vim habeat, quantúmque fructum adferat, placere principibus, quòd qui illis placent, iniquitatem multorum expiare possunt apud principes, eósque peccantibus reconciliare. Nostræ lectionis sensus est: Sicut agricola, qui bene colit terram suam, altum sibi congeret frugum aceruum: ita qui operatur iustitiam, altum sibi locum comparabit, apud Deum quidem semper, apud homines vero etiam frequenter. Qui verò per suam prudentiam placet magnatis, is imprimis operâ dare debet vt fugiat omnem iniquitatem & iniustitiam, ne se muneribus corrumpi sinat. Itaque per illud; effugiet iniquitatem; indicatur quid facere debeat qui gratiam principum obtinuit. Potest & sic accipi: Qui placet magnatis, is hoc boni inde consequitur, quòd solicitus sit vitare omnẽ iniquitatem, ne eorum gratiam obtentam amittat.

30 *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum.*

QVoniam contingit eos qui per sapientiam suam electi sunt apud principes, per munera corrumpi, rectè hanc subiicit sententiam, sumptam pro prima parte ex Exod. 23. & Deut. 16. vt huius considerationе sibi caueãt à corruptione iudicij propter auaritiam. Nam & hic pro, iudicum, Græcis est, sapientium, sicut illis prædictis locis, vbi dicitur: Munera excæcant oculos sapiẽtum & mutant verba iustorum. In secunda parte, quæ, vt cõmuniter legitur, obscura est & incongrua, notandum pro, mutus, Græcis esse φιμός: quæ dictio significat obturationem, & nonnunquam frenum. Vnde inter scripta vnum quod inter multa inueni correctissimum, habebat frenum in ore. Habebat item plurali numero, auertũt. iuxta quam lectionem sensus optimè constat. Erit enim sensus, quòd dona auertunt correptiones sapientum, & reprimunt sicut frenum ori iniectum. proinde ea lectio recipienda videtur. Quod autem Lyra & Dionysius ex Strabonis sententia, nomine muti hic putant significari speciem ranæ, quæ Græcis dicitur βάτραχος, & in os canis latrantis proiecta adimit latrandi potentiam, vt authoritate solida caret ea nominis acceptio, ita non conuenit Græcæ dictioni. Nec Rabanus ad eam significationem nouam confugit, sed intelligit dona auertere correptionem sapientum, vt fiant quasi mutus in ore. Itaque si ea lectio retinenda videatur, repetendũ est ad verbum, auertit, suppositum singulare, donum, vt sit sensus: donum auertit eorũ correptiones, vt fiant quasi mutus. Docet ergo hæc sententia, munera, quæ Græco nomine xenia dicuntur, non vt corruptè in multis legitur, exenia, sapientes & iudices cæcos reddere, & quasi iniecto freno mutos, vt scilicet nec videant quod videndum erat, nec ore proferant quod dicendum erat, & abstineãt à iustis correptionibus delinquentium. In hos conpetit adagium huic sententiæ simile: Bos in lingua. de quo quidam in Chiliad. Et illud ibidem. Argentanginam patitur.

31 *Sapientia absconsa & thesaurus inuisus, quæ utilitas in utrisque?*

32 *Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo qui abscondit sapientiam suam.*

VIderi potest hæc subiecisse contra eos qui sapientia præditi, otium & latebras quærunt, secuti illud præceptũ quorundam, λάθε βιώσας. Quoniam enim dixit, sapientem verbis sui euehere seipsum, & apud magnates gratiam obtinere & cotra sunt qui otio delectati, molestias & labores prætexentes, etiam pericula corruptionis, quæ etiam sapientes iam euecti incidunt, vt dictum est superiori sententia, ideo rectè has sententias subiecit, docés frustrà & sine fructu haberi sapientiam quæ absconditur, sicut inutiliter habetur pecuniarum thesaurus, qui semper abditur & occultatur. Itaque præclarè Cicero pro Archia: Pudeat, inquit, illos qui ita in studijs se abdiderunt, vt ad vitam communem nullum fructum proferre possint. Et Quintilianus ipsam orationem conceptam in animo, inclusamque sine elocutione, dicit esse quasi gladium in vagina reconditum. Et Persius rectè dixit: Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Sed omnium maximè facit ad hunc locum quod in euangelio Dominus, collaudatis his qui acceptum talentum cum lucro reportauerunt, grauiter redarguit eum qui talentum domini sui abscondit in terra, sapientiam absconditam etiam sub parabola comparans cum thesauro abdito in terra, quemadmodum hoc loco. Quem doctè explicans Rabanus conferendo cum Saluatoris parabola, tandem concludit. Admonendi sunt, qui cùm prædicare vtiliter possint, immoderata tamen humilitate refugiunt, vt ex minori consideratione colligant quantum in maioribus rebus delinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas haberent pecunias absconderent, adiutores *Mat. 25.*

Caput XXI.

1 *Fili peccasti? ne adiicias iterum, sed & de pristinis deprecare vt tibi dimittantur.*

APut hoc ex variis contextum est sententiis, non eo nexu inter se cohærentibus, quo iam aliquot superiorũ capitum sententiæ, sed quibus varia nobis commendantur. Et primis quidem aliquot sententiis monemur in genere quanta cura vitare debeamus peccata, siue quæ incidimus, siue quæ necdũ incidimus. Prima enim hæc sententia monet, quid faciendum cùm in peccatum aliquod prolapsi sumus, & quo requirit quæ ad veram pœnitentiam sunt necessaria. Primum, vt vbi nos sensérimus peccasse, caueamus ne iterum idem vel simile committamus, addétes peccatum peccato, atque ea ratione iram Dei contra nos magis prouocantes, & per consuetudinem peccandi peccati vim & dominium in nobis confirmantes. Secundò, vt etiam de commissis peccatis veniam à Deo precemur, quod fieri non potest sine peccati displicentia & odio. Non est ergo satis ad veram pœnitentiam, vt quidam voluerunt, noua vita, & veteris vitæ derelictio atque mutatio: sed opus est etiam vt piis operibus, inter quæ oratio primum locum obtinet, Dei iustam iram auertamus. Bene ergo colligit D. Augustinus ex hac duarũ partium connexione duo esse necessaria vt peccato commisso liberemur, sic scribens lib. 1. de nuptiis & cõcup. cap. 26. Si à peccando desistere hoc esset, nõ habere peccatum, sufficeret vt hoc nos moneret scriptura; Fili peccasti, nõ adiicias iterum: non autem sufficit, sed addidit; Et de pristinis deprecare vt tibi remittantur. Manent ergo nisi remittantur. Vbi etiam nota veram esse lectionem; Et de pristinis deprecare; quomodo etiam Græca habent, non autem, sed & de pristinis. Quædam scripta habebãt; sed de pristinis; sine &. Itaque cùm quædam haberent, &, quædam, sed, scriptores quidam vtrunque coniungentes scripserunt, sed &.

2 *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si acceſſeris ad illa, suscipient te.*

TRibus iam sententiis indicat quanta vigilantia studere debeamus, ne in peccatum incidamus, comparans illud tribus rebus pernicioſissimis, quas omnes sedulò effugere studẽt. Primùm ergo serpenti peccatum cõparat, & rectè, quòd quemadmodum corpus lethaliter inficitur à serpente: ita à peccatis anima, quę sunt venenum animæ, sicut corpus à serpente, venenum concipit. Cæterùm pro, suscipient, Græcis est, δήξεται, hoc est, mordebit te, à verbo δάκνω, quod est mordeo. Nam illis est singulariter, peccatum. Interpres noster declarat se legisse δήξεται, quod est suscipiet, & mutauit numerum singularem in pluralẽ. Itaque quod nos habemus; suscipient te; accipiẽdum est, vt sit sensus, inuadẽt te, & te inuoluent, sicut serpens incautum inuadit & opprimit. Fugimus autem peccata, dum ab eis animo abhorremus, eorúmque occasiones & pericula declinamus. Sic Paulus dicit: Fugite fornicationem. Accedimus ad illa, dum eorum illecebris illecti, quasi nihil mali sit metuendum ab eis, occasionibus peccatorum nos immiscemus, eorúmq; suggestionibus auscultare incipimus, similes his qui blãda serpẽtis specie & sibilis illiciuntur, ad accedendũ ea loca in quibus latet: quod qui faciunt, lethali morsu à serpente incauti corripiuntur. Ita quoque & si peccati occasionibus & suggestionibus nos dediderimus, lethale venenum nobis incautis infundetur, iuxta illud: Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem. *1. Cor. 6.* *Iacob. 1.*

3 *Dentes leonis, dentes illius, interficientes animas hominum.*

SEcundò pulchrè peccatum cõparat crudelissimo, ferocissimóque leoni, affingés illi dentes similes dentibus leoninis, quòd sicut dentes leonis pernicioſissimè & crudelissimè confringunt ossa hominum, & corpus subitò perimunt: ita miserè & crudeliter peccatum animas hominum dilaniat, non solùm ei vitam gratiæ auferens, sed & vires omnes benefaciendi comminuens. In serpente ergo fallaciam peccati, in leone eiusdem crudelitatem insinuauit, quemadmodum in sententia sequenti ostẽdit; quàm sit malũ peccati & ineuitabile & incurabile.

4 *Quasi rhomphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ eius non est sanitas.*

TErtiò enim peccatum comparat gladio bis acuto, hoc est, gladio ancipiti, & ex vtraque parte scindente: quia quemadmodum qui gladio tali tanguntur, vtravis parte tangantur, necesse est eos grauiter lædi, & vt in plurimũ lethaliter: ita qui à peccato corripiuntur, non possunt læsionem & mortem animæ euadere. Ideo etiam gladio ancipiti rectè peccatùm comparatur, quòd quasi ex duabus scindens partibus animam simul & corpus ad gehennæ mortẽ pertrahat vtrumque morti æternæ subiiciẽs. Et quemadmodum plerique venenati morsus sunt incurabiles, nec sanari possunt corpora leoninis dentibus confracta, & vt plurimum acutissimo gladio vulnerati, à sua plaga curari

rari non possunt: ita plagæ quam peccatum infligit homini,non est sanitas, hoc est, non est curatio, plaga ea curari non potest. Vel quia post hanc vitam curari non potest, si quis sine pœnitentiæ remedio cum mortali pec cato hinc exierit, vt intelligit Rabanus. Vel quia etiam in hac vita,natura & creatura non habet in se peccati remedium, sicut habet multorum morborum remedia, sed sola Dei gratia & misericordia indebita peccatum curari potest. Quis ergo nō tam fraudulentum malum,tam crudele,tam ineuitabile,tamque incurabile, si hominis vires respicias,studioſè effugere conetur? Cæterùm pro sanitas, Græcis est ἴασις, quod magis significat sanationem & curationem quàm sanitatem.

5 *Obiurgatio & iniuriæ annullabunt substantiam, & domus quæ nimis locuples est annullabitur superbia, sic substantia superbi eradicabitur.*

INiquitatum quasdam species tangit in sequentibus,incipiens à superbiæ, quæ mater est iniuriarum,condēnatione. Est autem & hæc sententia Græcis tātùm bimembris. Nā pro duabus posterioribus partibus quas nos legimus,illis tantùm est; Sic domus superborum desolabitur; vt etiam hic verisimile sit ex diuersis versionibus duas illas partes in nostrum textum esse cōnexas. Pro, obiurgatio,Græcis est καταπλήγμ@, pro quo Rabanus legit, voce à Græca dictione ficta, cataplectatio: meminit tamen & nostræ lectionis. Significat autem Græca dictio non quamuis obiurgationem, sed eam quæ fit cum rigiditate & superbia ad perterrefaciēdum & concutiendum animos humilium. Est enim à verbo καταπλήττω, quod significat perterrefacio.& stupidum atque attonitum reddo. Ea ergo dictio rectè conuenit superbis,sicut & nomen, iniuriæ, pro quo Græcis est rursum ὕβρις. hoc est,contumelia. Superborum enim est cum fastu alios increpando perterrefacere, & contumeliosis verbis incessere,in quos competit illud Ezech. 34. Cū austeritate imparabatis eis & cum potentia. Sensus ergo est: Seuera increpatio, qua quidam alios percellunt, & iniuriosa verba quibus eos grauant,efficiunt, vt Deo vindicante in nihilum redigentur opes quibus illi confidunt.& animosi sunt ad alios seuerè & cum iniuria perterrefaciendos, sicque per illorum superbiam domus & familia opibus plena in nihilum redigetur, & opes superbi exterminabuntur, & in nihilum abibunt. Exemplum huius habemus in Roboam,qui ob superbam & duram responsionem factam suo populo,maiorem regni sui partem amisit,vt legitur 3.Reg, 12.& 2. Paral. 10.

6 *Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures eius perueniet, & iudicium festinatò aduenietilli.*

HÆc sententia superiori subiecta causam illius indicat. Ideo enim diuitum superbia in humiles pauperes sæuiens Deo vindicāte punitur, quia pauperem afflictum & oppressum, dum ad Deum clamat, mox ille exaudit,& pro illo iudicat contra oppressores. Porro relatiuum,eius, ad Deum referendum est, etsi expressè de eo non sit in superioribus sententiis facta mentio, & ideo aliqui libri relatiuum,eius,omittunt, vt tantùm sit; vsque ad aures perueniet, hoc est, non in vanum abibit,sed audietur. Alij pro, eius,habent,Dei. Significatur ergo, deprecationem pauperis mox vbi ex ore emissa fuerit,etsi ab hominibus negligatur nec audiatur,peruenturam vsque ad aures Dei,ibique non frustra audiendam, sed quod petit & quod æquum est impetraturam à Deo,ita vt à Deo citò illi adueniat iustum iudicium, hoc est,vt pro eo Deus iustè iudicet, vindicando oppressores,& liberando oppressos.

7 *Qui odit correptionem,uestigium est peccatoris: & qui timet Deum,conuertetur ad cor suum.*

ET hæc sententia contra superbiam dicta est, per quam fit vt aliqui odiant correptionem. Quod dicitur; vestigium est peccatoris; Rabanus intelligit significare, eum qui odit correptionem, præbere indicium dominantis in ipso seductoris diaboli, qui mentem eius indurauit, vt vestigium accipiatur pro indicio,& nomine,peccatoris,accipiatur diabolus primus peccati author. Lyranus similiter intelligit osorem increpationis dici vestigium peccatoris,quia imitatur diabolum, Græcis verò est; Qui odit correptionem,in vestigio est peccatoris;hoc est, talis firmiter hæret in viis peccatorum vt qui ex illis non possit abduci, quia odit correptionem per quam abstrahendus erat. In hoc ergo sensu & nostra lectio accipienda est, vt intelligamus osorem correptionū dici vestigium peccatoris,quia firmiter elegit inhærere viis peccatoris,& pergit in ambulando vias eius. Cuius contrarium dicitur de timēte Deum. Qui,inquit,timet Deū, mox vt correptus fuerit, relicta erroris via quam incidit,conuertetur ad cor suum, ita scilicet vt consideret de fectus suos, atque de eorum correctione serio cogitet.

8 *Notus à longè potens lingua audaci, & sensatus scit labi se ab ipso.*

QVidam libri habent;mendaci; sed plures,audaci;quod magis conuenit, etsi Græca neutrum habeant,sed tantum, potēs in lingua. Pro,notus à longè, Græcis est, γνωστὸς μακρόθεν, notus procul vel longè. Nō enim est ἀπὸ μακρόθεν, hoc est,à longè,vt in illo Psalmo: Alta à longè cognoscit. Itaque sensus est se videtur, quòd is qui potens est in lingua, hoc est,qui audacter loquitur, sit longè notus,hoc est,celebris apud homines, propter suam eloquētiam aut audaciam, ita vt fama eius longè sparsa sit. Iam quod sequitur, clariùs Græca sic habent; Sapiens autem nouit cum labitur ille;vt sit sensus: Etsi qui eudax est in loquendo & facundus, multis sit admirationi: prudens tamen facilè aduertit, quod ille in multiloquio suo quandoque peccet & labatur. Nostræ ergo lectionis hic

hic erit sensus conueniens: Qui potens est lingua audaci, hoc est,qui valet audacia loquendi,longè latéq; celebratur apud homines:at prudēs nouit se labi & decipi ab illo, hoc est, nouit se in errores casurum si illum in omnibus quæ audacter dicit,sequatur. Di iudicat enim apud se prudenter eius sermones, nec temerè illis cum vulgo assentitur. Et hæc ergo etiam sententia cōtra superbos est dicta.

9 *Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.*

GRæca in æditione Complutensi secundam partem sic habēt; ὡς ὁ συνάγων ἑαυτῷ λίθους εἰς χῶμα τάφου αὐτοῦ, hoc est, quasi qui colligit sibi lapides ad tumulum sepulturæ suæ. Itaque pulchra comparatione significatur, eum qui iniustè partis bonis domum sibi ædificat, veluti sepulchrum sibi parare, quia scilicet propter iniustitiam suam Deo vindicante non diu superstes erit in ea quam ædificat domo, sed in ea breui moriturus est, vt sit ei veluti sepulchrum futura. Germanicū tamen exemplar habet, εἰς χῶνα, hoc est, ad hyemen vel in hyeme, sicut noster legit. Et significatur, eos qui ex bonis iniustis sibi splendidas ædes ædificant, similes his esse qui in hyeme ædificant, & tunc lapides ad ędificandum congregant. Sicut enim huiusmodi ædificium non diu subsistere poterit quòd incommodo tempore cōstructum sit; ita illi constructis à se ædibus diu frui morte præuenti non poterunt, aut illorum ædes non diu persistent, Deo eas aliqua tempestate subuertente. Significatur ergo diuturna nō fore quæ scelere & fraude parta sunt, iuxta illud Plauti: Malè parta malè dilabuntur. Impendia enim aut sumptus alieni intelligendi sunt, non qui mutuò ab aliis sumpti sunt,sed erepti cū iniuria ac fraude acquisiti

10 *Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.*

PVlchra similitudine significat quàm facilè Deus soleat etiam magnam peccatorum cōgregationem dispersere, & ad nihilum redigere. Comparat enim congregationem peccantium, stuppæ collectæ, quæ adhibito igne mox in nihilū redigitur. Qua comparatione insinuatur vilitas & fragilitas peccatorum, qui etiamsi magno sint numero, non magis possunt iræ Dei, quæ velut ignis consumens est, resistere, quam stuppa collecta igni admoto. Vnde dicit,consummatio illorum, hoc est, consumptio eorum, erit flamma ignis,hoc est,flamma ignis consumet eos. Quo vel intelligi potest per iram Dei eos consumendos citò, vel per igné nouissimi diei & infernalem eos perdendos,de quo Malachiæ 4. Et erunt omnes superbi & omnes operantes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens. Potest & per cōsummationem intelligi finis & exitus eorum vt sit sensus: Finis eorum erit flamma ignis, Cui conuenit magis dictio Græca συντελεῖ, &. quod sequitur item:

11 *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.*

SIgnificat impios in hoc mundo florere aliquamdiu, & facillimè atque fœlicissimè sine vlla offensione agere, sed eorum tandem exitū esse miserrimum, iuxta illud Iob: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt & in Prouerbi. Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius deducunt ad mortem. Contrà piorum via est prærupta & aspera, quæ tandem exitum habet ad vitam æternam lætissimum & optatissimum. *Iob 21. Pro. 14.*

12 *Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius, consummatio timoris Dei, sapientia & sensus.*

PRior pars Græcis sic est: Qui custodit legem Domini, continebit intellectum illius. Quo significatur per legis obseruationem peruenire ad verā illius intelligentiam, nec aliquos melius intelligere legem, quàm qui eam prius seruare studuerint. Noster pro, lege Domini,vt & aliàs, vertit,iustitiam. & est sensus: Qui rectè viuendo custodit iustitiam, is capiet iustitiæ sensum, hoc est, intelliget quanta prudentia sit sita in iustitia, quantáq; æquitas sit præceptorum eius. Cui conuenit quod sequitur; consummatio, hoc est, perfectio timoris Dei, vel perfectus Dei timor, est vera sapientia, & sensus, hoc est, prudentia. Porrò illa duo verba,& sensus, Rabanus & post eum Dionysius coniungunt cum sequentibus, legentes; Et sensus eius non erudietur qui non est sapiens; sed malè, vt patet ex Græcis.

13 *Non erudietur qui non est sapiens in bono: Est autem sapientia quæ abundat in malo, & non est sensus ubi abundat amaritudo.*

GRæca paucioribus habent sic; Non erudietur qui non est astutus, est astutia multiplicans amaritudinem. Est enim πανοῦργος, in primo membro, & in secundo πανουργία vnde patet apud nos in secūdo membro legendum non, insipientia, vt multi libri habent, sed sapientia, quomodo habebat codex Bessarionis, quomodo & Lyranum legisse patet ex commentario eius, & Dionysius testatur aliquos legere sapientia. Nam verisimile esse non potest interpretem vertisse dictionem πανουργία, per insipientia, cùm mox verterit dictionem πανοῦργος, per nomen, sapiens. Docet ergo hæc sententia; quòd quanquàm ad hoc quis sit eruditionis plenioris capax, requiratur aliqua mentis sapientia, non tamen quælibet sapientia, eruditionis capacem reddit, sed tantùm ea quæ in bona sita est, qua quis sapiens est ad bonū peragendum, & ad bona bene affectus est. Nam est sapientia quæ in malo peragendo abundat, de qua dicitur: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt. Tales non erudientur, non percipient verbum legis & iustitiæ intellectum, quia non est sensus & prudentia, vbi abundat amaritudo malitiæ, hoc est, vbi cor plenum est amaritudine, *Ierem. 4.*

ritudine, cogitans, ſcilicet ſemper mala, per quæ & cor amarum eſt in ſeipſo, & amaritudo triſtitiæ proximis infertur. Huiuſmodi amaritudo contraria eſt ſapientiæ veræ percipiendæ. vnde Iacobi 3. dicitur: Si zelum amarum habetis & contentiones in cordibus veſtris, non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendés, ſed terrena, animalis, diabolica. Pergit autem multis ſententiis oſtendere variis modis diſcrimen inter ſapientem & ſtultum, vnde ſubiungit:

14 *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons uitæ permanet.*

SIgnificat, veri ſapientis ſcientiam & in ſeipſa ſemper creſcere atq; pleniorem fieri, & ad illos etiam copiosè diffundi, nec vnquam deficere. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit. &: Qui credit in me, inquit dominus, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, &: Qui biberit exaqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquę viuę ſalientis in vitam æternam. Sic & hic ſapientis conſilium non tantùm fonti cõparatur indeſinenter fluenti, ſed etiam fonti vitæ, quia vitam confert accipientibus illud. Simile eſt in Prouerb. Fons vitæ eruditio poſſidentis. & alibi: Torrens inundans fons ſapientiæ.

Luc. 8. Ioan. 7. Ioan. 4. Pro. 16 ibi. 18.

15 *Cor fatui quaſi uas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.*

COntraria eſt ſimilitudo & ſententia ſuperiori, qua ſignificat, in animo hominis ſtulti nullum eſſe doctrinæ & ſapientiæ locum, quòd ſit eius animus veluti vas pertuſum & confractum, in quo aqua non poteſt conſeruari. Plus ſignificatur in ſequentibus, nempe quòd ſtultus non tantum non retinet ſapientiam quam audit, ſed etiam eam reiicit.

16 *Verbum ſapiens quodcunque audierit, ſcius laudabit, & ad ſe adijciet.*

17 *Audiuit luxurioſus, & diſplicebit illi, & proijciet illud poſt dorſum ſuum.*

PRo, ſcius, eſt ἔμπειρος, hoc eſt, ſciens. Pro, luxurioſus, eſt ἀσώτος, imperitus, in ædificatione quidem Complutenſi: at Germanica habet σπάταλος, hoc eſt, intemperanter & deliciosè viuens. Pro, ad ſe adiiciet, rectius per relatiuum non reciprocum verteretur, ad illud adiiciet, nempe verbum auditum, hoc eſt, auctius illud reddet. In quem ſenſum & noſtra lectio accipienda eſt, quia ſæpe apud noſtrum interpretem reciprocum pro non reciproco ponitur, quanquam & ſic accipi poſſit; Adiiciet ad ſe, hoc eſt, ſibi applicabit, & ad ſe aſſumet veluti ſibi conueniens. Et enim contrariatur quod ſecundo loco dicitur de luxurioſo; & proiiciet illud poſt tergum ſuum; hoc eſt, non dignabitur in illud intendere, & abiiciet illud ab oculis ſuis.

18 *Narratio fatui quaſi ſarcina in uia, nam in labijs ſenſati inuenietur gratia.*

DIctum fuit ſuperiori ſententia quæ ſit differẽtia inter ſapientem & fatuum in audiendo verbo, hac ſignificat quãta ſit eorum differentia in eorum ſermone, nempe quod narratio fatui hominis ſit grauis & moleſta auditoribus, ſicut ſarcina in via grauat itinerantes. Nam fatuus non nouit grata, aut non grato modo eloqui. Contrà in ſermone prudentis inuenitur gratioſitas, hoc eſt, inuenitur quod gratũ eſt & iucũdum audientibus, quia bona aptè profert. Ideóq; non ſolùm lubenter audiuntur prudentes ſi vltrò loquantur, ſed etiam ad loquendum ab aliis prouocantur. vnde ſequitur:

19 *Os prudentis quæritur in eccleſia, & uerba illius cogitabunt in cordibus ſuis.*

IN eccleſia, inquit, hoc eſt, in congregatione ſiue ciuili, ſiue eccleſiaſtica & ſpirituali, quæritur os prudentis, tum quia illud ibi neceſſarium eſt ad ſuggerendum ſana conſilia & rectam doctrinam, tum quia ab omnibus cordatis illud ibi expetitur & deſideratur tanquam neceſſariũ & vtile, qui audientes prudentis viri ſermones, non perfunctoriè & negligenter audient eos, ſed cogitabũt & expendent eos in cordibus ſuis. Aliter autem ſe habere os imprudentis demonſtrat ſequens ſententia.

20 *Tanquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia, & ſcientia inſenſati inenarrabilia uerba.*

PRior pars duobus modis accipi poteſt. Altero modo, vt ſignificetur, ſapientiã prudentis, quam dixit gratam eſſe & deſiderari in eccleſia, non eſſe gratã homini fatuo, ſed reputari ab illo tanquã domum deſtructam, hoc eſt, haberi ab illo pro nihilo, & tanquam rem incompoſitam, confuſam & deformen. Altero modo vt ſignificetur non ſic eſſe de ſapientia à fatuo prolata, ſicut eſt de ſermone prudentis: ſed etiamſi fatuus ſapientiam aliquam proferre conetur, eam fore, ſicut domum deſtructam, quia ſcilicet eius oratio eſt incompoſita & indigeſta, ſine ordine, ornatu & gratia. Sicut enim oratio ſapientis bene compoſita & diſtincta eſt quaſi quædã domus exædificatio, quia in ea certa forma tum verborum tum ſententiarum perſpicitur: ita contrà oratio fatui, etiam dum ſapiẽter loqui ſtudet ſimilis eſt domui collapſæ, in qua omnis ædificij forma & ſtructura eſt ſublata. Nec tantùm ſic eſt in fatui oratione dum voce profertur, ſed etiam in eius cogitatione & oratione animo concepta, ſimilis eſt deformitas & vaſtitas. Tales adagio dicũtur ſcopas diſſoluere, & eorum oratio dicuntur ſcopę diſſolutæ. Hic poſterior ſenſus magis conuenit ſecũdæ parti; Et ſcientia inſenſati inenarrabilia verba; hoc eſt, quòd indoctus & imprudens prudenter & doctè dicere videtur, adeo eſt indigeſtum, obſcurum & incompoſitum, vt ab audientibus referri & enarrari non poſſit.

21 *Compedes in pedibus ſtulto doctrina, & quaſi uincula manuum ſuper manum dexteram.*

DIxerat ſuprà, ſapientum doctrinam gratam eſſe & deſideratam in eccleſia; hac verò ſententia ſignificat quibus non ſit grata, ſed admodum moleſta, ſtultis ſcilicet & diſſolutis hominibus, qui cùm velint pro libidine ſua quiduis agere, dolent ſe priuari libertate viuendi, & præceptis atque inſtitutis ſeueræ diſciplinæ quaſi vinculis quibuſdam implicari. Itaque rectè illis ſanã doctrinam dicit eſſe velut compedes in pedibus, & vincula in manibus; tum quia illis moleſta eſt, tum quia per eam & affectus eorum & opera reprimũtur. vnde Pſalmo 2. impij Chriſtum regem aſpernantes dicunt: Dirumpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.

22 *Fatuus in riſu exaltat uocem ſuam, uir autem ſapiens uix tacitè ridebit.*

OStendit hęc ſententia fatuum non tantùm ſermone diſcerni à ſapiente, ſed etiam riſu, iuxta id quod ſupra dixit riſum hominis enunciare de illo qualis ſit. Et Plato quoque in libris de legibus ait, in ipſo riſu maximum ineſſe ſignum tum grauitatis tum leuitatis. Qui enim leuiſſima de cauſa ad riſum prouocatur, nec in riſu modum ſeruat, ſed vehementi impetu commouetur, oſtendit ſe non eſſe ſtabilis firmíque animi: declarat item ſe parum expendere triſtitiæ cauſas, quas vallis hæc lachrymarum varias ſubminiſtrat ſemper. Fatuus ergo, inquit, cũ rideat, exaltat vocem ſuam, cachinnos ſcilicet ædendo, iuxta illud Eccleſiaſtes 7. Sicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus fatui. Vir autem ſapiens vix tacitè ridebit; quo ſignificatur eum & rarò & modeſtè riſurum: Cùm enim ſit grauis animi, non facilè rebus leuiculis cõmouetur: cúmq; magis occupetur in triſtibus quàm lætis huius mũdi rebus, & apud ſe expendat huius mũdi & futuræ vitæ mala, parum ei ridere libet. Cor enim ſapientum vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia, vt dicitur etiam in Eccleſiaſte loco prædicto.

Ibidem 7.

23 *Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro.*

OPponitur hæc ſententia illi præcedenti; Compedes in pedibus, &c. & poteſt intelligi & de doctrina quam prudens audit ab aliis, & de doctrina quam prudens aliis tradit. Nam & prudenti qui docetur, doctrina quam audit reputatur velut aureũ ornamentum, quia ab illo magni fit, & habetur tanquam res pretioſa, qua ſe gaudet ab aliis donari & ornari. Et prudenti item qui docet doctrina & ſapientia quam aliis tradit, eſt velut ornamentum aureum, quia per illã multum ornatur & honoratur. Qui enim docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Dan. 12.

24 *Pes fatui facilis in domum proximi, & homo peritus confunditur à perſona potentis.*

INdicat iam & aliud diſcrimen inter fatuũ & ſapientem, quod tribus ſententiis proſequitur, notans in ſtulto & impudentiam & ſtudium rerum alienarum: quod vitium curioſitas appellatur: coniunctum ſæpe cum negligentia rerum propriarum: prudenti verò tribuens verecundiam, & per verecundiam, neglectam rerum alienarum inueſtigationem. Fatuus, inquit, tum propter impudentiam, tum propter curioſitatẽ facilis eſt vt ingrediatur domum proximi ſui, impudenter eam intrans, & curioſè inquirẽs quid in ea agatur: at homo peritus, vel, vt eſt Græcis, ἀνὴρ πολύπειρος, vir expertus, qui ſcilicet & in ſeipſo & in aliis expertus eſt, quàm nemo ferat rerum ſuarum curioſam perſcrutationem, verecundia perfunditur, cùm occurrit ei perſona alicuius potentis, aut quando cum ea eſt illi aliquid negotij. Cõfundi enim hic accipitur pro verecundari, non pro ignominia affici, vt quidam exponunt. Græcè eſt, ἀισχυνθήσεται ἀπὸ προσώπου, verecundatur à facie vel vultu, nec additur, potentis. Itaque ſignificatur, hominem expertum vereri alterius vultum, cùm fatuus nec domus alienæ ingreſſum vereatur.

25 *Stultus à feneſtra reſpiciet in domum, uir autem eruditus foris ſtabit.*

DIxit quomodo per imprudentiam & curioſitatem ſtultus domum alienam ingrediatur, nunc depingit quid faciat per eadem vitia cum domum ſecum ingredi datur. Reſpiciet, inquit, in domum à feneſtra, vel à ianua, vt eſt Græcis, vt ſcilicet vel à longè ſcrutetur impudenter quæ ſunt vel, gerũtur in aliena domo: at vir bene inſtitutus & edoctus foris ſtabit, expectans donec prodeant quibus loqui deſiderat, non irrumpẽs in domum, nec curioſè introſpiciens. Tertia ſententia indicat Sapiens quid per prædicta vitia ſtultus facit, cùm nec ingredi nec inſpicere datum eſt, dicens:

26 *Stultitia hominis auſcultare per oſtium, & prudens grauabitur contumelia.*

DEclarat, inquit, homo ſuam in eo ſtultitiam & malam inſtitutionem, quòd auſcultet p oſtij rimas aut alias aperturas quid à domeſticis in domo dicatur, prudens verò grauem ſibi eſſe ducit eam contumeliam & ignominiam admittere, aut ea notari, ex qua Corycei etiam à Græcis dicti ſunt homines curioſi, qui furtim & clam quę ab aliis aguntur aut dicuntur, ſubauſcultant. Ab hoc curioſitatis vitio, quod hic Sapiens pulchrè à tribus actionibus depingit, etiam Paulus ſtudiosè cauendum monet: & dum in quibuſdã viduis notat quòd otioſæ diſcunt circumire domos, verboſę & curioſę, & domus proprię curam negligentes. Et dum rurſum fideles monet vt quieti ſint, ſuũ negotium agentes, & operantes manibus ſuis, nec ambulent inquietè nihil operantes, ſed curioſè agentes.

1. Ti. 5. 1. The. 4. 2. The. 3.

27 *Labia imprudentium ſtulta narrabũt, uerba autem prudentium ſtatera ponderabuntur.*

RVrſum diſcrimen ſermonis notat inter ſtultos & prudentes, quia illi ſtulta ferè

& vana narrant, quæ vt nullum pondus habent, ita meritò à cordatis negliguntur: at verba prudentium sicut ab ipsismet ponderantur, & expenduntur velut in statera priusquam ea effundant: ita etiam ab auditoribus bonis velut magnum pondus, grauitatem & authoritatem habentia bene expendentur, ponderabuntur, & magnifient.

27 *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum.*

SVbiungit inter reliqua discrimina stulti à sapiente & hoc pulchrum discrimẽ, dicens cor fatuorum esse in ore illorum, quia quicquid habent in corde, mox ore effundunt. At contrà os sapientum esse in corde ipsorum, quia apud se bene prius expendunt quid dicendum sit, iuxta illud Prouer. 16. Cor sapientis erudiet os eius. Rabanus intelligit, cor fatuorum esse in ore illorum, quia fatui studiosi sunt vanæ eloquentiæ: In corde autem sapientium esse os illorum, quia eorum os studet fideliter exprimere conceptum veræ sapientiæ sensum. Sed prior intelligentia est simplicior & magis genuina.

28 *Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.*

VErbum, maledicere, exponũt Rabanus & Lyranus pro maledictũ dicere & pronunciare. Et sunt qui dictionem Græcam, καταράται, vertunt, execratur aut detestatur. Significatur ergo, quòd quãquam diabolus dignus sit execratione, dignus item qui pronuntietur maledictus, tamen ob summam coniunctionem & consortium impij cum diabolo, cùm impius diabolum execratur, eique maledicit, sibiipsi maledicit: quia cùm ille execrandus non sit, nisi ob mala quorum ille author est, atq; in illis impius eum imitetur, etiam in seipsum maledictionis profert sententiam. Dici enim in illum potest illud Pauli Rom. 2. In quo alterũ iudicas, teipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Itaq; videtur hæc sententia dicta contra eos
Mat. 23. qui volunt videri execrari diabolũ, cùm nõ desinant eum imitari. Sicut & Saluator Pharisæos redarguit, qui volebãt videri detestari facta suorum maiorum qui Prophetas occiderunt, dicentes: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nõ essemus socij eorum in sanguine prophetarũ, significãtq; suis ipsos verbis sese condemnare, cùm eadem facerent quæ in illis detestabantur. Nihil tamen vetat verbum, maledicere, accipere pro malè precari, quia sicut diabolus dignus est execratione ob peccata sua, ita etiam imprecatione mala dignus est, quemadmodum in Psalm. sæpe malè ei imprecatur: sed dum impius ei malè precatur, etiã sibi hoc ipso malè precatur, cùm simili malo subiaceat. Et potest in hoc sensu accipi hæc sententia, quasi dicta in eos quia sua vel peccata vel flagella reiiciunt in diabolum tanquam omnis mali authorem: qui cùm ob id maledictis incessunt diabolum, sibiipsis malè precantur, qui eius suggestionibus consenserunt, & flagellari meruerunt. Nec ex eo quod Iudas Apostolus refert de Michaele, quòd non ausus fuerit ei inferre iudicium blasphemiæ, sequitur nec pium etiam hominẽ posse malò precari diabolo. Nam eodem loco dicitur Michalem dixisse: Imperet tibi Deus, vel, vt habent Græca, Increpet te Deus, quod vtique fuit ei malè precari. Sed tãtùm ibi docetur, Michaelem ob iniuriam & malitiam diaboli secum contendentis, non insectatum eum esse maledictis & conuitiis, nec studuisse se vindicare, sed omnem vindictam reliquisse Deo.

29 *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui manserit odiosus erit, tacitus, & sensatus honorabitur.*

GRæcis tantùm sunt duæ partes, hoc modo, Susurro inquinat animam suam, & vbicunque habitauerit, odietur. Est enim in secundo membro, καὶ ἐὰν παροικήσῃ. Vnde patet apud nos non esse legendum, permanserit, sed, vt habent plura scripta, manserit, &, manserit, accipiendum pro habitauerit. Non est ergo sensus, qui manserit vel permanserit talis, nempe susurro, odiosus erit. Cùm autem sensus illius partis, qui manserit, sit imperfectus, in quibusdam libris additum inuenio, cum eo, vt sit sensus: Qui manserit cũ susurrone, hoc est, qui ei cohabitauerit, seque ei socium adiunxerit, is simul cum eo odiosus erit. Græcis tamen obseruatis verisimile mihi omnino est interpretem vertisse, & cui manserit odietur, vt sit sensus: cuicunque ipsum cohabitare contigerit, odietur ab eo, hoc est, nemo eius consortium & cohabitationem amabit aut tolerabit, vbique talis ingratus erit omnibus. Videntur enim duæ illæ partes. In omnibus odietur, &, Cui manserit, odiosus erit, esse contextæ ex duabus versionibus, quarum vna habebat, In omnibus odietur, pro, in omnibus locis odietur. Altera, cui manserit odiosus erit, pro, cuicunque vel vbicunque habitauerit odiosus erit. Verùm cùm non intelligeretur id quod obscurè & parùm Latinè dictum fuit, cui manserit, verterunt scriptores, cui, in, qui. Hæc diuinatio si non placet, saltem legatur, & qui cum eo manserit, vt habebant duo scripta, aut subintelligatur, cum eo, sicut intelligit Lyra. Sensus ergo erit, Susurro qui clam proximis detrahit, non solùm alios lædit quibus detrahit, sed etiam seipsum, quia suæ famæ, & existimationi ignominiam infert, præterquam quòd animam suam graui vitio cõtaminat. Talis enim in omnibus locis malè audiet, & in omnibus suis dictis & factis odietur, ita vt nihil in eo sit gratum futurũ. Imò & qui cum eo mãserit, eique adhæserit, amicitiam cum eo iungẽs, simul cum ipso odiosus efficietur. Contrà homo qui prudenter tacere nouit, is ab omnibus & vbique honorabitur. Hoc enim addidit interpres, vt sicut in præcedentibus sententiis, etiam hic esset oppositio.

Caput

Caput. XXII.

1 *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernatione illius.*
2 *De stercore boum lapidatus est piger, & omnis qui te tigerit eum, excutiet manus.*

DVo hi versus obscuritatem magnam habent in nostra lectione, qui cùm non videantur habere commodum aliquem literalẽ sensum, uostri ferè ad mysticos cõfugiunt sensus, sed parùm solidos. Græca commodum & iucundũ habent sensum, quæ sic verti possunt; Lapidi conspurcato comparatus est piger, & omnis sibilat super ignominia eius. Stercori boum comparatus est piger, omnis qui tollit illud, excutiet manum. Quibus sententiis significatur vilitas, contemptus, & sordities hominis pigri, comparaturque & lapidi, luto vel alia quauis re cõmaculato, & stercori boum, quòd sicut hæc abiecta sunt & fœda, ac ob eorum fœditatem nemo ea dignatur contingere, aut si contigerit, statim ea abiicit, & excutit manus suas ab eis: ita & cordatus quisque pigri hominis socordiã detestatur, nec dignatur cum eo communicare, aut negotium aliquod ei committere, sciens se ab illo conspurcandum, & notam aliquam atque ignominiam vel damnum se contracturum, si ei sua commiserit, iuxta illud quod est in Prouer. Sicut acetũ dentibus, & fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum. Noster interpres dictionẽ Græcam σωεβλήθη, à verbo συμβάλλω, quod significat sæpe cõparo & cõfero, vertit lapidatus est, quasi legerit καʼλεβλήθη, à verbo καʼλαβάλλω, quod significat aliquando talis vel lapidibus aliquem impetere. Vt autem nostra lectio proximè accedat ad originalem intelligentiam, hic sensus reddi potest, Piger lapidatus est lapide lutoso aut stercore boum: siue quia dignus est qui huiusmodi sordibus impetatur & conspurcetur, siue potius quia per suam socordiam ita est commaculatus, ac si lapide lutoso aut stercore boum esset impetitus. Proinde sicut omnes cum risu loquerentur de eo qui tam fœdis rebus esset conspersus & conspurcatus, & qui tales contigisset, mox à sordibus contactis excuteret manus suas: ita omnes cordati de pigri aspernatione & vilitate loquentur cum detestatione, eius commerciũ fugient: & si quid ei commiserint curãdum, idipsum mox manibus eius subtrahent, seque ab eis eximent. Meritò autem tantopere Sapiens & hoc loco & aliis, quemadmodum & Salomon sæpe in Prouerbiis, pigros detestatur, tum quòd tales nec sibi nec aliis sint vtiles, tum quòd tales ferè grauibus vitiis sint contaminati. Multam enim malitiã docet otiositas, vt infrà dicitur cap. 33. Qui sensum mysticum in his sententiis requirit, legat Rabanum & alios. D. Gregorius simplicius quàm quidam secundam sententiã tractat mysticè, scribens in 20. caput Iob cap. 3. Gaudia, inquit, præsentis vitæ, quæ iniusti æstimant magna bona, iusti stercora deputant. Vnde scriptum est: De stercore boum lapidatus est piger. Is ergo qui Deum sequi noluerit, ab amore æternæ vitæ pigrescit. Et quoties rerum temporalium damno percutitur, ex his nimirum affligitur, quæ iusti viri velut stercora contemnunt. Hæc illæ. Quod ad lectionem attinet, cùm quidam libri habeant, super aspernationem, alij super aspernatione, meritò posterior lectio est præferẽda, quòd conuenientiorem habeat sensum, & Græcis consentiat. Per lapidem luteum, intelligendum esse non lapidem ex luto factum, sed luto immersum & commaculatũ, patet ex prædictis. Græca enim habent, λιθῳ πεʼλαμμένῳ, hoc est lapidi conspurcato.

3 *Confusio patris est de filio indisciplinato, filia autẽ in deminoratione fiet.*

DEdecori pigri subiungit dedecus, quod ex stultis prolibus parentes contrahũt, prosequens multis sententiis in sequẽtibus stultitiæ vituperium. Hac ergo sententia significat liberorum vitia & stultitiam redundare in parẽtum infamiam, vtpote quorum erat liberos educare & instituere liberaliter. Confunditur, inquit, pater, hoc est, verecundia & ignominia afficitur de filio inerudito, & malè instituto: filia autem si talis sit, fiet in deminoratione, vel quia paruæ erit æstimationis, nec commendabilem se reddet coniugio cùm eloquenda erit, vel potius quia dãnum & detrimentum adferet suis parentibus, suoq; marito. Solet enim hic author nomine ἐλαττώσεως, quod hic Græcis est, significare detrimentum & damnum. Cui sensui cõuenit quod ex opposito sequitur in subiecta sententia. Cæterum parũ refert quod in quibusdam libris addatur adiectiuum, fatua, vt sit lectio: Filia autem fatua, in aliis non addatur, sicut nec est in Græcis, quia etiam si nõ addatur, de tali filia accipiendũ est, de quali præcessit filio.

4 *Filia prudens hæreditas uiro suo, nam quæ confundit in contumeliam sit genitoris.*

SIgnificat prudentiam filiæ insignem esse dotem ipsius, eámque ob id à viro suo amandam velut hæreditatem & patrimoniũ, vt per quam multa commoda consequatur, & in qua se à parẽtibus iudicabit magna dote donatum. Contrà quæ confundit suum virum suis vitiis & stultitia sua: aut potius absolutè, quæ confundit, hoc est, quæ probrosa est, & confusione res dignas facit, affert patri ignominiam tum apud omnes, tum maximè apud maritum suum, qui de ea apud patrem expostulat. Pro; hæreditas viro suo, est Græcis κληρονομήσει ἀνδρα ἑαυτῆς, hoc est, hæredi tabit virum suum: quo videtur significare, quòd donabit virum suum hæreditate, & insigni dote. proinde rectè noster vertit, hæreditas est viro suo. Pro, nam, Græce est γὰρ, &. Proinde impropriè hic accipi debet coniunctio illa causalis, vt tantùm coniungat, & docti notant apud Ciceronem & alios, nam, poni pro, autem, aut alia simili discrepatiua particula.

5 *Patrem & virum confundit audax. & ab impijs non minorabitur, ab vxore autem inhonorabitur.*

IN muliere vt maximè commendatur vere cundia, quæ pudicitiæ custos est: ita maximè vituperatur audacia, & inuerecundia, vt quæ multorum malorũ, & impudicitiæ causa est, ideoq; audacé peculiariter dicit ignominia afficere & patrẽ & virum suum, quia talis etiam impiis inuenietur non esse inferior in vitiis: vnde & ab vtrisq;, hoc est, à patre & viro suo, etiam ipsa vicissim inhonorabitur, quia cũ propter eam cogantur sustinere infamiam, ipsi vicissim nullo eam honore dignabuntur, contemnent eam, relinquent, subsidia subtrahent, & iustis pœnis afficient. Notandum autem mediam huius sententiæ partem, & ab impiis non minorabitur: Græcis non esse, apud quos etiam hæc sententia bimembris tantùm est.

6 *Musica in luctu importuna narratio, flagella & doctrina in omni tempore sapientia.*

LEgendum potius sapientiæ quàm sapientia. Nam & Græca habent genitiuum, & Rabanus sic legit Lyranus quoq; ex suo cõmentario sic legisse videtur. Græca tamẽ nõ habent, in omni tempore, sed tantũ ἐν καιρῷ, in tempore, hoc est, tempestiuè & oportunè, vt opponatur illi quod dicitur in primo mẽbro, importuna narratio. Itaq; sensus Græcæ lectionis est: Narratio importuna, quæ scilicet non fit loco & tẽpore conuenienti, etiãsi sit de re bona, & tractet quæ sunt prudẽtiæ, est velut musica in luctu, quia sicut hæc non est eo tempore grata, nec lætitia afficit lugẽtem, sed magis eius dolorẽ exasperat: ita & narratio aliqua non suo loco adhibita, grata & vtilis non est, sed contrà potius ingrata, inutilis, & auditores magis exasperãs quàm instruens. Contrà verò flagella, hoc est, casti gationes & doctrina tempestiuè adhibitæ, sunt sapientiæ, hoc est, à sapientia proueniũt sicut importuna narratio à stulto. Eundẽ sensum habebit nostra lectio, si, in omni tempore, exponatur pro cum omni oportunitate. Oportet enim corripere & docere volentẽ omnem obseruare oportunitatẽ. Rabanus sic intelligit hanc sententiã, vt præconstrua tur illud: Musica in luctu, & sit sensus; Læta dicere & narrare eo tempore quo est lugendum, est importunus sermo & narratio: omni verò tempore castigationes & doctrinam adhibere, id pertinet ad sapientiam. Vt signi ficetur toto huius vitæ tempore non esse vacandum lætis, sed tristibus, quia nunc tẽpus est non ridendi, sed flendi. Lyranus verò illud, in omni tempore, cõiungit cum, sapientiæ, vt sit sensus: Importuna narratio est velut musica in luctu, flagella autem & doctrina, debent in omni tempore esse sapientiæ, hoc est, debent fieri sapienter & pruden ter.

7 *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam: qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno.*

GRætis breuius sic est; Coniungit testam qui narrat fatuo, & excitat dormientes ex graui somno. Duabus similitudinibus ostendit, quàm inutilis sit plerunque labor qui impenditur docendis stultis, instituans id quod dicitur in Prouerbiis 23. In auribus insipientium ne loquaris. &: Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Qui, inquit, docet fatuum, similis est ei qui inutilem ope ram assumit, vt confractæ testæ partes cõglutinet & coniungat. Nam vt difficile est confractam testam sic conglutinare, vt rursum liquorem contineat & conseruet: ita difficile est fatuum, qui suprà vasi confracto comparatur, sic instituere & formare, vt sapientiam admittat aut auditam conseruet. Rursum qui sapientiæ sermonem narrat non attendenti ad illum, nec auidè audienti, similis est ei qui dormientem excitat de graui somno. Nam vt is frustra multa dicit ei qui somno graui oppressus nec excitantem audit, aut si audit, imperfectè audit, itavt à soni no superatus relabatur ad dormiendum: sic & frustra stulto multa dicũtur, qui omnino dormienti similis est, quòd aliis occupatus non aduertit ad ea quæ sapienter dicuntur, sed veluti stupidus est ad ea & somnolẽtus, vnde & sequitur.

8 *Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicet, quis est hic?*

REctè dormiẽti comparatur stultus, imò dormiens dicitur, quia vt sensus exterio res ligantur in dormientibus, ita iudicium, & intellectus in stultis: & quemadmodum dormientes tantum vanis somniis occupan tur, quibus miserè illuduntur, ita & fatui rebus vanis tanquam veris inhærent, à quibus se postea miserè deceptos sentient. Qui ergo narrat stulto quæ sunt sapiẽtiæ, loquitur cum dormiente: quia cum eo qui impeditus non attendit. qui proinde, sicut solẽt dor mientes dum compellantur & excitantur, post multa verba dicere: quis est hic qui loquitur, & qui me excitat? ita & stultus post longum sermonem ad se habitum, ita se geret quasi nihil audisset, & quasi nec attendisset quidem quis sit locutus, dicens: quis est hic qui loquitur, aut quid est quod dicitur? Nam Græcè non est, quis est hic? sed τί ἐστι quid est? Huius indocilitatis exemplum habemus Actuum 17. in philosophis Athenien sibus, qui cùm Paulum de resurrectione concionantem audiuissent, eius doctrinã aut irridebant, aut iterum audire volebant. Cùm ergo tam deplorata sit institutio, & correctio imprudentium multorum, rectè subiungit.

9 *Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & super fatuum plora, defecit enim sensus.*

SIgnificat quòd quemadmodum iusta de causa ploratur super mortuum, eò quòd lux oculorum eius: & omnium sensuum exteriorum in eo, defecerit, aut quia defecit ei lux solis qua prius fruebatur, hoc est, quia in eo

in eo defecit vita ista corporalis: ita etiã plorãdum est super fatuum, quia deficit sensu, hoc est intelligentia & prudentia. Imò significat super hunc magis & maiori iure plorãdum, quòd plus sit deficere mente quàm luce corporali. Significat etiam hac comparatione, fatuum similé esse mortuo, vt qui destitutus sit vita, quæ homini propria est per sapiẽtiam & prudentiã. Stultum autem hic, vt in Prouerbiis, vocat eum qui Dei timore caret, & rebus huius mundi vanis totus est addictus. Porro quod ad lectionem attinet, Rabanus legit in secundo membro; Deficit enim sensus eius, quomodo & scripta quedã habent. Et Græcis in æditione Cõplutẽsi est σύνεσις, hoc est, sensus vel prudentia. Alia tamẽ æditio habet σύνεσμα, vt subaudias ψυχῆ, Defecit enim secundum sensum, hoc est, vt no ster vertit, sensu. Vtrobiq, autem legendum per præteritũ, defecit, docent & scripta correctiora, & Græca, quæ habent ἐξέλιπε.

10 *Modicum plora super mortuum quoniam requieuit, nequissimi enim nequissima vita, super mortem fatui.*

SEcundam partem breuius Græca sic habent, fatui enim super mortem vita; hoc est, vita eius morte deterior est, vel magis est deploranda quàm mors. vnde & nostra litera sic est accipiẽda; Ideo dico, modicũ plora super mortuum, quia nequissima vita hominis nequissimi est deploranda magis quam mors eiusdem fatui hominis, vt per fatuũ & nequissimum, hoc est impium, idem intelligatur. Modicum autem dicit plorandum super mortuum, quia mors illa suam consolationem secum adfert, quoniã scilicet per eã homo secũdum corpus requiescit ab omnibus laboribus & doloribus huius vitæ. Quædam scripta plus habent in hunc modum: Modicum plora super mortuum, quoniã requieuit, plurimùm verò super vitam fatui. Nequissimi enim &c. sed Græca mediam illam partem non habent. Germanicũ exemplar non habet γάρ, enim, sed δέ, autem, & habet ζωὴ πονηρὰ, vita mala.

11 *Luctus mortui septem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.*

EXplicat hæc sententia superiorem, tribuitque luctui mortui septem dies, non quòd non liceat diutius mortuum lugere cùm de Iacob scriptum sit, quod eum plan- *Gen. 50.*
xerit Ægyptus septuaginta diebus: de Aarõ, *Deu. 34.*
& Moyse, quòd eos planxerint Israëlitæ tri- *Numer. 20.*
ginta diebus, sed qꝫ satis sit septem diebus, hoc est, vna hebdomada super mortuũ luge re tot scilicet diebus quot solebant celebrare nuptialem lætitiã, vt patet Gen. 29. & Tobiæ 11. quot etiam diebus planxerunt Ægyptij & Israelitæ Iacob patriarcham cùm iam sepeliendus esset, vt est Genes. 50. quod exẽplum verisimile est authoris tempore fuisse secutos Iudæos. vnde & apud nos seruatur mos celebrãdi septenarium vt dicitur: Dicit ergo luctus mortui septem dies, hoc est, satis est si septẽ diebus peragatur luctus mortui: at luctus fatui & impij, hoc est, luctus qui de eis est habendus, omnes dies vitę illorũ, hoc est, omnes dies vitæ illorũ sunt plangendi & deflẽdi, quòd semper & sibi & aliis sint inutiles & noxij, & insuper quod quo tempore sanari poterant, insanabiles se prębeant. Vnde subiungit:

12 *Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.*

13 *Serua te ab illo, vt non molestiam habeas, & non coinquinaris peccato illius.*

14 *Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & non accediaberis in stultitia illius.*

POstquam ostendit stultos esse incorrigibiles, rectè iam subiũgit monitionẽ qua ab eorum consortio & familiaritate dehortatur, monens primùm vt nec familiariter cũ eis eatur in viam, sed ab eis quisque se subtrahat, tum vt ne molestiam aliquã ferat ab eis dum eorum improbos mores pati cogetur, tum vt ne illorum vitiis coinquinetur, ita vt ex conuictu similis ei efficiatur, aut saltem in suspicionem apud plurimos veniat cum propriæ famæ læsione. Tales enim ferè vel sumus vel existimamur, quales sunt hi cum quibus versamur ac viuimus. A malis ergo qui abstinet, inuenit requiem, quia illorum improbitate non affligitur, nec in periculum aliquod ex eorum conuictu prolabitur, nec propter illorum stultitiam mœrore atque tristitia torquetur. Hoc est enim quod dicitur, non acediaberis in stultitia illius.

15 *Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen quàm stultus?*

SEnsus est; Plũbo, quod inter grauissima primum numeratur, quid est grauius? nihil sane aliud magis quàm id cui nomen est, stultus. Hac ergo cõparatione significatur, mores imprudẽtis hominis esse intolerabiles planè & summè molestos, eiúe qui cum tali conuersatur adferre grauia mala atque incommoda. Cui simile est quod est in Prouerbiis: 27. Graue est saxum & onerosa arena, sed ira stulti vtroq; grauior. Parabolicam hanc sententiam sequens sentẽtia explicat:

16 *Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem & fatuum, & impium.*

ADduntur plumbo & alia tria valde grauia, quo significetur omnibus grauibus stultum esse molestiorem. Illa enim tantùm corpus grauant, hic verò animum: & illa facilè excutiuntur, ab hoc verò non ita se quis facilè liberare potest. Inter cæteras autẽ molestias quas de se imprudẽs præbet, est quod nihil rectum esse putat, nisi quod ipse facit, quodque, cùm omnia reprehendat, admoneri tamen se non patitur. Deinde quòd per eum homo in multa incommoda sæpe pertrahatur.

17 *Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non dissoluetur, sic & cor confirmatum*

in cogitatione consilij: cogitatus sensati in omni tempore metu non deprauabitur.

Diligenter hic, & in sequẽtibus habenda est ratio lectionis, quæ in scriptis, & in impressis valde variat. Parum facit ad lectionis integritatẽ siue legatur, Sicut loramentum, vt multa scripta habent, siue legatur sine nota similitudinis, quã alia nõ habent sicut nec Græca, quia etiamsi nõ legatur, subaudienda est. Loramẽtum, etsi propriè connexionem quæ loro fit significet, hic tamen generaliter connexionem significat, sicut & Græca dictio ἁμάντωσις, quę deriuatur ἀπὸ ἅπτω, quod est lorum. vnde additur, ligneũ, vt intelligatur de apta connexione lignorũ inter se, quæ non loris fit, sed apta lignorum compositione, inter se ligneis clauis cohærentium. De fundamento ædificij non fit mẽtio in Græcis, sed tantùm est ἀπὸ οἰκοδομικῆς, hoc est, in vel ad ædificium. Vnde non videtur legendum; colligatum fundamento ædificij, sed vt habent libri correctiores scripti; In fundamento ædificij, & sit sensus: cũ fundatur aliquod ædificium. Non enim ad firmam aliquam domus cõstructionem ligna colligantur fundamento, sed supra parietes erectos super fundamentum, ligna inter se colligantur, & compinguntur solidè, quæ sic compacta non dissoluuntur facilè, etiamsi magnum ventorum impetum sustinere cogantur. & ab eis concutiãtur. Additur enim Græcis ἐν συσσείσμῳ, in cõcussione. Huic ergo lignorum connexioni, quæ vi ventorum nõ dissoluitur, rectè comparatur cor confirmatum in cogitatione consilij, hoc est, quod in consilio capiẽdo solidis firmísq; rationibus nititur, quia eriã in tali corde est connexio atque coniunctio causarum atq; rerum antecedentium, & consequentium: quæ connexio ita est necessaria in capiendo cõsilio bono, sicut in ædificatione domus est necessaria apta lignorum compactio & colligatio. Itaque sicut illa lignorum connexio nõ dissoluitur etiam si ventis concutiatur, ita nec tale cor à suo proposito soluetur aut deijcietur quod sequens pars explicat & exponit, cùm subiicitur; Cogitatus sensati vel prudẽtis (id enim explicat quod sit cor confirmatum) in omni tempore metu non deprauabitur, hoc est, etiamsi metu potentiæ humanæ aut quorumuis incommodorum concutiatur & oppugnetur, non tamen à suo bono proposito vllo tẽpore deturbabitur, aut deprauabitur. Metum ergo comparat concussioni domus quæ fit à tempestate vẽtorum. Hoc ergo quod hic dicitur, illud est quod in Psal. 111. dicitur de iusto: Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatũ est cor eius, non commouebitur. Declaratum est istud in martyribus, qui in consilio suo firmi perstiterunt, ita vt nec mortis metu ab eo dimoueri potuerint. Habent quidem omnes ferè libri, in omni tempore vel metu. sed coniunctio, vel, vt est ad sensum superflua, imò sensui obest, ita Græcis non est, & aliquot scripta non habebant vnde omittendam putamus. Diligentius autem habenda est ratio veræ lectionis in sequentibus, in quibus mira est varietas codicum & corruptio. Primũ ergo lectionem nostram, vt iam recepta ferè est, afferemus: deinde quomodo ex varia librorum scriptorum collatione cum Græcis lectio sit corrigenda, ostendemus. Sic ergo ferè omnes iam legunt:

18 *Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut pali in excelsis, & cæmenta sine impensa posita cõtra faciem venti non permanebunt, sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetũ timoris non resistet.*

19 *Sicut cor trepidum in cogitatione stulti, omni tempore non metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper.*

Hæc lectio excutienda est. Et primùm quidem notãdum quòd illa pars; Sicut ornatus arenosus in pariete limpido; apud Græcos præcedẽtibus iungitur; vt pertineat ad cor confirmatum, & cogitatum prudẽtis, & significetur. quòd quemadmodum arena parieti inducta, parietẽ & tuetur & ornat: ita prudentia cogitandi atq; deliberãdi, animo hominis maximum præstat & munimẽtum & ornamentum. Noster interpres eam partẽ retulit ad timidum cor stulti, sed in multis scriptis, eisq; correctoribus, ea pars postea ponitur, post illud; cõtra impetũ timoris nõ resistet; quẽadmodũ & legitur in Glosa Ordinaria, vt deinde noua sententia sequatur; Sicut ornatus arenosus in pariete limpido; Cui iungitur pro absoluenda sententia; Sic & cor trepidum in cogitatione stulti. Habẽt enim libri scripti; sic & cor trepidum; non, sicut cor trepidum. Et omnino certum esse puto hanc sententiã ex altera versione huic insertam esse. cùm in sensu eadẽ sit cũ præcedẽti. Nam sicut illud; Cor trepidum in cogitatione stulti; idem est cum illo quod præcedit; Cor timidum in cogitatione stulti, ita pro eo quod vnus vertit, Ornatus arenosus in pariete limpido; alter vertit: Cæmenta sine impensa posita, hoc est, cæmenta parieti inducta, in quibus sumptui parcitum est, etiam nimis est arenæ, & vel nihil vel parum calcis, quæ non solent diu adhærere. Iam verba illa quæ sequuntur; Omni tempore non metuet, non posse referri ad præcedentia, vt cordi timido tribuantur, quemadmodum ferè intelligitur, patet, quia non conuenit vt cùm mox superiori sentẽtia fit dictum Cor timidum non posse resistere contra impetũ timoris, hic iam contrarium dicatur, quod omni tempore non metuet, vt omittam ineptam esse comparationem cordis timidi, & stulti, cum eo qui permanet semper in mandatis Dei, vt vtrique similiter tribuatur, omni tempore nõ metuere. Itaq; quædam scripta omittunt negationẽ, non, & habent; omni tempore metuet. Et quod sequitur; Sic & qui in præceptis Dei permanet semper; coniungunt cum sequenti; Pungens oculum, &c. cum quo etiam Rabanus iungit, legens; Sed qui in præceptis Dei permanet semper; non autem: Sic & qui. Tanta est codicum varietas & deprauatio, Plæraq; scripta, & inter ea clarissimè codex Bessarionis, hæc verba;

Omni

Omnis tempore non metuet; separant à cor de timido, & coniungunt cum eo quod sequitur de permanẽte in præceptis Dei. quæ distinctio & lectio optimè se habet, & omnem tollit absurditatem. Itaque tribus sententiis, quarum quæ coincidunt, & vni tantùm sententiæ in Græcis respondent, totus hic locus sic est legendus, quomodo distinguit, quem dixi, codex Bessarionis.

17 *Sicut pali in excelsis cæmenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.*

18 *Sicut ornatus arenosus in pariete libido, sic & cor trepidum in cogitatione fatui.*

19 *Omni tempore non metuet: sic & qui in præceptis permanet semper.*

In prima sententia legendum esse non, vt ferè omnes habent, paleæ, sed vt quidam libri habẽt, pali, docet dictio Græca κάγκανες, quæ significat palos quibus vites alligantur, significat & arundines, vnde quidam vertũt cannas. Sicut ergo cor iusti in bono firmatum superiori sententia comparauit Sapiẽs lignis in ædificium bene compactis & colligatis: ita nunc cor fatui timidum comparat palis & cannis in sublimi aliquo loco positis & fixis, vbi vim ventorum quæ ibi maior est non ita ferre possunt, sicut fixa in valle vtcunque ferre possunt. Comparat secundo cæmento, cui ad parcẽdum sumptibus calx non satis est admixta, sed planè est arenosum: quo si quis parietem maximè tersum & politum tegere & ornare velit, mox à pluuia vel vento decidet, nec firmiter parieti adhærebit. Ita enim & cor fatui, quod sibi non est bene consciũm, & quod in bono firmatum non est, nec habet suarum actionum solidas rationes, mox cùm tempestas aliqua malo um ingruerit, timorẽ incutiens, non persi it, sed deiicitur & turbatur animo, consiliique inops nihil firmum sequitur, sed fluctuat, atque in omnem se mutat occasionem. Sicut ergo se habet ornatus arenosus in pariete limpido, ita se habet cor trepidum in cogitatione stulti. Cuius contrarium subiicitur de iusto in vltima sententia, quæ clarior erit si omittatur coniunctio, &, quæ in quibusdam scriptis aberat, vt sit sensus: Omni tempore non sic sicut stultus metuet, qui in præceptis Dei permanet semper, quia per obseruationem mandatorum Dei firmatur & munitur contra omnium malorum timorem. Quod si coniunctionem, &, addere placet, sensus idem erit: Omni tempore non metuet sic sicut stultus, etiam ille qui in præceptorum Dei obseruatione semper persistit. Similis est ergo hæc doctrina superioribus similitudinibus significata ei quam suo sermoni in monte habito subiecit Dominus, dicens: Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapiẽti, qui ædificauit domũ suam supra petram, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit.

Matt. 5.

20 *Pungens oculum deducit lachrimas, & qui pungit cor, profert sensum.*

Nouum hic orditur Sapiens argumentum, tractans de conseruanda amicitia, ostendẽnsque quibus rebus illa maximè lædatur. Hac ergo prima sententia significat, quòd quemadmodum. is qui oculũ alterius pungit, facit defluere ex illo lachrymas: ita qui pungit amici cor, iniuriis scilicet & contumeliis velut quibusdam aculeis illud exagitando, efficit vt illud declaret se sentire, & signa doloris ædat, quemadmodum oculus læsus declarat sensum suum & dolorem lachrymarũ profusione. Itaque subaudienda est particula similitudinis, vt sit sensus: Sicut pungens oculum lachrymas deducit, ita qui pungit cor, &c. Pulchra enim comparatione oculus confertur cordi, quia sicut oculus membrum tenerrimum facillimè lædit̃r, & læsionem suam mox lachrymis testatur: ita & cor hominis, in quo iræ dolorisque sedes est, facilè iniuriis aliorum commouetur, suàmque commotionem declarat. Monere ergo vult, vt caueamus ne mordacitate aliqua verborũ aut centumeliis, cuiusquam animum offendamus, ne illum contra nos temerè excitemus. Porrò pro, sensum, hic iam non est, σώνεσιν, sed κίνησιν, quod significat id quod propriè Latinis dicitur sensus vel sensatio.

21 *Mittens lapidem in uolatilia deijcit illa, sic & qui conuitiatur amico, dissoluet amicitiam.*

Lapidi in volatilia iacto: comparat conuitium amico obiectum, quòd per conuitium amicus impetatur, quasi per iactum in se telum aut lapidem. Sicut ergo, inquit, qui proiicit lapidem in aues, deiicit illas è loco in quo sedent, & auolare eas facit: ita qui cõuitio & probro impetit amicũ, dissoluet amicitiam, eàmque instar auium subitò auolare faciet. Quo significat in amicitia maximè cauendum à conuitiis & propris, vt quæ omnium minimè feruntur ab amicis, quorum est amicum honore afficere, eiúsque probra vel diluere vel tegere. Quàm sit in amicitia cauendum à probris magis significat, cùm subiicit:

22 *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes, est enim regressus.*

23 *Ad amicum si aperueris os triste, nõ timeas, est enim concordatio.*

24 *Excepto conuitio & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plagã dolosa: in his omnibus effugiet amicus.*

Quod ad lectionem attinet, notandum, quòd quanquam omnes penè codices habeant, aperuerit, in tertia persona, legendum tamen esse in secunda persona, aperueris, patet non tantùm ex Græcis, sed etiã ex

i 5 Rabano,

Rabano,qui legit,aperueris , ſicut in præcedenti ſententia eſt verbum ſecũdę perſonæ produxeris.pro quo etiam quidam codices corruptè habẽt,produxerit.Itaq; etiã illud, Ad amicũ,ſecũdo loco poſitum, magis iungendũ eſt verbo,aperueris,quàm præcedentibus. Significare ergo vult quàm amicitiæ obſint probra & cõuitia in amicum iacta , vt per quæ fiat vt minus amicus recõciliari poſſit,quàm ſi gladio ex ſubita ira impetitus eſſet.Oſtenditque inter offenſiones quę inter amicos exiſtũt,quaſdam eſſe recõciliabiles, quaſdam irreconciliabiles. Reconciliabiles offenſiones duplices ponit , quarũ vna in facto conſiſtit,altera in verbis , ſtringere ſcilicet gladium in amicũ,& aperire cõtra illum os triſte per verborum amarulentiam , quia vtrũque horũ cõtingit per ſubitam iram,& impræmeditatã animi feſtinationẽ : ideóq; offenſione hinc nata nõ eſt deſperãdum derecõciliatione, nec metuendũ ne non poſſit amicitia recuperari, ſed ſperãdum quod ad eam regreſſus futurus ſit, & obtineri diſſidentium concordatio & reconciliatio.Concordatio,enim legendum eſt , non recordatio,vt quidam libri malè habent , cùm Græcis ſit διαλλαγή.Ponit autẽ quatuor vel quinque,quæ dicta vel facta, omnem in gratiam aditum præcludunt, & irreconciliabilem pariunt offenſionem. Quorum primum , eſt conuitium vel improperium. nam pro his duobus vnum tantum eſt Græcis: quãquam ſic diſtingui poſſint,vt conuitium, ſit probri alicuius obiectio : improperium , beneficij collati exprobatio.Nam hæc duo vehementer lædunt amicitiã , & maximè conuitium, quia amici eſt amicum honorare, vt dictum eſt. Secundum, eſt ſuperbia , per quam hic ſignificatur elatio animi amicum præ ſe deſpicientis,quæ etiam directè amicitiæ repugnat, quæ æqualitatem quãdam amicorum expoſtulat. Tertium , eſt myſterij , hoc eſt, ſecreti quod amicus amico commiſit,reuelatio.& quartum,plaga doloſa,hoc eſt, iniuria inſidioſè fraudulentérq; illata.Quæ quatuor in amicitia ita ſunt odioſa,vt cum fiunt aut dicuntur , amicos ſine reconciliationis ſpe alienare ſoleant.vnde dicit,In his omnibus,hoc eſt , per hæc effugiet amicus , hoc eſt.omnino alienabitur , vt in plurimum ſcilicet,& ex natura illarum iniuriarum.

25 *Fidem poſſide cum proximo in paupertate illius,ut & in bonis illius læteris.*

26 *In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres ſis.*

MOnet fidem poſſidere , hoc eſt , fidelitatem ſeruare cum proximo in aduerſis ipſius. Sic enim futurum , vt aliquando etiam fœlicitatis eius quis particeps fiat. Siquidem amicitia omnia facit cõmunia. Vnde Dominus Apoſtolis dixit : Vos eſtis qui permãſiſtis mecum in tribulationibus meis: Et ego diſpono vobis , ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum , vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. *Matt. 5.*

27 *Ante ignem, caminti uapor & fumus ignis inflammatur,ſic & ante ſanguinem maledicta, & contumeliæ,& rixæ.*

MOnere vult hac ſententia ſtudioſè fugiendas eſſe acerbas & maledicas verborum contentiones & conuitia , quòd hæc ſequi ſoleat ſanguinis effuſio & cædes, ſicut fumum ſequitur flamma ignis,omnia deuorans & conſumens.Conſequuntur enim res ſuas cauſas,ex quibus rhetores coniecturas ſuas confirmare ſolent, atque ita concludere:Iurgatus eſt cũ illo,ergo & occidit : ſicut ex egreſſo fumo per caminum,colligitur ſecuturam ignis flammã. Quod enim dicitur hic,ante ignẽ,intelligendum eſt, ante flammam ignis comburẽtem.Pulchrè autem fumus conuitijs,ignis verò cædibus comparatur , quòd conuitia ex animo irato velut fumus egrediãtur, nec in ſeipſis quidem nec dum lædant,ſicut fumus non adurit , ſed tamẽ poſt ea cædes ſequãtur,cùm animi hinc inde ſint inflammati,quæ velut ignis homines grauiter lædunt & perimunt.

28 *Amicum ſalutare non confundar , & à facie illius non me abſcondam.*

29 *Et ſi mala mihi euenerint per illum,ſuſtinebo : omnis qui audiet,cauebit ſe ab eo.*

VAria in his ſententiis eſt lectio. Nã multi legunt in ſecunda perſona ; non confundaris;vnde etiam quidam libri in ſequẽtibus habent per ſecundam perſonã; non te abſcondas.Et ſi mala tibi euenerint per illũ, ſuſtine. Sic enim præter alios habuit codex Beſſarionis.Alij ſicut per primam perſonam habent,nõ abſcondã & ſuſtinebo , ita etiam habent,non cõfundar,quomodo etiam Rabanus legit,atque hanc eſſe verã lectionem Græca docent,quæ vbique habent primam perſonam.Et Ambroſius quoque lib. 2. Offic.cap.7.legit: Amicum ſalutare non erubeſcam.Videri autem poſſet interpretem vertiſſe non,ſalutare,ſed , ſaluare , quia Græcis eſt σωπάσαι , hoc eſt , regere & tueri: verùm cùm omnes libri conſtanter habeant , ſalutare , veriſimile magis eſt interpretem legiſſe ἀσπάσαι. Illud enim vertere ſolet , ſalutare, vt ibi:Etſi ſalutaueritis fratres veſtros tantũ, &c.Senſus ergo eſt : Etiamſi contingat amicum eſſe me inferiorẽ,aut auerſam aliquam incidere fortunam,ego tamẽ per ſuperbiam non verecundabor ipſum ſalutare atque cõplecti,aut protegere atque tueri, nec tunc à facie illius me abſcondam , vt ſolent facere amici ficti , ſed fidum me illi in aduerſitatibus exhibebo , honorando illum & conſolando , atque ab aliorum iniuriis defendendo.Quòd ſi contingat mihi per illius ingratitudinem vt mala mihi bene de illo merito proueniant ab ipſo,ego quidem patienter ſuſtinebo,aut mala illa ferre cogar:at omnis qui audiet enarrari illius ingratitudinẽ, meo exemplo edoctus cauebit ſe ab eo,nec cum illo familiaritatem & amicitiam inire volet , vt qui in bene de ſe meritum tam ingratus reperiatur. Itaque his ſententiis ſe proponens in exemplum indicat quid fieri deceat in amicitia ,& quid non debeat fieri. *Matt. 5.*

Porro

Porrò verbum , fuſtineo , in Græcis non eſt, quæ tantùm habent ; Etſi mala mihi euenerint per illum,omnis qui audiet,&c.

30 *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum?*

31 *Vt non cadam in ipſis , & lingua mea perdat me?*

QVandoquidem oſtẽdit conuitia amiciriæ admodum eſſe noxia , & contingere aliquando vt mala irrogentur ab amicis quæ ad maledicendum viciſſim prouocent, ſciens facilem eſſe linguæ lapſum, optat ſibi donũ continentis linguæ,quo ita os eius cuſtodiatur , & labia eius quaſi appoſito ſigillo conſignẽtur, ne per ea labia in aliquam perniciem aut peccatum prolabatur,ipſaq; lingua perditionis eius ſit occaſio.Quod enim dicit;Quis dabit ? phraſi Hebraica eſt optantis,valẽtque ac ſi dicatur:O vtinam mihi aliquis det ; videtúrque alluſiſſe ad illud Pſal. 140. Pone Domine cuſtodiam ori meo , & oſtium circũſtantiæ labiis meis. Quare mox deſiderium moderationis linguæ , in capite ſequenti commutat in precationẽ ſermone ad Deum conuerſo,quem nouit temperãtis linguæ authorẽ,iuxta illud Prouerb. 16. Hominis eſt animũ præparare , Domini autem gubernare linguam.Itaq; ab hac potius ſententia ſequens caput auſpicandũ erat. Citat hunc locum D.Auguſt.lib.de gratia & liber. arbit.cap. 16. & logit , ſignaculum aſtutum, quia Græcis eſt πανοῦργον, quod aſtutum magis ſignificat quàm certum. Vnde ſignaculum certum intelligendum eſt ſignaculum prudens , quod certis ſolidiſque nititur rationibus. Adducit autem hunc locum , vt ex orationibus , quæ hic funduntur à Sapiente contra vitium linguæ , oſtendat illum inſinuaſſe neceſſitatem gratiæ Dei , ſicut idem ſignificauit libertatem noſtri arbitrij,cùm ſupra dixit:Si volueris , conſeruabis mandata.

Caput XXIII.

1 *Domine pater , & dominator uitæ meæ , ne derelinquas me in conſilio eorum , nec ſinas me cadere in illis.*

THic quoque varia eſt lectio. Nam plerique libri habent,in cogitatu & conſilio eorũ. Quidam verò tantùm habent , in conſilio eorum , ſicut & Græca.Auguſtinus in Speculo tãtùm habet;Nerelinquas me , & ne ſinas me cadere in illis. Sic legit & Rabanus.Iam relatiuum,eorum, quoniam videtur ad impios pertinere , quidam legunt;in conſilio impiorum.At relatiuum illud magis referendũ eſt ad labia,quæ conſignari optauit ſuperiori ſentẽtia. Quòd enim ibi optauit, hic iam à Deo ſibi donari poſtulat.Petit autẽ ſe non derelinqui à Deo in conſilio labiorum ſuorum, hoc eſt , vt ad ea proferenda prorumpat ad quæ labia propenſa ſunt,queq; ipſa labia ſuggerere videntur homini eſſe dicenda. Nam , vt ſuprà dictum eſt,cor ſtultorum in ore ipſorum. Vnde ſubdit; nec ſinas me cadere in illis , ſcilicet labiis meis , hoc eſt , per mea labia. Sic enim legendum eſſe , quamuis plures aliter habeant , Græca docent. Et ſic legit Rabanus , qui ad labia hæc refert , & Dionyſius. Alia tamẽ lectio quæ magis obtinuit, habet; nec ſinas me cadere in illa exprobratione, vel in illam exprobrationẽ.nam etiam ſic legitur.Cuius ſenſus eſt:Non ſinas me cadere in illud,de quo ſuperius dictum eſt , improperium & conuitium , vt ſcilicet per intemperantiam linguæ amico cõuitier,aut vt mihi illud exprobrari poſſit quòd amico ſim conuitiatus. Appoſitè autem Deum , & patrem vocat & dominatorẽ vitæ ſuæ,vt ſignificet pertinere ad eũ qui vniuerſæ vitæ ſuorum moderator eſt,etiam linguam hominis moderari & cohibere.

2 *Quis ſupponat in cogitatu meo flagella , & in corde meo doctrinam ſapientiæ : vt in ignorationibus eorum non parcant mihi,& non appareant delicta eorum.*

3 *Et ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea,& peccata mea abundent:& incidam in conſpectu aduerſariorum , & gaudeat inimicus meus.*

REctius legitur , ſuperponat vel ſuperponet,vt habẽt libri quidam correctiores, quàm ſuperponit , vt ferè legitur.Græcis enim eſt, ἐπιθήσει, ſuperponet vel apponet. Sicut enim ſuprà optauit ſibi donari linguæ moderationem , quàm deinde à Deo rogauit:ita nũc ſimiliter optat animi moderationem ſibi obtingere, ſubiiciens etiam orationem ad Deum.Animi autẽ partes ſunt duæ. Vna,quę vim habet cogitandi,vnde dicit,in cogitatu meo:altera, quæ poſita eſt in appetitione, quæ nomine cordis plerũque ſignificatur,vt & hic.Altera cæca eſt & ignara,niſi à Deo illuminetur ac doceatur : altera immoderata eſt & diſſoluta,niſi à Deo regatur, & cohibeatur veluti flagellis quibuſdam. Optat ergo his ſuis animi viribus opponi & doctrinam ſapientiæ,qua intelligãt quæ bona ſunt,& caſtigationem atque coertionem per flagella ſignificatã,qua à malis cupiditatibus refrenentur.Vt,inquit,in ignorationibus eorum,nẽpe cogitatus & cordis.(Græcè eſt,in ignorationibus meis) nõ parcãt mihi, flagella ſcilicet & doctrina ſapiẽtiæ , hiſque magiſtris cohibẽtibus & caſtigantibus, non appareãt delicta cogitatus & cordis,hoc eſt, non prorumpant in opus ea delicta ad quæ mens hominis ſibi relicta , per cæcitatem & libidinem propendet , ne multiplicatis ignorantiis & delictis meis,corruam in conſpectu aduerſariorum meorum , illiq́ue de meis malis & perditione gaudeant atque lætentur.Inſignis ſanè eſt hic locus, docẽs hominem ad bene viuendum duplici egere gratia, nimirũ & gratia illuminationis,& gratia coertionis à malo,hominémque ſibi relictum errata erratis , & peccata peccatis cumulare,ſicque pernicie ſibi accerſere, cum gaudio inimicorum ſuorũ , ſiue hominum, ſiue

ſiue dæmonum. Cùm ergo ſciret ſine gratia Dei vitia ſe cauere non poſſe, oratione rurſum ad Deum fuſa, Deum alloquitur:

4 *Domine pater, & Deus uitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.*
5 *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me.*
6 *Aufer à me uentris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.*

Aug. de grat. & liber. arb. cap. 16. GRęca non habent illam partem; ne derelinquas me in cogitatu illorum; ſicut nec eſt apud D. Auguſt. qui hunc locũ, ſicut diximus tractat, vbi paucioribus verbis hũc habet locũ, omnino concordans cum Græcis, vt dolendũ ſit non ea lectione deſtitutos eſſe, qua ipſe in hoc libro vſus eſt ſuo tẽpore. Habet enim ſic: Domine pater, & Deus vitæ meæ, elationẽ oculorum ne dederis mihi & concupiſcentiã auerte à me. Vẽtris appetitio & concubitus non apprehẽdant me. In noſtra lectione cùm dicitur; ne derelinquas me in cogitatu illorum; vel poteſt referri relatiuum, illorum, ad aduerſarios & inimicos, de quibus dictũ eſt in ſuperiori ſententia, vt ſit ſenſus: Ne derelinquas me vt in me hoſtes mei perficiant quod cogitant, aut in me videant fieri quod cupiunt, quódq; euentu rum cogitãt. Aut ne derelinquas me vt talia cogitem, qualia illi, nempe mala. Vel poteſt potius relatiuum, illorum, referri ad cogitatum & cor, vt ſicut ſuperius orauit ne relinqueretur in conſilio labiorum, nunc oret ne relinquatur in cogitatu animi & cordis ſui, ita ſcilicet vt ſibi relictus ea cogitet & faciat, quę intellectus & voluntas hominis, cùm Dei gratia deſtituũtur, homini ex ſeipſis ſuggerũt, qualia ſunt quę ſequuntur, vbi rectè primũ deprecatur ſuperbiã, dicẽs: Extollentiã, hoc eſt, elationẽ oculorũ ne dederis mihi, hoc eſt, ne te deſerete habeam, aut me habere ſinas. Quibus verbis præcatur ſuperbiam à ſe per Dei gratiam auferri, ne ſcilicet ſit animo elato, & per elationẽ animi elatis incedat oculis. Secundò, in genere precatur auerti à ſe omne deſiderium, carnale ſcilicet, quod in ſcripturis concupiſcẽtia ſæpius dicitur, quomodo hic legit Auguſtin. Quo nomine hic rectè accipitur duplex illa concupiſcentia, quæ duobus vltimis decalogi
1. Ioã. 2. præceptis prohibetur, quam Ioannes diſtinguit in concupiſcentiam carnis & concupiſcẽtiam oculorum. Niſi hic peculiariter placet accipere de concupiſcentia rerũ alienarum, vel concupiſcẽtia oculorũ, vt ad nomẽ, deſiderium, repetatur ex priori mẽbro, oculorũ, quia ſequenti ſententia peculiariter fit mentio de concupiſcẽtia carnis. Addunt aliqui adiectiuũ, prauum vel malignũ, legẽtes, omne deſiderium prauum vel malignũ, ſed plerique libri correctiores, inter quos eſt codex Beſſar. ſicut & Gloſa Ordinaria, neutrũ adiectiuum habẽt, ſicut nec Gręca. Sequẽti ſententia deprecatur iuſtus concupiſcẽtiam carnis, quę admodum efficax eſt in hominibus, & niſi ſingulari Dei gratia ſuperari poeſt: eſt autem duplex, nam altera conſiſtit in appetentia cibi & potus, quę venter auidè & intẽperatè ſemper deſiderat, vnde dicit: Aufer a me ventris concupiſcentias, ne ſcilicet immoderatè eas ſequar, mihíque dominentur. Altera conſiſtit in appetentia rerum venerearum, vnde dicit: & concupiſcẽtiæ concubendi non apprehendant me; vel, vt potius vertendum erat, non cõprehendant me aut occupent. Id enim ſignificat verbum καταλαβέτωσαν, ita vt precetur ne concupiſcentiæ venereæ ipſi dominentur, ipſumque ſibi deuinctum & addictum habeant, & quouis trahant. Duplicem hanc carnis cõcupiſcentiam etiam Paulus cõiunxit, cùm dixit: Non in comeſſationibus & ebrietatibus, nõ in cubilibus & impudicitiis. Quod autem ſequitur; Et animæ irreuerenti & infrunitæ, vel, vt multi habent, Et animo irreuerenti & infrunito ne tradas me; quidam intelligunt quaſi nolit tradi animo alterius impudẽti & ſtulto, hoc eſt, homini improbo, inuerecũdo ac ſtolido. Sed melius refertur ad animum eius qui orat, vt hac parte precetur ab omni impudentia & inuerecundia liberari, quæ multorum vitiorum, & maximè carnalium in tactibus & aſpectu, etiam citra concubitũ mater eſt: ſicut contra verecundia & pudor, mater eſt & cuſtos omnium virtutum, ſed imprimis caſtitatis & continẽtię. Itaque ſenſus erit; ne tradas me animæ irreuerenti vel inuerecundæ, hoc eſt, ne ſinas me tradi illi, ita vt ipſa mihi dominetur, & ego talẽ animam habeam mihi dominantem. Porro dictioni, infrunitę, nihil reſpõdet hoc loco apud Gręcos. Significat autẽ apud veteres, quãquam eius rarior eſt vſus, ſtolidum & imprudentẽ, putatúrque deriuari ab antiquo verbo fruniſcor, hoc eſt, fruor, vt infrunitus, ſit, cuius nõ eſt vllus vſus, vel potius qui rebus frui nõ nouit vt oportet. At noſter interpres hãc dictionem videtur poſuiſſe pro inexplebili & guloſo, quia poſteà cap. 31. cùm vertit: Vigilia & cholera & tortura viro infrunito, pro dictione, infrunito, Græcis eſt ἀπλήστου, hoc eſt, inſatiabili. quæ ſignificatio rectè huic etiam loco quadrat, vt ſignificetur ſapientẽ rogare ne animam habeat & inuerecundam & inſatiabilẽ, qualis eſt anima guloſorũ, & eorum qui moderatè nõ vtũtur libidine. Vt autem quis ſit ſic effuſus ad cibum, & ad libidinem inuerecundus, efficit ſtoliditas inuerecũdiæ mater: ſicut contrà honeſtatis & pudoris mater eſt ſapientia, vt rectè etiam nomen, infrunitus, hoc eſt ſequenti loco accipi poſſit pro ſtolido & imprudenti.

Rom. 13.

7 *Doctrinam oris audite filij, & qui cuſtodierit illam, non periet labijs, nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis.*

POſt preces ad Deum fuſas, redit ad docendi officium, imprimis docens quæ vitia linguæ vitanda ſint, à quibus primum rogauit Deum vt liber eſſe poſſet. Itaq; doctrinam oris non vocat eam quam iam ore ſuo prolaturus eſt, ſed quã de ore & lingua moderanda traditurus eſt, quẽadmodum etiam Rabanus indicauit. Hãc doctrinã qui ſeruauerit,

uerit, nõ peribit per labia ſua, quia liber erit à malis illis, in quæ vitia linguæ hominem perducunt. Nec ſcandalum patietur, aut offendiculum & ruinam per nequiſſima opera linguæ, qualia ſunt, mendacium, maledictio, periurium, detractio, & id genus alia, quæ vitioſa ſunt linguæ opera, à quibus qui liber eſt, à multis incommodis præſeruatur, quia, vt dicitur in Prouerb. cap. 21. Qui cuſtodit os ſuũ, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam. Non ergo hic, ſcandalizari, accipitur pro, ſcandalum peccati pati ex aliorum factis vel dictis, hoc eſt, aliorum exemplo ad peccatum aliquod inclinari, ſed pro impingere, offendere, & labi in aliquod incommodum & malum pœnæ, vt & alibi in hoc libro accipitur, & mox in ſequenti ſententia. Græca tantùm habent; Et qui cuſtodierit, non capietur in labiis ſuis.

8 *In uanitate ſua apprehendetur peccator, & ſuperbus & maledicus ſcandalizabitur in illis.*

PRo, in vanitate ſua, Græcis eſt, ἐν τῇ ἀφροσύνῃ αὐτοῦ, hoc eſt, in ſtultitia ſua. Et, apprehendetur, rurſum eſt poſitum pro comprehendetur. Eſt enim rurſum verbum καταλαμβάνομαι. Significat ergo, peccatorem per vanitatem verborum ſuorum & ſtultiloquium, capiendum & opprimendum multis malis. Quoniã enim dixit ſuperiori ſententia, eum qui cuſtodit doctrinam oris, non periturum labiis: hic iam contrà indicat, qui per labia ſua occupandi ſunt malis, & in multa incommoda prolapſuri, peccatores ſcilicet ſtultiloqui, & maximè ſuperbi, qui præ animi ſuperbia non verẽtur aliis maledicere & conuitiari. Maledicus, enim legendum eſt, & ſi non maledictus, cùm Gręcis ſit, λοίδορος. Simúlque inſinuat vnum vitiũ linguæ à quo cauẽdum ſit, nempe maladicentiam, de qua apertius poſtea.

9 *Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa.*
10 *Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus ſanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis,*

INter reliqua linguæ vitia cauenda, imprimis monet cauenda iuramenta, non quidem in totum prohibens iuramentum, ſed prauam conſuetudinem iurandi, quod per iurationem frequentatam multis modis cadere & peccare contingat: quoniam qui ſæpe iurat, & frequenter peierat, & ſaltem ſæpe fruſtra atque ſine cauſa iuſta iurat, quod citra peccatum non committitur. Et Iſocrates quoque docet non dandum iuſiurãdum niſi neceſſitas cogat, vel noſtra vel amicorum ſalus in diſcrimen vocetur. Sic & Chriſtiani duas potiſſimùm cauſas habent ob quas iurare poſſint, vnam gloriæ Dei, alteram ſalutis atque vtilitatis proximorũ. Quoniam autem a iuramentis illis maximè cauendum eſt in quibus expreſsè Deus nominatur: item quia non tantùm in temerariis iuramentis nomini diuino fit iniura, ſed etiam quandocunque nomẽ Dei vanè aſſumitur in ore, ideo ſubiungit; Nominatio verò Dei non ſit aſſidue in ore tuo; ſiue id fiat in iuramento, ſiue extra iuramentum, contra morem quorundam, qui ad ſingula penè verba vel iurant, vel Deum leuiter nominant, quod eſt contra ſecundum Decalogi præceptum, quo præcipitur: Ne nomen Dei aſſumamus in vanum. Additur autem in noſtra verſione; Et nominibus ſanctorum non admiſcearis; hoc eſt, non admiſceas te in nominãdis leuiter & ſine reuerentia ſanctis rebus, vel ſanctis hominibus, vt fit cùm iuratur temerè per ſanctos aut per ſanctas res, vt per templum, per altare, per Ieruſalem, quod prohibet etiam Dominus in Euãgelio. Nam dictio, ſanctorum, poteſt accipi, vel vt ſit maſculini generis, vel vt ſit neutri. Vnde & cùm ſubiungitur; quoniam nõ eris immunis ab eis; relatiuum, eis, non refertur ad genitiuum, ſanctorum, ſed ad nomina vel nominationes ſanctorum; vel ad res prædictas. & eſt ſenſus: Non eris propter illas nominationes, aut propter talia quæ dixi, immunis à Dei vindicta, & innoxius vel impunitus. Alluditur enim ad illud quod in ſecundo pręcepto additur: Non enim habebit Dominus inſontẽ eum qui aſſumpſerit nomen Dei in vanum. Græca tantùm habent vnam ſentẽtiam; Iuramento non aſſuefacias os tuum, & nominationi ſancti (nempe Dei) non aſſueſcas. Tum ſubiungitur: *Matt. 5.*

11 *Sicut enim ſeruus interrogatus aſsiduè, à liuore non minuitur: ſic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur.*

INterrogatus, hic poſitum eſt pro verberatus, & torturæ vel flagellis ſubiectus, quomodo Latinis quæſtio ponitur pro tortura, quæ eruendæ veritatis cauſa fit à iudice. Sicut ergo, inquit, ſeruus qui à domino ſuo aſſiduè in quæſtionem vocatur, & flagris cæditur, non minuitur à liuore, hoc eſt, non habet defectum liuoris, nec caret vibicibus: ſic omnis iurans & nominans Deum, aſſiduè ſcilicet, in toto, hoc eſt, penitus non erit liber à peccato. Qua ſimilitudine ſignificatur, quòd quemadmodum ſeruus ſæpe vapulans, diuerſa & multa ſigna verberationis in corpore ſuo exhibet; ita & frequenter iurans non poteſt non aperta eáque varia peccati indicia aliquãdo præbere. Item quod ſicut ſeruus flagellis in corpore multũ maculatur, ita & frequentans iuramẽta, polluitur in conſciẽtia, & multas maculas cõtrahit, & cùm Deum videatur iniuria afficere temerè iurando, ſeipſum potius flagellat, lædit, & diuinæ vltioni ſubiicit, quemadmodum adhuc clarius ſequenti exprimitur ſententia.

12 *Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga.*

MVltis verbis & ſententiis exprimit Sapiens id quod dicitur in ſecundo pręcepto. Non enim habebit Dominus inſontẽ &c. vt à praua iurandi conſuetudine multis, vſitata auocet. Vir, inquit, multũ iurans, non ſolùm non erit penitus liber à peccato, ſed replebitur iniquitate, multiſque peccatis ſubiicietur,

subiicietur,& ideo etiam plaga & vltio diuina nõ cessabit à domo & familia eius. Patet huius veritas in Saule; qui vt erat facilis nimis ad iurandum,ita iurando sæpius peccauit & à Deo grauiter punitus est & in se, & in familia sua.

13 *Et si frustrauerit, delictum illius super ipsum erit & si dissimulauerit,delinquet dupliciter.*

14 *Et si in vacuum iurauerit, non iustificabitur repletur enim retributione domus eius.*

PRo,frustrauerit,Græcis est πλημμελήσῃ. Et omnino verisimile est authorem respexisse hic ad locum qui est Leuit 5. vbi huius verbi multus vsus est pro eo qui per errorem delinquit,tribuitúrque etiã illi qui perperam iurat;vbi nos legimus: Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis suis vt vel malè quid faceret vel bene,& idipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitáque postea intellexerit delictum,suum,&c.Ex quo capite etiã intelligere licet quid sit quod hic dicitur,delictum illius super ipsum erit.Id enim est quod ibi dicitur, portabit iniquitatẽ suã, vel peccato subiacebit.hoc est,etsi per ignorãtiam peccauit, & inuertentiã,nihilominus tamẽ peccatum suum agnoscere & expiare tenebitur. Quomodo autẽ id fieri debeat,subiungitur cum dicitur; Agat pœnitẽtiam pro peccato(vel,vt habent Hebræa, cõfiteatur peccatũ suũ) & offerat de gregibus agnam siue caprã,&c. Ad quod etiam videtur hic author respexisse cum subiũgitur;Et si dissimulauerit,delinquet dupliciter; vt sit sensus: Si dissimulauerit delictum suum in quod incidit iurando temerè & per ignorãtiam, hoc est,si neglexerit delictum suum iuxta legis præscriptum expiare, delinquet dupliciter,quia & peccauit iurãdo,& peccat non exipiando peccatum suum,Hic videtur esse genuinus huius loci sensus,iuxta quem nostra lectio sic est accipienda. Si qui iurat frustrauerit iuramentum (non enim legendum est,frustrauerit fratrem, cum accusatiuum,fratrem,nec Græca habeant,nec Rabanius,nec libri correctiores impressi(hoc est, si frustrà protulerit iuramentum, ita vt non adimpleuerit quod iurauit)etiamsi per ignorantiam & obliuionem id acciderit,peccato tamẽ subiacebit, suúmque peccatũ portare & expiare obligatus erit: Si autem dissimulauerit delictum suum, illùdque agnoscere & exipiare neglexerit,aut,vt est Græcis ὑπερίδῃ, hoc est,contempserit,delinquet dupliciter. Potest &,frustrauerit, accipi positũ pro frustratus fuerit, aut errauerit, vt significetur qui per obliuionem prætermiserit iuramentũ suum implere,& qui per inaduertẽtiã iurauerit. Sic enim correspõdet verbo Græco In sequenti sententia per, in vacuum iurantem,vel,vt est Græcis,ἀλαζῶσι, hoc est,inaniter & frustrà, rectè quidam intelligunt eum qui leuiter & nulla de causa iurat, quíq; illud facit nec cum suo commodo, nec cum alterius incõmodo,vt istud subiectũ sit contra eos qui putãt se à crimine liberos esse, si iuramẽto leuiter emisso nemini noceãt. De tali ergo dicit,quóc non iustificabitur, hoc est,non habebitur apud Deũ iustus & innocens,sed reus & vindictę obnoxius.quia domus & familia eius replebitur retributione, hoc est,digna & promerita vltione,nec sinet id Deus inultum.Pro quo rursum est Græcis ἐπαγωγῆς,hoc est,vltione.Quod autem in quibusdam libris additur,pessima,à quibusdam explicandi causa additũ est, cùm in multis libris non sit,sicut nec in Græcis.

15 *Est & alia loquela contraria morti,non inueniatur in hæreditate Iacob.*

QVoniam absurdum visum est quibusdam, vt loquela illa, de qua loquitur, cùm mala sit,dicatur contraria morti,mutauerũt quidam illud in ecõtrariò in mortem. Et Lyranus legit contraria in mortem quanquã & alterius meminit lectionis.At ex Græcis satis apparet interpretem potius vertisse, cõtraria morti,cum habeant ἀντιπεριβεβλημένα θανάτῳ, quod sonat, vestita morte, sed interpres vertit quasi legisset ἀπηβεβλημένα.Id enim est,oppositа vel contraria.Non est autẽ Græcis; alia loquela;sed tantùm ἑτέρα λέξις, est loquela vel sermo. Vnde sunt qui adhuc hæc dicta putant de iuramento, vt significetur esse iuramentum quod morte sit obuolutum,vtpote periurium. Verũ cùm in veteri lege iuramẽta temeraria & periuria non legantur morte punienda esse, rectius videtur hic post sermonem de iureiurando,subiecisse de alio linguæ vitio longe peiore, vtpote quod morte sit puniendum, quódque peculiariter à progenie Iacob & populo Israelitico abesse cupiat tanquam illo maximè indignum. Id omnino verisimile est ipsum voluisse significare esse blasphemiam & maledictionem Dei, vitium adeò enorme,vt nec nominari sustineat,ita vt nomine benedictionis Dei aliquãdo significetur tectè & per antiphrasin, vt ibi: Benedic Deo, & morere. Hoc vitium vestitum & obuolutum est morte, quia præceptum est vt blasphemus lapidetur & occidatur, vt patet Leuit.24.Proinde rectè noster vertit. Est & alia loquela.Cùm autem sequitur;cõtraria morti;datiuus,morti,non videtur construendus cum contraria,sed cum verbo,est, vt sit sensus:Est etiam alia loquela prædictæ contraria,quæ est in mortem,hoc est,quæ mortem mox adfert.Iuxta Lyranum in datiuo, morti, subintelligitur obligata vel destinata. Rectè autem blasphemia dicitur vitio de quo prius dictum est,nempe iuramento,cõtraria, quia iuramentum videtur habere Dei honorationem,vt qui in testem tãquam veracissimus adhibetur:at blasphemia apertã habet Dei inhonorationẽ. Aut si datiuus. morti,construatur cum adiectiuo, cõtraria, intelligendum est hanc de qua loquitur loquelã cõtrariam dici morti, quia mortẽ habet sibi quasi è regione oppositã, & proinde vicinam & correspondentem,quomodo dicit Dominus:Ite in castellum quod contra vos est,hoc est, quod è regione vestri est, & in prospectu vestro,vobisque vicinum. *Iod.2.* *Mat.11.*

16 Etenim

16 *Etenim à misericordibus omnia hæc auferentur, in delictis non volutabunt.*

MAlè quidam habent,voluptabũt, cùm legẽdum sit,volutabunt, vt multa habent scripta,vel volutabuntur, vt iam habẽt libri correctiores impressi. Id enim satis declarant Græca,quę habent ἐγκελισθήσονται,hoc est,inuoluentur.Pro, misericordibus, Græcis est ἀνσεβῶν, hoc est, piis, qui scilicet piè Deum colunt, & ob id quàm longissimè absunt ab impietate blasphemiæ & periurij, atque temerarij iuramenti, per quæ Deus dehonestatur, eiùsque nomen iniuria afficitur. Qui autem sic verè pij sunt in Deum, etiam sunt misericordes & in seipsos, bene facientes animæ suæ,& in proximos propter Deum. A talibus auferentur & elongabuntur illa grãdia vitia,quia & ipsi ab eis suã voluntate abhorrebunt, & Dei gratia protegẽ
Pſal.34. tur ne in talia incidant. Redimet enim Dominus animas sanctorum suorum,& non delinquent omnes qui sperant in eum. Vnde etsi aliquando in vitia quædam impingant, non tamen volutabunt se, nec inuoluẽtur in delictis,maximè talibus,sic vt ab eis occupentur,& in eis hæreant.Nam,vt habet Ioan
1.Ioã.3. nes,Qui manet in Deo non peccat.& : Omnis qui natus est ex Deo,peccatum nõ facit.

17 *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum, est enim in ea verbum peccati.*

PRo, indisciplinatæ loquelæ, Græcis est in æditione Germanica,quæ nostræ versioni maximè conformis est, ἀπαιδευσία ἀσυφῆ, hoc est , ineruditioni molestæ, vel rusticitati temerariæ. Quidam legunt; Indisciplinosæ loquelæ.Apud Augustinum in Speculo legitur tantum,Indisciplinationi, Omnino videtur hic tertium vitium linguæ notare,à cuius assuetudine cauẽdum sit, nempe vitium irreuerentis locutionis, quæ vocatur indisciplinata loquela, quia eorum est qui non sunt bene instituti:sicut contrà bene institutorum est, reuerenter omnibus & maximè maioribus loqui. A rusticitate ergo verborum reuocat, quòd ea etiam non careat peccato, sed in ea sit verbum peccati, hoc est, sermo vitiosus. Peccatum enim est,non deferre etiam verbis honorem proximo, sed contumeliosè, durè & rusticè loquendo,alios ad indignationem prouocare. Et quoniam ad reuerentiam verborum parentes boni suos filios diligenter monent: Itẽ quoniã ipsa fidelitũ origo ex sanctis parẽtibus eos monet honestatis, ideo subiicit.

18 *Memento patris & matris tuæ : in medio enim magnatorum consistis.*

19 *Ne quando obliuiscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus improperium patiaris.*

20 *Et maluisses non nasci,& diem natiuitatis tuæ maledicas.*

VIdetur omnibus perpensis hic esse sensus : Vt rusticitati & verborum irreuerentiæ non assuescas,memor esto institutionis & peccatorum quæ à parentibus accepisti Memẽto item ex qualibus sis ortus parentibus,sanctis scilicet, & Deum verum colentibus : Consistis enim & conuersaris inter magnatos, nempe cultores Dei sanctos homines, sanctòsque angelos Dei, qui sunt in medio populi Dei, & contemplantur singulorum mores:vnde meritò tibi cauẽdum est ne coram talibus indecorè te geras, siue assuescas ineptè & inhonestè loqui. Ne alias quando eueniat, vt sicut tu noluisti meminisse præceptorum & reuerentiæ quam te docuerunt tui parentes, originis item tuæ: ita etiam vicissim eueniat vt Deus obliuiscatur tui in bonum, ad honorandum scilicet te in conspectu illorum magnatorum, in quorum oculis & auribus indecorè te hic gessisti. Atque tunc tu,qui iam mala loquẽdi assuetudine & assiduitate infatuatus es, improperium patiaris & ignominiam quando ex eorum consortio, cum quibus iam inquinet omnes qui sperant in eum. Vnde etsi aliquando in vitia quædam impingant, non tamen volutabunt se, nec inuoluẽtur in delictis,maximè talibus,sic vt ab eis occupentur,& in eis hæreant.Nam,vt habet Ioannes,Qui manet in Deo non peccat.& : Omnis qui natus est ex Deo,peccatum nõ facit.

21 *Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur.*

AVt notat hic aliud linguæ vitium à quo cauendum sit,nempe contumeliam & improperium : aut etiam hoc vitium pertinet ad illud quod modo dixit, indisciplinatam loquelam.Sub ea enim non tantum continetur

continetur verborum rusticitas,sed maledicentia omnis, conuitium, & id genus alia. Postquam ergo monuit non esse assuescendum imperitæ & ineruditæ loquacitati,subiungit eum qui assuetus fuerit verbis improperij,nunquam susceperturum meliorem institutionem,significãs eam consuetudinem ita firmiter adhærere,vt vel nunquã vel egrè diuelli ab homine possit,& contraria institutio suscipi:& proinde ab ea assuetudine maximè cauẽdum, vt per quam de homine ferè sit desperatum. Nec mirum, cùm improperiis & conuitiis assuetus facilè etiam in suum monitoré insurget,& pro salubri monitione conuitia regeret.

22 *Duo genera abundant in peccatis,& tertium adducit iram & perditionem.*

POst vitia linguæ procedit ad vitia operũ, sicut & prius in principio capitis, postquam precatus est linguę continentiã,deinde precatus est & vitæ totius temperantiam. Tria autẽ genera hominum scilicet esse dicit,quorum duobus tribuit abũdare in peccatis,vel,vt habent Græca,multiplicare peccata;hoc, est frequenter & incessanter peccare:tertium verò dicit adducere sibi iram, hoc est, grauem vltionem & pernicié. Quæ tria in sequentibus declarantur, quãuis hæc varia à diuersis accipiantur.

23 *Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur donec aliquid gluttiat.*

PRimũ hic genus indicatur quod abũdat in peccatis. Et significatur vitiũ aliquod in animo consistens,cùm hic dicatur de anima calida, in sequẽti verò versu de homine nequam in ore carnis suæ. Itaque hic ferè intelliguntur notari homines auari, qui animam habent calidam, & æstu concupiscẽtiæ inflammatam instar ignis, nec satiantur vnquam donec lucrum aliquod siue per fas siue per nefas conquirant: nec tamen etiam tunc satiantur,sed semper plus expetunt,instar ignis qui nunquam dicit,sufficit. vt est Prouerb.30.De his ergo rectè dicitur quòd abundant in peccatis,& multiplicant peccata,quia tales indies peccare contingit semper anhelantes ad quæstum. Quidam tamen hic non tantùm auaros notatos intel ligunt, sed in genere eos in quibus prauæ animi cupiditates,quales sunt ira,odiũ, auaritia, ambitio, cæteræque immoderatæ affectiones in animo ita efferuescũt vt contineri nullo modo valeant.Est enim animus hominis peccatoris instar fornacis exardescentis & perpetuò æstuãtis,qui non quiescit donec voti compos fiat.Vnde & Isaias cap. 57. Impij,inquit,quasi mare feruens quod quiescere non potest.Notãdum autem quod noster vertit; donec aliquid glutiat;melius ex Græcis vertidonec absumatur.Est enim κατεπόθη aoristus passiuus. Itaque significatur, quod quemadmodum ignis nõ extinguitur, priusquam maxima vi aquæ oppressus consumptúsque fuerit:ita etiã huiusmodi ardor feruórque cupiditatum in animo hominis. vt in plurimum non antè extinguitur,quàm ipse homo morte consumptus fuerit. Bene ergo de tali hominum genere dicitur,quod multiplicant peccata.

24 *Et homo nequam in ore carnis suæ non desinet donec incendat ignem.*

SEcundum hic genus insinuatur,quod tamen aliud insinuatur in Græca lectione, quàm in nostra intelligitur.Nam Græca omnia habent; ἀνθρωπος πόρνος ἐν σώματι σαρκὸς αὐτοῦ, homo scortator in corpore carnis suæ;vt secundum genus sit scortatorũ, de quibus est hic versus & sequens: tertium verò sit adulterorum, de quibus postea prolixè. Noster interpres pro πόρνος, declarat se legisse πόρνος,& pro σώματι, φλογὶ. Itaque nostri ferè intelligunt hic notari gulosos,quorum vitium consistit in ore carnis suæ,quo indesinenter appetunt ea quæ carnis sunt,intelligúntque tales non cessare donec in seipsis accẽdant ignem libidinis quæ ex gula nascitur.Potest tamen etiam nostra lectio accipi de scortatoribus, vt illud; in ore carnis suæ; accipiatur pro appetitu carnis. & sit sensus. Et homo qui nequam est in appetitu suæ carnis, hoc est, homo scortator non desinit nec quiescet,donec in appetentia carnis suæ accendat ignem,libidinem scilicet quæ in corpore scortatorum quasi quædam flamma exardescit. Quamuis enim hoc vitiũ ab animo impudico oriatur,tamen ex omnibus in corpore maximè apparet & extat, in eóque illustres libidinis flammas profert. Est enim huiusmodi libido in corporis titillatione posita,ideóque hoc vitium distinguit à priore per subiectum,quod illud sedem suam quasi quandam fornacem in animo habeat,hoc verò in corpore magis existat. Nec mirum quòd nomine oris, appetitus libidinosus significetur,cùm mox nomine panis, desiderata mulier designetur.In hoc vitium etiam bene competit abundare in peccatis, quia vitium hoc tenacissimè adhæret, & subinde repetitur, nec facilè satietatem adfert. vnde subiungitur:

25 *Homini fornicario omnis panis dulcis, non satigabitur transgrediens vsque ad finem.*

EXprimit conditionem scortatorum,qui vaga scilicet libidine delectantur: vt in iuuenibus plerisque accidit,qui flagitiosam cõsuetudinem quarũuis mulierum sine delectu appetunt, ideóque omnis panis eis dulcis dicitur, quia scilicet quæuis mulier eis placet, satisque habent si voluptatem suam vel cum quauis expleant. Et quoniam vitium hoc tenacissimè hærere solet, nec satietatem adfert, rectè de talibus dicitur,non fatigabitur qui talis est; ita vt sæpius repetita libidine,deinceps quasi satiatus esset,sed persistet transgredi mandata Dei vsque ad finem vitæ suæ.

26 *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnẽs animã suam,& dicens:* Quis me videt?

TErtium hic genus insinuat, nẽpe adulteros, in quos competit quod de tertio genere

genere dicebatur,nempe adducere irã,quia secundùm legem adulterium morte puniebatur,non autem scortatio & simplex fornicatio.Ideóq; absolutè & imperfecta oratione dicitur, homo qui transgreditur lectum suum,vt subaudias, est tertium illud genus de quo dixi.Nisi potius oratio sit suspẽsa vsque ad illud quod sequitur, Hic in plateis. Scortator enim qui coniugatus non est,non dicitur transgredi lectum suum,sed tantùm adulter,qui sua coniuge non contentus, fidem thori violat,alienásque sectatur,qui rectè dicitur contemnere animam suam,quia vitam suam certo exponit periculo.Talium mores & ingenium hic prolixè depingit Sapiens & insectatur,ostendens eorum peccatum eo esse grauius,q; nihil præter hominũ oculos metuentes Deum non vereãtur nec reformident,à quo res humanas negligi impiè arbitrantur. Itaq; inducit eos dicentes: Quis me videt?& quæ sequũtur.Legunt plerique in hac sẽtentia; contemnens in animam suam.At præpositionem, in,quædam scripta non habebant,& nominatim codex Bessarionis.

36 *Tenebræ circundant me,& parietes cooperiunt me & nemo circumspicit me,quem uereor?delictorum meorum non memorabitur altissimus.*

CLara sunt hæc verba,quibus adulter significat eùm ab hominibus non videtur,neminem sibi timẽdum,q; putet Deum qui in alto cœlorum loco resídet, non inde respecturum ad ea quæ hic inferius agũtur. Similia sunt apud Iob.cap.24.Oculus,inquit adulteri obseruat caliginem, dicens:Nõ me videbit oculus,&c.Sed obscuriora sunt quæ in nostra lectione sequuntur.

27 *Et non intelligit quoniam omnia uidet oculus illius quoniam expellit à se timorem Dei, huiusmodi hominis timor,& oculi hominum timẽtes illum.*

PRo his omnibus Græcis tantùm est, Et oculi hominum timor ipsius, hoc est, talis tantùm timet oculos hominum, tantùm metuit ab hominibus videri,illorúmq; oculos offendere.Itaque pauca illa verba interpres pluribus expressit,quæ sic cõmodè accipiuntur,Talis non intelligit vel non intellexit(vtrũque enim legitur)quod omnia videat oculus Dei,ideóq; id non intelligit vel non cogitat, quoniam talis timor hominis, hoc est,timor quo ille tãtũ metuit ab homine videri,& hominem offendere, expellit à se,pro ab ipso,timorẽ Dei,hoc est, dum hominem metuere facit,efficit vt de Dei timore non cogitet.Id rursum aliis verbis sic dicitur,Et oculi hominum,qui scilicet obseruãt tantũ nè ab homine videãtur,timẽtes ipsum hominem tantum expellunt ab ipso timorẽ Dei.Quidã autem libri separant à verbo,expellit,illam partem,huiusmodi hominis timor,&c.vt suppositum verbi expellit,sit nõ; timor,sed is de quo dixit,non intelligit,quẽ admodum requirit relatiuum reciprocũ,se, vt sit sensus:Non intelligit Deum omnia videre,quoniam ipse expellit ex se timorẽ Domini.Deinde noua sententia quasi per parẽthesin interiecta sequatur, Huiusmodi hominis timor,vt subaudias verbum, est, & sit sensus:Talis est timor hominis,& tales sunt oculi hominum qui tantùm timent hominẽ & obseruant tantùm ne ab homine videantur,à quo sibi malè metuunt.Hæc distinctio magis placet,& inuenitur præter alios in codice Bessarionis.

28 *Et nõ cognouit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem,circumspicientes omnes uias hominum,& profundum abyssi,& hominum corda,intuentes in absconditas partes.*

PVlchrè soli comparat oculũ Dei, quod sicut sol ex cœlorũ altitudine omnia sua luce perlustrat & intuetur, omniáq; abdita in tenebris profert in lucem,& videri ab hominibus facit:ita & diuinus oculus, hoc est, intuitus & scientia omnia circũspicit & contuetur,atque tandem omnia in lucem profert.Verũ cùm sol suo motu rebus per temporum interualla abesse cogatur,& etiã præsens excludi possit ab ędibus,nec in intimas terræ partes sua luce possit penetrare, Dei oculum nihil omnino effugere potest,nec à rerum contẽplatione,vel tẽporis vicissitudine,vel quocunq; impedimento, vel quauis profunditate excludi potest,vnde rectè Dei oculi multo lucidiores sole dicuntur.Cũ autem omnia eius oculi conspiciant,peculiariter omnes vias & actiones hominũ circumspiciunt,hominumq; corda & cogitationes, etiam in absconditas mundi partes, quia illorum peculiariter Deus habet curã & prouidentiã,vt quibus suo tempore redditurus est mercedem secundum opera illorum.

29 *Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita:sic & post perfectum respicit omnia.*

BEne ostẽdit Dei oculos sole esse lucidiores,quia ipse non tantùm aspicit præsentia sicut sol, sed etiã omnia futura antequã sint,& præterita quoq;, etiam cùm iam esse desierint.Domino enim,inquit, omnia sunt agnita antequam crearentur, sic & postquã aliquid perfectum est,respicit omnia.

30 *Hic in plateis ciuitatis uindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur,& ubi non sperauit,apprehendetur.*

SEntentia hactenus suspensa,ibique incipiens,omnis homo qui trãsgreditur,post multa interposita,hic iam absoluitur, ostẽdi turque quod adulter pertineat ad tertium illud genus quod iram adducit & vltionem, quia,inquit,in plateis ciuitatis,publicè scilicet & in conspectu omnium ciuium,supplicium de eo sumetur,& qui se securum esse putauit,ac studiosè cauit ne adulterium eius deprehenderetur,vbi non putauit nec suspicatus est,apprehendetur rapiendus ad supplicium

plicium. Pro, ſperauit, enim Græcè eſt ἐτοπόησεν, hoc eſt, ſuſpicatus eſt, proinde, ſperauit, hic poſitum eſt pro timuit & exiſtimauit. Quod autē in medio habemus; & quaſi pullus equinus fugabitur; Græca modò nō habent. Rectè tamē pullo equino comparatur adulter, vt qui ad adulterium perpetrādum laſciuus fuit & fortis, inſtar equi, iuxta illud Iere. 5. Equi amatores & emiſſarij facti ſunt, vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat, perpetrato adulterio veluti tener pullus equinus timidus & fugax, ex conſcientiæ remorſu paueat & deprehenſus fugiat, nec tamen effugiat, ſed vbi ſe ſecutum fore ſperauit, apprehendatur. Id nonnunquam etiam in hoc mundo corporaliter accidit: at inexcitabiliter **apud Deum** impletur, quādo qui in perpetrādo ſcelere audax eſt, & nihil timet, poſt admiſſum crimē timere incipit, & cùm **Cain vagus** & profugus **viuit** in terra, qui inopinato aliquando **diuina vltione** opprimetur, **in conſpectu omniū** ſupplicium ferens **cum ſumma ignominia**, de qua & ſequitur.

31 *Et erit dedecus omnibus, eo quòd non intellexerit timorem Domini.*

QVoniam, inquit, non habuit rationē timoris Domini, nec de eo cogitare voluit, vt per eum timorem dedecus adulterij vitaret. Deo eius adulterium propalāte, erit omnibus in dedecus, hoc eſt, oēs eum habebunt dedecoroſum & ignominioſum & ob admiſſum flagitiū, & ob illatum ſupplicium. Itaque incidet in dedecus quod ſtudioſè vitare ſe poſſe credidit per tenebras. Declaratū eſt illud ex parte in Dauide cū Berſabee adulterāte, & ſuum crimen ſtudioſè tegere volente. Cui dictū eſt à Domino: Tu feciſti abſconditè, ego autem faciam verbū iſtud in cōſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.

32 *Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum, & ſtatuens hæreditatem ex alieno matrimonio.*

QVod de adulterio dixit, id & adulterā mereri docet, oſtendens etiam illā per tinere ad tertium genus quod iram adducit. Et rurſum eſt oratio imperfecta, vel potius ſuſpenſa, quæ, quibuſdam per parēthecſin interpoſitis, poſteà perficitur ibi; hæc in eccleſiam adducetur. Adulteram autem dicit cōſtituere hæreditatem ex alieno matrimonio quia ex viro alterius matrimonij propter filios, qui velut legitimi filij, hæredes ſint futuri ſui mariti. Hoc crimen quoniam variis de cauſis enorme eſt, priuſquàm orationē abſoluat, & indicet qua pœna & vltione dignū ſit, oſtendit eius maleficij iniuriam latè patere, nec ſimplicem eſſe, ſed tripartitam, interponens quod ſequitur.

33 *Primò enim in lege altiſſimi incredibilis fuit: ex ſecundò in virum ſuum deliquit, tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex ubio viro filios ſtatuit ſibi.*

INcredibilis, poſitum eſt pro infida vel inobediens, vt & alias. Eſt enim Græcis ἄπι-θανος. Tria mala enumerat, in flagitio adulteræ, quorum tertium bipartitum eſt, vt etiam quatuor deprehendantur. Primò enim Dei authoritas violatur, cuius legi fides promiſſa & obedientia non præſtatur. Secundò, fides marito data rūpitur. Tertiò, & corpus ipſius nefario ſtupro corruptū eſt, quia per adulteriū fornicata eſt, & legitimi hæredes nothis & ſuppoſitiis liberis defraudantur.

34 *Hæc in eccleſiam adducetur, & in filios eius reſpicietur.*

35 *Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum.*

36 *Relinquetur in maledictum memoria eius, & dedecus eius non delebitur.*

SIcut variis modis adultera peccauit, ita non tantùm vno modo punietur. Primo enim in eccleſiam & cœtum populi Dei adducetur, vt ibi conuicta iuxta legem Dei coram omni populo lapidetur. Deinde reſpectus habebitur in filios eius, déque eis diligēs habebitur inquiſitio & viſitatio (eſt enim Græcis, ἐπισκοπὴ ἔχει) vt ſpurij à legitimis ſecernantur, & omni honore & hæreditate in populo Dei careant, vt ſic non tantùm in ſeipſa puniatur, ſed etiam in ſuis filiis. Nec hi tantum honore in populo Dei carebunt, ſed & diuturna vita atq; ſucceſſione, Deo nimirum talem progeniē in ſceleris deteſtationē cito abſumente. Quod ſignificatur cùm dicit, non tradent vel non dabunt filij eius radices, hoc eſt, non firmiter in terra collocabūtur, nec rami eius dabunt fructū, hoc eſt, filij eius ſpurij non proferent filios, per quos parentes quodammodo poſt mortē manent ſuperſtites. Similis eſt locus Sapien. 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt, &c. Poſtremum etſi aliqua maneat eius memoria, ea tamen non relinquetur niſi in maledictum, hoc eſt, in maledictionem illius, vt ſcilicet cum ignominia & maledictione eius fiat memoria. Ex qua tam inſigni punitione, magna cōſequetur in populo vtilitas, quæ deinde exprimitur. Porro quod ad lectionem attinet, quidam libri habent; Derelinquet memoriam eius, poſitum ſit pro ſuā. Alij, derelinquent memoriam eius, vt ad, filios, verbum referatur. Alij, relinquetur memoria eius, ſed ad rē parum facit. Græca verti poſſunt: Derelinquet memoriam ſuam.

37 *Et cognoſcent qui derelicti ſunt, quoniam nihil melius eſt quàm timor Dei, & nihil dulcius quàm reſpicere in mandatis Domini.*

QVi derelicti ſunt, hoc eſt, ſuperſtites, apud quos manet memoria, ex ſupplicio quod de adultera & eius poſteritate ſumitur, admoniti cognoſcent & quod nihil vtilius eſt homini quàm timor Dei, & quod nihil ſit dulcius quàm attendere ſemper ad mandata Domini, vt eorum intuitu homo ſemper & à malo reuocetur, & ad bonum impellatur. Obſeruatio enim mādatorū Dei adfert ſecum & ſummam vtilitatem & ſummam

mam voluptatem: nec hæc tātum, ſed etiam honeſtatem, ita vt triplex in ea bonum ſit ſitum, vtile, delectabile, & honeſtū. Quod ſequens ſententia, qua hanc doctrinam claudit, bene comprobat.

38 *Gloria magna eſt ſequi Dominum, longitudo enim dierum aſſumetur ab eo.*

SIcut magnum dedecus ſequitur alteros & alios peccatores, vt iam oſtenſum eſt: ita magnum decus & honor magnus eſt, ſequi Dominū, eique in omnibus obedire, ſiue quia hoc ipſum ſummam tandem gloriā adfert, ſiue etiā quia in eo ipſo quis ſeipſum honore & gloria afficit, quod Deo vt oportet ſeipſum ſubiicit, & quam debet obedientiam præſtat, nam, vt bene dictum eſt. Seruire Deo, regnare eſt. Cùm autē ſequitur; Longitudo enim dierum aſſumetur ab eo; relatiuum, eo, videri poſſet referendum ad illum qui ſequitur Dominum, vel ad ſequi Dominum, vt ſit ſenſus: Longitudo dierū, hoc eſt, vita vel hic diuturna, vel poſt hanc vitā æterna obtinebitur ab eo qui ſequitur Dominū, vel per eam rem quæ eſt ſequi Dominū. At melius cum Lyrano refertur ad Dominū, vt ſit ſenſus: Per ſequelam Domini, longitudo dierum aſſumetur, hoc eſt, accipietur à Domino, qui vitam æternā largietur ſuis ſectatoribus. Græcè eſt, longitudo dierum eſt ſuſcipi te ab eo, ſcilicet Domino. Fortè interpres vertit, longitudo enim dierum aſſumi te ab eo, vt ſit ſenſus; longitudo dierum, hoc eſt, vita æterna obtinetur per hoc quòd Dominus te aſſumit ad ſe.

Caput XXIIII.

1 *Sapientia laudabit animam ſuam, & in Domino honorabitur, & in medio populi ſui gloriabitur.*

2 *Et in eccleſijs altiſſimi aperiet os ſuum, & in conſpectu virtutis illius gloriabitur.*

HOc capite introducit Sapiens encomium ſapientiæ, quam & de ſeipſa loquentem facit, imitatus Salomonem, qui in Prouerbiis cap. 8. ſapientiam ſimi lia de ſe prædicantem introducit. Sicut autē ibi dictum eſt authorem loqui de ſapientia diuina in genere, partim vt eſt in Deo, partim vt eſt in homine per participationē, ipſumque more in ſcripturis recepto per proſopopœiam, ſapiētiæ tribuere perſonā. Dein de q̄ quæ ſic in genere de ſapiētia diuina dicuntur ad literam, myſtico ſenſu de filio Dei intelligenda ſint, qui per appropriationē, au
1. Cor. 1. thore Paulo, eſt Dei virtus, & Dei ſapientia: ita & hic dicendum eſt, nec neceſſe eſt hæc multis repetere. Primùm ergo author, priuſquam ſapientiam loquentem faciat, præmittit quid ſapientia dictura ſit, vt ad eius ſermones audiēdos audiores faciat auditores, ſignificatq; ſe introducturum eam ad prædicandum ſeipſam, quaſi quæ ſola ſeipſam optimè nouit, & pro ſuo officio valde cupiat in ſui amorem ſuos pertrahere, non in ſuam vtilitatem, ſed in illorum bonū. Eſt enim ſapientiæ proprium, omnes velle ad ſapientiæ ſtudium & amorem perducere. Dicit ergo: Sapientia laudabit animam ſuam. Quod humano more dictum eſt, quaſi ſapientia habere animam, cuius virtutes & præclara opera eſſet commemoratura. Senſus autem eſt, q̄ laudabit ſeipſam, quomodo apud Amos dicitur: Iurauit Dominus in anima ſua, hoc eſt, in ſeipſo vel per ſemetipſum; & quod dicere vult tale eſt: Iam in ſuperioribus multā quidem ſapientiæ laudem aliquoties intuli, at præſtat vt ipſammet ſe laudantem audiatis, quæ optimè omnium & ſe nouit & ſua facta: itaq; introducā eam laudes proprias explicantem. Quod additur: & in Domino honorabitur, vt ſatis eſt impertinens hūic loco, ita nec eſt in Græcis, quæ etiam hanc ſentētiam habent bimembrem. Magis conueniet huic loco, ſi ſic intelligatur in domino vel corā Domino honorabitur à ſeipſa, hoc eſt, ipſa honorabit ſeipſam laudes ſuas recēſens ſed in Domino, quia vera laude, & ad Dei honorem & auditorum vtilitatem, non autē vanæ gloriæ cupiditate. Sequētibus verbis explicatur vbi & apud quos laudatura ſit ſeipſam. In medio, inquit, populi ſui, fideliū ſcilicet, quos peculiariter regendos & inſtruendos ſuſcepit, ibi gloriabitur de ſuis præclaris virtutibus & operibus. Et vt explicaret quis ſit ſapientiæ populus, nec alius putetur eſſe populus ſapientiæ quàm Dei, ſubiicit: In eccleſiis, hoc eſt, in cœtibus & congregationibus (Græcè eſt ſingulare, in eccleſia) altiſſimi aperiet os ſuum. Idē veriſimile eſt ſignificari parte ſequenti; & in conſpectu virtutis illius gloriabitur. Nomine enim virtutis, & vt eſt Græcis, δυνάμεως Dei, ſæpè ſignificatur exercitus Dei qui ſub Deo militat, & per quem hoſtes ſuos debellat, ſiue ſint angeli boni, ſiue ſancti, qui adhuc hic bella domini bellāt, vnde dicitur Dominus ſabaoth & Dominus virtutum: Itaq; ſenſus erit; gloriabitur corā toto exercitu Dei, angelis ſcilicet & piis hominibus, neque enim pudet eam ſuiipſius. Pulchrè autem Dei populū duplici nomine honorat, vt eum dicat & eccleſiam vel eccleſias altiſſimi: & eius exercitū, eccleſiam, ob conuētus ad ſacra peragēda quæ pacis ſunt: exercitum, ad bella Deo duce gerenda. Coram hoc populo illam peculiariter locuturā dicit, tum q̄ huius peculiarem habeat curā, tum quod ille ſolus percipiendæ ſapientiæ capax ſit, cum aliæ gentes eam execrētur & audire nolint, vnde rectè ſubiicitur.

3 *Et in medio populi ſui exaltabitur, & in plenitudine ſancta admirabitur.*

4 *Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens.*

DVos hos verſus etſi modò Græca non habeant, veriſimile tamen eſt noſtrum interpretem in Græcis legiſſe. Significāt autem meritò ſapientiam, ſuum Deique populum delegiſſe ad prædicādum ſeipſam apud illum, nempe quia ibi auditis eius laudibus,

ipſa ab omnibus exaltabitur,& in plenitudine ſancta,hoc eſt,in pleno magnóq; ſanctorum cœtu erit omnibus admirationi.Ibi cóſequetur laudem,& inter eos qui benedicti ſunt à Deo & electi,ipſa quoque benedicetur & laudabitur.

5 *Ego ex ore altißimi prodiui,primogenita ante omnẽ creaturam.*

AMplam nunc narrationem ornatámq; cõmemorationem ſapiẽtiæ inſtituit,in qua & originẽ ſuã & opera ſua ipſa exponit, ſignificans primùm nullã rerum naturã eſſe in mundo,in qua creanda efficiendáq; non adfuerit:Deinde ab ea vniuerſitate ad peculiarem populũ Iſrael,quaſi ad propriã hæreditatẽ progreditur.Quod ergo dicit;ego ex ore altiſſimi prodiui:iuxta literalẽ ſenſum ſignificat,ſapientiã Dei verbo æditã eſſe in mundo,cùm Dei verbo omnia creata ſunt, in quibus Dei ſapiẽtia,(quæ ante creationẽ veluti latebat in corde Dei) mirè declarata eſt,& hominibus exhibita.Quæ & primogenitam ſe dicit ante omnem creaturã,ꝗ ante omnia in Deo ſubſtiterit nunquã quidem in eo incipiẽs,ſed cum eo ſemper permanens. Iuxta myſticũ & altiorẽ ſenſum nouo teſtamento proprium filius Dei ſe dicit ex ore altiſſimi prodiiſſe, ꝗ ab æterno inſtar verbi à patre proceſſerit,vnde & verbum à Ioan.1. vocatur,quod in principio erat apud Deum, & per quod facta ſunt omnia.

6 *Ego feci vt oriretur in cœlis lumen indeficiens, & ſicut nebula obtexi omnem terram.*

MAlè quidam libri habent,carnem,pro, terram,cùm Græcis ſit γῆν. Videtur autẽ ſignificari quod ſapiẽtia cœlũ quidẽ indeficienti lumine ornauerit,quod factũ eſt primo die:terram verò obtexerit caligine, ſiue quia ſcriptum eſt:Et tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi:ſiue quia poſt lumen creatũ fecit diei ſuccedere noctẽ,quæ velut caligine omnem terram ſuo tẽpore obtegit. Verùm notandum,priorem huius ſententię partem de creato lumine nõ eſſe Græcis,ſicut nec poſteriorem partẽ præcedẽtis ſententiæ. Tantùm enim habẽt,Ego ex ore altiſſimi prodij, & ſicut nebula cooperui terram.Nec eſt dictio,nebula ablatiui caſus,ſed nominatiuus, vt ſit ſenſus,inſtar nebulæ obtexi omnẽ terram,& quẽadmodum nebula totam terram aliquam cooperit,ita & ego obtexi omnẽ terram.Quo ſignificat ſapiẽtia,ſe ſua gloria & immẽſitate ſua vniuerſam terram repleuiſſe & occupaſſe,quẽadmodum nebula totam terram lõgè latéq; occupat & tegit. Vnde & in conſecratione tẽpli Salomonis,cùm Dominus ſuæ gloriæ præſentiam oſtendere vellet,in nebula apparuit: & cùm apud Iſaiam Seraphim acclamaſſent,Plena eſt omnis terra gloria eius;domus impleta eſt fumo.

7 *Ego in altißimis habitaui,& thronus meus in columna nubis.*

NE,quoniam ſe dixit terram obtexiſſe,videri poſſet ad terras tantùm relegata, ſubiicit ſe etiam in cœleſtibus habitationẽ & ſedem obtinuiſſe,inſinuans ſibi cõpetere quod de ſe Deus dicit in Prophetis: Cœlum & terram ego impleo. & :Cœlum mihi ſedes eſt,terra autem ſcabellum pedum meorum. Porrò in cœleſtibus peculiariter ſe ſemper habitaſſe dicit,ꝗ locus altior competat excelſis & rerum moderatoribus, quódque in cœlis peculiariter Dei ſapientia declaretur & gloria,è quibus terrena hæc omnia & inferiora moderatur.Peculiariter verò in nubibus ſæpe Deus reſidere dicitur,ꝗ inuiſibilis & longè ab intellectu humano ſemotus, ex nubibus mirabilia deſignet,tonitrua, vẽtos, fulgura & pluuias,iuxta illud:Qui ponis nubem aſcenſum tuum. Vnde & hic ſapientia thronum ſuũ teſtatur eſſe in columna nubis alludens in nomine columnæ ad columnã illam nubis,qua in deſerto Iſraelitæ deducebãtur per diem & per noctẽ, & in qua Deus Moyſi loquebatur,iuxta illud Pſalmi:In columna nubis loquebatur ad eos. Significat ergo ſapiẽtia,ſic ſe in nubibus ſemper ſedẽ habuiſſe,vt ex illis,velut ex columna nubis, quæ erat populo Dei in deſerto,multa bona & miranda mortalibus prouenirent.

8 *Gyrum cœli circuiui ſola,& profundum abyßi penetraui,& in fluctibus maris ambulaui,& in omni terra ſteti.*

HIs nihil aliud ſignificat ſapientia, quàm ſe ſemper ab initio & ſuperiora & inferiora omnia ſua immenſitate cõprehendiſſe,perſpectáq; ac cognita habuiſſe,nihílque eſſe quantumuis altum,quantumuis profundum,quantumuis latum & amplũ,ad quod ipſa non pertigerit ſua infinitate & cognitione.Allegoria enim eſt in circumire,penetrare,ambulare,& ſtare,quæ humano more ſapientiæ tribuuntur:ad ſignificandũ eam ad omnia perueniſſe,& cõplexam eſſe omnia.

9 *Et in omni populo & in omni gente primatum habuĩ & omnium excellentium & humiliũ corda uirtute calcaui.*

NOn tantùm,inquit,mea immenſitas ad inanimata omnia pertigit, ſed etiam ab initio ſemper dominata ſum in omni populo & gente,regens omnes:meáq; virtute calcaui,mihíq; ſubieci omnium & excellentiũ hominum & abiectorum corda,ita vt nemo ſe meæ poteſtati eximere poſſet,nemo conatu aliquo impedire quod diſpoſui valeret. Hæc autem omnia quæ de ſua origine, gloria & immenſitate prædicat ſapiẽtia, eo ſpectãt,vt magis intelligatur magnitudo beneficij à ſe populo Iſraelitico(quẽ in ſuam peculiarem habitationem ſibi poſteà delegit) præſtiti,& clarè omnes non ex inopia id factum agnoſcant,ſed ex ſingulari Dei beneficio,vt in ſequentibus declarat.

10 *Et in his omnibus requiem quæſiui, & in hæreditate Domini morabor.*

PRo,in his omnibus,Græcè eſt,μετὰ τούτων πάντων,hoc eſt,cum his omnibus, quaſi dicat

dicat.Cùm hæc omnia haberẽ,tamen quaſi his non contenta, quæſiui mihi aliquem locum & gentẽ in qua peculiariter quieſcerẽ, meque oblectarem.In ſecũdo membro pro, Domini, Græcis eſt, τινὸς, quod eſt, alicuius vel cuius,vt ſenſus eſſe poſſit: Et quæſiui in cuius hæreditate morarer,vel vt in alicuius hæreditate morarer:quaſi dicat: Cùm varij eſſent in orbe dij,& ſinguli ſuũ haberent populum & hæreditatem,quæſiui cuius populus & hæreditas mihi in manſionem peculiarem daretur.Quidam noſtri libri pro, Domini,habent eius,& videri poteſt interpretem vertiſſe,cuius,quod deinde mutatum ſit in eius,& quia relatiuum hoc nõ habuit antecedens,mutatum eſt in Domini.Vtut eſt,cũ durior ſit coniunctio temporum, quæſiui & morabor,commutatione modi lenienda eſt locutio hoc modo: Quæſiui mihi requiem, & quęſiui vt in hæreditate Domini morarer. Sic enim rectè ſubiungitur.

11 *Tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me,requieuit in tabernaculo meo.*

CVm,inquit,tã anxiè mihi alicubi quietem dari peterem,Deus omnium creator mihi tandem certum locum,certámque manſionem attribuit,in gente ſcilicet Iſraelitica.Nã pro,requieuit in tabernaculo meo, Græcè eſt,κατέπαυσε τὴν σκηνήν μου,hoc eſt,quieſcere fecit , fixit vel locauit tabernaculum meum,conſtituendo ſcilicet mihi certũ locum habitationis meæ. Proinde ſi velimus vt noſtra lectio ad originalẽ ſenſum,qui propoſito conuenit,accedat, commoda aliqua interpretatione accipienda eſt,vt neutrum, requieuit,actiuè accipiatur pro requieſcere fecit,& ſit ſenſus:requieuit me,hoc eſt, quieſcere me fecit in tabernaculo meo, quod ſcilicet mihi quæſiui & optaui. Requieſcere enim & quieſcere etiã apud prophanos authores nonnunquam actiuè ponuntur,vt reſpondeant verbo Græco παύω,vt cùm Virgilius dicit in Pharmaceutria: Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.Et Plautus in Moſtel. Quieſce tumultum hunc qui eſt ante oſtium.Si hæc interpretatio noſtræ lectionis non placet,ſic accipi poterit quod dicitur; requieuit in tabernaculo meo;vt ſit ſenſus; requieuit in me,quam ſibi velut in tabernaculum ſuum delegit,volens per me habitare in populo ſuo.Id etſi durè ſonare videtur, ſi de ſapientia diuina in genere accipiatur, cùm hæc ſit ipſemet Deus, nec à Dei eſſentia diſcreta ſit:tamen bene conuenit figuratæ locutioni,ſecundùm quam introducitur hic ſapientia tanquam perſona aliqua apud Deum,& cum Deo ſubſiſtens.Proinde bene quadrat in filium Dei,qui per appropriationem eſt ſapientia patris,in quo tanquam in tabernaculo ſuo Deus pater rectè dicitur
Pſal. 18. quieſcere,ſicut de eo in Pſalmis dictum eſt; In ſole poſuit tabernaculum ſuũ.Porro quomodo ſapiẽtia dicat Deum ſe creaſſe, ſupra cap.1.& in Prouer.cap.8.ſatis dictũ eſt,nempe ꝗ in Deo ſubſtiterit,& Deus in ſeipſo cõceperit rationes,ſecundũ quas mundũ erat fabricaturus, vt de Deo humano more pro captu noſtræ intelligentiæ loquamur. Ei verò qui appropriatè dicitur ſapientia patris, rectè intelligitur tribui creatio ratione generationis æternæ,ſecundùm quam verè ſuam eſſentiam à patre accepit,vt creatio cùm filio Dei tribuitur; pro generatione accipiatur.Poteſt & creatio filio Dei tribui ratione Prou.18.
aſſumptæ humanæ naturæ,ratiõe cuius etiã ei bene competit quod dicitur;requieuit in tabernaculo meo; quia in Chriſto homine Sap.1.
inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.At hic ſenſus nõ eſt proprius huic Coloſ. 2.
loco,vt ſatis patet ex ſequentibus.

12 *Et dixit mihi,In Iacob inhabita,& in Iſrael hæreditare,& in electis meis mitte radices.*

PEr hoc quod dicit Deum ſibi præcepiſſe & dixiſſe,nihil aliud ſignificatur quã Dei voluntate factum eſſe,vt ſapientia,quæ omnia obtinebat,peculiariter apud populũ Iſraeliticum reſideret:qui,aliis populis ad idololatriam declinantibus, vnicè in cultu veri Dei retentus eſt,qui & legẽ à Deo accepit, & cæremonias Deum colendi,& per ſuccedẽtes ſibi ſemper doctores & prophetas de Deo ſemper edoctus eſt,in quo item populo Dei ſapientia,mira ſemper deſignauit,peculiariter eius curam gerens quomodo ſuæ hæreditatis homo peculiarem curã habet, ob quæ omnia,rectè dicitur ſapientia habitaſſe in Iacob,hoc eſt, progenie Iacob,& in Iſraele ſuam accepiſſe hæreditatẽ, & in electis à Deo firmiter radicatam eſſe.

13 *Ab initio ante ſæcula creata ſum,& vſque ad futurum ſæculum non deſinam,& in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui.*

LEgũt multi;Ab initio & ante ſæcula:ſed coniunctionem,&,ſicut nõ habent Gręca,ita nec quædam ſcripta Latina.Pro,vſque ad futurum ſæculũ;Græcè eſt ἕως αἰῶνος, hoc eſt,vſq; ad ſæcula,hoc eſt, vſq; in æternum. Repetit de ſua ante tempora omnia æternitate,vt ne putaretur tum primum cœpiſſe, cùm Iſraeliticum populũ ſibi in ſuã hæreditatem delegit,& ſeipſam per legis dationem oſtendere cœpit.Pro,in habitatione ſancta, eſt ἐν σκηνῇ ἁγίᾳ,in tabernaculo ſancto.Loquitur enim de tabernaculo Dei à Moyſe erecto,in quo Deus peculiariter ſuam præſentiã exhibebat,& in quo ab Iſraelitico populo colebatur,ratione cuius cultus Deo exhibiti,ſe dicit ſapientia corã Deo in tabernaculo eius miniſtraſſe,quia ſcilicet eius iuſſu & ordinatione populus ille cultũ eũ Deo deferebat. Eſt enim pro , miniſtraui, ἐλειτούργησα, quod verbum ſignificat propriè publica munera & miniſteria obire,qualia ſunt ſacrificare,& magiſtratum gerere,vnde & pro ſacrificare ſæpe ponitur,& λειτουργία pro ſacrificio.

14 *Et ſic in Sion firmata ſum,& in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui,& in Ieruſalẽ poteſtas mea.*

EXponit quomodo in ipſo populo Iſraelitico,quem totum ſibi accepit in ſuã habita-

bitationem & hæreditatem, peculiariter adhuc quédam locum accepit, per tabernaculum à Moyse erectũ. Sic, inquit, hoc est, per tabernaculum & arcam Dei, cui tandé Dauidis tépore locus fixus deputatus est in monte Sion & ciuitate Ierusalem, cùm prius per varia loca vagaretur, etiam ego firmata sum in Sió, quia is locus vnicè electus est, in quo Deo deinceps seruiretur, & lex Dei doceretur, à quo monte ciuitas Ierusalem cœpit vocari, ciuitas sancta, & sanctificata, per arcam scilicet & cultum Dei. In qua se sapiétia non tantùm similiter sicut prius in toto populo quietem obtinuisse dicit, propter stabilé arcæ in eo loco mansionem, sed etiam potestatem, propter regiam sedem quæ ibi à Dauide est constituta.

15 *Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.*

QVod dixit de loco qué sibi peculiarem delegit, id nũc de populo dicit, nempe q̃ populum illum qué Dei singulari honore affecerat, educédo eũ in mirabilibus signis ex Ægypto, sic sibi assumpsit, vt in eo firmiter persisteret, per legis doctrinam, & cultũ in tabernaculo quod fuerat in medio eius exhibitum. Porro secũda pars Græcè sic habet: ἐν μερίδι κυρίου κληρονομίας αὐτοῦ. In parte Domini hæreditatis illius. Quem enim prius vocauit populum honorificatum, nunc vocat partẽ Domini, & partẽ hæreditatis illius, hoc est portionẽ eius hæreditariam, iuxta illud, Deute. 33. Pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. Et certè verisimile est interpretẽ vertisse nõ pluraliter, in partes, sed parte, nec per nominatiuũ, hereditas, sed hæreditatis vel hæreditate. Atque ita legisse Rabanũ apparet, dũ sic scribit: In populo honorificato; dicit in populo Christiano, qui nominis eius insigni præconio meruit honorari, qui pars eius & hæreditas dicitur, &c. Nõ explicat quæ sint partes Dei, sed quæ sit pars, & itẽ significat esse partẽ & hæreditatem. Proinde si nostra lectio est retinẽda cũ multos torqueat, sic est accipiẽda: Radicaui, hoc est, radices misi, & firmiter hæsi in populo honorificato, hoc est, in eas partes quas Deus possidet, quæ sunt hæreditas illius, vt subaudiatur, quæ sunt, & pluraliter accipiatur dictũ, in partes, propter varias tribus populi Israelitici. In sequẽti parte, quæ Græcis nõ est per plenitudinẽ sanctorũ, intelligere cõuenit totum populũ fideliũ & colentium Deum. Quærunt hic etiam nostri, qũo sapiétia dicat, in partes Dei mei, cùm quæ hic loquitur sit ipsamet Deus. At huic quæstioni locus non est in originalibus, quæ tãtùm habẽt domini, nec habẽt pronomen, mei. Et tamen etiã rectè sapiẽtia in genere accepta vt hic introducitur loquens tanquam persona aliqua apud Deum cõsistens, rectè dicit, Dei mei, ratione originis quã in Deo habet, & ratione participationis in hominibus, quæ à Deo in ipsis profluit. Sapiẽtia verò appropriata, quæ Dei filius est, rectè patrẽ dicit Deum suum, non tantùm ratione assumptæ humanæ naturæ, sed etiã ratione diuinitatis, quam à patre per generationem habet. Et quidem quæ hactenus dicta sunt de electo Dei populo & ciuitate sancta, quãuis ad literã pertineant ad Israeliticum populũ & ciuitatem Ierusalẽ, altiori tamen & mystico sensu etiã sunt intelligenda de populo Christiano & ciuitate cœlestis Ierusalem, quæ est ecclesia. Hic enim longè verius sapiẽtia Dei & filius Dei, iussu & voluntate Dei suam accepit firmam habitationem, non relinquendam vnquam vsque ad consummationem sæculi.

16 *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion.*

POstquam narrauit quem locum & populum adepta sit, ostẽdit quem fructũ in eo protulerit, & quam gloriã in eo obtinuerit. Proinde variarũ rerum & maximè arborum & fructuum eius adfert similitudines, significans in genere per tam copiosam, enumerationẽ quicquid in creaturis illis est excellentiæ, gratiæ & vtilitatis, id in vna sapientia cumulatim inueniri: in particulari verò demonstrans suam tum magnitudinẽ, tum pulchritudinem, tum suauitatem, tum vtilitatẽ, tum dignitatem & gloriam, qua in populo Dei, & Ierosolymis floruit atque excelluit, sicut vnaquæque illarũ quas enumerat arborum, suum peculiariter habet locũ in quo viguntur, & præclarissimæ inueniũtur. Dicit ergo se exaltatam, in Ierusalem scilicet & hæreditate Dei, sicut cedrus exaltatur in monte Libano, & sicut cypressus in monte Sion. Vbi pro, Sion, Græcis est ἀερμών, Aermon vel Hermon. Vnde nomẽ, Sion, hic non significat illum montẽ ciuitatis Ierusalem, de quo mox dictum est: Et sic in Sion firmata sum; sed montem Hermon qui erat vltra Iordanem, qui etiam habuit nomen Sion, vt patet Deute. 4. sed aliis literis scribitur apud Hebræos cùm mõtem Hermon significat, & cũ montem Ierusalẽ. Nã præter alia Sion mons Ierusalem scribitur in principio per tsade: mons verò Hermon per Schin. His ergo arboribus, quę in maximã crescunt altitudinẽ, adeo vt in Cypro cedrum crescere Plinius scripserit centum triginta pedum longitudine, sese comparat sapientia, significare volens suam sublimitatem, quam in populo Dei obtinuit: quanquã sint & aliæ harũ arborum conditiones, ob quas eis rectè cõparatur sapientia. Sunt enim & firmissimæ atq; maximè diuturnæ, & optimi odoris.

17 *Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho.*

CO niunxit superiori sententia duos mõtes vltra Iordanem sibi vicinos, hic coiungit duo loca citra Iordanem sibi vicina. Pro Cades, enim Græca habẽt γάδδι, vel Engaddi, qui est locus iuxta mare mortuum, nõ longè à Iericho, in quo latuit Dauid, vt est 1. Reg. 24. & de quo fit mentio in Canticis vnde potius legendũ esset, Gades. Nõ enim, Cades hic est nomẽ solitudinis, quæ Num. 13. dicitur desertum Pharan, & Num. 33. desertum Sin, sed locus fertilior & iucundior, iuxta Iericho. In quo apparet arborem palmam illo tempore creuisse nobilissimã quæ illis regionibus adeo fuit frequens & nobilis, vt toti regioni nomẽ dedisse putetur. Nã Phœnicia dicta est à palma, quæ Græcis φοίνιξ dicitur. Sic & in Iericho apparet tũc fuisse rosarum plantationem, quæ & in maiorem quàm aliis locis excreuerit altitudinẽ, & rosas protulerit gratiores. His ergo arboribus se etiam ob earum celebritatem, quas in illis obtinent, comparat, significans suam celebritatem quam cõsecuta sit in populo Dei, simúlque indicans sibi competere quicquid vel in palma, vel in plantis rosæ, siue ob altitudinem, siue ob pulchritudinem oculis placet, aut alia quauis ratione homini gratum est. Nam palma præter insignem altitudinẽ, etiam gratum & dulcissimum profert fructum, quem dactylum dicimus.

18 *Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis.*

ET hic notatur arborum pulchritudo ob singulares earum conditiones. Nã & oliua delectat suo fructu, & platanus suorũ foliorum latitudine & ramorum expansione, à qua & nomen accepit. Platos enim Græcè, Latinè latum dicitur. Vnde hæc arbor magnam vmbram de se diffundit, ob quã vnicè expetitur teste Plinio lib. 12. c. 1. Quis nõ iure, inquit miretur arborem vmbræ gratia tãtùm, ex alieno petitã orbe? Platanus hæc est per mare Ionium in Diomedis insulã, eiusdẽ tumuli gratia primũ inuecta, inde in Siciliã transgressa, atq; inter primas donata Italiæ, & iam ad Morinos vsque prouecta, ad tribu rarium etiã pertinens solum, vt gentes vectigal & pro vmbra pendãt. Hæc ille. De hac arbore hic dicitur, q̃ sit iuxta aquam, q̃ scilicet multùm humoris requirat. Additũ etiã est ab interprete, in plateis, hoc est, latis viis, vt correspondeat illi q̃ præcedit, in campis. Vt enim conuenit oliuas esse in campis, ita platanũ in latis viis, vt sit viatoribus sua vmbra refrigerium. Significat ergo sapientia se & dulcedinem adferre instar oliuæ, & refrigerium instar platani.

19 *Sicut cinnamomũ & balsamum aromatizans odorem dedi, & quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.*

PRo, balsamum, æditio Complutensis habet κάλαθος, quæ dictio putatur significare massam ficorum & caricarum, quãquam hæc magis dicatur Græcis κάλαθος. Germani cum exemplar habet ἀσπάλαθος, atq; sic potius legendũ esse vel ex eo satis patet, q̃ hic enumerentur aromatica, inter quæ est ἀσπάλαθος, non autem κάλαθος vel κάλαθος. Et Rabanus legit asphalathum, quæ lectio etiã in scriptis quibusdam reperitur, & in Glosa ordinaria, quamuis ibi corruptè fere legatur asphalthum: quæ dictio cũ non intelligeretur

à scriptoribus, mutata est in aliã fono similẽ & notiorem, balsamum, quomodo interpretem non vertisse vel inde satis patet, q̃ mox de balsamo subiungat. Vera ergo lectio est, aspalathos vel aspalathum. Quid autẽ ea dictio significat, adfert etiam Rabanus ex Plinio, qui lib. 12. c. 24. sic scribit: In eodẽ tractu aspalathos nascitur, spina cãdida, magnitudine arboris modicæ, flore rosæ, radix eius vnguentis expetitur. Traduht in quocũque fructice curuetur arcus cœlestis, eandẽ quæ sit aspalatho suauitatẽ odoris existere, sed in aspalatho inenarrabilem quandã, &c. Quidam existimãt esse arborem, quam officinæ vocant lignum Rhodium. Itaque postquam se sapientia comparat arboribus nobilioribus, quæ ob magnitudinẽ sunt oculis gratæ & præclaræ, hac iam sententia se confert arbusculis odore præstantibus, & olfactui gratissimis. Sicut enim aspalathos vel aspalathũ arbusculæ species est, ita & cinnamomum & myrrha, non tantã fructuũ nomina sunt, sed & arbusculariũ & fruticum. De cinnamomo enim scribit Plinius lib. 12. ca. 19. nasci apud Æthiopes, esse q; fruticem duorum cubitorum altitudinẽ, quatuor digitorum crassitudine, statim à terrã sex digitis surculosum, arido similẽ. Et de Myrrha idem eodẽ lib. ca. 15. scribit: arborem esse quæ in Arabia nascitur altitudinis quinque cubitorum non sine spina, caudice duro & intorto, crassiore quã thuris. Huius cortice inciso defluit lachryma, quæ & ipsa myrrha vocatur & stacte. Eius præcipua virtus est vt mortuorum corpora incorrupta seruet. His ergo tribus arbusculis aromatizantibus, hoc est, aromata & species odoriferas de se prębentibus, & suauem odorem exhibentibus, se cõparat rectè sapientia significans se summam dulcedinẽ suis adferre, & quicquid in istis est vel voluptatis vel vtilitatis corporaliter, id ipsam etiã spiritualiter suis præstare.

20 *Et quasi storax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quasi libanus non incisus uaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus.*

POst arbores odoriferas, cõparat se in hac sententia sapiẽtia præclarioribus resinis arborum & fruticum. Est enim storax, resina arboris, quæ Græcè dicitur styrax, & in Arabia crescẽs; cotoneæ malo similis est, fructu maiore quàm auellana, specie candidi pruni: ex qua manat liquor eiusdẽ nominis coloris flaui, resinosi, albicantibus fragmentis, odoris perseuerantis, quem hodie officinæ vocant storacem. Rabanus hic legit, styrax, Græcis autem hic non est huius mentio. De styrace vide Plinium lib. 12. ca. 17. Galbanus vel galbanum, succus est siue lachryma fruticis, quæ ferula dicitur, nascentis in Syria; de qua sic Plinius lib. 12. c. 25. Dat & Galbanum Syria in eodem Amano monte è ferula quam eiusdem nominis resinæ modo stagonitim appellant, &c. Per vngulã hic oportet intelligere eam aromatis speciem quæ Exod. 30. dicitur onyx, & inter quatuor aromatum species, quæ ad thymiama cõficien-

dum decretæ sunt,cẽsetur.Nam ὄνυξ Græcè, quod nomen hic ponitur, Latinè vngué significat, & inter cætera significat aroma quoddam & resinã,sic dictam ꝙ vnguis humani colorem referat.Per guttam intelligẽ dæst hoc loco,sicut & Psal.44.cùm dicitur: Myrrha & gutta & casia,&c. resina,quæ ex frutice myrrha desudatur,quę Græcis στάκτη dicitur,à distillando,quia Græcis στάζειν,distillare est.Hoc enim loco,sicut & Psal. prædicto,pro gutta est στάκτη,quod nomen seruatum est Exodi 30.Pro;quasi libanus nõ incisus;Græcis est,ὡς λιβάνου ἄτμις,hoc est,vt thuris vapor. Significat enim libanus non tantùm montem, sed etiam arborem thuriferam & thus.Itaq;notandum diligenter,in originalibus Græcis hic tantùm recenseri quatuor species aromaticas,idq; eas ex quibus Exodi 30.præcipitur confici thymiama Domino offerẽdum.Nec est;vaporaui habitationem meã;sed tantũ est,quasi thuris vapor ὡς σμύρνης, in tabernaculo,vt significetur sapientiam se conferre quatuor illis speciebus quæ in tabernaculo Dei offerebãtur in thymiamate ex illis confecto. Noster interpres declarat se legisse,ὡς λιβάνου ἀτμοῦ non ἄτμις. Itaque per libanum hic oportet accipere ipsam arborem thuriferã,quæ peculiaris est Arabiæ: aut potius ipsum thus,quod ex eadẽ arbore profluit & colligitur,diis peculiariter etiam apud gentes dicatũ.Verùm quomodo intelligendum sit quod dicitur,libanus non incisus;nõ video,cùm thus colligatur incisis arboribus,nisi fortè aliquãdo vltro desudet ex arbore,idq; melius sit,eo quod ex incisione colligitur,sicut de myrrha scribit Plinius, ꝙ sudet spõte priusquam incidantur, eámque resinam stacten dictam;cui nulla præfertur. At hæc medianti & diligentius perquirenti occurrit certius aliquid ex Plinio, quod de libano non inciso dicendũ est.Is enim li.12. cap.14 inter cætera quæ de thure scribit,sic habet.Præcipua gratia est mammoso thuri, cùm herente lachryma priore,alia cõsecuta miscuit se.Singula hæc manum implere solita ingenio,cùm minore diripiẽdi auiditate lentius nasci liceret. Græci stagoniã & atomum tali modo appellant, minorem autem orobiam,micas concussu elisas mannã vocamus,&c.Hoc ergo hic dicitur,libanus nõ incisus,quod Plinius dicit vocari thus atomũ, cũ,vt diximus interpres noster pro, nõ incisus,hic legerit ἄτμου.Cùm dicitur,vaporaui habitationẽ meam,verbum,vaporaui,actiuè positum est pro suffire & suffumigare, quẽadmodum dixit Virgilius 11.Æneidos: Succedunt matres,& templũ thure vaporãt. Significat ergo Sapientia se velut optimi odoris vaporẽ de seipsa sparsisse in populo quẽ sibi in suã delegerat habitationem, dũ eum gratissima& suauissima doctrina imbuit,quę mentes hominum non minus recreat & delectat,quàm aromata illa odoratũ corpora lem.Addit interpres de balsamo non mixto, intelligens succum balsami non vitiatũ aut adulteratum aliqua mixtione.Nam balsamũ quoque & arborem significat & succum qui ex ea colligitur.De hac arbore, eiúsq; succo multa Plinius li,12.ca.25.scribens omnibus odoribus præferri ait balsamum vni terræ Iudeæ concessum,quondam in duobus tãtùm hortis,vtroque regio,altero iugerum viginti non amplius,altero pauciorũ, &c. Inciditur arbuscula vitro, lapide, ossíve cultellis, & succum emittit eximiæ suauitatis, qui opobalsamum dicitur.Nam Græcis ὀπὸς succus est.Cùm autem mixtionibus variis adulteretur,summa non mixti probatio est,vt lac coagulet,& in veste maculas non faciat.

21 *Ego quasi terebinthus expandi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.*

22 *Ego quasi uitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.*

AD magis amplificandum suã excellentiam,adhuc duabus se confert arboribus,ramis,odore & fructu præstãtibus,terebintho scilicet & viti.De terebintho scribit Plinius li.13.c.6.esse arborem circa Idã,Macedoniámque,breuem & fruticosam, in Damasco Syriæ magnam & copiosam, oleæ flore,sed puniceo.Cuius baccæ primũ sunt herbaceæ,mox rubræ:& cũ maturuerint nigrantes,magnitudine fabæ. Fundit etiam resinã odoratissimam hæc arbor,vt testatur idẽ lib. 14.c.20.Instar ergo terebinthi dicit se sapiẽtia expandere ramos suos,ꝙ suam vim & efficaciam ad multos diffundat cum summa & gratia & vtilitate.Ramos suos dicit esse honoris & gratiæ,subaudi ramos,vt exprimunt Græca,quia honorem adferunt simul & gratiam.Ita & instar vitis dicit se proferre & germinare suauem odorem,quia se gratã & delectabilem suis exhibet,suámque famam ac nomen latè spargit.Flores suos dicit esse fructus honoris & honestatis,quia proferunt tales fructus,honorem scilicet vel gloriam, & diuitias.Nam hic rursum nomen honestatis pro diuitiis ponitur, cùm Græcis sit πλούτος. Itaque in duobus se imitari dicit vitem, & in odoris suauitate, quæ est in flore vitis:& in fructus præstantia, qui florem sequitur. Ita enim & sapientia suis amatoribus voluptatẽ adfert,tanquam gratum florem,& simul gloriam & opes,tanquam veros & solidos fructus. Hic ergo dicens;rami mei honoris & gratię; itẽ,flores mei fructus honoris & honestatis;ipsamet explicat similitudines quas hactenus attulit multas, quod & clarius facit subiungens.

23 *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris & agnitionis & sanctæ spei.*

BEne pulchræ vel bonæ dilectionis (vtrũque enim significat Græca dictio καλῆς) dixit,quia est & turpis & mala dilectio. Quatuor doctrinæ suæ fructus cõmemorat, optimo ordine se consequentes,nẽpe vt qui fuerint ab ea instituti,Deum & quæ Dei sunt diligant,diligentes colant & reuereantur,tum & perfectam cognitionem ac sapiẽtiam habeãt,quam adfert Dei timor,ac postremùm & per hæc firmam in Deũ spem collocent. Spes

Spes enim confirmatur ex testimonio bonæ conscientiæ & perfectiore Dei cognitione, iuxta illud Psalm.9.Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.

24 *In me grãtia omnis uitæ & ueritatis, in me omnis spes uitæ & uirtutis.*

EX Græcis percipi non potest an in priori membro legendum sit,viæ an vitæ, nam vtrunque legitur, quia hic versus hodie in Græcis non est.Rabanus & codices etiã plures scripti habent vtrobique;vitæ.Incertum item an dictio,omnis,in priori membro, referẽda sit ad genitiuum, vitæ,an ad nomina tiuum,gratia.Rabanus refert ad genitiuum, vitæ,vt significetur Dei gratia nos & præsentem obtinere vitã & futuram.Melius tamen sicut in secundo membro refertur ad nominatiuum,spes,ita & in priori ad nominatiuũ, gratia,vt sit sensus:Per me obtinetur omnis gratia,& quæ in bona vita cõsistit, & quæ in veritatis agnitione sita est.Per me habetur omnis spes & quæ est de vita æterna obtinẽda,& quæ est de virtute habẽda,quæ ad vitã æternã consequendam est necessaria. Vt in priori membro sit sermo de vita gratiæ, ad quam necessaria est veritatis cognitio:in secũdo de vita gloriæ, ad quã perducit virtus.

25 *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.*

POstquam explicauit qui sint fructus ipsius, rectè subiungit hanc inuitationem ad fructuum illorum participationẽ; ob cuius desiderium excitãdum tota illa narratio & commẽdatio sui fuit introducta. Generationes enim vocat fructus quos ipsa progignit, & quorum suprà se matrem esse dixit. Dicit,adimplemini, significans fructus huius mundi nõ saturare,aut eam saturitatem non esse salutarem,nec expectandam. Item se suos fructus non auarè impartiri,sed licere vnicuique tantùm ex eis accipere, quantùm eorum voto satis esset.

26 *Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generatione sæculorum.*

PRo,spiritus,Græcis nunc est τὸ μνημόσυνον, memoria vel memoriale.At interpres videtur legisse πνεῦμα,quanquam & de memoria subiungat,ita vt vtrumque legerit.Spiritum sibi sapientia tribuit, sicut suprà ei tributa est anima. Significat autem nomine spiritus, suam naturam de se per legis doctrinam, & opera mirabilia spirantem suauem apud homines odorem, quomodo & Sapientiæ 12.dicitur:O quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus; quod non tantùm de spiritu sancto, tertia in diuinitate persona, est accipiendum, cùm etiam spiritui sancto dici possit:Domine suauis est spiritus tuus.Per hæreditatem sapientiæ, intelligitur hic cõmuniter vita æterna,quam suis sectatoribus largitur sapientia.At cùm in sequentibus ipsam legem vocet hæreditatem Israeli datam, verisimilius est etiã illam hic vocatam sapientiæ hæreditatẽ,quam & credo illã appellare τὸ μνημόσυνον, memoriã suã, vel potius memoriale suum. Dictio enim Græca magis significat memoriala aliquod & pignus quod ad cõseruationẽ memorię rẽ lictum sit. Tale autem memoriale, est lex à sapientia Dei fidelibus relicta,idque in perpetuam possessionem.Itaque idem hic dicitur quod in Psalmis: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Desiderabilia super aurũ & lapidẽ pretiosum, & dulciora super mel & fauum.Et rectè probatur generationes & fructus sapientiæ appetẽdos,propter dulcedinem spiritus qui percipitur in lege Dei,& eloquiorum eius. *Psal.118 Psal.18.*

27 *Qui edunt me,adhuc esurient:& qui bibunt me, adhuc sitient.*

TAnta est & talis sapiẽtiæ Dei in scripturis & eloquiis sacris relicta dulcedo, vt eius satietas & fastidium nunquã hominem sapientiæ amanté capiat,imò vt semper magis auidũ ipsius efficiat.Quod pulchrè hac sententia significatur,nempe gustata sapientia veluti cibo potúque suauissimo,appetitũ non(vt in cibis corporalibus fieri solet)amittí,sed retineri & augeri.Nec obstat his quod suprà dixit sapientia adimplemini.Itẽ quod Dominus dixit: Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei,non sitiet in æternum.Nam esuries & sitis, de qua dicitur in hac sententia, tantùm excludunt fastidium,& includũt vlteriorem appetitionem rei habitæ.In sententia verò Domini nomine sitis, inopia significatur & desiderium rerum alienarum: sicut & suprà cùm dixit, sapientia adimplemini, significatum est fructus sapientiæ inopiam tollere,& desiderium rerum alienarũ. Multùm dilucidant hanc sententiam quæ diuus Gregorius scripsit homil.36.super Euangelia.Hoc distare, inquit,fratres chariſſimi inter delitias corporis & cordis solet, ꝙ corporales delitiæ,cùm non habentur,graue in se desiderium accendunt:cùm verò auidè edũtur,comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At cõtrà spiritales delitiæ,cùm non habentur, in fastidio sunt:cùm verò habentur,in desiderio:tantóq; amplius à comedente esurientur,quãto & ab esuriẽte amplius comedũtur.In illis appetitus placet,experiẽtia displicet.In istis appetitus vilis est,& experientia magis placet.In illis appetitus saturitatem,saturitas fastidium generat,in istis autem appetitus saturitatem,saturitas appetitum parit.Augent enim spiritales delitiæ desiderium in mente dum satiãt, quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur quod auidius ametur.Et ideo non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur,&c.

28 *Qui audit me,non confundetur: & qui operantur in me,non peccabunt.*

ALium fructũ perceptæ sapientiæ explicat hæc sentẽtia, nempe quòd per eam

duplex malum effugiet sapientiæ studiosus confusionem scilicet & peccatum. Qui, inquit, audit me, hoc est, obedit mihi, nũquam pudore afficietur, quia & hic fiducialiter deget, & ab æterna cõfusione liber erit, nec spe sua frustrabitur. Et qui operantur in me, hoc est, qui sua per me obeunt negotia, non peccabunt in eis, sed sua fœliciter & bene peragent. In priori ergo mẽbro ἀτυχίαν, hoc est, fœlicitatem promittit: in secundo εὐπραξίαν, hoc est, bonam operationem.

30 *Qui elucidant me, uitam æternam habebunt.*

HÆc pars iam Græcis non est, rectè tamẽ superioribus subiicitur, vt postquã dictum est quid boni consequentur sapientiæ auditores, diceretur etiam quid consequentur eius doctores. Hi enim sunt qui elucidant sapiẽtiam, hoc est, qui eam in lucem proferunt, & clariorẽ aliis faciunt dum eam docent, & suis expositionibus explanãt. His amplius quid promittit quàm auditoribus, quia illis promisit tantùm non cõfundi, istis vitam æternã. Quia, vt dicitur apud Daniel. cap. 12. qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebũt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sed notandũ quòd dicat; qui elucidant me; contra eos qui suam gloriam venantur ex doctrina verbi Dei, sese cupientes celebrari, nec tantùm gloriam sapientiæ & veritatis quærentes.

31 *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum altißimi, & agnitio veritatis.*

32 *Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum & hæreditatem domui Iacob & Israel promißiones.*

HÆc cum sequentibus aliquot sentẽtiis videntur ab ipso authore inserta ad explicationem & confirmationem præcedentium, quãuis possint etiam accipi vt sint adhuc verba sapientiæ loquentis & explicãtis sua verba. Habent autẽ Græca vnam tantùm sententiam hoc modo: Hæc omnia liber testamenti Dei altissimi, lex quam mandauit nobis Moyses, hæreditatem in congregationibus Iacob. Nisi quòd Germanicum exemplar non habet nominatiuum, lex, sed genitiuũ, legis, nec habet pronomen, nobis. Sensus ergo est: Hæc omnia prædicta de sapientia, sunt vel continet aut præstat liber legis diuinæ, qui sapientiam Dei qnatenus hominibus est necessaria complectitur, cuius doctrina obseruata præstat eam seruãtibus bona superius insinuata. Hic liber complectẽs totam sacram scripturam, liber est vitæ, quia vitam conferens seruãtibus: Est & testamentum altissimi, quia in se cõtinet fœdus & pactum quod cum populo suo Deus pepigit, continens & quid Deus à nobis requirat, & quid ipse nobis promittat. Additur rectè; & agnitio veritatis; quia sapiẽtia non consistit in libro legis, nisi per eũ agnoscatur veritas, verus scilicet Deus, & verus eius cultus, atq; vera bona, ad quæ eius cultus hominẽ perducit. Quis autẽ sit liber vitæ explicatur sequẽti sentẽtia, quæ collatione facta cum originalibus sic videtur accipiẽda; Legem mãdauit Moyses consistentem in præceptis iustarum actionum, quæ vel ergá Deum, vel erga proximum seruandę sunt. Hanc, inquam, legem mãdauit, & hæreditatẽ domui Iacob & promissiones Israelis, hoc est, sic eam mandauit vt & esset hæreditas progeniei Iacob, imperpetuũ possidenda ab illa, & cõtineret preter præcepta etiam promissiones Israeli factas.

33 *Posuit Dauid puero suo excitare regem ex ipso fortißimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.*

HIc versus in Græcis exemplaribus nũc non est, & Germanicum quidem exemplar nihil habet eius loco, sed quod sequitur. Qui implet quasi Phison; cõiungitur cũ his quæ iam dicta sunt de libro legis Moysi, vt omnes illæ comparationes referantur ad legem Dei. Complutẽsis autem æditio, loco huius nostræ sententiæ, duas habet sententias hoc modo: Ne deficiatis roborari in Domino, vt ipse vos confortet: Adhærete illi, Dominus omnipotẽs Deus solus est, & non est amplius præter illum Saluator. Quæ longè minus huic proposito videntur conuenire, quàm quod nos legimus, quod omnino est verisimile nostrum interpretem in suo exemplari legisse. Nec enim est probabile, illum de suo tam multa addidisse, quibus nihil tale in suo exemplari correspondisset. Porrò hanc sententiam non pertinere ad Salomonem, qui Dauidi in regno successit, sed ad Messiam, qui, cùm hæc scriberentur, expectabatur nasciturus ex semine Dauid, manifestum est ex illo quod dicitur; sedentem in throno honoris in sempiternum; quod Salomoni non conuenit, sed illi de quo dictum tunc erat: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit: vt confirmet illud & corroboret, amodo & vsque in sempiternum. *Isaiæ.9.* De Messia autem rectè hic subiungitur, siue occasione promissionũ quæ in lege Moysis continentur, quia hoc tunc vnicè inter omnes promissiones expectabatur, vt veniret promissus Dauidi Messias: siue potius quia hic futurus erat alter post Moysen legislator, qui suæ doctrinæ sapientia perfecturus erat legem Moysaicam, vt postquam dictum est sapientiam contineri in libro fœderis Domini, subiungatur de duobus legislatoribus: quorum alter tulit legem veterem, alter laturus erat legẽ nouam, & testamentum nouum per Ieremiam promissum. *Iere. 31.* De hoc ergo dicit, quòd altissimus posuit, hoc est, cõstituit atq; promisit Dauidi puero suo hoc est, famulo suo, excitare ex ipso regem fortissimũ, qui scilicet ab omnibus hostibus & seruitute populum suum liberaret, qui & sederet in throno regio in sempiternum, nullum vnquam habiturus successorẽ quasi dicat: Ille absoluet nobis sapientiam per legem & prophetas ex parte expressam, sicut dixit Samaritana: Scio quia Messias venit, *Ioan. 4.* qui dicitur Christus, cùm ergo venerit ille, annunciabit nobis omnia. Promissus enim fuit Messias non solùm tanquam rex, sed & *Deut.18* tãquam doctor, Moyses enim dixerat: Prophetam

phetam suscitabit vobis Deus de gẽte tua & de fratrib⁹ tuis, sicut meipsum audietis. &c.

34 *Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum.*

RElatiuum, qui, hic & in sequentibus sententiis, nostri referunt ad regem illum fortissimũ, de quo in superiori versu, vt quæ sequũtur de Christo sint peculiariter dicta, & ad euangelicam pertineant doctrinam, in quam sanè ea omnia perfectius quadrant, quàm in legem veterẽ. At hanc non esse genuinam huius loci tractationem, præter alia quæ dici possent, ex eo manifestum, quod pro illo; Qui implet; est participiũ ἐμπιμπλῶν, quod non potest commodè referri ad accusatiuum, regem fortissimum, sed ad illud quod est suppositum verbi, posuit, in præcedenti sententia, sicut in æditione Complutensi refertur ad Dominum, de quo ibi præcedit: & in æditione Germanica refertur ad librum legis, de quo ibi præcedit. Sensus ergo nostræ lectionis est: Ille posuit Dauidi exitare ex ipso regem, qui sapientiã abundè instar fluminum hominibus profundit, sicut per Moysen fecit, facítque, & per Christum suum suo tẽpore facturus est. Cõparat ergo Deum in sapiẽtiæ suæ cõmunicatione aliquot celebratissimis illi populo & sacris fluminibus, nempe quatuor illis fluminibus quæ Genesis 2. dicũtur egredi ex paradiso, & Iordani præcipuo Iudaicæ terræ fluuio, significans per hæc Deum omnis verę sapientiæ esse fontem & authorem. Atque hęc flumina eo disponit ordine, quem habent in mundi constitutione. Primus enim ab oriẽte est Phison Indiæ fluuius, idem cum eo quem teste Hieronimo. Gangem scriptores vocant. Sequitur illum Tigris, post eum Euphrates, ac deinde Iordanis, & postremùm Gehon, quem Nilum Æthiopiæ & Ægypti fluuium putant. Quæ quinque flumina non tantùm recenset ob earum celebritatem, sed etiam quòd sacra essent: quatuor quidem illa ob paradisum in qua ortũ suum habere scribuntur, Iordanis autem ob miraculosum Iudaici populi transitum, præter alia miracula quibus celebris est. Dicit ergo Deum implere sapientiam, hoc est, copiosam hominibus profundere sapiẽtiam, quomodo Phison & Tigris copiosam de se diffundunt aquam. Per dies nouornm significat tempus veris, in quo fructus terræ innouantur, quando verisimile est Tigrim magis inundare solitũ, ad irrigationẽ terræ, & eius cõmoditatem. Itaque ea parte addita, significatur Deum non tantum copiosè sapiẽtiam communicare hominibus, sed etiam opportunè & vtiliter. Et notãdum est authorẽ sicut prius sapientiam cõparauit variis arboribus ita nunc comparare aquis diuersorũ fluminum, vt sicut illis similitudinibus significatum est in sapientia inueniri quicquid gratię & vtilitatis in nobilioribus arboribus inuenitur: ita & hic significaret eam omnem adferre mundo vtilitatem, quam adferunt illorum fluminum aquæ, Et arboribus enim similis est sapiẽtia ob fructus quos profert: & aquis, quod mentes hominũ irriget, fœcundet, atque refrigeret.

35 *Qui adimplet quasi Euphrates sensum, qui multiplicat quasi Iordanis in tempore menßis.*

DEus, inquit, instar Euphratis multã aquã profundentis, etiam adimplet sensum, hoc est, intellectũ vel prudẽtiam, (est enim Græcis σύνεσιν) hoc est, copiosam intelligentiam & prudẽtiã de se diffundit in varios homines, eam copiosè dispertiẽs. Et hanc intelligentiã multiplicat in hominibus, sicut Iordanis multiplicat aquas suas in tẽpore messis, iuxta illud Iosue 3. Iordanis ripas aluei sui tempore messis impleuerat.

36 *Qui mittit disciplinam sicut lucem, & aßistens quasi Gehon in die vindemiæ.*

BEne inter cõparationes à fluuiis desumptas, inserit etiam similitudinẽ à luce solis mutuatam, quia & hęc aptissima est ad significandum & copiã sapientiæ quã nõ parcè Deus elargitur, sed, vt dicit Iacob .cap. 1. dat omnibus affluenter, nec improperat, & eiusdem muneris opportunitatem, vtilitatẽ atque naturã. Vt enim lux mortalibus summè necessaria est, ita miserrima est vita hominis sapientia destituta, quæ instar lucis est ipsi menti, viam rectam commonstrãs, & discrimina rerum. Dicit ergo Deum mittere, hoc est, emittere disciplinam vel doctrinam & sapientiam, sicut lucem, quia scilicet copiosè eam a se in homines diffundit, sicut sol lumen copiosum longè latéque spargit, & quia cũ summa hominum vtilitate id facit, item quia per eam hominum mẽtes illustrat. Eundem Dominũ dicit sapientiã quam de se mittit, assistere, hoc est, præsentẽ exhibere, quẽadmodum Gehon vel Nilus exhibet præsentem aquam multã tempore vindemiarum. Eo enim tempore fit Nili incremẽtum in Ægypto cum summa terrę illius vtilitate. Cùm enim Maius exhibeat in Ægypto tempus messis, teste Plin. 18. post solstitium æstiuale, eodem teste, incipit Nili incremẽtum. Commodè autem participium, assistens, ab interprete additum actiuè capitur, quẽadmodum sæpe, sisto, pro pręsentem exhibeo ponitur, vt repetatur accusatiuus doctrinam, & respondeat verbo, mittit, & sit sensus: Mittit eam, & quam mittit etiã sistit, & coràm exhibet. Et hic quoque tempus appositum, scilicet in die vindemiæ, insinuat non tantùm copiosè, sed etiam opportunè & vtiliter sapientiam hominibus exhiberi, eàque hominum mentes fœcundari, quemadmodum Ægypti solum incremento Nili opportuno tempore præstito.

37 *Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam.*

GRæcis est; Non perficit primus scire eam, & sic extremus non inuestigauit eam. Quo significatur sapientiam ita esse incomprehensibilem, vt eius plenam cognitionẽ nec qui primus eius fuit studiosus, sit assecutus,

assecutus, nec assecuturus sit qui vltimus ei inuestigandæ vacabit. Noster pro ὑ, non, legit, ὸς, qui. Nec est dissimilis sensus. Significatur enim quòd Dominus Deus primus perficit scire eam, hoc est, perfectam eius habet scientiam, & quicunque eo est infirmior, vt est omnis creatura, nunquam plenè eam inuestigabit, ita vt nihil præterea de ea restet inquirendum & cognoscendum. Quod sequens bene comprobat sententia.

38 *Amari enim abundauit cogitatio eius, & consilium eius ab abysso multa.*

LEgendum esse, ab abysso, potius quàm, in abysso, cùm vtrumque in scriptis reperiatur, Græca docet, quæ habet, ἀπὸ ἀβύσσου. Certè Rabanus habet, ab abysso. Et dicitur Hebraica phrasi, à mari, & ab abysso, pro, plusquam mare, & plusquam abyssus. Vnde sensus est; cogitatio sapiétię copiosior est & incomprehensibilior quam sit mare, & cõsilia eius minus perustigari possunt, quàm maxima aquarum profunditas, iuxta illud Pauli ad Rom. cap. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, &c.

39 *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Doryx. & sicut aquæductus exiui de paradiso.*

PRo his omnibus Græcis tantùm est vna sententia bimembris, sic habens; ἐγὼ ἐξέχεα σοφίαν ὡς ἰλιώγυξ ἀπὸ πολάμου, καὶ ὡς ὑδραγωγὸς ἐξῆλθον ἀπὸ παραδείσου. Ego sapientia veluti fossa de fluuio, & veluti aquæductus exiui in paradisum. Non est enim Græcis nomen aliquod fluuij qui Doryx dictus sit, sed est nomen appellatiuum ἰλιώγυξ quod fossam significat, pro quo semel hic & mox postea vertitur trames. Nam & postea ponitur nomen. ἰλιώγυξ. Semel autem ponitur tanquam nomen proprium alicuius fluuij. vnde omnino verisimile est illam partem; ego quasi fluuius Doryx; in nostram lectionem esse insertam ex altera aliqua versione margini prius asscriptã, & postea textui immixtam. Nam pro illo quod illi parti apud Græcos respondet, semel hic versum est; Ego quasi trames aquæ immensæ. Trames enim aquæ, non est aliud quàm fossa è fluuio deducta ad transferendum aquam. Hanc coniecturam certiorem facit, quod, vt notatur in Bibliis Roberti, quidam libri habeant; quasi Doryx à flumine; non autem, quasi fluuius Doryx. Rabanus quidem dicit fluuium Doryx quosdam existimare esse amnem Armeniæ qui Araxis dicitur. At nullo fide digno authore probari potest, vel hunc vel alium aliquem fluuium dictum nomine Doryx. Quod quidam animaduertẽtes, mutauerunt nomen Doryx in vorax. Nam & sic quidam libri habent, & placeret magis ea lectio, nisi inspectis originalibus magis verisimile esset versum fuisse Doryx ab aliquo, qui hoc nomen in Græcis corruptè legit, aut non satis animaduertit quid significaret. Quod si ea lectio sit retinẽda, conueniẽtius fuerit vt nomẽ, Doryx, apud nos appellatiuè accipiatur, pro eo quod Græcis significat ἰλιώγυξ, & sit sensus: Ego sum quasi fluuius, sed talis qui est fossa ex magno aliquo fluuio deducta, vt idẽ significetur cũ eo, ego quasi trames aquæ immẽsæ. Itaque postquam author huius libri suis verbis exposuit quomodo Deus sapiẽtiam suam copiosè instar fluminum hominibus communicat, rursum introducit sapientiam loquentem de seipsa, ac ostẽdentem se, quatenus à Deo communicatur hominibus, rectè comparatam esse aquis à magno aliquo fluuio deductis, séq; instar multarum aquarũ copiosè rigare hominum mentes. Ego, inquit, sapientia effudi in mundo per legem & sapientum doctrinam, atque internam inspiratione flumina, hoc est, copiosam mundo exhibui doctrinã, quam tamen non ex meipsa accepi, sed sum quasi effossa aliqua via immẽsæ aquæ, de fluuio aliquo magno deducta, hoc est, sum quasi fluuius fossilis, & sicut aqueductus exiui in mundum ad homines de paradiso cœlesti, vbi fons est omnis sapientiæ & verus locus voluptatis. Significat ergo legis doctrinam, per quam sapiẽtia hominibus est communicata, originẽ suam habere à Deo: nec tamen quamuis copiosè sit communicata, omnem Dei sapientiam ad nos plenè deriuatam, sed partem tantùm, quæ nobis & cõueniebat & necessaria fuit. Habent quidem Græca, Exiui in paradisum; & tunc per paradisum intelligitur hortus ille de quo sequitur: Rigabo hortum meum. Conuenientem tamen etiam habet sensum, quòd se sapiẽtia dicat exisse de paradiso illo mystico, qui est beatorum locus, vt sit alluſio ad paradisum terrestrẽ, de quo Gen. 2. & significetur quòd quẽadmodum ex paradiſi illius fonte, quatuor flumina diuisa sunt & egressa in mundum: ita & ipsa ortũ suum in mũdo habuit, ex plenitudine cœlestis sapiẽtiæ, quę in Deo à beatis plenius hauritur & percipitur.

40 *Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo pratus mei fructum.*

LEgendum potius, pratus vel prati, vt habent quidam libri, quàm partus, Græca dictio insinuat πραιάριον, quæ areolam hortorum, & consitionum oleorum significat. Ad cuius vocis imitationẽ verisimile est interpretem vertisse, prati, vel potius pratus. nam delectatur vocibus quartæ inflectionis, quæ hoc libro frequenter occurrunt. Et dictio cùm offenderet quosdam tãquam obsoleta, mutata est in, partus. Ita enim plerique cùm se rectè corrigere putãt quæ videntur absona, veram lectionem præsumpta scientia depranant. Per suum hortũ plãtationũ & pratũ suũ, significat sapiẽtia Dei populũ, quem colendum suscepit, & in quo suam voluptatem constituit, qui plãtationum hortus est, quia in eo magna est plantarum, hoc est, hominum iustorum & multitudo & varietas, diuersos fructus proferentium: qui vt Dei munere in iustitia sunt plãtati, ita assidua egent sapientiæ irrigatione, sine qua aridi essẽt cerentur, nec fructus aliquos dignos proferrent. Indicat ergo sapientia se à magno flumine cœlestis sapientiæ emanasse in hunc mundum, vt ecclesiam electorum rigaret: nec tantùm rigaret, sed etiam inebriaret, vt copiosum fructum Deo proferre valeret.

41 *Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.*

SIgnificat se suo profluuio & irrigatione nõ defecisse & exhaustã esse, sed contrà valde profecisse & auctam esse. Et ecce, inquit, est quod mireris, trames ille aquæ, de quo dixi, factus est mihi abundans, hoc est, copiosus admodum, excrescens scilicet in iustũ flumen, quia Græcis est; factus est mihi ἰλιώγυξ, hoc est, fossa in flumen. Et fluuius meus etsi in principio fuerit exiguus, tamen mox appropinquauit ad mare, hoc est, similis mari factus est. Quibus verbis significat, ex paruis initiis sacræ doctrinæ, maxima incrementa consecuta esse. Moysi enim libris accesserũt scripta & oracula prophetarum: & cùm sacra doctrina prius tantùm recepta esset in exiguo Iudaico populo, ibi tunc cùm hæc scriberentur, cœpit dilatari per dispersos Iudæos ad exteras gentes. Sed omnium perfectissimè per expectatum tũc Messiam nunc impletum est, quando Apostolorum prædicatio exiuit in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum, & perfectè impletum est quod dixit Isaias cap. 11. Repleta est terra scientia Domini, sicut aquam maris operientis. Ad quam veritatis diuinæ diffusionem etiam respicitur in sequentibus.

42 *Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque in longinquum.*

BEne probat progressum & incremẽtum suæ doctrinæ, alia iam adducta similitudine, cuius supra etiam mentio fuit, lucis scilicet, quę cùm manè subitò erumpit, mox toto orbe spargitur, sed per incrementa, ita vt diluculũ obscurius sequatur clarior lux, quæ crescit vsque ad perfectam diem. Rectè ergo dicit sapientia, doctrinam meam quasi antelucanũ, hoc est, diluculum, (Græcè enim est ὄρθρον) illumino omnibus, hoc est, ita eam omnibus claram facio & exhibeo, quomodo matutinum lumen subitò post tenebras sol exhibet, spargens illud successiuè, & augens per vniuersum orbem. Nec desinam illam diutulgare & notam facere vsque in longè dissitas orbis partes. Eo enim tempore sacris Bibliis in linguã Græcam conuersis, cœpit sacra doctrina etiam ab exteris agnosci, quæ deinde per Messiæ doctrinam latissimè & plenissimè dissemi-nanda erat in vniuerso orbe, fugatis idolatriæ tenebris. Quod authorem huius libri agnouisse futurum, satis ex his verbis intelligere licet. Nec mirum, cùm apertè id Prophetæ expresserint, vt est illud Isaiæ cap. 49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.

43 *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo sperantes in Domino.*

HVnc versum Græca modò non habẽt, dubitandum tamen non videtur quin eum apud Græcos interpres legerit. Alioquin tam insignem sententiam de suo nequaquam additurus, cui nihil in Græcis responderet. Itaque promittit sapientia se non tãtùm radios suæ lucis per vniuersi orbis latitudinem sparsurã, sed etiam peruenturam ad inferiores partes terræ, hoc est, ad mortuos, quos & dormientes scripturę more vocat ob resurrectionis spẽ. Ad eos se penetraturam, nullo obstaculo impediente, dicit, vt & illos illuminet, & sua luce recreet, sed tales qui in Domino sperãt, & eius gratiã præstolantur. Quod etsi aliquousq; per sapientiam præstitum est etiam ante Christi aduẽtum, quia iusti defuncti, per sapiẽtiam fidei præstolantes eius aduẽtum, regnique cœlestis per eum apertionem, ac tandem etiam corporum resurrectionem, huiusmodi spe semper recreati fuerũt, & illuminati: tamen perfectius impletũ est cùm Christus ad inferos descendens suæ præsentiæ luce perfudit iustos mortuos, eorùmque animas ex inferno secum eduxit. Implebitúrq; perfectissimè, cùm in nouissimo die eductis è visceribus terræ defunctorum corporibus, fœlici secum resurrectione consortes efficiet eos qui sperauerũt in ipso, eiúsque aduentũ cõstanti fide præstolati sunt. Itaque insignis est hic locus, pertinens ad ea quæ per expectatum tunc Messiam erant præstanda, & manifestè satis spem resurrectionis confirmans.

44 *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & nõ desinam in progenies illorũ usq; in æuum sanctis*

DIuersa hic est in Græcis lectio. Nam Complutensis æditio in principio sentẽtiæ habet ὅτι, quoniam. Germanicũ exemplar habet ἔτι, adhuc, vt noster vertit. Iuxta priorem lectionem hæc sentẽtia adhuc cõtinet verba loquentis sapientiæ. Iuxta posteriorem lectionem, hæc sententia est potius accipiẽda vt sint verba authoris, qui manifestè in sua persona loquitur sequẽti sentẽtia, vt patet ex cap. 33. vbi eandẽ sententiam repetit, & adiungit quædam, ex quibus licet intelligere satis etiam hanc sententiam pertinere ad ipsum authorem, vt post introductam sapientiæ orationem, hic iam nouo rursum capite incipiat præfari ad noua sapientiæ dogmata quæ subiecturus est. Proinde non abs re quidam scripti codices ab hac sentẽtia nouum caput auspicantur, quidam à sentẽtia sequente. Habẽt autem hanc sententiã Græca breuius sic; Adhuc doctrinam vt prophetiam effundam, & relinquam ipsam in generationes sæculorum. Dum dicit se prolaturum doctrinam sicut prophetiam, significat se diuinam doctrinam traditurũ, quæ certa sit & solida, quæq; nõ humano ingenio sit excogitata, sed diuinitus reuelata,

uelata, ſicut prophetę ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt. Dum ſe dicit eam relicturũ in generationes ſeculorum; ſignificat ſe eam ſcripto relicturũ poſteris, vt imperpetuum ab eis legi & audiri poſſit, qui ſtudioſi ſunt ſapientiæ. Et non deſinã, inquit, hoc eſt, perſeuerabo ſemper, per ſcriptam à me doctrinam, in progenies illorum qui quærunt ſapientiam, vſque in æuum ſanctum, hoc eſt, vſque in ſæculum futurum, vbi humana amplius doctrina opus non erit, ſed implebitur illud quod per Ieremiam dictum eſt; Non docebit vltra vir proximum ſuum. Omnes enim cognoſcent me à maiore vſque ad minimum eorum.

Iere. 31.

45 *Videte quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.*

COgnoſcite, inquit, ex hoc tam prolixo ſcripto, eodémque elaborato, & ſententiis ſapientum referto, quòd in quærenda ſapientia non mihi ſoli laboraui, vt faciunt illi quibus ſatis eſt multa quæ ſapientię ſunt inueniſſe & agnouiſſe, nec ſtudẽt ea aliis ſcribẽdo aut docẽdo communicare, ſed laboraui omnibus exquirentibus veritatem, dum quæ ad ſapientiã pertinentia aſſecutus ſum, tã ſtudioſè omnibus ſcripto relinquere non ſum grauatus. Iſtud ſubiecit tum vt ſua diligentia lectorem excitaret ad ſtudioſam horum lectionem, tum vt ſuo exemplo prouocaret ad lubenter docẽdum alios. Cæterum quæ ſuperius de ſapientia diuina in genere accepta, ſunt expoſita, facilè etiã fuerit applicare ſapientiæ Dei, quæ appropriatè eſt verbum Dei, non ſolùm ſecũdum eius diuinitatem, ſed etiã ſecũdùm aſſumptã eius humanitatem, vt per populum Iſraeliticum myſtico ſenſu intelligatur populus Chriſtianus, quem in hæreditariã ſuam poſſeſſionẽ ſibi peculiariter ſapiẽtia Dei & Chriſtus delegit, in quo & ſua dona effundit, & ſummè delectatur. Sunt etiam in hac ſapientiæ oratione, quæ in ſacratiſſimæ virginis feſtiuitate in eccleſia decantãtur, quaſi ad eam pertineant, & de ea dicta ſint. Quod neminem offendere debet, nec ob id quiſquam exiſtimare debet quòd de matre Domini hæc proprio ſenſu dicta ſint. Non enim ea intentione eccleſia illis feſtiuitatibus hæc decantat, quaſi putet hæc de virgine propriè dicta eſſe, ſed quia piè illa ei accõmodari poſſunt: quòd illi multa huius orationis bene conueniant, vt imprimis ſexus fœmininus, ſub quo hæc oratio nomine ſapientiæ effertur. Deinde quædam huius orationis partes, qualis eſt illa: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Poſtremùm quoniã quæ Dei ſapientia & Chriſtus in populo ſuo præſtitit & effecit, per illam quæ Chriſtum pepe rit, ſingulariter & eximiè perfecit, cui vt gratiæ plenitudinẽ ſuper omnes alios contulit, & ſuæ gloriæ conſortium: ita mirum non eſt ſi quæ Chriſto propria ſunt, quodam modo ei communicentur. Quomodo autem hæc omnia particulariter diuæ virgini accõmodari poſſunt, diſcere licet ex Dionyſio & aliis, qui hæc diligenter tractauerunt.

Caput XXV.

1 *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus, Concordia fratrum, & amor proximorum, & uir & mulier ſibi bene conſentientes.*

RÆca pro; placitum eſt ſpiritui meo; tantùm habent ὠραῖοθαι, & pro; quę ſunt probata; habẽt καὶ ἀνέςαι ὡραῖα Itaq; vertunt: In tribus decorata ſum, & ſurrexi decora; vt rurſum hic inducatur ipſamet ſapientia loquens, quæ ſe teſtetur maximè delectari & ornari concordia & amicitia hominum. Interpres noſter pro ἀνέςαι, videtur legiſſe ἔςι, vt adiectiuum, ὡραῖα ſit neutrum plurale. Iuxta cuius verſionem rectè accipitur hic loqui ipſe author, qui ad tradenda moralia documenta iam rurſum redeat: quanquam etiam accipi poſſint hæc dicta in perſona ſapiẽtię, ſicut intelligit Rabanus. Imprimis autem comprehẽdit numeris quędam bona & quædam mala, quemadmodum & Salomon fecit quibuſdã locis. Quod genus eſt antiquæ doctrinæ, hanc habens commoditatem, vt quæ ſic tradũtur, memoria facilius retineri poſſint. Primũ ergo tria ponit, quæ non ſibi tantùm placere dicit, ſed etiam probari & Deo & hominibus: quæ tria ad idem pertinent, nempe amicitiam & dilectionem, quæ etſi inter omnes ſit ſeruanda, præcipuè tamen in triplici hominũ coniunctione, videlicet ea quam parit conſanguinitas, quam ſignificat cùm dicit; Cõcordia fratrum. Deinde ea quam facit cohabitatio, quam ſignificat cùm dicit: Amor proximorum, hoc eſt, vicinorum. Et tertiò ea quam efficit coniungium. De qua dicit; Vir & mulier ſibi conſentientes. Vbi notandum pro conſentientes, Græcis efficacius eſſe συμπεριφέρεσθαι: quæ dictio ſignificare videtur coniuges viciſſim ſibi debere deferre, & mutuos defectus ferendo, & mutuis officiis iuuando. Sonat enim ac ſi dicat, ſimul circũferentes, aut ſimul circumlati. Et videri poteſt tranſlatio ſumpta à conuiuiis & compotationibus, quæ ob familiaré & amicam poculi circumlationẽ συμπεριφοραὶ nominantur, vnde & συμπεριφοραὶ pro conuictu, ac vitæ cõiunctione accipitur. In triplici ergo hac iam dicta coniunctione adeo requiritur amicitia & concordia, vt ſi ea abſit, maxima mala prouentura ſint, & vita hominum futura ſit incommodiſſima: & contrà fœliciſſima, ſi adſit inter ſic coniunctos.

2 *Tres ſpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum.*

3 *Pauperem ſuperbum, & diuitem mendacem, & ſenem fatuum & inſenſatum.*

PRo, aggrauor valde animæ illorum, Græcis eſt, προσωχθισα σφοδρα τῇ ψυχῇ αυτῶν, hoc eſt, infenſus ſum vel infenſa ſum valde vitæ illorum. Senſus ergo eſt: valde grauis ſum contra animam illorum, vel contra illos,

graviter illos fero, eisque indignor. Tribus ſpeciebus ſibi gratis, opponit tres alias ſibi ingratas, tria ſcilicet hominum genera, quæ pugnant cum natura ſuæ conditionis, & cõmittunt quod eis omnium minimè conuenit, ideoque minimè tolerari poſſunt. Quorum primum eſt, pauper ſuperbus. Non enim, vt diues, habet vnde efferatur, ſed ſuæ conditionis ratione meritò ſe deprimere deberet. Secundum eſt, diues mendax. Nam & is non ita cauſam habet mentiendi ſicut pauper quem inopia ſæpe ad mẽtiendum prouocat, & ſuis mendaciis propter authoritatem quam habet in republica, magis nocet quàm pauper, cuius verbis non facilè fides habetur. Tertium eſt ſenex fatuus & imprudens. Cùm enim per ætatem & rerum experiẽtiam, multam ſibi debuiſſet colligere prudentiam, minus in eo ferenda eſt imprudentia, quæ in iuuenibus non ita vitio vertitur, vnde Iſaiæ 65. dicitur: Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Pro, fatuum, tamen Græcis eſt μοιχὸν, hoc eſt, adulteram, vt ſit tertium, ſenex adulter & deficiens prudentia. Minimè enim omnium libido effrenis in ſenibus ferẽda eſt, quæ iam in illis per ętatem refrigeſcente calore naturali & libidinis incentiuo, reſtincta eſſe deberet. Nam, vt ait Cicero, cùm omni ætati fœda ſit libido, tum ſenectuti multò fœdiſſima. Interpres noſter pro μοιχὸν, legiſſe ſe declarat, μῶρον. Myſticè pauper ſuperbus eſt, qui cùm virtutis & ſapientiæ inops eſt, de virtutibus & ſcientia gloriatur; Diues mendax, qui cùm in ſcripturis multum ſit verſatus, errorũ magiſter efficitur. Senex fatuus, qui cũ longo prius tempore probè vixerit, in ſenectute vanitates carnis & mundi ſectatur.

4 *Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies?*

GRæca nõ habẽt relatiuũ, quæ, nec Rabanus nec multa ſcripta, ſed tantũ, In iuẽtute tua nõ cõgregaſti, & eſt iucũdior ſententia, quę dirigitur reprehenſiuè ad fatuos ſenes, oſtenditque vnde fiat vt in ſenectute inueniantur quidam prudentia deficientes, nempe quia in iuuentute ſua non ſtuduerũt ſapientiæ, nec eam ſibi cùm vires ferrent, cõparare & colligere vndequaque laborauerunt. Quamuis enim ſententia vt eſt generalis, & ad temporalia bona referri poſſit, quæ ſi quis in iuuentute non collegerit, vt in plurimum egebit eis in ſenectute: tamẽ potiſſimùm hoc loco dicta videtur, occaſione eius quod dixit ſenem fatuum & inſenſatum, vt oſtenderet vnde proueniat ſenum imprudẽtia & fatuitas, ſicut & ſequentibus oſtendit, quantùm prudentia ſenes decet & ornat.

5 *Quàm ſpecioſum caniciei iudicium, & preſbyteris cognoſcere conſilium.*

DVo dicit ſpecioſa eſſe & decora canis & preſbyteris, hoc eſt, ſenibus nẽpe, & bene poſſe iudicare, & poſſe ſanũ ſuggerere conſilium, quorum vtrumque & prudentiam & authoritatem requirit, quæ ſenibus maximè propria ſunt; quibus experientia & anni prudẽtiam adferunt, canicies authoritatem. Vires enim ſunt iuuenilis ætatis, at prudentia, conſilium, ſententia, & authoritas, ſenectutis. Itaque apud Lacedæmonios ſummum conſilium γερουσία, conuentus cœtuſque ſenum dicebatur: quemadmodum Romæ ſenatus eſt appellatus, quod ex ſenibus conſtaret.

6 *Quàm ſpecioſa uetus ſapientia, & glorioſis intellectus & conſilium.*

VEteranis poſuit interpres, pro antiquis & ſenibus. Eſt enim Græcis γερόντων. Legendum autem eſſe glorioſis, vt quidam libri habent, & non glorioſus, vt multi libri habent, patet ex Græcis, quæ habẽt δεδοξασμένοις, honoratis. Coniungit enim hoc loco ætatem grauem cum honore ac dignitate, quia vtrique maximè conuenit ſapientia & intelligentia. Et ſuperiori quidem ſententia ornare ait ſenes iudicium & conſilium, hic vero ſapientiam, quia hæc ad illa duo eſt neceſſaria.

7 *Corona ſenum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.*

LEgendum eſt per nominatiuum, multa peritia, vt habent libri correctiores, & non, in multa peritia; quia Græce eſt πολυπειρία, hoc eſt; experientia ſiue multarum rerũ peritia. Duo ergo dicit eſſe quæ ſenes inſtar coronæ ornant & gloria afficiunt, peritia per experientiam acquiſita, & huic coniunctus timor Dei, ſine quo peritia illa noxia erit, & ad malefaciendum promptior; cum illo verò perfectum ſenectuti ornamentum accedit. Hac ergo occaſione in ſequentibus ſubiicit eximiam timoris Dei commendationẽ oſtendens illũ præferendum omnibus quæ ad beatitudinẽ hominis pertinere putãtur.

8 *Nouem inſuſpicabilia cordis magnificaui, & decimum dicam in lingua hominibus.*

PRo, inſuſpicabilia, Græcis eſt ὑπονοήματα, hoc eſt, nouem cogitata. Nec eſt, cordis, ſed καρδία μὲ, hoc eſt, in corde meo, vt opponatur ei quod ſequitur, in lingua. Interpres noſter videtur legiſſe ἀνυπονόητα. Poteſt autem noſtra lectio, quo originalibus maximè accedat, ſic accipi: Ego quidem apud me magna eſſe duxi nouem, quæ talia ſunt, vt de eis cor merito ſuſpicari non debeat quin bona ſint, & ad fœlicitatem hominis pertinentia: at præter hæc eſt decimum, quod non tantùm apud me magnifaciam, ſed etiam lingua hominibus prædicabo, ac multis verbis commendabo. Significat ergo nouem illa talia eſſe, vt quamuis in ſe optãda ſint & magnifacienda, comparatione tamen decimi, nõ ſint magnopere verbis extollẽda & prædicãda. Iſtud decimum omnino videtur eſſe timor, qui poſt plurimũ ad fœlicitatẽ pertinẽtia, ſuper alia hic eximi commendatur. At difficile eſt in ſequentibus

tibus inuenire plenum numerum nouenarium ante timorem,cùm tantùm videantur octo numerari siue in nostra versione : sine in Græcis,quæ cum nostra versione non per omnia cõsentiunt.Nam pro eo quod nos habemus veluti sexto loco positũ ; Beatus qui inuenit amicum verum;Græca habent,Beatus qui inuenit φρόνησιν,prudentiam. Proinde & in Græcis tantùm octo deprehenduntur præter timorem. Itaq; intelligunt quidam, timorem esse nonum,decimum verò esse dilectionẽ Dei,quæ insinuatur ibi;Timor Dei initium dilectionis eius. Et æditio Complutensis,vbi nos legimus;Timor Dei super omnia se super posuit;pro,timor,habet ἀγάπησις δικαίᾳ,dilectio autem Domini. Iuxta quam lectionem facilè est hic decem inuenire ab authore commendata. At dissentiunt alia Græca exemplaria,quæ habent;nobicum timor Dei.Et omnino verisimile est exemplar Cõplutẽse hoc loco corruptũ abaliquo fuisse , quò melius decem deprehendi possent, & quia videbatur timori Domini præferendam esse Dei Dilectionem.Nam omnino videtur authorem pro decimo & supremo de signasse timorem Dei, de quo dicit ; Qui tenet illum,cui assimilabitur ? Vbi relatiuum, illum,etiam in æditione Complutensi referri debet ad φόβον timorem,& non ad ἀγάπησις, hoc est dilectio,cùm sit relatiuum masculinum,αὐτὸν: Quo ergo decem expressa hic in ueniantur,omnino crediderim & in Latinis & in Græcis deesse vnum, quod ex vtrisque sit restituendum. Nam & Græca nunc non habent de eo qui inuenit amicum verum, cùm tamen omnino verisimile sit illud etiã inter ea quæ ad fœlicitatem pertinent designasse , quandoquidem ad eam illud non parum habet momenti.Et Latina nõ habẽt distinctè de eo qui inuenit prudentiam:quæ duo si coniungantur in numero,iam habentur decem,quorum summum est timor Dei qui iuxta morẽ loquẽdi scripturę nõ distinguitur à dilectione Dei,sed eam includit, & secum adfert.Scripturæ enim timorem Dei magnopere commandantes,de timore filiali loquuntur,non seruili. His præmissis , pro explicatione confusionis quæ est in exemplaribus,singula distinctius sunt enarranda

9 *Homo qui iucundatur in filiis , uiuens & uidens subuersionem inimicorum suorum.*

HIc versus duo ex decem coniungit.Primùm enim beatum & fœlicem dicit eum , cui datum est vt in filiis voluptatem concipiat,hoc est,vt & sobolem habeant , & eam probam atque honestam. Nam vt talẽ habeat paucis contingit , cùm plerique aut proles non habeant quas desiderant,aut nõ tales quæ voluptatem adferant & gaudium, sed mœrorem & ignominiam.Sic & Dauid dicit: Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis.Et alio loco inter Dei benedictiones numerat,quod vxor hominis timentis Deum,sit sicut vitis abundãs, & filij sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ ipsius. Secundo loco ponit eum , cui , dum adhuc viuit,datur videre subuersionem inimicorũ suorum. Quod vt in piis & iustis habeat locum,oportet intelligere de talibus inimicis qui iniuste pios persequuntur, quorum vindicta & pœna diuinitus inflicta, piis summã voluptatem adfert:tum quod illorum punitio faciat ad Dei gloriam,tum quod per eorum subuersionem pii ab illorum iniqua oppressione liberentur , intelligantque Deum gerere curam suorum. His enim de causis & horum respectu,etiam Dauid in parte fœlicitatis ponit,videre impiorum perditionẽ. *Psal. 36.* Cũ perierint,inquit,peccatores , videbis. Et alibi:super inimicos meos despexit oculus meus.Vbi pro , despexit , Græcis est , vidit.

10 *Beatus qui habitat cum muliere sensata,& qui lingua sua non est lapsus,& qui non seruiuit indignis se.*

TRes fœlicitatis partes continet hic versus.At cùm id contra morem authoris factum sit,vt tria membra hic versus contineat, (nam solet duobus membris sententiam absoluere) &, vt ex suprà dictis patet, vnum ex decem desit & Latinis & Græcis, crediderim authorem iunxisse cum eo qui habitat cum muliere sensata,eum qui inuenit amicum verum , vt plena sentẽtia fuerit, Beatus qui habitat cum muliere sensata , & qui inuenit amicum verum. Hæc enim duo rectè coniunguntur.Deinde sequatur noua sententia bimembris , Et qui lingua sua non est,&c.Inter beatos ergo tertio loco ponitur qui habitat cum muliere prudente, quia & singulari raroque Dei dono contingit habere talem vxorem , & ex tali summa percipitur commoditas atque lætitia. Quarto loco ponitur , qui lingua sua non est lapsus, hoc est , qui per linguam non grauiter peccauit aut in aliquod incommodum non est prolapsus.Cùm enim facilis sit lapsus linguæ,& frequenter homo dicendo aliquid , malum sibi accersere soleat , singulare Dei beneficium est , liberum esse ab huiusmodi lapsu. Vnde & Apost.Iacobus dicit. Si quis in verbo non offendit,hic perfectus est vir. *Iacob. 3.* Quinto loco ponit eum qui non seruiuit indignis se,hoc est,eum qui non cogitur subesse , & duram seruitutem pati sub hominibus improbis , qui indigni sunt vt eis seruiatur & obediatur. Nam cum satis durum sit per se ipsum seruire,omnino intolerabile est & grauissimum seruire improbis, quibus nunquã satisfit, quique impia sæpe exigunt.Et tamẽ frequens est hoc malum, vt quis iniquos & ineptos cogatur ferre dominos & superiores ; vt mirum non sit beatum hic dici eum qui Dei beneficio, etiamsi ferre cogatur superiores & dominos,tamen probos sortitus est,& tales quibus obedire nõ sit graue,nec indignum liberali & bono viro.

11 *Beatus qui inuenit amicum uerum , & qui enarrat iustitiam auri audienti.*

PRo,amicum verum , vt suprà dictum est, Græcis constanter est φρόνησιν , prudentiam,idque hoc loco posuisse authorem,omnino verisimile est,quod cum sequenti mẽbro

bro optimè congruat.Iuxta nostram lectionem quod minus habemus de prudentia,in sequenti sententia comprehẽsum intelligere licebit, vt ibi dicetur.Sexto ergo loco beatus dicitur qui inuenit amicum verum , qui scilicet,non adsit tãtùm tempore prospero, sed etiam aduerso , quíq; salurem amici ex animo quærat, eúmq; cùm opus est defendat & arguat.Et meritò talis beatus dicitur, quia vt tales amici rari sunt,ita Dei peculiari munere obtingunt,& multam homini cũ voluptate commoditatem adferunt. Vnde suprà dixit:Qui inuenit illũ,inuenit thesaurum.&:Qui metuunt Dominum, inuenient illum. Septimo loco ponit eum qui enarrat iustitiam auri audienti,hoc est,eum qui doctrinæ suæ benignos consequitur & obediẽtes auditores.Molestum est enim docẽti, si, cùm docet,mentes auréſq; auditorum sentiat esse alienas,ita vt & operam suã atq; laborem sentiat perire,& iustitiam atq; veritatem quam docet ac inculcare conatur, aduertat nõ amari,nec gratam esse auditorio. Et tamen hoc malum admodum frequens esse experimur quotidie,vt mirum esse non debeat inter beatos numerari eum cui contingunt auditores attenti , beneuoli & obedientes.Percipit enim ex talibus magnã laborum suorum voluptatem & vtilitatem.

12 *Quàm magnus est qui inuenit sapientiam & scientiam,sed non est super timentem Dominum.*

GRæca non habent,scientiã,sed tantùm, sapientiam.Noster tamen videtur adiecisse de scientia,pro eo quod in superiori sententia Græca habent φρόνησιν,prudentiã.Proinde rectè post Rabanũ intelligemus priori parte huius sententiæ duo membra cõtineri,vt numerus denarius perficiatur,& in octaua beatitudinis parte ponatur,qui inuenit sapientiam : in nona,qui inuenit scientiam. Inter sapientiam autem & scientiam hoc interest,vt sapientia sit circa intelligẽda & speculabilia:scientia sit de agendis , circa quæ versatur prudentia.Nam & D.Pau.1.Cor.12. hæc duo tanquam diuersa dona distinguit, cùm dicit:Alij datur sermo sapiẽtiæ,alij sermo scientiæ. Magnus est ergo & excellens, qui assecutus est diuino munere eximiã præ cæteris sapientiam,qua potẽs sit & alios docere quæ de Deo,diuinisque rebus sint sentienda diuinas scripturas explicare,& veritatis hostes redarguere.Magnus item,qui adeptus est præ cæteris scientiam agendorũ , vt & cognoscat quid in singulis negotiis occurrentibus sibi sit agẽdum,& alios idem docere valeat,salutare consilium præbendo , sed neuter istorum præcellit eum qui timet Dominum.Vnde pro decimò super omnia prædicando,subiicit:

13 *Timor Dei super omnia se superposuit.Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei:qui tenet illum,cui assimilabitur?*

MVlti libri non habent pronomen,se, sicut nec Græca,vnde Dionysius subin-

telligit hominem,vt sit sensus:Timor Dei super omnia superposuit hominem.At rectius subintelligitur & additur pronomen,se. Sic enim idem significatur quod in Græcis,quæ habẽt ὑπερβαλλει,hoc est,superat . & excellit. Loquitur autem de timore Dei,sicut & alias ferè,vt includit studiosum affectum placendi Deo.Hic enim etiam sapientiam superat, si sapiẽtia seorsum accipiatur intellecta per se sine timore Dei , quem alioqui includit, cùm alibi dicitur : Initium sapientiæ , timor Domini Quanquam autem omnia prædicta non contingant ferè nisi timentibus Deum, tamen timorem Dei dicit omnia illa superare,quia singula per se sunt accipienda, & intelligendum quod quamuis ob singula illa homo ex parte dici possit beatus & fœlix,lõgè tamen magis beatus dicendus est nomine timoris diuini si illum habeat , sine quo omnia illa prodesse non valẽt ad perfectam verámque beatitudinem , & cum quo nihil ferè deerit quod ad beatitudinem pertineat Hunc timorem Domini quoniam ex nobis non habemus,sed ex singulari Dei munere, rectè additum est à nostro interprete , quãuis id Græca expresè non habent; Beatus homo,cui donatum est habere timorẽ Dei.

14 *Timor Dei,initium dilectionis eius:fidei autem initium agglutinandum est ei.*

HAc sententia insinuat excellentiam timoris Dei.Porro in secunda parte variant nostri codices,quia quidam habẽt,agglutinatum:quidam habent per duas dictiones,ad glutinandum, alij agglutinandũ.Nec ex Græcis satis colligere licet quæ lectio sit præferenda , cùm illa longè secus habeant, hoc modo: πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτῷ. id est, fides,autem principium coniunctionis (vel conglutinationis)eius,scilicet est.Quo significatur fidem in Deum,esse principium coniunctionis qua Deo coniungimur & adhæremus.Postrema lectio præferenda omnino videtur,& accipienda,vt sit sensus:Initiũ fidei,hoc est,fides tanquam initium est iungendum timori Dei, scilicet in efficienda dilectione Dei , vt significetur timorem Dei non esse initium dilectionis Dei , nisi etiam concurrat fides tanquam eius initium. Ad ingenerandum enim & augendam in nobis dilectionem Dei oportet vt concurrãt & cooperẽtur sibi timor & fides. Timor enim efficit vt caueamus offendere Deum , fides vt de eius bonitate bene cõfidamus, nimirum verbis eius plenè credentes , vnde hæc duo sæpe coniunguntur in scripturis,vt cùm dicit Psalmista:Beneplacitũ est Domino super timẽtes eum,& in eis qui sperant super misericordia eius. *Psal.146.* Porro sic dicitur hic timor Dei esse initium dilectionis eius,sicut dicitur alibi initiũ esse sapiẽtiæ,intrinsecum scilicet,& sine quo vera Dei dilectio nec acquiritur, nec subsistit nec augetur. Potest etiã quod hic dicitur de dilectione Dei , accipi de ea qua Deus timẽtes se diligit.Hinc enim Deus incipit homines tanquã amicos suos diligere,quòd videat eos se metuere,sibiq; fidere,

Ioan.14. iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

15 *Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.*

POst bonorum quorundam inter se cõparationẽ, subiicit & malarũ aliquarum rerum inter se comparationẽ, inter multa mala valde exaggerans vsq; ad finẽ capitis malitiam mulieris, cuius occasionem ei dedisse potuit, quod dixit superius beatum qui habitat cum muliere sensata. Porro hæc sententia in Græcis iam non est, opportunè tamen addita est ad sequentium explicationem. In qua, vt commodum habeat sensum, dictio, omnis, pro summa & maxima accipiẽda est, vt significetur summam plagam vel vulnus esse tristitiam cordis, & summam malitiam esse nequitiam mulieris. Tristitia enim cordis & dolor, animi, veluti plaga est vulnus animi, similitudine sumpta à vulneribus corporis: quia sicut hæc lædunt corpus, ita mœror ledit animũ, eúmq; exedit & cruciat. Hãc ergo summam plagam & maximũ vulnus esse dicit, quòd cũ illo nullus corporis cruciatus sit conferendus, & minus sit curabilis. Deinde animo mœrore vulnerato, nec corpus bene affectum esse potest: contrà eo gaudente, etiam corpus malè affectum facilius restituetur. Animus enim gaudens ætatem floridam facit, spiritus autem tristis exiccat ossa. Sic & mulieris malitiã, summam esse malitiã dicit. Nam mulieres cum Dei timore sunt destitutę, ferè in malitia viros excedere solent; idq; partim ob id quòd cum minus vigeat rationis iudicio, minus per rationis frenum retrahi possunt à malo quod corrupta natura suggerit, partim ob id quòd cùm per sexum sint infirmiores, magis per insidias tentent lædere, quæ minus virari possunt. Sed vt his de causis quæ malæ sunt mulieres, admodum malæ sunt: ita cõtrà quę sine natura, siue vsu piæ sunt, etiam viros in pietate excellunt, ob sexus fragilitatẽ, & cordis molliciem valde flexillem. Hac ergo præmissa sententia rectè subditur.

16 *Omnem plagam & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam & non nequitiam mulieris.*

17 *Et omnem obductum & non obductum odientium, & omnem vindictam & non vindictam inimicorum.*

PErplexus est hic locus, ideoq; nostros mirè torquet. Perplexitatem ex magna parte attulit verbum, videbit ab interprete additum sine suppositо, cùm nullum verbum sit Græcis, sed ponuntur accusatiui sine verbo, Omnem plagam & non plagam cordis, & omnem malitiam & non malitiam mulieris, Est autem oratio imperfecta, perficiẽda subauditione verbi, patiar, aut similis, vt sit sensus: Quamuis plagam patiar modò non plagam cordis: quãuis malitiam, modò nõ malitiam mulieris. Vult enim significare quãuis plagam tolerabilem esse, excepta plaga, & vulnere animi, hoc est, tristitia animi, & sic de similibus sequentibus. Hunc sensum vt etiam habeat nostra lectio, in verbo, videbit, subaudiendum est, quisq;, vel homo, & videbit, accipiendum est pro, æquo animo tolerabit, quomodo communiter dicimus: ille non potest hanc rem videre, hoc est, non potest æquo animo aspicere nec tolerare. Itaq; sensus erit: Quilibet facile videbit, feret & tolerabit quamuis plagam, sed non plagam cordis, & sic in sequentibus. In quibus notandũ est, nomen, obductum, in quarta declinatione positũ esse pro obductione. Est enim Græcis rursum dictio ἐπαγωγή, qua hic author sępius vtitur, & noster interpres vertit plerũq; obductionem. Significat autem calamitatẽ, & quoduis malum, mentem hominis tristitia & mœrore obducentem & obnubilantẽ, vt dictum est in principio capitis secũdi. Itaque sensus est: quamuis patietur homo calamitatem & molestiam, item & vltionem atque vindictam, modò non sit audientium & inimicorum: quia cum hi sine miseratione affligant & vindicent nec modum alique potant illati mali aut vltionis, intolerabilis est calamitas & vltio quæ ab illis irrogatur, & omnibus modis deprecanda. Inter calamitatem autem vel obductionem odientium, & vindictam inimicorum hoc interest, quòd illa infertur præter meritum, hæc supra meritum. Nam qui odiunt aliquem, etiam nõ læsi nocere illi laborant: & qui inimici sunt, parũ læsi grauius quàm oportet sese vlcisci student. Hæc ergo sententia continet malarum quarundam rerum & incommodarũ comparationem ostenditurque quid in quoque malorum genere sit extremum, & maximè detestandũ. Præcipuè autem hæc omnia videtur dicta esse ad mulierum malitiã exaggerandam, ac significari eam cordis adferre tristitiam, ipsũmq; cor vulnerare dolore grauissimo, eandem quoque & inuectione odiẽtium & vindicta ostium esse grauiorem, aut cum eis comparandam, tanquam similiter intolerabilem.

18 *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.*

NOmen, colubri, in genere positum est pro serpente, cùm Græcè sit ὄφεως. Pro mulieris Græca iam habent ἐχθρῆς, inimici, vt ad explicationem superioris sententiæ subiecta sit hæc sententia. Sed consideratis sequentibus, magis videtur istud dictum de mulieris ira. Itaq; per comparationem hæc sententia est accipiẽda, vt significetur quòd quẽadmodũ inter omniũ animantiũ capita nullũ est nequius, hoc est perniciosius & magis noxium quàm caput serpentis, propter venenum quod in eo gerit, idque occultè, paratum illud effundere per insidias cùm opportunum erit, idque non tantùm vt lædat, sed etiã occidat hominem; ita omnium pessima est ira mulieris, quia etsi viribus corporis aperto marte nocere nequeat, tamen iram, quàm in animo instar veneni latenter gerit, opportunitatem nacta effundit, nec desinit donec eum cui irascitur, perimat.

&per

& perdat Hęc autem & sequentia non ob id à Sapiente dicuntur, quasi propositum ei sit illum sexum acerba & cõtumeliosa oratione insectari, quem Deus vult honorari, sed improbarum mulierum vitia notare acriter voluit, vt insinuaret cum quãta discretione & iudicio vxor sit diligẽda. Et rursum quãta prudentia agendum sit cum mulieribus, ne temerè irritentur. Deinde cauendũ esse, ne illarum amori etiam in coniugio quisquam nimis addictus sit, cáſq; nimis perditè amet, multò magis extra coniugium.

19 *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.*

SImile est apud Salomonem in Prouerb. Melius est habitare in terra deserta, quã cum muliere rixosa & iracunda. Hyperboli cè autem hæc sententia dicta videtur, ad significãdum quàm intollerabilis sit & noxia malitia mulieris, & quòd cùm leonũ & draconum sæuitia arte superari possit, illius malitia ægrè vincatur, aut nullo modo. Itẽ quòd præstet subita morte à feris perimi, quã lenta morte & diuturna per malitiam improbæ vxoris cruciari.

20 *Malitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum suum tanquam vrsus, & quasi saccum ostendit.*

21 *In medio proximorum eius ingemuit vir eius, & audiens suspirauit modicum.*

QVidam libri habẽt, obcæcauit, quidam per futurum obcæcabit & ostẽdet: sed verior lectio est per præsens, obcæcat & ostẽdit, quia præcedit præsens, immutat, & Græcis est præsens σκοτοῖ. Ex quo verbo patet verbum, obcæcare, apud nos positum esse impropriè pro obscurare, vt obcæcare vel obscurare vultum suum, sit toruum vultum, & tristem exhibere. Sicut enim hilaris vultus lucidũ se præbet & clarũ, ita tristis & toruus obscurum & obcæcatum. Cùm autem æditio Complutensis tantùm habeat comparationem vtsi, altera verò tantùm sacci, noster vtramque cõiunxit. Et vrso quidem comparatur mulier vultum suum obscurans, quòd vrsus toruo sit vultu sicut & vrsa. Sacco, q̃ tristitiam præ se ferat, & tetrica videri velit, atque instar nigri & commaculati sacci vultum suum infuscet. Est ergo sensus: Malitia mulieris efficit vt naturalem habitum faciei suæ immutet, vt scilicet quam natura blandam finxit & amicam, ipsa contrà naturam toruam exhibeat, vultumque suũ obfuscet instar torui vrsi, & sacci nigrantis & fusci. Quod sequitur; In medio proximorũ eius; etsi communiter referatur ad præcedentia, & coniungatur verbo ostendit, potius tamẽ coniungendum esse sequentibus Græca commonstrant, quia relatiuum, eius, hoc loco est masculinum, est enim ἀνδρ̃, vt ad virum referatur, & sit sensus: Vir illius ingemuit in medio proximorum eius, pro suorum, cùm scilicet proximi eius apud illum conquerũtur de austeritate vultus, quã eis & aliis exhibet, vnde sequitur: Et audiẽs, eorum scilicet querelas, suspirauit. Quod enim participiũ, audiens, non sit referendum ad mulierem, quasi sensus sit: audiens, mulier viri sui gemitum suspirauit modicum, simulans scilicet se ei compati, quemadmodum fere intelligitur, patet ex Græcis, quæ habẽt participium masculinum ἀκούσας. Pro modicum, Græca habent aduerbium πικρὰ, hoc est, acerbè & amarè, vt significetur maritum audientem finistrum de vxore sua sermonem grauiter & acerbè suspirare. Interpres declarat se pro πικρὰ, legisse μικρὰ, hoc est, parum & modicũ. Modicum autem suspirare in medio cõque rẽtium amicorum rectè dicitur maritus, ad significandum quòd præpudore nõ audeat doloris sui magnitudinem satis prodere, & declarare. Pertinet enim ad eius ignominiã vxoris improbitas.

22 *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam.*

BReuis, hic rursum positum est pro parua, sicut suprà. Breuis in volatilibus est apis. Est enim rursum μικρὰ. Et pro, super, est præpositio πρὸς, ad. Itaq; sensus est, Parua est omnis malitia, si conferatur cum malitia mulieris. Quo idẽ significatur quod suprà cùm dixit: summa malitia, nequitia mulieris. Quod hyperbolicè dictum est, vt & alia, ob causas iam dictas. Quod sequitur, sors peccatorum cadat super illam; continet precationẽ qua petitur vt iusti immunes sint à malitia mulieris, sed potius peccatores pro sua sorte & portione ipsis Dei iusto iudicio debita incidant in illam. Itaq; sensus est, sors peccatorũ, hoc est, portio quæ Dei dispositione peccatoribus debetur, cadat super malitiã mulieris, vt scilicet illam impij accipiant pro sua parte. Qua petitione significatur tantùm, impios dignos esse qui hanc malitiã perferant, sicut in Psalmis, dum petitur impiorum vltio, significatur quid mereantur. Non enim legendum esse per futurum indicatiui, cadet, sed per optatiuum, cadat, vt multi libri habent, docent Græca, quæ habent ἐπιπέσοι. *Sup. cap. 11.*

23 *Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani sic mulier linguata homini quieto.*

ALia similitudine apta notat importunitatem mulieris garrulę & loquacis, quę viro sedato intemperanti lingua odiosè obstrepit, comparátq, eam ascensui arenoso, respectu pedũ hominis senis, significãs quòd quemadmodum ille valde molestus est pedibus illius, tum quia ascensus est, tum quia arenosus, & ob id difficilior: ita & talis mulier homini pacis & tranquillitatis amãti admodum molesta & grauis est, idq; tum quia garrulitas, illa contraria est ingenio ipsius, tum quia molestum est eam ferre in mulierе, cuius vel præcipuum ornamentum est silentium & subiectio. vnde Paulus vult eam in silentio discere, non authoritatem aliquã in virum sibi vendicare. *1. Sim. 2.*

24 *Ne respicias in mulieris speciem, & non concupisca*

cas mulierem in ſpecie.

POſtquã exaggerauit mulieris nequitiã, atque indicauit moleſtiam, & pericula quę ab ea ſunt metuẽda: rectè iam monet, vt etiam ab eo quod in ea blãdum eſt & gratũ, nobis caueamus, nempe ab eius pulchritudine, quę multis ruinę cauſa fuit. Propter ſpeciem enim mulieris multi perierũt, vt ſuprà dictum eſt. Poteſt autẽ hæc ſententia accipi dicta contra periculũ fornicationis, vt ſignificetur nõ curioſè attendẽdam mulieris pulchritudinẽ, ne ex curioſa inſpectione quis pertrahatur ad libidinem, & propter ſpeciẽ incipiat concupiſcere mulierem, quã ei non licet cõcupiſcere. Poteſt etiam accipi vt pertineat ad eos qui vxorem ambiunt, aut iam vxorem duxerunt, vt ſignificetur ducturo vxorem non potiſſimùm reſpiciendũ ad pulchritudinem mulieris, nec propter ſpeciẽ illam deſiderandam eſſe, ſed magis attendendum ad illius mores & inſtitutionẽ eiusque vſum non quærendum propter eius formæ venuſtatem, ſed magis liberorum cauſa, qui Deo æducandi ſint. Græca enim habent, mulierem non concupiſcas ad voluptatem. Sanè qui in vxore maximè attendunt & amant formam, nec diuturnum ſolent habere amorem, & ſibi maximam ſolent accerſere moleſtiam per zelotypiam, & imperium vxoris quod ferre cogũtur. Dictum eſt à quodam: Vxorem ſi habueris καλὴν, pulchram, habebis κοινὴν, communem: ſi deformem, πονηρὰν, pœnam. Quo ſignificatum eſt, mediocrẽ formam requirendam.

25 *Mulieris ira, & irreuerentia, & confuſio magna.*

VAria hic eſt lectio. Rabanus enim quod eſt in fine præcedentis ſententię, cõiungit huic ſententiæ, legens: In ſpecie mulieris ira, &c. vt ſit ſenſus per ſpeciem mulieris incurritur ira & irreuerẽtia, & cõfuſio magna. Plerique libri, qui eam partem, in ſpecie, cõiungunt verſui præcedenti, omittunt ſecundum, &, vt ſit ſenſus: Ira & irreuerentia mulieris eſt confuſio magna, hoc eſt, adfert marito magnam ignominiam. Alij omittũt primum, vt ſit ſenſus: Mulieris ira eſt viro ſuo irreuerentia, & confuſio magna. Græca habent vtrobique coniunctionem, ſicut etiam quædã ſcripta. Et poteſt hæc lectio hunc habere ſenſum: Ira mulieris, eiuſque inuerecũdia, atque confuſio vel ignominia quam marito adfert non eſt vulgaris & leuis, ſed magna, & grauis atque permoleſta. Iracunda enim mulier irreuerenter ſe gerit erga maritum ſuum, ſuáque tum ira, tum irreuerentia viro cõfuſionem magnam adducit, quòd ei non deferat honorem quem ſecundùm naturam & legem debet. Vnde & ſubiicitur:

26 *Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo.*

MVlier, inquit, ſi permittitur imperare viro & familiæ, viro cui deberet eſſe ſubiecta, & cuius volũtati ſe accommodare deberet, erit cõtraria, hoc eſt, ei rebellabit, ſemper contradicet, & cõtraria volet. Vnde Paulus: Docere autem mulieri nõ permitto, neque dominari in virum. Græca pro duabus ſententiis iam habitis vnam tantũ habẽt, hoc modo: Ira & irreuerentia & confuſio magna mulier quæ ſubminiſtrat viro ſuo; hoc eſt, quæ ſumptus ſuppeditat, inuerecũdè eſt impenſoſa, & faſtuoſa. Quo ſignificatur, quòd ſicut in deligenda vxore non eſt forma præcipuè ſpectanda: ita nec diuitiæ, quæ ferè ſecum imperium vxoris adferunt & faſtum. Proinde prudenter quidé Sapiens monuit eum qui vxorem ducere volebat, vt æqualẽ ac parem duceret. Quæ enim in coniugio ſuperior eſt fortuna, eadem vult eſſe ſuperior authoritate. Itaque & noſtra lectio accipi poterit de primatu fortunæ & opum, vt ſit ſenſus: Mulier ſi in coniugio primas partes diuitiarum obtineat, recuſabit morem gerere viro ſuo.

27 *Cor humile & facies triſtis, & plaga mortis mulier nequam.*

28 *Manus debiles & genua diſſoluta, mulier quæ non beatificat virum ſuum.*

DVæ hæ ſententiæ exponendæ ſunt cautè, vt mulier mala dicatur cor humile, &c. quia facit viro cor afflictum, facié triſtem, & veluti vulnus mortiferũ ei inſigit cor eius ita lædens, vt & mors nonnunquam ſubſequatur. Græca tamẽ habẽt, non mortis, ſed καρδίας, cordis, & verisimile eſt ſic interpretem vertiſſe. Sic & mulier quę ſua virtute non beatificat virum ſuum, ſed ſua malitia illum infœlicem & miſerũ facit, dicitur eſſe, manus debiles & genua diſſoluta, quia efficit vt manus viri ſui ſint debiles & genua diſſoluta, hoc eſt, omne ei virile robur eripit nõ tantùm cordis, ſed etiã corporis, vt nec operari nec ambulare ei libeat, atq; in ſummam illum deſperationẽ inijcit. Sic enim ſcriptura ſolet notare eos qui fracto ſunt animo & deſperationi proximi, vt cùm dicitur apud Iſaiam. 35. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Et apud Paulum. 12. Remiſſas manus & genua ſoluta erigite.

29 *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.*

INter cætera mala quæ à muliere proueniunt, Sapiens altius repetendo proponit malum quod in principio mundi exordium ſumpſit à muliere, vt huius conſideratione inſinuet quàm cautè quiſque ſe gerere debeat cum mulieribus, quámque curandum ſit maritis, ne imperium permittant vxoribus, neuè immodico amore eis adhæreant. Huius enim conſideratione & Paulus 1. Timo. 2. monet mulieres, eſſe officij ſui, vt in poteſtate viri ſui ſint, nec in eum poteſtatẽ aliquam aſſumant, quia inquit, Adam nõ eſt ſeductus à diabolo, ſed Eua ab eo ſeducta fuit in prima illa præuaricatione. Vnde & in ſequenti ſententia indicat Sapiens, cur meminerit primi peccati per mulierem introducti cum ſubiicit.

30 Ne

38 *Ne des aquæ tuæ exitum nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi.*

EX præcedentibus velut concludẽdo docet hac ſententia, prauæ mulieri nullam licentiam eſſe dandam, ſed in poteſtate quã tum fieri poſſit retinendam. Ad quod commonſtrandum pulchram adhibet ſimilitudinem de aqua, cui ſi detur vel minimus exitus, facilè erumpet, & liberiorem ſibi viam faciet, ita vt poſtea contineri & cohiberi nequeat. Per comparationem enim partes huius ſententiæ ſunt intelligendæ, vt ſit ſenſus: Sicut non expedit vt aquæ, quàm continere vis, vel modicus exitus detur: ita nõ expedit vt prauæ mulieri des facultatem quòuis prodeundi, & quodlibet faciendi: ſed diligenter cohibenda eſt & retinenda in officio, nec ei etiam in paruis indulgendum eſt, ne maiorem ſemper ſibi libertatem vendicet, & poſtea cohiberi & ad officium reduci non poſſit. Simili comparatione Salomon in Prouerbiis dehortatus eſt à litibus, dicens: Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum, &c.

32 *Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conſpectu inimicorum.*

32 *A carnibus tuis abſcinde illam ne ſemper te abutatur.*

GRæcis tantùm eſt, Si non ambulauerit ſecundùm manum tuam, à carnibus tuis abſcinde eam. Complutenſis tamen editio addit; da & dimitte, hoc eſt, da ei libellũ repudij, & dimitte eam à te. Loquitur enim ſecundùm permiſſionem datam veteri populo de dimittenda vxore rebelli: quæ permiſſio iam in nouo teſtamento locum non habet, niſi in cauſa fornicationis. Rabanus etiam duas has ſententias coniunctim legit tanquam vnam, addendo coniunctionem, & quæ etiam in quibuſdam ſcriptis inuenitur, hoc modo: Si non ambulauerit ad manum tuam, & confundet te in conſpectu inimicorum, à carnibus tuis abſcinde illam, &c. quæ lectio magis placet. Et eſt ſenſus: ſi nõ ambulauerit ſecundum manum tuam, hoc eſt, non vixerit iuxta tuum ducatũ, nec pati velit vt à te dirigatur & eleducatur. Aut ſi tuæ poteſtati & authoritati ſubiici noluerit (nomine enim manus, ducatus vel poteſtas & authoritas ſignificatur) & ſi ignominiate afficiet per ſuam rebellionem & improbam vitam coram hoſtibus tuis, qui in tua ignominia ſint gauiſuri, abſcinde eam ab vſu carnis tuæ, atque à tua cohabitatione, vel ad tẽpus, vel imperpetuum, quatenus id per Dei legem licet, ne ſemper abutatur tua patientia & lenitate. Omnino autem apparet ex hoc loco authorem huius libri exiſtimaſſe, diuortium ob cauſas iuſtas, non tãtùm permiſſum fuiſſe Iudaico populo, ſed etiam conceſſum, vt ſine peccato fieri potuerit etiam extra cauſam fornicationis.

Caput XXVI.

1 *Mulieris bonæ beatus uir, numerus enim annorum illorum duplex.*

DRoſequitur hoc capite Sapiens cœptum ſuperiori capite argumentum de mulieribus, ſubiiciens iam ſententias de bonis mulieribus, ac mox rurſum de malis, & deinde iterum de bonis oſtendens plane ſibi non fuiſſe propoſitum vituperare hunc ſexum, ſed tantùm monere quæ in eo ſunt expetenda, quæque fugienda. Multam autem fœlicitatem à probis mulieribus prouenire indicat primis ſententiis. In quarum prima pro noſtra lectione notandum pro relatiuo, illorum, Græcis eſſe ſingulare διὸ, hoc eſt, illius, nempe viri vxoris bonæ. Proinde in noſtra lectione relatiuum, illorum, accipiendum eſt poſitum pro talium, ſcilicet virorum bonarum vxorum. Niſi quis velit referre ad virum, & mulierem bonam, ſed id Græca non ſignificant. Prædicat ergo fœlicitatem viri cui bona cõtigit vxor, ex eo quòd numerus annorũ eius ſit duplex, quod multis modis declarari poteſt verum eſſe. Simpliciter autem ſignificari videtur virum talem diutius victurum, vitámq; eius prolongandam ex lætitia quæ ei obtinget à probitate vxoris: ſicut contrà improbæ vxoris vir ex mœrore & moleſtiis quas patitur, ante naturalem vitæ finem contabeſcendo perit & moritur. Itaque duplex eſt numerus annorum viri bonæ vxoris, quia qui alioqui tantùm viginti annis aut minus erat victurus, viuet quadraginta aut amplius. Poteſt & ideo intelligi dictum numerum annorum eius eſſe duplicem, quia non tantùm viuet vita naturali, ſed etiam vita lætitiæ, qua qui ſunt deſtituti, ex parte tantùm viuunt, & ex parte veluti mortui ſunt. Miſera enim, & luctuoſa vita, magis mors eſt quàm vita. vnde poſteà dicitur: Melior eſt mors quàm vita amara. *Infr. cap. 30.*

2 *Mulier fortis obtegat virum ſuum, & annos uitæ illius in pace implebit.*

MVlieri vel vxori beatificãti virum ſuũ, prius addidit epitheton, bonæ, nũc addit, fortis. Duæ enim ſunt vxoris cõditiones, quæ eas commendant, & gratas reddunt. Altera, eſt bonitas, qua conditione includitur earum erga Deum pius affectus, ac virorum ſuorum verus amor, & quicquid ad mulierem pertinet, vt bona dicatur & virtute prædita erga Deum & maritum. Altera conditio, eſt induſtria, & diligentia in domeſticis rebus curandis, in quibus acquirendis, conſeruandis & augendis, mulier induſtria & diligens multùm poteſt. Has duas conditiones in vxoribus requirit Diuus Paulus ad Titum ſecundo ſcribens. Eaſdem ſummis attollit laudibus Salomon in encomio quod incipit: Mulierem fortem quis inueniet? *Prou. vlt.*

In quo prolixè explicat quod hic dicitur,

quomodo mulier fortis oblectet virum suũ, sua scilicet strenuitate & diligentia, ex qua ad illum magna vtilitas accedit. Quoniam autem oblectat virum suũ talis mulier, ideo etiam implebit annos eius cum pace, hoc est, efficiet vt non ante tempus vitam suam mœrore finiat, sed cum animi tranquillitate perueniat ad plenitudinem annorum suorũ & senectutem bonam. Ex quibus sententiis duabus iam consequens est & tertia quæ sequitur.

3 *Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.*

NOn est legẽdum, in parte bona, sed sine adiectiuo, bona, in parte timentium Deum, quomodo conformiter cum Græcis quædam scripta habent, quomodo & Rabanum legisse satis ex ipsius patet commentario. Et est sensus; mulier bona, est bona portio, & bona fors, quæ dabitur viro in sorte & portione timentium Deum, quia in ea sorte
Psalm 27. quam Deus promisit, & dare solet timentibus se etiam includitur vxor bona. Dicitur enim inter alia; Vxor tua sicut vitis abundãs in lateribus domus tuæ. Nomen ergo partis, hic accipitur vt & alias pro sorte & portione quam Deus vnicuique pro suo beneplacito, & hominum merito distribuit. Vxorem autem bonam Dei singulari beneficio obtin-
Prou. 19. gere etiam Salomon docuit, dicens: Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè vxor prudens. Quoniam ergo hæc includitur in portione timentium Deum, non malè addidit interpres, pro factis bonis; vt significaretur apertius bonam hanc partem respondre bonis factis. Nam Græca tantùm habent; In parte timentium Dominum dabitur.

4 *Diuitis autem & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris.*

HÆc sententia addita videtur, ad insinuãdum quàm bona fors sit vxor bona quòd per eã: siue diues sit maritus, siue pauper, cor eius sit bonum, hoc est, bene affectũ & gaudens. vnde fit vt in omni fortuna etiã vultus illorum sit hilaris, animi scilicet tranquillitate & lætitia se in exteriora transfundẽte. Significatur ergo, nec diuitias sine vxore bona fœlicem reddere hominem, nec paupertatem infœlicem facere, si adsit cor bonum, quod ex vxore bona obtinetur: per quam fit, vt & diuitiæ iucundè possideantur & paupertas sine magna molestia perferatur. Significatur item, hominis fœlicitatem non pendere ex rebus externis, sed potissimum ex affectione bona cordis. Est autem sermo huius sententiæ imperfectus, perficiendus hoc modo: Cùm diuitis & pauperis cor bonum est, in omni tempore vultus illorum est hilaris.

5 *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit.*

POstquã insinuauit vnde obtineatur cor bonum, & ex consequenti vultus hilaris, subiungit quædam quæ cor affligunt, & vultum contristãt. Tria verò esse dicit à quibus cor eius timuerit, quartũ autem esse à quo etiam facies eius metuerit, significans quartum esse grauius malum, quod non tantùm cor hominis conturbet, sed etiam vultum. Ideoque etiam in Græcis grauius verbum tribuitur quarto, quàm tribus. Nam tribus tribuitur verbum ἐυλαβήθη, hoc est, reueritũ: est quarto ἐφοβήθησ, hoc est, metui vel reformidaui. Plus est enim φοβεῖσθαι, quàm ἐυλαβεῖσθαι, sicut apud Latinos plus est, timere vel metuere quàm verteri. Timere ergo hic positũ est pro vereri.

6 *Delaturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem, super mortem omnia grauis.*

TRia illa prima continet hic versus, à quibus dixit timere cor suum, & est in istis accusatiuis subaudiendum ex superioribus verbum, timuit, vt sit sensus: Cor meum timuit delaturam ciuitatis, &c. Delaturam ciuitatis, plerique intelligunt ciuitatis perditionem, qua illa hostibus proditur, & defertur in manus illorum. Ita & per collectionẽ populi, intelligunt populum seditiosè collectum ad bellum ciuile, aut resistendum suis legitimis principibus. Hæc enim sunt duo grauia mala. Verùm sicut quod sequitur tertium & item quartum, talia sunt mala, quæ sunt vnicuique formidanda & cauenda: ita & duo priora potius videntur intelligenda talia mala, quæ quisque sibi timere debeat, quasi quæ sibi accidere possint, vt omittam quod pro, delaturam, est Græcis διαβολήν, quę dictio non proditionem significat, quæ Græcis dicitur προδοσία, sed accusationẽ alicuius crimen inferentis siue verum siue falsum, vnde & satan, diabolus dictus est, hoc est, criminator & accusator. Itaque per delaturam ciuitatis, rectius intelligetur totius ciuitatis criminatio, ac communis sinister rumor & existimatio de aliquo, quæ dicitur δυσφημία, in quam aliquem in currere, & publicè malè audire apud ciues valde est molestum, & cauendum. Per collectionem populi, vel, vt est Græcis, ἐκκλησίαν ὄχλου, ecclesiam turbæ, hoc est, congregationem turbatæ vel concitatæ multitudinis, rectè intelligitur inconsultæ multitudinis contra aliquem coitio: qualis fuit ea, quæ à Demetrio aurifice fuit aduersus Paulum concitata, qualis certè omni viro bono ac quieto est formidanda. Sicut & quod tertio loco ponitur calumnia mendax
Act. 19. hoc est, crimen confictum, & alicui falsò imputatum, quod ab eo quod primo loco positum est multùm differt. Aliud est enim publico rumore aliqua infamia notari, aliud falsa alicuius criminatione grauari & opprimi. Et omnino videtur inter hæc tria ordine authorem insinuasse, vt primò indicet metuendum cuique ne publica infamia in ciuitate notetur, magis verò metuendum ne ex huiusmodi infamia multitudo contra ipsum coeat & congregetur, maximè autem ne in

ne in ea congregatione falsis criminatiõibus prægrauetur. Ita enim futurum, vt grauẽ & intolerabilem furentis populi, & tumultuantis, nec causam rectè diiudicantis requeat effugere vltionem. Hæc omnia dicit esse grauia super mortem, hoc est, magis quàm mors, aut quia grauiorem communi & naturali morte vltionem adferre solẽt, aut quia miseriorem vitam faciunt hominem viuere, quàm sit ipsa corporalis mors, quæ miseriæ omni finẽ imponit, iuxta illud: Melior est mors quàm vita amara.

7 *Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa, in muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans.*

VTramque hãc partem ad eandem pertinere sententiam ex Græcis est manifestum, quæ habent, Dolor cordis & luctus, mulier æmula mulieris. & flagellum linguæ omnibus communicãs. Sunt qui pro; In muliere zelotypa; legunt cum Rabano; In muliere infideli. Nec constare potest ex Græcis vtra lectio sit præferẽda, nec multùm refert vtrouis modo legatur. Nam si per mulierem infidelem intelligatur mulier quæ suo marito non satis fidit, & metuit ne præ se aliã magis diligat, idem est mulier infidelis & mulier zelotypa. Quartum ergo hic malum formidandum insinuat, quod tribus prædictis, licet adeo malis, vt etiam morte essẽ grauiora non dubitet asserere, indicat adhuc peius esse nempe zelotypam vxorem, cuius querelas & molestias semper domi maritus die noctúque ferre cogitur: quæ proinde lõgè magis torquet hominem, quàm quæ foris à ciuibus & proximis suis patitur, maximè si zelotypia hęc sit inter duas pariter nuptas vxores, quemadmodum secundùm legem vetebat licebat plures tunc temporis habere,
Gen. 30. 1. Reg. 1 quia Græcis est; mulier æmula mulieris, vel vxor æmula vxoris, sicut inter vxores Iacob & Elcanæ vna alteram æmulabatur. Huiusmodi ergo mulierem zelotypam dicit esse dolorem cordis & luctum, hoc est, pro voluptate & lætitia quæ ab vxore expectatur, nil nisi dolorem cordis & externum etiam luctum adferre maritò suo. quod sequentibus verbis declaratur, cùm subditur. In muliere zelotypa est flagellum linguæ omnibus cõmunicans; hoc est, in tali muliere est lingua assiduè flagellans & affligens maritum suis querimoniis & expostulationibus, & omnibus communicans, hoc est, vel suas querelas omnibus hominibus exponens, & conquerens apud omnes se iniquè tractari à marito nec ab eo diligi, vel in omnibus negotiis domesticis suas quærelas inferens, cùm quæcunque à marito aguntur sinistrè interpretetur, semper querula, sempérque ex zelotypia amaro animo.

8 *Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.*

DIxit de muliere zelotypa, nunc in genere de vxore mala, inferẽs appositè comparationem à iugo boum, à quo & coniugiũ nomen accepit. Est enim coniugium, eorum qui instar boum eodem iugo iuncti sunt, vt opera mutua rem domesticam agant & curent. Pro, quod mouetur. Græcis est σαλευόμενον, hoc est, quod agitatur & concutitur. Loquitur enim de iugo quod nimia laxitate sua, aut discordia boum coniugatorum agitatur; vnde efficitur vt omnia turbentur quę simul ab eis agenda erant, vt nec simul currum rectè trahere, nec commodè terram arare possint. Tali iugo comparatur vxor mala, quia & ipsa in coniugio quo viro coniuncta est, non quietè & concorditer se viro suo accommodat, sed sua discordia cuncta commouet & perturbat; vnde fit vt ea opera quæ à coniugatis communiter obeunda sunt, nõ peragantur fœliciter, dum vnus huc, alter illuc impellitur instar boum discordantium in eodem iugo. Talem vxorem habere quã sit periculosum & noxium, alia etiam simili tudine animalis venerati & periculosi ostenditur, cùm dicitur: Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Vbi, tenere vxorem, positum est pro illam sibi adiunctam habere, eiusque consuetudine vitæ vti. Hoc cui contingit, is similis est manibus apprehendenti & tenenti scorpionem, quia & ipse in magno versatur periculo, quod ipsi ab vxore tali est metuẽdum, quæ venenatis serpentibus est similis, & peior eisdem. id enim tectè hac comparatione insinuatur. Et bene quidem scorpioni comparatur mulier mala, quòd sicut scorpio venenum suum gestat non in capite, sed in cauda, quod lethifero ictu traijcit, caudam inflectendo: ita & mulier mala etsi nõ statim suam malitiam prodat, tamen tandem oportunitatem nacta veluti cauda ferit tenentem ipsam. Item sicut scorpij venenum pessimum est, grauiore supplicio lenta per triduum morte conficiens, vt habet Plinius inter alia de scorpionum natura: ita & mulieris malitia grauem & diuturnam calamitatem homini adducit.

9 *Mulier ebriosa, ira magna & contumelia: & turpitudo illius non tegetur.*

HAc sententia peculiariter agit de ebrietate, quæ si deprehendatur in muliere, vt facilè deprehenditur in eis quæ probitatis & honestatis rationem non habent, graue malum & viris earum & ipsismet conciliabit. Cùm etiam ebrietas omnibus fugienda sit, maximè tamen dedecet mulieres, quæ per eam pudoris & verecundiæ, quæ pudicitiæ custos est, frena relaxentur. Dicit ergo mulierem ebriosam esse iram magnam, & contumeliam, hoc est, magnam irã & ignominiam adferre suo marito, idque meritò, quia per ebrietatem turpitudo illius non tegetur, sed ipsamet suam turpitudinem, hoc est, inuerecundiam, immodestiam & libidinem factis & verbis declarabit. Græca enim habent; & turpitudinem suam non tegetur. Nullum enim secretũ, vbi regnat ebrietas, quæ operta recludit, & inuerecundos facit homines.

10 *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcetur.*

OStendit hac ſententia quod dixit; turpitudo illius non tegetur, quia etiamſi verbis eam non prodat, tamen vel oculorum nutibus & habitu eam declarabit, maximè in ebrietate. Nam, inquit, fornicatio mulieris latens in animo & deſiderata corde, cognoſci poteſt ex inhonoſta ſubleuatione palpebratum & oculorum, quos in muliere demiſſos eſſe oportet, nec temerè coniectos & ſublatos in aſpectum virorum. Eſt quidem extollentia oculorum quandoque ſignum in mulieribus ſuperbiæ & faſtus, vt notat Iſaias, 3. dicens: Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant. Eſt tamen etiam quandoque ſignum libidinis & impudicitiæ, quia declarat abeſſe pudorem & verecundiam, quæ, vt diximus, pudicitiæ cuſtos eſt & ſignum. Vnde rectè Auguſtinus: Impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius.

11 *In filia non auertente ſe, firma cuſtodiam. ne inuenta occaſione vtatur ſe.*

QVoniam in oculorum geſtu mulierum verecundia agnoſcitur, vt dicit ſuperior ſententia, rectè iam ſubiicitur vt habetur ratio puellarum quæ oculorum geſtu teſtantur animi lcuitatem & inuerecundiam, Pro; non auertente ſe Græcis eſt ἀδιαστρέπτῳ, quod eſt, impudenti. Eſt enim à verbo διαστρέφομαι, quod idem eſt cum, ἐντρέπομαι, hoc eſt, vereor, pudoréque afficior. Proinde non eſt legendum ſine, negatione, auertente ſe, ſed non auertente ſe, hoc eſt, quæ non auertit oculos ſuos à vagis aſpectibus, ſed huc illúcque oculos ſuos circumagit. In tali firmari iubet cuſtodiam, hoc eſt, firmam ei adhibendam cuſtodiam, ne quouis exire & progredi ei permittatur, & diligenter obſeruetur ſe quó eat, quídue agat, ne inuenta per laxiorem licentiam occaſione libidinis, vtatur ſe, hoc eſt, ſuis deſideriis obſequatur, & quod oculorum inuerecundia ſe declarauit deſiderare, opportunitatè nacta opere perficiat. Eodem pertinet quod ſequitur:

12 *Ab omni irreuerentia oculorum caue, & non mireris ſi te neglexerit.*

NOn eſt legendum, oculos vel oculis, vt multi libri habent, ſed oculorum vel oculi, cùm Græcè ſit, ὀπίσω ἀνεπαισθήτου ὀφθαλμοῦ, poſt inuerecundum oculum obſerua. Senſus ergo eſt; caue ab omni inuerecundia oculorum eius, hoc eſt, cohibeas in ea omnem huiuſmodi inuerecundiam: quam ſi in ea deprehendere, cœperis, non mireris ſi te bene monentem, reprehendentem & cohibentem neglexerit atque contempſerit. Inuerecundia enim illa niſi diligenter curetur, mox eò proceder, vt monitores ſit aſperna tura, progreſſura etiam ad ſummam impudentiam, de qua ſequitur.

13 *Sicut viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram, donec deficiat.*

HIs ſimilitudinibus aptè deſcribit proſtitutionem mulieris, corpus ſuũ ſine pudore peruulgantis: in quam vitæ rationẽ deducuntur nonnunquam filiæ ac puellæ, quæ diſſolutius & indulgentius quàm pudor patitur puellaris, à parentibus habitæ fuerunt. Loquitur autem de turpi re per allegorias honeſtè, ſed intelligibiliter more Hebræorum, vt honeſtatem doceat, & ſcortationis opprobrium depingat. Sicut, inquit, viator ſitiens os ſuum aperiet ad quemuis fontem occurrentem, & ab omni aqua proxima ſibi bibet: ſic & illa libidinis auida quemuis admittet ſine diſcrimine, vt ſatiet ſuam libidinem: & inſtar feſſi viatoris ſedebit in via ad omnem palum, expectans aliquem qui eius deſiderio ſatisfaciat, quemuis ad ſe admittens donec deficiat & fatigetur. Simili allegoria etiam prophetæ ſpirituales Iſraelitici populi fornicationes deſcripſerunt, vt cùm dicitur Ieremiæ cap. 2. In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu poſternebaris meretrix, & Ezechiel 16. Diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti omnes fornicationes tuas. Quibus locutionibus ſignificatur, populum illum cuiuſuis gentis idololatriam inſtar meretricis quemuis recipientis admiſiſſe.

14 *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit diſciplina illius.*

GRæcis non eſt adiectiuum, ſedulæ, ſe tantùm, gratia mulieris. Ex eiſdem patet partem illam, diſciplina illius, non eſſe ſequentibus iungẽdam, vt ſeorſum legatur; Diſciplina illius datum Dei eſt, quemadmodum communiter diſtinguitur, ſed iungendam cum verbo, impinguabit, vt deinde legatur; Datum Dei eſt mulier ſenſata & tacita. Quam diſtinctionem non tantum Græca habent, ſed etiam quædam ſcripta antiquiora. Itaque poſt expoſita quædam improbarum mulierum vitia, redit ad commendationem bonarum mulierum, quarum probitas & virtus ita voluptatem adfert viris, ſicut malarum improbitas triſtitiam & dolorẽ. Coniungit autem in eis duas virtutes, maximè ſecundùm noſtram lectionem, ſedulitatem ſcilicet diligentiámque, & diſciplinam vel ſcientiam, rectámque Inſtitutionem. His enim duabus dotibus & gratiis mulier oblectat virum ſuum, & quia oblectat, etiam impingat eius oſſa, hoc eſt, illa medullis irrigat, aut membra eius facit bene effecta & pinguia, ſicut contrà ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Quia enim vir videt vxorem & ſedulam eſſe, & prudenter omnia ſua inſtituere

tuere; ac familiam rectè inſtituere, non poteſt non inde & animo lætari, & per animi lætitiam etiam corpore rectè valere. Cæterùm nomen, gratia, hic videtur poſitum pro gratioſitate, vt gratia mulieris ſedulę, ſit gratia eius ſedulitas & diligentia. Iuxta Græcam lectionem, quæ non habet adiectiuum, ſedulæ, gratia vel gratioſitas mulieris, eſt comitas ſuauitásque morum eius: cui ſi adiuncta ſit intelligentia & prudentia, perfectam adferet viro voluptatem.

15 *Datum Dei eſt mulier ſenſata & tacita, non eſt im mutatio eruditæ animæ.*

NE humanis meritis & viribus tribuere tur, & quòd mulier aliqua ſit proba, & quòd talis viro obtingat, rectè ſubiungit: datum, hoc eſt, donum Dei eſt, mulier ſenſata & tacita. Nam & ex Dei gratia ac dono eſt vt mulier aliqua talis ſit, & ex Dei dono eſt vt talis viro in vxorem contingat. Duas cõditiones rurſum probæ mulieri attribuit, prudentiam & taciturnitatem. Hæc enim duo in ea maximè deſiderantur, ſicut contrà dedecent eam multùm ſtultitia & garrulitas: quorum alterum, mentis eſt vitium: alterum, linguę: ſicut & prudentia, mentis virtus eſt: taciturnitas, linguæ. quorum cùm poſterius ex priori pendeat & ſequatur, rectè in ſequenti membro tantum prudentiæ fit mentio. Vbi notãdum pro, immutatio, Græcis eſſ ἀλλάγμα, eadem ſcilicet dictio quæ eſt Matth. 16. vbi nos legimus: Quam dabit homo commutationem pro anima ſua? hoc eſt, quid dabit pretij, quo redimere poſſit & commutare animam ſuam? Nam commutationibus ſolent fieri emptiones & redemptiones rerum, ſicut fit nunc traditione pecuniæ. Nomen ergo, immutatio, hic accipi debet pro permutatiõe, vt ſit ſenſus: Anima erudita, hoc eſt, prudens & bene inſtituta, non poteſt aliquo digno pretio permutari, hoc eſt, ſuperat omne pretium. Et loquitur de anima vel animo mulieris, quæ ſi ſit prudens, nullum ei pretium æquari poteſt. Simile eſt quod ſequenti dicitur verſu de vxore verecunda & caſta.

16 *Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta & pudorata, omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.*

QVod dicitur, gratia ſuper gratiam variè accipi poteſt. Nam poteſt eſſe ſenſus: gratia ſuperans alias gratias, vt ſignificetur eximiam eſſe gratiã mulier ſancta & pudorata, hoc eſt, verecũda. Aut ſenſus eſt: gratia ſuper gratiam, hoc eſt, multiplex gratia, aut, vt alij, duplex eſt gratia, mulier ſancta & verecunda. Pro, ſancta, Græcis eſt, πιστή, hoc eſt, fidelis. At quoniam fideles ſæpe ponũtur pro his qui Deo credunt, & ab infidelibus diſtincti ſunt, prophanis ſcilicet & immundis hominibus, ideo interpres videtur pro fideli vertiſſe, ſancta, vt duæ hic rurſum conditiones tribuantur mulieri ſanctitas erga Deum per timorem eius, & verecundia erga homines, cuſtos pudicitiæ: ratione quarum duarum conditionum rectè dicitur eſſe duplex gratia, mulier quæ eas habet. Magis tamen apparet authorem locutum de fidelitate viro præſtanda, vt hic verſus pertineat ad commendationem caſtitatis & continentiæ, quæ à muliere ſeruatur per verecundiam & fidelitatẽ viro promiſſam. Talis ergo mulier quę verecunda eſt, & fidem ſeruat viro ſuo, eſt gratia ſuper gratiam, hoc eſt, multiplex & eximia gratia atque beneficiorũ. Eſt etiã duplex gratia, quia & gratia eſt habere vxorẽ quæ viro in adiutorium data eſt, & gratia eſt habere fidam & caſtam. Vnde ſequitur; omnis autem ponderatio non eſt digna continẽtis animæ. Et addunt Græca; animæ ipſius; nempe mulieris. Pro, ponderatio, Græcis eſt, σταθμὸς, hoc eſt, pondus. Itaque ſignificatur nullum eſſe alicuius rei pondus quod dignum eſt continenti, hoc eſt, caſta & temperata muliere, hoc eſt, nihil eſſe in rebus iſtis temporariis, quod ei æquiualeat, & quod cum ea ſit conferẽdum, aut quod præ eius continentia vir debeat eligere, vt doceat quanti talem vir facere debeat.

17 *Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.*

PErgit excellenter commendare mulieris probitatem, & cõparat ſpeciem, hoc eſt, pulchritudinem mulieris bonæ cum ſole, quando oritur mundo in ſummitate cœlorum. Poteſt autẽ ſpecies & pulchritudo mulieris bonæ accipi vel pro pulchritudine corporali, cui annexa eſt in vxore bonitas & virtus, vel pro pulchritudine quę ſita eſt in eius probitate & virtute. Vtroque enim modo pulchritudo mulieris bonæ rectè dicitur ſe habere in ornatum domus ſuæ, ſicut ſe habet ſol oriens mundo in cœleſtibus. Sicut enim ſol, cùm oritur mundo, noua ſua luce totum mundum illuſtrat, recreat, ornat, & gaudio perfundit, depulſis nocturnis tenebris: ita mulieris bona ſpecies & pulchritudo totam domum & familiã quaſi luce quadam exhilarat, ornat, & illuſtrat, pellens mœrorem & triſtitiam ſua virtute & probitate. Simile eſt quod ſequitur:

18 *Lucerna lucens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem.*

HOc eſt; ſicut ſe habet lucerna lucens ſuper candelabrum ſanctum in tabernaculo vel tẽplo Domini, ſic ſe habet pulchritudo vultus muliebris ſuper ætatẽ ſtabilem. Superius comparauit mulieris pulchritudinem cum eo quod clariſſimum eſt in cœlo, hic cum eo quod luciditſſimũ erat in tẽplo, & ſignificat quòd quẽadmodum lucerna lucẽs impoſita ſancto cãdelabro aureo, & mira arte cõtexto, duplici nomine erat grata in templo Dei, nempe & ratione lucis, & ratione pretioſi atque pulchrè fabrefacti cãdelabri cui impoſita erat: ita & pulchritudo vultus muliebris, ſi coniuncta ſit ætati firmæ & ſtatæ; illi ſcilicet quam Ariſtoteles vocat τῶν ἀκμαζόντων, hoc eſt, vigentium, quæ apta

ſit domus regendæ & prolium æducandarum, duplicem habet gratiam, nempe & ratione formæ,& ratione ætatis aptę atque firma & mutaræ: quorum ratione in domo & familia viri lucet & illuſtris eſt talis mulier, omnéſque recreat, & familiæ magnum ornamentum adfert. Quæ ſententia ſic intellecta indicat & mulieribus formoſis quam ſanctè ſe gerere debeant, quæ tam ſancto lumini ac candelabro comparantur: & doctuis vxorem, quàm proſpicere habent vt talem habeant, ex qua voluptatem & ornamentum conſequantur. Cæterùm cum in externa vultus forma non conſiſtat præcipua & diuturna mulieris pulchritudo, ſed magis in morum & vitæ congruentia, intelligendum eſt in hac etiam ſententia ſimul ſub ſimilitudine pulchritudinis faciei, ſignificari veram illam in externis actibus pulchritudinem: cui ſi coniuncta ſit animi iam firmati in bono conſtantia & maturitas, duplici nomine mulierem commẽdabilem facit. Alioqui enim, vt habet Sapiens, Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. *Prou. 11*

19 *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris.*

GRæcis non eſt, firmi, ſed ὡραῖοι, hoc eſt, formoſi. Nec eſt: ſuper plantas, ſed ἐπὶ ςέρνοις, ſuper pectus vel in pectore. hoc eſt, cum pectore ſtabili, vt ſignificentur pedes formoſi coniuncti pectori & menti ſtabili. Interpres declarat ſe legiſſe non ςέρνοις, ſed πτέρναις, & ſanè ea lectio adhibitæ ſimilitudini magis concruit, vt columnis pedes aſſimilentur, baſibus plantæ. Commendauit ſuperiori ſentẽtia pulchritudinem mulieris quæ in ſuperioribus partibus conſiſtit, & in vultu potiſſimùm conſiſtit: nunc eam commendat quæ in inferioribus partibus conſiſtit, quæ ipſa poſt vultus pulchritudinem in muliere obſeruatur, & grata eſt. Non tamen intelligendum eſt Sapiẽtem potiſſimùm voluiſſe ſignificare obſeruandam eſſe membrorum inferiorum pulchritudinem, ſed ſub eorum analogia morum pulcritudinẽ, quæ in pedibus mulieris tum demum verè inuenitur, cùm non eſt vaga, quóuis diſcurrens, nec in inceſſu leuis eſt: ſed domi ſe firmiter continet, firmúmque ac grauem habet inceſſum cùm prodeundum eſt. Proinde non malè vertit interpres; pedes firmi. Huiuſmodi pedes ſunt ſuper plantas ſtabiles, quando nitũtur animo graui & maturo, vt is ſit quaſi baſis & fundamẽtum externi inceſſus & firmitatis. Significat ergo Sapiens, quòd columnæ aureæ ſuper baſes argenteas conſtitutæ, præter firmitatem quam habent, etiam concinnitatem habent & pretium: ita & pedes mulieris firmi ſuper plantas ſtabiles pulchrãm habent congruentiam, dum externorum actuum maturitas reſpondet ſtabilitati mentis & animi. Parum autem refert, ſiue legatur, plãtas ſtabiles, ſiue ſtabilis mulieris. cum nõ ſolùm vtraq; lectio in noſtris reperiatur, ſed etiam in Græcis. Nam Germanicum exemplar habet ἀνςαθὲς. ſtabilis. vt ad mulierem referatur: Cõplutenſe vero ἀνςαθέσι, vt ad plantas vel pectus pertineat.

20 *Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ.*

NVlla Græca nunc habent hanc ſententiam, quæ tamen vtilem habet ſenſum. Significatur enim, quòd quemadmodum ſe habent fundamẽta diu duratura quæ ſupra petram ſolidam & firmam ſunt cõſtituta: ita ſe habẽt mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. Deumq; ex animo timentis, quia in corde talis mulieris mandata Dei firmiter hærent, nec vlla tempeſtate aut tentatione à corde eius dimoueri poterunt. Conuenit cum illo Euangelico: Omnis qui audit verba mea hęc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapiẽti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerũt in domum illam, & nõ cecidit fundata enim erat ſuper petram. Sequuntur iam in Complutenſi æditione vndecim ſententiæ de mulieribus, ſed vt non habẽtur in noſtris, ita nec in Germanico exemplari, quarum quædam ſuperius ſunt habitæ, aut cum eis coincidunt, vt aſcititiæ videantur. *Matt. 7.*

21 *In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit.*

NOuum hic incipit argumentum, vt mirum non ſit in Gloſa Ord. hic eſſe principium noui capitis. Tria eſſe dicit quæ indignum eſt euenire & cõtingere, ſed quorum duo dolorem adferunt cordi, & compaſſionem erga eos quibus illa contingunt, vt quę contra illorum meritum eis eueniant tertiũ verò etiam indignationem & iram contra eum in quo illud inuenitur, quia illud eius culpa ipſi accidit. Hæc tria ſunt quæ ſequuntur.

22 *Vir bellator deficiens per inopiam, & uir ſenſatus contemptus, & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum: Deus parauit eum ad rhompheam.*

DVo priora continent duo hominũ genera virtute laudéq; excellẽtiũ, quibus maximè & honor debetur & ſuſtẽtatio. Vnũ eſt eorum, qui pro patrię ſalute fortiter & cũ vitæ periculo decertant, quos indignum eſt poſtea inopia premi, cũ non potuerint ſibi proſpicere opificiis, agricultura aut negotiationibus. Itaq; omnino ex cõmunibus bonis ſi opus ſit, tales alendi ſunt, vt qui eis ſeruandis & augẽdis laborauerunt. Alterũ eſt eorũ, qui etſi non viribus, tamen prudẽtia ſua & in bello & in pace vtiles ſunt reipublicę: ideoq; cùm in ea honoribus primis digni ſint, indignum eſt tales eſſe contemptui, & non pro ſapientiæ merito honorari. Tertium autem eſt genus hominum, in quo nulla eſt commendatio nec deploratio ex iniquo cõditione, ſed ſumma vituperatio atque indignatio ex eorum improbitate meritò concepta, eorũ ſcilicet, qui cùm ſemel relicta impietate & iniuſtitia ſe ad cultum Dei, ſtudiúmque iuſtitiæ contuliſſent, abiecto timore Dei & iuſtitia, ad priſtina ſua vitia relabuntur. de qualibus dicit Petrus: Melius erat eis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Quoniam ergo hic à bono ad malum reditus, res eſt valde indigna, ideo illi generi hominum grauiſſimam proponit comminationem, dicens, Deum talem deſtinaſſe ad gladium, hoc eſt, grauiſſima æternæ damnationis morte feriendum. *1. Pet. 2.*

23 *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt.*

24 *Difficile exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum.*

SVbiicit Sapiens quaſdam ſentẽtias contra vitium auaritiæ. In quo primùm notat duo hominum genera, quæ ob quæſtum & lucri ſtudium præ aliis plerunque multa peccata committunt, vnde dicit ſibi apparuiſſe duas ſpecies officiorum, quæ ſunt difficiles, in euitatione peccati ſcilicet, hoc eſt, quæ difficulter fiunt ſine peccato, & quæ ſunt periculoſæ, hoc eſt, quæ cum graui periculo incidendi in peccata obeuntur. Non dicit eas malas, vt quæ reipublicæ ſunt neceſſarię, ſed eas difficulter ſine peccato perfici: quomodo Chriſtus diuitias nõ dicit eſſe malas, ſed difficile eſſe vt diues ingrediatur regnum cœlorum, quòd difficile ſit eis non abuti, aut non nimis eis affici. Hæc duo officiorum & actionum genera explicat in ſequenti ſententia, nempe officium mercatorum & cauponum. Vbi notandum pro, negligentia, Græcis eſſe πλημμελείας: pro peccatis, ἁμαρτίας. Eſt autem inter eas duas dictiones Græcis ea differentia, quæ eſt Latinis inter delictum & peccatum, vt πλημμελεία, & delictum ſit, cùm prætermittitur quod prætermittẽdum nõ erat: & ἁμαρτία & peccatũ, cùm fit quod fieri non debebat. Vnde in Leuitico vbi nos habemus de hoſtia pro delicto, Græcis eſt πλημμεγεία: vbi habemus de hoſtia pro peccato, Græcis eſt ἁμαθτία. Hoc verò in libro dictio πλημμελεία, ferè vertitur per, negligentia, quæ idẽ ferè eſt quod delictum. Cùm tamẽ hic negotiatoribus tribuitur delictum vel negligentia, & cauponibus peccatum, non eſt intelligendum vtriſque attribui quod eis eſt proprium, ſed vtrũque vtriſque conuenire, quamuis elegãtiæ & varietatis cauſa vnum vnis, & alterum aliis tribuatur. Niſi quis velit intelligere negotiatoribus tribuit delictum & negligẽtiam, quòd pro lucro faciendo multa omittunt & dicere & facere quæ dicenda & facienda erant: vt cùm mercium ſuarum vitia reticent & tegunt, feſtos dies non ſeruant, & in id genus aliis delinquunt: cauponibus vero peccatum, quòd eſculenta ſæpe & poculenta vitient, pluríſque iuſto vendant, multa mentientes quo quæſtum faciant. Cæterùm genitiuus, labiorum, Græcis non eſt. Nec tantùm caupones labiis peccant, etſi eis vel maximè peccent, nimis ſua commendantes, & ad gratiam hominum captandam quiduis dicentes. Quod dicitur; non iuſtificabitur caupo à peccatis; ſignificat illum à peccatis non fore immunem & innocentem. Docet hæc ſententia huiuſmodi officia ob periculum non temerè amplexanda, & iuſtè hæc officia clericis eſſe interdicta.

Caput XXVII.

1 *Propter inopiam multi deliquerunt, & qui querit locupletari, auertit oculum ſuum.*

PErgit aliquot ſententiis oſtendere lucri cupiditatẽ eſſe cauſam peccatorum. Et hac quidem ſententia indicat & inopiam, & diuitiarum appetitum cauſam eſſe quibuſdã peccandi, quemadmodum & Prouerb. 30. Sapiens indicat, orãs Deum: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, &c. Per inopiam enim plerique multa ſcelere cõmittunt, & qui quęrit auidè fieri diues, auertit oculũ ſuum, ab eo ſcilicet in quod oculos ſuos intẽtos habere debebat, hoc eſt, à Deo, à mandatis eius atq; iuſtitia. Sicut & de iniquis ſenioribus in hiſtoria Suſannæ dicitur, quòd euerterũt ſenſum ſuũ, & declinauerunt oculos ſuos vt nõ viderent cœlũ, neque recordarẽtur iudiciorum iuſtorum. Simile huic loco eſt quod dicit Paulus: Qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria multa nociua & inutilia. Radix enim omnium malorũ eſt cúpiditas. Notandum autem Græca ferè pro eo quod noſter vertit; Propter inopiã; habere χάριν ἀδιαφόρου, hoc eſt, gratia indifferẽtis vel propter indifferens. Quo nomine hoc loco ſignificantur diuitiæ, quia per ſe bona non ſunt, nec hominem bonũ beatúmque faciunt: vnde earum non tanta habẽda eſt ratio, vt ob eas iuſtitia violetur. Stoici enim philoſophi ἀδιάφορα, vocabant ea quæ nec mala ſunt, nec in veris bonis ſunt numeranda, inter quæ maximè fortunæ bona collocabant. Itaque quidam vertunt; Propter opes multi deliquerunt. Sunt tamen Græci codices quidam, qui nobiſcũ conſentiunt, & habent χάριν ἐνδείας, propter inopiam. Et coincidet hæc lectio cum altera, ſi intelligatur ſignificari multos deliquiſſe propter inopiam vitãdam, aut ne eam inciderent, quemadmodum & Horatius habet: Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per ſaſa, per ignes. *Dan. 13.* *2. Tim. 5*

2 *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium uenditionis & emptionis anguſtiabitur peccatis.*

3 *Conteretur cum delinquente peccatum.*

HVius ſententiæ lectio recepta incõmodũ habet ſenſum. Ferè enim legitur; anguſtiabitur peccatis; in qua lectione deeſt ſuppoſitũ verbi, anguſtiabitur: pro quo Rabanus ſubintelligit, auarus, aut ex præcedẽti ſententia is qui quærit locupletari. Lyra ſubintelligit,

intelligit,vendens & emens.Quidā libri scripti habent,angustiabitur peccans. Vnus inter eos qui ad manum errāt habuit,angustiabitur pretium, corruptè quidem, sed inde colligere licet interpretem scripsisse, angustiabitur peccatum. Nam ea lectio Græcis concordat.sensúmque habet conuenientē. Et iuxta veterū scriptorum consuetudinem parua est differentia inter pretium & peccatum,quia illud;scribunt pretium:istud, peccatum.Græca enim habent,καὶ συντριβήσεται ἁμαρτία, conteretur vel comprimetur peccatum. Quod autem abruptè adiungitur apud nos; Conteretur cum delinquente peccatum: ex alia versione in margine prius posita, omnino videtur postea textui insertum, vt & aliàs sæpe factum est.Græcum enim verbum συντριβήσεται, quod vnus vertit, angustiabitur, alius vertit,cōteretur. Est ergo sensus huius parabolæ: Sicut in medio lapidum sibi coniunctorū palus sic figitur vt eximi nequeat & extrahi, dum ab omni parte lapidibus sibi fixè adhærētibus premitur:ita & inter emptionem & venditionem sic peccatum angustiatur & premitur, vt ægrè fieri possit quin inter illa concludatur, dum & ab vna parte emptor fallere studet, ab altera parte vēditor: & ille quidem vilius emere rem laborat, iste verò carius vendere: atque ita fit vt ipsum peccatum conteratur,cōprimatur, ac quodammodo vim vndique simul cū delinquente patiatur. Non damnat tamen hic Sapiens legitimam rationem contrahendi, emendi & vendendi, sed faciles occasiones fallendi atque fraudandi hoc in genere vitæ esse ostendit.Homines enim sua natura sunt ad rem attētiores, quorū cupiditas emptionibus atque venditionibus peccatum, quasi palum parieti infixum,concludit & cōtinet. D.August.lib.13.de Trin.cap.3.refert mimū quēdam cùm promisisset in theatro se alijs ludis dicturum,quid in animo omnes haberent,& quid vellent omnes,atque ad constitutum diē ingenti expectatione maior multitudo conflueret, suspēsis & silentibus omnibus,dixisse:Vili vultis emere, & caro vendere.Omnésque auditores conscientiarum suarum testimonio dictum approbasse, & dicenti improuisa applausisse admirabili fauore.Quod tamen mimi dictum ostendit Augustinus non in omnibus habere locū. Nam inquit,scio ipse hominē,cùm venalis ei esset codex oblatus,pretiíque eius ignarū,& ideo quicquam exiguum poscētem cerneret vēditorem, iustū pretiū quod multò amplius erat nec opinanti dedisse.Si autem omnino placet legere,angustiabitur peccatis,subaudito pro supposito nomine, homo, sensus erit: homo inter emendum & vendendum premetur peccatis, & ad peccandum vrgebitur,incitabitur & coarctabitur: si tamen à peccato se superari sinat,conteretur suo tēpore cum delinquente peccatum.

5 *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.*

HAnc sentētiam rectè superioribus subiunxit,vt ostendat qua ratione peccādi occasiones & pericula, quæ in emptionibus & venditionibus esse dixit,vitari possint, nēpe si quis se firmū seruauerit in timore Dei, quo qui destitutus est facilè quauis in re labitur,& qui in eo se non studiosè & diligenter retinet,etiamsi studeat rem facere,& domum suam ædificare,opibúsque replere, subito eueniet vt Deo conatus eius non fortunante,domus eius subuertatur, & ipse cum sua familia ad inopiam & miseriam redigatur.Nam vt est in Prou.Vir qui festinat ditari, ignorat quòd egestas superueniet ei.&: Prou.28
Hereditas ad quam festinatur in principio, Prou.20
in nouissimo benedictione carebit. Mysticè quod dicitur.subuertetur domus eius,intelligi potest de domo conscientiæ,& omnibus studiis & operibus quæ quisque sibi ædificat in hac vita.

5 *Sicut in percussura cribri remanebit puluis,sic aporia hominis in cogitatu illius.*

LEgendum esse,percussura,non autem, vt quidam libri habent,pertusura, patet ex Græcis,quę habent ἐν σείσματι vel σεισμῷ,hoc est,in concussione.Pro puluis, quidam libri habent, stercus, quod propriè significat dictio Græca κοπρία, quæ tamen etiam significat puluerē ceromate expressum: & vtrouis modo legatur,per stercus vel puluerē oportet intelligere reiectamenta farinæ, paleas scilicet & furfurem qui remanet in cribro, cùm concussione cribri tenuis farina decidit.Nam alioqui nec stercus inuenitur in cribro, nec puluis in eo retinetur. Mirum autem cur interpres dictionem Græcam aporia transtulerit, cùm ea Græcis non sit, sed pro ea est in æditione Complutensi σκύλα, hoc est, spolia,in Germanico exemplari σκύβαλα,quæ verior est lectio, hoc est, quisquiliæ,& reiectamenta,vel sordes. Aporia verò significat aut egestatem,aut perplexitatem, & inopiam consilij Fortè autē interpres imitari voluit dictionem Græcam κοπρία, quæ est in priori membro. Cæterùm quod ad sesum attinet, notandum hac & sequentibus aliquot sententiis describi à Sapiēte aliquot indicia probati vel improbati animi. Docet enim, hominē, qualis sit animo, probari vel afflictionibus immissis, vel suo ipsius sermone,& de vtroque sunt duę sententiæ.Quod ergo ad hanc pertinet sentētiam, sensus est:Sicut cùm concutitur & agitatur cribrum,farina transeunte remanent in cribro furfures,qui sunt quasi reiectamenta & stercus farinæ: sic frequenter in cognitione hominis,per quā mēs hominis velut cribro agitatur & commouetur, remanet hominis aporia, hoc est, angustia, & quæuis molesta res,quæ hominē perplexum reddit & anxiū. Quo significatur, hominem in afflictione cōstitutum sinere vt in plurimū,elabi menti suæ bona quibus fruitur, nec ea attendere, aut in memoriam reuocare, sed tantùm præ oculis habere mala quibus premitur,ea semper cogitatione reuoluēdo.Qua re declaratur, hominem non verè esse prudentem & constantē,cùm potius quæ contristāt deberet animo excutere,& attendere ad præstita sibi

sibi Dei beneficio bona, & instar vanni puluerem & paleas excutere,ac grana tritici retinere. Vnde & sequitur:

7 *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.*

GRæca habent in secunda parte, καὶ πειρασμὸς ἀνθρώπου ἐν διαλογισμῷ αὐτοῦ,hoc est,& tentatio hominis in cogitatione ipsius, hoc est, homo tentatur & probatur per cogitationem suam, aut, vt quidam volunt, per sermonem & disputationem suam, vt cum sequentibus conueniat. Noster accepit de tentatione tribulationis, hoc est,tribulatione & afflictione tentante & probante hominem,& est sensus: Quemadmodum fornax accensus probat vasa figuli, quæ in illum vt durentur immittuntur, quia quæ in eo dum coquuntur perdurant, & non confringuntur, declarantur esse bona, & benè à figulo temperata: quæ verò ignis vim non ferunt, sed dissiliunt, declarantur esse mala & malè ficta: ita tribulatio tentans & explorans probat & declarat homines iustos, quia qui tribulationis igne non superantur, sed in illo infracto animo persistunt, & fortiores fiunt,declarantur verè esse iusti, vt qui propter mala quæ ferūt iustitiam non deserant: qui verò in tribulationibus deficiunt, & animo franguntur,ostendūtur non verè esse iusti, vt qui ob prementia mala deficiant statim à iustitia, existentes de eorum numero,de quibus dicit Dominus, quod ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sicut autem hoc loco tribulatio comparatur fornaci probanti vasa figulina: ita aliis locis cōparatur fornaci & igni probanti aurum vel argentum, vt cùm dicitur Sapientiæ 3.Tanquam aurū in fornace probauit electos Dominus.Et Zachariæ 13. Ducam eos per ignem,& vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum,& exaudiam eos,

7 *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic uerbum excogitatum hominis cor.*

PRiorem huius sententiæ partem sic habent Græca; γεώργιον ξύλου ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ,hoc est, culturam arboris ostendit fructus illius,Itaq; appositè significatur, quòd quemadmodum fructus arboris ostendit diligentem eius cultum, ita sermo meditatus declarat cor & animum hominis.Noster interpres contrario modo nominatiuum vertit pro accusatiuo, & accusatiuum pro nominatiuo. Secūda pars variam habet lectionem. Quidam enim libri habent; sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Alij; sic verbum ex cogitatu hominis cor. Rabanus verò legit; sic verbum excogitatum hominis cor. Et incertum est in exemplari Germanico, quod nostræ versioni maximè accedit,an καρδίας sit genitiui casus, vt sit, cordis:an accusatiuus pluralis,vt sit,corda.Eam autem lectionem quæ est apud Rabanum, puto esse veriorem, vt quæ sensum habeat conuenientiorem.Sensus ergo est: Sicut rusticatio de ligno,hoc est, sicut rustica cultura circa arborem impensa ostendit fructum arboris,qui suscipi nō potest nisi pręuia cultura,per quem fructum iam susceptū etiam ostenditur & qualitas arboris, & culturæ diligentia vel negligentia: ita sermo hominis ex meditatione & cogitatione procedens, ostendit cor hominis,& declarat quale illud sit,bonum scilicet an malum,& an benè excultum sit an malè. Oportet enim in nostra lectione,vt constet comparatio, intelligere culturam agricolæ sic ostēdere fructum arboris, vt per eum etiam ostendat & qualitatem arboris & suæ culturæ.Sic enim benè se habet comparatio, quia simili modo etiam cogitatio & meditatio, quæ est quasi animi cultura,profert sermonem, qui vicissim declarat quale sit cor hominis, & quomodo excultum. Cui conuenit quod dicit Saluator:Vnaquæque arbor de fructu suo cognoscitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona,& malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.Vnde sequitur:

8 *Ante sermones non laudes uirum, hæc enim tentatio est hominis.*

TEntatio etiam hic ponitur pro probatione, vt sit sensus: hominem probari per suum sermonem qualis sit, doctus ne scilicet an indoctus, sapiens an insipiens: ob quod bene monet non laudandum quenquam antequam eius sermo auditus sit, qui testatur qualis sit homo. Vnde de Socrate refertur, quòd cùm diues quidam filium suum adolescentulum ad ipsum misisset,vt indolem eius inspiceret,& pędagogus diceret: Pater ad te ô Socrates misit filium vt eum videres.tum ad puerum dixerit: Loquere igitur adolescens vt te videam, significans ingenium hominis non tam in vultu relucere quàm in oratione,quod hęc sit certissimum miniméque mendax vt in plurimum animi speculum. Sic & Diogenes mirum sibi videri aiebat, quòd cùm ollam aut operculum non emerent homines, nisi pulsu ac tinnitu explorata,in emēdo homine solo aspectu essent contenti,etiam significans hominē nulla ex re melius cognosci quàm ex oratione.

9 *Si sequaris iustitiam, apprehendes illam, & indues quasi poderem honoris.*
10 *Et inhabitabis cum ea & proteget te in sempiternū & in die agnitionis inuenies firmamentum.*

COmmendat studium amorémque iustitiæ,ostendens eius fructum esse vitæ & ornamentum & protectionem. Cæterùm quod dicitur;apprehendes iustitiam; dupliciter accipi potest, nempe vel vt significetur eum qui iustitiæ est studiosus, obtenturum eam, ita vt iustus sit futurus, & in iustitia profecturus. Vel vt sit sensus; sectatorem iustitiæ vicissim à Deo quod iustum est consecuturum,iustum scilicet præmiū præstitæ & desideratæ iustitiæ. Si & quæ sequuntur dupliciter

dupliciter accipi possunt, Nam & sua iustitia atque virtute, quam opere præstat homo, induitur veluti honorifica veste talari quæ totum hominē tegit & ornat, quia virtute suaquisque præclarus atque ornatus redditur. Et pro iusto iustitiæ præmio quisque à Deo induitur veluti prodere honorifica, dū eum & hic honorabilem reddit, & in futuro stola immortalitatis ac gloriæ donat. Legendum est autem in hac parte cum accusatiuo, illam; & indues quasi proderem honoris illam. Sic enim cum Græcis habent Dionysius, & multa scripta. Similis locutio est
Esaia 61 apud Iob cap. 29. dicentem, Iustitia indutus sum, & vestiui me quasi vestimento. & apud Isaiam: Indumento iustitiæ circumdedit me. Porrò in podere honoris, potest videri allusio esse ad tunicam talarem quą induebantur sacerdotes, de qua in Sapien-
Sap. 11. tia: In veste poderis Aaron, descriptus erat orbis terrarum. Quod sequitur; & inhabitabis cum ea, & proteget te, &c. in Græcis non est. Significat autem iustitiam siue hominis bene viuentis, siue Dei virtutem remunerantis, non tantùm ornaturam iustum, sed etiam defensuram eum & in præsenti vita ab omni incommodo, & in futuro iudicij tempore, quod dies agnitionis rectè dicitur, quia tunc Deus declarabit se nosse omnium facta, eáque nota omnibus faciet, quando illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cōsilia cordium. Tunc ergo iustitiæ studiosus inueniet firmamentum, hoc est, inueniet in quo solidè subsistat, vt ab ira Dei non deiiciatur nec commoueatur.

11 *Volatilia ad sibi similia conueniunt, & ueritas ad eos qui operantur illam reuertetur.*

QVod iam dixit de studio iustitiæ, idem nunc dicit de veritate, quæ à iustitia distincta non est hoc loco. Veritas enim hic, vt & alibi in scripturis, dicitur iustitia, quòd vero & recto mentis iudicio consentiat, nec sectatorem suum decipiat, sicut peccatum quod ob id dicitur aliquoties mendacium, vt ibi Psal. 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Pulchra autem similitudine iam ostendit quod prius dixit, iustitiam apprehendendam ab eo qui illam sectatur. Quæ similitudo in hoc cōsistit, quòd quemadmodum volatilia præpeti suo volatu fugiunt aues sibi dissimiles, conueniunt autem & congregātur iucundè cùm eis quę sunt similis generis: ita etiam veritas, etsi fugiat & longè recedat ab eis qui eam non amant, lubenter tamen reuertitur ad eos qui veritatis sunt studiosi, cósque complexabitur, & suo consortio reficiet. Non elongabitur ab eis, nec sectatores suos fatigabit, sed ipsamet blandè reuertetur ad eos, recreans eos, & digno eos præmio & honore donans. Quod de veritate & æquitate diuina quæ æquitatis studiosos remunerat, intelligere facilè est. Illa enim tunc ad eos reuertitur, cùm reddit eis quæ merentur. Verum etiam est de veritate & æquitate quam quisque operatur. Nam & illa reuertitur ad ipsum, quādo adfert secum fructum quem meretur apud Deum, iuxta illud quod dicitur in Apocal. 14. Opera illorum sequuntur eos. Simile huic loco est quod dicit Saluator Ioan. 8. Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem & veritas liberabit vos.

12 *Leo uenationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem.*

ALia similitudine etiam apposita ostendit peccatum aliter se debere erga sectatores suos, quàm veritatem dixit se habere erga suos Hęc enim se habet erga suos vt volatilia an sibi similia: at peccatum se habet erga suos, sicut leo ad reliquas feras. Sicut enim leo, veluti crudelis ferarū rex, reliquis feris insidiatur, eásque venari studet vt perimat, & earum carnibus pascatur: ita peccatū non benefacit suis sectatoribus, sed sub specie voluptatis quam proponit insidiatur eis, & sibi miserè subiicere & deuinctos retinere studet, vt tādem crudeliter occidat, & æternæ morti obnoxios reddat. Notandum enim pro eo quod nos legimus, venationi, Græcis esse θήραν, quæ dictio non tantùm venationem significat, sed etiam feram. Quod magis proposito cōuenit, vt significetur, leonem; cùm fera sit, feris tamen insidiari. impropriè enim dicitur venationi insidiari. Proinde apud nos cōuenit nomen venationi, accipere pro feris quæ venando captantur. Sic & notandum Græcis non esse pluraliter peccata, sed ἁμαρτία, peccatum, quod veritati in superiori sentētia opponitur, atque sic in singulari numero habebat vnū ex scriptis exemplaribus. Peccatum autem insidiatur operantibus iniquitatem, aut quia diabolus, qui peccatum in scripturis dicitur aliquando, per peccatum impiis insidiatur: aut quia peccatum ipsum quod committunt, illis imponit, & decipit eos atque captiuat. iuxta illud. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

13 *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. Nam stultus ut luna mutatur.*

GRæca priorem partem sic habent, διήγησις εὐσεβοῦς διαπαντὸς σοφία; vel vt habet Complutensis æditio, ἐν σοφίᾳ. Narratio pij semper est sapientia, vel in sapientia. Vnde patet apud nos rectius legi, sanctus, vt habent multi codices, quàm sensatus. quæ tamen lectio videri poterat præferenda, quia ex opposito sequitur de stulto. Illud autē, sicut sol, additū est ab interprete, quia ex opposito, stultus lunæ comparatur. Sensus ergo est: Sicut sol semper constanter manet in suo lumine & claritate, quam semper eādem retinet in seipso: ita homo sanctus, pius & Deum timens constanter persistit in sapientiæ narratione, semper occupatus vt quæ sapientiæ sunt ad aliorum vtilitatem proferat, nec à sapientiæ doctrina ob metum aut gratiam hominum recedens, nec pro diuersitate temporū aut personarū nūc pia, nunc contraria eloquens. At sicut luna in suo lumine mutatur, ita & stultus pro occasionum varietate sic mutatur, vt quæ sibi consona non sunt proferat, nunc hæc nunc illa dicens. Nostra lectio accipi potest non solùm de perseuerantia in sapientiæ narratione, sed etiam de perseuerantia in sapientiæ meditatione & actione; sicque rectè intelligitur homo pius & sanctitatis studiosus comparari soli, quòd quemadmodum sol semper retinet suum lumen in seipso: etiamsi interpositione nubium aut terræ lumen suum prohibetur diffundere similiter: ita & homo pius semper in animo suo persistit in sapientiæ meditatioue, nec nubibus passionum aut aduersitatum amittit animi serenitatem & claritatem. Stultus verò instar lunæ facilè amittit quod habet luminis, atque pro oblatis occasionibus facilè à virtute ad vitiū, & ab vno vitio in aliud mutatur. Sed de perseuerantia in sapientiæ narratione hanc sententiam potissimùm dictam esse & Græca docent & sequentia, in quibus multa subiicit ad commendationem linguæ in sapientibus, & eiusdem vituparium in impios pertinentia.

14 *In medio insensatorum serua uerbum tempori, in medio autem cogitatum assiduus esto.*

QVædam scripta habent, cogitantium legem Dei, at, vt bene annotauit Lyranus, ea verba, lagem Dei, non pertinent ad veram lectionem, sed ex alicuius commentario asscripto inserta sunt in contextum. Nec tamen, vt ille vult, ea verba sunt subaudienda sed cogitantium positum est absolutè pro prudentibus, qui in feriis semper versantur cogitationibus, quos cogitabundos & meditabundos vocamus. Significat ergo quod cùm quis inciderit in consortium imprudentium, non temerè sapientiæ doctrinam inculcandam, ne sanctum detur canibus, & margaritæ spargantur ante porcos, sed seruandum verbum doctrinæ suo tempori opportuno: at cùm in prudentium consortio quis fuerit, ibi liberum esse & vtile, vt in docendo & sermones sapientiæ proferendo sit assiduus. Opportunè autem hæc sententia superiori subiecta est, ne, quia dixit sancti & pij narrationem semper esse in sapientia, putaretur illum vbique suam debere proferre sapientiam.

15 *Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in delictis peccati.*

COnstanter omnes quos vidi libri habent, delictis. verisimile tamen est, interpretem vertisse, delitiis, cùm Græca dictio σπατάλη, significet delitias, non delicta. Inter, delictis, autem & delitiis, parua est in scribendo differentia. Pro peccantium. Græcè, est, μωρῶν, stultorum, sed iidem sunt apud Sapientem stulti & peccatores. Peccātium, autem dictum est, sicut prius, cogitantium, pro his qui peccatis dediti sunt, eisque delectantur. Talium narratio est iustis odiosa, grauis & molesta, quia gaudent narrare mala quibus delectantur, facinora sua prædicantes in quibus gloriantur. Talium risus est in delitiis peccati, quia ridét & gaudent in voluptatibus quas peccatum exhibet, quas tanquam falsas & noxias iusti abominantur, Vnde de eis dicitur Prouerbiorum secundo cap. Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Itaque etiam risus illorum est in delictis peccati, quia rident in suis delictis quæ peccando committuntur, & quæ peccatum dominans in eis operatur. Indicat ergo secunda pars causam cur narratio talium sit odiosa, nempe quia gaudent in illis quæ iustis molestum est audire: quanquam etiam verum sit quòd narratio rerum bonarum, & prædicatio veritatis, si fiat à peccatoribus, sit odiosa, quòd ea nec Deo, nec hominibus grata sit propter illorum indignitatem. Sed ad hoc non videtur hic respexisse Sapiens,

16 *Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium.*

DIxit in genere, narrationem & sermonem impiorum esse odiosam & molestam auditoribus, insinuauítque vnam speciem per quam illorum sermo est molestus, nempe quia gaudent referre que mala sunt & peccata: nunc alias species adfert ob quas item eorum sermo molestus est & odiosus, nempe quòd sæpè in eorum sermone audiantur pleraque iuramenta temeraria, quæ quidam singulis penè verbis interponere solent. Deinde quòd irreuerenter & indecorè multa loquantur, nullo seruato honestatis decore, pugnásque & rixas excitantes. Nam pro, irreuerentia, Græcis est ἡ μάχη, hoc est, pugna, vel rixa & concertatio. Sensus ergo est: quod loquela multum iurans facit vt præ horrore pili capitis erigantur in piis auditoribus, & irreuerentia quam talis obseruat in loquendo, siue cùm iurat, siue cùm contendit indecorè, efficit vt qui audiūt obturent aures suas. Per quæ significatur, iustos vehementer abhorrere à talium verbis, nec ea sustinere auditu percipere.

17 *Effusio sanguinis in rixa superborum, & maledictio illorum auditus grauis.*

PErgit adhuc magis ostendere molestum esse impiorum sermonē, quia, inquit, per rixam & contentionem hominum superborum, qui scilicet neminem verentur, nec reuerentia & pudore reuocantur à rixando & maledicendo, sępe fit ffusio sanguinis, cum ex rixis pugnæ nascuntur & cædes: & illorum maledictio, qua scilicet omnibus maledicunt, & superbè conuitiantur, est auditus grauis, hoc est, grauiter & molestè auditur. Pro, maledictio, enim Græcis est διαλοιδόρησις, hoc est, conuitiatio.

18 *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum.*

Proseq

PRosequitur aliquot sententiis aliud linguæ vitiũ, quo scilicet secreta amici panduntur, multis verbis eleganter ostendens quàm magnũ sit & execrabile hoc vitium. vt per quod fiat vt quis omnino sit indignus amicitia aliquorum, & irreparabiliter veterem amicum amittat, cùm nulla alia re magis amicitia lædatur. Qui, inquit denudat arcana amici sui, perdit fidem, hoc est, fidelitatem suam, quam debebat seruare amico, vel credulitatem aliorum, qui deinceps non habebunt ei fidem, nec credent ei sua secreta. vnde nec inueniet facilè quenquam amicum ad animum suum, hoc est, pro voto & desiderio suo. Perdita enim fide eius, quæ amicitiæ est fundamentum, cuncti absterrebuntur ab amicitia cum eo ineunda, & imprimis is qui perfidiã eius expertus est cum damno suo & frustratione fidelitatis. Vnde rectè subiicit:

19 *Dilige proximum, & coniungere fide cum illo: quòd si denudaueris absconsa illius, non persequaris post eum.*

LIbri omnes ferè habent; non persequeris; & exponitur, non persequeris post eum, pro non assequeris eum. At melius legitur, non persequaris. Aut persequeris, positum est pro persequaris, siquidem codex Bessarionis habet, ne persequeris. Significat enim non esse insequendum amicum semel proditum. Itaque sensus est: Dilige ex animo proximum, hoc est, amicum tuum (est enim Græcis φίλον) & ex dilectione coniungere ei fideliter, per fidem debitam seruans secreta tibi commissa: quod si denudaueris perfidè eius secreta, non est vt persequaris post ipsum, hoc est, vt coneris eum tibi offensum placare, & ad veterem amicitiam reuocare, quasi dicat: Frustra id feceris. Id enim est quod sequentibus significat.

20 *Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui.*

INcommoda videtur hæc cõparatio, cùm idem videatur esse, perdere amicũ suum, & perdere amicitiam proximi sui. Græcis pro, amicum, est contrarium ἐχθρὸν, inimicum, & significatur, quòd quemadmodum sine spe amicitiæ obtinendæ homo amittit inimicum suum, quoad scilicet amicitiam ipsius: sic etiam se habet homo qui sua perfidia, aut futili secretorum commissorum denudatione perdit amicitiam proximi, hoc est, amici sui, hoc est, perdit eam irrecuperabiliter, nec sentiet illum magis sibi beneuolum quàm hostem suum. Et verisimile est interpretem nostrum vertisse inimicum, verùm scriptores mutasse, inimicum in amicum, quòd alioqui absurdus videretur esse sensus. Receptam lectionem nostri sic intelligunt; Sicut homo qui perdit amicum suum per mortem ipsius, ita vt non sit spes rursus habendi ipsum: ita se habet & qui sua culpa perdit amicitiam proximi sui, vt scilicet etiam ei non sit spes recuperandi eã. Verùm Græcis secunda pars sic habet; Sic perdit proximum suum; non autem; sic perdit amicitiam proximi sui; vt comparatio non sit inter perdere amicum, & perdere eius amicitiam.

21 *Et sicut qui dimittit auem de manu sua, sic reliquisti proximum tuum, & non eum capies.*

22 *Non illum sequaris, quoniam longe abest, effugit enim quasi caprea de laqueo.*

PVlchris similitudinibus ostendit spem non esse recuperandæ amicitiæ illi qui secretorum reuelatione eam perdidit, quod per huiusmodi perfidiam ita amittatur amicus, sicut amittitur auis quæ de manu sinitur auolare, quæ libertate gaudens sui volatus pernicitate ita auolat, vt etiamsi quis eam insequatur, capere eam rursum non valeat: similiter sicut amittitur caprea, quæ cùm de laqueo effugerit, summa cursus velocitate rupes conscendit, vt ad eam recipiendam nemo valeat peruenire. Quibus similitudinibus non solum significat Sapiẽs proditione deceptum amicum non posse recipi, & ob id ad eum recipiendum non esse laborandum: sicut frustra quis insequitur auolantem auem, aut effugientem capream, sed etiam amicum talem sic gaudere quòd ereptus sit è manibus infidi amici, seque ab eo quàm maximè potest elongare & alienari, quomodo auis & caprea captæ gaudent se liberatas sua captiuitate. Irreconciliabilem esse amicitiam sic perditam, etiam alio quarto simili ostenditur, cùm subiicitur:

23 *Quoniam vulnerata est anima eius, vltrà eum non poteris colligare.*

HOc est, anima eius adeò est dolore perfidiæ tuæ vulnerata & læsa, vt non possis amplius vulnus eius colligare, & colligando curare, & similis est ei qui graue aliquod vulnus accepit quod colligationem & curationem non admittit. Greca alium habent sensum. nam tantùm habẽt; Quoniam vulnus est colligare, hoc est, licet vunus inflictum circumligando curare. Et deinde sequitur, & maledicti est cõcordatio vel reconciliatio; hoc est, ob emissum aliquod in amicum conuitiũ potest quis reconciliationem & veniam impetrare à læso amico. Tum subiungitur; qui autem reuelat arcana, perdidit fidem; vt significetur reuelationem secretorum peiorem esse, & amicitiæ magis cõtrariam, quàm si amico vulnus infligatur, aut conuitium ingeratur. Vnde patet quomodo intelligi debeat quod nos deinde legimus.

24 *Et maledicti est concordatio, denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infælicis.*

SEnsus enim est: Si quis maledictum & conuitium aliquod amico ingerat, poterit concordatio & reconciliatio obtineri: at denudatio secretorum amici, desperationem recuperandæ amicitiæ adfert infœlici animæ eius, qui per stultitiam aut perfidiam in eam denudationem prolabitur. Malè ergo legitur pro, concordatio, recordatio, cùm Græcis sit, διαλλαγή. Malè etiam intelligunt quidam illud; maledicti est concordatio; vt sit sensus: multi maledicẽt ei qui cum amico perfido rursum concordauerit, & pristinam recuperauerit amicitiam. Est enim hæc pars ad sequentia referenda, vt significetur maledicentiam facilius veniam impetrare quàm secretorum reuelationem. Vnde etiam non est legendum; Sed maledicti est concordatio; sed, Et maledicti; vel etiam sine, &, quomodo legitur apud Augustinum in Speculo.

25 *Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiiciet.*

POst sermonem de perfido amico, subinfert sermonem de ficto amico, qui adulationibus suis & hypocrisi incautis imponit. Talis in scripturis dicitur aliquoties annuens oculo, quòd oculorum nutibus amicitiam simulet, quam corde non gerit. Porrò in secunda huius sententiæ parte Germanicum exemplar satis cõcordat cum nostra versione. Habet enim, οὐδεὶς αὐτὸν ἀποστήσει ἀπ' αὐτοῦ, hoc est, nemo se separabit ab ipso. At alia lectio, quæ videtur esse verior, habet pro, οὐδεὶς, ὁ εἰδὼς, vt sit sensus: qui nouit eum, discedet ab ipso. Sensus ergò nostræ lectionis est: Qui non ex corde diligit, sed tantùm oculorum nutu & nictu amicitiam fingit, is apud se in animo machinatur mala aliqua inferre, & tamen propter eius fictionem nemo eum facilè abiiciet, sed eius societate gaudebit & delectabitur, ignorans eius calliditatem. Itaque eius hypocrisim, qua facilè decipit, pulchrè depingit, cùm subiicit:

26 *In conspectu oculorum tuorum conculcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur.*

27 *Nouißimè autem peruertet os suum, & in uerbis tuis dabit scandalum.*

LEgendum esse non, conculcabit, vt multi libri habent, sed conculcabit, Græca docent quæ habent, γλυκανεῖ. Legẽdum item non; in verbis suis; sed, in verbis tuis; ex eisdẽ patet, cùm sit, ἐν λόγοις σου. Opponitur enim illi quod dicitur, super sermones tuos admirabitur. Et est sensus: Fictus talis, te præsente, os suum componet ad dulcia tibi & grata loquendum, & quicquid dixeris, id tãquam valde sapienter dictum laudabit & admirabitur. At postea, te absente, peruertet os suum, vt dura & aspera de te à tergo loquatur, & in ipsis verbis tuis quæ prius laudauit, dabit tibi scandalum, hoc est, per propria tua verba tibi ruinam & perniciem parabit, faciétque vt tuis propriis verbis te subuertat, confundat, & perdat. Hoc autem malum quàm graue sit & detestabile, ostendit cùm subiicit:

28 *Multa audiui, & non coæquaui ei, & Dominus odit illum.*

COnstanter libri habent, audiui, at omnino verisimile est interpretem vertisse, odiui, cùm Græcè sit, ἐμίσησα, idem scilicet verbũ quod mox vertitur, odiet. Itaque sensus est: Multa sunt vitiorum genera quæ ego odiui, sed non est quod æquè odiui, atque illud quod modò dixi, simulata scilicet ad decipiendum amicitia, sed & Dominus talem vehementer odiet, atque vindicabit. Quod & sequentibus insinuat sententiis.

29 *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa diuidet vulnera.*

30 *Qui foueam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum illi ponit, peribit in illo.*

MVlti legunt; plaga dolosa dolosi; sed, dolosi, vt non est in Græcis, ita nec in quibusdam scriptis Latinis. Et in Græcis secunda sententia etiam tantùm est bimembris. abest enim secundum nostrum membrum. Variis ergò similitudinibus indicatur, malũ quod aliis paratur reuersurũ in suum authorem, vt is sit passurus malum quod alteri struxit, quod & aliis scripturæ locis similibus allegoriis significatur, vt Psalmo 7. Prouerbiorũ 26. & Ecclesiastes 10. Primùm ergo vtitur similitudine eius qui cùm in altum mittit lapidem, eundem excipit in caput suum, ita vt sibiipsi causa sit sui mali, & impleatur in eo illud Psalmi: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticẽ ipsius iniquitas eius descendet. Secundò, similitudine eius qui cùm dolosè & occultè alteri plagam inferre conatur, seipsum improuidè lædit, vt fit nonnunquam in his qui iaculari in aliquem occultè student. Itaque quod dicitur; plaga dolosa diuidet vulnera; hoc significat, quòd intentatum dolosè alteri vulnus, causa sæpe est vt authoris & dolosi illius vulnera diducantur, & lata fiant atque magna. Tertiò, adhibet similitudinem eius, qui cùm fodit foueam alteri, ipse incidit in eam prior ex improuiso. Item qui lapidem ponit alteri ad ruinam eius procurandam in quẽ ipsemet impingat, & cadat. Postremùm, eius qui laqueo alteri structo ipse capitur. His autem omnibus quid significare voluerit, aperit cùm subiicit:

31 *Facienti nequißimum consilium super ipsum deuoluetur, & non agnoscet unde adueniat illi.*

GRæcè pro; facienti nequissimum consilium; est, ὁ ποιῶν πονηρὰ, hoc est, faciens mala. Itaque facere nequissimum cõsilium, hic est non suggerere malum consilium alteri; de quo rectè dixit quidam: Malum consilium consultori pessimum; sed est exequi malum quod quis apud se excogitauit, aut malum consilium apud se contra aliquem inire. Talis, inquit, quantumuis occultare studeat suum malum, non erit impunitus: sed malo alteri parato sibi ipsi malum accerset præter expectationem. Eodem tendunt quæ sequuntur:

32 *Illusio & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi.*

QVoniam constanter libri habent singulariter pronomen, illi, quomodo & habet Græcum exemplar Germanicum, ideò hæc sententia referenda est ad eum de quo agit superior sententia, vt tres illi nominatiui, illusio & improperium & vindicta referantur ad verbum, insidiabitur, & sit sensus: Illusio & improperium superborũ, hoc est, quod à superbis irrogatur humilibus, & vindicta quam aliis inferre conatur talis, ea ipsa, inquam, mala insidiabuntur illi sicut leo, hoc est, inexpectato, subitò atque potẽter eum inuadent opportunitate oblata, nec illa effugere aut superare poterit, quomodo leonis insidiantis vim feræ quas captat vincere non possunt. Complutensis æditio habet pluraliter, insidiabitur illis, secundùm quam lectionem, quæ videtur conuenientior, in priori membro subaudiendum est verbum, sunt, vt sit sensus: Illusio & improperium sunt hominum superborũ, hoc est, eis debentur, eósque comitantur, vt quemadmodum ipsi alios superbè præ se contemnentes, illis illudunt & ignominia afficiunt: ita & ipsis vicissim illudatur, & improperium accidat, & vindicta insidiabitur illis sicut leo feris. Potest & sic accipi, vt sit sensus: Improperium & illusio sunt superborum, hoc est, superbi aliis illudunt & conuitiantur, sed hoc non facient impunè, quia vindicta Dei insidiabitur illis sicut leo. Huic conuenit quod sequitur:

33 *Laqueo peribunt, qui oblectãtur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur.*

QVi, inquit, gaudẽt infortunio, perditione & ruina iustorum, inuoluentur subitò & inopinato aliquo malo quo peribunt, & antequam penitus per mortem tollantur, æternæque morti tradantur, frequenter eueniet, vt diuturnus dolor siue mentis, siue corporis eos lentè consumat, ita vt pro breui gaudio quod de casu iustorum concipiunt, longo dolore atterãtur, & longa morte moriantur, antequam moriantur. Pulchrè enim dictum est, consumet eos antequam moriantur; vt significetur duplex eorum mors, tabida scilicet eorũ per longum tempus consumptio, & succedens mors corporis cum æterna damnatione. (2. Mach. 9. Act. 12.) Huius exẽplum in plerisque impiis demonstrat scriptura, vt in Antiocho, & vtroque Herode, eo scilicet qui pueros Bethlehemiticos occidit, & qui Iacobum interemit, qui consumpti à vermibus expirauerunt.

34 *Ira & furor utraque execrabilia, & uir peccator continens erit illorum.*

GRæcis prior pars est, μῆνις ϗ ταῦτά ἐςι βδελύγματα, hoc est, furor & ira etiam hæc sunt abominationes. Post reprehensionem enim superiorum vitiorum subiungit insectationem iræ, quam sequenti capite prolixius prosequitur. Itaque dicit, præter superiora vitia, etiam iram & furorem esse abominabilia, significans viro iusto etiam ab his sicut à superioribus esse cauendum. Distinguuntur autem ira & furor, sicut genus & species, aut sicut imperfectum à perfecto. Nam furor est ira vehementior. Aut iræ nomine, vindictæ cupiditatem significat: furoris verò conatum vehementem inferendæ vltionis. Vtrumque ergo dicitur execrabile, & irasci & furere præ ira. Et subditur; Et vir peccator continens erit illorum; hoc est, obnoxius erit & subiectus his terris vitiorũ monstris, quæ humanæ naturæ lenitatem omnino dedecẽt, à quibus homo Deum timens, Dei munere liber erit. Rabanus intelligit significari virum peccatorem tenacem esse iræ & furoris, vt scilicet ea apud se diu reseruet, nec ea statim deponat, sicut iustus, qui etsi quandoque ira tentetur, mox eam remittit timore Dei. Græcis pro, continens, hic rursum est, ἐγκρατὴς, quod hic positum videtur simpliciter pro obnoxius.

Caput XXVIII.

1 *Qui uindicari uult, à Domino inueniet uindictam, & peccata illius seruans seruabit.*

POstquam superioris capitis vltima sententia, iræ vitium insectatus est, commodè subiicit doctrinam de mansuetudine & clementia aliis præstanda in offensionibus, planè coincidens cum multis quæ de remissione offensarum proximis donanda dicuntur in Euangeliis, ad hoc vt à Deo remissio peccatorum obtineatur. Primùm ergo generalem proponit sententiam, quæ significat cupidum vltionis, vicissim à Deo vindicandum, iuxta illud: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. (Math. 6.) & : Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. (Ibid. 7.) &: Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam. (Iac. 2.) Porro pro, qui vindicari vult: Græcis est ὁ ἐκδικῶν, hoc est, vindicans vel vlciscens. Proinde aut vindicari deponentaliter positum est pro vindicare, aut sensus est: qui iniuriam sibi illatam vult vindicatam esse siue per se, siue per alium, ita vt eam remittere nolit sine iusta vindicta. Loquitur autem de eo qui ex iræ passione, & sola vindicandi se ratione vltionem quærit, non autem de eo qui solo æquitatis amore, seruato ordine iuris, eam postulat, & proinde nec de eo qui authoritate publica scelera punit. Qui ergo eius est inclementiæ vt vltionem requirat iniuriæ sibi illatæ, is vicissim Domini non sentiet clementiam, sed à Domino inueniet vindictam, iustè scilicet hoc in se inueniens, quod in alio quærit, & Deum ad clementiam pronum, sua inclementia ad iram & vltionem prouocans. Et cùm Deus ea sit clementia vt veniam postulãtibus peccata remittat, eorúmque obliuiscatur: contrà iam peccata illius seruans seruabit; hoc est, sedulò ac diligenter reseruabit apud se,

vt quomodo ille vindictæ cupidus illatam iniuriam apud se in mente seruat, nolens eius obliuisci: ita & Deus peccata ipsius seruabit in memori mente, vt suo tempore ea iustè vindicet. Aut quod dicit; seruans seruabit; significat quòd Deus eius peccata diligenter obseruabit, atque ad ea attendet, nec dissimulabit ad ea, sed illa acriter quandoque puniet. Est autem in ea locutione, seruans seruabit: phrasis Hebraica, obuia sæpius in scripturis, pro seriò & omnino seruabit.

2 *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.*

POst generalem sententiam infert monitionem quæ ex illa consequitur, & consonam illi verbo Christi: Dimittite, & dimittemini. & : Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & pater vester dimittet vobis peccata vestra. Pro, relinque, est, ἄφες, idem scilicet verbum quod in oratione Dominica, cùm (Matt. 18) dicimus: Dimitte nobis debita nostra; vnde magis conueniebat vertere, Remitte. Dicit autem, peccata soluentur, pro remittẽtur, & condonabuntur, significãs peccata esse quędam vincula, quæ hominem Deo obligant & astringunt ad pœnam eis debitam persoluendam. Itaque cùm debita eis pœna remittitur, peccatorum vincula solui dicuntur. Similis est loquendi modus in eo: Quæcun- (Matt. 18) que solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.

3 *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam.*

4 *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur.*

5 *Ipse dum caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo: quis orabit pro delictis illius?*

TRes istæ sententiæ per interrogationem sunt efferendæ, vt significetur indignitas & iniquitas hominis postulãtis sibi ignosci à Deo, cùm ipse implacabili in alios animo offensionem retineat. Quam iniquita- (Matt. 18) tem prolixè expressit Dominus in parabola duorum seruorum, quorum alter à Domino benignissimè tractatus, & misericordiam consecutus, conseruum inhumanissimè vexauit. Et hoc etiam loco multis verbis eandem iniquitatem exaggerat Sapiens, idem aliis verbis repetens, veluti significare volens tam indignam esse eam inhumanam crudelitatem, vt verbis nunquam satis exagitari possit. Et in prima quidem sententia duplex est oppositio quæ facit ad exaggerationẽ. Oppositio enim est inter hominem & Deum, significatúrque indignum esse vt homo hoc non præstet homini, sibi scilicet æquali, quod ipsemet postulat à Deo, tam longo scilicet interuallo se superiore. Oppositio etiam est inter iram qua malum alteri optatur, & medelam qua malum auferri desideratur: significatúrque indignum esse vt qui reseruat iram alteri à quo se vult vindicare, petat à Deo liberari, & curari à malis quæ peccando contraxit. In secunda verò sententia exprimit emphasim, quæ est in eo quod dixit, homini, hoc est, inquit, in hominem similem sibi. Quibus verbis non tantùm notat naturæ humanæ similitudinẽ, sed etiã ad peccãdum fragilitatẽ & pronitatem, (quasi dicat) in eũ qui & eiusdem est secũ naturæ, & eadẽ peccat fragilitate, qua ipsemet se subinde peccare sentit, vt duplici hoc nomine ab homine ei debeatur misericordia. Est itẽ oppositio inter; non habet misericordiam; &, deprecatur de peccatis; quasi dicatur: Non habet misericordiam erga precantem veniam, & tamen audet precari misericordiam sibi impendi de commissis peccatis. Est item emphasis in eo quod pluraliter dicitur; de peccatis suis; vt cogitetur multa esse peccata hominis in Deum, cùm vnum sæpè tantùm sit hominis in hominem, cuius vindicta exquiritur. In tertia sententia exprimitur emphasis, quæ est in eo quod dixit in prima sententia: homo, hoc est, is qui caro est, infirmus scilicet, mortalis, & sibi nõ sufficiens, quique per carnis infirmitatẽ sæpe labitur & peccat. Talis ergo, inquit, reseruat iram, & à Deo potẽtissimo & perfectissimo petit iræ relaxationem? Et subiicit: Quis exorabit pro delictis ipsius? significãs huiusmodi hominis factum tam esse intolerabile, vt nõ solùm ipse indignus sit qui pro se orãs exaudiatur, sed nec esse quemquam alium, qui pro eo exorare vel velit vel possit. His sic exaggeratis, rectè rursum monet deponendam iram, & offensas condonandas.

6 *Memento nouissimorum, & desine inimicari: tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius.*

SEcundam partem sic habent Græca, ϗ μὴ μηνίσῃς τῷ πλησίον καταφθορὰν καὶ θάνατον, καὶ ἔμμενε ἐντολαῖς, & ne mineris proximo corruptionem & mortem, & immane mandatis, hoc est, persiste in illis. Germanica æditio non habet illa verba: Et ne mineris proximo; sicut nec noster ea legit. Ex Græca autem lectione cõstat malè quosdam legere apud nos: Beatitudo enim & mors; sed pro Beatitudo: legendum, Tabitudo, hoc est, corruptio. Correspondet enim dictioni καταφθορὰν. Constat etiam pronomen, eius, superesse in multis libris, & legenduu, imminent in mandatir; sine pronomine, eius, sicut multa scripta habent concorditer cum Græcis. Duo ergo Sapiens proponit semper cogitanda, per quæ ab ira & vindictæ cupiditate animus hominis reuocari debeat. Primùm nouissima, per quæ hic potissimùm significare voluit vltionem quæ in nouissimo fine hominis manet impios legis Dei transgressores. Hanc enim qui mente semper recoluerit, facilè cessabit à prosequenda inimicitia, quia corruptio & mors imminent in mandatis, hoc est, imminẽt homini propter neglecta Dei mãdata. Aut potius: imminent in mandatis; hoc est, in mãdatis Dei vbique obuia sunt & cernuntur. vbique enim ea transgressoribus apertè prædicuntur obuentura.

tura. Horum ergo malorum metu meritò inimicitia omnis & ira deponēda eſt,vt iram Dei, quam omnes meruerunt,effugere quis poſſit.

7 *Memorare timorem Dei, & ne iraſcaris proximo: memor.re teſtamentum altiſſimi , & deſpice ignorantiam proximi.*

PRo, timorem Dei.Græcis eſt, ὑπολῶν,hoc eſt,mādatorum. Nec eſt bis verbum,memorare,ſed ſemel tātùm , ita vt vtraque parte idem ſignificetur , quia per teſtamentum altiſſimi,lex Dei ſignificatur. Secundum ergo, cuius intuitu vult vnumquemque reuocari ab ira & vitionis cupiditate, eſt lex Dei, Remit. 19 quæ vltionem & iram prohibet, dicens:Non quæras vltionem,nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.Huius legis recordatione memoramur, hoc eſt, recordamur timoré Dei, hoc eſt, recordamur quid ex timore Dei illi debeamus, vt eius intuitu nō iraſcamur proximo,ſed deſpiciamus ignorātiam proximi, hoc eſt,parui faciamus ea quę proximus per ignorantiam in nos peccauit. Vt enim extenuaret proximi peccatum,& ob id oſtenderet eſſe deſpiciendum tanquam paruum vocat ignorantiam , quòd per ignorantiam ſæpè committatur. Rurſum vt facilius ad illius deſpectum induceret , monet recordari legis & timoris Dei , vt horum memoria illius obliuionem & paruipenſionem inferret.

8 *Abſtine te à lite, & minues peccata:homo enim iracundus incendit liſem.*

9 *Et uir peccator turbabit amicos , & in medio pacem habentium immietet inimicitiam.*

POſtquam efficacibus rationibus reuocauit à cupiditate vindictæ ex ira prodeunte, rectè etiam reuocat à litibus & cōtentionibus, quæ eodem etiam fonte prodeunt,& vltionis ſunt quidam modus. Sicut, inquit, monui, vt ab vltione abſtineas, ita etiam abſtine te,hoc eſt,contine & cohibe te à lite:& ſi id feceris , minues peccara . & in te & in aliis , quia & pauciora tu peccata cōmittes, minúſque peccabis , & cauſam præbebis vt alij minus peccent,quos ad contentiones & rixas nō excitabis.Vtrumque enim ſequentia declarant, cùm dicitur : Homo enim iracūdus,qui vt facilè iraſcitur, ita facilis eſt ad contendendum , incendit litem non ſolùm in ſe contra alios,ſed etiam in aliis contra ſe quos ad rixandum contra ſe prouocat. Nec tantùm in ſe & contra ſe litem incēdit,ſed & alios inter ſe cōmiſcet,qui inter ſe amici fuerāt,& inter ſe pacificè vixerūt.Oſtendit ergo homines contentioſos & multa committere peccata,& authores eſſe aliis peccatorum.

10 *Secundùm enim ligna ſyluæ ſic ignis exardeſcit, & ſecundùm uirtutem hominis ſic iracundia illius erit, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam.*

DOcet hæc ſentētia, vnde fiat vt quidam ſint tam impotentis iræ, & vehementer contendant, nempe quòd vires & opes eius audaciam præbeant, & materiam maioris iræ ſubminiſtrent , quemadmodum docet experientia. Ad quod oſtēdendum pulchra vtitur comparatione. Secundùm, inquit,ligna ſyluæ, hoc eſt,pro multitudine & qualitate lignorum quæ igni adhibentur,ſic ignis exardeſcit, vt maior ſit & calidior,quò plura & duriora ligna fuerint appoſita, ſic etiam pro viribus & fortitudine hominis vt in plurimum erit iracundia eius, & ſecūdùm opes ſuas exaltabit iram ſuam , vt quo eſt fortior & ditior, eò magis audeat iram ſuam ſine pudore & timore oſtentare,altè inclamādo, & quoſuis liberè inceſſendo. Potentia ergo & opulentia, fomenta ſunt iracundiæ , ſicut ligna ignis ſunt alimenta: idque tum quòd propter illa homines magis ponderent iniuriam ſuam , & facilè ſe læſos iudicent , tum quòd pudore & timore non ita ab ira & clamoribus indignis reuocentur , ſicut humiliores. Coniunctio , enim , quæ non videtur probare præcedentia,Græcis non eſt. Superior namque ſententia docuit iracundiam fomentum eſſe & materiam litium , iuxta illud ; Sicut carbones ad prunas , & ligna ad ignem : ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. Prou.26 Hæc verò ſententia docet quæ ſint materia & fomēta ipſius iracundiæ:quæ ſicut incendit lites , ita à virium & diuitiarum fiducia accenditur.

11 *Certamen feſtinatum incendit ignem , & lis feſtinans effundit ſanguinem , & lingua teſtificans adducit mortem.*

TErtium membrum de lingua teſtificante,quod obſcurum eſt,& nō niſi incommodum habet ſenſum , in nullis Græcis eſt. Pro. certamen,eſt ἔρις. hoc eſt,contentio : & pro,lis,eſt μαχὴ. hoc eſt,pugna. Itaque magis conueniebat in primo membro vertere ; lis feſtinans:& in ſecūdo;certamen feſtinatum. Significatur enim illa rerū ſeries & gradus, vt primo homines iurgiis ac rixis incendant in ſeſe mutuo ignem iracundiæ , ac deinde manibus pugnando ſanguinem effundant, & mortem infligant. Vocat autem litem & pugnam feſtinatam , ad quam ſine rationis iudicio & moderamine homines præcipitanter per iræ commotionem proruunt. In noſtra lectione per, certamen , intelligenda eſt contentio qua verbis certatur. vt ſit ſenſus : Contentio præcipitanter aſſumpta primum quidem incendit ignem iracundiæ in animis hominum , deinde illo accenſo eadem lis & cōtentio frequenter etiam effundit ſanguinem , & cauſa eſt vulnerum & cædis , quæ ſæpe nomine effuſionis ſanguinis ſignificatur in ſcripturis. Quod ſequitur de lingua teſtificante,poteſt accipi vt cum precedentibus conueniat de lingua denūciante & comminãte alicui interitum , vt ſit ſenſus : lingua comminatoria , quæque denunciat alicui interitùm,ſolet nonnunquam adducere mortem,& cædium eſſe cauſa.Teſtificari enim nonnunquam ponitur pro denunciare & profiteri,vt ibi : Teſtificor omni homini Galat.5.

homini circuncidenti ſe,&c.Et Rabanus exponit, procax loquela. Dionyſius intelligit linguam teſtificantem , eam quæ alterius litigantium cauſam ſuo teſtimonio approbat & adiuuat. Simili ferè modo Lyranus. Itaque hæc ſententia oſtēdit mala quæ ex contentionibus per iram accidunt , vt his intellectis , omnis acerba contentio & offenſio maturè extinguatur , & perſuadeatur quod prius dixit:Abſtine à lite. Cæterum quod ad lectionem attinet , legendum eſſe per verba præſentis temporis,incendit,effundit,adducit, & non per futura , vt multi libri habent, docent Græca.

12 *Si ſufflauerit,quaſi ignis exardebit : & ſi expueris ſuper illam,extinguetur & utraque ex ore proficiſcuntur.*

ELegantius & ſignificantius habent Græca ; ἐὰν φυσηθεὶς σπινθηρα,καήσεται, ſi flaueris in ſcintillam , ardebit, &c. Pulchrum enim proponitur exemplum de ſcintilla, quæ vno eodémque ore & flando in eam accenditur, & expuēdo in eam extinguitur. Quo exemplo allegoricè inſinuatur , quomodo ira hominis , quam ſupra igni comparauit,vna eadémque lingua & accendi poſſit, & extingui inſtar ſcintillæ. Accenditur enim ſufflando in eam,hoc eſt, eam contentionibus & falſis adulationibus inſtigādo:extinguetur autem ſi expuatur in eam, hoc eſt,ſi manſuetudine verborum reprimatur,& veluti frigida ei ſuffundatur , aut ſi eius vilitas & turpitudo demonſtretur. Hoc ergo ſignificatur quod alibi dicitur:In manibus linguæ vita & mors.&: Prou.15. Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem. Noſtra lectio idem omnino ſignificaret, ſi abeſſet dictio quaſi , & legeretur;ſuper illum;quomodo legitur apud Rabanum. Obſcuritatem enim facit in noſtra lectione,quòd verba,exardebit & extinguetur,non habent ſuppoſitum,nec videtur quò referendum ſit relatiuum , illam. Nam ineptè refertur ad linguam teſtificantem, cùm ipſi linguæ tribuendum ſit ipſum ſufflare & expuere. Neceſſe ergo eſt , vt commodus ſenſus habeatur,ſubintelligere & repetere ex præcedentibus nomen ira , quod ſit & illorum verborum ſuppolitum, & relatiui,illam,antecedens,vt ſit ſenſus : Si ſufflaueris in iram quaſi ignis exardebit,& veluti in flammam erumpet : & ſi expueris ſuper eam , extinguetur : & quod mirandum eſt, vtrunque horum cōtrariorum,quidus idem & accenditur & extinguitur, ex vno eodémque ore proficiſcitur. Legendum enim eſt cum coniunctione , & vtraque ; ſicut cum Græcis multa ſcripta habent,vt magis quod admirandum eſt ſignificetur , quomodo & Iacobi 3. Iacobus dicit : Ex ipſo ore procedit benedictio,& maledictio.

13 *Suſurro & bilinguis maledictus : multos enim turbauit pacem habentes.*

POſtquam hactenus quædam dixit Sapiēs contra iracundiam , & contentionis malum rectè iam ſubiicit & de prauitate linguæ maximè detractoriæ & variæ,vitia eius & pericula quæ inde proficiſcūtur latè proſequens , offendénſque eadem mala hinc prouenire quæ ex contentionibus & rixis, imo & plura. Dicit ergo,quòd & ſuſurro qui clam detrahit, ac auribus hominum multa inſuſurrat ; & bilinguis , qui aliud coram , & aliud poſt tergum loquitur , eſt maledictus, & dignus eſt quem omnes execrentur , & abominentur , quia talis frequenter multos in ſeipſis , & cum aliis pacem habentes turbauit , dicendo ea per quæ naſcitur in tranquilli mentis inquietudo, aut per quæ intér pacificos oritur diſcordia , turbatio & contentio.

14 *Lingua tertia multos commouit, & diſperſit illos de gente in gentem.*

15 *Ciuitates muratas diuitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit.*

16 *Virtutes populorum concidit , & gentes fortes diſſoluit.*

PRo, lingua tertia, & hoc & ſequenti loco Complutenſe exemplar habet , γλῶσσα διπλῆ , hoc eſt , lingua duplex , quæ ſcilicet modò hoc modò illud loquitur , vt correſpondeat ei quod dixit bilinguis. Germanicum tamē exemplar habet γλῶσσα τρίλιν,quod ſecutus interpres vertit,lingua tertia. Eſt autem lingua tertia, quæ inter duos ſe tertiam immiſcet.& ſerit inter eos diſcordiā. Eōdem ergo recidit ſiue duplicem dicas linguam, ſiue tertiam, quod ferè lingua duplex ſe inter diuerſos miſceat tertiam , dum diuerſis placere ſtudet , & vtrique parti grata proferre. Huius itaque linguæ mala, quæ adfert & multa & magna , multis hic proſequitur , & & alibi ea in ſcripturis inſinuantur, docétque non vni tantùm aut paucis nocuiſſe,ſed multos commouiſſe , idque non leuiter,ſed ita vt ſolùm vertere cogerentur,& exilij illis cauſa fuerit.Id autem fit,dum falſis criminationibus grauati patriam relinquere coguntur , aut per excitata bella & ſeditiones expelluntur in alias gentes. Nec priuatis tantùm nocuit huiuſmodi lingua , ſed & ciuitates integras , eáſque bene muratas , & diutū deſtruxit domos , familiáſque principum penitus euertit, ita vt ei nulla fortitudo,nullæ diuitiæ , nulla dignitas præualere potuerit,ſed omnia ei cedere coacta ſint.Adeò potēs eſt malum huiuſmodi linguæ,quantumuis exiguum membrum ſit , vt bene dixerit diuus Iacobus 3. Ecce quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit.Et lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis, &c. Nec tantùm hoc malum inuadere ſolet fortes , ſed & mulierum infirmum & imbecille genus aggreditur,vnde ſubditur:

17 *Lingua tertia mulieres uiratas eiecit , & priuauit illas laboribus ſuis.*

PRo,viratas, aut, vt quidam legunt,viritas, Græcis eſt, ἀνδρείας,hoc eſt,viriles,fortes, & ſtrennas.Has,ergo,quæ laude dignæ erant

potius, lingua tertia & duplex eiecit sæpe è domibus suis, falsis scilicet delationibus eas separando à suis maritis, sicque electas priuauit his bonis quæ suis laboribus & diligẽtia pepererant, ita vt duplici malo affligerẽtur, dum & maritum suum relinquere cogerentur, & labores suos aliis consumendos permittere.

18 *Qui respicit illam non habebit requiem, nec habitabit cum requie.*

PRo; qui respicit illam; Græcis est, ὁ προσέχων αὐτῇ, hoc est, qui attendit illi. Postquam enim detrahentis linguæ mala ostendit, interserit hanc sententiam, qua indicat aures non esse patefaciendas delatoribus & maledicis hominibus, si velimus quieti pacíque nostræ cõsulere. Itaque; respicit illam; positum est pro attendit & aduertit ad illam, credendo ei, aut lubenter eam audiendo, vt & Dionysius exponit. Vt autem ab attẽdendo illi magis adhuc auocet, pergit eius malitiam exaggerare, cùm subiicit:

19 *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.*

COmparat plagã, hoc est: percussionem linguæ cum percussione flagelli, significátque grauius aliquem lædi lingua improba, quàm flagello, & proinde eam magis metuẽdam & vitandam, quàm flagellum, quòd ictus flagelli facias in cute exteriori liuoré & vibices: ictus verò linguæ, sit veluti ictus fustis, ossa & durissima quæque & intima hominis comminuentis. Turpiores enim notæ in vita moribúsque inferuntur maledicentia linguæ, quàm sunt cicatrices in cute corporis verberatione impressæ. Neque solùm infamia, maculáque turpissima vitæ ab ea inuritur, sed etiam calamitas aliquãdo summa importatur. Hęc ergo mala ossium comminutione significat Sapiens, quòd per ea grauissima & insanabilia vulnera, animíque cruciamenta à lingua inferatur, fiátque vt homo vires omnes amittat & soliditatem. Sic & dicitur in Prouerbiis: Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad interiora ventris. Ex dictis patet nomen, plaga, quod à Græco πλήσσω deriuatur, hic non vulnus significare, sed ictum & percussionem, à verbo πλήσσω, quod est percutio. Maior adhuc exaggeratio & vitiosæ linguæ in versu sequenti, quo etiam gladij aciem superare asseritur. *Prou. 17. & 26.*

20 *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.*

SVpereſt pronomen, suam, quod additum tollit sensum Sapientis. Non enim hic Sapiens agit de his qui pereũt propriæ linguæ vitio, quamuis etiam de illis istud dici possit, sed de his qui pereunt aliena lingua: vnde & quæ sequuntur ferè à nostris malè intelliguntur. At Rabanus quoque hanc sententiã interpretatur de his qui lingua alios seducũt, vt omnino certum videatur eũm non legisse pronomen, suam, etsi in cõtextu eius habeatur. Sensus ergo est: multi ceciderunt & occisi sunt per aciem gladij, quasi ore deuorãtis: sed hi non sunt tam multi, atque qui per linguam maledicam perierunt, hoc est, plures occidit lingua quàm gladius, quia lingua valde multis & variis modis causa fuit mortis & corporalis & spiritualis, quod quã verum sit, sicut & omnia præcedentia, nemo mirabitur, si attendamus quãtam perniciem infinitæ multitudini attulerit semper hæreticorũ lingua, qui veritati semper susurrãdo, & falsa seminando detraxerunt, vt alios prætereamus, q criminationibus & delationibus mœrore consumpti sunt & miserè afflicti.

21 *Beatus est qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiuit.*

22 *Et qui non attraxit iugum illius, & in uinculis illius non est ligatus.*

INtelligunrur ferè hæc à nostris sic, vt significetur fœlicem eum esse qui Dei munere liber est & minimè subiectus vitiis linguæ, ita vt per linguam non peccauerit, nec linguæ suæ vitia in se dominantia pertulerit, iuxta illud: Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. &: Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. At, vt suprà dictũ est, Sapiẽs hic loquitur de vitiis linguæ alienæ, quæ cùm & tam multos attingat lædátque, vt dictum est, & tam grauiter lædat, vt etiam dictum est, meritò subinfert beatum eum esse & fœlicem, qui Deo protegente ab eius iniuria & læsione est profectus. Vnde tã seriò ab ea protegi & liberari orat, déque ea conqueritur propheta regius, dicens: Domine libera animam meam à labiis iniquis & à lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? &c. Et alio loco gloriatur Deum præstitutum hoc beneficij iustis, vt à virulentia linguarum tuti sint. Proteges, inquit, eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Et ipse huius libri author vltimo capite cõfitetur Deo, & gratias agit quòd Deus ipsum liberauerit à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium: A lingua coinquinata, & à verbo mendacij, & à lingua iniusta. Multis autem modis Dei munere quis protegitur à lingua nequam, videlicet aut quia ab ea non attingitur, quod paucis contingit: aut quia ab ea impetitus defenditur, vt per eam non patiatur infortunium, vel saltem tandem ab ea liberetur: aut quia per eam non abducitur in errores & vitia. Beatus ergo ille est & fœlix, qui aliquo horũ modorum protectus est à lingua nequam, ita scilicet vt in iracundiam eius non transiuerit, hoc est, nõ passus sit eius indignationem & violétiam. Quíque non traxit iugum illius; hoc est, non est subiectus eius dominio, nec eius vinculis est ligatus, hoc est, ab ea non est detentus, cõstrictus & superatus. *Iacobi 3. Supra c. 14. Psal. 119 Psal. 30.*

23 *Iugum enim illius, iugum ferreum est: & uinculum illius, uinculum æreum est.*

24 *Mors illius, mors nequissima: & utilis potius inferus, quàm illa.*

VT intelligatur quàm graue sit imperiũ in eos quibus à Deo permittitur dominari, & quàm grauiter eos premat & malè afficiat, dicit iugum eius ferreum esse, & vinculum æreum, hoc est, eius dominium valde esse durum & importabile, grauitérque hominem constringere, vt quæ sine omni miseratione crudeliter sæuiat in eos quibus dominari permittitur, summis cruciatibus & angoribus animos eorum afficiens, atque in multa grauiáque mala eos præcípitans, & maximè dum in errores & vitia homines pertrahit. Quóque magis tetrum hoc monstrum humano generi admodum noxium ostendat quàm malum sit, non solùm illud premere dicit, sed etiam mortem adferre, & mortem quam illa adfert, esse mortem nequissimam, vel, vt est Græcè, mortem malam significãs quandam esse mortem quæ optanda sit & bona, in comparatione eius mortis quam lingua infert. Mors enim linguæ frequenter & diuturna est, quia longo cruciatu animi hominem conficit, & acerba valde atque violenta, dum falsis criminationibus iniquè homines affliguntur, & tormentis subduntur. Præ huiusmodi autem morte optabilis est & bona mors corporalis, quæ in pace animi & senectute bona obtingit: mors item quæ gladio subitò liberat hominem à longo cruciatu, Mors item æterna, quam adfert lingua praua his qui per eam in errores & vitia se pertrahi sinunt, illa proculdubio est verè mala, imò & nequissima, hoc est, pessima, iuxta illud Dauidis: Mors peccatorum pessima. Cùm autem subiungitur; & vtilis potius inferus quàm illa; relatiuum illa, certum est non esse referendum ad mortem linguę, quia relatiuum Græcis est fœmininum, cùm nomen, mors θάνατος, illis sit masculinũ. Referendum ergo est ad linguam, vt significetur inferum vtiliorem esse lingua peruersa. Cùm autem nomine inferi vel inferni, ferè soleat intelligi æterna impiorum damnatio, torquent se hic quidam quomodo infernus vtilior hic dicatur lingua peruersa. Nõ enim vtilius est homini ęternã pati damnationem quàm lingua aliena praua hic diuexari. At certũ est in scripturis nomine inferi, vel, inferni, non semper damnationẽ impiorũ designari, sed tantùm mortẽ, vel mortuorũ statũ Itaque hic tantùm significatur melius esse mortuum esse quàm lingua praua vexari; quomodo & suprà cap. 26. dixit Sapiẽs quædam esse grauia supra mortem, & infrà cap. 30. dicit meliorem esse mortem quàm vitam amaram. Et Ecclesiastes 7. dicitur: Inueni amariorem morte esse mulierem. Ita & hic dicit vtriliorem esse mortem quàm linguam peruersam: quòd per mortem homo quiescat, liberatus ab omnibus malis huius vitæ: lingua autem praua hic diu & grauiter torqueatur. Vnde & postea cùm dicit: Melior est mors quàm vita amara; subiicit ad explicandum cur hoc dicat, Et requies æterna quam languor perseuerans. Consideratur ergo mors & inferus in his locis, quatenus quietem præbẽt & liberationem à malis huius vitæ. *Psal. 33.*

25 *Perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit uias iniustorum, & in flamma sua non combureret iustos.*

GRæcis tantùm est, Non dominabitur piis, & in flamma eius non comburentur. Postquam enim ostendit quantum malum sit lingua peruersa, & fœlices esse dixit quibus contingit ab ea esse protectos, iam exprimit quibus hoc malum Dei iudicio dominatur, & in quibus suã vim exercet. Et est nostræ lectionis istæ sensus: Etsi magna sit huius mali, de quo dixi, vis, tamen illius perseuerantia non permanebit, in omnes scilicet, hoc est, non permittetur in omnes perseuerare & obtinere imperiũ, quia etsi permittatur iustos attingere & inuadere, atque ad tẽpus vexare, non tamen sinet eam Deus vsque in finem eos torquere, quia, vt habet Psalmus: Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Sed obtinebit vias iniustorũ, hoc est, dominabitur illorum moribus, ita vt in pœnam impiæ vitę eorum in summa & extrema mala eos deductura sit, à quibus non sint liberandi: & in flamma sua non comburet iustos, hoc est, sub malo non lædet eos, etiamsi vrat, & sua veluti flamma attingat. Quemadmodum enim iusti aliis omnibus tribulationibus non comburuntur nec læduntur, sed veluti in igne purgantur & probantur: ita Dei beneficio fit, vt iusti, etsi malorum lingua iniquè impetãtur, nihil tamen inde veri nocumenti percipiant, sed vel cum confusione peruersæ linguæ eorum innocentia declaretur, vel certè probati apud Deum immortalitatis gloria honorentur. Flammam autem tribuit linguæ, significans eius perniciem omnia arripientem & inuadentem, quomodo & Iacobus: Lingua, inquit, ignis est vniuersitas iniquitatis, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata á gehenna. Ostensa est huius quod hic dicitur veritas etiam corporaliter in tribus illis pueris apud Danielem, qui impiis quorundam criminationibus coniecti in fornacem ardentem, nõ sunt læsi à flamma ignis quam contra eos accenderat lingua peruersa, ita vt videri possit Sapientem ad hoc exemplum respexisse, cùm hic dicit: In flamma sua non comburet iustos. *Psal. 124. Iacobi 3. Daniel. 3*

26 *Qui relinquunt Dominum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur.*

27 *Et immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.*

QVemadmodum singulari Dei gratia & beneficio iusti à linguæ maleficio conseruantur, quemadmodum suprà etiam ex Dauide adductum est, ita summa eius ira & vindicta impij peruersæ linguæ incendio & exitio abiiciuntur, & perdi penitus permittuntur sine aliqua liberationis & restitutio-

nis spe. Id quo efficacius significaret, duplici vtitur similitudine, & ignis scilicet sic ardentis vt à nullo extinguatur, & crudelium ferarum quæ inclementer sæuiunt, nec earum vis superari potest. Variis autem modis ostendi potest verum esse, quod hic dicitur de dominio & vi linguæ in impios. Primò enim qui Deum relinquunt sine timore viuentes, in grandia peccata incidunt, ob quæ obnoxij fiunt linguæ calumniatrici, à qua & perpetua inurantur diffamia, & suppliciis iustis subiiciuntur. Deinde etiam Deus sinit contra impios exurgere linguas mendaces & peruersas, per quas in pœnam derelictionis Dei grauiter hic torquentur, & nec per mortem liberantur, cùm detrudantur ad tartara in æternum puniẽdi. Postremùm verum istud maximè est in impiis, qui iusto Dei iudicio à lingua praua sinũtur pertrahi in errores & hæreses, per quas æternam damnationem tandem sunt cõsecuturi. De quibus
2 Thes. 2. dicit Paulus: Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderint veritati, consenserunt autem iniquitati. Potest & hoc addi, eos qui relinquunt Dominum, à quo defendi possent, incidere in manus linguæ: quia Deo eos deserente incidunt in varia linguæ vitia & peccata, per quæ merẽtur & hic temporalibus, & posteà æternis tradi suppliciis, igni scilicet infernali qui nunquam extinguetur, vbi & sæuissimis tradẽtur dæmonibus, instar leonis & pardi crudeliter eos torquentibus. Sicut & quod dicitur, iustos non comburendos flamma linguæ, etiam intelligi potest dictum ad significandum eos non ita subiiciendos dominio prauæ linguæ, vt eius vitiis sint obnoxij, & in lingua grauiter peccent. Notandum autem rectè dici; Qui relinquunt Dominum, incident in illam, ad significandum à linguæ violentia & imperio neminem, nisi Deo protegente, liberari posse, qui relinquentes se etiã ipse relinquit & deserit.

28 *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: & auri tuo facito ostia, & feras auribus tuis.*

GRæca tantùm sic habent; Ecce circummunias possessionem tuam spinis, & ori tuo fac valuas & obices. Itaque intelligunt quidam hic vnum tantùm præcipi, nempe continentiam & moderationem linguæ, atque ad id duplicem adhiberi similitudinem possessionis scilicet vepribus circumseptę, & domus quæ valuis & vectibus occluditur atque munitur, vt sit sensus: quemadmodum possessionem suam solet quis spinis & vepribus obturare, & domum ostiis & vectibus occludere: ita & os tuum diligenter custodi, vt ne ex eo dissoluta & perniciosa verba egrediantur. Verùm quoniam duplex illa clausura, à qua trahitur similitudo, non ad eundem pertinet vsum, sed ad contrarium (nam in possessione fit mentio ne bestiæ & feræ noxiæ ingrediantur: in domo verò etiam ne egrediantur nimis liberè domestici) ideo noster interpres priorem similitudinem retulit ad aures, idque valde appositè, proinde sensum potius quàm verba referens vertit; Sepi aures tuas spinis; intelligens scilicet per possessionis munimen, aurium custodiam significari, vt quemadmodum ager munitur ne bestiæ ingrediãtur: ita & aures custodiantur, ne pateant detractoribus, maledicis & mendacibus. Postquam enim superius Sapiens prosecutus est pericula & mala quæ à linguę prauitate & maledicentia inferuntur hortatur conuenienti ordine ad duo, videlicet & vt aures nostras muniamus contra eos qui peruersæ sunt linguę, ne illorum peruersitati facilem accessum præbeamus, & vt os nostrum muniamus & custodiamus, ne & ipsi illis linguæ vitiis subiiciamu, quemadmodum & Dauid se fecisse testatur, dicens: Posui ori meo custodiam; & vt id facere posset Deum orauit, dicens: Pone Domine cu- Psal. 38.
stodiam ori meo, & ostium circunstantiæ la- Psal. 140
biis meis. Dicit ergo: Sepi aures tuas spinis: hoc est, muni eas, & obtura ne pateant detractoribus, quemadmodum spinis ager circũsepitur contra bestiarũ incursum, auresque tuas timore Dei veluti spinis quibusdam sapias. Et quoniam id allegoricè dictũ est, pro commẽtario additum est; Et linguã nequam noli audire. Idem significatum est per hoc quod dicitur; & feras facito auribus tuis. Et hæc quidẽ vt muniamur à lingua aliena. Vt autẽ & à propria muniamur, Ori tuo, inquit, facito ostia, hoc est, os tuum veluti ostiis quibusdam conclude taciturnitate & silentio, vt eo non sinas linguam tuam profundere quicquid volet, & quicquid in ipsa hęret, sed tantùm quod expedit, & nocere non potest. Notandum autem apud Rabanũ abesse duo illa verba, auribus tuis, vt quod dicitur, & feras, simul cum ostiis referatur ad os, quemadmodum & apud Græcos. Atque hæc videtur vera lectio.

29 *Aurum tuum & argentum tuum confla, & uerbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos.*

QVod de auro & argento hic parabolicè adfertur, aut intelligi potest de auro & argento ponderando per stateram, ea enim statera ponderari solent: itaque significabitur, sicut quidam intelligunt, quòd quemadmodum aurum & argentum seriò statera ponderari solent: ita etiam verba oris sunt diligenter ponderanda, iuxta illud quod suprà dixit: Verba sapientis statera pondera- Sup. c. 21.
buntur. Aut intelligi potest de auro & argento vnde statera sit fabricanda, quemadmodum intellexisse magis videtur interpres, dum vertit; confla; quanquam Græca dictio σύνδησον, non cõfla, significat, sed colliga, vel obliga, & cõnecte. Itaque significabitur omnia quæ possidemus preciosa impendenda esse, vt inde vel fabricetur, vel comparetur & ematur ori pretiosa statera, qua omnia oris verba bene & prudenter ponderentur. Istud autem fit, cùm omnium rerum dispendio & magnis laboribus, ac sumptibus comparatur sapientia & prudentia, quæ docet quomodo

modo verba sint disponenda & aptanda, ac quando loquendum sit, quando tacedum, quæ item dicenda, & quæ silenda. Alteram autẽ similitudinem etiam adhibens ad idem significandum, monet vt faciamus ori frenos electos, hoc est, iustam ei moderationem & cohibitionẽ adhibeamus. Nam sunt qui refrenant linguam suam, sed non rectè tacentes scilicet quando loquendum esset. Explicans autem has allegorias, & quorsum hæc dicat, subiungit:

30 *Et attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

CAue, inquit, tibi ne fortè per linguę pręcipitantiam labaris in aliquod peccatũ, & per peccatum cadas etiam in aliquod dedecus & pœnam videntibus inimicis tuis, qui vt insidiantur tibi ad hoc vt capiant te in sermone tuo, & ex ore tuo aliquid quod calumnientur rapiant; ita de ruina tua ignominia & malo tuo gaudebunt, sitque casus tuus insanabilis per mortem, hoc est, quia lethalis est & mortiferus. Nam linguæ abusus & corporalem sæpe affert mortẽ, & semper æternam, nisi pœnitentiæ remedio sanetur. Cæterùm tertia huius sententiæ pars addita est ab interprete, cùm non sit in Græcis, vbi etiam hæc sententia bimembris est, vt aliæ ferè.

Caput XXIX.

1 *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo: & qui præualet manu, mandata seruat.*

HOc toto ferè capite agitur de duplici gratia, altera quæ in dãdo & cõferendo beneficio consistit, per mutuũ, per donationem, per fideiussiones: altera quæ consistit in reddendo, per solutionem mutui, & liberationem à fideiussione. Gratia enim aut confertur, aut refertur. Porrò cùm fœnerari alicui, dupliciter accipiatur, videlicet vel simpliciter pro mutuum alicui dare, vel pro dare ad vsurã, dupliciter etiam prior huius sententiæ pars exponitur. Sunt enim qui posteriori modo accipiunt in hoc sensu: Qui facit misericordiam subueniendo alterius necessitati, is fœneratur illi quia quod ei impendit beneficij, recepturus est cum
Prou. 19 fœnore. Nam vt dicitur in Prouerb. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis. Alij priori modo accipiunt, vt sit sensus: Qui haberi vult misericors, is proximo suo in necessitatibus illius dat mutuo. Atque hoc modo magis accipiendum videtur ex subiecta sententia, in qua verbum, fœnerari, accipitur pro, mutuum dare. In secunda parte is dicitur præualere manu, qui ad largiendũ promptus est & facilis. Nam qui tenax est, non videtur fortis manu & præualidus, sed infirmus & impotens, vt qui manu ad dandum non vtatur, aut tenuiter ea vtitur. Secundùm priorem ergo primæ partis intelligentiam sensus huius partis est: qui largiter tribuit, is bene sibi consulit, quia facit quod ipsi mandatum est. Secũdùm posteriorem acceptionem sensus est: Qui haberi vult fortis manu is solicitus est vt faciat quæ ei mandata sunt de subueniendo suis proximis.

2 *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis, & iterum redde proximo in tempore suo.*

DVo præcipit hæc sententia ad mutuum pertinentia, quorũ primum est de dando mutuo, & pertinet ad eos qui habent quod mutuo dent: alterum est de reddendo mutuo, & pertinet ad eos qui mutuum acceperunt, ita vt sensus sit: Tu qui habes quod des, da mutuo proximo tuo in tempore necessitatis & indigentiæ illius: & vicissim tu qui accepisti mutuo, redde proximo in constituto tempore: vt sicut ille gratiam contulit, ita & tu referas. Quam posteriorem monitionem prosequitur versu sequenti.

3 *Confirma uerbum, & fideliter age cum illo, & in omni tempore inuenies quod tibi necessarium est.*

VErbum, inquit, promissionis tuæ, quo te obligasti ad reddẽdum certo tempore quod mutuo accepisti, confirma præstando promissum, & fideliter age cum eo qui tibi mutuum dedit. Sic enim fiet vt quouis tempore inuenias qui tibi in tua necessitate succurrant, & dent mutuum. Cur autem id tam sedulò moneat, sequenti narratione ostendit, quæ clarè commemorat multorum ingratitudinem & infidelitatem in reddendo quod acceperunt mutuo.

4 *Multi quasi inuentionem æstimauerũt fœnus, & præstiterunt molestiam his qui se adiuuerunt.*

INuentionem vocat rem inuentam. Sunt enim plerique qui fœnus, hoc est, mutuũ acceptum reputant quasi rem inuentam, ita vt de illo reddendo non cogitent, quẽadmodum de re inuenta reddenda homines ferè non cogitant. Ideóque molestiam præbent his qui ipsos in sua necessitate adiuuerunt, dum coguntur repetere debitum, & illud anxiè expectare, aut etiam litibus extorquere. Horum mores pulchrè depingit cùm subiicit:

5 *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant uocem suam.*
6 *Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur uerba acediæ & murmurationum, & tempus causabitur.*

APerta sunt hæc, & quotidiana experientia comprobãtur. Multi enim dum mutuum petunt, donec illud accipiant, osculantur manus à quibus cupiunt aliquid accipere, & venerantur plurimùm & demissè eum cuius gratiam ambiunt, & vocem suam demittũt humiliter multa promittẽdo nẽpe

quòd tempore præscripto certò reddent, quódque grati sint futuri, & gratiam præstitam semper aguturi. At contrà in tempore reddendi, postulant sibi aliud tempus solutionis concedi & constitui,& pro humilibus illis verbis quæ prius loquebantur, loquuntur verba acediæ, vel, vt habent multi libri, tædij,& murmurationum, cum tristitia scilicet loquentes, imò & cum murmurationibus cõtra eum qui dedit mutuum, quasi seuerus sit & rigidus in repetendo, & non solùm ingratus in benefactorẽ hominem, sed etiam in Deum, causabitur tempus in quod incidit,accusans scilicet temporis sterilitatẽ, aut aliam aliquam incõmoditatem, in tempus potius reiiciens solutionis dilationem & omissionem, quàm in suam negligentiam & socordiam. Est autem in his sententiis mutatio numeri in scripturis non infrequens. Prosequitur deinde descriptionem morum huiusmodi hominum.

7 *Si autem potuerit soluere aduersatus solidi uix reddet dimidium,& computabit illud quasi inuentionem.*

8 *Sin autem, fraudabit illum pecunia, & possidebit illum inimicum gratis.*

9 *Et conuitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio,reddet illi contumeliam.*

DVæ illę dictiones,aduersatus solidi,non sunt Græcis,& variè leguntur. Quidam enim libri habent, aduersabitur vel auersabitur. Alij, aduersatus vel atuersatus.Et pro, solidi, quidam habent aduerbium,solidè, vt iungatur verbo, aduersabitur. At verisimile est interpretem potius vertisse solidi,hoc est integræ summæ mutuo datæ, vt explicaret, quid sit quod hic dicitur dimidium. Pergit commemorare quid in hominum moribus euenire soleat, vt huiusmodi commemoratione ostendat eorum quæ fiunt indignitatem.Postquam,inquit,solationis tempus aduenerit,qui mutuum accepit,non solùm dilationem postulabit cum multis querimoniis & causationibus, sed etiam si soluendo sit,tamen aduersatus primùm creditori suo debitum reposcenti,tandem vix dabit dimidiũ integræ summæ creditæ ei,& hoc ipsum computabit velut rem inuentam ipsi creditori, hoc est, non reputabit illud velut debitum,sed velut si creditor illud fortuitò repeririet,dicens aut sic se gerens quasi creditor fœlicem se reputare debeat,aut gratiam habere suo debitori, quòd vel dimidium ab eo obtinuerit.Si autem soluendo non sit,vt frequenter hominum socordia & prodigalitate fit, primùm quidem fraudabit illum pecunia quæ illi debetur, sicque præter meritum & culpam sui creditoris possidebit illum sibi inimicum,quem prius expertus erat amicum. Deinde verò etiam malum reddẽs pro bono,conuitia & maledicta reddet ei,vt hęc sint ei loco reddendæ pecuniæ. Quid verò mali hinc consequatur in moribus hominum,aperit cùm subiicit:

10 *Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.*

GRæca habẽt: πολλοὶ ἂν χάριν πονηρίας ἀπέστρεψαν τὴν ἀνθρωπον; Multi igitur causa nequitiæ auersati sunt hominem; vt intelligatur de nequitia mutuum accipiendum iam commemorata. Et quidam scripti codices nostri sine prima negatione habent; Multi causa nequitiæ nõ fœnerati sunt; quæ lectio etiam accipienda esset de nequitia mutuum accipientium. Verùm interpretem vertisse;non causa nequitiæ; vt legerit δ pro ἂν, satis patet ex aduersatiua particula:sed fraudari timuerunt. Itaque sensus est:Multi abstinuerunt à mutuando non causa suæ nequitiæ, hoc est, non ex sui animi crudelitate & immisericordia, sed timuerunt præter suum meritum & culpam fraudari sua pecunia.Hoc ergo subinfert præcedentibus non tanquam laudans aut etiam vituperãs,sed vt ostendat fructum ingratitudinis & infidelitatis suprà commemoratæ. Ne tamen ea de causa à debitis misericordiæ operibus homines reuocarentur rectè subiungit:

11 *Veruntamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosyna non tradas illum.*

EX Græcis constat dictionem,animo,iungendam non cum, humilem, sed cum, fortior. Habent enim, ἐπὶ ταπεινῷ μακροθύμησον, hoc est,super humilem longanimis esto.Monet ergo ne erga eum qui verè pauper est, aut ex animo humiliter ac demissè loquitur si non possit quod mutuo accepit, præscripto tempore reddere, creditor impatienter se gerat,obiurgando eum,& rigidè debitum exigendo,sed animo suo imperet & superet vel condonando ei debitum, vel tempus solutioni concedendo.Item vt ne propter multorum iniurias & fraudes, qui se beneficio reddunt indignos; quis impatiẽti animo neget verè pauperibus humiliter opem petentibus subuenire, siue per mutuum, siue per donationem. Hoc enim significatur verbo μακροθυμεῖν, in maxima hominum perfidia & iniuria summam patientiam & humanitatem erga inopes beneficio nõ indignos præstare.Sic enim apud Matthæum, seruus qui *Matt. 17*
domino suo rationem reddere non poterat, nec soluendo erat, orauit vsus hoc verbo: κύριε μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί. Domine patientiam habe in me. Nam hæc affectio, quæ Græcis dicitur μακροθυμία, hoc est, patientia vel lenitas animi,acerbitati opponitur,qua plerique in beneficio aut exigendo aut negando vti solent. In secunda sententiæ parte pro, trahas, Græcè est παρελκύσῃς,hoc est, protrahas, vt non sit intelligendum de non trahendo in iudicium, sed de non protrahendo expectationẽ pauperis, cùm petit eleemosynam sibi fieri aut per mutuum. aut per donationem. Cæterùm per humilem,intelligitur vel pauper & afflictus, vel is qui se verè humiliat, & demissè gratiam petit. Ad misericordiæ ergo opera persuadenda prosequitur in sequentibus dicens:

12 *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ne dimittas eum uacuum.*

13 Perde

13 *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem.*

CLaris quidam verbis, sed quæ efficaces & varias rationes in se includunt, vrget ad beneficẽtiam exhibẽdam.Primùm enim id faciendum insinuat propter mandatum Dei, qui etiam in veteri lege ita facere præcepit, significans necessitatem esse ita facere, & eum qui benefacere negligit, à Deo tanquam transgressorem puniendum esse. Dicit ergo:Propter mandatum assume pauperem, hoc est, ne eum abiicias aut despicias,sed eum in tuam curã & tutelam susci pias. Secundò, significat etiam inopiam inuitare & impellere nos debere ad beneficentiam, quia vel illa sola sufficiẽs causa esse debet miserendi & benefaciendi. Itaque dicit; propter inopiam ipsius non dimittas eum vacuum à te, sed da ei siue mutuo siue dono quo eget, & quod à te petit. Tertiam beneficentiæ causam indicat nobis esse debere amicitiam, & sanguinis atque naturæ propinquitatem, ratione cuius illam debemus primùm quidem nobis coniunctioribus, sed tamen etiam omnibus hominibus, quos tanquam fratres & amicos habere debemus. Et quoniam à beneficentia frequenter homines impediuntur, ideo quòd velut perditum reputant quod egenti vel donant vel mutuantur:Perde,inquit,pecuniam propter fratrem & amicum tuum;non quòd verè perditum sit quod illis in eorum egestate
Prou.16. impenditur (quia, vt inquit Sapiens, Fœneratur Domino qui miseretur pauperis) sed significare volẽs meritò fratrem & amicum cariorem esse debere vnicuique quàm pecuniam,vt etiamsi perdenda esset, sicut existimãt homines propter tales perdẽda sit, & in eos impendenda, etiamsi non sit spes recipiendi illam ab ipsis.Et quoniam homines quidam proniores sunt ad conseruationem pecuniæ suæ,malunt eam fodere in terram, & sub lapide aliquo occultare,rectè subiicit. Et non abscondas eam sub lapide;significãs potius in necessitates proximi expendendas esse opes, etsi ea ratione perire danti videãtur, quàm sub lapide in terra occultãdas,etsi ibi seruari homini videantur.Et ne re vera ibi bene seruari putarentur, addit; in perditionem; innuens tum verè perditioni exponi eas,siue propter rubiginem & corruptionem quam ibi frequenter contrahunt, siue quod sæpe ibi repositæ veniunt in obliuionem hominum, siue etiam quòd ibi nullum faciant fructum vel possessori vel aliis, ita vt pereat earum vsus ad quem institutæ sunt. Ex contrario ergo significat, in egenos vel amicos vel fratres impensam pecuniam,etsi iudicetur perdita,re vera tamen non perire, sed optimè conseruari,vt in sequentibus docet. Quidam quod dicitur; Ne abscondas sub lapide in perditionem; intelligunt de perditione suiipsius,quia hominis perditionem & damnationem adfert huiusmodi occultatio. Vnde diuus Ambrosius lib.de Nabuthe cap.4.legit: Ne abscondas sub lapide in mortem, sed magis accipiendum est de perditione pecuniæ occultatæ: vnde quædam Græca pro; ne abscondas; habẽt, μὴ λαθίτω,hoc est,ne rubigine obducatur.Cõuenit hæc doctrina cum illo Saluatoris:Nolite thẽ *Matth.6.* saurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur,& illo Iacobi: Diuitiæ *Iacobi 5.* vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit,& ærugo eorum in testimonium vobis erit,& mãducabit carnes vestras sicut ignis,&c. Quibus verbis significatur vtraque perditio & opum asseruatarum, & eorum qui eas auarè asseruant.

14 *Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi,& proderit tibi magis quàm aurum.*

INtelligitur prior pars ferè sic, vt significetur veram opulentiam reputandam consistere in impletione mandatorum Dei.De illa enim verum est manifestè, quòd proderit magis quàm aurum. At alium sensum Græca postulãt,quæ habẽt, κατὰ ἐντολὰς ὑψίστου, hoc est,secũdùm mandata altissimi, vt sit sensus: Pone vel colloca thesaurũ tuum iuxta mandata Dei, & prout ipse exigit à te. Dixerat enim non esse abscõdendam pacuniam sub lapide, quod est ponere eam iuxta stultum consilium hominum.In contrarium ergo illius subiicit;pone thesaurũ tuum iuxta præcepta Dei. Vbi autem iuxta eius præceptum sit collocandus thesaurus,exprimit versu sequenti. Quod sequitur; & proderit tibi magis quàm aurum;significat quòd thesaurum ponere & disponere iuxta Dei mandatum, magis proderit homini quàm aurum asseruatum, quod per se non prodest,sed magis obest saluti hominum.

15 *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

QVidam libri habent, in corde pauperis alij,in sinu. Nec ex Græcis satis constare potest vtra lectio sit præferẽda. Nam illa aliter habent, ὑπὲρ τοῦ πλησίον σου, in cellis tuis. Quo quidam intelligunt significari, partem aliquam bonorum reponendam in cellariis, vnde depromatur quod egenis sit largiendum. Alij intelligunt quemque cellaria sua in quibus opes sint obdendæ, debere reputare necessitates proximorum, in quas sint conferendæ,iuxta illud Basilij: Horrea diuitum, domus & ventres sunt pauperum. Atque hac de causa videri potest interpretem vertisse,in corde,vel potius,in sinu pauperis. Persistit enim Sapiens in similitudine thesauri bene collocandi,& tuto loco reponendi, propter quod occulta loca & abdita solent quæri. Itaque significat thesaurum nostrum benè & tutè reponi, si concludatur in corde vel sinu pauperis, nam in sinu conuoluto solemus res abdere,simúlq; innuit,sine vlla ostentatione eleemosynam in pauperes cõferendam,vt,iuxta Christi doctrinã, eleemosyna sit in absc̃dito, nec Phariseorũ more tuba publicetur. Subiũgit autẽ fructũ be *Matth.6.*
nefi

neficentiæ ita positæ: Hæc inquit, etsi conclusa & abdita, etsi incognita hominibus, & ideo nec popularem honorem adferens: tamen etiam tacentibus pauperibus, & hominibus illam nō celebrātibus, ipsamet Deum exorabit pro te ab omni malo, hoc est, liberationem ab omni malo & corporali & spirituali. Græca habent, ἀυτὴ ἐξελεήσεται. Ipsa eximet te ex omni afflictione. Sed noster videtur legisse ἐξιλάσεται.

16 *Eleemosyna viri quasi sæculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.*

17 *Et postea resurget, & retribuet illis retributionem unicuique caput illorum.*

HOs duos versus nulla Græca habēt hoc loco, & omnino verisimile est interpretem hoc loco nō vertisse, sed asscriptos prius margini à studioso aliquo ex cap. 17. vbi ad verbum idem habentur: deinde in contextum esse relatos, idque non satis appositè, tum quòd incommodè hæc interpositio separet versum sequentem à præcedenti, cum quo habet conuenientem connexionē: tum quòd in his versibus, vt hic sunt positi, videatur omnino relatiuum, ipso, referendum ad nomen, viri, & suppositum verborum, cōseruabit, resurget & retribuet, esse nomen, eleemosyna, cùm, vt suprà dictū est cap. 17. ad nomen, Dei, de quo ibi præcedit, referendum sit & relatiuum, ipso, & verba illa tria, Certè D. Augustinus in Speculo totum hūc locum citans omittit hos duos versus, sine aliqua interpositione coniungens versum sequentem cum præcedenti. Et recentem esse hanc interpositionem etiam hoc arguit quòd libri illi qui cap. 17. habent, signaculum, quæ vera est lectio, hic tamen habent, sacculus, vt hinc intelligere liceat hanc interpositionem factam post illius loci corruptionem.

18 *Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.*

ELeemosyna, inquit, nō solùm orabit pro te, sed etiam validius quàm scutū & lancea potentis alicuius, pugnabit pro te contra inimicum tuum, siue visibilem, siue inuisibilem, nimirum quia meretur & impetrat vt Deus pro misericorde pugnet, & defendendo eum instar scuti ne quis ei noceat, & superādo ac repellendo aduersarium veluti lancea in illum missa. Ideo enim rectè meminit & scuti hominem protegentis, & lanceæ hostem ferientis, vt duplicem hanc defensionem eleemosynam mereri & impetrare designet.

19 *Vir bonus fidem facit pro proximo suo, & qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi.*

PRoximus inopia pressus iuuari potest, nō solùm pecunia mutuo vel dono data, sed etiam fideiussione pro eo interposita. Itaque cùm hactenus egerit de eo beneficentię genere, quod fit vel per mutuum, vel per eleemosynā: nunc de eo agere incipit, quod spōsione fit & fidei interpositione, in quo sæpe plus inest & officij & periculi, quam in mutui præstatione. Et primùm quidem solito suo more generalem præmittit sententiam ad fideiussiones pertinentem, deinde & monitionem subiicit: Vir, inquit, bonus fidem facit, hoc est, fideiubet pro proximo suo. Est enim Græcis, ἐγγυᾶται, hoc est spondebit. Significat ergo ad virum bonum pertinere, vt cùm opus est spondeat pro proximo suo. Quod autem sequitur, & qui perdiderit, &c. dupliciter accipi potest. Aut vt referatur ad spondentem, & sit sensus: qui verecundiam amisit, ita vt non pudeat eum amicum egentem in necessitate destituere, is proximum suum derelinquet sibi, vt scilicet sibi ipsi ratione qua potest succurrat, vt hæc pars opponatur ei quod de viro bono dicitur in priori membro. Aut vt referatur ad proximum, pro quo vir bonus spopōdit, & sit sensus: Vir bonus spondet pro proximo suo, at sæpe fit vt proximus ille, quia inuerecundus est, nec pudet eum fallere datam fideiussori suo fidem, derelinquat suum sponsorem sibi, non liberans scilicet illum, sed sinens illum debitum exoluere pro quo fideiussit. Cui sensui congruit subiecta monitio, quāuis prior sensus videatur magis conuenire parti priori. Cæterùm vt verbum, derelinquet, habeat accusatiuum, Dionysius ei coniungit nomen, cōfusionem, vt sit sensus: Qui perdiderit fidem, confusionem derelinquet sibi. Rabanus ex sequenti versu adiungit nomen, gratiā, vt sit sensus: qui perdiderit confusionem ita vt non erubescat infirmorum deseruire moribus, is derelinquet sibi gratiam, & condignam sui laboris recipiet mercedem. Verùm huiusmodi distinctiones & intelligentiæ nec proposito multùm conueniunt, nec Græcæ lectioni, quæ pro, derelinquet sibi, habet ἐγκαταλείψει αὐτὸν, hoc est, derelinquet eū. Subaudiēdum est ergo, ipsum, iuxta sensus iam dictos.

20 *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.*

MOnet eum pro quo quis spopondit, ne immemor sit gratiæ, hoc est, beneficij à sponsore præstiti, sed ita eius recordetur, vt & solicitus sit ad liberandum suum sponsorem, & beneficium præstitum gratissima semper memoria complectatur. Et vt ostenderet quàm magnum sit fideiussionis beneficium: dedit, inquit, pro te animam suam; quo phrasi Hebraica significatur, quòd exposuerit se pro amico graui periculo. Per fideiussiones enim sæpe quis non tantùm pecuniæ periculum, sed & captiuitatis & mortis in se suscipit. Maximè autem hoc dictum veritatē habet in eis, qui per susceptionem prælaturæ se suámque animam obligāt pro promotione salutis subditorū suorū, quorū proinde beneficium & solicitudo obliuioni tradenda non sunt, iuxta Paulum dicentem: Mementote præpositorum vestrorū, obedite eis, & subiacete. Ipsi enim peruigilāt quasi rationem reddituri pro animabus vestris. *Hebr. 13.*

19 Repro

19 *Repromissionem fugit peccator & immundus: Bona repromissoris sibi asscribit peccator, & ingratus sensu derelinquet liberantem se.*

OMnes ferè libri habēt, repromissorem, quidam tamen habent, repromissionē, nominatim codex Atrebatensis, atque ea lectio Græcis consentit. Itaque hæc sententia duas notas animi praui & improbi continet. Alteram, animi planè illiberalis, eius scilicet qui suæ fidei interpositione & sponsione neminem vult iuuare, etiam cùm opus est & ratio postulat. Alteram, animi ingrati, eius scilicet qui alterius sponsione adiutus, sponsorem suum frustratur, séque sic gerit quasi illius bona, sua essent. Dicit ergo primùm, quod homo peccator & immundus, hoc est, prophanus, qui nulla pietate commouetur, refugit omnem repromissionem qua se pro alio obliget. Deinde verò addit, quòd peccator etiā alio vitio laboret, nempe quòd bona repromissoris, hoc est, eius qui pro ipso fideiussit, sibi asscribat, quia dū solicitus non est vt eum à sua obligatione liberet, sic se gerit, ac si illius bona, sua reputaret: & talis cùm sit mente & animo ingratus, derelinquet eum obligatum qui ipsum liberauerat sua sponsione. Hac autem simplici narratione ob oculos proponit quæ in moribus hominum contingunt, insinuans quàm hæc sint indigna, & quanta quorundam sit ingratitudo, & ex consequenti etiam innuens quod postea exprimit, quod quanquam non semper sponsiones sint prætermittende, cautè tamen prouidendum ne temerā fiant, & pro improbis, vt ne pro beneficio maleficium reportetur.

20 *Vir repromittit in proximo suo, & cùm perdiderit reuerentiam, derelinquetur ab eo.*

GRæca non habent hanc sententiam, & cùm coincidere videatur cum ea quæ superius est posita ante tres versus, verisimile est ex alia versione prius margini asscriptam, postea contextui esse insertam, vt aliàs sæpius in hoc libro factum apparet. Recipit autem & hæc sententia duplicem illam intelligentiam quæ superius est tradita, vt vel significetur quòd vir, si bonus sit, spondet pro proximo suo cùm opus est: si autem inuerecundus est, tunc proximus derelinquitur ab eo. Vel quòd cū is pro quo alius spopondit, est inuerecundus & perfrictæ frōtis, tunc qui spopondit derelinquitur ab eo pro quo spoponit.

23 *Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes & commouit illos quasi fluctus maris.*

QVidam libri habent malè pro dirigentes, delinquentes, omnes autem ferè habent diligentes: intelligitúrque ea lectio de promissione qua quidam subdolè & nequiter promittunt se sponsores suos, qui eos diligunt, & ex dilectione pro eis fideiubent, seruaturos indemnes. At legendum esse, dirigentes, quomodo & Rabanus legit, & quidam codices scripti, etsi pauciores, demonstrat dictio Græca κατάλυσις. Ea enim dicitur à rectitudine & directione, & significat hic eos qui fœlicite, rectè & prosperè degunt. Et nomen, repromissio, non aliam hic significare promissionē, sicut nec superius, quàm eam quæ fideiussio dicitur & sponsio, Græca etiam manifestat dictio, ἐγγύη. Porrò dictio, nequissima, addita ab interprete; non est tam accipienda vt significet vitium culpæ, quàm vt significet nocumentum. Ostendit enim hæc sententia cum sequenti, quantum malum sæpe sponsores indicant ex fideiussionibus temerè & imprudenter susceptis, & est sensus: Fideiussio imprudens & noxia multos sæpe perdidit, tales qui in suis negotiis bene dirigebantur, & prosperè degebāt, & commouit atque agitauit eos, quomodo fluctus maris nauē huc illúcque agitat. Quod versus sequens diuersus exponit.

22 *Viros potente gyrans migrare fecit, & vagari fecit in gentibus alienis.*

DIctio, gyrans, non est Græcis, addita est autem ab interprete occasione similitudinis adhibitæ de fluctu marino. Quemadmodum enim ille nauem in orbem circumuoluit, ita & sponsio multos etiam qui prius potētes erant & diuites velut circumagens, fecit è suis migrare domibus & locis, dum per sponsiones suis rebus exuti, proprium solum vettere coguntur, & alienas quærere sedes, imo & vagari de vno loco in alium, quod multis nominibus maximæ est infœlicitatis & miseriæ. vnde & subiicit:

23 *Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam: & qui conatur multa agere, incidet in iudicium.*

OStendit quàm graue malum sit incidere in fideiussionem aliquā imprudentem & noxiam, vt quod Deo vindicante accidat homini in pœnam præcedentium delictorum, insinuans ex consequenti, virtuti & pietati studendum, vt per quam Deo prouidente vti ab aliis malis ita & à tam graui incommodo homo sit protegendus, innuēs etiam, molestias pleraſque quas homines aliena malitia ferunt, Deo punitēre immitti, quomodo etiam superiori capite dixit; derelinquentes Dominum incidere in peruersam linguam. & Ecclesiastes 7. dicitur, quòd qui placet Deo, effugiet malitiam mulieris: qui autem peccator est, capietur ab illa. In secunda autem parte cùm dicitur. Et qui conatur multa agere; notandum Græcis esse, καὶ ἀνώκων ἐργολαβίας. Est autem, ἐργολαβία, operum agendorum in se susceptio, & maximè tribuitur hominibus curiosis & auaris, qui rebus suis non contenti, multis negotiis implicantur, pluráque aut spondendo aut redimendo, aut negotiando in se suscipiunt, quàm C res ipsorum & ingenij vis ferre possit: quales erant olim publicani, qui in prouinciis vectigalia populi Romani redimebant atque exercebant. Non malè ergo vertit noster interpres; Qui conatur multa agere

agere, præter necessariorum scilicet negotiorum suorum tractationem, alienis negotiis se ingerendo per fideiussiones aut redemptiones, aut similes modos. Talis enim cùm posset alioqui quietè agere, sua tantùm curando, incidit sæpe in lites, & contentiones & iudicia forensia, quæ illi magnam adferunt molestiam, & sæpe etiam pericula, vt docet experientia. Græca namque habent, εἰς κρίσεις, hoc est, incidet in iudicia.

24 *Recupera proximum secundùm uirtutem tuam, & attende tibi ne incidas.*

POstquam ostẽdit & pietatis officium esse quandoque fideiubere pro alio, & tamen eam rem multis sæpe malis subiectam esse, concludendo tandem hoc argumentum rectè monet, vt quisque & secũdùm vires suas proximum labentem recuperet. restauret ac subleuet, & tamen sibi caueat, ne dum alium erigere studet, ipse cadat, aut incidat in ea mala quæ dicta sunt. videlicet in fideiussionem noxiam, & in iudicia litigiosa.

25 *Initium uitæ hominis aqua & panis, & uestimentum, & domus protegens turpitudinem.*

PRo initium, hic rursum est Græcis, ἀρχὴ, quam dictionem etiam hic magis verti conueniebat, præcipuum vel principatum, quemadmodum ibi: Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. *Sup. cap. 11.* Significatur enim, quòd præcipuum vitę humanæ, eiúsq; summa & caput est aqua & panis, &c. Docet autem hæc sententia frugalitatem & αὐτάρκειαν, hoc est, acquiescentiam in præsenti fortuna etiam mediocri, quòd vita hominis paucissimis & parabilibus facilè cõtenta sit, quemadmodum etiam monet Paulus: Habentes, dicẽs, victum & amictum, his contenti simus. *1. Tim. 6.* Hanc autem doctrinam rectè præcedentibus subinfert, tum quia mox reprehendit ὀργιλαβίαν, & studiũ multa agenditum ad significandum qua ratione fieri possit vt non egeamus multùm aliorum subsidiis per mutuum aut fideiussionem, si scilicet contenti simus paucis illis quæ naturæ substinendæ sufficiunt. Duplicia autem indicat naturæ esse necessaria, quẽadmodum & Paulus dicens, victum & amictum. Nam pro victu, hic ponit duo illa, aqua & panis: pro amictu vel integumento, illa duo, vestimentum & domus. Tegimur enim & vestibus & ædibus, quarum duplex est vsus necessarius, nimirum vt his tecti & aëris iniuriam depellamus, & verecundiam conseruemus in his rebus quæ deformẽ habent aspectum: quorum posterius tantùm hic exprimitur, ad notandum hominum stultam superbiam, qui cùm potissimùm ad tegendam turpitudinem vestem & domum quærere deberent, præclaras sibi & pretiosas vestes parant, & insignia palatia extruunt honoris & gloriæ causa. Sic & cùm dicit pro victu, aqua & panis, innuit quàm paucis & quàm parabilibus natura contenta esse posset, & notans hominum ingluuiem, quibus nihil vnquam satis est: sub aqua tamen & panis nomine, phrasi Hebraica comprehendens quæcunque ad potum & cibum pertinent.

26 *Melior est uictus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregre sine domicilio.*

AD commendandam frugalitatem dicitur istud contra eos, qui dum prodigalitate sua dilapidauerunt, alienas dapes & regiones quærere cogũtur. Item contra eos, qui quia humili sua fortuna nolunt esse cõtenti domi suæ, vbi quietè agere possent, malunt foris peregrinari, & seruituti se subijcere illis apud quos se lautius victuros sperant. Contra tales ergo dicit, quòd præferendus sit tenuis & vilis victus pauperis sub humili casa splendidis epulis eorum qui peregrè versantur sine domicilio proprio. Est enim grauè & indignum homine ingenuo ac libero, alienis ali sumptibus, &, vt dicitur, aliena viuere quadra, atq; cogi subinde domum mutare. Vnde bene celebrãtum est prouerbio: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, domus amica, domus optima. & : Domi manere oportet bellè fortunatum. Quod Menander pulchrè expressit iambis: Domi manere oportet vt liber siet. Aut liber esse desinat qui diues est. Narratur de Diogene Cynico quod huic subscribit sententiæ, quòd cùm Craterus Alexandri Magni præfectus, homo prædiues, inuitaret illum vt ad se cõmigraret, responderit: Malo Athenis saltem lingere, quàm apud Craterum opipara frui mensa, sentiens libertatem quamuis inopem, omnibus diuitum delitiis præferendam, cùm minuitur libertas. Bene ergo subiicit Sapiens:

28 *Super minimum & magnum placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.*

DVplex hic est lectio. Nam multi legunt, minimum pro magno. Alij, super minimum & magnum; quæ lectio Græcis cõsentit. Habent enim, ἐπὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ εὐδοκίαν ἔχε, super parua & magna complacentiam habe. Vult ergo vnumquemque sua fortuna contentum esse, siue pauca siue multa possidere datum sit, vt Paulum imitetur dicentem: Ego didici in quibus sum sufficiens esse. *Philip. 4.* Scio humiliari, scio & abundare, vbique & in omnibus institutus sum, & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati. Hi autem quos suæ fortunæ pœnitet, & ob id alienam consectantur quam foris quærũt, multa frequenter improperia audire coguntur in sua peregrinatione, vt in sequentibus explicat. Monet ergo vt præsenti fortuna quisque contentus domi potius maneat, quàm foris meliorem quærat. Sic enim futurum, vt non audiat improperium quod peregrinantibus obiici solet, videlicet quòd aduenę sint, quòd extorres, & id genus similia. Hinc subiicit:

28 *Vita nequam hospitandi de domo in domum, & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.*

ORdo & sensus est; Vita hospitandi de vna domo in aliam, est nequam, hoc est, misera & calamitosa. Idque demonstrare volens, commemoránsque eius vitæ incommoda, primùm ostendit per eam eripi

eripi homini libertatem & fiduciam tum agendi tum loquendi. Deinde & alia subiicit incommoda dicens:

29 *Hospitabitur & pascet, & potabit ingratos, & hæc amara audiet.*

30 *Transi hospes, & orna mensam, & quæ in manu habes, ciba cæteros.*

31 *Exi à facie honoris amicorum meorum, necessitudine domus meæ: hospitio mihi factus est frater.*

HAc descriptione prosequitur alia varia peregrinantium incommoda, nempe quòd qui tales sunt ob communicatum sibi hospitium, sua in hospitum suorum vsum impẽdere coguntur quò eos sibi demereantur, nec tamen inde gratiam aliquam ab eis referant, quòd sibi debitum reputent quicquid beneficij impenditur: qui non tantùm ingratos se præbent, sed & amara verba adiiciunt, quibus & seruitutem requirunt, & eorum quæ ad manum sunt bonorum communicationem. Quibus consumptis hospitem suum abire præcipiunt, prætextu amicorum superuenientium qui sint hospitio recipiendi. Itaque cùm dicitur; trãsi hospes; non præcipitur hospitis discessus, sed vt surgat è loco in quo quiescit ad instruendam mensam, & cibandum non tantùm se, sed etiam alios his quæ ad manum habet. Et vltimus versus hunc habet sensum: Exi domo mea propter honorem quem debeo superueniẽtibus amicis meis, eo quòd eis domus mea est necessaria. Nam frater meus mihi hospitio recipiendus est, quem simul tecum recipere non possum.

32 *Grauia hæc homini habenti sensum, correptio domus, & improperium fœneratoris.*

COncludendo totum quod dictum est, duarum rerũ exprobrationem grauem esse dicit homini habenti sensum, hoc est, prudentiam. nam Græcè est φρόνησιν. Altera, est increpatio, quam quis sustinere cogitur propter domum in quam quis hospes recipitur, & ex qua pro arbitrio domini cedendũ est. Altera, est exprobratio, quã ob acceptam mutuam pecuniam à mutuãte frequẽter patitur qui mutuo accepit. Atque ex hac iam cõclusione insinuatur satis quorsum de frugalitate seruanda superius sermonẽ subiecerit, nempe vt per eam liber quisque sit ab vtroque improperio.

Caput XXX.

1 *Qui diligit suum filium, assiduat illi flagella, ut lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia.*

PRincipio huius capitis multis sententiis agit de recta prolium institutione, popularibus rationibus ostendens quantùm fructus ex ea proueniat, & quantùm mali ex ea neglecta & prætermissa. Et imprimis quidem docet, filij castigationem, eámque frequentem, indicium esse veræ dilectionis eius, cõtra stultorum & carnalium parentum iudicium, qui ex dilectione, sed carnali, abstinẽt à filiorum suorum castigatione, eisque nimiùm indulgent. Cõtra tales ergo dicit: Qui verè diligit suum filium, ita vt eius quærat veram salutem, is non solùm eum semel atque iterum castigat, sed assiduat, hoc est, frequentat in eo, & sæpe repetit flagella. Sicut enim ex petulantia & naturæ insita tum stultitia, tum malitia illum sæpius peccare contingit: ita nõ cessat eum sæpius castigare, nec vel tædio vel molestia à castigatione prohibetur: nec sat habet eum verbis corripere, sed, si opus est, etiam flagella admouet. Et quanquam sciat flagella filio esse grauia & pœnalia, adhibet tamen illa, non quòd lætetur eius pœna, quæ etiam ipsum affligit: sed vt lætetur postea in nouissimo tempore, lætitia scilicet solida, diuturna, imò & æterna. Ideo enim ad tẽpus eum dolere mauult, vt postea lætetur, & non cogatur postea per inopiam nocturno tempore palpando quærere ostia proximorum ad petandam eleemosynam. Ita enim ea vltima pars videtur commodè intelligenda, quæ tamen Græcis non est, ob quam partem à nostro interprete additam, verbum, lætetur, videtur referendum ad filium, ad quem refertur verbum, palpet, cùm alioqui ad patrem castigantem posset referri.

2 *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.*

3 *Qui docet filium suum, in zelum mittet inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.*

NOn est Græcis vtrobique pro, qui docet, idem participium, sed priori loco est, ὁ παιδεύων: posteriori, ὁ διδάσκων, quorum posterius tantùm significat docere, prius verò non solùm docere, sed etiam castigare. Tria enim participia tribus his primis ponuntur sententiis, ὁ ἀγαπῶν, diligens: ὁ παιδεύων, erudiens vel castigans: ὁ διδάσκων, docens. Quo ordine significatur, diligentem filium suum, & castigare illum debere verberibus, & docere verbis. Et sanè pueri à parentibus docentur duobus modis, verberibus scilicet & verbis: ideóque rectè intelligetur bis dictũ esse in nostra lectione; Qui docet filium suum. Pro, laudabitur, Græcis est εὐφρανθήσεται, lætabitur: sed laudabitur, aliquoties in Psalmis ponitur pro cum laude lætabitur, & cùm dicitur: In Dominõ laudabitur anima mea. & : Laudamini in nomine sancto eius: quomodo & vt hic accipiatur, non solũ propter Græca conuenit, sed etiam quia sequitur; gloriabitur in illo; vt significetur quòd & corde lætabitur in eo, & verbis gloriabitur de illo inter domesticos ipsius. quamuis etiam verum sit quod ob rectam filij institutionem & correptionẽ laudabitur pater ab aliis. In tertia sententia non est Græcis pro, gloriabitur, idem verbum quod in secunda, quæ habet καυχήσεται. Nam in tertia est ἀγαλλιάσεται, exultabit. Sensus ergo est: quòd qui filium verè diligit, & ob id non sinit eum pro arbitrio viuere, sed & verberibus & verbis eum docet, is &

is & apud se postea de illo lætabitur, & inter domesticos suos de illo gloriari poterit. Inimicos suos, si quos habet, hac ratione prouocabit in zelum inuidiæ, quia qui alioqui gauisuri erant si vidissent filium malè institutum parentibus adferre dedecus, inuidebunt eis honorem qui accedit ex filio morigerato & sapiente. Apud amicos verò suos poterit cum illorum voluptate liberè de illo gloriari, & seriò exultare. Hactenus ergo varios fructus rectæ institutionis filij indicauit Sapiens, lætitiam scilicet filij, securitatem à mendicitate, lætitiam simul & gloriationem patris, cōfusionem inimicorum, & gaudium amicorum. Sequitur & alius fructus.

4 *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.*

Significat boni parentis mortem non esse tam miseram & malam, quàm est impiorum, eò quòd talis post se relinquat superstitem non solùm qui eius bona possideat, quod est illi cum impiis commune, sed qui eius mores & pietatem, vitæ suæ probitate, quam à patre didicit, referat, ita vt per eum post mortem superstes sit eius pietas, & bonum nomē atque memoria, cùm impiorum bona memoria pereat simul cum vita eorū, imò post mortem malè audiat ob impios filios à se relictos. Dicit ergo, patrē qui rectè instituit filiū, cùm mortuus est, esse quasi nō esset mortuus, hoc est, perinde se habere ac si non esset mortuus, quia reliquit post se filium similem sibi, in moribus scilicet & vita, ratione cuius adhuc per bonam memoriam viuit honestè apud posteros. Hæc ratio cùm non pertineat ad parentes, nisi ratione rectæ institutionis, pertinet & ad omnes preceptores & doctores, qui post se multos relinquūt rectè institutos, vt verè sunt animorum parentes. Ex prædictis fructibus sequitur, & quod subiicitur:

5 *In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.*

6 *Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.*

Significat parentes ex filiis rectè institutis percipere summa perpetuáque & gaudia & solatia. In vita, inquit, sua videns eius probitatem, lætatus est in illo, & in morte sua, contra mortis tristitiam solatium percepit. Cùm enim duo soleant morituros contristare, nempe vel quòd metuant suæ quam relinquunt familiæ ab inimicis suis, vel quòd amicos antequam eos iustis beneficiis affecerint relinquere cogātur, cōtra hæc bonus filius est solatio patri morituro, quòd sciat se relinquere filium qui & familiam sit defensurus contra inimicos, & amicis sit redditurus promeritam gratiam & beneficium. Psal. 126 Vnde & Psalmista similiter de huiusmodi filiis dicit: Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta. Eximiè ista frequenter implentur in partibus spiritualibus, qui & in vita sua lætantur in profectu discipulorum, & securius hinc decedūt, quòd relinquant eos qui & ecclesiam Dei contra hæreticos defensuri sint, & Catholicis reddant gratiam, quam suo erga patres suos & fidem suo affectu merentur.

7 *Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius.*

Etiam Germanicum exemplar habet vt nos, περὶ ψυχῶν υἱῶν, pro animabus filiorū. Quam lectionem nostri ferè sic intelligunt, vt significetur patrem bonum pro salute filiorum se exposititurum lubenter periculis variis. Verùm, colligate vulnera non tam significat vulnera suscipere, quàm suscepta curare. Proinde conuenientior hic erit sensus: Bonus pater, de quo hactenus dictum est, vulnera quæ ipse in se frequenter suscipit, & sentit pro animabus filiorum suorum, dum scilicet in animo suo sæpe dolet pro eis, & solicitus est: hæc, inquam, vulnera sua ipse studebit colligare & curare per disciplinam solicitè eis adhibitam, & cùm indebito modo eos quid dicere vel clamare contigerit, ad omnem eorum vocem vel clamorem (est enim Græcis βοῆς) turbabuntur viscera eius; hoc est, non dissimulabit nec negligens erit, sed toto animo commouebitur, solicitus de correctione. Complutensis æditio habet, περιψήχων υἱὸν, & exponitur; Abstergens filium. nam verbum, περιψήχω, significat abstergere, abradere, & terere, & de equis dicitur, cum strigili destringuntur, & eorum sordes abraduntur. itaq; intelligunt quidam hoc verbum translatum hic ad castigationes & increpationes, per quas scilicet sordes & vitia filiorum abraduntur, vt allusio sit ad curationem equorū, à quibus etiam assumitur similitudo versu sequenti. Nam & lingua Teutonica strigilis nomen ad vehementes obiurgationes transfertur. Sensus ergo erit: Qui filium suum radit & castigat, colligabit & curabit vulnera sua vel illius. Nam vtrumque tunc verti & intelligi poterit. Sunt qui vertunt: Qui indulget filio aut quia verbum Græcum intelligunt significare blandam illam cōfricationem, qua corpora abstergun tur: aut quia legunt, περιψύχων υἱὸν, hoc est, refrigerās filium. Intelligunt ergo ab hac sententia iam subiici de iis qui nimis indulgent suis filiis: & de tali hic dici, quòd qui non audet sæuerius filium tractare, verberáque adhibere, cogitur postea vulnera eius obligare; atque in summa solicitudine perturbationéque versari, ita vt ad omnē clamorem qui in ciuitate excitatur, metuat ne clamor ille pertineat ad filium suum, & contra eum sit excitatus.

8 *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit præceps.*

Svbiicit iam aliquot sententias, quibus ostendit mala prouenientia ex neglecta disciplina filiorum, & indulgentia eis permissa.

missa. Et primò quidē pulchrā & aptam adhibet similitudinem de equis, quòd in his apertissimum sit videre quantùm valeat recta institutio, & quid adferat neglecta. Sicut inquit, equus qui frenis & calcaribus in iuuentute non domatur à sua naturali ferocia & petulātia, euadit durus & intractabilis: ita filius, qui in iuuentute solutus est à disciplina & castigatione, & dimittitur suæ naturali petulātiæ, euadit præceps, temerarius & audax ad omnia vitia, ita vt ab eis non facilè postea reuocari possit. Significat ergo quòd quemadmodum equi frenis, calcaribúsque domantur, & tractabiles efficiuntur: ita pueri atque adolescētes optimis grauissimísque institutis, moribus, studiis, atque etiam verberibus ad modestiam & obedientiam sunt conformandi. Hac autem sententia generali præmissa, veluti doctrinæ suæ fundamento, subiungit monitionem.

9 *Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum illo, & contristabit te.*

Irronicè ponuntur hi impetraui, lacta & lude, ita vt significetur hoc non esse faciēdum, & sit sensus: Si lactaueris filium, & si luseris cum illo, &c. Lactare filium, est blandè illum tractare, & quæcunque ei grata sunt & iucunda præbere & indulgere. Alluditur enim ad nutricum morem infantes lactantium, & cum illis ludētium: significatúrque tunc non esse lactandum filium, nec ludendum cum illo, cùm iam infantiam excessit, & ablactatus est. Habet enim vnaquæq; ætas quod ei conuenit. Si, inquit, lactaueris filiū, & indulgenter eū habueris, pro lacte & dulcedine quam ei præbes, & per quam efficis vt te non timeat, ipse te faciet timere & pauere, dum per improbos suos mores efficiet vt & illi & tibi malè metuas. Si luseris cum illo, & ex illo voluptatem tuam captaueris, cùm esset cum eo serio & grauiter agendū, ipse pro captata lætitia contristabit te. Ironicam locutionem seria monitione exprimit, dicens.

10 *Ne corrideas illi, ne doleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui.*

Ne, inquit, illo ridente tu quoque cum illo rideas, sed potius risum eius comprime, nequando risus tuus couertatur in dolorem, cùm videbis ex indulgētia tua auctam eius petulantiam, videbísque mala in quæ per vitia sua incidet. Pro; obstupescent dentes, Græcis est γομφιάσεις τοὺς ὀδόντας, frendebis dentibus, hoc est, indignaberis multum & illi & tibi. Nostra lectio significat acerbitatem doloris, qui sequitur in patre tandem, quo fit vt nihil gratum sit patri in hac vita, nihilque iucundum & sapidum, quemadmodum his quorum dentes obstupescunt molestum est edere, nec quicquam eis libet. Plus autem quàm iam dictum est exigit à patre, cū subiicit.

11 *Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius.*

Pro; cogitatus; Græcis est ἀγνοίας, hoc est, ignorantias, per quas intelligit errata & peccata quæ ab imprudenti ætate committuntur. Itaque duo exigit, & vt ne pater filio det in iuuentute potestatem & facultatem agendi quæ volet, sed reprimat illū ne multa quę vult facere possit, & vt non dissimulet ad ea etiam quæ peccat per ignorantiā, sed ea mox docendo & castigando corrigat. In nostra lectione secunda pars innuit quomodo non sit filio danda potestas, despiciendo scilicet cogitatus illius quasi adhuc pueriles, & quasi ab illis nihil sit periculi. Ea enim causa plerique indulgent suis prolibus, sinentes eos quæ volunt agere. Dixit quid non sit faciendum, subiicit quid sit faciendum.

12 *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est.*

13 *Ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

Monet curuare ceruicem & tundere latera, quòd in his duabus partibus corporis superbia & petulantia magis vigeat. In ceruice scilicet superbia, in lateribus petulātia. Nec vult caput fustibus aut percussionibus grauari, ne ingeniū lædatur, sed eas partes vult premi, quarum repressio non obsit ingenio. Et ceruicem quidem vult curuari, velut oneribus impositis: latera verò tundi, & percuti, velut virgis & flagellis quibus latera puerorum peti solent, significans & superbiam castigationibus atque increpationibus esse reprimendam, & petulantiam atque stultitiam virga disciplinæ expellendā, iuxta illud: Stultita colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ expellet eam. In iuuentute, ætate scilicet tenera & adhuc flexibili, vult curuari ceruicem, quia postea ceruix iam indurata potius frangēda esset, quā curuari posset. Cæterùm pro, infans, Græcis est, νήπιος, quod nomen infantem significat & puerum qui per ętatem necdum sapit. Ne fortè, inquit, induret, hoc est, durus fiat, vel ne induret ceruicem suam, & sic induratus non credat tibi, hoc est, obedire recuset, & tunc erit tibi dolor non corporalis, sed animæ dolor, qui longè excedit corporis cruciatum. Quod vulgari prouerbio Teutonico bene exprimitur, dum dicitur, filios cùm pueri sunt & infantes, adferre parentibus capitis dolorem: cum vero adoleuerint, cordis dolorem.

14 *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Pro, doce, rursum est παίδευσον, quod magis est, castiga vel corripe. Quod dicitur, operare in illo, significat in ea re, nempe in docendo filio diligentem operam & laborem impendendum, vt idipsum non segniter fiat sed sedulo. Quod ideò fieri vult ne pater offendat in turpitudinem filij, hoc est, ne in illam impingat, & cadat, dedecus scilicet apud homines sibi concilians, & in se animi mœrorem ob turpitudinem vitæ filii sui. Po

test illud, in illo, etiã ad sequentia referri, vt sit sensus: Labora in ea re, vt ne in illius turpitudinem incidas & impingas, & ne illius turpitudo fiat tibi scandalum, ruinæ, dedecoris & doloris occasio. Vt illud, ne offendas, non finẽ designet, sed rem in qua sit laborandum.

15 *Melior est pauper sanus & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus.*

NOuum hic incipit argumentum & doctrina, qua cum bonis externis, qualia sunt diuitiæ, comparantur vera hominis bona, qualia sunt corporis sanitas ac robur, & animi lætitia solida, quæ sine virtute consistere ægrè potest ostenditúrque multis sententiis hæc duo hominis bona interna, etsi à plerisq; minoris fiant, longè præstantiora esse diuitiis quas homines nimis magnifacere solent. Itaque hæ comparationes ad hoc valent, ne homines qui diuitias admirari solent, earumq; amorare inflammari, ea in parte fœlicitatem constituant, sed magis sectẽtur & ament illa quæ veriora & meliora sunt bona, atque de eis cum habentur magis gaudeant, etiamsi desint opes, quæ sine illis verioribus bonis parum iuuare possunt, maiorem sæpe molestiam quàm iucundam perfruitionem afferentes. Primùm ergo pauperẽ, qui & sanus est corpore, & fortis viribus, ita vt laborare possit, & quæ necessaria sunt sibi comparare, meliorem esse dicit, hoc est, præstantiorem diuite, qui corpore est imbecillis, & malitia aliqua, hoc est, calamitate & miseria aliqua est flagellatus & percussus à Domino. Ille enim & sibi & aliis prodesse potest, & cum animi voluptate vitam transigere: hic verò neque sibi, neque aliis vt in plurimum prodesse, neque publica priuatàue munera obire potest, & est multis grauis, nec ex concessis diuitiis solidam animi voluptatem percipere per ægritudinem permittitur.

16 *Salus animæ in sanctitate iustitiæ, & melior est omni auro & argento, & corpus ualidum quàm census immensus.*

HÆc est communis lectio, quæ sic intelligitur: Salus animæ consistit in sanctitate iustitiæ, quia scilicet tunc anima sana est & bene se habet, cùm est prædita sanctitate iustitiæ. Et hæc salus melior est omni auro & argento, sicut & corporis robur, in quo consistit sanitas corporis, præferendum est immensis diuitiis. Quidam tamen libri antiqui sicut & Rabanus, tantùm duo habent membra, hoc modo: Salus animæ in sanctitate iustitiæ est melior omni auro & argẽto, & corpus validum, &c. Quæ lectio conuenientior est, non solum quod duo tantum habeat mẽbra, sed etiam quod Græcis magis accedit: quæ tamen longè aliter habent quàm nos legimus. Sic enim est in priori membro ὑγεία καὶ εὐεξία βελτίων παντὸς χρυσίου, Sanitas & bona habitudo melior est omni auro. Itaq; vtroque membro corporis bona dispositio præfertur diuitiis. At interpres noster prius mẽbrum retulit ad sanitatem animæ, quàm addito commentario exposuit consistere in sanctitate iustitię; vt intelligeremus duplicẽ esse hominis sanitatem, quæ vtraque diuitiis sit præferenda. Itaque sensus veræ lectionis est: Salus animæ, quæ consistit in sanctitate iustitiæ, est melior & eligibilior omni auro & argento: & corpus quoque validum atque robustum melius est & præstantius quàm cẽsus immẽsus, hoc est, opes maximæ. Huic nostrę lectioni conuenit sequens sententia quia item duplicia hominis propria bona, corporis scilicet & mentis, præferuntur bonis aliis.

17 *Non est sensus super sensum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.*

GRæcis non est mentio census, sed tantum, οὐκ ἔστι πλοῦτος βελτίων ὑγιείας σώματος, Nullæ sunt diuitiæ præstantiores salutæ corporis. Duo ergo bona significat homini summè expetenda, sanitatem corporis & cordis gaudium. Quæ duo sic videtur hic coniunxisse, vt significaret cordis gaudiũ sequi naturaliter corporis sanitatem, eiq; meritò corde gaudendum, cui contigit sanitas corporis, etiam si desint diuitiæ, quòd in sanitate corporis lõgè solidius gaudere debeat cor, quàm diues gaudere possit in suis diuitiis, maximè si desit ei sanitas corporis. Est enim ei aliquod oblectamentum in suis quas possidet diuitiis, similiter & in aliis rebus, vt vxore & filiis: at verum cordis gaudiũ, quod extra sanitatem corporis haberi non potest, longè superat omnem voluptatẽ, quàm æger diues in aliis rebus obtinere potest. Ad hæc respexisse Sapientem omnino videtur, si sequentia consideremus, vt secunda pars veluti causam indicet prioris. Potest tamen & aliter accipi hæc sententia, vt significetur quod quemadmodum externa corporis sanitas præferenda est omnibus diuitiis corporalibus, ita & gaudium mentis internum præferendum est omnibus voluptatibus corporalibus, quod maximè veritatem habet in solido cordis gaudio, quod consistit in Deo, in virtutibus, & in conscientiæ bonæ testimonio, de qua dicit Paulus: 2. Cor. 1. Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Oblectationes enim spirituales longè sunt nobiliores, puriores, diuiniores & diuturniores carnalibus. Iuxta hanc intelligentiã duo illa insinuantur expetenda, quæ superiori sententia præferuntur iuxta nostram lectionem diuitiis.

18 *Melior est mors quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans.*

INdicat aliam causam, cur dixerit pauperem sanum præferendum diuiti ægroto, nimirum quòd mors melior sit & eligibilior vita amara, qualis est eius qui ægritudine magna laborat. Et autem comparatio inter mortem corporis & vitã corporis, quæ cum ęgritudine corporali & mœrore animi degitur, aut quæ curis, sollicitudinibus & molestiis plena est, consideraturq; mors corporis quatenus terminus est omnis miseriæ, & finem imponit omni amaritudini. Alioqui enim quatenus mors cõsideratur, vt magnũ bonum homini eripiens, nempe vitam, non est absolutè melior mors quàm vita etiam amara, cùm absolutè verum sit melius quouis modo esse quàm non esse. Priori modo mortem considerant qui in miseria aut mœrore constituti mortem optant, adeo vt eam etiam sibi quidam consciscant. Sic Elias dixit: Sufficit mihi Domine, tolle animã meã à me. Et apud Iob dicitur: Quare misero

3. Reg. 19. Iob 3. data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit, gaudẽtque vehementer cùm inuenerint sepulchrum. Posteriori modo mortem considerant, qui etiam in miseriis existentes mortem horrent & detrectant. Porro est vita quædã amara, qua nullo modo mors corporis est præferenda ea scilicet qua ex compunctione cordis & displicentia admissorũ propriorum peccatorum pœnitentia agitur aut qua exilium huius vitæ præ desiderio patriæ cœlestis, & malitia huius sæculi, præ zelo & amore Dei deplangitur à iustis, de qui-

Matt. 5. bus Dominus dicit: Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabuntur. Sed de tali amaritudine vitæ, quæ propter Deum sponte suscipitur, hic non est sermo: verùm de ea quæ inuitis accidit ob incidentes huius vitæ miserias, sicut nec de morte corporis hic est sermo quatenus nos ad aliam vitam transmittit. Sic enim impiis mors corporis non est melior quàm vita quantumuis amara. Sed tantùm, vt dictum est, consideratur hic mors, quatenus vitæ huic finem imponit. Vnde & bene subditur; & requies æterna melior est quàm languor perseuerans. Hinc enim patet mortem præferri quatenus requiem præstat, & vitam amaram dici à calamitate immissa, qualis est languor diuturnus. Dicitur ergo requies æterna hoc loco, non ea quæ pręstatur animis in cœlo, sed ea quæ præstatur corporibus in sepulchro, à qua homo à laboribus & miseriis huius vitæ requiescit, cùm, vt inquit Maro, in æternã clauduntur lumina noctem. Non habet quidem exemplar Complutense nec Germanicum duo illa verba; requies æterna; habent tamen alia quædam ἀνάπαυσις αἰώνιος, sicut & noster legit interpres.

19 *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro.*

HAc sententia nostri fere intelligunt ex incidenti & extra propositum significari sapientiam, quæ non promitur cũ oportet, inutilem esse, sicut inutiliter gentilium more epulæ sepulchris defunctorum apponi solent, vt hic significetur quod alibi dicitur: Sapientia abscondita & thesaurus inuisus quæ vtilitas in vtrisque? Ad quem sensum etiam sequentia accommodãt. Verùm longè alium sensum, eúmque adhuc ad præcedentia pertinentem Gręca demonstrant, quæ habent ἀγαθὰ κεχυμένα ἐπὶ στόματι κεκλεισμένῳ; Bona offusa ori clauso; quamuis Complutensis æditio habeat pro κεχυμένα κεκλεισμένα, vt sit, bona clausa ad os clausum. Significatur autem inutiles esse diuitias homini diuiti, qui per ægritudinem eis frui non potest dum illi exhibentur: sicut inutiles sunt cibi defunctis, qui eorum sepulchris apponuntur. Os enim clausum vocat, quod ad sumendum cum voluptate cibum præ ęgritudine aperi non potest, indicaturque iam, & alia ratio, cur pauperem sanum dixerit præferendum diuiti ægroto, quòd etiamsi huic per diuitias & plurimi & delicati cibi offerri possint, tamẽ cùm per ęgritudinem ad omnem cibum nauseat, non aliter se habeant cibi ei oblati, quàm se habẽt cibi defunctis oblati, & eorum sepulchris appositi. Itaque aptissima hac comparatione significat huiusmodi diuites mortuis similes esse, vt qui nullum fructum huiusmodi bonorum quæ adsunt perficere possint. Vt autem & nostra lectio hunc sensum habeat, sic accipienda erit: Bona rara & delicati cibi, qui non omnibus sunt parati, sed absconditi ab oculis vulgi, respectu oris clausi, quod præ morbo eis bonis frui non valet, sunt quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro, quia nõ maiorem inde vtilitatẽ & voluptatem percipit os illud clausum, quàm sepulchrum ex appositis epulis. Huic intelligẽtiæ congruũt etiam sequentia.

20 *Quid proderit libatio idolo? nec enim mãducabit, nec odorabitur.*

21 *Sic qui effugatur à Domino, & portans mercedes iniquitatis.*

LIbatio hic significat sacrificium, & id quod diis in sacrificando offertur. Pro; qui effugatur à Domino; Gręcis est ὁ ἐκδιωκόμενος ὑπὸ κυρίου, hoc est, qui persecutionem patitur à Domino, aut quem Dominus persequitur & infestat. Loquitur autem adhuc de diuite, quem Dominus morbo affligit, sicque ei eripit iucundum delitiarum & diuitiarum vsum & fructum. Sicut ergo superiori sententia cibos diuiti ægrotanti oblatos similes esse dixit epulis sepulchro appositis: ita nunc alia, sed simili comparatione significat illos similes esse his quæ idolis splendidè & sumptuosè offeruntur, quia sicut idola ex illis nullam vel manducando, vel odorãdo percipiunt voluptatem, ita nec diues, quem Deus punire & affligere morbis ob peccata ipsius statuit, vllam percipit voluptatem ex his quæ ei splendidè & sumptuosè parantur & offeruntur. Et bene quidem idolo diues talis compalatur, quòd ab hominibus diuites veluti idola quædam colantur in hac vita, quodque sumptuosissima quęque eis in ęgritudinibus eorum exhibeãtur, quorum tamen nihil eos iuuare aut reficere potest.

22 *Videns oculis & ingemiscens, sicut spado complectens virginem & suspirans.*

ADhuc perſiſtit in ſermone de diuite ægrotante, quem iam oſtendit ex oblatis epulis non ſolùm nullam percipere voluptatem, ſed etiam cruciatum quòd eis frui non poſſit cùm habeat, hac in re appoſitè ipſum iam ſimilem eſſe aſſerent ſpadoni, cui cùm datum ſit complecti virginem, ea tamẽ per impotentiam naturæ non poteſt frui, & ob id ex complexu virginis non tam voluptatẽ concipit, quàm dolorem, ſuſpirium & gemitum. Oportet ergo participia, videns & ingemiſcens, accipere poſita pro verbis, videt & ingemiſcit, vt in eis intelligatur verbum, eſt. Plærũque ſane diuites auari hoc genere pœnæ diuinitus affliguntur, vt quas poſſidẽt diuitias, & quas ad fruitionem & voluptatem comparauerunt, eis frui non poſſint, nec inde aliud quàm dolorem colligant, quod & Poetæ ſignificare voluerũt, cùm Tantalum apud inferos fingũt enecari ſiti, quum aquã vſque ad mentum habeat. Et in Eccleſiaſte 6. Sapiens graue malum aſſerit ſe vidiſſe ſub ſole, quod & frequens ſit, cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam, non tribuit tamẽ poteſtatem vt comedat ex eis. Et narratur de quodam φιλήδονῳ, cuius ſtudiũ in vita fuerat, vt ventrem cibo potuque exquiſitiſſimo expleret, quòd, cùm tãdem eo morbo fuit correptus, vt nec ſtomachus quicquam admittere, nec fauces tranſmittere poſſent, ita affectus ac prepeditus iuſſerit delicatiſſimum cibum vinumque ſibi afferri, quæ in menſa aut in lecto cum maximis deſideriis ſuſpiriiſque moleſtiſſimis intuebatur, atque ita languens contabeſcénſque mortuus eſt. Quod exemplum pulchrè locum hunc declarat.

23 *Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo.*

POſtquam oſtendit cordis gaudium præſtare & diuitiis & omni oblectationi quæ eis diuitiis quæritur, oſtendit item quãta ſit vis afflictæ corporis valetudinis & ægritudinis animi rectè in ſequentibus monet, vt quod eſt gaudio cordis contrarium, triſtitiã ſcilicet, ſtudeamus quàm longiſſimè à nobis pellere, curemuſque & vt animus ſit trãquillus, atque ab omni etiam alia perturbatione vacuus, & vt in victu atque ciborum delectu corporis ratio habeatur, ſordida parſimoia reiecta, quo ſic ſit mens ſana in corpore ſano, & corpus ſit ſanum ex ſanitate mentis. Hæ enim ſunt duæ partes naturæ noſtræ, quas diligenter tueri debemus, non corrumpere vel paſſionibus, vel auara parſimonia. Non dicit autem; ne vnquam habeas triſtitiam in anima tua; id enim humanæ infirmitati eſt impoſſibile, ſed; triſtitiam non des animæ tuæ; vel, vt eſt Græcis, non des in triſtitiam animam tuam, hoc eſt, ne ſinas triſtitiam animo tuo dominari, aut ne vltro eam tibi accerſas, & triſtandi cauſam præbeas. Dum enim triſte aliquid accidit bonorum quæ adſunt cogitatione & expenſione, triſtitiæ materia ſuperanda eſt, vt non permittatur animo noſtro dominari, & maximè cauendum eſt, ne cùm multam gaudẽdi occaſionem habemus, ipſi nobis triſtitiæ materiam ſuggeramus, leuia quædam mala apud nos exaggerando. Hoc ergo ſignificatur cùm dicitur: Triſtitiam non des animæ tuæ; Et eſt ſermo de triſtitia, quam Paulus 2. Cor. 7. vocat triſtitiam ſæculi, quam mortem operari dicit, quæ ſcilicet eſt de rebus huius ſæculi. Nam quæ ſecundũ Deum eſt triſtitia pœnitentiam in ſalurem ſtabilem operatur, ideóque ea vltrò aſſumẽda eſt & danda animæ noſtræ. Quod additur; & non affligas temetipſum in conſilio tuo; ſignificat neminẽ ſe affligere debere ꝙ conſilia eius non procedant, & optatum ſucceſſum non habeant. Aut potius ſignificat neminem variis conſiliis & deliberationibus ſe debere affligere & excruciare, dũ ſcilicet anxiè nimis apud ſe excogitat aut quomodo ſe à quibuſdam malis eximat aut quomodo conſequatur bonum quod cupit. Itaque ſicut priori mẽbro monet deponere triſtitiam, ita ſecundo monet deponere curas & ſolicitudines anxias, quæ non minus quàm triſtitia animum affligunt, triſtitiámq; animi ſequũtur: ſignificátque & pro triſtitia gaudium animi aſſumendum, & omnem ſolicitudinẽ ac conſilia noſtra Deo committenda, quoniam ipſi cura de nobis, vnde & ſequitur.

24 *Iocunditas cordis, hæc eſt vita hominis, & theſaurus ſine defectione ſanctitatis, & exultatio viri eſt longæuitas.*

GRæcis hæc ſententia etiam tantùm bimembris eſt. Non habent enim partem mediam; & theſaurus ſine defectione ſanctitatis, quæ addita videtur ab interprete, quo inſinuaret quod hic dicitur de cordis iocunditate maximè habere locum in ea ſpirituali cordis lætitia, quæ de virtute habetur à iuſtis Nam quamuis quod dicitur, iocunditas cordis eſt vita hominis, in genere verum ſit de omni honeſta animi lætitia, quæ de donis Dei concipitur, vt de ſanitate & viribus corporis, de fruitione creaturarum, & id genus rebus tamen maximè veritatẽ habet in lætitia animi ſpirituali, hoc eſt, quę de virtutibus habetur, & redemptionis beneficiis. Talis enim verè eſt vita hominis, quia etiam vitam animæ coram Deo affert. Talis eſt Theſaurus ſanctitatis ſine defectione, hoc eſt, indeficiens & inexhauſtus, quia talis lætitia facit vt quis perpetuò habeat ſanctitatis abundantiam, quam animi lætitia cõſeruat & cuſtodit. Poteſt tamen ea pars: theſaurus ſanctitatis ſine defectione, accipi vt referatur non ad iocunditatem cordis, quaſi ſit ſenſus: iocunditas cordis eſt visa hominis & etiam eſt theſaurus ſanctitatis: ſed vt referatur ad vitam hominis, & ſit ſenſus: Iocunditas cordis eſt vita hominis, & theſaurus ſanctitatis etiam eſt vita hominis. Porro iocunditas cordis dicitur vita hominis, ſiue quia facit vt homo verè viuat, cùm ſine ea vita hominis verius mors ſit quàm vita, ſiue quia facit vt homo diutius viuat, & vitã prolõget, quomodo accipiendum potius videtur ex eo quod ſequitur, & exultatio viri eſt longæuitas, hoc eſt, longam vitam homini adfert. Simile eſt quod dicitur in Prouer. 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa.

25 *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate eius, & triſtitiam longe expelle à te.*

GRæca aliter & breuius ſic habent, ἀγάπα τὴν ψυχήν σου, καὶ παράκλεε τὴν καρδίαν σου. Dilige animam tuam, & cõſolare cor tuum. Deinde ſequitur; Et triſtitiam longe expelle à te. Monet ergo vt quis ſibiipſi benefaciat, triſtitiam à ſe pellendo, & ſi quid triſte accidat, vt ſeipſum cõſoletur beneficiorum, quæ adſunt ex Dei dono, contemplatione, & meliorum expectatione. Declarant enim illi ſeipſos non diligere & animam propriam, qui inutíli triſtitia eam grauari permittunt, nec ſe præſentium aut futurorum bonorum cõſolatione reficiunt. Eidem & in ſeipſos crudeles ſunt & immiſericordes, vt qui quam aliis exhibere deberent conſolationem, ſibi non impendant, vnde rectè etiam dicitur iuxta noſtram lectionem, Miſerere animæ tuæ, eam ſcilicet, cùm triſtitia aliqua impetitur. conſolando, & alleuiando. Et additur; placens Deo, vel ad ſignificandum neceſſarium eſſe miſericordiam talem animæ propriæ impẽdere ad hoc vt quis placeat Deo, vt ſit ſenſus: Tu qui vis placere Deo, miſerere animæ tuæ, tibíq; imprimis benefac, quia vt ſuprà dictum eſt, qui ſibi nequam, cui bonus? Vel ea parte ſignificatur eum qui placet Deo, ac bonam habet in Deo conſcientiam, ita vt nullius magni mali ſibi ſit conſcius, meritò ſuæ animæ miſereri debere, eámque in triſtibus conſolari, ſuæ conſcientiæ bono teſtimonio quo confidit ſe Deo placere. Atque hunc ſenſum magis voluiſſe interpretem apparet ex eo quod ſimiliter adiecit; in ſanctitate eius. Nã pro eo quod Græcis eſt vnico verbo παράκλεε, conſolare, vertit duobus verbis contine & congrega cor tuum. Itáque quoniam contra triſtitiam hęc dicuntur, ſenſus noſtræ lectionis, qui cum originalibus coueniat, hic erit commodius: Contine, hoc eſt, cohibe cor tuum ab immoderata triſtítia, & congrega illud, non ſinens ſcilicet illud effundi in mœrorem, ſed tua conſolatione illud comprimens, & collectũ ſeruans apud ſe. Congræga, inquam, illud in ſanctitate Dei, hoc eſt, eo nomine quòd ſanctus es coram Deo, atque ex dono eius ei placeas. Vel congrega illud in ſanctitate ipſius cordis, hoc eſt, hoc nomine conſolare cor tuum, quòd ſanctum ſit per veram Dei cognitionem & amorem. Cæterùm quanquam hæc ſecundùm genuinam Intelligentiam & authoris mentem ſic ſint accipienda quaſi dicta contra vitium triſtitiæ, tamen generalius hæc extendi poſſunt contrà omnia vitia, vt moneamur miſereri animæ noſtræ, ſic vt ne eam peccando lædamus, & vt prolapſi in peccata operam demus ante omnia vt eam à peccatorum reatu & turpitudine liberemus. Moneamur item vt cõtineamus cor noſtrum à vitiis, & congregemus illud in ſanctitate & virtutibus. per quas fit vt cor quod per vitia extra ſe diffluit, intra ſe collectum contineatur. Sic beatus Auguſtinus aliquoties citat illud: Miſerere animæ tuæ placens Deo; contra eos qui aliis miſericordiam per eleemoſynas exhibebant, & tamẽ in peccatis ſuis perſeuerabant, quaſi in ſeipſos immiſericordes, & crudeles, qui in alios videri volebant miſericordes, vt videre eſt in Enchiridio cap. 76. & de Ciuitate Dei libr. 21. cap. 27.

Sup. 14.

26 *Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in ea.*

SErmo eſt, vt ſuprà dictum eſt, de triſtitia huius ſæculi, & omni inordinata, quæ occidit nõ tantùm corpus, ſed & animam, nec temporalem tantùm adfert mortem, ſed & æternam. Quoniam autem nõ tantùm à paſſione triſtitiæ abſtinẽdum eſt, ſed & ab aliis eam ferè conſequentibus & ſimiliter noxiis, rectè ſubiungit.

27 *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus ſenectam adducet cogitatus.*

PRo, cogitatus, Græcis eſt μερίμνα, hoc eſt, cura. Itaque hic nomen, cogitatus, accipi debet, quomodo participium, cogitans, in Matthæo cùm dicitur: Quis veſtrũ cogitans, poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? vbi Græcis eſt μεριμνῶν, hoc eſt, ſolicitudine & cura ſua. Itaque duo hic ponuntur, quæ, ſicut triſtitia, abbreuiant hominis vitam, zelus ſcilicet, hoc eſt, iracũdia vel ira, & nimia ſolicitudo atq; cura. Quid verò vitam conſeruet & prolonget, diúque hominem vegetum faciat, indicat verſu ſequente.

28 *Splendidum cor bonum in epulis eſt: epulæ enim illius diligenter fiunt.*

GRæcè eſt; λαμπρὰ καρδία καὶ ἀγαθὴ ἐπὶ ἑδέσμασι, τῶν βρωμάτων αὐτῆς ἐπιμελήσεται, hoc eſt, ſplendidum cor & bonum in epulationibus ciborum ſuorum curã habebit. Quo ſignificat, cor quod non eſt obfuſcatũ aliqua vel triſtitiæ vel auaritiæ nebula, ſed lætum eſt, & largum, atque munificum, curaturum bonam & commodam victus rationem, nec ſibi vel per mœrorem, vel per ſordidam parſimoniam ſubtracturum quod ad vitã commodè tranſigendam ſit vtile, atque ob id vitam ipſius longius producendam. Idem ſignificat & noſtra lectio, nempe quòd cor nulla triſtitia vel alia paſſione obnubilatum, ſed lætum, in cibis ſuis eſt bonum, & iucundum, ita vt & ipſe homo cibos ſuos cum voluptate ſumat, & aliis liberaliter atq; iocundè communicet, quia, inquit, epulæ ipſius diligenter & accuratè præparantur, curátque vt cibi eius benè aptentur, nec per mœrorem earum curam negligens, nec per auaritiam ſordidè menſam inſtruens. Signi-

ficat ergo lætitiã cordis efficere vt cibi cum voluptate ſumantur liberaliter, ſicq; & corpus verius ac diutius viuat.

Caput XXXI.

1 *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnum.*

GRæca habẽt præſens, tabefacit & aufert, quomodo & ſcripta quædam habent Latina, & Rabanus in commentario, ſed ad ſenſum parùm facit. Intelligitur autem hæc ſententia à noſtris dicta in commendationem ſtudij virtutis, vt ſignificetur vigilantiam animi pro honeſtate virtutum comparanda carnales in homine mortificare voluptates, & cogitatum de acquirẽda virtutis honeſtate auferre ſæpe ſomnum corporalem, & ſemper ſomnum pigritiæ atque inertiæ. Verùm notãdum interpretem noſtrũ hic rurſum, ſicut & ſupra c. 11. & aliquoties in libro Sapientiæ, nomen honeſtatis poſuiſſe pro diuitiis, quæ hominem reddunt in hoc mundo honeſtum & honoratũ, cùm Græcis hic ſit πλούτου. Itaque proſequitur id quod in fine capitis ſuperioris dixit de cura quæ ante tempus ſenectam adfert. Nã etiam hic & in ſequenti verſu pro, cogitatus eſt μέριμνα, hoc eſt, cura & ſolicitudo: docétque quàm noxia ſit homini ea præcipuè cura quæ eſt in auaris pecuniarum ſtudioſis, vtpote quæ carni ſuũ vigorem aufert, & neceſſarium ſomnum. Itaque ſenſus eſt, Nimia vigilantia, quæ pro comparandis diuitiis aſſumitur, & vigilia nocturna, quæ ſæpe propter opes ſuſcipitur, tabefacit carnes hominis, corpúſque marcidum facit ac exhauſtũ & cura pro diuitiis acquirendis aufert ſæpe homini ſomnum ad vitam neceſſariũ. Proinde indicando nocumentum auaræ ſolicitudinis, monet tacitè moderanhum ſtudiũ, diuitiarum, anxiámque ſolicitudinem deponendam eſſe, & præſentibus contentos nos eſſe debere, Deóque res noſtras committendas.

2 *Cogitatus præſcientiæ auertit ſenſum, & infirmitas grauis ſobriam facit animam.*

NOſtri hanc verſionem ſic intelligunt, vt ſit ſenſus: Conſideratio præſcientiæ diuinæ auertit mentem hominis à peccato, & infirmitas grauis corporalis, facit animã continentiorem, vt duo ſignificentur quæ hominem à peccato auocãt: quorum alterum pertinet ad animam, alterum ad corpus. Nã à peccato auocamur & per cogitationẽ præſcientiæ diuinæ, dum ſcilicet cogitamus Deum omnia ita noſſe & videre vt etiã antequam fiant præſciat: & per infirmitatem corporis, quæ animam ſæpe luxuriantem, & in vitiis diffluentem ad continentiam & moderationem reducit, vexatione ſcilicet dante intellectum, & vires peccandi ſubtrahente. At ſententia hęc ſic intellecta non ſeruit vel præcedentibus, vel ſequentibus. Notandum ergo Græca longè alium habere ſenſum. habent enim ſic; μεριμνα ἀγρυπνίας ἀπώστησε ὕπνον, καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει ὕπνον, hoc eſt, ſolicitudo vigiliæ interpellabit ſoporem, & infirmitas grauis ſomnum eluet, hoc eſt, tollet & excutiet. Itaque ſignificantur duo eſſe quæ ſomnum intercipiunt & impediunt, ſolicitudo vigiliæ, hoc eſt, cura peruigil, quæque vigilare auarum facit: & corporis grauis infirmitas. & debent hæc intelligi coniuncta per comparationem, vt ſit ſenſus: ita ſolicitudinem illam anxiam & vigilantem excutere ſomnum, ſicut grauis morbus ſomnum adimit; ſicque hac comparatione inſinuetur ſolicitudinem auarorum grauem eſſe morbũ animi, qui hoc agat in homine quod grauis infirmitas corporis; quia ſimiliter eum cruciat, & inquietum reddit. Quædam exemplaria non habent ἐκνήψει ſed ἐκνήφει, vt ſit ſenſus: ſobrium & vigilantem reddet ſomnum, hoc eſt, repellet ſomnum. Itaque vtrouis modo legatur, ſenſus eſt idem. Et noſtrum interpretem legiſſe ἐκνήφει, patet ex verſione: ſed pro ὕπνου, legit φύχην, & pro νυγμὸν, videtur legiſſe νοῦν. Vt autem noſtra lectio accedat originalibus, per cogitatum præſcientiæ, oportet intelligere curam illam & cogitationes anxias, quibus auari cupiunt præſcire rerum futurarum euentum, non contenti præſentibus, ſed anxiè ſemper ſoliciti de futuris. Huiuſmodi cogitatus præſcientiæ valde auertit mentem hominis à Deo, & à recto iudicio alienat, efficítque vt mens hominis velut ebria ſit, & ſano iudicio deſtituta, ſicut contrà grauis corporis infirmitas animam prius intemperatam reddit ſobriam & temperatam. Itaque iuxta hunc intellectum ſignificatur auarorum ſolicitudinẽ magis eſſe noxiam menti, quàm grauis aliqua corporis infirmitas, cùm hæc intemperatam mẽtem reddat temperatam: illa verò veluti ebriam efficiat, & omni recto de rebus iudicio priuatam. Dum enim quis per auaritiam nimis de futuris ſolicitus eſt, fit vt de his quæ in præſenti agenda ſunt peſſimè iudicet.

3 *Laborauit dives in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonis ſuis.*

4 *Laborauit pauper diminutione victus, & in fine inops fit.*

IN ſecunda ſententia pro, in fine, eſt ſicut in priori ſententia, ἐν ἀναπαύσει αὐτοῦ, in requie ſua. Significatur autem his duabus ſententiis miſeram eſſe cõditionem pauperum in comparatione conditionis diuitum, quia cùm vtriuſq; commune ſit laborare, tamen non eadem de cauſa, nec ſimili fructu laborem impendunt. Contingit enim diuitem laborare non ad inopiam ſubleuandam, ſed pro congregandis opibus, qui cùm cogitur, aut cùm vult requieſcere à laboribus, poteſt frui abundanter partis bonis ſuis, & voluptatem inde percipere. At pauper cogitur laborare, eò quòd victus eius, ſit diminutus, quódq; panca habeat ad victum neceſſaria, & poſtea

& poſtea cùm cogitur requieſcere, & amplius labores ferre non poteſt, omnium rerũ inopia premitur, ita vt mẽdicare cogatur. Ne tamen ob hanc conditionis in laborãdo diſſimilitudinem, talis diues verè fœlix eſſe præ paupere videretur, ſubiungit.

5 *Qui aurum diligit, non iuſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex ea.*

QVod dicit, nõ iuſtificabitur; iuxta receptam intelligentiam ſignificat amantẽ aurum non carere culpa, nec iuſtũ eſſe poſſe, vt qui propter amorem diuitiarum fæpius peccet, aut in acquirendo illas iniuſtè, aut in conſeruando illas indebitè. Poteſt tamen ea pars accipi, vt ſecundùm ſcripturæ morem amplius quid ſignificet, nẽpe quod talis non erit impunitus, quemadmodũ ſæpe in ſcripturis, non eſſe innocentem, ponitur pro non eſſe impunitũ. Qui enim in iudicio non inuenitur iuſtus & innocens, is nõ abſoluitur, ſed punitur & condemnatur. Itaque ſenſus eſt: Qui aurum diligit, non euadet pœnas, & cõdemnabitur à Deo, vt poſtea clarius exprimitur. Cui ſenſui conſonat quod ſubditur; Et qui inſequitur coſumptionem, replebitur ex ea; Vbi pro, conſumptionem; Græcis eſt διαφθορὰν, hoc eſt; corruptionẽm. Videtur autem per corruptionẽ ſignificaſſe res caducas & corruptibiles, quales ſunt diuitiæ quas ſectantur auari, vt ſit ſenſus: eum qui ſectatur corruptibilia, replendum corruptione, vt ſcilicet abundanter habeat quod ſectatus eſt.

6 *Multi dati ſunt in auari caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio ipſorum.*

CLarius habent Græca; πολλοὶ ἐδόθησαν εἰς πτῶμα χαρὶν χρυσίδ. καὶ ἐγενήθη ἡ ἀπώλεια αὐτῶν κατὰ πρόσωπον αὐτῶν, hoc eſt, multi dati ſunt in caſum propter aurum, & facta eſt perditio eorum coram facie ipſorum. Quo ſignificatur, multos auri gratia præcipitatos eſſe, & lapſos in magna mala, eorúmq; perditionem fuiſſe palam & coram oculis eorũ. Itaque & noſtra lectio ſic eſt accipienda, vt per caſus auri intelligantur ruinæ mala & incõmoda, quæ aurum eis attulit, quæq; auri gratia perpeſſi ſunt, vt ſit ſenſus: Multi inciderunt grauia mala & incommoda, quibus eis aurum cauſa fuit. Propter aurum enim multi nõ tantùm in grauia peccata prolapſi ſunt ſed etiam in multa incõmoda, dum vel ex nimia auri cupiditate ſeſe grauibus expoſuerunt periculis, vel propter aurum quod poſſidebant ab aliis occiſi ſunt, aut aliàs malè affecti. Idem ſignificat ſequens pars, nempe quòd perditio eorum facta eſt ex eo quod ſpeciem auri dilexerunt quódque eius ſpecie capti ſunt.

7 *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium, uæ illis qui ſectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.*

PRo genitiuo, ſacrificantium, Græcis eſt datiuus τοῖς θυσιάζουσιν αὐτῷ, hoc eſt, ſacrificantibus illi, vt ſit ſenſus: aurũ eſſe his qui ipſum quaſi Deum quendam colunt, lignũ offenſionis. In quem ſenſum & noſtra lectio accipienda eſt hoc modo: Aurũ quod poſſident hi qui illi ſacrificãt illúdque inſtar Dei cuiuſdam colũt, eſt illis lignum offenſionis. Cui conſonat quòd Paulus auaritiam, vocat idololatriam: & auarum, idololatram: nimirum quòd omnes ſuas cogitationes ac ſpes in diuitiis ſitas & defixas habeat. Porro lignum offenſionis ſimpliciter hic rectè accipi poteſt ſic dictum, ſicut alibi dicitur lapidis offenſionis & petra ſcandali, hoc eſt, occaſio offenſionis & ruinæ. Sicut enim cõtingit impingere in lapidem poſitum in via, ita & in lignum. Rabanus quod dicitur de ligno offenſionis, refert ad arborem ſcientiæ boni & mali, vt ſignificetur aurum auaris eſſe velut arborem illam vetitã, quòd ſicut ex eius eſu grauiter peccauerunt primi noſtri parẽtes, & in multa mala prolapſi ſunt: ita etiam auari ex inordinato auri amore & grauiter peccant, & multis malis inuoluuntur. Priori ſenſui magis congruit quod ſequitur, & omnis imprudens deperiet in illo. Imprudentis enim & incircunſpecti eſt impingere in lignum vel lapidem. Significatur ergo aurum ſua natura homini non adferre perniciem, quin potius commodo illi eſſe poſſe, niſi ſua imprudentia illud ſibi verteret in pernicié: ſicut lapis vel lignum, in quod homines in via impingunt, ad hoc ſæpe in via poſitũ eſt, vt itinerantibus commodo eſſet, atque in eo conſiſterent. 1. Pier. 2.

8 *Beatus dives, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris.*

9 *Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in uita ſua.*

PRo, ſine macula; Græcis eſt ἄμωμος, hoc eſt; inculpatus & irreprehenſibilis. Nec illis eſt tertia illa pars; nec ſperauit, &c. quæ addita videtur ab interprete ad explicãdum quid ſit ire poſt aurum, aut ad ſignificãdum ſecundũ vitiũ auari. Primũ enim auari vitiũ eſt, auidè nimis & immodicè ſectari diuitias vt habeãtur. Secundũ, in habitis diuitiis ſpẽ ſuam collocare, à quo vitio Paulus ſtudioſè monet diuites cauere, dicẽs Timotheo: Præcipe diuitibus huius ſæculi non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarũ. Poſtquam ergo Sapiens oſtendit diuitias pleriſque multorum malorum & perditionis eſſe cauſam, ex ipſorum vitio ſubiungit laudes eius qui diuitiis bene vtitur, indicans raros tales eſſe in magno licet diuitum numero, & quæ ad inculpatum & laude dignum diuitem pertineant. Ille, inquit, diues qui in diuitiarum poſſeſſione inuentus eſt apud Deũ & homines irreprehẽſibilis, integer, & inculpatus, verè beatus eſt & fœlix, quia rarus eſt, & ſingulari Dei beneficio & gratia donatus, vt cui non ſolùm datum eſt cum multis diuitias poſſidere, ſed etiã cum paucis bene vti eiſdem. Talis autem eſt, qui nec eſt aurum cupidè ſectatus, ita vt ſe illius fecerit ſeruum, atque vt illud conſequeretur 1. Tim. 6.

copiosè,etiam virtutis viam sæpius reliquerit,nec in adeptis diuitiis ita sperauit, vt per eas se tutum esse consideret ab omnibus huius vitę incommodis,se ob id in eis extollés, & non totus pendens à prouidentia diuinæ benignitatis. Talem quo magis declararet rarum esse,exclamãdo subiicit:Quis est hic & laudabimus eum?hoc est,rarus inter multos talis est, & ideo singulari laude dignus, quia qui talis est non solùm abstinuit ab inordinato amore & confidentia diuitiarũ,sed fecit etiam in vita sua quæ multi dignè mirentur. Qui enim diuitiis non apponit cor suum,non potest non præclara quædã & admiranda per eas designare. Primùm enim hoc est in illo mirandum,q̃ non iuxta multorum consuetudiné diuitias, etiã cùm eas habet,magnificiat.Facile enim est contemnere non habitas,vt habitas paruifacere nõ ita facile est.Deinde hoc mirãdum est quòd per eas non incitatur ad pleraq; vitia,quorũ in multis diuitiæ fomentum esse solent. Vt enim facile est pauperes à superbia & luxu sibi cauere,ita rarò idvidere est in diuitibus. Tertiò,id mirandũ est in talibus, quòd non solùm diuitiis non abutantur ad luxum, sed eis vtantur ad multiplicem beneficentiam, & aliorum vtilitatẽ.Bene ergo dicitur, quòd talis fecit mirabilia in vita sua,aut, vt habẽt Græca, in populo suo. Quod & sequentia comprobant.

10 *Qui probatus est in illo,& perfectus inuentus est, & erit illi gloria æterna.*

11 *Qui potuit transgredi,& non est transgressus:& facere mala,& non fecit?*

PRo,qui, Græcis in vtraque sententia est dictio interrogatiua,sicut & in præcedenti sententia, Quis est hic,vnde & scripta ferè omnia hic habent in priori sentẽtia per interrogationem. Quis probatus est in illo; cuius lectionis etiam meminit Glosa Ordinaria,& habet eam Rabanus,sicut & omnes iam libri impressi.Omnes tamen ferè habẽt secundo loco,qui,non quis,vnus tamen codex secundo loco habuit,quis:& priori,qui: sed dictio,qui,etiam aliquando ponitur interrogatiuè pro, quis, vt apud Plautum in Amph.Qui me alter est audacior homo?aut qui confidentior?Itaque conueniet etiã hic sic accipi,vt vtraque sententia interrogatiuè legatur,& significetur raros esse qui in auro probati,perfecti inueniantur,hoc est,integri & inculpati,vt sic gloria æterna digni sint apud Deum & homines.Raros item esse, qui cùm habeant occasionem peccandi,vt sunt quibus adsunt diuitiæ,non peccent abutendo eis.Prior ergo sentẽtia significat aurum probare animos hominum,vt per quod magna tentatione ingeratur eis ad vitia quædã perpetranda,à qua si non superentur declarantur esse homines perfecti multorum cõparatione,ideoq̃ & gloria æterna eis accedet. Laudabuntur enim ab hominibus, & à Deo æterno honore donabuntur. Posterior sententia indicat diuitias suppeditare multis vires peccandi,quibus tamen nõ ad peccandum vtantur,sed contrà potiùs ad benefaciendum. Vnde rectè diuitiæ Græcis δυνάμεις,& Latinis facultates dicuntur, quod maximam vim habeãt,tum ad virtutes tum ad vitia, prout sunt homines nactæ qui iis vtantur.Cùm enim de quibusdam hic insinuatur quòd per diuitias potuerint facere mala pleraque,quæ tamen non fecerunt, significatur etiam amplius, nempe quòd per eas bona fecerunt,ad quæ facienda diuitiæ eis potestatem contulerunt,vt patet ex subiecta sententia. Ex his patet cũ hic dicitur, potuit trãsgredi & facere mala;non potissimum id dictum esse propter potestatem liberi arbitrij,quod ad bonum & malum liberum est,sed propter potentiam & vires peccandi,quas diuitiæ suppeditant.Nec cùm dicit esse qui non fecit mala,significat aliquos esse omnino immunes ab omni malo,sed esse immunes à multis malis quæ per diuitias committere potuissent,& nonnunquàm etiã liberè,sine punitione & vindicta hominum.

12 *Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis ecclesia sanctorum.*

GRæca non habent in domino;quod addidisse videtur interpres,vt prior pars ad Deum pertineret, sequẽda ad homines. Ideo,inquit,hoc est, quoniam rarus est qui diuitiis non ad vitia vtatur quæ committere posset,sed ad beneficentium, bene facta illius firma manent apud Dominum,qui nunquam iliorum obliuiscetur:sed æterno præmio remunerabitur, & eleemosynas illius omnis sanctorum cœtus cum laude prædicabit & celebrabit.Potest quod dicitur, stabilita sunt bona illius;etiam intelligi non de bonis operibus,sed de diuitiis, quæ etiã bona hominis dicuntur,vt significetur rectum diuitiarum vsum duo consequi, scilicet bonorum quæ possidẽtur stabilitatem per Dei beneficium,& illustrem beneficentiæ commemorationem in cœtu piorum. Vnde & Paulus 2.Cor.9.de eleemosynarum largitoribus dicit:Qui administrat semen seminanti,multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ,&c.Bene autẽ dictum est,ecclesia sanctorum; quanquam dictio,sanctorum,Græcis nõ sit quoniam cœtus impiorum laudat magis prodigos,quique ad luxum diuitiis vtuntur iuxta potestatem eis datam.Dictio,omnis,sicut nõ est Græcis,ita nec in quibusdam scriptis, in quibusdam etiam expuncta est.

13 *Supra mensam magnam sedisti:non aperias super illam faucem tuam prior.*

POstquam monuit de moderatione ac liberalitate in diuitiis adhibenda, subiicit de moderatione & temperantia in cibo, & potu seruanda,maximè tunc cùm in magna copia delitiarum voluptatúmque versamur, offẽdens multis & verbis & rationibus intẽperantiam in hoc genere esse, & hominum offensioni vituperationique obnoxiam; & natu

naturæ esse pernicio sam.Primùm ergo monet, vt cùm quis assederit iuxta mẽsam magnam,hoc est, magnificam & sumptuosam, non mox ex intemperie & vehementi desiderio ciborum variorum, ante alios inuadat apposita fercula. Ea enim festinatio iuuenes potissimùm dedecent,quos hic maximè instruit,arguit intemperiem & immodestiam, ostenditque quòd iunior, vel cõditione humilior & nimio deliçatorum, ciborum incitetur appetitu,& decorum atque honestum ordinem seruare non didicerit.

14 *Ne dicas,si multa sunt quæ super illam sunt, memẽto quoniam malus est oculus nequam.*

REceptam hanc in priori parte lectionem sic intelligit Lyranus:Si multa fercula in mensa apponuntur, tu caue ne quid dicas,nec murmures de ferculorum multitudine, sed grato potius animo accipe quæ apponuntur. Verùm hic sensus parum sequentibus cõuenit.Itaque quoniam hæc recepta lectio non videbatur habere conuenientem sensum,quidam:si multa; mutauerũt in,simulata.Ita enim & Rabanus legit,& post eum Dionysius, vt sit sensus: Ne dicas, simulata sunt & ficta quæ apposita sunt,hoc est,non sunt tanti valoris quãti videntur:aut non sunt apposita ex amore,sed ad ostentationem.At hãc lectionem esse deprauatam & legendum esse,multa,docent Græca,quæ habent,πολλά γε τὰ δοτῆς, multa sanè quæ super illam, scilicet sunt. Proinde aut tollenda est coniunctio,si,quæ in quibusdam correctis inuenitur expuncta:aut si est seruanda, accipi debet posita vt sit confirmantis pro, siquidem vt respondeat dictioni enclticæ γε, quemadmodum nonnunquam accipitur Latinis. Et erit oratio imperfecta, complenda hoc modo: Ne dicas, siquidem multa sunt quæ sunt super illam,ideo oportet multa edere. Eo enim spectat quod vetat dicere de multitudine ferculorum, ne scilicet ea multitudo incitet ad edacitatem, à qua retrahit ob periculum dedecoris & inuidiæ.Vnde subiicit; Memento quoniam malus est oculus nequam; vbi per oculum nequam non intelligenda est praua intentio,aut cor suspicionosum,quomodo hic ferè intelligitur, vt sit sermo de oculo interiori, sed quomodo in euangelio accipitur, cùm dicitur:An oculus tuus nequã est quia ego bonus sum? & quomodo superius dicitur: Nequam est oculus liuidi; vt oculus nequã,sit oculus inuidus eius, qui appositum à se cibum non fert liberè à conuiuis attingi & comedi. Ideo ergo vult eum qui conuiuio excipitur, nõ nimis auidè & libere appositos cibos, etiamsi multi sint, inuadere, ne fortè qui illum inuitauit inuido sit oculo,& non satis ei quæ apposuit faueat, vt sæpe contingit, sicque inuidiæ eius & vituperio se reddat obnoxium. Talis enim oculus, inquit,est malus, aut, est Græcis,πανὸν, hoc est,malum,vel mala res, quia re vera non fauet id quod fauere se verbis & facto ostendit.De hoc & subiungit.

Mat. 20 Sup. cap. 14.

15 *Ne quius oculo quid creatum est:ideo ab omni facie sua lachrymabitur cùm viderit,*

GRæca non habent pronomen, sua, sed tantùm ἀπὸ παντὸς προσώπου, ab omni facie, vel persona,vt sensus esse possit: oculum inuidum lachrymari & torqueri à quauis persona etiam amicissima, aut ab omni facie hospitis sui. Torquetur enim si tristem videat & nolentem contingere, torquetur etiam si lætam videat,& liberè atque fiducialiter quæuis contingentem ac manducantem.Proinde additum pronomen, sua,tollit verum sensum Vnus codex scriptus in Tongerloë habuit pronomen, tua; iuxta quam lectionem bene constat sensus:Itaque ea lectio amplexanda videtur,vt sit sensus: Inter creata nihil peius est oculo malo & inuido. Ideóque ob magnam suam malitiam etiam lachrymas profundet,grauitérque discrucia bitur ab omni tua quam ei exhibes facie. De inuido oculo hæc esse dicta sequentia indicant,cùm dicitur.

16 *Ne extendas manum tuam prior, & inuidia contaminatus erubescas.*

GRæcis non est dictio, prior, & illa pars, cùm viderit,quæ apud nos iungitur superioribus; iungitur sequentibus, vt sit hic sensus:Quocunque ille aspexerit, non extendas manum tuam, hoc est,si aduertas illum aspicere intentius in aliquẽ cibum,ad illum ne extendas manum tuam,ne contra te inuidiam illius excites.Et in nostra lectione illa pars,cùm viderit:sequentibus iungi potest, vt sit sensus: Cùm ille respexerit in te, ne extẽdas manum tuam in cibum aliquem antequam ille vel alius de illo tibi feruierit, ne inuidia illius cõmaculatus pudeãs.Nam & quædam scripta illam partem; cùm viderit;a superioribus seperant.

17 *Ne comprimaris in conuiuio:intellige quæ sunt proximi ex teipso.*

COmmuniter legitur; ne cõprimaris in conuiuio vino; vt significetur cauendũ esse ne grauemur vino.Quidam libri habẽt; in conuiuio vini; sed sicut Græca nihil hic habent de vino,ita & quædam Latina, tum scripta, tum impressa, tantùm habent: Ne comprimaris in conuiuio;vt significetur cauendum esse ne quis se nimio cibo ingurgitet,& stomachum premat & grauet;Nam de cibo hic agitur,postea verò de vino.Et quò magis persuadeat temperantiam in contingendis & sumẽdis cibis seruandam in mẽsa aliena,subiicit: Intellige quæ sunt proximi ex teipso, hoc est, ex tuo affectu intellige quomodo alij sint affecti, vt quemadmodum tu in mensa à te instructa molestè fers helluones,ebriosos, & ciborũ appositorum dissipatores:ita etiam proximum tuum molestè ferre putes in sua mensa.Quod præceptum quidam malè obseruant, qui cùm in sua mensa non ferant æquo animo decocto res,In aliena mensa deuorant omnia,discindunt & dissipant, nihil integrum sinentes, Contra quos etiam dicitur quod sequitur.

18 *Vtere quasi homo frugi ijs quæ tibi apponuntur, vt non, cùm manducas multùm, odio habearis.*

DIctio, frugi, Græcis non est, sed tantùm. vtere quasi homo. Quo significatur, quéque cibum sumere debere sicut naturæ humanę & homini ratione vtenti conuenit, temperatè scilicet & honestè, non autem instar beluæ cibum vorandum, & in diuersas partes distrahédum: quod qui faciunt, odiũ sibi multorum conciliant, maximè hospitũ suorum. Idem significatur versu sequenti:

19 *Cessa prior causa disciplinæ, & noli nimius esse, ne fortè offendas,*

20 *Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.*

DVo monet, nẽpe & vt quis primus cesset ab edẽdo, & vt ne in edẽdo primus sit. Hæc autem vult seruari causa disciplinæ, hoc est, vt quis se declaret rectè institutum, debitámque seruet institutionẽ. In cõuiuiis enim maximè sese malè educati produnt & appetitu immodico & rusticis gestibus. Similia prædictis præcepta in cõuiuiis seruãda ab inuitatis, habet Sapiens Prouerb. 24.

21 *Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguũ & in dormiendo non laborabis ab illo, & non sentiens dolorem.*

HActenus ad temperãtiam hortatus est Sapiens, ad euitandum dedecus, inuidiam, & odium aliorum: nũc alia ratione ad eandem hortatur, nempe ad euitãdum morbos, & torméta quæ ex intẽperantia sequuntur. Nec hoc loco fit vini mentio in Græcis sed tantum est, τὸ ὀλίγον, exiguum. Et pro, erudito, est participium πεπαιδευμένῳ. vnde est dictio quæ præcessit, παιδείας, hoc est, disciplinę. Itaque sensus est: parum siue cibi siue potus sufficere homini bene instituto, quíque voracitati non assuefecit seipsum. Raban. ex cõmentario videtur hoc loco non legisse. vinũ. habet enim; Manifestũ est quòd parcus & tenuis victus tã corpori quàm animæ vtilis sit: & econtrario superfluus cibus vel potus ægritudinem generet, & sensum animæ minuat. Hæc ille, Nec Sapiens hic adhuc agit de vino de quo postea agit, sed adhuc pergit prosequi de temperantia in cibis seruanda. Monet ergo seruare temperantiam tum quòd homini bene instituto parum sufficiat, tum quod ex pauco cibo potúq; sumpto homo non laborat, hoc est, non affligitur inter dormiendum vel tempore somni, sicut affliguntur intemperati. Quod prosequitur dicens:

22 *Vigilia & cholera & tortura viro infrunito, somnus sanitatis in homine parco.*

23 *Dormiet vsque in mane, & anima ipsius cum ipso delectabitur.*

COmmemorat his sentẽtiis incommoda atque cõmoda quæ ex crapula & temperantia consequi solent. Viro, inquit, infrunito, vel, vt habent Græca, ἀπλήστῳ, hoc est, inexplebili, accidũt multa incommoda, nempe vigilia, quia impeditur à somno, saltem conueniẽti, cholera, ex qua varij morbi proueniũt, & tortura in intestinis & visceribus, in quibus grauatis patitur magna tormina. At cõtra in homine sobrio est somnus sanitatis, hoc est, quem sanitas & bona corporis dispositio adfert, & qui sanitatem cõseruat. Itaque dormiet talis vsq; in mane, ita vt non expergiscatur ante tempus, aut cogatur præpœna surgere aliquoties: & vbi euigilauerit anima ipsius, simul cum ipso delectabitur, gaudens scilicet & ob sanitatem ac bonam dispositionem corporis, & ob conscientiæ trãquillitatem, quòdque se aptam sentiat ad sua officia peragenda. Vigiliæ ergo, opponitur somnus: choleræ, sanitas: torturæ, delectatio. Græca tamen tantùm habẽt; καὶ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ, & anima eius cum ipso, hoc est, cùm surgit, compos est animi sui, vt scilicet sit prõptus ad suã officiã. Cõuenit his quòd Plato dixit, philosophorum cõuiuia vel hoc vno esse meliora quàm intẽperãtium, quòd ea postridie nulli dolores capitis aut corporis consequantur. vnde de Platonico conuiuio dixisse fertur Timotheus Athenien sis, quòd illud etiam postridie gratum esset.

24 *Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.*

IN exẽplari Germanico non est ἔμεσον, hoc est, vome, quod videri potest ab aliquibus sublatũ, quos offendebat vocabuli & rei turpitudo. Verùm indignum non debet videri hoc nostro Sapiẽte præceptũ hoc medicum inseruisse reliquis ad cibũ & potũ pertinentibus, quo non absolutè vomitum consulit, sed tantùm ad euitandum morbos, cùm inneceſſitatem illam quis deductus est, vt aut vomendum illi sit, aut morbus expectãdus. Non consulit sane vt ad prouocãdum vomitum quis se multùm ingurgitet, quẽadmodum quidam parùm piè consulunt, sed vt si aliquorum improbitate & violentia quis multùm sese grauauerit, tempestiuè surgat è mensa, ne quid indecorum in mensa patiatur, au nimia repletio diu corpus affligat & noceat, & sic in secreto loco sine aliorũ offensione crapulã euomat potius, quàm diu stomachus affligatur, cum periculo secuturi morbi. Quo consilio satis indicat quantopere à crapula sit cauendum, vt pro qua curanda tam fœdo & indigno homine, planẽque canino remedio sit vtendum. Turpius enim est causam huius turpitudinis præbere, quam turpitudinem hanc ob magni mali euitationem in se admittere. Proinde & satis subindicatur quàm grauiter peccent, qui postquam se grauatos sentiunt, surgentes è mensa crapulam euomũt, vt mox rursum mensam accedentes nouo se cibo potúque ingurgitare valeant. Rabanus quod hic dicitur de vomitu, ad spiritualem vomitum refert, quo scilicet per confessionem peccatorum releuatur mens hominis ab his quæ conscientiam grauant. Quæ intelligentia sanè hic non est reiicienda

cienda, modò retento sensu literali tãquam mystica accipiatur. Nam sicut quæ in superioribus dicuntur de moribus in mensa seruandis, rectè in mystico sensu etiam accommodantur ad ea quæ in sacra mensa, scripturarùmque lectione sunt seruanda: ita & hæc sententia in mystico sensu rectè intelligitur significare, vt cùm quis plus quàm oportet vel de carnis voluptate, vel de intelligentia rerum sacrarum sibi vsurpauerit, pro sanitate conscientiæ recuperanda, euomat per confessionem quod mentem prægrauat. Hac enim similitudine etiam Origenes vsus est scribens in Psal. 37. homil. 2. Vide, inquit quid nos edocet scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim, sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut phlegmatis humorem stomacho grauiter & molestè innitentem, si vomuerint releuantur: ita etiam hi qui peccanerunt, si quidem & occultant & retinẽt intra se peccatum, intrinsecus vrgẽtur, & propemodũ suffocãtur à phlegmate aut humore peccati. Si autem peccator ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & suum peccatum confitetur, simul euomit delictũ, & omnem morbi causam digerit, &c.

25 *Audi me fili, & ne spernas me, & in nouissimo inuenies verba mea.*

26 *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.*

SVperioribus præceptis sanitatis adiicit & aliud generalius tuendæ sanitatis remedium, sed ante illud interponit sententiam qua ad diligentem auscultationem discipulum excitat; Audi, inquit, me fili, & ne spernas me vel odio mei, vel ex contemptu eorum quæ dico, quæ fortè tibi humilia videbuntur. Etsi enim iam parua videntur & contemneoda, tamen postea tãdem per experientiã edoctus deprehendes quàm vera fuerint & vtilia verba mea. Quod autem singulariter audiri vult, est; In omnibus operibus tnis esto velox, aut, vt est Græcis, ὠκὺς ἔσο, hoc est, strenuus & diligens, quomodo velox etiam accipitur in Prouerb. cap. 22. cùm dicitur: Vidisti virum velocem in opere suo? corã regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Monet ergo vt in omnibus quæ agenda incumbunt homo non sit torpidus, piger, & negligens, sed diligens & strenuus: sícque futurum promittit, vt non facilè accidat ei quæuis infirmitas, significans plerosque morbos ex desidia oriri aut nutriri. Ea enim melancholiam nutrit, virésque corperis eneruat: cùm contrà diligẽtia in agendo, quæ coniuncta est promptitudini & alacritati animi, pellat mœrorẽ, valetudinémque conseruet. Potest autem velocitas & diligentia, quæ hic velut custos sanitatis exigitur, non tantùm referri ad operationum diligentiam, sed etiam ad prouidentiam & diligẽtem cautionem in omnibus actionibus adhibendam, vt hæc sententia etiam cõprehendat ea quæ pro tuenda sanitate prius dicta sunt, nempe circumspectè cauendum ne quis se nimium in conuiuiis repleat: aut si repleuerit, maturè curandum vt à grauamine liberetur, etiam vomitu si opus sit. Itaque sensus erit generalior, vt in omnibus quæ agimus simus veloces, sic vt & strenuè lubentésque faciamus quæ agenda sunt, & maturè circumspiciamus quæ cauẽda sunt. Sic intellectum hoc præceptum, generalius remedium commonstrat contra morbos & infirmitates quascũque. Neque enim facilè incidet in morbos qui & diligens est in operando, & vigilans in cauendis ac curandis noxiis.

27 *Splendidum in panibus benedicent labia multorum & testimonium veritatis illius fidele.*

28 *In nequissimo pane murmurabit ciuitas, & testimonium nequitiæ illius verum est.*

POstquam Sapiens locutus est de cibis & cõuiuiis, docuítque in eis summam modestiam & temperantiam ab inuitatis esse præstandam: nunc duas has subiungit sententias, qnibus inuitat ad beneficẽtiam præstandam qua alios liberaliter nostro pane ac cibo sustentemus & reficiamus, cùm opus est, liberaliter & non sordidè amicis conuiuia exhibentes, & pauperibus cibum communicantes. Ad quam beneficentiam inuitat, ostendendo præclaram esse famam liberalitatis: & contrà vituperari tenacitatem ab omnibus. Splẽdidum in panibus vocat eum, qui in cibis communicandis non est parcus & sorditus, sed largus & benignus. Hunc benedicunt labia multorum, quia eum laudant, bene de eo loquũtur, eíque bene précantur. Testimonium veritatis, hoc est, æquitatis & iustitiæ illius dicit esse fidele, vel potius fore fidele, quia testimonium quod de illo à multis datur, est & erit firmum, stabile, & diuturnum. Fidele enim in scripturis dicitur aliquoties quod firmum est & stabile, vt ibi: Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi. & : Misericordias Dauid fideles. Pro, veritatis, Græcè est καλλονῆς, hoc est, pulchritudinis vel honestatis, vt respondeat ei quod dicitur splendidum in panibus. Itaque accipimus veritatem pro æquitate & iustitia, vt sæpius in scripturis, hoc est, pro ea quæ dicitur veritas vitæ. Pro; In nequissimo pane; Græcis est, πονηρῷ ἐπ' ἄρτῳ, hoc est, malo vel maligno in pane, hoc est, ei qui malignus est in cõmunicando suo pane, obmurmurabit ciuitas. Proinde conueniet dictionẽ, nequissimo, accipere non vt adiectiuum substãtiui, pane sed vt regat ablatiuum, pane, vt sit sensus: ciuitas murmurabit in eũ qui nequissimus vel malignus est pane, hoc est, in eum qui parcè, sordidè & inuidè panẽ suum alils cõmunicat, quíque in pauperes nõ est liberalis. Et testimoniũ quod à ciuibus perhibetur de nequitia, hoc est, parcitate & sordibus illius (nequitia enim, vt suprà dictum est, refertur sæpe ad parcitatem & inuidiam, sua aliis non communicantem, vt opponatur benignitati) est verum, hoc est, certum atque firmum, ita vt non facilè superari possit & aboleri.

29 *Diligentes*

29 *Diligentes in uino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.*

POſtquam monuit de temperantia in cibis ſeruanda, & beneficentia in eiſdem exhibenda, ſubiicit monitionem temperantiæ ſeruandæ in vino ſumendo & exhibendo. Porro priorem huius ſententiæ partem. Græca aliter ſic habent; ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου, hoc eſt, in vino ne te virum prębeas, aut viriliter agas, tuas ſcilicet vires oſtentando, ac declarando quantum vini exhaurire valeas, Iſaia. 5 quod & Iſaias reprehendit, dicens: Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Proinde cùm Græcis non ſit quod reſpōdeat dictioni, diligentes, dubium eſt in noſtra lectione, an, diligentes, ſit participium ſignificans amantes, an nomen, ſignificans eos qui in aliqua re ſunt ſtrenui & minimè ſegnes. Si priori modo accipiatur, ſenſus eſt: Noli prouocare in vino amicos qui te diligunt. aut, Noli prouocare eos qui diligūt in vino, pro, qui diligunt vinum. Si poſteriori modo accipiatur, vt magis ex Græcis videtur accipiendum, ſenſus eſt: Noli prouocare eos qui ſtrenui ſunt in bibendo vino. Eſt autem ſermo non de prouocando ad litem & contentiones, ſed de prouocando ad potationes: Monemur enim ne eos qui per ſeſe ſatis proni ſunt ad bibendum vinum, magis etiam prouocemus ad illud. Atque hoc eſt in vino ſe gerere viriliter, vt habent Græca. Subditur cauſa. Multos enim exterminauit, hoc eſt, perdidit vinum, liberalius ſcilicet & intemperantius ſumptum. Multi enim dum ſe fortes in vino bibendo oſtendere volunt, à vino turpiter & miſere ſuperantur, omnem vim animi & corporis, item & bonū nomen amittes, multis ſe morbis obnoxios reddentes, in hoſtium manus atque alia mala vini occaſione incidentes, ſicque variis modis ſeſe per vinum perdentes.

30 *Ignis probat ferrum durum, ſic uinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum.*

IGnis ferrum & mollificat, & candeſcere facit, atque hac ratione intelligitur hic ferè igni vinum comparari, quòd illud corda hominum & à ſua conſtantia reſoluit, & ad vitia perpetranda accendit, audaciam ſuggerendo. At hæc explicatio literæ non conuenit ſatis, quæ dicit ignem probare ferrum durum, & vinum ſimiliter probare & arguere corda ſuperborum. Videndum eſt ergo quomodo ignis probat vel oſtendit ferrum durum. Additur ſanè Græcis, ἐν βαφῇ, hoc eſt, in tinctura, & pro; ferrum durum; eſt ϛόμωμα, quod ſignificat aciem gladij vel mucronem, vt prima pars ſit Græcis hoc modo: Fornax probat aciem in tinctura. Videtur ergo Sapiens ad hoc reſpexiſſe, quòd cum paranda eſt acies mucronis, aliquoties ferrum aut calybs aquæ intingitur, ſicque induratur, temperatur, atque acuitur, & proinde per tincturam ferri in aquam, ignis probat, oſtendit & exhibet hominibus gladium acutum & ferrum durum: quod ſi nō intingeretur in aquam, non tātam haberet duritiam. Ita enim etiam vinum oſtendit & exhibet hominibus corda ſuperborū, dum illa per ebrietatem madefiunt, & veluti vino immerguntur. Nam illa vino accenſa, & ebrietate madefacta longè duriora fiunt quàm prius erant, & ad lædendum atque nocendum promptiora: ſicut ferrum, etſi natura ſua durum, durius fit ſi ignitum aquæ immergatur: & acies gladij ignita, ſi aquæ intingatur, acutior fit & aptior ad lædēdum. Ex his ergo licet intelligere ſimilitudinis conuenientiam, quia igni inflammati & accendenti comparatur vinum etiam homines inflammans, & animos accendens. Ferro duro & acuto comparantur corda ſuperborū, quæ dura ſunt & acuta ad lædendum, quæque per vinum duriora fiunt, & ad iram atque lædendum magis aptantur. Aquæ cui ferrum intingitur comparatur ebrietas, per quā corda hominū madefiunt, & obruūtur.

31 *Aequa uita hominibus uinum in ſobrietate: ſi bibas illud moderatè, eris ſobrius.*

GRæcis aliter eſt breuius; ἐπίσου ζωῆς οἶνος ἐν ἀνθρώποις, ἐὰν πίνῃς αὐτὸν ἐν μέτρῳ αὐτοῦ. hoc eſt, Vinum eſt res æqualis vitæ in hominibus, ſi bibas illud in menſura ſua, hoc eſt, moderatè. Quo ſignificatur, vinū hoc præſtare hominibus quod præſtat vita, & vitæ conferri poſſe, quia hominem viuificat. Aut quòd vinum accōmodum ſit vitæ humanæ, ſi moderatè ſumatur, quia vitam hominis conſeruat, & letitia afficit pulſo mœrore. Quod & in noſtra lectione intelligi debet, vt ſit ſenſus: Vinum in ſobrietate ſumptum eſt hominibus ęqua vita, hoc eſt, affert eis vitam conuenientem & commodam. Et quia quæri poſſet, quomodo ſumendum ſit vinum in ſobrietate, ſi, inquit, bibas illud non vltra debitam menſuram, ſed moderatè, & ſecundùm modum tibi conueniētem, tunc verè eris ſobrius quaſi dicat: vt ſis ſobrius, non eſt neceſſe vt in totum à vino abſtineas, ſed vt moderatè bibas. Aut cùm dicitur; eris ſobrius; referendum id eſt ad ſanitatem mentis, vt ſit ſenſus: Si bibas illud moderatè, eris ſanæ mentis, non dimouebitur mens à ſuo officio, quin potius magis acuetur, & ſanior reddetur. Vinum enim modicè ſumptum, vt habet prouerbium, acuit ingenium.

32 *Quæ uita eſt quæ minuitur uino? Quid defrudet uitam? Mors.*

IN priore parte communiter legitur, vita quæ minuitur vino. At Rabanus legit: Quæ vita ei qui minuitur vino? quæ verior eſſe videtur lectio, vt quæ conſentiat Græcis, quæ ſic habent: τίς ζωὴ ἐλαττουμένῳ οἴνῳ; quæ vita ei qui immunitus eſt vino? Eodem tamen redit ſiue dicamus vitam hominis imminutam vino, ſiue hominem vino imminutum. Ferè autem intelligitur vitam imminutam vino, quę à vini immoderata ſumptione abbreuiatur. Et hominē imminutum vino, qui

qui à vino vincitur, aut cuius vita vino abbreuiatur. Itaque interrogatione hac intelligitur ſignificari miſeram eſſe eam vitam, quæ vino ſuperatur & vincitur, vt quæ pecunia ſit non humana. Sunt tamen qui inteligunt diuerſo modo eum hic dici imminutū vino, qui vino deſtituitur, nec eius vſu frui poteſt, vt ſignificetur miſeram eſſe vitam, & nec vitam dicēdam eius qui vino deſtituitur, nec eius copiam habere poteſt. Atque hic ſenſus eſt conuenientior, tum quòd conueniat ſententiæ ſuperiori aſſerenti vinum vitam æquam cōferre hominibus: tum quòd in hoc libro minui aliqua re, eſt ea re deſtitui, vt cùm ſuprà dicitur: Eſt inſipiens qui minuitur ſapientia. (Sup. cap. 19.) Itaque cùm vinum lætificet cor hominis, &, vt mox dicitur, in iocūditatem creatum ſit, ſine qua miſera & breuis eſt hominis vita: Quæ, inquit, eſt vita quæ vino deſtituitur, aut ei qui vino carere cogitur? ſignificans talem vitam & breuem eſſe, vt in plurimum & miſeram, vt quæ deſtituitur eo ſolatio quod ad mœrores pellendos inſtitutum eſt. Secunda pars; Quid defraudat vitam? mors; Græcis non eſt, & ferè ſic apud nos legitur, vt interrogationem contineat cum reſponſione, hoc modo; Quid defraudat vitam? Mors. Quæ diſtinctio bene conueniens priori intellectui præcedentis partis ſic eſt accommodanda propoſito, vt ſignificet vinū quod diminuit vitā hominis, eàmque abbreuiat, eſſe hominibus inſtar mortis, & morti eſſe æquādam. Cùm enim mors ſit quæ vitam hominis defraudat, oportet vinum quod etiam vitā hominis abbreuiat, verè mortem eſſe homini vtpote id efficiēs quod morti eſt proprium. Rabanus autem ſuo commentario declarat ſe hanc partem legiſſe vna interrogationo, hoc modo: Quid defradat vitam mors? quanquam contextus communem habeat diſtinctionem. Sic enim habet commentarius: Vinum mortem, hoc eſt, ebrietatem vitæ interfectricem nuncupat, quia viuacitas ſenſus inde minuitur, & ægritudo corporis inde generatur. Quaſi enim increpando ipſam mortem cur vitam defraudet, interrogat, quia nimiam potationem quaſi hominis deceptricem vituperās damnat. Cùm enim dicit Sapiētem increpare mortem cur vitam defraudet, manifeſtè ſignificat ſe legiſſe; Quid defraudat vitā mors? & interrogatiuum, quid, ſe accepiſſe pro, cur. Quæ lectio bene quidem conuenit priori intelligētiæ præcedentis partis, vt poſtquam dictum eſt, vitam quorundam nimia potatione vini minui, ſubiiciatur: Quid defraudat vitam mors? hoc eſt, Cur id admittitur vt per nimiam vini potationem mors vitam defraudet, eàmque ante naturales terminos abbreuiet, & naturales terminos anticipet? Sed magis hæc lectio conuenit poſteriori intelligentiæ præcedentis partis, vt poſtquam dictum eſt miſeram eſſe vitam eorum qui vino deſtituuntur, ſubiiciatur: Quid defraudat vitam mors? hoc eſt, Cur ante tempus vitam abbreuiat mors propter vini inopiam quod modicè ſumptum morbos & corporis & animi pellere potuiſſet, ſicque vitam conſeruare & prolongare, atque ad iuſtum terminum perducere? Huic intelligentię etiam conueniunt quæ ſequuntur.

33 *Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio.*

SIgnificat duo, nempe & quòd vinum ſit res bona, vtpote à Deo inter reliqua creatum, ac proinde nequaquam reiiciendum aut improbandum, & quis ſit eius verus vſus, nempe ad iucunditatē excitādam, non autem ad ebrietatem prouocandam, vt intelligatur qui re bona bene vtantur, qui verò ea abutantur. Cùm autem hic apertè dicatur vinum creatū, idque ab initio, (quāquam Græcis non ſit, ab initio) ſatis manifeſtum eſt etiam vinum in exordio mundi fuiſſe à Deo, qui omnia tunc ſolus creauit, inter alia creatū, ne quis putet ſub Noe primùm cœpiſſe, quia ille primus legitur vineā plantaſſe, vinùmq; bibiſſe, & inebriatū eſſe. (Gene. 9.) Nam & de eo etiam ſcribitur quòd cœpit exercere terram, & tamen certum eſt etiam ante diluuium homines exorcuiſſe terram. Nec quia inebriatus dicitur ex vino, intelligēdum eſt eum vini vim omnino ignoraſſe. Non etiam, inebriatum eſſe, ſemper in ſcripturis ſignificat obrutū eſſe potu vſque ad rationis deſtitutionē, ſed nonnunquam tantùm eſt largius bibiſſe vſque ad hilaritatem: (Gen. 43.) vt cùm de fratribus Ioſeph dicitur, quòd biberint, & inebriati ſunt cum eo. Ex largiori autem vini potatione facilè fit vt homo incidat in ſomnum, & in eo denudetur. Nec neceſſe eſt patriarchas ab omni excuſari peccato, quanquam non crediderim grauiter Noe in illo facto deliquiſſe.

34 *Exultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum: ſanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus.*

EAdem ſæpius inculcat, vt rectum vini vſum perſuadeat. Duplicem autem fructum recti vſus vini hic inſinuat, nempe & exultationem mentis atque cordis, & per eam, ſanitatem tum animæ tum corporis, quia & triſtitiam pellit ab animo, & morbos à corpore. Quod enim dicitur; vinum eſt exultatio & ſanitas; cauſaliter accipi debet, vt aliàs ſæpe ſimiles locutiones, videlicet quia vinum lætitiam & ſanitatem adfert. Pro moderatè potum, Græcis eſt, ἐν καιρῷ αὐτάρκης, hoc eſt, vinum in tempore ſufficiens; quo ſignificatur rectum vſum vini duobus oſtēdi, tempore & ſufficientia, videlicet vt nec plus minùsque vini ſumatur quàm naturæ cōueniat, nec alieno tempore, vt faciunt hi de quibus Iſaiæ 5. dicitur, quòd mane ſurgunt ad bibendum vinum. Subiiciuntur deinde ex aduerſo etiam mala, quæ vinum immoderatè ſumptum homini addicit.

35 *Vinum multum potatum irritationem & iram & ruinas multas facit: Amaritudo animæ, uinum multum potatum.*

GRæcis tantùm eſt, πικρία ψυχῆς οἶνος πινόμενος πολὺς, ἐν ἐρεθισμῷ καὶ ἀντιπτώματι, hoc eſt,

est, amaritudo animæ vinum potatum multum in irritatione & contentione. Itaque in nostra lectione idem bis habetur, fortè ex diuersorum versione, aut ex commentario alicuius margini prius asscripto, & deinde in contextum relato. Ideo ergo vinum immodicè potatum dicitur amaritudo animæ, quia cùm datum sit vt lætitiam animæ adferat, per abusum & immodicam sumptionem amarulentiam animæ prouocet, & ex ea contentiones, & rixas, ac deinde multas ruinas, hoc est, cædes siue ipsius ebrij, siue aliorum ab ipso ebrio. Quanquàm autem vinum immodicè sumptum etiam aliorum malorum sit causa, vt libidinis, tamen amarulentiæ tantum meminit, & eorum quæ inde sequi solent: tum quòd hæc grauiora sæpe sint mala, tum quòd hæc directè sint contra finem ob quem vinum datum est. Cùm enim datum sit ad pellendum mœrorem, & mentem exhilarandam, contrà per eius abusum fit, vt lætitiam pellat, & amaritudinem inducat, & quod in medicinam datum fuit, vertatur in venenum.

35 *Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.*

GRæca habent: πληθύνει θυμὸν μεθη ἄφρονος εἰς πρόσκομμα, ἐλαττῶν ἰσχύν, καὶ πρὸς πληγὰς ποιῶν τραύματα, hoc est, Implet iram ebrietas stulti vsque ad offensionem, minorans virtutem, & faciens vulnera. Itaque nostræ lectionis hic est sensus: Animositas & audacia quam addit ebrietas, est sæpe causa vt quis per imprudentiam offendat, impingat, & in aliquod malum cadat. Et quanquam vires videatur homini addere, reuerà tamen sæpe imminuit hominis fortitudinem, exponítque eum aliorum iniuriæ, a quibus facilè læditur, & vulnera accipit. Pulchrè ergo significat, quòd cùm ebrietas audaciam suggerat, & per eam vires tentandi aliquid & inuadendi alios, tamen verè hominem infirmiorem reddat, & ruinæ magis obnoxium. Bene enim de ebrietate cecinit Horatius: Spes iubet esse ratas, in prelia trudit inermem. Et Iuuenalis: Adde quòd & facilis victoria de madidis, & Blesis, atque mero titubantibus.

36 *In conuiuio vini non arguas pro ximum, & non despecias eum in iucunditate illius.*

POstquam docuit vinum in iucunditatem datum hominibus, rectè iam sublungit præcepta, quibus monet ne hanc iucunditatem quis impediat & tollat, in conuiuiis lætitiæ & recreationi deputatis, reprehendendo alios siue ob iucunditatem & paulò largiorem potationem, siue ob alias causas, quia tunc in tempestiuum est arguere alium cùm tempus est lætitiæ. Correptiones enim in conuiuiis factæ duplici nomine sunt intempestiuę & infrugiferæ. Ferè enim procedunt ex animi amarulentia, quam vinum excitat, & aliorum item animos tunc facilè ad iracundiam commouent, tum quòd eos tunc vinum accendat, tum quòd non patiantur se tali loco & tempore palam moueri & reprehendi. Dicit ergo: In conuiuio vini, hoc est, conuiuio vinoso, quòdque ad lætitiam vino excitandam destinatum est, non arguas proximum tuum, & non despicias eum, hoc est, non vituperes eum, nec contemptim ei loquaris cùm est in iucunditate sua, quia sic & tollens ei iucunditatem, quæ illo loco & tempori conuenit, & pro ea ingeres amaritudinem, quæ illo loco & tempori non congruit. Ostendit Sapiens seueritatem non omni loco & tempori conuenire, esse tempora à Deo distributa: & alia quidem esse rerum magnarum ac grauium, alia ludicrarum; alia ad necessaria munera negotiáque obeunda, alia ad subleuandam naturam accommodata, denique esse, vt ait Ecclesiastes, tempus flendi, & tempus ridendi. Qui autem seueritatem semper adhibendam censent, quid natura humana in hac vitæ corruptione postulat parum vident. Eódem pertinet versus sequens:

37 *Verba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo.*

PRo, in repetendo, quædam Græca habent, ἐν ἐπαναστάσει δούλου, hoc est, in occursu eius, vt sit sensus: non premas vel non affligas eum occurendo, & contradicendo ei. Germanicum tamen exemplar habet, sicut noster declarat se legisse ἐν ἐπαναστάσει, hoc est, in repetione, debitorum scilicet, quorum repetitio non est tempestiua in conuiuio, sicut nec reprehensio. Potest etiam intelligi de petitione potationis, ad quam conuiuæ sese mutuò malo more vrgere & premere solent, ad satisfaciendum scilicet eorum votis.

Caput XXXII.

1 *Rectorem te posuerunt? noli extolli, esto in illis quasi vnus ex ipsis.*

XPONVNT nostri hanc sententiam & sequentia de eo qui populi alicuius rector constitutus est, siue in spiritualibus, siue in temporalibus. Verùm iuxta literalem & propriam intelligentiam Sapiens hic continuat sermonem institutum superiore capite de conuiuiis, tradens varia precepta à singulis quibusque pro suo ordine seruanda in conuiuiis. Hæc à Græcis, cæterisque populis orientalibus maxima & frequentia & hilaritate celebrabantur, fuítque in illis mos, vt aliquis summa authoritate à conuiuis deligeretur, aut forte constitueretur qui conuiuio præesset, quem Græci συμποσιάρχην, Latini modiperatorem appellarunt, quasi imperantem modum in conuiuio seruandum: Cicero vocat magnum magistrum, & huiusmodi rectionem moderationémque, conuiuiorum magisteria. Sic enim habet libro de Senectute, scribens de conuiuiis: Me verò & magisteria delectant à maioribus institura, & is sermo

sermo qui more maiorum à summo adhibetur magistro in poculo, &c. Hoc loco vocatur ἡγεμὼν, ab aliis etiam Rex dicebatur, à quo leges conuiuij, totáque bibendi ratio præscribebatur, cui non dissimilis est qui in Euangelio dicitur architriclinus. Monet ergo vt si quis sit constitutus rector & moderator conuiuij, non ob id superbè fegerat, ita vt nimiam seueritatem, grauitatem & asperitatē assumat; sed sit sicut vnus ex illis, modestè se gerendo, & cum gaudentibus ac lætis etiam gaudendo. Cæterùm quoniam quod in conuiuiis seruandum est rectoribus eorum, multò magis seruandum est rectoribus aliarum cógregationum, non malè hic etiā intelligitur de pastoribus ecclesiarum, & moderatoribus rerumpublicarum: modò tamen hic non habeatur primus sensus huius loci, sed accommodatitius, aut quasi mysticus sub literali comprehensus. Qui enim communitatis alicuius rector cōstitutus est, non ob id extolli debet, sed quo maior est, eò se demissius gerere debet, & se quasi vnum inter alios gerere, iuxta illud Petri: Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

2 *Curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe.*

3 *Vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis.*

OMnes quidem, quos vidi, libri habebāt considera, at valde verisimile est interpretem vertisse, conside, quia Græcis est κατάσσου. pro, ornamentum gratiæ, Græcis est κόσμος χάριν, hoc est, ornatus gratia, vt sit sensus: vt accipias corronam gratia ornatus. Apparet enim cōuiuiorum moderatoribus re bene peracta solitum esse imponi coronam, vnde & reges alicubi dicebātur, imò & consuetudo erat in lætitiæ conuiuiis conuiuas gestare corronas ex floribus contextas. vnde & Cicero dicit 2. de Legib. Sequebantur epulæ quas inirent propinqui coronati. Nostra lectio per appositionem est intelligenda, vt accipias ornamentum gratiæ, scilicet coronam. Dicitur autem ornamentum gratiæ, ornatus gratiosus, & gratiam atq; decorem adferens. Pars illa; dignationem, vel vt quidam libri habent, dignitatem consequaris corrogationis, vel vt quidam libri, habent congregationis; Græcis non est, videtúrque adiecta ad præcedentis partis explicationem. Parum autem refert an corrogationis legatur an cōgregationis, cùm, si legatur, corrogationis, debeat hoc nomen accipi pro conuocata & simul sua symbola conferente congregatione. Sic certè vere similius est prius scriptum fuisse, sed quia parū intelligebatur, mutatum fuisse in, cōgregationis. Monet ergo vt qui præfectus est cōuiuio, nō prior ipse sedeat, sed cogitet se non tantū ad honorē præfectum, sed ad curādum omnia cōuitio necessaria, nec honore dignum esse nisi rebus omnibus bene curatis. Tum licere ei vt etiā cōsideat & accumbat, tūc etiam eū posse lætari quòd videat conuiuas lætarii & eis esse satisfactū, eósque approbare eius diligentiā & prudentiā, à quibus deinde ornandus est corona gratiæ, & cōsecuturus honorem quo collecta congregatio eū dignabitur. Hæc autē omnia longè magis præstanda sunt rerumpublicarum rectoribus, & potissimùm ecclesiarum pastoribus, qui & ipsi ecclesiastici conuiuij cōstituti sunt moderatores, vt mensam fidelibus instruāt, qua animæ eorū pascant ur & recreentur, variis scripturarum & sacramentorū, atque adeo corporis & sanguinis Domini pabulo adornatā. Quorum etiam est vnicuique pro suo captu & ordine præscribere quid faciēdum sit singulis, & quomodo se in nuptiali Domini cōuiuio, ad quod inuitati sunt, gerere debeant. Istis ergo dicitur non solùm vt se non extollant, sed etiam vt curam habeant inuitatorum, ne quid cuidam desit quod ei ad salutem & consolationem sit necessarium. Ita futurum vt ex officio bene peracto & voluptatem sint percepturi & gloriam, ídque & in hoc sæculo, & multo maximè in futuro.

4 *Loquere maior natu (decet enim te) primum verbum diligenti scientiam, & non impedias musicam.*

POstquam cōmonefecit rectorē sui officij in conuiuio præstandi, deinceps instituit tam senes quam adolescentes, quemadmodum se in cōuiuio gerere debeant: & senes quidem docet quomodo loqui debeāt, adolescentes quomodo audire & respōdere debeāt rogati. Proinde etsi vtrūque legatur; Loquere maiori natu, &, Loquere maior natu, sicut & Græca quędam habent, πρεσβύτερε, quædam πρεσβύτερε, melius tamen legi, maior natu, vel illud satis conuincit, quòd postea subiiciūtur præcepta adolescentibus seruāda, cùm dicitur: Audi tacens, &, Adolescens loquere, &c. Legitur quidem & distinguitur hæc sententia admodū variè apud nos. Nam sunt qui dictionem primum, separant à substantiuo, verbum, sic distinguentes: Decet enim te, primum, scilicet loqui. Deinde sunt qui legunt; diligētis scientiā. At magis conuenit lectio & distinctio iā posita vt adiectiuum, primum, iungatur cū substantiuo, verbum, & legatur datiuus, diligēti, & sit sensus: Quandoquidē decet te qui senior es loquī ante alios, loquere tu primum verbum, sed loquere illud diligētibus scientiam, ne spargas margaritas ante porcos: caue tamen ne ob sapientiæ & senectutis grauitatem impedias musices concentum, quæ ad recreationem adhibetur iuuenioribus cōuiuis. Potest & sic distingui hæc sententia, vt sine parenthesi pro prima parte seorsum legatur: Loquere maior natu, docet enim te. Deinde seorsum legatur: Primū verbum diligēti scientiā, vt subaudiatur verbū, conuenit, & sit sensus: Primum verbum conuenit tibi diligenti scientiam, hoc est, conuenit vt is ante omnes loquatur, qui iam longo tempore declarauit se amatorem esse sapiētiæ, quales sunt senes. Idem sensus erit si legatur, diligentis scientiam, si sic accipiatur: Primum verbum est diligentis scientiam, hoc est, eius est primum

mum loqui qui diligit sciẽtiam. Hæc distinctio magis conuenit Græcis, quæ pro, diligenti scientiam, habet τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν, hoc est, in exacta scientia. Vtut est, duo monet hæc sententia, nempe & vt senes ante alios in conuiuiis loquantur; sed grauiter atque prudenter, & vt ne tamen propter senilem grauitatem, musicam excludant à conuiuiis. Musicum enim concentum mox plurimùm commẽdat tanquam conuiuiis conuenientem. Idem seruandum est in ecclesiastico conuentu, vbi etiam solos presbyteros & seniores ætate & potissimùm moribus loqui conuenit, differentes grauiter de rebus diuinis, ita tamen vt ibi etiam audiantur psalmodiæ, & sacrorum carminum concentus ex lætitia animi æditus. Grauibus
Colo 3. enim concionibus presbiterorum, etiam carmina lætitiæ & gratiarum actionis sunt addenda, vt fiat quod monet Paulus: Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis & canticis spiritualib. in gratia cantãtes in cordib. vestri Deo. Nec absurdum fuerit intelligere hic etiam musicorum instrumentorum vsum in sacris conuentibus permittendum esse, sicut illum adhibuit Dauid, modò ita adhibeatur, vt spiritus lætitiam magis promoueat quàm carnis.

5 *Vbi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua.*

SVbiicit Sapiens alterum præceptum ad seniores pertinens, & ab eis seruandum in cõuiuiis, imò in quibusuis cætibus. Quam quam enim inter varias delectationes quæ adhibentur in conuiuiis, ea optima sit & liberalissima, qua per grauem & pruduntem sermonem salibus mixtum animus pascitur & delectatur: tamẽ quoniam cæterarum rerum, quæ adhibentur, voluptate cõuiuæ magis detineri & capi solẽt, vt cibo & potu quo venter pascitur, aut cantu ac mnsico cõcentu quo aures suauiter reficiũtur, aut pulchrarum & odoriferarum rerum obiectu quę ad oculos & olfactũ pertinent: rectè postquam seniores monuit habendi à se fermonis, subiicit non semper illis loquendum esse quod ad sapientiam pertinet, sed tempus esse obseruandum & modum. Vbi, inquit, nõ est auditus, hoc est, audientia, & vbi non sunt qui se præbent ad audiendum paratos, nõ effundas sermonem sapientiæ inutiliter. Et quoniam contrà quidam facere solent ob sapiẽtiæ suæ ostentationem, subdit; & importunè vel intempestiuè noli extolli in sapientia tua; ita scilicet vt eam etiam cùm tempestiuum non est, velis ostentare. Quædã Græca habent affirmatiuè; Vbi est auditus, vel audientia, ne effundas sermonem; & tunc est sensus: Vbi alij sunt audiendi, aut alij adhuc audiuntur dicentes. Sed prior lectio negatiua videtur conueniẽtior, sicut & in præcedenti versu quædam Græca habent affirmatiuè, & impedias musicam; vt intelligatur oratione prudenti & accurata superandam esse melodiam carminum, & ita loquendum seniori, vt magis alliciat auditores quàm carmina musica. At is sensus parum conuenit sequentibus, inquibus tantopere commendat concentũ musicum. Cæterùm quod hic monentur seruare seniores in conuiuiis, idẽ in cœtibus fidelium seruandum est presbyteris, vt ibi demum verbum Dei loquantur vbi sunt beneuoli auditores, nec illud ad sui ostentationem proferant, sed ad vtilitatem & ædificationem.

6 *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio uini.*

7 *Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo & moderato uino.*

DVabus his sententiis significat ita conuiuium vino bene instructũ ornari musico concẽtu, sicut annulus aureus, aut aliud quippiam ex auro fabricatum ornatur lapide pretioso aptè inserto, ita vt cùm vtrũque per se gratum sit, tamẽ alterius accessu vtrũque gratiùs fiat. Pro, comparatio, est σύγκριμα, quod significat illud quod ex diuersis coagmentatũ est & concretũ, vt est concentus musicus, qui ex diuersis vocibus & sonis aptè coniunctis resultat. Vnde hic comparatio non accipitur pro similitudine, sed pro coagmentatione illa vocum aut sonorũ, quam simul parant & congerunt musici. Pro, signum, Græcis est σφραγὶς, hoc est, sigillum quod in aureis annulis solet pretiosis lapidibus insculpi. Dictio, numerus, pro qua Græcis est μέλος, hoc est, modulatio & suaue carmen, hic pro concentu harmonico ponitur. Quoniam enim concentus omnis constat numeris, dictio, numerus, nonnunquam ponitur pro ratione harmonica, vt cùm dicit Virgilius: Numeros memini, si verba tenerem. Sensus ergo est: Sicut se habet gemmula carbunculi in ornamẽto aliquo ex auro fabrefacto, ita se habet varia illa & iucunda congestio musicorum in conuiuio vinoso. Et sicut sigillum smaragdo insculptum se habet in opere aliquo fabricato ex auro, sic se habet concentus musicorum in iucundo vino, Quibus similitudinibus nõ hoc tantùm significatur quod dictum est, nempe aptè coniungi & inseri conuiuiis lætioribus carmina lætitiæ, sed etiam amplius, videlicet sicut propitius locus est lapidum pretiosorum vt auro inserantur, ita & conuiuia lætiora musices sunt proprius locus. Nam luctui musica non conuenit, nec actionibus grauioribus. Nec curiosè inquirendum est, cur peculiariter carbunculi meminerit aut smaragdi, cùm satis sit intelligere ex quibusdam speciebus præcipuis, vniuersum lapidum pretiosorum genus significatum esse. Mysticè docent hæ sententiæ quam congruat ecclesiastico conuiuio, in quo bibitur vinum Domini, quod verè lætificat corhominis, iucunda fidelium gratiarum actio, qua in fidei & charitatis concordia, etsi variis sonis & linguis exultantibus animis, Deum laudant & prædicant, sese etiam hoc concentu recreantes, & non solùm vino Dominico.

8 *audi-*

8 *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi gratia bona.*

HÆc sententia etsi iam in Græcis nõ sit rectè subiicitur superiori musices cõmendationi. Monet enim, vt quãdoquidem musica sic ornat conuiuium, & decet vt ei non obstrepatur rustica loquacitate, sed ab omnibus etiam senioribus & sapientibus audientia ei cum silentio tribuatur: sic enim futurum vt pro reuerentia & honore cantoribus exhibito quisque bonã gratiam reportet, hoc est, gratus sit, & prędicetur humanus & cõmodus atque vrbanus. Ita sanè & multò magis etiam cantus ecclesiasticus cum silentio & reuerentia magna est audiendus, nec vel obstrepero murmure & fabulis, vel alia quapiã re interturbãdus, vt apud Deum gratiam magnam consequamur. Potest autem quod dicit: Audi tacẽs; referri ad Vtrũque quòd dictũ est, nempe & ad sermonem senioris, & ad concentum musicorum, vt vtrũque quod auribus datur, significetur audiendum cum silentio & reuerentia.

9 *Adolescens loquere in causa tua uix cùm necesse fuerit: si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.*

POstquam monuit quid seniores in conuiuiis facere conueniat, monet etiam quid iunioribus sit faciendum, imprimísque requirit vt & rarò loquantur, & breuibus dicant quod dicendum est. Habent autẽ Græca breuius sic; Loquere adolescens cùm opus tibi fuerit, vix bis si interrogatus fueris. Deinde sequitur noua sentẽtia; Recapitula sermonẽ tuum in paucis multa, &c. Illud autem, vix bis, omnino referendum videtur ad verbum, loquere, vt significetur permitti quidem adolescenti vt loquatur, sed cùm causa postulat & necesse fuerit, idque rarò, etiamsi interrogatus fuerit, & ad dicendum inuitatus. Interpres noster, vt & alij quidam, aduerbia hæc duo seperauit, &, vix, coniunxit cum, loquere; bis, cum, interrogatus fueris; vt sit sensus: Adolescens loquere, sed in causa tua, hoc est, cùm tibi necesse fuerit loqui, idque adhuc vix, ne etiã tunc cùm opus est, subitò prosilias ad loquendũ, sed patiaris te semel atque iterum interrogari. Et vbi bis interrogatus fueris, ita vt non possis honestè diutius tacere, tunc cura vt respõsum tuum habeat caput & summã, hoc est, summatim sermonem tuum cõprehendas, ita vt paucis te absoluas, & multa paucis concludas. Est enim hic Græcis κεφαλαίωσις, hoc est, quasi dicas, capitula & in summã collige, quemadmodum & apud Latinos caput pro summa quæ totam rem continet accipitur. Quod dicitur; in causa tua; idẽ significat quod cùm necesse fuerit, vnde verba illa; cùm necesse fuerit; in quibusdam libris desunt, in quibusdam expuncta sunt, vt addita videantur ab aliquo commentarij vice.

10 *In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.*

GRæca affirmatiuè habent; γίνου ὡς γινώσκων καὶ ἀκροατὴς μόνος, esto vt cognoscens & tamen silens. Nec est participium, quærens, sicut nec apud Rabanum, qui legit; audi tacens, simul & loqui in medio magnatorum, &c. Nostra lectio monet, vt adolescens in multis rebus quæ in mensa tractantur, aut etiam ab eo quæruntur, se gerat quasi inscius earum rerum, etiamsi non omnino sit inscius, malens scilicet aliorum sententiam audire quàm suam prodere, & discere, quàm docere, idcóque & cùm silentio audiens alios, & tanquam discendi cupidus etiam interrogans eos cùm oportunum est: quẽadmodum suo exemplo Christus duodennis, docuit, de quo dicitur quòd sederit in medio doctorum, non docens, sed audiens illos & interrogans. Hæc ergo omnia eò tendunt, vt moneantur iuniores in confessiibus humilitatem præ se ferre & verecundiam, & quàm longissimè abesse ab ostentatione sui & vendicatione authoritatis & prudentiæ, quo etiam spectat quod sequitur:

11 *In medio magnatorum loqui non præsumas, & ubi sunt senes non multum loquaris.*

QVidam libri non habẽt verbum, loqui, quod tamen non malè additur, vt significetur adolescẽtibus non esse prius loquendum inter magnatos. Græcis tamen non est, non præsumas loqui, sed μὴ ἐξισάζῃς, hoc est, non exæques te, vt scilicet aut ea libertate loquaris qua illi, aut etiam in aliis rebus paria facere ad exemplum illorum audeas. Itaque & in nostra lectione omisso verbo, loqui, sensus erit: In medio magnatorum non præsumas quiduis, hoc est, nõ audeas statim quod alios facere vides.

12 *Ante tonitruum præibit coruscatio, & ante uerecundiam præibit gratia, & pro reuerentia, accedet & tibi gratia bona.*

NOn esse legendum, ante grandinem, vt multi habent libri, quomodo & Rabanus legit, sed, ante tonitruum, vt quidam libri habent, patet ex Graca dictione βρόντη, quæ significat non grandinem, sed tonitru. Verùm nonnulla hic est difficultas de veritate huius sententiæ. Nam vt certum est coruscationem præire tonitruum saltem secundùm sensus iudicium, ita non videtur quomodo gratia dicitur præire verecundiam, cùm potius eam sequatur, vt sequens pars asserit cùm dicitur; pro reuerentia accedet tibi gratia bona. Si enim accedit, quomodo verecundiam præit? Nam quòd aliqui exponũt gratiam præire ante verecundiam, quia verecundia effectus est gratiæ Dei, ex qua pudor bonus proficiscitur, non conuenit similitudini adhibitæ, nec proposito scriptoris, qui de gratia apud homines loquitur, qua scilicet quis gratiosus est hominibus. Intelligendum est ergo gratiam præire verecundiam, vel, vt est Græcis, verecùndum, quia illi semper præsens est & parata ad ex-

cipiendum illam vel illum, quomodo qui aliquem honoris causa præcedit, illi semper adest paratus ad succurrendum si opus fuerit. Aut quia verecundia statim de se diffundit gratiam, sicut tonitruum de se emittit coruscationẽ. Similis est locutio in Psal. 88. cùm de Deo dicitur: Misericordia & veritas præcedent faciem tuam, nempe quia illas virtutes Deus inseparabiles habet semper comites, eásque in omnibus suis factis mox ostentat, & relucere facit. Itaque phrasim quæ est in eo quod dicitur, ante verecundiam anteibit gratia; bene exprimit addita ab interprete pars quæ Græcis non est, & pro reuerentia, hoc est, verecundia accedet tibi gratia bona, hoc est, gratiositas, hoc est, propter verecundiam gratus eris, quia verecundia iuuenes valde commendat. Bene autem gratia coruscationi comparatur, verecundia tonitruo, quia sicut coruscatio & fulgur suo lumine micat & exhilarat, ita & gratia lumen suum habet exhilarans: & sicut tonitruum homines facit attonitos, ita & verecundia. Significatur ergo quòd quemadmodum tonitruo, rei per se non lætæ; adest fulgur per se lætum, quódque tonitruum de se diffundit, ita verecundia, res quæ torquet, & attonitum facit hominem, adiunctã semper habet gratiam, quam de se diffundit, instar lucis micantem recreantem.

13 *Et hora surgendi non tetrices, præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude.*

14 *Et age conceptiones tuas, & non in delictis & uerbo superbo.*

ALiud dat præceptum adolescentioribus seruandum in conuiuiis, monens vt in illis non diutius desideant, sed tempestiuè ante alios surgant, & in proprias ædes recurrentes, honesto aliquo ludo sese recreent, citra tamen tumultum & perturbationem aliorum. Id enim ei ætati magis conuenit quàm desidere diu in conuiuio. Itaque hic nõ est sermo de hora surgendi è lecto matutino tempore, vt ferè à nostris hic locus intelligitur, sed de tempore surgendi è mensa lætiore. Porrò in prima parte horum versuum varia admodum est lectio ex scriptoribus orta, dum quidam ob versionis obscuritatem scripserunt; non te tristes; alij, non te tristet; vt nomen, hora sit nominatiui casus: alij; non tetrices, hoc est, non te intrices variis remoris, sed mox te ad surgẽdum expedias & extrices omnibus moris reiectis. Legendum enim omnino verisimile est, non tetrices, quẽadmodum habent antiqua quędam scripta, cuius lectionis meminit & lexicon quod Catholicon dicitur, vt tetrices, verbum sit illo tempore, vt apparet receptum, fictum à nomine tetricus, significãs tristem esse, grauem, & tardum. Ea enim lectio & bene respondet lectioni Græcæ, quæ habet, μὴ ἐ ῥάγει, hoc est, ne sis extremus, aut ne extremas agas partes, & sic legisse omnino apparet Rabanum ex commentario, dum scribit sic: Admonet ne simus tristes seu tardi, &c. Cuius tamen commentarius & simul verbi inusitati nouitas causam dedit, vt quidam scriberent; non te tristes; aut, non te tristet. Alij inusitatam dictionem diuiserunt, in tetrices, aliud etiam inusitatum verbum inducentes. Sensus ergo est; Cùm tempestiuum erit surgere è mensa, non te ad eam rem grauem & tardum exhibeas, sed ante alios iam bene refectus præcurre in domum tuam, & illuc abstrahe & auoca te, illícque intra domesticos tuos parietes te ludo recrea, agendo quæ tibi lubẽt, sic tamen vt ne quid delinquas, nec verbo superbo aliquem offendas. Humana admodum & comis pręceptio, qua sic ad tempestiuè surgendum è mensis inuitat iuniores, vt eis à conuiuiis, quando non statim seria negotia sunt tractanda, permittat ludi recreationem nõ in aliena domo, vbi grauitas seruanda est, sed in propria, sine tamen cuiusquã perturbatione aut illicita voluptate. Cùm etiam dicit; in domum tuam; significat non adeunda prostibula. Quidam libri habent, aduocare, alij auocare, vel auocate, nec ex Græcis intelligere licet vtra lectio sit præferenda, quia ei apud Græcos nihil respondet: posterior tamen lectio præferenda videtur, quod Rabanus sic legat vt illud, auoca te, idem significet quod prius dicitur; præcurre in domum tuam.

15 *Et super has omnibus benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.*

POstremò monet, vt conuiuio peracto Deus laudatur, ne, vt plerisque mos est, per voluptatem Dei obliuiscantur. Super his omnibus, inquit, hoc est, ad hæc omnia hoc diligenter caue vt Deo gratias agas, eúmque laudes, tum quòd te creauerit, tum quòd te abundè cumulauerit bonis suis, eísque te recreauerit. Significat ergo ita demum recreationem conuiuiorum honestam improbandam non esse, si post eam Dei laus non intermittatur, & non fiat quod de Israelitis dictum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. & incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Quę in conuiuio corporali sunt iunioribus seruãda, etiam suo modo illis seruãda sunt in cœtu & conuiuio ecclesiastico, vt scilicet & ibi se non exhibeant doctores, sed in silentio & reuerentia se præbeant seniorum auditores, conuiuio peracto & cœtu dimisso se celeriter in proprias ædes recipientes, ibíque, si lubet, corpus reficientes, sed in timore Dei, & cum gratiarum actione de perceptis à Deo beneficiis.

Exod. 32 *Deu. 32.*

16 *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam eius: & qui uigilauerint ad illum, inuenient benedictionem.*

POst multa præcepta à se data, ostẽdit iam aliquot sentẽtiis quis sit fructus recipientium & seruantium mandata Dei, & contrà, quis fructus auersantium ea. Qui, inquit, timet verè Dominũ, eúmq; reueretur, is non auersabitur, sed lubenter & auidè excipiet doctrinã eius etsi carni inimicam. Excipiet item doctrinam eius, quia ab eo docebitur, & spiritu Dei instruetur. Et qui vigilauerint ad illum, vel, vt est Græcis, ὀρθρίζοντες, hoc est, mane surgentes, hoc est, summo studio, & ante omnia eum quærentes, inuenient benedictionẽ, Dei scilicet, hoc est, consequentur eius beneficentiam, vel, vt est Græcis, εὐδοκίαν, hoc est, beneplacitum eius & beneuolentiam, quod eòdem redit. Quia qui consequentur Dei beneuolentiam, consequentur item eiusdem beneficentiam.

17 *Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiosè agit, scandalizabitur ab ea.*

PRo, qui insidiosè agit; Græcis est, ὁ ὑποκρινόμενος, hoc est, simulator & hypocrita. Significat ergo eum qui pietatem simulat, nec ex animo Deum quęrit, qualis etiam insidiosè agit, quia studet fallere sub ficta specie pietatis hominum iudicia. Itaque hæc sententia ostendit quantum differat verum rectúmque studiũ legis à falso & simulato, quale est hypocritarum. Qui, inquit, ex animo quærit legem Dei & nosse & cognitam facere, is replebitur ab ea, tum quia perfecta voluntatis Dei cognitione donabitur, tum quia propter studiũ legis & obseruationem illius, multis bonis à Deo cumulabitur. Contrà, qui in studio pietatis insidiosè agit, simulans se quærere legem, vt se hominibus commodet, hic ab ipsa lege scandalum patietur, hoc est, ruinam & offendiculum, quia nihil ei proderit studium legis, sed ipsa lex erit ei occasio maioris condemnationis, ita vt lex quæ data est in salutem, fiat ei velut lapis offensionis. Similia habita superius cap. 1. & 2. quia capite secundo dicitur: Qui timẽt Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Et cap. 1. dicitur: Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis.

18 *Qui timet Dominum inueniet iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent.*

GRæcis non est iustum, sed tantùm κρίμα, hoc est, iudicium, quo significatur id quod iustum est. Itaque etsi intelligi posset significari, eos qui timent Dominum consecuturos à Deo iustam anteactæ vitæ sententiam, magis tamen intelligendum sensum esse, eos, qui timẽt Dominum, per hoc quòd timent eum, inuenturos in omni re quã agere debent quod iustum est, Deo & ipsius timore vbique suggerente quid agere debeãt, & quid iustitia requirat. Alioqui enim etiam qui non timent Dominum, inuenient iudicium iustum, quia iustè iudicabuntur. Dictæ intelligentiæ congruit quod sequitur; & iustitias quasi lumen accẽdent; quo significatur eorum virtutes instar lucis ita augendas, vt & sibi & aliis in vitæ huius tenebris præluceant. Iustorum enim semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem, vt est in Prouerbiis 4.

19 *Peccator homo uitabit correptionem, & secundùm uoluntatem suam inueniet comparationem.*

PRo, cõparationem, hic rursum est quemadmodum superius σύγκριμα, quod significat, vt diximus, id quod ex multis est coagmentatum & concretum, aut multarum rerum consonantiam. Hic ergo significat ea quæ in defensionem sui congerit peccator, & quæ voluntati eius consonant, quæ & rectè nomine comparationis intelliguntur: quamuis simpliciter hoc nomine rectè intellexerimus hic exẽpla quæ in excusationem & defensionem suorum factorum profert tanquam similia suis factis. Itaque describẽs Sapiens ingenium peccatoris contrarium ingenio & moribus quos iam attribuit homini metuenti Deum: Peccator, inquit, homo doctrinam moribus suis cõtrariam non admittet facilè, sed vitabit quantum potest correptionem: nec sinet se corripi, eáque loca fugiet vbi corripiendus erat, iuxta illud Saluatoris: Omnis qui malè agit odit lucem, *Ioan. 3.*
& non venit ad lucem, vt non arguãtur opera eius. Insuper & ad excusationem atque defensionem sui studiosè quæret & inueniet quæ suis factis comparet, exempla scilicet aliorum, quæ consentiant & conueniant voluntati eius. Duo ergo hic notat impiis propria, quorum contraria piis conueniunt, nempe vt & lubenter se moneri patiantur, & moniti facilè suum errorem & lapsum fateantur, vnde orat Propheta: Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Corripiet me iu- *Psal. 140*
stus in misericordia, & increpabit me, &c.

20 *Vir consilij non disperdet intelligentiam, alienus, & superbus non pertimescet timorem.*

21 *Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis insectationibus arguetur.*

SIcut ostendit dissimile esse ingenium impij in eo quòd ille non patitur se moneri & corripi, hic verò contrà auidè amplectitur doctrinam: ita similiter iam ostendit dissimile ingenium hominis considerati ac prudentis, & inconsulti & temerarij: quòd alter nihil suscipit faciendum, nisi capto prius consilio, alter verò incautè & periculosè omnia aggreditur. Pro; non disperdet intelligentiam; Græcè est, οὐ μὴ παρίδῃ διανόημα, hoc est, non despiciet aut negliget cõsiderationem vel deliberationem. Sensus ergo est: Vir cõsilij, hoc est, homo prudens consideratus & consultus, non abiiciet intelligentiam eius rei quæ faciẽnda est, sed curabit vt quod agendum est bene intelligat deliberando de eo, & aliorum consilia quærendo: at homo alienus à Deo, & superbus nullo timore concutietur, non solùm cum rem aliquam aggreditur, sed etiam postquam sine consilio prudentum facit aliquid iuxta suam voluntatem. Illud enim, cum eo; videtur accipiendum pro, secum, vel apud se, hoc est, iuxta suam voluntatem & iudicium, quia Gręcis est μετ' ἑαυτοῦ. Quod sequitur; & suis insectationibus arguetur, significat superbum, qui sine consilio aliorum agit, & suo tantùm nititur

titur iudicio, per ea quæ ipse ex seipso insectatus est arguendum, confutandum, & reprehensibilem fore, iuxta illud in Cantico
Luca 1. Virginis: Dispersit superbos mente cordis sui. Hac præmissa doctrina rectè subiicit monitionem.

22 *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.*

LOquitur de rebus alicuius momenti & arduis, ad quæ aggredienda opus est maximè iunioribus consilio sapientum, iuxta
Tob.4. monitionem Tobiæ dicetis. Consilium semper à sapiente perquire. Et omnino in omnibus agendis vtendum est consilio sacræ scripturæ & verbi Dei. Sic enim fiet vt facti non pœniteat nos aliquãdo, quia quod cum consilio fit sano & recto, benefit, nec de tali facto dolendum est. Aut si consilium humanum non rectè succedat, hoc tamen consolatur agentem, quòd non suum iudicium secutus sit, nec temerè rem aggressus sit, sed consilio eorum quos adire & audire illum conueniebat. Conuenit satis cum hac sententia illud Salustij: Priusquam aliquid facias, consulito: at vbi consulueris, maturè facto opus est. Cæterùm in sequentibus insinuat, consilium maximè capiẽdum ex verbo Dei & eius voluntate.

23 *In uia ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te uiæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum.*

PRo; viæ laboriosæ; Græcis est, ὁδῷ ἀπροσκόπῳ, viæ planæ, & omni impedimento carenti. Monet ergo Sapiẽs vt à duobus extremis vitiis quisque sibi caueat, nempe ne & res arduas ac periculosas temerè suscipiat, quod vocat ire in via ruinæ, & ne in his quæ tuta videntur nimium confidat ac securus sit, vnde additur; & à filiis tuis caue. Interpres videtur legisse προσκοπὸς, vt sit à κόπ☉, quod laborẽ & molestiam significat. Itaque iuxta nostram lectionẽ vtraque parte idem significatur vt secunda pars priorem exponat. Et est sensus: Vt, quemadmodum dixi, omnia cõsultò agas, imprimis moneo vt non eas in via quæ ruinis est exposita, ne impingas in lapides: & ne committas te viæ difficili, ne tibi ipsi ruinæ causam prębeas, hoc est, ne facilè ea aggrediaris, quæ & periculis & molestiis sunt coniuncta, ne tibiipsi sis mali causa, quemadmodum qui ambulant vias lapidosas & laboriosas, in quibus facilè impingunt, cadunt, & defatigantur.

24 *Et à filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende.*

POstquam monuit non temerè & confidenter aggredi ardua, monet etiam non nimis confidendũ esse in his quę tuta videntur. Cùm enim videatur tutissimũ esse confidere in filiis suis, aliisque domesticis, contrà monet etiam ab his homini cauendum, nec in homine quouis quamuis coniunctissimo fiduciam esse ponendam. Quod prolixius Micheas 7 inculcat, dicens: Nolite credere amico, & nolite confidere in duce, ab ea quę dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. A filiis autem atque domesticis cauendum rectè monet Sapiens, non solùm quòd illi nonnunquam sint infidi, ingrati, & perniciem molientes: sed etiam quòd impia & noxia sæpe suggerant, per quæ à Deo & animæ salute hominẽ per mortem ipsorum alienant. Vnde sequitur:

25 *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, hoc est, enim obseruatio mandatorum.*

GRæcis non est, ex fide, sed tantùm, πίστευε τῇ ψυχῇ σου, crede animæ tuæ. vnde patet dictionem, animæ, non esse genitiuum iungendum cum, fide, sed esse datiuum iungendum cum verbo, crede. Dixerat non esse credendum ne filiis quidem, nunc dicit cui sit credendum, animæ scilicet propriæ, & iudicio proprię conscientiæ, quod magis sectandum est in omni opere quàm aliorum suggestio & consilium quantumuis charorum, imò & sapientum. Nihil enim vnquam agendum est contra propriæ dictamen conscientiæ, quia omne quod non est ex fide, peccatum est, vt habet Paulus Rom. 14. Et in agendis sæpè propria conscientia melius iudicat quàm plerique sapientes, vt docetur postea cap. 37. qui locus si cum hoc conferatur, non parùm istum elucidat. Quoniam autem nõnunquam contingit proprium iudicium esse erroneum, vt peccaturus sit qui crediturus sit suæ animæ, non malè interpres addidit; ex fide; vt significetur in omni opere credendum esse propriæ animæ, non ex errore illius, sed ex recta eius in Deum & legem Dei fide. Et subditur Hoc est enim cõseruatio mãdatorum; quo significatur quòd in hoc ipso quòd quis credit propriæ animæ, eiúsque iudicium legi Dei innixum sequitur, consistit obseruatio mandatorum Dei: non enim facilè peccabit, qui rectè rationis suę dictamen attendit. Legendum autem esse potius, hoc, quàm hæc, docent Gręca, quæ habent, τοῦτο. Quædam Græca habent; In omni opere bono; sed Germanicũ exemplar tantùm habet, vt noster legit interpres, ἐν παντὶ ἔργῳ, in omni opere: nec additur pronomen, tuo, quod & multa scripta non habebant.

26 *Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non morabitur.*

POstquam dixit de credendo proprię animæ, subiicit sententiã de credendo Deo, siue quia non bene creditur animæ propriæ nisi credendo Deo, siue quia qui credit animæ suæ, credit Deo, eo quòd propriæ animę iudicium cõforme sit voluntati diuinæ, cùm vnicuique naturaliter inscripta sit lex Dei, adeo vt Paulus dicat gentes naturaliter ea quæ legis sunt facere, testimoniũ perhibente eis

te eis conscientia ipsorum. Bene ergo ostendit in fide, quam quis habet, propriæ animæ, consistere obseruationem mãdatorum Dei: quia qui credit suę animę, credit Deo: qui autẽ credit Deo, attẽdit mandatis, obseruando quid illa requirant, & solicitus vt ea impleat ac præstet. Credit autẽ Deo, qui non dubitat æqua esse quæ pręcipit, & vera quę promittit ac cõminatur. Credit etiã Deo, qui omnem suam fiduciam in Deum collocat, atque ab illo totus pendet, nec propriæ sapientiæ nec aliorum consiliis nimis innixus, qui ob id solicitè semper attendit Dei mãdata ne illum offendat. Cui posteriori intelligentiæ magis conuenit quod sequitur; & qui confidit in illo, non minorabitur; hoc est, non patietur detrimẽtum aut defectum vel sapientiæ vel aliorum bonorum, vt sequentia declarant.

Caput XXXIII.

1 *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illũ conseruabit, & liberabit in malis.*

PRosequitur cœptam in fine præcedẽtis capitis doctrinam de securitate eorum qui Deo fidunt, & soliciti sunt pro implenda eius voluntate. Breuius autem Græca habent secundam partem sic; ἀλλ᾽ ἐν πειρασμῷ, καὶ πάλιν ἐξελεῖται αὐτὸν, hoc est, sed in tentatione, & rursum eripiet eum; vel eripit eum. Itaque duo significantur, nẽpe quod timenti Dominum non accidunt mala ad perdendum illum, sed tantùm ad probationẽ ipsius. Quia enim, inquit angelus Tobiæ, acceptus eras Deo, necesse erat vt tentatio probaret te. Deinde quòd Deus illum in tentatione non relinquet, sed ex ea tempestatiuè liberabit. Nostra lectio primùm asserit absolutè timenti Dominum non obuentura mala, verùm quoniam id videtur parum verum esse, eo quòd tam multa aduersa iustis accidant plerunque, sequẽs pars ostendit quomodo id verum sit, nempe tum quia cùm est in tentatione, Deus illum conseruabit ne ab ea superetur, & ab ea lædatur, tum quia à malis, in quæ tentandi gratia incidere permittitur, Deus illum liberabit & eximet. Mala ergo ei non occurrunt, quia quæ occurrere videntur, ad probationem ei immittuntur, & Deo illum conseruante & liberante fit, vt mala ei non sint, sed bona & vtilia. Idem habet Psalmista de con-
Psal. 90. fidente in Deum: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

2 *Sapiens non odit mandata & iustitias, & non illidetur quasi in procella nauis.*

PRo; mandata & iustitias; Græcis tantùm est νόμον, hoc est, legem. Et secunda pars constat ex cõtrario: sic enim est, ὁ δὲ ὑποκρινόμεν☉ ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον, hoc est; Qui autem simulatus est in ea (scilicet lege) velut nauis in tempestate, scilicet est vel erit. Nec est Græcis, odit, sed futurum, μισήσει, odiet. Significatur ergo quòd quãuis piis & studiosis legis diuinæ multa accidãt quæ illos possent offendere, atque à studio virtutum alienare tamen quoniam verè sapiunt, & ex animo legi Dei afficiuntur, nulla vnquam re sinent se à lege Dei alienari, nec eam vnquam displicere posse, sed contra eam semper placituram; vt quæ animo eius & rectæ rationi consentiat. Hypocritæ verò, qui non ex animo legem Dei amplectuntur, sed fictè ac simulatè eam profitentur, instar nauis procellis agitatę in omnẽ partem, pro passionũ suarum impulsu nunc huc, nũc illuc vertuntur, nec cõstanter virtutẽ sequuntur, sed qui rebus prosperis videbantur amare legem Dei, cùm aduersitatum venti exurgunt, mox in alteram partem inclinantur, & pro occasionum varietate nunc virtutem nunc vitia sectantur. Interpres noster, qui aliter legisse videtur quàm nunc legitur, vtramque partem retulit ad sapientẽ, vt significetur illum non odire mandata Dei, sed vehementer ea diligere, ideóque eum, etiamsi aduersitatum & tentationum procellæ cõtra eum exurgant, non instar nauis quæ procellis agitatur, illidendum, & à suo proposito dimouendum, sed constantem animo permansurum in obseruatione mãdatorum Dei. Itaq; cùm dicitur; nõ odit mãdata; plus significatur quàm dicitur, nempe quòd vehementer ea diligat, quæ ipsius dilectio, causa est constantiæ in tentationibus. Vnde bene sequitur:

3 *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.*

PRo; credit legi Dei; Græci est, ἐμπιστεύει νόμῳ, quod etiam verti potest, fidelis est legi; vt sit corresp õdentia cum sequẽti parte, & significetur quod sibi mutuò fidelitatem præstant homo prudens & lex: ille fideliter & constanter præstãdo quod secundùm legem facere suscepit, hæc præstando quod promittit, cõsilium scilicet, auxilium defensionem & præmium Idem intelligendum in nostra lectione, quia qui verè & firmiter credit legi Dei, etiam constanter ei adhæret, ideóq; & lex illi fidelis erit, quia & in dubiis eum instruet quid agere debeat, & in aduersitatibus eum non deseret, sed consolabitur, & promissa præmia suo tempore fideliter donabit.

4 *Qui interrogationem manifestat, parabit uerbum: & sic deprecatus exaudietur, & conseruabit disciplinam, & tunc respondebit.*

GRæca licet etiã obscura sint, tamẽ clariora sunt & breuiora, ὡς ἐρώτημα δῆλον, ἑτοίμασον λόγον, καὶ οὕτως ἀκουσθήσῃ, σύνδησον παιδείαν, καὶ τότε ἀποκρίθητι. Pro, δῆλον, quidã codices legũt δικαίων, & prior illa pars à quibusdam iuxta exemplar Germanicum refertur ad præcedentia, vt sit sensus: Lex erit illi fidelis tanquam interrogatio manifesta, aut tanquam interrogatio iustorũ, hoc est, lex erit illi tan-

quam ex qua interrogare & manifestè intelligere liceat quæcunque sunt iusta; aut ex qua iusti interrogant quæ agenda sunt. Alij ad sequentia referunt, iuxta exemplar Complutense, ideóque sic vertunt: Vt interrogatio manifesta sit, præpara verbũ, & sic audièris colliga doctrinam, & tunc respõde. Ne enim quia dixit legem fore fidelem ei qui credit, & fidelis est et aliquis hac fiducia temerè prosiliat ad respõdendum de quibuslibet interrogatis, monet vt qui plenè & intelligenter volunt respondere, & quod quæritur manifestũ facere, premeditentur prius, quod dicant, & sibi comparẽt eruditionem, dicántque prius antequã doceant aut quod docere volũt, composita & accurata oratione ordinent. Dupliciter enim intelligi potest quod dicitur; colliga doctrinam; aut vt signi ficetur eruditionem studio comparandam, aut vt significetur orationem habendam, bene ordinandam esse & disponendam. Est enim in plerisque ea negligentia, vt responsuri ad id quod rogatur non cogitent satis quid & quomodo dicendum sit, quorũ perturbata confusáque oratio facit, vt nihil perspicuè dicant, nec intelligantur. Nostræ ergo lectionis hic est sensus: Qui quod quæritur ab eo vult manifestè & clarè explicare, & cuius officium est interrogata manifestare, is priusquam respondeat, parabit verbum & sermonem, præmeditãdo scilicet & studendo circa illud quod dicendum est, & ordinatè illud disponendo, & sic ab aliis rogatus ad respodendum cum gratia & fructu audietur ab eis. Idem in animo suo cõseruabit doctrinã, conferendo multa inter se, & tunc respõdebit. Hic sensus originalibus satis cõsentit. Potest tamen in nostra lectione quod dicitur; deprecatus exaudietur; intelligi deprecando Deum pro sapientia & apta respõsione, vt sit sensus: Deprecatus Deum pro sapientia exaudietur ab eo. & quod dicitur; conseruabit disciplinã, accipi potest vt significet doctorem quæ docturus est cõseruare debere digna operatione, vt tria hic exprimantur quæ doctori sunt necessaria vt cum fructu doceat, studium, oratio & operatio.

5 Præcordia fatui, quasi rota carri: & quasi axis uersatilis cogitatus illius.

OPponitur quod hic de fatuo dicitur, ei quod prius dictum est de cõstantia sapiẽtis semper credentis legi Dei, eíque fideliter adherẽtis. Aut ei quod mox dictum est, ei qui rectè respõsurus est parandum esse verbum, & illud bene ordinãdum, significatúrq; apta similitudine quanta sit inconstantia in cogitationibus fatui, qui in re nulla fixam habet cogitationem, sed pro data occasione ad varia fertur, qui & ob id ineptus est ad debitè & ordinatè respondendum de re aliqua quòd confusa omnia sint & perplexa quæ ex turbido illius corde prodeunt. Comparat ergo præcordia fatui, vel, vt est Græcis, σπλάγνα μωροῦ, viscera fatui; hoc est, intima eius, rotæ carri vel currus, quæ circa axem continuo motu versatur. Comparat item cogitationem illius axi versatili, hoc est, tali axi qui simul cum rota cui infixus est vertitur & mouetur, vt distinguatur ab axe fixo, circa quem immotum manẽtem rota circumagitur: quia sicut illa assiduo motu circumagun tur, idque summa cum celeritate: ita stulti cogitatio varia est, instabilis & vaga, velociter de vno in aliud prolabens. Potest & hoc intelligi hac similitudine significatum, quòd quemadmodum rota currus suo motu graue mædit & ingratum sonitum: ita & intima stulti, dum sermone incondito proferuntur, ingratum auditoribus edunt sonum, & velut stridentauribus.

6 Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni supersedente hinnit.

AMicus subsannator, est amicus fictus & simulatus, qui cùm amicitiam blandis verbis simulat, ridet in animo suo, aliquãdo etiam verbo & gestibus eum cui adblãditur, vt sunt adulatores & gnathones. Equus emissarius est, qui Latinis elegãtius dicitur equus admissarius, qui scilicet emittitur ad admissuram & coitum generationis gratia. Græcis enim est, ἵππος εἰς ἐξέλασιν, equus ad admissuram, scilicet destinatus. Huic ergo comparatur pulchrè fictus amicus, quia sicut talis equus equa conspecta hinnit, nullo habito delectu eius qui illi incidet, ita vt huius hinnitus & lætitia quam ostendit, non fiat in gratiam insidentis, sed propter equam ad quam ex passionis libidinosę vehementia trahitur: sic etiam fictus amicus, oblata vbiuis spe alicuius commodi consequendi, benevolentiam & lętitiam ostẽdit cuiuis, nó in gratiam eius cui adblanditur, sed propter amorem commodi, ad quod vehemẽter rapitur. Sicut ergo superior sententia ostendit inconstantiam fatui in suis cogitationibus, ita hæc inconstantiam ficti amici in verbis & gestibus suis, quibus sicut equus suo hinnitu adblandiri videtur insidenti, ita ipse adblanditur ei cui se fingit amicum. Et bene subiecta est etiam per oppositionem ad id quod mox dictum est de constantia sapientis, qui fidelis est legi Dei, & ordinatè atque compositè respondet ad interrogata. Imò videri potest hæc parabola dicta à Sapiente contra doctores falsos, qui cùm videantur quærere suorum auditorum salutem, & bene illis velle, suum tantùm commodum & lucellum spectant, cuius amore quiduis docent, quibuslibet se spe lucri accommodantes, vt nostra ætas in multis bene declarauit. Certè in tales bene quadrat hæc parabola, sicut & in aduocatos & procuratores, qui sine delectu causarum semper hinniunt, gaudent, & fautores se exhibent; cùm spes est consequẽdæ vtilitatis. Apud Ieremiam 5. etiam fit mentio equorum emissariorum, sed ibi adhibentur in cõparationem cum adulteris & libidinosis, qui ad alienas vxores ardore libidinis rapiuntur: hic verò adhibentur ad significandum fictam benevolẽtiam eorum qui suum quærunt commodum, & ob id quibuslibet sine discrimine arrident vbi spes est lucri.

7 Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole.

IN sequentibus Sapiens adductis quibusdam similitudinibus ostẽdere vult hominum distinctionem pendere ex prouidentia diuina, atque in eius ratione perscrutanda non oportere nos esse curiosos, sed in voluntate eius, quæ iniusta esse non potest, nobis esse acquiescendum. Habent autem Græca hunc primum versum longè aliter, sicut & in tota ista quæstione pertractanda, Græca lõgè sunt breuiora & clariora, cùm in nostra lectione quædam sint addita, quædam aliter versa: vnde sensus scriptoris nõ purè percipi possit. Sic enim hic est Græcis; Quare dies diẽ præcellit, & omne lumẽ diei anni à sole, scilicet est? Hoc est, qui fit vt vnus dies alio excellentior habeatur & sit, cũ omne lumen cuiuslibet diei totius anni ab eodẽ sole profi ciscatur? Dies autẽ excellẽtes, vocat dies festos in lege à Deo institutos; vt patet ex sequentibus, à quibus similitudine ducta vult ostẽdere, quòd quẽadmodũ ea dierũ distinctio, qua quidam festi habentur & sancti, alij profesti & prophani, non est ex diuersa dierum natura, quæ vna omnibus est, quia omnes suum lumen ab eodem sole sumunt, sed tantùm est ex Dei ordinata & iusta institutione ita similiter quòd inter homines vnam habentes originem quidam alios præcellant sanctitate & pietate, est ex Dei voluntate & beneplacito, qui quos vult eligit & euehit; quos vult reprobat & reiicit, atque in cõmuni sorte esse sinit. Nostra lectio intelligitur à commentatoribus de naturali dierum excellentia, qua scilicet quidam dies sunt alijs lõgiores, quia sequitur, & rursum lux lucem, & annus annum. Et intelligunt vnam lucem aliã superare, quia lux solis præcellit lucem lunę & stellarum, & vna stella differt ab altera in claritate: annum autem superare alium annum, vel quia annus solaris maior sit anno lunari, vel quia vnus annus altero sit fertilior. Verùm hæ intelligentiæ parum conueniunt ei rei, ad quam comprobandam similitudo à diebus hic adducitur. Probãdum enim est distinctionem hominum non esse ex hominum natura, sed ex electione & reiectione diuina. Ad quod ostẽdendum non conuenit ea distinctio dierum, lucis & annorum, quæ ex natura prouenit: sed optimè ea dierũ distinctio, quæ ex lege introducta est per Dei voluntatem & institutionem. Iam quod additur in nostra lectione, à sole, etiã obscuritatem habet, vnde quidam libri habent; & sol solem, intelligitúrque sol solem superare, quia idẽ sol seipsum superat, cùm quandoque longiores suo motu facit dies, quandoque breuiores, & diuersis modis influit in hæc inferiora. Sed legendum potius esse, à solè, Græca demonstrant. Et intelligit Rabanus significari, quòd dies diem superat, lux lucem, & annus annum à sole, hoc est, propter ascendentis & descendentis solis cursum. Magis accedetur ad sensum originalem, si, à sole, coniungatur cum dictione, annum, subaudiendo participium, factum, & sit sensus: cur annus superat annum à sole factũ, hoc est, cũ ab eodẽ sole annus omnis fiat, cur vnus annus aliũ superat? Sic illud, à sole, etiã potest referri ad partes præcedentes de die & luce, & significetur quæri cur dies diẽ à sole factũ superet, vt lux lucẽ, hoc est, vnde fit vt cùm omnis dies & lux à sole fiat, vna tamen dies & lux alteri præcellat. Et vt cum originali lectione & sensu nostra lectio conueniat, sicut quod dicitur de die diẽ superãre, intelligi potest de distinctione dierum secundùm legem: ita & quod dicitur de anno annum superãre, intelligetur de distinctione annorum secundùm legem, quia septimus annus in lege sanctior erat aliis, & similiter Iubileus, annus quinquagesimus. Ita similiter lux lucem secundùm legem superabat, quia inter celebritates quædam aliis erant celebriores & clariores. Sic enim accepta nostra lectio coincidet cum sensu Græcæ lectionis, proposito scriptoris maximè accommodo.

8 A Domini scientia separati sunt, facto sole, & præceptum custodiente per Dei sapientiam diuiduntur.

QVæ nos legimus in hac sententia, post illa verba: A Domini scientia separati sunt Græcis non sunt: imò & postrema illa verba; per Dei sapientiam diuiduntur; quædam scripta non habent, sicut nec Rabanus. Et Lyranus testatur ea non esse de textu, nec legenda esse, nec exponenda, ita vt certũ satis sit ea ex alia versione aut marginali annotatione in textum postea inserta esse. Respõdet ergo, separationẽ illam & distinctionem illam dierum non esse fortuitam & temerariam, sed esse factã à Dei scientia; vel, vt quidam libri habent cõformiter cum Græcis; in Dei scientia, hoc est, per Dei sapiẽtiam. Et si quidem de naturali dierum distinctione hic locus intelligatur, eius quod additur; facto sole & præceptum custodiente; sensus erit, quòd distinctio dierum facta est à Deo per hoc quod sol ab eo factus sit, qui præceptũ sibi à Deo datum semper custodit. Constitutum enim illi fuit ab initio, vt suo motu diem hominibus adduceret, eúmque inæqualem. At si de distinctione dierum hic locus intelligatur quæ per legem est introducta, sensus commodus erit, quòd cùm sol à Deo factus sit in initio, & is Dei statutum semper vniformiter custodiat, nõ à sole huiusmodi dierum distinctio videri potest profecta, sed facta est per Dei sapientiam, sic in lege ob certas causas prudenter ordinantis.

9 Et immutauit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam.

GRæca tantùm habẽt; Et immutauit tempora & festiuitates, hoc est, varia tempora & festiuitates varias esse dispositit. Sic ergo & nostra lectio accipi debet, vt significetur Deum varia tempora anni constituisse, quia eum in mẽses distinxit, & quatuor præcipuas, partes, Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem. Atque in his tẽporibus varios dies

festos disposuit,quos in illis téporibus Israelite celebrauerunt ad certam horam illis præscriptam.

10 *Ex ipsis exaltauit & magnificauit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum.*

PRo,magnificauit,Græcis est ἡγίασε,hoc est sanctificauit.Loquitur enim de diebus festis quos Deus sanctificasse dicitur, quia ab aliis diebus seperatos sacris addixit actionibus.Sensus ergo est:quòd Deus ex ipsis diebus, hoc est,quosdam dierum exaltauit præ aliis, & excellentiores atque sanctiores esse voluit:rursum ex ipsis,hoc est,quosdam illorum voluit esse communes,& in reliquorum dierum numerum computatos, ita vt nihil haberēt præcellentiæ.Quorsum autem hæc dicantur,subiungendo ostendit.

11 *Et omnes homines de solo & ex terra unde creatus est Adam.*

12 *In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos & immutauit uias illorum.*

OStendit omnino simile esse in hominibus, cum eo quod dixit esse in diebus singulis, quæ de diebus dicta sunt,adaptans quòd in hominibus correspondet,significare volēs quòd quemadmodum omnes dies ab vno eodémque sole originem habent:ita etiam omnes homines ab eadem terra & eodem protoplasto à terra creato suam habent originem,ita vt origine non differant.Sed sicut Dei sapienti dispositione factum est, vt inter dies natura & origine pares,quidā aliis essent excellentiores:ita etiam per multitudinem disciplinæ,hoc est,scientiæ & sapientiæ suæ (Græcis enim est ἐπιστήμης, hoc est, scientiæ) Deus distinctionem fecit inter homines, & immutauit vias eorū, hoc est,fecit vt diuersa essent studia eorū:& quidam quidem virtutem sequerentur,alij in corruptione relicti Deo ipsos derelinquente vitiis & erroribus inuoluerentur. Id declarat magis in sequentibus.

13 *Ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit & ad se applicauit.*

14 *Et ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos à separatione ipsorum.*

SIcut, inquit,quòsdam dies extulit & sanctificauit, quosdam cōmunes esse voluit & prophanos:ita etiam quosdam hominum singulariter elegit, beneficiisque suis peculiaribus & donis affecit,cósque ab aliis separando sanctificauit sibi, & sibi familiariter coniunxit, quosdam reiecit & execratus est, atque viles habuit. Nam & à principio mūdi quosdam ad gloriā prædestinauit, quosdam reprobauit,& mox à peccato Adę distinctionem aliquā fecit inter homines,semen Seth eligens,semen verò Cain reiiciens : vnde ex Seth nati,dicuntur filij Dei:ex Cain nati, dicuntur filij hominum.Et post diluuium rursum distinctionem fecit, semini Sem benedicens, semini verò Cham maledicens:& in confusione Babylonica seruans in progenie Heber primordialem linguam, aliis per linguarum varietatem dispersis & separatis ab inuicem. Et tandem Abraham ex omnibus gentibus elegit, & in eius filiis semen Iacob peculiariter sibi in suum populum delegit, reliquis gentibus reiectis, & sub maledicto relictis. Atque ad hæc peculiariter videtur Sapiens respexisse,dum quosdā dicit Deum benedixisse,quosdam maledixisse:vt quæ dicuntur primo versu, pertineant ad Israelitas omnes, quanquam quod dicitur in secunda parte ex ipsis sanctificauit, &c. quidam non malè referant ad Leuitas, quos Deus in populo Israelitico sibi sanctificauit, & applicauit ad se,vt sibi peculiariter pro toto populo seruirēt. Quod autem nos habemus,& conuertit illos à separatione ipsorū; Græcè est, καὶ ἀνέστρεψεν αὐτοὺς ἀπὸ στάσεως αὐτῶν, quod sic ferè vertitur; & subuertit illos à stationibus ipsorum, hoc est, ab omnibus & statu ipsorum. Nam dictio στάσις, stationem, statum, & ordinem significat.Itaq; significatur Deum, eos quos reiicere voluit à statu suo dimouisse,potentes deponendo de sede, vt patuit in Cananæis. Eadem tamen dictio etiam significat seditionem : atque ad eam significationem videtur respexisse noster interpres vertendo ; à separatione eorum. Potest autem nostra lectio, quæ in hac parte obscura est, conuenienter sic accipi , vt significetur Deus post separationem illorum, vel propter separationem illorum conuertisse illos à se,hoc est permisisse vt se relicto alios deos sequerentur.Sic enim respondet ei parti qua prius dicitur quosdam applicuisse ad se. Sūt quædam scripta quæ habent; Conuertit illos ad separationem ipsorum ; & haberet ea lectio sensum commodiorem, verùm aliam lectionem præferēdam esse Græca demonstrant, vt patuit. Cauendum autem hic est, ne cùm Sapiens hic dicit Deum quosdam hominum maledixisse & humiliasse,putetur significasse homines quosdam ex sua creatione à Deo maledictos, ipsósque à principio sub maledictione creatos, cùm prius dixerit in genere de homine, quòd creauerit Deus illum rectum. Sed insinuat distinctionem hominum quę post peccatum facta est, post quod Deus sua misericordia ex cōmuni massa humani generis quosdam elegit, & ab aliis separauit, vocando eos, iustificando & glorificando:quosdam iusto iudicio in cōmuni perditionis massa reliquit,gratiámque suam illis non appo suit, vnde factum est vt in grauiores errores & peccata magis magísque semper prolaberentur. Ideóque ad huiusmodi distinctionem significādam bene assumpsit legalem distinctionē dierum, qui cùm prius omnes inter se essent eiusdem conditionis , vt nullus altero esset celebrior & sanctior , ita per legis cōstitutionem sunt distincti,vt quidam inciperent esse sanctiores & celebriores,reliquis in pristino suo statu & qualitate relictis.

15 *Quasi lutū in manu figuli plasmare illud, & disponere omnes uiæ eius secundùm dispositionem eius.*

16 *Sic homo in manu illius qui se fecit, & reddet illi secundùm iudicium suum.*

ALiam iam adhibet similitudinē Sapiēs ad ostēdendum idem quod prius,nempe Deum pro sua sapiētia & voluntate quosdam eligere , & alios reprobare,nec ob id illum reprehendi posse quasi iniquum.Est autē hæc similitudo desumpta ex Isaiæ cap.45. & Iere. cap.18. ex quibus locis etiam Paulus Rom.cap.9. similitudinē assumpsit ad ostendendum idem quod hic agitur, irreprehensibilem scilicet esse eam hominum distinctionem , qua quosdam Deus elegit & diligit, quosdam indurat & abiicit, eiúsque distinctionis causam esse Dei voluntatem,quę iniusta esse non potest. Sicut , inquit, lutum est in manu figuli ad fingendum illud & disponendum,omnésque figuli actiones & studia , quæ ipse varia sectatur in fingendo luto, dum ex vno eodémq; luto effingit vnum vas ad honestum vsum , alterum ad inhonestum, pendent ex dispositione eius & beneplacito,ita vt eius diuersitatis nulla ratio alia quæratur : ita homo est in manu eius qui ipsum ex luto terræ fecit , & dabit vnicuique secundùm quod apud se iudicat esse dandum & faciendum. Verbum enim , reddet, videtur hic accipiendum pro suo simplici, dabit, quia no agitur hic de his quæ dantur pro hominum merito , sed de his quæ tantùm pendent ex beneplacito Dei, electione scilicet quorundam , & aliorum reprobatione. Dicitur ergo , quòd dabit vnicuique secundùm iudicium suum, quia iusto, etsi occulto,Dei iudicio fit vt vni detur bona mens & voluntas, alteri non detur.

17 *Contra malum bonum est, & contra mortem uita: sic & contra uirum iustum peccator.*

18 *Et sic intuere in omnia opera altissimi,duo & duo, & unum contra unum.*

PRimùm hic notandum, insigne in posteriori sententia irrepsisse vitio scriptorum mendum, quod in omnibus penè codicibus obtinuit,& sensum genuinū tollit. Nō enim legendum est;duo contra duo;sed sine,contra,duo duo;quomodo Græca habent,vel,vt Rabanus legit,duo & duo;quomodo & quædam scripta habebant,licet pauciora. Ex tribus manuscriptis Bibliis , quæ exhibuit Abbas Tongerlensis , vnum habuit , duo duo: vnum;duo & duo.D.August.lib.11.de Ciuit. Dei cap.18. vbi totum hunc locum citat, legit;bina & bina. Vt certum sit mēdosè apud nos legi;duo contra duo.Non enim Sapiens significare voluit vbique in operibus Dei inueniri duo contra duo , sed vbique inueniri diuersa paria, inter quæ vnum sit alteri contrarium. Itaque his iam sententiis vult indicare nō esse singulare in hominibus vt in eis inueniatur distinctio bonorum & malorum. Huiusmodi enim distinctionem & rerū contrarietatem vbique inueniri, eámque facere ad ornatum vniuersi,& decorem operū Dei vt cōtraria iuxta se posita sese magis prodāt & ostentent. Ad hæc enim significanda ista hic dici ostendit satis D.August.loco prædicto,sic scribēs:Neque enim Deus vllum non dico angelorum , sed vel hominum creasset quem malum futurū esse præsciisset , nisi pariter nosset quibus eos bonorū vsibus commodaret,atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdā antithetis honestaret. Et post quædā: Sicut ergo ista cōtraria contrariis opposita, sermonibus pulchritudinē reddunt:ita quadam non verborū sed rerum eloquētia contrariorum oppositione , sæculi pulchritudo cōponitur. Apertissimè hoc positū est in lib. Ecclesiastici hoc verbo:Cōtra malū bonum est,& cōtra mortem vita:sic cōtra pium peccator.Et sic intuere in omnia opera altissimi, bina & bina , vnum contra vnum. Hæc ille. Cùm ergo prius Sapiens à Dei beneplacito pēdere dixerit hominum distinctionem,hic iam insinuat eius volūtatis diuinæ cōgruentem aliquā causam,quemadmodum & Paulus disputans similiter de electione & reprobatione quorundam similem insinuat rationem,cùm dicit:Quod si Deus volens ostendere iram; & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum,vt ostēderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriā. Significatur ergo fuisse conueniens vt inter homines ea esset distinctio,vt contra iustum esset peccator , vt sicut in omnibus aliis rebus inuenitur contrarietas quæ ad decorum facit vniuersitatis:ita etiam in hominibus,vt in iustis scilicet reluceret insigniter Dei bonitas & misericordia,in malis verò Dei seueritas & iustitia. Rom.9.

19 *Et ego nouissimus euigilaui , & quasi qui colligit racimos post uindemiatores.*

20 *In benedictione Dei & ipse sperauit , & quasi qui uindemiat,repleui torcular.*

DIxit superius Deum quosdā hominum benedixisse & extulisse , notās Israelitas , & in eis peculiariter patriarchas & prophetas;post hos ergo iam dicit etiā se benedictionem Dei assecutū, per quam post prophetas colligit in hoc libro vtiles sententias pleraſque , ad aquarū lectioné vt excitaret, has interponit sententias,quibus lectori suū cōmendat studium & laborem, significās se post prophetas,cùm iā aliquādiu nemo scripsisset,tandem velut somno depulso excitatum esse ad scribēdum,& se quędam ab aliis relicta collegisse,atq; in cōmune contulisse: quemadmodum qui racinos colligit post vindemiatores:se humiliter cōparans collectori racinorum , prophetas verò vindemiatoribus,qui primi & plenis cordibus vuas in torcular comportār.Quod autē fecit,significat se non præsumptuosè fecisse , sed ex spe benedictionis diuinæ:qua factum est,vt nō solùm instar collectoris racinorū paucas vuas in torcular detulerit, sed etiam instar vindemiatoris impleuerit torcular, hoc est,varias, multiplices, & omnis generis sentētias conscripserit prolixè, vnde vinum salutaris sapientiæ mentem inebrians exprimi abundè & hauriri possit.Vnde & repetit rursum eam sententiam quam superius posuit. supr. cap. 24.

21 *Respicite quoniam non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus disciplinam.*

HViusmodi enim sententias adhortatorias sæpius & hic, & Salomõ in Prouerbiis interponit, vt sæpius auditor excitetur, & attẽtior reddatur. Itaq; etiã adhuc addit:

22 *Audite me magnati & omnes populi, rectores ecclesiæ auribus percipite.*

GRæcis non est ea pars; & omnes populi; ita vt tantùm sit sermo ad magnates & rectores alicuius ecclesiæ, hoc est, congregationis vel reipublicæ, vnde quidam declarat in commentariis suis se legisse, magnati, vel magnates omnes populi, vt, populi, sit genitiui casus. Ceterùm magnates vel solùm vel potissimùm admonet, quemadmodum & Sapiens, Sapien. 6. cap. Reges & multitudinis rectores ad audiendum commonet, quòd ad illos imprimis pertineat rerum agẽdarũ cognitio, quam & ipsi primi factis exhibere debent, & alios etiam verbis & legibus constitutis docere. Sic enim hæc admonitio interposita est, vt & ad præcedẽtia pertineat & ad sequẽtia, in quibus subiicit mox præcepta quædam domestica, filios, propinquos & seruos concernentia.

23 *Filio & mulieri, fratri & amico nõ des potestatem super te in uita tua, & non dederis alij possessionẽ tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis.*

PRo, mulieri, magis conuenisset hic verti, vxori, quia γυναικὶ vtrunque significat. Est autem hæc sententia satis aperta, in qua Sapiens admonet patremfamiliâs, vt in suis bonis ac fortunis dominium retineat quoad viuet, nec ius suum ante mortem in alios trãsferat, sua bona à se alienando: contra quàm quidam faciunt, qui in gratiam vel filiorum vel amicorum, dum eos admodum diligunt, sua illis ante mortem tradunt bona & possessiones, illis per hoc potestatem super se dantes, cùm ab eis pendere cogantur, & deprecari nonnunquam pro illis bonis consequendis quæ prius pleno iure possederant. Potest autẽ quod in prima parte dicitur; ne des potestatem super te; generaliter accipi, vt significetur ne paterfamiliâs sinat quouis modo illos dominari sibi, quos oportet sibi subditos habere aut tanquam equales, vt secũda parte explicetur vna species dãdi aliis potestatem supra se, cum dicitur; nec dederis alij possessionem tuam. Aut potest quod prima parte dicitur accipi, vt idem sit cũ sequenti parte, & per eã exponatur, vt tantùm hic prohibeatur bonorũ vita durante translatio, quod & in sequentibus inculcatur:

24 *Dum adhuc superes & adspiras, non immutabit te omnis caro.*

25 *Melius est enim ut filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.*

EXponit clarius quod prius dixit, subiiciens: Dum adhuc superes & adspiras, hoc est, quandiu viuis, & flatus vitæ est in te, non immutabit te omnis caro, hoc est, non sines vt quisquam quantumuis tibi amicus & carus te dimoueat à proposito seruandi tibi tua tempore vitæ tuæ. Et subiicit rationem claram & efficacem, postquam adiicit generalem monitionem.

26 *In omnibus operibus tuis præcellens esto, ne dederis maculam in gloriam tuam.*

PRo, præcellens, Græcis est, ὑπεράγων, hoc est, excellens & superans, & pro; in gloriam tuam; est, ἐν τῇ δόξῃ σου, in gloria tua, quomodo etiam quædam nostra scripta habent. Itaque sensus est; tene principatũ in omnibus operibus & rebus tuis, nec sinas vt in rebus quę tuo labore peperisti, aliquis supra te ius habeat, ne aliqua labe aspergas gloriam tuam, quia insipientiæ argueris, si alios tibi tuísque rebus dominari permiseris, quasi nõ possis ipse tua bene administrare & curare. Nam, vt habet Cicero de Senectute, patribus malè rem gerentibus aut desipientibus, solet bonis interdici. Potest etiam intelligi significari vt quis in omnibus quæ agere debet præcipuum se præstet, nec aliis potissimùm committat quę gerenda sunt, aut alieno omnia gerat arbitrio, aut vt in agendis agilem & alacrem se præbeat, & non torpidum nec tepidum. Sed prior sensus proposito magis conuenit.

27 *In die consummationis dierum uitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.*

DIxit quando non est alienanda hæreditas, nunc dicit quãdo alienãda, & quomodo. Instante enim morte tunc est opportuna hæreditatis ad alios trãslatio, idque faciendum est per legitimam distributionem, qua cuique sua portio attribuatur, ad lites cauendas, aut per testamentariam dispositionem, qua amicis & pauperibus prouideatur. Cæterùm locus iste totus non est cõtrarius Euangelio, consulenti vt quis omnibus diuẽditis & in pauperes distributis sequatur nudum Christum. Sapiens enim hoc loco tantùm communia prudentiæ præcepta tradit, docens quid communi hominum vitæ conueniat, non autem cõcludens perfectionem Dei nomine susceptam, quæ illo tempore necdum proponebatur vulgo.

28 *Cibaria & uirga & onus asino, panis & disciplina & opus seruo.*

DIxerat quomodo paterfamiliâs se gerere debeat erga filios, vxores, & amicos: nunc docet quomodo se habeat erga seruos, indicãs quæ seueritas in eos sit adhibẽda, & quæ humanitas. Primùm ergo indicat eos regendos instar asinorum, proinde cum his illos comparat, tria asino tribuens, & similiter tria seruo. Pro dictione, cibaria, Græcis est, χορτάσματα, quod non quæuis cibaria significat, sed pabula fœni, à χόρτος, fœnũ. Pro fœnatione ergo quæ asino debetur, tribuitur seruo panis, hoc est, cibus necessarius & non

non delicatus. Pro virga quæ asino debetur, tribuitur seruo disciplina, hoc est, castigatio & correptio. Pro onere quo grauantur asini, tribuitur seruo opus, quo premendus est, & in officio cõtinendus. Sensus ergo est: Sicut fœnatio & virga & onus conuenit asino: sic panis & disciplina & opus seruo. & Aristot. scribit seruis deberi ἔργα, κόλασιν, καὶ τροφήν.

29 *Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem.*

PRo; operatur; constanter Græca habent ἐργάσαι, hoc est operare, sed in his quæ sequuntur quidam codices habent, vt noster legit, ἐν παιδείᾳ, καὶ ζητήσει, hoc est, in disciplina, & quæret: alij habent, ἐν παιδί, καὶ εὑρήσεις, vt sit sensus: operare in seruo, & inuenies requiem. Iuxta quam lectionem pulchra est partium oppositio, qua significatur Dominum quietem sibi inuenturum, si seruo opus imposuerit, & per illum operatus fuerit: contrà, si ei otium permiserit, illum non fore contentum eo beneficio, sed quæsiturum vlterius libertatem, & per otium cogitaturum quomodo se vindicet in libertatem, & proinde Domino allaturum molestias & inquietudinem. Nostra lectio conditionem seruorum describit, videlicet quòd per disciplinam & castigationem adigantur ad opera, quærunt requiescere ab operibus conquerentes se nimium grauari, si otium eis permittatur, quærunt vlterius etiam libertatem, non contenti petita relaxatione. Significatur ergo non tam attendendum ad eorum petitiones, quàm ad id quod pro eorum conditione eis conuenit imponere. Potest & sic intelligi: Seruus quamdiu disciplinæ subditur, & sub virga tenetur, agit quæ ei iniunguntur, & nihil aliud cogitat quàm vt post labores requiescat, nihil cogitans de rebellione. Si verò ei manus laxaueris ab opere, cogitabit per otium omnino euadere iugum seruitutis.

30 *Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ: seruo maleuolo tortura & compedes.*

GRæcis non est illa pars; & seruum inclinant operationes assiduæ. Itaque sensus illis est: Sicut iugum & lorum impositum duro collo iumentorum curuant illum, & subiiciunt hominis voluntati: ita tormenta & compedes conueniunt seruo maleuolo, vt per ea subigatur, dum quietem quærit, & libertatem molitur vendicare. Nostra lectio indicat, quòd quemadmodum iumentorum dura colla subiugãtur iugo & loro: ita serui duritiam imprimis frangunt assidua opera: deinde si hæc non satis eum frangunt, aut si hæc detractet subire, conuenit vt etiam tormentis & compedibus frangatur. Quod in sequentibus clarè prosequitur.

31 *Mitte illum in operationem, ne uacet: multam enim malitiam docuit otiositas.*

32 *In opera constitue illum, sic enim condecet illum: quòd si non obaudierit, curua eum compedibus.*

DVas affert causas ob quas seruo sint opera imponenda, videlicet tum quòd conueniant officio & conditioni eius, tum quòd otium multorum malorũ sit causa & mater. Ob quas causas etiam omnes homines, qui quamdiu sunt in hac vita, se seruos Dei reputare debent, laboribus & bonis occupationibus se subiicere oportet: imò quæ hic contra seruos tardos & rebelles dicuntur, accommodanda etiam sunt contra carnem propriam, quæ vt spiritui, prout debet, melius seruiat, nec ei reluctetur nimium, cohibẽda est laboribus, disciplina pœnitentiæ, & abstinentia.

33 *Et non amplifices super omnem carnem, uerùm sine iudicio nihil facias graue.*

SEntentiam hanc sic esse distinguendam, non autem, vt communiter fit, priorem partem superioribus iungendam, satis patet ex Græcis, quæ habent: καὶ μὴ περισσεύσῃς πάσῃ σαρκί, hoc est, non sis nimius omni carni. Sẽsus ergo est: Quanquam dixi seruum operibus & tormẽtis frangendum, videndum tamen ne in cuiusque carnẽ nimius sis, & modum excedas, sed vbique discretionẽ adhibeas, ne herili potestate abutaris, nec quicquam graue in seruis committas sine iusto rationis iudicio, ita vt nec nimiis eos graues operibus, nec tormenta quæ merentur modum excedant: ideóque carnis meminit, vt moneat attendere carnis fragilitatem & naturæ consortium, quãquam etiam ad bestias referri potest quod dicit; super omnẽ carnẽ; quia & à iumentis abesse debet crudelitas.

34 *Si est tibi seruus, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ comparasti eum.*

MVlti legunt; si est tibi seruus fidelis; intelligentes iam docere quid agendum sit cum seruo fideli, postquam dictum est quomodo tractandus sit seruus maleuolus. Verùm adiectiuũ, fidelis, sicut non est Græcis, ita nec impressa quædam Biblia iam habent: quædã scripta cum Rabano habẽt; seruus bonus; quædam verò, sicut suprà cap. 7. seruus sensatus: ita vt hæc varietas satis demonstret interpretem tantùm vertisse; Si est tibi seruus. Non enim iam agitur de aliis seruis quàm de quibus iam dictũ est, sed prosequitur Sapiens quod dixit nihil graue agendum in seruis sine iudicio, & postquã ostendit quali seueritate, cùm opus est, agendum sit cũ seruis, mitigando consultam seueritatem, ostendit etiam quæ moderatio & cura illis sit impẽdenda. Sit, inquit, tibi quasi anima tua, vel, vt quædam habent Græca, sit tibi vt tu, hoc est, curam eius habe sicut tuiipsius, tracta eum non tanquam beluam, aut tanquam alienum, sed tanquam fratrem, agnoscens scilicet illum eiusdem tecum naturæ consortem, ac communem in cœlis habere partẽ; item agnoscens eum in vnam tecum

eum familiam aſcitum,cuius ope egeas, & à quo iuuari poſſis non minus quàm à fratre tuo. Quod autem ſequitur; Quoniam in ſanguine animæ comparaſti eum; cùm obſcurum ſatis ſit, & variis modis exponatur, dupliciter potiſſimũ accipi poteſt. Altero modo, vt ſit ſenſus: Comparaſti eum tibi non tanquam beluam, ſed tanquam ſanguinem animę tuæ, hoc eſt, tanquam tibi conſanguineum, eiuſdémque tecum naturæ ſanguinis conſortem. Altero modo, vt ſit ſenſus: Comparaſti eum tibi, vt eſſet tibi loco ſanguinis in quo vita continetur, hoc eſt, tãquam eum qui vitam tuam tueretur ſuo labore & defenſione. Græca enim, præterquã quòd primo loco habent; quoniam in ſanguine comparaſti eum; ſecundo loco habent; quoniam veluti eſſet anima tua, indigebis eo.

35 *Si læſeris eum iniuſtè, in fugam conuertetur: & ſi extollens diſceſſerit, quem quæras, & in qua uia quæras illum, neſcis.*

GRæcis breuius eſt; Si afflixeris eum iniuſtè, & leuans (ſcilicet ſe) aufugerit, in qua via quæres illum? Alteram ſubiungit rationem, quæ ad moderationem ſeruo adhibendam inducit, nempe ad vitandum moleſtias, irriſiones & damna, in quæ facilè incidit qui iniurius eſt, & crudelis eſt in ſeruos ſuos, dum illi pertæſi iniuriæ ſibi illatæ, fuga ſibi ita cautè conſulunt, vt qua via quæri debeant ignoretur, nec ſit qui de eorum fuga rogari poſſit, aut qui rogatus fugientem ſeruum, ſed iniquè tractatum, demonſtrare velit. Pro; extollens diſceſſerit; Græcis eſt, ἀνάρας ἀποδράσῃ, hoc eſt, tollens ſe vel diſcedens aufugerit. Et quædam ſcripta non habent, extollens, ſed tollens, vt ſubaudiatur, ſe, non autem bona & facultates. Primo loco verbum, quæras, poſitum videtur pro, interroges: ſecundo loco pro, inquiras.

Caput XXXIIII.

1 *Vana ſpes & mendacium uiro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentes.*

PRINCIPIO huius capitis Sapiens inſectatur vanitatem eorum, qui rebus inanibus & falſis, vt ſomniis, & aliarum ſignificationum diuinationibus, nimis fidunt, docens non his attendere rebus, ſed potius legi Dei, & prudẽtiam hominum doctrinæ, cui ſolida ineſt veritas. Pro; vana ſpes & mendacium; eſt Græcis, κεναὶ αἱ ἐλπίδες καὶ ψευδεῖς, hoc eſt, vanæ ſpes & mẽdaces, ſcilicet ſunt. Pro, extollunt, eſt Græcis, ἀναπτεροῦσιν, hoc eſt, alatos faciunt, vel volare faciunt: quo ſignificatur quòd ſomnia imprudentes erigunt in vanas cogitationes atque ſpes, eóſque ſublimes efferunt. proinde bene vertit interpres, extollunt, & eſt ſenſus: Viro imprudenti eſt vana ſpes atque mendacium, hoc eſt, vir inſipiens habet ſpem vanam atque mendacium, hoc eſt, talem ſpem quæ illi imponet, eúmque fallet, atque fruſtrabitur. Nititur enim vanis & caducis huius mundi bonis, fœlicitatem ſibi in illis promittens, deinde & credit atque confidit vanis rerum quarundam ſignificationibus, quia etiam ſomnia, quæ ſunt res vaniſſimæ, efferũt eos, faciũtque vt de ſeipſis magna concipiant, ſibique multa promittant. Nam ob ea aut ſe prudentes ſanctóſque iudicant, qui digni ſint reuelationibus diuinis, aut ex eis ſibi fœlices euentus aliquos promittunt. Quàm autem hoc vanum ſit, ſequens explicat parabola:

2 *Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur uentum: ſic & qui attendit ad uiſa mendacia.*

PRo, viſa mendacia, eſt quemadmodum verſu præcedenti, ἐνυπνίοις, hoc eſt, inſomniis, quæ noſter vocat bene, viſa mendacia, quia ſunt figmenta apparentia in viſione imaginaria. Hæc vt bene vmbræ & vento comparantur ob earum inanitatem, ita qui his attendit ita vt ea magnifaciat, & in eis ſpem ſuam collocet, rectè comparatur ei qui tentat & conatur manu comprehendere vmbram, aut perſequitur ventum, vt eum apprehendat & concludat, quia ſicut iſte res vanas ſectatur, quæque ſectãtem fugiunt & fallunt, & ob id ſtultè in eis rebus operam ſuam impendit, ridiculúmque ſe facit: ita & qui attendit inſomniis, ſectatur quod vaniſſimum eſt, & vnde falletur cum omnium irriſione.

3 *Hoc ſecundùm hoc uiſio ſomniorum, ante faciem hominis ſimilitudo.*

HIc verſus corruptè admodum à plerisque, & diſtinguitur, & legitur. Nam ſic ferè legitur; Secundùm hoc (vel ſecundùm hæc) viſio ſomniorum, ante faciem hominis ſimilitudo alterius hominis. Et prior pars ferè iungitur præcedentibus, & à ſequenti ſeparatur. At legendũ eſſe, hoc ſecũdùm hoc; patet ex Græcis, quæ habent, τοῦτο κατὰ τοῦτο, hoc ſecũdùm vel iuxta hoc, vnde etiã patet hãc partem iungendam cùm ſequenti quæ eam explicat. Nec addẽdum eſt nomen, alterius, quod Græcis non eſt, & deletum erat in quibuſdam ſcriptis, & additum genuinum ſenſum tollit, quem Græca declarãt lõgè alium eſſe quàm à noſtris intelligitur. habẽt enim ad verbũ ſic: Hoc iuxta hoc viſio ſomniorũ, è regione faciei ſimilitudo faciei. Quo ſignificatur, viſionem quæ in ſomnis apparet eſſe, veluti cùm hoc iuxta hoc ponitur, hoc eſt, cùm ante faciem hominis ponitur ſimilitudo ipſius in ſpeculo vel in aqua. Pulcherrima ergo ſimilitudine ſignificatur, & quid ſit viſio ſomniorum, & quàm ſit res vana cui fidendum non ſit. Sicut enim relucens in ſpeculo ſimilitudo hominis, nõ eſt ſubſtãtia aliqua diſtincta à re cui opponitur, ſicut tamen pueris & ſtultis videtur, ſed tãtùm eſt ſimilitudo eius reſultans ex ſpeciebus in ſpeculo collectis: ita quod in ſomnis ferè apparet, nõ eſt res aliqua ſolida & extra hominem ſubſiſtens,

ſtens, ſed ſimilitudo rerum, veluti in ſpeculo homini oppoſita reſultans ex ſpeciebus hærentibus in phantaſia, & in ea miro modo collectis. Proinde ſicut ſtultum eſt & vanum magnificare vultum in ſpeculo relucentem, ita quoque vanum eſt magnifacere viſiones in ſomnis apparentes, quando illæ naturali modo & ordine à phantaſia inaniter confinguntur. Notandum autem Germanicam æditionem habere, τοῦτο κατὰ τούτου, per genitiuum, hoc eſt, hoc è regione huius; quod melius reſpondet ei quod in ſecunda parte dicitur, κατέναντι προσώπου, è regione faciei. Alij tamen legunt ſicut noſtrr legit, τοῦτο κατὰ τοῦτο, hoc ſecundùm hoc, & redit eòdem ſi præpoſitio, ſecundùm, accipiatur pro iuxta.

4 *Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid uerum dicetur?*

PRo, à mendace, Græcè eſt, ἀπὸ ψευδοῦς, qui genitiuus etſi poſſit eſſe ab adiectiuo, ψευδής, quod mendacem ſignificat, ſicut noſter accepit, poteſt etiam eſſe à ſubſtantiuo, ψεῦδος, quod mendacium & rem falſam ſignificat. Atque ea ſignificatio huic loco magis conuenit. Oſtẽdit enim ſuperius ſomnia eſſe rem falſam & mendacium. Itaque iam docet à talibus nihil quod verum eſt expectandum eſſe, quia ſicut ab immundo fruſtra quæritur mundicies: ita à falſo fruſtra veritas expectatur: per cõparationem enim hæc ſententia eſt accipienda, & per immundum non tantùm homo immundus eſt accipiendus, ſed omnis res immunda, vt ſit neutrum, non maſculinum. Quem ſenſum & noſtra lectio habebit, ſi ablatiuus, mendace, accipiatur etiam in neutro genere, non pro homine mendace, ſed pro re mentiente & fallente, quæ nihil verum dicere, hoc eſt, ſignificare poteſt. Senſus ergo erit: Sicut à re immunda nihil mundari poteſt, ſed potius conſpurcari: ita à re falſa nihil veri ſignificari poteſt, ſed potius ab ea re non niſi deceptio expectãda eſt. Quòd ſi nomine immũdi & mendacis hic ſignificetur perſona immunda & mendax, accipienda eſt hæc ſententia tanquam dicta contra eos qui dæmones, augures, ſomniorũ coniectores, & quoſcunque diuinatores conſulunt, veritatem ab eis diſcere cupientes, cùm ab eis qui profeſſione ſua ſectantur vana, veritas non ſit quęrenda. Non quòd diabolus mẽdax, & eius ſequaces homines mẽdaces nunquam dicant quæ vera ſunt, ſed quòd omnia eorum dicta ſuſpecta eſſe debeãt, dum ſecundùm falſam eorum artem quid proferunt, quia diabolus etiã dum vera dicit, fallere ſtudet. hoc enim agit vt mẽdaciis ſuis fidem faciat. Iam quod dicitur; Ab immũdo quid mundabitur; non arguit ab immundis ſacerdotibus per ſacramenta munditiem animæ percipi non poſſe. Ea enim non percipitur ab illis tãquam eius authoribus, ſed à Deo per illorum miniſterium. Hic verò aliud non ſignificatur, quàm quod ab immũdo expectari nõ poſſit mundicies, ita vt ab illo originẽ accipiat. At prior intelligentia vt eſt ſimplicior, ita etiam ſequentibus magis conuenit.

5 *Diuinatio erroris, & auguria mendacia & ſomnia maleſacientium uanitas eſt: & ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur.*

TRia iam dicit æquè vana eſſe, in quibus ſtultè homines cõfidere ſolent, ſcilicet diuinatio erroris, hoc eſt, erronea, quando ſcilicet petũtur à dæmonibus oracula & reſponſa de abſcõditis & futuris rebus; Auguria mendacia, hoc eſt, fallacia & deceptoria, cùm ex auium garritu & volatu futurorum euentuum quæritur cognitio: Et ſomnia maleſaciẽtium, hoc eſt, hominũ peccatorum & impiorum, qui Deum deſerentes vanis ſomniis addicti ſunt. Quod ſequitur; Et ſicut parturientis, &c. quod præcedentibus iungendum eſſe Gręca docẽt, ſignificat per illa iam dicta fieri vt quiſquis illis attẽdit, graues, moleſtas & ſtultas patiatur in animo ſuo phãtaſias, ſicut cor parturiẽtis mulieris cũ magno dolore patitur animi deliria, per quæ ſtulta multa loquitur, & extra ſe rapitur. Itaq; hac parte valde exaggerat vanitatem accedentium illis vanis, vt qui ex vanis illis rebus & leuiſſimis tam graue ſibi onus aſſumãt, quod inſtar parturiẽtis eos grauet, cruciet & alienet. Quod autem dicitur in ſecũda perſona; cor tuum; ſub ſecunda perſona alloquitur vnumquẽque illis attẽdentem. Quod hic dicitur de his qui intẽdunt illis tribus vanis rebus, locũ etiam habet in omnibus qui errores ſectantur, hęreticis maximè: qui dum erroribus intendunt, per illos in magnã capitis inducũtur vertiginem, animíque graues patiuntur cruciatus & conſcientiæ tormina, ita vt triſtes & cogitabundi incedunt, quemadmodum experientia docet: Dominus enim miſcuit in medio eorũ ſpiritũ vertiginis; vt dicit propheta Iſa. cap. 19. Cæterũ ſimilitudo quæ de parturiẽte hic adhibetur, poteſt accipi vt tantùm ad inſomnia pertineat, de quibus ſolis etiã mox ſubiungitur. Itaque ſimilitudo in eo ſita erit, quòd quẽadmodum parturiens onere grauatur & fructus & phãtaſmatũ: ita qui inſomniis occupatur, cõcepto onere phãtaſmatum grauatur & angitur intra ſe; atq; inſtar parturiẽtis rem conceptam velle videtur ædere & eniti, cùm alioqui res qua grauatur ſit leuiſſima & vaniſſima. Propter inſomnia enim iſtud de parturiente hic adductũ eſſe videtur ex ſequenti ſententia.

6 *Niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa uiſitatio, ne dederis in illis cor tuum.*

7 *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.*

MOnet vt, quãdoquidam vana, vt in plurimũ ſunt inſomnia, eis cor nõ accommodatur, ita ſcilicet vt ea magnifaciamus, & de eorum ſignificatione ſoliciti ſimus, & ob ea vel triſtes ſimus metu malorum, vel læti ſimus ſpe fœlicitatis. Excipit autem ea inſomnia, quæ Deo viſitante hominem, immiſſa fuerint, & per quæ Deus ſigularem emittit

emittit homini visitationem, in quibus semper apparent peculiares quædam notæ veritatis authoritatisque diuinæ, vt dubitare vix liceat quin à Deo profecta fuerint. Quo ex genere sunt somnia quædam sanctorum hominum, aut etiam principum quorundam, in sacris literis commemorata, euentúque rerum maximarum comprobata. De varietate somniorum & quomodo dignoscantur quæ Deo immittente fiunt, prolixius tractat diuus Gregorius lib.4.Dialogorum cap. 48. & 49.vbi & citat hunc locum. Multos errare fecerunt somnia; & per exemplum declarat de quodam sibi noto, qui cùm somnia vehemẽter attenderet, ei per somnium longa vitæ huius spatia promissa sunt: cúmque ob id multas pecunias collegisset, repentè defunctus est omnibus hic bonis relictis.
Leuit. 17 Hinc & Dominus vetat apud Moysen: Non augurabimini, nec obseruabitis somnia, cõiungens ibi duo illa quæ & hic coniunguntur, eáque coniunctione insinuans, vt annotauit diuus Gregorius, quàm detestanda sit somniorum obseruatio, quæ auguriis cõiungitur. In somniis enim & est naturalis vanitas, & accedit diabolica sæpe illusio, maximè in eis qui obseruationi somniorum sunt addicti.

8 *Sine mendacio consummabitur uerbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.*

DIxit quibus non sit attẽdendum pro veritate cognoscenda, nunc contrà docet quibus sit attendendum, nempe legi diuinæ, & sapientum doctrinæ, quemadmodum & Isaias propheta Iudæos à diuinationibus reuocat ad testimonium legis: Cùm, inquit, díxerint ad vos: Quærite à Pythonibus
Isaiæ 8. & à diuinis qui stridենt in incantationibus suis: Nunquid non populus à Deo suo requirit? Pro viuis ad mortuos? Ad legem magis & ad testimonium? Habent autem Græca hanc sentẽtiam ad verbum sic; Sine mendacio perficietur lex, & sapientia ori fideli consummatio vel perfectio, scilicet est. Pro, lex, nos legimus, verbũ legis. Et sunt scripta quę tantùm habent, verbum, vt pro νόμος, interpres videatur legisse λόγος, non satis constare videtur num legendum sit in secunda parte, complantabitur, quomodo Rabanus legit, & duo scripta habebant: an complanabitur, quomodo plures libri habent, cùm vtrũque commodum sensum habere possit, quanquã posterior lectio vt est receptior, ita & conuenientior videatur. Porrò quod dicitur verbum legis vel legem consummari & perfici sine mendacio, primùm sic intelligi potest, vt significetur legẽ non requirere ad sui perfectionem mẽdacia diuinationum, & obseruationẽ somniorum: sed ipsam per se sufficere vt de agẽdis hominem instruat, ita vt præter eam non sit necesse obseruare auguria, insomnia, & id genus alia. Cui cõsonat quod sequitur; & sapiẽtia ori fideli perfectio est; hoc est, sapientia quæ ore veraci profertur, ipsa est quæ perfectè hominẽ instruere potest de cunctis. Sic & quod nos legimus; sapientia in ore fidelis complanabitur; significat quòd ea in ore fidelis, hoc est, veracis hominis (fidele enim hic mendacio opponitur) erit plana, expedita, & sine difficultate percipietur, quomodo 2.Reg.22.dicitur: Cõplanauit perfectam viam meam; pro expeditam fecit. Potest & aliter intelligi hæc sentẽtia, vt sit sensus: Lex vel verbum legis præstabitur sine mẽdacio, & sine aliqua fallacia vel deceptione, hoc est, si quis legẽ studeat perficere & exequi, is sentiet se id facere sine aliqua deceptione, eáq; ratione liber erit ab omni errore & mendacio. Et sapiẽtia quæ ore veraci profertur, ipsa est hominis perfectio, ipsa deprehendetur esse plana & expedita, nec aliquos erroris anfractus, aut conscientiæ molestias in se cõtinens. Monet ergo sententia, relictis vanis consiliis agendorum, legem in omnibus consulendam, & veracium doctorum instructionem: vnde in sequentibus prosequitur qui sint doctores audiendi.

9 *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum.*

10 *Qui nõ est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.*

11 *Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitia.*

GRæca sunt breuiora. Primùm enim non est illis illa interrogatio; Qui non est tẽtatus, quid scit? Et sunt ibi pro his tribus sententiis tantùm duæ, ita vt ex collatione cum Græcis satis constet tertiam apud nos sententiam eandem esse cum secunda, & ex altera versione margini fortè prius asscriptam irrepsisse in cõtextum. vt & aliàs in hoc libro factum est: vnde nec Rabanus tertiam illam sententiam legit, & in vno scripto expuncta erat. Notandum & illud, pro eo quod nos legimus in secunda sententia; Qui autem in multis factus (vel fatuus) est, multiplicat malitiam, & in tertia; Qui implanatus est, abundauit nequitia; Græca sic habere, ὃ ἐστὶ πεπλανημένῳ πολλὴν πανουργίαν. Participium autem πεπλανημένῳ, ambiguum est, & potest significare eum qui errore deceptus est, & eum qui per varia loca errauit & diuersatus est. Sic & accusatiuus, πανουργίαν, & in malam partem accipi potest pro versutia & nequitia: aut in bonam partem pro calliditate & bona astutia, qua quis per experientiam rerum in quauis re recta consilia suggerere potest. Itaque & verti potest in malam partem: Qui errore deceptus est, multiplicat nequitiam. Qui sensus exprimitur in nostra lectione. Vnde etiam ex collatione cum Græcis constat in secunda sententia potius legendum esse; Qui autem in multis fatuus est; quomodo multa scripta habent, quàm, Qui in multis factus est; quãquam sic legat etiã Rabanus. Sic & in tertia sententia constat legendum, non, Qui implãtatus est, sed, Qui implanatus est. Et verti rursum eadem pars potest in bonã partem; Qui autẽ vagatus est, multiplicat astutiam:

vt

vt significetur eum qui discendi studio varia loca peragrauit, multã sibi astutiam collegisse. Solent enim sapientiæ amatores exteras adire regiones comparandæ sapientiæ & experientiæ gratia, quemadmodum legimus de Pythagora, Solone, Platone, & nostro itẽ Hieronymo. Idem fecisse & nostrum authorẽ ex sequẽtibus intelligere licet, quibus magis cogruit secunda iam dicta intelligentia, sicut & præcedentibus magis conuenit. Opponit enim Sapiens ei qui non est expertus, illum qui errauit. At nõ experto magis opponitur qui varia loca peruagatus est, quàm qui errore deceptus est. Ex his iã præter lectionis restitutionẽ licebit etiã melius intelligere verum nostræ lectionis sensum. Tẽtatus enim hic dicitur, qui multis studiorũ laboribus, magistrorũ examinationibus, ac periculorũ varietate probatus est, idémque est interpreti, esse tentatum, & esse expertũ: quia vtrũque significatur verbo Græco πειράω, quod hic ponitur. Itaque semel vertitur, qui nõ est expertus: & rursum, qui non est tẽtatus. Sensus ergo est: Qui non sapientiæ amore variis laboribus & periculis est probatus, is aut nihil aut parum scire potest. Qui multo studio, peruagatione regionum, & audiẽdo doctos, multam sibi collegit experientiam, is multa apud se cogitabit, occasionem magnam habet multa & varia cogitãdi: & qui sic multa ab aliis didicit, is enarrare poterit aliis intelligentiam. Contrà, qui non est expertus varia, is pauca cognoscit: Qui verò in multis rebus etiam errore acceptus est, & desipit, hunc necesse est per errores suos multam cõmittere malitiam, & sæpius peccare. Insinuatur ergo, omni studio & labore comparandam sapientiam, quo & ab insciti a & à malitia liberi simus.

12 *Multa uidi errando, & plurimas uerborum consuetudines.*

13 *Aliquoties usque ad mortẽ periclitatus sum horum causa, & liberatus sum gratia Dei.*

QVanquam omnes penè libri habeant, enarrando, certũ tamen est legendum esse, errando, quomodo etiam vnum exemplar monasterij Tõgerlensis antiquissimum habet, quoniam Græcis est, ἐν τῇ ἀποπλανήσει μου, hoc est, in errore meo. Sicut autem quod superius dicitur errore, noster interpres intellexit dictum de errore mentis: ita & hic quidam intelligunt authorem loqui de errore mentis quo aliquando fuerit detentus, vt significet se multa didicisse interim dum aliquandiu deceptus fuit, & per errorem temporarium se factum cautiorem. At vt prius ita & nunc magis conuenit intelligere ipsum loqui de diuersatione per multa loca, vt significet, se dum varia loca pererrauit, multa & oculis corporalibus & oculis mentis vidisse atque didicisse, vt suo exemplo commonstraret quod dixit: Vtrum in multis expertum multa cognoscere. Non enim eum commendare prudentiam suam errore & deceptione cõparatam, sed potius eam quæ multarum rerũ vsu acquisita erat. Quod sequitur; Et plurimas verborum consuetudines; Græcè sic est, καὶ πλείονα λόγων μου σύνεσις μου, hoc est, & plura verborũ meorum (vel verbis meis) intelligentia mea. Vbi cùm πλείονα sit accusatiuus, non potest cohærere cũ σύνεσις, sed subaudiẽdum est aliquid, vt sit sensus: Intelligẽtia mea plura cõtinet quàm verbis meis exprimo. Complutensis æditio pro πλείονα, habet, τὰ πλάσματα, hoc est, fictiones, sed noster interpres alteram lectionem, quæ verior videtur, secutus est, qui & videtur pro σύνεσις, legisse συνηθείας, hoc est, consuetudines. Et significat Sapiens in nostra lectione se regiones peruagando vidisse etiam & didicisse varias consuetudines verborum, hoc est, diuersos loquendi modos, & sermonum diuersa idiomata. Aut diuersos rerum mores, vt dictio; verborum; accipiatur, quẽadmodum aliquoties in scripturis, pro rebus gestis quæ verbis exprimũtur, vt ibi Luc.1. Videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostẽdit nobis. In sequenti versu illud, horum causa, pro quo Græcis est, τούτων χάριν, additur in Græco non cum, periclitatus sum, sed cũ, liberatus sum, vt significet author se aliquoties incidisse mortis pericula, sed ab eis se liberatum per prudentiam & experientiã, quam ex his quæ vidit & didicit in peruagatione sua collegit, Noster illam partem cõiunxit cum, periclitatus sum, & ad, liberatus sum, adiecit, gratia Dei, vt significetur authorem propter ea quæ discere cupiuit, aliquoties incidisse in pericula, vt contigere solet itinerantibus, & in exteras regiones proficiscentibus: Dei tamẽ gratia illum à periculis illis liberatum, vt qui sapientiæ studiosos sectatores soleat protegere & liberare. Inde & in sequentibus prosequitur quomodo Deus defendat & protegat sui studiosos.

14 *Spiritus timentium Deum, quæretur, & in respectu illius benedicentur.*

15 *Spes enim illorum in saluantem illos, & oculi Dei in diligentes se.*

GRæca pro his duabus sententiis vnam tantùm habent, quia in illis non sunt vtriusque huius sententiæ posteriores partes. Et pro, quæritur, illis est verbum, ζήσεται, hoc est, viuet. Itaque sic illis est; Spiritus timentium Dominum viuet, spes enim illorum in saluantem illos. Quoniam enim dixit se Dei gratia liberatum, iam in genere idem omnibus piis euenturum ostendit, vt quia in eum sperant qui potens est & paratus saluare eos, à morte eripiantur, & saltem spiritus eorũ perpetuò viuat. Noster, vt apparet, legit ζητήσεται, hoc est, quæretur. Et per futurum, quæretur, habent aliquot antiqua scripta. vnde constat hanc esse veram lectionẽ. Intelligunt nostri significari Deum maximè requirere spiritum, voluntatem, & mentem hominis, & ad eum maximè respicere. At originalibus & tempori futuro, quæretur, magis conuenit, vt intelligatur, Deum non neglecturum spiritũ timentium se, vt pereat cùm est in periculis, sed ipsum requisiturum

requiſiturum illorum ſpiritum, vt illum ſcilicet, ſaluet, cuſtodiat, & liberet. Itaque ſic hic dicitur ſpiritus requirendus à Deo; quomodo in Pſalmis dicitur: Non eſt qui requirat animam meam, ad ſaluandum ſcilicet & liberandum. In ſequenti parte magis legendum eſt; & in reſpectu illius; vt habent multa ſcripta & Dionyſius, quàm; & in conſpectu illius; vt reſpondeat ei quod ſequitur; & oculi Dei in diligentes ſe. Et magis conuenit verbum plurale, benedicentur, vt habet Rabanus & quædam ſcripta, vt referatur, ad timétes Deum, quàm verbum ſingulare, benedicetur, quod referatur ad nominatiuū, ſpiritus, quãuis id ad rem parum faciat. Significatur ergo, quòd quia Deus benigno ſuo aſpectu eos reſpicit, conſequentur ab eo benedictioné, hoc eſt, eius opem & beneficentiam. Idque ideò, quia illorum ſpes non eſt in vanitates & inſanias falſas, de quibus ſuprà dictum eſt, quæ non ſaluant, ſed in eū qui ſolus verè & poteſt & paratus eſt ſaluare. In quem ſicut ipſi ſemper inten-
Pſal. 24. tè reſpiciunt, dicentes cum Propheta: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos; ita etiam viciſſim oculi Dei ſemper ſunt intenti in diligétes ſe, vt opportunè eos liberet, aſſiduam eorum curam gerés. Hæc autem ſicut & ſequentia dicuntur per oppoſitionem contra eos de quibus ſuprà dictum eſt, qui diuinationibus, auguriis, & inſomniis; aliiſque vanis rebus confidunt.

16 *Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius.*

Simile eſt ei quod dicitur in Prouerb. 28 Iuſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. Et ſimilia multa habét ſcripturæ, maximè in Pſalmis. Non quòd nullus vnquam timor inuadat pios, ſed quod eos timor non deiiciat, nec diuturnus ſit in eis, vt qui ſpe auxilij diuini ſuperetur.

17 *Timentis Dominum beata eſt anima eius: ad quem reſpicit? & quis eſt fortitudo eius?*

Beatam dixit; hoc eſt, fœlicem animam timentis Dominum, ſicut & ſuprà dixit: Beatus eſt cui datum eſt habere timorem Domini; tum quia ſingulare à Deo donum conſecuta eſt, tum quia talis & ab omni malo libera erit, & omne bonum conſequetur, ita vt re ipſa ſit beata, & multò magis ſpe futurorum. Quæ ſequuntur interrogationes, accipi poſſunt per admirationem & exaggerationem dictæ, vt ſit ſenſus: O qualis eſt & quantus ille, in qué timens Deum ſuam collocat fiduciam, ſemper ad illum reſpiciens? quantus eſt ille cui ipſe innititur, & qué pro ſua fortitudine habet, dicés: Diligam te Domine fortitudo mea? Poſſunt etiam ſimpliciter accipi hæ interrogationes, vt ad eas reſpondeatur per ſequentes ſentétias, quibus oſtenditur, Dominum eſſe ad qué reſpiciūt timentes, illúmq; potétiſſimum eſt, omniáque mala depellere, & bona ſuis conferre.

18 *Oculi Domini ſuper timentes eum: protector potentiæ firmamentum uirtutis.*

19 *Tegimen ardoris, & umbraculum meridiani: deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus.*

20 *Exaltans animam, & illuminans oculos: dans ſanitatem, uitam & benedictionem.*

Vis, inquit, ſcire ad quem reſpiciat timés Dominum, & quis ſit eius fortitudo? Oculi Domini ſunt ſemper intenti in metuentes eum, nimirum quia illi ſemper reſpiciunt ad ipſum. Ipſe eſt protector potentiæ, & firmamentum virtutis, &c. Notandum hic pulchrè cõiungi quinque paria ad idem pertinentia, quæ Deo tribuuntur, ad oſtendédum illum & à ſuis depellere mala, & eiſdem conferre bona. Sunt autem hæc paria apud Græcos ſignificantiora, & plus continent elegantiæ. Primùm ergo par Græcis ſic habet, ὑπέρασπισμὸς δυναςείας καὶ ςήριγμα ἰσχύος, hoc eſt, protectio potentiæ & firmamentum fortitudinis. In quibus locutionibus phraſis eſt Hebraica, & eſt ſenſus: protectio potens, & firmamentum robuſtum & forte. Sic ergo & apud nos protector potentiæ accipi debet pro eo quod eſt protector potés: & firmamentum virtutis, pro eo quod eſt firmamentum forte. Protector eſt, quia inſtar clypei defendit à malo. Firmamétum eſt, quia ei tutò initi licet, per quem & ad fortia deſignanda homo firmatur & roboratur. His duobus generalibus præmiſſis, ſequens verſus duo continet paria, quibus pulchrè ſignificatur Deū eſſe protectoré, & ab omni malo ſuos defendere. Secūdum ergo par ſic eſt Græcis; σκέπη ἀπὸ καύσωνος, καὶ σκιὰ ἀπὸ μεσημβρίας, tegmen ab æſtu, & vmbraculum vel tentorium à meridie. Quo ſignificatur Deum ſuos inſtar tegumenti & vmbraculi protegere à malis huius vitæ, vrentibus & affligentibus inſtar æſtus meridiani. Et videtur eſſe alluſio ad illud Iſaiæ cap. 5. Et tabernaculum erit ad vmbraculū diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & pluuia. Noſtra ergo lectio ſic debet accipi; tegimen ardoris, hoc eſt, tegumentū contra ardorem, & vmbraculum meridiani ſcilicet caloris vel temporis, hoc eſt, vmbraculum contra meridianū calorem vel tempus. Tertiū par ſic eſt Græcis; φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, καὶ βοήθεια ἀπὸ πτώσεως. vel, vt alij legunt, πλώματος, hoc eſt, cuſtodia ab offenſione, & auxiliū à caſu. Quo ſignificatur, Deum ſuos cuſtodire & adiuuare ne impingãt & cadant ſiue in malū aliquod corporale, ſiue in ſpirituale. Itaque nomen offenſionis hic nõ accipitur, quomodo dicimur offendere Deū, cùm illum peccando ad iram prouocamus; ſed pro impactione, quomodo dicitur, lapis offenſionis in quem impingitur. quare & in noſtra lectione deprecatio offenſionis accipi debet, vt ſignificet Deū eſſe à quo precãdo aſſequimur ne offendamus & impingamus, vt ſignificatio nominis, deprecatio, hic reſpõdeat illi ſignificationi verbi, deprecor, qua ſignificat precari ne aliquid fiat. quéadmodum cùm dicit Ouid. Sæpe precor mortem, morté quoq; deprecor idem. Aut ſimpliciter

pliciter deprecatio accipitur pro depulſione, ſicut verbū, deprecari, accipitur nonnunquam pro depellere: & deprecator, pro depulſore, iuxta doctiorum quorundã annotationes. Adiutorium caſus, poſitum eſt pro, adiutorium contra caſum. Sequens verſus iam continet alia duo paria, quibus ſignificatur Deum ſuis bona conferre. Quartū ergo par ſic habet etiam Græcis; Exaltans animã, & illuminans oculos; hoc eſt, quãquam ſinat Deus hominem aliquando malis impeti, & cadere ſiue in malis corporis, ſiue in malis animæ rurſum tamen ab eis malis ipſum erigit & exaltat, & oculos ſiue errore aliquo ſiue mœrore atque triſtitia obnubilatos illuminat, lumen veræ cognitionis infundés, ac triſtibus læta ſubinferens. Eſt enim ſcripturis ſacris familiare per illuminationem oculorum ſignificare recreationem, qua depulſis triſtibus velut tenebris, lætitia velut lux quædam ſuggeritur. Pro quinto & vltimo pari recto ordine ſubiicitur, dans ſanitatem, vitam & benedictionem. In quibus omnia hominis bona ſiue corporalia ſiue ſpiritualia comprehenduntur. Videre hic licet, & ordinem & efficaciam verborum, dum ritè attenduntur & expenduntur.

21 *Immolantis ex iniquo oblato eſt maculata, & non ſunt beneplacitæ ſubſannationes iuſtorum.*

Videtur hic exordiri Sapiens nouum doctrinæ argumentum, ſed quod cū præcedentibus bene cohæret. Docet enim in ſequentibus de cultu Dei, oſtendens quis cultus Dei non ſit illi gratus, & in quibus rebus verus Dei cultus conſiſtat. Quod ſuperioribus rectè ſubiicitur, vbi actum eſt de fœlicitate eorum qui Deum reuerentur & timét. Poſt eam enim doctrinam oſtendendū erat, quomodo Deus aut non rectè colatur aut rectè, vt intelligeretur ad quos ea pertinerent quæ dicta ſunt. Primùm ergo vſque ad finē huius capitis oſtendit illum Dei cultum nõ placere ei, qui ab impiis fit ſiue per ſacrificia, ſiue per orationes, cùm hæc fiunt ab eis in impietate ſua vel iniuſtitia perſeuerantibus, nec ex animo reſipiſcentibus. In hac autem ſententia pro, maculata, Græcis eſt μεμωκημένη, hoc eſt, ſubſannata vel ridicula apud Deum, ſed interpres videtur legiſſe μεμωκημένη, à μῶμος, vt ſit maculata, hoc eſt, reprehéſibilis. Pro, ſubſannationes, eſt ab hoc poſteriori verbo, μωμήματα, hoc eſt, vituperia & maculæ, pro quo tamen Complutenſis æditio habet, δωρήματα, hoc eſt, dona. Interpres videtur legiſſe μωκήματα. Itaque ſubſannationes iniuſtorum, vocat dona quæ iniuſti Deo offerunt, ſiue quòd per ea videantur ridere potius Deum quàm illum honorare, cùm illum placare volūt aliorum bonis, aut declarare ſe illum magnifacere, qué ſua vita declarant ſe contēnere, ſiue potius quòd Deus ipſe eorum dona ſubſannet & rideat, nec ad ea attédere dignetur. Porro immolat ex iniquo, qui ex iniuſtè partis Deo offert ſacrificium duplici nomine Deo diſplicet, videlicet & ratione offerentis, & ratione oblati. Et tamen ſunt qui huiuſmodi ſacrificia nõ verentur Deo offerre, & inſuper exiſtimãt per ea ſibi Deum poſſe placari, quaſi Deus ſit inſtar iudicium quorundam iniquorum, qui ne iuſtam inferant vindictam, ſe ſinūt etiam iniuſtè partis muneribus corrumpi. Horum ſtultam ſententiam etiam Plato reprehendit, quòd ea Deo putet offerenda quæ ne bonus quidem vir velit accipere. Itaque Socrates apud eundem, cùm Athenienſes ita loquerentur, Iniuſtè viuendum & ſacrificandum; eorum corrigit orationem: Imò verò iuſtè viuendum, & ſacrificandum.

22 *Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in uia ueritatis & iuſtitiæ.*

Hæc ſententia vt per ſe obſolutum non habet ſenſum, nec propoſito multum conuenire videtur, ita non eſt Græcis. Eſt tamen in omnibus ſcriptis & apud Rabanum, ex quo facile eſt intelligere quomodo accipienda ſit vt propoſito conueniat, in hoc ſcilicet ſenſu: Dominus ſolus eſt ſuſtinentibus ſe hoc eſt, ſolum agnoſcit ſe pro Domino, & ſolùm adeſt his qui patienter illū expectant viuentes in via veritatis & iuſtitiæ, ita vt nec verborum falſitate cuiquam imponant, nec iniuſtitia operum quenquã opprimant. Hos ſolos agnoſcit ſuos cultores & genuinos ſeruos, & viciſſim ſe illorum eſſe Dominum. Quod hi offerunt, id demum illi gratum eſt: imò ipſa veritas & iuſtitia quam ſeruant, illi eſt gratiſſimum ſacrificium.

23 *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propiciabitur peccatis.*

Priores duæ partes reſpondent vni membro apud Græcos, ita vt rurſum videãtur eſſe conflatę ex diuerſis interpretationibus. Generalius iam loquitur quàm ſuperius. Nã cùm ſuperius docuerit Deum reiicere ſacrificia ex iniquè partis oblata, hic iam in genere omnia eorum dona reiicit, ſimulq; docet nec per illorum multitudiné Deum placari poſſe. Quod intelligi debet de iniquis in ſua impietate perſiſtétibus, & tamen impunitatem ſibi propter ſua munera promittétibus, ſicut & illud in Prouer. Victimæ impiorum abominabiles Domino. Nam vt bene quidã cecinit: Non ſcelus emundant, non noxam munera tollunt. Quamque diu crimen, tam manet ira diu.

24 *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperū, quaſi qui uictimat filium in conſpectu patris ſui.*

Redit ad id quod dixit de immolante ex iniquo, & oſtendit quàm ſit grande ſcelus offerre ex iniquo, maximè cùm ſit ex pauperum bonis. Comparat enim eum qui hoc facit, cum eo qui occidit filium in conſpectu patris ſui, aut cum eo qui vt ſacrificet diis, immolat filium patre vidente. Quéadmodū enim id non poteſt non patri ſummè

displicere,& eum ad grauem iram & dolorẽ commouere,cùm alius putat se diis gratum facere:ita significatur Deo valde displicere huiusmodi sacrificium,etsi putet impius se sibi Deum placare. Amplius tamen quippiã hac comparatione significatur, nẽpe quòd pauper sit veluti dilectus filius patris cœlestis,& quòd cũ iniuria pauperi infertur,filio, vidente patre,iniuria irrogatur.Imò si Græca inspiciamus,efficacior sensus deprehenderur,Græcis enim non est particula similitudinis,quasi,sed tantùm sic est : Victimat filium coram patre suo,qui offert sacrificiũ ex pecuniis pauperum.Quo intelligi potest eum qui effert sacrificium ex sublatis bonis pauperum,in illo ipso actu victimare filium coram patre suo,quia offert Deo patri pauperum id vnde viuere debuit pauper, & vnde vita eius pendebat. Cui sensui congruit sequens sententia.Ex prædictis patet verbũ, victimare , etsi aliqui exponant simpliciter pro occidere , posse tamen imò debere potius accipi propriè pro in sacrificium mactare, & occidere , quod & Græca dictio θύειν propriè significat.

25 *Panis egentium,uita pauperum est:qui defraudat illum,homo sanguinis est.*

MVlti libri habẽt singulari numero,pauperis,quomodo & Rabanus legit.Iuxta quam lectionem relatiuum,illum,ad pauperem referri potest,vt sit sensus : Qui defraudat pauperem.At Græca habent constanter numerum pluralem πτωχῶν,pauperũ:proinde relatiuum,illum,referri debet ad panem sicut si legatur ἄυτὸν,illam,vt habent quædã Græca,referri debet ad ζωὴν,vita.Panis egentium est victus tenuis,quali egẽtes contenti esse solent.Hic dicitur vita pauperum,quia per hunc vita pauperum sustentatur.Itaque qui huiusmodi victum defraudat fraude eũ pauperi subtrahendo,etsi parum auferre videatur,tamen dicitur homo sanguinis, hoc est,homo sanguinarius & homicida, quia id tollit , quo subtracto aut mori cogitur pauper,aut miseram vitam ducere, & quantũ in ipso est pauperem occidit.Hanc ergo sententiam subiungit,ad ostendendum quam grauc delictum sit ex substantia pauperum offerre sacrificium,aut potius quod qui hoc facit,occidit & immolat filium Dei in conspectu patris sui.Digna certè sententia, quæ seriò notetur à diuitibus,pauperum oppressoribus,aut seuerè debita exigentibus,imo & ab his qui eleemosynas negant his qui panem & victum necessarium petunt pauperibus,iuxta illud Ambrosij:Pasce fame moriẽtem,si non pauisti,occidisti.Eodem pertinet quod sequitur.

26 *Qui aufert in sudore panem , quasi qui occidit proximum suum:qui effundit sanguinẽ,& qui fraudem facit mercenario,fratres sunt.*

GRæca breuius sic habent; Occidit proximum,qui aufert victũ:& effundit sanguinem,qui priuat mercedem mercenarii. Duo ergo genera hominum comparat homicidis,& similiter vt homicidas habendos incidat, & eos scilicet qui auferunt panẽ in sudoribus partum & pauperibus,& eos qui mercenarios priuant debita mercede.Et dicitur in nostra lectione,ꝙ fratres sint qui effundit sanguinem,& qui fraudem facit mercenario:quia similes sunt in peccatis,& fraudator mercedis,quantum in ipso est,mercenarij occisor est,quia subtrahit vnde ei viuẽdum erat.Vnde etiam in scripturis sicut homicidium dicitur clamare in cœlũ pro vindicta,vt patet Gene.4.sic & defraudatio mercedis.Sic enim Iacobus:Ecce,inquit,merces operariorum qui messuerunt regiones vestras,quæ fraudata est à vobis,clamat,& clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit.Ideòq; monet Dominus per Moysen:Nõ morabitur opus mercenarij apud te, vsq; in mane.Et Tobias eandem legẽ secutus:Quicunque,inquit,tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue,& merces mercenarij apud te omnino non maneat.

27 *Vnus ædificans,& unus destruens,quid prodest illis nisi labor?*

28 *Vnus orans & unus maledicens,cuius uocem audiet Dominus?*

HÆc dicuntur speciatim contra eos de quibus dictum est,quòd ex alieno offerunt:& in genere contra omnes qui externo cultu per oblationem sacrificiorum Deo seruiunt,& interim perseuerãt in grauibus peccatis.Tales enim similes sunt duobus , quorum vnus ædificat,& alter quod ædificatum est destruit,aut duobus,quorum vnus bene precatur alicui,& alter malè precatur eidẽ. Nam tales partim ædificant & orant,dũ scilicet externis cæremoniis Deum colunt,partim destruunt & maledicunt sibiipsis , quia per mala sua opera & perdunt fuorum quæ videntur bonorum operum fructum,& Deũ contra se ad iracundiam prouocant.Respondetur ergo per has sententias tacitæ quæstioni quæ proponi posset contra illud quod dictum est,Dominum non probare dona iniquorum.Quomodo enim non probat ea, cũ per ea homo ædificet,hoc,est,bona faciat,& alios suo exemplo instruat itémq; oret Deũ pro gratia & fauore eius?At,inquit , sit vnus ædificans,& vnus destruens,quid prodest illis nisi labor?hoc est,quam vtilitatem consequuntur præter laborem suũ ? hoc est,nullã ex labore suo vtilitatem capiunt,sed tãtùm grauamen.Sic sit vnus orans pro aliquo , & vnus maledicẽs eidem,cuius vocem audiet Dominus.Vterq; enim petit , sed contraria: sicut ibi vterq; operatur,sed cõtraria.Ita qui in vno bene facit,& in altero malè, fructũ laborum suorum bonum non percipiet,nec à Deo quicquã impetrabit.Locus hic diligenter notandus est contra eos, qui cùm largas faciunt eleemosynas,non cessant tamẽ perseuerare in grauibus peccatis : & contra sacerdotes,qui cùm sacrificãdo & prædicãdo ædificent,mala sua vita quod ædificauerunt rursum destruunt.Item contra eos præcipuè qui ædificant ecclesias,& magnas faciũt impensas,sed iniustè ablata non restituũt, quibus debebant,quique,vt habet Gregorius, quanta tribuunt pensant,sed quanta rapiũt considerare dissimulant. Possunt prædictæ sententiæ etiã accipi quasi dictæ contra eos qui cùm peccare persistant,ambiunt sacerdotum preces & oblationes , quia tales sua vita sibi malè precantur, & destruunt quod alter ædificare orando pro ipsis conatur , vt sicut in exẽplo duo sunt,quorum vnus ædificet vel oret,alter destruat vel maledicat:ita & in applicatiõe alius sit qui ẽdificet & oret, alius qui destruat & maledicat : Sunt & qui has sententias dictas putant,ad commendãdum concordiam & consensionem in religione,vt significetur quòd cùm mentes hominum discrepant & repugnant in religione,fieri non possit vt Deus huiusmodi societati interfit,eorúmque preces audiat.Vnde Dominus consensum requirit in suis,dicẽs: Vbi fuerint duo vel tres cõgregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.Sed prima explicatio proposito magis congruit, atque ad idem valet quod sequitur.

Greg. 3. parte curæ pastor. admo. 22.

29 *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?*

30 *Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens,quid proficit humiliando seorationem illius quis exaudiet?*

DIuus Augustinus variis locis,& potissimùm lib.1.contra lite.Petil.ca. 11.& lib.2.cõtra Cresconium cap.24.25.& 27.ostẽdit Donatistas priori sententia abusos,ad ostendendum baptismum ab hæreticis aut malis susceptum,esse inefficacem:sicut & prius in cõcilio Carthaginensi sub Cypriano , episcopi hanc sententiam assumpserũt,ad confirmãdum rebaptizãdos esse ab hæreticis baptizatos,vt patet in sententiis episcoporum illius concilij. Itaque quo Donatistis satisfaceret D.Augustinus,docet qui ab impiis baptismũ suscipiunt,non baptizari à mortuo,sed baptizari à Christo,qui nunquam moritur,qui solus est ille qui baptizat in spiritu sancto. Baptizari autem docet à mortuis qui baptizantur in idolorum templis per sacerdotes idolatras.nam & hi sua habebant baptismata. Monet tamen idẽ Augustinus prædicto ca. 27.inspiciendos diligẽter codices antiquos, & maximè Græcos,ne fortè ipsa verba aliter conscripta,ex præcedenti & consequẽti contextione sermonis alium sensum intimẽt. Id certè cùm fit, deprehenditur mox non esse hic illum sensum quem voluerũt Donatistę, imò nec illum,quem, vt satis faceret eis,reddit D.Augustinus. Non enim vt Donatistæ semper citant,sic habet hic locus,Qui baptizatur à mortuo,quid proficit lauatio illius; sed additur in medio;& iterum tangit mortuum,(vel tangit eum,vtrumque enim legitur)quæ pars addita manifestè satis ostendit impertinenter hanc sententiam citari de baptismo Christiano,ideóque illam partẽ studiosè videntur Donatistæ omisisse. D.Gregorius aliquotiens hanc sententiam tractãs intelligit eum baptizari à mortuo, & iterum tangere mortuum,qui abluitur à peccato,& iterum illud repetit,vt licet videre lib.9. epistolarum , epistola 39. & super illud Psalmi pœnitentialis:Sacrificium Deo spiritus, &c. quem & sequitur hoc loco Rabanus.At hic sensus mysticus est,nec subiectæ comparationi congruens.Sciendum ergo authorem hic agere de baptismo legali qui ex legis præcepto adhibendus erat, cùm quis mortuum aliquem hominem aut quoduis cadauer contigerat,vt scribitur prolixè Num. 19. Sensus ergo est:Sicut si quis iuxta legem lauetur à mortuo homine vel cadauere quod contigit(potest enim ablatiuus,mortuo, vel esse masculinum vel neutrum)& mox iterũ tangit mortuum,nihil lotio eius ei prodest: sic homo qui in peccatis suis,hoc est, propter peccata sua,se affligit ieiunio,& tamen mox eadem repetit,nihil proficit sic se humiliando,hoc est,affligendo per ieiunium, nec eius orationem Deus exaudiet.Est ergo aptissima hæc cõparatio,eóque magis,quòd illa legalis lotio & baptismus , figura fuerit Christianæ lotionis,quæ fit per pœnitẽtiam & lachrymas compunctionis,vt mirum non sit quòd sancti patres prædicti,sentẽtiam illam de baptismo , explicauerint de actione pœnitentiæ.Salomon in Prouerbiis alio simili pulchrè etiam expressit fœditatem eorum qui in peccatis suis relabuntur : Sicut, inquit,canis qui reuertitur ad vomitum suũ sic imprudẽs qui iterat stultitiam suã.Quod & Petrus vsurpans addidit aliud simile de sue lota,quæ reuertitur ad volutabrum luti. *Prou.16.* *2.Pet.2.*

Caput XXXV.

1 *Qui conseruat legem,multiplicat orationem:sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.*

DIxit superiori capite quæ sacrificia Deo non placeant, ostenditque veram pietatem nõ esse sitam in nudis externis sacrificiis:nunc conuenienti ordine docet quæ sint sacrificia Deo grata , & quibus in rebus verus Dei cultus consistat. Pro,legem,quidam legunt,verbum,alij verbum legis,Græcè est ῥῆμα,legem:proinde ea lectio præferenda est , etsi interpres soleat pro lege transferre,verbũ.Pro,orationẽ,Græcè est προσφορὰς.hoc est, oblationes:quanquã in Germanica æditione legatur συμφορὰς,sed corruptè,vt existimo,pro προσφορὰς.Significatur ergo eũ quiDei legẽ custodit,illa sua obedientia quã Deo exhibet perinde facere, ac si multas Deo offerret oblatiões,imò in omnibus actibus quibus lex Dei impletur,sacrificiũ Deo offerri, vt toties quis Deo sacrificet,quoties præcepta legis exequitur , si ea intuitu Dei & propter Deũ sicut oportet adimplet.Cũ enim,teste Augustino,verum sacrificium sit omne opus quod agitur,vt sancta

Lib 10. de ciuita. Dei c.6.

cta societate inhæremus Deo, consequens est omnem legis adimplectionem verũ esse sacrificium,vt rectè dicatur cum qui cõseruat legem multiplicare sacrificia, quãquam credam authorem id magis dixisse vt significaret quod qui conseruat legem, perinde faciat ac si multa offerret sacrificia, quẽadmodum & Samuel dixit:Melior est obedientia quàm victimæ. Interpres noster videtur pro προσφορὰς legisse προσευχὰς.Et debet similiter intelligi,eum qui conseruat legem multiplicare orationem,hoc est,perinde facere, & tam gratam rem Deo facere, ac si multas ad Deum funderet preces,imò seruando legem verè orare Deum,quia seruãdo legem, Deum sibi propitium facit.Semper enim orat Deum qui semper bene viuit.Nõ significatur ergo hac sententia, quemadmodum quidam intelligũt,quòd qui vult seruare legem,debet frequenter orare, quia idipsum lex præcipit:sed, quemadmodum Rabanus bene intellexit,significatur quòd bene orat qui mandata Dei seruat. Cui intelligentiæ conuenit quod sequitur.Sacrificium salutare, &c.vbi notandum est Græca breuius sic tantùm habere;θυσιάζων σωτηρίαν ὁ προσεχων ἐντολὰς;Sacrificator salutaris est qui attendit mãdatis,hoc est,qui animum suum apponit ad seruandum mandata,is coram Deo reputatur quasi qui offert sacrificium salutare, hoc est,quod pro obtenta salute in gratiarum actionem offertur.Itaque & nostra lectio, in qua adiectum est,discedere ab omni iniquitate,sic accipi debet:Attendere mãdatis, & discedere ab omni iniquitate, idipsum corã Deo est velut sacrificiũ salutare, aut potius sacrificium salutaris, quia Græcè est genitiuus,σωτηρίου,quomodo legitur apud Liranũ, vt sacrificium salutaris dictum sit,vt in Psalmis dicitur:Calicem salutaris accipiam;hoc est,calicem salutis,& qui pro obtenta salute accipitur,vt dictio,salutaris, sit substãtiuum pro salute,quomodo sæpe accipitur in scripturis.

2 *Et propitiationem litare sacrificij super iniustitias, & deprecatio pro peccatis,recedere ab iniustitia.*

TOta hæc sententia,cuius posterior pars postea ponitur, & prior valde obscura est,& variè legitur,Græcis non est,nec apud Rabanum,qui tamen eius loco habet quod etiam Græcis nõ est;Et deprecatio enim coram oculis Dei inueniet gratiã. Quidam libri habent,sacrificij, alij sacrificiis: quidam etiã etsi pauciores habent nõ accusatiuum, propitiationem,sed.Et propitiatio est litare sacrificium. Nec satis colligi potest vtra lectio sit preferẽda.Si legatur accusatiuus,propitiationem,sic est ordinanda sententia;Recedere ab iniustitia,est velut litare propitiationem sacrificij super iniustitias,hoc est,velut offerre sacrificium propitiatorium. Aut si legatur,sacrificiis,quod magis placet,sensus est:Recedere ab iniustitia,est velut litare propitiationem per sacrificia propter commissas iniustitias,& idipsum etiam est velut deprecatio pro peccatis.Itaque illud recede reab iniustitia,referri debet ad vtrãque partem præcedẽtem.Et si aliqui libri nostrã coniecturam iuuarent,crediderim interpretem illam partem vltimam versus præcedẽtis dixisse cum hac sententia,& sic legendum: Et discedere ab omni iniquitate,est propitiationem litare sacrificiis super iniustitias. Vtut est,significatur quòd cùm quis incipit ex animo discedere ab iniustitia & iniquitate, tunc incipit Deum placare,& hoc ipso veluti veniam delictorum petit & impetrat.Si legatur,& propitiatio est litare sacrificium intelligi potest.clemẽtiam,qua quis alteri delinquenti in se facilè ignoscit,esse corã Deo veluti litare & offerre sacrificium pro peccatis admissis, quia per huiusmodi clemẽtiam propriorum delictorũ venia obtinetur,iuxta illud Saluatoris: Si dimiseritis hominibus peccata eorum,& pater cœlestis dimittet vobis peccata vestra.Aut sensus est:propitiatio qua quis studet Deum sibi reddere propitiũ, est velut offerre sacrificiũ super iniustitias. *Matt. 6.*

3 *Retribuit gratiam,qui offert similaginem:& qui facit misericordiam,offert sacrificium.*

PRiorem partem sic habent Græca in æditione Germanica,ἀντιτιθεὶς χαριν προσφερων σεμιδαλιν,quæ cũ sint ambigua,& sic verti possunt quomodo noster vertit, aut sic: Qui retribuit gratiam, offert similaginem; quo modo vertendũ fuisse sequens pars demonstrat,vt relatiuum, qui, addatur priori verbo:vnde & in æditione alia ad participiũ προσφερων,additur particula similitudis. ὡς, vt sit sensus:Retribuens gratiam est velut offerens similaginem. Non enim author hic significare voluit quid faciat qui offert similaginem.sed quare quis coram Deo cẽseri potest offerre similaginem.Duo ergo hominis officia commendat hæc sententia, per quæ conferri potest quis cum offerente sacrificium,quorum alterum in referendo beneficium ex gratitudine animi,alterum in conferẽdo beneficium ex affectu misericordiæ. Qui,inquit,pro accepto beneficio rependit gratiam.est velut qui offert Deo similaginẽ, hoc est,florem farinæ:& qui egenti confert eleemosynã.est velut qui offert sacrificium aut,vt est Græcis,θυσιάζων αἰνέσεως, hoc est sacrificator laudis,hoc est,velut qui sacrificat sacrificium laudis.Imo ipsa eleemosyna verum est apud Deũ sacrificiũ,iuxta illud Pauli:Beneficentiæ & communionis nolite oblisci,talibus enim hostiis promeretur Deus. *Heb. 13.* Dixit superius esse homicidam & illum qui pauperi subtrahit modicũ quod habet,& eũ qui fraudẽ facit mercenario,negando quod ei debet.Nunc ergo contrà dicit vtiũq; Deo velut sacrificium gratum offerre,& eum qui bene merenti beneficium rependit, & eum qui pauperi confert quæ sunt ei necessaria. *Mic. 6.* Sic & apud Michæam, facere iudicium & diligere misericordiam præferuntur sacrificiis.Potest per retribuentem gratiam etiam intelligi is qui pro acceptis à Deo beneficiis refert

refert illi gratiarum actionem, quæ dicitur in scripturis sæpe sacrificiũ laudis Deo gratissimum,Nostra lectio conuenientem proposito habebit sensum, si intelligatur sicut multæ sententiæ,subintelligendo comparationis notam hoc modo:sicut retribuit Deo gratiam,& gratitudinem suam illi ostendit, qui offert ei similem:ita & qui facit misericordiam pauperi,offert ei velut sacrificium laudis & gratiarum actionis, declarátque se gratum esse pro acceptis à Deo bonis.

4 *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate,& deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia.*

DIxerat quid facere sit Deo gratum,nũc dicit quid nõ facere & omittere ei gratum sit,asserés q; discedere à peccatis sit nõ solùm Deo gratum,sed q; etiam sit velut deprecatio pro peccatis, aut sacrificium quo peccata expiantur. Est enim hic Græcis ἐξιλασμὸς, hoc est, propitiatio aut sacrificium piaculare.

5 *Non appãrebis ante conspectũ Domini uacuus.Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt.*

NE,quia dixit illum sacrificare Domino qui seruat legem,quiq; iustitiam & misericordiam exhibet proximo,& recedit ab iniustitia,videretur à sacrificiis legis homines auocare,rectè subiungit hanc sententiã, quasi dicat:Etsi sic sit vt dixi,tamen memento etiam eius quod lex præcipit.Non apparebis in conspectu Dei vacuus,sed offeres statutis temporibus sacrificia tua. Hæc enim omnia etsi per se parum prosint,tamen propter mandatum Dei sunt facienda.Itaq; qui legem seruare vult, etsi imprimis ea facere debeat quæ dicta sunt,tamẽ etiam hęc quæ ad oblationes pertinent præstare debet. Citat autem legem quæ est Exod. 23. & 34. & Deut. 16.

6 *Oblatio iusti impinguat altare,& odor suauitatis est in conspectu altissimi.*

QVò magis ad oblationes etsi per se parum gratas,excitet,eáſq; magis cõmendet,duo eis tribuit cùm à iustis fiũt.Primum est quòd oblatio iusti impinguet altare, hoc est,tanquam pingue aliquod & optimum altare ornat.Deóque gratum est:quomodo in *Psal. 19.* Psalm.dicitur:Holocaustũ tuum pingue fiat hoc est,tanquam pingue,gratum sit & acceptum.Quoniam enim quæ pinguia sunt sacrificia,hominibus cõmendantur,& Deo itẽ quatenus ex liberali fiunt animo, dicitur sacrificium iustorum pingue fieri,& impinguare altare,eo quòd tanquam pingue accepte tur,ob offerentis iustitiam,quæ oblationem ipsius pinguem & gratam facit.Secũdò, dicit oblationem iusti esse coram Deo odorẽ suauitatis,hoc est,odorem suauẽ,iuxta morem loquendi scripturæ, quo rursum aliud nihil significatur,quã eam instar suauis odoris graram esse Deo.Itaque phrases istæ explicantur,cum subiicitur.

7 *Sacrificium iusti acceptum est, & memoriam eius non obliuiscetur Dominus.*

PRo,memoriã eius Græcè est τὸ μνημόσυνον ἀυτῆς,hoc est,memoriale eius, scilicet sacrificij.Patet enim ex Græcis relatiuũ, eius, non referendum ad iustum,vt quidã intelligunt,sed ad sacrificium.In eo quod dicitur de memoria vel memoriali sacrificij, videtur respectus esse ad id quod in Leuitico præcipitur,vt quod de sacrificiis erat cremãdum in altari,dicitur esse memoria vel memoriale sacrificij.Dicit ergo illud quod pro memoria & memoriali offertur de sacrificio iusti coram Domino,non venturũ in obliuionem apud illum, sed verè fore memoriale. Dicitur autem Deus tunc obliuisci alicuius, cùm eius curam non habet,& quod negligit tanquam non esset:Non obliuiscí autem illius,cuius habet rationem,& quod magni facit,gratúmque habet.

8 *Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum.*

OStendit iam in sequentibus quomodo quæ Deo donanda sunt, ei offerenda sint,nempe animo lubenti,vultu hilari, & liberali ac nequaquã auaro animo,Bono, inquit,hoc est.lubenti animo,redde Deo gloriam,vel,vt habent Græca, glorifica vel honora Dominũ,hoc est,cùm tibi per oblationem sacrificiorum decimarum & primitiarum Deus est honorandus,& gloria ei dãda fac id lubenti animo,non ex tristitia aut necessitate,neq; ex animi auaritia minuas primitias quas de fructibus tuis offerre debes manibus tuis, subtrahendo scilicet aliquid ex eis,vel eas non liberaliter persoluẽdo,sed accisè & tenuiter. Simile est quod sequitur, vbi peculiariter decimarum fit mẽtio,sicut hic primitiarum.

9 *In omni dato hilarem fac uultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.*

SAnctificare decimas,est eas à reliquis separare,& Deo deputare atq; offerre.Id ergo vult fieri in exultatione,hoc est,cũ exultatione & lætitia.Hilarem enim datorẽ diligit Deus,vt ex Prouerb.iuxta Septuaginta citat Paulus. Posset & hic intelligi sensus: Per exultationem & lætitiã fac vt decimæ quas persoluis sanctæ sint,& gratæ Deo. Mysticè iuxta Rabanũ & primitias & decimas Deo offerimus,cùm ei & bonorum nostrorũ operum initium acceptum ferimus & consummationem, quia in denario numero perfectio designatur,& decimæ post collectionẽ fructuum redduntur. *2. Co. 9*

10 *Da altissimo secundùm datum eius,& in bono oculo adinuentionem facito manuum tuarum.*

11 *Quoniam Dominus retribuens est,& septies tãtum reddet tibi.*

DIxerat hilariter dãdum,iam verò etiam liberaliter dãdum docet.Bonus oculus enim hic dicitur oculus liberalis & largus,

ſicut ſuprà oculus, nequàm, dicitur oculus auarus & parcus, qui cũ triſtitia aſpicit quod dandum eſt, & nõ fauet ei cui datur. Pro; adinuentionẽ facito manuum tuarum; Græcis tantùm eſt, καθεύρεμα χέιρ ☞, hoc eſt, inuentionem manus, vt repetatur verbũ, da. Et ſit ſenſus: da bono oculo quicquid inuenerit manus tua, ita vt ne melioribus ſeruatis peiora deligas quæ offeras, quemadmodum fecit
Gene. 4. Cain. Aut da quod Dei dono manus tuæ cõparauerunt & acquiſiuerunt. Omnino autẽ crediderim non vnica ſcribendum dictione καθεύρεμα, ſed diuiſim κατ' εὕρεμα, ſecundum inuentionem, vt reſpondeat ei quod in primo membro dicitur, κατὰ τὴν δόσιν αὐτοῦ, hoc eſt, ſecundum donationem eius. Ita & in noſtrale ctione diuiſim legendum videtur; ad inuentionem facito manuum tuarum, hoc eſt, facito iuxta quod inuenĩt manus tuæ, autiuxta quod manibus tuis acquiſiſti. Quid enim eſt alioqui, facito adinuentionem manuum? Niſi, facito, accipiatur pro offeras. Dicit ergo Da altiſſimo ſecũdùm quod ipſe dedit tibi, vt ſi multum tibi dederit, viciſſim & tu illi multum des: ſi parum, etiam ex illo dare nõ omittas quod debes. Et quo ad lubentiẽ & liberaliter dandum magis prouocaret, ſubiicit; Quoniam Dominus eſt retributor eorũ quæ ei dantur, & quãtum à te accipit, ſepties tantum reddet tibi, hoc eſt, multiplicatum valde reddet, iuxta illud Pauli: Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemẽ veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. Duas ergo indicat rationes, ob quas lubentur & liberaliter Deo dandum ſit videlicet & quia ipſe meritus eſt qui omnia dedit, & quia abundè remuneraturus eſt.
2. Co 9.

12 *Noli offerre munera praua, non enim ſuſcipiet illa: & noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, quoniam Dominus iudex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ.*

PRo; noli offerre munera praua; Græcis eſt μὴ ἀωρεσιάσῃς, hoc eſt, Ne decurtes vel minuas munera, vt ſcilicet per auaritiam ab eo quod dandum eſt Deo aliquid abradas, tibíque reſerues. Itaque offerre munera praua, eſt offerre munera per decurtationẽ & auaritiam deprauata, qualia Dominus reiicit a-
Mala. 1. pud Malachiam dicens: Si offeratis cæcũ ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidũ, nonne malum eſt? offer illud duci tuo ſi placuerit ei, aut, ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Pro; noli inſpicere ſacrificium iniuſtũ eſt, μὴ ἐπιχεθυσίᾳ ἀδίκῳ, hoc eſt, ne attendas ſacrificio iniuſto, ſic ſcilicet vt in illud fiduciã tuam colloces, & putes te eius contemplatione acceptum fore Deo. Sic ergo etiam eſt intelligẽdum quod legimus: Noli inſpicere ſacrificium iniuſtum, vel potius: vt Rabanus legit, Noli reſpicere in ſacrificiũ iniuſtũ, hoc eſt, cum rapina iniuriáque alterius coniunctum, fraude ac violentia comparatũ. Subiicit rationem: Quoniam, inquit, Dominus iudex eſt, & iudex planè incorruptus, apud quem dignitas & excellentia, quam quis habet in exiſtimatione hominum, non valet, quicquam, ita vt diuiti & potenti iniurioſo in pauperem propter illius munera munificentiſſima faueat. Pro; gloria; eſt δόξα, quod nomen etiã verti poteſt, opinio & exiſtimatio. Duo ergo monentur hac ſententia, & vt ne munera Deo offerenda per auaritiã minuantur: & rurſum: ne confidatur in magnificis donis, ſi ex iniuſtitia offerantur.

13 *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet.*

SIgnificare vult, etiam ſi quis potens ſit & diues, qui ob id magnifica munera Deo offert, ſi tamen ob iniuriam illatam pauper contra illum potentem oret, Deum non habiturum rationem illius diuitis, vt ad illius ſacrificia & dona reſpiciat, neglecto & præterito paupere, ſed exauditurum orationem illius qui à diuite iniuria eſt affectus & læſus. Deum ergo non accipere perſonam in pauperem, hoc eſt, contra pauperẽ, & ipſum nõ fauere alicui contra iuſtitiam quæ pauperi debetur. Explicant hanc ſententiam ſequentia.

14 *Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus.*

15 *Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas?*

CVm prius dixerit de paupere, & læſo; nunc ſubiicit de pupillo & vidua, quia hi ferè ſunt qui à potentioribus opprimuntur, quorum ob id in ſcripturis Deus peculiariter tutor dicitur. Ob iniuriam iſtis illatam ſignificatur hic Deum cõmouendum & precibus illorum & lachrymis, per quas viduæ ad flendum faciles, nec ferè habentes aliud quo confugiant quàm ad lachrymas, exclamant ad Deum pro vindicta, etiamſi ore taceant, ſuper deducentem eas, hoc eſt, contra eum qui ſua iniuria lachrymas illas excutit, & defluere facit. Itaque cum lachrymæ deorſum fluant, tamen per eas vidua in cœlum clamat, quod ſequenti verſu clarius explicatur: qui cùm non ſit in Græcis, videtur ab interprete commentarij vice adiectus, ad explicandum quomodo cùm lachrymæ viduæ deorſum cadant, tamen per eas vidua exclamare dicatur, aut ipſæ lachrymæ. Quædam enim Græca non habent, exclamatio eius, ſed tantùm, exclamatio, vt referri poſſit ad lachrymas.

16 *A maxilla enim aſcendunt uſque ad cœlum: & Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

ETſi, inquit, lachrymæ defluere videãtur, aſcendunt tamen vſque in cœlum: quia ſcilicet perueniunt ad Dei conſpectum, eorúmque Deus rationem habet, qui audiens & intelligens quid poſtulent, non delectabitur in illis, ſed ſummã in eis habebit diſpliſcere

cere eas lachrymas, quãtùm attinet ad eum qui earum eſt author. Negatiuè enim potius legendum videtur, nõ delectabitur, quomodo legit Rabanus & multa ſcripta, quanquã quædam habeãt etiam affirmatiuè, delectabitur. Iuxta quam lectionem ſenſus eſt: Deũ delectari pietate lachrymantium viduarum quòd videat eas non ſeipſas velle vindicare, ſed tãtum lachrymis ſuum teſtari dolorem.

17 *Qui adorat Deum, in oblectatione ſuſcipietur, & deprecatio illius uſque ad nubes propinquabit.*

PRo; qui adorat Deum; Græcis eſt tantùm participium θεραπεύων. hoc eſt, qui colit, nempe Deũ, aut cultor Dei, quomodo Philo ſcribit primos Chriſtianos vocatos θεραπεύτας, hoc eſt, cultores, vt eſt in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebij lib. 2. cap. 17. Itaque per eum qui adorat Deũ, ſignificatur hic is qui Deũ ex animo colit & veneratur. Pro; in oblectatione, eſt ἐν εὐδοκίᾳ, in beneplacito. Et poteſt referri vel ad participium θεραπεύων, vt ſignificetur is qui ex bono affectu, & cum oblectatione Deum veneratur: vel potius cũ verbo, ſuſcipietur, vt ſignificetur omnẽ Dei cultorem ſuſcipiendum à Deo cũ fauore & gratia ipſius. Idem ſignificatur, cùm eius oratio dicitur propinquatura vſque ad nubes. Eo enim inſinuatur, quòd quantumuis diffitus ſit locus quẽ Deus peculiariter inhabitat, à loco quem homines inhabitant: tamen piorum oratio vſque ad Deum peruentura ſit, hoc eſt, ab eo exaudienda ſit. Quod in genere dixit de cultore Dei, peculiariter proſequitur de oratione humilis.

18 *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit: & donec propinquet, non conſolabitur: & non diſcedet, donec aſpiciat Altiſſimus.*

PRo; humiliantis ſe; eſt ταπεινοῦ, hoc eſt, humilis. & poteſt accipi vel pro eo qui per virtutem modeſtiæ humilis eſt, vel pro afflicto, quia præceſſit de afflictis & iniuriam patientibus. Pulchrè autem Sapiens deſcribit efficaciam & conſtantiam orationis humilis, dum ei primò tribuit penetrationem nubiũ & aſcenſum ſupra nubes, ita vt nec ſumma altitudo, nec nubium obſtaculum eius aſcenſum impediat. Deinde quòd non ſatis ei ſit nubes penetraſſe, ſed omnino contendat etiam Deo propinquare, qui omnia cœleſtia tranſgreditur, adeo vt non admittat prius conſolationem, hoc eſt, non ceſſet nec deſiſtat clamare ad Deum, quàm acceſſerit vſque ad Deum. Poſtremùm quòd cùm iam peruenerit vſque ad Deum, non diſcedat ab eo donec altiſſimus ille inſpiciat cauſæ ſuæ æquitatem, atque ad eam attendat. Hac autẽ allegorica deſcriptione innuitur & efficacia huiuſmodi orationis, quæ omnia impedimẽta tandem ſuperat, & perſeuerantia, quæ in humilium oratione eſſe ſolet, ac eſſe debet ad hoc vt obtineat. Non enim ſatis eſt fortiter & ex animo clamare, quod eſt vſque ad nubes peruenire, ſed oportet in clamore perſiſtere, nec ceſſare donec quod petitur impetretur, quemadmodum ferè faciũt afflicti & humiles animo. Nam illos afflictio ad perſeuerandum compellit: in iſtis humilitatis virtus facit vt non indignẽtur, nec ceſſent quemadmodum ſuperbi, ſi non ſtatim exaudiantur. Maior autem vis eſt & emphaſis in hac ſententia, dum intelligitur de humiliante ſeipſum coram Deo, ſicut noſter intelligit. Significatur enim nouo more fieri, vt qui ſe deprimit, eius oratio magis aſcendat.

19 *Et Dominus non elongabit, ſed iudicabit iuſtos, & faciet iudicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam.*

DEſcripſit quomodo ſe habeat oratio humilis, nunc etiam pulchra narratione commemorat quomodo ſe Dominus erga illam ſit exhibiturus. Pro; non elongabit; eſt ὁ μὴ βραδύνῃ, non tardabit. Itaque, elongabit, accipiendum eſt vt ſit verbum abſolutũ, vt; non elongabit; ſit poſitum pro, non diu differet, aut, in lõgum tempus protrahet. Mox, inquit, vt Dominus inſpexerit cauſam pauperis, nõ differet diu, ſed iudicabit pro iuſtis, & faciet iudiciũ: & is quis fortiſſimus eſt, ita vt ſententiam ſuam exequi poſſit facilè, nec ei quiſquam reſiſtere valeat, non habebit in iuſtis ad ſe clamantibus, hoc eſt, erga vel ſuper illos, patientiam vel longanimitatẽ, hoc eſt, non longanimen ſe exhibebit erga illos ſe inuocantes, ita vt differat eos exaudire & vindicare. Eſt enim hic Græcis verbum μακροθυμῇ, quod ſignificat longanimen eſſe, quod & eſt Lucę 18. in parabola quę huic loco valde ſimilis eſt, de vidua importunè appellante iniquum iudicẽ, vbi Chriſtus Deum conferendo cum iniquo iudice per importunitatem ſuperato, ait: Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantiũ ad ſe die ac nocte, & patiẽtiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictã illorũ.

20 *Quouſque contribulet dorſum ipſorum, & gentibus reddet vindictam.*

21 *Donec tollat plenitudinem ſuperborum, & ſceptra iniquorum contribulet.*

22 *Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos, & ſecundùm opera Adæ, & ſecundùm præſumptionem illius.*

23 *Donec iudicet iudicium plebis ſuæ, & oblectabit iuſtos miſericordia ſua.*

HIs quatuor verſibus ſignificatur quę ſequentur Dei iudicium, de quo locutus eſt. Illa enim particula, donec, hic accipitur vt ſæpe in ſcripturis, vt ſignificet quid aliquando euenturum ſit. Et prioribus quidem duobus verſibus ſignificatur, quid orantibus iuſtis, Dei iudicio euenturum ſit oppreſſoribus iuſtorum. Vbi relaturum, ipſorum, apud nos non habet expreſſum antecedens, ſed ſubintelligendum eſt de his contra quos orant, vt iuſti liberentur ab eis. Græcis eſt pro, ipſorum, ἀνελεημόνων, hoc eſt, immiſericordem, qui ſcilicet ſine miſericordia crudeliter opprimunt iuſtos, nec eorum querelis & precibus mouentur. Verbum con-

tribulet,positum est vtrebique pro conterat & confringat. Dorsum eorum conterēdum dicit,vt qui dorso suo duro & forti incubuerint dorso iustorum,& oppresserint eos. Itaque per dorsum eorum,significatur eorum fortitudo & violentia quæ confringenda dicitur:sicut & per scripta eorū,significatur illorum dominium,quo alios conterere solebant.De gentibus vindicandis peculiariter dicit,significans idololatras , quia ab illis in circuitu habitantibus electus Dei populus Israëliticus & prius semper & etiam tunc cū hæc scriberentur,grauia & dura patiebatur. Tertius versus generaliter comprehendit quid Dei iudicio omnibus & bonis & malis eventurum sit, nempe quòd omnibus reddet secundùm actus suos.Cæterùm nomen, Adæ,hic non videtur accipiendum vt sit nomen propriū protoplasti,cùm Græcis priori loco vbi noster vertit,hominibus,sit ἀνθρώπῳ, homini:posteriori loco ἀνθρώπων, hominum. Accipiendum ergo,sicut aliquoties in scripturis,teste D.Hieronymo,vt sit nomen appellatiuum pro,homine.Pro,præsumptioné, est ἐνθυμήματα, hoc est, cogitationes,quales quisque sibi præsumit & eligit. Significatur ergo Deum non tantùm redditurum homini secundùm opera eius,sed etiam secundū cogitationes,& ea quæ quisq; corde præsumit & cogitat antequā faciat opere. Quartus versus vltimo loco comprehendit quid peculiariter per iudicium Dei,sumpto supplicio de impiis oppressoribus , eueniet iustis vim in hoc mundo passis , nempe quòd Deus iudicabit iudicium pro plebe sua, sicque oblectabit illos sua misericordia , qua eos benignè liberauit ab impiorum violentia,& pro patientia ipsorum, æterna eos remunerabit lętitia.Bene enim prius meminit iudicij ipsorum,& postea iudicij iustorum, quia iustos oblectabit conspecta impiorum vltio.Vnde & Christus eodem ordine dicit: *Mat.25.* Ibunt hi in supplicium ęternum,iusti autem in vitam æternam.Bene etiam iudicio iustorum coniungit misericordiam,quia sine misericordia nō fiet,iuxta illud:Qui coronat te *Ps.102.* in misericordia & miserationibus.

14 *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.*

IN Græcis est,ὡς ὡραῖον , Quàm speciosa, vt sit exclamatio Sapientis de misericordia & ope Dei adueniente in calamitate. Pro; speciosa; etiam verti potest , opportuna vel tempestiua,quia vtrumque dictio Græca significat, & magis conuenit proposito hæc posterior significatio propter subiectam similitudinem;quasi nubes pluuię;hoc est,nubes pluuiosa, & pluuiam diffundēs.Ea enim elegantius dicitur tempestiua in tēpore siccitatis quàm speciosa,quamuis etiam speciosa rectè dicitur,quia conueniens.Pulchra ergo & apta est hæc cōparatio,quæ significat, quòd quemadmodum pluuia valde est expectata in tempore siccitatis, & ob id valde grata,iucunda & conueniens:ita & Dei misericordia valde grata est his qui in tempore tribulationis eam diu desiderauerunt.Indicatúrque rectè ratio quare Deus ad tēpus suos sinat affligi,nec semper statim liberet, nimirum vt tantò gratior sit Dei consolatio & benignitas,quò diutius est desiderata.Vnde sancti dicunt: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti,annis quibus vidimus mala.&:In conuertendo Dominus captiuitatem nostram , facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrū, & lingua nostra exultatione. Vbi etiam additur *Psal.96.* similitudo qua hic Sapiens vtitur,Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrēs *Ps.125.* in austro.

Caput XXXVI.

1 *Miserere nostri Deus omnium,& respice nos & ostēde nobis lucem miserationum tuarum.*

QVoniā in superiori capite ostēdit quantùm valeat oratio humilis & afflicti Deum colētis, & quàm ad exaudiēdum suos pronus sit Deus:subiungit iam ardentem ad Deum orationem,qua misericordiam Dei orat impēdi populo eius, qui tum erat populus Iudaicus à gentibus grauia perferens,sicut nunc est populus Christianus etiam ipse à suis pressus inimicis. Et quoniam superiorem sermonem clausit de Dei misericordia,ab ea hic incipit, orans vt Dei misericordia liberentur à gentium oppressione,atq; ad gloriam potentiæ eius declarandam digna vindicta de gētibus sumatur,Dei verò populus dispersus colligatur à sua dispersione,atq; in pristinum statum restituatur.Est autem oratio hęc satis clara,sed in ea multa verba sunt à nostro addita, sicut & alibi , quæ in Græcis non habentur, vt in hac sententia illud;ostende nobis lucem miserationum tuarū.Quo petitur vt Deus exhibeat suis gratiæ suæ fauorem,quo tanquā luce quadam recreentur liberati à calamitatum tenebris. Huiusmodi enim fauoris declaratio sæpe in scripturis lucis nomine designatur,vt dictum est.

2 *Immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te,vt cognoscant quia non est Deus nisi tu, ut enarrent magnalia tua.*

EA pars;vt cognoscant,&c. non est Græcis,sed addita est ex sequentibus , vt intelligatur quo fine petatur immitti timor Dei in gentes,nempe non in malum gentiū, sed in gloriam Dei. Quomodo immitti velit timorē Dei in gentes , indicat versu sequēti.

3 *Alleua manum tuam super gentes alienas,vt videant potentiam tuam.*

ALleua,inquit,manum tuam,hoc est, dilucidè & magnificè ostende in gentibus alienis à cultu tuo potentiam tuam, sumendo de eis grauem aliquam vltionem, & operando in eis mirabilia,vt videant potentiam tuam,sicque te timere incipiant. Sæpe enim nomine manus,Dei potētia in scripturis significatur , quàm cùm Deus manifestè & magnificè atque potēter aliquibus signis declarat,siue in redimendo populo suo,siue in vindicando impios,eleuare manum dicitur,& in brachio excelso, manúque sublata aliquid facere , vt cùm dicitur populū eduxisse ex Ægypto in brachio excelso.

4 *Sicut enim in conspectu illorum sanctificatus es in nobis , sic in conspectu nostro magnificaberis in eis.*

5 *Vt cognoscant te,sicut & nos cognouimus: quoniam non est Deus præter te Domine.*

GRęcis non est coniunctio,enim,sed deprecatiuè dicitur sicut prius , magnificeris.Iuxta nostram lectionem hæc est connexio.Alleua , hoc est, eleua manum tuam super gentes,quia si id feceris,magnficaberis in eis nobis videntibus,sicut ipsis videntibus sanctificatus es in nobis.Porrò duobus modis sanctificatur Deus in populo suo , in conspectu gentium,nempe & cùm pro salute populi videntibus populis mira disignat, vt fecit in liberatione populi ex Ægypto, atque aliàs sæpe,& cùm populum suū ob peccata grauiter affligit, non sinens eorum peccata inulta.Ibi enim declaratur sanctitas bonitatis eius,hic sanctitas iustitię.De vtroque modo hic locus intelligi potest,quamuis de priori potius , de quo & apud Ezechielem *Ezec.20.* dicitur.In odorem suauitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis , & congregauero vos de terris in quas dispersi estis , & sanctificabor in vobis in oculis nationum.

6 *Innoua signa,& immuta mirabilia:glorifica manum, & brachium dextrum.*

HOc est,noua æde signa atque miracula,& præ his quæ olim operatus es , fac iam alia & diuersa mirabilia , sicque gloriosam iam fac potentiam tuam & fortitudinē, qua tanquam brachio dextro admirāda designare soles,

7 *Excita furorem, & effunde irā : extolle aduersarium, & affligе inimicum.*

CVm Deus dissimulare videtur hominum peccata , furor eius & indignatio quiescere videtur;contrà vero illam excitare dicitur , cùm ad vindicandum se parat:sic & effundere iram dicitur ,cùm grauē aliquam immittit vltionem.Sic & in Psal.78. & apud Ierem. cap.10.dicitur:Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum nō inuocauerunt. Ad quæ loca hic allusum est.Porrò, extolle, hic positum est non pro exaltare & eleuare, sed pro sustollere,& ex hoc mundo tollere, sicut & efferre , vtrumque significat. Videtur autem de singulari aliquo tyrāno loqui, à quo tum populus premebatur , quamuis possit & singulare accipi positū pro plurali.

8 *Festina tempus,& memento finis, vt enarrent mirabilia tua.*

GRæcis est;σπεῦσον καιρόν;vnde patet,tempus apud nos esse accusatiui casus , & proinde verbū,festina , apud Græcos & nos positum transitiuè pro fac festinare , quomodo & Tacitus passiuo verbo vsus est,scribens de moribus Germanorum : Nec virgines festinantur , hoc est, citò ad coniugium abripiūtur.Pro,finis , Græcis est ὁρκισμοῦ,hoc est,iuramenti , quod scilicet fecisti patribus nostris,promittens eis te semper adfuturum semini eorum.Noster legisse se declarat ὁρισμοῦ,quod , finem significat aut magis definitionem & decretum,à verbo,ὁρίζω,quod , definio & finem statuo , significat : vnde apud nos nomen,finis , accipi debet pro eo quod definitum est & decretum,vt sit sensus: Fac Domine celeriter adesse tempus vltionis inimicorum nostrorum & liberationis nostræ.quasi dicat cum Psalmista,quia tempus *Psal.101.* miserendi nostri quia venit tempus. Et memento eius quod finitum est & decretum à te, etiam iuramento interposito de liberando nos,& vindicando hostes nostros , vt ipsi experti tuam pōtentiam,vel inuiti agnoscere & enarrare cogantur mirabilia opera tua. Verisimile autem est Sapientem,qui iam ex Daniele intelligere potuit instare tempus aduentus Messiæ,qui expectabatur tāquam liberator populi Israelitici , in hac sua oratione in illius etiam aduentum respexisse,& optasse vt ille mox adesset ad liberandum eos ab omnibus gentibus , sub quarum seruitute premebantur.

9 *In ira flammæ deuoretur qui saluatur , & qui pessimant plebem tuam:inueniant perditionem.*

PEr iram flammæ , vltio ignis significatur. Per eum qui saluatur,pro quo Gręcis est ὁ σωζόμενος,significatur secundum quosdam is qui euadit,& superest vni vltioni,vt sit sensus:Qui superest,& euaserit gladium tuum, deuoretur flamma ignis. Quidam non malè intelligūt eum qui securo est animo & saluum se putat. At magis placet Lirani & Dionysij interpretatio , qui intelligunt hic peti vt qui in præsenti vita saluus est à vindicta Dei,deuoretur à grauissima vltione ignis infernalis. Verbum,pessimare,vt & alibi, positum est hic pro affligere , &, vt Lira habet, pessimè tractare.

10 *Contere caput principum inimicorum , dicentium, Non est alius præter nos.*

GRæca habent pluraliter κεφαλὰς , capita, & pro ἐχθρῶν, inimicorum , vt noster legit,quædam exemplaria habent ἐθνῶν, gentium. Cōterere caput vel capita principum, est eorum fastum & elationem confringere, aut eos penitus perdere,sicut in Psalmis di- *Psal.67.* citur : Deus confringet capita inimicorum suorum , verticem capilli perambulantium in delictis suis. Cùm enim caput alicuius confringitur, penitus sine reparationis spe perit.Bene autem caput cōfringi petit, quia in eo superbia ostentatur,quæ notatur cùm dicunt:Non est alius præter nos; quod si ad

principes referatur, intelligi potest eos gloriari se non agnoscere Deum aliquem super se, vt quidam iactare ausi sunt. Aut significat neminem esse illis similem, & neminem esse, qui si ad ipsos conferatur, vel esse dicendus sit, aut non esse homines, sed potius velut pecora quædam, quomodo etiam ea vox ad omnes populi hostes referri potest.

11 *Congrega omnes tribus Iacob, (& cognoscant quia non est Deus nisi tu, vt enarrent magnalia tua,) & hæreditabis eos sicut ab initio.*

POst dignam vltionem hostibus imprecatam, multis versibus bona precatur populo Dei. Græcis tantùm est; Congrega omnes tribus Iacob, & hæreditare eos sicut abinitio. A tempore Ezechiæ regis Iuda cœperunt dispergi tribus Israeliticæ, quæ ex parte cœptæ sunt congregari sub Cyro primùm, & deinde sub Dario, sed rursum sub regibus Græcorum grauia sæpe Iudæi passi sunt, & in varias regiones dispersi, atque etiam in seruitutem plerique abducti, ita vt Iosephus scribat à Philadelpho rege Ægypti manumissos Hebræos centum viginti milia. Petit ergo omnes tribus Israel ex omnibus mundi partibus colligi in patriam suam, vt sublatis omnibus qui populo Dei dominabantur, solus Deus Israelem velut in suum peculium & hæreditatem possideat, sicut in principio cùm populum illum ex Ægypto liberatum sibi assumpsit solus illorum Dominus existens. Hæc autem petitio non nisi in Messia spiritualiter impleta est in quem omnes sancti illius temporis respiciebant. Ille enim mortem subiit, vt filios Dei qui erant dispersi cõgregaret in vnum, hoc est, in vnam sanctam ecclesiam. Neque enim omnes vno loco consistere possent, nec vellent. Per illum factum est vt sublatis omnibus idolis, vnus solus Deus in toto mũdo ab electis agnoscatur & colatur, sicque enarrentur per vniuersum mundum mirabilia eius.

Libr. 12. Antiqui. cap. 2.

Ioan. 11.

12 *Miserere plebi tuæ, super quam inuocatum est nomen tuum, & Israel, quem coæquasti primogenito tuo.*

GRæcè est, λαόν κεκλημένον ἐπ' ὀνόματί σου, hoc est, plebi vocatæ in nomine tuo. Idem significatur nostra lectione. Dei enim nomẽ inuocari super populum, est eum populum Dei censeri nomine, vt scilicet dicatur populus Dei, quemadmodum cùm in Isaia dicunt mulieres viro; tantummodo inuocetur nomen tuũ super nos; petunt eius nomine vocari. & vxores eius haberi & dici. Pro; coæquasti primogenito; quædam Græca habent πρωτότοκον ὡμοίωσας, assimilasti primogenito, quod secutus est noster interpres. Alia habent πρωτότοκον ὠνόμασας, primogenitum nominasti. Idem vtraque lectione significatur. Alluditur enim ad illud quod dicitur in Exodo: Filius meus primogenitus Israel. Coæquasse ergo vel assimilasse dicitur Deus Israelẽ suo primogenito, quia eum primogeniti loco habuit, ita vt necesse non sit hic nomine primogeniti intelligere Christum filium Dei naturalem, quasi author significare voluerit illi Israelem esse coæquatum aut assimilatum,

Isaiæ 4.

13 *Miserere ciuitati sanctificationis tuæ Ierusalem, ciuitati requiei tuæ.*

POst communem pro populo precẽ, subiungi peculiarem pro Ierusalem orationem, cui duplicem tribuit titulum, vt vtroque nomine Deum ad misericordiam impendendam prouocaret. Vocat enim ciuitatẽ sanctificationis eius, siue quia Dei sanctitas ibi per externum cultum declarabatur, siue quia ibi erat templum quod in scripturis dicitur sanctificatio & sanctuarium Dei. Vocat ciuitatem, vel, vt est Græcè, locũ requiei, quia in eo Deus elegit peculiariter habitare & quiescere, tanquam in loco sibi præ aliis grato & placenti.

14 *Reple Sion inenarrabilibus uerbis tuis, & gloria tua populum tuum.*

SVbiungit & peculiarẽ precem pro monte Sion, in quo erat templum Domini. Nõ est autem legendum, virtutibus, vt multi libri habẽt, sed verbis, cùm Græcis sit τὰ λογία, quæ dictio propriè oracula significat, quæ in templo ædi solent. Conuenit tamẽ etiam omnibus verbis Dei, quia omnia pro oraculis habenda sunt. Petitur ergo vt Deus in Sion adimpleat magnifica sua promissa: aut vt in Sion Deus copiosè ædat oracula sua, dẽtque vt ibi eloquia ipsius abundè populo proponi & expoui possint, sicque etiam populus Dei impleatur gloria Dei, quod tunc fit, cùm promissiones suas Deus in eo implet, & cùm in eo oracula sua ædit, denique cùm Dei cognitio det scripturarum explanationẽ in populo ipsius perficitur. Dicuntur autem Dei verba inenarrabilia vel ineffabilia, quia mystica sunt & secreta, nec vnquam satis explicari valent, nec intelligi aut rectè explicari nisi spiritu sancto docente possunt. Omnis enim scriptura prophetiæ, propria interpretatione non fit. Hæc oratio impleta perfectè est in aduẽtu Messiæ, quãdo in Sion & in templo ipse Dei filius nouã legem populo docere cœpit, suaque præsentia & doctrina populum Israeliticũ magna gloria decorauit.

2. Pet. 1.

15 *Da testimonium, quia ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita precationes quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.*

GRæca non habent, quia, sed τοῖς ἐν ἀρχῇ κτίσμασίν, hoc est, his qui in initio creaturæ tuæ fuerunt. Et vnum ex exemplaribus monasterij Tongerlensis habuit; qui; non quia: quæ lectio Græcis consentit, & ob id præferenda est, vt sit sensus; Da testimonium, hoc est, declara qui sint quos ab initio tibi in tuos creasti, hoc est, quos populum tuum fecisti. Sic enim Deus sibi Israelem creauit ab initio, cùm eum ex Ægypto mirabiliter liberatum suum esse fecit. Petitur ergo vt eius rei detur testimonium, quod

quod fit, cùm Deus simili ratione suum populum redimit & restituit; quo aliquando eum sibi creauit, & suum esse fecit. Idẽ sensus est, si pro κτίσμασιν, hoc est, creaturis, legatur, vt quædam Græca habent, κτήσμασιν, hoc est, possessionibus tuis, vel his quos ab initio possedisti. Idem etiam erit sensus, si legatur coniunctio, quia, & accipiatur pro, quòd. Pro, precationes, Græca habent προφητείας prophetias. Vnde verisimile est interpretem vertisse prædicationes vel prædictiones. Certè Rabanus exponit promissiones. Nostri exponunt precationes, deprecatorias prophetarum prædicationes, qualis est illa: Emitte agnum Domine dominatorem terræ. &: Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis; & his similia. Porro suscitare prophetarum dicta, est ea opere implere, & quasi ad tempus quiescere videbantur & quasi emortua, facto exhibere quasi viua.

15 *Da mercedem sustinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur, & exaudi orationes seruorũ tuorum.*

MErcedẽ vocat expectatum à Deo beneficium, quod dari vultis qui patienter Deum expectauerunt, ne scilicet frustrentur sua expectatione, sed vt pro merito suæ patientiæ & fiduciæ illud obtineant, vt prophetæ, qui prædixerũt Deum suis inuocantibus se adfuturum, & missurum illis liberatorem Messiam, inueniantur veraces.

17 *Secundùm benedictionem Aaron da populo tuo (& dirige nos in uiam iustitiæ) vt sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus (conspector) sæculorum.*

GRæca non habent; da populo tuo; sed περὶ τοῦ λαοῦ σου, hoc est, de populo tuo: sicque verisimile est interpretem vertisse, sed cùm non bene intelligeretur, de, mutatum esse in, da. Coniungitur autem Græcis illa pars; secũdum benedictionem Aaron; cum præcedenti parte hoc modo: Exaudi orationes seruorum tuorum secundùm benedictionem Aaron de populo tuo, hoc est, pro populo tuo factã. Alluditur ad benedictionem illam quam Aaron iussus fuit à Deo impendere Israëlitis, vt est in Nume. 6. vbi sic habetur: Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostẽdat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Cõuertat Dominus vultũ suum ad te, & det tibi pacem. & additur: Inuocabũntque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Petitur ergo vt iuxta eam benedictionem contingat populo, & exaudiat Deus orationem seruorum suorum. Quod sequitur; & dirige nos in viã iustitiæ, Græcis non est, sicut nec nomen, conspector, sed tantùm, tu es Dominus sæculorum, omniũ scilicet, hoc est, Dominus imperans omnibus sæculis. Germanica tamen æditio habet, tu es Dominus Deus sæculorum, vt videri possit interpretem pro θεὸς, vertisse conspector, quia Deus dicitur Græcis θεὸς, cò quòd omnia videat. Cæterùm tota hæc oratio etsi ad literam pertineat ad veterem populum, tamen sicut & aliæ eius populi præces in Psalmis, etiam pertinet ad populum Christianum in mystico sensu, eique facilè accommodari potest, quemadmodum & in officio ecclesiastico in sabbatho quatuor temporum Quadragesimæ ex persona ecclesiæ vsurpatur.

18 *Omnem escam manducabit uenter, & est cibus cibo melior.*

19 *Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum uerba mendacia.*

POst orationem superioribus rectè subiectam, redit Sapiens ad præcepta & monita, nouum hic auspicans argumentum, quo docet in rebus & verbis delectum habendum, quam doctrinam continuat etiam in sequenti capite. Vt autem hic locus rectè intelligatur, notandũ corruptè hic ab omnibus pene legi; & cor insensatum; cùm ex Græcis constet legendum; cor sensatum, quomodo manifestè legit & exponit Rabanus. vnde & in Glosa Ordinaria ponitur vtraque lectio. Græcè enim est, καρδία συνετὴ, cor prudẽs aut intelligens. Pro, fauces, est φάρυγξ γευέται, hoc est, guttur gustat. Est ergo sensus horum duorum versuum: Quemuis quidẽ cibum recipit & manducat venter, est tamẽ vnus cibus alio melior & eligibilior. Quis autem melior sit, fauces gustu discernunt. Illæ enim gustu percipiunt qui cibus sit ferinus, quis communis, & delectabilem à minus grato distinguunt. Ita similiter etsi omnẽ sermonem auris hominis admittat & recipiat, magna tamen sermonum est diuersitas, quam discernere rectè non potest nisi cor prudens, quod contingit, percipit, & iudicio suo discernit verba mendacia à veris. Apta ergo est hæc comparatio, qua rectè auris hominis comparatur vẽtri, quòd sicut hic quemuis cibum admittit, bonum & malum, delicatum & communem: ita illa admittit & percipit auditu quemuis sermonẽ. Cor autem hominis prudens comparatur gutturi, quòd sicut illud, si non sit infectum, discernit cibos: ita cor prudẽs perceptos aure sermones diiudicat. Eóque magis hęc cõparatio est accõmoda, quod sermo sit quasi animi cibus & pastus, vel salutaris, vel pernicios us. Ideóque hac cõparatione ostenditur in his quæ auditu percipiuntur, vnde mens pascitur, non minorem delectum habẽdum, quam habetur in cibis vnde corpus pascitur. Proinde etsi dixerimus aurem hominis hic rectè comparari ventri, tamen si penitius similitudinis vis inspiciatur, magis conuenit intelligere, mentem hominis comparari ventri, quòd illa omnia recipiat sicut venter, sitque quasi venter animi, in quem vt ne noxius intromittatur sermo, prudentię est dispicere, cuius prudentiæ vim & fructũ etiam sequens sententia ostendit.

20 *Cor præmium dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.*

Pro

PRo,peritus, est πολύπειρ@, hoc est,multa expertus.Pro,cor prauũ,est καρδία στρεβλὴ, cor distortum, quod rectè prauum dicitur, sed plus est quàm malum, versutum scilicet & fallax, & cuius fallacia non facilè percipitur.Sensus ergo est:Cor distortum suggeret multis tristitiæ & doloris occasionem & verbis suis & factis: at homo qui rerum habet experientiam, facilè resistet ei, quia occurret eius fallaciis:sua enim sagacitate percipiet qua mente quid à quoque dicatur.

21 *Omnem masculum excipiet mulier, & est filia melior filia.*

CErtum est legendum esse, filia melior filia,non autem,vt quidam legunt, melior filio,cùm Gręcè sit,ἐστι δὲ θυγάτηρ θυγατρὸς κρείσσων,est autem filia melior filia.Postquam docuit delectum habendum in auditis sermonibus, docet etiam de delectu habendo in coniugio, & significat maiorem delectũ adhiberi in mulieribus atque vxoribus ducendis, quàm in viris,maximè quod ad formam pulchritudinémque attinet. Prætermissis ergo varijs huius loci tractationibus, sensus est; Mulier nuptura facilè quemuis masculum excipiet vel suscipiet in virum, nec ita vt in plurimum solicita est ad discernendum qualis sit futurus maritus,maximè quod ad pulchritudinem attinet, quæ non magnopere in viris requiritur.At inter filias in coniugium ducendas vna alteri longè est præferenda, atque delectus earum diligenter est habendus, vt non quæuis statim ducatur,sed inter multas deligatur quæ formæ pulchritudine commendata sit. Hæc enim in fœminis magis expetenda est,quàm in viris.Vnde subiicitur;

22 *Species mulieris exhilarat faciem uiri sui,& super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.*

SEnsus est: Pulchritudo mulieris facit hilarem vultum viri sui, & excedere facit desiderium & amorem sui, super omnem aliam hominis cõcupiscentiam. Nihil enim aliud naturaliter magis ad desiderium sui accendit hominem quàm pulchritudo mulieris. Proinde in ducenda vxore indicat formæ habendam rationem, quæ in coniugio
Pro. 11. virum oblectet, & in amore conseruet. Verùm ad significandum non solùm formæ habendam rationem, sed etiam morum & virtutum,sine quibus mulierem formosam comparat Salomon circulo aureo in naribus suis,ideo subiicit:

23 *Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ, non est vir illius secundùm filios hominum.*

GRæca clarius habent priorem partem hoc modo; εἰ ἔστιν ἐπὶ γλώσσης αὐτῆς ἔλε@ καὶ πραότης καὶ ἴασις.Si enim in lingua eius misericordia(vel clementia)& mansuetudo & sanitas.Vnde patet malè quosdam legere: Sic enim lingua, &c. Patet item melius omitti secundum verbum,est,quod abest in plerisque scriptis, vt vera lectio sit: Si est lingua curationis & mitigationis & misericordiæ. Sic enim habent multa scripta, sic & Biblia quædam Romæ impressa anno 1471. & est sensus:Si præter formam,quæ maximè solet homines mouere, & ad coniugium pertrahere,est etiam in vxore lingua blanda, quæ sua mansuetudine & clementia possit etiam iratum & tristem animum mariti curare, mitigare, & ad misericordiam flectere atq; clementiam:tunc sanè maritus eius non est similis filiis hominum, sed fœlicissimus est, & communem hominum conditionem excedit.Quo significatur rarò id accidere vt & pulchram quis nactus sit vxorem, & simul linguæ blandæ atque mansuetæ, cùm ferè pulchra mulier ob pulchritudinem sibi nimis placens superba, & acerba sit, parùmque blanda in verbis suis.

24 *Qui poßidet mulierem (bonam) inchoat poßeßionem:adiutorium secundùm illũ est & columna & requies.*

BOnam,non est Græcis, nec apud Rabannm. Non enim hic significare voluit Sapiens quid bonitas mulieris viro afferat, sed quid boni viro afferat coniugium initũ, quamuis id maximè locum habeat cùm obtinetur vxor bona.Pro,qui pòssidet, est ὁ κτώμεν@, quod etiam verti potest, & proposito congruentius: Qui acquirit vxorem. Postquam enim docuit cum delectu vxoré accipiendam, subiicit iam coniugij commendationem,ostendens illius commoda. Qui, inquit,acquirit vxorem, eàmque iam habere incipit, is hoc ipso incipit habere possessionem,tum quia in præcipua & prima possessione ac substantia vxor est deputanda, tum quia ante coniugium veluti vagus & instabilis fere nõ habet stabilem ac certam habitationẽ, & quia tunc nactus est initium alendi familiam, & parãdarum solidè facultatum,cùm habet sociam vitæ, & adiutricẽ rei familiaris, quæ per vxorem maximè asseruari debet,sicut virorum opera parari & conquiri.Vnde sequitur;adiutorium secundùm illum est;hoc est, vxor est adiutorium viri,simile illi,& viro accommodatum.Alluditur enim ad illud quod Dominus dixit: Gene. 2.
Non est bonum hominem esse solum,faciamus ei adiutorium simile sibi;vbi pro; adiutorium simile sibi; Hebræis est, adiutorium quasi coram ipso. Septuaginta verò habent vt hic,βοηθὸν κατ' αὐτὸν,hoc est, adiutorem secundum ipsum, vel iuxta ipsum, hoc est, vt vertit D. Hieronymus, simile sibi. Pro eo quod sequitur;& columna vt requies; Græcè est,καὶ στῦλον ἀναπαύσεως,hoc est columnam quietis. Vnde verisimile est interpreté scripsisse non;columna vt requies; sicut passim legitur.sed;colũna & requies; quemadmodum duo scripta emendatissima habebant noua manu correctum. Sensus ergo est: quòd vxor sit viro quasi colũna, in qua qui prius vagus erat, iam quiescere & firmiter subsistere, & cui sua omnia conseruanda committere potest. Idem intelligendum,si legatur;columna vt requies; hoc est,

ipsa est columna, tanquam quæ sit requies viri. Pergit in coniungij commendatione, cùm subiicit:

25 *Vbi non est sepes, diripietur poßeßio: & vbi non est mulier,ingemiscit egens.*

PRo,egẽs,Græcis est, participium de quo cap. 34. πλανώμεν@, hoc est, erro & vagabundus. Significatur ergo, quòd quemadmodum cùm possessio aliqua,vt ager, caret sepe & munitione,ab omnibus vndique fructus eius diripiuntur;ita vir qui vxorem non habet cogitur sæpe cum gemitu errare de loco in locum, non habens fixam habitationem:sæpe etiam ingemiscit quòd egeat adiutorio, solatio, & custode rerum suarum.
Titum 2. Hac enim comparatione innuitur vxorem esse viro loco sepis,munimenti, & custodis, vnde Paulus vult vxores esse οἰκουρούς,hoc est, domus curam gerentes, aut domus custodes.

26 *Cui credit qui non habet nidum, & deflectens vbicunque obscurauerit, quasi succinctus latro,exiliens de ciuitate in ciuitatem.*

LOcus etiam corruptus hic est.Non enim legendum esse:Cui credit,sed,Quis credit; vt habebant duo antiquissima scripta, patet ex Græcis,quæ habent τίς πιστεύσει.Quis credit.Quædam scripta habebant; Qui credit,pro, quis credit. Id postea est mutatum in,Cui, quia relatiuum, qui, non videbatur habere antecedens.At in antiquo quodam scripto sic habebatur expositum: Quis credet ei qui non habet nidum? Hæc ergo est vera lectio?Quis credit; & debet tota sentẽtia sub vna legi interrogatione.Qua sententia præter incómodum quod superior sententia tribuit ei qui expers est coniugij,iam aliud incommodum exprimitur,nẽpe quòd tali nulla fides habeatur, ita vt nemo cum eo commercia inire velit,nemo facilè ei honoris munia committat,omnibúsque suspecta sit eius viuendi ratio,eo quòd fixam habitationem non habeat, similisque sit latroni semper ad proficiscendum parato, sempérque locum mutanti.Per nidum enim, fixam habitationem significat, metaphora desumpta ab auibus.Fere enim iuuenes ante coniugium incertis sedibus vagare solent ideóque talibus tribuit non habere nidum & deflectere,hoc est,declinare ad hospitandum vbicunque obscurauerit, hoc est, vbi eos nox occupauerit. Quos latroni comparat,non solum ob vagationem,sed etiam ad insinuandum,quòd sicut à latrone quisque suæ vitæ & facultatibus metuit, ita à iuuenibus vagabundis,& coniuge carentibus,quisque metuit pudicitiæ suarum filiarũ & vxorum,cui illi frequenter insidiari solent, non aliter quàm latrones vitæ & facultatibus hominum.Et hactenus quidẽ aliquot sentẽtiis significauit commoda matrimonij, & incõmoda cœlibatus, Ex quibus tamẽ colligendum nõ est,cœlebatum malè iam laudari in his qui se cultui diuino addicunt. Hi enim si,vt debent,pro vxore carnali,sapiẽtiam sibi in sponsam assumant,secuti sapientem, qui dicit: Quæsiui illam mihi in sponsam assumere,& amator factus sum formæ illius; facilè omnia cœlibatus incommoda quæ hic Cap. 8.
insinuantur superabunt. Nam & in ea summam & pulchritudinem & voluptatem deprehendet, quia in lingua eius clementia est & sanitas recreãs.Non enim habet amaritudinem conuersatio eius.In illa habebũt adiutoriũ vt & in omnibus tribulationibus consolationem percipiant, & ad bona quæque agenda iuuentur,Item hæc illis erit velut columna, in qua mens eorum suauiter quiescet libera ab euagatione carnali. Per hanc & sunt bene muniti, & facilè fit vt fixã aliquam habitationem atque viuendi rationem sibi deligant,in qua Deo seruiant.

Caput XXXVII.

1 *Omnis amicus dicet, & ego amicitiam copulaui, & est amicus solo nomine amicus.*

POstquã docuit de delectu sermonum & mulierum habẽdo, subiicit etiam de delectu tum amicorum tum cõsiliariorum. Et de amicis quidẽ dicit, quod quiuis amicus dicet etiã se cum alio iniisse amicitiam:sciendum tamẽ esse aliquos amicos qui solo nomine tales sunt, non autem re,significans proinde inter eos qui se amicos prædicant,delectum habẽdum, & serio diiudicandum qui veri sint amici, qui non, ne eueniat quod sequitur.

2 *Nónne tristitia inest vsque ad mortem?Sodalis autem & amicus ad inimicitiam conuertentur.*

GRæcè clarius sic est;Nónne tristitia manet vsq; ad mortem, sodalis & amicus conuersus ad inimicitiam?Hoc est, nónne cùm amicus conuertitur ad inimicitiã,hinc frequenter oritur in homine tristitia vsque ad mortem perdurans?Impedit in nostra lectione sensum coniunctio aduersatiua, autem, quæ sicut non est Græcis, ita nec in quibusdã scriptis, nominatim in vno exemplari Tongerlensi,proinde expungenda videtur, cùm nec Rabanum legisse appareat ex commentariis.Et melius conuenit verbũ præsentis temporis,conuertuntur, quomodo legit Rabanus, quàm futurum, conuertentur. Itaque sensus erit idem qui in Græcis:Nónne tristitia inest, hoc est, inhæret & permanet vsque ad mortem,quando sodalis & amicus conuertuntur ad inimicitiam? vt totũ sub vna legatur interrogatione,& subaudiatur aduerbium, quando, vel vbi sicut intellexisse videtur Rabanus sic scribens: Maximum enim malum est, & cõtinuò dolore gemendum, quod vbi speratur fidelitas,ibi inuenitur malignitas: & vbi amicitiæ assimilata est charitas, ibi inimicitiæ reperitur peruersitas .Potest & sic distingui, vt primum per interrogationem efferatur: Nónno tristitia inest vsque ad mortem? Deinde conquerẽdo subiiciatur; Sodalis & amicus

amicus ad inimicitiam conuerturtur; vt sit sensus: An non amicitiæ occasione aliquando oritur tristitia perdurans vsque ad mortem? Contingit enim amicos ad inimicitiam cõuerti. Id quoniam indignissimum est, ideo in huius rei detestationem exclamando subiicit.

3 *O præsumptio nequissima, vnde creata es cooperire aridam malitia & dolositate illius?*

MAlè in omnibus penè libris habetur, aridam malitiam, & dolositatem illius, aridam, sit adiectiuum substantiui, malitiam sicut legunt & exponunt Lira & Dionysius. Vera lectio, quæ iam in multis impressis libris habetur, est per ablatiuos, malitia & dolositate, vt adiectiuum, aridam, sit substãtiuè positum pro terra, cùm Græcis sit, τὴν ξηρὰν, ipsam aridam. Pro, præsumptio, rursum est ἐνθύμημα, hoc est, cogitatio. Exclamando ergo admirans interrogat vnde originem traxerit tam pernicioſa cogitatio, vt ex amico quis conuertatur ad inimicitiam, non quod ignoraret vnde ortum suum habeat, constat enim ex instabili & mala voluntate prodire: sed vt huiusmodi interrogatione in sinuaret indignum plane esse vt tale quid eueniat in mundo, nec conuenire illud naturali humanæ conditioni, nec ex Deo naturam instituente ortum habere, sed ex pessimo diabolo, homines ad illud suis tentationibus impellente & pertrahente, quod magis Græca significant, quæ pro, creata es; habent ἐκυλίσθης vel ἀνεκυλίσθης, hoc est, deuoluta es vel prorepsisti, vt significet ex infernis prodiisse latenter & insidiosè in terram. Cùm dicit: Cooperire terram malitia; significat hoc malum perfidiæ nimis latè obtinere in terra inter homines, & omnia loca replere. vnde & conquerendo de eadem re tanquã valde indigna, & tamen frequenti, subiicit:

4 *Sodalis amico coniucundatur in oblectationibus, & tempore tribulationis aduersarius erit.*

QVasi dicat: Indigna valde est hæc res, & tamen valde frequens, vt sodalis cum amico lætetur tẽpore lætitiæ, & cùm omnia cedunt prosperè: fiat verò aduersarius ei, cũ inciderit tempus tribulationis.

5 *Sodalis amico condolet causa uentris, & contra hostẽ accipiet scutum.*

DIxit superiori sententia de eximiè perfido amico, dicit nũc de eo qui in aduersitatibus fidus videtur, qui tamen etiam ex animo amicus non est, vt insinuet meritò in diiudicandis amicis operam magnam adhibendam. Sicut, inquit, est qui tempore læto condelectatur amico, at idem tempore tristi fit hostis: ita est qui condolet amico in aduersitatibus ipsius, & contra hostem amici accipiet scutũ, seséque ad pugnam parabit: sed hæc omnia facit non ex vero amore, sed causa ventris, vt scilicet ab amico alatur, & vtilitatem aliquam cõsequatur, quasi dicat: Nec talibus nimis fidere oportet, aut mox illos pro veris & solidis reputare amicis. Nam si cessauerit spes fructus, mox & amicitia cessabit, & ad aduersarias partes facilè transibunt, si ibi spes vtilitatis affulgeat.

6 *Ne obliuiscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in operibus tuis.*

PRo; operibus; Græcè est χρήμασι, hoc est, possessionibus vel opibus tuis, vt verisimile sit interpretem vertisse non, operibus, sed, opibus, quamuis etiã opera accipi possint pro opibus labore & opera paratis, quẽadmodum cùm dicitur: Labores manuum tuarum manducabis; sensus est, mãducabis ea quæ labore manuum tuarũ parasti. Postquam ergo Sapiens notauit leuitatem amicorum quorundam, qui fortunam tantùm amici sectantur: notat hic leuitatem aliam eorum qui meliorem adepti fortunam, & diuites facti, veteris amici obliuiscuntur. Itaque monet vt ne vnquam in animo suo obliuiscatur veteris amici, nec cùm opes acceſſerunt immemor illius sit: sed vt eum participem faciat opum & laborum suorum, atque vt ipso opere illi benefaciat, iuxta illud Ioannis: Non diligamus verbo, neque lingua sed opere & veritate.

7 *Noli consiliari cum socero tuo, & à zelantibus te absconde consilium.*

HÆc sententia in Germanica æditione non ponitur hoc loco, sed postea, vbi enumerantur varij cum quibus consultandum non est. Quo loco hæc sententia in scriptis libris plerisque etiam repetitur, secundùm aliam versionem. Porrò pro; cum socero tuo; Græcè est ὑποβλεπομένου σε, hoc est, cum eo qui suspectum te habet, quomodo habẽt multi libri in hac sententia postea repetita secundùm aliam, vt dixi, versionem. Et conuenit hic sensus cum eo quod sequitur; & à zelantibus te; hoc est, odientibus te, & inuidẽtibus tibi absconde consilium. Stultè enim à talibus petitur consilium aut eis aperitur animi nostri consilium, à quibus nõ est spes boni consilij capiendi. Mirum quid secutus sit interpres vertendo; cùm socero tuo; cum quo tamen rectè monetur consilium non ineundum, maximè cùm agitur de causa aliqua filiam illius concernente, quia periculum est, ne mox ea consilia filiæ suæ aperiat, quæ eam scire non conuenit, aut ne in rem suæ filiæ magis consulat, quam in vtilitatem sui generi. Videri potest pro illo generali cum eo qui suspectũ te habet, interpretem exempli causa speciem posuisse, dicendo; cum socero tuo; quia socer ferè generum suspectum habet in causa suæ filiæ, quasi non illam satis diligat, sed aliam præ illa magis. Postquam ergo monuit de habendo delectu amicorũ, monet etiam de delectu consiliariorum, ostendens etiam inter eos esse quibus fidendum non sit, vnde similiter sicut in præcedentibus delectibus subiicit.

8 Omnis

8 *Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso.*

PRo, prodit, Græcè est ἐξαίρει, hoc est, extollit, vt significetur omnem consiliarium suum laudare consilium, non tamen ob id illud semper sequendum. Nostra lectio significat quemuis consultorem pronunciare & proferre suum cõsilium, sed, inquit, est cõsiliarius in semetipso, hoc est, qui pro semetipso atque in rem suam consilium dat: proinde vult significare non mox cuiuis credendum, nec cuiusuis consilium statim amplexandum. Vnde subiicit:

9 *A consiliario seruа animam tuam, prius scito quæ sit illius necessitas, & quid ipse animo suo cogitet.*

MAlè multi legunt; A consiliario malo; cùm adiectiuum sicut non est in Græcis, ita nec in multis scriptis. Neque enim monet à malo consiliario cauendum, sed cauendum ne cuiuis consiliario quis se committat, & statim credat, vt sit sensus: seruа animam tuam à consiliario, hoc est, teipsum custodi ne cuiuis consiliario facilè confidas, sed priusquam illum adeas pro consilio, scito quæ sit illius necessitas, hoc est, qua re opus habeat, ne forte pro sua necessitate consilium suggerat, & non pro tua vtilitate. In sequenti parte duplex est lectio. Nam Rabanus & multa scripta habent; & quid in animo suo cogitet, scilicet scito. Multi verò legunt: Et ipse enim animo suo cogitabit; quæ lectio Græcis magis consentit, quæ habent: Etenim ipse sibiipsi consulet. Itaque sensus est: Scito quæ sit illius necessitas. Nam si necessitate prematur, ipse cogitabit animo suo hoc est, cogitabit pro seipso, vt ea suggerat cõsilia, quæ ipsi sunt futura vtilia. Non enim legendum est; In animo suo cogitabit; sed per datiuum; animo suo cogitabit; vt habent scripta correctiora.

10 *Ne forti mittat sudem in terram, & dicat tibi: Bona est uia tua, & stet econtrario videre quid tibi eueniat.*

PRo; ne fortè mittat sudem in terram; Græcè est, μὴ ποτε βάλῃ ἐπί σοι πλάγιον, hoc est, ne fortè mittat super te sortem, hoc est, ne forti te committat, & in periculum te cõiiciat. Notat enim eos qui in re dubia atque incerta alium ad aliquid exhortantur, cupientes videre quem exitum res sit habitura, cùm in re quæ euentum dubium habet & obscurũ temeritas sit & perfidia homines incitare, ac non potius reuocare. Idem rectè intelligitur significari nostra lectione, vt mittere sudem in terram, sit periculum rei facere, & tentare quis sit futurus exitus, sicuti sudibus & palis præacutis tentatur fundus terræ qualis sit. Nam quod quidam exponunt; mittere sudem in terram; esse versutum aliquid machinari, nescio quam habeat rationem. Monet ergo priusquam consiliario credatur, illum esse exploradum, quia fieri posset vt ille suo consilio studeat experiri quid futurum sit, laudetque institutum tuum, dicẽs: Bona est via tua, hoc est, actio & institutum quod meditaris: ipse verò stet velut è regione vt videat quid tibi eueniat, risurus si malè eueniat, & ex tuo infœlici euentu suum commodum quæsiturus, aut saltem tuo incommodo experturus quale sit quod dedit consiliũ. Huiusmodi sanè perfidia nimis in mundo obtinet, eámque videre licet in imperitis medicis & aduocatis, causarùmque procuratoribus.

11 *Cum uiro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia.*

VAria hic est lectio. Ferè enim sic legitur vt iam positum est, & intelligitur verbũ tracta, ironicè dictum, illudque referri ad omnia sequẽtia, ita vt significetur cum duodecim illis, quę speciatim enumerantur, nõ esse cõsultandum, sicut postea dicitur; Non attendas his in omni consilio. Rabanus autẽ legit; Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia noli consiliari. Deinde subiungit; & cum muliere de ea quę æmulatur, &c, vultque illam partem, noli cõsiliari, repeti ad sequentia membra: quæ sanè lectio conuenientior est, & Græcis magis consentiens, Quædam scripta habebant; Cũ viro religioso tracta de sanctitate; sed non habebant in fine huius sententiæ ea verba; noli consiliari. Itaque secundùm eam lectionem, ea pars; & cum iniusto de iniustitia; simul cum omnibus membris sequentibus coniungi debeat cum illo quod in fine dicitur; In omnibus his non attendas in omni consilio. Et hanc quoque lectionem communi & receptæ præferendam puto, cùm parum conueniat dicere Sapientem ironicè præcipere, tractandum esse cum viro irreligioso de sanctitate, & sic de aliis, maximè cũ Græca nihil tale habeant. Quidam codices scripti, ante sequentia membra præmittunt hic sententiam Græcis correspondentem, de qua superius dictum est: Noli consiliari cum eo qui te suspectũ habet, & cum æmulantibus tibi absconde consilium. Vtut est, proponuntur hic certa hominum genera, cum quibus super certis rebus non est deliberandum, & consilium capiẽdum, per quæ generaliter significatur neminem, qui alicuius priuati commodi studiique rationem sibi propositam habet, ea in re in consilium adhibendum esse. Animum enim omni ira, amore, inuidia, cupiditatéque vacuum consiliarius adferre debet ad deliberationem. Personæ autem quæ hic proponuntur, propria quadam ratione sunt in alteram partem propensiores. Sunt autem in nostra lectione decem personæ, quæ deinceps proponuntur hoc modo.

12 *Et cum muliere de ea quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negotiatore de traiectione, cum empto re de venditione.*

13 *Cum viro liuido de gratis agendis, cum impio de pietate, cum inhoneſto de honeſtate, cum operario agrario de omni opere.*

14 *Cum operario annuali de consummatione anni, cũ seruo*

ſeruo pigro de multa operatione: Non attendas his in omni conſilio.

LEgendum potius eſſe in primo mebro: de ea quæ emulatur; quàm, de his quæ æmulatur, cùm vtrumque legatur, patet ex Græcis, quæ haben, περὶ ἀντιζήλȣ αὐτῆς, hoc eſt, de pellice illius, vel ea quæ ipſtm æmulatur, vnde apud nos in verbo, ęmulatur, ſubaudiẽdum eſt, eam. Monet ergo conſultandum non eſſe cum muliere de ea quæ illam æmulatur, odióque & inuidia proſequitur, quia de illa mulier hoc ipſum intelligens nihil ſani ſuggeret, ſed ea tantùm quę erunt in rem ſuam. Sic cum timido de bello conſultandũ non eſt, quia illud, etiam ſi ſit neceſſarium & opportunum, planè diſſuadebit. Nec cum mercatore de traiectione, hoc eſt, de permutatione mercium, aut de profectione vltra mare mercium comparandarũ cauſa, (vtrũque enim dictio Gręca μεταβολίας ſignificat.(Mercator enim de permutatione conſultus in rem ſuam conſulet, & profectionem diſſuadebit, quo merces ſuas pluris vendere poſſit. Sic & emptor aliquis conſultus de vẽdenda aliqua re, aut de pretio eius, conſulet in ſuum commodum, Sic & vir inuidus non bene conſulet de agendis gratiis, quia inuidet benefactori gratiarum actionem, & acturo gratias inuidet gratitudinis oſtentionem, qua nouũ ſit beneficiũ promeriturus. Nec impius bene conſulet de pietate præſtanda, quia ei diſplicet: nec inhoneſtus, hoc eſt, inhumanus vel ruſticus de exhibenda honeſtate vel humanitate. Sic nec operarius agrarius, hoc eſt, qui agrum debet colere, conſulendus eſt de omni opere quod pręſtare debet, an illud bene peractum ſit. Nec qui ad annum conductus eſt conſulendus eſt an annum ſuum laborem per totum annum bene conſummauerit & perfecerit. Dicent enim hi quod in rem ipſorum facit, ſi proprij ſui laboris iudices fuerint conſtituti. Sic nec ſeruus piger de multa operatione eſt cõſulendus, quia illam ob pigritiam proculdubiò diſſuadebit.

15 *Sed cum uiro ſancto aſſiduus eſto quencunque cognoueris obſeruantem timorem Dei.*

16 *Cuius anima eſt ſecundùm animam tuam, qui cùm titubaueris in tenebris, condolebit tibi.*

POſtquam dixit, à quorum conſiliis ſit abſtinendum; ſubiungit & à quibus ſint cõſilia capienda. Et primum quidem docet cõſultandũ cum viro aliquo ſancto & religioſo, eique ob id continuò adhærendum, tum quia is nihil eſt conſulturus niſi quod cõueniat timori Dei, cuius ipſe eſt obſeruatiſſimus: tum quia eius animus planè conſentit cum animo conſilium quærentis. Nam ſicut is quærit ſuam ſalutem, ita & ille, adeo vt ſi alius per errorem aliqua in re titubauerit & lapſus fuerit, ille non ſit gauiſurus, ſed condolebit, atque ob id erigere & confirmare ſtudebit.

17 *Et cor boni conſilij ſtatue tecum, non eſt enim tibi aliud pluris illo.*

GRæca clarius ſic habent; Et conſilium cordis ſtatue, non enim eſt tibi fidelior illo. Hoc eſt, conſtitue in teipſo, & firmum habet illud conſilium quod tibi proprium cor ſuggerit, quia non eſt quiſquam qui fidelior tibi eſſe poſſit quàm cor propriũ, quod melius frequenter nouit quid tibi expediat, & quomodo alicui rei ſis affectus. Itaque ſecundum hic traditur quod faciendum ſit, vt quis ſibi bene conſultat. Non enim ſic pendendum eſt à conſilio aliorum etiam bonorum, vt non etiam, imò maximè, quis conſulat cor proprium. Quare & noſtra litera vt eundem habeat ſenſum, ſic eſt accipienda; Et præter id quod dixi, ſtatue tecum cor boni conſilij, hoc eſt, cura in teipſo vt habeas cor boni conſilij, tu tecum ipſe delibera, tibique ipſe ſis cõſiliarius, non eſt enim aliud quod tibi pluris ſit faciẽdum quàm cor proprium, nullius conſilium pluris reputare debes, quàm quod ſuggerit cor proprium. Vnde & ad idem conprobandum ſubiicirur.

18 *Anima uiri ſancti enunciat aliquando uera, quam ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.*

GRęcis non eſt adiectiuum, ſancti, ſed tãtùm, Anima viri, hoc eſt, Anima vniuscuiuſque hominis, & anima propria. Significare enim vult animam & cor cuiuſque frequenter melius indicare & ſuggerere quid ipſi ſit faciendum, & quid ei expediat agere, quàm ſeptem alij, hoc eſt, multi alij. qui ad hoc ſunt conſtituti vt alios doceant, & conſilia præbeant. Subaudiẽdum enim eſt ſecundùm phraſim Græcam, ante; quàm; comparatiuus, magis. Vt hunc ſenſum noſtra lectio habeat, ſic eſt accipienda: Tu tecum ipſe delibera, quia anima vniuſcuiuſque viri, ſi modo ſanctus ſit & timens Deum, indicare ſolet melius vetitatem in rebus agendis, quàm ſeptem doctores, quorum officium eſt ſpeculari & aliis cõſulere, hoc eſt, nemo melius cõſulere vt in plurimũ poteſt, quã quiſque ſibi, ſi modo Deum timeat. Bona ſane & utilis doctrina contra eos qui in agendis nimis ab aliis pendent, proprium animum, affectum & ingeninm examinare & ſequi negligentes: vnde frequenter fit, vt quæ contra proprium indicium & affectum ſequuntur, cõſilia, non bene cedant, quare bene monuit quidam dicens: Tu nihil inuita dices, faciè ſue Minerua.

19 *Et in his omnibus deprecare altiſſimum, vt dirigat in veritate uiam tuam.*

HIc iam tertium adiungit, quod imprimis & maximè eſt neceſſarium, vt quis bene ſibi conſulat, nempe vt ne nimis aut ſapientum aut ſui proprij cordis conſilio confidat, ſed præter hæc & in omnibus his orandum ſibi ſciat altiſſimum, vt qui eſt omniũ conſiliorum bonorum & author & director à quo eſt vt quis bona conſilia à ſapientibus obtineat, aut ſecum ſtatuat, à quo item eſt vt capta bene conſilia ad effectum ſalutariter deducantur: qui proinde orandus eſt vt & in capiendo conſilio, & in exequendo viam hominis, dirigat in veritate, ita vt libera ſit ab errore & iniuſtitia, quomodo orabat Dauid, dicẽs: Dirige me in veritate tua, & doce me. (Pſal. 24.) Similis huic loco eſt doctrina Tobiæ 14. ad filium ſuum: Conſilium, inquit, ſemper à ſapiẽte. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, vt omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

20 *Ante omnia opera uerbum uerax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.*

IDem hac ſententia ſignificat quod ſuperius, cum diceret: Fili ſine cõſilio nihil facias. (Supra 6. 32.) Adiectiua, verax & ſtabile, addita ſunt non male ab interprete. Pro verbum, Gręcis eſt λόγος, quod & verbum ſignificat & rationem, vt poſſit verti: Ante omnia opera ratio, ſcilicet præcedat, ſed in dictione, verbũ, non tantùm verbũ vocale deſignatur, ſed etiam mentale, quod eſt ratio. Senſus ergo eſt: ante omnia opera tua & omnẽ actum præcedat te verbũ verax, quo certis rationibus diſcas ſiue in teipſo, ſiue ex aliorum conſilio facti tui rationem. Idem vocat conſilium ſtabile, quod ſcilicet firmis nititur rationibus, & ſtabili animo ſit exequẽdum. Non enim omne verbum & conſilium ſequendum eſt, ſed quod veritate fulcitur & firmis rationibus.

21 *Verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur: bonum & malum. uita & mors, & dominatrix illorum eſt aßidua lingua.*

GRæca hoc loco, maximè in prima parte, & variè leguntur, & obſcurum habent ſenſum. Latina clariora ſunt hoc loco, quæ ſignificant quòd verbum malum, vt & cõſilium malũ, & deprauata doctrina, immutat frequenter cor hominis, deprauando illud, & ex bono in malum conuertẽdo. Cuius tamen cordis quanta cura ſit habenda, per ſequentia oſtendit, cũ ſubiicit ꝙ ex corde hominis quatuor partes, hoc eſt, quatuor res (Su. c. 15.) inter ſe partitæ, & quatuor rerũ genera oriũtur, bonum & malum, vita & mors. quatuor (Prou. 4.) ſcilicet illa, quæ ſuprà dixit pòſita ante faciẽ (Mat. 15.) hominis, quorum duo priora pertinent ad actiões hominis, duo poſteriora ad actionũ præmia. Nam bonis actionibus reſpondet vita, malis mors. Hæc ergo omnia ex corde prodeunt, quia, vt dicitur in Prouerbiis, ex ipſo vita procedit, & vt Dominus in Euangelio: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, blaſphemiæ, &c. Cum autem ex corde prodeãt omnia & bona & mala, dominatrix tamen illorum aſſidua, eſt lingua, hoc eſt, lingua eſt quæ perpetuò & omni tempore his dominatur, tum quia per linguam fit vt cordi bona vel mala inſtillentur, tum quia cor hominis ſiue bona ſiue mala in alios per linguam profundat. vnde & in Prouerbiis dicitur: Mors & vita in manibus (Prou. 18.) linguæ. Et prouerbialis eſt Græcorũ interrogatio. γλῶσσα ποῖ πορεύῃ, πόλιν καταστρέψαι, καὶ πόλιν ἀνορθῶσαι, id eſt, Lingua quónam vadis? Vrbem vt deſtruam, & vrbem vt erigã. Hęc autem eò dicuntur à Sapiente, vt inſinuet quãta circũſpectione mala cõſilia, quæ ab aliis captantur, ſint vitanda: & quàm curandũ ſit ne cor vitietur, quo vitiato, nihil ſani illinc expectandum ſit. Ex prædictis intelligere licet adiectiuum, aſſidua, coniungẽdum cum dominatrix, vt ſignificetur linguam eſſe aſſiduam dominatricem, quemadmodum Græca exigunt vt intelligatur.

22 *Vir peritus multos erudit, & animæ ſuæ ſuauis eſt.*

GRæca diuerſum habent ſenſum iſtum: Eſt vir aſtutus & multorum doctor, & propriæ animę inutilis eſt. Quo ſignificatur euenire aliquoties, vt ſit quiſpiam qui alios bene doceat, & bene eis conſulat, & tamen ſibiipſi ſit inutilis & malè conſulit. iuxta Prouerbium: Nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit. &: Sapientem eum odi, qui ſibi ipſe non ſapit. Noſter interpres pro ἄχρηστος, hoc eſt, inſuauis vel inutilis, legit, χρηστὸς, quæ dictio & ſuauem ſignificat & vtilem. Et eſt ſenſus: Vir peritus, doctus, & ſapiẽs multos erudit, & interim etiã animæ ſuæ ſuauis eſt & vtilis quia & ſua ſapientia multam ſibi affert dulcedinem atque vtilitatẽ, & magna afficitur voluptate. quòd alios ſentiat per ſe eruditiores & meliores fieri Hac ergo ſentẽtia & aliquot ſequẽtibus oſtendit Sapiens fructũ ſapientiæ, indicans à quibus recta conſilia & ſana doctrina quærenda ſit.

23 *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, omni re defraudabitur.*

24 *Non eſt enim illi data à domino gratia, omni enim ſapientia defraudatus eſt.*

PRo, qui ſophiſticè loquitur; Græcè eſt, ἐστὶ σοφιζόμενος ἐν λόγοις. Eſt qui ſapientem agit in verbis, hoc eſt, qui verborum oſtentione ſe ſapientẽ haberi vult, aut qui captioſis & fallacibus verbis & argumẽtis ſapientiã præ ſe fert. Vtrũq; enim ſignificat verbũ, σοφίζομαι. Et omnino apparet Sapientẽ noſtrũ hic notare voluiſſe Græcorũ philoſophos, qui illo ſæculo quo hæc ſunt ſcripta, florebant, in varias diuiſi ſectas, quorum ſapientiã indicat in verbis magis ſitã eſſe & ſubtilius argumẽtis, quã in re & ſolida ſapiẽtia, vt qui Dei gratia & vera eius cognitione deſtituti nõ poſſunt non etiam vera carere ſapientia. Iuxta noſtrã ergo lectionẽ is loquitur ſophiſticè, qui tantùm ad vanam oſtentationẽ ſapiẽtiæ verba ſua & ſermonem componit, nempe vt ſapiens habeatur. hoc enim verè ſophiſtarũ eſt. Item loquitur ſophiſticè, qui captioſis & fallacibus vtitur rationibus, vt aliis imponat & falſitatem ſuáſque conceptas opiniones perſuadeat. De huiuſmodi dicit quòd odibilis ſit, Deo ſcilicet & hominibus qui ſimplici maximè & nuda veritate delectantur magis quàm verborum fuco. Et quia talis tantùm verbà dat, nec rem ipſam & veritatem aut ſcire aut tradere laborat, viciſſim etiam ipſe

omni re defraudabitur,hoc eſt, nullo honore,præmio atq; ſtipendio dignus habebitur, ſed dignus eſt qui & inglorius ſit,& aliméto careat.Nõ eſt enim ei à Deo data gratia,hoc eſt,non eſt ei datum à Deo vt gratiam obtineat apud homines,eiúſq; doctrina recipiatur paſſim,quia deſtitutus eſt omni vera ſapientia,verbis tãtùm innixus. Hæc eſt enim differentia vanæ ſapiẽtiæ humanæ à vera ſapientia diuina, quòd illa euaneſcat nec diu placeat:hæc verò ſolida ſit,& apud pios omni tempore permaneat.Pro,omni re, Græcè eſt in æditione Germanica, πάσης τροφῆς, hoc eſt,omni alimento:quo ſignificatur tales vel cibo indignos eſſe,quo digni ſunt boni doctores, vt à ſuis honorentur auditoribus.Itaque bene vertit noſter,omni re,defraudabitur; pro quo multi malè legunt: in omni re, cum præpoſitionem,in,nec Rabanus habeat nec multa ſcripta.Hæ ſententiæ ſicut cõtra philoſophos dictæ videntur,ita etiam rectè quadrant in hæreticos, qui ad oſtentationẽ potius docent,& fallacibus argumentis imponunt populo.D.Auguſtinus libro 2.de doctrina Chriſtiana cap.31.citat & exponit primam huius loci partem,ſic ſcribens:Captioſarum concluſionum genus ſcriptura quantùm exiſtimo deteſtatur illo loco,vbi dictũ eſt:Qui ſophiſticè loquitur,odibilis eſt.Quã quam etiam ſermo non captioſus,ſed tamẽ abundantius quàm grauitatem decet, verborum ornamenta conſectans, ſophiſticus dicatur. Ex quibus verbis patet rectè nos prius indicaſſe,dupliciter fieri vt quis ſophiſticè loquatur.

25 *Eſt ſapiens animæ ſuæ ſapiens, & fructus ſenſus illius laudabilis.*

FIcto ſapienti,de quo ſuperiori ſententia dixit quòd ſit odibilis,opponit verum ſapientem,cuius fructus ore prolatus eſt laudabilis.Sicut,inquit,eſt ſapiens,cuius ſapientia tantùm in verbis conſiſtit, quíq; tantùm cupit videri ſapiẽs:ita eſt ſapiens,qui animæ ſuæ ſibique ſapit,imprimis id agens vt ſciat quæ ſibi bona ſunt,atq; de illis agendis ſolicitus,& fructus intelligentiæ eius dum ore profertur,& alios docet,laudabilis eſt hominibus.Solus talis ſapiens ſolidum verúmque fructum ædit,eúmq; gratum & laudabilem. Quod & ſubiecta ſententia inculcat.

26 *Vir ſapiens plebem ſuam erudit,& fructus ſenſus illius fideles ſunt.*

VIr,inquit, ſapiens non ſibi tantùm ſapiens eſt,ſed etiam plebem ſibi cõmiſſam,aut populũ in quo viuit erudit, nec euaneſcit mox eius doctrina ſicut ſophiſtarum ſed fructus intelligentiæ illius,doctrina, ſcilicet,quã ore profert,& fructus qui per doctrinam eius fiunt in auditoribus,ſunt fideles,hoc eſt,firmi perſeuerantes,& diuturni. Ita enim nomen,fideles,in ſcripturis accipitur aliquando,vt cùm dicitur:Feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. *Eſai.55.*

27 *Vir ſapiens implebitur benedictionibus,& uidentes illum laudabunt.*

ETiam iſtud dicitur per oppoſitionem cũ illo quod dictum eſt:Qui ſophiſticè loquitur,odibilis eſt.Vir,inquit,ſapiens implebitur benedictionibus non ſolum Dei, ſed etiam populi, hoc eſt, multùm laudabitur, omnéſq; ei bene precabuntur,& omnes qui vident illum,laudabunt eum,eiuſq; ſapientiam,aſſerentes eum illo nomine verè beatum.Græcè enim eſt pro,laudabũt,μακαριοῦσιν,beatum prædicabunt.

28 *Vita uiri in numero dierum,dies autem Iſrael innumerabiles ſunt.*

EO ſpectat hæc ſententia, vt per eam ſignificetur,ſapientiam veram,quę ſolùm tunc in populo Iſraelitico deprehendebatur,& etiamnum in vero Dei populo qui per Iſraelem deſignatur,inuenitur,ſuis conferre immortalitatem,nõ ſolùm nominis apud homines,ſed etiam apud Deum per conſecutionem vitæ æternæ.Vita,inquit,viri, hoc eſt,vita vniuſcuiuſque quæ ſecundum corpus conſiſtit in certo numero dierum, finita eſt;& certo dierum numero comprehenditur,iuxta illud: Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt. *Iob 14.* At dies Iſraelis, hoc eſt, Iſraelitæ ſunt innumerabiles, quia infiniti, & in perpetuum durantes, hoc eſt, Iſraelitæ propter ſapientiam ſuam & veram *Ecc.7.* Dei cognitionem qua præ aliis donati ſunt, viuent in æternum, non ſolum apud homines per nominis memoriam,ſed etiam apud Deum.Huic cõuenit illud Eccleſiaſtes:Hoc plus habet eruditio & ſapientia quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.Poteſt & nomine Iſraëlis intelligi populus Iſraëliticus,hoc eſt, populus Dei,vt ſignificetur ille in æternum duraturus etiam in hoc mundo vſq; ad conſummationem ſæculi, vt hac iam ſententia comprobetur quod dixit fructum ſapientiæ eſſe ſtabilem & firmum. Propter Dei enim verbum quod ſequitur,perpetua futura eſt eius eccleſia.Sed prior ſenſus magis conuenit ſequenti ſententiæ.

29 *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen eius erit uiuens in æternum.*

SIgnificat non tantùm vitam perpetuam per ſapientiam obtineri,ſed etiam honorem perpetuum,iuxta illud: Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi &, In memoria æterna erit iuſtus.Sic & Sapientiæ 8.dicit Sapiens:Habebo propter ſapiẽtiam claritatem ad turbam,& honorẽ apud ſeniores. Quod in ſapiẽtibus impletur,& in eccleſia militãte,& triumphante. *Pſ.110. Pſ.111.*

30 *Fili in uita tua tenta animam tuam,& ſi fuerit nequam,non des illi poteſtatem.*

IVxta noſtram lectionem omnes intelligunt Sapiẽtem monere hoc loco, vt quiſ-

que periculum faciat propriæ conſcientiæ, & exploret quomodo ſit cuiuſq; anima affecta,vt ſi inuenerit eam pronã ad mala, & vitiis deditam,non det illi poteſtatem faciendi quod deſiderat,ſed refrenet, & cohibeat eam.Et eſt quidem in hoc ſenſu ſalutaris iſta monitio,verùm huic intelligentiæ parũ conuenit ſubiecta ratio. Non enim omnia omnibus proſunt,&c.Nulli enim proſunt illicita & mala.proinde notandũ eſt,Gręca alium habere ſenſum,habent enim ſecundam partem ſic; καὶ ἴδε τί πονηρὸν αὐτῇ, καὶ μὴ δῷς αὐτῇ, hoc eſt,& vide quid ſit malum ei, & ne des ei.Quo ſignificatur propriam animam probãdam eſſe,vt ſcilicet ſciatur quid ei ſecundùm eius naturam, inclinationem & vires conueniat,& quid non:& ſi deprehendatur quippiam ei non conuenire,illud ei nõ concedendum.Pertinet enim hæc doctrina adhuc ad ſeruandum in rebus delectũ,de quo hactenus multa dicta ſunt: & docetur non ſemper ſequenda eſſe quibuſlibet quæ alij ſequuntur & amplexantur,ſed cuiq; videndum quid ipſi conueniat,quia nõ omnia omnibus expediunt.Et imprimis iſtud locũ habet in conſiliis,quæ non ob id ſtatim quiſq; exiſtimare debet ſibi conuenire, quia aliis conueniũt,& aliis bene ſucceſſerũt, ſed expendere quiſq; debet an quæ dantur conſilia in rebus agendis,ſuæ naturæ & cõditioni ſint accommoda.Deinde iſtud potiſſimùm locũ habet in deligendo vitæ genere,in quo quiſque ſuarum inclinationum & virium rationem habere debet,nec iudicare mox ſibi conuenire quod aliis conuenit.Poſtremũ iſtud etiam locum habet in his quæ ad corporalem vitam pertinent,vt in cibis, qui nõ omnes quibuſlibet cõueniũt propter quod videndum cuique quid in cibo & potu ipſi commodum ſit,& abſtinendum ab his quæ naturæ propriæ incommoda ſunt & noxia. Huc etiam reſpexiſſe Sapiẽtem meritò quibuſdam viſum eſt,quia mox ſubiungitur doctrina de moderato ciborum vſu. Ad hunc ſenſum etiam noſtra lectio accõmodari poteſt hoc modo:In vita tua tẽta animã tuam, hoc eſt,explora quid in hac vita tua,tuæ animæ tibiq; maximè conueniat,& ſi fuerit aliquid nequam, hoc eſt, noxium aliquid & incommodum illi,non des illi eius rei poteſtatem,nec ſinas eam vel agere illud,vel eo vti & frui.Huic intelligentiæ probè conuenit quod ſequitur.

31 *Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.*

IDeo,inquit,probare quiſq; debet quid ſibi cõmodum ſit,quia nec expediunt omnia omnibus,nec omnia omnibus probãtur, eò quòd varia ſint ingenia hominum, viréſque naturæ diuerſæ ſint,& palata tum mentis tum corporis varia.Si autem præcedentẽ ſententiam iuxta noſtram lectionẽ quis accipere volet in ſenſu recepto,qui literæ magis conuenit, ratio quæ hoc verſu exprimitur,ſic eſt accipienda, vt ſignificet prauam animam hominis cohibendam eſſe etiã à licitis quibuſdam,eo quòd non omnia omnibus expediant,& quædam ſint quæ etiamſi quibuſdam bona ſint, & ob id licita, tamen aliis ob eorum corruptionem non ita cõueniant,eiſque peccati & lapſus occaſionem pręberent.Quòd autem non omnia etiã licita omnibus expediunt,hinc fit,quia nõ omnes ſunt eodẽ modo affecti.iam additur rectè;& non omni animæ omne genus placet.

32 *Noli auidus eſſe in omni epulatione,& non te effundas ſuper omnem eſcam.*

POſtquam monuit videndum eſſe quid cuique cõueniat,aut quomodo etiam à licitis quandoque ſit abſtinendũ,rectè ſubiicit & præcepta temperantiæ quæ in cibis ſumendis ſeruanda eſt,de qua egit etiã ſuprà. *Sup. 31.* Eſt autem Græcis in prima parte ſic:μὴ ἀπληστεύου ἐν πάσῃ τρυφῇ.Ne ſis inſatiabilis in omnibus delitiis,hoc eſt,nec cum variorum ciborum delitiæ tibi exhibentur,& multa epulatio proponitur,inſatiabilem & auidũ nimis te præbeas,ita vt nimia auiditate in cibos feraris,quaſi qui ſaturari non poſſis, & non ſinas animam tuam effundi,& impetu deſiderij efferri ſuper omnem eſcam quæ proponitur,& quam concupiſcentia appetit.Significare ergo vult,in conuiuiis appetitum cohibendum, & moderatè cibis vtendum. Et ſubiicit cauſam moralem & humanam.

33 *In multis enim eſcis erit infirmitas,& auiditas appropinquabit uſque ad choleram.*

PRo;auiditas,quidam libri habent dictionem Græcam hoc loco poſitam,ἀπληστία, apleſtia.Quidam vtrumque habẽt, auiditas, & apleſtia,quod nomen cùm non intelligeretur,quidam mutauerunt in apoplexia.Nã etiam hoc in quibuſdam ſcriptis reperitur. Rabanus tria pro vno habet,inſatietas,auiditas,&apleſtia.Ex quibus apparet omnino interpretem noſtrum ſcripſiſſe dictionẽ Græcam,apleſtia,eámque in margine à quibuſdam expoſitam per nomen,auiditas vel inſatietas,eáque nomina poſtea textui inſerta, ac deinde Græca dictione reiecta,Latinam, auiditas,ſeruatam.Ad rem parum facit cùm de ſenſu cõſtet,qui eſt,quod per eſcas multas,ſiue ſecundùm numerum,ſiue ſecũdùm ſpeciem cauſantur in homine ſæpius morbi, & nimia illa ſumendi cibi auiditas,qua fit vt ſe quis nimis repleat,choleram generat, & adducit multorum morborum cauſam.Nec morbos tamen tantum cauſat,ſed per morbos etiam mortem.Vnde ſubiicit.

34 *Propter crapulam multi obierunt,qui autem abſtinens eſt,adiiciet uitam.*

PRo,crapulam,hic rurſum eſt Græcis dictio ἀπληστίαν,vnde & aliqui hic legunt,apleſtiam,quidam epulationem.Nomen crapulæ conuenit cõmuni dicto:Plures occidit crapula,quàm gladius.Contrà qui abſtinens eſt,hoc eſt,ſobrius,& à nimia ciborũ inglu-

nie cauēs, adiiciet ſibi vitam, quia eam prolongabit, & diuturnam eſſe faciet. Saluator quoque moderationem in cibo & potu ſeruādam seriò monet, ſed ſublimiorem rationem adducens, cùm dicit: Attendite ne fortè grauētur corda veſtra in crapula & ebrietate, & ſuperueniat in vos repētina dies illa. Tāquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ.

Caput XXXVIII.

1 *Honora medicum propter neceßitatem, etenim illum creauit altißimus.*

QVoniam per humanę naturę & infirmitatem & negligentiam ægrè licet omnes euitare morbos in hac vita, poſtquam monuit quomodo cauēdi ſint morbi, ſubiicit etiā quid faciendū ſit cùm morbos incidere contigerit. Et quoniam ad morbos curādos naturaliter imprimis valet medicorum opera, in genere monet medicum honorandum: idq; ideo quia neceſſarius eſt huic vitæ morbis obnoxiæ. Debet enim illud; propter neceſſitatē; coniungi cū verbo, honora, non cum ſequentibus, vt quidam diſtingunt. Nam Græca habēt; Honora medicum ad neceſſitates honoribus ſuis, hoc eſt, qui ei debentur. Debetur autē ei imprimis, vt in republica non contemptim habeatur, ſed in pretio ſit & honoratus. Deinde vt ei à Republica ſtipēdia honeſta præbeātur, quò etiam pauperibus prodeſſe poſſit, & arti ſuæ totus vacare poſſit. Itidem vt ab his qui eius opera vtuntur pro facultatibus ſuis munificentia honoretur, nec tanquam mercenarij habeantur medici, ſed potius vt vitæ parentes. Hinc & prophani ſcriptores, dum volūt ſignificare mercedem quæ medico danda eſt, honeſto honoris nomine eam exprimūt honorem medico habēdum eſſe dicentes: hac ratione ſignificātes artem liberalem & laudabilem. Sic Cicero ad Tyronem; Curio miſi vt medico honos haberetur. Sic Iuriſconſulti honorarium vocant munus quod à clientibus datur patronis. Et Paulus noſter dicit, presbyteros duplici honore dignos. *1. Ti. 3.* Quoniam autem videri poſſet honorē medici derogare honori Dei, quaſi qui medicorum opera vterentur, declararent ſemper illo ipſo, ſe non ſatis confidere Deo, rectè pro cauſa honoris medici ſubiicit; Etenim illum creauit altiſſimus. Creaſſe autem illum dicitur Dominus, tum quòd in genere Dominus voluit eſſe medicos, quos ordinauerit ad cōmunem hominum vtilitatē, tum quòd omnis cognitio rerum naturalium, quibus medicus vtitur, ſit hominibus indita à Deo, à quo non ſolùm ſunt vires herbarum & omnium rerum medicarum, ſed etiam earum cognitio. Item in particulari dominus creauit medicum, quia quibuſdam ingerit inclinationem ad artem medicam, in qua & eorum ſtudia promouet, ingenia illorum illuſtrando. Indicat ergo, medicam ſcientiam & eius vſum non eſſe cōtra Deum, ſed eſſe ex Dei voluntate, inſtitutione & cooperatione. Vnde & ſubiicit.

2 *A Deo eſt enim omnis medela, & à rege accipiet donationem.*

LOquitur de medela & curatione quæ per medicum contingit homini. Hæc à Deo eſt, non ſolùm quòd ab eo ſint & vires herbarū per quas fit curatio, & ars ipſa medica, quæ in illarum cognitione debitòque vſu ſita eſt, ſed etiam quòd illorum effectus & operatio ſit à Deo, qui niſi eis cooperetur aut potius per illa operetur, nullus ſequetur effectus. *1. Cor. 3.* Non enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Porro non obſtat huic loco, quòd arte magica nonnūquam medela homini videatur contingere, quæ non à Deo, ſed à dæmone proficiſci videtur. Nam huiuſmodi curatio aut fit occulta applicatione naturalium cauſarum, & magis fit à Deo quàm à dæmone: aut fit tantùm per ceſſationem à malefaciendo, & ſic non eſt vera medela, ſed putatitia. Sapiens verò loquitur de vera curatione, quæ ſola eſt à Deo, aut naturali virtute aut ſupernaturali. Innuit ergo rectè ſe dixiſſe Deum creaſſe medicū, quia omnis quæ per ipſum eſt medela, à Deo eſt. Ideóq; ſubiicit, medelam à rege accepturam donationem, hoc eſt, regaliter & liberaliter remunerandam, & donis honorandam etiam à magnis principibus, vtpote qui etiam ipſi opera medicorum ſæpe indigeant, & agnoſcant magnum eſſe Dei beneficiū, quod per eos conſequuntur. Ita autem non eſt de magica ſanatione, quæ magis à regibus punienda eſt & vindicanda quàm honoranda, & præmiis alenda. Vnde ſubditur.

3 *Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum colla dabitur.*

NOmen, diſciplina, hic rurſum, vt aliàs aliquando, ponitur pro ſcientia, quia Grecis eſt ἐπιστήμη. Hac autem ſententia, ſicut & ſuperiori, indicat quàm meritò ſit cuique honorandus medicus, cùm etiam apud principes & magnates propter ſcientiam & artē ſuam medici magnifiant, & laudētur. Honorificum extat de medicorū excellentia Homeri teſtimonium: ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, hoc eſt, medicus enim vir vnus cōparandus eſt multis aliis.

4 *Altißimus creauit de terra medicinam, & uir prudēs non abhorrebit illam.*

PRo, medicinam, Græcè eſt φάρμακα, hoc eſt, pharmaca, & medicamenta: proinde conueniet hic nomē medicinæ accipi non pro ipſa arte & ſcientia, quæ propriè de terra non eſt creata, ſed pro rebus medicantibus, herbis ſcilicet, & aliis virtutem medendi habentibus: quas res cùm Deus de terra creauerit, ad hoc vt ſeruirent homini, meritò vir

prudens non debet ab eis vtēdis, cùm opus eſt, abhorrere, ſed cōtrà potius Dei beneficium amplecti, & cum gratiarū actione illo frui. Nec enim exiſtimare debet ſe per hoc diſpliciturum Deo, quaſi qui creaturis fidat, & non ſoli Deo. Nec rurſum etſi pharmaca & medicamēta parū ſæpe ſuauia ſint & palatio ingrata, tamen qui ſapit, nō abhorrebit ab eis, ſicut abhorrent paruuli & inſipientes. Sed ne ingratum ſe præbeat Deo, qui remedia morborum parauit, nec in ſeipſum ſit iniurius, amplexabitur cū opus eſt medicinæ beneficia, tanquā à Deo data, & tanquàm naturæ vtilia, etſi per ſe parùm grata. Porro nomen, medicinæ, etiam apud prophanos ſcriptores non ſolùm ſignificat artē medicorum, quam Græci vocant, ἰατρικήν, ſed etiam pharmaca & remedia quibus ea ars vtitur, vt cùm dicit Cicero: Sed deſperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. & Ouidius: Principiis obſta, ſerò medicina paratur, Cùm mala per longas conualuere moras.

5 *Nónne à ligno indulcata eſt aqua amara? ad agnitionem hominum uirtus illorum.*

DVbitare meritò nemo debet, quin Sapiens hic alludat ad factū quod deſcribitur in Exodo, cum narratur in Mara aquas amaras in dulcedinem verſas per iniectionē ligni. Sed ex hoc loco videri omnino poteſt authorem noſtrum ſenſiſſe lignum illud naturalem habuiſſe virtutem, ad conuertendū amaritudinem aquarum in dulcedinem. Id quod quidam non dubitant aſſerere, nō ſolùm ex hoc loco moti, ſed etiā ex verbis Exodi 15. maximè ſecūdùm textum Hebraicū. Nam vbi nos legimus quòd Dominus oſtendit ei lignum, Hebręa habent; & docuit eum Dominus lignum: quo intelligunt ſignificatum quòd Dominus docuit eum vim. & naturam ligni. Et quorſum alioqui Dominus ei ſertum aliquod lignum vel arborem oſtēdiſſet, niſi illud ſingularem ex natura ſua virtutem inditam habuiſſet? Nā alioqui virga eius quæ reliqua operabatur miracula, ad miraculi operationē ſuffeciſſet. Iuxta hanc ergo ſatis probabilem ſententiam, rectè adducitur hoc factum in cōprobationē eius quod Deus ex terra creauit pharmaca, & remedia morborum curatiua. Probabilem magis adhuc reddunt hāc ſententiam Græca hoc loco, quæ pro illis verbis; ad agnitionem hominum virtus illorum; habent ſub vna interrogatione cum præcedētibus, εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ ἀπὸ ἀνθρώπου, hoc eſt; Nónne à ligno dulcis facta eſt aqua, vt cognoſceretur virtus illius ab homine? Vbi ſi relatiuum, illius, refertur ad lignū, iam apertè ſignificatur lignum ſua virtute dulcedinem attuliſſe. Poteſt tamen etiam ad Deum referri, ſicq; locus erit aliorum ſententiæ, qui non naturali virtute, ſed per miraculum putant effectum vt amaræ aquæ dulces facti ſint. Pro qua ſententia facit quod in hiſtoria ſcholaſtica, ex ſententia quorundam Hebræorum, referant lignum illud fuiſſe amariſſimū, imò & mortiferum, vt maiori eſſet miraculo, & virtus diuina magis oſtenderetur in eo quòd per tale lignum amaræ aquæ in dulcedinem verſę ſunt. Iuxta hanc ſententiam intelligendum eſt Sapientem hic proferre iſtud exemplum vt ex illo quòd miraculoſa virtute Deus per lignum præſtitit in deſerto, inſinuaret etiam omnia illa quæ naturali virtute fiūt per creaturas, Deo eſſe tribuēda, qui author eſt creaturarum omnium: qui ſi per creaturas operari poteſt quod ex natura non habēt, multò magis per illas operari cenſendus eſt quod ex natura habent nō niſi à Deo accepta. Cū autem in noſtra lectione ſequitur; Ad agnitionem hominum virtus illorum; relatiuum illorum, referri debet ad ea quæ includūtur in nomine, medicinæ, herbas ſcilicet & pharmaca, quæ ad curationem hominum Deus è terra creauit, & eſt ſenſus: Virtus & efficacia eorum quæ è terra Deus creauit, peruenit Dei dono ad agnitionem hominum, hoc eſt Dei dono factum eſt vt homines inciperent cognoſcere herbarum vires, ſicut mox ſubiicit. Rabanus in commentario videtur legiſſe virtus illius, vt ad Deum referatur, ſicut habent Græca, quia ſic habet: Iuxta hiſtoriam demonſtrata eſt potentia Domini, &c. Duo ſcripta habebant cum coniunctione; Et ad agnitionem hominum virtus illorum, vt cū præcedenti parte ſic rectè coniungi poſſit hæc pars. Nonne à ligno indulcata eſt aqua amara? Et ſic ad agitionem hominum peruenit virtus terræ naſcentium. Vnde ſequitur.

6 *Et dedit hominibus ſcientiam altißimus, honorari in mirabilibus ſuis.*

DEdit Deus hominibus ſciētiam rerum medicarum, ſiue per ſpecialem inſpirationem & reuelationem, ſicut Adamo dedit vt omnium rerū naturas cognoſceret: & Salomonem 3. Reg. 4. ea donauit Sapientia, vt diſputaret ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete, ſiue quia per variam experientiam dedit vt ad ſcientiam rerum medicarū peruenirent, idque ad hoc, vt ab hominibus honoraretur in mirabilibus ſuis operationibus quæ inueniuntur in creaturis ipſius, & per eas hominum corporibus.

7 *In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmentum ſuauitatis, & unctionem conficiet ſanitatis.*

8 *Et non conſummabuntur opera eius, pax enim Dei ſuper faciem terræ.*

QVod dicit; curans mitigabit dolorē; ad Deum referēdum eſt, quemadmodum Græca videntur exigere, ſic ſit ſenſus: Per pharmaca è terra creata, aut etiam per homines quibus dedit ſcientiam, Deus curans mitigat dolorem hominum. Subiungit de vnguentario, vel, vt ex Græcis, μυρεψός, pharmacopola & aromatario, miſtiones ex variis conficiente: quia duobus modis pharmaca

adhibentur,aut simplicia sine omni mistione quod ad medicos solos pertinet: aut ex variis speciebus commista quod medici per pharmacopolas perficiunt.De vnguentario Græca tantùm dicunt, ποιῶν μίγμα, faciet mistionem,nec addũtur illa verba quæ nos habemus addita,suauitatis & vnctionem conficiet sanitatis;Per quæ interpres indicat se intellexisse hunc locum de mistionibus quę fiunt ad vnguendum corpus exterius, quæ & suauem de se fundunt odorem, & sanitatem ægris adferunt corporibus. Cùm alioqui Græca generalius intelligenda sint,non solùm de iam dictis mistionibus, sed etiam de his confectionibus quæ interius sumuntur per modum cibi & potus ad curationem corporum.Vtraq; enim compositio ac temperatio ad pharmacopolam pertinet medico inseruiẽtem.Porro cùm Græcis sit singulare μίγμα, rectius etiã apud nos legitur pigmentum & vnctionem,quomodo legit Rabanus & scripta quædã.quamuis parum faciat ad rem.siue singulariter sine pluraliter legatur.Pigmentum autem hic positum est pro confectione ex diuersis speciebus, suaui & odorifera, quod ipsum nomen præter alia significat apud prophanos scriptores: vnde pigmentarius dicitur aromatarius qui facit aut vendit huiusmodi confectiones. Quod sequitur,& nõ consummabũtur opera eius:significat tam varias esse pharmacopolæ confectiones,vt non sit earum finis & certus numerus,cùm subinde fiãt nouæ nec prius vsitatæ,& terra cõtinuè suppediret vnde fiant ad vsum hominum diuersarum specierum compositiones.Hac ergo parte insinuare vult Dei in humanum genus fauorẽ, per quem fit,vt nunquam desint quæ ad curandos homines sunt necessaria, & contra nouos ac incognitos morbos,noua etiã semper inueniantur remedia ex his quæ terra progignit.Vnde & subiicit;Pax enim Dei super faciem terræ.Quo significatur,in superficie terrę semper inueniri vnde pax & salus hominibus à Deo conferatur. Pax enim in scripturis sæpe accipitur pro prosperitate & salute. Aut sensus est:Deum non ita irasci hominibus super terrã habitantibus,vt eis subtrahat sua beneficia eorum valetudini necessaria,sed eam benignitatem erga eos seruare,vt sicut pluit super iustos & iniustos,ita & suppeditet quæ curandis morbis conducunt.

9 *Fili in tua infirmitate non despiciat teipsum,sed ora Deum,& ipse curabit te.*

POstquam in genere commẽdauit & herbarum vires & medici operã,atq; ostendit omnia quæ per hæc homini bona cõtingunt,Deo esse tribuenda,rectè subinfert doctrinam de seruandis in contracta infirmitate docens imprimis filium suũ,hoc est vnũquemque discipulum,ne in infirmitate sua seipsum despiciat,hoc est,negligat,curámq; sui deponat,aut desperando de recuperanda sanitate,aut de ea nimia securitate præsumendo.Monet tamen ne mox & ante omnia confugiat ad ea,de quibus dictũ est medicorum remedia.sed vt imprimis precibus ad Deum confugiat, declarans se illi maximè fidere.illúmque primum esse authorem recipiendæ sanitatis:qui vt verè solus sanitatem confert,ita & ex animo precantes curabit,si saluti eorum expedire cognouerit. Et quia peccata commissa impedimẽto esse solent recuperandæ à Deo sanitati,quæ etiam frequenter morborum sunt causæ,rectè deinde tertio loco subiungit.

10 *Auerte à delicto,& dirige manus,& ab omni delicto munda cor tuum.*

DVo requirit aut tria,videlicet vt æger & omne peccandi propositum deponat, auertendo se à delicto faciendo,ac dirigendo manus,hoc est proponendo rectam operationem,& vt ab omni delicto prius commisso emũdet cor suum per orationem, contritionem & pœnitentiam.Et quoniam non conuenit priuatis tantùm confidere precibus & actionibus, ideo quarto loco monet vt etiam ambiãtur preces sacerdotum.& sacrificia pro obtinẽda sanitate,& remissione peccatorum non negligantur,quæ rectè exiguntur post præcedentem versum, quia grata Deo non sunt,nisi ab eo fiant qui auertit se à delicto,& dirigit manus suas per virtutis propositum.Dicit ergo.

11 *Da suauitatem & memoriam similaginis,& impingua oblationem.*

PRo;suauitatẽ,est εὐωδίαν,hoc est, suaueolentiam aut suauem odorem, per quod significatur aut quod de thure in sacrificiis accendebatur,aut totum ipsum sacrificium quod in suauem odorem Deo incẽdebatur, & tãquam gratus odor à Deo acceptabatur. Pro sacrificio autem quod in odorem suauitatis sit offerendum,exigit duo, memoriam scilicet,vel,vt est Græcis, μνημόσυνον, hoc est monumentũ & memoriale similaginis.Quo significatur ea simile oblatæ Domino pars quæ cum thure & oleo imposita altari cremabatur in memoriã muneris Domino oblati,vt scribitur Leuitici 2. Secundò dicit,& impingua oblationem,hoc est pinguem aliquam & opimam fac oblationem & victimã vt scilicet non de pessimis animalibus fiat oblatio,sed de melioribus.Quãquam & hic possit esse sensus,fac vt oblatio tua tãquam pinguis habeatur apud Deum,eíq; valde grata sit,iuxta illud Psal. 18.Holocaustum tuum pingue fiat.Implentur hæc perfectius in noua lege,in qua in odorem suauitatis offertur Deo sacrificium,panis speciẽ retinens,quod est memoriale eius sacrificij quod in cruce semel peractum est, & simul complectitur corporis Christi pinguem charitate oblationem.Ne autem prædictis omnibus præstitis putetur medici operam negligendam esse, & fiducia prædictorum remediorum nullũ aliud remedium requirendum esse, bene quinto loco subiicit.

12 *Et da locum medico,etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te,quia opera eius sunt necessaria.*

CVm,inquit,quæ dixi præstiteris, tũc da locum medico,hoc est, admitte illum, nec putes te illum admittendo, recedere à Domino,quiaDominus illum in vsum hominum formauit.Itaque illum admittẽdo Dei veteris beneficio.Nec solùm illum admittas, sed continuò etiam seruа apud te,nec sinas vt temerè discedat à te,quia opera eius sunt tibi necessaria ad sanitatis cõsecutionem & conseruationem. Non enim semel tantùm audiendus est & admittendus medicus,sed subinde, idque non solùm pro recuperãda, sed & pro conseruanda sanitate recepta.Videre ergo hic licet pulcherrimum ordinem à Sapiente præscriptum,qui pro recuperanda sanitate,eáque conseruanda, meritò seruandus est.Loquitur autem de infirmitate graui & periculosa.Nam in leuioribus morbis non semper valde accuratè hæc sunt seruanda,maximè de accersendo medico. Sicut & quæ Iacobus vlti.similiter cũ hoc nostro Sapiẽte præscribit,de grauioribus morbis intelligitur,cùm dicit:Infirmatur quis in vobis,inducat presbyteros ecclesiæ,& orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini,&c.

13 *Est enim tempus quando in manus illorum incurras,ipsi uerò Dominum deprecabuntur,ut dirigat requiem eorum & sanitatem,propter cõuersationem illorum.*

CAusa redditur in nostra lectione,cur sit dandus locus medico,quia,inquit,cùm in infirmitatem incidisti,tunc est tẽpus quãdo te illorum,nempe medicorum,manibus committas.Vel sic:Est tempus quãdo in manus illorum incurras,hoc est,contingit esse tempus quando te illis committere debeas, tempore scilicet infirmitatis.Quod autẽ sequitur,ipsi vero Dominum deprecabuntur, &c.non videtur ad medicos pertinere, cùm illorum officium non sit pro ægris precari, sed potius sacerdotum.Proinde Liranus cũ aliis quibusdam,quod hic dicitur de medico,ab illo loco;Da locũ medico, &c. intelligit dici de medico spirituali, sacerdote scilicet,cuius est oratione Dominum placare,& sanare nõ solùm spirituales,sed & corporales morbos.Verũ nimis apertum est authorẽ illo loco loqui de medicis corporalibus, de quibus locutus est superius.Proinde non malè hic quidam intelligunt Sapiẽtem insinuare voluisse,officiũ boni medici esse, non solùm remedia morbis accõmodata applicare,eíque niti &confidere,sed etiã Deum inuocare,ac orare vt sua & ingenia & remedia ad ęgrotorũ salutem dirigat ac fortunet. Res enim,in qua medicus versatur, est per se magna,magníq; periculis obnoxia, quæ ob id non solùm prudentiam,sed etiã piam curam & solicitudinem requirat:qua neglecta,grauissimæ offensiones ac periculosę curationes esse solent.Cùm enim arti suæ plurimùm fidunt medici,ita vt non curent Dei directionem implorare,fit nonnunquam vt eorum conatus Deus nõ prosperet,sed subuertat.Itaq; nostræ lectionis hic erit sensus: Est tempus quando in medicorũ manus incurras Ipsi autẽ non suæ arti nimis fidẽt,sed Dominum deprecabuntur,vt dirigat & fortunet requiem quã ęgris adferre studẽt,hoc est,sanitatem:idq; quia hoc pertinet ad eorum conuersationem,hoc est,officium & vitæ rationẽ.Græca tamen aliter habent hanc sententiam,magísq; in Græcis ad sacerdotes videtur referenda,de quibus rectè mentio facta est in illa sentẽtia:Da suauitatẽ,&c. Sic enim habent: Est tempus quando & in manibus ipsorũ est prosperitas. Etenim ipsi Dominum precabũtur vt prosperet ipsis requiem & sanitatem vitæ gratia.Quorum verborum etiam hic potest esse sensus: Quanquam dixerim locum dandũ medico erũsq; ope te indigere, tamen accidit aliquãdo vt & per manus illorum per quos mox dixi sacrificia offerenda,contingat ægris prosperitas & fœlicitas,etiã sine manu & opera medici.Nam ipsi Dominũ precabuntur,vt ipsis ægris prosperet requiem & sanitatẽ ad hoc vt viuere possint.Ita & in nostra lectione oratio non ad medicos qui manibus iuuant,sed ad sacerdotes qui ore prosunt,referri potest hoc modo:Est tempus quando in medicorũ manus incurras.his autem suo fungentibus officio,illi de quibus mox dixi:Da suauitatẽ; interim Dominum deprecabuntur, vt dirigat sanitatem quam inferre medici laborãt. Facient autem hoc sacerdotes propter conuersationem eorum,hoc est,quia hoc ab eis requirit vitæ eorum ratio, & quia præ aliis sanctitati & pietati studẽt.Vt mixtim intelligatur esse sermo de sacerdotibus & medicis,de quibus vtrisque superius sermo fuit, quique simul pro suo quique officio laborare debent ad iuuandos ægros.

14 *Qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.*

SIgnificat hæc sententia, peccata causas esse morborum, Deũmque peccatis offensum punire peccata morbis,ob quos necesse est confugere ad opem medici, à quo grauia sæpe ægri ferre patiuntur:proinde ei qui à morbis & medicorum opera molesta ægris liber esse volet, operam dandam vt à peccatis,quæ Deum grauiter offendant, liber sit,& quam minimum illum offendat.Be ne autem ad exaggerationem peccati dicit; qui delinquit in conspectu eius qui fecit eum;aut,vt habent Græca,qui peccat contra factorẽ suum.Sic enim notatur hominis ingratitudo,qui peccare audet contra eum qui illi author vitæ fuit & sanitatis:significatúrq; quòd ob id dignus est,vt si non vita,saltem sanitate priuetur morbósque patiatur, & cum morbis amara etiam & molesta medici remedia, simul cum impensarum grauamine.Postquam ergo insinuauit Sapiens quid contracto morbo sit faciendum, hac

sententia indicat morborum causas, & qua ratiõe caueri possit ne in morbos incidatur. Porrò peccata morborum esse causas, etiam aliæ scripturæ docent, vt cùm Paulus dicit Corinthiis: Ideo inter vos multi infirmi, & dormiunt multi. Et cùm Saluator cuidam à
1. Cor. 2. se sanato dixit: Ioan. 5. Vade, & iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.

15 *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.*
16 *Et secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.*

POstquam dixit quid in infirmitate constituto sit faciendum, docet etiã quid in morte amicorum sit faciendum, duo imprimis requirens. Primũ, vt statim à morte amici, defleatur eius mors, idque seriò & amarè quasi graue malum acciderit, tum q; amicus luce hac iucunda priuatus sit, tum quòd per mortem irreuocabilis ab amico fiat separatio. Prohibet ergo ne Stoicorum more, nostrorũ mortem sine dolore feramus, aut, quod impiorum est, de illorum morte gaudeamus, siue ob odium ipsorum, siue ob cõmodum facultatum per illorum mortẽ obtinendarum, sed vt charitatem & amorẽ nostrum erga eos ostendentes defleamus & illorum vices & nostram. Secundò requirit, vt postquã aliquãdiu lachrymis indultum est, corpus defuncti secundùm iudicium, hoc est, secundùm morẽ, & ius quod corpori debetur contegatur terra, nec illius sepultura negligatur, vt etiam honore sepulturæ demonstretur amor erga defunctum, eiq; impendatur quod ei debitum est. Neque enim velle possumus defunctũ amici corpus semper in oculis nostris seruare, quod stultarũ est mulierum, quæ ferre nequeunt corporis ad sepulturam ablationem: neque illud insepultum relinquendum nobis est, vt auibus & bestiis sit esca, quia id barbarum est, & cõtra honorem amicis deferendum. Condendum ergo terræ est, vnde sumptum est, idq; maximè à nobis, qui illud à terra resuscitandum certò expectamus. Hinc ob sepulturã defunctis impẽsam, in scripturis Tobias eximiè commendatus est. Cæterùm in eo quod dicitur, secundùm iudicium cõtege corpus illius; aut, vt habent Græca, secundum iudicium eius; rectè intelligimus non tantũ exigi simpliciter sepulturam, sed etiã quæ pro more recepto in sepultura adhibẽtur, vt nobis corpus contegere secundùm iudicium, sit etiam cum exequiis ritúque funebri & precibus corpus terræ tradere: vnde pro; secundùm iudicium; quidam vertunt: iuxta morem funebrem.

17 *Propter delaturam autem amarè fer luctum illius uno die, & consolare propter tristitiam.*
18 *Et fac luctum secundum meritum eius uno die uel duobus propter detractionem.*

QVod in his versibus bis dicitur, nam idem est, propter delaturã, & propter detractionem, ordinatius sic habent Græca: Amarum fac luctum, & calescere fac (vel accende) planctum, & fac luctum secundùm dignitatem eius. Vno die & duobus propter calumniam, & consolationem admitte propter tristitiam. Omittenda est apud nos coniunctio, autem, quæ vt non est in Græcis, ita nec apud Rabanum, nec in quibusdam scriptis. Repetit de lugẽdo defuncto etiam post sepulturam, sed adiungit moderationem in luctu adhibendam, ne ethnico more inconsolabiliter & diutius quàm conuenit mors amici defleatur, iuxta illud Pauli: 1. Thess. 4. Vt non cõtristemini sicut & cæteri qui spem non habent. Vult ergo vt nõ solùm propter amorem erga defunctum, sed etiam vt euitetur calumnia & detractiõ, (ne scilicet cũ multorum offensione dicatur quis de amici morte gaudere) amarè lugeatur defunctus, idque pro merito & dignitate eius: sed vt alij quot tantùm diebus duret amarus iste planctus & dolor, ita vt ne pro quorũdam more dolor & fletus semper intendatur magis & crescat, sed potius cum tempore remittatur & consolatio admittatur, vt ne nimia tristitia noceat superstiti, & abũdantiori tristitia absorbeatur ipse. Quod ergo dicit de luctu vnius aut duorum dierum, non est contrarium ei quod supra dixit. Luctus mortui septem dies. Hic enim vult paucis tantùm diebus amarum illum luctum, qui esse solet in principio, ferendum, eúmque statim remittendum, accepta consolatione & doloris mitigatione. Et quòd secundùm meritum eius non significat pro merito vitæ & operũ mortuum plangendum esse, sed secũdum dignitatem eius. est enim Græcis κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ. hoc est, prout dignus est defleri à te, siue ob amicitiam quæ tibi cum illo fuit, siue ob beneficiorum acceptionem, siue deniq; ob vitæ eius probitatem, & detrimentum mortis eius. Porrò ex loco hoc intelligere licet quàm accuratè & studiosè obseruata semper fuerit consuetudo lugendi mortuos: suntque in sacra scriptura grauia exempla, ex quibus scire possumus huiusmodi officia solemnia sanctissimè mortuis tributa fuisse, quanquam hæc consuetudo in scripturis cõmendata meritò iam sub noua lege, cùm & fides creuit, & spes vitæ post hanc vitam melioris, ex magna parte immutata sit, ita vt in precibus magis consistant officia mortuis impendenda, quàm in fletu & planctu.

19 *A tristitia enim festinat mors, & cooperit uirtutem & tristitia cordis flectit cernicem.*

REddit rationem cur dixerit consolationem admittendam ad vitandam tristitiam, quia, inquit, à tristitia fit vt mors festinãter & ante tempus adueniat, ipsáq; tristitia vires hominis tegit, ita vt se non prodãt, sed obscurentur, ac supprimãtur, flectítque cervicem hominis, ita vt curuus ac tristis incedat, eique omnem fiduciam atq; audaciam eripiat: significat ergo tristitiam auferre homini omnem animi corporisq; vigorẽ, atque etiam

etiam immaturam adferre mortem. Vnde autem pendeat vt sit in homine noxia tristitia, sequens sententia indicat.

20 *In abductione permanet tristitia, & substantia impijs secundùm cor eius.*

VAria est in hoc versu lectio apud Græcos. Nam pro, abductione, quidam codices habent ἀπαγωγῇ, vt Germanica æditio, quod secutus videtur noster interpres vertens, in abductione. Quidam codices habent ἐπαγωγῇ, quam dictionem interpres noster vertere solet, obductionem, & sic habet codex Bessarionis hoc loco, In obductione. Aliqui hic vertunt, inductionem. Pro, permanet, Germanica æditio habet παραβάλλει, quod vertunt, abit aut discedit, vt sit hic sensus: Inductione abit tristitia, hoc est, per animi inductionem, qua seipsum homo consolatur, fit vt discedat tristitia. Cui conuenit quod in secunda parte dicitur. vbi pro substantia, est βίος, quæ dictio etsi etiam victũ & facultates significat quibus homo sustentatur, propriè vitam significat, vt hic possit esse sensus: Vita pauperis est secundùm cor eius, hoc est, ex corde pendet qualis sit vita hominis afflicti. Misera enim est & breuis, si in afflictione eius cor torqueatur: fœlix & longa, si cor non se torqueat, sed patienter calamitatem ferat. Toletanum tamen exemplar habet, vt noster legit, παραμένει, hoc est, permanet. Nostræ ergo lectionis sensus est: Tristitia permanet in homine per hoc quòd abducit animum suum à consolatione & consideratione eorum quę doloré mitigare possent: & subsistentia pauperis vel afflicti est secundùm cor eius, quia quale est cor eius, talis est & vita atque substantia eius: vt si cor eius sit mœrens, verè sit misera eius vita & breuis futura: si lætum aut tranquillum, nihil ei obsit externa calamitas, diúque eius vita sit duratura. Aut substantia pauperis est secundùm cor eius, hoc est, ex corde dependet, diues ne sit quis habendus an pauper. Si enim modico contentus est, & paupertatem æquo fert animo, reputandus est verè diues: Si verò animo est intranquillo, etiam si multas possideat diuitias, verè pauper est. Itaque secundùm hunc sensum significatur tristitiam esse ingens malum, quæ diuitem facit egenum, & pauperem facit bis infœlicem. Vnde rectè subiicit:

21 *Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te, & memento nouissimorum, & noli obliuiscì.*
22 *Neque enim est conuersio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis.*

SVperius capite 30. multis dehortatus est à tristitia in genere, ob calamitates quæ in hac vita incidunt: hic verò peculiariter dehortatur à nimia tristitia ob amicorum mortem. Ideo enim dicit; Ne dederis in tristitia, vel, vt Græcis, ἐς λύπην, ad tristitiam cor tuum, non iam omnem tristitiam prohibens cùm, eam prius exegerit, sed requirenne quis cor suum dedat tristitiæ, atque ab ea totum obtineri permittat, sed eam ad tempus admissam mox à se repellat, idque consideratione mortis, quæ ex tristitia ante tempus cõsequi solet. Quod mœrentem semper meminisse conuenit, & illius non obliuiscì; ne dum illum non aduertit, mortem sibi acceleret, sibíque sit mortis suæ author & causa. Idque eò magis meminisse oportet, quia ex morte non est conuersio, hoc est, reuersio ad hanc vitam, iuxta communem legẽ, sed irreparabilis est vitæ amissio. Deinde & illud in tristitia considerare mœrẽtem conuenit, quòd immodica sua tristitia defuncto nihil possit prodesse vt ad amissam vitam redeat: & seipsum pessima, hoc est, malè affligit, sibiisi iniurius sine alterius fructu. Itaque duplici ratione monet tristitiam super mortuo amico temperandam, videlicet & cogitatione mortis, cuius periculo se quis exponit sine recuperatione, & quia sua tristitia defuncto prodesse non potest, cùm sibipsi obest. Pót quod de memoria mortis inducitur etiam accipi, vt insinuet deflentibus mortem cogitandum esse communem esse omnibus moriendi legem constitutam, nec à morte amicorum reditum esse ad vitam, vt huius communis sortis cõsideratione, leuius feratur amicorum mors. Et Dauid quoque rationibus, quæ hic insinuantur, sese consolatus est super morte infantis qui ei ex Bethsabee natus erat, sic dicens: Propter infantẽ, cùm adhuc viueret, ieiunaui & fleui. Dicebã enim: Quis scit si fortè eum donet mihi Dominus, & viuati infans. Nunc autem quia mortuus est, quare ieiunos? Nunquid potero reuocare eum amplius? ego vadam magis ad eum, ille verò non reuertetur ad me,
2 Reg. 12.

23 *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.*

DOcuit cauendum ne ex alterius morte incommodum nobis & malum accersamus, hæc autem sententia insinuat fructũ quem ex illa capere debeamus, nempe vt ex illa etiam nobis imminẽtis mortis cogitationem assumamus, sicque solliciti simus ita vitam nostram instituere, vt fœliciter & salubriter mortem expectare possimus. Atque quò magis commoueat, ipsummet defunctum introducit loquentem, & communis sortis quemque admonentem, quemadmodum in epitaphiis frequẽter fieri solet. Memor, inquit, esto iudicij mei, hoc est, conditionis meæ, quam Dei ordinatione & iudicio subire debui, sic enim erit & tua conditio cùm Deus ita de te fieri iusserit, quasi dicat: Noli te ob morté meam nimis discruciare, sed illud potius ex illa lucri reporta, vt cogites quòd qualis est cõditio mea, & quale iudicium Deus in me exercuit, talis erit & tua aliquando conditio, & tale iudicium etiam tibi continget. Et ne illud in longum tempus differendum tibi promittas, quod heri mihi accidit, hoc ipsum tibi hodie expectandum est, & euenire potest. Bene enim dicit, hodie, & non dicit, cras, vt intelligat quisque

quisque quemlibet diem præsentē sibi posse esse vltimum,nec sibi promittat certo aliquod vitæ tempus in futurum, iuxta illud Poëtæ: Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

24 *In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui.*

HÆc sententia variè à nostris intelligitur. Nam Dionysius tres adfert sensus,quorum primus est: Memoriam morientis fige in requie quam animæ electorum habent post hanc vitam, loquendoei de beatitudine æterna,vt dicat: Portio mea Domine sit in terra viuentium.Vel,inquit,sensus est: vt tempore mortis facias memoriam morientis quiescere à recordatione rerum secularium,vt cogitet solùm ea quæ suam concernunt salutē.Addit:Porrò quidam exponunt sic:In requie mortui,hoc est,ad monumentum,in quo quantum ad corpus quiescit,requiescere fac memoriam eius, hoc est, aliquod sensibile memoriale constitue, ex cuius intuitu viuentes recordentur ipsius,&c: Præter has expositiones Rabanus etiam aliter intelligit significari,in transitu morituri, non tradendam obliuioni memoriam eius, sed in mēte eam figendam,vt eius exemplo quis excitetur ad vitę correctionem.Sunt & qui aliter hunc locū tractant,cùm,si scopus authoris spectetur,& originalia inspiciātur, vnicus sit & genuinus sensus iste: In requie mortui,hoc est, cùm iam quis per mortem quiescit, liber à laboribus & miseriis huius vitæ,tu vicissim fac apud te quiescere & cessare memoriam illius,hoc est,tu ne persistere sinas in te cruciantem illam memoriam, per quam requiras eum tecum hic viuentem, sed illam cum mortuo intermori, & cum quiescente quiescere & cessare facias. Est enim Græcis καταπάυσαι, hoc est, quiescere fac & seda. Memoriam autem quam cessare vult,eam intelligere oportet,quæ est molesto desiderio cōiuncta,non eam quam cum pia beneuolentia & charitate retinere merito debemus,multò minus eam quę nos vel ad imitationem defunctorum, vel ad iuuandum illos piis precibus prouocet, vt ne quis hunc locū producat contra piam illam mortuorū memoriā, quam seruat ecclesia Catholica: sicut contra ridiculè satis hunc locum aliqui proferūt pro statuendis precibus quæ piè fiunt pro defunctis, sic intelligētes:Cùm quis per mortem requiescit,fac memoriam eius requiescere, dicendo: Requiescat in pace.Ita cùm non attenditur authoris scopus,nec originaliū habetur respectus,quisque quod sibi videtur, intelligit in scripturis.Quod autem sequitur iuxta receptam lectionem;Et consolare illum in exitu spiritus sui;omnes intelligūt significare,morituro in fine vitæ suæ impendendam à viuis consolationem,proponendo scilicet eis moriendi communem omnibus necessitatē,vitæ huius miseriam,futuræ vitæ fœlicitatē, & ad eam obtinendam,Dei per Christi merita paratam misericordiam.Verùm Greca longè alium habent sensum, sic enim est illis: καὶ παρακλήθητι ἐπ' αὐτῷ,hoc est,cōsolationem accipe super eo,cùm exiuit spiritus eius.quasi dicat:dolere potes super eo, & sollcitus esse pro eo cùm adhuc spirat & ægrotat: at cùm spiritus eius egressus est è corpore, & ille liber est à miseriis huius vitæ, nec possit tua opera ad vitam redire,sinas tibi consolationem impendi,& ex teipso consolationē accipe,exemplo Dauidis quod suprà adductum est. Hunc sensum vt & nos habemus in nostra lectione,conuenit omittere pronomen, illum, quod in vno scripto correctiore non erat,vt verbum,cōsolare,passiuè accipiatur, pro,consolationem admittere,quemadmodum requirit dictio Græca, vt meritò dubitari non debeat quin sic verterit interpres, qui & statim prius hoc capite verbum,cōsolare,posuit in passiua significatione,cùm dixit;consolare propter tristitiam; vbi Græcis eadem est quæ hoc loco dictio.Ex prædictis licet colligere varias rationes, ob quas moderanda sit tristitia in morte amicorum, nēpe quia mors omnibus est communis & ineuitabilis,deinde quia illa requies est defuncti,ac tertiò quia est iustum Dei iudicium & ordinatio. Præterea quia tristitia defuncto prodesse non potest,& postremùm quia nocet,& mortifera est mœrenti.

24 *Sapientiam scribæ in tempore uacuitatis, & qui minoratur actu,sapientiam percipiet.*

NOui hic argumēti initium est,quod Sapiens etiam sequenti capite continuat, docens prolixè qui apti sint ad sapientiam eximiam, & scripturarum intelligentiam percipiēdam,& quid ad hoc requiratur, imprimis scilicet otium literarium, & libertas ab operibus seruilibus & mechanicis artibus, quibus qui vacant, quoniam rebus externis omnino sunt dediti, parùm idonei sunt sapientiæ excellenter sic obtinendæ, vt aliorum possint esse doctores,& in rebuspublicis sapientiæ magistri, quanquàm fatendum sit tales etiam reipub. vtiles & necessarios esse. Proinde conuenit hunc locum diligenter obseruare hac maximè tempestate, qua & vilissimi cerdones sibi vendicant scripturarum intelligētiam atque professionem,& plerique studiosis sapientiæ inuident otium illud, quod percipiendæ sapientiæ hic docetur esse necessarium. Dolendum autem hunc locum, vt & alia multa, partim scriptorum, partim interpretis vitio sic,à nobis legi, vt non satis sensus authoris intelligatur, qui in Græcis est & clarior & iucundior. Cæterùm vt diligenti annotatione vitia quæ scriptorum incuria irrepserunt corrigantur, & versionis obscuritas aut incommoditas iuuetur, imprimis notandum hic grauiter ab omnibus nostris erratum esse, quòd putauerint dictionem, scribæ,verbum esse imperatiui modi, quasi præcipiatur sapientiam scribi.Constat enim ex Græcis esse nomem à nominatiuo Scriba,cùm Grecisic sit: σοφία γραμματέως ἐν σχολῇ σχολῆς,hoc est,Sapientia scribæ in oportunitate otij,scilicet consistit,aut comparatur.

Igitur

Igitur apud nos accusatiuus, sapiētiam, meritò mutādus esset in nominatiuum, sapientia,quem imperitos scriptores verisimile est in accusatiuum mutasse, quòd dictionem, scribæ,putarent esse verbum. Aut si accusatiuus retinendus est,quia in omnibus quæ ad manum erant scriptis reperiebatur, dictio,scribæ,accipiēda est vt sit nominatiuus pluralis,& ex sequenti membro subaudiendum est verbum, percipient, vt sit sensus: Scribæ,hoc est, legisdoctores(sicut nomen hoc sæpe ponitur in Euangelio) percipient sapientiam, in tempore quo vacui sunt ab operibus mechanicis & seruilibus totos setradentes veritatis inquisitioni, scripturarum lectioni atque contemplationi: & qui minoratur actu,hoc est,qui parum in externa occupatur operatione, hic percipere poterit sapientiam. Quod sequitur; quia sapientia replebitur; etsi ferè in hac sententia coniungatur cum præcedentibus,tamen ex Græcis patet ad sequētia pertinere, quēadmodum & Rabanus & multa scripta sequentibus coniungunt,quamuis durè cum illis hærere videatur.

vel. Qui. 26 *Quia * sapientia replebitur qui tenet aratrum, & gloriatur in iaculo stimulo boues agitat,& conuersatur in operibus eorum, & enaratio eius in filijs taurorum?*

27 *Cor suum dabit ad uersandos sulcos,& vigilia eius in sagina uaccarum.*

PRo,sapientia replebitur,Græcis est idem verbum quod mox interpres vertit, sapientiam percipiet, nempe σοφισθήσεται, hoc est, sapiens fiet. vnde satis constat interpretem nostrum hanc partem non coniunxisse præcedentibus. alioqui sensus illi fuisset: Qui minoratur actu,sapiens fiet, quia sapiens fiet. Notandum secundò Græcis non esse coniunctionem, quia, sed interrogatinó τί, hoc est, quid, vt sit sensus:Quid, hoc est,quomodo sapiēs fiet qui tenet aratrum, &c.quasi dicat:occupationes eius nō sinunt vt fiat sapiens, hoc est, eruditus Et omnino verisimile est interpretem nō vertisse, quia, sed quid, vel qui,pro quomodo: at cùm id non intelligeretur, quid vel qui, mutatum esse in, quia, nisi interpres legerit non τί, sed ὅτι,quia. Quæ lectio si retinenda sit, tamen vt habeatur sensus authoris, tota hæc sententia interrogatiuè offerenda erit, sicque coniungetur causalis coniunctio, quia, cum superiori sententia; Qui minoratur actu,& parum habet negotiorum,is fiet sapiens. Nam an sapientia replebitur qui tenet aratrum, &c. In quibusdam incerti authoris annotationibus scribitur quosdam libros habere; qua sapientia replebitur; & totum legendum interrogatiuè vsque ad, taurorum. quæ sanè lectio omnino est præferenda. Enumerantur autem aliquot hominum genera qui ad sapiētiam & singularem eruditionem percipiēdam non sunt idonei, propter externas occupationes quibus penitus detinentur:& potissimùm quatuor, in quibus omnia operariorum genera facilè comprehenduntur. Inter quos primùm locum meritò tribuit agricolis,vt quorū opera maximè est necessaria,& naturæ conueniens.Secundum locum tribuit fabris, quorum duo facit genera, alterum eorū qui duram materiam exsculpūt,vt sunt lapicidæ & fabri lignarij;alterum eorum qui duram materiam malleo contundunt, extenuant, & molliunt.Nomen enim,faber, sicut & Græcum τέκτων,generale est,& commune iis omnibus qui circa duram versantur materiam, artificibus scilicet cunctis qui ex quauis materia aliquid faciunt,& malleo vtūtur in suo opificio:vnde quoniam hoc nomine, plastæ & figuli non comprehenduntur, quarto loco ponit figulos. Vnde facilè colligere licet ordinis hic obseruati & rationem & ornatum.Vbi & hoc obseruandum est, in singulis generibus semper repeti ad quid quodque genus cor suum det, atque in quare vigilet.Inde semper subiungitur, post operationum enumerationem; Cor suum dabit, & vigilia eius,&c.Quod ergo attinet ad primum genus,agricolarum scilicet, insinuans eorum occupationes: Quomodo,inquit,aut an sapientia repleri poterit qui tenet aratrum, & gloriatur iaculo? Vbi per iaculum conuenit intelligere baculum, qui instar iaculi est & paruæ hastæ,quo boues inter arādum agricolæ incitant & impellunt ad progrediēdum.Nam vt videre est in Italia, aliisque locis vbi in arando bobus vtuntur,sicut equi à sessoribus vrgentur calcaribus aut flagris, ita boues centris & stimulis prælongis instar hastæ & iaculi: vnde Græcis hic est ὁ ἀβγατικόντης,hoc est,in hastili stimuli,& apud nos sequitur quod exponit de quo iaculo sit sermo;Stimulo boues agitat.Stimulus enim propriè dicitur fustis acutæ cuspidis,quo rustici boues suppingunt. Quæ sequuntur in descriptione actionum agricolæ clara satis sunt, nempe quòd conuersatur in operibus bonum,hoc est,occupatur in eis,& enaratio eius est in filiis taurorum,hoc est,sermo eius & locutio est de vitulis & progenie taurorū. Hic iam finis est interrogationis, qua dum recensēt Sapiens agricolæ occupationes,significat illum non esse aptū qui singularem percipiat rerum sacrarum eruditionem.Vnde & subiicit: Cor suum dabit ad versandos sulcos,hoc est,animum suum accommodabit vertendæ terræ,& ducendis per arationem sulcis, & vigilia eius in sagina vaccarū, hoc est, in ea re vigilat vt bene nutriat vaccas, quæ ei butyrum & lac suppeditent, ad eam rem & mane surgit, & vesperi serius se somno tradit. quasi dicat: cùm his in rebus totus sit animo intentus, quomodo vacare poterit percipiendæ sapientiæ?Idem prosequitur in operariis ciuitatis.

27 *Sic omnis faber & architectus,qui noctem tanquam diem transigit:*

28 *Qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius uariat picturam.*

29 *Cor suum dabit in similitudinem picturæ,& vigilia sua perficiet opus.*

Primùm

PRimùm in genere proponit latum fabrorum genus, quos dicit noctem tanquam diem tranſigere, hoc eſt, noctu occupari ſicut interdiu, ſiue quòd opera ſua nõnunquam noctu peragant, non contenti labore diurno, ſiue quòd noctu cogitent animo quæ per diem facienda incumbunt. Deinde vnam fabrorum ſpeciem exempli cauſa ob oculos depingit, lapicidam ſcilicet vel ſculptorem, qui in lapide, aliáue materia dura varias inducit ſculpendo figuras. Qui, inquit, ſculpit ſignacula ſculptilia, pro quo Græcis eſt, γλύμματα σφραγίδων, hoc eſt, celaturas ſignaculorum vel ſigillorum. Signacula ergo ſcuptilia hic dicũtur ſigilla exſcuplta, vt, ſculptilia, ſit adiectiuum, non autem ſubſtantiuum ſignificans imagines, quæ ſæpius ſculptilia dicũtur. Malè enim legitur in quibuſdam libris; Qui ſculpit ſignaculo ſculptilia. Cæterùm in eo quod ſequitur, & aſſiduitas eius variat picturam; pro, variat picturam, Græcè eſt, ἀλλοιῶσαι ποικιλίαν, hoc eſt, aſſiduitas eius eſt mutare varietatem, hoc eſt, eius opera in hoc aſſidua eſt vt multam effingat varietatem. Proinde nomen picturæ, hic accipi debet pro figura, quæ ſua varietate picturam variam imitatur. Non enim ſculptorum eſt pingere, & colores inducere, ſed ſculpendo formarum varietatem ad imitationem picturæ effingere. Vnde & ſubditur: Cor ſuum dabit ad ſimilitudinem picturæ; hoc eſt, vt imitetur picturam. Hic enim iam pro, picturæ eſt ζωγραφίαν, quæ dictio propriè picturam ſignificat, & animalium per colores figurationem. Hactenus autem adhuc pendet ſententia quæ perficitur per illud: Cor ſuum dabit, &c. vt ſit ſenſus: Sic omnis faber, & qui ſculpit, cor ſuum dabit vt aſſimilet picturã quaſi dicat: Etiam tales eruditioni percipiendę apti non ſunt, vt qui noctu diéque aliis in rebus occupentur. Idem oſtẽdit in alio fabrorum genere, qui non incidendo & ſculpendo vtuntur malleo, ſed concutiendo, & extenuando, atque dilatando duram materiam: quod pertinet ad fabrum ferrarium, ſub quo & argẽtarij; & ærarij omnes comprehenduntur.

30 *Sic faber ferrarius, ſedens iuxta incudem, & conſiderans opus ferri:*

31 *Vapor ignis uret carnes eius, & in calore ignis concertatur.*

32 *Vox mallei innouat aures eius, & contra ſimilitudinem uaſis oculus eius.*

33 *Cor ſuum dabit in conſummationem operum, & uigiliſaua ornabit in perfectionem.*

ETiam hic pendet ſententia vſq; ad illud; Cor ſuum dabit; Eſt enim ſenſus: Sic faber ferrarius, &c. cor ſuum dabit, ita vt quo verſus intermedij quaſi per parentheſim inſerti ſint. Quod dicit; in calore ignis concertatur; ſignificat eum conflictari & veluti pugnare in æſtu, dum ad perficiendum opus ſuum ignis calorẽ fortiter perfert, eumque ſuperare cõtendit. Cum dicitur: Vox mallei innouat aures eius; ſignificatur iteratũ ſubinde ſonum mallei contundere aures eius, eáſque noua ſemper percuſſione impetere. Cum dicitur, contra ſimilitudinem vaſis oculus eius, ſignificatur ipſum ſemper habere oculum defixum in exemplar operis à ſe perficiendi. Dictio enim, contra, hic ponitur pro, è regione, &, vas, pro quouis opere parando. Pulchrè ergo deſcribitur huiuſmodi fabri conſtantia & animi intentio, dum deſiderio perficiendi à ſe operis, & ignis intollerabilem calorem toto corpore perfert, & aurium ſimul & oculorum moleſtias tolerat, quia & illæ frequenti ſono mallei obtunduntur, & iſti intẽto candentis ferri aſpectu. Vnde ſubdit; Cor ſuum dabit in conſummationem operum; hoc eſt, ad hoc, vt perficiat opera ſua. quaſi dicat: Non obſtantibus omnibus illis quę moleſta ſunt toti corpori, auribus & oculis, totum ſe accommodabit operibus ſuis, vt parum ei libeat aut liceat intendere ſapientiæ diuinarum rerum. In eo quod ſequitur legendum eſt non per vnam dictionem, imperfectionem, ſed per duas; in perfectionem, quomodo & Rabanus habet, & quædã ſcripta. Grecè enim eſt ἐπὶ συντελείας hoc eſt, ob perfectionẽ, id eſt, ad hoc vt perficiat opus ſuum. Et eſt notandum, quòd nomen, vigilia, iuxta exigentiam originalium, debet eſſe nominatiui caſus, vt vertendum potius fuerit; & vigilia eius; ſicut bene verſum fuit in primo genere de agricolis. In ſingulis enim generibus dicitur: Cor ſuum dabit, & item quid vigilia efficiat. dicitur ergo de fabro quòd vigilia eius ornabit opera ad hoc vt ea perficiat. Pro innouat, ſunt qui legũt, intonat, ſed Græca habent καινιεῖ, quod innouare ſignificat, nõ intonare. Sequitur de quarto genere.

34 *Sic figulus ſedens ad opus ſuum, & conuertens pedibus ſuis rotam.*

35 *Quique in ſolicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum, & innumera eſt omnis operatio eius.*

36 *In brachio ſuo formabit lutum, & ante pedes curuabit uirtutem ſuam.*

37 *Cor ſuum dabit vt conſumet linitionem, & uigilia ſua mundabit fornacem.*

ETiam figuli operationes ſic ob oculos proponit, vt facilè quiſque videri poſſit illi non vacare ſtudium ſapientiæ impendere. Pro innumera, Græcis eſt ἐναρίθμιος, hoc eſt, numerata. vt ſignificetur figulum certum quotidie vaſorum numerum conficere, aut ſingula vaſorum genera certo numero perſoluere. Noſter videtur legiſſe ἀναρίθμιος, hoc eſt, innumera, quo ſignificatur eum immenſam vaſorum conficere breui tempore multitudinẽ, & omnis generis vaſa effingere. In eo quod dicitur; ante pedes curuabit virtutẽ ſuam; rectius verſum fuiſſet pronomen, eius, vt ad lutum referatur, non ad operantem. Duas enim eo verſu videtur exprimere figuli operationes, nempe quòd brachio ſuo & manu format, hoc eſt, figurat lutum, (eſt enim Græcè, τυπώσει)& quòd prius ante pedes ſuos flectit, curuat & ſubigit vim ipſius luti, vt aptum ſcilicet fiat ad formã manibus & brachio inducendam. Huiuſmodi enim luti ſubactio, quæ eſt eius curuatio & temperatura, pedibus prius fit. Proinde conuenit relatiuum reciprocum accipere pro non reciproco, vt aliàs ſæpe. Quod ſi quis volet ad operantem referre, ſenſus erit: quòd flectit fortitudinem ſuam incuruando ſe, & inclinando roburſuum & dorſum ſuum ad operis perfectionẽ. Vltimus verſus continet poſtremas duas figuli operationes, videlicet linitionem, quę vaſi figuratio inducitur plumbo aut alia materia, ad ornandum & confirmandum illud: & fornacis mũdationem, vt ſcilicet illo mundato vaſa coquenda inferantur.

38 *Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt.*

39 *Sine his omnibus non ædificatur ciuitas, nec inhabitabunt, nec inambulabunt.*

ENumeratis opificum generibus, ne, quoniam dicturus eſt ad eos non pertinere eximiam ſapientiæ perceptionem & functiones, haberentur contemptui, oſtendit eos ſuo modo eſſe ſapientes, nempe in arte ſua, eorùmque ſapientiam & operationem eſſe reipublicæ & vtilem & neceſſariã, quòd ſine his nec ædificetur ciuitas, nec ædificatam vel inhabitent homines, vel frequentent, ita vt ambulent in ea. Ad ciuitates enim concurſus eſt ab his qui agros colunt, vt illi & ſua inferant, & ex ea quibus indigent efferant opificum manu parata. Dicit autẽ omnes in manibus ſuis ſperare, quòd manuali opera ſibi quæ ad victum & veſtitum ſunt neceſſaria, comparare ſtudeant. Poſtquam autem dixit quid illis ſit tribuendum, & acceptum ferendum, ſubiicit quid illis non competat.

40 *Et in eccleſiam non tranſilient, ſuper ſellam iudicis non ſedebunt, & teſtamentum iudicij non intelligent.*

41 *Neque palam facient diſciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur.*

PRo, tranſilient, Græca quædam habent ὑπεραλοῦνται, hoc eſt, in eccleſia & cœtu non ſupernominabuntur, hoc eſt, non habebunt nomina dignitatum ſuper alios. Alij legunt, vt & noſter, ὑπεραλοῦνται, hoc eſt, ſuperſilient, vt ſignificetur tales in republica non ſupergreſſuros alios, nec eminentem locum obtenturos, quod per partes declarat, oſtendens eis nec conuenire iudicis locum, quia non intelligunt conſtitutiones iudiciales, nec magiſtri & doctoris, ad docendum alios diſciplinam & iudicium, vel æquitatem in vita morum ſeruandam, quia non occupatur in perdiſcendis grauibus & ſeriis ſapientum ſententiis. Indicat ergo duo eſſe in republica officia, per quæ eminent in ea qui eis funguntur, eáque requirere ſingularem ſapientiam, & hanc requirere otium, & ceſſationem ab operibus illis mechanicis.

42 *Sed creaturam æui confirmabunt, & deprecatio eorum in operatione artis.*

PRo, æui, eſt αἰῶνος, quod hic melius verteretur, ſæculi. Significatur enim quòd illorum ſit confirmare & tueri res huius ſæculi, vt quæ per ſe fluxæ ſunt & caducæ, illorum continua operatione reparentur, firmitérque perſiſtant atque conſeruentur, ne vnquam deſint neceſſitatibus hominũ. Deprecatio eorũ dicitur eſſe in operatione artis, quia eorum præcipua vota & deſideria ſunt in eo vt artis ſuę operationem perficiãt & præſtent. De eo enim ſemper cogitant, hoc vnum maximè ſemper habent in votis.

43 *Accommodantes animam ſuam, & conquirentes in lege altiſſimi.*

HÆc pars non eſt referenda ad ſententiam mox præcedentem, quemadmodum apparet ex noſtra lectione, & quomodo omnes noſtri intelligunt, contrà quàm requirunt & originalia, & ſcopus authoris. Ipſe enim omnino id hic agit, vt oſtendat prædictorum artificum non eſſe cor ſuum tradere inquiſitioni legis Dei, quia cor ſuũ quiſque in ſuo genere tradit rebus arti ſuæ congruis: & mox dixit eorum vota eſſe in operatione artis: quomodo ergo iam eis tribuetur, accommodare animam ſuam legi altiſſimi, & conquirere in ea? Notandum ergo Græca ſeparare hanc partem à ſuperioribus, quæ habent in hunc modum: πλὴν τοῦ ἐπιδιδόντος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διανοουμένου ἐν νόμῳ ὑψίστου, hoc eſt, præter dantem animum ſuum, & cogitantem in lege altiſſimi. Quod videtur ad illa referenda eſſe quæ ſuperius dicta ſunt non conuenire operariis opificiorum, vt ſignificetur illa tantùm conuenire ei qui dat ſe totum legi Dei, & in illa aſſiduè meditatur, Quod vt etiam noſtra lectio ſignificet, oportet in his participiis, accommodantes, &, conquirentes, aliquid ſubintelligere, per quod oratio imperfecta perficiatur, hoc modo: Accommodantes animam ſuam in lege altiſſimi, & conquirentes in ea (nam illud; in lege altiſſimi; ad vtrunque participum eſt referendum) hi ſoli illa quæ dixi præſtabunt. Vnus ſcriptus codex habuit per genitiuum ſingularis numeri, accommodantis animam ſuam. quomodo videri poteſt interpretem vertiſſe, quòd genitiuum ſingularem habeant Græca. Quæ lectio ſi recipiatur, ſenſus erit: Accommodantis animam ſuam & conquirẽtis in lege, ſupple ſunt ea quæ modò dixi non eſſe artificũ, aut ſunt ea quæ ſequuntur. Sunt enim qui hanc partem ſatis obſcuram in Gręcis referunt ad principiũ capitis, ſequentis, hoc modo vertentis: Veruntamen qui dat animum ſuam legi Dei, & meditatur in ea, ſapiẽtiam omnium antiquorum exquiret. Nam quod nos legimus, ſapiens, Græcis non eſt. Ita & in noſtra lectione hæc pars referri poteſt ad ſequentia, vt oratio ſic perficiatur: Accommodantes animam ſuam in lege altiſſimi, hi facient quæ modò dicã. Porrò legẽdum potius ſingulariter; animam ſuam; quam animas ſuas, vt quidam legũt, ex Græcis eſt manifeſtum. Ponitur autem anima pro animo.

Rectius

Rectius enim dicimus accommodare animum alicui rei quàm animam. Quòd si quis secundùm receptam intelligentiã hæc participia referre volet, & coniungere cum præcedenti sententia, sensus erit, quòd artifices illi confirmabunt res huius mundi, ita tamen vt accommodent animam suam legi altissimi, illi scilicet quæ decalogo continetur qui ad omnes pertinet, si velint animam suam saluam esse.

Caput XXXIX.

1 *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis uacabit.*

DIctio, sapiens, Græcis, non est, vt modò dictum est: Suppositum enim verbi, exquiret, petendum est ex fine præcedentis capitis. Postquam ergo superiori capite descripsit officia & exercitia opificum, hic describit actiones eius qui sapientiæ studiosus est, qui in nostra lectione intelligendus est significari nomine sapientis ostenditque primò per quas actiones sapiẽtia singularis obtineatur, ac deinde quis sit fructus perceptæ sapientiæ. Inter actiones ergo ad obtinendam sapientiam necessarias primo loco ponit exquirere sapiẽtiam omnium veterum qui præcedentibus temporibus fuerunt, quærendo scilicet eorum scripta, eàque diligenter legendo, & quia inter eos præcipuum locum obtinent prophetæ, rectè de eis peculiariter subiungit; Et in prophetis vacabit, vel, vt habent Græca, ἐν προφητείαις, in prophetiis, sed id codex reiicit. Vacatur enim in prophetis, dum in eorum scriptis quis occupatur, seseque exercet. Nam pro, vacabit, est ἀσχοληθήσεται, hoc est, occupatus erit.

2 *Narrationem uirorum nominatorum conseruabit, & in uersutias parabolarum simul introibit.*

PRo, narratione, est διήγησιν, aut, vt quidam habent, διήγησεις: quæ dictio propriè significat enarrationes & expositiones, vt ea videatur hic significari sacrarum scripturarum & prophetarum explicatio, quæ à viris nominatis, hoc est, celebribus & magni nominis fit, vel æditis libris, vel viua voce. Itaq; post lectionẽ sacrarũ scripturarũ, rectè secũdo loco insinuat sapientiæ studioso requirẽdos celebriũ virorũ cõmentarios & expositiones, ne suæ fidat nimis intelligẽtiæ, easq; diligenter obseruãdas, conseruandas & retinendas. Iam cum sequitur; & in versutias parabolarum simul introibit; rectè intelligitur quòd simul cum nominatis illis viris ingredietur in versutias parabolarum, ad intelligendum scilicet eas adiutorio illorum. Potest tamẽ etiam per διήγησιν, hoc est, enarrationem virorum intelligi, non commentarij sacram scripturam exponentes, sed absolutè elocutio sapientię & enarratio, vt etiam pertineat ad authores sacrarum scripturarum, quæ continent narrationem virorum celebrium. Quoniam autem in scripturis sacris & aliorum sapientum scriptis præter prophetas peculiari indigent inquisitione parabolæ per seſe obscuræ, & tamen multam in se continentes vtilitatem, rectè etiam de eis peculiariter subiungit; Et in versutias parabolarum simul introibit. Vbi præter sensum dictum dictio, simul, etiam referri potest ad prophetas, vt significetur quòd non solùm vacabit in prophetis, sed quòd simul etiam se ingeret in lectionem parabolarum. Prophetis enim vacandum est, propter cognitionem futurorum: parabolis, propter ea quæ ad vitæ institutionem & recta consilia danda pertinent. Versutias enim parabolarum vocat, acutas subtilésque sententias, quæ à sapientibus de vita doctè & ingeniosè pronuntiatæ sunt, & ad varia verti & accommodari possunt. vnde rectè dicuntur versutiæ, vocabulo in bonum accepto: sicut & Græcis hic dicuntur τρόφαι, à τρέφειν, quod est vetere. De eisdem subditur ad explicandum quomodo in versutiis parabolarum introibit sapientiæ studiosus.

3 *Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur.*

IDem significatur per prouerbia & parabolas, vt dictum est prolixè in cõmentariis super Prouerbia Salomonis, quamuis hic accipi possint hæ dictiones in suo proprio significato, vt prouerbia sint quæ adagia dicimus, sententiæ scilicet graues, quæ in ore omnium versantur, & ad vitæ institutionem pertinent: Parabolæ verò, similitudines & cõparationes vnius rei ad aliam, quales sunt parabolæ Euangelicæ à Saluatore ita pronuntiatæ, vt absconditæ sint, & reconditum habeant sensum, indigentes multa indàgine, & explicatione. *In princip. 1. ca.*

4 *In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.*

5 *In terram alienigenarum gentium pertransiet, bona enim & mala in omnibus tentabit.*

MAlè à multis legitur, in omnibus, cùm legendum esse, in hominibus, sicut habet Rabanus & pleraque scripta manifestũ sit ex Græcis, quæ habent ἐν ἀνθρώποις, in hominibus: Quidam has duas sententias intelligunt, vt significent fructum quem sapiens percipit, nempe quòd per sapientiam id obtineat vt possit regibus ministrare, & stare coram magnatibus, vtque liberè possit versari in alienis regionibus & populis propter prudentiam vsu rerum cõparatam, aut quòd à principibus mittendus sit legatus in exteras regiones. Cui intelligentiæ fauet quòd Græca non habent per futurum, tentabit, sed ἐπείρασε, tentauit, quomodo & apud Rabanum legitur, At quoniam & præcedentia & mox sequentia describunt ea quæ ad sapientiã obtinendam pertinent, quia fructus obtentæ sapiẽtiæ postea describũtur, magis conuenit

conuenit etiam his sententiis intelligere significata esse quæ faciunt ad consequẽdam sapientiam. Ad eam enim obtinendam non satis est legere vel audire sacras literas, earùmque expositiones, sed oportet experientiam rerum addere, atque ob id sapiẽtię studiosum conseruari apud magnates eorúmque ministerio seſe ingerere. Itẽ adire exteras regiones, ad audiẽdum doctorum disputationes, & probandum regionum mores: quemadmodum regina Saba ex Æthiopia venit Hierosolymam, audiendi Salamonis gratia: & de Solone dicitur intrasse eum Ægyptũ è Græcia: & de Platone atque Pythagora scribit Hieronymus eos in terras remotissimas cõmigrasse pro doctis audiendis. Et idem Hieronymus è Dalmatia Romã, hinc cùm Treuerim & Gallias cũ Germania pertrãsisset, Constantinopolim venit, inde Alexandriam Ægypti, deinde Hierosolymam, ídque experientiæ causa, & videndorum audiendorumque virorum magnorum desiderio quomodo & nunc à studiosis vniuersitates & exteræ regiones cum magno fructu audientur. Oportet enim & bona & mala in hominibus tentare & experiri, vt in eis quæ bona sunt sectemur, quæ mala sunt vitemus.

6 *Corsuum tradet ad uigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.*

7 *Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.*

QVoniam præter omnia iam dicta quæ ad comparandam faciunt sapientiam, maximè & imprimis necessaria est frequens ad Deum oratio, quia Deus est qui dat sapientiam, rectè postremo loco etiam de ea prædictis coniungenda subiungit. Etsi enim de ea postremò meminit, tamẽ significat satis oportere, vt ea primas inter omnia partes obtineat, cùm dicit diluculò tradẽdum corad Dominũ in oratione, ante scilicet omnes alias actiones, & singulis diebus: vt intelligamus orationem adhibendam in omnibus prædictis, nempe lectione librorum, auditione doctorum, & profectione ad extera loca, vt cum fructu hæc fiant. Et sicut in descriptione actionum quibus occupantur artifices, superius dixit in singulis generibus ad quid cor suum tradant, & qua in re vigilent; ita & hic de sapiente dicit, quod corsuum det ad vigilandum in precibus, significans satis id esse, vel primum & præcipuum eius opus. Bene autem cùm Dominum nominat, adiecit; qui fecit illum; insinuãs illum solum posse dare sapiẽtiam, qui dedit essentiam. Bene item prius dicit cor tradendum ad deprecandum, & postea subiicit; Aperiet os suum in oratione; quia oportet vt orationem oris præcedat oratio cordis, quæ dum est intenta, non sibi temperat ab orando vocaliter, vnde & internus affectus sæpe magis excitatur. In eo tamen quod dicitur, aperiet os suum in oratione; rectè etiam intelligitur significari quod auidè & multùm desiderabit precando, iuxta illud: Dilata os tuum, & implebo illud. Non solùm autem vult Deum precandum pro obtinenda sapientia, sed & pro remissione peccatorum, ne scilicet peccata, sine quibus hæc vita non peragitur, impedimentum præstent dandæ à Deo sapientiæ, quia, vt dicitur Sapientiæ primo. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

8 *Si enim Dominus magnus uoluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.*

COniunctio causalis, enim, Græcis non est, bene tamen addita est, vt intelligatur hic reddi rationem cur orandus sit Deus & pro sapiẽtia, & pro peccatorum remissione, nempe quia sapientiæ perceptio pendet à domini voluntate, quæ ad dandum sapientiam inclinatur, si ita precemur pro sapientia, vt simul deprecemur pro venia, iuxta illud Iacobi 1. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter. hoc est ergo quod hic dicitur: Sapientiæ studiosus orabit assiduè Deum, quia si Dominus ille, qui magnus est & omnipotens, & ob id faciliè quiduis præstare potest, voluerit, vo let autem si vt oportet rogetur, affluenter orantem sapientia donabit,

9 *Et ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino,*

POstquam ostẽdit quibus orationibus sapientia paretur, & à quo detur, describit iam pulchrè obtentæ sapientiæ fructus. Et primùm dicit, quòd qui iam Dei dono repletus est sapientia, non eam in seipso continebit, sed eloquia sapientiæ suæ de se diffundet tanquam imbres, hoc est, copiosè & largiter, quod imprimis faciet erga Dominum, quem sanctis & sapientibus verbis & orabit, & laudibus celebrabit, ita assiduè orans pro his quibus se adhuc indigere agnoscet, vt pro acceptis beneficiis, & præcipuè pro sapientiæ dono gratias agat Domino, cùmque carminibus, hymnis & psalmis laudet & celebret. Bene enim coniunxit Sapiẽs orationem & gratiarum actionem atque cõfessionem dicens; in oratione confitebitur Domino. sicut & Paulus ea sæpius cõiungit, vt cùm dicit: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Bene etiam id subiecit illi quod dixit; mittet eloquia sapientiæ suæ; quia sapientiæ eloquia primùm in oratione & laude Dei exhibenda sunt. Nam de proferendis sapientiæ eloquiis ad aliorum vtilitatem postea dicit: *1. The. 5.*

10 *Et ipse diriget consilium eius & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur.*

QVidam relatiuum, ipse, hic referunt ad Dominum, de quo in fine versus sequentis, vt hic sit sensus: Et ipse Dominus diriget in finem bonum, & prosperabit consilium sapientis & scientiam eius, & in absconditis

ſconditis ac ſecretis ſuis eloquiis conſilium illi ſuggeret vt ea intelligat. At magis referendum eſt relatiuum,ipſe,ad ipſum ſapientem,ſicut & in præcedenti & in ſequẽti ſententia, vt ipſa tota oratio mollius fluat. In Græcis enim tres ſibi continuæ ſententiæ incipiunt ab αὐτὸς,Ipſe,ſine coniunctione,&. Vnde ſemper videtur ad eũdem,nempe ſapientem, referendum idem pronomen in principio poſitum in nominatiuo, ſicut & idem pronomem in omnibus tribus ſententiis in genitiuo poſitũ,nempe αὐτοῦ, magis referendum eſt ad Deum,vt & in præcedente ſententia dicendum fuerat: Ipſe iam repletus ſapientia à Deo mittet eloquia ſapientię eius,nempe Dei.Et in hac ſentẽtia: Ipſe iam donatus ſapientia à Deo, diriget conſilium Dei, & in abſconditis illius conſiliabitur. In ſequenti: Ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ illius. Senſus ergo huius ſentẽtię eſt: Ipſe ſapiens non ſatis habebit ſapientiã percepiſſe, ſed conſilium Dei quod in ſcripturis aut alibi didicit, & diſciplinam, hoc eſt, ſcientiam(eſt enim Græcè ἐπιστήμην) diriget, hoc eſt,in rectam deducet operationem,atque ad rectam vitæ degendæ rationem referet: ſicque huiuſmodi conſilium, quantum in ſe eſt, rectum faciet :quod qui non ſequuntur,quantum in ipſis eſt deprauat. Et in abſconditis ipſius Dei conſiliabitur; hoc eſt,in pręceptis conſiliiſque vitæ,quæ in occultis obſcuriſque quibuſdã ſententiis ſunt poſita,atque in occultis iudiciis Dei aſſiduè cogitabit,meditabitur,& conſilia ſibi captabit.Pro,conſiliabitur, enim eſt διανοηθήσεται, quod eſt,cogitabit,vel meditabitur. Itaque apud nos reciprocum pronomen,ſuis, pro, non reciproco,eius, accipiendum eſt. Et indicat hic verſus fructum perceptæ ſapientiæ,qui pertinet ad eum qui ſapiens iam Dei dono factus eſt.Sequens verò exprimit fructum qui à ſapiente ad alios dimanat, cùm dicitur:

11 *Ipſe palam faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamenti Domini gloriabitur.*

NOn tantum,inquit,per & propter ſapiẽtiam perceptam confitebitur Domino, nec tantùm ſibi ſapiẽs erit,ſibique ſoli conſulet,ſed etiam aliis palam faciet inſtititutionem doctrinę Dei, vel ſuæ quam à Deo percepit,& iucundum ei erit loqui de lege Dei, gloriabiturque in ea, quòd eam Dei dono cognoſcat,& aliis eam docere poſſit,quemadmodum de ſe Dauid dicit: In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.

12 *Collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſæculum non delebitur.*

EXpreſſit fructus qui ab ipſo procedunt ſapiente, nunc exprimit fructus ſapientiæ, qui ab aliis redeunt ad ſapientem, laus ſcilicet ſapientiæ eius cum æterna eius memoria. Non ſine fructu,inquit, palam faciet doctrinã diuinam,quia collaudabunt multi ſapientiam eius,eáque vſque in perpetuum nõ delebitur ex animis hominum, ſed ſemper hærebit cum laude in mentibus multorum. Qua in re differt hęc ſapientia à ſapientia humana,quæ admixtas habens plurimas vel vanitates vel falſitates, cum tempore & cum hominibus mutatur,& tãdem falſa deprehenditur, ſicque in obliuionem venit, quemadmodum de philoſophorum & hæreticorum ſectis res ipſa docet.

13 *Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem.*

NOn tãtùm,inquit, tradita ab eo ſapientia perpetua erit in mentibus hominũ, ſed & eius memoria perpetua erit partim apud homines,ſed multò magis apud Deũ, iuxta illud Pſal.111.In memoria æterna erit iuſtus.Et nomen eius requiretur per omnes generationes, hoc eſt, in memoriam reuocabitur ad celebrandum illud,& honore afficiendum,quemadmodum patet in ſanctis Prophetis,Apoſtolis & Epiſcopis, qui in lege Domini ſiue docendo,ſiue ſcribendo laborauerunt: quos Dominus non tantùm in cœleſtibus, ſed etiam ſuper terram celebri nomine tantò magis exornat, quantò id minus optauerunt, qui Dei tantùm gloriam & ſalutem ſuam atque aliorum intenderunt. Quòd ſi ſint quidam, quorum memoria in mundo intercidit, manet tamen illa perpetuò in cœlis, vbi illorum nomen ſemper requiritur,hoc eſt,nunquam venit in obliuionem. Rurſum autem hic interpres vertẽdo, requiretur, declarat ſe legiſſe ζητηθήσεται, cùm Græca modò habeant ζήσεται, hoc eſt, viuet.Sed ſenſus eodem recidit.

14 *Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit eccleſia.*

ETiam exteræ,inquit,gentes loquẽtur de ipſius ſapientia,quam vel in libris ipſius legunt,vel ab aliis prædicari audiunt,vel denique ex ore ipſius audiuerunt,& piorũ cœtus (qui hic eccleſiæ nomine ſignificatur) laudem eius enũtiabit.Prioris partis veritas declarata eſt in Salomone,cuius ſapientiam non ſolùm regina Saba gẽtilis admirata eſt, ſed vt de eo ſcriptum eſt, vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius quàm dederat Deus in corde eius.Et Ptolomæus Philadelphus circa ea tẽpora quibus hæc ſcripta ſunt, ſapientiam in Hebræorum libris contentam,curauit in linguam Græcam conuerti,ita vt & ab ipſo,& à multis Græcis tunc ſanctorum virorum ſcripta & legi inciperent,& in admiratione haberi. Per quæ poſteà ita commoti ſunt plerique ex gentibus etiam ante Chriſtum, ſed maximè poſt Chriſtum,vt ſe ſanctorum cætui adiungerent,& populo Dei, qui hic ſine additione aliqua ſimpliciter dicitur eccleſia,vt mirũ non ſit quòd hoc nomem appropriatum nunc ſit populo Chriſtiano. Non enim legẽdum eſt hic; eccleſia ſanctorum; vt quidam legunt,ſed abſolutè,eccleſia.

15 Si

15 *Si permanſerit, nomen derelinquet pluſquam mille: & ſi requieuerit,proderit illi.*

MAlè hic ferè ab omnibus legitur; Si permanſerit nomen eius;vt,nomen,ſit ſuppoſitum verbi, permanſerit,& ſit ſenſus: Si permãſerit nomen eius, derelinquet poſt ſe pluſquam mille diſcipulos, hoc eſt, multos. Ex Græcis enim conſtat legendum ſine pronomine,eius, &,nomen ſuppoſitum eſſe verbi,derelinquet:in verbo autem, permanſerit,ſubaudiẽdum, ſapiens, atque ſic multa etiam habent ſcripta,vt ſit ſenſus:Si ſapiens permanſerit in vita, relinquet ſibi nomen pluſquã mille,hoc eſt,celebrior erit multis: & ſi requieuerit,hoc eſt,vita hac defungatur ac moriatur, hoc ipſum proderit illi, tũ quia fama nominis eius creſcet poſt mortem vt frequẽter fit,& in ſacris doctoribus accidere videmus, tũ quia pro amiſſa vita hac corporali,vitam conſequetur ęternam.Pro;proderit illi;Græcè eſt ἐμποιεῖ αὐτῷ,hoc eſt,acquiret ſibi nempe famam & nomen. Significatur ergo ſapientem celebrem fore & in vita & poſt mortem Quædam Græca partes inuerſas habent hoc modo:Si requieuerit,nomen derelinquet pluſquam mille : & ſi permanſerit,acquiret ſibi.Quæ diſtributio conuenientior eſt, quòd morienti melius competat relinquere nomen, poſt ſcilicet: & viuenti competit acquirere ſibi nomen & famam. Sicut tamen noſter vertit, ita habet exemplar Germanicum.

16 *Adhuc conſiliabor ut enarrem, ut furore enim repletus ſum in uoce.*

NOui hic argumenti exordium eſt. Poſt multa enim dicta, ſuperioribus alia adiecturus,quaſi reſumpto ſpiritu,pręparat lectorem, & attentum facit ad ſequentia: in quibus imprimis hortatur ad celebrationẽ & conſiderationem operum Dei.Pro;conſiliabor vt enarrẽ;Græcè eſt, ἔτι ἐξαγγελῶ διανοηθεὶς ἐκδιηγήσομαι, adhuc meditatus enarrabo, hoc eſt, ergo præter iam à me dicta,adhuc alia enarrabo quæ meditatus ſum.Senſus ergo noſtrę lectionis eſt : Ego adhuc intra me cõſultabo & meditabor,vt quæ meditatus ſum animo, enarrem & exponam voce.In ſequenti parte pro furore, Græcis eſt διχομηνία. Quam dictionem quidam interpretãtur ſemiplenam lunam,quaſi diuiſam lunam,à δίχα,quod diuiſum ſignificat,intelligúntq; hunc ſenſum: Quoniam repletus ſum ſicut luna ſemiplena,cupiens ſcilicet ſemper in continuo augmento perficere ad perfectum. Alij intelligunt ſignificare lunam plenã quaſi duplam lunam,vt ſignificet Sapiẽs ſe plenum eſſe ſapientia & cogitationibus inſtar lunæ plenæ. Noſter legit μανία, quod furorẽ ſignificat, & eſt ſenſus:Adhuc enarrare pergã quæ mente concipio, quia velut furore repletus ſum, ita vt me à dicendo continere non valeam, ſpiritu me incitante & commouente ad loquendum, ſicut commouentur furore correpti. Simile eſt illi quod eſt in Iob 32. Plenus ſum ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei loquar & reſpirabo paululum. Et Ieremias 23. ait:Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie Domini,& à facie verborum ſanctorum eius,& rurſum Ierem 20. Dixi, non loquar vltra in nomine Domini. Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans,clauſúſque in oſſibus meis, & defeci ferrę non ſuſtinens. Sequitur in libris noſtris : In voce dicit. Quob vt obſcurum eſt,eo quod verbũ non habeat ſuppoſitũ:ita nihil ei in Græcis correſpondet,& variè admodum legitur. Quidam enim habent cum cõiunctione:Et in voce dicit. Alij ſine coniunctione : In voce dicit. Quidam, dixit, Et intelligitur ſuppoſitum vel ſpiritus internus, vel ſapiens. Vnus codex habebat correctum in margine,Dicam.quæ lectio tolerabilior eſſet.In ſpeculo Auguſtini legitur: In voce dicito.Rabanus tantùm habet:Vt furore enim repletus ſum in voce; ſine verbo, dixit vel dicit. Quæ lectio cùm ſit aptiſſima, & tãti authoris,per quem multa in hoc libro corrigi meritò debeant, iure hic amplexanda eſt. Videri enim omnino poteſt verbum, dicit in margine primùm aſſcriptum ab aliquo,qui notare voluit hic Sapientem ſic dicere,deinde textui inſertum eſſe.

17 *Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate.*

PRo,diuini fructus,eſt υἱοὶ ὅσιοι, hoc eſt,filij ſancti, quo nomine compellat Iſraelitas & qui ſunt de populo Dei, quorum eſt propriũ dignis laboribus Deum celebrare. Rectos enim decet collaudatio.Hortatur enim in ſequentibus ad laudem Dei, ſimilitudine rerum ſuauiſſimarum atque odoratiſſimarum,ſignificans illam Deo eſſe gratiſſimam, ſi bono animo atque iudicio,Deo tribuatur. Ad hoc enim ſignificandum, pertinent quæ hic adhibentur ſimilitudines rerum boni odoris, nempe vt ex animo Deum dignis laudibus celebrando velut bonum odorem de nobis Deo offeramus. Illud enim eſſe gratiſſimum Deo ſacrificium, fragrantiſſimi odoris pleniſſimum. Quòd ergo dicitur,quaſi roſa fructificate, ſignificat ſuauẽ Deo odorem per confeſſionem exhibendum inſtar roſæ odoriferæ.Sic & in ſequentibus.

18 *Quaſi libanus odorem ſuauitatis habete, Florete flores quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam.*

LIbanus, non pro monte hic poſitum eſt, ſed pro thure. Florete flores, dictum eſt pro producite flores. Frondete in gratiam, eſt ad gratiam frondere, gratáſque ac iucũdas frondes proferre. Allegoria autem quæ eſt in his verbis explicatur ſequentibus verſibus, quibus iam exponitur quod dictum eſt ſub ænygmate.

19 *Et collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis.*

20 *Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in uoce labiorum ueſtrorum, & in canticis*

 labio

labiorum & citharis.

COllaudare canticum, est laudando canticum proferre. Dare nomini eius magnificentiam, est magnificè illum laudare, & magnificentiam illi carminibus attribuere. Confiteri illi in voce, est illum laudare, & agnoscere verbis, illius beneficia, multis enim verbis ad inculcationem, idem dicitur.

21 *Et sic dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde.*

POst adhortationem ad laudem Dei, rectè etiam formâ celebrandi Deum præscribit paucissimis verbis imprimis complexus in quo summa laudis diuinæ comprehenditur, ac deinde per partes illud explicans: ac primùm quidem incipit à commẽdatione bonitatis ipsius. Nihil enim magis Deum commendat, quàm quod de eo dici potest, vniuersa eius opera esse bona, & bona valde: ita vt in eis non solùm nihil sit reprehensibile, sed etiam singula ob vtilitatem suam & ornatum summè sint laudanda. Id autem de nullo hominum dici potest, cùm nemo sit, qui etsi multa habeat laude digna, non tamen etiam habeat quædam reprehẽdenda. Deinde bene peculiariter monet in confessione & laude Dei dicendum: Vniuersa opera Domini esse valde bona, quia qui hoc sibi persuasum habet, is vt munitus erit contra omnem murmurationem in Deum: ita facilè ex animo Deum semper celebrabit, atque laudabit. Cùm enim plerique sentiant quædam sibi molesta, difficile multis persuadetur omnia Dei opera bona esse valde. Loquitur autem non tantùm de operibus creationis, de quibus dicitur Genes. 1. Vidit Dominus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; sed etiam de operibus gubernationis mundi & hominum, de quibus etiam in sequentibus agit. Additur in Græcis; & omne præceptum eius in tempore suo erit; hoc est, quicquid iusserit & voluerit fieri, suo tempore erit, nec quisquam eius voluntatem impedire poterit. Quo iam significatur eius omnipotentia, sicut superiori parte eius bonitas, à quibus duobus Deus dicitur Optimus Maximus: demõstratúrque sic nihil in Deo esse reprehensibile, vt nihil in eo quod vult impediri possit. Quæ duo imprimis Dei magnificentiam & perfectionem declarant. Eius potentiam per insigne exemplum sequens ostendit sententia.

22 *In uerbo eius stetit aqua sicut congeries, & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum.*

MEmorat quod in mari rubro atque in Iordane factum est, quando ad iussum & voluntatem Domini, cõtra naturam suam stetit aqua fluens instar alicuius cõgeriei & acerui: & in sermone oris illius, hoc est, per volũtatis eius imperium facta sunt sicut exceptoria aquarum, hoc est, factũ est vt aquæ continerentur sicut quæ in exceptoriis & receptaculis conseruantur. In hoc versu quidam legunt cum coniunctione causali; In verbo enim eius; sed melius omittitur coniunctio, quam vt non habent Græca, ita nec Rabanus, nec pleraque scripta.

23 *Quoniam in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in salute illius.*

PRo, placor, est εὐδοκία, hoc est, beneplacitum. Rabanus & quedam scripta habent, placatio. Sensus ergo est, quòd cùm ipse vult & iubet, fit quod pro salute suorum ei bene placet: & cùm ipse saluare statuit & incipit, nemo est qui salutem ipsius imminuere possit. Hoc enim est quod significat illud; Non est minoratio in salute illius; cùm Græcis sit; Et non est qui minuat salutem eius. His ergo ostendit eius omnipotentiam. Eius deinde omni scientiam describit versibus sequentibus, cum dicit:

24 *Opera omnis carnis coram illo, & non est quicquam absconditum ab oculis eius.*

25 *A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est admirabile in conspectu eius.*

PRimùm quidẽ dicit, peculiariter coram Deo esse opera omnis carnis, hoc est omnis viuentis vel hominis, hoc est, illi ita esse nota, velut nota sunt nobis quæ ante oculos nobis sunt, quia id maximè persuasum nobis esse conuenit quòd omnia nostra opera Deo sint cognita. Deinde generaliter dicit; & non est quicquam absconditum ab oculis eius. Iam ne putetur præsentia tantùm videre, sicut nos oculis nostris tantùm quę coràm sunt videmus, subiicit; A sæculo vsque in sæculum respicit; significans eum & præterita omnia & futura cognoscere, imò in vno æternitatis instanti semper præsentialiter cuncta intueri, & quæ præcesserunt, & quæ secutura sunt. Cúmque sic omnia respiciat, nihil tamen est in omnibus illis, quod sit mirabile in conspectu eius: quia nihil fit supra eius potentiam, nihil præter eius voluntatem & dispositionem, nihil quod ipse arduum ducat atque difficile.

26 *Non est dicere, Quid est hoc? aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.*

DIxit nihil esse mirabile in oculis Dei. Cùm autem multa in operibus Dei sint mirabilia in oculis nostris, multáq; sint quorum causas & rationes ignoremus, commodè nunc monet ne vel nimia curiositate inquiramus omnium factorum Dei causas, vel quia earum causas & vsum ignoramus, contemptim de eis loquamur, quasi in eis plerague sint superuacanea & inutilia. Ideóque dicit: Non licet dicere de operibus Dei per cõtemptum; Quid est hoc aut istud? hoc est, ad quid hæc sunt facta, quémue vsum aut fructum habent, etsi enim multarum rerum vsus ignoretur, tamen omnia suo tempore quærentur, tanquam alicui vsui conuenientia, aut

tia, aut necessaria, nihilque est quod non sit aliquo tempore desiderandum & optãdum propter vtilitatem quam habet: nihil item est quod non ad vniuersi decorem & ornatum suo tempore requiratur vt sit. Potest & sic accipi, vt dicat omnia suo tempore quærenda, quia omnia suo tempore cognoscentur & manifesta erunt, vt quia omnis inquisitionis finis, est ipsa inuentio & cognitio per metalepsim Hebraicam, qua prius pro posteriore sumitur, quærere, accipiatur pro, inuenire, & cognoscere: quemadmodum
Psal. 10. cùm de Deo dicitur, quòd interroget iustum & impium; significatur eum cognoscere vtrumque.

27 *Benedictio illius quasi fluuius inundauit, & quomodo cataclysmus aridam inebriauit.*

28 *Sic ira ipsius gentes qui non exquisierunt eum, hæreditabit, quomodo conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra.*

ITa hos versus distinguendos Græca docent contrà verò ferè sic distingui solent, vt ira Dei comparetur cataclysmo, quia per cataclysmum putatur significari diluuium tempore Noë mundo inductum, quod potius comparandum est iræ Dei quàm eius benedictioni. Verùm dictio, cataclysmus, non illud tantùm significat diluuium, cui non bene conuenit inebriare terram, quod inuenit beneficium terræ præstitum, sed etiam quamuis inundationem, quæ siccæ terræ inducta adfert ei fertilitatem: vnde bene comparatur benedictioni diuinæ, sicut & fluuius inundans. Quibus comparationibus significatur, quòd benedictio, hoc est, beneficentia diuina ita solet abundè electos recreare cùm visum ei fuerit, sicut inundans fluuius, aut quæuis alia aquarum inundatio sitibũdam siccámque terram solet inebriare, & humore replere ad reddendum eam frugiferam. Contrà, ira Dei, eiúsque seueritas & vltio in gentes incredulas, comparatur cõuersioni aquarum in siccitatem, vel vt habẽt Græca, in salsuginem, hoc est, cùm Deus efficit vt vbi erat aquarum copia, fiat siccitas, & sterilitas, quia in eis quibus Deus irascitur, sublato omnis gratiæ eius humore, maxima fit siccitas, & ad bonum aliquod proferendum sterilitas. Itaque his sententiis, sicut & sequentibus, ostenditur quomodo differenter se Deus habeat erga electos & reprobos: quanquam sit efficax eius tum beneficentia, tum seueritas, misericordia atque iustitia. Patet ex dictis particulam similitudinis, Sic, cùm dicitur; Sic ira ipsius, non respondere præcedẽti comparatiuæ dictioni. Quomodo, sed sequenti. In priori sententia legendum esse potius per præteritum, inundauit, quomodo habet Rabanus, Græca docent, quæ habent ἐκάλυψε. Cui & respondet in secundo membro verbum, inebriauit. In secunda sententia dicitur, iram Dei hæreditaturam gentes, quia illa ipsas imperpetuum est possessura, & occupatura, idque potissimùm in futura vita, quando omnem huius mundi fœlicitatem & bonum Deus in summam conuertet miseriam & calamitatem, vt meritò cõparetur conuersioni aquarum in siccitatem.

29 *Et uiæ illius uijs illorum directæ sunt, sic peccatoribus offensiones in ira eius.*

PRo, viis, Græcè est τοῖς ὁσίοις, hoc est, sanctis vel piis: & pro, offensiones, est πρόσκομματα, hoc est, offendicula. Itaque Græca iucundum habent sensum; Viæ Dei sunt piis rectę, sic peccatoribus sunt offendicula, hoc est, piis placent viæ Domini, eásque approbant: at eædem viæ Domini displicent peccatoribus, eísque offenduntur, & in illas impingunt. sic & Psalmista 24. dicit: Vniuersæ *Psal. 24.*
viæ Domini misericordia & veritas requirentibus testamentũ eius & testimonia eius. Videri posset interpretem vertisse, piis, non autem, viis, nisi adderetur, illorum: vnde magis est verisimile ipsum in Græcis pro, τοῖς ὁσίοις, legisse τοῖς ὁδοῖς, hoc est, viis. Additum relatiuũ, illorũ, referri debet ad eos in quos benedictio Dei inundat. In superioribus enim duobus versibus insinuauit duo hominum genera, alterum ad quos pertinet Dei benedictio, alterum ad quos eius ira, de quibus duobus generibus aliquot sententiæ sequuntur. Dicitur ergo quòd viæ Dei sunt directæ, hoc est, rectæ viis bonorum, quia ipsi suis actionibus suáque vita declarant se probare vias Dei, hoc est, & mandata eius quæ hominibus præcepit, & vniuersa eius facta atque iudicia quibus mundum gubernat, dum ei sedulam sine murmuratione obedientiam præstant. Peccatoribus aut vię Domini sunt offendicula & scãdala, quia impingunt & in eius mandata quę ipsis maioris lapsus sunt occasio, & in illius facta atque iudicia, contra quæ murmurant tanquam iniusta. Id autem fit in ira eius nimirum quòd eius gratia destituuntur, qua de his quæ bona sunt recte sentire valerent.

30 *Bona bonis creata sunt ab initio: sic nequissimis bona & mala.*

GRæca tantùm habent in secundo membro; sic peccatoribus mala; ita vt omnino expungendæ videantur duæ illæ dictiones, bona &, quanquam illa inueniantur in omnibus quæ ad manum erant scriptis. Omnino enim contrarium est sequenti declarationi, vt peccatoribus bona tribuantur, cùm apertè mox dicatur omnia impiis & peccatoribus in mala conuertentur. Porrò bonis bona creata sunt ab initio mundi, tum quia eis ab origine mũdi decreta sunt præmia vitæ æternæ, iuxta illud Matt. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi, tum quia & quæ in initio mundi creata sunt, & quæcunque eis eueniunt, etiam quæ videntur mala esse, ex Dei constitutione eis cedunt in bonum, iuxta illud Pauli Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Sic nequissimis, hoc est, peccatoribus (superla-

tiuus enim pro positiuo positus est) mala sunt ab initio creata, tum quia eis decreta sunt ab initio demeritorum suorũ supplicia, tum quia per Dei reprobationem futurum erat vt omnia etiam quæ per sese bona sunt, eis in eorum malum cederent propter eorum abusum. Si quis omnino retinere velit receptam lectionem, legendo; Sic nequissimis bona & mala; cum Rabano intelliget dici nequissimis non tantùm mala, sed etiam bona creata. Bona; si se conuerterint à peccatis suis, & egerint pœnitentiam; mala autem, si perseuerauerint in errore & delictis suis. Is tamen sensus proposito parùm conuenit, quòd Dionysius bene se aduertisse declarat, dum exponit: Nequissimis bona & mala, hoc est, prospera & aduersa cedent eis in mala. Liranus sic: Nequissimis bona & mala, quia illa quæ natura sua bona sunt, facta sunt eis nociua propter abusum. Sed hæ explicationes non bene conueniunt literæ. Quod hac sententia dicitur, declaratur in sequentibus.

31 *Initium necessariæ rei uitæ hominum, aqua ignis, & ferrum, sal & lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uuæ, & oleum, & uestimentum.*

ENumerat ea quæ potissimùm ad sustentandam vitam hominum sunt necessaria, proinde dictio Græca, ἀρχὴ, quam noster vertit, initium, verti potius etiam hic debuisset, principatus vel summa, vt sit sensus: summa rerum necessariarum vitæ hominum hæc sunt, aut inter ea quæ necessaria sunt vitæ hominum, principatum obtinent ista. Itaque, initium, hic rursum accipi vt suprà capite 11. cùm de ape dicebatur: Initium dulcoris habet fructus eius; pro principatu. Enumerantur tantùm res ad vitam necessariæ, quia in rebus conditis aliæ pertinent ad vsum vitæ necessarium, aliæ minus sunt necessariæ, pertinentes potius ad voluptatis perfruitionem. Enumerantur autem decem res sub quibus aliæ si quæ sunt comprehẽduntur. Nam sal, quod in multis libris omittitur, sicut est Græcis, ita est etiam apud Rabanum, & in multis scriptis. Primò ergo loco commemorat duo illa elemẽta, aquam & ignem, quæ humanæ vitæ imprimis sunt necessaria. Mox additur ferrũ, quod ad arandum & omnes penè artes est necessarium. Deinde adduntur quæ ad cibum pertinent, sal, lac, panis similagineus, (vel, vt habent Græca, similago frumenti) & mel. Nec additur de carnibus, quòd illæ ad delitias potius pertineant, nec ante diluuium putentur in vsu fuisse, tanquam non conuenientes naturali cibo hominum. Ea ergo tantùm commemorat quæ maximè sunt naturalia. Additur pro potu maximè naturali, botrus uuæ; pro eo quod reficiẽdis ægris & lassis corporibus est necessarium, additur oleum, & postremùm pro tegendis corporibus, vestimentum. Quorsum autem per partes hæc enumerentur, indicat sequens sententia, nempe vt tam variis rebus in vsum hominũ creatis, declaretur & quàm beneficus sit Deus electis, & quàm multis Dei beneficiis impij abutantur, ideóque subditur:

32 *Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala conuertentur.*

OMnia, inquit, hæc sicut sanctis cedunt in bonum ipsorum, quia rectè & cum gratiarum actione eis vtuntur: ita peccatoribus conuertentur in mala, quia illis rectè vti nesciunt, sed abutuntur in suam perniciem. Simile est quod habetur Sapien. 14. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tẽtationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Et illud Pauli: Omnia munda mundi: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.

33 *Sunt spiritus qui ad uindictam creati sunt, & in furore suo confirmauerunt flagella sua.*

POstquam dixit ea quæ ad vsum hominibus communiter data sunt, iustis esse bona, impiis esse mala propter abusum: subiicit de multis malis, quę peculiariter impiis sunt deputata in vindictam impietatis ipsorum, & abusus bonarum rerum. Proinde impertinens est huic loco illa intelligentia, qua plerique hac sententia intelligunt significari spiritus malos & dæmones creatos esse à Deo, hoc est, deputatos ad sustinendam vindictam & vltionẽ quam sua defectione meruerunt, cosdẽmque per furorem suum, hoc est, per inconuertibilem & obstinatam suam à Deo auersionem, aut potius per furorem quo agitantur contra hominum salutem, confirmare sua tormenta, hoc est, id consequi vt irrecuperabiliter damnẽtur. Hic enim sensus sequentibus non cõuenit, quæ ostendunt mala impiis hominibus deputata in supplicium. Itaque sunt qui non improbabiliter per spiritus ad vindictam hominum impiorum creatos à Deo intelligunt ventos, quos Propheta regius vocat nonnunquam spiritus procellarum, cõsque coniungere solet cum igne & grandine: de quibus etiam hic mox subiungitur, canitque hæc impiis præparata à Deo, & illius contra impios parere mandatis. Pluet, inquit, super peccatores laqueos ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorũ, &: Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Alij hęc intelligunt dici de naturis cælestibus & angelis, qui iustitiæ Dei administri, eius iudicia exequuntur. Et quãquam hæc etiã de angelis bonis accipi possint, quia & per eos Deus insignes clades exercere solet, vt patet ex eis quæ scriptura memorat facta in Ægypto, in exercitu Sennacherib, atque antea in Sodomis: magis tamen videtur hic locus accipiendus de angelis malis, quia hi peculiariter creati sunt, hoc est, deputati ad vindictã impiis inferendam. Postquam enim sese homines illis per peccatum submiserunt, iusta Dei ordinatione traditi sunt ei ad torquendum eos tum in hac, tum in futura vita, saltem ante iudicium hac,

De his dicitur quod in furore suo confirmauerunt tormenta sua, quia cùm eis Dei iussione permittitur furere, firmiter & constanter exequuntur tormenta quæ iussi sunt impiis inferre, ita vt nemo ea impedire valeat. Quædam Græca non habent ἀστῶν, sed ἀστᾶ, hoc est, tormenta eius, nempe Dei, hoc est, quæ Deus per illos infligere statuit. & redit sensus eódem. De istis subditur:

34 *In tempore consummationis effundent uirtutem, & furorem eius qui fecit illos.*

TEmpus consummationis, vocat tempus quo Deus decreuit aliquos consumere & perdere. Pro, confundent, Græcis est, κοπάσουσι, hoc est, sedabunt & quiescere facient: proinde conuenientior est lectio quam reperi in vno codice antiquissimo, qui habebat, placabũt. Placatur enim timor Domini, cùm executa est vltio definita. Vnde Ezech. cap. 5. dicitur: Complebo furorem meum, & requiescere faciam indignationẽ meam in eis, & consolabor. Itaq; sensus est: Cùm tempus internecionis aderit, effundẽt suam fortitudinem in impios, abundè suam in illos fortitudinem declarabunt, sicque sedabunt & placabunt furorem eius qui ad vindictam eos creauit & deputauit. Verbum, creandi, optimè quadrat in spiritus procellarum, vtpote qui adhoc excitantur vt impios perdant. Alioqui, creare & facere, accipi debet pro deputare: Si verò retinere placet verbũ, confundent, sensus est: confundent furorem Dei, hoc est, cum magna rerum confusione exequentur Dei furorem, omnia inuoluentes & perturbantes. Spiritibus vindicantibus adduntur & alia.

35 *Ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad uindictam creata sunt.*

36 *Bestiarum dentes, & scorpij & serpentes, & rhombphea uindicans in exterminium impios.*

SIgnificat his omnibus Deum vti in vindictam & perditionem impiorum, quæ Dei voluntatem impletura & lubenter & infallibiliter, significat, cùm subiicit per quod sententia adhuc pendens absoluitur.

37 *In mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præterient uerbum.*

EPulabuntur, positum est pro exultabunt & gaudebũt, quia epulæ cum gaudio sumi solent. Græcis est ἀφροσύνης, lætabũtur. Tribuit autem Sapiens per prosopopœiam his creaturis gaudium & obedientiam mandatorum Dei, significãs & nequaquam lentè Dei voluntatem per ea implẽdam, & sine omni impedimẽto. Cùm autẽ de malis quæ impiis propria sunt hic sit sermo, videtur nomine mortis intelligenda vel mors immatura & violenta, vel pestis & mortalitas, vt hic coniungantur quatuor illæ vltionis diuinæ species, quæ apud Prophetas coniunguntur aliquoties, vt Ezechielis 5. Immittam in vos famem & bestias pessimas vsque ad internecionem, & pestilentia & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Et c. 14. vbi quatuor hæ plagæ prolixius describuntur, sic tandem dicitur: Et si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam immisero in Ierusalem, &c. De his ergo & aliis præcedentibus quæ pertinent ad fructuum terræ deuastationem, hic dicitur quòd super terram præparabuntur à Deo in necessitate, hoc est, cùm necesse erit opera illorum vti, & in constitutis sibi à Deo temporibus, non præteribunt verbum Dei, eiúsque mandatum, iuxta illud: Omnia seruiunt tibi. Simili modo describitur in Sapientiæ libro vltio impiis inferenda in nouissimo die, cùm dicitur: Armabit creaturam in vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directæ emissiones fulgurum, & à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excãdescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Cõtra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos. *Ps. 118. Sap. 5.*

38 *Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitaui, & scripta dimisi.*

QVia, inquit, sic se res habet vt dixi, nempe quod omnia opera eius summę sunt potentiæ, & benignitatis erga bonos, iustitiæ & sæueritatis erga malos, ideo ab initio atque iam pridem & firmiter apud me ita esse statui, & meditata mente ita esse cognoui, ideóque & reliqui scripta ea quæ modo dixi verba, quæ & repeto, vt quæ maximè inculcata esse velim, & quæ summam dictorum continent, nempe quod omnia opera Domini sint bona, &c. Pro duobus illis consiliatus sum & cogitaui; vnum est verbum διενοήθην, quod iam aliquoties vertit, cõsiliari, pro meditari & cognoscere. Pro; scripta dimisi; Græcè est, ἐν γραφῇ ἀφῆκα, hoc est, in scriptura reliqui, scilicet quod sequitur, & præcedentis carminis fuit principium.

39 *Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrabit.*

LEgendum est per futurum, subministrabit, quemadmodum legunt Rabanus & Dionysius Græcis consentientes, & suppositum verbi est non, opus, sed, Deus, vt sit sensus: & Deus subministrabit, & in aliquem bonum vsum exhibebit omne opus in hora sua, hoc, est, opportuno tempore. Nullum opus faciet cùm erit importunum, sed quicquid facere decreuerit, suo faciet tempore, ideóque necesse est omne eius opus bonum esse. In sensu non multum differt quod habent Græca; & omnem vsum vel necessitatem tempore suo suppeditabit, hoc est, dabit suo tempore quæcunque vsus & necessitas postulabit.

40 *Non est dicere, hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.*

NOn licet, inquit, rationabiliter dicere, vnum operum Dei esse nequius altero, quia nullum illorum operum est nequam, hoc est, reprehensibile aut culpabile. Nam, vt dicit Moyses, Deut. 23. Dei perfecta sunt opera. Etsi enim sint quædã Dei opera, quorum rationes & vtilitates latent & ignorantur, aut quæ quibusdam noxia videntur aut iniusta, tamen omnia suo tempore declarabuntur & cognoscentur esse bona, laudémque inuenient, cùm eorum rationes & fructus innotescent, siue hic in hoc mundo, siue perfectissimè in nouissimo die, quandò nihil occultum erit quod non sciatur. Nunc enim mirum & iniquum sæpe multis videtur quod iusti hic affligantur, impij floreãt, & prosperè degãt, vnde & Ecclesiastes dicit: *Eccles. 8.* Hoc vanissimũ esse iudicio. Et rursum: Hoc *Ibidem 9.* est, inquit, pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt, vnde & corda filiorum hominum implentur malitia. Verum horum omnium rationes intelligunt iam ex parte pij, & plenius in futura vita intelligent, cùm ingressi fuerint cum Propheta in sanctuarium Dei, & intelligunt nouissima impiorum. Cùm ergo omnia sint Dei opera bona, concludendo institutam exhortationem rursum repetit quod prius monuit.

14 *Et nunc in omni corde & ore collaudato & benedicite nomen Domini.*

ET nunc, dictum est pro, nunc igitur, postquam scilicet à me edocti estis omnia Dei opera bona esse. Aut sensus est: Etiam nunc, hoc est, rursum ergo, quasi dicat: non satis sit semel id fecisse, sed subinde id faciendum est. Bene coniungit cordi os, & præponit cor, quia & spiritu & voce laudandus est Dominus, sed prius spiritu,, idque non frigidè, sed toto corde, hoc est, toto perfectóque affectu.

Caput XL.

1 *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam.*

2 *A die exitus eorum de uentre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.*

POstquàm celebrauit opera Dei subiungit de misera conditione vitæ humanæ, indicans & rationes cur eam omnes æquo animo ferre debeãt, & eam miseriam magis pertinere ad impios quàm ad pios, quos præ illis fœlices esse insinuat, etiã si communem ex parte aliqua cum illis miseriam patiantur. Primùm ergo dicit, occupationem magnam, hoc est, negotium, molestiam, & inquietudinem magnã, (est enim Græcis ἀσχολία) creatam esse, hoc est, deputatam omnibus hominibus, & graue iugum, hoc est, pondus & grauem molestiam super omnes eos qui ex Adam originem ducunt. Idque non pro breui aliquo tempore, quasi aliquando in hac vita ab hoc onere & molestia liberi esse possint, sed à die exitus eorum de ventre matris eorum, hoc est, iam inde à primo sui ortus die, vsque in diem sepulturæ in matrem omniũ, hoc est, vsque ad vltimum vitæ diem, quo in terram communem omnium parentem reuertũtur. Idem significat Iob 7. dicens: Militia est vita hominis super terram, &: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & cõteritur, & fugit velut vmbra, & nunquã in eodem statu permanet. Indicat autem hic locus, præter apertam literã, duo ob quæ meritò miseria huius vitæ (quam experimur quàm magna sit & grauis) sine murmuratione sit à piis perferenda animo patienti. Primùm, quia omnibus sine exceptione hæc definita est, etiam paruulis innocentibus, solét enim communia mala minus affligere. Secundò, quia dum vocat omnes homines filios Adam, insinuat omnes hanc miseriã pati, eò quòd ex Adam peccatore progignuntur, ex quo & peccatũ & miseriam peccato debitam contrahunt per generationem: sicut ex eodem, si nõ peccasset, & iustitiam, & cum iustitia libertatẽ ob omni malo per generationem obtinuissent. Patiẽter ergo ferenda sunt quæ iusto Dei iudicio ob peccatũ patimur. Vnde non malè D. Augustinus quibusdã locis, & potissimùm lib. 5. Hypognost. per iugum graue, peccatum originale intelligit, quod omnem secum huius vitæ miseriam trahit. Facit etiam ad consolationem mortis, quæ omnium malorum maximum est & finis, quod dicit vsque in diem sepulturæ in matrẽ omnium; hoc est, in terram. Eo enim innuit mirum non debere videri quòd omnibus sit moriendum, & sepultura in terram expectanda, cum illa sit omniũ mater secundùm corpus. Naturale enim est vt omnia redeant ad suum principium. Vnde & Iob cap. 1. simili vsus est locutione, dicens pro cõsolatione sua: Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc; hoc est, etiam in vterum matris, sed communis; terræ scilicet. Explicat autem ex parte quæ sit ea, quam dixit, occupatio magna, & iugum graue, cùm subiicit:

3 *Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis.*

PRo, adinuentio, Græcis est, ἐπινοία, quæ dictio etsi etiam significet adinuẽtionem, hic tamen magis vertenda erat, consideratio vel imaginatio, vt sit sensus: consideratio vel opinio rerum in futurum expectandarum. Vnde bene interpretatur Dionysius, adinuentio expectationis, hoc est, excogitatæ imaginationes imminentium malorum. Pro, finitionis, est τελευτῆς, hoc est, mortis. Inter ea ergo quæ in hac vita perpetuò cruciant, & grauia sunt, primo ponit cogitationes varias hominum, quibus assiduè sunt soliciti siue pro gerendis suis officiis, siue pro effugiendis malis: ex quibus cogitationibus sequuntur varij timores cor affligẽtes, itémque spes & expectatio rerũ desideratarum, quæ & ipsa sperantem grauiter affligit. Maximè autem inter cruciantia est dies mortis, qui non tantùm cùm adest, singulos grauissimè premit, sed etiam antequam adueniat, tota vita eos suo timore maximè affligit: quia vt inquit Paulus, timore mortis per totam vitam obnoxij sunt seruituti. Ex qua explicatione satis patet ordo & ratio istorum quatuor hic positorum. Sicut autem explicuit ex parte, quæ sit de qua locutus est occupatio: ita etiam clarè ad maiorem consolationem exprimit quod dixit omnibus hominibus, cùm subiicit:

4 *A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatem in terra & cinere.*

5 *Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo.*

QVidam libri habent, præsidentes vel residentes, quomodo & Rabanus legit: sed rectius legitur, sicut etiam multi scripti codices habent, A præsidente, vel potius, à residente, quia ea lectio Græcis conuenit. Et pendet adhuc sententia cum eo quod habet prima sententia; Occupatio magna creata est omnibus hominibus, videlicet à residente, &c. hoc est, à summo vsque ad minimum. Aut sententiæ hæ duæ referuntur ad sequentia. Huiusmodi autem explicatione distincta, significat neminem expertem esse huius miserę conditionis, neq; eum quidem qui summo potitur honore vel voluptate: sicut nec eum qui abiectus est in hoc mundo, & in terra sedere cogitur, & dura veste linea operiri, immo miseriam & iugum, de quo dixit, incipere potius à maioribus, qui grauioribus sepè curis, & timoribus atque periculis subiecti sunt. Ideo non videri potest dixisse; A residente super sedem, & ab eo qui vtitur; cùm potius videbatur dicendum, ab humiliato in terra. Quanquam etiam phrasi Hebraica accipi possit, à summo vsque ad minimum, pro eo quod est, tam summus quàm minimus, vt significetur quòd nec summo parcitur propter suam excellẽtiam: nec minimus elabitur aut negligitur propter suam abiectionẽ. Deinde verò subiiciuntur & alia quæ pertinent ad occupationem magnam & iugum graue, cùm dicitur:

5 *Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans & contentio, & in tempore refectionis in cubili somnus noctis, immutat scientiam eius.*

QVod dicitur; immutat scientiam eius; rectè; non tãtùm refertur ad vltimum, nempe somnum noctis, sed etiam ad omnia præcedentia quæ in vigilia turbant hominẽ. Hæc enim omnia immutant scientiam cuiusuis hominis, quia faciunt eum aliter affectum, & alia cõmittere quam ipse nouit esse faciendum, hoc est, vt quidam vertit, dementat hominem, & alienat à cognito vero. Inter ea ergo primò ponit furorem, quo nomine hic conuenit intelligere indignationem, quam dictio Græca, θυμὸς, etiam significat, quia sequitur de iracundia. Per zelum, inuidiam significat, qua quis intra se contra alium concitatur, sicut & indignatione. Sequitur tumultus, hoc est, vel perturbatio quæuis animi, vel externa quæuis turbatio. Hinc fluctuatio & perplexitas animi in rebus agendis, & cætera quæ in vigilia turbare solent. Post quæ additur, quomodo & tempore eo quo corpus & animus reficiendus est & recreãdus quiete super lecto, tamen non penitus ipse somnus finit hominẽ quietum esse, sed etiã ipse vexat turbátq; hominem, & immutat scientiam eius, quia facit eum contrà quàm verè nouit, multa sentire, vt in sequẽtibus declarat. Legendum autem esse; somnus noctis; vt multa scripta habent non autem, somnus mortis, vt multi cum Rabano perperàm legunt, Græca apertè docent, quæ habent ὕπνος νυκτὸς. Proinde per tempus refectionis, oportet intelligere tempus quietis qua corpora reficiũtur, cùm Græcè sit, ἐν καιρῷ ἀναπαύσεως, hoc est, in tempore requiei. Itaque pulchrè exaggerat malum nostræ miseriæ, quia nec tempore & loco ad quietem dato, nempe nocte & lecto licet plenè quietos esse, vt explicat cùm subiicit:

7 *Modicum tanquã nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus.*

8 *Conturbatus est in uisu cordis sui, tanquam qui euaserit in die belli.*

9 *In tempore salutis tuæ excurrexit, & admirans ad nullum terrorem.*

PEr diem respectus, intelligẽdum est tempus excubiarũ. Est enim Græcè, ὡς ἡμέρας σκοπιᾶς, hoc est, in diebus speculæ, vt certum sit nomen, respectus, esse genitiuum, nõ nominatiuum, vt aliqui intelligũt. Et est sensus: In requie, propter quam membra noctu lecto componuntur, tam modicum datur frequenter homini vt sit ferè tanquam nihil, & ab eo, hoc est, deinde inter dormiendum, quemadmodum tẽpore excubiarum in specula intenti sunt oculi vigilum in omnẽ partem, vt videant quid agatur: ita etiam cõturbatus est in imaginatione cordis sui, séque nõnunquam putat euadere, hoc est, effugere in die belli existimans se circumcinctum esse hostibus, ac ob id laborare ad euadendum manus eorũ, qua de causa intra se conturbatur & angitur. Cùm autẽ iam se saluatũ effugiendo somniat, exurgit à somno suo & susciturat: ac tum qui prius multum in somnio turbabatur, admiratur quòd nullum videat esse vel fuisse terrorẽ, sicuti inter somniandum putauit. Notãdum ergo pro huius loci vero intellectu, quòd cũ hic author duo similia adhibere videatur, quibus tẽpus nocturnũ aptè demonstrat plenum terroribus: primum simile cõparat hominem somniantem speculatori vigilias obseruãti, quia sicut ille intentus est in omnẽ partem, & irrequietus: ita etiam somnians intentus est animo quid euenturum sit. Secundum verò simile, cùm dicitur; tãquam qui euaserit; non significat somniantem similem esse ei qui fugit tempore belli, in eo quòd conturbetur sicut

ille:sed significatur quòd somnians aliquando putat se fugere, & perinde se habeat ac si fugeret, Græcè clarius est, ὡς ἐκφυγὼν ἀπὸ προσώπου πολέμου, tanquam qui effugit à facie belli.

10 *Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores septuplum.*

ORatio est imperfecta, hoc modo perficienda: Hæc quæ dixi sunt cum omni carne, hoc est, communia sunt omni animanti, ab homine vsque ad pecus, quia etiam pecora multa prædictorum malorum patiuntur, sed super peccatores hæc septuplum, hoc est, multo amplius eueniunt quàm super alios homines, quia illi magis diurnis curis torquentur, & suis passionibus exagitantur, & nocturnis in somniis inquietantur. Vnde de Ægyptiis dicitur in libro Sapientiæ 18. Visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt inspirati. &: Solis ipsis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, & ipsi sibi erant grauiores tenebræ.

11 *Ad hæc mors, sanguis, contentio & romphea, oppressiones, fames, contritio & flagella.*

PRæter, inquit, ea mala interna quæ prius dixi, communia quidam omnibus hominibus, sed quæ magis deprehenduntur in impiis, accedunt mala alia externa quæ ab externo inferuntur, vt sunt mors, hoc est, mortalitas & pestis, sanguis, hoc est, homicidium, contentio & rixæ cum aliis, & ex contentione gladius vulnerans: oppressiones deinde & vindictæ reliquæ, quales sunt, fames, contritio hostium, & flagella quæuis. Toletanum enim exemplar tria illa; fames, contritio & flagella; iungit in genitiuo cum dictione, ἐπαγωγὴ, quæ qualuis vltiones significat. Et vnum scriptum habuit, oppressiones famis. Prius ergo posuit mala ea quæ in nobis ipsis à nobis oriuntur: hic verò mala quæ exterius inferuntur, quæ etiam maximè ad malos pertinere asserit, dicens:

12 *Super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.*

APertè docet singularia omnia mala quę in mũdo fiunt, ex Dei deputatione, fieri in punitionem impiorum, quod omnium maxima illa Dei vltione comprobat quę per diluuium semel mundo inuecta fuit. Nec obstat his quòd etiam sanctissimi hæc mala passi sunt, & patiantur. Quia loquitur Sapiẽs de his malis, quatenus in vindictam & tanquam mala inferũtur: Sanctis verò non tam in vindictam huiusmodi grauia inferuntur mala, quàm in probationem & augmentum meritorũ, proinde non inferuntur tanquam mala, sed vt bona eis.

13 *Omnia quæ de terra sunt in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare conuertentur.*

SEcundam partem Græca sic habent: & ab aquis in mare reflectuntur. Et debet repeti; omnia quæ sunt; vt sit verus sensus: & omnia quæ sunt ab aquis, in mare reflecti nemo est qui ambigit. Idem autem significatur quod in nostra lectione, nempe omnia redire in suum principium: quæ de terra sunt, in terram conuerti: quæ ex aquis omnibus quæ ex mari originem trahunt, vt dicitur Ecclesiastes primo, reuerti in mare. Et dicitur istud siue in consolationem mortis quã omnes subire necesse est, siue etiam ad significandum impios penitus perituros. Cùm enim omnino de terra sint, non solùm secundum corpus, sed etiam secundùm affectum, penitus in terram conuertentur, & secundùm corpus scilicet & secundùm animam quæ ad inferna demergetur, ita vt nihil illorum veram immortalitatem consequetur. Aut potius hanc sententiam præmittit dicendis. Post explicatam enim miseriam conditionis vitæ humanæ, ostensurus quid hominis sit stabile & firmum, quid verò subsistere non possit, præmittit omnia quæ de terra sunt, in terram conuertenda, vt omnes memores suæ originis sciant se ex ea parte qua ex terra sunt non posse semper subsistere nec habere se vnde magnopere superbiant & extollantur, qui cùm sint ex terra, in eandem redituri sint. Ad illud astruendum adiungit & de aquis omnibus in mare confluẽtibus, vt simili simile astruat. Rectè enim coniunctio, &, cùm dicitur; Et aquæ omnes; accipitur posita pro nota similitudinis, sicut, quemadmodum & aliàs in prouerbialibus sententiis.

14 *Omne munus & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit.*

LOquitur de munere quod ad corrumpendam iustitiam datur vel suscipitur, vnde ei adiungit iniquitatem, eisque opponit fidem, hoc est, fidelitatem, vel potius integritatem, quæ scilicet se muneribus corrumpi non sinit, nec propter munera discedit à recto. Significat ergo opes quæ fraude & iniustitia parantur, perituras simul cum ipsa iniustitia, cùm homo qui de terra est, in terram redire cogetur: at verò integritatem in perpetuum perstituram, nec perituram cùm homo in terram redire cogitur. Persistet enim in æternum apud Dominum, Opt. Maximum, apud quem dignum obtinebit præmium in eo qui fidem seruauit. Bene ergo hæc sententia superiori subiicitur, vt quæ ostendat quid cum moriente homine pereat quid verò eius supersit & permaneat. Eadem clarius in sequentibus explicantur, cùm dicitur:

15 *Substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur: & sicut tonitruum magnum in pluuia perstrepabit.*

PRo, substantiæ, est χρήματα, hoc est, pecuniæ vel opes. Legendum autem personabit, vt habent quædam antiqua Biblia etiam impressa

impressa, potius quàm, personabunt, & Græca requirũt & sensus. Parum enim aptè substantiæ vel opus iniustorum dicuntur personare: vnde etiam rectius in primo membro legitur verbum singulare, siccabitur, cuius lectionis etiam Glossa Ordinaria meminit. Hic ergo erit sensus: Sicut torrens aliquis magnus instat fluuij procurrens subitò aliquando exaresçit, & sicut tonitru magnum in pluuia ædit maximum sonitum, sed simul cum pluuia euanescit: ita se habent diuitiæ impiorum, quia cùm aliquandiu secundo cursu profluãt, subitò cum morte & aliquãdo etiam ante mortem pereũt & fluere cessant: & cùm instar tonitrui ad tempus admirationem quandam habeant, suóque fulgore ac strepitu pompæ terreant, tamen diuturnæ non sunt, sed mox euanescunt. Pulchris ergo & accommodis similitudinibus natura diuitiarũ, in quibus impij confidunt, hic exprimitur.

16 *In aperiendo manus suas lætabitur, sic prævaricatores in consummatione tabescent.*

OMnes quidem intelligunt priore parte notari mores auari, vt significetur illum lætari cùm aperit manus suas, hoc est, cùm accipit dona. Verùm iuxta hunc intellectũ & relatiuum, suas, non habere expressum antecedens, & hæc pars nec conuenit multùm præcedentibus, nec sequenti parti qua comparatio absoluitur. Notandum ergo Græca sic habere, ᾧ ἂν ἀνοίξῃ αὐτὸν χεῖρας αὐτοῦ φρανθήσεται, In aperiendo ipsum manus lætabitur. Vbi relatiuum, αὐτὸν, credo referendum ad nomen pluuiæ, de quo præcedit, & est Græcis masculini generis. Germanicum enim exemplar habet in præcedenti versu, ihr (sie), sicut & noster legit, non autem, vt alij libri habent, pluraliter, ihnen. Ad pluuiam ergo refertur relatiuum hic positum, vt sit sensus: Cùm pluuia aperuerit manus suas, hoc est, sensus largiter super terram effuderit, lætabitur, quòd terrorem scilicet tonitrui superauerit, & hominibus ademerit, quos & lætari facit suo in terram defluxu, quia pluuia copiosè cadente cessant tonitrua & fulgura, & minus timentur. vnde dicitur in Psalmis: Fulgura in pluuiam fecit. In hac ergo parte adhuc persistitur in similitudine versũ præcedenti proposita, eáque hic absoluitur. Et per prosopopœiam tribuitur pluuiæ aperire manus suas & lætari, quemadmodum & in Psalmis dicitur: Flumina plaudent manu. Significatur ergo, quòd quemadmodum torrens aliquis exiccatur per calorem solis, & tonitruum superatur per pluuiæ defluxum: ita & opes diuitum simul cum ipsis subitò deficiũt per superuenientem eis vltionem diuinam, qua tanquam imbre eos obruente superatur omnis eorum error, quam opibus suis confisi inferebant, sicque lætabitur iustus ab eorum terrore liberatus. vnde subiicitur: sic prævaricatores in cõsummatione tabescent, hoc est, ita deficient vt penitus consumantur. Quod ipsum aliis similitudinibus Da-

uid Psal. 36. expressit, dicens: Tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Quibus similia sunt quæ sequuntur.

17 *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant.*

VErbum, sonant, aut, vt aliqui legunt, sonabunt, quod obscuritatem adfert huic sententiæ, Græcis non est: videtur interpres illud sumpsisse ex principio versus sequentis, vbi quidam legunt, ἄχη vel ἤχει, vt ipse legerit, ἤχεῖ, à verbo ἠχέω. Significat autem hæc sententia progeniem impiorum non fore stabilem, nec instar arboris ramos suos multiplicantis, & longè latéque diffundentis, multam sobolem producturam, sed Dei vltione subitò è medio tollendam, & eam similem futuram radicibus quæ sunt super cacumen petrosæ terræ, quæ cùm non possint profundè demitti & radicari, non possunt vim ventorum tolerare, sed statim deiiciuntur. Quod ergo nostra lectio habet, & radices immundæ super cacumen petræ sonant; sic potest intelligi, & homines immundi & impij sunt velut radices quæ super verticem petrosæ terræ ad breue tempus sonum aliquem ædunt in suis ramis; quasi dicat: sed non diu in suis ramis subsistẽt, mox à ventorum nimietate, quia non sunt radices altæ, simul penitus subuertẽtur cum tota sua progenie. Comparationes istæ prolixius habentur in libro Sap. cap. 3. vbi dicitur: Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur, &c. Et capite sequenti: Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis germinauerint, infirmiter posita à vento cõmouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur, &c.

18 *Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum euelletur.*

SEnsus est: Viriditas, hoc est, viride gramen & herba quæ est super, hoc est, iuxta omnem aquã, & ad oram fluminis, euelletur ante omne aliud fœnum, hoc est, gramen. Nam & hic, vt alibi sæpe in scripturis, fœnum pro herba & gramine necdum demesso accipitur. Qua sententia pulchrè opes & fœlicitas impiorum cõparatur herbæ quæ circa aquam nascitur, quia sicut illa citò & ante alias herbas enascitur, & crescit propter aquæ humorem: ita etiam ante alias herbas depascitur à bestiis: & vt est in vliginoso loco, ita etiam facilius & citius euellitur. Ita quoque & opes impiorum, eorúmque fœlicitas, sicut ad tempus aliorum fœlicitatem excedere videtur: ita minus firma est, citò & facillimè tollitur. Contrariam significat esse conditionem piorum & misericordium, cùm subditur:

19 *Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet.*

QVamuis aliqui non malè nomine gratiæ intelligant hic significari Dei gratiam, tamen si spectetur cui hic versus opponatur, & quòd gratia hic coniungitur cum misericordia, aut, vt est Græcis, eleemosyna, rectius nomine gratiæ hic intelligitur beneficentia & benignitas piorum in pauperes. Illam enim opponit iniustitiæ impiorum, per quam sibi opes in hoc mundo congregant, quas sicut dixit non esse firmas, sed similes arboribus non bene radicatis, aut herbæ quæ mox euelliturita contrà nunc dicit, quòd piorum gratia, quam scilicet faciunt pauperibus largiendo sua, est in benedictionibus diuinis sicut paradisus: quia sicut hortus ille à Deo benedictus omni fructuum genere abundabat, habens inter cætera arborem vitæ: ita etiam piorum beneficentia, Dei multiplici benedictione, gratos proferet fructus, varios & immortales. vnde additur; & misericordia in sæculum permanet, iuxta illud Psal. 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.

20 *Vita sibi sufficientis operarij condulcabitur, & in ea inueniet thesaurum.*

IVxta nostram lectionem hæc sententia superioribus ideo cõnectitur, vt sicut comparatio facta *est* inter opes impiorum, & misericordiam piorum: ita nunc fiat comparatio eius qui suis laboribus etsi nõ diuitias, tamen sufficientiã sibi parat, cum impiis diuitibus. Vita, inquit, hominis operarij, qui sua opera & labore efficit vt sibi sufficiat & habeat necessaria sibi, eis contentus condulcabitur, hoc est, dulcis erit, quia libera erit & à cruciante egestate, & à remorsu torquentis conscientiæ, quem sentiunt sæpe diuites ob iniustè partas diuitias, aut eas non bene distributas, & in tali vita inueniet talis operarius, aut, vt alij legunt, tu inuenies, hoc est, quisque inuenire poterit thesaurum, hoc est, diuitias. Verè enim diues est, qui labores manuum suarum manducat, & ab egestate liber suis contentus est. Est enim, inquit Paulus 1. Timoth. 6. quæstus magnus pietas cum sufficientia. Notandum tamen Græca hîc longè alium habere sensum. Nam posteriorem partem sic habent; καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ὁ συνέχων δικαιοῦν, & super vtraque inueniens thesaurum. Itaque in priori membro inter; sibi sufficientis, & operarij; oportet intelligere coniunctionem, &. Vt hic sit sensus: Vita sibi sufficientia, hoc est, eius qui sua sorte contentus est, & operarij vita suam habet suauitatem, sed super vtrunque est is qui inuenit thesaurum, hoc est, qui fortuitò diuitias consequitur, vt sine labore non tantùm habeat sufficientia, sed etiam diuitias. Vnde Martialis inter ea quæ vitam faciunt beatiorem ponit: Res non parta labore, sed relicta. Ab hoc enim loco Sapiens aliquot sequentibus sententiis, comparat inter sese bona quædam, ostendens interea alia aliis esse meliora, aut iucũdiora: semper autem duo coniungit similis generis, quibus tertium adiungit, quod duobus illis in eodem genere asserit esse præstantius, sicut hic præfert inuentorem thesauri & ei qui contentus est modico, & ei qui labore sibi necessaria parat. Cùm autem in priori membro non videãtur designari duæ personæ, maximè cùm absit coniunctio, &, non est mirum quòd interpres nõ legerit in secundo membro, ὑπὲρ ἀμφότερα, super vtraque, sed ἐν ἀντῇ, in ea.

21 *Filij, ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc mulier immaculata computabitur.*

GRæca duo exprimunt, quæ nomen confirmant, hoc modo; Filij & ædificatio ciuitatis confirmant nomen, & super vtraque vxor immaculata reputatur. In nostris libris quidam habent in singulari vocatiuo. Fili, alij in plurali, Filij, alij in totum omittunt nomen, Filij, cùm tamen Græcis sit. Interpres videtur legisse sine coniunctione, &, & ideo dictionem, τεκνα, filij, accepisse in vocatiuo plurali, quã quam verisimile sit locum hunc scriptorum vitio corruptum esse, & interpretem sic vertisse; Filij & ædificatio ciuitatis confirmant nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur. Quidam enim libri habent, confirmabit, alij confirmauit. Quidam habẽt fili, alij filij, alij neutrum horum, vt hinc satis pateat locum esse corruptum, quia non intelligebatur. Duo ergo esse dicit per quæ nomen alicuius confirmatur, hoc est, per quæ diuturnum & celebre nomẽ paratur, multitudinem scilicet filiorum, per quos etiam defunctus pater adhuc quodãmodo viuit ac celebris est, & ædificauit, siue eam ex fundamentis erigendo, siue eam sua prudentia bene instituendo, celebre sibi per hoc parat nomen, vt scilicet parens vrbis dicatur, & pater patriæ. Quibus tamen duobus præferendam dicit vxorem immaculatam, hoc est, irreprehensibilem, quia parùm profuerit ad gloriã viri & multos reliquisse post se liberos, & vrbem ædificasse, si vxorem habeat malè moratã aut parùm castam, quam ante omnia rectè instituisset. Ab eius criminibus magis infamis habebitur, quàm si vel sine liberis decessisset, vel sine præclaris in repub. meritis. Monet ergo parabola ante omnia curandum vt vxor habeatur irreprehensibilis, si quis bonum sibi nomen parare velit. Vnde in carmine de muliere forti dicitu: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senioribus terræ. *Prou. 21.*

22 *Vinum & musica lætificant cor, & super utraque dilectio sapientiæ.*

COmparatur voluptas & delectatio corporea, cum delectatione spirituali qua mens reficitur, & gaudio afficitur tanto solidiori, quanto puriori & meliori. Simile est quod sequitur:

23 *Tibia & psalterium iucundam faciunt melodiam, & super utraque lingua suauis.*

Hac

HAc sententia aut cantus qui voce linguáque conficitur, cæteris sonis musicis suauitate præponitur, aut potius verborum suauitas, & sermonis apta gratáque dispositio, præfertur suauitati melodiæ, iuxta illud Prouerb. 16. Fauus mellis verba composita. Et re vera sic est, vt sermo suauis & gratior sit & vtilior quouis musico cõcentu, quia & iram efficacius sedat, & diutius mentem afficit, eíq; inhæret, cum cõcentus musicus citò euanescat. Responsio enim mollis frangit iram; vt est etiam in Prouerbiis.

24 *Gratiam & speciem desiderabit oculus, & super hæc uirides fationes.*

VEnustatem formę & pulchritudinẽ corporis desiderat quidẽ oculus hominis, quia delectat hominem illa conspicere, sed super illa sunt virides fationes, hoc est, virides herbæ recenter fatæ, quia illas non tantùm desiderat oculus, sed etiã oculis sua viriditate prosunt, cósque confortãt. Quæ enim iucunda simul sunt & vtilia, prę ferenda sunt his quæ solam habent voluptatem. Deinde conspecta formæ similitudo accẽdere solet concupiscentiam, fatorum autem viriditas nõ ita ad malum prouocat, sed magis ad cõmendationem beneficiorum Dei. Præterea pulchritudo corporis frequẽter artis est, cõsiftẽs in adiecto ornatu vel vestium, vel aliarum rerum: herbarum verò gratia planè naturalis est, & ob id naturaliter plus oblectãs. *Matt. 6. Luce 12.* Vnde & Saluator ait de liliis: Dico vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.

25 *Amicus & sodalis in tempore conuenientes, & super utrosque mulier cum uiro.*

PRo, cõuenientes, est ἀπαντῶντες, quod propriè est, occurrentes, & intelligendum est verbum, sunt, vt sit sensus: Amicus & sodalis sibi mutuò occurrunt cùm tempus est & opportunum, simúlque conueniunt ad succurrendum sibi, & subleuandum se: at his præponenda est vxor cum viro conueniens, eique occurrens, quia inde viro plus adiutorij & solatij prouenit, quæ indiuulsè ei adhæret, desiderio eius satisfacit, & in omnibus se illi sociam præbet. Monet ergo parabola magis operam dandam, vt probam habeat vxorem, cui quis fidere in omnibus possit, quàm vt habeat amicum & sodalem: magísque illam quàm hos amandos, vtpote à qua magis pendere debet, & à qua plura bona accipit.

26 *Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.*

ITa habent omnes, quos vidi, libri, cùm Græcis sit, ἀδελφοὶ καὶ βοήθεια, fratres & adiutorium; vt duo sint sicut in aliis sententiis in priori membro, quibus in secundo membro tertium præponitur, quia etiam hic dicitur, ὑπὲρ ἀμφοτέρα, super vtraque. Parùm tamen ad rem facit etiamsi legatur vt nos habemus, & est sensus: Fratres sunt homini in adiutorium, hoc est, adiuuant eum in tempore tribulationis, vt eũ ex ea eripiant: vt misericordia pauperibus impensa, magis in aduersitatibus hominem liberabit, quia, vt dictum est suprà Cap. 3. Eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector eius qui reddit gratiã meminit in posterũ, & in tempore casus sui inueniet firmamentum. Misericordia ergo hic liberare dicitur, quia Deus propter eleemosynam liberat, sicut & Tob. 4. cap. dicit: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Monet parabola plus fidendum esse in præsidio bonorum operum, quàm in præsidio hominum quantumuis amicorum.

27 *Aurum & argentum est constitutio pedum, & super utrumque consilium beneplacitum.*

MAlè multi legunt; Aurum & argentum & constitutio pedum; cùm legendum sit, est constitutio, aut potius sicut Rabanus legit, constituet pedem, quia Græcis est, στηρίσουσι πόδα, cõstituent vel statuent pedem. Sensus autem est; Aurum & argentum constabiliunt pedes, hoc est, opes faciunt vt quis firmiter cõsistat & bene confidat, vtque sine timore audacter ambulet. At his præponendum est meritò rectum sanùmque consilium, quia illi frequenter magis est fidendũ quàm pecuniis. Plus enim sæpe prodest, ac securum magis hominem reddit quàm opes. Porrò in adiectiuo, beneplacitum, est subaudiẽdum verbum, est, vt sit sensus: consilium est beneplacitum; hoc est, approbatur super vtrũque, quia Græcis est, βέλτιον συμβουλίαν, consilium approbatur, ne quis intelligat consilium beneplacitum, hoc est, consilium grauatum & optatum.

28 *Facultates & uirtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini.*

IN Rabano legitur; Facultates & victus; sed verisimile est interpretem vertisse, virtus, quia Græcis est, ἰσχὺς, hoc est, fortitudo. Dionysius tria ponit: Facultates & victus & virtutes, exponit tamen tantùm de duobus, diuitiis scilicet & viribus. Vera ergo lectio est: Facultates & virtus, vel, Facultates & virtutes; accipiendo nomen, virtutes, pro viribus corporis, non pro virtutibus morum. Duo, inquit, sunt quæ extollunt cor hominis, faciúntque eum bene confidere & nihil magnopere metuere, opes scilicet & vires, at his præstat timor Domini, qui magis extollit cor. Longè enim securius facit hominem cõfidentem, quia efficit vt in Deo confidat, per quem melius munitus est, quàm quisquã vel opibus vel viribus. Vnde est insignis illa timentis Deum commendatio in Psal. 111. Ab auditione mala nõ timebit, Paratũ cor eius sperare in Domino, cõfirmatũ est cor eius, nõ cõmouebitur. Vt enim aliàs sæpe dictum est, nomine timoris Domini significatur affectus ille in Deũ, quo solicitus est homo de vera obseruatione mandatorum ipsius, & adimpletione volũtatis ipsius.

Cui

Cui affectui meritò adiuncta esse & debet & potest spes illa in Deum quę non confundit. Duplici ergo nomine timor Domini securum facit hominem & confidentem, videlicet & quia ipsa obseruatio mandatorum Dei meretur Dei protectioné, & quia spem adfert firmam quæ non confundit. Si enim non reprehenderit nos cor nostrum, fidu-
1. Ioan 3 ciam habemus ad Deum, vt habet Ioannes. Bene autem notandum quòd timor Domini dicitur exaltare cor. Timor enim ex natura sua cor deprimit, virésque adimit. Contrà verò timor Domini tãtùm abest vt eneruet, vt maximè vires addat. Vnde in huius commendationem subiungit:

29 *Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiutorium.*

Dicit, in timore Domini non esse minorationem, hoc est, defectum. Aut quia ipsi timori nihil deest ad hoc vt hominé saluet, quia per se etiamsi alia externa non adsint, hominem proteget. vnde additur; & nõ est in eo inquirere adiutorium; hoc est, non est necesse vt ei quæratur adiutorium, quod scilicet timorem quasi insufficientem adiuuet ad saluandum hominem. Aut, quod eódem recidit, quia per timorem Domini fit vt
Psal. 33. nullus homini sit defectus, in rebus scilicet ad salutem necessariis, iuxta illud: Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Non obest autem priori intelligentiæ quòd præter timorem Domini etiam aliæ virtutes homini sunt necessariæ, quia iuxta modum loquendi scri-
Eccles. 7. pturæ in timore Domini omnes virtutes cõprehenduntur, quia qui timet Deum, nihil negligit.

30 *Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.*

Germanica æditio habet, vt noster legit, ἐκάλυψαν, operuerunt. At alij legunt, ἐκάλυψεν, operuit, scilicet Dominus. Operire autem positũ est pro ornare, quia vestibus ornatur homo quibus operitur, & herbis hortus & terra, dum eis tegitur. Sic Dominus lilia & flores dicit cooperta esse gloria maiori
Matt. 6. quã Salomon, quia ornata. Timorem Domini comparat paradiso benedictionis, hoc est paradiso benedicto, Deiq; beneficiis affluẽti, alludens ad paradisum à Deo in principio institutum, quia instar illius horti timor Dei per benedictionem diuinã ædit & varios & iucundos fructus, & fructũ denique immortalitatis. Eũdem dicit aut Deum aut pios homines operuisse, hoc est, ornasse super omnẽ gloriam, hoc est, ornatu omnem magnificẽtiam & gloriam excedẽte. Deus enim illum ornauit promissione fœlicitatis vitę quę nũc est, & futuræ. Et pij homines timorem Dei suis bonis operibus & exemplis ita ornauerunt & extulerunt, vt omnem gloriam eius gloria & splendor exuperet. Pręcedens ergo versus ostendit timorem Dei protegere ab omni malo, iste verò eundem adferre omnem & voluptatem & gloriam.

31 *Fili in tempore uitæ tuæ ne indigeas, melius est enim mori quàm indigere.*

Qvoniam superius dixerat vitã sibi sufficientis operarij dulcem esse, & quibusdam sententiis comparatiuis interpositis, tandem eò deuenit, vt timorem Dei omnibus præponendum bonis assereret, eundémque omne bonum adferre, & omnem defectum pellere: rectè iam monet, vt per hunc Dei timorem quisque bonis & vtilibus occupationibus insistens, caueat ne per otiũ in inopiam & mendicitatem incidat. Pro indigeas enim & indigere, dictio Græca significat potius mẽdicare. Est enim ἐπαιτᾶν, idem scilicet verbum quod est apud Luc. cap. 16. in parabola villici, dicentis: Mendicare erubesco. Interpres pro mẽdicare, vertit indigere, causam scilicet pro effectu, significans mẽdicitatem vitari si vitetur egestas. Aut indigere posuit pro mendicã vitam degere, sicut contrà in Psal. 39. nomen mendici ponitur aliquoties pro egeno & inope, vt cùm dicitur: Ego auté mẽdicus sum & pauper. Monet ergo Sapiens filiũ suum, vt labore honesto, suáque industria & prouidẽtia curet, ne tẽpore vitæ suæ quæ necessariis opus habet, incidat in egestatem, & per eam mendicare cogatur ab aliis quę ad vitam hanc sustinendam sunt necessaria, eo quòd melius sit & optabilius mori, & omnino vita hac carere, quàm indigere, & mendicam vitam agere, iuxta illud quod suprà dictum est Cap. 30. Melior est mors quàm vita amara. Vnde in oratione Sap. cap. 30. studiosè mendicitatem deprecatur, dicẽs: Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. Hæc enim vitæ ratio & turpissima & miserrima semper est iudicata. vnde inter cęteras maledictiones impij dicitur Psal. 108. Nutantes transferantur filij eius, & mẽdicent. Contrà de iustorum semine dicitur Psal. 36 Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

32 *Vir respiciens in mensam alienam, non est uita eius in cogitatione uictus.*

Respicit in mensam alienam, qui alieno cibo pasci expectat, vt facit mendicus. Eius vitam dicit non esse in cogitatione victus, aut, vt est Græcis, ἐν λογισμῷ ζωῆς, hoc est, in reputatione vitę, quia eius vita non est reputanda pro vera vita, sed magis est continua mors, propter assiduam egestatem, famem, & contemptum. Vnde de talium vita Græcis dicitur, quòd sit ἀβίωτος βίος, hoc est, vita non vitalis, & nullo modo viuẽdo. Iuxta hanc intelligentiam originalis linguæ congruam, nomẽ, victus, quod à viuẽdo dicitur, accipitur hic pro vita, non pro cibis quibus viuitur. Potest alioqui nostra lectio etiam sic accipi, vt significetur eum qui alieno cibo pasci expectat, in vita sua nõ cogitare de parando sibi victu, sed in otio miserè viuere. Cui

Cui cõuenire magis videtur quod sequitur, quanquam & illud priori etiam conueniat intelligentiæ.

33 *Alit enim animam suam cibis alienis, uir autem disciplinatus & eruditus custodiet se.*

Conuenientem reddit rationem cur dixerit vitam mendici non esse reputandam vitam, quia, inquit, alit vitam suam cibis alienis, hoc est, ab alienis cibis pendet eius vita, ita vt non semper habeat cùm opus est vnde pascatur, sed frequenter famere cogatur, & vt viuat vel non, in aliorum potestate & voluntate situm est. Quod cum miserrimum sit, rectè subiungit; Vir autem disciplinatus: hoc est, rectè institutus, & eruditus vel prudens custodiet se ab huius vita, hoc est, labore & industria sua studebit euitare eiusmodi miseram vitam, malens manuum labore necessaria sibi parare, quàm vt otio torpescens incidat in mendicitatis necessitatem. Porrò pro verbo, alit, Græcis est dictio non ita multùm vsitata, ἀλισγήσει, quam alij hic variè vertunt. Quidam enim vertit, contristat: alius, contaminat. Et Lexicon Græcum verbo huic omnia hæc tribuit significata. ἀλίσγω, inquit, ἐσθίω, λυπῶ, μολύνω.

34 *In ore impudentis condulcabitur inopia, & in uentre eius ignis ardebit.*

Legendum esse, impudentis, vt est apud Rabanum, non auté, vt ferè libri omnes habent, imprudentis, patet ex Græcis, quæ habent, ἀναιδοῦς, hoc est, inuerecundi & impudentis. Ex eisdem patet malè multos legere, conculcabitur, legendúmque esse, vt multi etiam habent libri condulcabitur, est enim γλυκανθήσεται, dulcescet. Pro, inopia, hic est, verbale à verbo superius posito, quod mendicare significat, ἐπαίτησις, hoc est, mendicitas. Significatur ergo quòd is qui pudorem exuit, mendicitatem dulcem habet in ore suo, quia dulcius esse iudicat ore sibi cibum quærere & inuenire, quàm duro labore manuum, quod nequaquam dulcius esse iudicaret, si honesti aliquam rationem haberet, & non omnem semel pudorem abiecisset. Verùm etsi mendicitas sic in ore eius dulcis sit, tamen in ventre eius ignis sæpe ardebit, quia calor naturalis in stomacho famelico grauiter eum vret & torquebit, dum per inopiam non habebit quo latrantem stomachum satiet. In nostra lectione conuenit nomen, inopiæ, accipere pro, vita mendica. Alioqui enim suprà contrarium huius di-
Cap 13. ctum est: Nequissima paupertas in ore impij. Et hactenus quidem de literali huius loci tractatione, quo Sapiens pulchrè mendicitatem vitandam monet. Cæterùm cauẽdum ne hic locus torqueatur cõtra voluntariam religiosorum & paupertatem & mendicitatem, quemadmodum quidam faciunt. Alij enim hic Sapiens de mendicitate quæ prouenit ex inerti otio, & fit ab his qui nulla in re vtiles sunt reipublicæ. Huius ergo doctrinæ non repugnat ea mendicitas quæ humilitatis causa suscipitur ab his qui alioqui incumbunt rebus aliquibus religioni Christianæ magis cõducẽtibus vel necessariis, quàm si labori manuum dediti essent. Tales enim non respiciunt in mensam alienam, sed in Deum ipsum, qui sibi seruientibus promisit nihil defuturum, & quærentibus regnũ Dei Luc. 10.
omnia adiicienda pollicitus est. Tales item 1. Cor. 9.
non tam pascuntur cibis alienis quàm suis, sibíque debitis. Dignus est enim, inquit Dominus, operarius cibo suo: &, vt habet Paulus: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Porrò sicut in Prouerbiis eæ sententiæ, quæ proferuntur contra otium & pigritiã, in mystico sensu accipiendæ sunt, vt ad virtutis & bonorum operum exercitium excitent: ita & quæ hic contra mendicitatem dicuntur, rectè mystico sensu accommodantur cõtra eos, qui dũ ipsi à bonis operibus sunt otiosi, tantùm in aliorũ meritis confidunt, cupientes cum fatuis virginibus dari sibi de alieno oleo, quia lampades eorum extinguuntur, non curantes etiam suo labore oleum parare pro lampadibus suis, quẽadmodum hunc locum piè & doctè explicat Rabanus.

Caput XLI.

1 *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis:*
2 *Viro quieto, & cuius uiæ directæ sunt in omnibus, & adhuc carenti accipere cibum.*

Postqvam cauendum esse monuit à mendicitate, dehortaturus etiã à timore mortis, prius quibusdam sententiis ostendit vnde fiat vt mors quibusdam sit admodum horribilis, aliis potius optabilis, vt ex diuerso & contrario horum iudicio & affectione insinuet mortem per se non ita esse horribilem; subiiciens deinde eam æquo animo expectãdam esse & suscipiendã: curandum verò vt cùm non semper viuere liceat, saltem bonũ nomen relinquatur, ob quod obtinendum, docet deinde à quibus sit per pudorem abstinendum, à quibus verò non. Principio ergo proponit duo hominũ genera, vnum fœlicium in hac vita, qui non tantùm abundant opibus, sed etiam in eis pacem habent & tranquillitatem, nemine eos magnopere turbante aut molestante. Qui deinde etiam quieti sunt, hoc est, ab omni cura, solicitudine, & graui occupatione liberi: eorũ item viæ, studia & actiones directæ sunt, hoc est, prosperãtur & fœliciter procedunt in omnibus: & præter hæc etiam valẽt accipere cibũ, hoc est, sano sunt corpore, vt concessis diuitiis cùm voluptate & lætitia frui possint. Istis amaram esse dicit non solùm mortem, sed etiam memoriam eius, & exclamando dicit: O mors quàm amara est memoria tua; significans eam esse valde amaram talibus, quòd per eam cognoscant se omni hac fœlicitate priuandos: vnde

vnde plerique talium ne amaritudienm hâc memoriæ mortis ſentiant, ſolicitè curant vt ne huiuſmodi cognitio animos eorum ſubeat, aut ab aliis eadem ſuggeratur. Pro viro quieto, Græcis eſt ἀνδρὶ ἀπερισπάστῳ, hoc eſt, viro indiſtracto & otioſo. Proinde pulchrè Sapiens hic deſcribit hominẽ ſecundùm mundi iudicium fœlicem, qui ſcilicet & externis abũdat bonis, & à nemine moleſtias patitur in eis, & animo non diſtrahitur per moleſtas occupationes, & ſanitate inſuper gaudet corporis, omnbúſque ſuis votis compos eſt. Hunc omnibus ſic modis fœlicem inſinuat, tamen ea parte infœlicem eſſe, quòd mortis ei meditatio amara ſit: cuius tamen meditatio omnibus & ſummè vtilis eſt & neceſſaria, vt verè fœlices fiant, & fœlicitate terrena non abutantur.

3 *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur uiribus.*

4 *Defecto ætate, & cui cura eſt de omnibus, & incredibili, qui perdit ſapientiam.*

PRo, incredibili, eſt ἀπειθοῦντι, quod magis hic conuenit vertere, diffidenti, vt ſignificetur is qui non habet ſpem melioris fortunæ, aut adiutorij ab aliquo obtinendi: proinde etiam hic nomẽ, incredibili, vt & aliâs, accipi debet pro diffidente, & eo qui non habet in quem confidat. Pro; qui perdit ſapientiam; Græcè eſt, ἀπολωλεκότι ὑπομονήν, qui perdit patientiam; vt vereſimile ſit interpretem vertiſſe, patientiam, quod ſcriptorum vitio mutatũ ſit in dictionem ſimilem, ſapientiam. Bene enim pauperi & afflicto tribuitur perdidiſſe patientiam, qua perdita & depoſita, grauior fit eius afflictio & intolerabilior. Hac tamẽ perdita, perditur etiam ſapientia, quæ docet afflictiones incidentes forti animo eſſe ferendas: vt etiam recepta lectio bene conſtare poſſit, ſi modò is intelligatur perdidiſſe ſapientiam, non qui præ ſenio delirare incipit, vt communiter intelligitur, ſed per animi impotentiam abijcit ſapientiam, quæ ipſum efficeret in aduerſitatibus tolerantem & bono animo. Proponit ergo Sapiens hic alterum hominum genus miſerorum ſcilicet & afflictorum, quibus econtrario dicit iudicium mortis eſſe bonum, hoc eſt, placere eis legem & neceſſitatem moriendi, ita vt optẽt ſæpe mortem, tanquam per quam à miſeria huius vitæ ſint liberandi, dicentes quòd ſuprà dictum eſt:
Sup. cap. 30. Melior eſt mors quàm vita amara. Vt autem pulchrè ſuperius deſcripſit ea quæ fœlicem hominem hic reddũt ſecundùm humanum iudicium: ita viciſſim & hic pulchrè comprehendit, quæ ad infœlicitatem præſentis vitæ faciunt. Quorum primum, eſt rerum neceſſariarum inopia: vnde dicit; homini indigenti. Secundum, defectio virium corporis ſiue per ægritudinem, ſiue per ſenectutem: vnde dicit; qui minoratur viribus; &, defecto ætate, hoc eſt, qui per ætatem deficit. Tertium, eſt aſſidua cura & ſolicitudo ad conquirendum quæ neceſſaria ſunt. vnde dicit; & cui cura eſt de omnibus; hoc eſt, qui de omnibus ſibi neceſſariis ſolicitus eſſe debet, pro quo Græcis eſt; diſtracto circa omnia. Quartum, eſt diffidentia melioris fortunæ & humani ſubſidij, quod ſignificatur cùm dicitur; incredibili. Poſtremũ eſt quod ex his ſequitur, & omnibus aliis peius eſt, perdidiſſe patientiam & ſapientiam: qua vna animus æger & afflictus ſuſtineri debebat, qua vna item omnia prædicta mala non ſolùm tolerabilia fierent; ſed etiam vtilia. Talibus ergo ſic omnibus modis miſeris, bonum eſſe dicit iudicium mortis, non quòd re vera illis bonum ſit, ſed quòd talibus bona videatur mors, quam tales non ſolùm optare, ſed etiam ſibi vltrò accerſere ſolent: proinde inſinuat, hac in parte iſtos, licet modis omnibus infœlices videatur, fœliciores eſſe prioribus, quòd à morte minus abhorreant, atque ad eam ſuſcipiẽdam ſint paratiores. Inſinuant item, in duobus iſtis hominum generibus quàm immoderatus ſit in hominibus multis vel metus mortis vel appetitus, ideóque mox ſubiungit quomodo erga imminentem mortem ſeſe quis iudicio diſponere debeat, dicens:

5 *Noli metuere iudicium mortis: memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi: hoc iudicium à Domino omni carni.*

MOnet non vt mors optetur, quemadmodum quidam faciũt per impatientiam, ſed vt ſaltem non metuatur, immoderato ſcilicet metu, iudicium mortis, hoc eſt, lex de morte ſubeunda, duplici ad hoc perſuadendum argumento vtens, nẽpe & quòd communis ſit omnibus conditio ac neceſſitas moriendi, à qua nemo immunis ſit, vel eorum qui præceſſerunt, vel eorum qui ſecuturi ſunt: & quòd huiuſmodi lex à Deo conſtituta ſit, cui repugnare non liceat, quíque omnia iuſte diſponit. Neque enim detrectãdum eſt publica iura pati, neque contendendum eſt vt immutabilia mutentur. Pro eo quod nos habemus; Memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi; Græcè eſt, μνήσθητι προτέρων σου καὶ ἐσχάτων; quod per maſculinum genus rectius vertitur; memento eorum qui te priores fuerunt, & nouiſſimorum; hoc eſt, recordare quomodo mortui ſint omnes qui ante te fuerũt, & morituri ſint quotquot poſt te vſque in finem mundi futuri ſint. In quẽ ſenſum etiam noſtra litera rectè accipitur, vt ſit ſenſus: Memento quæ ante te fuerunt, quomodo ſcilicet omnes mortui ſint qui præceſſerunt te, item memento quæ ſuperuentura ſunt tibi, hoc eſt, quæ poſt te euentura ſunt in mundo, videlicet quòd omnes etiam morientur qui te ſequentur. Et vt commune hoc iudicium reddat tolerabilius, ſubdit illud à Domino iuſtiſſimo ſcilicet & potentiſſimo conſtitutum eſſe, dicens, hoc iudicium à Domino ſcilicet conſtitutum eſſe omni carni, hoc eſt, animanti.

6 *Et quid ſuperueniet tibi in beneplacito altiſſimi, ſiue decem, ſiue centum, ſiue mille anni? Non*

ni? Non eſt enim in inferno accuſatio uitæ.

VAria hic eſt lectio. nam multi legunt; & quæ ſuperuenient tibi in beneplacito altiſſimi, &c. Et intelligunt: Et quæ tempora tibi adhuc accedent per beneplacitum altiſſimi, ſiue ſint decem, ſiue centum, ſiue mille anni ſubaudi, hæc tibi ſufficiant. Poteſt ea lectio & ſic intelligi; Et quæ ſuperuenient tibi, hæc ſunt in beneplacito altiſſimi. Quidam legunt; Et qui ſuperueniẽt tibi, anni ſcilicet, de quibus ſubditur. Græca neutro modo habent, ſed longè aliter, καὶ τί ἀπαναίνῃ ἐν εὐδοκίᾳ ὑψίστου; Et quid renues in beneplacito altiſſimi? hoc eſt, quomodo recuſare poteris id quod altiſſimo viſum eſt bonum, eíque bene placuit? Iam quod ſequitur; ſiue decem, ſiue centum, ſiue mille anni; iungitur cum ſequenti parte, in qua Græcis non eſt coniunctio, enim, vt ſit ſenſus: Siue decem, ſiue centum, ſiue mille ſint anni vitæ hominis, non eſt in inferno accuſatio vel reprehenſio vitæ. Græcæ lectioni magis accedit alia lectio, quam multi etiam antiqui libri ſcripti habent; Et quid ſuperueniet tibi? &c. vt ſit interrogatio ſicut eſt Græcis. Et poteſt eius lectionis hic eſſe ſenſus: Et quid quæſo temporis poterit tibi accedere ſuper illud quod altiſſimus tibi placuerit conſtituere, ſiue illud ſit decem anni, ſiue centum, ſiue mille? Aut potius ſic: Quid accidere tibi poterit, quid excogitabis, aut facies in eo quod ab altiſſimo ſemel ſtatutum eſt, ſiue illud ſint pauci anni, ſiue multi? quaſi dicat: nihil in eo beneplacito mutando efficere potes, nihil euenire poteſt quo illud
Psal. 14. mutetur. Nam de illo dictum eſt: Conſtituiſti terminos eius qui præteriti non poterũt. Hæc intelligentia vt accedit ad originalia, ita bene conuenit ei quod ſequitur; Non eſt enim in inferno accuſatio vitæ. Quo ſignificatur quòd in inferno, hoc eſt, poſt mortem & in mortuorũ ſtatu, nemo poterit accuſare vitam ſuam, & conqueri de ea, quòd vel nimis breuis fuerit, vel nimis longa, quia huiuſmodi querela nihil proficeret, neque obtineret vt rurſum ad vitam reuocaretur. Pro, accuſatio, Græcis eſt, ἐλεγμὸς, quod magis ſignificat redargutionem, ſed eôdem redit quod noſter vertit, ſi bene intelligatur. Porro per infernum, non ſemper ſignificari damnationem, ſed ſimpliciter ſtatum poſt mortem, qui ante Chriſtum omnibus erat in inferno, aliàs ſatis dictũ eſt. Non obſtat ergo
Sap. 5. huic ſentẽtiæ quod in libro Sapientiæ impij in inferno propriam vitã accuſant & redarguunt, dicentes: Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: Laſſati ſumus in via iniquitatis, &c. Nõ enim hic ſermo eſt de redargutione actionum vitæ, ſed temporis quo vita tranſacta eſt, nẽpè quod nemo culpare poterit aut breuitatem, aut longitudinẽ vitæ ſuæ, ſicut nec in aliquo aut breuitas aut longitudo vitæ culpabitur à Deo.

7 *Filij abominationum fiunt filij peccatorum, & qui conuerſantur ſecus domus impiorum.*

IN ſequentibus oſtendit impios poſt mortem relinquere malum nomen, inſinuans illos ſolos verè infœliciter & malè mori: mox ſubiungẽs curam habendam boni nominis, per quod mortuus quis perpetuò viuat. Primùm ergo dicit, quòd filij peccatorum fiũt vt in plurimum filij abominationũ, hoc eſt, filij abominabiles Deo & hominibus: Sic & qui cõuerſantur ſecus domos impiorũ, hoc eſt, qui conſortium & familiaritatem ineunt cum impiis, quia tales efficiuntur quales illi cum quibus cõuerſantur, vnde etiã ipſi fiunt abominabiles. Inſinuat ergo parẽtes impios in ſuis filiis non habituros bonum nomen poſt mortem, ſed malum: & viciſſim filios à ſuis parẽtibus nõ obtẽturos gloriã, ſed ignominiam, & reiectionem. Sunt autẽ filij peccatorum, hi qui non tantùm à peccatoribus progeniti ſunt, ſed etiam vt ferè fit, eorum imitantur mores & impietatem. ad quod ſignificandũ additur de conuerſantibus ſecus domos impiorum. Vbi Græca habẽt pro; ſecus domos; vnam dictionem παροικίαις, parœciis, hoc eſt, viciniis, vt ſit ſenſus: & filij qui conuerſantur in vicinia peccatorum. Interpres legit duas dictiones παρ᾽ οἴκοις.

8 *Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum ſemine illorum aſſiduitas improperij.*

PEccatorum filij, inquit, non ſolùm inglorij erunt & deſpecti, ſed etiam hæreditas eis à parentibus relicta peribit, & ſuo & parentum ſuorum demerito, Deo nimirum bona relicta eis ſubtrahente. Et cum ſemine peccatorum erit propter eorum peccata aſſiduitas opprobrij, hoc eſt, aſſiduũ erit & indelebile opprobriũ. Vnde & ſequitur quod ſubiicitur.

9 *De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.*

TAntùm abeſt, vt ſaltem à filiis ſuis celebrarentur parentes impij, vt eiam filij de eis conquerentur, quoniam propter eos ſunt in opprobrio, videlicet & quia nati ſunt ex parẽtibus impiis, quorum impietas etiam in filiorum dedecus redundat, ſicut parentum pietas ac vita bene acta filiis gloriam adfert, & quia ab illis impiè educati & inſtituti, in ſimilem patrum & culpam & infamiam dilabuntur. Hanc querimoniam & hic frequenter audimus filios ædere contra parentes ſuos, ídque tum maximè, cùm ob peccata ſua puniuntur, & apud tribunal Dei grauiſſimè eam ædent, futuri apud Deum parentum ſuorum accuſatores. Quæ cùm ita ſe habeant, rectè ſubiicit impiorum execrationem, dicens:

10 *Væ uobis uiri impij, qui dereliquiſtis legem Domini altiſſimi.*

11 *Et ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini: & ſi mortui fueritis, in maledictione erit pars ueſtra.*

VIderi poſſet hic locus patrocinari aut errori Origeniſtico, quo putauit animas propter

propter demerita vitæ præcedẽtis in cõpora mitti, & cum maledictione diuina nasci. Aut errori eorum qui propter præuisa impiorum mala merita asseruerunt quosdam à Deo reprobari. Apparet enim Sapiẽtem hic significare, quòd propter derelictam a se legem Domini impij nascantur cum maledictione diuina, quasi derelictio legis Dei præcesserit siue re, siue in Dei præscietia & præordinatione maledictionẽ natiuitatis. Proinde locus hic sic accipiendus est, vt nasci in maledictione, non significetur effectus esse præuaricationis impiorum, sed vt id adferatur tanquam correspõdens maledictioni, in qua moriuntur, vt hic sit sensus: Væ vobis impij qui dereliquistis, &c. Quia sicut cùm nasceremini, nascebamini cum maledictione Dei: ita cùm mortui fueritis, in maledictione erit pars & portio vestra, idque ideo quia dereliquistis legẽ altissimi. Verùm quidem est omnes nasci in maledictione, quia omnes nascimur filij iræ propter peccatum Adę quod in omnes per propagationẽ transit: sed de ea maledictione hic nõ est sermo, cùm hæc omnibus etiam electis communis sit: hic verò sit sermo de maledictione reprobis propria, ea scilicet qua Deus quosdam ab initio statuit deserere, & à communi maledictione nequaquam liberare, ob quã dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui; etiam antequam aliquid boni egissent aut mali. Proinde notandum Græca non habere; in maledictione nascemini,; sed εἰς κατάραν, ad maledictionẽ, hoc est, ex diuina reprobatione æterna nascemini vt satis vasa iræ aptata in interitum. Sic & in secũdo membro habent εἰς κατάραν μεμισθωσῆσθε, in maledictionẽ separabimini, vt scilicet à piis & iustis hominibus separati, æternę damnationis sitis participes, habentes propriam & distinctam ab eis partem. Sunt quidem qui legunt per præsens tempus, nascimini, quia nõ videtur satis conuenire, vt iam viuentibus dicatur, nascemini. Verum futurum tempus habẽt Græca γενήσησθε, nascemini. Nec hoc tempus ineptè iam natis tribuitur, quia eis Sapiẽs loquitur tanquam nondum natis, significare volẽs tales & in natiuitate & in morte maledictos esse à Deo. Quod si Græca lectio attendatur, quę habet, vt dictum est, ad maledictionem; poterit difficultas, quę in hoc loco esse videtur etiã aliter tolli quàm iam dictũ est, nempe vt dicatur nomine maledictionis hic non significari æternam Dei reprobationem, sed miseriam & calamitatẽ aliquam in hoc mũdo diuinitus inferendam, siue ob parentum, siue ob propria peccata. Iuxta quem intellectum, etiã rectè dicitur quòd impij cùm nascerentur, propter præuisa eorũ futura mala opera, nati sunt ad sustinendam Dei maledictionem, hoc est, Dei vltionem in hac vita: sicut & cùm moriuntur propter peccata mala opera, maledictionem Dei, hoc est, damnationis vltionẽ sustinere coguntur. Declarat hanc sententiam sequens sententia.

Rom. 9.

12 *Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur, sic impij à maledicto in perditionem.*

Sicut, inquit, omnia quæ de terra facta sunt, in terram conuertuntur, vt superius dictũ est: sic etiam impij à maledicto, hoc est, à maledictione, in qua, vel ad quam nascũtur, conuertẽtur per mortem in æternæ damnationis perditionẽ, sicque vtrobique finis suo respondebit principio.

13 *Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur.*

Sentẽtię huius obscurę hic potest esse sensus: Lugentur homines cùm corpus eorũ moritur & sepulturæ traditur, atq; huiusmodi luctu memoria & nomen mortuorum celebratur: sed hæc ad memoriam eius seruandam non proficient, quia nomen impiorum, quod sæpe celebre est in hac vita, post mortem statim delebitur, simúlque cum corpore aut paulo post sepelietur. At sic, lugentur homines propter corpus ipsorum, cùm illud moritur & sepelitur: at impij magis lugendi essent, quòd simul cum corpore etiã eorum nomen & celebris memoria deleatur. Græca habent non tantùm, nomen impiorum, sed additur, ὄνομα ἀγαθὸν, non bonum. At id vt nõ legit noster interpres, ita perperam additum videtur ab aliquo. Quomodo enim vel verè vel aptè dicitur, quòd nomen impiorum nõ bonum delebitur? Sicut enim piorũ bonum nomen semper permanet, ita & malum impiorum nomen semper permanet, saltem apud Deum. Quòd si eorum non bonum nomen deleretur, hoc ipsum non esset eis in vltionem deputandum, sed cederet in eorum bonum. Vnde hic rectior videtur esse nostra lectio quàm Græcorũ, vt hodie extat. Potius enim dicendum erat, nomen impiorum bonum delebitur, illud scilicet, quo dum hic viuunt sæpe celebrantur propter honores & diuitias.

14 *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.*

Postquam ostendit miseram esse mortem impiorum, quòd per eam etiam nomen eorum pereat: rectè monet in hoc operã adhibendam, vt obtineatur bonũ nomen, quod etiã post mortẽ maneat, & ob id etiam præferẽdum sit multis diuitiis, quemadmodum & in Prouerbiis 22. dicitur: Melius est nomẽ bonum quàm diuitiæ multæ; nempe quia, vt hic dicitur, diuturnius est. Porro nomẽ verè bonum non obtinetur nisi per verum virtutis & honestatis studium, per quod etsi apud plerosque in hoc mundo frequẽter non obtinetur bonum nomen, magisque fiat vt malè quis audiat, tamen apud bonos & Deum, quorum potissimùm ratio habenda est, semper obtinetur. nam ab impiis quidem vituperari, laudari est. Itaque cùm curam boni nominis habendam monet Sapiẽs, non hoc ethnicè accipiendum est, quasi moneat aucupandam gloriam & famam apud homines: sed ita vult vitam institui, vt eam apud Deum & homines maximè bonos cõsequatur bonum nomen, prouidẽdo scilicet bona non

non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

15 *bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.*

Sunt qui per vitam bonam hic intelligũt vitam lætam & fœlicem, vt significetur vitam præsentis sæculi, quantumuis beata & fœlix videatur, certum habere dierum numerum, quo finienda sit, nomen autem bonum semper permansurum: sicque insinuetur magis habendam curam boni nominis, quã fœlicitatis præsentis vitæ. Alioqui enim etiam vita quæ ob virtutem dicitur bona, permanet in æternum. Rectè tamen & melius per bonam vitam hic intelligitur vita virtutis, in hoc sensu: Bona vita certum habet numerum dierum, quia non perpetuò hic licet virtutibus & bonis operibus incũbere, sed certo & pauco dierũ spatio bona vita hic peragitur: at bonum nomen, quod ex bona vita hic breui tẽpore peracta comparatur, permanebit in perpetuum. Significatur ergo quòd bona vita, licet breuis sit temporis, immortale pariat & perpetuum nomen. Cùm autem plerique sint qui bona vita sua non videantur nomen bonum imperpetuum sibi parare hic apud homines, cùm multi sint qui nec de nomine cogniti sint, multi quorũ nomen & memoria omnino venit in obliuionẽ, certum est quòd cùm scriptura toties dicat virtute parari bonum nomen, idque immortale, ad Deum potissimùm respiciat, & vitam illam atque conuersationem beatam sanctorum quæ est apud Deum. In ea enim quilibet quãtumlibet hic obscurus, præclarum nomen & memoriam, quæ non peribit, assequitur. Quanquam illæ scripturæ etiam indicent qua ratione apud mortales præclarum nomen & perpetuum verò obtineatur, & multi obtinuerint, vt patet in Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & plerisq; Martyribus atque doctoribus: quorum nomina dum hic cum laude celebrantur propter virtutem, in ipsis etiam laudantur quotquot eis similes fuerunt, etiamsi no bis hic sint incogniti.

16 *Disciplinam in pace conseruate filij: sapientia enim abscondita & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?*

17 *Melior est homo qui abscondit stultitiã suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.*

Quod dicitur, disciplinam in pãce cõseruate filij; dupliciter intelligitur. Sunt enim qui intelligunt Sapiẽtem monere suos discipulos, quos filios vocat, vt in pace, hoc est, in rerum prosperitate, cùm omnia eis salua videntur & tuta, tum maximè soliciti sint & disciplinam rectámque institutionem cõseruẽt, nec se sinant per rerũ prosperitatem decipi, & à recto abduci. Alij verò melius & intelligentia proposito magis conuenientẽ accipiunt: Sapientem hic rursum suos quos instituit excitare ad attentè audiendum quę pro bono nomine obtinendo est dicturus, vt sensus sit: O filij disciplinam & vitæ institutionem quam hactenus tradidi, quamque mox traditurus sum, conseruate in animis vestris cum pace & animi tranquillitate, nequaquam illi reluctantes, aut turbidè contradicentes. Quod sequitur; Sapientia enim absconditа; subiicitur in Græcis sine coniunctione causali. Tantùm enim est: Sapientia absconditа, vel, Sapientia autem absconditа. Putántque quidam quòd cùm hæc sententia simul cum sequẽti superius totidem verbis posita sit cap. 20. & hic parum proposito conuenire videatur, hic locum non habere: sed ex illo loco huc asscripta prius margini, forte propter illud quod dicitur; conseruate disciplinam; deinde in textum esse relata, vnde à quibusdam prætermittitur. Verùm quoniã eam non tantùm Latina, sed & Græca habeant, rectè intelligitur illam hic repetitam, vt significaret sapiens cur suam disciplinam tam diligenter inculcet, quòd scilicet sapientiam sibi à Deo datam putet non occultandam, sed aliis esse cõmunicandam. vnde & alibi dicit aliquoties: Videte quoniã non mihi soli laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem.

18 *Veruntamen reueremini in his quæ procedunt de ore meo. Non est enim bonum omnem reuerentiam obseruare, & non omnia omnibus placent in fide.*

Locus valde à scriptoribus corruptus, & ob obscuritatem & corruptionem ab interpretibus minimè intellectus. Proinde primùm aduertendum pro, veruntamen, Græcis esse τοιγαροῦν, hoc est,, igitur, vel, quãobrẽ. Quoniam enim dixerat curandum de bono nomine, docet in sequentibus à quibus rebus per pudorem sit abstinendum, à quibus verò non sit per pudorem abstinendum. Itaque peruersè omnes fere legunt, reuertimini; cum legendum sit, vt etiam quædam scripta habent & quædam recenter impressa; reueremini vel reuerimini. Est enim Græcè ἐντράπητε, hoc est, reuereamini, & pudorem habete. Sensus ergo est: Vt bene audiatis, habete pudorem in his quæ mox dicturus sum Iam in eo quod sequitur; etsi omnes fere legunt; irreuerentiam, legendum tamen esse contrario modo, reuerentiam, quomodo & codex Bessarionis habet & alij aliquot, patet manifestè ex Græcis, quæ habent ἀναίσχυντον, hoc est, pudorem & verecundiam, pro quo noster vertit, reuerẽtiam. Significatur enim non esse bonũ, omnibus in rebus esse verecundum, quia, vt prius etiã docuit, quidam pudor noxius est: vnde & hic postquam enumerauit eas res de quibus pudendum est, subiicit capite sequẽti de quibus rebus non sit verecundandũ. Et addit hic, & non omnia omnibus bene placent in fide; hoc est, non omnia placẽt omnibus quæ in fide, hoc est, fideliter & integrè præstantur, sed sunt qui culpant ea quæ in fide fiunt. Itaque signi cat eum qui præ pudore in talibus volet facere quæ grata sunt hominibus, perfidè acturum & contra debitam integritatem, & proinde non vbique pudorem esse bonum.

Primùm ergo in sequentibus exponit quædam de quibus est verecundandū, & proinde præ pudore abstinendum ab eis.

19 *Erubescite à patre & à matre de fornicatione: & à præsidente & à potente de mendacio.*

20 *A principe & à iudice de delicto: à synagoga & plebe de iniquitate.*

COmmemorantur sedecim res in quibus pudor præstari debeat, ne designentur. Harum autem rerum quædam turpitudinem habēt ob malitiam quam secum habent inuolutam, quædam quia sunt contra debitam honestatem & decentiam. In his recensendis, quandoque non tantùm ponit rem de qua verecundandum est, sed etiam personas coram quibus pudor præstari debet, atque tunc personis additur præpositio, ἀπὸ, à rebus autem præpositio, περὶ, de. Quandoque nullas personas coram quibus de re turpi pudendum sit nominat, & tunc ipsi rei additur præpositio ἀπὸ, à. Quanquam autem omnia vitia pudorem adferre meritò debeant, idque coram omnibus, quædam tamen tantùm recenset quæ vulgò magis dehonestant, & certas personas exprimit, coram quibus ob certas circumstantias maior verecundia subeunda est. Primùm ergo dicit, erubiscite à patre & à matre, de fornicatione, hoc est, pudeat vos fornicationis propter patrem & matrem, quia apud parentes cùm conscij sunt, filiorum suorum fornicatio maximè est inhonesta. Illi enim maximè cupiunt suorum corpora incorrupta tradere cōiugio, & prolium fornicatio arguit illas non satis rectè à parentibus esse institutas. vnde & in veteri lege filia quæ in domo paterna deprehenditur fornicata, præcipitur lapidibus obrui apud domum paternam. Secundum de quo erubescendum est, notat cùm dicit à præsidente & à potente de mendacio. Quanquam enim vbique & apud omnes turpe sit mentiri, tamen de mendacio maximè pudendum est propter & apud præsidentes & potentes, hoc est, magnates & principes; quia illi maximè offenduntur mendaciis, & à mendacibus valde alienātur. Tertium notat dicens; A principe, & à iudice de delicto; aut, vt ex Græcis, περὶ πλημμελείας, hoc est, de negligentia aut delicto. Significatùr ergo pudendum de his quæ per negligentiam & omissionem agendorum peccantur maximè apud principes & iudices rerūpublicarum, qui facilè possunt punire negligentes sua decreta & præcepta. Sic & quarto loco monet pudendum; à synagoga & plebe de iniquitate; quia si aliquid singulariter iniquum, & contra leges publicas commissum fiat vel conscia plebe, vel contra eam, id perpetuam adfert ignominiam, nec caret sua vltione. Vnde superius monuit: Non pecces in multitudinem ciuitatis, neque te immittas in populum. *Sup. c.7.*

21 *A socio & amico de iniustitia, & in loco de quo habitas de furto, de veritate Dei & testamento.*

QVinto loco monet vt pudeat nos iniustitiæ & iniuriæ, peculiariter propter & apud socium atque amicum, quia turpissimum est illi iniuriam inferre, erga quē maximè ratione amicitiæ & confidentiæ amici in amicum, iustitia seruāda erat. Sexto loco monet vt quemque pudeat furti, maximè propter locum in quo habitat, si scilicet locus ille sit conscius furti, aut in ipso loco cōmittatur, quia singulariter turpe est à vicinis haberi pro fure, cùm tali nemo confidat, cúmque omnes aborreant. Deinde si in ipso loco habitationis furtum committatur, est singularis turpitudinis in eum locum peccare, in quo quis fouetur & alitur. Quod additur: de veritate Dei & testamento; non videtur huic loco cōuenire, quia posteà cùm recensentur ea de quibus pudor non est habendus, dicitur primo loco de lege altissimi & testamento. Proinde videtur istud hic frustra ab aliquo insertum, aut aliquid deesse quod veritati ac fœderi Dei aduersetur. Quanquam rectè etiam referri potest ad id quod dicitur de furto, vt significetur pudorem habendum de furto, non solùm propter habitationis locum, sed etiam propter veritatem Dei & testamentum, atque legē eius quæ furtū vetat. Imò potest videri eam partem referendam ad omnia superiora, quæ non solùm sunt vitanda propter expressas personas, sed etiam quia sunt contra legem Dei, idque ideo hic prędictis subiecisse, quia subiecturus est quædam de quibus pudor habendus est, non quia per se mala & lege vetita, sed quia parum honesta sunt. Notandum autem quod quanquam interpres verterit per præpositionem, de, dicens; de loco in quo habitas, & de veritate Dei; sicut dixit de furto: ad distinctionem tamen quam seruauit in præcedentibus membris, debuisset dixisse; à loco & à veritate Dei; quia his locis est propositio, ἀπὸ, cum furto tribuatur præpositio περὶ.

22 *De discubitu in panibus, & ab obfuscatione dati & accepti.*

PEr discubitum in panibus, intelligitur ferè notari vitium ambitionis in deligendo locum superiorem in conuiuiis. At Græca habent, ἀπὸ πήξεως ἀγκῶνος ἐπ' ἄρτοις, hoc est, à fictione cubiti super panes. Itaque notatur septimo loco vitanda rusticitas in mēsa, qua aliqui cubito innituntur panibus. Id enim omnino indecens est, & eorum ferè vitium est qui cibo saturati, nullam erga Deum reuerentiam exhibent, nec eius donis cum gratitudine fruūtur. Pro; obfuscatione, Grecè est, σκορακισμοῦ, hoc est, vituperatione. Nomine ergo obfuscationis, significatur denigratio famæ. Et significatur octauo loco pudorem habendum de vituperatione quæ incurritur ex eo quod quis non potest in his quæ fidei eius credita sunt, rationem reddere acceptatorū & datorum, ostendendo data acceptis conuenire. Aut quæ incurritur ex eo quod quis pro iustitia peruertenda aut dat aut accipit munera. Vtroque enim modo accipi potest, & vtroque modo singularis quædā famæ denigratio incurritur.

23 *A salutantibus de silentio, à respectu mulieris fornicariæ, & ab auersione uultus cognati.*

24 *Ne auertas faciem à proximo tuo: & ab auferendo partem, & non est restituendo.*

PArs illa; ne auertas faciē à proximo tuo; Græcis non est, sed est expositio illius præcedentis partis; ab auersione vultus cognati; ex alia versione aut alicuius commentario inserta nostro cōtextui. Itaq; his duobus versibus, quatuor notantur ob quæ pudor habēdus est, nempe de silentio propter salutantes, hoc est, cùm salutantes non resalutantur. Id enim inofficiosum esse ac turpe, mores agrestes ac superbos præ se ferēs. Deinde de diligenti aspectu mulieris fornicariæ, à qua oculi erant auertendi, quia in illam intenderē, ferè indicat mentis impudicitiam. Vt autem in illam oculi non sunt intendendi, ita facies non est auertēda à vultu hominis cognati & propinqui. Quod eorum esse vitiū solet, qui subuecti ad ampliorem aliquam fortunam & gloriam, genus suum recognoscere nolunt, cum maximo fastu suos consanguineos aspernātes, nec aspectu dignantes: vnde monet pudendū etiam esse de auersione vultus cognati, hoc est, de eo quòd vultus eius, & aspectus contemnitur. Sic enim dictum est, auersio vultus cognati; sicut in Psalmis: Non auertas faciem Christi tui; pro, Non contemnas nec asperneris. Cæterùm pro eo quod posteà dicitur, & ab auferendo partem, & non restituendo; Græca habent, ἀπὸ ἀφαιρέσεως μερίδος καὶ δόσεως, hoc est, ab ablatione partis & dationis, hoc est; ab eo quòd alicui aufertur pars ipsius, & id quod datum est ei. Quòd cùm subiungatur mentioni de cognato factæ, videtur significare cauendum esse ne in diuidenda hæreditate pars & portio quæ alteri iure debetur non subtrahatur ei, similiter nec quod per testamentum alicui legatum est & datum. Ita & nostra litera commodè accipi potest significare erubscendum esse de ablatione portionis alteri debitæ, & non restitutione, hoc est, nō collatione eius quod debetur ex testantis donatione. Hac enim ex re peculiaris cōtrahitur infamia, quòd in diuisione hęreditatis, & testamentorum adimpletione non seruetur iustitia.

25 *Ne respicias mulierem alieni uiri, & ne scruteris ancillam eius.*

INterpres hic mutauit genus orationis. Nā Græcis hic adhuc simili qua suprà forma commemorantur, de quibus sit erubescendum. Habēt enim sic; A consideratione mulieris maritatæ, & solicitatione ancillæ eius, subaudi, Erubescite. Id enim semper repeti debet, Cæterùm quoniā etiam Græca deinde habent; Et ne steteris ad lectum eius; interpres non malè totam orationem similiter mutauit. Duo ergo adhuc addit superioribus à quibus per pudorem abstinendum sit, nempe & vt ne quis intentis oculis respiciat in alienam vxorem, quia & illud indecorum est, ac prauæ concupiscentiæ iudicium, & vt ne etiam ancillam eius curiosè sollicitet ad stuprum, inquirēs num qua ratione eius animum corrumpere queat, & ad abutendum ea stans ad lectum eius. Nam cùm id inhonestum sit in propria ancilla tentare, multò magis inhonestum est in aliena quærere, cōmaculando domum alienam.

26 *Ab amicis de sermonibus improperij, & cum dederis ne improperes.*

QVidam libri habēt; Caue ab amicis, &c. sed melius omittitur verbū, caue, quod vt non habent Græca, ita nec multa scripta. Adhuc autem pergitur in commemoratione eorum à quibus per pudorē est abstinendum, & repetendum est verbum, Erubescite. Ergo iam decimoquinto loco monet Sapiēs vt erubescamus de sermonibus improperij, maximè propter amicos, hoc est, vt pudeat amicis improperare, quia illis improperare collata beneficia inciuile est & inhonestum: vnde ad expositionem eius dicitur; & cùm dederis; amico scilicet, ne improperes ei, quia sic perit beneficium collatum. Decimumsextum vitium, cuius peculiariter pudere nos oportet, notatur in capitis sequentis principio, quod meritò coniungendum esset fini huius capitis, vt omnia pudore digna simul iungerentur. Habet ergo.

Caput XLII.

1 *Non duplices sermonem auditus, de reuelatione sermonis absconditi.*

GRæca seruata superiori forma habent, καὶ ἀπὸ δευτερώσεως, καὶ λόγων ἀκοῆς, & ab iteratione & sermonibus auditus; ita vt repetendum sit verbum, Erubescite, sicut & in eo quod sequitur; de reuelatione sermonis absconditi; quod ad declarationem præcedētis additum est. Per iterationem autem sermonum, significat Sapiēs eorum quę audita sunt semel commemorationem apud alios factam: quod inhonestè fit, cùm reuelantur secreta concredita. Vnde & suprà dixit: Non iteres verbum nequam, &c. Vbi pro, iteres, & verbum, δευτερώσῃς. vnde hic est nomen δευτερώσεως. Sensus ergo nostræ lectionis est: Non duplices hoc est, non iteres sermonem à te auditum, qui scilicet tibi sic dictus erat, vt semel tantùm dictus esse deberet: nec iterandus & repetendus esset apud alios, hoc est, erubescere de reueletione sermonis absconditi. Ex superiori enim capite, vt iam dictum est, repetendum est verbum, erubesce. Iam rectè sequitur, quod pro conclusione huius argumenti subiicitur:

2 *Et eris uerè sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum.*

PRo, sine cōfusione, Græcis est, αἰσχυντηρὸς, hoc est, verecundus, & est sensus: Si hæc quę dixi præstiteris, & ab eis quæ dixi te pudeat, ita vt præ pudore illa vites, tunc re ipsa declarabis te esse verè verecundum & pudi-

bundum, ſicque gratus fies omnibus hominibus per pudorem tuum honeſtum, & bonum nomen apud homines conſequēris. Noſtræ ergo lectionis hic eſt ſenſus: Si quæ dixi feceris, & te pudeat omnium eorū quæ dixi, ita vt ab eis caueas ne confundi te neceſſe ſit, tunc verè eris liber ab ignominia, & gratiam hominum cōſequeris. Referri enim iſtud debet ad omnia quæ dicta ſunt ab eo loco: Erubeſcite à patre & à matre, &c. Itaque hic meritò capitis finis eſſe deberet, & initium noui capitis eſſe à ſequentibus, in quibus viciſſim exponitur, de quibus verecundandum non ſit. Iſtud à pleriſque non animaduerſum magnam confuſionem attulit, & verum huius loci intellectum impediuit.

3 *Ne pro his omnibus confundaris, & ne accipias perſonam, ut delinquas.*

VErbum, confundaris, pro quo Græcis eſt, αἰσχυνθῇς, nō accipitur hic pro, ignominia afficiaris; quanquam nomen, confuſio, in ſuperiori ſententia accipiatur pro, ignominia, ſed pro, verecunderis, erubeſcas & pudore afficiaris. Poſtquàm enim dixit de quibus ſit erubeſcendum, nunc, vt dictum eſt, ſubiungit de quibus non ſit erubeſcendum, ita vt propter verecundiam omittātur. Itaque quod dicitur, pro his omnibus, non debet referri ad præcedentia, ſed ad ſequētia, vbi commemorantur de quibus ſic non eſt habendus pudor, vt ideo prætermittātur. Quoniam autem fieri ſolet vt in his quæ dicēda ſunt peccetur per inutilem & noxium pudorem, propter acceptionem perſonarū. dum pudet diſplicere certis perſonis, quarum gratia & fauor quæritur, aut potentia metuitur, ideo rectè poſtquàm dixit; Ne pro his omnibus, quæ ſcilicet iam dicturus ſum, erubeſcas, ſubiungit; Et ne accipias perſonā vt delinquas, hoc eſt, ne præ pudore ita rationem habeas perſonarum, vt aliquid contra quàm bonū eſt & æquum cōmittas. Ponit autem in ſequentibus tredecim res, de quibus vult non ſic erubeſcēdum, vt in gratiam quorundam in illis rebus peccetur.

4 *De lege altiſſimi & teſtamento, & de iuſtificare impium.*

PLerique pudore reuocantur à ſeruanda lege Dei, aut ea defendenda, cùm ſe ob eius obſeruationem aut defenſionem ſentiunt quibuſdam diſplicere. Monet ergo imprimis ne quis quarumuis perſonarū reſpectu confundatur & verecūdetur de ſeruanda aut defendenda lege Dei, quam & teſtamentum Dei vocat, quòd nobis Dei voluntate teſtetur, eiúſque pacta & promiſſiones hominibus factas cōtineat. Hoc ſanè vitium quod hic cauendum monetur, valde commune eſt, vt mirum non ſit quod primo loco cauendum moneatur, de quo & Dominus: Qui me erubuerit & ſermones meos, erubeſcam, & ego illum coram patre meo. Nec infrequēs eſt etiam vitium, quod mox cauendum iubetur, cùm dicitur; & de iudicio iuſtificare impium. Vbi repetēdum eſt, ne cōfundaris, ſicut & in omnibus ſequentibus. Et eſt ſenſus: Ne pudore tenearis, cùm tibi ferēdum eſt in aliqua re iudicium, ſic vt pudore victus intuitu alicuius perſonę, iuſtifices impium, hoc eſt, pro eo pronuncies ſententiam, qui iniquam habet cauſam.

Luce 9.

5 *De uerbo ſociorum & uiatorum, & de datione hæreditatis amicorum.*

CVm cognoſcenda eſt cauſa hominis coniuncti & extranei, quales ſunt viatores, periculū eſt ne amicitia alterius partis præ pudore impediat quò minus nos æquos iudices præbeamus. Itaque monet ne pudeat nos de verbo ſociorum & viatorum, hoc eſt, ne per pudorem quid peccemus in negotio aliquo quod ſocij noſtri cum extraneis viatoribus habent inter ſe, ita ſcilicet vt de eo non pronunciemus ex animi ſentētia, ſed ex fauore, metuentes offendere ſocium. Sic & in diſtribuenda hereditate amicis vult abeſſe pudorem, vt non pro fauore fiat, ſed pro æquitate. hoc eſt enim quod dicit: Non te pudeat de datione hæreditatis, hoc eſt, in illa re aut circa eam rem abſit pudor, eámque dationem perfice citra pudorem prout æquitas poſtulat, non habito perſonarum reſpectu.

6 *De æqualitate ſtaterę & ponderum, de acquiſitione, multorum & paucorum, de corruptione emptionis & negotiatorum.*

NOn pudeat, inquit, te quòd æquali erga omnes ſtatera & ponderibus vtaris citra perſonarum reſpectum, etiam ſi fortè ob hanc tuam æquitatem à quibuſdam tāquam nimis iuſtus & parum callidus rideāris. Et quoniam plerique ad iniuſtitiam committendam pertrahuntur, quia pudet eos quòd tam parùm lucri faciunt, nec cum aliis ſibi diuitias comparant. Non pudeat, inquit, te de acquiſitione multorū & paucorum, hoc eſt, non ob id erubeſcas quod cùm alij multa acquirant, tu tantùm pauca lucreris. Aut, non pudeat te ſiue acquiras multa ſiue pauca, ſed contentus eſto ea quæ tibi per iuſtitiam obuenit fortuna. In eo quod ſequitur, quod etiam pertinet ad iniuſtitiā vitandam, notandum Græca habere, περὶ ἀζυμίου πράσεως, hoc eſt, non pudeat te de indifferente venditione, id eſt, tali quæ non ſit varia, vt perſonarum intuitu vni non pluris mērces vendantur quàm alteri. Quædam exemplaria habent, διαφόρᾳ, hoc eſt, differente vel controuerſa venditione. vt ſit ſenſus: cùm controuerſiæ exiſtūt inter mercatores de rebus venditis emptíſque, in ea re citra gratiam & verecūdiam iudicandum pro æquitate. Noſtrum interpretē veriſſimile eſt legiſſe διαφθόρᾳ, vel διαφθόρας, atque hinc eſt quod in multis libris legitur de corruptione, quēadmodum eſt apud Rabanum, Lyranum & Dionyſium. Quæ tamen lectio non video quomodo cōmodum habere poſſit ſenſum. Omnia enim hæc

hæc quæ hic commemorantur, ad quæ ſemper repetendum eſt; ne cōfundaris; hoc eſt, non pudeat te, ſunt bona quædam, quæ monet non omitti per pudorem & perſonæ acceptionem, ſicut ſuperiori capite commemorauit mala, quæ monuit ex pudore omittenda eſſe. At corruptio emptionis vel venditionis & mercatorum res mala eſt, vt inter ea quæ non ſunt omittenda per pudorem, numerari aptè non poſſit. Vnde mirum non eſt quòd quidam dictionem, corruptione, mutauerint in, correptione, ſicut etiam in multis libris ſcriptis inuenitur, Sic enim cōmodus erit ſenſus: Non eſſe ſcilicet pudendum de correptione iniquitatis, quæ in emptione & venditione committitur à mercatoribus: nec eam correptionem, perſonarum intuitu præ pudore omittendā, ſed eam amore iuſtitiæ conſtanter faciendam ab his quibus ex officio incumbit. Si tamé legatur, de corruptione, quomodo magis eſt veriſimile interpretem vertiſſe, vt ſenſus conueniēs habeatur, oportet aliquid ſubintelligere in hunc vel ſimilem modum: Non pudeat te de reprehenſa vel vitata corruptione emptionis & mercatorum.

7 *Et de multa diſciplina filiorum, & ſeruo peßimo latus ſanguinare.*

PLerique à debita caſtigatione aut ſeruorum pudore retrahuntur, dum metuunt ſcilicet, haberi à quibuſdam crudeles & ſeueri: itaque ſinunt illos inſoleſcere, & nimia indulgentia peiores fieri. Monet ergo vt inter cætera etiam non pudeat de multa diſciplina, hoc eſt, caſtigatione filiorum, hoc eſt, non pudeat eis multam adhibere caſtigationem, etiam ſi id quidam ſint reprehenſuri. Non pudeat etiam ſeruo peſſimo latus ſanguinare, hoc eſt, ſanguinare per flagella perfundere. Intelligunt quidem quidam ex noſtris hic ſignificari cauendum eſſe ne nimia ſit filiorum caſtigatio, & ſeruum non ſic caſtigandum vt latus cruentetur, vt ſit ſenſus: Non confundaris de multa diſciplina, hoc eſt, caue ne ex nimia caſtigatione incidas in confuſionem. At, vt iam dictum eſt, illud; ne confundaris; ſic non eſt accipiendum, ſed pro non pudeat te: nec commemorantur hic mala omittenda, ſed nō omittenda bona, proinde prior ſenſus eſt retinendus.

8 *Super mulierem nequam bonum eſt ſignum: ubi manus multæ ſunt claudę.*

9 *Et quodcunque trades numera & appende: datum uerò & acceptum omne deſcribe.*

ADhuc pergit commemorare de quibus non ſit habendus pudor, quamuis hic locutionis forma mutetur, ne ſimilitudo orationis tædium afferat. Plerique enim etiam retrahuntur pudore à diligenti vxoris cuſtodia, aut aliarum rerum domeſticarum, ne zelotypi aut attenti, & parum liberales habeantur. Itaque negligentia huiuſmodi cuſtodiæ fit, vt opes domeſticæ vxoris improbæ & ſeruorum petulantia & laxiori vita pereant & dilabantur. Duo ergo monet quæ etiam per pudorem non ſunt omittenda, nempe & vt vxor, ſi improba ſit, diligenter cuſtodiatur, etiam ſeris appoſitis, & vt contra infidelitatem domeſticorum omnia ſeris claudantur, eíſque omnia in numero & pondere tradere non ſit moleſtum, ac in rationum libro omnia & data & accepta conſcribe. Pro, ſignum, Græcè eſt, σφραγὶς, hoc eſt, ſigillum. Accipitur ergo hic ſignum pro ſignaculo & clauſura, quæ adhibenda eſt prauæ vxori, aut ne per laſciuiam & incontinentiam peccet, aut ne abutatur rebus domeſticis, ſi illæ in eius libertate relinquātur. Magis tamen quod de ſignaculo mulieri malæ adhibendo dicitur, videtur dictum ob cauendum incontinentiæ periculum, vt deinde etiam ſubiungatur de cura adhibenda pro cuſtodia rerum domeſticarum, pro qua quatuor requirit, nempe omnium recluſionem propter rapacitatem multarum manuum, numerationem, ponderationem & deſcriptionem: quæ tamen omnia cum moderamine magno ſunt ſeruanda, nec, niſi quatenus vtilia ſunt, cohibendæ nimiæ indulgentiæ & licentiæ. Ad hanc enim cohibendam iſta dicuntur, ſignificatúrque non ſatis eſſe familiam verbis ſubinde admonere ad præſtandam fidelitatem, aut oculis diligēter obſeruare cuiuſque domeſtici actiones, ſed tutiſſimum eſſe ſi omnia claudātur, & in numero ac pondere ſimul cum deſcriptione tradantur. Certè quàm hæc politia ſit neceſſaria & vtilis, monaſteria bene inſtituta declarant.

10 *De diſciplina inſenſati & ſtulti, & de ſenioribus qui iudicantur ab adoleſcentibus.*

REdit iam rurſum ad prius inſtitutam loquendi formam, ita vt & hic repeti debeat illud; ne confundaris. Quoniam enim etiam ſæpe fit vt præ pudore & verecundia omittatur correptio ſtultorum & inſipientum, monet etiam in fine vt non pudeat nos de diſciplina, hoc eſt, correptione aut recta inſtitutione ſtulti & imprudentis, hoc eſt, vt non pudeat nos tales corripere, & de agendis rectè inſtituere. Quod additur; & de ſenioribus qui iudicantur ab adoleſcentibus: ſic eſt Græcè καὶ ἐγκατοχῆς καὶ νομιζόντων παρὰ νέων. Et videntur genitiui illi coniungi cum præcedentibus, ἀνοήτου καὶ μάχου, inſenſati & ſtulti, vt ſit ſenſus: Non pudeat de diſciplina ſtulti, & de diſciplina hominis decrepiti, cùm contendit in iudicio cum iuuenibus: vt ſignificetur ſenem extremæ ætatis corripiendum & admonendum, quando litem & contentionem ſuſcipit cum iuuenibus. Id enim nō conuenit eius ætati & grauitati, quia ſe illis ridendum & contemnendum exponit. Noſter interpres genitiuum, ἐγκατοχῆς, retulit ad præpoſitionem περὶ, vnde vertit; Et de ſenioribus. Et poteſt hęc verſio, vt cū ſuperiori ſenſu conueniat, ſic accipi: Et non pudeat te de admonendis ſenioribus, quando ſinunt ſe iudicari ab adoleſcētibus. Aut potius ſic:

Non pudeat te de defendendis senioribus, cùm vides eos à iunioribus iniquè iudicari, rideri aut impeti. hoc est, ne præ pudore omittas illis patrocinari, qui per extremam ætatem se non satis defendere possunt. His iam duodecim vel tredecim rebus commemoratis, de quibus verecundandum non est, nec per pudorem abstinendum, subiicit:

11 *Et eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum,*

SI, inquit, hæc præstiteris, & de his te non pudeat, iam verè declarabis te in omnibus esse eruditum, benéque institutum, erisque probatus apud omnes, omnes nomen bonũ apud cunctos obtinens. Pro, omnium virorum, verissimile est interpretem vertisse omnium virorum, cùm Græcè sit, πάντ@ ἀνθρώπ@, omnis viuentis.

12 *Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo eius aufert somnum,*

POstquàm ostendit de quibus sit erubescẽdum, & de quibus non, docuítque bonum nomen, cuius curam suprà monuit habendam, obtineri, si quis per pudorem vitet mala, & bona per pudorem non prætermittat: subiicit adhuc occasione dictorum quædam documenta, quæ etiam eódem pertinent, nempe ad euitandum dedecus & malum nomẽ. Quoniam enim dixit, super vxorem malam firmandam custodiam, monet ad euitandum dedecus etiam filiæ diligentem habendam curam & custodiam, præmittens quàm prudentem patrem cura filiæ non immeritò torqueat. In hac autem sententia perperam sic fit distinctio, vt pòst, abscódita est, fiat punctus, quasi sensus sit: Filia patris abscondita esse debet, & recluſa à virorum conspectu, cùm, vt ex Græcis patet, adiectiuum, abscondita, sit coniungendum substantiuo, vigilia, vt sit sensus: Filia est abscondita vigilia patris, hoc est pater de ea in abscódito sui cordis secretam habet curam quæ ipsum torquet, & solicitudo quæ habetur de ea, aufert patri sæpe somnum, & efficit vt dormire nequeat. Græca enim non habent, patris, sed patri, vt sit sensus: Filia est patri abscondita vigilia. Quæ autem ea sint, pro quibus pater solicitus sit in filia, mox explicat cùm subdit.

13 *Ne forte in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat.*
14 *Ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur.*
15 *Ne fortè cum viro commorata transgrediatur, aut certè sterilis efficiatur.*

OMnino certum esse puto interpretem in primo versu non vertisse, adultera, sed adulta, quomodo similis dictio vertitur apud Paulum, cùm legimus: Si quis turpem se videri existimat super virgine sua, quòd sit superadulta. Sicut enim ibi est, ὑπέρακμος, ita hic est verbum ϖαράκμαος. Est autem ἀκμὴ, vnde vtraque dictio deriuatur, vigor & flos ætatis, in quo est summa pulchritudo in puellis. Itaque sicut apud Paulum significatur quibusdam patribus videri indecorum, quòd filia non elocetur cùm est in flore ætatis suæ, & iam est in ætate adulta, quæ si prætereat, non facilè procum inueniat: ita & hic significatur patrem pro filia sua solicitum metuere in eius iuuentute ne antequam ad coniugium ambiatur, nimis adulta efficiatur, & florem ætatis suæ pertranseat. Nomen autem, adulteræ, nec verbo Græco vllo modo respondet, nec sensui conuenit. Neque enim satis aptè dicitur de adolescẽtula metuendum ne adultera efficiatur in adolescẽtia sua, vt quæ necdum nupta est. Notandum ergo in prædictis sententiis, pulchrè exprimi solicitudines quas pro filia pater habet, & ante cónubium, cùm adhuc est in paternis ædibus, & post connubium, cùm iam viro tradita est. Et ante connubium quidem dicitur patrem solicitum esse, & metuere ne non tempestiuè nubat, sed nimis adulta efficiatur, sícque à procis relinquatur. Post coniubium verò, ne iam viro tradita & viro cohabitans, odibilis illi fiat, sicque libello tradito à viro repudietur cum summa parentum ignominia. Rursùm ante connubium metuere, ne in virginitate sua existens in domo patris, polluatur per fornicationem, & grauida fiat ante coniugium. Post coniugium verò metuere, aut ne transgrediatur leges coniugij adulterãdo, aut ne sterilis inueniatur, sicque à marito non ametur, vel etiam reiiciatur. Cùm ergo tam varia sit patris pro filia solicitudo, rectè subiicit de custodia illi adhibenda.

16 *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium uenire inimicis.*
17 *A detractione in ciuitate & obiectione plebis, & cõfundat te in multitudine populi.*

PRo, luxuriosam, Græcè est ἀσωτευομένην, eadem scilicet dictio quam suprà noster vertit (in capite 26. vbi idem hemistichium ponitur) non auertente se. significat autem inuerecundam & impudentem. Proinde, luxuriosam, hic non debet accipi pro ea quæ per libidinem peccat, sed pro ea quæ lasciua est & petulans, quæque sua inuerecundia declarat se ad libidinem procliuem esse. Huic firma custodia est adhibenda, ne si laxa ei licentia eundi quò vult, & faciendi quæ vult præbeatur, per suam inuerecundiam & fornicationem patrem probro afficiat apud inimicos propter detractionẽ & obloquium quod est in ciuitate de filia, & propter obiectionem, aut, vt aliqui legunt, obiectionem plebis, sicque etiam ignominiosum patrem reddat in multitudine populi, quia in eius publicum dedecus redundat filiæ immodestia: quæ si in domo patris fornicata fuit, iubetur in lege lapidibus obrui ante fores paternas, vt dictum est. Pro, obiectione vel obiectione, Græcis est ἐπιλήμψεως, vocatum populi. Dicitur autem vocatus populi, qui infami aliquo nomine, conuitióque appellatur à

1. Cor. 7.

tur à populo, vt pater filiarum impudicarum aut luxuriosarum. proinde melius videtur legi, obiectione, quàm, vt nomine detractionis, significetur conuitium quòd secretò fit: nomine obiectionis, cõuitium quod palam alicui in os obiicitur.

18 *Omni homini noli intendere in specie, & in medio mulierum noli commorari.*

POstquam monuit, quomodo per filiæ custodiam cauere sibi quis possit à dedecore ob impudicitiam filiæ incurrendo: monet etiã quomodo per suiipsius custodiam cauere debeat ab ignominia ob conuersationem cum mulieribus incurrenda, declarans iam quod suprà dixit capite præcedenti, de vitando aspectu mulieris fornicariæ, vel alieni viri. Monet ergo imprimis in genere, ne temerè in specie, hoc est, propter pulchritudinem, cuiquam homini oculi fixè intẽdant, non quia hoc per sese malum est, sed quia propter innatam omnibus prauam concupiscentiam periculosum est, & mulieribus, intẽtè virorum contemplari pulchritudinem: & viris item, non tantùm mulierũ, sed & puerorum aliquãdo pulchritudinem fixè contemplari. Peculiariter verò propter idem periculum monet viros non commorari inter mulieres, sed eorum consortia & familiaritatem vitare, subiungens pulchram comparationem.

19 *De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.*

QVædam Græca habẽt absolutè: A muliere iniquitas; Alij habent: A muliere iniquitas mulieris. Noster addidit; iniquitas viri. Et certè melius quàm si addatur genitiuus, mulieris. Est autem apposita hæc comparatio, consistens in eo, quod quemadmodum tinea innascitur vestibus, atque ab eis suam trahit originem: ita in ipso mulierum aspectu & conuersatione cum eis insita est iniquitas viri, quæ inde velut naturaliter progignitur, non minus mentem hominis corrumpens quàm tinea vestes. Sicut ergo vestes diligenter custodiendæ sunt, ne eis corrumpens tinea ingeneretur: ita & mens hominis vigili custodia munienda est, ne ei à mulierum consortio corruptio ingeneretur: quæ si semel admittatur, sicut ingenerata vesti tinea semper serpit, & totam vestem erodit: ita & libidinosa cogitatio in mente recepta paulatim prorepit, & totam eius pulchritudinem exedit, nisi tempestiuè occurratur. Proinde bene monuit Ecclesiasticos D. Hieronymus, scribens ad Nepotianum: Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Dauid, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quòd paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana vel probatæ quædam apud omnes fidei. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculosè tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Hæc ille, cuius vltima verba etiam Rabanus hic citat. Cæterùm vt vehementer deterreat Sapiens à mulierum consortio, rectè subiicit;

20 *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.*

COniunctionem, enim, quæ in quibusdã libris legitur hoc modo; Melior est enim iniquitas viri; sicut non habent Græca, ita nec Rabanus, nec multa scripta, & sensui obest. Absolutè enim hæc sententia est pronuncianda, quæ tamen prima facie absurda videtur, quòd vitium viri videatur præferri virtuti mulieris. Rabanus hunc locum explicans, suum Commentarium mutuatus est, vt & alibi, ex Gregorio hanc sententiam tractante lib. Moral. 11. cap. 26. vbi per virum, hic dicit intelligendum fortem & discretum: per mulierem verò, mentem infirmam & indiscretã: ideóque dici meliorem esse iniquitatem viri quàm mulierem benefacientem, quia nonnunquam etiam culpa fortium, fit illis occasio virtutis: & virtus infirmorum fit illis occasio peccati: nempe quia isti ex virtute eleuantur, illi verò ex culpa assurgunt ad cautius se gerendum, & magis se humiliandum. At hic sensus vt pius est & subtilis, ita propositio non conuenit Sapientis, qui hac sententia significare voluit, aut quòd vtilius est pati viri alicuius nos corripientis seueritatem, quæ plerisque iniquitas videtur, quàm negotium habere cum muliere blandè tractante, & benignè agente verbis & factis, quòd huiusmodi benignitas frequenter ad illicitum pertrahat amorem. Aut quòd etiam vtilius sæpe sit, aut saltem minus noxium, veram viri iniquitatem ferre, ab illo iniquè vel verbis vel factis impeti, quàm percipere mulieris benignitatem, & blando eius consortio atque munusculis frui, tum quia illata à viro iniuria patientiæ materiam subministret, mulieris verò benignitas concupiscentiam sæpe accendat: tum quia vir iniquus aperterè ferè hominem inuadat vt eius iniquitatem facilè declinare, eíq; se opponere liceat; cùm sæpe mulier, dum bene facere videtur, id agat vt decipiat, & incautum illáque & suo amore. Certè Sapiens se non simpliciter benefacientem mulieris reiicere, sed quatenus noxia est declarat, cùm addit; & mulier cõfundens in opprobrium; significãs tunc mulierem benefacientem noxiam esse, cùm suo consortio, blanditia atque benignitate efficit vt homo incidat in ignominiam & opprobrium.

21 *Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi annunciabo, in sermonibus Domini opera eius.*

NOuum hic incipit argumentum vt meritò hic noui capitis exordium esse debuerit. Postquam enim author iam multis capitibus doctrinam moralem est prosecutus, variásque virtutum & vitiorum formas expressit, priusquam operi suo finem impo-

nat,conuerti primùm sermonem suum in laudẽ creatoris, & prædicationem operum eius,deinde & patrum priorum memoriam faciens,illorum fortia facta & laudes describit, postremùm gratiarum actione & commemoratione eorum quæ ad se pertinebãt, librum hunc aptè concludens. Proinde in hac præscripta sententia parum conuenit coniunctio illatiua,igitur,pro qua in Græcis quibusdam est δὲ, autem,in aliis est, δὴ, hoc est, sane, iam ; & est particula μεταβατικὴ, qua post quædam commemorata, transitur ad alia commemoranda. Notant autem Latinæ linguæ obseruatores, cõiunctionem, igitur, non semper esse illatiuam,sed poni aliquando pro, inde, aut postea, vt cùm Plautus in Amphitr. Sin aliter sient animati,neque dẽt quæ petant, sese igitur summa vi virisque eorum oppidum expugnascere. Sic ergo & hic accipi debet coniunctio, igitur, cùm ex præcedentibus hic non fiat illatio, sed transitio ad alia: vt sit sensus: Cum hactenus de operibus hominũ disseruerimus, iam deinde memor ero operum Domini. Porro illa pars, in sermonibus Domini opera eius, dupliciter distingui potest. Quidam eim eam coniungunt præcedentibus in hunc modum: annunciabo quæ vidi in sermonibus Domini opera eius, hoc est, prædicabo ea opera Domini quæ ego vidi in sermonibus eius, descripta scilicet in Genesi, & aliis libris sacris. aut, Annunciabo non tam meis quàm Domini sermonibus ea opera Domini quæ vidi & obseruaui. Alij hanc partem seorsum accipiunt, & separatam à præcedẽtibus,vt sit principium narrationis,& sit sensus: Opera Domini substiterunt in sermonibus & verbis ipsius nempe quia ipse dixit,& facta sunt:ipse mandauit, & creata sunt. Sic Rabanus,& alij quidam.

22 *Sol illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus eius.*

Hanc sententiam intelligunt communiter hic subiectam quasi in commemorandis operibus Dei à sole voluerit incipere Sapiens, quod ille inter omnes creaturas summè sit admirandus. At magis apparet hac significare voluisse vnde opera Domini cognoscantur,quia mox dixit se annunciaturum opera Dei quæ vidit, nempe quia sol lumine suo omnia perfundens facit ea hominibus conspicua,sicque fit vt opus Domini agnoscatur esse plenum gloria & maiestate ipsius.Dicit ergo,Sol omnia illuminans respexit per omnia opera Domini, hoc est, ea veluti collustrat & inspicit qualia sint. Quo significatur,quòd suo respectu & luce super omnia diffusa, facit hominibus opera Domini conspicua.Et dum sic sol omnia collustrat,& aliis cognita facit, deprehenditur tota machina opificij diuini plenum esse gloria Domini,iuxta illud,Pleni sunt cœli & terra gloria tua.Itaque rectè subiicitur:

23 *Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua quæ confirmauit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?*

Sanctos intelligit eos qui sunt de populo Dei, qui vt soli Deum in suis operibus verè cognoscunt,quem etiam gẽtes cognoscere debuissent,sole omnibus opera Dei, eiusque gloriam declarante: ita eis solis datum est enarrare & celebrare mirabilia Dei opera, quæ Dominus omnipotens ita firmiter constituit,vt stabilia sint,semperque perdurent per gloriã potentiæ & maiestatis ipsius. Cæterùm dubitari hic potest, quomodo hic dicatur Dominum fecisse sanctos enarrare omnia mirabilia sua, cum Iob dicat: Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus. At respõdendum est, sanctos omnia enarrare, quia de omnibus generibus quædam enarrant, vt sit distributio pro generibus singulorum, quomodo & Dauid de se dicit: Confitebor tibi Domine in toto corde meo,narrabo omnia mirabilia tua.Sciendum tamen Græca non necessariaccipienda interrogatiuè, vt noster intellexit,sed posse etiam negatiuè accipi, vt significetur nulli sanctorum datum esse enarrare omnia Dei mirabilia, quia nulli datum est omnia quæ Dei sunt cognoscere,sicut Deus omnia quæ hominum sunt exactè cognouit,sicut mox subiicitur.Græcè enim est, οὐκ ἐνεποίησε τοῖς ἁγίοις κύριος, Non fecit in sanctis Deus. Quod etsi quidam post nostrum interpretem interrogatiuè accipiunt,alij tamẽ negatiuè dictum intelligunt.Pro; stabiliri in gloria sua Rabanus in commentario videtur legisse: stabilis in gloria sua: quomodo legit & Dionysius & Lyra. At legendum esse,stabiliri, quomodo & multa scripta habẽt patet ex Græcis,quæ habent,στηριχθῆναι.

24 *Abyssum & cor hominum inuestigauit, & astutiã eorum excogitauit.*

In priori parte Græcis non est, hominum, sed tantum, abyssum & cor, proinde relatiuum,eorum,in secunda parte non uidetur referendum ad hominum, sed ad, abyssum, & cor. Et habent secundam partem Græca clariussic: καὶ ἐν πανουργεύμασιν αὐτῶν διενοήθη, & in astutiis eorum considerauit,hoc est, astuta eorum cõsilia ipse intelligit & considerat. Dubium ergo hic est quid nomine abyssi significetur, cuius astutiam Deus hic cognoscere dicitur.Lyranus diabolum intelligit:Alij profunditatem cordis, vt per abyssum & cor idem intelligatur, & vnum alterũ exponat, ad quæ deinde relatio fiat pluraliter quia nomina, diuersa sunt, etsi res sit eadem. Quidam etiam qui superiorem sententiam negatiuè accipiunt, relatiuum, eorum referunt ad opera Dei, vt significetur. opera Dei quæ homines exactè pernoscere nequeunt,Deum solũ exactè nosse,eorumque subtiles rationes intelligere.Cui intelligentiæ conueniunt quæ sequuntur. Cæterum in nostra lectione, commodè relatiuum,eorum,ad antecedens, hominum, referri potest, & intelligi Deum inuestigare sicut omnem profunditatem, ita & cor hominum, eorumque astutiam,astutasque cogitationes excogitare, hoc est, considerare & animaduertere.

& animaduertere.Cùm ergo in superioribus sententiis Dei maiestas & potentia sit prædicata, hic & in sequentibus celebratur Dei scientia ad omnia pertingens, Vnde subditur.

25 *Cognouit enim dominus omnem scientiam,& inspexit in signum æui,*

26 *Annuntians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt, & reuelans uestigia occultorum.*

27 *Non præterit illum omnis cogitatus, non abscondit se ab eo ullus sermo.*

Pulchrè declarat infinitam esse, & omnia comprehendere Dei scientiam, primùm dicens,Deum nosse omnem scientiam, hoc est, omnia quæ sciuntur, aut quæ sciri possunt. Deinde addens: quòd inspexit in signum æui; quod vt bene intelligatur,obseruandum homines cupidos scientiæ futurorum euentuum,signa illorum euentuum requirere studiosè, & quæ putant illorum esse signa, diligenter obseruare: quæ nisi à Deo fuerint reuelata, fallunt sæpè homines, vt qui vera futurarum rerum signa non cognoscũt. Vnde apud Ieremiam dicitur: A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes quia leges populorum vanæ sunt. De Deo ergo peculiariter dicitur, quòd inspexit in signum æui, vel, vt quædam Græca habent. in signa æui: Quo significatur, illum solum quæ futuri sunt sæculi vsque in perpetuum nosse, vt qui solus futuri sæculi signum inspicere potuit, & antequam quæ futura sunt fiant,videre etiam signa illorum, & proinde neminem illa signa nosse posse, nisi Deo ei reuelante. Tertio de Deo dicitur, quòd ipse annuntiat hominibus quę pręterierunt,quẽadmodum patuit in Moyse, cui Deus reuelauit creationem mundi, & quæ post eam gesta sunt. Item quæ futura sunt quemadmodum patuit in Prophetis. Item puod ipse reuelat vestigia occultorum,hoc est, detegit rationes cognoscendi occulta, indicans qua ratione ad occultorum cognitionem perueniri possit. Per agnitionem enim vestigiorum peruenitur ad rem quæ quæritur. Hac nota reuelationis occultorum, præteritorum,& futurorum, apud Isaiam distinguitur & demonstratur verus Deus à diis gentium, cùm dicitur:Accedant & nuntiẽt nobis quæ ventura sunt, priora quæ fuerunt nuntiate: Annuntiate quæ ventura sunt in futurum,& sciemus quia dij estis vos. Postremùm pro declaranda maiestate scientiæ eius, dicitur, quòd nec aliquis cogitatus illum præterit, nec vllus, sermo, quantũuis scilicet occultè prolatus: sicut & in Sapientia dicitur, quòd cordis Deus scrutator est verus & linguæ auditor, quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia,scientiam habet vocis.

28 *Magnalia sapientiæ suæ decorauit, qui est ante sæculum,& usque in sæculum.*

29 *Neque adiectum est, neque minuitur, & non eget alicuius consilio.*

Redit ad celebrandum opera Dei, quæ vocat magnalia sapientiæ Dei, quia illa magnificè per Dei sapientiam facta sunt.Ea dicit Deum decorasse & ornasse, quia aptissimè ea disposuit in certo numero, pondere & mensura, eisque singulis suum vsum & fructum attribuit. Cuius infinitam sapientiam insinuat, cùm dicit: qui est ante sæculum & vsque in sæculum: vt sicut æternus est & infinitus in essentia, intelligatur etiam infinitus in sapientia. Cuius etiam immutabilitatem & perfectionem describens subiicit: Neque adiectum est ei vnquam aliquid, neque minuitur in eo aliquid, & non eget alicuius consilio ad aliquid prudenter faciendum. Non solùm autem nihil dicitur ei adiectum vel imminutum ratione substantiæ suæ, sed etiam ratione sapientiæ suæ,& item ratione operum eius, quibus nihil ab aliquo addi potest, tanquam imperfectis: nihil auferri tãquam superfluum. Itaque exclamat:

30 *Quàm desiderabilia omnia opera eius, & tanquàm scintilla quæ est considerare.*

Quædam Græca habent, ἕως σπινθῆρος: vsque ad scintillam, est considerare, hoc est, opera Dei digna sunt quæ spectentur & amentur vsque ad minimam scintillam, in qua potentia Dei cerni potest. Alij tamen habent, ὡς σπινθῆρος, tanquam scintillæ. Variãt autem etiam libri nostri, nam quidam habẽt nominatiuum, scintilla, alij accusatiuum, scintillã. Prior lectio conueniẽtior videtur, vt subaudiatur verbum, sunt, in hoc sensu: Admodum desiderabilia sunt omnia opera eius tum propter eorũ in se decorem, tum propter eorum vsum & fructum.& ea opera quę, est, hoc est, quę licet nobis considerare, sunt tanquam scintilla, quia minimam tantùm partem operum Dei cognoscimus, iuxta illud Iob 26. Ecce hęc ex parte dicta sunt viarum eius, & cùm vix paruàm stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Et mox capite sequenti dicit Sapiens, Pauca vidimus operum eius. Si quis accusatiuum, scintillam, velit legere, omittendum esset relatiuum,quæ, quod non est Gręcis, & non videtur legisse Rabanus, si commentarius obseruetur: alioqui dura est sententia, & ordinanda sic: & opera eius sunt quę est considerare tanquam scintillam, hoc est, non licet ea cognoscere, nisi tanquam scintillam.

31 *Omnia hæc uiuunt & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obediunt ei.*

Variis modis celebrat Dei opera, quę sicut commendauit ab eorum pulchritudine,ita nunc ab eorum duratione & obedientia, Tribuit eis viuere, quia in suo esse & vigore persistunt. Manere dicit in sęculum, quia perdurant vel in seipsis, vel in sua saltẽ specie. Obediunt Deo in omni necessitate quia per illa quicquid Deus vult pręstatur ad omnem necessarium vsum. Nam vt dicit psalmista: Omnia seruiunt tibi. *Psal. 118*

32 *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non fecit quicquam deesse.*

HOc versu celebrat varietatem operum Dei, quæ etiam ad ornatum facit. Non enim fecit omnia vniformia & eiusdem generis, sed fecit omnia duplicia, hoc est, paria, & talia quæ habeant aliud cui cõtrarientur. vnde subiicit; vnum contra vnum; quemadmodum & dictum est suprà ca. 33. vbi similis est locus, in quo corruptè legi: Duo contra duo; & legendum esse Duo, duo, vt ibi dictũ est, vel ex hoc loco manifestum est. Omnia autem esse duplicia inter quæ vnum sit cõtra vnum, sic potest ostendi, quia inter creata sunt spiritus & corpus, sunt superna corpora & inferiora, sunt frigida & calida, sunt humida & sicca. Item est verum & falsum, iustum iniustum, sursum deorsum, dextrum sinistrũ, præteritum futurum, & sic de aliis. Hæc autem varietas facit, vt suprà dictum est, ad vniuersi ornatum, & vt vniuscuiusque rei vsus & vtilitas ex opposito suo melius agnoscatur, quia cõtraria iuxta se posita magis elucescunt. In sequenti parte; & non fecit quicquam deesse; pro, deesse, Græcis est, ἐνδεῖσθαι, hoc est, non fecit quicquam deficiẽs & mancũ, quod scilicet non habeat aliquod par cui cõparetur, & cui cõtrarietur. Vnde & nostra litera sic est accipienda: Non fecit quicquam deesse à suo cõtrario, hoc est, habere defectum sui contrarij, sed vnicuique dedit aliquid ei oppositum, vnde melius agnoscatur. Vnde & subditur:

33 *Vniuscuiusque confirmauit bona, & quis satiabitur videns gloriam eius?*

LEgendum esse per præteritum, confirmauit, vt correctiora scripta habẽt, non per futurum, confirmauit, patet ex Græcis, quæ habent, ἐστερέωσε. Pro vniuscuiusque, habent ἑνὸς ἑκάστου, Vnum vnius. Adhuc enim sermo est de duplicibus, quorum vnum est cõtra vnum, de quibus dicit quòd vnum confirmat alterius bona, quia vtilitatem vniuscuiusque cõtrarium ipsius declarat & comprobat; proinde & nostra lectio sic est accipienda, vt significetur quòd Deus confirmauit bona vniuscuiusq; rei per prædictam superiori versu rationẽ, nempe quia omnia fecit duplicia, & vnicuique dedit suum contrarium. Cæterùm cùm variis modis celebrauerit in genere Dei opera, tandem exclamat: Et quis satiari poterit, videns gloriam & excellentiam Dei relucentem tam variè in creaturis? significans gloriam Dei in eis relucentem tantam esse, vt nemo sit qui eam contemplando sic saturetur, vt non amplius & perfectius eam contemplari desideret, ita vt nunquam eius desiderio sit plenè satisfactũ. Dicit quidem Propheta: Satiabor cùm
Psal. 16. apparuerit gloria tua. At loquitur de cõspecta gloria Dei in seipsa, cùm scilicet Deus videtur sicuti est. Sic enim conspectu Dei gloria affert satietatem, quia facit vt nihil amplius homo desideret. Hic verò sermo est de visione gloriæ Dei quæ hic percipitur, in creaturis veluti in speculo relucens quæ visio hic nõ ita saturat vt desiderio plenè satisfaciat, cùm perfectior semper cognitio excellentiæ Dei quæratur, & potissimum ea quæ in futura vita percipietur, cùm videbitur etiam in seipsa.

Caput XLIII.

1 *Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius est, species cœli in visione gloriæ.*

COepit superiori capite celebrare Dei opera in genere, nunc speciatim ea commemorat, describens particulatim eius opera, maximè quæ in superioribus & in aquis sunt conspicua. Vt autem hic primus versus rectè intelligatur, notandum Græca priorem partem sic habere; μεγαλαυχεῖ ὕψος στερεώματι καθαρότητος, superbiat (vel gloriat) altitudinis est firmamentum puritatis. Primum enim celebrat opus Dei secundo die factum, quod scriptura vocat firmamentum diuidens aquas ab aquis, æthera scilicet & cœlum: quod cùm sit simplicissimum, & purissimum ab omni tali admixtione quæ cernitur in aqua & terra, vocat firmamentum puritatis, hoc est, purum & simplex. Hoc dicit esse gloriã altitudinis, quia altitudo machinæ huius mundi de hõc tam vasto & pulchro corpore gloriari potest, quia illo ornatur. Similem sensum habebit nostra lectio, si genitiuus, altitudinis, non construatur cum firmamentum, sed cùm substãtiuo, pulchritudo, vt relatiuum, eius, ex phrasi Hebraica redundet, sicut cùm dicitur: Dominus in cœlo sedes eius, pro, Domini sedes est. Itaque sic erit oratio distinguenda, vt post, altitudinis, fiat paruus punctus, ac deinde sequatur, firmamentum pulchritudo eius est, hoc est, firmamẽtum est pulchritudo ipsius altitudinis, quia ipsam altitudinem exornat. Sic & secunda pars similiter rectè accipitur in hoc sensu, vt per appositionem, species cœli iungatur cum firmamentum, vt sit sensus: firmamentum, hoc est, species cœli, in visione gloriæ, hoc est, habẽs aspectum gloriosum & præclarum, hæc, inquam, species & forma cœli, est pulchritudo & gloria altitudinis.

2 *Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile opus excelsi.*

3 *In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?*

SOlis encomium celebrat, extollens illum ab opificij magnitudine, à caloris efficacia, à luminis excellentia, à cursus celeritate, quemadmodũ & Dauid. Psal. 18. quẽ hic imitatus videtur Sapiens. Sol, inquit in aspectu, hoc est, cùm incipit nobis apparere, annuncians, lucem scilicet aut gloriam Dei (quemadmodum dicitur Psal. 18. de cælis) in exitu, hoc est, in ortu suo, (est enim hic eadẽ dictio quæ Psalm. prædicto) cùm legimus:

A summo cœlo egressio eius; vt ne quis per exitũ intelligat solis occasum.) Sol, inquam, iste existens vas admirabile, hoc est, instrumentum mirabile, (Hebræa enim phrasi vas dicitur omne instrumentum, & quoduis opus cuius est vsus) opus excelsi, hoc est, opus quod nõ potuit fieri nisi ab eo qui Altissimus est, & super omnia. Et hactenus quidem adhuc pendet sententia, quæ absoluitur cùm sequitur; In meridiano, scilicet tempore, exurit terram suo calore, adeo vt coram illo nemo possit sustinere, hoc est, subsistere. Sic enim hic verbum, sustinere,
Psal. 147 positum est, sicut & cùm dicitur: Ante faciem frigoris eius quis sustinebit? &: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis
Psal. 129 sustinebit? Quibus locis est idem Græcis verbum, quod hoc loco, ὑποφέσεται. Significatur ergo calorem solis tantum esse, vt eum homines ægrè ferant. Eundem magis extollit, cùm subiicit:

4 *Fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes.*

GErmanica æditio habet, vt noster legit, φυλάσσων, custodiens. Alij legunt φυσῶν, hoc est, inflans. sed sensus eõdem redit, quia custodire fornacem, est eum continuis sufflationibus & materiæ subministratione fouere, & accensum seruare. Videtur autem omnino in hac sententia satis obscura, comparatio esse solis cum eo qui fornacem accendit & fouet, vt hic sit sensus: Est aliquis qui inflat fornacen, cúmque fouet pro conficiendis operibus quæ æstu & ardore fiunt. At sol tripliciter, hoc est, triplo magis exurit montes, hoc est, solis in calore efficacia longè excedit quemuis accensum caminum, cùm totos montes exurat, quos suis radiis primùm attingit & verberat.

5 *Radios igneos exufflans, & refulgens radijs suis, obcæcat oculos.*

SIcut calorem eius extulit, ita nũc & eius claritatem, ostẽdens etiam hanc tantam esse, sicut & calor eius hominibus est intolerabilis, ita & eius claritas, si quis in eam oculos defigere tentet, quia sua excellenti claritate obcæcat oculos in ipsum defixos.

6 *Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus eius festinauit iter.*

NEcesse est, inquit, magnũ esse illum qui solem, corpus tam magnum, tantæque & in calefaciendo & in illuminando efficaciæ fecit. Per cuius etiam sermones, iússum & ordinationem ita festinat iter suum, hoc est, cum ea festinatione perficit iter suum, vt singulis diebus immensum gyrum cœli circumeat, & totũ orbem ambiat. hoc est quod
Psal. 18. & Dauid in sole celebrat, dicẽs: Exultauit vt gigas ad currendam viam.

7 *Et luna in omnibus in tempore suo, ostenso temporis, & signum æui.*

QVædam Græca habent, καὶ σελήνην ἐποίησεν ἐν φάσει, Et lunam fecit ad statum. Germanica tamen æditio habet, vt noster legit, καὶ ἡ σελήνη ἐν πάσῃ, & luna in omnibus. Ostendit post solem etiam lunæ vsum & miracula. Post solem, inquit, etiã luna in omnibus, hoc est, apud omnes gentes, vel potius in omnibus suis mutationibus quę ei accidũt in tempore suo, est ostensio temporis, & signũ æui, hoc est, temporis. Significat enim mensium exordia, & partes eorum sequẽtes, quia singulis mensibus suum circulum absoluit. Sol quidem etiam ostendit tempus, quia suo discessu ostendit Æstatem, Hyemem, Ver & Autumnum, & circulo suo absoluto ostendit annum esse absolutum. At peculiariter lunæ tribuitur quòd sit ostensio temporis, quia celerius sæpius & distinctius ex varia lunæ mutatione, temporis frequens & continua percipitur mutatio.

8 *A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione.*

APud omnes luna sua mutatione mensis tempora ostendit, apud Iudæos verò peculiariter à luna desumitur etiam signum celebrandi diei festi: quia ab ea pendet Festum Neomeniæ, quod in nouilunio semper celebrãdum fuit. Festum item Paschæ, quod primo quoque mense decimaquarta luna celebrandum fuit, à quo & alia festa computanda erant. Hanc dicit esse luminare, non tamen tale quale sol semper permanens in eodem statu, sed quod minuitur in consummatione, hoc est, assiduè deficit in lumine, postquàm fuit in consummatione, hoc est, in plenilunio.

9 *Mensis secundùm nomen eius est, crescens mirabiliter in consummationem.*

MEnsis secundùm nomen eius esse dicitur, quia mensis ab ea nomen accepit. quod maximè verum est iuxta linguam Hebræam & Græcam. Nam in lingua Hebræa nomen יָרֵחַ Iareah & lunam & mensem significat, qui sic appellatur, quod mensum suo motu luna conficiat. In Græca lingua, cùm luna dicatur, μήνη, mensis dicitur μείς. At in lingua Latina, mensis nomen à metiendo dicitur, iuxta Ciceronem, qui libro 2. de natura Deorum, sic habet: Qui quia menses spatia conficiunt, menses nominantur. Macrobius tamen à Græco μήνη, hoc est, luna, Latinum nomen, mensis, deriuatum scribit, quòd luna suo curriculo mensem conficiat. Itaque & in lingua Latina verum erit quod hic dicitur, quòd mensis nomen suum habet à luna, prout vocatur in lingua Græca. Verùm huc confugere non est necesse, cùm in Latina lingua author iste non scripserit, sed Hebræa vel Græca: & quod ad linguam Græcam pertinet, dubium est an apud Græcos nomen mensis, μείς sit, deriuatum à nomine lunæ, μήνη, an potius nomen lunæ à nomine mensis, μήνη, scilicet à μείς. Quod si verum est, vt est magis probabile,

cum hic dicitur mensem nomen suum accepisse à luna, respectus habitus est potissimum ad linguam Hebream. Sicut autem superiori sententia dixit lunam minui in consummatione, hoc est postquam habuit suum perfectum lumen: ita nunc dicit quòd crescit mirabiliter in lumine vsque in consummationem, hoc est, vsquequo perueniat ad perfectum suum lumen, quod fit in plenilunio. Multi enim libri hic legunt per accusatiuum, in consummationem. Porrò intelligi etiam potest dictum esse quod mensa est secundùm nomen lunæ, non quia mensis nomen accipit à luna per nominis derivationem, sed quia cùm noua est luna, tunc etiam dicitur nouus esse mensis. vnde & ab huiusmodi nouatione lunæ, mensis apud Hebræos aliud etiam habet nomen, ei magis cómune, vt dicatur חדש Hodesech, quod nomen derivatur à verbo quod renouare significat. Atque huc magis authorem respexisse apparet, quia mox subiicit crescens mirabiliter, post nouationem scilicet, & noui mensis initium. Sicut & in superiori sententia, cùm dicit, A luna signũ diei festi, respexisse videtur ad festum paschæ solùm, quod omnium festorum præcipuum erat, vnde subiicit de decremento lunæ quod sequitur plenilunium, in quo pascha celebrandum erat.

10 *Vas castrorum in excelsis, in firmamentum cœli resplendens glorioſe.*

ETiam hic versus communiter tribuitur lunæ, vt sicut sol superius dictus est vas mirabile, ita etiam hic luna dicatur vas castrorum, hoc est, præclarum instrumentum Dei inter astra, quæ Dei castra & militia cœli in scripturis sæpe dicuntur. Cui sensui cõuenit adiectiuum, glorioſa, quod in fine quidam libri habent, & lunæ tribuitur etiam à Rabano. At correctiores libri aut habent adverbium, gloriosè, aut nec, glorioſa, nec, gloriosè, sicut nec Græci habent. Et melius hic versus accipitur dictus de ipsis astris, quorum excellentiam posit solem & lunam hic iam Sapiens prosequitur, appellans vas castrorum, totum illum qui in cœlis videtur astrorum apparatum, instar castrorum pulchrè ordinatum & dispositum: vnde & militia cœli dicitur, & exercitus Dei, quo Deus ad iussa sua cõpleda vtitur. Est enim Græcis, στρατὸς παρεμβολῆς, quod rectè verti potest. Apparatus, instructio vel armatura castrorum. A στρατὸς enim, quod vas significat & quæuis arma, deriuatur verbum στρατεύω, quod est paro & instruo. Dicit ergo, post solem & lunam esse etiam in excelsis insigne vas castrorum, hoc est, veluti apparatum militarem, resplẽdentem in firmamento cœli, qui & ipse mirabiliter Dei gloriam declarat.

11 *Species cœli gloria ſtellarum, mundum illuminans in excelſis Dominus.*

GLoria, inquit, hoc est, claritas & excellentia stellarum, ipsa est species, hoc est, pulchritudo cœli. Græcè enim est pro, species, κάλλος. Ipsa namque stellarum claritas mirè sua varietate exornat cœlum. Per hanc Dominus in excelsis habitans, est illuminans totum mundum. Potius tamen vertendus erat genitiuus, Domini, vt significetur gloriam stellarum illuminare mundum in excelsis locis Domini. Genitiuum enim κυρίου, habent Græca, quem & verisimile est vertisse interpretem. Nec est Græcis; mundum illuminãs; sed κόσμος φωτίζων, hoc est, ornatus illuminans, quia in nominatiuo ponitur, κόσμος, non hic mundum significans, sed ornatum.

12 *In verbis ſancti ſtabunt ad iudicium, & non deficient in vigilijs ſuis.*

QVoniam iuxta scripturæ morem astrorum multitudinem vocauit apparatum militarem, pulchrè de eis hoc versu loquitur tanquam de militibus qui ad iussum sui imperatoris semper stant parati, custodias & vigilias sibi deputatas accuratè seruãtes, graviter puniendi & reprehendendi si ab ordine sibi constituto deficiant, quales Græcis dicuntur λιποτάξιαι, hoc est, ordinis desertores. Dicit ergo; In verbis sancti; hoc est, iuxta præceptum Domini stabunt ad iudiciũ eius, hoc est, ad exequendum eius sententiam & voluntatem mox aderunt stellæ singulæ suo tempore & ordine procedentes, & munus sibi à Deo attributum tuentes; & non deficient in vigiliis suis, hoc est, non fatigabuntur in officiis sibi veluti vigiliis delegatis. Sunt qui legunt cum Rabano; & non exardescent, sicut & Græca quædam habent, ἐκπαφῶσιν, vt significetur astra labore nimio non ita fatigari vt impatientia inardescãt & turbentur, sed magis cõuenit verbum quod alij legunt in Græcis ἐκλυῶσιν, hoc est, nõ dissoluuntur, quia non fatigãtur sic vt ordinem suum deserant. Sic in variis locis de stellis scripturæ loquuntur tanquam militibus Dei iussa exequentibus, vt in libro Iudicum 5. Stellæ manentes in cursu & ordine suo contra Sisaram dimicauerũt. Et in Baruch 3. cap. Stellæ lumen dederunt in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas. Quidam legunt; In verbis sanctis; sicut & Germanica æditio habet ἁγίοις, sed magis conuenit quod plures habent; In verbis sancti, scilicet Dei, sicut & plura Græca habent; ἁγίῳ. Pro; iudicium, Græcè est κατὰ κρίμα, quod tamen etiam legitur per vnicam dictionem κατάκρισιν, pro continuò & statim, vt sit sensus: cùm Dominus iubet, mox stant parata astra.

13 *Vidi arcum. & benedic eum qui fecit illum; valde ſpecioſus eſt in decore ſuo.*

14 *Gyrauit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ; manus excelſi aperuerunt illum.*

QVinto loco proponit ad gloriam & laudem Dei considerandum arcum cœlestem, hoc est, itidem, qui arcus intensi habet similitudinem, in quo considerari vult & pulchritudinem quæ in ipso est ob colorum miram varietatem, & curuaturam qua cœlum ambit ab vna parte vsque ad aliam. Non explicat naturalem eius causam quam curiosè physici inquisierunt, sed tãtùm monet vt per ea quæ in iride videntur admiranda, assurgatur in cognitionẽ, admirationem, & laudem Dei, quem simpliciter omnium causam & authorem agnoscere debemus. Atque si in hunc modum occuparemur in creaturarum consideratione, vt omnia in Deum referantur, longè maiorem fructum ex eis perciperemus, quàm cùm curiosè admodum inquiruntur omnium causæ naturales: quanquam id etiam non malè fiat, modò in ea inquisitione modus seruetur, nec in causis naturalibus quiescatur, sed per eas in Deũ ascẽdatur, qui per eas operatur: quo non cooperante nihil possunt, qui & eas variis modis impedire potest, & contra cognitionem quæ de eis habetur aliter operari. Dicit ergo: vide oculis & corporis & mentis arcum cœlestem, & videns illum, ne in illo quiescas, sed benedic eum qui fecit illum. Est enim speciosus valde in decore & ornatu illo suo quem habet ex colorum varietate & splendore. Deinde & hoc in eo est mirabile, quòd giret & ambiat cœlum per circuitum suum glorioſum, extendens se ab vna cœli parte vsque ad aliam. Hunc sanè arcum manus hominis non possunt expãdere & intendere, sicut arcus suos, planè ad hunc arcum pueriles, sed manus excelsi aperuerunt illum, hoc est, extenderunt illum, quia Græcè, est, ἐτάνυσαν.

15 *Imperio ſuo accelerauit niuem, & accelerat coruſcationes iudicij ſui.*

PRoponit ẽtiam consideranda & alia μετεώρα, quæ cùm varia admodum sint, & supra omnem hominum potestatem, imò & supra certam & euidentem humanam cognitionem, Dei gloriam magnificè commendant & prædicant: vnde ab eis Psalmista etiam Dei magnitudinem aliquoties ostendit, vt Psal. 147. vbi similia his quæ hic dicuntur, habentur: Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo eius. Qui dat niuem sicut lanam, &c. Dicit ergo quòd Deus suo imperio, hoc est, voluntate accelerauit niuem, hoc est, celeriter & præter hominum expectationem facit adesse niuem, & similiter celeriter facit adesse coruscationes iudicij sui, hoc est, quæ pro iudicio & arbitrio suo producit, non indigens tempore aliquo ad illa cùm vult efficienda, nec alieno iudicio aut adiutorio. Potest etiam intelligi coruscationes dici iudicij diuini, quia illis, dum punire vult impios Deus, terret illos, & iusta sua in illos iudicia exercet.

16 *Propterea aperti ſunt theſauri, & euolauerunt nebulæ ſicut aues.*

PRopterea, inquit, hoc est, quia Deus imperat, & iudicat sic faciendum, thesauri aperiuntur, eísque apertis, euolant per aera nebulæ & nubes sicut aues. Thesauros vocat veluti cellas & secreta reconditoria omnium quæ è cœlo in terras à Deo emittũtur, non quòd illa nostro more in aliquibus locis apud Deum reposita seruãtur, sed quòd illa Deus in sua voluntate & potestate apud se supra captum humanum parata habeat: quomodo habet homo in thesauris & cellis suis recondita aliqua secretò, quæ cùm vult inde depromit & profert. vnde non malè dixerit quispiam, thesauros, de quibus hic dicitur, secretam esse Dei voluntatem potentiam & iudicium. De his thesauris dicitur in Psal. 134. Qui producit ventos de thesauris suis. & in Iob 38. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, in diem pugnę & belli? Aperiuntur ergo harũ rerum thesauri, cùm Deus hæc ex secreta sua ordinatione producere incipit. Id cùm facit, primùm volare incipiunt in aere per minutas partes nubes instar auium. Deinde sequuntur quæ subiicit:

17 *In magnitudine ſua poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis.*

PRo, posuit, est ἴσχυσε φησὶν, hoc est, corroborauit nubes. Itaque significatur, quòd cùm prius nubes volant instar auium, deinde Dei potentia nubes corroborantur & cõdensantur, quibus condensatis ex eis grando instar lapidum confractorum validè descẽdit. Sensus ergo nostræ lectionis est: Deus per magnitudinem potẽtiæ suæ nubes prius volantes ponit & consistere facit, condensando eas, & tunc cõfringuntur lapides grãdinis, quia ex nube densa & in minutas partes diuisa descendit grando instar confractorum lapidum. Quæ enim hic per præteritum dicuntur, per præsens sunt explicanda, vt intelligatur Deum non solùm olim ita fecisse, sed subinde sic cùm vult facere.

18 *In conſpectu eius commouebuntur montes, & in voluntate eius aſpirauit Notus.*

PRo; in conspectu eius; est ἐν ὀπτασίᾳ αὐτοῦ, in aspectu eius, hoc est, cùm eos Deus aspexerit. Proinde hic; in cõspectu eius; non accipitur pro, coram illo, sed sicut eadem oratio accipitur suprà cap. 16. vbi idem dicitur. Itaque sensus est: Per solum aspectum illius commouentur montes, terræmotu scilicet, iuxta illud: Qui respicit terram, & facit eam tremere. Cúmq; hac ratione homines multùm perterrefaciat, rursum ad voluntatem eius aspirat australis ventus, hominibus gratus & iucundus. *Pſal. 103*

19 *Vox tonitrui eius uerberauit terram, tempeſtas Aquilonis, & congregatio ſpiritus.*

PRo, verberauit, Græcè est, ὁ Αἰνησε. hoc est, partũrire fecit terram, hoc est, ita commouit

mouit quaſi partum cum terrore & quaſi dolore muliebri eſſent æditura. Eſt enim elegantiſſima deſcriptio terroris ex tonitru allati, apta ſimilitudine conficta. In qua imitatio eſt eius quod iuxta Hæbraicam veritatem dicitur Pſal. 28. Vox Domini parturire facit deſertum, parturire facit Dominus deſertum Cades, Vox Domini parturire facit ceruas. Cæterùm ſicut Septuaginta illo loco ſenſum potius quàm verba reddentes, rectè verterunt; Vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertũ Cades, terrore ſcilicet incuſſo per tonitru feris deſertum inhabitantibus: ita & hic non malè vertit interpres, verberauit terram, hoc eſt, concuſſit timore homines & animalia quæ terram incolunt. Inter omnia enim μετώρα, maximè perterrefacit homines, & ſuo ſonitu verberat corda hominum ipſum tonitru, quod in ſcripturis ſæpe Vox Domini dicitur, à quo & gentes ſuum Iouem, tonantem dixerũt, ſicut & à tonitru ſuum nomen adhuc retinet apud Germanos. Mirũ quid ſecutus Rabanus legit; Vox tonitrui eius exprobrabit terram. Ipſi tonitruo additur tempeſtas. Aquilonaris venti, qui omnium eſt tempeſtuoſiſſimus, & congregatio ſpiritus, hoc eſt, venti, per quod ſignificatur turbo venti, cùm ventus ex variis partibus in ſe congregatur, & in vertices colligitur. Græcè enim eſt συςροφὴ πνεύματ☉, hoc eſt, vortex venti. Huiuſmodi autem ventus, ſicut & tempeſtas Aquilonaris, etiam perterrefacit terrã, quia valde hominibus noxius. Quoniam autem tempeſtas Aquilonaris niuem adferre ſolet, rurſum de ea ſubiungitur.

20 *Et ſicut auis deponens ad ſedendum aſpergit niuem, & ſicut locuſta demergens, deſcenſus eius.*

COniunctionẽ, &, ſicut non habent Græca in principio, ita ne ſcripta quædam, proinde eam expedit omittere. Pro, aſpergit vnus codex habuit, diſpergit, quod magis conuenit & ſenſui & Græcæ dictioni πάσσει, ſpargit. Pro, deponens ad ſedendum; Græcè eſt καθιπ]αμένα, hoc eſt, deuolãtia. Itaque ſenſus eſt; Flãte Aquilone Deus ſpargit niuem in terra, ita vt ſit ſicut auis deponens ſe ex alto ad ſedendum infrà, hoc eſt, vt habent Græca, deuolans ex alto in terram, & deſcẽſus ipſius niuis eſt ſicut locuſta demergens ſe in terram & conſidens. Sicut autem nomen, locuſtæ, collectiuè accipitur pro locuſtarum agmine & multitudine: ita & nomen, auis: cõuenit accipere collectiuè pro auium agmine ſimul volante & deuolante in terrã. Græcè enim eſt; ſicut aues deuolantes. Auiũ namque & locuſtarum dẽſis agminibus deſcendentium, demonſtrare voluit copiam & denſitatem niuis ex aere cadentis.

21 *Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus, & ſuper imbrem eius expauеſcit cor.*

DVo in niue conſideranda proponit, cãdorem quam oculus admiratur, quia omnem alium cãdorem excedit; & copiam quam nomine, imbris, ſignificat, quia inſtar pluuiæ deſcendit copioſè. Hanc ob eius frigus & incommoda quædam quæ adfert expaueſcit cor. Poteſt etiam per imbrem niuis intelligi aqua in qua nix ſæpe ſubitò reſoluitur, torrentes efficiens cum impetu vaſtantes agros, & quicquid occurrit rapientes.

22 *Gelu ſicut ſalem effundit ſuper terram, & dum gelauerit, fiet tanquam cacumina tribuli.*

GElu hic accipitur pro pruina, quæ eſt ros congelatus, quia Græcis eſt πάχνην, hoc eſt, pruinam. Hæc enim inſtar ſalis à Deo effunditur ſuper terram, quia & ſpecie & partium paruitate ſalis ſpeciem repreſentat. Pro, gelauerit, perperam legitur, flauerit, quomodo & Rabanus habet, & Lyra cum Dionyſio, quia Græcè eſt παγεῖσα, hoc eſt, cùm conglaciata fuerit, pruina ſcilicet. Pro, cacumina, legunt quidam cum Rabano, acumina, & bene conueniret ſenſui, vt ſignificetur pruinam herbis adhærentem ſimilem eſſe aſperitati & acumini tribulorum: verùm legendum eſſe potius, cacumina, dictio Græca ἄκρα indicat, quæ verticem & cacumen ſignificat. Senſus tamen eòdem redit. Significatur enim quòd dum pruina congelata fuerit, adhærẽs herbis & aliis rebus fit aſpera, & veluti ſpinoſa, ſicut cacumina & ſummitates tribuli.

22 *Frigidus uentus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua.*

DE glacie hic agit, quæ Græco nomine cryſtallus dicitur. Hanc dicit generari frigido vẽto Aquilone flante per quam glacies gelat, hoc eſt, condenſatur ab aqua, ſicut & in Iob cap. 38. dicitur: Flante Deo concreſcit gelu.

23 *Super omnem cõgregationem aquarum requieſcat, & ſicut lorica induet ſe aquis.*

24 *Et deuorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet uiride ſicut igne.*

PVlchrè effectus glaciei deſcribit, dum dicit eam requieſcere, & vim obtinere ſuper omnem aquarum collectionẽ, ipſámque ſe aquis, concretis ſcilicet & congelatis, induere tanquam lorica. Pro quo elegantius Græcè dicitur; καὶ ὡς θώρακα ἐνδύσεται τὸ ὕδωρ, & tanquã thoracem vel loricam induet aquas: quo rectè intelligi poteſt ſignificari quòd glacies efficiat vt aquæ veluti loricam indutam habeãt, non autem vt ipſa glacies aquas induat pro thorace, vt potius vertẽdum fuerit; & tanquã lorica induet aquas. Facit enim glacies vt aquę, fluxum alioqui elementum, munitæ ſint, ſicut corpus humanum, lorica. Eadem etiam deuorat montes, quia omnem eorũ viriditatem depaſcitur, & gramina eorum arefacit, & ſimiliter exurit deſertũ, quia eius virentia conſumit; & extinguit viride, hoc eſt, herbam, ſicut ſi igne eam conſumeret. Habent quidam libri communiter, ſicut ignem, verùm ſenſui & Græcè lectioni magis conuenit; ſicut igne; quomodo & Rabanus

nus legit, & quędã ſcripta nominatim vnum Tongerlenſe. Græca verti poſſunt; extinguet herbam ſicut ignis. At quomodo glacies extinguit herbam ſicut ignem; niſi intelligatur ita extinguere herbam, ſicut ſua frigiditate & humore extinguit ignem.

25 *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ, & ros obuians ab ardore uenienti humilem efficiet eum.*

OMnium, inquit, eorũ incommodorum quæ gelu adfert, medicina & curatio eſt, ſi feſtinanter adueniat nebula, quæ flante auſtro aſcendere ſolet, terrámque humectat, & glaciem diſſoluit. Aut potius dictio, nebulæ in nominatiuo accipi debet, ſi Græca reſpiciamus, vt ſit ſenſus: Nebulæ ſunt omnium horum medicina in feſtinatione, hoc eſt, ſubitò ea mala curant & tollunt. In ſequenti parte Græca clariorem habent ſenſum, δρόσ☉ ἀπαντῶσα ἀπὸ καύσων☉ ἱλαρώσει, Ros obuians à calore hilarabit. Quo ſignificatur quòd ros excitatus à calore, occurrens glaciei lætitia afficiet terram. Apud nos duplex eſt lectio. Nam quidam legunt cum Rabano; Ros obuians ardori venienti humilem efficiet eum. Et tunc eſt ſenſus facilis, ſed propoſito non cõueniens, ſcilicet quòd ros occurrens ardori & calori diurno, temperat illum calorem. At Græca docent magis legendum; ab ardore; vt multi etiam libri habent. Iuxta quam lectionem vt commodus habeatur ſenſus, & propoſito conueniens, relatiuum, eum, referendum eſt ad cryſtallum, vt ſit ſenſus: Et ros excitatus ab ardore vel calore ſuperueniente poſt frigiditatem, obuians ipſi cryſtallo & glaciei, efficiet eum humilem, quia eius vim diſſoluet, & in aquas reſoluet. Sic enim noſtra lectio conuenit in ſenſu cum originali lingua, & oſtenditur medicina eorum incommodorum quæ à glacie proueniunt: Idque ſic proponitur, vt ſignificetur admirandam eſſe hanc medicinam, dum dicitur quòd ros res tam exigua, cryſtallum rem tam duram, & qua aquæ tanquam lorica induuntur, vincit, humiliat, & quaſi expugnat.

26 *In ſermone eius ſiluit uentus, & cogitatione ſua placauit abyſſum, & plantauit illum Dominus Ieſus.*

VIderi poſſet hic Sapiens loqui prophetìcè, de his quæ Saluator in carne geſſit, dum imperauit vento & mari, & facta eſt tranquillitas magna, quia hic exprimitur nomen proprium Saluatoris. At notandum, in Græcis non eſſe primam illam partem, In ſermone eius ſiluit ventus, & pro; plantauit illum Dominus Ieſus; eſſe ſic, ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους, & plãtauit in ea, (nempe abyſſo & mari) inſulas. Interpres autẽ noſter vitioſo deceptus exemplari, legit pro, νήσους, nomẽ Saluatoris, valde ſimile ei dictioni Ἰησοῦς. Lyra & Dionyſius ſatis aduertentes authorem hũc non loqui hic de miraculis per Saluatorem in carne peractis, ſed de operibus Dei quæ in natura fiunt, ſicut in ſuperioribus, nomen Ieſus ad totam Trinitatem referunt, quia ipſa verè Ieſus, hoc eſt, Saluator, ſicut, & in Abacuc accipitur nomen Ieſus cùm dicitur: *Abac. 3.*
exultabo in Deo Ieſu meo; hoc eſt, Saluatore meo. Rabanus intelligit opera naturæ hic tribui Ieſu Domino noſtro, quia ipſe eſt author omnium rerum, per quem facta ſunt omnia, & aſſiduè fiunt. Porro quò noſtra lectio magis accedat Græcę, rectè intellexerimus Dominum plantaſſe abyſſum, quia illi variis locis inſulas inſeruit: quomodo plantare dicimus hortum, cùm illi multas arbores inſerimus, vt cùm dicitur Gene. 2. Plantauerat Dominus Deus hortum voluptatis à principio. Alioqui Dominum plãtaſſe abyſſum, noſtri intelligũt, quia eum in vno loco firmiter collocauit, dicens: Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum. Quod dicitur, In ſermone eius ſiluit ventus, & cogitatione ſua placauit abyſſum; clarum habet ſenſum, quia cùm iubet Deus, ſtatim quieſcit ventus: & cùm vel tantùm cogitat & vult, placat abyſſum, hoc eſt, peccatum & tranquillum facit, quemadmodum ipſo facto Saluator in carne declarauit.

27 *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius, & audientes auribus noſtris admiramur.*

RAbanus legit, periculum, quomodo & Græca habent & quædam ſcripta. Legit etiam non futurũ, admirabimur, ſed præſens admiramur, ſicut Græca habent & ſcripta quædam. Proponit Sapiens etiam mirabilia quæ in mari obſeruantur cõſideranda: & primum proponit conſideranda pericula, quæ ſi non viſu, ſaltem auditu ab aliis percipiuntur cum ſumma admiratione, quæ propheta regius pulchrè depingit, dicens:
Qui deſcendunt mare in nauibus facientes *Pſa. 106*
operationem in aquis multis, Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo, &c.

28 *Illic præclara opera & admirabilia: uaria beſtiarum genera, & omnium pecorum, & creatura beluarum.*

PRoponit ſecundò in mari conſideranda admiranda Dei opera, nempe & quòd ibi ſint admodum varia piſcium genera, qui beſtiæ vocantur ac pecora, nominibus his abuſiuis poſitis pro animãtibus, & quòd ibi ſint belluæ incredibilis magnitudinis, cete ſcilicet grandia quæ noſter ſignificat per creaturam beluarum, pro quo Græcè eſt κτίσις κητῶν, creatio vel natura cetorum. Hæc duo, nempe & varietatem & magnitudinem marinorum animantium, admirando deſcri
bit etiam Pſalmiſta, dicens: Illic reptilia quo *Pſal. 103*
rum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.

29 *Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis, & in ſermone eius compoſita ſunt omnia.*

LYra & Dionyſius relatiuum, ipſum, referunt ad, abyſſum, intelligentes ſignificari quòd propter mare reſtringendum conſtitutus eſt firmiter itineris & fluxus eius
finis, iuxta illud: Terminum poſuiſti quem *Pſa. 103*
non

non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. At relatiuum, ipſum, magis referendum eſt ad idem ad quod refertur ſequẽs relatiuum, eius, nempe Dei. Nec habent Græca, propter ipſum, ſed δι' αὐτὸν, per ipſum. Et pro; confirmatus eſt itineris finis; eſt εὐοδοῖ τὸ τέλος αὐτῶν, hoc eſt, per ipſum proſperatur finis ipſorum. Itaque poſt commemorata ſpeciatim mirabilia animaduertenda in variis operibus Dei cœleſtibus & marinis, concludendo dicit in genere, quod per ipſum Dominum omnia hæc opera fœlicem conſequuntur finem, & ab eo qui ea creat etiam dirigũtur & proſperãtur. Proinde & noſtra lectio ſic eſt accipiẽda; Propter ipſum Dominum, quia ſcilicet ita ordinat & vult, finis itineris cuiuſque rei, hoc eſt, ad quem ſingula tendunt, eſt firmiter conſtitutus, quia nulla res eſt quæ non habeat ſuum finem, ad quem quandoque pertingat, ſed omnia Dei volontate in deſtinatũ ſibi finem immobiliter perducuntur, & per ſermonem eius, atque iuſſum & volũtatem omnia ſunt conſtituta, & rectè diſpoſita. Finem ergo facturus cõmemorationis operum Dei, quoniam ad omnia commemoranda non ſufficit, rectè ſubiicit:

30 *Multa dicemus, & deficiemus in uerbis: conſummatio autem ſermonum, ipſe eſt in omnibus.*

ETiamſi, inquit, multa dixerimus pro cõmemorãdis Dei operibus, & gloria eius oſtendenda: tamen deficiemus in verbis, quia nulla eſt copia orationis tanta quæ magnitudinem, multitudinem & varietatem operum Dei pro dignitate exprimere poſſit. Itaque ſuam narrationem Sapiens cõcludit ab impoſſibili, quod genus ad rẽ propoſitã amplificandam plurimùm valet. Sic enim ſignificatur omnem orationem rei magnitudini imparem eſſe. Secundam ſententiæ partem ſic habent Græca; συντέλεια λόγων αὐτός ἐστι τὸ πᾶν, conſummatio verborum ipſe eſt vniuerſum, hoc eſt, ſumma dictorum & dicendorum de operibus Dei eſt hæc: Deus eſt omnia, hoc eſt, omnia ad ipſum referri debent, omnia ei tribuenda, & quòd ſunt, & quòd perdurent, & quod aliquid perficiat, ipſe eſt omnium principium, medium & finis ex quo omnia, per quẽ omnia, & in quo omnia. Ipſe eſt qui in omnibus eſt attendendus. Itaque in noſtra lectione illud; in omnibus; non eſt iungẽdum cum ſequentibus, vt multi diſtinguũt, ſed cum, ipſe eſt, & eſt pũctus faciendus poſt; conſummatio autem ſermonum; vt ſit ſenſus: ſumma omnium, & vt ſummatim dicam, ipſe eſt in omnibus, quomodo & de Chriſto dicitur à Paulo,
Ephes.1. quòd omnia in omnibus adimplet. Cæterùm quanquam omnia Dei opera ſuperius commemorata ex natura ſua & per ſe conſiderata eximiè Dei gloriam nobis commẽdent; tamen quò magis eam nobis commẽdent, in eis etiã conuenit obſeruare id quod quæque ſuis proprietatibus ſpiritualiter deſignant, quod hoc loco diligenter proſecutus eſt Rabanus. Itaque in ſole, Chriſtũ conuenit intelligere. In luna, Eccleſiam, quæ omne ſuum lumen à Chriſto participat, pro varietate temporum creſcens & decreſcẽs. In aſtris, electos variis ſuis virtutibus in hoc mundo fulgentes, tanquam milites Dei, eius iuſſui obſequentes. In niue, cæteriſque huiuſmodi meteoris, quæ terræ grata ſunt & iucunda, cœleſtis gratiæ abundantiam, corda hominum humectantem & recreantem quæ verò dura ſunt & aſpera, diuinas vltiones. In tempeſtatibus maris, perſecutiones contra eccleſiam excitatas, quas ſuo iuſſu Dominus cùm vult ſedat, poſt tempeſtatem tranquillum faciens. Et ſic de ſimilibus. In quibus tamen ſpiritualibus intelligẽtiis proſequendis modus adhibendus eſt, ſic vt nec literalis intelligentia negligatur, quaſi nimis frigida: nec curioſè nimis ſingula quæque myſticè tractentur, ſed ſobriè & generali quadam ratione, obſeruando etiam diligenter ad quid ſignificãdum creaturas Dei ſcriptura adhibere ſoleat.

31 *Gloriantes ad quid ualebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua.*

32 *Terribilis Dominus & magnus uehementer, & mirabilis potentia ipſius.*

IN ſequentibus ſic hortatur ad celebrandum totis viribus Dei magnitudinem, vt tamen perſuaſum eſſe velit, nunquam illam ſatis & pro ſua dignitate celebrari poſſe, vt quæ nec verbis ſufficienter poſſit exprimi, nec intellectũ comprehendi. Pro; gloriantes ad quid valebimus, Græcè eſt, δοξάζοντες ποῦ ἰσχύσομεν hoc eſt, glorificãtes quò valebimus. Eſt enim idem participium quod mox vertitur, glorificantes, & Græca phraſi; quò valebimus glorificantes, dicitur pro, quò valebimus glorificando & laudando Deum. Participium enim pro gerundio ponitur, & ſignificatur parum poſſe præſtare facultatem noſtram in laudando Deum. Itaque & noſtra lectio ſic videtur accipienda: Ad quid, hoc eſt, quouſque nos valebimus gloriando, hoc eſt, gloriam Dei prædicando, hoc eſt, quantum poſſumus in laude eius. Ipſe enim omnipotens eſt ſuper omnia opera ſua, hoc eſt, ea ſuperat, lõge eis maior, & maior quàm ipſa opera eum declarare valent, vnde ex eis non valemus eum ſatis laudare, etiãſi omnia nobis eſſent perſpecta.

33 *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius.*

34 *Benedicentes Dominum exaltate illum quãtum poteſtis, maior enim eſt omni laude.*

PRo his duabus ſententiis ſibi ſimilibus, Græcis vna tantùm eſt ſentẽtia hoc modo: Glorificantes Dominum exaltate quantum poteſtis, excedet enim etiam adhuc. Itaque videtur apud nos ex variis verſionibus coniunctis eadem ſententia repetita, vt & alias. In priori ſententia ſolœciſmus eſt, & eſt participium rurſum poſitum pro gerundio, ita vt ſenſus ſit: Etiamſi glorificetis Dominũ quantùm potueritis, adhuc ſuperualebit, hoc eſt, adhuc non eritis aſſecuti perfectè eius laudẽ, ſed maiori adhuc erit laude dignus. Idem ſignificat & ſequens ſentẽtia.

35 *Exaltantes illum replemini uirtute, ne laboretis, non enim comprehendetis.*

REplemini, poſitum eſt, pro repleamini, & eſt ſenſus: Vos qui exaltatis illum, in hoc faciendo colligite vobis vires, vt in ea re ſtrenui & aſſidui ſitis. Idẽ ſignificat quod ſequitur, ne laboretis, id enim poſitum eſt pro ne defatigamini. Sic enim accipiendũ hic, laborare, quomodo & ſuprà cũ ca. 16. de cœleſtibus corporibus dicitur: Non eſurierunt, neque laborauerunt, neq; deſtiterũt ab operibus ſuis. Ideo autem ſummis viribus & ſine defatigatione vult inſiſtẽdum eſſe laudi diuinæ, quia, inquit, quãtumuis illum laudetis, non comprehẽdetis, hoc eſt, non perfectè laudem eius aſſequemini. Quidam libri habent, non perueniatis; & eſt idem ſenſus: nempe non peruenietis ad finẽ & perfectionem landum ipſius. Rabanus legit; nõ enim habebitis. Dictio Græca ἐφίκησθε, ſignificat aſſequi, vnde meritò præfertur lectio quę habet comprehendetis. Noſtri illud; ne laboretis; ſic ferè intelligunt vt ſignificetur nõ eſſe laborandum pro perfecta Dei cognitione, quia ipſe eſt incomprehenſibilis. At alter ſenſus propoſito magis conuenit, cui & ſequens ſententia bene conuenit, quæ oſtendit cur Deum nemo ſatis laudare & prædicare valeat.

36 *Quis uidit eum & enarrabit? & quis magnificabit eum ſicut ab initio?*

LEgendum eſſe per præteritum, vidit, nõ autem, videbit, & tamen per futura legẽdum, enarrabit & magnificabit, quemadmodum habent multa ſcripta, patet ex Græcis, quæ habẽt ἑώρακεν, idem ſcilicet verbũ quod eſt apud Ioannem idem dicẽtem quod hic dicitur: Deum nemo vidit vnquam. Senſus ergo eſt: Quis hominum hic viuentium vidit vnquam Deum in ſua ſubſtantia, vt ſic enarrare illum aliis plenè poſſit, & perfectè exprimere eius ſubſtantiam: & quis poterit illum magnifacere & extollere ſicut eſt ab initio, hoc eſt, ſicut in ſeipſo ſemper ab æterno ſubſiſtit? Græcis tamen non eſt, ab initio; ſed tantùm, ſicut eſt. Significat ergo Deum, quia non eſt perfectè cognitus, nec viſus ab aliquo, non poſſe etiam ſatis vel exprimi vel extolli.

37 *Multa abſcondita ſunt maiora, his pauca enim uidimus operum eius.*

VEriſſimè dicit multa opera Dei abſcondita eſſe & incognita, quæ etiã ſint maiora & præclariora his iã enarratis Dei operibus. Primùm enim præter hæc commemorata & cognita nobis Dei opera, ſunt creaturæ ſpirituales mentes angelicæ, longè ſuperantes omnes creaturas corporales, cùm de illis tenuem & obſcurã habeamus cognitio-

nem. Sunt & in terræ mariſque viſceribus & cœleſtibus corporibus pleraque nobis incognita. Sunt itẽ & in exteris regionibus multa admodum præclara, & tamen nobis incognita. Quorum omnium comparatione rectè dicit, pauca vidimus operum eius, quod & ſapientes in mundo confeſſi fuerũt, vt indubitatè omnibus manifeſtum eſt de Socrate, qui aſſeueranter dicit apud Platonem, homines ſcire pauca, vel potius nihil. Hæc ſi verè dixit noſter Sapiens, reſpectu habito ad opera creationis, multò magis vera hæc deprehendentur, ſi operibus creationis etiam iungamus opera redemptionis, quę tum abſcondita erant, & tunc adhuc non erant viſa à noſtro Sapiente, vt nunc hoc tempore gratiæ nobis ſunt reuelata, quæ longè ſunt excellentiora & maiora omnibus creationis operibus, etſi verè & excellẽtibus, & inexplicabilibus.

38 *Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit ſapientiam.*

HOc ſolùm, inquit, dicere poſſum de omnibus quæ ſunt vbicũque rebus, quòd omnia Dominus fecerit, & licet nemo ſit qui ab eo omniũ perceperit ſcientiam & cognitionem, piis tamen & ipſum colentibus dedit ſapientiam, qua quãtùm expedit creaturarum habent cognitionem, atq; ex eis aſſurgunt in aliqualem Dei cognitionẽ, laudem & amorem: qua item & ſciunt & amplectuntur ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria aut cõducibilia. Pro; piè agẽtibus; enim eſt εὐσεβέσιν, hoc eſt, piis, Deumq́; religioſè colẽtibus. Impiis quidem contingit etiã dari multarum rerum ſcientiam, qua illi frequenter abutuntur, nec eos verè ſapientes facit. Solis autem piis dat Deus ſapiẽtiam, ſicut ſoli ipſi verè ſunt ſapiẽtes, & in Iob, 28. pro eo quod nos legimus: Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia, Septuaginta habẽt: Ecce pietas ipſa eſt ſapientia, vt aliquoties citat Diuus Auguſtinus.

Caput XLIIII.

1 *Laudemus uiros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua.*

2 *Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo.*

POſt ſuperiorem laudationem, qua Dei laudes complexus eſt ob celebria eius opera quæ in creaturis obſeruare licet, commodè ſubiicit laudationem ſanctorum patrum, in quibus etiam Dei gloria mirè declaratur & agnoſcitur. Primùm autem eos generatim laudat, deinde ſingulorum laudes ſummatim proſequitur. Ante omnia ergo ad eorum celebrationem prouocat, dicẽs; Laudemus viros glorioſos, hoc eſt, illuſtres & claros, eóſq; potiſſimùm qui ſunt parẽtes noſtri per generationem ſuam, hoc eſt, à quibus progeniti ſumus. Græcè

enim est tantùm τῇ γενέσει,hoc est,generatione.Nec est pronomen,ſua,nec prępositio,in. Dicit ergo ; parentes noſtros generatione; quomodo & Paulus vocat Abraham patrẽ Iudæorum ſecundum carnem,idque in gẽtis Iudaicæ commendationem , vt quæ glorioſos illos viros,de quibus dicturus eſt, patres habuerit,ex quibus originem duxit.Vt autẽ omnis gloria & claritas quæ in ſanctis deprehenditur,intelligatur ad Deum referenda,atque in illius cedere gloriam , ſicut & ſuprà omnem creaturarum excellẽtiam docuit in Deum referendam,bene ſubiicit; Multam gloriam fecit Dominus magnificẽ tia ſua à ſæculo;In qua ſententia quidã Græ corum codices addunt ἐν αὐτοῖς,vt ſit , Multã gloriam fecit Dominus in ipſis,&c.Et poteſt dupliciter hæc ſententia intelligi. Primùm ſic,Dominus per magnificam ſuam beneficentiam ab exordio mundi, fecit in ſanctis ſuis multam gloriam,hoc eſt,fecit,vt multã haberẽt gloriam,& valde eſſent illuſtres ac clari omni ſæculo aliquos per gratiam ſuam inſignes mundo exhibens.Secundò ſic:Dominus ſibi fecit per ſanctos ſuos multã gloriam,hoc eſt,magnam gloriam ſibi acquiſiuit per eos,quia per illos glorioſus declaratus eſt,& inſigniter innotuit , magnificã ſuã beneficentiam & potentiam in eis omni ſæculo declarando. Eum ſenſum requirit ea Græcorum lectio,quæ non per datiuum habet; τῇ μεγαλοσύνῃ αὐτ8.ſed per accuſatiuum, τὴν μεγαλοσύνην,magnificentiam,quomodo habet ædítio Germanica.Iuxta quam lectionẽ accuſatiuus ille per appoſitionem iungẽdus eſt cum,gloriam,vt ſit ſenſus : Multam gloriam fecit Dominus,quæ gloria eius eſt magnificentia , quæ ab æterno in illo fuit. Ne enim putaretur gloria ſic acceſſiſſe Deo, quaſi prius ei defuerit,ab æterno eã adfuiſſe ſignificat.

3 *Dominantes in poteſtatibus ſuis,homines magni virtute,& prudentia ſua prædiri , nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum.*

HIc iam incipit commemorare excellentiam patrum, & oportet participia hic & infrà poſita,accipere poſita pro verbis prętériti temporis,vel,quod eodẽ redit , ſubintelligere in eis verbum,erãt aut fuerunt.Niſi quis malit omnes hos nominatiuos, dominantes,nuntiantes, &c. referre aliud quod poſteà ſubiicitur.Omnes iſti in generationibus ſuis gloriam adepti ſunt;vt eousque ſententia pendeat.Pro; in poteſtatibus ; Græcè eſt,ἐν ταῖς βασιλείαις,in regnis.Vnde magis cõuenit legere,in potentatibus ſuis,quomodo quædam & ſcripta & impreſſa Biblia habẽt, vt nomen potentatus,pro regno accipiatur, Pro;in prophetis;Græcè eſt , ἐν προφητείαις, in prophetiis.Nec eſt;dignitatem prophetarũ; ſed tantùm; nuntiantes in prophetiis ; hoc eſt,nuntiantes prophetias,& oracula diuina proferentes.Et variant hic libri noſtri. Rabanus enim omittit,in prophetis , legens tantùm;nuntiantes dignitatem prophetarum. Quidam totum illud omittunt; nuntiantes in prophetis,legentes tantùm , prudẽtia ſua prædíti dignitate prophetarum. Vtut eſt, ſi legatur,in prophetis,conuenit nomen;prophetis accipi pro libris & ſcriptis prophetarum,ſicut & alibi,vt cùm dicitur:Eſt ſcriptũ in prophetis. Certè Hugo Cardinalis ſic interpretatur.Porrò in priori membro ſententiæ iam poſitæ commẽdantur patres ab excellentia poteſtatis,quæ in pleriſque fuit exímia,vt in Dauide, Salomone, Ezechia, & aliis. Dominabantur,inquit,in regnis ſuis & locis,in quibus potentatum & poteſtatẽ obtinuerunt, homines magni virtute,hoc eſt, propter potentiam ſuam celebres.Eſt enim, ὀνομαστοὶ ἐν δυνάμει,hoc eſt,nominati in potentia.In poſteriori membro celebrantur à prudentia,cum dicitur:Et prudentia ſua prædíti nuntiabant in libris propheticis,dignitatem prophetarum,hoc eſt,eam ſuis ſcriptis & relictis poſt ſe diuinis oraculis declarabant. Vtramque excellentiam etiam ſequens verſus complectitur.

4 *Et imperantes in præſenti populo,& uirtute prudẽtiæ populis ſanctiſſima uerba.*

ILlud,in præſenti,ſi iungatur cum,populo, ſenſus eſt;imperantes erant in populo qui tunc illis præſens erat.Si verò dictio , populo,iungatur,vt magis debet,cum participio, imperantes,ſenſus eſt : Imperabunt populo in tempore quod ipſis tunc cùm viuerent præſens erat.Nam vt notãt bene Latinæ linguæ obſeruatores,præſens non ſolùm dicitur quod nunc fit,ſed etiam quod fiebat tẽpore prætérito tunc præſenti,vel quod futuro fiet tempore,tunc cùm fiet præſenti.Cæterùm mirum eſt vnde interpres verterit, in præſenti,ſi modo ſic verterit, & non potius ſubſit mẽdum.nam Græca non habẽt quod huic reſpondeat. Habent enim ſic;ἡγούμενοι λαοῦ ἐν γαύλοις,qui prefuerunt populo in conſiliis.In ſecunda parte ferè legitur , populis ſanctiſſima verba ; & repetitur ex ſuperiori ſententia participium,nuntiantes vt ſit ſenſus : Virtute prudentiæ nuntiantes populis ſanctiſſima verba.Verùm quoniam durum eſt repetere ex alia ſentẽtia,verbum, nuntiãtes,cum iam aliud interceſſerit participium & quia quod reſpondet illis dictionibus,ſanctiſſima verba,ponitur in nominatiuo apud Græcos (habent enim σοφοὶ λόγοι)ideo magis conuenit ſic accipere.& per vim & efficaciã prudentiæ eorum fuerunt ipſis populis ſanctiſſima verba,hoc eſt, per eos populus habuit ſancta eloquia Dei. Multa ſcripta habent,populi ſanctiſſima verba ; quæ lectio magis conſentit Græcis,in quibus eſt geniti tuus,λαοῦ,& nominatiui,σοφοὶ λόγοι, ſapiẽtes ſermones. Itaque ſenſus erit : quòd patres illi virtute prudentiæ fuerunt ſanctiſſima verba populi,hoc eſt,fuerunt per quos populus ſanctiſſima verba à Deo percepit,vt cauſaliter dictum ſit,quod patres fuerũt ſanctiſſima verba populi.

5 *In peritia ſua requirentes modo muſicos,& narrantes carmina ſcripturarum.*

MVlti libri habent,in peritia,alij,in pueritia,nec ſatis conſtat vtro modo verterit interpres,quia dictio Græca, παιδεία, vtrãque ſignificationẽ admittit.Significat enim & eruditionem quæ peritia dicitur(vnde aliqui hic legunt,prudentia)& pueritiam atque ætatem puerilem.Veriſimile autem magis videtur interpretem vertiſſe, pueritia,ſicut & Rabanus legit,quia non ſolet illud nomen vertere per peritiam,ſed magis per diſciplinã.Si ergo legatur,pueritia,in hoc verſu,reſpexit Sapiens potiſſimùm ad Dauidẽ, qui à pueritia & iuuentute ſua cœpit ludere cithara,& poſtea enarrauit carmina ſcripturarum,hoc eſt,carmina iam in ſacris ſcripturis deſcripta.Videri etiam poteſt reſpexiſſe,& ad eos qui tempore Samuelis cum eo prophetabant,de quibus dicitur ad Saul: Obuium habebis gregem prophetarum, & ante eos pſalterium & tympanum,& tibiam & citharam,ipſóſque prophetantes. Si autẽ legatur,in peritia ſua,vt magis ſenſus poſtulat,reſpicitur ad eos qui cum Dauide ſua peritia & carmina nobis reliquerunt Dei laudes continentia,& modulationem inuenerunt,qua tum voce,tum inſtrumentis muſicis carmina illa & laudes Dei canerentur: quales fuerunt Aſaph , Idithim, & Heman, cùm filiis & fratribus eorum.Multi libri habent carmina ſcripturarum,alij, carmina in ſcriptura,ſed ſenſus eodem redit.

6 *Homines diuites in uirtute pulchritudinis ſtudium habentes,pacificantes in domibus ſuis.*

QVòd oratio illa,in virtute,nõ cum precedenti adiectiuo,diuites,ſed cum ſequenti participio,habẽtes,ſit iungẽda Græca manifeſtè demonſtrant , quæ pro toto illo;in virtute pulchritudinis ſtudium habentes;habent κεχορηγημένοι ἐν ἰσχύϊ,hoc eſt , ſubminiſtrati in virtute,vel inſtructi robore.Itaque hæc ſententia commẽdat patres ab externis bonis,videlicet à diuitiis,robore atq; fortitudine,& pace domeſtica,quæ tria bona multis patriarchis & regibus in veteri teſtamento contigerunt , vt patet in Dauide, Salomone,Ioſaphat,Ezechia,& aliis. Quod ergo nos legimus;in virtute pulchritudinis ſtudium habentes;vt cum originali conueniat,ſic videtur accipiẽdum,vt ſignificetur, eos in fortitudine & robore habuiſſe ſtudiũ pulchritudinis,hoc eſt,eos duxiſſe illud eſſe pulchrum ſtudium & excellens, vt ſibi compararent fortitudinem,& inſtructi eſſent viribus tum ſui corporis , tum exercitus ſui. Cùm enim alij in delitiis & voluptatibus cõſtituant pulchritudinis & excellentiæ ſtudium,illũdque pulchrum ducãt,iſti in robore habebant ſtudium pulchritudinis,vt ſcilicet bene eſſent inſtructi cõtra hoſtes ſuos externos.Sicut autem Dei beneficio fuerũt robore inſtructi contra externos hoſtes,ita eiuſdem beneficio , eorum plerique domi pacem & tranquillitatem obtinuerunt.vnde ſubditur;Pacificantes in domibus ſuis; hoc eſt,pacificè agentes in ſuis familiis. Non eſt enim hic Græcis,εἰρηνοποιοῦντες,quod eſſet,pacem facientes,ſed εἰρηνεύοντες,hoc eſt,pacificè viuentes.

7 *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt,& in diebus ſuis habentur in laudibus.*

OMnes,inquit,iſti qui regno,prudentia, diuitiis,robore & pace apud nos excelluerunt,adepti ſunt gloriam,honorẽ,& præclaram exiſtimationem in gẽte ſua per ſuccedentes ſibi generationes,& adhuc habentur in laude,& celebrantur propter ea quæ in diebus ſuis geſſerunt & præſtiterunt.

8 *Qui de illis nati ſunt , reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.*

GRæcis longè aliter eſt hoc modo : ἐισὶν ἀυτῶν οἱ κατέλιπον ὄνομα,hoc eſt,ſunt ipſorum qui reliquerũt nomen.Quod aliqui ſic intelligunt,quaſi Sapiens voluerit ſignificare inter patres gentis Iudaicæ fuiſſe quoſdã illuſtres,omniq; laude digniſſimos : quoſdã obſcuros atq; inglorios,quorum nomẽ vna cum ipſis & poſteris interiit,atq; de hoc ſecundo genere agere ſequenti ſententia.Itaque quod hic dicitur;ſunt ipſorum qui reliquerunt nomen:ſic intelligunt:Sunt ipſorũ aliqui qui reliquerunt nomen.Et ſequẽtem ſententiã ſic accipiunt:Et rurſum ſunt ipſorum patrum noſtrorum aliqui,quorum non eſt memoria,vt duo patrum Iudaicorum genera hic proponantur.Verùm ſequenté ſententiam magis veriſimile eſt pertinere non ad patres Iudaicæ gentis, ſed ad impios & idolatras,vt mox dicetur.Vnde quod habẽt Græca,ſic potius accipiendum eſt: Et hi de quibus iam dixi ſunt ipſorum , hoc eſt, ſunt de numero illorum,qui reliquerunt ſibi nomen.Noſter interpres aliter legit quam modò legitur in Græcis,nempe vt relatiuum ὅι præponatur,in hunc modum , ὅι ἐισὶν ἀυτῶν κατέλιπον ὄνομα Sic enim rectè vertitur; Qui ſunt ipſorum(pro quo noſter vertit,qui de illis nati ſunt)reliquerunt nomen.Et eſt ſenſus: Qui de illis nati ſunt,etiam ipſi reliquerunt ſibi nomen apud poſteros,imitando patrum ſuorum religionem & præclara geſta, ita vt narrentur à poſteris laudes eorum.

9 *Et ſunt quorum non eſt memoria,perierũt quaſi qui non fuerint:& nati ſunt quaſi non nati, & filij ipſorum cum ipſis.*

NOn rectè hanc ſententiam accipi de altero patrum Iudaicæ gentis genere, quemadmodum tamẽ quidam intelligunt, vel ex eo ſatis patet , quòd patribus quos laudare inſtituit non rectè tribuitur;periiſſe quaſi non fuerint , & quaſi nati non eſſent; cum huiuſmodi ſcriptura tãtùm impiis tribuere ſoleat:de omnibus autem iuſtis dicat quòd ſint in æterna memoria. Proinde magis conuenit hanc ſententiam intelligere

dictã de impiis & idololatris,qui non solùm apud Deum nullam habent bonam memoriam,sed nec apud homines, apud quos ita eorum memoria simul cum eorum posteritate periit, vt nec honorificè celebrentur à piis,nec eorum nomẽ in posteritate aliqua & gente subsistat.Nõ sunt enim iam qui vel Philisthei dicãtur,vel Moabitæ aut Ammonitæ,& sic relinquit in circuitu gẽtibus.Hos ergo opponit patribus gentis Iudaicæ,significans aliarum gentium patres non ita & nomen & posteritatem post se reliquisse,sicut patres gentis Iudaicæ;quemadmodũ & nos de hæresiarchis dicere possumus,qui & nullum post se nomen honestum reliquerũt,& cum discipulis atque sectatoribus suis semper penitus perierũt,cùm catholicæ doctrinæ patres celebres permaneãt,sempérq; habeant qui eorum per imitationem sint semẽ & filij.Cùm ergo dicitur.Et sunt quorum nõ est memoria;non significat Sapiẽs inter eos de quibus locutus est,esse aliquos qui perierunt quasi non fuissent,sed cùm illi de quibus locutus est tam sint celebres, esse alios ex opposito quorum non sit memoria, vt illorum comparatione,celebritatem & gloriã patrum Iudaicæ gentis magis commendet, de quibus iam ex opposito subiicit.

10 *Sed illi uiri misericordiæ sunt,quorum pietates non defuerunt.*

ILli,inquit,de quibus modò dixi,patres nostri sunt viri misericordiæ,hoc est,fuerunt benigni & benefici in pauperes,quorũ pietates impensæ pauperibus, omniáq; eorũ pia facta non defuerunt vnquam memoriæ hominum,hoc est,semper permanent in hominum memoria: Græcè enim est,ἐπελήσθησαν, hoc est,non venerunt in obliuionem. Et videtur alludi ad illud Psal. 111.Dispersit, dedit pauperibus,iustitia eius manet in sæculũ sæculi.Nam & hic pro,pietates, Græcis est, δικαιοσύναι,iustitiæ.Quo nomine aliquãdo in scripturis eleemosynæ vocantùr,vt cùm dicitur apud Matth.6. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus,vbi Græca habent,eleemosynam. Hic tamen nomine misericordiæ non tantùm accipiẽda sunt quæ propriè dicuntur eleemosynæ,sed omnia quæ iuuandis proximis fiunt,defendendo eos,instruendo,& aliis modis eos subleuando.Vnum scriptum habuit,quorum pietates non desinit;vt videri posset interpretẽ potius vertisse;quorum pietates non desiuerunt.Id enim melius conueniret quàm;non defuerunt.

11 *Cum semine eorum permanet bona hæreditas,& nepotum eorum semen in testamentis stetit,& filij eorum propter illos.*

12 *Vsque in æternum manet semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.*

IN duobus his verbis varia est in libris scriptis & impressis lectio,non eam posuimus quæ in multis scriptis deprehensa,magis consentit cum Græcis. Ex quibus patet non rectè legi;Cum semine eorum permanẽt bona,hæreditas sancta nepotes eorum; quia in Græcis dictio, hæreditas substantiuum est adiectiui,bona,nec additur,sancta. Et quamuis legatur in Græcis,nepotes eorũ tamen hoc ipsum ad sequẽtia refertur.Porro cùm dicitur: cùm semine eorum permanet(vel,vt quidam libri habent, perseuerat aut perseuerauit) bona hæreditas,nomine hæreditatis oportet non tantùm intelligere terram promissionis bonam,quę semini patriarcharum data est in longum tempus,sed etiam promissiones illas quæ patriarchis factæ sunt de fauore diuino,quo Deus promisit se illos & eorum semen præ omnibus gentibus semper prosecuturum,& in eorũ semine benedicendas omnes gentes,in qua promissione includitur & Messiæ aduentus. In huiusmodi enim promissionum ius filij patriarcharum successerũt veluti iure hæreditario,fuerúntq; illæ promissiones eis velut bona hæreditas.Vnde Paulus Rom.9.inter cætera dicit.Iudæorum fuisse promissa Dei. Et monet vt imitatores efficiamur eorũ qui fide & patientia hæreditabãt promissiones. Et subiũgit de hæredibus pollicitationis:Volens.inquit,Deus ostẽdere pollicitationis hęredibus immobilitatẽ cõsilij sui, interposuit iusiurandum. Et postea dicit: Noe institutũ hæredem iustitiæ quæ per fidẽ est. Hæc est ergo bona hæreditas, quæ transit ad semen patriarcharum;non tãtùm carnale,sed multò magis spirituale. De eodẽ semine subiungitur,quòd non solùm nepotes eorũ, sed & semen eorũ stetit in testamẽtis, Dei scilicet, hoc est,in pactis illis & fœderibus quę Deus iniit cum patriarchis Abraham, Isaac & Iacob potissimùm.In quibus fœderibus semẽ eorum stetisse dicitur, quia in illis semen illorum vsq; in æternum futurum comprehẽsum est.Promisit enim Deus se non tantùm futurum Deũ illorum,sed etiã seminis ipsorum post eos vsq, in sempiternum,vt licet videre Genes.17.Idque propter eos,vt dicitur Gen.22.vbi inter cætera dicitur: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Bene ergo & dicitur; Et filij eorum steterunt; hoc est, comprehensi sunt in testamẽtis Dei,propter illos.Sic enim magis videtur intelligendum quod hic dicitur semen eorum stetisse in testamẽtis, quã, vt alij intelligunt,quia testamẽtum & legem Dei seruauit ad imitationem illorum.Legendum enim potius,in testamẽtis,quàm in testamento,Græca docent.Vnde & Paulus ad Romanos dicit Iudæis competere testamenta,hoc est,pacta Dei inita cum illo populo. Quia autem in fœdere Dei semen patriarcharum comprehensum est, ideo sequitur quod subiicitur:Vsq; in æternum manet semen eorum;&quia illud semper manet,etiã gloria eorum non derelinquetur vnqnam, non deficiet vnquam,sed semper celebrabitur,& in perpetuum summis laudibus in cœlum non immerito efferetur.Porrò quod dicitur semen eorũ manere in æternũ, non tãde semine eorum carnali est intelligendum,

etsi

etsi etiam illud in æternum maneat, quàm de semine spirituali quod patriarcharum fidem imitatur.Quia etsi etiam semen illorũ carnale semper maneat, illud mirabili Dei iudicio potius fit in vindictam & fidelium ædificationem.

13 *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum uiuit in generatione & generationem.*

COrpora quidem,inquit, ipsorum sepulta sunt, idque in pace, sed nomen eorum non simul cõsepultum est,viuit autem, & in memoria hominum perdurat,atq; subsistit per omnes generationes. Dicit autem corpora in pace sepulta, vel ad significandum quòd mortui sint libenter atque in senectute bona pleni dierum:vel etiam ad significandum illorum corpora quiescere, & sepulturæ tradita esse in spe bona futurę resuscitationis.

14 *Sapientiam ipsorum narrant populi,& laudem eorum nuntiat ecclesia.*

MVlti legunt,narrent & nuntiet. Græca habent futura,narrabunt & nuntiabit. Quibus magis accedit quod quidã libri habent,sicut & Dionysius legit,narrant & nuntiat:quia non præcipere hic voluit Sapiens, sed indicare quid fiat, sempérq; futurũ sit, in populo Dei,quem & multitudinis nomine vocat populos,ob diuersitatem gentium in illum confluentium;& singulari nomine vocat ecclesiam,propter eius vanitatem.

15 *Enoch placuit Deo,& translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.*

POst generalem sanctorum patrum commendationem,descendit ad singularem celebrationem aliquorum qui in scripturis peculiarem habent commendationem,incipiendo ab Enoch. Omittit mentionẽ Adæ, quòd de eo post peccatum nihil præclarum narret scriptura Geneseos.Omittit & Abel, quòd is sine generatione hinc sublatus inter patres Israëliticæ gẽtis non possit numerari.Incipit ergo ab Enoch illo secundo,qui ex progenie Seth natus est septim⁹ ab Adã, nam primus fuit filius Cain. De hoc secũdo dicit ꝙ placuit Deo, secutus in eo Septuaginta,sicut & diuus Paulus cùm de Enoch dicit, quòd testimonium habuit placuisse Deo.Nam pro eo quod nos iuxta Hebraicã veritatẽ legimus in Genesi de Enoch, quòd ambulauit cum Deo, Septuaginta verterũt, εὐηρέστησε τῷ θεῷ,beneplacuit Deo, quomodo & hic & apud Paulum legitur.Hoc est enim ambulare cum Deo,placere ei grata sunt,vnde Abrahæ dicit Dominus: Ambula coram me & esto perfectus, hoc est, cura mihi vt placeas, & fac quæ grata sunt oculis meis. Quod sequitur;& trãslatus est in paradisum vt det gẽtibus pœnitẽtiã;Græca breuius sic habẽt:μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς, trãslatus est exemplũ pœnitẽtiæ generationibus. Itaque interpres de suo addidit;in paradisum;secutus,vt est verisimile,receptam semper in ecclesia opinionem, qua Enoch sine morte creditur translatus in paradisum sicut & Elias:vnde tempore AntiChristi venturi putantur ad prædicãdum omnibus pœnitentiam,ad quod confirmãdum plerique hunc locom adducere solent. At ad hæc cõprobanda non multùm valet hic locus iuxta Græcorum lectionem.Ea enim,vt satis patet,tantùm significat Enoch ex hoc mundo translatum.idque in exemplum pœnitentię omnibus generationibus,vt scilicet ex eius translatione omnes intelligentes Deo curæ esse qui illi student placere,etiam ipsi à mala sua vita conuertantur, & pœnitentiam agant,Deo se commendare studentes. Possunt etiam Græca sic intelligi, vt cùm dicitur Enoch translatus exemplum pœnitentiæ generationibus, significetur eum translatum,qui cùm viueret,erat omnibus exemplum pœnitentiæ, nimirum quia sua sancta vita hominibus sui sæculi docebat pœnitentiam,& ad eam trahebat.Nostra ergo lectio vt accedat ad lectionem originalem, sic videtur accipienda:Enoch translatus est in paradisum,hoc est,in locum aliquem voluptatis soli Deo notum, vt hac sua translatione daret gentibus pœnitentiam,hoc est,ad meliorem vitam homines prouocaret,intelligẽtes quàm sint Deo curæ hi qui placent ei, & quam odiat peccatores,ex quorum consortio ante tempus Deus suum famulum rapere studuit. De eo enim videtur peculiariter dictum illud Sapientiæ: cap.4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut ne fictio deciperet animam eius. Cùm enim mundus iam cœpisset ex corruptione peccati Adæ,& exemplis filiorum Cain, esse pestilentissimus, mille iam & centum exactis annis & amplius à condito Adam, sexcentis & sexagintanouem annis ante diluuium,Dominus huic Enoch indidit insigniter bonam mentem, & in timore Dei illum perfecerat,vt ambularet in innocentia cordis sui ad omne beneplacitum Dei, vt esset velut lucerna ardens in tenebroso sæculo. Sanctissimè enim vixit 365. annis,homines sui sæculi facto & verbo pœnitentiã docens, quem,cùm non proficeret rapuit ex hoc sæculo nequam,tum ne malitia mutaret animum eius ex prauitate pessimorum exemplorum,tum vt ipsa translatione ostẽderet Deus & quàm sint illi curæ pij,& quã odiat impios, ex quorum consortio rapuit seruũ suum,tanquam quo dignus non erat mundus,sicque etiam eis pœnitentiæ daret occasionem. Semper enim Dominus impiis varias occasiones pœnitentiæ agendæ suppeditauit, ita vt sint inexcusabiles. Itaque ablato Enoch, mox alium nasci fecit, Noe scilicet,de quo sequitur,qui & ipse conuersatione sancta,& verbo exhortationis reuocauit homines ad emendationem vitæ,quibus perseuerantibus in impietate,facto cœpit prædicare pœnitentiam, centum annis

arcam ædificando, designans certissimè mũdo sibi reuelatum futurum diluuiũ. Verùm vbi nihil profectum est in hominum cõuersatione, iusto Dei iudicio expletũ est, quod prædictum fuerat, totius orbis diluuiũ. Reliqua quæ de Enoch disputari possent, in quẽ scilicet locum translatus sit, & an adhuc sit in corpore mortali viuens, sitq; in eo reuersurus ad prædicandum tempore Antichristi consultò hic omittimus, quod nostræ intentioni & præsenti loco non sint necessaria. Sequitur ergo.

16 *Noe inuentus est perfectus, iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

ALluditur ad verba scripturæ Geneseos sexto, vbi dicitur: Noe inuenit gratiam coram Domino. &: Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, vnde apparet hoc loco duo illa adiectiua, perfectus, iustus, esse separanda, vt subaudiatur cõiunctio, &, perfectus & iustus, quanquam etiam possint coniungi, vt sit sensus: Noe inuentus est perfectus, iustus, hoc est, perfectè iustus. Cùm dicitur. Noe inuentus est; significatur eum inter multos dissimiles vnicum fuisse, & in tanta hominum multitudine, cũ Deus veluti quæreret iustos, vnum hunc reperisse. In tempore iracundiæ (vel, vt est Græcis, ὀργῆς, iræ) hoc est, cùm Deus toti mũdo esset iratus, ita vt totum humanum genus vellet delere, dicerẽque, Delebo hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, pœnitet enim me fecisse eos. Noe factus est reconciliatio, quia ipse sua innocentia & integritate obtinuit à Deo, vt ipse cùm suis paucis cõseruaret genus humanum ne penitus excinderetur. Græcis pro reconciliatio, est dictio significantior ἀποκάλλαγμα. Ea enim significat pretium quo aliquid emitur aut redimitur, vt & suprà annotatũ est. Noe ergo dicitur pretium redemptionis, quo genus humanum ab interitu redemptum est, quia vt scriptura significat, suæ vitæ integritate à Deo obtinuit, vt genus humannm ab interitu decreto assereretur. Eam dictionẽ noster interpres accepit positam pro κατάλλαγμα, quæ dictio propriè significat reconciliationem. Et eodem redit sensus. Posset autem etiam intelligi. Noe hic dici factum reconciliationem, quòd post diluuium oblatione sacrificij obtinuerit à Deo, vt non amplius diluuio totus orbis perderetur, vt scribitur Gene. 8. & 9. Sed ad id quod prius dictum est potius Sapientem respexisse satis patet ex narratione Geneseos 6. & ex sententia sequenti. De secunda autem illa reconciliatione postea sequitur.

17 *Ideo dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium.*

ILlud; dimissum est reliquum terræ; quod non habet Complutensis æditio, habet tamen Germanica, hoc modo ἐγενήθη καταλειμμα τῇ γῇ, quod sic verti potest, factæ sunt reliquiæ ipsi terræ, hoc est, relicti sunt aliqui in terra qui diluuio non perirent. Itaque & nostra litera sic est accipienda, vt terræ, sit datiui casus, &, reliquum, subsãtiuè sit positum pro reliquiis, sitq; sensus: Ideo, hoc est, quia ipse factus est reconciliatio, &, vt dicit scriptura, inuenit gratiam corã Deo, dimissum est ipsi terræ aliquid reliquum, hoc est, relictæ sunt terræ aliquæ reliquiæ, per quas genus humanum collapsum restitueretur quæ reliquiæ erãt ipse Noe cum octo illis qui saluati sunt in arca.

18 *Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri posset diluuio omnis caro.*

PRosequitur hic secundum beneficium mundo per Noe præstitum, quod scilicet obtinuit post diluuium, cùm ædificato altari obtulit holocausta super illud, quæ adeo Deo placuerũt, vt promitteret se nequaquã vltra maledicturum terræ propter homines eámque promissionem pacto confirmaret, addito fœderis signo, arcu scilicet cœlesti, qui in nubibus, vnde periculum diluuij imminere posset videri, apparens, promissionis & fœderis diuini homines commoneaceret. Porrò cùm dicitur hic, testamenta, plurale positum est pro singulari, testamẽtum, hoc est, fœdus & pactum. Testamentum sæculi, dictum est pro testamento æterno. Alluditur enim ad id quod dicitur in Genesi: cap. 9. Recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam.

19 *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria.*

TErtio loco producit Abraham patriarcham omnium insignissimum electione, sanctitate, & honore. Hunc vocat magnũ patrem multitudinis gentium, quia ad illum dictum est in mutatione nominis Abram in Abraham, quia patrem multarum gentium posui te; vbi & Græca & Hebræa habẽt sicut hic, patrem multitudinis gentium. Huic nõ est inuentus similis in gloria, tum propter eximiam ipsius fidem & sanctitatem, per quæ Deo insigniter placuit: tum propter singularia pacta à Deo inita cum illo, & promissiones maximas illi factas. Vnde sequitur.

20 *Qui conseruauit legem excelsi, & fuit in testamento cum illo.*

MAlè legitur; Qui conseruaret; sed legendum est, vt plures codices habent conformiter cum Græcis; Qui conseruauit. Conseruasse autem legem excelsi dicitur. Abraham, quòd & legem naturalem, quæ postea scripto tradita est, seruauerit, & præcepta quædam quæ ei peculiariter facta sunt, vt de egrediendo terram suam & cognationem, de circuncisione suscipienda, de immolatione filij, & alia similia. Quod dicitur eum fuisse in testamento & fœdere cum Deo, videtur respectus habitus ad id quod

quod scribitur Genes. 15. vbi cùm iussu Dei Abrahã aliquot animalia diuisisset in duas partes, eaque vesperi ignis diuinus absumpsisset, scribitur deinde: In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abrahã. Quanquam enim prius aliquoties ei multa promisisset, vt patet cap. 12. 13. & 15. tunc tamen solùm dicitur cum eo fœdus pepigisse, quãdo externa quædam signa adhibita sunt ex vtraq; parte, quia in fœdere includitur vt vtraque pars aliquid faciat. Secundò autem fœdus cum illo Deus iniit, quãdo factum est quod scribitur cap. 17. de quo & hic subiicitur.

21 *In carne eius stare fecit testamentum, & in tentatione inuentus est fidelis.*

DVo commemorat hæc sententia quæ in Abraham sunt præclara. Alterum, quòd in carne eius stare fecit testamẽtum, hoc est, constituit pactum suũ Deus, dũ scilicet ei præcepit carnis circumcisionẽ in signum & confirmationem fœderis cum eo initi. idque valdè aptè & conueniẽter. Quia enim in pacto continebantur quædam, non ad ipsum tantùm, sed etiam ad semen ipsius pertinẽtia, nempe quòd esset Deus seminis eius post ipsum, q̃ semini eius daret promissam terram, quòd semen eius esset multiplicandum sicut arena maris, & quòd in semine eius essent benedicendæ omnes gentes terræ, quod nõ nisi per Christum ex ipso nascituram perficiendum erat, rectè in generationis membro signum fœderis illius constitutum est, vt hoc signo distingueretur à reliquis gentibus semen Abrahæ, ad quod promissiones illæ de semine pertinebãt. Alterum, quod hic attingitur, est illud quod de Abraham scribitur Geneseos. 22. nempe quòd cùm Deus illum de perfecta obediẽtia tentaret, præcipiẽdo vt vnigenitum suũ filium, in quo susceperat promissiones, immolaret, inuẽtus est fidelis, hoc est, cõstans & fidus in præstanda obediẽtia. Fidelis item in credendo, quòd etiamsi occisus esset filius, in quo promissiones acceperat, Deus tamen sua promissa seruaret, quia firmiter credidit, quia quæcunque promisit Deus, potens esset & facere, quòdq; & à morte Deus filium mortuum reuocare posset, vt de eo testatur Pau. Hebræorum 11. Hãc autem & obedientię eius & fidei constantiam secutũ est quod sequitur.

22 *Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum.*

23 *Et ut stellas exaltare semen illius, & hæreditate illos à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terræ.*

CVm ante tentationem prædictam multa essent Abrahæ promissa, & percusso fœdere confirmata, eadem post probationẽ obedientiæ & fidei illius adhuc firmius ei sunt addicta, addito scilicet iuramẽto quod prius Deus non addiderat. Scribitur enim Deum posteà dixisse: Per memetipsum iurauí, quia fecisti hanc rẽ, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, &c. Porrò pro eo quod nos legimus; dedit illi gloriam in gente sua; Græca hic habent; constituit illi benedicere (vel vt benedicerentur) gẽtes in semine eius. Hoc enim inter reliqua ibi iuramento promittitur Abrahæ. Proinde cùm nos legimus; dedit illi gloriam in gente sua; intelligendum est de illa gloria quæ summa illi fuit, nempe quòd in semine eius benedicendæ essent omnes gentes, quia ex ipso Christus erat nasciturus, in quem ad imitationem fidei Abrahæ erant creditura omnes gentes, & per fidem cum fideli Abraham benedicẽdæ. Rabanus legit; dedit illi semen in gente sua. At altera lectio videtur præferenda. Iam in infinitiuis quæ sequuntur repetendum est; dedit illi; hoc modo: Dedit etiam illi crescere, hoc est vt cresceret in multitudine quasi terræ cumulus vel puluis, quia dictio Græca χοῦς, vtrumque significat. Et dedit illi promittendo scilicet vt exaltaret semen illius in multitudine & claritate sicut stellas, & vt illi qui ipsius semen essent futuri, hæreditatem consecuturi essent à mari vsque ad mare, &c. Dictum enim ei tunc fuit: Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Et prius ei dictum erat: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphraten. Termini autem hic descripti sunt ex Numero 34. capite & Deuter. 11. aut ex Psalm. 71. vbi de Salomone dicitur: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Ibi tamen habent Græca; ἕως τῶν περάτων τῆς οἰκουμένης, hoc est, vsque ad fines totius orbis terræ, quod in Christo solo impletur. Hic verò est, ἕως ἄκρου τῆς γῆς, hoc est, vsque ad extremitatem terræ; quod & in semine carnali Abrahæ, populo scilicet Israelitico, inuenitur impletum, quia ille possedit aliquando terram illis promissam à mari occidentali magno vsque ad mare mortuum quod vergit ad occidentem, & à flumine magno & Euphrate, vsque ad finem terræ Palestinæ, quæ complectebatur eas gẽtes quæ nominantur Gene. 15. Malè ergo hic quidam legunt: vsque ad terminos orbis terræ; cùm dictio, orbis, sicut non est Græcis, ita nec in multis scripris emendatioribus.

24 *Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem eius.*

SImiliter, inquit, fecit in Isaac, quia & illi tria illa promisit, quæ Abrahæ, nempe possessionem promissæ terræ, multiplicationem seminis, & benedictionẽ omnium gentium per semen eius, idque propter Abraham patrem eius, vt legitur Genesis 26. vbi sic dicit Dominus ad eum: Ero tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abrahã voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea. Quoniam autem inter omnes factas his patriarchis benedictiones, præcipua eſt promiſſa in ſemine eorum benedictio omnium gentium, ideo de ea peculiariter ſubditur.

25 *Benedictionem omnium gentium dedit illi, & teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput Iacob.*

MVlti legũt, dedit illi Dominus; ſed Dominus, ſicut non eſt in Græcis, ita nec in correctioribus ſcriptis, nec apud Rabanum. Dedit ipſi Iſaac Dominus benedictionem omnium gentium, quia ſicut promiſerat Abrahæ, ita etiam ipſi promiſit quòd in ſemine eius benedicerentur omnes gentes. Sunt qui intelligunt Deum dediſſe Iſaac benedictionem omnium gentium, quia dedit ei vt omnes gentes illi benedicant, gloriãtes ſe filios eſſe patriarcharum per fidẽ & Chriſtum ex eis natum, ſed magis conuenit ſcripturis ad quas hic alluditur, prior ſenſus de promiſſa paſſiua benedictione gentiũ. Quã promiſſionẽ ſimul cum aliis, Deus poſt Iſaac tranſtulit in filium eius Iacob, reiecto Eſau primogenito, vt legitur Gene. 28. ideóq; hic rectè dicitur, ꝙ teſtamentum ſuum, hoc eſt, pactum illud quod prius inierat cũ Abrahã, & Iſaac, confirmauit ſuper caput Iacob, quia illud in perſonam Iacob trãſtulit, & terna illa promiſſionum ſuarum repetitione tribus facta patriarchis, fœdus ſuum cum illis confirmauit, & firmũ ratúmq; eſſe oſtẽdit. Græcus habet pro, confirmauit, κατέπαυσεν, hoc eſt, fœdus quieuit, vel quieſcere fecit ſuper caput eius. De eodem Iacob ſequitur.

26 *Agnouit eum in benedictionibus ſuis, & dedit illi hæreditatem & diuiſit ei partem in tribubus duodecim.*

AGnouit, inquit, eũ in benedictionibus ſuis, quia recepit eũ ad hoc vt ad ipſum deuoluerẽtur benedictiones, & bonæ promiſſiones factæ Abrahæ & Iſaac; vnde & dedit ei hæreditatem, illam ſcilicet quã Abrahæ & Iſaac promiſerat, dicens etiam ei hęreditatem, illam ſcilicet dabo & ſemini tuo. Hanc dicitur hic ei dediſſe, ſiue quòd promiſſione ei fuerit addicta, ſiue quòd poſtea ei dederit in ſemine eius. vnde ſequitur. Et diuiſit ei partẽ in tribubus duodecim; hoc eſt, partem illam & portionẽ terræ, quæ ei Dei dono addicta fuit, diuiſit ei poſtea per miniſteriũ ſcilicet Ioſue, in tribubus duodecim. Etſi enim tribus leui partem non acciperet, tamen in eius locum tribus Ioſeph in duas partes diuiſa eſt, nempe in tribum Ephraim & Manaſſe, vt ſic integer conſiſteret numerus duodenarius.

27 *Et conſeruauit illi homines miſericordiæ, inuenientes gratiam in oculis omnis carnis.*

APud Rabanum ſic legitur, Et conſeruauit illi miſericordiam inuenientẽ gratiam in oculis omnis carnis. At ex commentario magis videtur eum legiſſe; Conſeruauit illi miſericordiam ſuam, & inuenit gratiã &c. Quo modo hunc locum legiſſe ſe declarat is qui lectionem illam epiſtolarem, quæ in eccleſiis iam paſſim legitur de Confeſſore Epiſcopo, & incipit; Ecce ſacerdos magnus; collegit ex hoc loco, ex ſingulis quæ hic patriarchis tribuuntur, quædam tribuẽs Confeſſori Epiſcopo. In ea enim epiſtola, poſtquã dictũ eſt: placuit Deo; ꝙ hic Enoch tribuitur: & inuentus eſt iuſtus; quod hic de Noe dicitur: Non eſt inuentus ſimilis illi qui conſeruaret legem excelſi. Ideo iureiurãdo fecit illum Dominus creſcere in plebẽ ſuam quod deſumptum eſt ex his quæ hic dicuntur de Abraham; benedictionem omnium gẽtium dedit illi; quod hic Iſaaco tribuitur: deinde ex his quæ de Iacob hic, dicuntur, ſubiicitur: Et teſtamentum ſuum confirmauit ſuper caput eius. Agnouit eum in benedictionibus ſuis, conſeruauit illi miſericordiam ſuam, & inuenit gratiam coram oculis Domini. Et adiungũtur quædam ex his quæ capite ſequenti tribuuntur Moyſi & Aaron. Græca autem aliter habent hanc ſentẽtiam iſto modo: Et eduxit ex ipſo virum miſericordiæ, inuenientem gratiam in oculis omnis carnis. Quòd de Moyſe dictum eſſe patet ex Græcis, quæ ſubiungunt per accuſatiuum; Dilectũ à Deo & hominibus Moyſen; vnde in æditione Germanica ab hoc verſu eſt principium ſequentis capitis. Noſter interpres aut legit per pluralem numerũ, aut quod ſingulari numero dictum fuit, intellexit pluraliter accipiendum, ideóq; vertit, Cõſeruauit illi homines miſericordiæ; & hoc eſt, viros pios & benignos, qui iuuandis aliis incumberent. Et poſſunt intelligi deſignari patriarchæ duodecim, qui propter Ioſeph virum pium, grati fuerunt Pharaoni, omnibúſque Ægyptiis. Aut potius illi, de quibus mox ſubditur, Moyſes, Aaron, & Phinees, & reliqui qui ſequuntur: quos Deus conſeruauit ipſi Iacob, quia ad illius gloriam, ſemper ex ipſius ſemine aliquos ſupereſſe fecit, qui inſigniter eſſent pij, & iuuandis aliis intenti, & ob id apud omnes homines valde chari & accepti, vt patet de Ioſeph, Moyſe, & aliis. De Moyſe Exod. 11. enim dicitur, quòd fuerit vir magnus valde in terra Ægypti, coram ſeruis Pharaonis & omni populo.

Caput XLV.

1 *Dilectus Deo & hominibus Moyſes, cuius memoria in benedictione eſt.*

HOc capite celebrãtur Moyſes, Aaron, & Phinees ab his quæ præclarè geſſerunt, & quæ eis Dei beneficio ſingulari donata ſunt. De Moyſe ergo dicit, quòd dilectus fuerit & ſit & Deo & hominibus, propter præclaras ſcilicet eius virtutes, & potiſſimum ob inſignem eius manſuetudinem, de qua dicitur, quòd Moyſes erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabatur in terra. Manſuetudo enim valde hominem & Deo & hominibus commendat. Et quia ſic dilectus fuit & eſt in hominibus Moyſes, eiꝰ memoria eſt in bienedctione, hoc eſt, cum laude & bona imprecatione. Frequens enim eſt eius memoria, & cùm fit eius memoria, laudibus ipſe effertur, & bene omnes de eo loquuntur, atque fœlicia optant.

2 *Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit.*

SImilem eum factum dicit in gloria ſanctorum, quia ſimilem & æqualem gloriam adeptus eſt gloriæ quam habuerunt ſancti patriarchæ. Magnificauit eum Dominus in timore inimicorum, quia magnus effectus eſt & celeber per timorem quem inimicis populi Dei incuſſit, vt Pharaoni, & omnibus Ægyptiis, Amalechitis, deinde regibus Amorrhæorum, & omnibus Cananæis. Non ſolùm autem magnificauit Deus Moyſen timore quem hoſtibus incuſſit per ſigna horrenda quæ ædidit coràm eis, ſed etiam quia in verbis ipſius, hoc eſt, ad verba ipſius, & per verba ipſius, placauit monſtra, hoc, eſt ceſſare fecit prodigia illa horrenda, quæ in Ægypto ad iuſſum Moyſis extiterunt. Nam, vt dicitur in Exo. cap. 8. Clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum quam condixerat Pharaoni: Fecítqne Dominus iuxta verbum Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ, &c. Similiter factum eſt in quibuſdam plagis ſequentibus. Pro, monſtra placauit, Græcis eſt, σημεῖα κατέπαυσε, hoc eſt, ſigna ſedauit, vel ceſſare fecit. Quod verbum potius referendum eſt ad Deum quàm ad Moyſen, tum vt eodem tenore tota decurrat oratio, quia reliqua verba ad Deum pertinent: tum quia id magis conuenit narrationi libri Exodi, vbi Dominus dicitur hæc feciſſe iuxta verbũ Moyſi. Itaque quod noſter vertit, in verbis ſuis; accipi debet poſitum pro in verbis ipſius, ſicut eſt Græcè ἐν λόγοις αὐτοῦ.

3 *Glorificauit eum in conſpectu regum, & iuſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam.*

QVia ad verba ipſius portenta excitata ceſſare fecit Deus, ideo glorioſum eum fecit in conſpectu regum, Pharaonis ſcilicet & principum eius, & aliorum regũm terræ, ad quos fama peruenit. Iuſſit etiam illi coràm populo ſuo, quia mandata dedit illi audiente populo. Dicitur enim Exodi 19. cap. quòd cùm Moyſes adduxiſſet populum ad montem Sinai, Moyſes loquebatur, & Dominus reſpondebat ei. Et capite ſequenti dicitur Deus ſua voce Decalogum coràm populo ædidiſſe. Græca tamen habent, ἐνετείλατο αὐτῷ πρὸς λαὸν αὐτοῦ, mandauit illi, vel mãdata dedit ei, ad populum ſuum; iuxta illud, quod de aliis extra Decalogum mandatis ſæpe dicitur in Exodo, & aliis locis: Hæc dices ad eos. Oſtendit item illi gloriam ſuam, quia & in datione legis illi ſimul cum populo oſtendit magnificentiam ſuam. vnde dixit populus: Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatẽ & magnitudinem ſuam. Et aliàs ſæpe dicitur in Exodo, Leuitico, & Numeris, quòd apparuit Moyſi & populo gloria Domini. Peculiariter verò oſtẽdit Deus Moyſi gloriam ſuam, quando, vt eſt Exodi 33. Moyſi petenti vt Deus illi oſtenderet gloriam ſuam, reſpondit Dominus: Ego oſtendam tibi omne bonum. & iterum: Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram: Cúmque trãſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam, tollámque manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. An autẽ poſtea vnquam Deus Moyſi oſtenderit gloriam vultus diuini vt eum videret ſicuti eſt, quomodo eum vident ſancti in cœlis, quẽadmodum Moyſi contigiſſe aſſerit Auguſtinus, non eſt præſentis loci diſcutere; cùm ſufficiat intelligere Deũ Moyſi oſtendiſſe ſuam gloriam, iuxta ſcripturas prius citatas.

4 *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.*

IN hac ſententia reſpicitur ad ea quæ de Moyſe dicũtur Num. 12. Ibi enim duæ virtutes, fides & lenitas, hoc eſt, fidelitas & mãſuetudo, illi tribuuntur, & in eo præclarè cõmendantur. Nam de eius lenitate & manſuetudiue dicitur; Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabãtur in terra. Et mox de ſumma fidelitate dat illi Dominus teſtimonium, dicens; Moyſes in omni domo mea fideliſſimus eſt. Itaque fides hic ei tribuitur reſpectu Dei, lenitas erga proximos. Quod autẽ in his duabus virtutibus dicitur Deus illum feciſſe ſanctum, aut, vt eſt Græcis, ſanctificaſſe illum, ſignificat quòd Deus illum his virtutibus à ſe donatum, fecit per eas illum præ aliis eximiè ſanctũ: & quia ſic per eas virtutes illum eximiè ſanctum fecerat, ideo etiam, vt ſequitur elegit eum ex omni carne vel homine in ducem populi ſui, & idoneum miniſtrum ſuũ, Per eas enim virtutes, in quibus præ aliis eminuit, idoneus factus eſt, qui & peculiaris eſſet Dei miniſter, & populi dux atq; actor, Ad hæc enim fidelitas erga Deum, & lenitas erga alios idoneum reddunt hominem.

5 *Audiuit enim eum & uocem ipſius, & induxit illum in nubem.*

PRiorem partem ſic habent Græca, ἠκούτισεν αὐτὸν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, hoc eſt, auditam fecit illi vocem ſuam. Atque eo modo legit Rabanus, ſicque habuit vnum eleganter ſcriptum exẽplar. cui tamen altera lectio minori litera ſuperſcripta erat, quæ dicitur in annotationibus legi ex altera verſione. Rabani ergo lectio meritò hic præferenda eſſet, vt quæ Græcæ lectioni cõſentiat, quáq; ſignificatur quòd Deus effecit vt Moyſes audiret vocẽ ipſius, nẽpe quia & vniuerſaliter eum fecit

+ causa legi nam lectio, et sensus latini interpretis merito est probandus

fecit cum populo audire in monte Sinai decalogum ipsius voce expressum, & quia peculiariter supra montem Deus cum illo locutus est,ore ad os cum illo colloquens, sicut solet homo loqui ad amicũ suum. quando, vt sequitur, induxit illum in nubem, vt cum illo loqueretur,& traderet ei præcepta populo deferẽda,vt mox sequitur. Si autem quis malit legere : Audiuit enim eum & vocem ipsius.Aut sine,enim, Audiuit eum ; vt quidam libri habẽt,verbum,audiuit, potius referendum est ad Deum , vt significetur Deum audiuisse Moysen sibi loquentem, eiúsque orationem pro populo sæpe exaudiuisse, quàm vt referatur ad Moysen, & significetur Moysen audiuisse Deum sibi loquentem,vt quidam intelligũt.Nam reliqua omnia verba ad Deum referuntur.

6 *Et dedit illi coràm præcepta, & legem uitæ, & disciplinæ.*

7 *Docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel.*

PErperam à plerisque legi; dedit illi cor ad præcepta; & legendum esse ; dedit ei coràm præcepta; quomodo quædam scripta & impressa iam habent, manifestè patet ex Grecis , quæ habent, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ κατὰ πρόσωπον ἐντολάς,Et dedit ei mandata in facie, hoc est,coràm. Itaque, coràm, hic ponitur aduerbialiter pro,in præsentia.Et est sensus, quòd cùm Deus induxisset illum in nubem, tum dedit ei precepta coràm, quia & dedit ei decalogum descriptũ in tabulis lapideis, & præterea coram & in præsentia docuit eum iudicialia & cæremonialia præcepta, quæ voluit vt doceret populum suum, dicens ad eum : Hæc dices ad eos. Hæc autẽ omnia præcepta exponens qualia sint, vocat ea legem vitæ & disciplinæ, hoc est, legem quæ præscribit quomodo viuendum sit, & docet veram scientiam, Pro, disciplinæ,enim Græcis est, ἐπιστήμης , hoc est, scientiæ.Eandem vocat testamentum.hoc est, pactum quod Deus iniit cum populo suo,quia & Dei promissiones continet, & conditiones à populo seruandas, quas & iudicia Dei vocat,quia populo à Deo iustè præscripta & constituta.

8 *Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Leui.*

POst Moysen prosequitur excellentiam quam diuino beneficio prę aliis in populo consecutus est Aaron frater illius, quem similem sibi,hoc est,Moysi dicit, tum ratione generationis, quia cũ illo fuit ex eadem tribu,eisdémque parẽtibus, tum magis quia simili in Deum pietate præditus esset, ob quod illum Moysi coniunxit in ædendis miraculis , & eductione populi ex Ægypto. Quem quomodo excelsum Deus fecerit, explicat cùm subdit:

9 *Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis.*

IN eo ergo Deus illum excelsum fecit, quòd statuerit ei testamentum, hoc est, pactum æternum, nempe quòd dederit ei non solùm pro se,sed pro posteris etiam suis sacerdotium in gente sua obeundum.Quod æterno pacto dicitur ei Deus statuisse, tum quòd à sua progenie Deus ius sacerdotij nunquam erat ablaturus, alteri traditurus, quamdiu duraret vetus illa cęremonialis institutio:tum quòd cessantibus iam per Christum veteribus cæremoniis, & sacerdotio iam ad Christum & nouum populum Dei translato, in Christi sacerdotio perseuerat suo modo Aaronicum sacerdotium, quia hoc illius figura erat & exemplar; vnde per illud non penitus tollitur & euacuatur, sicut sacerdotium idolatrarum, sed perficitur & constabilitur, quia in illo præstatur quod Aaronicum figurabat. Sicut & Dauid æternũ pro se & sua posteritate regnum promisit Deus, quia regnum super suum populum nunquam ablaturus erat ab eius posteritate,& alteri traditurus : quod etsi se cũdùm externam & carnalem politiam defecerit,tamen in Christo Dauidis filio continuatur spiritualiter. sicque perficitur, dum quod illo regno adumbrabatur,adimpletur.

10 *Et beatificauit illum in gloria, & circumcinxit zona gloriæ.*

PRo, gloria:non est Græcis, δόξα , sicut in sequenti membro , sed δυκοσμία , qua dictione in genere omnium ornatum sacerdotalem complexus est, qui Aaronem gloriosum reddidit. Sic & in sequenti membro Græcis non est dictio quæ zonam significat , sed περιζωλὴν , quæ dictio in genere quemuis habitum quo quis induitur significat. Postquàm enim dixit Aaroni datum gentis sacerdotium,extollit illud,primùm à glorioso vestitu qui illi proprius erat:deinde verò à sacrificiis,& authoritate,atque priuilegiis ei concessis.Et de vestitus quidem ornatu prius in genere loquitur, deinde per partes prosequitur, ea breuiter complexus quæ latius scribũtur Exodi 28. Et est notandum in Græcis non esse cum coniunctione; Et beatificauit ; sed tãtùm,beatificauit,sicut & in principio versus sequentis. In Græcis enim hic,vt & alibi ferè,sententiæ eleganter duobus membris absoluuntur, ideóque & nos à superiori sententia illam partẽ;& beatificauit ; separauimus, quia ad intellectum non parùm facit obseruatus ordo. Est ergo sensus,quòd Deus ipsum Aaron beatum fecit,& fœlicem præ aliis,per glorioſum illum ornatum quo illum induit & circumcinxit. Vt autem dictioné generalem, περιζωλὴν, interpres verterit speciali nomine,zona, videtur eum mouisse verbum περιέζωσεν, circumcinxit.At ζώννυμι Græcis , sicut & cingo Latinis, non tantùm significat cingulo stringere,sed & circũdare & induere, vt ibi Dominus regnauit,decorẽ indutus est;indutus est Dominus fortitudinem,& præcinxit se.Porrò per zonam gloriæ, hoc est, gloriam, intelligi potest baltheus ille summi sacerdotis, *Psal.92.*

tis,de quo Exodi 28.& 39.qui scilicet adhærebat ipsi superhumerali, & ex eadem materia cõtextus erat:aut etiã baltheus ille,qui erat summo sacerdoti communis cum aliis inferioribus sacerdotibus, quo tunica interior constringebatur, & contextus erat ex byssо retorta,hyacintho , purpura,& cocco, vt patet ex prædictis locis, cum baltheus ille qui adhærebat superhumerali , præter quatuor illa contextus etiam esset ex auro, eadem scilicet materia cum humerali & rationali.Quidam libri habent ; zona iustitiæ. Sic enim legunt Rabanus & Dionysius, & sic habebant quædam scripta. At rectius alij legũt,gloriæ,cùm Græcis sit δόξης.Vt autem aliqui substituerent,iustitiæ,pro ,gloriæ,mouisse eos videtur,quia præcedit,gloria , & in sequenti sentẽtia sequitur,gloriæ.Item quia de Christo dicitur apud Isaiã cap. 11. Et erit iustitia singulum lumborum eius.

11 *Et induit eum stolam gloriæ, & coronauit eum in uasis uirtutis.*

PRo ,stolam gloriæ , Græcis est , στολὴν καυχήματος,hoc est,perfectionem gloriationis,quo significatur Deum induisse eum perfectum decorem: proinde apud nos hoc loco nomine stolę,non debet intelligi certa aliqua vestis,sed potius vniuersus ille vestitus,quo Aarõ gloriosè ornatus fuit,qui etiã in genere comprehẽditur,cùm subditur: Et coronauit eum,hoc est,ornauit eum, atque circundedit,in vasis virtutis.Vbi nomine vasorum,phrasi Hebraica,de qua etiam suprà, significatur totus ille apparatus sacerdotalis,qui variis constabat partibus. Quem vocat vasa virtutis,hoc est,fortitudinis.(Græcè enim est , ἰσχύος) quia eo apparatu egregiè instructus fuit pontifex, ita vt per eum multùm esset reuerẽdus omnibus,declarabátq; summam eius authoritatem & potestatem. Hunc apparatum in genere propositum per aartes deinde explicat,cùm subdit:

12 *Circũpedes & femoralia & humerale posuit ei, & cinxit eum tintinnabulis aureis plurimis in gyro.*

13 *Dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo,in memoriam gentis suæ.*

GRæca non habent,posuit ei, sed repetẽdum est verbum,induit,hic & in sequẽtibus.Interpres nõ malè ad dilucidationem sensus addidit,posuit ei,vel , vt quidam libri habent,imposuit ei. Cæterùm pro eo quòd vertit,circũpedes,(vel,vt multi libri habent, circumpediles)& femoralia,Græca habent, περισκελῆ καὶ ποδήρη Harum dictionũ prior, περισκελῆ,femoralia significat,vt patet ex Exodi 28.vbi eadẽ dictio habetur apud Septuaginta,& vertitur feminalia vel femoralia.Secunda dictio ποδήρη, vestem talarem significat,qua dictione Septuaginta significant in Exodo eam vestem quæ , Hæbraicè dicitur מְעִיל Meil, quam D. Hieronimus vertit , tunicam superhumeralis , eã scilicet quę erat proximè sub ipso superhumerali , & erat tota hyacinthina , ad pedes vsque propendẽs: vnde eam vocarũt, ποδήρη, hoc est,vestem ad talos & pedes demissam.Hanc ergo oportet intelligere hic ab interprete significatã per circumpedes aut circumpediles,nõ autem, vt ferè intelligunt nostri,sandalia,de quibus nulla (cùm vestes Aaronis describuntur in Exodo)fit mentio.Melius ergo quàm Lyranus & Dionysius,intelligit Rabanus per circumpedes, strictam illam vestem lineam, & velut camisiam,quæ erat pontifici cum aliis sacerdotibus cõmunis , quæ & ipsa ad talos vsque protẽdebat;vnde etiam illam D. Hieronymus in epist.ad Fabiolam, agens de vestibus sacerdotalibus,vocat ποδήρη , cùm Septuaginta hanc vocẽt, χιτῶνα,tunicam: illam verò aliam hyacinthinam,quæ propria erat Pontifici,vocant ποδήρη,poderem,quàm hic commodè intelligimus significatam per circumpedes,quia pedes circũcingebat, ita vt inuerso ordine dictio, femoralia , quæ apud nos secundo loco ponitur,respõdeat dictioni,περισκελῆ,quæ Græcis primo loco ponitur: dictio verò,circumpedes,respõdeat dictioni Græcæ ποδήρη. Nam si quis putet dictionem,circumpedes, respõdere dictioni περισκελῆ, propter propositionem περὶ , idem erunt , circumpedes , & femoralia. Posset quis per circumpedes aut circumpediles, quia pluralis est numerus , intelligere ambas illas talares vestes , de quibus dictum est , alteram lineam communem , alteram hyacinthinam summo sacerdoti propriam, quamuis Græcè singulari numero dicatur, poderem. Est autem dictio , circumpedes, etiam prophanis scriptoribus , ipsíque Ciceroni vsitata ; sed in alio significato quam hic habet , nempe vt significet eos qui dicuntur , A pedibus. Tertium autem vestimenti sacerdotalis genus vocat humerale vel superhumerale , pro Græcis est , ἐπωμίδα , quæ dictio significat chlamydem , vestémque breuiorem quæ humeris iniicitur, diciturque Hebræis אפוד Ephod. Hæc autem vestis vt solis conueniebat summis sacerdotibus ,ad renes vsque tantùm protendebatur,contexta ex auro ac quatuor coloribus,hyacintho , byssо , cocco , & purpura. Auri enim laminæ,id est , bracteæ , mira tenuitate tendebãtur, ex quibus secta fila torquebãtur,cum subtegmine trium colorum hyacinthi , cocci , purpuræ,& cum stamine byssino , sicque efficiebatur palliolum miræ pulchritudinis , perstringẽs fulgore oculos, in modo,inquit Hieronymus,caracallarum, sed absque cucullis. In huius vestis medio ante pectus erat apertura magnitudinis palmi per quadrum , quæ replebatur per aliud paruum vestimentũ quod rationale dicitur de quo mox postea.Plura de humerali licet legere in Exodo.Porrò ei tunicæ hyacinthinæ,de qua dictum est,quæ proximè erat sub superhumerali,additus erat singularis ornatus in extrema eius parte ad pedes,qui constabat ex appẽdentibus septuaginta duobus tintinnabulis aureis, & totidẽ malis punicis cõtextis ex subtegmine cocci,purpurę,hyacinthi,& stamine,byssino , sicut & zona omnibus sacerdotibus cõmunis. Inter duo tintinnabula

tinnabula vnum erat malum punicum: & inter duo mala, vnum tintinnabulum. De hoc ergo ornatu sic dicitur: Et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro. Numerum tintinnabulorum non exprimit scriptura, sed eum exprimit diuus Hieronymus. Vsus horum exprimitur & in Exodo & hic, nempe vt summus sacerdos in incessu suo, scilicet cùm vel ingrederetur, vel egrederetur, daret sonitum, sicque audiretur à populo sonitus in templo, idque in memoriam filiis gentis suæ, hoc est, vt populus moneretur reuerentiæ summo sacerdoti ministro Dei, & multò magis ipsi Deo tempore sacrificij exhibendæ Sic enim potius simpliciter intelligédum videtur, quàm, quomodo quidam intelligunt, populum illo sonitu admonitum, vt memores essent legē olim datam in sono tubæ clangētis. Non enim memoria tantùm dicitur respectu præteritorum, sed etiam respectu præsentium, ad quæ facienda vel cogitāda monemur. Dicit autem author; In templo; respiciens ad sua tempora quibus iam templum erat extructum.

14 *Stolam sanctam auro, & hyacintho, & purpura opus textile uiri sapientis, iudicio & uaietate præditi.*

15 *Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarij sculptis, in memoriam secundùm numerum tribuum Israel.*

QVamuis Græca habeant datiuum στολῇ ἁγίᾳ, legendum tamen est apud nos potius per accusatiuum, vt multi libri habet, stolam sanctam, quàm per ablatiuum, stola sancta, tum quia repeti debet, posuit ei, tum quia sequitur; opus textile; quod appositiuè iungi debet cum, stolam sanctam. Per stolam autem sanctam videtur hic significari aut totum ipsum superhumerale cum ipso rationali, aut peculiariter ipsum rationale. quamuis ex vsu Latinorum nomen stolæ significet vestem ad talos vsque demissam, & maximè muliebrem: propriè tamen Græcis secundùm suam ethymologiam significat omne indumenti genus, vt patet Exodi 28. inter στολὰς sacerdotales, computatur primùm στέρνιθιον, hoc est, pectorale & rationale. Pro hoc nomen stolæ isto loco accipiendum omnino videtur ex his quæ sequuntur, quia illa conueniunt illi sacerdotali indumento, quod pectorale vel rationale dicitur. Illud peculiariter dicitur stola sancta, quia etsi aliis minus esset, erant tamen aliis sacratius. Pannus enim erat breuis ex auro, & quatuor illis coloribus contextus, ex quibus & super humerale, habens magnitudinem palmi par quadrum, & duplex, ne faciliè rumperetur, qui aptissimè per circulos aureos & vittas hyacintinas coniungebatur humerali, implens aperturam illam antè pectus relictam. Dicitur Hebræis חשן Choſen, quæ dictio cum non satis sciatur quid significet, vertitur ferè pectorale, Septuaginta verterunt λογίου, quod secutus diuus Hieronymus vertit, rationale, ita vt ipso nomine satis indicetur mysticum aliquid hic significari. De hoc ergo hic dicitur, quod Deus posuit Aaroni, cùmque induit stolam aureā, quæ erat opus textile ex auro & hyacintho & purpura. Pro eo autē quod nos legimus fuisse opus illud, opus viri sapientis, iudicio & veritate præditi; Græca alium habent sensum, quem interpres non est assecutus. Habent enim, λογίῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας, hoc est, rationale iudicij, signis veritatis. Quibus verbis exprimitur, de qua stola sancta prius locutus sit, ea scilicet quæ dicitur, rationale iudicij. Additur, signis veritatis; quia in Exodo cap. 28. dicitur: Pones autem in rationali iudicij, doctrinam & veritatem; pro quo Hebræis est אוּרִים Vrim & תֻּמִּים Thumim, Græcis autem, τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, hoc est, manifestationem & veritatem. Quæ duo quid fuerint nemo satis cognouit, nisi quòd satis constat sacerdotem, cùm Dominum cōsuleret indutus isto pectorali vel rationali iudicij, quibusdam indiciis intellexisse Dei volūtatem super ea re de qua interrogabatur. vnde hic dicitur in pectorali illo fuisse signa veritatis. Noster vertit; Viri sapientis, iudicio & veritate præditi; significans Beseleel, de quo dicitur in Exodo cap. 31. & 35. quòd Deus eum impleuit spiritu suo, sapientia, & intelligentia, & prudentia in omni opere, &c. De eadem stola sancta dicitur consequenter quòd fuerit opus artificis, constans ex torto cocco, hoc est, ex tortis filis coccineis, quæ simul cùm aureis filis hyachintinis & purpureis intexebantur stamini byssino. Item quòd constabat gemmis pretiosis auro illigatis atque inclusis, & figuratis, hoc est, opere lapidarij sculptis, quia in ipso rationali intexti erāt 12 lapides magni pretij per quatuor ordines, ita vt in singulis ordinibus terni lapides collocarentur, in quibus insculpta erāt nomina 12. filiorum Iacob, in singulis scilicet vnū, secundùm ordinē natiuitatis eorum. Idq; dicitur factum in memoriam, vel vt est Græcis ὡς μνημόσυμον hoc est, in memoriale, quia dicitur in Exo. 28. Portabit Aaron nomina filiorum Israël in rationali iudicij super pectus suum, quādo ingredietur sanctuariū, memoriale coram Domino in æternum. Per hoc enim & sacerdos admonebatur, quòd filios Israël pro officio suo debuit Domino cōmēdare, illorúmq; semper esse memor, & Deus ité velut monebatur, iuxta promissiones suas memor esse filiorū Israel. Subiicit & de alio Pontifici proprio ornaméto, cum dicit:

16 *Coronam auream super mitram eius, expressam signo sanctitatis.*

17 *Gloriam honoris, & opus uirtutis, desideria oculorum ornata.*

REpetendum est verbum, imposuit, vel induit, proinde per accusatiuum legendum est, coronam auream, sicut etiam Græca habent, & scripta quædam Latina emendatiora, corona autem hæc aurea, est lamina illa aurea quæ fronti Pontificis imponebatur, & Exo. 28. vocatur, צִיץ זָהָב Tsits zahab, hoc est, lamina aurea: cap. verò sequenti vocatur etiam, נֵזֶר הַקֹּדֶשׁ Nezer haccodesch, hoc est, diadēma vel corona sanctitatis. Erat enim velut semicirculus ab aure vsque ad aurem supra frontem protensus, quæ à parte posteriori vitta hyacinthina pileo capitis alligabatur. Porrò mitram, supra quam hic dicitur impositam coronam hanc auream, diuus Hieronymus existimat fuisse pileolum commune omnibus sacerdotibus, quod dicit fuisse rotundum, quale, inquit, pictum in Vysse conspicimus, essēque quasi sphæram mediam diuisam, cuius vna pars capiti imponitur. Verùm si diligenter legantur Hebræa & Græca Exod. 28. & 29. deprehendetur semper alio nomine vocari tegmen illud capitis, cui iubetur in summo sacerdote imponi lamina aurea. Hebræis enim dicitur מִצְנֶפֶת Mitsnephet, quod Septuaginta vertunt μίτραν, mitram. Et tegmen illud quod sacerdotibus commune erat, dicitur מַגְבָּעוֹת Migbaoth, quod Septuaginta verterunt, κιδάρεις. Omnino ergo videtur. quemadmodum & Iosephus apertè testatur, summum sacerdotem præter pileum illi cum aliis sacerdotibus communem, habuisse etiam alium lacuminatum, quem quidam infulam vocant, cui lamina illa aurea affigebatur, quam etiam Iosephus coronam auream vocat, sed quam dicit triplici ordine circundatam, cuius scriptura nō meminit. Sic enim habet lib. Antiquitat, 3. cap. 8. Porrò pileo, quali cæteri sacerdotes, vtebatur, super quā extabat alius consutilis ex hyacintho variatus, huic aurea corona triplici ordine circumdabat, &c. Pro, mitra, tamen hic Græcis est, κιδάρεως, nomen scilicet quod in Exodo Septuaginta tribuunt pileo sacerdotibus communi. Quod sequitur: expressam signo sanctitatis, Græcè sic habetur, ἐκτύπωμα σφραγίδος ἁγιάσματος, quod desumptum est ex Exodi 28. vbi Septuaginta veterunt. ἐκτύπωμα σφραγίδος ἁγιάσματος. Pro quo nos legimus, sculpes opere celatoris, Sanctum Domino. Hebræa verò habent; Sanctitas Domino. Quod dupliciter intelligitur, videlicet aut quòd in lamina illa aurea sculpta fuerint illa verba, קֹדֶשׁ לַאדֹנָי Codesch Ladonai, hoc est, sanctitas Domino, vt significetur quòd soli Domino competit sanctitas, quòdque ipse solus sanctus sit, iuxta canticum Seraphin: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth. Iuxta quem intellectum cùm in nostra lectione dicitur; Sanctum Domino; dictio, Sanctum, substantiuè accipi debet. pro, Sanctitas, Aut quòd in lamina illa aurea tantùm sculptum fuerit sanctissimum nomen Domini tetragrammaton, quod Iudeis ineffabile erat, vt illud dicatur sanctitas Domino, vt habēt Hebræa, aut sanctum Domino, vt nos legimus, aut sanctificatio Domini, vt verterunt Septuaginta: quia illud nomen sanctum erat Deo, & sanctissimum haberi voluit. Sic intellexit diuus Hieronymus scribēs loco supradicto, in lamina scriptum fuisse nomen Dei Hebraicis quatuor literis, י Iod; ה He, ו Vau, ה He, quod apud Iudæos ineffabile nuncupatur. Sic & Iosephus dicēs coronam auream sacris characteribus nomen Dei incisum habuisse. Et in libro Sapientiæ cap. 18. dicitur, quòd magnificentia Dei scripta fuit in diademate capitis. Cùm ergo hic dicitur, coronam auream fuisse expressam signo sanctitatis, significatur exsculptam eam fuisse instar sigilli signo sanctitatis, hoc est, sculptam in ea fuisse velut in sigillo signum sanctitatis, hoc est, nomē Dei sanctissimum quo eius sanctitas significatur, quia illud nomen essentiam significat: proinde insinuat Deum sic per sese esse vt fons sit & origo omnium essentiarum. Porrò quo sequens versus bene intelligatur & legatur, notandum primò Græcis non esse coniunctionem; Et gloria vel gloriam. Atque ea coniuctio etiam non est in multis scriptis emendatioribus, nec apud Dionysium, qui nomen, gloria, appositiuè coniungit cum, corona aurea. An autem legendum sit per nominatiuū, gloria, an per accusatiuum, gloriam, cùm vtrunque in nostris scriptis reperiatur, ex Græcis non satis constat, quia dictio κὰυ χυμα, potest esse vtriusque casus. Sanè si ad coronam referendum sit, sicut per accusatiuum legendum est, Coronam auream sic & per accusatiuum legendum est, gloriam, honoris, vt significetur ipsam coronam fuisse summo Pontifici gloriam honoris, hoc est, ornamentum honorificum, vel, vt est Græcis, gloriationem honoris, hoc est, per quam gloriari potuit de singulari honore: eandem etiam coronam fuisse opus virtutis, hoc est, opus declarans, eximiam eius authoritatem & eminētiam. Verùm quibusdam videtur hic versus non pertinere tantùm ad explicandam dignitatem ipsius coronæ, sed potius referendus ad totum illum ornatum sacerdotalem, de quo iam per partes dictum est, quia pro; opus virtutis; quædam Græca habent; ἔργα ἰσχύος, opera fortitudinis. & sequitur; desideria oculorum ornata. Itaque intelligunt, omnia illa quæ dicta sunt de vestitu sacerdotali, esse gloriam honoris, & opera sacerdotis eximiam authoritatem declarantia. Iuxta quem sensum perinde est siue legatur per nominatiuum, gloria, vt subaudiatur: Hæc omnia sunt gloria honoris & opera virtutis, oculísque spectantium grata & desiderabilia: siue per accusatiuum, vt repetatur verbum, induit, aut verbum, imposuit. Legendum autem esse, Desideria oculorum ornata; vt multa scripta habent, & non vt quidam libri corruptè habent, desiderio; Græca demonstrant, quæ habent ἐπιθυμήματα, desideria. Et est sensus: quod ipsa corona, & omnia quæ de vestitu sacerdotali dicta sunt, fuerint desiderabilia oculis hominum, & ornata valde. Quo satis innuitur cur huiusmodi ornatum & splēdorem Deus in sacerdote esse voluerit: nempe quia talis hominum oculis gratus est, induceret eos ad reuerentiā sacerdoti & cultui diuino exhibendam. Nec tamen hæc sola causa fuit instituti à Deo huius ornatus, sed etiam ob occultam quarundam rerum significationē, quemadmodum etiam ante Christum Iudæi intellexerunt. Nam Sapientiæ 18. dicitur: In veste poderis quam habebat, totus

totus erat orbis terrarum. Itaque & Ioſephus explicat quomodo veſtitus ſummi Sacerdotis ſignificauerit totum orbem, vt videre licet lib. 3. Antiquitat. cap. 8. iuxta nouam verſionem. Apud nos verò Chriſtianos, totus hic ſacerdotalis apparatus non tàm ad ſignificationem orbis terrarum eſt referendus, ſed etiam & magis ad Chriſtum: verè ſummum ſacerdotem, qui finis eſt teſte Paulo totius legis, vt intelligamus in eo apparatu ſignificatam perfectionẽ omnium virtutum quæ in Chriſto conuenerunt, obquam Deo patri meritò gratiſſimus eſt, & nobis reuerendus: ſignificatum item quales virtutes ad ipſius imitationem eſſe debeant in eis qui vicarij eius eſſent futuri in nouo populo ſacerdotes atque Pontifices: quemadmodum prolixè ea de re patres quidam ſcripſerunt, vt Rabanus & Beda, & paucis pulchrè complexus eſt D. Thomas in prima ſecundæ artic. 5. ad 9. Huic autem ſacerdotali apparatui tantùm tribuit etiam ipſe Deus, vt prædicto libri Sapientiæ loco dicatur: His autẽ ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit. Quod non ſic eſt intelligendum, quaſi veſtitus ille per ſe aliquam habuerit efficaciam, ſed quòd Deus ceſſare fecerit plagam ſæuientem propter orationem ſacerdotis, tali habitu orantis vt à ſe inſtitutum fuit: propter Chriſtum item, qui in ſacerdote ſic veſtito figurabatur. De hoc veſtitu adhuc ſequitur:

18 *Sic pulchra ante ipſum non fuerunt talia vſque ad originem.*

19 *Non eſt indutus illa alienigena aliquis, ſed tantùm filij ipſius ſoli, & nepotes eius per omne tempus.*

IN cõmendationem Aaronis dicitur, quòd nec ante ipſum fuerint tam pulchrè veſtes vſque ad originem mundi, nec poſt ipſum quiſquam alienigena, hoc eſt, ex alio genere vel tribu natus illas induit vnquam, ſed tantùm filij eius & nepotes, idque in omne tempus quamdiu legis Moſaicæ ritus perſtitit. Qua in re ſignificatum eſt myſticè vnum tantùm eſſe, nempe Chriſtum, in quem verè competit omnis perfectionis & elegantiæ plenitudo, quique verè ſolus ſit ſummus Sacerdos. Demonſtratum item quàm conueniat in nouo populo, vnum eſſe in terris, qui toti præſit eccleſiæ, ſolúsque ſit ſub Chriſto vicarius eius Pontifex. Pro: vſque ad originem: quidam legunt, vſque ad orientem. Græcis eſt ἐὰς ἀωνος, vſque in ſæculum, hoc eſt, à ſæculo & ab origine mũdi: proinde melius legitur; vſque ad originem; hoc eſt, etiamſi recurratur ad originem mũdi. Quamuis ſimiliter etiam intelligi poſſit, vſque ad orientem mundum.

20 *Sacrificia ipſius conſumpta ſunt igne quotidie.*

PErinde eſt ſiue legatur, conſummata, ſiue, conſumpta, cùm idem ſignificetur. Poſtquàm ergo de Aaronis veſtitu dixit, incipit & dicere de eius ſacerdotali officio. De quo illud primùm commemorat, quòd quemadmodum illius veſtitus perpetuis temporibus ad filios eius pertinebat: ita etiam ſacrificia illius perpetua erãt, & quotidie bis igne penitus abſumebantur. Loquitur enim de ſacrificiis illis quæ quotidie fiebant ex duobus agnis: quorum alterum mane in holocauſtum offerebatur, alterum veſperi. vnde Græca hic habent, quotidie bis. Quæ tamen ſacrificia non erant propria ipſi Aaroni & ſummo Pontifici, ſed etiam per minores ſacerdotes offerebantur. vnde quædam Græca hic habent; Sacrificia illorum; vt ad Aaron & filios eius referatur, de quibus dicitur in verſu præcedente. Ideo autem de his ſacrificiis hic peculiariter fit mentio, quia hæc perpetuò in altari ardebant, & per hæc ignis in altari ſemper erat: quibus & quod de aliis ſacrificiis cõburébatur imponebatur, vt patet Leuit. 6. vbi dicitur: Hæc eſt lex holocauſti. Cremabitur in altari tota nocte vſq; mane: Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriat ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum, &c.

21 *Compleuit Moyſes manus eius, & unxit illum oleo ſancto.*

COmplere vel implere manum alicuius, Phraſi Hebraica ſignificat in ſcripturis illum ſacris imbuere & initiari: vnde ſæpe vertit diuus Hieronymus, conſecrare manus, quandoque tamen vertit, implere manum, vt bis Iudic. 17. Quidam hanc phraſim explicare volentes, putant ſubaudiendum, oblationibus, vt ſit, implere manum oblationibus. At magis dicendum verbum, complere vel implere, accipi pro perficere, quia dictio Hebraica etiam perficere ſignificat. Itaque implere manus alicuius, eſt eas perficere, eisque ius dare, & poteſtatem offerendi Domino ſacrificia. Sic enim perficiuntur manus, quod nõ eſt aliud quàm, vt bene vertit Hieronym. conſecrare eas. Vnde & Exodi 32. vbi nos legimus dictum Leuitis, Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino; Hebræis eſt verbum quod implere ſignificat, vbi tamen non eſt locus intelligendi, Impleuiſtis oblationibus manus veſtras hodie Domino; ſed potius; Perfeciſtis manus veſtras hodie Domino; hoc eſt, conſecraſtis eas, obtinuiſtisque eis ius ſacerdotale & oblationum. Quomodo autem Moyſes Aaronem conſecrauerit, oſtenditur cùm ſubiungitur, & vnxit illum oleo ſancto. Erat autem ſingularis quædam vnctio propria Aaroni &, ſummo ſacerdoti, nẽpe qua oleum vnctionis fundebatur ſuper caput eius. Nam dicitur Exo. 29. Oleum vnctionis fundes ſuper caput eius, atque hoc ritu conſecrabitur. Et Leuitici 8. dicitur quòd Moyſes fundens oleum ſuper caput Aaronis vnxit eum, & cõſecrauit. De reliquis verò ſacerdotibus filiis Aaron dicitur eodem capite, quòd aſſumens vnguentum vel oleum & ſanguinem qui erat ſuper altare, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta eius, & ſuper filios eorum ac veſtes

veſtes eorum. Vnde in pſalmis dicitur peculiariter de Aaron: Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Oleum autem ſacrum dicitur, cuius confectio diuinitus præſcripta eſt, vt ſcribitur Exodi 30. ex oleo oliuarũ & quatuor odoriferorum aromatum ſpeciebus, quo nemo vti potuit, & ſolùm conſecrationi ſacrorum vaſorum & ſacerdotum deputatum fuit. *Pſ.* 132.

22 *Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini eius ſicut dies cœli.*

23 *Fungi ſacerdotio & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine ſuo.*

ORdo eſt iſte; Ipſum fungi ſacerdotio, factum eſt illi in teſtamentum, hoc eſt, pactum æternum, & in diſpoſitionem per omne tempus duraturã, & poſteritati quoque eius factum eſt ſicut dies cœli, hoc eſt, vt tamdiu ei duraret quandiu durant dies cœli. quomodo & in Pſal. 88. dicitur de Dauide & eius poſteritate: Ponam in ſæculum ſæculi ſemẽ eius, & thronum eius ſicut dies cœli. Porrò pro; fungi ſacerdotio & habere laudem; Græcis eſt, Miniſtrare ei ſimul & ſacrificare, & benedicere populum in nomine eius, nempe Dei. Proinde noſtram literam ſic conuenit intelligere; Fungi ſacerdotio, & habere poteſtatem omnium nomine laudandi Deum ſolenniter, & glorificare, hoc eſt, benedicere, ac bona imprecari populo Dei in nomine ipſius, quemadmodum præſcribitur Num. 6.

23 *Ipſum elegit ex omni uiuente offerre ſacrificium Deo, incenſum & bonum odorem, in memoriam placare pro populo ſuo.*

EXaggerat Dei beneficium Aaroni præſtitum, quòd ad ſacrificandum ipſe præ & ex aliis omnibus tunc viuentibus à Deo electus ſit, Deo ſcilicet ipſum ſua gratia præueniente. Et indicat duplex oblationis genus quod ei concreditum erat, alterum quod offerẽdum erat ante fores tabernaculi ſuper altare æneũ, quod à præcipuis hoſtiis quæ in eo offerebantur, dicitur altare holocauſtorum. Ideo enim dicit offerre ſacrificium Domino, vbi pro, ſacrificium, eſt Græcis κάρπωσιν, quo nomine Septuaginta ſæpe vocãt, holocauſta. Alterum erat oblationum genus, quod fiebat intra tabernaculi priorem partem ſuper altare aureum, quod thymiamatis dicitur, quia ſuper illud ſingulis diebus, mane & veſperi thymiama adolebatur, confectum ex quatuor aromatibus, vt ſcribitur Exodi 30. Ideo ergo additur; incenſum & bonum odorem. Hunc autem dicit illum Deo obtuliſſe in memoriam, hoc eſt vt Deus ſui populi memor eſſet in bonũ; placare pro populo ſuo; hoc eſt, ad hoc vt Deũ, placatũ redderet & propitium populo ſuo. Non quòd ſuauitas odoris per ſe quicquam faceret ad placandum Deum, velut odoris ſuauitate illectũ, ſed quòd illa fieret ex obedientia legis præſcribẽtis, & ſignificaret orationis & deuotionis ſacerdotalis atq; populi gratiam & efficaciã apud Deum, ita vt ſigno tribuatur quod ſignato propriè conuenit.

24 *Dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, in teſtamentis iudiciorum.*

25 *Docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucem dare Iſrael.*

MElius omittitur coniunctio, &, quæ in quibuſdã libris inuenitur; Et dedit illi; quia ſicut nõ eſt in Græcis, ita nec in multis ſcriptis. Aliud enim hic ſacerdotale exprimitur officium, docẽdi ſcilicet populum legem Dei. Non eſt autem intelligẽdum quod dicitur; dedit illi in præceptis ſuis poteſtatẽ, quaſi Aaroni data ſit poteſtas diſpenſandi in præceptis legis, eáque mutandi, ſed quod ei data ſit authoritas legem docendi, interpretandi, & in dubiis diffiniendi, ita vt hæc pertineant ad eum ex ipſius officio: vnde & interpretando quod dixit, poteſtatem, ſubiicit; Docere Iacob; hoc eſt, vt doceret Iacob præcepta quibus Deus teſtatus eſt populo ſuo voluntatem ſuam; & in lege ſua dare Iſraëli lucem; hoc eſt, illuminare illum, docẽdo ſcilicet illum legem Dei, & eam in dubiis & perplexis interpretando. Hinc dicit Malach. cap. 2. Labia ſacerdotis cuſtodiẽt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ eſt. Et in Deut. cap. 12. dicitur: Si difficile atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, venies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ qui fuerit illo tempore, & quæres ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem.

26 *Quia contra eum ſteterunt alieni, & propter inuidiam circumdederunt illum in deſerto.*

27 *Homines qui erant cum Dathan & Abyron, & congregatio Chore in iracundia:*

28 *Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ.*

29 *Fecit illis monſtra, & conſumpſit illos in flamma ignis.*

CONiunctio, quia, iam non legitur in Græcis, ſed abſolutè narratur hiſtoria. In noſtra lectione conuenit ſententiam intelligere ſuſpenſam vſque ac illud, Vidit Dominus Deus, vt ibi ſententia abſoluatur. Poſt commemoratam ſingularem eminentiam Aaroni à Deo collatam, ſubiũgit & hiſtoriam de ſeditioſis contra Aaronem cõcitatis ex inuidia, quę ferè ſequi ſolet aliorum præcellentiam & honorem: quorum tamen ſeditionem ita Deus vltus eſt, vt demõſtrauerit eam ſummè ſibi diſplicere, ficque Aaronis dignitatem non ſolum tutatus eſt, ſed eandem etiã magis illuſtrauit & auxit. vt ſcribitur Numeri 16. & 17. Porrò ſeditio, quæ hic attingitur, ſicut non ſolùm contra Aaronem, ſed etiam contra Moyſen mota fuit: ita ab hominibus diuerſarum tribuum, ſimili tamen ſuperbiæ & inuidiæ ſpiritu, excitata eſt. Ea enim facta eſt partim à Core, qui erat de tribu Leui, cum ſibi adhærentibus: partim à Dathan & Abyron & Hon, qui de tribu Ruben erant, quorum ille indignabatur ſacerd

sacerdotium soli Aaroni & filiis eius attributum, volens illud etiam sibi suísque vendicare, tanquam etiam ex tribu Leui existentibus: hi verò indignabantur Moysen & Aaron principatum in populo obtinere, volentes eum deberi tribui Ruben tãquam primogenito Iacob. Seditio tamen hæc describitur tanquam contra Aaronem solum exorta, quòd à Core hæc seditio maximè principium sumpserit, quòdque excitata sit postquã Aaron à Moyse in sublimem suum gradum constitutus fuit. Horum seditionem Deus ostendit sibi admodum displicere, dum illos non communi aliqua vindicta, sed noua & prius inaudita subitò perdidit; Dathan quidem & Abyron cum ipsorum familiis aperta terra viuos demergens in infernum: Core verò cum suis igne cœlesti consumens. ideóque hic dicitur quòd Deus fecerit eis monstra, hoc est, fecit in eis admiranda, insolita, & inaudita. Quod autem additur; & cõsumpsit illos in flamma ignis; non exprimit totam illatam vindictam, sed tantùm præcipuam, & eam quæ ipsum Core seditionis authorem simul cum ducentis quinquaginta viris inuoluit, vt scribitur Numer. 16.

30 *Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hæreditatem, & primitias frugum terræ diuisit illi.*

COmmemorat quæ post mirabilem illam vltionem Dei beneficio accesserint Aaroni, dicens; & addidit Deum Aaroni gloriam; hoc est, cùm eam illi conarentur auferre, sibíque vendicare, contrà Deus illi addidit gloriam, tum quia vltione illa mirabili, & item subsecuto miraculo florentis virgæ, de qua Numer 17. Deus illi sacerdotalem dignitaté confirmauit, tum quia mox etiam adiecit ei ad illius gloriã, ea quæ describuntur sequenti capite. Numer. 18. quæ & hic breuiter attingunt, cùm dicitur; & dedit ei hæreditatẽ; hoc est, singularem possessionem ei dono attribuit. Imprimis enim dedit ei omnes Leuitas vt ministrarent ei in officio sacerdotali, vt patet illo loco, vbi inter cætera dicitur sacerdotibus: Ego dedi vobis fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel. Dedit deinde ei omnes primitias frugum terræ, & primogenita, tam in hominibus quàm in pecoribus, vt eodem loco dicitur. vnde & hic dicitur; & primitias frugum terræ diuisit ei; pro sua scilicet portione quam haberet inter filios Israel. De qua portione etiam sequitur.

31 *Panem ipsius in primis parauit in satietate. Nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi & semini eius.*

PArauit, inquit, & prouidit ei panem, hoc est, cibum, in primis, hoc est, in omnibus primitiis terræ nascentium, ídque in satietate, hoc, est abundè & copiosè. Nam & præter primitias dixit eis vt ederent sacrificia quæ Domino offerũtur: in quibus omnibus præter holocausta suam partem habebant, & aliquando ex integro eorum erant præter ea quæ adolenda erãt, vt sacrificia ea quæ pro peccato erant. Tria ergo hic indicantur quæ augẽt Dei beneficium quo prouidet sacerdotibus de cibo, nempe quod is paratus est eis ex primitiis quæ sunt optimi fructus terræ, deinde quòd in abũdantia eis sit paratus, postremùm quòd in sacrificiis Dei, cibo scilicet optimo & sanctissimo, eis sit prouisum. Itaque cùm sic eis insigniter & nobiliter præ aliis esset prouisum, meritò etiam eis addita est conditio, vt cum aliis non haberent portionẽ cõmunem in diuidenda terra Israelis promissa. Vnde sequitur:

32 *Cæterùm in terra gentis non hæreditabit, & pars non est illi in gente. Ipse enim est pars eius & hæreditas.*

PRima pars huius sententiæ in omnibus quos vidi libris variè corrupta est. Quidam enim habent: Inter gentes. Alij, in terra gente. Alij, in terra gens non hæreditabit, vt sit sensus: Gens Leuitica non accipiet hæreditatem in terra. Alij adhuc peius; In terra egentes. Cùm dubium esse non possit interpretem vertisse; In terra gentis; scilicet suæ Israëliticæ. Nam Græcè est, ὁ γῆ λαῶ, in terra populi. Et refertur hic quod Numeri 18. post prędicta de primitiis possidendis subiicitur, hoc modo: Dixítque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hæreditas tua. Pro quo apud Septuaginta omnino similiter legitur, sicut hic Sapiens citat, mutata tantùm persona secunda & prima in tertiam. Habent enim sic; Et dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum non hæreditabis, & pars non erit tibi in illis, quoniam ego pars tua & hæreditas tua. Dicitur autẽ Deus esse pars, hoc est, portio & hæreditas Aaronis, sacerdotum & Leuitarum, quoniam pro sua portione vnde viuerent acceperũt, quæ Dei proprio iure erant, eíque vel debebantur, vel offerebantur sponte, vt primitiæ, sacrificia, & decimæ. Legendum autem potius per futurum, hæreditabit, quàm per præteritum, hæreditauit, patet ex Græcis, quæ habent, vt dictum est, κληρονομήσει.

33 *Phinees filius Eleazari tertius in gloria est: in imitando eum in timore Domini, & stare in reuerentia gentis in bonitate & alacritate animæ suæ, placuit Deo Israel*

POst Aaronem, transit ad celebrandum nepotem eius Phinees, præterito Eleazaro filio, quòd de eo nihil singulariter præclarũ sit memoriæ mandatum. Itaque ipsum Phinees tertium dicit, non quòd tertius fuerit in sacerdotio, vt fere intelligitur, sed magis quòd in tribu Leui post Moysen tertius fuerit, qui peculiariter laude dignꝰ esset: vnde dicit eum tertium esse in gloria, hoc est qui meritò celebrandus sit, ídque ob zelum illum quo pro Dei honore aliis peccantibus fornicantem Iraelitam cum meretrice Madiani

dianitide audacter in ipso facinore occidit: quo facto Deus se placatum testatus est, eíq; sacerdotiũ pacto sempiterno addixit, vt scribitur Numer. 25. [redacted] vt Græcè scripsit, ita hic, vt & alibi, imitatus est Septuaginta, vtens eisdẽ vocibus quibus illi vsi fuerant. Nam pro; in imitando ipsum Græcè est ἐν τῷ ζηλῶσαι αὐτὸν. Quod etsi etiam verti possit; in imitando eum; quod verbum ζηλόω etiam imitari significat: tamen hoc loco magis vertendum erat; eò quòd zelo accensus fuerit; quia ea de re commendat eũ Dominus, dicens: Quia zelo meo commotus est contra eos, &c. vbi etiam Septuaginta habẽt ἐν τῷ ζηλῶσαι. Vnde cùm nos legimus; in imitando illum; relatiuum, illum, quod commuiter refertur ad Aaronem, vt significetur ipsum Phinees imitatum Aaronẽ in timore Domini, referri potest ad Deum, vt significetur ipsum per timorem Domini imitatum Deum in zelo ipsius. Iam pro eo quod noster vertit; in reuerentia gentis, Græcè est ἐν στροφῇ λαοῦ, hoc est, in conuersione vel defectione populi. Et significatur, cùm populus deficeret à Deo, & conuerteretur ad idola Moabitarum, Phinees fortiter perstiterit. Interpres videtur legisse, ἐν ἐντροπῇ, quia ea dictio sæpe in scripturis vertitur, reuerẽtia. Et accipitur nomen, reuerentia, aliquoties in malam partem pro erubescẽtia, verecundia & pudore, vt cùm dicitur Psal. 34. Induantur confusione & reuerentia. Et 1. Corinth. 6. Ad reuerentiam vestram dico. Proinde etiã hic quò ad sensum originalis literæ accedamus sensus esse potest, quòd Phinees steterit in erubescentia illa & confusione gentis Israeliticæ, hoc est, cùm populus ille incidisset in ignominiosum illud scelus, vt fornicaretur cum filiabus Moab, earúmque Deos adoraret. Pro; placuit Deo Israël; Græcè hic est, ἐξιλάσατο περὶ Ἰσραήλ, hoc est, placuit vel expiauit pro Israel, quomodo & Septuaginta verterunt in libro Num. vbi nos legimus; Et expiauit scelus filiorum Israel, vt videri possit interpretem vertisse non placuit, sed placauit Deo Israel, hoc est, placauit ipsum Israelem Deo. Debet autem apud nos legi cum præpositione, In imitando; quomodo legit Rabanus, quæ præpositio etiam referri debet ad verbum, stare, vt nostræ lectionis collatæ cum originalibus hic sit sensus: Quia Phinees imitatus est Aaronem in timore Domini. Aut potius quia per timorem Domini imitatus est Deum in zelo suo, & quia cùm ignominiosè & turpiter populus laberetur, ipse fortiter stetit in bonitate animæ suæ & alacritate, hoc est, promptitudine ad vindicandum iniuriam Deo illatam, ideo ipse placuit Deo Israel, ipsúmq; Israelem irato Deo placauit & reconciliauit.

34 *Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sancto rum, & gentis suæ, ut sit illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum.*

COmmemorat Sapiens quod Dominus ob egregium Phinees factum dixit de Corn. Ians. in Ecc.

eo: Ecce do ei pacem fœderis, & erit tam ei quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum. Vbi pro pacem fœderis: Septuagin ta habent, sicut hic, διαχήκην εἰρήνης, testamentum vel pactum pacis, hoc est, testamentum pacificum, & quo ei adduxit pacem & fœlicitatem. Quod autem sit illud testamentum pacis, explicatur cùm subditur, principem sanctorum; quod sic coniungi debet cũ præcedenti; Statuit illi testamentum pacis; esse scilicet eum principem sanctorum, Vbi per, sanctorum, intelligi possunt vel omnes sacerdotes atque Leuitæ qui Deo sanctificati erant, quorum princeps erat summus sacerdos: vel omnia sancta ministeria & vasa, quorum cura imprimis commissa fuit summo sacerdoti. Ne autem ad tempus putaretur ei principatus addictus, additur sic eum constitutum à Deo ex pacto principem sanctorum, vt sit illi & semini eius sacerdotij dignitas in æternum. Circa quod tamen testamentum & pactum ipsi Phinees factum, duplex oritur quæstio. Primùm enim cur Deus summum sacerdotium promittit ipsi Phinees, cùm illud ei deberetur ex legis constitutione, quia erat primogenitus filius Eleazari. Deinde quomodo semini eius in æternum sacerdotij summi dignitas promittitur, cùm Heli fuerit summus sacerdos tempore Samuelis, & aliquot filij eius post eum, qui tamen non fuerit ex semine Phinees, sed ex semine Ithamar, vt patet satis 1. Paral. 24. Dicendum ergo, Dei pacto hoc accessisse ipsi Phinees, quòd per illud ei promitteretur ipsum superuicturum supra patrem suum, vt sic post eum summo sacerdotio fungeretur: deinde quòd posteritas eius & semper esset permansura, nec vnquam defectura, & semp habitura ius summi sacerdotij. Quod autem ad aliquod tempus videatur summũ sacerdotium fuisse in filiis Ithamar, per Heli & filios eius, an legitimè factum sit, & qua de causa non constat ex scriptura, nec ex Iosepho. Illud tamen constat, etsi ob causam hoc factum sit, ius tamen semper mansit in posterioritate Phinees, nec vnquam in totũ ab eius posteritate ablatum est. Vnde & Dauid cum Abiathar, qui erat ex filiis Ithamar, simul constituit Sadoc, qui erat ex Phinees, & postea Salomon sublato Abiathar solùm Sadoc voluit esse summum sacerdotem, in cuius posteritate permansit vsque ad captiuitatem Babylonicam, vt patet 1. Reg. 6. Et post captiuitatem constat etiam perdurasse sacerdotium summum vsque ad proxima tempora Christi in progenie Phinees, quia etiam Machabæi vocant Phinees patrem suum. Phinees, inquit Mattathias, pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni. Et notandum bene, quòd solius Eleazari per Phinees generatio texitur 1. Paralip. 6. vsque ad captiuitatem Babylonicam, quodq; tempore Dauidis duplo plures inuenti sunt filij Eleazari quàm filij Ithamar, ita vt sexdecim essent ordines sacerdotum ex filiis Eleazari, octo vero tantùm ex filiis Ithamar, vt hinc intelligamus vim pacti diuini.

35 *Et testamentum Dauid regi filio Iesse de tribu Iuda hæreditas ipsi & semini.*

36 *Vt daret sapientiam in cor nostrum, iudicare gentem suam in iustitia.*

37 *Ne aboleretur bona ipsorum, & gloriam eorum in gentem æternam fecit.*

QVod ad lectionem attinet, notandum malè à quibusdam legi per genitiuos; Dauid regis filij Ieſſe; cùm per datiuos legẽdum eſſe, regi filio, vt etiã multa ſcripta habent, & meminit etiam Gloſa Ordinaria, pateatex originalibus Græcis. Quod ad ſenſum verò pertinet, eum ſatis extraneũ noſtri hic adferũt, & Græca admodum ſunt perplexa. Ex quibus tamen ſatis conſtat hic obiter fieri comparationẽ dignitatis ſacerdotalis & regiæ, quoad perpetuitatem in ſucceſſione promiſſam ipſi Phinees & Dauidi. Et ex collatione facta cum Græcis, hic poteſt noſtræ lectionis reddi commodus ſenſus. Et ſicut pactum factum ipſi Phinees filio Eleazari de tribu Leui, fuit de ſacerdotio in æternum permanſuro in ſemine eius: ita etiam teſtamentum & pactum factum Dauidi regi filio Ieſſe de tribu Iuda fuit hæreditas ipſi Dauidi & ſemini eius, hoc eſt, fuit de perpetua poſſeſſione regni. Id autẽ ſignificat ita Deũ conſtituiſſe, vt bene proſpiceret per vtrãque poteſtatem populo ſuo, & vtrique etiam illi generationi æternam adiiceret gloriã. Ideoque ſubiicitur: Vt daret, Deus ſcilicet, ſapiẽtiam in cor noſtrum; per officium ſcilicet ſacerdotale, ad quod potiſſimùm pertinebat docere populum. Iudicare item gẽtem ſuã, hoc eſt, vt iudicaret etiam gentem ſuam in iuſtitia, quod potiſſimùm pertinebat ad poteſtatem regiã. Et hæc quidem eſt cauſa cur vtramque poteſtatem in populo cõſtituerit Deus: cur autem vtramq; perpetuam addixerit dictis duabus generationibus & tribubus, ſignificat cùm ſubditur; Ne aboleretur bona ipſorum, &c. Vbi relatiua, ipſorũ & eorũ, vel poſſunt referri ad Phinees & Dauid, vt ſit ſenſus: Deum his duobus eorum dignitatem promiſiſſe fore perpetuam, ne bona eis collata vnquam abolerentur, ideoq; eorum gloriam fecit eſſe æternam in gente, & progenie ipſorum. Nam quidam libri habẽt, in gente: alij, in gẽtem Græca εἰς λαοὺς αὐτῶν, in generationes ipſorum. Vel poſſunt referri ad Iſraeliticum populum, vt ſignificetur Deum hoc feciſſe ne bona quæ per has dignitates illis acceſſerunt, & gloria item quæ inde illi populo prouenit, vnquam eis auferetur, ſed eſſent eis perpetua.

Caput XLVI.

1 *Fortis in bello Iesus filius Naue, succeſſor Moysi in prophetis.*

Occapite conſequenti ordine celebratur Ieſus filius Naue, & ſocius eius Caleb. Deinde communiter Iudices qui poſt eos fuerũt, non expreſſis eorũ nominibus. Poſtremùm fit egregia mentio Samuelis. Vocatus autẽ hic Ieſus filius Naue, quem D. Hieronymus vocat Ioſua filium Nun, nõ quòd binominis eſſet ipſe & pater eius, ſed quia quẽ Hebræa vocant, יהושע Iehoſua, pro quo Hieronymus poſuit Ioſue, Septuaginta, quos noſter hic ſecutus eſt, vocant Ἰησοῦς, eodem ſcilicet nomine quo dictus eſt noſter ſaluator. Et quem Hebræa vocant Nun, Septuaginta vocant ναυῆ. Dicebatur iſte Ioſue prius Oſee, vel, vt eſt Hebræis, הושע Hoſea, ſed Moyſes appoſitione vnius literæ. & mutatione vnius puncti, vocauit eum Iehoſua, vt ſcribitur Nume. 13. Iſte ergo hic peculiariter celebratur à fortitudine quam in bellis præſtitit, & viuẽte adhuc Moyſe deuincens Amalechitas, & reges Amorrhæorum, & poſt Moyſen proſternens Cananæos. Celebratur & ab eo q̃ meruit Moyſi tanti viri & ducis eſſe ſucceſſor in regimine populi, & ſpiritu prophetiæ. Rurſum enim hic pro eo quod libri conſtanter habent in prophetis, Græca habẽt, ἐν προφητείαις, in prophetiis, vt ſignificetur Ioſue ſucceſſiſſe Moyſi in ſpiritu prophetico, & intelligatur eum non humana prudẽtia rexiſſe populum, ſed, ſicut Moyſes, omnia geſſiſſe iuxta reuelationem & inſpirationem diuinam. Vnde de eo dicitur Deut. 34. Poſt mortem Moyſis Ioſue filius Nun repletus eſt ſpiritu ſapientiæ. quia Moyſes poſuit ſuper eũ manus ſuas. Et in libro Ioſue loquitur Dominus ad ipſum, ſicut prius ad Moyſen, inſtruens eum de agẽdis. Quod ergo nos legimus ſucceſſor Moyſi in prophetis; ſic intelligendum eſt, quòd fuerit ſic ſucceſſor Moyſi, vt poſt eum fuerit inter prophetas, hoc eſt, fuerit propheta, cui Dominus ſuam volũtatem indicauit, ſicut prius Moyſi.

2 *Qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salute electorum Dei expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.*

GRæcè non eſt, maximus, ſed tantùm, magnus. Et legendum eſt potius: in ſalute; vt habẽt quædam ſcripta emendatiora, quã, in ſalutem; quia Græcè eſt, ἐν σωτηρίᾳ. Commendatur ergo ab eo quòd ſicut nomen habuit magnum, videlicet quod à ſalute deriuatur, & ſaluatorem ſignificat: ita etiam reſponderit ſuo nomini, in præſtanda ſalute & incolumitate eorum quos Deus ſibi elegerat in populum, ita vt pro eis expugnaret hoſtes inſurgentes cõtra populum Dei, ad hoc vt Iſraeliticus populus conſequeretur hæreditatem ſibi à Deo promiſſam. Infinitiuus enim, expugnare, poſitus eſt Græco more pro gerundio, expugnando. Hac ſanè in re magnus eſt declaratus Ioſue, ſi hiſtoriam ſolum ſpectes: at maior deprehendetur, ſi conſideremus eum hac in re ſingularem typum geſſiſſe noſtri Saluatoris, cùm quo aut idem aut ſaltem valde vicinum nomen habuit commune. Vt enim ille dictus eſt à Moyſe Iehoſa, à ſalute corporali quam præſtitit populo Dei: ita & noſter ſaluator nomen à Deo patre accepit à ſalute ſpirituali

tuali quã attulit populo Dei & electis eius, expugnando pro eis hoſtes eorum, & terrã promiſſam eis diſtribuendo. An autem omnino idem fuerit apud Hebræos nomen noſtri ſaluatoris & ipſius Ioſue, ſicut in Græcis idem omnino eis nomen eſt, non eſt huius loci inquirere.

3 *Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas & iaculando contra ciuitates romphæas?*

ALluditur ad id quod in prima illa victoria, quam Ioſue ſua manu & fortitudine obtinuit de vrbe Hai, ſcribitur de eo, vt eſt Ioſue 8. capite: Ioſue verò non contraxit manum quam in ſublime porrexerat, tenẽs clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Pro, iactando, Græcè eſt ἐν τῷ ἐκτεῖναι, & in extendendo, & eſt ſingulari numero ῥομφαίαν, quo nomine in ſcripturis ſæpe ſignificatur gladius. vt ſit ſenſus: & extendẽdo gladium contra ciuitates. Noſter vertendo; iactando romphæas; per romphęas videtur hic intellexiſſe iacula miſſilia, quę ipſum nomen etiam ſignificat, maximè ſi haſtę ſpeciem præferant, & longa ſint quanquam iactare romphæas, etiam accipi poſſit pro vibrare gladios. Nam de iaculis Ioſue non ita legimus, ſicut de gladio eius.

4 *Quis ante illum sic restitit, Nam hostes ipse Dominus perduxit.*

PRior pars ſignificat neminem ante Ioſue ſic reſtitiſſe hoſtibus populi Dei ſicut ipſe, nec quidem Moyſen, qui non ita armis pugnauit ſicut Ioſue, quo nemo cum pluribus hoſtibus negotium habuit, nemo efficacius & glorioſius ſuperauit. Secundam partem Græca in Complutenſi æditione aliter habent ſic: τοὺς γὰρ πολεμοῦς κυρίου ἀυτὸς ἐπήγαγεν, hoc eſt, Nã prælia Domini ipſe adduxit, hoc eſt, direxit, & ductor eorum fuit. Germanica tamen æditio ſic habet, quomodo noſter declarat ſe legiſſe: τοὺς γὰρ πολεμίους ἀυτὸς κύριος ἐπήγαγεν. Nã hoſtes ipſe Dominus perduxit; quomodo & ſcripta quædã noſtra habent, & impreſſa nunc biblia. Id cùm nõ intelligeretur, verbum, perduxit, in multis libris mutatum eſt in percuſſit, vt ſignificetur Ioſue non tam ſua virtute quàm Dei viciſſe hoſtes Dei. At potius interpretem vertiſſe, perduxit, Græca ſatis indicant. Quæ verſio ſic videtur accipiẽda, vt ſignificet ipſum Dominum excitaſſe ei hoſtes, & adduxiſſe contra illum, quibus ſe opponeret, & pugnãdo glorioſas reportaret victorias. Aut potius ſic: Ipſe Dominus perduxit vel adduxit hoſtes in manus eius, iuxta illud quod ei dicitur à Domino: Ne timeas, In manus enim tuas tradidi, vt eſt Ioſue 10. ſicut & quod ſequitur.

5 *An non in ira secundia eius impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo?*

MVlti libri habent; Aut non; ſed quidam melius habent; An non; quomodo & apud Dionyſiũ legitur. Græcè enim eſt ἀυχ. Commemoratur hic quod deſcribitur Ioſue 10. & ad laudem ipſius multum facit, nẽpe quòd cùm pugnaret pro Gabaonitis cõtra quinque reges, & dies deficeret præceperit vt ſol & luna non moueretur: vnde hic dicitur quòd ſol eſt impeditus à progreſſu ſcilicet ſuo, ita vt vna dies eſſent quaſi duo, quia, vt ibi dicitur, ſol non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei, vt eſſet ſpatium Iſraeli vlciſcendi ſe de ſuis inimicis, Pro; in iracũdia eius; Græce eſt ἐν χειρὶ ἀυτοῦ, in manu eius hoc eſt, per ipſum, eiuſq; imperium. Noſtra lectio ſignificat hoc factum eſſe ex zelo & ira eius cõtra hoſtes Dei, quos penitus perdere cupidi, comprehendendi & perimendi. Quod quia à Deo precibus obtentũ eſt, ideo ſubditur.

6 *Inuocauit altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audiuit eum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis uirtutis ualde fortis.*

IN bello illo, quod notatur verſu præcedẽte, Ioſue inuocaſſe Dominum ſignificatur cum dicitur: Tunc locutus eſt Ioſue Domino. Dicit ergo; Inuocauit altiſſimum potentem; hoc eſt, non confiſus eſt in ſua fortitudine, ſed in Dei potentia; in oppugnando inimicos vndique; hoc eſt, cùm illum ex omni parte hoſtes oppugnarent, nam conuenerãt tunc contra eum quinq; reges: & exaudiuit eum magnus & ſanctus Deus non ſolũ iuxta eius voluntatem ſolem retinẽdo. ſed etiã mittendo ſupra hoſtes lapides grãdinis valde fortis potentiæ & efficaciæ, quia, vt ſcribitur prædicto loco, Cùm fugerẽt filios Iſrael, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael. Illud autem; in oppugnando inimicos vndique; Græca magis requirunt, vt exponatur modo iam dicto, quam vt ſit ſenſus: cum ipſe Ioſue oppugnaret inimicos, quamuis Latina ratio eum ſenſum magis requireret.

7 *Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios.*

8 *Vt cognoscant gentes potentiam eius, quia contra Deum pugnare non est facile.*

SVppoſitum verborum, fecit, & perdidit, eſt non, Ioſue, ſed, Deus magnus, qui verſu præcedente dicitur exaudiſſe Ioſue, & poſſet melius ea pars in ſaxis grandinis virtutis valde fortis; coniungi cũ ſequenti; Impetum fecit, vt ſignificetur Deum pugnaſſe pro Ioſue, & impreſſionem feciſſe contra gentem hoſtilem per lapides grãdinis è cœlo ſuper eam demiſſos: quod, vt ſcribitur in Ioſue, fiebat cum eſſent in deſcenſu Bethoron. vnde hic dicitur; & in deſcenſu perdidit contrarios; hoc eſt, aduerſarios populi ſui. Quæ res cùm humanis viribus non perageretur, ſed ſolùm diuina fortitudine, rectè dicit id factum eſſe vt gentes incredulæ cognoſcerent Dei potentiam, qua ſola id fieri

videbant. Quia contra Dominum pugnare non est facile, imò est impossibile & admodum malum. Græca habent, ὅτι ἐνάντιον κυρίῳ ὁ πόλεμος αὐτοῦ, hoc est, quia coram Domino bellum ipsius, hoc est, bellum Iosue placuit Deo, & gerebatur fauente Domino.

9 *Et secutus est à tergo potentes, & in diebus Moysi fecit misericordiam, ipse & Caleb filius Iephone.*

10 *Stare contra hostem, & prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ.*

COmmuniter legitur; Et secutus est à tergo potétes, vt significetur ipsum Ios. 10. in bello insecutum fugiétes potentes reges & principes, quemadmodū scriptum est de eo in bello contra quinq; reges: Et persecutus est eos per viam ascensus Bethoron. Secundum quam lectionem & intelligentiam pars illa pertinet ad superiora. At Græcis inspectis, dubium mihi esse nó potest quin interpres verterit per genitiuū; Et secutus est à tergo potentis, quomodo etiam habuit vnum scriptum magnæ antiquitatis. Græcè enim ἐπηκολούθησεν ὀπίσω δυνάστου, secutus à tergo potentis, vel post potentem. Nec dubium mihi est quin alludatur ad id quod de Caleb resistente murmuri populi, de quo subditur, Dominus dixit: Numero. 14. Seruum meum Caleb qui plenus alio spiritu secutus est me, inducā in terram. Idem enim intelligendum competere in Iosue, qui fuit socius Caleb. Illo autē loco pro; secutus est me, Septuaginta habent ἐπηκολούθησέ μοι. Et Iosue 14. pro eo quod nos legimus dictū; Caleb, quia secutus es Dominum Deum tuum; Græcè est eadem phrasi qua hic, προσετέθης ἐπακολουθῆναι ὀπίσω κυρίου, hoc est, appositus es sequi à tergo Domini vel post Dominum. Dicitur ergo in illo tempore Iosue simul cum Caleb secutus à tergo potentis, & post Dominum potétem, quia cùm alij exploratores humani timoris spiritum sequerentur spectantes solū quid humanis viribus possent, atq; ob id animos populi confringerent suæ diffidétię verbis, isti duo alio spiritu ducti, diuinam & potentiam & veracitatem considerabant, cogitantes quid possent per eum qui suis promisit terram Chananeorū, ideóq; ausi sunt aliis omnibus contradicere. Et ob id hic dicitur Iosue secutus post potentem, quia eius potē tiam considerabat, non autem humanā infirmitatem. Hic sensus quoniam non est intellectus, genitiuus, potentis, mutatus est in accusatiuum, potentes. Aliquot ergo versibus hic in Iosue & Cabel celebratur insignis illa virtus eorū quæ scribitur Nū. 13. & 14. Vnde & hic dicitur de eis quòd in diebus Moysi fecerunt misericordiam, hoc est, opus pietatis & in ipsum Moysen, & ipsum populum, quia scriptū est de Caleb, q; compescēs murmur populi qui oriebatur cótra Moysen, ait: Ascēdamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Qua autem in re fecerint misericordiam, ostenditur cùm sequitur: Stare contra hostem, hoc est, stando contra hostem, & prohibendo populum à peccatis. Infinitiui enim Græco more hic rursum positi sunt pro gerundiis, vel exponendi sunt, ita vt starent contra hostem, & prohiberent gentem. Pro, hostem, quædam Græca habent, ἐκκλησίας, hoc est, ecclesiam, & totam illam populi congregationem, cui resistebāt Iosue & Caleb. Germanica tamen æditio habet, ἐχθρόν, contra hostem. Et videtur singulare positum pro plurali, hostes, qui scilicet cō tradixerunt verbis ipsorum. Pro, perfringere, vel vt, quidam legunt, confringere, quidā habent, perstringere, sed altera lectio magis cōuenit dictioni Græcę κωτάσαι, hoc est compescere & facere cessare.

11 *Et ipsi duo constituti, à periculo liberati sunt à numero sexcentorum millium peditum.*

12 *Inducere illos in hæreditatem, in terram quæ manat lac & mel.*

GRæca clarius habēt, καὶ αὐτοὶ δύο ὄντες διεσώθησαν, &c. Et ipsi duo existētes saluati sunt. Significatur ergo quòd merito suæ constantiæ ex magno illo numero sexcentorum millium peditum, qui, vt scribitur in Exod. egressi sunt ex Ægypto, soli isti duo fuerunt qui sunt saluati & liberati in periculo mortis, quę omnes reliquos inuoluit iuxta verbū Domini spatio quadraginta annorū. Sic autem saluati sunt, & liberati atque subtracti diuino beneficio à morte, vt induceret illos solos Deus in promissam hæreditatem, & in terram illam optimam quæ abundè profundit lac & mel. Verbum enim, inducere, magis referendum est ad Deum, vt significetur Deum illos inducturum in terram Canaam, quàm ad Iosue, qui inducturus erat Israelitas in illam. Alluditur enim ad illud quod in historia dicit Deus: seruum meū Caleb. qui secutus est me, inducam in terram hāc quā circuiuit. Quam Iosue & Caleb profitebantur lacte & melle manare, dicentes populo: Inducet nos in terram, & tradet humum lacte & melle manantem. Porrò cùm hi duo soli dicuntur inducendi in terram promissam, excluduntur Leuitæ, qui non comprehenduntur in numero sexcētorum milium, vt patet Num. 1. Nam Eleazarus & Phinees simul cū Iosue ingressi sunt, & similiter alij multi Leuitæ, quoniam non consenserant in murmure contra Moysen.

13 *Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinē, & usque in senectutem permansit illi virtus.*

14 *Vt ascenderet in excelsum terræ locum, & semen eius obtinuit hæreditatem.*

ALterum præmium à Deo redditum ipsi Caleb hic describitur, quod commemoratur Iosue 14. vbi dicitur in diuisione terræ sorte fienda, Caleb ante omnes petiuisse, & obtinuisse sine sorte possessionem quam volebat, montem quendam à Deo illi promissum: & dicit Caleb se à Deo hoc peculiariter accepisse, vt cùm iam octoginta quinque esset annorum, sic valeret vt eo valebat

lebat tempore quo quadragenarius missus fuit ad explorandum terram. Illius, inquit, temporis fortitudo in me vsque hodie perseuerat tam ad bellandum quàm ad gradiendum. Fructum horum beneficiorum cōcessorum à Deo ipsi Caleb indicat sequens versus; cùm dicitur.

15 *Vt viderent omnes filij Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.*

LEgendum esse, vt viderēt, & non, & viderunt, patet ex Græcis, que habent ὅτως ἴδωσιν. Pro obsequi sancto Deo; Græcè est, πορεύεσθαι ὀπίσω κυρίου, hoc est, ire post Dominū. Alluditur enim ad id quod prius dictum est de Caleb, quòd secutus est à tergo Dei vel post Deum, quod non est aliud quam obsequi Deo, hoc est, eius volūtati se accommodare, atque eius verbis credere.

16 *Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino ut sit memoria eorum in benedictione.*

17 *Et ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorū permaneat in æternum, permanens ad filios illorum sanctorum virorum gloria.*

SVmmatim perstringit laudem Iudicum qui post Iosue fuerunt in populo inculpatæ vitæ. Porrò quò constet de recta huius loci (qui obscurus est in litera) & lectione, & intelligentia; notandum q; in secundo versu legendum non sit, pullulāt & permanet, per indicatiua verba, sicut multi legunt, sed pullulent & permaneat, vt hæc verba correspōdeant verbo, sit, præcedēti, quomodo & scripta & impressa iam correctiora Biblia habēt & Græca requirunt, quæ habent optatiuum modum, ἀναβλάστοι, repullulent. Deinde notandum quòd in priori versu, pro, vt sit, in Complutensi æditione tantùm sit coniunctio, &, ita vt ad verbum habeatur; & memoria eorū benedictionibus. Quam lectionem sequentes intelligunt subaudiendo verbum optatiuum, sit, quod noster expressit, vt sit sensus: Etiam eorum memoria sit in benedictione, sicut & prædictorum. Itaque videri posset apud nos legendum pro, vt sit. Germanica tamen æditio non habet coniūctionem, καὶ, &, sed pro ea habet verbum optatiuū, εἴη, sit. Et sic sententia est manifesta, nisi quòd nominatiuus, Iudices singuli, ponatur absolutè sine verbo, sicut & alias nonnunquam, vt ibi: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vt hūc sensum nostra habeat litera, dictio, vt, est accipienda quemadmodum nonnunquam, vt sit aduerbium optandi pro vtinam, sicut apud Terentiū: Vt illum dij, deæque perdant. In qua acceptione penè supereſt, sicut & hoc loco Græcis omnino nō est. Optat ergo Sapiens vt Iudicum, qui singuli sua nomina habent expressa in scripturis, sit memoria in benedictione, hoc est, vt eorum memoria semper perduret cum laude, significans hoc voto dignos illos esse quorū memoria fiat semper cum laude ipsorum. Non autem vult omnium memoriam fieri cum laude, sed eorum quorū non est corruptum cor, pro quo Græcè est, quorum non est cor fornicatum, hoc est, qui non ad idolatriam prolapsi sunt. Ea enim in scripturis sæpe nomine fornicationis significatur, eáque verè est maxima & præcipua cordis corruptio: vnde & exponendo subiicitur; qui nō auersi sunt à Domino. Quāquam & per alia etiam vitia rectè dicatur cor corruptum, & auerti à Domino, vt videantur quidam Iudices excludi hic à laude, & potissimū Abimelech. Quod subdit Sapiens; Et ossa eorum pullulent de loco suo; significat se optare & illos dignos esse, vt eorum sepulchra cum ossibus eorum nunquam penitus pereant, sed inspecta semper renouent eorum memoriam, sic enim suo modo eorum ossa pullulant de loco suo. Quanquam secretiori sensu etiam videatur significari dignos eos esse qui aliquādo resurgāt in resurrectione iustorū. Quod subiicitur; Et nomen eorum permaneat in æternum, exponit allegoriam quæ est in verbis præcedentibus. Quod sequitur, duplicé habet lectionem. Nam sunt qui legunt per ablatiuos; permanente ad filios illorum sanctorum virorum gloria; Et tunc significatur, quomodo cupiat nomen eorum permanere in æternum, videlicet per hoc quòd permaneat semper ad filios & posteros gloria illorum sanctorum virorum. Plures libri habēt per nominatiuos, permanens gloria; & tunc exponit hæc pars quid sit quod dicitur; nomen eorum permaneat in æternum; hoc est permanens sit ad filios gloria eorum. Græca paulò aliter habent, vt ex eis non satis iudicari possit vtra lectio apud nos sit præferē da. Prior tamen lectio habet commodiorem sensum.

18 *Dilectus à Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renouauit imperium, & unxit principes in gente sua.*

PRosequitur laudes Samuelis qui vltimus fuit Iudicum, attingens ex ordine quæ in scripturis de eo præclariora habentur. Primùm ergo dicit eum fuisse dilectū à Domino, quia de eo scriptum est adhuc in pueritia: Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum. Et mox postea: Puer aūt Samuel proficiebat, atq; crescebat, & placebat tam Deo quàm hominibus. Prophetam autē Domini rectè dicit, quia cùm illo tempore sermo Domini esset pretiosus, nec esset visio manifesta, iste peculiari prophetiæ spiritu donatus est, & quasi prophetarum primus post Moysen habitus est, vnde dicitur Actuū 3. Omnes prophetæ à Samuel & deinceps qui locuti sunt, annunciauerunt dies istos. Pro renouauit imperium; Græcè est, κατεχρίσε βασιλείας vel βασιλέα, hoc est, constituit regna vel regē, quia scilicet in populo Israelitico, qui prius tantùm habebant iudices, instituit primus, petente populo & Deo annuente, regiam potestatem, constituendo regem Saul, & postea Dauidem. vnde & sequitur; Et vnxit principes; nempe Samuel, & Dauidem in

Psal. 22.

1. *Reg. 2.*

1. *Reg. 3*

gente ſua. Itaque quod nos legimus: renouauit imperium; accipi debet pro, de nouo inſtituit imperium regium, & Iudicum poteſtatem mutauit in regiam.

19 *In lege Domini congregationem iudicauit, & uidit Dominus Iacob.*

PEruersè ab omnibus ferè legi; vidit Dominum vel Deum Iacob; & legendũ eſſe vidit Dominus Iacob; quomodo & ſcripta quædam antiqua habebãt, & modò quędam impreſſa, manifeſtum eſt ex Græcis, quæ habent ἐπεσκέψατο κύριος τὴν Ἰακώβ, hoc eſt, viſitauit vel inſpexit Dominus Iacob, hoc eſt, populum Iſraeliticum. Cùm enim in ſaluté populi ſui miſit Deus ſingularem aliquẽ virum poſt lõgam calamitatem, dicitur Deus viſitaſſe populum ſuũ. Sic de Moyſe dicitur: Exod. 4. Audierunt q̃ viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quòd reſpexiſſet afflictionem illorũ. Itaq; q̃ noſtra lectio habet; Vidit Dominus Iacob; ſignificat quòd Deus populũ ſuum reſpexerit, eiúſq; ſe curã habere oſtenderit, mittendo eis talem virũ, qui prius ſub Heli & filiis eius miſerè tractabantur, quando corruptus erat ſtatus religionis & reipublicæ apud Iudæos. Tũc ergo, vt hic dicitur, iudicauit cõgregationem, hoc eſt, totã rempublicam Iſraeliticã (eſt enim hic συναγωγὴ) ſed in lege Domini, hoc eſt, iuxta eiu legẽ, ſine omni acceptione perſonarum, aut commodi ſui expectatione, atque ob id dicitur Deus viſitaſſe ſuum populum, quòd non ſolum prophetam, ſed etiam tam incorruptũ iudicẽ eis dederit. De iudicio Samuelis agitur. 1. Reg. 7.

20 *Et in fide ſua probatus eſt propheta, & cognitus eſt in uerbis ſuis fidelis, quia uidit Deum lucis.*

ALluditur ad illud quod de eo dicitur; Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, q̃ fidelis Samuel propheta eſſet Domini. Eſt ergo ſenſus: q̃ Samuel probatus eſt eſſe verè propheta per fidem ſuam, hoc eſt, fidelitatẽ ſuam, qua nihil dixit, niſi quod à Deo audiuit, & quod non ipſo facto impleretur. vnde & ſequitur: Cognitus eſt in verbis ſuis fidelis. Cùm autem ſequitur; Quia vidit Deum lucis; accipi poteſt conjunctio, quia, vel cauſaliter, vt ſit ſenſus: eum ideo deprehenſum eſſe fidelem, quia videret Deum lucis, hoc eſt, quia à Deo omnis lucis & veritatis authore illuſtratus fuit. Vel infinitè pro, quòd, vt ſit ſenſus: cognitus eſt fidelis, nẽpe quòd viderat Deum lucis, hoc eſt, omnes cognouerunt eum vidiſſe Deum lucis. Cui ſenſui cõuenit ea lectio, quam deprehendi in quibuſdam antiquis & emendatis ſcriptis. Cognitus eſt in verbis ſuis fidelibus, quia vidit Deũ lucis. Quam lectionem præferrem, niſi Græca haberent πιστὸς ἰδάσατο, hoc eſt, cognitus eſt in verbis ſuis fidelis viſionis, hoc eſt, certus & verus in his quæ viderat.

21 *Et inuocauit Dominum omnipotentem in oppugnãdo hoſtes circunſtantes undique in oblatione uiri immolati.*

OStendit iam Samuelẽ non tantùm fuiſſe iudicem incorruptum, & prophetã fidelem, ſed etiam populi ſaluatorem, cùm ab hoſtibus vndiq; premeretur, & maximè à Philiſthæis, vt ſcribitur 1. Reg. 7. Pro, omnipotentem, Rabanus legit, potentem, ſicut & Græca habent δυνάστην, quam dictionẽ etiam ſuprà noſter vertit, potentem. Porrò obſcuritatem aliquam facit quod legimus, viri inuiolati, vel, vt alij legũt, viri immolati, & torquẽt ſe hic noſtri interpretes. Et Cõplutenſis quidem æditio etiam habet ἀνδρὸς, hoc eſt, viri, ſicut noſter ſe declarat legiſſe, ſed pro, inuiolati vel immolati, habet ſicut & alia Græca, γαλαθηνοῦ, hoc eſt, lactentis: vnde non eſt dubium quin per virum lactenté intelligi debeat maſculus ille agniculus, quem Samuel orans pro Iſrael contra Philiſthæos obtulit Domino, vt eſt prædicto capite, vbi etiam Septuaginta habent hanc dictionem, γαλαθηνον. Verum cùm dura ſit hęc locutio, qua vir ponitur pro agno, etſi maſculus etiam ſexus ſit in eo genere, magis veriſimile eſt corruptè in Græcis codicibus quibuſdam legi ἀνδρὸς, & reponendum pro eo eſſe ἀρνὸς, quemadmodum habet æditio Germanica. Imitatus eſt enim noſter Sapiens Septuaginta, qui in hiſtoria prædicta dicunt Samuelem obtuliſſe ἄρνα γαλαθηνον, agnum lactentẽ. Itaq; in noſtra lectione per virum, intelligendus eſt agnus maſculus, & legẽdum eſt potius, inuiolati, quam immolati, quia ſicut eſſe agnũ lactentem commendat ſacrificium à teneritudine & integritate: ita etiam eſſe agnum inuiolatum, hoc eſt, immaculatum, aut neccdũ coitu corruptum: vnde & paſchalis agnus iubetur eſſe ſine macula maſculus anniculus. Et Chriſtum Petrus vocat agnum immaculatum & incontaminatum. Senſus ergo eſt: Cùm hoſtes vndique oppugnarent populũ Iſraeliticum, ita vt grauiter timerent à facie illorum Iſraelitæ, inuocauit Samuel Dominum, in cuius potentia ſolũ confidebat, idq; cum oblatione maſculi agni adhuc teneri, delicati, & inuiolati. Cuius preces quàm fuerint efficaces, oſtenditur cùm ſubditur.

22 *Et intonuit de cœlo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit uocem ſuam.*

23 *Et contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philiſtiim.*

MAniſeſta ſunt hęc ex hiſtoria, niſi q̃ in ea de principibus Tyriorum non fit mentio. At veriſimile eſt eos ſicut valde vicinos Philiſthiim, tunc illis confœderatos fuiſſe contra Iſraelem.

24 *Et ante tempus finis uitæ ſuæ & ſæculi, teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti.*

25 *Pecunias & uſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit eum homo.*

PRædictis ad laudem eius pertinentibus adiicit & illud quod ſcribitur 1. Reg. 12. quomodo Samuel iam grandæuus auſus eſt innocentiam & integritatem ſuam apud totum populum, Deum & regem teſtes adhibens, profiteri, ne quiſquam inuentus ſit in tãto populo, qui de eo cõquereretur, & non potius pius iuſtitiæ atteſtaretur. Ante tẽpus, inquit, finis vitæ ſuæ, & ante tempus finis ſęculi ſui, hoc eſt, antequam deſineret viuere, & ſuam durationem peregiſſet, aut ante tẽpus finis ſæculi huius, hoc eſt, antequam finiret hoc ſæculum, dilucidiſſimum teſtimonium præbuit de ſeipſo corã Domino & vncto rege Saul, nempe quòd pecunias, & vſq; ad calceamenta, hoc eſt, minima quæq;, non acceperit ab omni homine: & cùm ſic ſuam integritatem profiteretur, non accuſauit eũ homo, hoc eſt, quiſquam, ſed dixerunt confirmantes eius integritatem: Non eſt calumniatus nos, neque oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam in eo quod dicitur; vſque ad calceamenta; quod in verbis Samuelis nõ exprimitur, quamuis includatur, imitatio eſt verborum Abrahæ dicentis ad regem Sodomorum: Gen. 14. A filio ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quę tua ſunt, hoc eſt, nihil omnino.

26 *Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem uitæ ſuæ.*

27 *Et exaltauit uocem eius de terra, in prophetia delere impietatem gentis.*

GRæcahabẽt in principio, καὶ μετὰ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσε, & poſtquàm ipſe dormiuiſſet, prophetauit. Dixit enim quid ante finem vitæ ſuæ præſtiterit, nunc verò quid etiam poſt mortem, referens eam hiſtoriam, quæ ſcribitur 1. Reg. 28. & ab eo quod etiam per eum poſt mortem geſtum eſt illũ commendare volens. Circa hunc tamen locum & prædictam hiſtoriã non parua exurgit quæſtio, an is qui arte pythoniſſæ, & potẽſtate dæmonis petente Saule excitatus eſt, verè fuit Samuel. Indignũ enim videtur tam ſancti viri animam ex abditis mortuorũ receptaculis iuſſu & voluntate diaboli reuocatam. Et tamen ſacra ſcriptura & in hiſtoria prædicta, & in hoc loco Samuelem teſtatur viſum, & locutũ regi. Deinde & veritatis prædictio videtur arguere verè fuiſſe Samuelẽ: tractat hanc quæſtionem ſatis exactè D. Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum quæſtione tertia, oſtendens vtramque partem defendi poſſe, magis tamen inclinans in eam partẽ, vt credatur nõ verè ſpiritum Samuelis à ſua requie excitatum fuiſſe, ſed aliquod phantaſma & imaginariam illuſionẽ diaboli machinationibus factam, quam propterea ſcriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolẽt imagines rerum earum nominibus appellari quarũ imagines ſunt. Nec illud dicit quen quam mouere debere, quomodo à maligno ſpiritu Sauli vera prædicta ſunt, quia incongruum non eſt vt Deus aliquando velit etiã per dæmones aliquẽ cognoſcere vera maximè tẽporalia, & ad iſtam mortalitatem pertinentia, quæ ab Angelis bonis didicerunt, vt malum quod ei impendet prænoſcendo, patiatur etiam antequam veniat. Docet tamen abſurdum non eſſe credere ex aliqua diſpenſatione diuinæ voluntatis permiſſum fuiſſe, vt non inuitus, nec dominante nec ſubiungante magica potẽtia, ſed volens atque obtemperans occultæ diſpenſationi Dei, quæ & pythoniſſam illam & Saulem latebat, conſentiret ſpiritus Prophetæ ſancti ſe oſtendi aſpectibus regis, diuina eum ſententia percuſſurus. Huic ſententiæ omnino fauere videtur ipſa hiſtorica narratio, & maximè hic locus, in quo in laudem Samuelis dicitur quòd poſt mortem Samuel prophetauerit. Itaque ſequendo priorem ſententiam quæ probabilior eſt, de hoc loco dicendum eſt, quòd author hic ſecutus eſt hiſtoriæ narrationem: proinde ſicut illa loquitur de imaginario & phantaſtico Samuele, tanquam de vero, qualem ſuo merito decepti Pithoniſſa & Saul eſſe crediderunt, ita & iſte. Nec obſtat quòd in laudem Samuelis iſtud hic affertur, quia ad laudem illius hoc facit, quòd in illius & bonitatem & veracitatẽ Saul iam in ſumma conſiſtens deſperatione confiſus ſit, quódq; illius merito Deus per malignũ ſpiritum ab Angelo edoctum veritatẽ prædicere & reuelare voluerit, vt ob id quaſi Samuel ipſe futurorum euentum prædixerit, quia propter illum veritatem prænuntiari & prophetari permiſit. Ideo ergo hic dicitur, quòd Samuel notum fecit regi finem ſuum, & quòd exaltauit vocem eius (pro ſuam) de terra, quia ſcilicet de terra aſcendebat, ad hoc vt in prophetia, hoc eſt, per prædictionẽ futurorum deleret impietatem populi Iſraelitici, quia ſcilicet dixit ei: Dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim. 1. Re. 8.

Caput XLVII.

1 *Poſt hæc ſurrexit Nathan propheta in diebus Dauid.*

GErmanica æditio habet μετὰ τοῦτο, poſt hũc, nẽpe Samuelem: Cõplutẽſis, μετὰ τοῦτο, poſt hoc, quomodo & Rabanus habet, & vnum ſcriptũ Tongerlenſe, quamuis parum ad rem faciat, quouis modo legatur. Tranſiturus ad commendationem Dauidis, interponit poſt mẽtionem Samuelis prophetæ: mentionem prophetæ Nathã, qui prophetico ſpiritu ſic in pleriſque bene conſuluit Dauidi, ſicut Samuel conſulluerat Sauli, quem & veriſimile eſt geſta Dauidis conſcripſiſſe, ſicut Samuel Saulis.

2 *Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filijs Iſrael.*

MVlti libri eam partem: & quaſi adeps ſeparatus eſt à carne; iungunt cũ præcedenti, vt ad Nathan pertineat, quomodo & Rabanus intelligit. At eam partem pertinere ad ſequentia, ſicut alij diſtinguunt, ſa-

tis indicat,quòd perficiendo cõparationem subiicitur;sic Dauid. Superest autẽ coniunctio,&,quæ in multis libris legitur; & quasi adeps.Nam vt illa non est in Græcis,ita nec in aliquot scriptis,nominatim in Bibliis Bessarionis. Itaque absolutè incipiendum est; Quasi adeps,&c.Habent autem Græca pro, à carne,ἀπὸ σωτηρίου,à salutari. Et intelligitur per salutare,hostia pacificorum,quæ pro salute Domino offerebatur,cuius adeps solus cremabatur,pectusculum autem & armus dexter erant sacerdotis,reliquæ carnes edebantur cum gratiarum actione ab offerentibus.Comparatur ergo Dauid nõ cuiuis adipi,sed adipi qui Deo sacratus erat in sacrificio pacificorum. Et significatur,quòd quẽadmodum in tali sacrificio adeps præ carne reliqua separatus erat,& quasi sanctior erat, cùm in honorem Dei cõbureretur, reliqua verò caro ab offerẽtibus etiam laicis comedebatur:sic Dauid apud Deũ separatus fuit à filiis Israel,hoc est,præ illis à Deo electus, & ei gratus,quamuis etiam omnes filij Israel essent Deo velut carnes sanctæ.Ex commentario omnino certum videtur Rabanum legisse;Quasi adeps salutaris separatus à carne;sic enim habet:Quod autem dicit eũ separatum à carne,quasi adipem salutarẽ,ostẽdit eum,&c. Proinde omnino *verisimile* est nostrum interpretem *vertisse*, Quasi adeps salutaris separatus à carne;sic tamẽ vt dictio salutaris,sit non nominatiui casus,quemadmodum intellexit Rabanus, sed genitiui, vt dictum sit;adeps salutaris,sicut in psalmis dicitur:Calicem salutaris accipiam; vbi etiam est sicut hic,σωτηρίου,& significatur sacrificiũ pacificorum,in quo edendo etiam calix cũ lætitia sumebatur.Porrò præposita hac magna Dauidis commendatione,quædam eius insignia facta commemorat, quorum illud quod sequitur primum est.

3 *Cum leonibus lusit quasi cum agnis,& in ursis similiter fecit sicut in agnis ouium.*

TOletanum exẽplar legit ἐπαξέναυσεν, hoc est,familiariter egit,& velut hospites habuit.Alia tamen æditio habet,sicut noster se legisse declarat,& melius ἔπαιγσεν.lusit.Alluditur autem ad id quod Dauid dixit de seipso à Saul,quòd cùm pasceret gregem patris sui,interfecerit leonem & vrsum,rapientes ouem ex grege.Et quãuis in scriptura tãtùm dicatur singulariter de leone & vrso, pluraliter hic dicitur,cum leonibus & vrsis per amplificationem,significans illum eadẽ facilitate cum multis vel præstitisse, vel potuisse præstare.Et alioqui numerus pluralis nonnunquam ponitur pro singulari,sicut & ecõtra.Dicitur autem Dauid cum feris illis lusisse,sed ludo ipsis feris malò,ad significandum summa cum facilitate,ac sine trepidatione,imò cum voluptate illum feras illas superasse,non autem magis laboribus & sudoribus,sicut in prælio fieri solet, quemadmodum & ipsum Goliath velut per ludum deiecit in iactu fundæ, de quo & sequitur.

4 *In iuuentute sua nunquid nõ occidit gigantem,& abstulit opprobrium de gente?*
5 *In tollendo manum in saxo fundæ, deiecit exultationem Goliæ?*

ILlud,in iuuentute sua,quidam coniũgnnt superioribus,alij sequentibus, & perinde est,quia vtrũque in iuuentute factum est,vt de Saul dixit Dauidi:Non vales resistere Philisthæo isti,quia puer es.Porro quod in supernandis feris Dauidi datum fuit, fiduciam ei addidit etiam gigantem aggrediendi, vnde bene secundum istud factum superiori subiicitur,quo occidendo gigãtem abstulit opprobrium de gente Israelitica, quia ille,vt habet historia, exprobrabat agminibus Israel,quod non ferens Dauid zelo Dei accensus,dixit: Nunc vadam,& auferam opprobrium populi,quoniam quis est incircuncisus iste, qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?Et vt significaret quanta facilitate & paruo negotio ipse iuuenis tam potentem virum vicerit: In tollendo, inquit, manum in saxo fundæ, hoc est, eleuando manum suam cum lapide fundæ (pro, saxo, enim est λιθῷ,lapide)re scilicet minima deiecit exultationem Goliæ, qua scilicet despiciens Dauid dixit ad eum confidenter:Veni ad me,& dabo carnes tuas volatilibus cœli & bestiis terræ.Cæterùm vt intelligatur Dauidem non sua virtute tantùm opus perfecisse,subditur.

6 *Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.*

MVlti libri habent;Vbi inuocauit Dominum,verùm cùm Græca habeant, ἐπεκαλέσατο γὰρ,Inuocauit enim;& Græcis consentiant quædam scripta,quæ habent; Nam inuocauit;meritò hæc lectio præferenda & retinenda est.Inuocauit, inquit, Dominum omnipotentem,vel, vt quædam scripta habent,potentem,& is dedit in dextera eius, vt tolleret hominem qui in pugnando fortis erat, & sic exaltaret cornu gentis suæ, hoc est,sublimen faceret gloriam & potentiam populi sui,quem Goliath omnino deprimere conabatur.Phrasi enim Hebraica cornu sæpè pro gloria ponitur & potentia, metaphora desumpta à cornigeris bestiis, quarũ gloria,potentia,& fortitudo in ipsorum cornibus sita est.

7 *Sic in decem millibus glorificauit eum,& laudauit eum in benedictionibus Domini,in offerendo illi coronam gloriæ.*

COmmuniter verba,glorificauit & laudauit:referuntur ad Deum,vt significetur Deum

Deum glorificasse Dauidem,& laudasse eũ, hoc est, laudabilem eum fecisse in benedictionibus suis.At cùm hæc dura sit expositio,& quia durè etiam dicitur Deum laudasse illum in benedictionibus Domini, cùm dicendum fuisset; in benedictionibus suis; omnino videntur hæc verba referenda ad populum Israeliticum,de quo mox præcedit; exaltare cornu gentis suæ. De ea enim gẽte liberata iam subiungitur in gratiarum actionem præstiterit.Sic,inquit,hoc est, propterea, populus liberatus glorificauit eum in decem millibus; quia scilicet atribuit ei tam glorioſam victoriam ac si decem milia percussisset.Alludit enim hic Sapiens ad id quod scribitur 1.Reg.18.quòd, cùm Dauid reuerteretur percusso Philisthæo, & ferret caput eius in Ierusalem,egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorósque ducentes, atque dicentes: Percussit Saul mille,& Dauid decem millia. In eo autem quod sequitur,populum laudasse Dauidem in Benedictionibus Domini, &c. omnino videtur ad Psalmum 20.respectus haberi,in quo populus sic introducitur Deũ & Dauidem laudans: Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis,posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.Proinde ex hoc loco satis patet,illum etiã Psalmum,etsi ad Christum potissimùm pertineat,tamen ad literã de Dauide intelligendum,vt sit Psalmus populi gratulatorius pro salute per Dauidẽ obtenta, sicut præcedens est Psalmus populi precatorius pro salute sui regis.Sensus ergo huius loci est:Populus laudauit Dauidem propter singularia dona quæ Dei benedictione in eo fuerunt, cùm inter alias Deus ei obtulit coronam gloriosam,hoc,regiam dignitatem.

8 *Contriuit enim inimicos undique,& extirpauit Philisthiim contrarios vsque in hodiernum diem, contriuit cornu ipsorum vsque in æternum.*

COniunctio enim, sicut non est Græcis, ita nec apud Rabanum. Nouum enim beneficiũ per Dauidem populo præstitum hic commemoratur,nempe quòd inimicos Israelis variis bellis contriuerit, vt scribitur 2.Reg.8.& præcipuè quòd extirpauerit, vel, vt habẽt Græca,ἐξεδίεναυσε,hoc est,ad nihilum redegerit Philisthæos,qui erãt præcipui hostes populi illo tempore,qui & tẽpore Saulis maximè erãt infesti populo,& illo cæso dominabantur eis.Hos ergo imprimis extirpauit,non quidẽ omnes occidendo,sed ita eos diminuendo & reprimendo,vt nũquam deinceps sint dominati Israeli: vnde de Dauid dicitur loco prædicto, quòd tulerit frenum tributi de manu Philisthiim, & hic dicitur quòd cõtriuerit cornu ipsorum,hoc est, potentiam & imperium vsque in æternum.

9 *In omni opere dedit confessionem sancto,& excelso in verbo gloriæ.*

COniunctio,&,sicut non est Græcis, ita nec in multis scriptis,& quamuis subintelligi & addi possit, potest tam ẽ etiam cõiunctim legi;sancto excelso. Exprimit hic versus & aliam Dauidis commendationem, nẽpe qnòd cùm varia & insignia opera designaret, non tamen ea sibi tribuit, nec in eis superbiuit,sed in opere suo dedit confessionem laudis sancto,excelsõque Domino, ei omnem tribuẽs laudem,& confitens illius omnia virtute peracta esse, non sua. Idque fecit in verbo gloriæ, hoc est, sermone glorioso & præclaro, aut sermone qui gloriam Dei exprimeret, Psalmis scilicet celeberrimis à se conscriptis, quibus Deum toties vocat fortitudinem suam,refugium, illuminationem,protectorem vitæ suæ,atque aditorem suum.

10 *De omni corde suo Laudauit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum,& dedit illi contra inimicos potentiam.*

GRæca tantùm habent; In omni corde suo laudauit; & dilexit eum qui fecit eum; ita vt apertè satis hic Dauidi tribuatur, non solùm quòd in toto corde laudauerit Deum, sed etiam quòd in toto corde dilexerit:quod bene notandum contra eos qui volunt neminem in hac vita diligere Deum in toto corde.Auget hic versus quod dictum est superiori versu, & demonstrat quòd non simpliciter dederit Deo confessionem & laudem,sed quòd idipsum fecerit in vel ex toto corde suo,iuxta id quod de se Dauid aliquoties dicit: Confitebor tibi Domine in toto corde meo;hoc est,valde serio & ex animo penitus, sine omni fictione & torpore.Et quia id nemo facere potest, qui etiam in toto corde diligit, subijcit; Et dilexit Deum. Dilectionis huius causam nostra litera duplicem indicat, nẽpe & quia Deus creator eius esset,ac proinde etiã omnis boni fons: & quia dederat illi contra inimicos potentiam.Verbum enim,dedit, cõiungendum est cum verbo,fecit, vt etiam eius suppositum sit relatium,qui, & sit sensus: Dilexit Deum qui& fecit eum, & dedit illi contra inimicos potentiam.

11 *Et stare fecit cantores contra altare, & in sonoe orum dulces fecit modos.*

ADijcitur conuenienti ordine superioribus, quod magis etiam Dauidis virtutem declarat, nempe quod non satis ei fuerit Deum laudare, ídque toto corde, sed quod etiam ad excitandum in Dei laudem totum populum instituerit ordinem cantorum, qui psalmos à se aut aliis compositos decantarent:quos & stare fecit cõtra altare, hoc est,coram altari holocaustorum, atque è regione eius.Quibus non tantum cãtandi potestatem,& psalmos decãtandos tradidit sed etiam in sono & cantu eorũ fecit dulces melodias,siue tradendo eis etiam rythmum dulcẽ melodiam reddentẽ, siue cõstituendo vt in cantu iungeretur variorum instrumentorum musicorum suauitas, quemadmodum describitur in lib.1 Paralip.cap.1.

12 *Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora vſque ad conſummationem uitæ.*

13 *Vt laudarent ſanctum nomen Domini. & amplificarent mane Dei ſanctitatem.*

PRo, celebrationibus, Græcè eſt ἑορταῖς, hoc eſt, feſtiuitatibus aut feſtiuis diebus: proinde conuenit nomen, celebrationibus, accipere pro celebritatibus, hoc eſt, celebribus diebus, qui etiam ſignificantur, cùm dicitur; ornauit tempora; ea ſcilicet quæ ſtatuta erant feſtiuiter celebranda. Indicant ergo hi verſus, quid boni ſecutum ſit per cantorum inſtitutionem, nempe quod hac ratione feſtiuis diebus, qui à populo celebrandi erant ex legis præſcripto, addiderit magnum decus & ornamentum, qui prius rudi modo peragebantur: quódque eadem illa tempora ornauerit, addito illo quo prius carebant ſplendore, ídque fecit vſque ad conſummationem vitæ ſuæ, ſemper ſcilicet, maximè in ſenectute, ſolicitus pro augendo & ornando cultu diuino, atque in ea ſolicitudine immoriens, ad hoc vt cantores inſtituti laudarent nomen ſanctum Domini, & magnificarent etiam ſingulis diebus, ídque mane, Dei ſanctitatem, ita ſcilicet vt diem inciperent à Dei laude, quemadmodum conſtitutum legimus 1. Paralip. 23. vbi ſic habetur, Leuitæ vt ſtent mane ad confitendum & canẽdum Domino, ſimilitérque ad veſperam, tum in oblatione holocauſtorum Domini, quàm in Sabbathis & Calendis ſolennitatibus reliquis. Porrò per Dei ſanctitatem etſi intelligi poſſit Dei integritas & puritas, imprimis in Deo prædicando: hic tamen videri poteſt ſignificari nomen ſanctum Dei, quia Græcè eſt, τὸ ἁγίασμα αὐτοῦ. Sic autem Septuaginta vocant nomen Dei proprium, vt ſuperius dictum eſt capite 45.

14 *Chriſtus purgauit peccata ipſius, & exaltauit in æternum cornu eius.*

15 *Et dedit illi teſtamentum regni, & thronum gloriæ in Iſrael.*

NOuiſſimè de Dauide cõmemorat quod peccatorum ſuorum in quæ inciderat remiſſionem cõſecutus ſit à Deo, ita vt non ſolùm propter peccata ſua regno non exciderit ſicut Saul, ſed etiam promiſſionem ſtabilitatis regni æterni conſecutus ſit. Mirum autem meritò videri poteſt, quomodo hic author Chriſtum & expectatum tunc Meſſiam dicat purgaſſe peccata Dauidis, cùm tunc adhuc nõ fuerit, ſed adhuc expectaretur. Hac ſanè de cauſa videri poteſt in quibuſdã codicibus nomen, Chriſtus, mutatum in, ſpiritus. Sic enim habet codex Beſſarionis, & aliquot ſcripta. At Græcè nec, Chriſtus, eſt nec, ſpiritus, ſed κύριος, Dominus. Et hãc veram eſſe lectionem, nec eſſe, vt aliqui exiſtimare poſſent, deprauatã, magis videri poteſt quòd in verbis Nathan dicentis, Dominus quoque tranſtulit peccatũ tuum, ſit ſicut hoc loco, κύριος. Veriſimile ergo eſt noſtrum interpretem etiam vertiſſe, Dominus, ſed in lectione quadã eccleſiaſtica, qua quæ hic dicuntur de Dauide, applicantur Cõfeſſoribus in Miſſæ epiſtola, nomen κύριος, mutatum eſſe in nomen, Chriſtus, quia in nouo teſtamento per quandam appropriationem nomen, Domini, Chriſto ferè tribuitur, ſicut & in epiſtola Iudæ nomẽ, Ieſus, poſitum eſt, vbi Græca habent κύριος, Dominus, cùm legimus, Ieſus populum ſuum ex Ægypto ſaluans, ſecundò eos qui non crediderunt perdidit. Ex hac ergo exemplari lectione deinde factum videtur vt etiam in Bibliis pro nomine, Dominus, poneretur Chriſtus, & poſtea pro, Chriſtus, quia id nomen non videbatur bene congruere, à quibuſdam ſcriptum eſſe, Spiritus, quia vtrunque nomen ſimiliter ſolet apud antiquos ſcribi, vt adhuc in antiquis Biblis inuenitur. Nam nomen Chriſti ſcribitur etiam apud Latinos literis Græcis Xp̃s: nomen vero ſpiritus, Sp̃s. Vtut eſt, Latinis etiam Chriſtus noſter rectè dicitur purgaſſe peccata Dauidis, aut, vt eſt Græcis abſtuliſſe peccata, quia ipſe ſicut eſt agnus qui occiſus eſt ab origine mũdi, ita ẽt ab origine tollit ex præuiſo ſuę paſſionis merito totius mundi peccata, & quatenus Deus fuit ab æterno, etiam cũ patre & ſpiritu ſancto purgauit omniũ peccata remittendo ea.

16 *Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus, & propter illũ deiecit omnem potentiam inimicorum.*

DE Salomone inſtituit narrationem eius, tum dona, tum vitia commemorãs. Secundam huius ſententiæ partẽ Græca aliter habent ſic: καὶ δι' αὐτὸν κατέλυσεν ἐν πλατυσμῷ, hoc eſt, propter illum habitauit in latitudine. Cui conſonat id quod legitur apud Rabanum; & propter illum requieuit in latitudine. Cuius lectionis etiam meminit Gloſa ordinaria, eámq; habebant duo exẽplaria Tongerlenſia, quamuis in margine etiam altera lectio addita fuit, proinde illa Rabani lectio meritò præferenda eſſet. Duo exemplaria M. N. Auguſtini Hunæi vtramq; lectionem in contextu habebant ſic; Et propter illum deiecit omnem potentiam inimicorũ, & requieuit in latitudine. Ergo ſaltem vel ſic legendũ eſt, & eſt ſenſus: quòd Deus propter Dauidẽ tempore Salomonis repreſſerit omnem potentiam inimicorum, ita vt nemo vel vellet vel auderet ſe illi opponere, ſicque ipſe habitauit & requieuit in latitudine animi, ſecuritate ſcilicet & libertate, non coarctatus aduerſariorũ violentia. Aut in latitudine regni, quia ſcilicet Deus propter Dauidem amplificauit eius imperium, ita vt longè latéq; dominaretur, vt dicitur 3. Regum 4.

17 *Salomõ imperauit in diebus pacis, cui ſubiecit Deus omnes hoſtes.*

18 *Vt concederet domum in nomine ſuo, & parare ſanctitatem in ſempiternum.*

SVo, poſitum eſt pro, ipſius, ſcilicet Dei, & ſignificatur ideo Deum Salomoni tẽpora pacifica cõceſſiſſe, vt poſſet erigere domum

mum ad gloriam nominis eius. Pro, ſanctitatẽ, hic rurſum eſt ἁγίασμα, qua dictione hic ſignificatur templum Deo ſanctificatum, quemadmodum & alibi, & nominatim Pſal. 88. vbi legim⁹: Prophanaſti in terra ſanctuarium eius. Proinde apud nos nomen, ſanctitas, accipi conuenit pro ſancto Dei templo.

19 *Quemadmodum eruditus eſt in iuuentute ſua, & impletus eſt quaſi flumen ſapientia.*

ILlam partem; quemadmodum eruditus eſt in iuuẽtute ſua; noſtri ferè referunt ad præcedentia, vt ſignificetur Salomonem ædificaſſe tẽplum, iuxta quod inſtitutus fuit in iuuentute à Dauide patre: qui non ſolùm ei impenſa conſtruendi templi præparauit, ſed etiam ei omnium ædificandorum deſcriptionem tradidit, vt ſcribitur 1. Paral. 28. At non ſolùm in Græcis hæc pars refertur ad ſequentia, ſed etiam in multis ſcriptis Latinis, in quibus hic eſt nouę ſententiæ initium. Itaque dictio, quemadmodum, accipi hic debet admiratè poſita, pro, quàm, ſicut, in illo Pſalmo: Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus; vt ſit ſenſus: O quàm etiam in iuuentute ſua fuit eruditus & ſapiẽs à Deo factus (Eſt enim Græcis ἐσοφίσθη) & quàm impletus eſt ſapiẽtia, quaſi flumẽ, hoc eſt, ſicut flumen abundat aquis, quas aliis largiter communicat: ita & ipſe abundabat ſapientia, quam in alios copioſè diffudit. Sapientia enim diuina abundè repletus eſt, etiam in iuuentute, cùm ad Deũ
3. Reg. 3 in oratione dixit: Ego ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitum meum. Notandum & illud quòd Germanica ędítio habet in ſecunda perſona ἐσοφίσθης & ἐπλήσθης, hoc eſt, repletus es, vt hic accipiat Apoſtrophe ad Salomonẽ, quæ poſtea continuatur. Quæ lectio maiorem habet vim & gratiam, & in quibuſdam etiam ſcriptis Latinis reperitur, vt meritò illa præferenda ſit.

20 *Et terram retexit anima tua, & repleſti in comparationibus ænigmata.*

GRæca non habent in principio coniunctionem, &, vt intelligamus hic nouæ ſententiæ eſſe initium. Pro, retexit, Græcè eſt ἐπεκάλυψεν, operuit. Itaq; ſignificatur animum Salomonis tanta fuiſſe ſapiẽtia, vt per eam quam elocutus eſt ſapientiam operuerit, hoc eſt, repleuerit omnem terram, quia vt dicitur 3. Regum 4. Veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis regibus terræ qui audiebant ſapientiam eius. Cui intelligentiæ conuenit quod Græca in ſequenti parte habent ſic: Et repleſti (terram ſcilicet) parabolis ęnigmatum. Noſter interpres aut poſuit cõpoſitum, retexit, pro ſuo ſimplici, texit: aut potius legit ἀπεκάλυψεν, reuelauit vel retexit. Et erit ſenſus: quòd anima & ſpiritus Salomonis Dei ſapientia donatus, detexerit totã terram, aperiendo & explicando omnium quæ in terris ſunt naturas, quia, vt dicit ſcriptura,
3. Reg. 4 Diſputauit ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano vſq; ad hyſopum, quę egreditur de pariete. Et diſſeruit de iumẽtis & volucribus & reptilibus & piſcibus. Iam quod nos legimus; Et repleſti in comparationibus ænigmata; ſignificat quòd multa admodum ænigmata elocutus fuerit in ſuis comparationibus, hoc eſt, parabolis, quas vel locutus eſt, vel ſcriptas reliquit.

21 *Ad inſulas longè diuulgatum eſt nomen tuum, & dilectus es in pace tua.*

EX hiſtoria patet huius ſententiæ veritas, In ea enim dicitur & quomodo ad omnes terras & populos nomẽ eius innotuerit, & quomodo & ab externis & maximè à ſuis dilectus fuerit ob pacem quam habuit cum omnibus, & quæ ſuis præſtita fuit tempore ipſius. Dicit enim quòd habebát pacem ex omni parte in circuitu. Habitabátque Iuda & Iſrael abſque timore vllo, vnuſquiſq; ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, a Dan vſque Berſabee, omnibus diebus Salomonis.

22 *In cantilenis & prouerbiis, & comparationibus & interpretationibus miratæ ſunt terræ, & in nomine Domini Dei, cui cognomẽ eſt, Deus Iſrael.*

QVædam Græca habent ἐθαυμασάν σε, hoc eſt, miratæ ſunt te, vt ſit ſenſus: Terræ variæ, vel, vt eſt Græcis, χῶραι, regiones, ſunt te admiratæ propter carmina, &c. Tria vel quatuor ponuntur in quibus homines admirati ſunt Salomonem, quæ & commemorantur ſatis 3. Regum 4. Pro cantilenis Græcè eſt ᾠδαῖς, hoc eſt, canticis & carminibus, de omnibus dicitur quòd fuerunt carmina eius quinque milia, vbi etiam Septuaginta habent ᾠδαί. Ex his carminibus partem habemus in libro qui dicitur Canticum Canticorum, quaſi pręcipuum omnium carminum eius. De prouerbiis & parabolis, quæ frequenter pro eiſdem ponuntur, dicitur quòd locutus ſit Salomon tria milia parabolas, ex quibus partem habemus in libro qui dicitur Parabolæ, vel Prouerbia Salomonis Interpretationes Salomonis inſinuãtur, cùm ibidem dicitur, quòd diſputauit & diſſeruit de omnibus arboribus & animalibus. Itẽ, cùm, regina Saba veniente vt tentaret cũ in ęnigmatibus, docuit eam Salomon 3. Re. 10.
omnia verba quę propoſuit. Quod ſequitur; & in nomine Domini Dei, cui cognomẽ eſt Deus Iſrael; quidam coniũgunt cũ ſequenti verbo, collegiſti. Sic enim apud Rabanum diſtinguitur, vt ibi; Et in nomine Dei tui; ſit principium nouæ ſententiæ. At melius iũgitur cum verbo, miratæ ſunt, quia omnino videtur author hic alludere ad id quòd regina Saba dicitur audiuiſſe famam Salomonis in nomine Domini, quòdq; eadem audiẽs & videns ſapientiã Salomonis, adeo mirata ſit, vt non haberet vltra ſpiritum, dixitque inter cætera; Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui cõplacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, eo quòd dilexerit Dominus Iſrael. Additur autẽ; cui cognomẽ Deus Iſrael ad differẽtiam Deorum quos aliæ regiones colebant.

colebant, quæ confitebantur Deum Iſraelis in Salomone & populo Iſrael eſſe mirabilem, & hoc in illis præſtare quod ipſorum dij ſuis non præſtarẽt, nec præſtare poſſent. Mollius hæc pars cõiungitur in Græcis cum præcedentibus, quia non habẽt coniunctionem, &, vt ſit ſenſus: Nationes propter carmina, parabolas, &c. miratæ ſunt in nomine Dei Iſrael, qui ſcilicet tantam ſapientiam dederat Salomoni.

23 *Collegiſti quaſi aurichalcum aurum, & vt plumbum compleſti argentum.*

QVidam iſtud intelligunt dictum in Salomonis vituperationem, & in notam auaritiæ contra legem Domini, qui in Deuteron. 10. cap. præcipit vt rex non habeat auri & argenti immẽſa pondera. At hiſtoria regum hæc de Salomone cõmemorat potius in laudem ipſius, vt cui diuitiæ immẽſæ ſingulari Dei beneficio contigerũt, qui eas ante omnia petenti ſapientiam, promiſit etiam tãtas ſe daturum, vt nemo fuerit ſimilis ei in regibus cũctis retrò diebus. Itaque poſtquã Sapiens noſter Salomonẽ celebrauit ab excellenti eius ſapiẽtia, celebrat etiam ab eius potentia & diuitiis, reſpiciens ad id quod de eo dicitur 3. Reg. 10. & 2. Paral. 1. Præbuit rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in cãpeſtribus multitudine magna. Poſt commendationem autem & ſapientiæ & diuitiarum ipſius, ſubiecit & vitia, in quæ poſt tanta Dei beneficia prolapſus eſt, vt hinc intelligamus & quanta ſit humani ingenij inſtabilitas, ne quis ſibi nimis fidat, & quàm ſoleat rerum abundantia vitiorum eſſe cauſa, ne quis illam nimis ambiat, & quàm profunda ſint iudicia Dei, qui tam perfecta à ſe ſapientia donatum tam grauiter labi paſſus ſit, vt illa ſemper quiſque timeat. Itaq; dicit:

3. Reg. 3.

24 *Et inclinaſti fœmora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo.*

PRo, poteſtatem habuiſti, Græcè eſt verbum paſſiuum ὑφεξουσιάσθης, quod rectius verti poſſet, in poteſtatem redactus es; vt ſignificetur illum corpus ſuum ſubiugaſſe libidini & voluntati mulierum. Noſter in actiua accepit ſignificatione, & poteſt conuenienter accipi vt ſignificetur illum abuſum eſſe ſuo corpore, & in illo nimiam ſibi vſurpaſſe licentiam, ita vt eo vſus ſit contra Dei præceptum, cui corpus ſuum ſubijcere debuiſſet. Modeſtè ergo hac ſententia notat eius irrefrenatam libidinẽ, tacẽs interim de idololatria, in quam non niſi propter libidinem & amorem mulierũ incidit. Et, inquit, poſt tot beneficia à Deo obtẽta, deſerto Deo inclinaſti fœmora tua mulieribus, inordinatè illis addictus & coniunctus, atque in corpore tuo, quod Deo ſubiectũ eſſe oportuiſſet, tu nimiam tibi poteſtatem atque licentiam aſſumpſiſti. Quid autem hinc mali ſit conſecutum, & in ipſo, & in filio eius atque populo oſtendit, cùm ſubijcit:

25 *Dediſti maculam in gloria tua, & prophanaſti ſemen tuum.*

26 *Inducere iracundiam ad liberos tuos, & in caeteris ſtultitiam tuam.*

27 *Vt faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.*

IN gloria, inquit, tua quam habuiſti, magnam dediſti maculam, nec tibi tantum nocuiſti, ſed etiam prophanaſti, violaſti, & contaminaſti ſemen tuum, ita vt tuo demerito induceres Dei iracundiam ad liberos tuos, & etiam in aliis; toto ſcilicet populo Dei, induceres ſtultitiam tuam, ita vt eam ipſi ferre debeãt, dum propter eam grauem Dei vltionem pati coguntur in eo quod propter te diuiſum eſt regnum, & factum eſt imperium bipartitum: ſicque feciſti vt ex Ephraim imperaret imperium durum, hoc eſt, pertinaciter ſemper reſiſtens, nam Græcis eſt ἀπειθῆ, hoc eſt, rebelle & inobediens. Hæc hiſtoria deſcribitur 3. Reg. 11. Illud; & in cæteris ſtultitiam tuam; Græca aliter habent ſic: καὶ κατανυγήναι ἐπὶ τῇ ἀφροσύνῃ σου, hoc eſt, & compungi, vel & compungereris in ſtultitia tua, vt ſignificetur illũ ſibi ſua ſtultitia dolorem contraxiſſe, dum ſcilicet, qui in pace ſemper vixerat, intelligeret ſibi à Deo inimicos excitatos, Adad, Razon, & Ieroboam, vt ſcribitur loco prædicto. Mirum quid legerit noſter interpres, dum ſic vertit vt legimus, niſi fortè ſit mẽdum. Nam vnus codex Tongerlenſis pro, in cæteris, habuit in terris. Vnus M. N. Auguſtini Hunæi habuit; in cæteris incitari. Verbum autem, incitari, bene conuenit verbo Græco κατανυγήναι, compungi, proinde credo veram lectionem eſſe: Et incitari ſtultitiam tuam; hoc eſt, vt ſtultitia tua incitaretur in ſeipſa, & dolore compungeretur. cùm intelligeres ſeruum tuum exurgere contra te. Facilè autem fuit verbum, incitari, à non intelligentibus mutari in, in cæteris, & poſtea diuerſas lectiones ſimul coniungi.

28 *Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam, & non corrumpet, nec delebit opera ſua.*

29 *Neque perdet à ſtirpe nepotes electi ſui, & ſemen eius qui diligit Dominum, non corrumpet.*

ALludit in his verbis ad id quod Dauidi promiſſum fuit 2. Regum 7. & Pſal. 88. vbi dicit Dominus: Si dereliquerint filij eius legem meam, & mandata mea non cuſtodierint, Miſericordiam meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciã irrita, &c. Poſtquam ergo dixit quomodo peccata Salomonis Dominus punierit in eius poſteritate; ſubijcit quomodo Deus memor ſuæ miſericordiæ, propter Dauid ſeruum ſuum, non in totum reiecerit Salomonis ſemen ſicut abiecit ſemen Saulis: Deus, inquit, miſericordiã ſuam, quam promiſit Dauidi & ſemini eius ſe exhibiturum, non derelinquet, nec abijciet à ſe, aut non præter mittet eam exhibere, & non corrumpet aut perdet,

perdet, nec delebit opera ſua; teſtamenta ſcilicet ſua & pacta quæ cum Dauide iniit. Hoc eſt, non perdet à ſtirpe nepotes electi ſui Dauidis, ſic ſcilicet vt penitus eſſe deſinant, & radicitus pereant: & ſemen eius qui diligit, vel vt eſt Græcis, qui diligit Dominum, nõ corrũpet, nec penitus tollet. Quod per Chriſtum perfectè impletur, per quẽ ſemẽ Dauidis verè ſit perpetuum, & perpetuò regnat. Proinde verè admirãdam ſe hic exhibet Dei prouidentia, qua factum eſt vt ſic in Salomonis femine grauiſſimè & in longũ tempus punirentur eius peccata, vt tamen per ea peccata promiſſa Dei miſericordia nõ tolleretur, ſed ſalua illa maneret ſemini Dauid in ætern ũ. Et quamuis videri poſſet, Dei iuſtitiam grauiorem intuliſſe vltionem ſemini Salomonis propter eius peccata, quàm ſit beneficium quod Dei miſericordia præſtitit Dauidis poſteritati propter illius virtutem, quia à poſteritate eius abſtulit decem tribus, & illi tantum duas reliquit: tamen ſi Chriſtum ſpectemus, plus longè eſt quod Dei miſericordia propter Dauidem præſtitit, quàm quòd Dei iuſtitia propter Salomonem abſtulit. In Chriſtum enim potiſſimùm reſpiciebant promiſſiones illæ de perpetuãdo & ſemine & regno Dauidis, quem quò certius cognoſceremus ex Dauid, ſicut promiſſum fuit, prognatum, conueniebat tribum Iuda ab aliis decem ſeparatam eſſe, atque in ea ſola regnum per ſucceſſionem continuari.

30 *Dedit autem reliquum Iacob, & Dauid de ipſa ſtirpe.*

PRo, reliquum, hic rurſum eſt ſicut capite 44. κατάλειμμα, quæ & eſt apud Paulum cùm dicit ex Iſaia: Reliquiæ ſaluæ fient. Et dictio, Iacob, ſicut & dictio, Dauid, eſt vt patet ex Græcis, datiui caſus. Itaque ſenſus eſt: Deus dedit ipſi Iacob aliquid reliquũ, hoc eſt, reliquias, vt non in totum ſemen Iacob abijceret & perire ſineret, ſicut alias gentes, & dedit ipſi Dauid reliquias ex ipſamet eius ſtirpe atque progenie. Rom. 9.

31 *Et ſinem habuit Salomon cum patribus ſuis, & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam.*

32 *Et imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem conſilio ſuo.*

COmmemorat duo mala quæ mortuo Salomone propter eius peccata populo obuenerunt. Primùm enim reliquit poſt ſe de ſemine ſuo filium tam imminutum à prudentia, & deficiẽtem in ſapientia, quàm ipſe in ſapientia abundauerat, ita vt dici me ruerit gẽtis ſtultitia, ſiue quòd opinione populi talis haberetur, ſiue quòd exemplum quoddam ſtultitiæ eſſet in populo, cùm rex in populo ſapientia prælucere debeat. Quaautem in re ſtultitiam ſuam prodiderit indicat dicens: qui auertit gentem; à ſe ſcilicet; conſilio ſuo, hoc eſt, per conſilium ſuum, quod ſtultè ſecutus eſt ad ſuggeſtionẽ imprudentum iuuenum, ſpreto cõſilio ſapientum ſeniorum. Quid enim ſtultius eſſe potuit quàm iſte commiſit, qui cùm populi fauorem ambire ipſe debuiſſet, offerendo eis onerum remiſſionem, quòd non ea polleret authoritate & gratia qua pater, populo iuſta petẽti non ſolùm non annuit cùm id ſuaderent ſeniores, quorum cõſilio omnia geſſiſſe debuerat, ſed ſequens iuniorum conſilium, etiam duriora non eſt veritus comminari. Sunt qui legunt per datiuum, genti ſtultitia, vt ſit ſenſus: reliquit ipſi populo ſtultitiam, ſed legendum per genitiuum, gentis ſtultitiam, patet ex Græcis. 3. Re. 12.

33 *Et Ieroboam filiũ Nabath, qui peccare fecit Iſrael, & dedit uiam peccandi Ephraim.*

SEcundum malum eſt, quòd poſt ſe Salomon reliquit (repetendum enim eſt verbum, dereliquit) Ieroboam ex ſuo ſemine, ſed ex ſeruis ſuis filium Nabath, qui fuit author Iſrael idolatrię, & dedit ipſi Ephraim viam peccandi, dum erectis vitulis iuſſit eos adorare, & prohibuit ne religionis cauſa iret in Ieruſalem ſicut Dominus promiſerat. Vnde ſecutũ eſt quod ſubditur. Porrò Ephraim peculiariter meminit, quòd Ieroboam ex ea eſſet tribu quam ob id facilè ſibi obſequentem habuit, & per eam etiam alias tribus, inter quas illa erat præcipua & numeroſior: vnde & in ſcripturis decem tribus à tribu Iuda ſeparatæ ſæpe vocantur Ephraim.

34 *Et plurima redundauerũt peccata impiorum, valde auerterunt eos à terra ſua.*

PEr inductam, inquit, à Ieroboam idolatriam valde ſunt peccata eorum coram Deo multiplicata, atque ob id tandem ea peccata alienauerunt eos longè à terra ſua quam eis dederat Deus poſſidendam, & effecerunt vt irato Deo in longinquas terras ab Aſſyriis abducerẽtur, quẽadmodũ ſcribitur 4. Regum 17. Ambulauerunt filij Iſrael in vniuerſis peccatis Ieroboam quæ fecerat, & non receſſerunt ab eis, vſquequo Dominus auferret Iſrael à facie ſua, &c. Huic ſimile quod ſequitur:

35 *Et quæſiuit omnes nequitias, uſquequo peruenirent ad illos defenſio, & ab omnibus peccatis liberauit eos.*

OBſcurus ſatis eſt hic locus, qui tamen Græcis breuior eſt & clarior. Sic enim habet æditio Germanica, nam Complutenſis pauciora habet; καὶ πᾶσαν πονηρίαν ἐξεζήτησαν, ἕως ἐκδίκησις ἔλθη ἐπ' αὐτούς, Et omnem malitiam exquiſierunt, donec veniret vltio ſuper eos. Itaque vt noſtra lectio rectè intelligatur, in verbo, quæſiuit, repetendũ nomen, Iſrael vel Ephraim, vt ſit ſenſus: Iſrael à Ieroboam malè edoctus quæſiuit omnes nequitias, hoc eſt, ſtudiosè quaſuis peregit, donec à Deo eorum nequitiis prouocato, nec amplius ferre volẽte, peruenirent ſuper illos Dei vindicta, qua Deus defendit ſe, & ſe vltus eſt de iniuria ſibi ab eis illata: quæ defenſio & vltio liberauit eos ab omnibus peccatis, hoc,

hoc eſt, finem impoſuit eis peccandi, vt amplius in ſua terra Deum ſuis peccatis prouocare non poſſent, quæ tam ſtudioſè ibi ſectati ſunt & exquiſierunt. Non enim multi libri habent, ſicut nec Rabanus; liberauit eos Dominus; ſed abſolutè, liberauit eos, vt repeti poſſet nomen, defenſio. Hic ſanè ſenſus etſi alienus videatur noſtræ literæ, quia, liberare à peccatis, ſolet ſemper in bono accipi pro, remiſſionem peccatorum accipere, tamen conuenit originali, & ſcopo authoris. Certè ſequenti capite rurſum interpres dictionem ἐκδικήσεως vertit, defenſionis, pro vltione qua ſe Deus defendit ab iniuria ſibi illata.

Caput XLVIII.

1 *Et ſurrexit Elias propheta quaſi ignis, & uerbum illius quaſi facula ardebat.*

CONtinet hoc caput laudes & inſigniora facta Elię, Helizei, Ezechiæ, & Iſaiæ. Primum ergo dicit, quòd cùm iam in populo Iſraelitico inundare cœpiſſent peccata, tum ſurrexit Elias, qui erat propheta quaſi ignis, quia ſcilicet totus ardens zelo Dei in ſeipſo, pluſquam alij præcedentes prophetæ: vnde & verbum eius & ſermo ex ignito eius pectore procedens, ardebat quaſi fax aut facula, quia ſcilicet verbum eius magnam habuit vim, tum in monendo & arguendo, tum in agendo cum imperio & efficacia, vt eius facta quæ recenſentur hic declarant. vnde & Ioannes Baptiſta dicitur veniſſe in ſpiritu & virtute Eliæ.

2 *Qui induxit in illos famem, & imitantes illum inuidia ſua pauci facti ſunt: non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini.*

INduxiſſe famem in Iſraeliticos dicitur, quòd pluuiæ inopiam, quam fames ſecuta eſt, induxerit, vt eſt 3.Reg. 17. Eam autem induxit, non tantùm orando vt eam Deus induceret, vt dicitur Iacobi 5.cap. ſed etiam quia exauditus à Deo prædixerit eam, & iuſſerit eam eſſe. vnde dixit: Viuit Dominus Deus Iſrael, quia non erit his annis ros aut pluuia, niſi iuxta oris mei verba. Proinde his verbis bene declaratur quod dictum eſt verbum eius arſiſſe ſicut facula. Porrò ſequens pars difficultatem habet. Sunt qui legunt, tabefacti ſunt, ſed altera lectio, pauci facti ſunt, magis accedit ad Græca. Verùm quid eſt; imitantes illum inuidia ſua?
1.Re.18 Intelligunt noſtri dictum iſtud eſſe de prophetis Baal quadringentis, qui inuidentes Eliæ, & volentes eum imitari in prophetandi officio, volentes etiam & ipſi impetrare à Baal cõſumptionem ſuorum ſacrificiorum per ignem, ſicut Elias propoſuerat ſe facturum, pauci facti ſunt, quia ab eo occiſi, vt habet hiſtoria. At Græca longè alium habẽt ſenſum. Sic enim habent: καὶ ζήλῳ αὐτοῦ ὠλιγοποίησεν αὐτοὺς, Et zelo ſuo imminuit eos, hoc eſt, zelo ſuo quo accẽſus fuit pro gloria Dei contra idolis ſeruientes Iſraelitas, per inductam famem qua multi ſunt mortui, ad paucitatem redegit eos. Vnum exemplar M. N. Hunæi eleganter deſcriptum pro, imitantes, habuit irritantes. Codex Beſſarionis & alterum exemplar M.N.Aug. Hunæi habẽt, æmulantes. Atque altera harum duarum lectionum, & potiſſimùm poſterior, præferenda ſanè eſt vulgatæ, vt ſignificetur Iſraelitas imminutos, quia ſua contra illum inuidia illum irritauerunt & æmulati ſunt, zelo illius bono zelum ſuum malum opponentes. Cui lectioni & intelligentiæ bene cõuenit quòd de ſuo adiecit interpres (nam Gręcis nõ eſt) Non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini. Eo enim declaratur quare zelo & inuidia concitati ſunt contra Eliam, nempe quia non potuerunt ferre præcepta Domini, quæ Elias ſummo cum ardore & zelo eis proponebat, ſeuerè eos coarguẽs, vt à peccatis ſuis deſiſterent. Quod ſi omnino quis legẽdum eſſe putet, imitantes illum; quod ſic plures libri habeant, accedendo ad prędicta ſenſus eſſe poterit: Iſraelitas fame & aliis vltionibus imminutos, quòd ſuo malo zelo, inuidia ſcilicet ſua imitarentur illius bonũ zelum, tãto zelo illi ſe malè opponẽtes, quanto zelo ille ſe eis bene oppoſuit. Interpres enim quod in Græcis dicitur de zelo Eliæ, intellexit dictum de zelo Iſraelitarum, legẽs vt apparet, τῷ ζήλῳ αὐτῶν, pro αὐτοῦ.

3 *Verbo Domini continuit cœlum, & deiecit ad ſe ignem terræ.*

PRior huius ſententiæ pars oſtendit quomodo induxerit Elias famẽ, nempe quia verbo & iuſſu Domini cohibuit cœlum ne plueret ſuper terram tribus annis & ſex mẽſibus, vt dicitur Lucæ 4. & Iacobi 5. Secundà pars ſic habet Græcè: καὶ κατήγαγε τρὶς πῦρ ἐξ οὐρανοῦ, & deduxit ter ignem è cœlo. Itaque primùm patet illud, à ſe, accipiendum pro, ab ipſo, cœlo ſcilicet, vt relatiuum reciprocum pro non reciproco ſit poſitũ, ſicut alias ſæpe. Deinde omnino videtur interpretem pro terræ, vertiſſe, ter, alios autem, ter mutaſſe in, terræ, quòd Elias duos tantùm quinquagenarios igne è cœlo deducto percuſſerit, parcens tertio, vt eſt 4.Reg. Verùm tertiò ignem è cœlo deduxit, cum prius ignis ad eius preces è cœlo deſcendens conſumpſit ipſius ſacrificium, vt eſt 3. Reg. 18. Si legatur, terræ, accipiendus eſt datiuus pro, in terram. Duo ergo hic verſus continet mirabilia præſtita ab Elia, ſibi multùm diſſimilia, quia & continuit cœlum, ne, quemadmodũ naturaliter ſolet, demitteret pluuiam in terram: & rurſum è cœlo deduxit in terram ignem, quem cœlum non ſolet in terram demittere.

4 *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis: & quis poteſt ſimiliter gloriari tibi?*

HAc, inquit, ratione per mirabilia quæ præſtitit Elias, magnam gloriam & exiſtimationem

ſtimationem conſecutus eſt apud homines, nec immeritò, quia neminem habuit qui per omnia ſimiliter gloriari poſſet in Domino de mirabilibus quæ per eum Deus præſtitit. Nullus enim poſt Moyſen vſque ad Chriſtum tam multa & magna præſtitit, & cùm inter ſumma miracula reputetur mortuorum reſurrectio, maius aliquid Moyſe præſtitit; quia mortuum reſuſcitauit; vt ſubijcitur. Ea etiam in parte Moyſe ſuperior, quia igneo curru ſubuectus eſt in cœlum, cùm ille & mortuus ſit, & ſepultus in terra. Itaque ob multa quæ in ipſo ſunt ſingularia, rhetorum more facta apoſtrophe ad ipſum Eliam ſicut prius ad Salomonẽ: Et quis, inquit poteſt ſimiliter gloriari tibi? hoc eſt, ſicut tu? Eſt enim pia quædam gloriatio, in qua ſcilicet Deus author inſignium operum agnoſcitur.

5 *Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis, & de ſorte mortis in uerbo Domini.*

CElebrat miraculum quod deſcribitur 3. Reg. 17. de ſuſcitato filio viduæ Sarephtanę, quem ſuis precibus ſuſcitauit à ſtatu & conditione mortis, quę hic ſignificãtur per inferos & ſortem mortis, à quibus Eliam illum liberauit, non tã ſuo verbo, quàm verbo Domini, qui exaudiens vocem Eliæ, iuſſit animam pueri redire in vinſera ipſius.

6 *Qui deieciſti reges ad perniciem, & confregiſti facile potentiam ipſorum, & glorioſos de lecto ſuo.*

FActo Elię ſalutem & vitam afferenti aptè adiungit planè diuerſum eius factũ mortem ſcilicet & calamitatem, idque regibus, afferens. éſtque elegans oppoſitio in verbis, ſuſtuliſti vel excitaſti, & deieciſti, quaſi dicat: Illum exurgere feciſti ab inferis, iſtos è ſumma ſua gloria deieciſti in perniciem & mortem. Deieciſſe autem reges dicitur in perniciem, quia ex iuſſu Domini corũ perniciẽ certò euẽturam prędixit. Et ſunt reges illi de quibus loquitur, primũ Achab, rex Iſrael, quem malè periturũ prædixit, & in filio eius omne ipſius ſemen exterminãdum, vt eſt 3.Reg.21. Deinde Ochozias filius eius quem prædixit de lecto ægritudinis nõ ſurrecturum. Item alter filius eius Ioram, qui iuxta verbum Elię percuſſus eſt à Iehu cum tota progenie Achab. Præterea etiam Ioram rex Iuda filius Ioſaphat: cui, quòd non ſecutus eſſet viam patris ſui Ioſaphat, prædixit Elias per literas, quòd ægrotaturus eſſet peſſimo languore vteri ſui, quòdque eodem moreretur, vt ſcribitur 2. Paralip. 21. Propter duos ergo prædictos reges, Ochoziam ſcilicet regem Iſrael, & Ioram regem Iuda, hic etiam dicitur quòd Elias deiecit glorioſos de lecto ſuo, quia cùm humilem viduæ, filium à morte reuocauerit, hos per regiam dignitatem valde glorioſos, ſuo irreuocabili vaticinio deiecit de lecto ipſorum in perniciem. Quod in medio legimus; & confregiſti facilè potentiam ipſorum; Græcis non eſt, ſed additum eſt explicationis cauſa, vt ſignificetur illos etſi reges, & ob id magnæ potentiæ, efficere non potuiſſe vt prædictam ab Elia perniciem ſuperarent & effugerent. Adiunxit & alia quæ in Elia magnificè contigerunt.

7 *Qui audis in Sina iudicium, & in Oreb iudicia defenſionis.*

COmmemorat quod ſcribitur 3. Reg. 19. quomodo Elias fugiens Iezabel in mõte Sina, cuius pars quędam dicitur Oreb, audierit Deum ſibi loquentem. Pro iudicium, eſt alia dictio quàm cùm in ſecundo mẽbro dicitur, iudicia. Primo enim loco eſt ἐλεγμὸν, & additur κυρίου, hoc eſt, reprehẽſionem Domini. Quo videtur notari quòd Elias aliqualem reprehenſionem ſui ibi audierit à Domino. Reprehendit enim Dominus nõnihil eũ & de fuga, cùm dicit: Quid hic agis Elia? & quòd putaret ſe ſolum relictum eſſe, cùm Dominus diceret ſe adhuc ſeptem milia ſibi reſeruaſſe, qui non curuauerunt genua ante Baal. Secũdo verò loco eſt, κρίματα ἐκδικήσεως, hoc eſt, iudicia vltionis, qua ſe Deus defenſurus eſſet cõtra idololatras. Ea iudicia vindictæ audiuit, cùm Dominus ei diceret: Et erit quicunque fugerit gladiũ Hazael, occidit eum Iehu: & quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elizeus.

8 *Qui vngis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis ſucceſſores poſt te.*

IStud dicit, quia in Sina inter cætera dictũ eſt Eliæ à Domino: Vnges Hazael regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges regem ſuper Iſrael, Elizeum autem filium Saphat vnges prophetam pro te. Porrò pro, ad pœnitentiam, Græcè eſt εἰς ἀνταπόδομα, hoc eſt, ad retributionem, vel ad vicem rependendam. Conſtitui enim voluit Dominus illos reges, vt per illos vltionẽ ſumeret Deus de idololatris Iſraelitis, proinde non conuenit ea quorundam intelligentia qui intelligunt hic ſignificari reges vnctos ad correctionem Iſraelitarum, & mirum videri poteſt cur interpres verterit, pœnitentiam, niſi locus mendoſus ſit. Certè Rabanus in commẽtario ſemper dicit reges hos vnctos in vltionẽ prauorum. Et Lyranus, ſicut & Hugo, exponit illud, in pœnitentiam, per in punitionem idololatrarum. Itaque pœnitẽtiæ nomen hic non debet accipi in bonum pro, reſipiſcentia, ſed pro pœna, vt, in pœnitentiam, dictum ſit pro, ad hoc vt pœna & digna vltio teneat impios. Ad hoc enim præcipi a Domino vngendos reges patet ex verbis quæ Dominus ſubiicit, ſicut iam dictum eſt; Et erit quicunque fugerit, &c. In ſecunda parte Græcis eſt verbum, facis, ſed tantùm: prophetas, ſucceſſores poſt te; vt repetatur verbum, vngis, quia etiam Elizeum iubetur Elias vngere pro ſe, hoc eſt, vt ſit illi ſucceſſor. Cæterùm quanquam Dominus iubeat Eliæ tres hos vngere, & hæc verba Domini imitatus Sapiens dicat hic; Qui vngis reges; nullum tamen horum trium vnxiſſe

vnxisse legitur, imò solus Iehu legitur vnctus, idque post sublatum Eliam, per quendam discipulum prophetarũ ab Elizeo missum. Proinde quod dicit Dominus; vngues eos; intelligendum videtur de prophetica consecratione, vt significetur tantum, tu eos diuinitus & meo iussu consecrabis, & deputabis in reges & prophetã, vt sint veluti vncti coram Deo. Quam consecrationem & deputationem firmam & infallibilem Elias declarauit Elizeo, vt ob id illos vnxisse dicatur. Cùm autem dicitur; Prophetas facis successores; plurale ponitur pro singulari. Nam hoc dicitur propter Elizeum, in quo hoc singulariter accidit inter omnes prophetas, vt ab homine designaretur propheta alterius successor.

9 *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.*

PRo, receptus, est Græcè ἀναλήφθεις, assumptus, in cœlum scilicet aërium, quemadmodum dicitur 4. Reg. 2. Ecce currus igneus & equi igniei diuiserunt vtrunque, Eliam scilicet & Elizeum, & ascendit Elias per turbinem in cœlum; vbi etiam Septuaginta habent ἀναλήφθη, Assumptus est. *Mirabilis* sanè hæc est res, & admodum singularis, valde declarans viri *huius* eximiam & singularem excellentiam, eòque magis mirabilis, quòd in quem locum consistat, & quali vita viuat ignoretur: Dubium tamen esse non potest, quin hæc res facta sit in figuram futuræ ascensionis filij Dei, quamuis hæc longè mirabilior fuerit.

10 *Qui inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini.*

11 *Conſtituere cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.*

NOn dubium est, quin Sapiens hic referre velit quod scribitur Malachiæ vltimo: Ecce ego mittam *vobis* Eliam prophetam, &c. sed dubium est quid hoc sit; Qui inscriptus es in iudiciis temporum; dubium item an legendum sit iudiciis, an indiciis, vtrunque enim legitur. Sed Græca dictio ἐλεγμοῖς magis requirit vt legatur iudiciis, quia sic interpres mox eam superius vertit, ibi: qui audis in Sina iudicium, cùm propriè significet reprehẽsionem. Apud Rabanum omittitur hæc pars, & legitur tantùm; Qui scriptus es lenire iracundiam Domini. Et vnum exemplar M. N. Aug. Hunæi scriptum habuit; Qui scriptus; quæ lectio magis conuenit Græcæ dictioni ὁ κατάγραφείς, hoc est, qui conscriptus vel descriptus. Scriptum enim eum dicit, eò quòd Malachias de eo scripserit. Sensus ergo originalibus conueniens hic erit. Tu scriptus es lenire iracundiam Domini, hoc est, de te scriptũ est quod leniturus esses iracundiam Domini, idque per iudicia & redargutiones tuas, quas pro zelo tuo certis temporibus exercebis in populo Israelitico, vt tuis seueris commonitionibus cõpuncti suis vitiis relictis redeant ad Deum, sicque leniatur & sedetur iracundia Dei. Græcè enim in correctioribus libris est, ὁ καταγραφεὶς ἐν ἐλεγμοῖς εἰς καιρούς, Conscriptus in redargutionibus ad tempora. Et conuenienter illud, in redargutionibus vel in iudiciis, refertur ad sequẽs verbũ, lenire. Patet etiam quod dicitur; in iudiciis temporum; referri ad iudicia Dei, vt significetur Eliam venturum, vt, cùm exercenda erunt certis temporibus iudicia Dei quibus mundum redarguet, leniat sua doctrina iracundiam Domini. Quomodo autem lenienda sit ira Domini, indicatur in sequentibus; Conciliare cor patris ad filium; vbi singularia, patris & filium, posita sunt pro pluralibus, patrum & filios, quomodo nos in Malachia legimus iuxta Hebraicam veritatem. Imitatus est enim hic author, vt alias semper, Septuaginta interpretes, qui etiam in Malachia habẽt, καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱον, sed pluraliter tamen id accipiendum satis indicant, cùm subiungunt; & cor hominis ad proximum suum. Conciliare ergo cor patris ad filium, est efficere vt filij, qui in religione & pietate degenerauerunt à suis progenitoribus, patriarchis, & sanctis viris, redeant ad eorum pietatem, sicque patriarchæ offensi eis reconcilientur: vnde additur; & restituere tribus Iacob; collapsas scilicet à vetere & vera patrũ religione, sicut ad hoc ipsum valde laborauit Elias in tempore regum Israel. Vtitur autem author verbo, restituere, quia illud est apud Septuaginta, qui pro eo quod D. Hieronymus vertit, conuertet cor patrum, habẽt ἀποκαταστήσει, restituet, quod verbũ etiam est in Matthæo, cùm de Elia dicit Dominus, quod restituet omnia. Cæterùm quod de mittẽdo Elia promittitur apud Malachiam, ad quem author hic respicit, plerique existimant in Ioanne Baptista impletum, eo quòd ad verba Malachiæ alludens angelus Gabriel dicat de eo Luc. 1. Ipse præcedet ante Dominum in spiritu & virtute Eliæ, vt cõuertat corda patrum ad filios, &c. Et quia Dominus bis in Euangeliis dicit Ioannẽ esse Eliam, qui promissus erat venturus: Si, inquit, vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. & rursum: Dico vobis quia Elias iam venit. Et sanè si de Ioanne Baptista vaticinatus est Malachias in prædictis verbis, sicut de eo apertè vaticinatus est cap. 3. obseruandum est quod nouissima omnium prophetiarum quæ in canone apud Hebræos habentur, verba sunt de Ioanne Baptista, post quem promissum nulla extat prophetia scripta ab aliquo propheta qui canonicus habetur, quousque ille promissus veniret, à quo incipit scriptura noui testamẽti, vt hinc intelligere liceat mirabilem connexionem scripturæ noui testamenti cum prophetis. Communis tamen omnium antiquorum patrum sententia est, quòd etsi Malachiæ prophetia etiam ex parte impleta sit ad Ioannem Baptistam, & ad eum etiam pertineat, qui fuit Elias non in persona, sed in spiritu, tamen adhuc ante secundũ Domini aduentum, venturus etiam sit Elias in propria persona, in quem ea prophetia perfectè impleplenda

Mat. 11.

Mat. 17.

plenda sit, vt ad quem ea propriè pertineat. Quæ sententia præter perpetuam traditionem probari etiam solet, partim ex eo quod Christus dicit in euangelio: Elias quidem venturus est, & restituet omnia; partim ex hoc loco, quia hic dicitur, quòd Elias ille, qui receptus est igneo curru in cœlum, ipse sit qui iuxta scripturam Malachiæ venturus est ad restituendas tribus Israel. At sicut locus ille euangelij non satis conuincit ante secundum Domini aduentum venturũ etiã in persona propria Eliam, quia rectè intelligi potest Dominum tantùm significare voluisse, verum esse quod scribæ dixerunt Eliã venturum ante Messiam: ita nec hic locus omnino cogit hoc intelligere. Dici enim potest authorem istud dicere secundùm receptam suo tempore opinionem, qua creditũ fuit ex verbis Malachiæ, quę hoc clarè signi ficare videntur, Eliam verè in sua persona venturum ante Messiam, cùm id non esset implendum in propria eius persona, sed in eo qui vèturus erat in spiritu & virtute Eliæ, quemadmodum ab angelo & Christo declaratũ est. Certè in Ioannem Baptistam bene competit quod hic dicitur, Eliam suis reprehensionibus egisse vt leniret iram Domini, eámq; venientem homines effugerent, cùm feuerè admodum redarguit Iudæos, dicens: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? &: Iam securis ad radicem arborum posita est, &c. &: Venit fortior me post me, cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, &c. Quę & alia similia bene perpensa declarant in Ioannem bene competere, quæ hic & apud Malachiam dicuntur de venturo Elia, qui hoc ageret vt tribus Iacob effugere possent Dei vindictam imminentem, de qua dicitur: Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate. Hęc tamen sententia, quam catholici aliqui sequuntur, quòd scripturis videatur consentanea euangelicis, non sic est inculcanda pertinaciter, vt alia sententia cõmunis de vèturo adhuc Elia in propria persona planè reiiciatur, quòd à tam multis patribus velut per manus accepta, asserta sit, non tamen sic quasi fide tenenda.

12 *Beati sunt qui te uiderunt, & in amicitia tua decorati sunt: Nam nos uita uiuimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.*

LEgendum esse, viderunt, & non, audierunt, vt quidam libri habent, patet ex Græcis, quę habent, οἱ ἰδόντες σε. Pro, decorati, quædam Græca habent κεκοσμημένοι, hoc est, qui obdormierunt. Æditio tamen Germanica habet vt noster legit, κεκοσμημένοι, hoc est, ornati & decorati. Pro toto autem illo quod sequitur; Nam nos vita viuimus tantùm, post mortem autem non erit, &c. Græca tantùm habent, καὶ γὰρ ἡμεῖς ζῶν ζησόμεθα, Etenim nos vita viuemus. Et significari videtur hic grande mysterium, quod quoniam noster non intellexit, longè aliter vertit multis verbis additis. Apparet enim quòd quoniam hæc sententia subiicitur superiori sententiæ, qua dicitur vèturus Elias ad salutem populi, hic iam significetur beatos illos futuros, qui illũ & essent visuri, & in eius amicitia essent obdormituri aut ornandi, vt verba præterita pro futuris sint posita prophetico more, quemadmodum hic quidam intelligunt, vt sit sensus: Beati erunt quibus contiget te reuertétem vidisse, & in amicitia tua somnum mortis obdormire, aut tua ornari amicitia. Tales dicit meritò beatos, quia illi simul etiam videbunt Messiam quem ille præcedet & demonstrabit adesse, siue de vero Elia intelligatur, siue de Ioanne Baptista, qui primus salutem annunciauit, dicẽs: Appropinquauit regnum cœlorum, Beatos ergo tales dicit, quia intellexit per Eliam viuentibus veram salutem aduenturam, sed his qui non tantum eum viderent, sed etiam amarent, eiúsq; monita reciperent. Hanc salutem significare videtur, cùm subiicit; Nam nos vita viuemus; tunc scilicet per Messiam, qui & in primo suo aduentu attulit his qui ipsum expectauerunt, vitam animæ, quæ est resurrectio prima: & in secundo aduentu adferet eis & vitam corporum, quæ est resurrectio secunda. Hic videtur esse genuinus originalis linguæ sensus, plenus magno mysterio & prophetia sublimi. Similis est locus apud Tobiam, qui postquam magnifica prædixit de restitutione Ierusalem, subiicit; Maledicti erunt qui contẽpserint te, benedicti q; erunt qui edificauerint te: Beati omnes qui diligũt te, & qui gaudent super pace tua: Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Ierusalem, nempe quia erũt participes salutis quam Deus adferet in Ierusalem. Nostra litera sic accipi potest: Beati & erant qui olim te tãtùm viderunt atq; amauerunt, & erunt qui te reuertentem videbũt atq; amabunt. Dissimilis enim tu admodum es à nobis, quia nos tãtùm viuimus vita hac mortali ac breui peritura: post mortem autem non erit tale nomẽ nostrum, quale tuũ, qui nec deprehẽderis esse mortuus: & postquam sublatus es, etiam prophetico scripto prædicaris rursum mittendus, idque in salutem totius populi.

13 *Elias qui in turbine tectus est, & in Elizeo completus est spiritus eius.*

CLarior esset sententia si abesset relatiuum, qui, quod defuit in vno scripto, & in alio pro, qui, erat, quidem. Relatiuum tamen, qui, etiam est in Græcis, sed docti quidam existimant mendum esse, & pro relatiuo. ὃς, quod est in omnibus exemplaribus, legendum ὡς, vt sit sensus: Elias postquam in turbine tectus est, Elizeus impletus est spiritu eius. Sic enim posteriorem partem habent Græca. Verùm hæc correctio non est necessaria. Rectè enim intelligitur nomen, Elias, absolutè positum phrasi Hebraica, sicut ibi: Dominus in cœlo sedes eius; vt & hic sensus sit: Eliæ, qui in turbine tectus est, spiritus in Elizeo completus est: vel, Eliæ spiritu Elizeus repletus est. Non est enim Græcis coniunctio, &, quæ si non esset in nostra le-

ctione, poſſet noſtra etiam ſic intelligi: iam vero noſtra lectio ſic accipi poteſt; Elias eſt qui in turbine tectus eſt, & tunc in Elizeo completus eſt ſpiritus Eliæ, quia ſcilicet ſicut petiuit, accepit duplicem ſpiritum Eliæ, ſpiritum ſcilicet prophetię & miraculorum vnde cùm viderent filij prophetarum Elizeum pallio Eliæ diuidentem aquas Iordanis, dixerunt: Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Elizeum. Dicit Eliam in turbine tectum, quia poſtquam turbo eum comprehendit, dicit ſcriptura quòd eum amplius non vidit Elizeus. De Elizeo deinceps dicturus repetit de ſubuectione Eliæ per turbinem quia cum hoc fieret, Elizeus poſt eum duplicem eius accepit ſpiritum.

14 *In diebus ſuis non pertimuit principem, & potentia nemo uicit illum.*

GRæca habent; In diebus ſuis non eſt cõmotus à principibus, & nõ ſubegit eum quiſquam. Noſtræ ergo lectionis ſenſus eſt; In diebus ſuis non pertimuit vllum principem, & nemo ſua quantumuis magna potentia vicit illum, ita vt prætermitteret vel dicere vel facere, quod oportebat vel dicere vel facere. Significatur ergo eum in officio ſuo intrepido fuiſſe animo, nec cuiuſquã perſonam timuiſſe. Declarant id variæ de eo hiſtoriæ in quarto Regum. Nam regi Ioram filio Achab dixit in faciem: Si non vultum Ioſaphat regis Iudæ erubeſceré, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem. De eodẽ intrepidus dixit: Nunquid ſcitis quòd filius homicidæ miſit vt pręcidatur caput meum; Et cùm rex Syriæ miſiſſet exercitum ad capiendum ipſum, dixit ad puerum ſuum: Nõ timeas, plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis. Vnde & ſubditur:

15 *Nec ſuperauit illum aliquod uerbum, & mortuum prophetauit corpus eius.*

NVllum, inquit, verbum, ſiue comminatorium, ſiue blandũ, aut nulla res, (quia, verbum, Hebraica phraſi ſæpe pro re quæ verbis exprimitur accipi ſolet) ſuperauit eũ, ſic vt à recto deficeret, vt etiam declaratum eſt in Naaman Syro ſanato, cuius munera adduci non potuit vt ſuſciperet. Mortuum corpus eius prophetaſſe dicitur, & quia propheticam exhibuit virtutem, & quia per exhibitam virtutem declarauit eum verũ fuiſſe prophetam, dum iniectum fortè cadauer in ſepulchrum ipſius reuixit ad tactum oſſium ipſius.

16 *In uita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.*

PRo, monſtra, rurſum eſt τέρατα, hoc eſt, prodigia & admiranda ſigna, qualia Elizeus numeratur in vita ſua feciſſe ſedecim, cùm in Elia tantùm numerentur octo, Pro, in morte, eſt ἐν τῇ τελευτῇ, hoc eſt, in fine vitæ. Proinde in morte, accipi debet pro inſtante morte, & cùm iã moreretur. Inſinuatur enĩ quod habetur 4. Regum 13. quomodo rege Ioas illum inuiſente in extremo vitæ eius, iuſſerit ei inter alia vt iaculo terram percuteret: quod cùm tãtùm ter faceret, prædixit ei quòd ter Syriã percuteret, percuſſurus ſę pius ſi terrã ſæpius iaculo feriſſet: quæ ſanè mãdata & prædictiones fuere admirabiles.

17 *In omnibus his non pœnituit populus, & non receſſerunt à peccatis ſuis,*

18 *Vſquedùm eiecti ſunt de terra ſua, & diſperſi ſunt in omnem terram.*

CVm omnia quæ Elias & Elizeus fecerũt atque docuerunt, fierent ad hoc vt populus, decem tribuum potiſſimùm, recederet à peccatis, idolatriæ maximè, & reuerteretur ad Deum verum quem reliquerat, tamen per hæc omnia non pœnituit populus nec correctus eſt. Vnde euenit vt deinde ſtatim eiecti ſint de terra ſua hæreditaria, & diſperſit in varias regiones. Illud enim; vſque dum; conſecutiuè accipitur, vt ſignificet quid deinde ſecutum ſit, ſicut tales dictiones ſæpe ſumuntur in ſcripturis. Huius ſentẽtiæ varietatem ſatis intelligere licet ex hiſtoria quarti libri Regum, ſicut & quæ ſequuntur.

19 *Et relicta eſt gens perpauca; & princeps in domo Dauid.*

SVblatis decem tribubus è terra ſua ſimul cum rege ſuo relictus tantùm eſt in terra ſua admodum paucus populus cõparatione aliorũ, & princeps atq; rex in familia Dauid. Sed nec in paucis iſtis relictis, nec in regibus ex familia Dauid, permãſit ſemper vitæ & religionis integritas, vnde ſubditur:

20 *Quidam ipſorum fecerunt quod placeret Deo, alij autem multa commiſerunt peccata.*

DE regibus Iuda potiſſimùm loquitur, de quibus tertio & quarto Regũ, & ſecundo Paralip. refertur, quòd quidã multa commiſerint peccata, quidã verò fecerunt quod placeret Deo, aut per totã vitam aut in principio. Inter eos qui poſt Dauidem fecerunt quod Deo placeret, ſingulariter eminuit Ezechias, ideóq; aliis prætermiſſis eius laudes peculiariter proſequitur, vel ob id quod in diebus eius facta eſſe captiuitas decem tribuum, de qua mox dictum eſt, primuſq; fuerit qui ſublato regno decem tribuum, ſolus regnauit in Iuda.

21 *Ezechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in ipſius aquam.*

22 *Et fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.*

INter opera Ezechiæ primùm commemorat quæ ad munitionem ciuitatis, & ciuiũ vtilitatem fecit, nempe quòd muniuit ciuitatem ſuam Ieruſalẽ regni ſui metropolim, ſicut ſcribitur de eo 2. Paralip. 32. vbi ſic habetur: Ædificauit quoque agens induſtriè omnem murum qui fuerat diſſipatus, & extruxit turres deſuper & forinſecus alterum murum, inſtaurauitq; Mello in ciuitate Dauid, & fecit vniuerſi generis armaturam & clypeos. Deinde quòd pro abundãtia aquarum comparanda induxit in medium ciuitatis aquam, forte ex fonte Siloë, qui erat

extra ciuitatem ad radicem montis Sion vnde profluxit per factum aquæductum in ciuitatem, ea quæ dicitur natatoria Siloë. Et quoniam ad aquam introducendam opus erat rupem excauare, ideo ſubditur, quòd foderit ferro rupem, quod non niſi ſummis laboribus & impenſis fieri potuit, & ædificauit puteum ad aquam; ſcilicet defluentem in eum recipiendam. Gręca habent pluraliter; κρήνας εἰς ὕδατα puteos ad aquas vel propter aquas. Et Rabanus in cõmentario legit pluraliter, ad aquas Deriuationis huius aquarum fit obiter mentio 4. Regum 18. cùm dicitur: Reliqua autem ſermonum Ezechię, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piſcinam & aquęductum, & introduxerit aquas in ciuitatẽ, nonne hęc ſcripta ſunt, &c.

23 *In diebus ipſius aſcendit Sennacherib, & miſit Rapſacem, & ſuſtulit manum ſuam contra illos.*

24 *Et extulit manum ſuam in Sion & ſuperbus factus eſt potentia ſua.*

NArrat deinde multis mirabilem illam liberationem, quam Deus ciuitati Ieruſalẽ præſtitit merito Ezechiæ regis & Iſaiæ prophetæ, quæ prolixè ſatis ſcribitur in quarto Regum, & in Iſaia. Nec eſt hic & in ſequentibus quod multùm annotetur, cum hæc ſatis ex hiſtoria clara ſint. Illud tamen notari poteſt Græcis non eſſe bis; ſuſtulit manum ſuam, & extulit manum ſuam; ſed pro vtroque tantùm eſt, καὶ ἐπῆρε χεῖρα αὐτοῦ, & ſuſtulit manum ſuam, vt videri rectè poſſet eam apud nos repetitionem ex diuerſis verſionibus connexis ortam eſſe. Certè codex Beſſarionis tantùm habuit; Et ſuſtulit manum ſuam in Sion; quę vera & ſimplicior lectio videtur.

25 *Tunc mota ſunt corda & manus ipſorum, & doluerunt quaſi parturientes mulieres.*

NOtatur his verbis quòd Ezechias timore cõcuſſus iuſſit per ſeruos ſuos ſignificari Iſaiæ dies tribulationis & correptionis & blaſphemiæ, quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi, hoc eſt, ſic affecti ſumus, & tali tenemur dolore, quali mulieres in partubus difficilimis teneri ſolent. Mota ergo dicit corda & manus illorum, quia illa ex timore magno tremuerunt & commouebantur, pro quo Græcè ſignificantius eſt ἐσαλεύθησαν, hoc eſt, concuſſa runt & perculſa. Cæterùm etſi meritò magno timore correpti ſunt rex & ſui, non tamen permiſerunt illum ſibi dominari, ſed ad Dominum cum bona fiducia confugerunt, vnde ſequitur:

26 *Et inuocauerunt Dominum miſericordem, & expandentes manus ſuas extulerunt ad cœlum, & ſanctus Dominus Deus audiuit citò uocem ipſorum.*

27 *Non eſt commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis ſuis, ſed purgauit eos in manus Iſaię ſancti prophetæ.*

MAnifeſta ſunt hęc ex hiſtoria, nec quicquam magnopere eſt annotãdum, niſi quòd Græcis non eſt totus ille verſus. Non eſt commemoratus peccatorum illorũ, neq; dedit illos inimicis ſuis nec eſt verbum, purgaui. ſed ἐλυτρώσατο, liberauit. Itaque Græcis duæ ſunt ſententiæ bimẽbres tantum, quarũ ſecunda eſt; Et ſanctus è cœlo citò exaudiuit eos: & liberauit eos in manu Iſaiæ; hoc eſt, Iſaia pro eis orante & prophetãte. Quod enim apud nos inſertum eſt, de peccatis nõ videtur ſatis congruere ei quod mox ſubditur de ſanctitate Ezechię, cuius intuitu Deꝰ ciuitatem protexit. Proinde quod de peccatis apud nos incertum eſt, accipiendum eſt potiſſimùm de iis quæ temporibus præcedentium aliquot regum Iuda commiſſa erant, ob quæ meritò Deus potuiſſet ciuitatẽ Ieruſalem tradidiſſe inimicis, verùm abſtinuit ob integritatem Ezechiæ & populi ad Deum conuerſi monitis & doctrina Iſaiæ, atq; ob id dicitur Deus eos purgaſſe in manu Iſaię, hoc eſt, eius opera & prædicatione, vnde & ſecuta eſt ex Dei miſericordia ciuitatis mirabilis liberatio, de qua ſubditur:

28 *Deiecit caſtra Aſſiriorum, & contriuit eos Angelus Domini.*

NAm, vt habet hiſtoria, Egreſſus eſt Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque milia.

29 *Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter fuit in uia Dauid patris ſui, quam mandauit illis Iſaias propheta magnus & fidelis in conſpectu Domini.*

PRo, fortiter iuit, Græce eſt, ἐνίσχυσεν, hoc eſt fortis fuit, & fortiter ſe geſſit. Declarat hoc de eo ſcriptura quę dicit: Fecit quod erat placitũ in conſpectu Domini iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Et poſt eũ non fuit ſimilis ei de cũctis regibus, ſed neque in his qui ante eum fuerũt, &c. Religioſa autem eius facta clarè proſequitur liber ſecũdus Paralip. nẽpe quod templũ aperuit & inſtaurauit cõuocatis Leuitis, & eos ad religionem commonitis: Deinde quòd & decem tribus ad veri Dei cultum excitauerit, miſſis ad illas literis, quibus ad Paſcha celebrandum ſolenniter prouocauit. Prætereà quòd poſteà ad eius impulſum filij Iſraël cõfregerint ſimulachra, excelſa ſint demoliti deſtructis altaribus, non ſolùm in Iuda, ſed & in Ephraim atque Manaſſe, adeo vt & ſerpentem æneum curauerit tolli ob eius abuſum, vt eſt 4. Regum 18. Item quòd & curauerit dari ſacerdotibus & Leuitis partes eis debitas, vt poſſent vacare legi Domini. Poſt hæc ergo & tãta & varia pietatis eius opera, ſecuta eſt tã prodigioſa ciuitatis Ieruſalem liberatio. Cęterũ quod nos legimus de Iſaia quòd fuerit propheta fidelis in conſpectu Domini, etſi nobis videatur ſignificare, quod fuerit fidelis coràm Domino, Græcis tamen aliud ſignificatur. Habet enim, πιστὸς ἐν τῇ ὁράσει αὐτοῦ, fidelis in viſione ipſius vel ſua, hoc fideliter referens, & certus in his quę Deo reuelante vidit; vt diſtinguatur à pſeudo prophetis, qui mentiebantur ſe vidiſſe quæ non viderant. Simile prius dictũ eſt de Samuele.

30 *In diebus ipſius retro rediit ſol, & addidit regi uitam.*

PRoſequitur iam laudes Iſaię. In cuius diebus dicit retro rediiſſe ſolem, quia in ſignum reſtituendæ vitæ, & prorogandæ vitæ Ezechiæ ægrotãti, ad preces & iuſſum Iſaiæ, in horologio Achaz vmbra linearũ deſcendit retrorſum decem gradibus: quod hic factum dicitur ſole retro redeunte. Quod factum ita ſcriptura tribuit Iſaiæ, vt ipſemet dicat: Ecce ego rẽuerti faciam vmbram linearum. In quarto Regũ tamen dicitur quòd Iſaias inuocauit Dominum, & reduxit vmbram per lineas. Eundem Iſaiam dicit hic addidiſſe regi Ezechiæ ſcilicet vitam, quia eius certa denunciatione, & per ſignum cõfirmatione addita eſt regi vita quindecim annorum. Eundem non ſolùm à factis commendat, ſed & à prophetiæ eius excellentia, qua omnium aliorum prophetarum ſcriptis longè præſtat. vnde & ſubiicit:

31 *Spiritu magno uidit ultima, & conſolatus eſt lugẽtes in Sion.*

32 *Vſque in ſempiternum oſtendit futura, & abſcondita antequam euenirent.*

BEne dicit ſpiritu magno vidiſſe, quia vt ex eius ſcriptis patet, & clariſſimè multa præuidit, & longè plura ac maioris ponderis quàm alij, vnde ſpiritus prophetiæ in eo fuit magnus, vt qui clarè fuit illuminatus, & ad multa ac magna diffuſus. Dicit eum vidiſſe vltima, quia non tantùm, vt quidam prophetæ, præuidit quæ ſuo erãt tempore, aut mox ſecuturo futura, ſed & ea quæ longè pòſt & in vltimis temporibus, prædicens multa de aduentu Meſſiæ, de vocatione gentium, de eccleſiæ ſplendore, de nouiſſimo iudicij die, déq; fœlicitate iuſtorum, & damnatione impiorum vnde & nonnumquam dicit: In nouiſſimis diebus erit hoc vel illud. Dicitur cõſolatus lugentes in Sion, quia non ſolùm tẽpore Ezechiæ verbis conſolatus eſt ciues Ieruſalem in obſidione Sẽnacherib. ſed etiam quia ſuo ſcripto lugentes in Sion conſolatur, promittẽs eis reditum à captiuitate imminente, redemptionem per Chriſtum ab omnibus malis, vnde toties ad conſolationẽ adhortatur, dicens: Conſolamini, conſolamini populo meus Iſaiæ 40. dicit De⁹ veſter: Loquimini ad cor Ieruſalem, Et conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, &c. Et in perſona Chriſti dicit: Spiritus Domini ſuper me, vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion, &c. ad quæ verba veriſimile eſt hic authorem reſpexiſſe. Itaq; per lugentes in Sion, intelliguntur non ſolùm qui illius tempore lugebant, ſed etiam qui futuris omnibus temporibus non ſolùm in Sion carnali, ſed multò magis in Sion ſpirituali, hoc eſt, eccleſia lugent & ſua & aliorum peccata, & huius ſæculi miſeriam expectantes vſque in finem mundi redemptionem per Chriſtum: vnde & pars illa; vſque in ſempiternum; non malè à pleriſque iungitur præcedentibus, vt ſignificetur lugentes in Sion, vſq; in finem ſæculi conſolationem accepturos ex ſcriptis Iſaiæ. Sed præſtat ſequi diſtinctionẽ Græcorũ, quæ eã par tẽ coniungunt ſequentibus, ſicut in quibuſdam emendationibus Latinis ſcriptis diſtinguitur, vt ſit ſenſus: quòd Iſaias ſuis ſcriptis oſtenderit quæ futura ſunt vſq; in finem ſæculi, & res valde abſconditas & mũdo incognitas tam clarè oſtendit & deſcripſit longe antequam euenirent, vt eas clarè coràm videre videretur, & tam manifeſtè eas prædixerit, quàm hi ſcripſerunt qui eas poſtea viderant contigiſſe, adeo vt à D. Hieronymo ſcriptũ ſit, eum nõ tam prophetã dicendum quàm euangeliſtam. Ita enim, inquit, vniuerſa Chriſti, eccleſiæq; myſteria ad liquidum proſecutus eſt, vt non putes eum de futuro vaticinari, ſed de præteritis hiſtoriã texere.

Caput XLIX.

1 *Memoria Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarij.*

IOc capite laudãtur Ioſias rex, propheta Ieremias, Ezechiel, duodecim prophetæ coniunctim ſine expreſſione nominis, Zorobabel item Dux, & Ieſus filius Iotſedec ſacerdos atque Nehemias. Et repetitur mentio priſcorum quorundam, Enoch, Ioſeph, Seth, Sem, Adam, Cæterum hæc prima ſententia obſcura ſatis eſt, vnde & variè admodũ legitur, ſicut & Græca obſcura ſunt, & non eiuſdẽ in omnibus lectionibus. Sic enim habet Complutenſis æditio; μνημόσυνον ιωσίου εἰς σύνθεσιν θυμιάματος ἐσκευασμένου ἔργῳ μυρεψοῦ, Memoria Ioſię in compoſitionẽ incenſi, confecto opere vnguentarij. Quod cùm difficilem habeat ſenſum, legendum quidam putãt, ἐσκευασμένου, vt ſit ſenſus incenſi confecti opere vnguẽtarij. Certè Rabanus legit, facti. Germanica æditio habet ἐσκευασμενον, vt referatur ad μνημόσυνον, quomodo videtur legiſſe noſter interpres: proinde dictio, facta, non debet cõiungi cum ablatiuo compoſitione, pro quo omnes Græci codices habent accuſatiuum, in compoſitionem, quomodo & Rabanus & alij quidam codices, ſed ad nominatiuum, Memoriæ, vt hæc poſſit eſſe & conſtructio & intelligentia noſtræ lectionis: Memoria Ioſiæ collata ad compoſitionem odoris, eſt facta opus pigmentarij, hoc eſt, inuenitur eſſe ſimilis operi vnguentarij, qui ex diuerſis ſpeciebus per miſturam aptam componit rem aliquam odoriferam: Odoris, enim poſitum eſt pro re odorifera, & compoſitio odoris, eſt apta diuerſarum ſpecierum miſtura & coniunctio. Multi enim libri habent, facta eſt, cum verbo ſubſtantiuo. Vtut eſt, ſignificatur, Memoriam Ioſiæ ſimilem eſſe vnguento aptè compoſito, & admodum odorifero atq; grato, quia eius etiam memoria ſimiliter eſſet admodum grata hominibus. Idem ſignificatur cùm ſubditur:

In

2 *In omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & ut muſica in conuiuio uini.*

TRibus rebus quæ homini valde gratæ ſunt comparat Ioſiæ memoriam, nempe iis quę olfactum oblectant, guſtum & auditum, ſignificans eam omnibus modis delectare homines, idque & narrantes & audientes eam. Nam propter narrantes videtur dicere; in omni ore quaſi mel dulcis erit propter audientes, vt muſica in conuiuio vini, hoc eſt, lauto & ſplẽdido. Cęterùm cur iſtud tam peculiariter dicatur de Ioſiæ memoria, intelligere licet ex his quæ de eo iam mortuo ſcribuntur 2. Paralippo. 35. carmina ſcilicet compoſita eſſe per Ieremiam, quę cantores & cantatrices futuris ſemper temporibus replicabant ſuper Ioſiam, quæ ſic venerunt in cõſuetudinem, vt diceretur in Iſraël: Ecce deſcriptum eſt in Lamẽtationibus. Per hæc ergo carmina factum eſt vt fama eius latè ſpargeretur, & memoria conſeruaretur gratáq; eſſet & in referendo & in audiendo.

3 *Ipſe eſt directus diuinitus in pœnitentia gentis, & tulit abominationes impietatis.*

DIuinitus, adiecit interpres, vt intelligatur à Deo directum eſſe. In pœnitentia, vel, vt eſt Græcis, ἐπιστροφῇ, in conuerſione, poſitum videtur, pro ad pœnitentiam & conuerſionem. Et ſunt ſcripti libri qui habent, in pœnitentiam. Itaque ſenſus eſt: ipſum à Deo directum eſſe & per eum populus induceretur ad pœnitentiam, & conuerteretur ab idololatria ſua, aliiſq; peccatis. In ſequenti parte legendum eſſe; abominationes impietatis; & non; ab hominibus impietatis; vt Rabanus & alij quidam, libri habent demonſtrant Græca quæ habent, βδελύγματα ἀνομίας. Dicuntur autem abominationes impietatis, abominabiles impietates, aut abominatiões quas impietas producit; qualia ſunt altaria & ſimulachra idolorũ, quę ſummo zelo abſtulit Ioſias non ſolùm in Ieruſalem aut circa, ſed etiam in Ephraim & Manaſſe ad exẽplum Ezechiæ. Tulit etiam aruſpices & effœminatorum ædiculas quæ erãt in domo Domini, vt ſcibitur 4. Regum 23. quę omnia admodùm ſunt abominabilia coram Deo.

4 *Et gubernauit ad Dominum cor ipſius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem.*

PRo gubernauit, eſt verbum actiuum eius verbi quod mox vertit, directus eſt, κατεύθυνε, direxit. Cor ipſius poſitum eſt pro, cor ſuum, quomodo etiam quædam ſcripta habent. Senſus ergo eſt: Ioſias à Deo directus, direxit etiam cor ſuum ad Dominum, quærens ſcilicet illi placere ex toto corde, & in diebus peccatorum, hoc eſt, eo tempore quo multi erant in terra, peccatores & idololatræ (nam, peccatorum, eſt genitiuus à, peccator, non à, peccatum, cùm Græcè ſit ἀνόμων) corroborauit pietatem, tollendo omnia quæ ad idololatriam pertinebant, & reſt aurando templum & cultum Domini.

5 *Præter Dauid, Ezechiam, & Ioſiam, omnes peccatum commiſerunt.*

NOn parua dubitatio oritur circa veritatem huius ſententię, adeo vt, quia videtur apertè contraria ſcripturis, quidam de authoritate huius libri dubitent. Nam & hi tres etiam peccaſſe leguntur. Et alij etiam reges Iuda in ſcripturis valde laudantur, & imprimis Aſa & Ioſaphat. Nã de Aſa dicitur, quòd fecerit rectum ante cõſpectum Domini, ſicut Dauid pater eius. Iteé quòd cor eius fuit perfectum cum Domino cũctis diebus ſuis. Similia dicuntur de Ioſaphat. Dicẽdum ergo primùm, quod etſi Dauid peccaſſe legatur & grauiter, tamen etiam legitur eius peccatum eſſe remiſſum, vnde pro non cõmiſſo habendum eſt. Deinde hic agitur potiſſimùm de peccato in Deum directè commiſſo, quale eſt idololatria: quo peccato nullo modo cõtaminati ſunt tres hi reges, quorum Dauid primus cultum Dei religioſiſſimè ornauit & auxit, & alij duo ſummo zelo Dei cultum collapſum reſtaurarunt, ſublatis omnibus quę illi contrariabãtur. De reliquis autem omnibus regibus Iuda, etiam his qui valde laudantur, ſemper ſcribitur quòd excelſa non abſtulerit, quódq; populus adhuc immolabat in excelſis. Et Ioſaphat, qui inter reliquos maximè laudatur, aliquoties à Prophetis reprehenſus eſt de familiaritate & affinitate contracta cum Achab & filio eius, per quæ in ſua idololatria illi fouebantur. Hac ſanè de cauſa generaliter ſubiicitur, etſi id in omnibus non ſimiliter veritatem habuerit, ſed tantùm in pleriſque perfectè.

6 *Nam reliquerunt legem altiſſimi, Reges Iuda defecerunt, & contempſerunt timorem Dei.*

VErbum defecerũt, quod in multis libris omittitur, addẽdum eſſe patet ex Græcis, quemadmodũ & Rabanus habet, & ſcripta quædam emendatiora, eíq; verbo cùm additur Reges Iuda, emphaſis eſt. Non enim ſatis habens ſemel dixiſſe, eos de quibus loquebatur, Reges ſcilicet Iuda, reliquiſſe legem altiſſimi, repetit expreſſo eorum nomine; Reges Iuda defecerunt. quaſi dicat: Non ſolùm reges Iſraël, ſed etiam Reges Iuda, apud quos erat templum & varia ſanctitatis exempla: quorum ob id defectio minus erat tolerabilis, quòd etiam ipſi defecerunt in obſeruatione legis Dei. Id etſi in genere dicat non tamen ſignificare vult omnes, præter tres, tales fuiſſe, ſed maiorem partem, niſi intelligamus omnes defeciſſe, exceptis tribus, quòd, vt dictum eſt, omnes defecerint à perfecta legis diuinæ obſeruatione in cultu Dei. Sed non omnibus rectè tribuitur quod ſequitur; & contempſerunt timorem Domini; quam tamen partem Græca non habent, ſed tantùm Latina.

7 *Dederunt enim regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienæ genti.*

COniunctio, enim, quæ non aptè probat præcedentia, ſicut non eſt Græcis, ita

nec in quibuſdam ſcriptis Latinis, nominatim in codice Beſſarionis, proinde meli⁹ tollitur, & legendum eſt potius; alienæ genti, quàm alienigenæ, cùm Græcis ſit ἀλλογενῶν, & Rabanus legat, alienæ, conſentientibus aliquot ſcriptis. Porrò reges Iuda dicuntur dediſſe regnum ſuum & gloriam aliis, quia eorum vitiis & peccatis factum eſt vt regnum eorum Deus offenſus tandem etiam traderet in manu regis Nabuchodonoſor & Chaldeorum. Quædam Græca habent ἐδόωκε, dedit; vt ad Deum referatur: quædam tamen etiam habent ἐδώκαν, dederunt, quomodo noſter ſe legiſſe declarat.

8 *Incenderunt electam ſanctitatis ciuitatem: & deſertas fecerunt vias ipſius, in manu Ieremiæ prophetæ.*

QVamuis intelligi poſſit idem eſſe ſuppoſitum verbi, incẽderunt, quod prius verbi, dederunt, vt reges Iuda dicantur incẽdiſſe ciuitatem ſanctam, nempe Ieruſalem: quia meruerunt eam incendi: melius tamen intelligitur ſuppoſitum eſſe alij, illi & gens aliena, de quibus mox dictum eſt, quòd eis traditum ſit regnum & gloria Iudaica. Illi, inquit, tradito ſibi regno, & captis regibus incenderunt electam ciuitatem ſanctitatis, hoc eſt, in qua erat ſanctuarium, templúmque ſanctum. Eſt enim hic rurſum ἁγιάσματος, quod ſæpe ponitur pro ſanctuario. Et deſertas fecerunt vias ipſius ciuitatis; iuxta illud in Threnis: Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem. Illud autem; in manu Ieremiæ, poſitum eſt Hebraica phraſi pro, iuxta vaticinia Ieremiæ, qui deſolationem illam prædixit ob peccata regum Iuda certò futuram. Sic dicitur Oſeæ 12. In manu prophetarum aſſimilatus ſum. Et Aggei 1. Factum eſt verbum Domini in manu Aggei prophetæ. Additur cauſa cur Ieremias ſic contra Iudam prophetauerit.

9 *Nam malè tractauerunt illum qui à uentre matris conſecratus eſt propheta: euertere & eruere & perdere: & iterum ædificare & renouare.*

SVppoſitum verbi, tractauerunt, intelligẽdum iam eſt, reges Iuda vel Iudæi, qui quàm malè tractauerint Ieremiam, ex ipſius libro intelligi poteſt: quorum peccatum eo grauius fuit, quòd tã eximius propheta fuerit, vtpote de quo hoc ſingulariter ſcribitur, quòd cõſecratus & deputatus fuerit, à Deo propheta, cum adhuc eſſet in vtero matris ſuæ, idq; ad euertendum & perdendum, &c. Alluditur enim ad id quod Iere. 1. dicit Dominus illi: Priuſquàm te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. & poſtea: Conſtitui te hodie ſuper gentes vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plãtes. Euertere autem dicitur & ędificare, quia certò euenturam perditionem aut ædificationem prædixit. Mos enim ſcripturæ eſt, dicere prophetas id facere qđ prædicunt. Quo loquendi more ſignificatur eorum doctrinam non eſſe inanem ſed maxima cum virtute coniunctam.

10 *Ezechiel qui uidit conſpectum gloriæ quam oſtendit illi in curru Cherubim.*

11 *Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, & benefacere illis qui oſtenderunt rectas uias.*

TRanſit à Ieremia ad Ezechielis cõmendationem. Videtur autẽ aliquid in priori ſententia deeſſe, quia nõ eſt verbum cum quo hæreat nomen, Ezech. Itaq; quidam ſic abſoluunt ſententiã; Ezechiel is eſt qui vidit conſpectum gloriæ. Magis tamẽ crediderim ſententiam ſuſpenſam abſolui in ſequenti ſententia; Et duodecim prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo; vt coniunctio, &, copulet duodecim prophetas cum nomine, Ezechiel, & ſit sẽſus: Ezechielis qui vidit, &c. & duodecim prophetarum oſſa pullulẽt de loco ſuo, pro quo ædditio Complutenſis habet, εἰς τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, ſit memoria in benedictionibus; vt videri poſſit locum eſſe corruptum, & authorem horum duorum, quæ ſuperius coniunguntur in mẽtione iudicum, vnũ tribuiſſe Ezechieli, alterum 12. prophetis. Niſi enim ſic ordinetur, coniunctio, Nam, cùm dicitur: Nam commemoratus eſt, (quę ſententia iã per parẽthęſim erit interſerẽda) nõ habebit quod probet. Nunc autem ſenſus erit: Ezechielis oſſa pullulent de loco ſuo, aut ſit memoria eius in benedictionibus. Nam commemoratus eſt inimicorum. Cùm dicit illum vidiſſe conſpectum hoc eſt, viſionem & apparitionem gloriæ, Domini ſcilicet, notat illam oſtentionẽ gloriæ Domini, de qua ſcribitur in principio prophetiæ ipſius: quam, inquit, oſtendit illi, Dominus ſcilicet, in curru Cherubim, hoc eſt, quatuor animalium quæ ibi Cherubim vocantur. Vt autem quod ſequitur intelligatur: notandũ eſt Græca habere: Nam meminit inimicorum in imbre, & direxit eos qui rectas faciunt vias. Priori parte ſignificari videtur, quemadmodũ & Rabanus intelligit, ipſum vltionem impiorum & inimicorum Dei prędixiſſe, ſub nomine imbris, quemadmodum fecit cap. 13 quando contra pſeudo prophetas iubetur dicere: Dic ad eos qui liniunt parietem abſque temperatura, quod caſurus ſit. Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem. Et erumpere faciam ſpiritum tempeſtatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit, &c. Similiter nomine imbris ſignificat diuinam vltionem, prophetans contra Gog, cap. 38. iudicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis, ignem & ſulphur pluam ſuper eum, &c. Secunda parte videtur notari quod ſcribitur Ezechielis 18. cap. & 33. vbi conuertentibus ſe à viis ſuis malis, & faciẽtibus iudicium & iuſtitiam, ſuáſq; vias facientibus rectas promittitur quòd viuent, & non morientur. Patet ergo ex his in noſtra lectione legendum cum coniunctione; Et benefacere; quia coniunctionem non tantùm Græca habent, ſed etiam Rabanus & quædam ſcripta, quamuis in multis deſit. Et eſt ſenſus: Commemoratus eſt inimicorum in imbre, hoc eſt, meminit de

nit de inimicis Dei & populi eius, quòd in imbre eſſent puniendi, eorúmque vltionem imbre deſignauit. Et commemoratus etiam benefacere his qui ipſo facto oſtenderunt vias bonas, quia de talibus prædixit quòd victuri eſſent, & non morituri. Hæc autem de eius prophetia peculiariter notauit, quia in eo iſta ſatis ſunt peculiaria, & diligenter hęc inculcauit.

12 *Et duodecim prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo, nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt ſe in fide uirtutis.*

QVid ſit; oſſa pullulent de loco ſuo; ſuperius dictum eſt, cùm idem iſtud tribuitur Iudicibus in Iſrael: nihil enim aliud ſignificatur, quàm eos etſi mortuos, dignos eſſe perpetua memoria, cuius cauſa redditur: Nam corroborauerunt Iacob, hoc eſt, populum Iſraeliticum, quem cõfirmauerunt ſuis prophetiis & ſcriptis, cùm eis promittunt Saluatorem & finem ſuorum malorum. Græcè enim eſt pro, corroborauerũt, παρεκάλεσαν, conſolati ſunt, & ſequens pars ſic habet; καὶ ἐλυτρώσαντο ἀνδρὸς ἐν πίστει ἐλπίδος, hoc eſt, & liberauerunt illos in fide ſpei, hoc eſt, per fidem qua certo ſperabant euenturum quod prædixerunt, liberauerũt illos à malis ſuis, vt ſi nõ re eſſent liberati, ſpe tamen, & fide liberati eſſent, ſicut Paulus dixit: Spe ſalui facti ſumus. Proinde in noſtra lectione rurſum reciprocũ relatiuum, ſe, poſitum eſt pro nõ reciproco, ipſos, vt ſit ſenſus: redemerũt Iſraëlitas in fide & ſpe quam habuerunt de virtute ipſorum. Niſi malimus intelligere quòd prophetæ redemerunt ſe, ne pro mendacibus haberentur, per fidelitatem virtutis eorum, hoc eſt, per hoc quòd declarauerunt virtutem ſuam eſſe fidelem & certam.

13 *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu Iſrael, Et Ieſum filium Ioſedec.*

14 *Qui in diebus ſuis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum ſanctum Domino, paratum in gloriam ſempiternam.*

POſt prophetas duodecim, inſignem gloriam meruerunt Zorobabel dux & Ieſus ſacerdos, de quibus legimus apud Aggęum, Zachariam, & Eſdram, quomodo Dei templum poſt reditũ à Babylone ædificauerint, quo beneficio cùm primi diuinam rem reſtituerint, rectè dicit: Quomodo amplificemus eos? ſignificans eos nõ poſſe dignis laudibus celebrari. Cùm autem hic dicitur de Zorobabel, quòd ipſe fuerit quaſi ſignum notatur id quod dicitur in fine Aggęi ad Zorobabel: In die illa, dicit Dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerue meus, dicit Dominus, & ponã te quaſi ſignaculum, quia te elegi. Quo loco, ſicut & hoc, loco, Græci habent σφραγίς, hoc eſt, ſigillum ſicut & dictio Hebraica חותם Chotam ſignificat ſigillum, & annulum cui ſigillum eſt impreſſum, & quo aliquid ſigillatur, ſicut eædem dictiones ponuntur Canticorum. 8 cùm legimus: Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. Itaq; & hoc loco nomen, ſignum, accipi debet pro ſigillo, vt & alibi. Quod autem dicitur Zorobabel fuiſſe quaſi ſignum vel ſigillum in dextera manu Iſrael, noſtri intelligunt ſignificari ipſum fuiſſe ornamentum Iſraeliticì populi, ſicut ſigillum & annulus ſigillaris, qui dexteræ manus digito inſeri ſolet, cius eſt ornamentum. At notandum Græcis non eſſe nomen, Iſrael, ſed tantum; quaſi ſigillum in dextera manu. Id autẽ non intelligendum de dextera manu Iſraelis, ſed potius de manu dextera Dei, patet non ſolùm ex interpretatione D. Hieronymi ſuper Aggęum, in hæc verba dicentis: Ponet illum Deus quaſi ſignaculũ in manu ſua; ſed etiam ex ſimili loco qui eſt Ierem. 22. de Iechonia. Viuo ergo, dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioatim regis Iuda annulus in dextera manu mea, inde euellam eum. Quo loco Hebræis pro, annulus, eſt eadem dictio quæ locis prædictis. Significatur ergo apud Aggęum, Deum aſſumpturum ſic Zorobabel, vt ſit quaſi ſigillum & annulus ſigillaris in manu ſua dextera, hoc eſt: & ſicut annulus talis valde charus eſt, & ſemper ob oculos verſatur, eiusque magna cura habetur, nec temere deponitur, aut alteri traditur: ita Deus illius perpetuam & magnam curam ſit habiturus, tanquam ſibi valde chari & dilecti. vnde & ſequitur; quia te elegi. Hic ſenſus vt etiam hic in noſtra lectione habeatur, conuenit nomen, Iſrael, non accipere in genitiuo caſu, ſed datiuo, vt ſit ſenſus: Ipſe fuit quaſi ſigillũ in manu dextera Domini Iſraelis, hoc eſt, in vtilitatẽ & gloriã populi Iſraelitici. Notandum & iſtud ex hoc loco, vaticinium illud Aggęi ad literã etiam ad ipſum Zorobabel ſpectare, contra eos qui tantùm ad Chriſtum ea verba pertinere exiſtimant: quanquam dubitare non debeat Chriſtianus ſic ea ad Zorobabel pertinere temporalem, vt multò magis & perfectius ad Chriſtum, cuius ille figura fuit, pertineant. & propter illum, in quem omnes prophetæ reſpiciunt, à ſpiritu ſancto potiſſimùm dicta eſſe: qui ſic eſt ſigillum in manu Domini, vt ſit imago ſubſtantiæ eius, & quicunque crediderit in Deum, hoc quaſi annulo conſignetur, quẽadmodum bene habet D. Hierony.

15 *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas & ſeras, qui erexit domos noſtras.*

POſt Zorobabel & Ieſum filium Ioſedec, qui ſub Dario templum deſolatum ædificauerunt, celebrandum etiam rectè dicit & Nehemiam, qui aliquanto pòſt tempore ſub Artaxerxe etiam ciuitatem Ieruſalem, & euerſos eius muros reſtauraũit, vt legitur in 2. Eſdræ, qui & Nehemias dicitur. Videtur autem oratiõ perficienda, ſubaudiendo optatiuum, ſit, vt ſit ſenſus: Et Nehemias ſit in memoria multi temporis, hoc eſt, ſit longo tẽpore in memoria, ob beneficia per ipſum nobis & reipublicæ præſtita.

16 *Nemo natus eſt in terra qualis Enoch, nam & ipſe receptus eſt à terra.*

17 *Et Ioſeph, qui natus eſt homo princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi.*

18 *Et oſſa ipſius uiſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt.*

POſtquàm cõmemorationem inſignium in ſcripturis virorum perduxit vſque ad Nehemiam, qui vltimus eſt quẽ Hebræorũ canon commendat, finem impoſiturus ſuæ commemorationi, quorundam à ſe prætermiſſorum nomina per recapitulationẽ adiungit prædictis, qui in quibuſdam cõditionibus ſingularem habent eminentiam & prerogatiuam. Repetit autem nomẽ Enoch, à quo incœpit, vt cum eo conferat Ioſeph prætermiſſum. Eſſe enim inter hos comparationem Græca ſatis indicant, quæ habent in ſecundo verſu, οὐδὲ ὡς ἰωσὴφ ἐγενήθη ἀνήρ. Neque vt Ioſeph factus eſt, vel natus eſt vir. Significatur ergo quòd quemadmodũ nemo in primæuo ſæculo fuit ſimilis Enoch, eò quòd ob ſingularem & eminentem pietatem ſolus ſit à Deo è terra ſublatus: ita in ſequente ſæculo quadam ratione nullus fuit ſimilis Ioſepho, quia ſicut in illo fuit prima nota inſignis in Deum pietatis, ita in Ioſepho fuit primum imperium ſuper populum Dei. Et ſicut ille ob inſignem ſuam pietatem primus è terra diuinitus ſublatus eſt, & ſubuectus in cœlum aut paradiſum, inſigni honore affectus: ita Ioſeph primus ex numero piorum in regnum ſublimatus eſt, Itaque quo hãc comparationem etiam noſtra litera vtcunque exprimat ſecundus verſus ſic eſt intelligendus, repetendo quędã ex priori verſu. Et nemo natus eſt in terra qualis Ioſeph, qui natus eſt homo princeps fratrum, hoc eſt, qui ad hoc natus eſt, vt eſſet princeps fratrum, filiorum ſcilicet Iacob, & firmamentum gentis ſuæ, quam tempore famis in Ægypto aluit, & firmiter ibi plãtauit. Duo autem quæ ſequuntur; rector fratrum, ſtabilimentum populi, Græcis non ſunt, ita vt videantur eſſe duorum præcedentium repetitio ex alia verſione. Quod ſequitur; oſſa eius viſitata ſunt; ſignificat curam habitam oſſium eius, vt in exitu Iſraelis ex Ægypto ſimul per Moyſen exportarẽtur ex Ægypto, ſepelienda in terra promiſſionis cum patriarchis, iuxta eius iam morituri petitionem. Adiurans enim ſuos dixit; Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcũ de loco iſto. Quod & completum per Moyſen ſcribitur. Exodi 13. Ideóque & poſt mortem di-
Gen. vlt. cuntur hic oſſa eius prophetaſſe, ſicut ſuprà dictum eſt mortuum corpus Elizei prophetatum, nempe quia cùm, iuxta eius prædictionem, & exitus ex Ægypto & oſſium eius elatio facta eſt, ipſa oſſa declarauerunt eum verum fuiſſe prophetam. Quanquam hæc pars iam in Græcis non legatur, in quibus noſter ſuo tempore plura aliquando legiſſe videtur, ſicut & alicubi pauciora. Itaque Ioſeph hic à duobus commendatur, nempe à regni excellentia, & prophetiæ dono.

19 *Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt & ſuper omnem animam in origine Adam,*

SIcut Enoch & Ioſeph coniunxit in glorię ſingulari excellentia, ita nunc coniungit rectè Seth & Sem: quia ſicut Seth poſt Adã eſt primus pater piæ generationis vſque ad diluuium, cùm frater eius Cain pater eſſet impiorum: ita & à diluuio poſt Noe, Sem rurſum factus eſt primus parẽs eius ſanctæ generationis, quæ ad patriarchas deducta eſt, vnde & Chriſtus natus eſt: ſicut Cam impiorum poſt diluuium primus pater fuit. Itaque hac de cauſa ſimilẽ apud homines gloriam adepti ſunt. Quoniam autem in ratione originis primam abſolutè gloriam obtinuit Adam primus omnium parens, ideo ſubditur, finiendo in omnium primo homine; Et ſuper omnem animam in origine, ſcilicet rerum, Adam; ſubaudi, eſt, vel gloriã adeptus eſt. Ipſe enim eſt primus hominum omnium parens, & ipſe eſt qui à Deo in creatione omnium potitus eſt imperio & dominio ſuper omnem animam, hoc eſt, omne animal vel omne viuum. Græce enim eſt, ὑπὲρ πᾶν ζῶον, quamuis dictio ζῶον, non ſit in æditione Complutenſi.

Caput L.

1 *Simon Oniæ filius ſacerdos magnus, qui in uita ſua ſuffulcit domum, & in diebus ſuis corroborauit populum.*

POſt celebratos pleroſque inſignes viros, quorum meminit ſacræ ſcripturæ canon, celebrat author prolixè quendam ſummum pontificem, qui vel ſuo tempore, vel circa ſua tempora præclarè ſacerdotio functus eſt, quem vocat Simonem Oniæ filium. Quoniam autem multi errant in iſto quis fuerit, eo quòd duo fuerint ſummi ſacerdotes diuerſis temporibus hoc nomine dicti, vtile fuerit ad huius loci & aliorum quorundam intelligentiam, paucis hiſtoriam ſummorum põtificum, qui fuerunt ante Machabæos, extra ſcripturæ canonem perſtringere, ſicut colligi poteſt ex Ioſepho maximè. Itaque poſt ſummum ſacerdotem Iaddua, qui fuit vltimus Põtificum ſummorum ſub regibus Perſarum, & cuius fit mentio. 2. Eſdræ 12. ſummus Pontifex fuit Onias filius Iadduæ: Quo mortuo ſucceſſit ei filius Simon, cognominatus iuſtus, quòd & Deum piè coleret, & eius ſumma potiretur beneuolentia, vt habet Ioſephus li. Antiq. 12. cap. 2. Hoc quoque mortuo, ſuperſtite vnico filio paruulo cui etiam Onias nomen fuit, Eleazarus frater eius pontificatum aſſumpſit, à quo, Ptolomeo Philadelpho petente, miſſi ſunt in Ægyptum Septuaginta ſeniores, qui biblia ſacra verterent in linguam Græcam. Poſt obitum Eleazari, Manaſſes eius patruus, frater ſcilicet primi Oniæ, põtificatum aſſumpſit: quo defuncto ſucceſſit in

ſacerdotium Onias Simonis Iuſti filius. Is Onias puſillanimis erat & auarus, quę cauſa fuit vt ob non ſolutum vectigal debitum regibus Ægypti, ad iram commouerit regem Ptolomeum Euergetẽ, filium Philadelphi, Hic mortuus reliquit honeris ſucceſſorẽ Simonem filiũ. Quo vita perfuncto, ſucceſſit tertius Onias, vt habet Ioſeph. lib. Antiq. 12. cap. 4, Hic eſt ille Onias, ad quem literas ſocietatis & amicitiæ miſit Arius rex Lacedæmoniorũ, vt legimus 1. Machab. 12. De quo etiam fit mẽtio 2. Mach. 3. vbi narratur quomodo reſtiterit Heliodoro, eique præcando vitã reſtituerit, cùm in ſummo eſſet periculo. Itẽ cap. 4. vbi narratur quomodo ab Antiecho Epiphane priuatus ſit ſummo ſacerdotio; illudque traditum ſit fratri eius Iaſoni, qui illud multa ambitione & largitione obtinuerat. & quòd hoc mox eiecto, pontificatum ſimili arte adeptus ſit Mẹnelaus, frater Iaſonis & Oniæ iuxta Ioſephum, qui & Oniam ipſum occidi curauit. Hic itẽ eſt de quo fit mẽtio. 2. Mach. 15. quomodo per viſum apparuit Iudæ manibus protẽſis, orare pro omni populo Iudæorum. Huius tertij Oniæ viri ſanctiſſimi filius etiam erat Onias nomine, qui tyrannidẽ Mænelai fugiens in Ægyptũ, ibi ex permiſſione regis ædificauit templum Deo vero, inſtar tẽpli Ieroſolymitani, vt ſcribit Ioſeph. lib. 13. cap. 6. Itaq; cùm poſt tertiũ illum Oniam virũ ſanctiſſimum, ſummum ſacerdotium iniuſtè obtineretur à diuerſis per largitiones, tandem illud Machabæi hoſtibus ſuperatis principatui iũxerunt. His ergo ſic ſe habentibus, quæſtio eſt an is de quo agitur hoc capite, & dicitur Simon Onię filius, ſit primus ille Simon primi Oniæ filius, an ſecũdus Simon ſecũdi Oniæ filius. Secundum fuiſſe intelligunt noſtri, Rabanus, Liranus & Dionyſius, idque ideo, quia exiſtimant hunc Simonẽ fuiſſe eodem tempore quo ipſum huius libri authorem: ideòque authorem hunc tantopere laudaſſe, quòd fuerit ſui temporis Pontifex, cuius gloriam & inſignia facta coràm viderit. Authorem autem ex prologo intelligunt ſcripſiſſe tẽpore Euergetis regis, ſub quo etiam fuit ſecundus Simon ſecundi Oniæ filius Verùm hanc ſententiam non eſſe probabilem multa oſtẽdunt, & imprimis quod apud Ioſephum facta inſigniora Pontificum deſcribentem, nihil peculiare dicatur de ſecũdo Simone, niſi quòd fuerit ſecundi Oniæ filius, ita vt etiam Liranus ob id miratum ſe ſcribat, quomodo hoc capite tam præclara de eo dicantur, quorum nulla eſt apud Ioſephum mentio. Deinde nec certum eſt hunc Simonem fuiſſe contemporaneum authori huius libri, quia ſignificat ſe ſcripſiſſe hæc de eo poſt mortem ipſius, cùm dicit; qui in vita ſua, & in diebus ſuis; quibus verbis ſatis innuitur ipſum ſcribere de iã mortuo. Nec etiam verum eſt, ex prologo huius libri intelligendum eſſe, authorem huius libri Ieſum filium Sirach ſcripſiſſe ſub Euergete ſed tantùm quòd interpres huius libri, qui fuit nepos Ieſu filij Sirach, ſcripſerit ſub illo, vt probatum eſt ſuperius in expoſitione prologi, Quæ cùm ita ſint, magis eſt probabile, imò certum, hunc Simonem filium Oniæ eſſe illum primũ Simonem primi Oniæ filium, qui teſte Ioſepho iuſtus eſt cognominatus, ob inſignem in Deum pietatem. In hunc enim bene quadrant eximiæ laudes quas continet iſtud caput, quem fuiſſe tempore Ptolomei Philadelphi aut paulo ante cõſtat ex prædictis. Poſt huius Simonis mortem, veriſimile eſt ſub Philadelpho Ieſum filium Sirach hanc Simonis prædicationem ſcripſiſſe, ſicut & veriſimile eſt eum fuiſſe iuxta quorundam ſententiam vnum ex Septuaginta interpretibus miſſis ab Eleazaro fatre ſucceſſore Simonis, vt deinde hunc librum nepos Ieſu vertere cœperit ſub Euergete rege fratre Philadelphi & eius ſucceſſore, quemadmodum ſuprà in prologo dictum eſt. De hoc ergo Simone iuſto hic dicitur; Simon Oniæ filius ſacerdos magnus, ſubaudi, eſt; is qui in vita ſua ſuffulſit domũ; hoc eſt, templum, domum Dei inſtaurauit, reſtituẽs ea quę ab eiectione per Zorobabel & Ieſum facta cœperãt collabi, & in diebus ſuis corroborauit tẽplum. Sic enim omnes ferè habent libri, conſentiente Germanica æditione, quæ habet ναῶν. Complutenſis habet λαῶν. populum, vt ſignificetur eum etiam confirmaſſe populum in pietate & vera religione, confirmando eum & doctrina ſua & ſancta ſua conuerſatione. Quod eo tempore valde neceſſarium erat, tum quia iam nõ multo ante ſub auo ipſius Iaddua erectum fuit templum in monte Garizim, ad quod etiam Iudæorum multi confluxerunt, tum quia vel eius vel patris ſui Oniæ tempore Ptolomeo, Lagi filio grauia Iudæi & Ieroſolyma paſſi ſint, vt ſcribit Ioſephus lib. Antiquit. 12. cap. 1.

2 *Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio, & excelſi parietes templi.*

GRæca habent, καὶ ἐπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλοῦν. ἀνάλημμα ὑψηλὸν περιβόλου ἱεροῦ, hoc eſt, Et ſub hoc fundata eſt altitudo duplex, muninem excelſum, circuitus tẽpli. Quibus quid ſignificetur, cùm deſit hiſtoria hæc explicans, ſatis conſtare non poteſt. Videtur tamen ſignificari, quòd præter antiquati templi reſtaurationem, etiam ex fundamentis erexerit vel duplicem ambitum templi, vel parietem vnum duplo altiorem, quàm prius erat, quo totũ templum ambiebatur, muniebatur, & tegebatur, Hic in noſtra lectione dicitur altitudo templi, non quia erat in ea domo, quæ propriè tẽplum dicebatur, ſed quia circa templum erat; & ad templum etiã pertinebat: ſicut & atria, & parietes atriorum, & porticus ſæpe dicuntur eſſe templi.

3 *In diebus ipſius remanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum.*

GRæcè ſic, ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων, χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον, vel, vt quædã Græca habent, περίμετρον, hoc eſt, In diebus ipſius imminutũ eſt receptaculum aquarum, æs velut mare, triplicis

 menſuræ,

mensuræ,scilicet factum est. Quo videtur significari, quòd cùm illud receptaculum aquarum, quod in templo esse debuit pro ablutione sacerdotum, esset minus quam oportebat,Simon curauit æneum vas, quod mare fusile dicitur tertio libro Regum,fieri magnæ mensuræ, vt esset quasi mare, multis aquis capax,Quædam tamen Græca habent plurariter δεχῶα,vt sit, imminuta sunt receptacula aquæ,Quod secutus est noster interpres,quem ex Græcis constat vertisse, remanauerunt, vt post Rabanum habent libri emendatiores: non autem, emanauerunt,vt peruersè in multis hic locus est deprauatus. Significatur ergo, quòd cùm in diebus ipsius putei aquarum refluxissent, deficientibus scilicet aquis quæ per aquæductus in ciuitatem influere solent, opera Simonis rursum quasi mare abunde repleti sint,ita vt curauerit aquæductus reparari & restitui, quemadmodum suprà dictũ est de Ezechia, quòd induxerit aquas in ciuitatẽ.

4 Qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione,qui præualuit amplicare ciuitatem.

NOn solùm habuit curam templi reparandi & puteorum, sed etiam peculiarem habuit curam populi sui,salutis ei monita præbendo,& prudenti prouidentia prę uidendo, ne *alicundè aliquod* malum ei adueniret, *sicque* liberauit eum à perditione, quam ab irato Deo aut hostibus incidere potuisset, eadémque de causa vires etiam assumpsit ad amplificandum ciuitatem,fortificando eam,& muros eius reparando, ita vt nõ solùm templum,sed etiam ciuitas amplitudini suæ,dignitati & splendori reddere tur,aut etiam maiorem acciperet.Item amplificauit ciuitatẽ, quia etiam pluribus eam ciuibus auxit,efficiens sua pietate & cura,vt ad eam plures Iudæi confluerent.

5 Qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis, & in ingressu domus & atrij amplificatus est.

MVlti legunt in secũda parte; & ingressum domus & atrij amplificauit;intelligentes eum vestibulum templi exornasse aut auxisse. At altera lectio,quam etiã habet in margine ex Rabano Glossa Ordinaria,habent item aliquot scripta,præferenda est, vt quæ originalibus magis cõueniat,& sensum habeat cõmodiorem:quanquam Græca habeãt ἐνεξόδῳ,in egressu, vt verisimile sit etiã interpretem nostrũ sic vertisse, quamuis ad rem parum hic faciat siue ingressum dicas, siue egressum.Sensus ergo est: Sicut ipse in multis benefecit genti suæ, ita vicissim gloriam ab ea consecutus est, dum in ea probè atque decẽter conuersatus est. cumq; eum aut ingredi templum & atrium contingeret aut egredi,peracto suo officio,à populo honore amplo affectus est.Quantam autẽ gloriam in populo adeptus sit,& quãti eũ fecerit populus,multis ostendit similitudinibus, comparãs eum variis quæ vel visui vel odoratui grata sunt, & multis modis oblectant. Itaque subditur:

6 Quasi stella matutina in medio nebulæ & quasi luna plena in diebus suis lucet.

7 Et quasi sol refulgens,sic ille effulsit in templo Dei.

PVlchrè à stella ad lunam plenã, & ab ea ad solem per auxesim ascendit, cõparãs eum tribus syderibus,quæ sua luce maximè dilectant.Imprimis stella matutina, hoc est lucifera,quę si post tenebras nocturnas,& in medio nebularum transluceat,seseque exerat,valde exhilarat mortales: magis tamen & plena luna & sol clarè spendens, nec obductus nubibus.Ad horum ergo similitudinem dicit illum effulsisse apud populũ,cùm ille se visendum in templo Dei exhiberet, atque in eo cõuersaretur. Quo præterquam quod in genere significatur quam grata fuerit eius in templo præsentia, etiam vlterius rectè intelligitur, quòd suæ doctrinæ & recte conuersationis luce populo præluxerit, eùmque tenebris depulsis ad Dei tum cognitionem,tum amorem accenderit.

8 Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ,& quasi flos rosarum in diebus vernis.

9 Et quasi lilia quæ sunt in trãsitu aquæ,& quasi thus redolens in diebus æstatis.

ACœlestibus luminaribus descẽdit in arcum cœlestem,qui colorũ pulchra varietate admodum fulget & splẽdet inter nebulas & nubes, quas sua claritate gloriosas & illustres reddit, vnde vocat nebulas gloriæ.Quo præter gratiã quæ in genere significarur,peculiariter rectè intelligitur significari summum hunc sacerdotem in populo obscuro,multisq; vitiis obtecto,vario suo ornatu virtutũ eminuisse,séq; illum suo splendore plurimùm ornasse.A cœlestibus visum recreantibus descenditur deinde ad ea quę in floribus & arboribus nõ visum tantũ, sed etiam olfactũ delectant.Quasi,(inquit,)flos rosarũ in diebus vernis, cùm scilicet primũ rosæ prodeunt,quando & suauiores sunt, & propter asperitatem hyemis præcedentem gratiores sunt.Rosis rubicũdis addit *lilia* cãdore simul & fragrantia reficientia,eàq; potissimum quæ sunt in transitu aquæ, hoc est, iuxta profluentes aquas, ob quas & melius crescunt,& aquarũ murmure ac cursu coniuncto magis recreant. His addit & thus redolens in diebus æstatis.Vbi nomine thuris ipsam arborẽ thuriferam, non autem ipsum fructũ intelligere oportet,sicut mox postea patet ex Græcis,quæ habẽt,ὡς βλαστὸς λιβάνου,vt furculus thuris:hic tempore æstatis cùm sol ardet, de se suauẽ spargit odorẽ, sole ipsum excitãte,magis quàm alio quouis tempore. Quibus odoriferis cùm cõparatur hic summus sacerdos,præter hoc quod in genere significatur ipsum gratũ admodũ fuisse populo,etiam accipitur rectè significari illum bonũ de se famæ & existimationis sparsisse odorem,sicut & sequenti comparatione.

10 Quasi ignis effulgens,& thus ardens in igne.

HIc iam thus accipitur pro aromate ipso & comparatio fit cum igne lucenti, & thure

thure in eo ardenti; quæ duo simul coniuncta & luce, & calore & odore reficiunt. Quibus peculiariter rectè designatur summi sacerdotis & charitas & feruor deuotionis, Deo instar thuris gratissimæ.

11 Qui si vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

NOn tantùm odoriferis atque illuminantibus, sed etiam pretiosissimis comparatur,quale est maximè vas aliquod ex solido auro compositum, cui etiam accedit ornatus omnium lapidum pretiosorum,vt iam duplici nomine pretiosum sit, & suo pretio gratũ. Quo rectè in particulari intelligitur huius viri absoluta excellentia,ita vt sit & ratione sapientiæ & charitatis veluti vas purè aureum,& ratione diuersarum virtutũ, quibus ornatur & sapiẽtia & charitas,veluti vas ornatum omni lapide pretioso.

12 Quasi oliua pullulans,& cypressus in altitudinem se extollens.

COmparatur etiam duabus gratissimis apud homines arboribus; quarum altera à fructu vtilissimo commendata est, altera ab altitudine & proceritate;per quas non solùm etiam in genere significatur gratia quam obtinuit hic sacerdos apud homines, sed etiam in particulari vtilitas quã suis attulit,& authoritas quã apud eos obtinuit.Per oliuam enim pullulantem significatur olea fructum progerminans,quia Græcè est,ἀναβλάστουσα καρπὸν,fructus germinans. Variis his cõparationibus propositis significatur tam magnam fuisse huius gratiam, & tam varia eius dona,vt vna similitudine explicari nequeant,sed in eo deprehendi potuerit quicquid in rebus præclaris variis modis gratum est.Cæterùm vt quæ de eo dicuntur cũ fructu legantur,& ad moralem doctrinam trahantur,discẽdum hinc est quæ sint veri episcopi officia,nempe vt cura sit ei & templorum atque omnium quæ ad cultũ Dei pertinent reparandorum ac ornãdorum, & cura item plebis sibi commissæ,quo in pietate bene instituatur, & ab omnibus quæ noxia ei esse possent,vt ab hęreticis & aliis bene protegatur.Deinde vt inter suos ita cõuersetur, ita se grauiter & decenter gerat in templo atque omnibus suis Pastoralibus officiis, vt gratiam,gloriam, & authoritatem apud eos obtineat.Ita futurũ vt veluti luminaria cœlestia omnibus præluceat,& omnes præcellat,iucundùmque sit suis illum videre,illius bonam famam veluti odorem sparsum audire, sitq; habendus à suis tanquam res admodum pretiosa,vtilis,atque eximia.

13 In accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum consummatione virtutis.

14 In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.

EXprimit in sequentibus quàm gratum & vtile fuerit eius in templo ministerium, & quomodo illud sua authoritate & gratia commendauerit. Cæterùm quò hæc melius intelligantur, notandum pro, consummatione virtutis, Græcis esse σωτελειαν χαχήματος, consummationem gloriationis. Vocat autem consummationem gloriationis phrasi Hebraica, perfectam illam gloriam & magnificentiam quæ inerat in vestitu & ornatu sacerdotali, quem antea per partes descripsit quum de Aaron loqueretur, vocans illum opus virtutis & vasa virtutis, hoc est, fortitudinis.Pro, gloriam dedit sanctitatis amictum: Græcè est, ἀνέβασε περιστολὴν ἁγιάσματος. Et intelligunt quidam sensum esse: glorificabit ambitum sanctuarij, quia scilicet suæ personæ præsentia, & addito vestitu sacerdotali ornauit,& gloria affecit totum ambitum templi. Dictio enim περιβολὴ, etiam ambitum significat, & ἁγίασμα, sæpe ponitur in scripturis pro sanctuario & templo, vt dictum est. Significat tamen περιβολὴ, etiam vestitum & amictum: vnde rectè etiam vertitur; glorificauit sanctitatis amictum; proinde vertendum erat; gloriam dedit amictui sanctitatis quod & significabitur si nostra lectio sic accipiatur;ipsum amictũ sanctitatis, hoc est,amictũ sanctũ,dedit esse gloriã,hoc est,effecit eũ esse magis glorioſũ suæ personæ dignitate.Sẽsus ergo est:In accipiẽdo ipsum stolã glorię,hoc est,cùm assumeret ipse glorioſum illũ habitũ summi sacerdotis: &, In vestiri ipsum cõsummatione virtutis,hoc est, cùm indueret ipse perfectè illum ornatũ,qui summę authoritatis & potestatis indiciũ erat.In ascẽsu altaris sancti,hoc est,cùm sic indutus ascenderet ad altare sanctũ,ipse non solùm gloria affectus est ab ipso quo indutus erat habitu,sed suæ etiã personæ gratia & dignitate attulit ipsi amictui gloriam, cùmq; per se glorioſum, magis etiã glorioſum reddidit.Quo moraliter docemur,episcopũ ita se gerere debere,vt non solùm ab episcopali habitu & officio honorẽ accipiat sed vicissim etiã honorificet ea, & omnibus cõmendet,vt non episcopus honorãbilis sit propter habitũ,sed habitus propter episcopum,& ita de omnibus sacerdotibus.

15 In accipiẽdo autem partes de manu sacerdotum,& ipse stans iuxta aram,circa illũ corona fratrũ.

16 Quasi plantatio cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt quasi rami palmæ.

DEpingit, & ob oculos ponit ornatũ, ordinem, atque deuotionem quæ in ministerio huius sacerdotis seruari solebant, ita vt ea aliquando coràm vidisse videatur. Potest autem illa pars; circa illum corona fratrum; vel referri ad præcedentia, vt sit sensus: Cùm iam ascendisset ad altare sanctum, vt dictum est, acciperet autem de manu sacerdotum partes & membra immolatorũ & animalium,& ipse esset stans inxta aram, erat circum illum stans corona fratrũ, sacerdotũ scilicet de eadem stirpe Aaron.Vel potest referri ad sequentia,vt prima plena

plena sit sententia hæc; In accipiendo autē partes de manu sacerdotum, & ipse stās iuxta aram;& sit sensus; Cùm acciperet de manu sacerdotum partes offerēdas, etiam ipse erat stans iuxta aram, vt significetur eum sacerdotale munus non tantum per alios, sed etiam per seipsum obiuisse. At prior distinctio videtur cōuenientior. Per partes autem intelligendum, non partes decimarum, quæ ab aliis sacerdotibus accepit summus sacerdos, sed partes animalium quæ immolabantur, vt armus dexter, & pectusculum, quæ leuari debebant coram Domino, patet ex dictione Græca μελη, quæ membra significat. Sequenti versu exprimitur quàm decenter circa illum steterit corona fratrum. Cōparat enim eam primum plantationi cedri in mōte Libano, hoc est, variis plantis cedri in mōte Libano plantatis, aut enatis circa altā aliquam cedrum, quia sicut huiusmodi plantatio eiusdem est naturæ cū alta aliqua cedro quam circundat & ornat, etsi adhuc statura humilior: ita inferiores sacerdotes similis erant conditionis cum Pōtifice, vtpote etiam filij Aaron & sacerdotali dignitate fulgētes: sed vt erant illo minores, ita sua circūadstantia eum tanquam altiorem cedrum exornabant. Comparat deinde filios Aaron summum sacerdotem circūadstantes ramis palmæ, quia sicut illi rami circūfusi, & in omnē partem extensi palmam ornant: ita & illi summum sacerdotem, dum illum circumstarent, qui meritò ramis palmæ comparantur respectu Pontificis, quòd ab eo tāquam sacerdotalis dignitatis fundamento penderent, sicut rami à suo trunco.

17 *Et omnes filij Aaron in gloria sua, oblati autem Domini in manibus ipsorum coram omni synagoga Israel.*

18 *Et consummatione fungēs in ara, amplificare oblationem excelsi regis, porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine uuæ.*

EXprimitur pulcherrimus ordo in oblatione seruatus, qui non satis intelligitur, nisi apta fiat versuū distinctio. Est ergo sensus: Cùm corona sacerdotum Pontificem circumstabat, vt dictum est, omnes filij Aaron, subaudi, erāt ibi, in gloria sua, hoc est, in decoro suo vestitu, & erat in manibus ipsorum oblatio Domini in cōspectu totius congregationis populi Israelitici. Tūc summus sacerdos perfecturus ipsum sacrificiū, & vltimam ei manū impositurus, vt maiori gloria ornaret oblationē quæ fiebat excelso regi Deo, extendit manū suam in superaddenda libatione, & libauit de sanguine vuæ, hoc est, de vino quod singulis sacrificiis in certa mensura erat addendū, & Deo offerendum, vt præcipitur Num. 15. Per sanguinem enim vuæ, Hebraica phrasi significatur vinū, tum propter colorem, tum quòd ex vua exprimitur, sicut ex corpore sanguis. Pro; cōsummatione fungens, vel consummationem fungens; Græcè est συντέλειαν λειτουργῶν, hoc est, cōsummationem ministrans vel sacrificās. Est autem ministrare cōsummationem, vltimas sacrificij partes exequi, & sacrificium perficere. Siue autem legatur, cōsummatione, siue consummationem fungens, perinde est, quia verbum, fungor, etsi potius ablatiuum desideret, iungitur tamen quādoque etiam accusatiuo, vt apud Plautum; Parasitus octo hominum munus facilè fungitur.

19 *Effudit in fundamento altaris, odorem diuinum excelso principi.*

DE vino libato istud dicitur, quòd sacerdos cùm libasset, & Domino obtulisset effudit deinde in fundamentum altaris, idq; in odorem diuinum & sacrum excelso principi. In quibus verbis notatur quod dicitur Numeri 15. Vinum ad libamentum offert in odorem suauitatis Domino. Nam & hic pro; odorem diuinum, Græca habent sicut ibi, ὀσμὴν εὐωδίας, odorem suauitatis.

20 *Tunc exclamauerunt filij Aaron, in tubis ductilibus sonuerunt.*

21 *Et auditam fecerunt uocem magnam, in memoriam coram Deo.*

CVm, inquit, prædicto modo sacrificium perageretur à summo sacerdote, tunc exclamauerunt filij Aaron alta voce Deum laudantes, & simul sonitum magnū edentes in tubis ductilibus, idq; iuxta Domini ordinationem, quæ est Nume. 10. vbi præcipitur Moysi vt fiant duæ tubæ argenteæ ductiles quibus & populus cōuocetur cùm opus est, & in bello vsus esset cōtra hostes; vbi & præcipitur vt filij Aaron clangant tubis, & additur: Si quando habebitis epulum & dies festos, & calēdas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. Non fuisse autem tantùm duas tubas, quarum vsus erat in sacrificiis, ac tubarum vsum proprium fuisse sacerdotibus, cùm ex institutione Dauid alij Leuitæ variis aliis musicis instrumentis vterentur, satis patet ex 2. Paralip. 5 vbi Leuitis in cymbalis, citharis, & psalteriis concrepantibus dicitur, quòd cum eis sacerdotes centum viginti canebant tubis, quódque omnibus sic concinentibus, & vocem in simile tollentibus, longè sonitus audiebatur, omnibus etiam Deum voce laudantibus, dicendo: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniā in sæculum misericordia eius. Simile etiam factū sub Simone hic significatur. Quod autem dicitur; in memoriam coram Deo; illud est quod prædicto Numeri loco dicitur vt sint vobis in recordationem Dei vestri pro quo Græcis ibi est, καὶ ἔσται ὑμῖν ἀνάμνησις ἔναντιον θεοῦ ὑμῶν, & erit vobis recordatio coram Deo Quod etsi intelligi posset, huiusmodi sonitū fieri ad hoc vt populus excitatus recordaretur Dei sui, magis tamen intelligendum est illud præcipi ad hoc vt Deus huiusmodi sonitu & potissimum deuotione, quam huiusmodi sonitus ostēdit, veluti excitatus, prouocaretur ad recordādum populi, hoc est, illi benefaciēdum. Quid autem deinceps in populo

secutum

secutum est ex iam descripto facto sacerdotum, diligenter exponitur, cùm subditur.

22 *Tunc omnis populus simul properauerunt, & ceciderunt in faciem super terram.*

23 *Adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.*

SAcerdotibus, inquit, offerentibus, & tubis cum laude clangentibus, populus his rationibus excitatus, concordibus animis festinauerunt cadere in faciem suam super terram, ad adorandum Dominum Deum suum, & preces fundendum omnipotenti Deo excelso.

24 *Et amplificauerunt psallentes uocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suauitatis plenus.*

PRo; amplificauerunt psallentes in vocibus suis, Græcè est; καὶ ᾔνεσαν οἱ ψαλμῳδοὶ φωναῖς αὐτῶν, Et laudauerunt cantores vocibus suis. Vnde patet distinctionē, psallētes; apud nos non esse participialiter accipiēdam, nec attribuendam toti populo, sed nominaliter pro cantoribus, vt sit sensus: Et psallentes, hoc est, Leuitæ, quorum, ex institutione Dauid, officium erat cantare Psalmos & carmina, populo in terram prostrato, amplificauerunt Deum in vocibus suis, hoc est, eum glorificauerunt, eiùsque laudem amplè & magnificè extulerunt: sicque in magno illo templi & atriorum edificio, auctus est sonus plenus melodia. Primum ergo sacerdotes tuba cecinerunt, deinde populus in terram prostratus est, & cantores suo officio functi. Illis autem canentibus quid populus fecerit, subijcitur:

25 *Et rogauit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini & munus suum perfecerunt.*

ILlis, inquit, canētibus populus siue adhuc in terram prostratus, siue iam erectus rogauit Dominum in prece, hoc est, feruenter & ex animo, vsque dū perfectus esset & absolutus honor ille qui Domino per sacrificia & psalmos decātatos exibebatur, & vsque dum sacerdotes & cātores munus suū, hoc est, ministerium suum (est enim Grecis, λειτουργίαν) perfecerunt. quasi dicat: non priùs desiit populus Deum & adorare & orare. Quid autem his peractis secutum est, pulchro ordine exprimunt sequentia.

26 *Tunc descendens manus suas extulit in omnem cōgregationem filiorum Israel.*

27 *Dare gloriam Deo à labijs suis, & in nomine ipsius gloriari.*

LOquitur de summo sacerdote, quē priùs dixerat ascēdisse ad altare, à quo iam dicit eū rebus peractis descēdere & eleuare manus suas super populum, ad benedicendum scilicet ei priusquam abiret, iuxta modum præscriptum Num. 6. de quo & dictum est suprà in commendatione Aaron, vbi pro eo quod nos legimus; glorificare populum suum; Græcè est, vt ibi dictum est, εὐλογεῖν τὸν λαὸν, benedicere populo, quemadmodum & hic pro, dare gloriam Deo à labiis suis, Græcè est, δοῦναι εὐλογίαν κυρίου ἐκ χειλέων αὐτοῦ, hoc est extulit manus suas ad dandum benedictionem Domini ex labiis suis, dicendo scilicet: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, &c. Noster interpres legit pro genitiuo, κυρίου, datiuū, κυρίῳ, sicut & habet Germanica editio: vnde vertit; dare gloriā Deo; qui dare Deo benedictionē, est dare gloriam Deo. Nostra lectio predictū sensum qui magis proposito conuenit habebit, si intelligatur Pontificem dare gloriam Deo, dum benedicendo populum significat omne bonum à Deo pēdere. Qui enim dicit: Benedicat tibi Domin9, &c. multam dat Deo gloriam. Hoc item dicere, & sic benedicere populo, est nomine Domini gloriari, qui solus illis verbis agnoscitur author omnis boni. Notādum ex hoc loco morē sacerdotibus fuisse benedicere populo peracto sacrificio. Itē quòd in benedictione populi mos illis fuerit, eleuandi manus suas super populū, quod & dicitur ab eis fieri solitū mouendo manus in quatuor mūdi partes, sursum scilicet, deorsum, sinistrorsum, & dextrorsum, cū aperto crucis Christi mysterio. Qui mos ex veteri obseruatione etiam in ecclesiam deriuatus est, & retentus hactenus, vt mirum sit ab hæreticis quibusdam eum rideri & contemni.

28 *Et iterauit orationem suam, uolens ostendere uirtutem Dei.*

EX nostra lectione videretur verbum, iterauit, referēdum esse ad summum sacerdotem, vt significetur illum iterasse orationem suam pro populo, dum scilicet inter benedicendum bene precatus est populo, pro quo prius orauit inter sacrificandū. At Græca alium habent sensum, quia Græcè sic habet tota ista sententia καὶ ἐδευτέρωσαν ἐν προσκυνήσει, ἐπιδέξασθαι τὴν εὐλογίαν παρὰ ὑψίστου, Et iterauerunt in adoratione, vt susciperent benedictionem ab altissimo. Quo significatur, populum qui prius tempore sacrificij se semel in terram prostrauerat, vt dictū est, peracto sacrificio cùm sacerdos eū esset benedicturus, rursum se adorādo Deum prostrauisse, vt susciperet benedictionem, nō tam à sacerdote, quàm ab altissimo, quemadmodum illi imprecabatur sacerdos, dicens: Benedicat tibi Dominus. Vnde & in nostra lectione in verbo, iterauit, repeti potest nomen, populus, & nomen, orationē, accipi positum pro, adorationem, vt sit sensus: Et populus sacerdote ipsum benedicēte iterauit adorationē suam, volens ostendere virtutem Dei, se scilicet agnoscere. Cæterùm in hac tota narratione pulcherrimi ordinis seruari sub hoc pontifice, obseruandum quàm per omnia quadret ei cōsuetudo quæ nunc in ecclesiis sacrificij tēpore seruatur, vbi pontifex sacris vestibus indutus ascendit altare, à diaconis accipit quæ offerenda sunt, circumstante eum corona sacerdotū & aliorum ministro-

rum,

rum, quo tempore & sacris lectionibus, & cantorum concentibus populus ad orādum excitatur per eos qui in clericorū ordinem assripti sunt: peractóque sacrificio, quod ex duabus partibus constat, panis scilicet oblatione, & vini libatione, aut potius sub illis speciebus, corpore & sanguine Domini, populus solenniter ab episcopo benedictio nē accipit, humiliter se rursum prosternens in terram. Proinde mirum est proteruos quosdam ordinem hunc commendatum, & per omnia cum nostro more consentientem in nostra consuetudine reijcere, & tentare omnia quo eam tollant.

29 *Et plus orauit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra.*
30 *Qui auxit dies nostros à uentre matris nostræ, & fecit nobiscum secundùm suam misericordiam,*

VIdetur hic mendum magnum esse in nostra lectione, tum quòd hic sit varia lectio, tum quòd dissentiat à Græcis omnibus, nec habeat commodum sensum. Cùm enim iam dictum sit quòd iterauit orationem suam quomodo hic dicitur; Et plus orauit. Deinde quis est qui plus orauit, populus an sacerdos? Quidam libri habent; Et post rursum plus orauit; sed etiam Liranus mo net illas duas dictiones, post rursum, non esse in correctioribus libris. Vnus codex habuit; Et post orauit. Vnus item expuncta dictione, plus, habuit; Et populus orauit. Græca longè aliter sic: καὶ νῦν εὐλογήσατε τὸν θεὸν πάντων, hoc est, Et nunc benedicite Deum omnium, &c. Cui lectioni consentit quod habebat vnū M. N. Augustini Hunæi scriptum, quod in multis deprehendi esse correctissimum. Habet enim sic; Et nūc orate Deum omnium, &c. quæ lectio meritò retinenda esset tanquam accedens ad originalem lectionem. Nam &, orare, in scripturis nónunquam ponitur pro gratias agere & laudibus celebrare, vt cùm dicitur: Pharisæus hoc apud se orabat, Gratias tibi ago, &c. Post longam enim de sanctis viris & de Simone Pontifice narrationem, author finem impositurus cōuertit se ad suos Israelitas, occasionem ex præcedenti descriptione assumens commonefaciendi illos ad laudandum Deum, eúmque orandum atque adorandum. Quod si hæc lectio non recipitur, saltem conuenit magis legere; & populus orauit; quam, plus orauit; quia facilè fuit nomen, populus, quod scribi solet, ꝑplus, mutari in plus. Itaq; priori sententia significabitur, quòd sacerdos benedicturus iterauit orationem suam, & hac significabitur, quòd illo orante etiam populus incuruatus orauit Deum. Bene autem Deo tribuitur & quòd sit Deus omnium, quemadmodum declarauit faciendo magna in omni terra: & quod sui populi dies auxit à ventre matris: quo significatur, illum suorum semper peculiarem gerere curam, eísque nó tantùm vitam largiri, sed ab vtero singulari & paterna solicitudine vitæ incrementa addere. Itaque significatur duplici nomine Deum adorandum, orandum, & benedicendum, nempe & quiá omnium Dominus, & quia sui populi peculiaris & benignus curator.

31 *Det nobis iucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos,*
32 *Credere Israel nobiscum esse misericordiam Dei ut liberet eos in diebus suis.*

POstquàm dixit de sacerdotis & populi orationem, finem facturus author etiam suam orationem pro populo, & benedictionem adiungit, imprecans toti populo iucunditatem cordis, quæ est potissimùm huius vitæ, imò & futuræ bonum. Nam, vt suprà dixit, Iucunditas cordis, ipsa est vita hominis. Et vt iucunditas cordis haberi possit, imprecatur vt tempore huius vitæ fiat pax perpetua in Israel, ad hoc vt populus Israeliticus credat firmius ex beneficiorum experientia misericordiā Dei esse cum ipso, sicque liberet eos in diebus suis. Aut enim legendum est; liberet nos in diebus nostris; quemadmodum Græca habent, aut; liberet eos in diebus suis; quemadmodum multi libri habēt: non autem cōuenit legere, quem admodum multi malè habent; liberet eos in diebus suis. Et Græcè non est, vt, sed, καὶ, &, itavt verbum, liberet, sit deprecantis. Est enim, λυτρώσηται.

33 *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim:*
34 *Qui sedent in monte Seir & Philisthiim, & stultus populus qui habitat in Sichimis.*

POstquàm commemorauit & celebrauit præcipua sanctorum patrū nomina, qui ob suam in Deum pietatem meritò essent & laudandi & amandi, exponit & quas gentes ob suam impietatem præcipuè odiat. Sed difficultas hic oritur in verbis quæ sibi videntur contraria. Nam priori versu videtur significare duas tantùm esse gentes, quas peculiariter odiat, & præter eas non esse aliam gentem tertiam quam etiam odiat. At in secundo versu tres gentes apertè recensetur, Iudæis eo tempore peculiariter vt infestas, ita & odiosas, nempe Idumæos, qui habitabant in monte Seir, Philisthæos, & populum in Sichimis habitantem, iuxta quam ciuitatem erat mons Garizim, in quo eo tempore erat recens constructum templum Deo Iudæorum, instar templi Ierosolymitani, ratione cuius cœpit inter Samaritanos & Iudæos esse grauis contentio, quæ etiam ad Saluatoris nostri tempora perdurauit, vt patet Ioā. 4. Vnde ad solutionē huius difficultatis parum momenti habet, quod quidam intelligunt hic significari tertiā non esse gētem, quam tam intensè & vehemēter odiat atque duas illas quę primę nominātur, quia nullam gentem tunc Iudei magis odiebant, quàm Samaritanos & Sichimitas, cum quibus erat eis pertinax de vera religione concertatio, adeo vt, sicut dicitur in Euangelio, non conterētur Iudæi Samaritanis, quorum inter *Ioan. 4.*

inter se contentionem Iosephus in suis historiis multis locis declarat. Nec confugiendum hic est ad Græcorum lectionem, quæ pro monte Seir, habet in monte Samariæ, quia eam lectionem esse vitiosam, & hoc in loco Latinorum lectionum præferendum esse lectioni Græcorum, manifestè patet ex eo quòd in secundo versu tres partes ponuntur; quæ omnino tres gentes significare videntur. Si autem pro, Seir, legatur Samariæ, primum membrum coincidet cum tertio, quia per populum in Sichimis habitantem significantur Samaritani, quorum metropolis tunc erat Sichem. Notādum ergo Græcis nō esse illas duas dictiones; quam oderim; sed tantùm, καὶ τὸ ἔθνος ὃν ἐμίσησα. Et additus articulus, τὸ, significat hunc esse sensum; & tertia gens non est gens; hoc est, non est digna gentis nomine. quod ideo dicit quia Samaritani non erant ex vno aliquo principio oriundi; sed erant ex variis gentibus conflati, vt patet 4. Regum 17. vbi dicuntur missi de Babylone, & de Cutha, & de Auath, & de Emath, & de Sepharuaim, qui habitarent in ciuitatibus Samariæ pro Israel, vnde & dicitur: Gentes quas transtulisti ignorant legitima Dei terræ, &c. Deinde cùm ex tam variis gentibus orti essent, volebant tamen haberi prognati ex Iacob, ad quem genus suum referebant subinde, vt patet non solùm ex Iosepho, sed ex Euangelio, vbi mulier illa Samaritana dicit Christo: Nunquid tu maior es patre nostro Iacob? &c. Meritò ergo author noster Iudæus & Ierosolymitanus, vt mox subiicitur, pro suo iusto in Samaritanos zelo dicit eos non esse gentem, vnam scilicet, & illam quam haberi volebant, Rabanus etiam ex cōmentario suo videtur eam partem; quam oderim; non legisse: quæ si admittenda est, eo quòd in omnibus scriptis quæ vidi inueniatur. sic debet nostra litera intelligi: Tertia autem gens quam oderim, hoc est, meritò odire debeo, non est verè gens dicenda. Erant autem hæ gentes Iudæis Ierosolymitanis vicinissimæ, & infestissimæ semper, vt satis ex scripturis patet, & ex omni parte eius circumiectæ. Nam Idumæi imminebant eis à meridie, Philisthiim ab occidente, Samaritani à septentrione. In quibus tribus gentibus mysticè à Rabano rectè intelligūtur triplices præcipui Ecclesiæ Christianæ hostes, vt & ipsa dicere possit se tria potissimùm odio habere hominum genera sicut ad ipsum hic dicit author de hostibus Præcipuis Iudæorum. In Idumæis enim, qui cum Iudæis ex eisdem patriarchis prognati sunt, rectè intelliguntur reiecti iam à Deo Iudæ, qui Christi sanguine rubicundi facti sunt, nobiscum quidem eosdem habētes patriarchas, easdémque scripturas, sed infensissimi semper hostes nostri. In Philisthæis, qui à populo Israel omnino erant alieni, nec aliquid habebant cōmune, rectè intelliguntur gētes infideles omnino, vt idololatræ, & nunc Turcæ, nominis Christiani hostes atrocissimi. In Samaritanis cū Iudæis de religione concertantibus, hæretici bene designati sunt, qui etiam non sunt gens vna, sed ex variis sectis & hæresiarchis etiam inter sese cōtrariis constat, veritatem religionis sibi contra veram Ecclesiam semper vendicantes, suámque originem falsò referentes, ad Apostolos tāquam suos patres. Cui bene competit nomen stultus populus. Dicētes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom. 1.*

35 *Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita, qui renouauit sapientiam in corde suo.*

TAndem in fine assribitur authoris nomen sicut libris præponi solet ob fidem & commendationem comparandam. Hunc autē esse illum Iesum, quem prologi author & interpres huius libri vocat auum suum, suprà ostensum est in prologo. Addunt autem quædam Græca nomen, Eleazari, hoc modo: Iesus filius Sirach filij Eleazari, vt auus huius Iesu fuerit Eleazarus: quod si verum est, non videtur posse intelligi de illo Eleazaro, qui fuit Pontifex post Simonem illum iustum, de quo hoc capite facta est mētio. Quia sicut satis ex prædictis constat authorē huius libri Iesum scripsisse post mortem Simonis, ita non videtur diu post eius mortem scripsisse, quia, vt patet ex prologo, interpres huius libri testatur se vertisse hūc librum sub Ptolomeo Euergete, qui regnauit sub Pontifice Eleazaro, aut statim post eum. Iesus ergo filius Sirach huius libri author debuit scripsisse sub Eleazaro, quando & versio bibliorum facta est. Non potuit ergo Eleazarus fuisse huius authoris auus, cùm omnino sit verisimile hunc cùm scriberet senem fuisse, & Eleazaro coætaneum, vt deinde nepos eius potuerit hunc librum vertisse sub Euergete Ptolomeo. Quod autem legimus; qui renouauit sapientiam de corde suo; Græcè est, ὃς ἀνώρθωσε σοφίαν ἀπὸ καρδίας, qui distillauit (vel diffudit instar pluuiæ) sapientiam à corde. Renouasse ergo dicitur sapientiam, de corde suo, quia sapientiam, quam corde tenebat, eriā scripto renouauit, & aliis lubenter communicauit.

36 *Beatus qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper.*
37 *Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei vestigium eius est.*

OStendit fructum huius libri, vt propter fructum meritò commendatus esse debeat hic liber, Beatum ergo dicit eum, qui in bonis his quæ hoc libro cōprehenduntur versatur, non tantùm ea legendo, sed etiam cordi imprimendo: vnde & adiicit, in omnibus semper sapiētem fore eum qui ea ponit in corde suo, quia si hoc fecerit, ad omnia quæ agenda erunt validus erit & potens, eo quòd hoc libro de quauis disputetur materia, vt ex eo in quouis negotio instrui quis possit, & contra omnia vitia muniri, quia per hunc librum ipsum vestigium hominis est lux Domini, hoc est, ingressus hominis talis illuminatur à Deo, & dirigitur luce diuina, ita

ita vt non ambuler in tenebris, ſed in luce. vnde non facilè offendit. Debet enim hic præcóſtrui veſtigium hominis, quemadmodum patet ex Græcis, quæ habent, ὅτι φῶς κυρίῳ τὸ ἴχνος αὐτ. vbi articulus, τὸ, ſignificat ἴχνος debere præconſtrui. Addit autem hic æditio Complutenſis, quod alij tamen non habent; Et piis dat ſapientiam. Benedictus Dominus in æternũ, fiat, fiat; quorum prius deſumptum eſt ex fine capitis 43. huius libri, alterum ex fine Pſalmi 88.

Caput. LI.

Oratio Ieſu filij Sirach.

1 *Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum.*
2 *Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor & protector factus es mihi.*

HOc vltimo capite librum ſuum concludit ſapiens, & ſingulari gratiarum actione, qua ſe Dei munere à grauibus periculis liberatum agnoſcit, & efficaci monitione, qua ſe primũ in exemplum propoſito, deinde ad ſapiẽtiæ ſerium ſtudium omnes adhortatur, Imprimis ergo pollicetur ſe & nunc in hoc pſalmo, & toto vitæ ſuæ tempore confeſſione laudis celebraturum Dominum, quem & regem omnium vocat, & ſuum peculiariter vocat Saluatorem. Sunt autem quæ ſequuntur ſatis facilia, imitantia in multis Pſalmos Dauidicos, in quibus Propheta promittit ſe celebraturum Deum propter liberationem à malis imminentibus. Bene autẽ coniungit, ſicut aliquoties Dauid, adiutor & protector. Adiutor ſcilicet ad ſuperandum mala iam parata; protector, ne obruerent noua mala, Adiutor, ad benefaciendum; protector, ad euitandum mala. Quod in genere dixit de ſua liberatione, particularius exprimit, dicens:

3 *Et liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ,*
4 *Et à labijs operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor.*

APparet omnino hunc virum à quibuſdam æmulis grauiter fuiſſe falſis crimi nibus delatum apud regẽ Ægypti, qui tunc in populo Iſraelitico magnam obtinuit authoritatem, ita vt multùm periclitaretur de vita & grauibus ſuppliciis. Itaque agnoſcit Deum liberaſſe corpus ſuum ab imminente perditione, atque cuſtodiſſe ne inuoluerẽtur aliquibus malis per linguam iniquam, & labia eorum qui mendacia fabricãt, & mendaciis componendis dediti ſunt. Factũ etiã illum ſibi adiutorẽ in cõſpectu eorum qui in iudicio aſtiterunt ipſi aduerſarij, ad accuſandum & conuincendum ipſum. Pro, aſtiterunt, enim Græcis eſt ἀνθιστάντων μοι, hoc eſt, contraſtantium mihi.

5 *Et liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad eſcam,*
6 *De manibus quærentium animam meam, & de multis tribulationibus quæ circudederunt me.*

VEhementer & multis verbis exaggerat pericula, in quibus verſatus eſt, vt ſic magis Dei in ſe beneficum commendet, quod non meritis ſuis deputat, ſed multitudini miſericordiæ eius. Itaque dicit ſe Dei miſericordia liberatum à rugientibus præparatis ad eſcam, hoc eſt, á ferißimis hominibus, quí ſumma crudelitate cupierunt me deuorare & perdere. Metaphora enim eſt deſumpta a fœuitia & rabie ferarum ad prædam frementium, Ideòque exponendo ſub iungitur, de manibus quærentium animam meam; hoc eſt, vitam meam tollere. In ſequenti autem parte legendum eſſe potius; de multis tribulationibus, quàm, & de portis tribulationũ; cùm vtrúmque legatur, patet ex Græcis, quæ habent, ἐκ πλείονων θλίψεων, ex multis tribulationibus.

7 *Apreſſura flammæ quæ circundedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus.*

SIcut ſupra periculum in quo fuit, allegoricè ſignificauit rugitu paratorũ ad eſcã: ita nunc alia metaphora ſignificat, preſſura circundantis flammæ. Quanquam enim fieri potuerit, vt etiam ad literam hæc impleta ſint in authore, quemadmodum contigerũt in tribus pueris in fornacẽ miſſis, & multis martyribus: magis tamen veriſimile eſt hic allegoriam eſſe locutionem, ſicut & in præcedentibus, & in ſequenti mox ſententia. Itaque ſignificat author ſe tam graui inuolutũ fuiſſe periculo, vt veluti in flamma vndique cingente, ex qua non videtur locus effugij cõcluſus eſſet mox abſumẽdus, Dei tamen beneficio factum eſſe, vt etiam ſi ſic veluti in medio ignis conſtitutus eſſet, non læderetur, nec perderetur. Similis eſt metaphora, cùm ſequitur:

8 *Ab altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniuſta:*

REpetendum ſemper eſt verbum, Liberaſti. Nomen, altitudinẽ, pro profunditate poſitũ eſt; ſicut & ibi: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & & ſcientiæ Dei; cùm vtrobiq́, ſit βαθος. *Rom. 11.* Liberatum ergo ſe dicit de profunditate vẽtris infernalis, quia protectus fuit, ne à morte, quæ quaſi vẽtrem habens inexplebilem multos abſorbet, etiã ipſe abſorberetur; aut quia cũ iam videretur eſſe à morte abſorptus, & in ventre mortis ſic concluſus: ſicut Ionas in vẽtre cœti, Dei beneficio mortí ſit ſubtractus, & vitæ cum lona redditus. Sic & Dauid dicit: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea, & : Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis. *Pſal. 93.* *Pſal. 87.*

9 *Laudabit vſque ad mortem anima mea dominum: & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum.*

Pro;

PRo; laudabit; habet æditio Complutẽſis, ἤγγισεν, appropinquauit, nec habet nomẽ, Dominum, ſicque prior pars magis conuenit cũ ſequenti, ſignificatúrque vitam ipſius morti vicinam fuiſſe: Germanica tamẽ æditio habet, ſicut noſter ſe legiſſe declarat, ἤρξατο, Laudauit, vt præteritum pro futuro ſit poſitum. luxta quam lectionem, cõ iunctionem. &, in ſecundo membro conuenit accipere poſitam pro, quia, ſicut aliquando accipitur.

10 *Circundederunt me undique, & non erat qui adiuuaret: reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.*

PVlchrè exaggerat periculi ſui magnitudinem, vt magis extollat præſtiti à Deo beneficij magnitudinem. Dicit enim hoſtes ipſum vndique circumcinxiſſe, & cùm multi eſſent ex omni parte hoſtes, neminem tamen eſſe qui adiuuaret, etiamſi humanum adiutorium diligẽter requireretur & expectaretur. Eo ergo adiutorio deficiente ſignificat ſe confugiſſe ad diuinum, cùm ſubdit:

11 *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ quæ à ſeculo ſunt.*
12 *Quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium.*

PRo illo, cooperationis tuæ quæ à ſeculo ſunt. Græcè eſt, καὶ ἡ χαρίς σου ταύτης ἀπ' αἰῶνος, & operationis huius à ſæculo. Et quædã ſcripta non habent, cooperationis, ſed operationis: quædam etiam non habent; quæ à ſæculo ſunt; ſed: quæ à ſeculo eſt. Si legatur, ſunt, relatiuum, quæ referendum eſt ad miſericordiam & operationem. Venit, inquit, mihi in mẽtem miſericordia illa tua, & operatio quam ab exordio mundi ſemper præſtare ſoles. Quæ autem illa ſit Dei operatio, exprimit ſubiungẽs, nempe quòd eruis eos qui te patienter expectant, & liberat eos de manibus gentium quæ pios perſequuntur.

13 *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluenti deprecatus ſum,*

PRiorem partem ſic habẽt Græca, ἀνύψωσας ἀπὸ γῆς ἱκετείαν μου, exaltaui à terra ſupplicationem meam. Quod magis conuenit præcedentibus & ſequentibus, vt ſignificetur illum iam recordantem miſericordiæ Dei ſupplicem ſe proſtrauiſſe in terram, atque ex ea ſuam precationem in altum ſubleuaſſe. Noſter pro, ἀνύψωσας, legit ἀνύψωσαν; & pro, ἱκετείαν, legit οἰκτειραν, quod familiam ſignificat & domum. Et poteſt noſtra lectio ſic cõmodè accipi, vt ſignificetur quòd præter memoriam generalem miſericordiæ diuinæ, de qua in præcedenti ſententia, etiam recordatus ſit peculiaris beneficij ſibi à Deo præſtiti, nempe quòd ſuper terram eius familiam & domum exaltauerit, præbendo ei in terris temporalia bona, & præclarum nomẽ. Sic enim iam rectè ſubiicietur, quòd ex harum rerum memoria pro morte euadenda deprecatus ſit. Senſus ergo eſt: Memoratus ſum etiã quòd exaltaueris ſuper terram habitationẽ meam, vt feliciter in ea & cum nominis claritate viuerem, & ideo pro morte defluẽti deprecatus ſum. Vbi Græcis eſt; ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως, hoc eſt, pro mortis liberatione deprecatus ſum. Sed noſter, pro, ῥύσεως, videtur legiſſe ῥεύσεως, fluxionis. Quod ergo dicit ſe deprecatum pro mortis fluxione, vel pro morte defluenti, ſignificat eũ oraſſe vt mors ab eo defluęret & dilaberetur, quẽadmodum Dominus orauit vt tranſiret ab eo calix, *Mat. 26*

14 *Inuocaui Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio.*

PRæclarum hoc loco edit author inſignis ſuę fidei teſtimonium, dum in diuinitate agnoſcit eſſe patrem, eúmque Domini ſui hoc eſt, Meſſiæ, quem hic omnino videtur vocare Dominum ſuum, ſecutus Dauidem dicentem; Dixit Dominus Domino meo. Ideóq; inter orandum meminit Domini ſui Meſſiæ, quòd eo tempore à piis expectaretur tanquam redemptor, ſaluator & mediator hominum. Dicit ergo ſe inuocaſſe Dominum, vt in die tribulationis, & in tempore quo ſuperbi poteſtatem obtinent, & pios opprimere moliuntur, non derelinqueretur ſine adiutorio ipſius. In ea oratione quoniã exauditus fuit, promittit perpetuam gratiarum actionem, dicens: *Pſa. 109.*

15 *Laudabo nomen tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeßione, & exaudita eſt oratio mea.*
16 *Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo.*

RVrſum cõiunctio, &, in priori verſu accipienda eſt cauſaliter pro, quia. Aut quæ præcedunt verba promiſſoria, intelligenda ſunt, continere promiſſionem quæ inter orandum fiebat pro obtinenda liberatione, vt ſit: Cùm inuocarem Dominum vt non derelinqueret me, dixi in oratione mea. Laudabo nomen tuum aſſiduè, & ſic mecũ huiuſmodi voto orante, exaudita eſt oratio mea. Et ſicut rogaui, liberaſti me ab impendente perditione, & eripuiſti me de tempore in quo iniqua patiebar ab impiis.

17 *Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomen Domini.*

QVædam Græca habẽt, Benedicam nomen Domini; quædam, Nomen tuum Domine. Sic & ſcripta quædam Latina habent, nomini tuo Domine. Cæterùm totus hic ſermo, quo author promittit perpetuam Dei laudem & gratiarum actionem ob liberationem è grauibus aliquibus malis, competit etiã piis quibuſlibet, qui graui aliquo malo iniuſtè premuntur, & potiſſimùm qui falſa calumniantium lingua cum Suſanna impetũtur, Generalius verò, ſicut & ſimiles Pſalmi Dauidici, competunt hæc in omnes

iuftos,qui periclitantur in hoc mundo à falfa hæreticorum doctrina, & praua diabolicæ fuggeftionis impietate, vt, quoniam Dei fingulari mifericordia affiduis precibus impetrata agnofcunt fe liberatos & defenfos, ne illorũ lingua & fuggeftione decepti mortem æternam inciderent, ac flammam ignis infernalis,promittãt fe perpetuò Deum celebraturum, & in hac fcilicet vita, & multò magis in futura.

18 *Cùm adhuc iunior fum,priufquam oberrarem,quæfiui fapientiam palam in oratione mea.*

SEcunda hic incipit iftius capitis pars, in qua poft gratiarum actionem refert author quomodo ad fapientiam peruenerit, vt deinde efficacius ad eam iam à fe confcriptam amplexandam excitaret.Significat ergo fe rara quadam ratione fapientiam obtinuiffe,fimili fcilicet ratione qua & Salomon Rex,qui,adhuc in pueritia ferè exiftens fapientiam à Deo imprimis petiuit, & obtinuit in ætate immatura. Cùm,inquit, adhuc iunior fum,pro effem, priufquam oberrarẽ, hoc eft,priufquam variis erroribus & peccatis inuoluerer,atque ab eis vt frequenter fit anticiparer,quæfiui in oratione mea obtinere à Deo fapiẽtiam, idque palam & manifeftè,claris fcilicet & apertis verbis,& non folùm in genere, fed etiã expreffè & in fpecie.Poteft illud;priufquam oberrarem; etiã intelligi de errore peregrinationis, quomodo & fuprà author verbo errandi vfus eft, vt fit fenfus:priufquam inciperẽ diuerfas mũdi partes peragrare. Sed prior interpretatio eft conuenientior,vt fignificetur eum nunquam erroribus imbutum fuiffe, fed velut in recens vas fapientiam ei infufam fuiffe, contra communem ferè hominum morem, qui ferè folent ex indulgentia parẽtum, aut carnis ad malum procliuitate, erroribus & vitiis occupari in pueritia,quæ poftea neceffe eft paulatim corrigi per fapientiæ inculcationem.

19 *Ante tempus poftulabam pro illa, & ufque in nouiffimis inquiram eam.*

PRo; ante tempus; Græcè eft ἐνανθίνας,ante templum,vel coram templo,vt fignificetur aptus orationis locus, & videri poffet apud nos mendum effe,& vitio fcriptorum, templum,mutatum in,tempus. Bene tamen conuenit quod nos legimus, ante tempus, quia ei bene refpondet quod fequitur; vfque in nouiffimis. Itaque fenfus eft: Ante maturum fapientiæ percipiendæ tempus, & antequam tempus effet quo communiter folent homines percipere fapientiam, aut pro ea orare,ergo poftulaui pro illa, nec defínam pro ea obtinenda laborare, fed vfque in nouiffima vitæ meæ tempora inquiram eam,vt quæ nec fatietatem adfert, nec faftidium.

20 *Et florebit tanquam præcox uua, lætatum eft cor meum in ea.*

GRæca habent;ex flore tanquam maturefcentis vuæ lætatum eft cor meum in ea. Vnde patet eam partem;Et florebit; iungendam effe potius fequentibus quàm præcedentibus,Et eft fenfus:me inquirente fapientiam,ipfa mihi florebit tãquam præcox vua,quæ ante alias maturefcit,tum quia fingulari me voluptate afficiet fuo fructu & flore, quemadmodum præcoquæ vuæ fingularem afferunt voluptatem: tum quia in me effecta eft velut vua præcox, dum ante tempus maturitatis,præmaturum in me fructum protulit. Magis enim conueniret tempus præteritum, floruit, quemadmodum & Rabanus legit,defloruit. Quia ergo, inquit, inftar præcoquæ vuæ mihi floruit fapientia, ideo lætatum eft cor meum in ea.

21 *Ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute mea inueftigabam eam.*

AMbulaffe dicit pedem fuum iter rectũ, quòd non ad vitiorum deuia declinauerit,fed ad fapiẽtiam & virtutem obtinendam recta via contenderit,non tãtùm quærens quod bonum eft, fed etiam recta illud quærens intentione. Quod enim fignificare voluerit fe contendiffe ad fapientiam, patet ex eo quod fequitur, à iuuentute mea inueftigabam eam.

22 *Inclinaui modicè aurem meam, & excepi illã, multam inueni in me fapientiam, & multùm profeci in ea.*

NOn folùm, inquit, inueftigabam eam, atque ad eam acceffi, fed cùm inuenirem eam,inclinaui modicè aurem meam illi,audiens lubenter eius monita, mox inueni in me multam fapientiam. Oppofitio eft inter modicè & multùm, fignificatúrque quod fi labores qui pro fapientia obtinenda fubeuntur, conferantur cum fructu qui inde percipitur:modicum eft quod impenditur,refpectu eius quod obtinetur. Significatur etiam,quòd qui antequam vitiis contaminatus eft,à puero Deum pro fapiẽtia imprimis orat, talem etiam paruis laboribus quos in audiendo fapientiæ monita fubit,facilè multùm profecturum. Deinde & hoc innuitur,nõ fatis effe Deum orare, fed opus item effe vt quis fapientiæ cupidus inclinet illi aurem fuam, audiendo eam in homine per internam infpirationem loquentem, & exterius per fapientes & doctores. Quia tamen omnis fapientiæ perceptio,diuinæ gratiæ eft beneficium,ideo rectè fubiicit breui fententia:

23 *Danti mihi fapientiam,dabo gloriam.*

DEo,inquit, qui folus verè mihi dat fapientiam, ego viciffim dabo gloriam, agnofcendo me omnem habere ab ipfo fapientiam,eámque nec mihi nec aliis hominibus tribuendo. Quædam Græca pro, gloriam.habent δύναμιν,potentiam. Et redit fenfus eodem.Dare enim Deo potentiam, eft agnofce

agnofcere Dei virtute atq; potentia fapientiam homini acceffiffe, quod eft dare Deo gloriam.Bene autem notandum,quod dicitur;Danti mihi fapientiam;& non,Ei qui dedit mihi fapientiã. Non enim fatis eft Deum femel dediffe homini fapientiam, nifi eam cõtinuè det, conferuando eam,& augendo.

24 *Confiliatus fum enim ut facerem illam: zelatus fum bonum, & non confundar.*

25 *Colluctata eft anima mea in illa, & in faciendo illam confirmatus fum.*

CAufam reddit cur à Deo fapientiã confecutus fit, nempe quòd eam non tantùm concupiuerit ad rerum cognitionem habendam,fed quòd feriò conftituerit eam etiam ipfo opere facere, & ad eius monita atque præcepta vitam fuam inftituere. Ea enim demum vera eft fapientiæ comparandæ ratio, fi quis vitam fuam ex animo componat ad fapiẽtiæ inftituta.Intellectus enim bonus omnibus facientibus eum. Pulchrè autem exprimit fuum pro fapientia opere præftanda affectum. Primùm enim dicit fe confiliatum vt faceret illam, hoc eft, fecum iniiffe confiliũ, & cogitaffe facere præcepta fapientiæ.Deinde addit quod maius eft, zelatum fe bonum,hoc eft,cum magnozelo & amore defideraffe virtutem, eámq; ardenter profecutum,ita vt nullo pudore permittat fe à virtutis profecutione auelli.Ita enim intelligi poteft quod additur; & non cõfundar. Quanquam etiam intelligi poffit ipfum in eo quod cum zelo profequitur, non fruftrandum fua fpe,fed affecuturũ quod zelatur. Poftea etiam quod his maius adhuc eft adiicit. Colluctata eft inquit, anima mea in illa;hoc eft,pro illa & habenda & opere præftanda, totis viribus ex animo contendi & annifus fum.Sic enim hic dicitur anima colluctata, quomodo dicimur contendere pro re aliqua, dum pro ea conatum & vires intendimus. In his autem locutionibus rectè includi videtur renifus & rebellio inhærentis malæ concupifcentiæ, quæ efficit vt non fine pugna & lucta quod bonum eft peragamus, dum caro concupifcit aduerfus fpiritum, Poftremùm fubiicit quod iam dictis perfectius eft,cùm dicit:Et in faciẽdo illam confirmatus fum. Primum enim eft de fapientia perfequenda cogitare, deinde eam perfequi, atque pro ea depugnare & cõtendere, poftremum in ea perfequenda animo planè confirmari,vt non ad tempus,fed perpetuò præftentur quæ funt fapientiæ.Sciendum tamen Græca vltimam partem fic habere,καὶ ἐν ποιήσει μου διηκριβώσαμην,hoc eft,& in operatione mea exactus fui, hoc eft, actiones meas diligenter & exactè expendi num cum mandatis fapientiæ congruerent, quomodo & Dauid dicit:Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teftimonia tua. Cui conueniunt quæ fequuntur.

Pfa. 110.

26 *Manus meas extendi in altum, & in fapientia eius luxit anima mea, & ignorantias meas illuminauit.*

GRæca tantum fic habent; Manus meas expandi in altum, & ignorantias illius agnoui; ignorãtias fcilicet animæ,de qua in fuperiori fententia. Significatur ergo quòd cùm anima eius colluctaretur intra fe, & fuas actiones fecum expenderet, rogauerit etiam Deum expanfis in cœlum manibus, vt fe illuminaret, & depulfis tenebris daret agnofcere errores & lapfus fine quibus hæc vita nõ ducitur:itáque factum effe vt agnofceret propriæ fuæ animæ errata & delicta. Et noftra ergo lectio fic eft accipienda,vt fignificetur quod quanquam omnibus modis niteretur fapientiam & obtinere, & opere præftare, non tamen in fuo conatu folo confifus fit,fed pro ea manus fuas extenderit in altum ad Deum, & per ipfius Dei fapientiam lucida facta fit anima eius, quia Dei fapientia illuminauit, & cognofcere fecit ignorantias eius. Et iftud quidem iuxta communiorem lectionem. At quidam libri correctiores fcripti locum hunc aliter habent:nam pro illo; & in fapientia eius luxit anima mea;habent, Et infipientiam eius luxit anima mea. Vel,& infipientiam eius luxi. Quidam etiam non addunt aut expungunt tertiam illam partem; & ignorantias meas illuminauit;vt fit tantùm bimembris fentẽtia,ficut in Græcis,vbi mentio nulla fapientiæ,fed tantùm infipiẽtiæ.Itaque hæc lectio, quam habebat vnus codex Tongerlenfis, & tres M.N.Aug.Hunæi, meritò eft præferẽda, vt verbum,luxit,non fit à verbo, luceo, fed à verbo,lugeo,quia verifimile eft interpretem noftrũ pro,ἐπενόησα, vt habet æditio Cõplutẽfis,vel,ἐπενοήθησα,vt habet æditio Germanica,legiffe ἐπένθησα,quod eft luxi, à lugeo. Sẽfus ergo erit: Extendi manus meas in cœlũ pro comparanda fapientia, & quoniam deprehendi in me effe multarum rerum ignorantiam,aut etiam deprehẽdi in me aliquos ignorantiæ lapfus,ideo defleuit anima mea infipientiã fuam,aut ego deplanxi infipientiam meam. Huic intelligentiæ conuenit quod fequitur:

27 *Animam meam direxi ad illam, & in agnitione inueni eam.*

PRo;in agnitione; Græcis, ἐν καθαρισμῷ, in purificatione,hoc eft per hoc quod purgatus fum à meis erroribus & ignorantiis, inueni eam. Vnde mirum eft quid fecutus nofter interpres verterit;Et in agnitione inueni eam. Erit tamen fenfus originali accedens,fi fic intelligatur,per agnitionem mei ipfius & erratorum atque infipientiæ meæ inueni fapientiam. Agnitio enim fui ipfius & propriæ ignorantiæ, aut eorum quæ per errorem committuntur, eorúmque confeffio adfert illorum purgationem, & per eam etiam clarior & purgatior obtinetur fapientia. Senfus ergo eft: Cùm in me deprehenderẽ & deflerem multam infipientiam meam, animam meam direxi ad fapientiam, curuatam ex parte, & obtenebratam animam erigendo ad fapientiam,à qua

illuminari & purgari optaui, & per agnitio nem errorum meorum, & secutâ hinc pur gationem, inueni ipsam sapientiam. Vera enim ratio percipiendæ sapientiæ, est agnitio propriæ insipientiæ, siue qua cognoscimus vitæ nostræ defectus, si sequatur eam agnitionem humilis pro sapientia precatio, & vitæ morúmque emendatio atque correctio.

28 *Possedi cum ipsa cor ab initio, propter hoc non derelinquar.*

29 *Venter meus conturbatus est quærendo eam, propterea bonam possidebo possessionem.*

LEgêdum esse,cum ipsa, vt multi libri habent,non autem,cum ipsis, vt habet Lyranus & multa scripta,patet ex Græcis, quæ habent μετ' αὐτῆς,cum ipsa,scilicet sapientia. Sensus ergo est:Statim ab initio quo cœpi studere sapientiæ, ego simul cum sapientia possedi cor, hoc est, cordatus effectus sum, prudens & circumspectus. Quomodo cõtra dicitur in Ieremia: Audi populе stulte qui *Iere.5.* non habes cor.Aut potius sic.Ab initio vitæ meæ ego ex Dei dono obtinui & habui cor sapientiæ coniunctum, eámque semper desiderans,ideóque firmiter confido quòd nõ derelinquar à Deo & sapiẽtia eius, quia eius raro dono ab *infantia* semper illi addictum habui cor.Nec frigidè eam quæsiui, sed venter meus conturbatus est quærendo. cã,hoc est,interiora mea omnia studio quærendæ sapientiæ commota fuerunt,ita vt in meipso multas sensserim perturbationes,eiúsque ardẽtissimo desiderio sæpe cómouerer, ideóque quia tam seriò eam sectatus sum, in ea bonam possidebo possessionem, ipsam scilicet sapientiam,quæ omne bonum temporale excedit, & in qua omne verum bonum obtinebo.

30 *Dedit enim mihi Dominus linguam mercedem meã, & in ea laudabo eum.*

COniunctionem, enim, Græca non habent,habent tamen omnia Latina, nec malè.Explicatur enim pars bonæ possessionis,quam studio sapientiæ obtinuit à Deo. Quia,inquit,seriò & ardenti affectu sapientiam quæsiui,dedit mihi Dominus pro mercede aliqua studij & diligentiæ meæ linguã, qua illum laudare valeam, & in ea laudabo eum,tum hymnis eum celebrando, tum cõcionibus gloriam eius apud populum illustrãdo.Sic & Isaias dicit:Dominus dedit mi- *Isa.50.* hi linguam eruditã, vt possim sustẽtare eum qui lassus est,verbo. Notandum hic mercedis loco dari homini studioso sapientiæ linguam,& facultatem diuina bene eloquẽdi. Hæc enim facultate præditus & multũ honoratur,& multa sibi bona comparare potest:Porro hanc suiipsius tam magnificam commendationem quorsum hactenus protulerit,patet ex sequentibus, nempe quòd ea non sit facta ad sui ostentationẽ, sed partim vt suo exemplo proposito exhortetur alios ad simile studium sapientiæ: partim vt sapientiam à se iam conscriptam reddat lectoribus & auditoribus commendatiorem, & ad eam suscipiendam excitet.Itaque subiungit:

31 *Appropiate ad me indocti, congregate uos in domum disciplinæ.*

COngregant se in domũ disciplinæ, quicunque se magisterio sapientiæ imbuẽdos committunt, etiamsi tantùm legant sapientum scripta:sicut & indocti quique appropiant ad hunc qui loquitur authorem, dum ad eius scripta legenda animum applicant. Peculiariter autem congregantur in domum disciplinæ,qui in quemuis doctrinæ salutaris locum conueniunt,& potissimũ qui templa Catholica adeunt, discendi verã sapientiam causa. Mysticè verò congregantur in domum disciplinæ, qui in ecclesiam Catholicam se recipiunt, quæ vnica domus est,extra quam vera sapientia non percipitur:cui bene conuenit verbum, congregate, quamuis Græcè sit,ἀναλοῦσθε,hoc est,conuertemini in domo disciplinæ,hoc est,eruditionis & rectæ institutionis.

32 *Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? anima uestra sitiunt uehementer.*

VEhementer extimulat & interrogationibus,& necessitatis ostensione. Cùm inquit,tam vtilem, diuinam, atque elaboratam vobis iam proposuerim doctrinã, quid adhuc differtis eam amplecti? an est aliquid quod in his possitis dicere contrà, aut quo vos possitis ab his suscipiendis excusare? Certè nihil tale est,imo est cur meritò ad ea amplexanda festinetis. Nam animæ vestræ vehemẽter sitiunt,hoc est, valde aridæ sunt, & indigæ cœlestis & veræ sapientiæ, qua irrigentur & reficiantur. Ita enim hic magis accipere conuenit verbum, sitire, vt significet indigentiam, quàm vt significet vehemens desideriũ percipiendæ sapientiæ:quia qui sic sitiunt,eis non conuenienter dicitur, Quid adhuc tardatis? Alludit autem hic Sa- *Isa.55.* piens ad illum Isaiæ locum:Omnes sitientes venite ad aquas. Nam sicut ibi subiungitur; venite,emite absque argento; ita & hic subiungitur in versu sequente; comparate vobis sine argento.Et sicut hic increpatoriè dicitur:Quid adhuc retardatis? ita ibi dicitur: Quare appenditis argentum vestrum nõ in panibus?

33 *Aperui os meum, & locutus sum, comparate nobis sine argento.*

VT,inquit,vestræ siti & inopiæ satisfacerem,aperui os meum, & locutus sum verba sapientiæ, quibus sitis vestra restingui poterit;comparate vobis quod vobis propinaui,absque argento. Gratis enim vobis offertur,nec aliud requiritur,quàm vt id vobis compareris,& lubẽter recipiatis quod liberaliter offertur. Non enim id comparatur nisi humili & deuota susceptione, quia nec nolenti & reiicienti obtrudi potest. Addunt multi

multi libri accusatiuum,sapientiam, vt sit: Comparate vobis sine argento sapientiã.At accusatiuus ille vt non est Græcis,ita nec in Latinis aliquot,& melius omittitur,quia verbum,comparare,refertur ad id quod aperto ore propositum est à Sapiente.

34 *Et collum uestrum subiicite iugo, & suscipiat anima uestra disciplinam. In proximo enim est inuenire eam.*

EXponit hic versus quod superiori versu dictum est,Cõparate vobis sine argẽto.Nec hic legẽdum est,subiicite iugo eius, vt multi legunt,sed sine pronomine absolutè;subiicite iugo;hoc est,obediẽtes vos præbete,quemadmodũ explicat sequens pars; & suscipiat anima vestra disciplinã. Hoc est enim collum subiicere iugo. Id quo magis impetret adiicit.In proximo enim est inuenire eam;significans nõ opus esse magno labore ad inueniendum.Nam, vt habet alius, Præoccupat eos qui se concupiscunt,& faciẽ inuenitur ab his qui quærunt eam. Suo exemplo deinde ostendit quàm facilè inueniatur & cum quanto fructu,cùm dicit.

35 *Videte oculis uestris, quia modicum laborani, & inueni mihi multam requiem.*

QVod dicit se modicum laborasse, & tamen inuenisse multam requiem,idem videtur esse cum eo quod mox dixit,inclinaui modicè aurem meam,multam inueni in me sapientiam.Proinde quod dicit hunc videtur habere sensum:Videte oculis vestris, hoc est,ex his quæ vobis hoc scripto proposui clarè cognoscite,quia etsi,sicut modò dixi,modicum laborauerim pro sapientia obtinenda,tamen inuenerim mihi multam requiem.Hic enim liber satis ostendit,quantã hic author animi quietem cõsecutus sit,qui tam cõstanter & copiosè de omnibus rebus disseruit,declarãs se ab omnibus animi perturbationibus liberum esse,atque in sapientiæ dulcedine & consolatione suauiter requiescere.

36 *Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea.*

DVpliciter hic versus accipi potest. Altero modo sic: Assumite disciplinam simul cum multo numero argenti,& possidete copiosum aurum cum ea,hoc est, in eius possessione multas simul cogitate vos possidere diuitias,quia illius possessio,præterquã quòd etiam diuitias temporales sæpe adfert per se verè diuites facit suos possessores, & longè ditiores quàm aurum & argentum, etiamsi copiosum sit.Altero modo sic:Etiãsi multus argenti & pecuniæ numerus sit vel expendendus,vel abiiciendus,& perdendus propter disciplinæ adeptionẽ,tamen lubenter eam assumite: quia si hoc feceritis, pro impenso vel amisso eius nomine argento, possidebitis copiosum aurum in ea, hoc est, longè plus bonin ea obtinebitis, quàm ob eam detrimenti passi fueritis.

37 *Lætetur anima uestra in misericordia eius, & non confundemini in laude ipsius.*

RElatiua,eius & ipsius,vt ex Græcis patet quæ habent ἀυτῆ,sunt masculina, vt non ad sapientiam sint referenda,sed ad Deum. Est ergo sensus:Cùm iam adepti fueritis sapientiam,lætetur anima vestra in misericordia Dei,cuius benignitate sapientiam consequuti estis per quam sapientiam etiam alia Dei dona agnoscitis: & non pudeat vos vnquam laudis ipsius,ita scilicet vt à laude diuina propter homines aliquos desistatis.Cõfundemini,enim positum est pro imperatiuo,confundamini,quia Græcè est, μὴ αἰσχυνθεῖτε,ne erubescatis.Quamuis possit nostra lectio etiam sic accipi:Lætetur anima vestra in Dei donis,& si hoc feceritis,non confundemini vnquam ob id q illum laudaueritis, sicut confundentur qui vana sectantur,& in eis lætantur. Quia verò non satis est Deum voce laudare,nisi & opere ei seruiatur,rectè subiicit.

38 *Operamini opus uestrum ante tempus, & dabit uobis mercedem uestram in tempore suo.*

QVod dicitur,ante tẽpus,dupliciter accipi potest. Primùm sic:Antequã pereat vobis tempus operandi & benefaciendi, vt duo tempora significentur,alterũ,quo operandum est:alterum,quo merces recipiẽda est:sicut & Paulus dicit:Dum tempus habemus,operemur bonum: tempore enim suo metemus non deficientes.Aliter intelligi potest,de tempore mercedis vtrobiq; esse sermonem,vt significetur bona opera necessariò præcedere tempus mercedis. Itaque sensus erit: Antequã veniat tempus mercedis, operamini opus vestrum,quod scilicet vobis à Deo iniunctum est,vnusquisq; officiũ suũ, & tunc dabit vobis Deus mercedem vestrã in tempore suo.quasi dicat:*Si velitis incidere in tempus mercedis,necesse* est prius bonis operibus insistatis.Hac autem sententia recte imponit suo libro finem Sapiẽs, quia finis omnis doctrinæ,est bene operari: & boni operis finis vltimus, est æterna retributio. Simili ferè modo & Ecclesiastes suum librum concludit, dicens:Finẽ loquendi omnes audiamus:Deum time,& mandata eius obserua.Hoc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudiciũ, &c. Præclara sanè est hæc sententia,& digna omnino quæ præcipuè mẽti imprimatur,vt quæ ad fœlicitatem percipiendam sufficiat, quã nobis præstare dignetur post huius vitæ labores qui est in sęcula benedictus.

AMEN.

INDEX COMMENTARIORVM REVERENDISSIMI DOMINI, D. CORN. IANSENII, IN PSALMOS, PROVERBIA, ET Ecclesiasticum.

In Prouerbiis & Ecclesiastico prior numerus significat Caput: posterior, versum, sed in Prouerbiis paginam, quando versus non est per numerum notatus.

Aaron & ornatus eius, Eccl. cap. 44. uers. 8. & seq.
Ab uberibus: ab utero: & similia significant tempus quo homo incipit uti ratione, Psal. 21. e. Psal. 57. c.
Abraham, Eccl. 44. 19. & seq.
Abscondere, id est, non agnoscere, Prou. 28. 13.
Abscondita Dei pro thesauris Dei, Psal. 16. Psal. 30. d. Prou. 2. 23.
Abyssus pro uastitate inter cœlum & terram. Pro. 8. 25.
Abyssi pro fontibus & fluminibus, Prou. 3. 41.
Accingere se est alacriter opus aggredi, Prou. 31. 5. 45.
Accipere personam quæ phrasis, Psal. 81. a. Prou. 18. 5. Prou. 28. 21.
Accipere munus è sinu dupliciter accipi pōt, Pro. 17. 24.
Accepisti dona in hominibus, cur Paulus mutarit in Dedisti, Psal. 67. m
Accusator sui prior iustus, Pro. 18. 18.
Acetum in nitro, Prou. 25. 20.
A cidè interpreti, id est, cum tædio, Eccl. 4. 9.
Adam appellatiuè pro homine, Eccl. 35. 22.
Addere uerbis Dei quid, prouerb. 30. 6.
Adeps pro uisceribus & misericordia, aut pro opum affluentia, Psal. 16.
Adolescentia raro exuitur, Prouer. 22. 6.
Adolescentum est ante alios surgere è mensa ad lusum, Eccl. 32. 14.
Aduersum pro è regione, Psal. 37. d.
Adulationem detestetur princeps, Prou. 29. 12.
Adulterium notatur, Eccl. 23. 26. & seq.
Adulterā tenens quomodo stultus, Pro. 18. 24. Psal. 23. b
Aegrotum uisitare non pigeat, Ecc. 7. 38.
Aemulari quæ significet, Psal. 36. a. Prou. 23. 17. Prou. 24. 1. & 19.
Aeternum quomodo sacerdotium Aaron, Eccl. 45. 9.
Aliena mulier quæ, Prou. 2. 26. Vide Mulier.
Alienæ dapes non quærendæ, Eccl. 29. 26. & seq.
Alios docens, aut eis benefaciens quātum sibi prosit, Pro. 12. 15.
Alma quid significet, Prou. 30. 19.
Alphabeticis literis cur Dauid Psalmum, 118. scripserit Ibid. pag. 139.
Altero sermone repetere quid, Prou. 17. 9.
Altum cor pro homine profundi consilij. Psa. 63. c
Amare periculum quibus competat, Eccl. 3. 28.
Ambitionis detestatio, Eccl. 7. 5.
Ambulare cum Deo est ei beneplacere, Eccl. 44. 15.
Amicus pro quouis homine. Prou. 11. 9. & 12.
Amicus antiquus non relinquendus, Prouer. 27. 10. Eccl. 9. 14.
Amicus est optima & pulcherrima suppellex, Ecc. 7. 19.
Amicorum delectus faciendus, Eccl. 37. 1.
Amicus quomodo acuatur, Prou 27. 18.
Amici ficti detestatio, Eccl. 27. 25. & seq.
Amici ueri & ficti discrimen, Prou. 17. 18.
Amicitiæ bonum, Prou. 18. 24.
Amicitiæ uulgaris instabilitas, Prou. 14. 20.
Amicitia uicinorum colenda, Prou. 27. 11.
Amicitia & dilectio præcipuè seruanda inter consanguineos, vicinos, & coniuges, Eccl. 25. 1.
Angeli dicuntur dij, Psal. 8. c
Angelus bonus an malus plagas Aegypti fecerit, incertum est, Psal. 77. o
Angeli dicuntur sacerdotes & iudices, Psal. 137. a
Angeli, id est, ministri Dei sunt uentus, ignis, & grando, Psal. 103. b
Angeli populi, id est, maiores populi, Prou. 9. pagin. 27.
Anima pro homine per synechdochē & emphasim, Ps. 3. a
Animam in manibus ponere quid, Psal. 118. in 14.
Animam effundere quid, Psal. 41. c
Animam suam aut Dei in uano accipere quid, Psal. 23. b
Animi probati uel in probati indicia, Eccl. 27. 5. & seq.
Annuēs oculis opponitur ambulanti simpliciter, psal. 34. e. Prou. 6. 78. & 10. 11.
Aperire os in orando quid, Eccl. 39. 7.
Aperire alicui aures per Deum quid, Psal. 39. d
Apostata quæ significet, Prou. 6. 77.
Aquila quomodo renouenescat, Psal. 102. b
Arare mendacium quid, Eccl. 7. 13.
Arguendi quando sint impij, & quando non, Prou. 9. pag. 27. vide Correptionem.
Ascensionis filij Dei typus, ascensio Eliæ, Eccl. 48. 9.
Astra sæpe uocantur militia Dei, exercitus & uirtus eius, Eccl. 16. 29.
Astutus pro prudenti, Prou. 14. 15. & 18.
Auaritiæ detestatio, Prou. 11. 12. & 13. 26. & 23. 5. 6. & 28. 22, Eccl. 14. 3. & seq.
Auaritia notatur per porrectionem & contractionem manuum, Eccl. 4. 25.
Auaritia cauenda regibus, Prou. 29. 4.
Auarus hydropico comparatur, prou. 30. 15.
Auaro nihil scelestius, Ecc. 10. 9. & 10.
Auari abundant peccatis, Eccl. 23. 23.
Auari dona non esse uilia accipienti, Eccl. 20. 13.
Auris perfossa signum erat seruitutis, psal. 39. d
Aures obturare ad clamorem pauperis, prou. 21. 13.

B

Beatus ac fœlix verè quis, Eccl. cap. 14.
Benedictio pro eleemosyna, Prou. 11. 25.
Benedictiones dulcedinis quæ, Psal. 29. a
Benedictio quomodo dicatur Christus, Psal. 20. d
Benedictio Dei est uelut cataclysmus aridam inebrians, Eccles. 39. 27.
Benedictio sacerdotis super populum, Eccl. 50. 27. & 28
Benedicere est multiplicare aut benefacere. Psal. 147. a: Pro laudare aut bene precari. Prou. 27. 15.
Benefaciendum quomodo nobis, Prou. 11. 17.
Benefaciendum quibus, quibus non, Eccl. 12. 1.
Beneficium non differendum, Prou. 3. 44.
Beneficentia in pauperes & lugentes commendatur, Ecc. 7. 36. & 37.
Beneficentiæ faciendæ tres causæ, Eccl. 29. 12.
de Beneficentia in conferendo aut referendo, Eccles. cap. 29.
Belial quæ significet, Prou. 6. 77.
in Bello plus valet sapiētia quàm multitudo, Prou. 24. 6.
Bibere iniquitatem, est repleri malo, Prou. 26. 6.
Bibere de torrente, est metaphora victoriæ, Psal. 109. g
Bibliotheca Aegypti celeberrima iuuit interpretem Ecclesiasticī, prologus in Eccl. fol. 3.
Blasphemia quantum peccatum, Eccl. 23. 15.
Bonorum & misericordium conditio, Eccl. 40. 19.
Bonum cor. Prou. 15. 16.
Bona temporalia quomodo promittantur, Pron. 1, 20.
Brachium pro armo, Eccl. 7. 34.
Breuis pro paruo, Eccl. 25. 22. & 11. 3.

C

Cadit septies in die iustus, scilicet in tribulationes, Prou. 24. 16.
Calendæ mensium quomodo celebres fuerint Iudæis, Psal. 88. a
Calicis nomine quid significetur, Psal. 15. c. & 74. d
Callidus pro prouido, Prou. 14. 8. & 22. 3.
Calumniari quale malum, Psal. 18. 8.
Calumniari frequens interpreti pro opprimere, Prou. 14. 31. & 22. 17.
Cananæus pro mercatore, Prou. 31. pag. 131.
Canis opponitur sacrificiis, aut est peccator prophanus, Eccl. 13. 22.
Caput pro summa, Psal. 39. f. Eccl. 32. 9.
Caro pro propinquo, Prou. 11. 17.
Cardines cœli & terræ qui, Psal. pag. 174. d
Cardines orbis terræ, Psal. 8. 102.
Castigationis iustorum nomen non includit eos ob peccata sua pati, Prou. 3. 36.
Castitas eloquiorum Dei. Psal. 11. e
Caupo à peccatis non iustificabitur, Eccl. 26. 24.
ne Certes de re quapiam quæ non molestat, Eccl. 11. 10.
Christus cur comparetur filio unicornium, Psal. 28. c. cur uermi, Psal. 21. d
Christus quomodo purgarit peccata Dauidis, 47. 14.
Chrystallus glaciē omnē significat, Ps. 147. d. Ecc. 43. 22.
Cicatrices, id est, liuores, id est, uulnera, Psal. 37. a
Cingere, id est, induere, Eccl. 45. 10.
Ciuitatibus quantum commodi adferat sapientia: incommodi autem nequitia, Prou. 29. 8.
Clamat variis modis Dei sapientia, Prou. 1. 15.
Cœli altitudo non scrutanda, Prou. 25. 2.
Cogitare malè, id est, machinari, Prou. 24. 8.
Cogitare id est, curam habere, Eccl. 30. 27. & 31. 1.
Cogitare pro peccato, id est, anxiū esse pro eo, Psal. 37. g
Comedere fructus uiæ suæ, Prou. 1. 18.
Comessationes pascens confundit patrem, Prou. 28. 7.
Communicandum cum quibus, Eccl. 11. 34. & seq.
Commutatione solent fieri emptiones, Eccl. 26. 15.
Comparatio pro consonantia, Eccl. 32. 6. & 19.
Compositum frequens pro simplici Adorare Psal. 71. e. Despicere, Psal. 53. b. Psal. 111. d. Exprobrare, Prou. 14. 31. Reddere, Eccl. 33. 16. Redimere, Eccl. 20. 9. Restituere Psal. 15. c. Retribuere, Psal. 118. in 3. Prou. 11. 18.
Concordia inexpugnabilis, Prou. 18. 20.
Post Concupiscentias tuas non eas, Eccl. 18. 28. & 29.
Confiteri, id est, prædicari, Psal. 106. b
Confundere furorem quid, Eccl. 39. 34.
Confundi, id est, uerecundari, Eccl. 42. 3.
Consilia prudentium qualia, Prou. 20. 5.
Consilia impiorum quæ, Psal. 1. b
Consiliis anima dulcoratur, Prou. 27. 9.
Consiliari pro meditari, Eccl. 39. 16. & 38.
Consilio magis fidendum quàm pecuniis, Eccl. 40. 27.
Consilium stabile omnem actum præcedat, Eccl. 37. 20.
Consultò omnia agenda, Eccl. 32. & seq.
Consultandum cum quibus & cum quibus non, Eccl. 37. 7. & seq.
Consummatio pro consumptione, Psal. 7. b
Contentio cum stulto declinanda, Prou. 29. 9.
Contrà pro coràm, Psal. 76. a. Eccl. 6. 13.
Contraire pro elongare, Prou. 14. 7.
Conuersatio impiorum uitanda, Prou. 13. 21.
Conuiuia potorum uitanda, Prou. 23. 20.
Conuiuæ sint tibi uiri iusti, Eccl. 9. 22.
Conuiuiorum sumptuosorum debortatio, Eccl. 18. 30.
Conuiuij rector quomodo se gerere debeat, Eccl. 32. 1. 2. & 3.
in Conuiuio quomodo se gerere debeant senes & adolescētes, Eccl. 32. 4 & seq.
Cor Sapiens fere accipit pro mente, Prouer. 15. 14. Prou. 4. 58.
Cor quis non habeat, Eccl. 51. 28.
Corde duplici aut timido quid, Eccl. 2. 15.
Cor præparare quid, Eccl. 2. 20.
Cordis inspector, pōderator & obseruator est Deus, Prou. 24. 12.
Cornu est potestas regia, Psal. 131. h
Cornu pro gloria & potentia, Eccl. 47. 6. & 8.
Correptio commendatur, Prouer. 27. 5. 6. Prou. 28. 23. Eccl. 20. 1.
Correptio non contemnenda, Prou. 29. 1.
Correptionem odiens. Ecc. 21. 7. & 22. 19.
Correpti officium, Eccl. 20. 3.
Corripiendus detrahens aut malè agens, Eccl. 19. 13. seq.
Corripienti & docenti oportunitas obseruāda, Ecc. 22. 6.
Correptio indecora quæ, Eccl. 19. 28.
Correptio in conuiuio est intempestiua & infrugifera, Eccle. 31. 36.
Coruorum cur meminit scriptura in pascendo, Psalm. 146. c
Crapula frenāda, Prou. 23. eius detestatio, Prou. 23. 30. & 31. Vide Temperantia.
de Crastino ne glorieris, Prou. 27. 1.
Creatum esse impropriè competit sapientiæ, Prou. 8. 101. Eccl. 1. 5. & 24. 11.
Concreatus quomodo timor Dei fidelibus, Eccl. 1. 16.
Creaturæ quæ laudare nequeunt cur ad laudandum inuitentur, Psal. 97. b
Cremium uox interpretis, Psal. 101. d
Cubito mense innitentes notantur, Eccl. 41. 22.
Culter in gutture ponendus. Prou. 23. 1,
Cultus uerus Dei in quo consistat, Eccl. 35. 1. & sequen.

Quis cultus Dei non sit illi gratus, Eccl.34.21. & sequen.
Curiositas uitanda, Eccl.3.25.& 26.
Cupiditas lucri multorum peccatorum causa, Eccl.27.1.
Custodire pro obseruare, Psal.16.a

D

DAuid, Eccl.47.& seq.
Declinare pro abducere, Prou.13.15. in dextram uel sinistram quid, Pro.4.61.
Delectus habendus in sermonibus, coniugio, & aliis rebus, Eccle.36.18.& sequentibus, & cap.37.
Delictum quid differat à peccato, Eccl.26.24.
Denotatio pro damnatione, Eccl.5.18.
Derisores deludet Dominus, Prou.3.47. eiiciendi, Prou.22.11.
Desyderare pro deficere, Prou.19.22.
Detractio grauior furto, Eccl.5.18. deponenda, Prou.4.59.& 24.9.& 13.13.
Detractoribus non temerè fides habenda, Eccl.19.4.& sequen.
Detrahentem linguam dißipat facies tristis, Prou.25.24.
Detractio audita commoriatur in te, Eccl.19.10.
Detractoribus mãdatorum Dei & regis ne commisceaeris, Prou.24.21.
Deuorare iniquitatem quid, Prou.19.28.
Deus semper in mente habendus, Pro.3.31.
Deus omnia præsens intuetur. Ecc.16.16.& seq.& 24.
Dei seueritas in numerosis populis sæpe declarata, Eccle.16.6.& seq.
Deo dandum hilariter & liberaliter, Eccl.35.10.
Dei montes cedri, &c. pro altißimis, Psal.35.b
Dextrum pro eo quod probandum est, Prou.4.62.
Diapsalma quid, Psal.3.
Dies pro tempore ultionis, psal.136.d
Dies mala est dies afflictionis aut extremi iudicij, Psal.48.d.& 93.c
Dies nostros esse mensurabiles, id est, ualde breues, Psal.38.b
Diem mortis suæ non petit sibi Dauid indicari, Psal.38.a
Dignitas ex extremis non metienda, Eccl.10.26.
Dilatatio cordis aliquando in bonum, Prou.21.4.
Disciplina diligenda, Pro.72.1.
Disciplina est correctio per uerba aut flagella, Prouer.3.34. nunc eruditionem, nunc castigationem significat, Prou.1.3.
Ditari festinans non erit impunitus à Deo, Prou.28.20.
Diues uir uidetur sibi sapiens, Prou.28.11.
Diuites dicuntur leones, Psal.33.c
Diuinationes & somnia attendens quàm uanus sit, Eccle.34.1.& seq.
Diuinatio pro oraculo diuino, Prou.16.11.
Diuisio patris & matris & similium est sæpe ex elegantia tantum in coniunctis sententiis, phrasi Hebraica, Prou.1.9.& 17.21.& 30.17.&c.
Diuitias rectè facultates dici, Eccl.31.11.
Diuitiæ iniquæ pro diuitiis, Eccl.5.1.
Diuitias nominari indifferens Græcè, Eccl.27.1.
Diuitiæ an in bonis numerandæ, Eccl.13.30.
Diuitiæ ornamentum sapientum, Prou.14.24.
Diuitiæ addunt amicos, Prou.19.4.
Diuitiis cor non apponendum, Eccl.5.1.
Diuitiarum solicitudo quàm sit noxia homini, Eccle.31.1.& seq.
Diuitiis quomodo rectè vtendum, Eccl.14.11.& seq.
Diuitiarum vanitas & vsus, Prou.13.7.& 8.
Diuitiis longè præstare sanitatem corporis & animi solidam lætitiam, Eccl.30.15.& seq.
Diuitiæ impiæ nihil proderunt, Prou.10.2.& 14.1. Eccle.5.11. malè partæ quibus cedant, Prouer.28.8. sicut fluuius siccabuntur, Eccl.40.15.
Docendi modus duplex Deo proprius, Psal.24.a
Doctrina paßiuè, Prou.13.16.
Doctrina replebuntur cellaria, Prou.24.4.
Doctrina ornamentum aureum prudenti, Eccl.21.23.
Doma significat rectum & domum, Prou.21.9.
Domus disciplinæ adeunda, Eccl.51.31.
Domus sapiẽtiæ & disciplinæ describitur, Pro.9.pa.26.
Domum ædificare, pro parare familiã aut instruere omnibus necessariis, Psal.126.a, Prou.11.29.
Donec, consecutiuè positum, Psal.pag.174.b
Donec, Vsque, & similia, duobus modis accipi, Psal.70.c.& 93.c.& 109.b
Dormire aliquando summã securitatẽ significat, Psal.3.a
Duplicare, id est, iterare, Eccl.42.1.

E

EBrietatis mala, Pro.23.30.& seq.
Ebrietas res luxuriosa, Prou.20.1.
Ebriosus operarius non locupletabitur, Eccl.19.1.
Ecclesia pro piorum cœtu, Eccl.39.14.
Ecclesia significata. Prou.5.66. Eccl.44.14.
Ecclesiastici quis author, Eccl.fol.1.
Elatio notatur, Eccl.6.3. Vide Superb.
Eleemosyna concludenda in sinu pauperis, Eccle.29.14.& seq.
Eleemosyna quomodo pauperi facienda, Eccl.cap.4.
Eleemosynæ benignitatem uerborum addendam esse, Eccl.18.13.& seq.
Eleemosyna quomodo resistat peccatis, Eccl.3.34.35.
Eleemosyna est quasi sigillum apud Deum, Eccl.17.16.& 17.
Eleemosyna faciet apud Deum locũ homini, Eccl.16.15.
Eleemosyna ditiores facit, Prou.11.14.& 25. Vide Miseric.
Elias, Eccl.48.1.& seq. reditus eius, Eccl.48.11.
Eliseus, Eccl.48.13.& seq.
Eloquendi facultas datur pro mercede studioso sapientiæ, Eccl.51.30.
Emere veritatem, id est, comparare, Prou.23.23.
Enoch translatus est in paradysum ut det gentibus pœnitentiam, Eccl.44.15.
Episcopatus quæ significet, psal.108.b
Epulari pro gaudere, Eccl.39.37.
Errare, id est, peregrinari, Eccl.51.18.
Errare, id est, hærere in ebrietate, Prou.20.1.
Error quomodo competat omni peccatori, Prou.14.12.
Erubescendum de sedecim, Eccl.41.18.& seq. De tredecim non erubescendum, Eccl.42.3.& seq.
Et pro quia psal.27.a. Eccl.11.11.
Et non, id est, magis quam, Prou.8.97.
Etenim pro sed &, certè, Psal.40.d. Psal.128.a
Euangelizare, Psal.95.a
Ad Eucharistiæ sacramentũ pertinere illud: Vota mea Domino reddam: Psal.21.5.& illud: Erit firmamentum, Psal.71.f.& illud: Tollite hostias, psal.95.c.& illud: Calicem salutaris accipiam, Psal.115.c.&c.
Euigilare ad sapientẽ, est festinãter eum adire, Ecc.6.39.
Exardescit, id est, accendit colloquium mulieris sicut ignis, Eccl.9.11.
Exauditum cùm se dicat Propheta, cur tanquam nõ exauditus rursus Dei opem implorat, Psal.3.c
Excessus pro trepidatione & stupore, Psal.115.b
Excußi pro iuuenibus, Psal.126.d
Exerceri frequens interpreti pro meditari, Psal.76.b

Experientia commendatur, Eccl.34.9.
Extremum terræ quid, Psal.134.a
Ezechias laudatur, Eccl.48.20.& seq.

F

FAcere veritatem quæ significet, Prou.12.23.
Faciem alicuius sumere quid, psal.81.a
Faciem requirere, id est, ambire fauorem, Prou.29.26.
Faciem auertere, est reiicere precem, Psal.131.f.
Fama præferenda diuitiis, Prou.22.1.
Fama nomen significat & rumorem, Prou.15.31.
Fame an iusti affligantur, Prou.10.3.
Familia non relinquenda, Prou.27.8.
Familiaritas non ineunda cum dißimilibus in uita aut fortuna, Eccle.13.19.& seq.
Fastidium oritur ex frequentia, Prou.27.7.
Festinare pro trepidare, Eccl.2.2.
Festina, (id est, fac festinare) tempus, Eccl.36.8.
Ficti cauendi, Prou.20.19.
Fideiußio temeraria dissuadetur, Prou.6.73.& 11.15.& 17.19.& 20.16.& 22.27. Eccl.8.16.
Fideiubet vir bonus pro proximo, Eccl.29.17.& seq.
Fideiussoris non obliuiscendum, Eccl.29.18.
Fidelis seruus commendatur, Prou.27.19.
Fidelis pro stabili, Eccl.31.27.
Figuris utitur Scriptura, Congerie Psal.1.a. Gradatione, Ibidem. Hyperbole & poetica exornatione, Psal.17.b Prosopopœia, Psal.49.b. Synecdoche in numero, Psal.73.g.&c.
Filij eruditio, prou.19.18.
Filiorum recta institutio, Eccl.30.1.& seq.
Filiis & filiabus duo impendenda. Eccl.7.24.& 25.
Filius vnus timens Deum est melior, id est, pluris faciẽdus quàm mille filij impij, Eccl.16.3.
Filij Dei qui specialiter dicantur, psal.2.e
Filius pro homine.
Filij alienigenæ pro alienigenis, Psal.17.n
Filij aquilæ pro aquilis, Prou.30.17.
Filij hominum quid differant à terrigenis, psal.48.a
Filia Syon aut Tyri pro populo cur. Psal.9.b. psal.44.b. psal.36.e
Finis aliquid dupliciter. Prou.4.12.
Firmamenti encomium, Eccl.43.1.
Flumina quinque sacra celebrantur, Eccl.24.34.
Fodere malum exponitur dupliciter prou.16.28.
Fœnerari dupliciter exponitur, prou.19.17.
Filio cadenti cõparantur impij: uirenti iusti, prou.11.28.
Fornicatio est uia ad mortem, Prou.2.26.
Fortè pro utique, psal.122.b
Fortis pro sedulo, prou.12.25.
Fortunæ & fati opinio confutatur, Eccl.11.17.
Foueam alteri fodiens incidet in eam, prou.26.27.
Fraude quæsita pereunt, prou.21.6.
Fremere pro tumultuosè congregari, psal.2.a
Frumenti absconsio, Prou.11.26.
Frustra testis, id est, præter causæ meritum, prou.24.28.
Frustrari, id est, per errorem delinquere, Eccl.23.13.
Futurum frequens pro imperatiuo Hebraicè, psal.5.b
Furantes parentibus quantum peccent, prou.28.24.
Furor hominum supra furorem vrsæ, prou.17.12.

G

GAllus succinctus lumbos, prouer.30.31.
Garrulitatis detestatio, Eccl.7.15.
Gelu pro pruina, Eccl.43.22.
Generatio cur dicatur dies resurrectionis, Psal.2.e
A Generatione in generationem quid, psal.9.b
Genera in uerbis Hebraicis attendenda, prou.9.116.
Genus fœmininum Hebr. sæpe poni substantiuè, psal.26.a.& 31.d.& 118.in 7.
Gigantes pro dæmonibus, prou.9.117.& 21.16.
Gloriari, id est, honorari, Eccl.10.33.& 34.
Gloriatio diuitũ & pauperũ timor Domini, Eccl.10.25.
Gratia pro fauore & beneuolentia, prou.12.2. prou.14.9. Eccl.40.19.&c.
Gratiarum actio, Eccl.cap.51.
Gratiæ fatuorum reiicientur, Eccl.20.12.
In Gradatione Hebræis maius præponitur, psal.131.c.
Gradus templi Salomonis quot fuerint incertum est, psal.119.pag.148.
Graue cor, id est, obscuratum, psal.4.c
Gutta pro resina ex frutice myrrhæ, Eccl.24.20.
Herbarum uiridium quæ pulchritudo, Eccl.40.24.
Hæreditas pro possessione, prou.20.21.
Hæreditare terram non competit iustis, psal.24.d
Hæreditas seminis patriarcharum in quo consistat, Eccl.44.11.
Homicidij detestatio, prou.28.17.
Hominum distinctio ex prouidentia Dei est, Eccl.33.7.
Homini lapso quomodo competat, Si volueris mandata seruare, seruabunt te, Eccl.15.16.
Honestas pro diuitiis, Eccl.31.1.
Honestare, id est, ditare pauperẽ facile Deo, Eccl.11.26.
Honor timentium Deum, Eccl.10.23.& sequent.
Honorandi sunt de nostra substantia parentes, sacerdotes, & pauperes, prou.3.33.
Humilem spiritu suscipiet gloria, prou.29.23.
Humilitas commendatur in actione & cognitione, Eccl.3.2.& sequent.
Humilitas duo significat, prou.15.34. Latinè modestia dicitur, prou.22.4.
Hypocrisis quibus indiciis deprehẽdi ualeat, Ecc.19.29.
Hysopus ad expiationem adhiberi solet, psal.50.e

I

IEsus appellatiuè, psal.fol.177
Iesus ad totam Trinitatem relatum, Eccl.43.26.
Iesus filius Naue & Caleb celebrantur, Eccl.46.1.& sequent.
Igitur significat aliquando transitionem ad alia, non, illationem, Eccl.42.21.
Illuminare pro recreare, psal.12.c.& 14.a
Imperatiui aliquãdo significant quid vno posito futurum sit, per Si per exponendi, prou.14.7.& 19.25.
Impij quomodo puniendi à rege, prou.20.26.
Impiorum hostiæ abominatio, prou.21.27.
Impiorum fœlicitati non indignandum, Eccl.9.16.
Cum Imprudentibus non consulendum, Eccl.8.22.
In, tribus modis exponi in vno psalmo, psal.150.a
In æternum sæpe significat diutur. prou.29.14. ponitur pro in sæculum, psal.48.f.g.
In æternum & ultra quid, psal.fol.175.b
In finem quæ significet, psal.4.a.& 37.b
In idipsum pro simul, psal.4.1.
In manu, id est, iuxta prophetiam frequens. Eccl.49.8.
Incidentia fœliciter quatuor, prou.30.29.
Incensi & holocausti discrimen, psal.65.c
Incolæ seu peregrini quomodo erimus in cœlo, psal.14.a
Inferni pœna cur sæpe describatur per ignem & sulphur. psal.10.e
Infernus pro statu damnatorum, prou.15.25. pro statu mortuorum ante Christi paßionem, pro morte, & sepulchro, psal.6.c. prou.15.12.& 25.21.& 30.15.

Eccl.1 4.16.& 28.24.& 41.6.& 48.5.
Infinitiuo ponere pro impetratiuis est familiare Græcis, Eccl.10.26.
Infirmitates pro idolis, Psal, 15.b
Infirmus priùs ad Deum cōfugiat quàm ad medicū, Eccl. 38.9.& seq.
Inimicus iuuandus est, Prou. 25.22.
Inimico ne credideris, Prou. 26.25.
Inimico etiam reconsiliato non facilè credendum, Eccl.12. 9.& seq.
Inimico tuo cadente non gaudendum, Prou.24.17.
Iniquitates quomodo Deus obseruet & non obseruet, Psal. 129.a
Initiū pro principatu, Eccl.11.3.& 29.25.& 39.31.
Iniuriam patiens liberandus de manu superbi, Eccl.4.9.
Innocens pro impunito, Prou.6.85.& 11.21.& 28.2. pro imperito, Prou.7.87.& 14.15.& 22.3.
Inspectio pro die iudicij, Eccl.2.17.
Intemperantia in potu & libidine notatur, Eccl.19.1.2. & 3.
Intendere pro attendere, Prou.39.a
Interpres noster Sapientem non est assecutus, Eccl.45.33.
Interrogari pro torqueri, Eccl.23.11.
Intrare in iudicium quid. Psal.142.a.
Introitus cum egressu sæpe ponitur pro omni uitæ humanæ conuersatione, Psal.119.
Inuidia quale malum, Prou.14.30.& 27.4.
Inuocare in ueritate quibus competat, Psal.144.e
Inuocare nomen Domini pro prædicare, Psal. 115.f. Psal.fol.172.a
Iosias & alij laudantur, Eccl.49.
Ira cohibenda, Prou.12.17.& 14.29.& 16.33. Eccl. 27.34.
Ira stulti saxis & arena grauior. Prou.27.3.
Iracundi fugiendi, Prou.22.25. suscitant rixas, Prouerb. 29.12.
Iracundia est contra naturam nationi mulierum, id est, natis ex mulieribus, Eccl.10.22.
Irascitur Deus & non irascitur per singulos dies, psal.7.d
Ira Dei metuenda, Eccl.5.8.9.& 10. est uelut conuersio aquarum in salsuginem, Eccl.39.28.
Irrisio Dei qualis, Psal.2.b. Prou.1.17.
Isaias laudatur, Eccl.48.30.& seq.
Iucunditas cordis uita hominis, Eccl.30.24.
Iudicis sententia non temerè reprehendenda, Eccl.8.17.
A Iudice sapiente tres proueniunt fructus in republica, Eccl.10.1.
Iudicare pro in iudicio & æquitate gubernare, Eccl.10.1
Absque Iudicio, id est, iniustè uel imprudēter, prou.13.24.
Iudiciaria potestas non appetenda, Eccl.7.6.
Iurandi consuetudo praua prohibetur, Eccl.23.9.& seq.
Iurans multum horripilationē capiti statuet, Eccl.27.16.
Iurgia concitant Iati animo, prou.28.25.
Iustus est uelut arbor cuius folium non defluit, psal.1.d
Iusto quomodo nullum malum accidat, prou.12.22.
Iustitia pro eleemosyna, Eccl.44.10.& 14.16.
Iustitia est uestitus ornans & uestiens iustum, Eccl.27.9.
Iustitia habenda quasi virgo quam violare grande sit piaculum, Eccl.20.2.
Iustitia & iudicium coniuncta quid significent, prou.1.4.
Iustificare se ante Deum quid, Eccl.7.5.
Iustificare, id est, à crimine alienum ostēdere, Eccl.10.32
Iustificari coram Deo nullum uiuentem, quomodo uerum, psal.142.

L

LAbiis stultus quit, prou.10.9.
Labor commendatur, prou.14.23.& 16.27.
Labor frequēs pro afflictione, psal.9.1.& 72.c.& 134. 139.c. prou.16.27.
Non Laborandum vt diteris, prou.23.4.
Laborem detrectandum non esse prætextu honoris ant nobilitatis. Eccl.10.29.& seq.
Lachrymæ cur panes dicantur, psal.41.b
Lætatur Dauid ob temporalem fœlicitatem ei post persecutionem inimicorum concessam, psal.4.b
Lapis angularis ueriùs Christus quam Dauid. psal.116.c
Laus probat hominem, prou, 27.22.
Laus non est speciosa in ore peccatoris, Eccl.15.11.
Laudare se stultorum est, prou.27.2
Laudabitur, Interpres sæpe posuit pro gloriabitur, psal. 33.a.& 62.g
Legati sui muneris monentur, prou.25.13.
Lex Dei, lux, prou.6.83. ut pupilla oculi, prou.7.89. & 22.3.
Libanus pro thure, Eccl.39.18.
Liberalitatis uis, prou.18.17.
Liberalitas prudens quid ualeat, prou.21.14.
Ligno uitæ quæ comparentur, prou.11.30.
Lignum frequens pro arbore, psal.1.d
Linguæ commendatio, prou.15.1.2.4.& 8. custodia, prou 13.3.& 21.23. Eccl. 28.29.& 30. utilitas, prou.18.22.
Linguæ uitia quæ uitanda sint, Eccl.37.& seq.
Linguæ detractoriæ uitia, Eccl.28.13.& seq.
Linguam acuere quid, psal.139.a
Linguam nequam noli audire, Eccl.28.28.
Lingua tertia quid, Eccl.28.14.
Lites non facilè suscipiendæ, prou.25.8.
Lites fugiendæ, prou.20.3. Eccl.28.8.& seq.
Litigiosa uxor quantum malum uiro & prolibus, prou. 19.13.& 21.9.& 19.& 27.16.
Longa uita quomodo tribuatur timenti Deum: impio, breuis, prou.10.28.
Longanimitas commendatur, prou.25.15.
Longe quomodo Dominus ab impiis, prou.15.30.
A Loquacibus abstinendum, Eccl.8.4.
Ad Loquendum ueloces notantur, prou.29.20.
Loquendum reuerenter, Eccl.23.17.
Loquendum uix adolescenti in mensa, Eccl.32.8.& seq.
Ad loquendum tarditas, ad auditum uelocitas commendatur, Eccl.5.14.
Lucerna frequens pro illustri filio aut posteritate, psal. 131.l. prou.20.20.
Lucerna impiorū quid, prou.13.9.& 21.4.& 24.20.
Lucrum proprium quandoque negligendum, prou.12.17.
Ludens id est, gaudens, prou.8.104.
In Lumbis aut renibus affligi dicitur, cùm per afflictiones dissoluimur, psal.37.c.
Lunæ encomium. Eccl.43.7.& seq.
Luxuria pro luxu & lasciuia, Eccl.11.32.14.4.& 42.16.

M

MAla iustis non semper immitti ob peccata, prou. 3.6.
Malorum quàm breuis & instabilis uita, Eccl. 40.13 & seq.
Malorum authorem Deum non esse, Eccl.15.13.& seq.
Malè precari posse hominem pium diabolo, Eccl.21.28.
Maledictum frustra prolatum transuolat. prou.26.3.
Maledictio aliquaudo exauditur, prou.30.10.
Malitia pro afflictione, prou.25.20. Eccl.11.32,
Mandatum pro uniuersa lege. psal.118.in 12,
Mandata Dei duobus modis mirabilia. psal. 118. in 17. habenda pro consiliariis, psal.118. in 3.
Mandata Dei obseruantium fructus, Eccl.32.16.& seq 33.1.

Mansuetu.

Mãsuetudo cū humilitate cōmēdatur. Eccl.3.19.& 20.
Manus complere vel implere perficere, pro initiare sacris, Eccl.45.25.
Manus tribuuntur flumini & pluuiæ. Eccl.40.16.
In Mariæ festo cur quædam canantur ex Eccl. cap.24. Eccl.24.45.
Matris admiratio, Eccl.43.27.& seq.
Matrimonij commoda, & cœlibatus incōmoda, Eccl.46. 21.& seq.
Medicus honorandus. Eccl.38.1.
Medicina etiam pharmaca significat, Eccl.38,4.
Meditatio præcedat consilium, prou.15.30.
Meditari pertinet etiam ad oris sermonem apud interpretem, psal.1.c.
Melior, id est, præstantior, prou.16.33.&c.
Memoria iusti manet, Prou.10.8. in æternū, Eccl.44.9.
Mendacium quàm graue malum, Eccl.20.25.& seq. eius detestatio, Eccl.7.13.& 14.
Mendax quomodo pascat uentos, prou.10.5.
Mendax. quomodo omnis homo, psal.115.b.
Mendicus frequens pro afflicto, psal.39.l.
Mendicus pro egeno & contrà, Eccl.40.31.
Mendicitas uitanda, Eccl.40.31.& seq.
Mendicitatem (inuolūtariam) ne dederis mihi, prou.30.8
Mentiri pro trepidante & maximè seruili subiectione. Scriptura usurpare solet, psal.17.n.
In Mensā alienā respicere est continua mors, Eccl.40.32
Mensis unde nomen habeat, Eccl.43.8.
Mercatura periculosa. Eccl.26.24.
Mercedis defraudatio clamat in cœlum, Eccl.34.26.
Meriti nomen tribuitur operibus, Eccl.16.15.
Meritum pro dignitate, Eccl.10.31.
Mercurij aceruus quid. prou.26.8.
Meteora Dei commendantur Eccl.43.15.& seq.
Mirabilia omnia Dei quomodo sancti enarrent, Eccl.42. 23.
Miseria grauatus non irridendus, Eccl.7.12.
Miseria uitæ humanæ describitur, Ecc.40.1.& seq.
Miserere animæ tuæ, Eccl.30.25.
Misericordia commendatur, prou.22.9. in tempore tribulationis liberat, Eccl.40.26.
Misericordia in pauperes, prou.19.17.
Misericordia nomine tenus notatur, prou.20.6.
Misericordia & ueritas aut iustitia coniuncta quid, psal. 84.d. prou.14.22.& 16.7.& 3. pag.50.& 51.
Misericordia Dei speciosa in tempore tribulationis. Eccl. 35.24. pro misericordia Dei in populum oratio, Eccl.cap.36.
Misericordia Dei plus præstitit propter Dauidem, quam iustitia eius abstulit propter Salomonē, Eccl 47.29.
Moderationem linguæ & animi optat Sapiens, Eccl.23. & seq.
Modus in omnibus seruandus, prou.25.16.
Mōs sanctus, est mons Sion aut cœlum, psal,3.d.& 14.d
Morborum causæ peccata, Eccl.38.14.
Ante Morbum vel in morbo quid faciendum, Eccl.18.18. & 19.
Mors pro peste aut immatura morte, Eccl.39.37.
Mors quomodo bona indigenti, Eccl.41.3.
De Morte nullius etiam inimici gaudendum, Eccl.8.8.
In Morte amici quid faciendum, Eccl.38.15,
Morte grauiora tria, Eccl.28.5
Ante Mortem nemo laudandus, sed ut beatus, Eccl.11.33.
A mortis timore dehortatio, Eccl.41.& seq.
De moriendi necessitate doctrina, Eccl.14.17.
Mortificare quæ significet, psal.fol.174.c.
Mortificatio corporis comparatur utri in pruina, psal. 118.in 11.
Mortui memoria quomodo habenda, Eccl.38.23.& 24.
Moyses, Eccl.45.1.
Mulier bona, prou.18.23.& 24.& mala. Ecc.cap.26.
Mulier fortis, id est, uxor quanti æstimanda, prou.14.4. & 31.59.
Mulieris species non intendenda, Eccl.42.18.& seq.
Mulieres olim cum uiris in conuiuiis non accumbebant, Eccl.9.12.
Mulieris malitia super omnia mala exaggeratur, Eccl. 25.15. usque ad finem cap.
Mulier libidinosa depingitur, prou.8.115.
Mulier pulchra sed impudica comparatur sui habenti circulum aureum in naribus, prou.11.22.
Mulier aliena fugienda, prou.5.63.& seq.& 6,84. 85.86.& 7.90.& fouea profunda. prou.22.15.& 23.27.
In Muliebri sexu quid uitandum, Eccl.9.1.& seq.
Multiloquium, Prou.10.20.
Mundū est cor meum, cur nemo dicere possit. prou.20.9.
Munera fugienda, prou.15.28. Eccl, 40.14. excæcant oculos iudicum, Eccl.20.30,
Mutuum fortiori non des, Eccl.8.15.
Mutuum dandum, Eccl.29.1.2.& 11. reddendum, Eccl. 29.2.& seq.

N

NAm pro autem. Eccl.22.4.
Nascitur ad ignominiam stultus, prou.17.22.
Natura paucis contenta, Eccl.29.25.
Natura & inclinatio sua cuique cōsiderāda, Eccl.37.30.
Necessaria uitæ humanæ quæ, Eccl.39.31.
Necessitates pro angustiis, prou.24.f
Negatio aliquando subauditur ex præcedenti sententia, psal.43.d. prou.30.3.
Negationes duæ more Græco fortius negant, Eccl.18.31.
Negligens frater decoctoris, Prou.18,10.
Negotiatores iniusti & similes, sunt latrones, Prou.1.12.
Negotium pro molestia, psal.90.d
Nimietas uitanda. Prou.25.16.& 17,
Noc tempore iræ pretium redemptionis, Eccl.44.16.
Nō bonū, id est, ualde malū, Prou.23.24. Ecc.7.14.& c
Non omnis, pro omnino nemo, psal.142.a.& 147.e
Nomen Domini turris fortissima, Prou.18.11.
Nomen Dei quomodo nemo nouerit, prou.30.4
Nomen bonum, id est, celebris fama, Prou.22.1.
Nominis boni cura habenda. Eccl.41.14.& seq.
Nomen impiorum delebitur, Eccl.41.7.& seq.
Nomē plusquam mille derelinquet sapiens, Eccl.39.15.
Nouissima in omnibus memorare, Eccl.7.39.& 28.6.
Nouissimum pro mercede operis, Prou.23.17.
In Nubibus cur sæpe Deus residere dicatur, Eccl,24.7.
Numerus pro mensura, psal.146,b pro ratione harmonica, Eccl.32.7.
Numerus pro numero: ut, Septimus pro septem, Prou.6. 8. Quartus pro quatuor, Prou.30.15.& 21. Tripliciter. i. triplo magis, Eccl.43.4.
Numeri mutatio frequens in Scriptura. Eccl.4.17.
Numerus singularis pro plurali, Eccl.48.11. pluralis pro singulari, psal.73.g. Eccl.44.18.& 48.8. per amplificationem, Eccl.47.3

O

OBductio pro calamitate, Eccl.2.2.& 25.16
Obediens parentibus consequitur coronam gratiarum, Prou.1.9.
Obediens auris & arguens se mutuò ornāt, Prou.25.12.
Oblationis laus, Prou.3.23.
Obliuionis terra actiuè exponi potest et passiuè, Psal.87.c
Obuiauerūt sibi diues & pauper, Prou.22.2.& 29.13.
Occasio non permittenda elabi, Prou.10.6.
Per Octauam quid intelligatur, Psal.6.a

Oculus

Oculus bonus aut malus pro liberali aut inuido, prou. 23. 6. Ecc. 31.14. & 35.10.
Odisse animam suam quis dicitur duobus modis in script. Psal. 10.c.
Offerre ex iniqno quantum scelus, Eccl. 34.24.
Omnes Deus alleuat, quo sensu, Psal. 114.d.
Onus pro quouis prophetia, Prou. 30.21.
Operire delicta, est condonare, Prou. 10.13.
Oportunè loquendum, Prou. 25.11.
Oppressis succurrendum, Prou. 24.11.
Opus pro mercede, Psal. 108.e
Opera Dei consideranda, Eccl. 39.16. & seq.
Operum Dei pauca uidimus, Eccl. 43.27.
Opera Domini omnia bona, Eccl. 39.39. & seq.
operum Dei laus, Eccl. 42.21. & seq. usque ad finē, 43. Cap. Eccl. 16.25. & seq.
Orandum semper, & anima ante præparanda, Eccl. 18, 20. & 21.
Oratio humiliantis sē nubes penetrat, Eccl. 35.18.
Orandum absque pusillanimitate, Eccl. 7.10
Orat bene qui mandata Dei obseruat, Eccl. 35.1.
Oratio diluculo pro sapientia & remissione, Eccl. 39.7. & seq.
In Oratione ne iteres uerbum: exponitur, Eccl. 7.15.
Orationem suam cur incenso comparet Psalmista, psal. 140.d
Orare pro gratias agere, Eccl. 50.29.
Ad orientem Christi ascensus, Psal. 67.c
Oriri pro germinare, Psal. 71.b
Ornatus mulierum quales, Prou. 31.5 48. & 549.
Osculum manuum, signum subiectionis, psal. 2.g
Ossa pro membris corporis, Prou. 12.4.
Otium non quærendum à sapientia præditis, Eccl. 20.31.

P

Pacificus duo significat, Eccl. 6.7.
Panis pro necessariis, Prou. 12.9. & 11.
Parabolæ quid significet, Præf. in Prou.
paratus sum in flagella, id est, destinatus. psal. 37.f
parce uiuendo diteſcens notatur, Eccl. 11.21.
parentum subsannatio, Prou. 30.17. Vide Hon. Obed.
parentes honorandi, Eccl. cap. 3. Eccl. 7.28. & 29 eos honorando quid filij consequantur, Eccl. cap. 3.
participium Ignorans causaliter accipiendum, prou. 27.1
partiri cum fure, id est, cooperari, prou. 29.24.
patrum sanctorum laudatio, Eccl. cap. 42.
pater familias bona sua retineat quandiu uiuit, Eccl. 33. 23. & seq.
patiens pro tardo ad iram, prou. 14.29. & 16.33.
patientia indicat uiri doctrinam. prou. 19, 11.
patientia pro expectatione patienti. psal. 61.d
pauidus semper beatus, prou. 28.14.
pauperum uita panis egentium, Eccl. 34.25.
pauperum oppressio, Prou. 22.17. & 23.
pauperi dans non indigebit, prou. 28.26.
pauperum causam in ueritate iudicet rex, 29.14.
pauperum causam nouit iustus, prou. 29.7.
pauper frequens pro afflicto, psal. 39.l. prou. 15.16.
peccata quanta cura uitare debeamus, Eccl. 21.1. & seq.
A peccato se auertens non despiciendus, Eccl. 8.6.
peccatorum funes, prou. 5.72.
peccata dicūtur obligationes, psal. 124.b
peccatum iterans cur canis ad uomitum reuertens, prou. 29.11.
in peccata relabentium fœditas, Eccl. 34.29.
peccatum sicut Leo operantibus, Eccl. 27.12.
peccatum pro expiatione peccati, 14.34.
peccata populi multos faciunt principes, prou. 28.2.
peccata parētum quomodo uisitentur in filiis, psal. 108.
peccator quo sensu soli Deo pecces, psal, 50.b
pro peccato matris restituetur tibi bonum, uarie exponitur, Eccl. 3.16.
peccatum omnes admiserunt præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam, exponitur, Eccl. 49.5.
peccandi libertas resecatur quæ concipitur ex dilatione uindictæ & ex misericordia Dei, Eccl. 5.5. & seq.
peccantium cōgregatio etsi numerosa quàm fragilis, Eccl 21.10. & 11.
peccatorum blanditiis & suggestionibus non acquiescendum, prou. 1.10.
peccatorum carbones non accendas, Eccl. 8.13.
pecoris tui inultum agnosce. prou. 27.25.
pecora campi Interpres ponit pro bestiis syluestribus, psal. 8.d
pelicani proprietates, psal. 101.b
pericula sua Ecclesiasticus allegoricè & metaphoricè describit, Eccl. 51.5. & seq.
pessimare, id est, affligere, Eccl. 11.29. & 36.9.
pestilens interpreti pro derisore, prou. 19.26,
phimes, Eccl. 45.33.
pigritiæ dehortatio, prouer. 6.75. & 10.4. & 13.4. & 19.15. & 24. & 20.4. & 21.25. & 22.14. & 24.30. & 26.13. & seq.
pigri hominis uilitas, Eccl. 23.1.
plaga Domini quæ, Eccl. 39.35. & seq.
plagæ non essent si peccata non essent, Eccl. 7.1.
pœnitentiæ efficacia, & ad eam exhortatio, Eccl. 17.18. & seq.
poeticæ auroræ pennæ tribuuntur, psal. 38.d
pondera iusta habenda, prou. 16.12.
pondera dolosa notātur, prou. 20.10. & 23. Vide statera
ponere pro dare, psal. 72.9.
portæ, loca iudicum, prou. 1.14. & 22.23.
porta iustitiæ & Domini quid, psal. 17.c
portæ mortis & filiæ Syon, psal. 9.b
possessor cordis pro sapiente. prou. 15.33,
possidere sapientiam pro acquirere. prou. 4.51.
possidere gubernacula, est acquirere consilia quibus prudentes moderantur res gerendas, prou. 1.5.
A potentibus abstinendum, Eccl. 8.1,2.
potestas terræ in manu Domini, Eccl. 10.4. & 5.
præceptum pro decreto, psal. 2.d
præcepta patris quæ nocet Sapiens, prou. 6.82.
præda pro cibo. rou. 31. pag. 130.
præparare pro dirigere aut ponderare, psal. fol. 174.d
præsens non solum dicitur quod nunc fit, Eccl. 44.4
prætendere pro exhibere aut in longum tempus extendere. psal. 35.e
precatio Prophetice prædictio futuri, prou. 21.7.
presbyter pro seniori, Eccl. 6.37. &c.
pretium pro honore, psal, 61.c
pretiosum pro raro, prou. 25.17,
pretiosa, quo sensu, mors sanctorum, psal. 115.d
primitiæ frugum sunt præcipua quæque ex eis, prou. 1.7.
princeps impius quàm malus subditis, prou. 28.15. & 16.
principis laus ex sapienti sermone, Eccl. 9.24. & 25.
principium pro principatu, psal. 109.d. & 118.in 20.
principum aulæ declinandæ, Eccl. 9.19.20.
probatio sine scrutatio quomodo Deo cōueniat, psal. 138.d
probatio iustorum non uocatur contritio, ruina, aut similiter. prou. 16.19.
prodigus notatur, Eccl. 20.17. & 18.
promittere pro temerè effutire, prou. 12.19.
prophetia deficiente dissipabitur populus, prou. 29.18.
In prophetis legendis & in eorum commentatoribus occupatur Sapiens, Eccl. 29.2.
prophetæ more scripturæ id facere dicuntur quod prædicant, Eccl. 49.9.
propinquis pro redemptore interpreti, Prou. 23.11.

De pro

De propitiatu peccati noli esse sine metu exponitur, Eccl. 5.6.
prosperitas est malis sæpe noxia, Eccl. 20.8. & seq.
prouerbia Salomonis quomodo uera, Prou. 20.2. et 22.6
prouerbiorum totus liber an à Salomone scriptus, Prou. 25. pag. 98.
prouerbium & parabola quæ significent in Scriptura, Præf. in Prou. Eccl. 39.3.
prouidentiæ seruandæ præcepta quædam, Eccl. 18.17. & sequen.
prudentiæ duplex genus, Eccl. 19.22.
prudentiæ suæ niti quomodo uetitum, Prou. 3. pag. 8.
prudentibus corda sua sunt manifesta, Prou. 27.20.
pudor duplex, Eccl. 4.25. & seq.
per pudorem non omittenda confessio peccatorum aut uenitatis, Eccl. 4.31. & 32. Vide Erub.
puellarum pulchritudo non inspicienda, Eccl. 59. 5. & 25.24.
puer pro seruo, Psal. 112.d
pugnare contra Deum non est facile, Eccl. 46.8.
pulcritudo est uana, Prou. 31.552.
punitio impiorū redituit pœnas iustis debitas, Prou. 11.18
pupillorum propinquus & fortis uindex est Dominus. Prou. 23.10.
pupilli & uiduæ preces non deficiet Deus. Eccl 35.14.
pupillis esto misericors ut pater in iudicando, Eccl. 4.10 & 11.

Q

Quærere animam quæ significet, Prou. 19.10
Quam bonus, id est, optimus, &c. Prou. 15.24.
Quam (i. valde) præclarus, Psal. 22.c
Quanta pro quæcunque, Psal. 77.a
Quaternariis usus Amos in uitis describendis, Prouer. 31.15.
Quemadmodum, admirativè positum Eccl. 47.19.
Querela pro uituperio, Eccl. 18.13.
Quia, ad sequentia referendum, Prou. 1.16. frequens pro certè, Psal. 32.d. pro & quidem, Psal. 136.a
Quieuit, id est, quiescere fecit, Eccl. 24.11.
Quis, significat ueritatem, Prou. 31.540.
Quis pro utinam aliquis, Psal. 13.d

R

Ra ab pro Aegyptiis ponitur, & differt à Rach ab Psal. 86.c
Radix iustorum quibus modis exponi possit, Prou. 12.3.
Rebus in aduersis non diffidendum: nec in prosperis nimis confidendum, Eccl. 11, 28. & seq.
Reciprocis carent Hebræi. Prou. 1.13.
Reciprocum pro non reciproco aut contrà frequēs, Eccl. 1.9. & 49.12
Regiones exteræ qui adierint sapientiæ causa, Eccl. 39.5.
Regna unde firmentur aut subuertantur, Eccl. 10.1. & sequen.
Regno Christi quadruplices subiecti, Psal. 59.b
Relatio aliquando est nō tam ad nocem quàm ad rem, Psal. 86.a
Relatiuum subinde superest, Psal 18.c. & 32. c. & 121. b. Eccl. 43.1.
Relatiuum quandoque ponitur sine expresso antecedente, Psal. 15.b & 98.c
Reliquum pro reliquis, Eccl. 47.30. & 44.18.
Remissa manus, Eccl. 2.15.
Remittenda offensa proximo ut à Deo nobis remittatur, Eccl. 28.1. & seq.
Reprōbo præceps reprehenditur, Prou. 18.14. Eccl. 11.9
Responsum adolescentis habeat caput, id est, sit summarium, Eccl. 32.9.
Resurrectio regeneratio uocatur, Psal. 2.e
Resurrectio quo sensu impiis non competat, Psal, 1,e
Rex quibus abstinere debeat, & quibus uacare, Prou. 31. 3. & seq.
Regis ira meritò formidabilis, Prou. 19.12.
Regis thronus clementia roboratur, Prou. 20.28. iustitia & ablatione impietatis. Prou. 25.5.
Regis cor comparatur riuis aquarum, Prouer. 21.1. est in manu Domini, Pron. 21.
Ridebit uix tacite sapiens, Ecc 21.22.
Rixæ alterius relinquendæ, Pro. 26.17.
Roborari pro diu subsistere, Pro. 12.3.
Robustus pro sedulo, Prou. 21:5.
Rusticatio & laboriosa opera non uedienda, Eccl, 7.16.

S

Saba nō semper eandem regionē significat, Psal. 71.c
Sacerdotes honorandi, Eccl. 7.3. & 33. totius uiribus defendendi, Eccl. 7.32.
Sacerdotes summi recensentur qui sunt ante Machabæos extra canonem scripturæ, Eccl. 50.1.
Sacrificium aliquando speciale nomen, Psa. 9.b
Sacrificium iustitiæ tribus modis accipi pot. Psal. 4.f.
Sacrificiorū quatuor enumerat Dauid, Psal. e
Sacrificiis externis cur præferatur iustitia Iudicii, Prou. 21.3.
Salomon, Eccl. 47.16. & seq.
Salutaris adipem aut calicem poni pro sacrificiorum. Eccl. 47.2.
Samuel, Eccl. 46.18. an uere excitatus arte Pythonis, Eccl. 46.27.
Sanctitas Dei pro Deo, Eccl. 47.13.
Sanctum pro cœlesti Dei habitaculo, Psal. 150.a
Sanctitas pro templo. Eccl. 47.18. Eccl. 49.8.
Sanctuarium pro regio diademate, Psal. 88.e
Sanguis unæ pro uino, Eccl. 50.16.
Sanitas melior omni auro, Eccl, 13.16. & 17. cur. peculiariter tribuatur umbilico & ossibus, Prou. 3.23.
Sapientia in script. commendata quantum distet ab eo quod philosophi uulgus & sapientiā uocant. Prou. 1.3.
Sapiens quis uere, Prou. 10.1. Eccl. 1.15.
Sapiens, id est, sapientiæ studiosus. Eccl. 39.1. eius actiones, ibidem.
Sapientiæ encomium, Eccl. cap. 1. & cap. 24.
Sapientiæ officia. Eccl. 4.12. & seq.
Sapientiæ dilectio quantum lætificet, Eccl. 40.22.
Sapientiæ fructus, Eccl. 15.1. & seq.
Sapientis laus. Eccl. 37.25. & seq: eius cor commendatur, Eccl. 3.32.33.
Sapientia ubi quærenda, Prou. 2.23. studio, precibus & labore, Prou. 2.22. eius radix Deus, Eccl. 1.8.
Sapientiam qui non consequantur, Eccl. 15.8. & seq. etiā si quærant eam, Prou. 14.6.
Sapientia terrenis est nimis alta, Prou. 24.7.
Sapientis & stulti discrimen, Eccl. 21.13. & seq.
Sapientia omnis est timor Dei, Eccl. 19.18. & seq.
In Sapientia meditatis describitur, Eccl. 14.22. & seq.
Sapientiam adepto quid faciendum, Eccl. 4.24. & seq.
Sapientiæ studium à teneris quantum boni adferat, Eccl. 6. 19. & seq.
Sapientia comparatur ligno uitæ, Prou. 3.39. arbori, pulcherrimæ, Eccl. 14.28. & 24.15. sorori nostræ & sponsæ, Prou. 7.60.
Sapientum & senum doctrina auidè suscipienda, Eccl. 8. 9. & seq.
Sapientiora sapientibus quatuor sunt, Prou. 30.24.
quis Satiabitur uidens gloriam eius. pertinet ad uisionem quæ hic percipitur ex creaturis, Eccl. 42.33.
Saturari uiis suis, id est, recipere præmium earum, Prou. 14.14.
Scandalum mentis quadruplex, Psal. 118. in 21.
Scientia Dei ad omnia pertingens, Eccl. 42.24. & seq.

Scien

Scientiã alicui dare quomodo competat sapientibus, Prou. 10.15.
Scientiæ labia quam pretiosa, Prou 20.15.
Scortatio reprehenditur. Eccl. 23.4.
Scripturæ omnes à Spiritu sancto dictatæ sunt ut omnibus sæculis congruant, Psal. 4.c
Ad Scripturarum intelligentiã qui sint apti, Eccl. 38.25. & seq.
In Scripturarum citationibus per Christum aut Apostolos quid aduertendum, Psal. 8.a. & 15.33. & 17.43
Scripturam citat Paulus sensu mystico, Psal. 96.a
Scripturam Septuagint longè aliter uertisse non est mirandum, Psal. 4.c.
Secretum cælandum Prou. 11.13. Eccl 27. & seq. & 24.1.
Secretum Domini terpres uertit firmamentum & sermo cinationem Prou. 3.56.
In Sæculum sæculi tripliciter exponitur, Psal. 144.a
Securæ mentis omnium, Prou. 15.16.
Semel, id est, cantare, Psal. 61.f
Sed dicere ne sine aut in sulcis iniustitiæ quid. Eccl. 7.4. & seruus Regis appellatus, quòd è senibus constaret. Eccl. 25.5.
Senectutis commendatio, Prou. 16.32.
Seno hortandi & non spernendi, Eccl. 8.7.
Seres quid ornet. Eccl. 25.5.6. & 7.
Septies id est, sæpius, Prou. 24.16.
septulum pro abundanti, Prou. 6.87. Eccl. 40. et 7.4.
Sepulchrum pro loco arido, Psal. 67.c
Sermo declarat qualis homo sit, Eccl. 27.7. & 8.
Sermo iusti commendatur, Prou. 10. uersibus 12.14.21. 22. & 32.
Sermo Dei est ignitus & clypeus, Prou. 30.5.
Sermonem confirmare, est adimplere promissa, Psal. 118. in 5.
Seruus sensatus commendatur, Prou. 17.2. Eccl. 10.28.
Seruus in ueritate operans quo loco habendus, Eccl. 7.21. & 22.
Seruo quæ seueritas adhibenda, & quæ humanitas, Eccl. 33.28. & sequen.
Seruitus heroum damnatur, Eccl. 4.34.
Si, Ioan. ultimo legendum. non sic, Psal. 62.c.
Signum pro signaculo, Eccl. 42.8. & 49.13.
Silentio fert prudens mala immissa, Eccl. 1.28.
Similitudinis particula sæpe subintelligitur, Psal. 30.e. & 67 c. Prou. 11.22. & 17.14.
Simon Oniæ multùm cõmendatur, Eccl. ca. 50.1. & seq.
Simplex pro integro, Prou. 10. 10. & 30. & 19.1. & 20.7.
Singularis est genus porci, Psal. 79.c
Singulariter, id est, libere ab omnibus inimicis. Psal. 140.d
Sitire significat desiderium aut indigentiam, Eccl. 51.32.
Solis ortus omnium, Eccl. 43.2. & seq.
Solicitudo diuitiarum notatur. Eccl. 11.11. & seq.
Somnus pro morte iustorum, aliquando etiam iniustorum. Psal. 15.d. & 75.c. pro securitate, Psal. 126.c
Somni dilectio prohibetur, Prou. 20.13.
Somniorum obseruatio uanissima est, Eccl. 34.1. & seq.
qui Sophisticè loquitur odibilis est, Eccl. 37.23.
Sortes in sinum mitti uariè exponitur, Prou. 16.34.
Sors pro communi fortunæ alea, Prou. 1. Pag. 2.
Species pro genere Clementia, Prou. 11.19.
Speràs super infideli est dens putridus et pes lapsus, Prou. 25.19.
Spes nulla impia mortuo, Prou. 11.7.
Spem futurorũ malũ non habent, i. solidam, Prou. 24.20.
Spiritus sanctus dicitur spiritus oris, Psal. 32.4.
Spiritus ad uindictam creati qui, Eccl. 39.33.
Spiritum totum profert stultus. Prou. 29.11.
Statera dolosa quale peccatum, Prou. 11.1.
Statuere eloquium, est adimplere promissa, Psal. 118. in 5
Statuere breuitas non despicienda in homine, Eccl. 11, 2.
Strangulata uestis, Prou. 31.547.
Stultitiæ ultuperium, Eccl. 22.3. & seq.
Stultus incorrigibilis, Prou. 27.24.
Stulto quando respondendum, quando non respondendum. Prou. 26.4.
Suauis pro benigno, Psal. 144.b
Subiectio una obedientiæ: altera, qua quis se totum Deo committit, Psal. 61.a
Summum cœli pro Oriente, Psal. 18.g
Super significat propter, magis quã præterquã, Psal. 30,4
Superbia fons iurgiorum, Prou. 13.10.
Superbiæ detestatio, Eccl. 21.5. & 6. & 10.9. & 11.1. & seq.
Superbiam quæ sequantur, Prou. 21.24.
Superbi ut pix utendi, Eccl. 13.1.
Superba pro excelsis, id est, eminentibus, Prou. 8.99.
Superlatiuus pro positiuo postius, Eccl. 39.30.
Susceptor ipsequès pro defensore, & adiutore, Eccl. 12.4.
Sustinere pro subsistere, Eccl. 43.13.
Syrro notatur, Eccl. 5.17. & 18. & 21.29. & 28.13.
susurrone subtracto iurgia quiescũt, Prou. 26.20. & 22.
Symbola amicos conseruantur, Prou. 23.21.
Synagogæ significatus, Prou. 5.66.
Syon, sæpe pro ecclesia fidelium, Psal. 2, c, duos montes significat, Eccl. 24.16.

T

Tabernaculum pro cœlo, Psal. 14.a 60.a
Tacebit sapiens usque ad tempus, Eccl. 20.4.
per Templum sanctum quid intelligatur, Psal 5.d
Temperatia cibi & potus, quæ est sanitatis remediũ, seruanda est, Eccl. 31.13. & 37.32. & seq.
Tempus aliquando pro tempore operandi, aliquando pro tempore mercedis, Eccl. 51.38.
Tempora in psalmis sæpe confundi, Psal. 17. fol. 23.
Tenebræ quomodo Deus inhabitet, 67.a
Tentare uaria significat, Psal: 77.g
Tentare Deum quæ significet, Ibidem.
Terminos antiqui non transferendi, Prou. 22.29.
Terræ fundamenta sunt stabilita terræ, Prou. 8. pag. 25.
Terram inhabitare quibus competet, Prou. 2.28.
Testamentum, id est, dispositio, Eccl. 14.12. & 16.23.
Testamentum pro quouis pacto, Eccl. 11.24.
Testis repetitus arguitur, Prou. 12.2.
Testis falsus, Prou. 19.5. & 28. & 21.28. & 25.18.
Testificari pro denuntiare, Eccl. 28.11.
Tharsis naues cur celebres in Scriptura, Psal. 47.d
Theophylactus cautè legendus, Prou. 16.1.
Thus pro arbore, Eccl. 50.9:
Timor, Prou. 16.7.
Timoris tria bona, Prou. 19.23. & 22.4.
Timor Domini cõmendatur, Prou. 14.26. & 27. & 15.34. Eccl. 1.12. & seq. & 34.16. & 40.28. & seq.
Timor Dei omnibus præferendus, Eccl. 25. & seq.
Timor casus quomodo permaneat in sæculum, Psal. 8, 1.
Quod timet impius ueniet super eum, Prou. 10.25.
Timorem addit impius impietas, Prou. 28.1.
Timens hominem citò corruet, Prou. 29.52.
Timendos non esse homines, quo sensu, Prou: 7.89.
Titulus pro monumento, Psal. 15. fol. 33.
Tonitru sæpe dicitur uox Domini, Eccl. 43.16.
Tonitrui terrorem pluuia superare facit, Eccl. 40.19.
Torcular, ecclesia aut Christi passio, Psal. 8.a
Trans pro ultrà, Psal. 17.1.
Tribulatio comparatur fornaci, Eccl. 27.6.
Tripliciter, id est, multipliciter, Prou. 22.21.
Tristitia quantum cordi noceat, Prouer. 25.21. longè expellenda,

pellenda, Prou. 15.14.
Tristitia delicti duplex, Eccl. 14.1.
Tristitia ob mortem amicorum deponenda, Eccl. 38.21.
in Tropico sermone nõ sunt omnia curiosè inquirenda: ut fores sapientiæ & postes ostij eius, Prou. 8. pag. 26
Tyranni non diu uiuunt. Eccl. 10.12.

V

Vallis lachrymarum quid, psal. 83.b
Vanitas pro idolis, Prou. 30.8
Vas Hebr. pro instrumento. Eccl. 43.2. & 45.11.
Vbera pro amoribus, Prou. 5.70.
Velocitas, id est diligentia, custos sanitatis, Eccl. 31.26.
Vena pro uena aquarum. Prou. 25 26
Verbum pro facto, Psal. 64.a. Prou. 16.21.
Verbum Domini est imperium eius, & filius, Psal. 32.a
Verborum suauitas commendatur, Eccl. 40.23. rusticitas notatur, Eccl. 23.17. & 18.
Verba sapientis cur comparentur aquis profundis & flumini redundanti, Prou. 18.4
Verborum tantum sectator nihil habebit, Prou. 19.8
Verecundia quid sæpe operetur, Eccl. 20.23. & 24.
Verecundia semper præit, id est, commitatur gratiam, Ecc. 32.12.
Veritas, id est, iustitia, Ecc. 27.11.
Veritas merces, id est, firma & solida merces, Pro. 11.18.
Vermis Christus tribus de causis, Psal. 21.d
Verinis inepij erit conscientia mordens, Eccl. 7.18.
Versutus pro prudente, prou. 12.24.
Verum amen frequens pro uerè, Psal. 31.e
In Vestitu non gloriandum, Eccl. 11.4.
In Via iustitiæ non arctabuntur gressus tui, prou. 4. 53.
Viæ Domini sunt præcepta eius, item actiones. Psal. 137. c. Prou. 10.30.
Victimæ opponuntur pani sine obsonio, Prou. 17.1.
Victoria Domino tribuenda, Prou. 21.31.
Victus pro uita, Eccl. 40.32.
Videre ruinas impiorum quid, Prou. 29.16.
Vigiliæ pro custodiis vigiliarum, Psal. 76.c
De uindicta ne cogitandum, Prou. 20.22.
Vindicta altissimus etiã patiens
Vinea ecquente populum Dei significat,
Vinum regibus non dandum, seu moderantibus & 6.
In vino demorantes, Prou. 12.12.
Vinum & pinguia amans non ditabitur, Prou. 21.17.
Vinum sumenti & exhibenti temperantia seruanda, Eccl. 31.29. & seq.
Virgæ quomodo parcendum, Prou. 13.25.
Virga disciplinæ fugat stultitiam puerorum. Prouer. 22.16. & 23.14.
Virga conuenit dorso imprudentium. Prou. 26. 3. tribuit sapientiam, Prou. 29.15. & 17.
Virga ferrea quomodo Deus regat impios, Psal. 2, f
Virtutes cœlorum quæ, psal. 32.a
Virtutis via spinosa pigris, Prou. 15.20.
Visitatio pro die iudicij, Eccl. 2.17.
Viscera pro misericordia cur, Prou. 12.10.
Vita nostra similis araneæ, siue animaculũ intelam, Psal. 89.c
Vita impiorum, domus: piorum, tabernaci
Vita iustorum lux, Prou. 4.56.
Vitæ simplicium genus describitur, Prou. 27.27.
Vituperatio facilis notatur. Eccl. 11.8.
Viuificare pro è malis liberare, Psal. 118. in 3.
Vnigenitus filius pro dilecto, Prou. 4.50.
Voluntas Dei bona est nobis instar scuti, Psal. 5 f
Vorago siue Etan quid. Prou. 13 16.
Voti obligatio, Prou. 20.25.
Vota tempestiuè persoluenda, Eccl. 18.20. & 21.
Vota pro desideriis, Prou. 15.9.
Vox Dei pro tonitruo, Psal. 45 d. Eccl. 43.19.
Vsuræ triplex acceptatio, Psal. 71.d
Vt pro utinam. Eccl. 46.17.
Vulpium nomine omnes feræ intellectæ, Psal. 62.f
Vxor cur cernæ comparetur, Prou. 5.70.
Vxor prudens propriè à Domino datur, Prou. 19.14.
Vxor ut irreprehensibilis sit, quantum curare debeat maritus, Eccl. 40.21.
Vxor præ amico amanda, Eccl. 40.25.

FINIS.

UNIVERSITARIA